Digitized by Google

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

Digitized by Google

Digitized by Google

MAXIMA
BIBLIOTHECA
VETERUM PATRUM,
ET ANTIQUORUM SCRIPTORUM ECCLESIASTICORUM.

PRIMO' QUIDEM A MARGARINO DE LA BIGNE, in Academiâ Parisiensi Doctore Sorbonico, in lucem edita.

DEINDE CELEBERRIMORUM IN UNIVERSITATE COLONIENS Doctorum studio, plurimis Authoribus, & Opusculis aucta, ac historicâ methodo per singula sæcula quibus Scriptores quique vixerunt, disposita.

HAC TANDEM EDITIONE LUGDUNENSI ad eandem Coloniensem exacta, novis supra centum Authoribus, & Opusculis hactenus desideratis, locupletata,

ET IN TOMOS XXVII. DISTRIBUTA.

Huic etiam Editioni accesserunt INDICES QUATUOR *præclari, in hac tàm multiplicium Scriptorum vastissimâ collectione verè faces, & ut quis ad ipsorum lectionem introducatur, utilissimi, imò omninò necessarij.*

I. AUTHORUM ALPHABETICUS, ipsorum ætates, & scripta indicans.
II. CLASSICUS, Authores per materias de quibus egerunt, exactè distribuens.
III. SYNOPSIS appellatus, operum omnium Authorum analysim continens, & argumenta exhibens;
IV. GENERALIS materiarum amplissimus.

Consule quæ de his indicibus in ipsorum frontispicio, circa eorum utilitatem, & usum prænotata sunt.

TOMUS DECIMUSQUINTUS,

Continens Scriptores ab ann. Christi 840. ad ann. 860.

Coll. Rom. S. J.   Soc. Jesu

LUGDUNI,
Apud ANISSONIOS.
M. DC. LXXVII.
CUM APPROBATIONIBUS, ET SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

SERIES AVTHORVM, ET OPVSCVLORVM, QVÆ HAC SÆCVLI NONI PARTE II. seu TOMO XV. BIBLIOTHECÆ MAXIMÆ VETERVM PATRVM comprehenduntur.

SERVATVS LVPVS (alius omnino à Lupo Moguntino Presbytero) *Abbas Ferrariensis Cœnobij in Diœcesi Senonensi*, vixit sub Ludovico Pio ejusque filio Carolo Calvo, usque ad annum circiter 853, scripsit Epistolas ad diversos, quæ hac editione prodeunt ex recognitione Stephani Balusij Tutelensis fol. 1. Scripsit insuper librum de tribus quæstionibus cum Collectaneo de iisdem, qui extat fol, 43, & duas homilias cum hymnis de sancto Vigberro, fol. 58. Vita ejusdem S. Vigberri, ut & sancti Maximi Trevirensis Episcopi ab eodem scriptæ reperiuntur apud Bollandum & Surium.

FLORVS MAGISTER, ortu *Lugdunensis & ejusdem urbis Ecclesiæ Diaconus*, & sub vitæ finem *in Monasterio S. Trudonis Monachus*, multa scripsit quæ recensentur, & quæ observare poterit Lector ante librum qui hîc extat fol 62 de actione Missarum, & qui in hac editione integer prodit ex M. S. Codice Balernensi cura P. Francisci Chifflerij S. I. habetur etiam fol. 84 ejusdem Sermo seu Epistola de Prædestinatione, fol 8, liber seu excerptum ex prolixiori opere de electionibus Episcoporum. Huic etiam Floro à multis tribuuntur libri qui infra extant fol. 611 sub nomine Lugdunensis Ecclesiæ, adversus Joannem Erigenam Scotum. Devixit autem Florus circa annum 850

CHRISTIANVS DRVTHMARVS, vulgò dictus GRAMMATICVS, *Corbejensis Monachus*, qui vixit circa annum 840, scripsit Commentarium sive expositionem in Evangelium S. Matthæi: item Epitomen in Lucam & Joannem extat fol 86.

UVALAFRIDVS STRABVS, natione GERMANVS, à vitio oculorum STRABO, ab anno 844 *Abbas Augiæ divitis in Diœcesi Constantiensi* usque ad annum 849 quo obiisse perhibetur, scripsit librum unum de exordiis & incrementis rerum Ecclesiasticarum & poëmata diversa ab Henrico Canisio edita. Extant fol 181. Utrum autem sit ipse author Glossæ ordinariæ in sacram Scripturam, an non potius Strabo Fuldensis, vide P. Labbe S. I. tom 2 in Bellarminum, verbo Uvalafridus Strabo.

HIPPOLYTVS *Thebanus* vixit post tempora Metaphrastis ejus quippe authoritate utitur in suo opere, scripsit Chronicon, cujus fragmentum per Henricum Canisium editum est. Extat fol. 240.

S. EVLOGIVS *Cordubensis, Electus Episcopus Toletanus, & Martyr*, vixit tempore persecutionis Sarracenorum, quæ incidit in annum 850, scripsit Memoriale sanctorum Apologeticum pro martyribus, exhortationem ad martyrium & Epistolas aliquot, quæ omnia extat fol. 242

ALVARVS *Cordubensis*, S. Eulogij Amicus & omnium ejus gestorum conscius, quique vitam ejus posteris mandavit quæ extat apud Bollandum 2 tomo mensis Martij die 11, quem etiam consule fol. 89 de aliis operibus ejusdem Alvari, scripsit quasdam Epistolas ad S. Eulogium quæ extant fol. 303 & 306.

ANGELO

NGELOMVS *Luxoviensis in Burgundia Cænobij Monachus Ordinis S. Benedicti*, floruit æculo sub Lothario Imperatore, ut docuit ipsemet in Commentariis seu stromatis n quatuor libros Regum & in Cantica Canticorum, quæ extant fol. 307.

ATRAMNVS sive BERTRAMVS *Corbejensis Cænobij Ordinis S. Benedicti Monachus*, omni litteratura doctissimus, scripsit duos libros de Prædestinatione Dei, qui it fol. 442. Libros etiam 4 edidit contra opposita Græcorum, qui reperiuntur tom 2 legij Domni Lucæ Dachery O. B. & Tractatum de eo quod Christus ex Virgine sest, tom 1, ejusdem Spicilegij. Liber autem de Corpore & sanguine Domini em Rattamni habetur inter Orthodographa Basileæ edita, sed quia admixtis mul-ppositiciis, ab hæreticis depravatus est, in hac Bibliotheca locum non meruit. Vide o quæ scitu dignissima de Ratramno obseruavit idem D. Lucas Dachery præfa-e ad secundum tomum Spicilegij, cui etiam doctissimam Illustrissimi DD. de Marca niepiscopi Tolosani pro vindicando hoc eodem Authore Epistolam inseruit.

SALINDO cognomento PRVDENTIVS, *Hispaniâ Oriundus*, *Tricassinæ Civitatis copus*, de quo vide Galliam Christianam in Episcopis Trecensibus, & Ludovicum otium S. I. libros 3 historiæ Gotechalci cap. 9, scripsit contra Joannem Scotum Eti-am de Prædestinatione, seu Correctiones in ejus librum cum recapitulatione totius ris. Extant fol. 467. Scripsit etiam Tractoriam, qua se excusat quod interesse non uerit Ordinationi Aneæ Parisiensis Episcopi fol 597, & aliam Epistolam ad Hincma-i & Pardulum Episcopos, fol. 598. Obiit autem Prudentius juxta Annales Bertinianos o 861.

LVGDVNENSIS ECCLESIÆ nomine circa annum Christi 850 extat scriptus liber ersus opinionem Joannis Erigenæ Scoti. Hic habetur fol. 611. Alius liber de tribus busdam Epistolis ibid. fol. 666. item absolutio cujusdam quæstionis de generali Adamum damnatione omnium, & spirituali per Christum ex eadem, ereptione ctorum ibid. fol. 693. De tenenda immobiliter Scripturæ sanctæ veritate, & Sancto-n Orthodoxorum Patrum authoritate liber, fol. 701. Notæ Andreæ Duvallij Docto-Sorbonici Parisiensis in eosdem libros Ecclesiæ Lugdunensis, extant fol. 662 & fol. 699. authoribus autem horum librorum consule quæ prænotata sunt initio libri primi.

A E

BIBLIOTHECÆ VETERVM PATRVM, ECCLESIASTICORVMQVE Scriptorum, Seculi Noni Pars Altera.

B F

BEATI SERVATI LVPI PRESBYTERI ET ABBATIS FERRARIENSIS, ORDINIS S. BENEDICTI, OPERA.

C STEPHANVS BALVZIVS *Tutelensis in vnum collegit & Epistolas ad fidem vetustissimi codicis emendauit.* G

AD LECTOREM.

SEPTIMVS *supra septuagesimum annus agitur, ex quo Vir clarissimus Papirius Massonus in publicum emisit epistolas Lupi Abbatis Monastery Ferrariensis, descriptas ex veteribus mēbranis eiusdem Monasterij, quarum illi copiam fecerat Petrus Daniel Balliuus Fani sancti Benedicti ad Ligerim. Sanè dubium non est quin plurimum debeamus eruditis vigiliis Massoni, qui nonnullas veterum scriptorum libros è tenebris eruit, quibus forte an hactenus*
D *careremus. Sed tamen optandum esset vt quam in conquirendis veterum lucubrationibus diligentiam adhibuit, eandem in edendis adhibuisset, neque totam fiduciam collocasset in amanuensibus & librariis. Nam his imputandum arbitror quòd vetustos auctores à Massono editos, tam fœde maculatos habemus. Neque enim suspicari licet eam in Massono sine oscitantiam sine supinitatem fuisse, vt in singulis ferè lineis recederet à codicibus quibus vtebatur. Et tamen certum est nullos auctores indiligentiùs esse tractatos, quàm quos Papirij Massoni cura vulgauit. Exemplo sint Opera Agobardi Archiepiscopi Lugdunensis, & Gesta Collationis Carthaginiensis inter Catholicos & Donatistas. Et Gestorum quidem exemplar vetus, illud ipsum nimirum quo vsus est Massonus, extat hodie in Bibliotheca Thuana; sed adeo diuersum ab editione Massoni, vt ea deinde ad eiusdemmet codicis fidem recudenda fuerit studio Petri Pithœi viri eruditissimi, & in huiuscemodi rebus multùm exercitati. Agobardi verò codex manuscriptus, quo vsus est Massonus, extat in Bibliotheca Regia. Hunc ego codicem manibus meis tractaui, contuli cum edito; & compertum habeo editionem Massoni immensum differre à veteri codice. Neque ego tamen id primus adnotaui, sed Franciscus Iuretus Vir clarissimus. Is enim in Notis ad Epistolam* XCI. *Iuonis Carnotensis, adferens locum illum ex epistola Agobardi ad Imperatorem Ludouicum Pium,* reiculas illas pro quibus contendit, arbitrari vt stercora, *admonuit sic scriptum se vidisse in codice antiquo* H *Papirij Massoni: nam vulgata editio corruptè obtrudit,* recusias illas, *quam Ireti obseruationem esse verissimam ego quoque deprehendi. Itaque optandum esset, ceu diximus, vt paulò diligentiorem operam in his suis editionibus adhibuisset Massonus. Ex eadem porrò indiligētia factum est, vt Lupi epistolas habeamus fœdissimè conspurcatas, adeóque miseras ac perditas, vt si Lupus hodie reuiuisceret, vix se ipse, opinor, agniturus esset. Quo factum est, vt cùm vir eruditus Andreas Duchesnius vetustum codicem Lupinarum epistolarum nactus esset, nouam earum editionem adornauerit, ac publicauerit: in qua, vt id dicam quod res est, quamplurimos errores sustulit, non tamen omnes. Erant enim adhuc multo plura quæ emendatione indigebant. Tandem ad me ventum est, Lector, nouissimum editorem operum Lupi Abbatis Fer-*

ſis. Itaque neceſſarium videtur nonnulla præ- nona hac editione, & tecum paucis agere de hoc ſtituto.

um primùm ad hæc ſtudia, quæ nunc exercent eruditos, animum appuli, id mihi negotij cre- i primis dari, vt, ſi quo modo poſſem, ea con- m in vſum publicum. Et à puero magna mihi antiquitatis cura. Itaque ſemper amaui excu- rulos bibliothecarum, ſic exiſtimans, futu- t aliquid fortuitò nanciſcerer, quod vtiliter licum ederetur; vel ſi obtineri id non poſſet, vetuſtos editorum auctorum codices reperi- quorum ope renouari & reſtitui poſſent ea quæ lita fuerant. Id verò iam ſatis feliciter, opinor, um eſt in Saluiano Maſſilienſi & Vincentio nſi, quos anno ſuperiore dedimus & melio- emendatiores. Hoc demum anno vir erudi- s, ac mihi amiciſſimus, Nicolaus Cocqueli- Doctor & Socius Sorbonicus mihi vtendum vetuſtiſſimum codicem, optima illum nota, continentur epiſtolæ Lupi Abbatis Ferrarien- nunc ego codicem auidè ſtatim contuli cum edi- deóque diſcrepare ab eo vidi editiones, vt non dubitauerim quin denuo recudendæ eſſent illæ epiſtolæ. Ergo ſi quid in hac editione diſcre- videris à ſuperioribus, ſcito mutationem quæ t, à codice veteri profectam eſſe. Niſi ſi in- n loci veterum ſcriptorum, qui à Lupo lau- r, ex melioribus editionibus, vel ex antiquis bus manuſcriptis reſtituti ſunt; exempli cauſa, vnus ex Auguſtino, alter ex Iuſtino ſiue Trogo io, itémque alius ex alio quopiam ſcriptore.

ontam verò Lupum Abbatem haud alium eſſe quàm Seruatum Lupum Presbyterum, cuius t nonnullæ lucubrationes ſeorſim editæ, eas e heic adiici curauimus; vt in eodem volu- haberes, Lector, quæcunque lucrubrationes Ferrarienſi tribuuntur ab eruditis.

auctore porrò nihil eſt in præſentiarum quod ; cùm & breuiarium vitæ eius hic habeas, & ex Illuſtrium de eo ſcriptorum teſtimonia quæ re tibi abunde poſſunt.

ELOGIA.

phus Presbyter & monachus in vita Rhabani Abbatis Fuldenſis.

N epiſtolas quoque Pauli, hortatu LVPI DIACO- ni, Collectarium fecit, colligens de diuerſis opu- ſanctorum Patrum ſententias eorum, & in ordinem nens, xxx. libris illum determinauit.

nus Archiepiſcopus Moguntinus in epiſtola ad Sa- muelem Epiſcopum.

Via audiui quandam partem laboris mei, quem in expoſitionem ſacrarum ſcripturarum, prout potui, aui, vos habere velle, & maximè in epiſtolas B. Apoſtoli; tranſmiſi ſanctitati veſtræ quendam Col- um de Sanctorum Patrum opuſculis in eaſdem olas, quas nuper rogante LVPO MONACHO atque DIACONO confeci.

Eiuſdem Rhabani epiſtola ad Lupum.

Enerando fratri & commilitoni LVPO CHRISTI MINISTRO Rhabanus ſeruus ſeruorum Dei, in Domino ſalutem. Poſtquam deſiderabili præſentia tua corporaliter carui, in animo, crede mihi, dilectione tua nunquam vacuus fui; ſed ſedulò reuoluens ſtudium quod habebas in meditatione diuinæ legis, & modeſtiam morum, quibus inter nos conuerſatus, non parum mul- tis amabilis eras, petitionis tuæ, necnon & ſponſionis meæ memor, Collectarium in Epiſtola Pauli Apoſtoli, prout potui, confeci. In quo, quantum mihi licuit, & poſſibililitas ſiuit, adiuuantibus etiam conſortibus le- ctionis noſtræ, ex ſanctorum Patrum dictis in vnum collegi quod illi in diuerſis opuſculis ſuis, prout oppor- tunitas tractatus poſtulabat, poſuere: quorum ſcripta, quia iuxta copioſam facundiam eorum latam expoſitio- nem habuerunt, breuitati ſtudens, excerpſi inde quæ neceſſaria putaui; vt ſi cui hoc opus noſtrum legere vo- luntas eſſet, diuerſorum doctorum ſenſus continuatim poſitos inueniret; cui autem diſplicuiſſet, ipſe de pu- riſſimis fontibus Catholicorum expoſitorum in ſuis lo- cis, qui æquè vellet, hauriret. Nemo enim eum noſtri laboris vſum habere cogit inuitum: quia ſtudioſis tan- F
tum laboraui, non faſtidioſis. Melius enim mihi videtur, vt ſine inuidia nominis mei & diſpectu operis, abſque rancore, tranquilla mente legat ea quæ ſibi prodeſſe cre- dit, quam cum reprehenſione atque irriſione alieni ope- ris crimen detractionis incurrat, atque animæ ſuæ pec- cati mortem Deum offendendo inde acquirat. Illum au- tem, qui lectione noſtra vti elegit, admoneo, vt vbi- cunque conſpexerit auctorum nomina, quorum dicta ex ſuis libris excerpſi forinſecus in pagina ſingulis literis aut binis, ſeu etiam ternis prænotata, non pigeat eum in legendo coram aliis illa prænuntiare, ne fortè audi- torem confundat, cùm neſcierit, quis hoc vel illud edi- derit, & alterius ſcripta arbitretur quàm ſe veritas habet. Sunt enim eorum ſenſus in aliquibus concordantes, in aliquibus verò diſcrepantes. Vnde neceſſarium reor, vt intentus auditor per lectorem primùm recitata ſingulo- rum auctorum nomina ante ſcripta ſua audiat; quatenus ſciat quid in lectione Apoſtolica vnuſquiſque ſenſerit, G
ſicque in mentem ſuam plurima coaceruans, poſſit de ſingulis iudicare quid ſibi vtile ſit inde ſumere. Do- ctores enim ipſi omnes catholici fuerunt, excepto Origene: cuius tamen ſententias, tantummodo quas catholico ſenſu prolatas credidi, ſumpſi, ceteras au- tem prætermiſi. Nec ex meo ſenſu in hoc opere plu- ra protuli, ſicut in aliis opuſculis meis feci; credens ſobrio lectori ſufficere quod in Patrum ſententiis edi- tum repererit. De cetero quoque amabilem caritatem tuam deprecor, vt tu ipſe pro peccatis meis apud Do- minum intercedas, idipſúmque fraterno tibi amore coniunctos facere horteris: quatenus per veſtra ſuf- fragia veniam delictorum meorum apud diuinam cle- mentiam accipere merear, & in futura vita cum electis Dei requiem ſempiternam. Beatitudinem tuam, ſancte frater, æterna Chriſti maieſtas ſacris virtutibus pollen- tem in æternum conſeruare dignetur.

*Gotheſcalcus in epiſtola ad Ratramnum monachum Cor- H
beienſem, loquens de libro Lupi de tribus quæſtionibus.*

NEmpe tribus horum ſtudui propriũ indere ſenſum,
Marcaudo, Ionæ, atque LVPO rutilantibus ore;
Poſcens obnixè ſatagant vt vera referre.
Nemo ſed excepto quid adhuc mihi reddidit vno:
Qui cùm ſit cautus ſimul & catus, eſt moderatus,
Sic iam retnia ſui libraos reſponſa libelli,
Vrdempto neutri pleno diſcrimine parti
Congruat.

NOTA SIRMONDI.

Lupi enim librum taxat vt ancipitem & neutri parti congruentem. Quippe qui inter cetera, cùm de Chriſti ſan- guine quòd non pro omnibus fuſus ſit probaſſe in quæſtione 3. videretur, mox retractans, pro omnibus fuſum Pauli te- ſtimonio doceat, & Chryſoſtomi. Ex quo ſanè apparet, Lu-

po

A *po ac si partium suarum frustra gloriari Gothescalci fautores, quem Gothescalcus ipse sibi in hoc libro non satisfecisse significat.*

Ex Actis Concilij Suessionensis habiti anno DCCC. LIII.

RESidentibus in Synodo venerabilibus Episcopis in nomine Domini, Hincmaro Remensis Ecclesiæ Archiepiscopo Vvenilone Sennense, &c. Residentibus etiam Presbyteris & Abbatibus, Dodone Abbate monasterij sancti Sauini, LVPO ABBATE monasterij Betbleem quod Ferrarias dicitur, &c.

Item ex Actione II. eiusdem Concilij.

Et reuelatum est volumen illud (*scilicet Gesta depositionis Ebbonis Archiepiscopi Rhemensis*) Synodo, coram B Principe glorioso Carolo, à LVPO venerabili PRESBYTERO & ABBATE in monasterio sancti Petri, quod Bethlehem vel Ferrarias dicitur.

Sigebertus de Ecclesiasticis Scriptoribus, cap. XCIV.

Lopus Seruatus librum composuit de tribus quæstionibus, id est, de libero arbitrio, de prædestinatione bonorum & malorum, de sanguinis Christi quadam superflua taxatione vel redemptione vsque ad salutem impiorum. Nam super hac re orta est quædam fidei turbatio anno Domini octiugentesimo quadragesimo nono.

Ioannes Trithemius de Scriptoribus Ecclesiasticis.

Lupus Seruatus Presbyter, ad quem Rabanus Abbas Fuldensis octo libros in Epistolam Pauli Apostoli ad Romanos scripsisse legitur, vir in diuinis scripturis studio- C sus & doctus, atque in secularibus iuxta ætatem sui temporis copiosè peritus, scripsit nonnulla ingenij sui opuscula. Extat eius volumen de tribus Quæstionibus, & quædam epistolæ, & alia.

Præfatio Papiry Massoni, edita anno M. D. LXXXVIII.

FErraria antiquum nomen adhuc retinet: éstque monasterium Galliæ in diœcesi Senonum, quod Betlehemiticum etiam appellatur, quatuor tantùm millibus à Montargi oppido distans, in Lugdunensi via ad Lupam amnem sito, qui in Sequanam influit. Eius monasterij Abbatem fuisse Lupum, & ex Synodo Suessionensi habita Caroli Calui temporibus anno * 843. & ex hoc epistolarum libro satis apparet. Quin & Sancti Iudoci monasterio vel Cellæ maritimæ ad ostium Cantij, inter Stapulas & Montrolium vrbes positæ, etiam præerat: quam sibi ereptam, & Odulfo Comiti attributam à Rege, D posteáque redditam, pluribus Epistolis nunc queritur, nunc lætatur. Sunt autem hæ non contemnendæ, propter rerum & eorum ad quos scribuntur dignitatem. Nam ad Domnum Apostolicum Benedictum tertium scribit, & Leonis decessoris eius Epistola ad Nomenonium mentionem facit. Ad maximos Principes Lotharium Cæsarem, Carolum Galliæ, & Edilulphum Angliæ Reges; sed ad Carolum multo plures leguntur, quòd Senonibus & Francorum genti in Gallia imperaret. Ad doctos quoque suæ ætatis viros Einhartum & Rabanum quos præceptores suos honorificè vocat, Ionam Aurelianensem Episcopum, cuius extant libri de cultu imaginum eidem Carolo dicati, Hincmarum doctissimum Rhemorum Metropolitanum, & Hilduinum, à quo scripta sunt Areopagitica; vt alios præteream, excepto Mercuriado Abbate Prumiensi. Prumia, vulgò Prom, monasterium est in finibus Treuirorum: & virum illum magni fecisse Lupus videtur. Ac ipse quidem ab Aldrico decessore Guenilonis Episcopi Senonum, in Ger- E maniam studiorum causa missus est, quòd in ea Prouincia tunc florerent literæ: fuitque deinceps curiosus optimorum librorum, & quos è Germania, Italia, Anglia, Galliáque sibi ad exscribendum mitti petiit, vt ex pluribus locis apparebit. Ceterùm quia vnicum exemplar harum epistolarum in veteribus membranis à Petro Daniele ex ipso monasterio Ferraria allatum penes me habui, idque propter vetustatem multis locis corruptum, quibusdam lacerum & mutilum, fieri non poterit vt hic liber integer & incorruptus doctis hominibus videatur. Maluimus tamen vtcunque affectum legi, quàm omnino non esse. Inuenientur enim fortasse alia. Quanquam hoc scio, in tota Senonum Prouincia non reperiri, vbi & multa monasteria & frequentes Ecclesiæ sunt, & Lupus honestissimis parentibus natus est. Vtilitatem verò magnam afferet iis, qui volent illius temporis calamitates nosse, quæ nostris nihilo mitiores fuere.

* *Error fuit typographi; quem tamen tollere voluimus, propter historiam. Itaque reponendum est, 853. Hoc enim anno habita fuit illa Synodus.*

F *Bellarminus in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis.*

LVpus Abbas monasterij Ferratiensis in Gallia, scripsit librum epistolarum, qui extat. Cúmque inter ceteros scribat ad Benedictum III. Papam, hinc illum hoc tempore floruisse colligitur: quod etiam patet ex synodo Suessionensi anno 853. habita apud sanctum Medardum, cui Lupus hic Abbas interfuit, vt synodi Acta testantur.

Breuiarium vitæ B. Seruati Lupi.

NAtus est, quantum coniecturâ assequi datur, in Prouincia Lugdunensi quarta, ex clara haud dubiè familia, sub Imperio Ludouici Pij: à puero deditus fuit studiis litterarũ. Factus Monachus Benedictinus in Monasterio Ferrariensi ab Aldrico Abbate suo, qui Senonensis posteà Antistes fuit; in Germaniã, cum Diaconus iam esset, studiorum causâ missus est ad Rhabanum Abba- G tem Fuldensem, celeberrimum per eas tempestates Sacrarum scripturarum interpretem: illic, facilitate morum, sibi conciliauit amicitiam plurimorum, magnamque hinc famam eruditionis ac pietatis reportauit in Galliam anno DCCC. XXXVII. 10. Cal. Octobris, haud multo post reditum ex Germania suum, Ludouico Pio Imperatori præsentatus à Iudith Augusta, & turbæ Aulicorum immixtus, in spem dignitatis proximam adductus est. Et paulo post ordinatus est Presbyter tandem quia Odo Abbas Ferrariensis, atrocium facinorum manifestos, Caroli Calui Francorum Regis animum in se concitauerat; eius auctoritate amotus est a regimine illius monasterij quod commissum est Lupo. Is ergo cum præcepto Caroli illuc accedens, à Monachis electus est 10. Cal. Decemb. anni DCCC. XLII. pridie dein Calendas, Carolus ei donum Abbatiæ confirmauit: nondum tamen Odo paruerat iussis Principis. Itaque Lupus cui pellendi Odonis delegata cura fuerat à Carolo, illum hinc abscedere fortiter compulit. Præbuit istud materiam nouis sermoni- H bus, ac si Lupus Odoni comparasset insidias, per fraudemque potiùs ac vim quàm canonice factus esset Abbas Ferrariensis; sed ipse eam calumniam expurgauit in epistola scripta ad Ionam Episcopum Aurelianensem anno DCCC. XLIV. functus est legatione pro Carolo in Burgundia, annóque eodem exeunte habita fuit Synodus Episcoporum apud Vernum palatium Regium, cui interfuit Lupus noster: tantáque tum erat eius fama, vt licèt heic adesset Hincmarus, Lupus tamen ab vniuersa Synodo rogatus sit scribere canones in ea decretos. Anno DCCC. XLVII. interfuit conuentui apud Marsuam, secus traiectum: quò Lotharius Imperator, Ludouicus Rex Germaniæ, & Carolus Caluus Rex Francorum, conuenerant, pacis causâ. Per eas tempestates, anno nimirum DCCC. XLIX. vt ego arbitror, à Carolo missus est ad Leonem IV. Papam; & anno DCCC. LIII. interfuit Concilio Suessionensi, in cuius actione II. legit volumen gestorum depositionis Ebbonis Rhemorum Archiepiscopi. Peruenit autem vsque ad tempora Nicolai I. Papæ, obit-

poſt annum 861. Familiares habuit præſtantiſsimos ſque ſui ſeculi viros, Hincmarum Rhemenſem, Rhaam Moguntinum, Vvenilonem Senonenſem, Heriluin Antiſsiodorenſem, Pardulum Laudunenſem, Pru-iuin Tricaſsinum, Ionam Aurelianenſem, Odonem onacenſem, Æneam Pariſienſem, ¡Einhardum Abm Seligenſtadienſem, Hilduinum Ludouicum, & onem S. Dionyſij, Ratbertum Corbeienſem, Ranuin Monachum Corbeienſem, Gotheſcalcum achum Orbacenſem, & alios plurimos. Atque hæc a, & multò plura, colligi abundè poſſunt ex ipſius Epiſtolis, aliiſque illius æui monumentis.

BEATI LVPI ABBATIS Ferrarienſis Epiſtolæ.

EPISTOLA I.

Ad Heinhardum.

CARISSIMO Einhardo Lupos ſalutem. Diu cunctatus ſum, deſiderantiſsime hominum, audere excellentiæ veſtræ ſcribere. Et cùm me ab hoc io aliæ rationabiles cauſæ, tum etiam ea maximè rebar, quòd poſſe id contingere videbatur, vt dum am cuperem amicitiam comparare, offenſam incurn. Scilicet quòd præpropero & inuſitato prorsùs ne, ab ipſo familiaritatis munere inchoauerim, quin primordia notitiæ cõtigiſſem. Ita vehementer eſtuanculis, & modeſta, & quæ ſanè Philoſophiam deceat, i veſtri natura tantæ rei obtinendæ ſpem tribuit. Vevt aliquid rationis afferre videar, taceo quidem ſetium litterarum de amicitia ſententias; ne, quon eis adprime incubuiſtis, Horatianum illud doctiſum ore tritum meritò accipiam: *In ſyluam ne ligna fe-* Deus certè noſter dum aliquam aſpernandi amicos ſionem relinqueret, diligendos omnino inimicos ſcripſit. Itaque patienter, quæſo, & benignè aduerumum, dum altiùs meas repeto cogitationes, vt poſſitis quàm hoc non perperam nec iuuenili molenitate. Amor literarum ab ipſo ferè initio puerimihi eſt innatus, nec earum, vt nunc à pleriſque vour, ſuperſtitioſa otia faſtidio ſunt. Et niſi interceſſiſnopia præceptorum, & longo ſitu collapſa priorum ia penè interiſſent; largiente Domino, meæ auidiſatisfacere forſitan potuiſſem. Siquidem veſtra notia per famoſiſſimum imperatorem Karolum, literæ eò vſque deferre debent, vt æternam ei parent noriam, cœpta reuocari, aliquantum quidem extucaput, ſatiſque conſtitit veritate ſubnixum præeladictum: *Honos alit artes, & accenduntur omnes ſtudia gloriâ.* Nunc oneri ſunt qui aliquid diſcere ctant; & velut in edito ſitos loco, ſtudioſos quoſimperiti vulgò aſpectantes, ſi quid in eis culpæ rehenderint, id non humano vitio, ſed qualitadiſciplinarum aſſignant. Ita dum alij dignam ſantiæ palmam non capiunt, alij famam verentur innam, à iam præclaro opere deſtiterunt. Mihi ſatis arei propter ſeipſam appetenda ſapientia: cui indadæ à ſancto Metropolitano Epiſcopo Aldrico delega-, doctorem grammaticæ ſortitus ſum, præceptáque o artis accepi. Sic quoniam à Grammatica ad Rhecam, & deinceps ordine ad ceteras liberales diſciplitranſire hoc tempore fabula tantùm eſt, cum deinde torum voluminibus ſpatiari aliquantulum cœpiſſem, ictatus noſtra ætate confecti diſplicerent, propterea od ab illa Tulliana ceterorúmque grauitate, quam gnes quoque Chriſtianæ religionis viri æmulari t, oberrarent; venit in manus meas opus veſtrum, o memorati Imperatoris clariſſima geſta (liceat miabſque ſuſpicione adolationis dicere) clariſſimè literis allegaſtis. Ibi elegantiam ſenſuum, ibi raritatem coniunctionum, quam in authoribus notaueram, ibidémque non longiſſimis periodis impeditas & implicitas ac modicis abſolutas ſpaciis ſententias inueniens!, amplexus ſum. Quare cum & ante propter opinionem veſtram, quam ſapiente viro dignam imbiberam, tum præcipuè propter expertam mihi illius libri facundiam, deſideraui deinceps aliquam nanciſci opportunitatem, vt vos præſentes alloqui poſſem; vt quemadmodum vos meæ paruitati veſtra tum probitas tum ſapientia fecerat claros, ita me veſtræ ſublimitati meus etiam erga vos amor & erga diſciplinas ſtudium commendaret. Neque vero id optare deſiſtam, quandiu ipſe incolumis in hac vita vos eſſe cognouero, quod poſſe contingere hoc magis in ſpem ducor, quo ex Gallia huc in Tranſrhenanam concedens regionem, vobis vicinior factus ſum. Nam à præfato Epiſcopo ad venerabilem Rhabanum directus ſum, vti ab eo ingreſſum caperem diuinarum ſcripturarum. Ergo cum ad vos iturum hinc eius nuncium comperiſſem; primo quaſdam verborum obſcuritates, à vobis vti elucidarentur, mittendas propoſui; deinde præſtare viſum eſt, vt etiam hanc Epiſtolam dirigere debuiſſem; quæ ſi à vobis dignanter accepta fuerit, exoptabili me affectum munere gratulabor. Sed ſemel pudoris tranſgreſſus limitem, etiam hoc poſtulo, vt quoſdam librorum veſtrorum mihi hic poſito commodetis, quanquam multo ſit minus libros quam amicitiam flagitare. Sunt autem hi. Tullij de Rhetorica liber: quem quidem habeo ſed in pleriſque mendoſum. Quare cum codice iſtic reperto illum contuli; & quem certiorem putabam, mendoſiorem inueni. Item eiuſdem authoris de Rhetorica tres libri in diſputatione ac dialogo de Oratore. Quos vos habere arbitror, proptere quod in breui voluminum veſtrorum, poſt commemorationem libri ad Herennium, interpoſitis quibuſdam aliis ſcriptum reperi: *Ciceronis de Rhetorica.* Item, *Explanatio in libros Ciceronis.* Præterea, *A. Gellij noctium Atticarum.* Sed & alij plures in prædicto breui: quos, ſi Deus apud vos mihi gratiam dederit, iſtis remiſſis accipiens deſcribendos mihi, dum hic ſum auidiſſimè curare cupio. Exonerate, quæſo, verecundiam meam, quæ ſupplico facientes, méque rimantem amaras litterarum radices, earum iam iocundiſſimis explete fructibus: illo veſtro facundiſſimo eloquio incitare; quæ ſi meruero, tantorum beneficiorum gratia, quoad vixero, ſemper mihi habebitur. Nam quæ vos eorum merito ſit remuneratio ſecutura non opus eſt dicere. Plurima ſcribenda in alia mens ſuggeſſit, ſed veſtrum ingenium meis ineptiis vltra remorari non debui, quod ſcio vel exterioribus occupatum vtilitatibus, vel circa intimas & abditas Philoſophiæ rationes intentum.

EPISTOLA II.

Ad eundem.

DEſiderantiſſimo præceptori Einhardo Lupus. Moleſtiſſimo nuncio de exceſſu venerabilis veſtræ coniugis conſternatus, pluſquam vnquam vobis nunc optarem adeſſe; vt veſtram mœſtitiam vel meâ compaſſione leuarem; vel concepto ſenſu ex diuinis eloquiis, aſſiduo ſermone ſolarer. Verum donec id Deus præſtet eſſe poſſibile; ſuggero, vt memores humanæ conditionis, quam merito peccati contraximus, modicè ſapienterque feratis quod accidit. Neque enim huic infortunio cedere debetis, qui blandimenta lenioris fortunæ forti ſemper animo deuiciſtis. Inuocato itaque Deo, nunc illas tolerantiæ vires expromite, ad quas cariſſimum quemlibet caſu ſimili deprehenſum probabiliter vocaretis. Opto vos valere feliciter.

A

EPISTOLA II.

Einhardi ad Lupum.

EInhardus Lupo suo salutem. Omnia mihi studia omnésque curas tam ad meas quàm amicorum causas pertinentes exemit & excussit dolor, quem ex morte olim fidissimæ coniugis, iam nunc carissimæ sororis ac sociæ, grauissimum cepi. Nec finiri posse videtur; quoniam extinctionis illius qualitatem adeo tenaciter memoria retinet, vt inde penitùs non possit auelli. Huc accedit, quod ipsum dolorem identidem accumulat, & vulnus semel acceptum exulcerat, quòd vota scilicet nostra nihil valere permissa sunt, ac spes, quam in martyrum meritis atque interuentione collocauimus, expectationem nostram ex asse frustrata est. Inde euenit vt B solantium verba, quæ aliorum mœstitiæ mederi solent, plagam cordis nostri recrudescere potiùs faciant atque rescindant, cùm me æquanimiter ferre iubent infortunij molestias, quas ipsi non sentiunt, atque in eo censent mihi gratulandum, in quo nullum gaudij vel lætitiæ valent demonstrare vestigium. Quis est enim mortalium, cui mens constet, quique sanum sapiat, qui sortem suam non defleat, & qui se infelicem ac miserrimum non iudicet, cum in afflictione positus, cuin, quem votis suis fauturum fore crediderat, auersum atque inexorabilem experitur? Hæccine talia tibi videntur, vt suspiria, vel lachrymas homuncioni tantillo commouere, vt ipsum ad gemitum & planctum concitare, vt etiam in desperationis barathrum deiicere potuissent? Et vtique deiecissent, nisi diuinæ miserationis ope suffultus, quid in huiusmodi causis aut casibus maiores ac meliores nostri tenendum seruandúmque sanxissent, ad inquirendum subitò me conuertissem. Erant ad manum doctores egregij, nedum non spernendi, verùm omnimodis C audiendi atque sequendi; gloriosus videlicet martyr Cyprianus, & illustrissimi sacrarum diuinarum litterarum expositores Augustinus atque Hieronymus: quorum sententiis ac saluberrimis persuasionibus animatus, depressum graui mœrore cor sursum leuare conatus sum, cœpíque mecum sedulò reputare quid super excessu carissimæ contubernalis sentire deberem, cuius mortalitatem magis quàm vitam videbam esse finitam. Tentaui etiam, si possem à memetipso exigere, vt id ratione apud me fieret, quod longa dies solet efficere; scilicet vt vulnus quod animo nostro nondum sperata morte repentinus casus inflixit, cicatricem ducere ac spontaneæ consolationis medicamento sanescere inciperet. Sed vulneris magnitudo facilitati resistit; & licèt saluberrima sint quæ à memoratis doctoribus ad mitigandum grauem dolorem velut à peritissimis itémque mitissimis medicis offeruntur, plaga quæ adhuc sanguinem trahit, sanandi maturitatem nondum admittit. Hîc fortasse miraris, ac dicis ex huiusmodi occasione natum dolorem, tam lon- D gum ac diuturnum esse non debuisse, quasi in dolentis sit potestate quando id finiatur quod ille, quando inciperet, neque in potestate habuit, neque præsciuit. Metiri tamen posse videtur doloris ac mœroris magnitudo siue diuturnitas de eorum quæ acciderunt damnorum quantitate: quæ ego cùm quotidie in omni actione, in omni negocio, in tota domus ac familiæ administratione, in cunctis quæ vel ad diuinum vel humanum officium pertinent, disponendis atque ordinandis, immaniter sentiam, quî fieri potest, vt vulnus, quod tot ac tanta incommoda intulit, cùm crebrò tangitur non recrudescat potiùs & renouetur, quàm sanescat aut solidetur? Arbitror enim (nec vereor quòd hæc opinio falsum me habeat) hunc dolorem atque anxietatem, quæ mihi de carissimæ contubernalis occasione exorta est, perenniter mecum perseueraturam, donec id ipsum temporis spacium quod Deus mihi ad hanc miseram ac temporalem vitam concedere voluerit, debito sibi termino finiatur: E quam tamen proficuam potiùs mihi quàm noxiam hactenus experior, cùm animum ad læta & prospera festinantem velut quibusdam frenis atque habenis remoratur ac retinet, mentémque ad reuocationem mortis reuocet, quam ad spem & amorem longæuitatis odium atque obliuio senectutis illexerat. Video mihi non multum superesse temporis ad viuendum; licet quantum id esse debeat, mihi penitùs ignoretur. Sed hoc certissimum teneo, & recens natum citò posse mori, & senem diù non posse viuere. Ac proinde longè vtilius ac beatius fore censeo ipsam temporis incerti breuitatem cum luctu quàm lætitia ducere. Quia si, secundùm Dominicam vocem, beati ac felices erunt qui lamentantur & lugent; è contrario infelices ac miseri fient qui dies suos in iugi & continua lætitia finire non metuunt. Gratias ago atque habeo caritati tuæ, quòd me per litteras tuas consolari dignatus es. Neque enim maius aut certius tuæ erga me dilectionis indicium dare potuisti, quàm ægro atque iacenti manum exhortationis porrigendo, monendóque F vt surgerem, quem mente prostratum ac mœrore depressum ignorare non poteras. Bene vale carissime ac desiderantissime fili.

EPISTOLA IV.

Ad Einhardum.

EPISTOLAM vestræ dignationis, calamitatem, quæ dudum vobis contigit, grauiter querentem, haudquaquam mediocriter commota mente perlegi, confectúmque vestrum animum tam diuturni mœroris anxietate vehementer indolui. Et quamuis qui me longè præstent amicorum solatia tentauerint hunc tantum leuare dolorem, nec tamen ob eam rem profecerint, vt litteris vestris satis eminet, quòd ipsi casus vestri considerationem non satis ad se admiserunt, eò vsque vt eo- G rum quidam super excessu gratissimæ quondam vxoris gratulandum monerent, quod, vt opinor nihil ad consolationem pertinet; non tam ætatis lenitate, vel ingenij, quod exiguum sentio, confidentia, quàm proni erga vos amoris magnitudine, hæc rursum, qualiacunque sunt, in vestri solatium non sum veritus cudere. Siquidem conscius mihi sum intimum me nobilissimæ illius feminæ morte cùm vestra, tum etiam ipsius vice traxisse dolorem; quem atrociter exasperantem vestræ litteræ, fateor, recrudescere coëgerunt. Vnde nequaquam desperauerim quòd aliis, necdum sit datum mihi, vt aliquod solatium vobis persuadere possim à Domino reseruatum. Vilibus plerunque remedium quæritur quod preciosissimis & artis vigilantissima compositis diligentia frustra diù tentatum est. Itaque firmamentum iusti, vt vobis videtur, doloris vestri duas in partes, Epistolas mihi reddendo, diuisistis. Earum prima, quæ & vel maxima, illa est, quòd vota vestra & spes, quam in sanctorum H martyrum intercessione locaueratis, vos velut irrita fefellerint. Altera, quæ proximè primam accedit, quòd sinister ille casus quantum vobis importauerit incommodi, quotidianis metiri negotiis cogimini; dum vos onus domesticarum diuinarúmque rerum, quod illius memorabilis feminæ fida societas leue fecerat, vestris ex toto impositum ac relictum ceruicibus obruit. Reuera valida vtraque res, & quæ præter sapientem, qui aduersa quoque modicè ferre didicerit, facilè quemlibet sua mole possit opprimere. Ac primo quidem quam proposui pariter conabor non subuertere ac penitùs auferre, (quod prorsùs impossibile perfectis etiam oratoribus, si essent video, multò magis mihi) sed tenuare, imbecillémque inspectu rationis efficere. Certè hinc mouemini, certè hinc afficimini, quòd vos cassa vota frustrata sint, ac spes in martyribus immo in Deo sita illuserit. Quasi verò id vobis omnimodis constet, quod tantopere poposcistis, vestræ vxorísque saluti conducere. Quod sanè si vobis satis exploratum fuisset, acrioris

ꝛe doloris iogens eſſe videbarur fomes, dum vos
quaſi filium corriperet, ſed velnti in aduerſarium
ı cenſura deſæuiſſet. Attamen ſic quoque non de-
ionis barattum ſubeundum; ſed diuiniras infenſa
ous aſſiduis ac ſummiſſa fuerat flectenda patien-
Nunc autem cùm Deus omnes homines ſaluos ve-
ti, ac in nomine ipſius, qui Saluator dicitur, ne-
oſtulet, niſi qui propriæ ſaluti proficua flagitarit,
ne vos in nomine Saluatoris plena fide petieritis;
ıon opinetur non exauditos quidem vos ad tem-
: votum, exauditos autem ad perpetuam ſalutem?
lanè firmiſſime crediderim, & vobis & vxori
etiam immaturo exceſſu conſultum. Quæritis,
admodum? Nempe quod coniuges ex duobus cor-
us in vnum redacti compagem licet, concordiſſimè
unt, nun vna leto reſoluuntur; & quantum ad
um naturæ pertinet ordinem, neceſſe eſt vnum
ſupereſſe. Hioc iam veſtra prudentia intelligit,
do ſententia in hominem diuinitus emiſſa, *Terra es*
terram ibis, differri aliquantulum poteſt, in per-
ım autem vitari non poteſt, fidis optandum con-
us, cùm vter eorum remanſurus ſit, eum fore
ſtirem, qui ſit & ad calamitatem ferendam robu-
, & ad iuſta de more Chriſtiano curanda magis
us. Non enim ſexu differentia virtutis, ſed ani-
apienda eſt. Aliuqui non video religioſi coniuges
admodum ſibi ſincero amore deuincti ſint. Cum
ita ſe habere indubitata ratio perſuadeat; planam
ı eſt veriſimile eſſe non illi feminæ venerabili
n, ſed etiam vobis à Deo magnum quiddam præ-
n, dum quod vobis eligendum fuerat, ipſe vltro
ſerit, quanquam occulto, minimè tamen iniuſto
io. Certè illa etſi ex veſtro conſortio multa didi-
, ita vt non ſui ſexus modo, verum etiam turbam
um ſua inſigni prudentia, grauitate, atque hone-
, quæ res magnam vitæ humanæ tribuunt dignita-
longe ſuperaret, ac corpore femina, animo in vi-
profecerat, ad ſapientiæ veſtræ faſtigium nunquam
ns aſpiraſſet, nunquam tantum robur, ſemperque
em, quam in vobis ſingulariter omnes mirantur,
antiam vllis vnquam profectibus æquauiſſet. Nun-
ı, ſi ſuperuixiſſet, tantum veſtræ quantum vos &
: & veſtræ perpetuæ ſaluti procurare potuiſſet.
ter hoc, quoniam dum in hoc fragili verſamur
ore omni perturbatione ita vacare non poſſumus,
aliquando aliqua ægritudinis moleſtia quatiamur;
l poſſe ſapienti contingere Philoſophi putauerunt,
vobis euenire optem, vt caſus aduerſos, vt pri-
ſpectu apparet, quibus vulgo inculta mortalium
itudo ſubruitur, veſtræ mentis ſapientia ſenſim
llat, immo diuinæ voluntati veſtram contempe-
Deinde, quia vitæ huius obſcuriſſimas tenebras
o diuinus irradiat iuxta illud, *Lucerna pedibus*
verbum tuum, & lumen ſemitis meis, quomo-
pſe formet eandem vitam penitùs intuendum eſt.
itum in Dominica oratione cottidie dicimus,
voluntas tua, ſcilicet non noſtra, quæ ignara
n ſibi ſalubrium falli conſueſcit; ſed *Tua* quæ,
te Dei, futura præroſcit. Saluator quoque no-
paſſione impendente cùm dixiſſet, *Pater, ſi fieri*
t, tranſeat, à me calix iſte, aſſumpti hominis infir-
tem, immo membrorum ſuorum, propter quod ad
preces deſcenderat, imbecillitatem ſic diuina virtute
lidat, *Verumtamen non ſicut ego volo, ſed ſicut*
ſcilicet fallere fallique neſcius magiſter, quod Deus
nos exemplo inſtituit, vt cum aduerſa vrgerent, ſic
epellere precibus conaremur, vt in his etiam con-
noſtrum votum eius fieri voluntatem ſalubriter am-
teremur. Recolite, quæſo, Paulum: cuius tanta
eminentia, vt in tertium raptus cœlum, audierit
na verba ſanctæ Trinitatis, quæ non licet homini
ri, tamen Dominum oraſſe quo à ſe Angelum
anæ, à quo tribulabatur, ſummoueret, nec obti-
e quod voluit, ſed quod profuit. Renocare in
notiam Dauidem, quatenus ſe pro impetranda

filio vita macerarit. Et certè cum tantus eſſet Prophe- E
ta, ne reſponſum quidem diuinum tam immani confe-
ctus mœrore promeruit. Quæcunque autem ſcripta
ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt, vt per pa-
tientiam & conſolationem ſcripturarum ſpem habea-
mus. Ergo perpendite qualiter Dauid caſſam precum
ſuarum expertus inſtantiam, conſulationem ratione
perceperit, ac iuſtitiæ Dei ſubiectus humiliter adquie-
uerit. Non eſtis tam fundatæ fortitudinis. Quod præ-
fato dictum eſt Apoſtolo, vobis reſponſum accipite:
Sufficit tibi gratia mea: nam virtus in infirmitate 2. Cor.
perficitur. Siquidem ipſe mœrorem ſcriptæ orationis, 12.
ſi quis ei ſubortus fuerat, hoc admonitus oraculo aliud
oportere, depoſuit. Huiuſmodi præceptis & exemplis
Sacræ Scripturæ capitula exuberant: quæ, quoniam,
vt inſignis ait Poëta, *Non canimus ſurdis*, epiſtola- Virgil.
riſque coartat anguſtia, præteriens, vobis conſiderandà Ecl. 10.
relinquo. Suffecerit hæc tantum tetigiſſe, quæ ſola
recepta vulneris huius tumorem, quantum mea fert F
opinio, mulcere atque lenire, largiente Domino,
poterunt. Quanquam mihi multa voluenti aliud etiam
occurrat, quod hoc Dei iudicium clementiæ quam
iracundiæ videri poſſit certiſſimum documentum. Nam
quia *flagellat omnem filium quem recipit*, affectum ve- Hebr.
ſtrum in vxoris amore forſitan ſubdiuiſum non paſſus, 12.
putari poteſt ad ſe ſolum amandum reuocaſſe, ac
ſi quid circa corpori intemperanter diligendo plus iuſto
à vobis indultum fuerat, eiuſdem corporis ſubtractio-
ne puniſſe. Cumque per Prophetam loquitur, *Non* Nahum.
conſurget duplex tribulatio, quod LXX. Interpretum 1.
ſic expreſſit tranſlatio, *Non iudicat Deus bis in idi-*
pſum: hîc emendare dignatus eſt, quod vt homo
exceſſiſtis, (nemo enim mundus à ſorde) ne quid gra-
uius in vos quandoque decerneret. Quare Dei ample-
cti debetis immenſam pietatem, qui vos ſua dignos
iudicauerit correctione, quàm offenſam metuere di-
ſciplinæ illius verbera ſuſtinentes. *Fili*, inquit Salo-
lomon, *noli deficere à diſciplina Domini, & ne fatigeris* G
cum ab eo argueris, quem enim Dominus diligit, corri- Prou. 3.
pit, & quaſi pater filio complacet ſibi. Denique quo-
rum iſtic peccata non viſitat, quoſque fluere pro vo-
to permittit, in hos poſt mortem, eiuſdem ira dæſe-
uit. De talibus in pſalterio legimus: *In labore homi-* Pſ. 71.
num non ſunt, & cum hominibus non flagellabuntur. Et Iob. 21.
in Iob: *Ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad infer-*
na deſcendunt. Præterea hoc mihi, ſubiicit mens, vo-
luiſſe Deum rebus ipſis vos experiri quàm ſit infelix
qui in perpetuum abiungantur ab ipſo, in quo eſt per-
petua & vera delectatio, ſi tam immaniter afficiat licet
fidiſſimi atque cariſſimi, tamen hominis momentanea
ſeparatio. Cum hæc veriſimilia eſſe videantur; abole-
te, quæſo, quantum poteſtis, de quo ſermo habetur,
mœrorem, & cum Iob dicite: *Dominus dedit, Dominus* Iob. 1.
abſtulit: ſicut Domino placuit, ita factum, ſit nomen 2. Cor. 1.
Domini Benedictum. Et cum Apoſtolo Dei ſpatiamini
laudibus, dicentes: *Benedictus Deus & Pater Domini*
noſtri Iesv Christi, *Pater miſericordiarum, & Deus* H
totius conſolationis, qui conſolatur nos in omni tribulatio-
ne noſtra. Reſtat pars altera ſuſcepti negotij: quæ ſtrin-
genda breuiter eſt, ne fortè plura dicens, ſim oneri, qui
geſtiam eſſe ſolatio. Hinc inſtaurari, immo perſeuera-
re doloris vulnus aſſeruiſtis, quod duplicatus cottidie
diſpoſitionis labor quid boni perdideritis admoneat,
ac propterea nec finiri poſſe videatur. Id eſſe veriſſi-
mum ipſe conceſſerim; Illúdque quod inter alia po-
ſuiſtis, non poſſe pro voluntate hominem dolori finem
imponere, quem nec præſciat, nec imminentem queat
effugere, vehementer approbo, ſatiſque catholicè di-
ctum intueor. Non eſt enim in poteſtate hominum Hebr. 10.
via eius, ſed à Domino greſſus hominum diriguntur, &
humani libertas arbitrij eget omnimodo auxilio gratiæ
Dei; ſed planè quæ facta ſunt, infecta eſſe non
poſſunt, nec dolor reuocare valet ſemel præterita, nec
eſt in homine vnde à ſeipſo petat auxilium. Quo-
circa deprehenſis quibuſlibet anguſtiis, quo verius nos

fentimus

A ſentimus fragiliores, hoc oportet celeriùs ad diuinæ
miſerationis ſubſidium, velut ad portum tutiſſimum,
confugiamus. Elegánterque illud dictum eſt: *Neceſſe
eſt adeſſe diuinum, vbi humanum ceſſat auxilium.* Nec
longus, dummodo conemur, ferendus eſt labor. Nam
Matt. 11. qui ad ſe hoc modo vocat, *Venite ad me qui laboratis*,
nitentes adiuuat, ad ſe peruenientes informat, in ſe per-
manentes procul dubio coronat. Quare quòd dixiſtis
memoratum dolorem, quoad viueretis, manſurum vo-
biſcum, expreſſit hoc à vobis, ſentio, concreta longo
vſu magnitudo amoris; ſed in ea vos obſtinatione ani-
mum relinquere, quantum audeo, dehortor: ſiquidem &
illi, cuius cauſa emerſit, nihil immoderatum proderit,
& vobis multùm, niſi deponatur, officiet. Quinimo
totum vos curandum ſanandumque Domino permittite,
cui eſt perfacile quod noſtra natura difficillimum iudi-
cat. Nam quis ſperauit in Domino, & deceptus eſt?
Obſecro totum cor veſtrum ad rogandum Deum effun-
B dite. Præſtare vult qui ſe vt rogetur admonuit, *Petite
Io. c. 16. & accipietis.* Petite vt ipſe vobis affectum inſpiret ro-
gandi, & effectum ipſe tribuat impetrandi. Dicite
quod clariſſimus idemque ſuauiſſimus auctor Augusti-
Aug. lib. 10. Conf. c. 29. 31. 37. nus: *Da quod iubes, & iube quod vis*: ſiquidem ſua nos
Deus gratia, vt velle ac poſſe aliquid boni queamus, &
præuenit & ſubſequitur. Quod euidenter in Pſalmis di-
Pſ. 58. dicimus, vbi ſcriptum eſt: *Deus meus, miſericordia
Pſ. 22. eius preueniet me.* Vtique *& miſericordia tua ſubſequetur
me omnibus diebus vitæ meæ.* Adquieſcite Spiritui ſancto
Pſ. 54. per Dauidem monenti: *Iacta in Domino curam tuam, &
Pſ. 31. ipſe te enutriet*: ac Domino fiducialiter dicite: *Tu es re-
fugium meum a tribulatione quæ circumdedit me.* Et cum
Apoſtolos iam exultantes in Dei laudibus ingeminare
Philip. 4. poteritis: *Omnia poſſum in eo qui me confortat. Triſtitia
2. Cor. 7. enim ſæculi mortem operatur*, haud dubium quin ſpi-
ritualem; ſed & corporalem, vt optimè noſtis, ſæpe
conſciſcit. Quamobrem ærumnis vitiorum, quibus
premimur, contriſtemur; & ab eorum falſa dulcedine,
C quanta poſſumus amaritudine ſeparari nitamur, ac hu-
ius incolatum vitæ, in qua ſine querela non viuitur,
modeſtè feramus. Ceterùm veniam à Deo expectantes,
in eo plena fide lætemur. Denique illud quod in Euan-
Matth. 5. gelio promittitur, *Beati qui lugent, quoniam ipſi con-
ſolabuntur*, non de iis qui lugent de amiſſione caro-
rum & temporalium commodorum, verùm de il-
lis qui mœrent, initio ſeiuncti à mortifera vitiorum
delectatione, donec virtutibus Spiritus ſancti gratia
conſolationem recipiant, vel de his, qui propter ſua
proximorumve peccata, ſalubriter affliguntur, propter
quod illius felicis vitæ dilationem, cui votis omnibus
ſuſpiramus, rectiſſimè intelligitur. Proinde petentes
quondam vxori refrigerium ſempiternum, quæ mortem,
vt credimus, non incurrit, ſed exuit, vobis patientiam
& in bonis actibus perſeuerantiam atque profectum po-
ſtulate à Domino Deo noſtro, & dicto citiùs conſola-
tionem veſtro infundet pectori: ita vt audiatis Apoſto-
Philip. 4. lum cohortantem: *Gaudete in Domino ſemper: iterum
D dico, gaudete.* Ego ſanè quòd dignati eſtis veſtros
æſtus mecum communicare, attentiùs & pro illa & pro
vobis ſupplicare conabor. Credo quamuis non meo
merito, veſtra tamen Deum humilitate placandum; qui,
abſque reſpectu veſtræ magnitudinis, cum mea paruita-
te conferre tam ſeria non horruiſtis. Oſtendi vt potui,
& humana ratiocinatione, & diuinis auctoritatibus,
non vos exauditos ad votum, patienter ferendum, do-
lorisque vulnus, quod irremediabile videbatur, quem-
admodum mitigari poſſet. Veſtræ prudentiæ ac ſolitæ
dignationis erit, quæ pia intentione non docendi, ſed
commemorandi cauſa profuſa ſunt, æquè pia mente le-
ctitare, & ſi qua in his capi poſſit vtilitas, pro iure ami-
citiæ veſtram deputare.

Libellum de adoranda cruce, meo iudicio vtiliſſimum,
quem meo nomini dedicaſtis, vt par fuit, amplexus
ſum. Atque vtinam morem mihi gerentes, ſic omnia
quæcumque ab initio enodanda vobis miſi, vel hoc an-
no reliqui aperire non grauaremini: profectò non mihi
E ſolùm, ſed multis videtur hic labor prodeſſe. Tamen
& pro hoc quod nunc mihi nec opinanti miſiſtis, & pro
aliis quibus à vobis inſtitutos iam antea ſum, maximas
agens habenſque gratias, quid Deus veſtræ indul-
gentiſſimæ dignetur inſpirare pietati ſollicitus præ-
ſtolabor.

Medio Maio, vita comite hinc recedere decreui: quo
tempore, Deo volente, ſicut vobis, ſi recordamini,
dixi, ad vos venturus ſum, & aliquot apud vos dies fa-
cturus; vt & libros veſtros vobis reſtituam, & quibus
indigero diſcam, fruarque aliquandiu veſtro ſuauiſſi-
mo alloquio, atque informer mihi gratiſſimo veſtræ
grauitatis & honeſtatis exemplo. Nam me hoc tem-
pore diſceſſurum inanis vobis fama mentita eſt: quod
etſi, quod penitus nolo contingeret, ſic quoque ad vos ſi-
ne dubio properarem. Tantus enim mihi veſtri amor in-
cumbit, vt nullatenus vobis inſalutatis, ſanctorumque
martyrum neglecto patrocinio, ad patriam remearem.
Cupio te mei memorem bene valere in Domino, proſpe- F
tiſque pollere ſucceſſibus, Domine deſiderantiſſime Pa-
ter, & de me optimè per omnia merite.

EPISTOLA V.

Ad eundem.

FIdiſſimo Patri Einhardo Lupus ſalutem. Memoriam
vos habere mei quàm gratum habeam, nequaquam
facile dictu eſt; præſertim cùm eminentiæ veſtræ ſubli-
mitas eò vſque ſe ſubmiſerit, vt vltroneæ ſalutationis
munus ac vitæ meruerim: quamuis optauerim veſtris re-
fici litteris, quantumque iam æſtus rei notæ deferbuerit
diſcere, atque ſi vobis hinc à paruitate mea quicquam
perſuaderi potuerit. Ego certè, quemadmodum polli-
citus ſum, & pro illius cariſſimæ ſempiterno refrigerio
ſpecialiter ac cottidie Dominum ſupplico, & quod vo-
bis vel in præſenti vel futura vita conducibile credo, vi- G
gilanti perſeuerantia poſtulare non deſino. Proficiamne
aliquid, vos forſitan ſentiatis. Haudquaquam tamen
dubitauerim harum fructum petitionum in diuina mi-
ſeratione reponere, ac licet ſerum, quantum ad voti
ſpectat impatientiam, maturum tamen propter illius
iuſtitiæ pondus ſine dubio præſtolari. Obſecro autem,
legite libri ſancti Auguſtini de Ciuitate Dei X X I. titu-
lum XXVII. & videte ſi non his quæ ſcripſi paria de ea-
dem calamitate vir ille diuini ingenij ſenſerit; quæ pla-
nè nunquam ante legeram: ſed cum poſtea ea percurriſ-
ſem, admodum miratus ſum mea tam ſimilia ſenſu fuiſ-
ſe, vt ab his colorem traxiſſe penitùs viderentur. Cete-
rùm profectionis in patriam, ac per hoc ad vos, tempus
aliquantum producere coactus ſum. Namque venerabili
viro Marcuuardo, per quem mea reuerſio adminiſtranda
eſt, cùm in Italiam Legatus mitteretur, ac me priùs ad
ſuum colloquium vt amiciſſimum euocauiſſet, mihi
conſuluerat, vt hinc die qua ſignificaueram vobis rece-
dens, ſanctitatem veſtram petere debuiſſem. Verùm il- H
luſtris Abbas Rhabanus poſtmodum regreſſus à palatio,
foret necne per id temporis iſtic propter legationem
ſibi commiſſam, ad liquidum ſcire non potuit; atque
ob eam rem hortatus eſt, vt reditum meum ad Non.
Iun. differrem, quando ſolemnitas ſancti Bonifacij
ſe abeſſe minimè ſineret; niſi fortè ipſi quoque im-
perialis iuſſionis, & ea quàm grauiſſima præiudica-
ret auctoritas. Itaque cùm ſuam poſt regreſſionem Mar-
cuuardus ex me quæſitum, quando potiſſimum reuerti
vellem, miſiſſet, memoratæ rei cauſa equos huc addu-
cendos vt pridie Non. Iun. curare perij; quò Chriſto
propitio VIII. Id eiuſdem menſis iter ad vos poſſem ar-
ripere: quod ille, ſi vita comes fuerit, indubitanter
implebit. Quare certum diem quidem, quo ad vos ven-
turus ſim, exprimere non audeo; ſed intra eam heb-
domadam, quæ Non. Iun. cœperit omnino me ventu-
rum, Deo volente, confirmo. Atque vtinam exonera-
tum omni curarum moleſtia veſtrum reperire tunc cre-

animum, vt non vacet modò pro solita dignatione
cumque amicalia videbuntur mecum conferere, ve-
etiam vbi vel meum vel aliorum me deficit, ve-
m adsit consultam ingenium; cui quantum assurgam
ntumque deferam, quantum deoique eo me vel ad-
m vel adiuuandum credam, vt adulationis morsum
giam, nolo ampliùs dicere, Deus viderit, cuius id-
m gratia procurauit. Interim hæc quæ subieci, pa-
a, qua me semper foueris, pietate considerare di-
nini, vt ea præuisa mihi faciliùs expediatis. In prio-
ro Arithmeticæ Boëtius, quarto capitulo, sic po-
Quod autem dictum est secundùm duorum generum
varias passiones huiusmodi est, ab eo loco vsque ad
verba, quæ paucis interiectis subiiciuntur, *Spatio*
maxima paruissima quantitate, minùs mihi quàm ve-
clarum est. In eodem libro X X X I. capitulo negat
difficile diligentibus, præter quas ipse expresserit
es, multiplices super partientis secundum mon-
um à se modum ceteras reperiri: quod si per vos
ic quod paulò præmisit superiùs intellexero, vbi ait
Vtrumque hi secundùm proprias partes duplex superbi
iens, & sequentia, nimirum mihi non erit difficile.
n auctor eximius secundo eiusdem operis libro,
ique secundo capite, *& vt ait*, inquit, *Nichoma-*
s immusitatum, siue, vt alibi reperi, *enmusitaton theo-*
a proficiens &c. quæ verba Græca quam habeant
prietatem, nescio si rectè acceperim. In eodem li-
cap. XXV. ab eo loco vbi scriptum est, *Omnis quo-*
cibus qui ex tetragonorum superficie in profunditatem
oris creuit, vsque ad eum, *Angulos verò* V I I I. *quo-*
singulis sub tribus eiusmodi continetur, quales priores
e tetragoni vnde cubus ipse productus est, vt verbo
as loquar, figuram rei subtilis non assequor; & vt
vos eius intellectum capiam vehementer indigeo. In
torij quoque calculum præuia Dei gratia, vestraque
trina, ingredi cupio. Quinetiam in huiusmodi di-
nibus, vt est *ararum saluoris*, & similia, quæ non
do positione, sed etiam natura penultimam vi-
tur habere productam, magna hæsitatio est, in
me adhuc laborare profiteor, vtrumnam naturæ
iendum sit, vt penultima, vt est, longa pronuntie-
; an propter illud quod Donatus ait, si penultima
itione longa fuerit, ipsa acuetur, vt Catullus; ita
en si positione longa non ex muta & liquida fuerit,
n mutabit accentum, vt *pharetra*, in natura simul
ali positione productis, communis syllaba naturæ
iudicet, & accentus in antepenultimam transferatur.
nque nihil in auctoribus solidũ adhuc reperire potui,
e vter eorum sensus aut astrui, aut abdicari mihi pos-
ideatur. Erit igitur vestræ prudentiæ hanc ambigui-
m dirimere, & virum eorum aliquo documento
issimu roborare. Siquidem ad difficultatem, quod
am hinc nullius reperio regulam, accedit etiam hoc
d in metro eiusmodi, vt est *aratrum*, semper produ-
n inuenio penultimam; cùm si in naturaliter quoque
gis communis syllaba valeat, manifestum sit *aratra*
ninatiuo, accusatiuo, & vocatiuo pluralibus, per da
lum poni potuisse. Sunt & alia complura interrogan-
quæ notata teneo, quæque commodiùs, si Deus vus-
permiseritis, præsens disquiram. Et obsecro per quam
n pietatem gratuito semper exhibuistis, vt quoad ve-
m ad vos, quæ necessaria mihi scitis me vnde discam
ex vobis restare, ex abditis vestræ memoriæ diligen-
s eruere, ac mihi iure caritatis & amicitiæ vltro aperi-
ignemini, vt semina in me vestri figentes ingenij, fru-
n illius ad plurimos transmittatis.
Præterea scriptor regius Bercaudus, dicitur antiqua-
o litterarum, dumtaxat earum quæ maximæ sunt, &
ciales à quibusdam vocari existimantur, habere men-
am descriptam. Itaque si penes vos est, mittite mihi
n per hunc, quæso, pictorem, cum redierit, scedula ta-
n diligentissimè sigillo munita.
Gellium misissem, nisi rursus illum Abbas retinuis-
., questus necdum sibi eum esse descriptum. Scri-
nium se tamen vobis dixit, quod præfatum librum vi
mihi extorserit. Verum & illum & omnes ceteros, qui- E
bus vestra liberalitate fruor, per me, si Deus volt, vobis
ipse restituet.

Abdita in lege & maximè Græca nomina, & alia ex
Seruio item Græca, quæ initio vobis direxi, saltem nunc
vtinam ne grauemini explanare. Valeas clarissime præ-
ceptor & pater dulcissime, prosperisque perpetuò suc-
cessibus polleas.

EPISTOLA VI.

Ad Reginbertum.

CArissimo & desiderantissimo Reginberto Lupus &
Adalgus æternam salutem. Grauiter in me Lupum
litteræ tuæ inuectæ sunt, quod videlicet omni germa-
nitate atque natura eo vsque mentem exuerim, vt infeli-
citatem tuam saltem consolatoriis apicibus fastidissem F
lenire, quando alterius subsidij conferendi nulla copia
prouenisset. Vnde collegi litteras meas nequaquam tibi
redditas, quas per Mareuuardum Abbatem a Transrhe-
nanis partibus ante hoc ferme triennium direxi; nec ta-
men illius incuria, Nam ipse, cùm te minime inuenisset,
gentili nostro Bodoni, quem nobis fidum credebat, mon-
stratas literas tibi tradendas reliquit: quod ille si com-
pleuisset, cognouisses me fraterna pietate, non tua modo
penitùs miseratum incommoda, sed etiam recuperandæ
fortunæ iam tum consilium agitasse. Verùm omittamus
ista, quibus aut fraus aut negligentia detraxit effectum:
præsentia magis vrgent. Hilarioris fortunæ faciem ti-
bi aliquantulum aperiri vtcumque gratulamur: nec
eius indulgentia te abuti volumus, sed omnem illius
fructum in tua tuorumque vtilitate collocare. Id quem-
admodum facere debeas, meliùs intelliges, si tibi quæ
nostra sunt innotescant. Superiore anno, annitentibus
amicis, in præsentiam Imperatoris deductus sum, & ab
eo atque Regina benignè omnino exceptus; & nunc, hoc
est X Kalend. Octobris, Indictione prima, ad Palatium G
Regina quamplurimum valet euocante promoueo, mul-
tique existimant fore vt citò mihi gradus dignitatis ali-
quis conferatur. Quod si diuina exuberante gratia eue-
nerit, non dubites illico te accersendum; vt vnà permis-
su Imperatoris degentes, communium studiorum exer-
citatione iucundissima perfruamur. Sin autem spes no-
stras euentus eluserit; rescribe, an velis me per amicos *
vt ab Imperatore locus tibi quidem reddatur in monaste-
rio tuo, apud me autem studendi gratia, quatenus vter-
que nostrum voluerit, conferatur. Cùm hæc ita se ha-
beant, horror ne diuinæ scripturæ nulla tibi fuerit cu-
ra, cuius & vsus frequens est, & cognitio salutaris. At-
que illud quæso præcipuè vt in mente habeas, firma-
que semper memoria complectaris, *Memento creatoris*
tui in diebus iuuentutis tuæ, & sequentia. Librum quem
flagitasti misissem, nisi lator defuisset idoneus. Verùm
& illum & omnes quotquot diuinitus accepero, tecum,
si vita comes fuerit communicare desidero, tuaque non H
minùs quàm mea commoda indesinenter curabo: siqui-
dem puerilia iam deposui: tenet animum causarum amor
vtilium. Ad quæ deprehendenda plurimùm me adiuuari
optimè de nobis meriti Adalgi germani nostri confiteor
instantia, cuius nomine huius etiam epistolæ vestibu-
lum illustraui.

EPISTOLA VII.

Ad eundem.

ÆQuumne fuisse putas, cum te mearum rerum fidu-
sissimum fecissem custodem, si me tuarum exortem
diu manere paterer? Ceterùm quanta me tui cura possi-
deat, nedum tu, nemo dubitauerit, si sospitatem nobis &
quam animo præcipio facultatem Deus suffecerit. Nam-
que quod scripsi non eo te modo quo disposueras apud

A nunc posse studere, cùm ad me veneris, & nostra quæ litteris comprehendi non possunt, cognoueris, tua comprobabit prudentia. Quanquam si nulla mei status prouenerit, satius est, vt apprime sis & in Virgiliana lectione, vt optime potes, proficias. Abundabis enim otio, meaque prona in te diligentia, quàm temetipso vteris magistro non tam fructuosè quam laboriosè proficias. Deo enim largiente, & possum & adesse tibi incredibiliter cupio. Feci autem litteras ad Audiuinum & Ebrorum de tua reuersione, quam visitationis adumbraui vocabulo. Verum deliberatio nostra, postquam veneris, manendum redeundumne tibi sit, facile inuenies. Præsentiam tamen tuam Kalendis Iulij, absque vlla retractatione, mihi exhibere; quam differri maximum non sinit quod impendet negotium. Bene vale.

EPISTOLA VIII.

Ad Adalgardum.

B Singulariter vniceque dilecto Adalgardo Lupus in Domino salutem. Obsequutus voluntati tuæ, quanquam grauatè, litteras has ipse formaui; quæ si breuiores quam voluisses, vt erunt, fuerint, tibi debebis imputare; quia me inextricabiliter implicitum, duo vno tempore eodemque angustissimo munera extorsisti. Sed ne diu te morer, in talibus intelligendum reor quod Priscianus ait, in aliis verò rarissimè, non absolutè quibuslibet verbis, sed vnde illi sermo erat, anomalis: namque quod alia penultimam primæ vel secundæ personæ producant, Seruius auctor est, qui in eo versu, vbi Virgilius sistolen fecit his verbis, *Egerimus nosti & nimium meminisse necesse est. R*, inquit, *metri necessitate corripuit.* Item Iuuencus: *Ne sanctum canibus dederitis, neve velitis.* licèt quidam præteritum perfectum subiunctiui & futurū differre scribant. Rarissime autem id fieri in aliis anomalis, propter *volueritis, ritis, ediritis, ritis*, & si qua C sunt cetera huiusmodi, vt mea fert opinio, expressit; quorum penultimas incunctanter producimus. *Doceberis* per e penultimam dicendum ipse Priscianus astruit, qui sicut in actiuo, sic etiam in passiuo præsentis temporis declinationem dicit docere aliorum temporum declinationem absque perfecto, & his qui ex eo nascuntur, *quæ sit*, inquit, *secundùm vnamquamque ex tribus coniugationibus*. Ergo sicut præsens tertiæ coniugationis passiuum ab actiuo fit, interposita *r*; *i* tamen, vt ipse vigilanter admonuit, in *e* mutata, hoc est, *legeris*, non *legiris*; eodem modo, quia *docebo* seruat deductionem tertiæ cõiugations *doceberis*, *i* actiui conuertit in *e*. Multa ex hac & priore quæstione dici posse intelligo: sed epistolaris breuitas ea me reticere compellit. Habeo verò tibi plurimas gratias, quòd in Macrobio corrigendo fraternum adhibuisti laborem: quanquam librum, cuius mihi ex eadem folium direxisti, præoptarem videre: est renera venerabilis, & exactissimæ diligentiæ. Nec minùs D tibi gratulor pro commento Boetij: nescio tamen adhuc an totum id contineatur, aut si tuum sit, aut si cum alio id contuleris. Hinc autem te castigatum in perpetuum velim, vt nihil mihi vnquam aut scribas, aut dicas ambiguum, quod tamen ipse compertum habeas, & in morem oraculorum Apollinis, sententiam tuam aliqua obliquitate confundas. Siquidem neque vtrum liber Tusculanarum nobis esset scriptus, neque quid Agio ageret neque quos libros inueneris, neque, quod me satis sollicitat, vtrum hoc secessu emolumentum sis aliquod assecutus, expressisti. Ceterùm exercitus & alij more tuo agunt; nec his noui aliquid accidit, nisi quod interuentu Bosonij & Frosm. & librum recepi, & in societatem obnitentibus omnibus sum admissus. Bene vale.

EPISTOLA IX.

Ad Leot.

E Lupus Abbas dilecto suo Leot. salutem. Molimina hostium nostrorum, quæ litteris nostris ex integro cognoscere concupisti, tam numero, tam callida, tamque tumentia extiterunt, vt si plene exponerentur, libri magnitudinem vindicarent. Vnde factum est, vt hac vice scriptori parcerem; tibi autem & quibusque beniuolis beneficij diuini seriem non quidem denegarem, sed in aliud tempus commodius, vt credo, differrem: exitum tamen non tacui, propter quem & mihi & omnibus mei studiosis ingentes Deo sunt gratiæ & habendæ, & referendæ. Guichardo, si cognoscendæ veritatis desiderio opus nostrum expetit, arbitror non negandum: cauendum tamen prudenter, ne dum prætendit discendi desiderium, nocendi aditum subdola mente rimetur. Bene vale. F

EPISTOLA X.

Ad Marcuuardum.

Litterarum vestrarum non aliam quam fuit, esse decebat sententiam, cùm olim tantus nos caritatis feruor affecerit, vt eius refrigerandi ne parua quidem remanere posset suspicio. Res quam secreto paruitati meæ significastis quam grata sit, æquis oculis, vt puto, Deus aspicit, & vobis ab eo qui pertulit fideliter exponetur. Gratias liberalitati vestræ super muneribus mihi & fratribus missis artificiosè non egeo referre; cùm pro comperto teneatis, quod sicut vestram beniuolentiam in nos singulariter experti sumus, ita priuatam quandam eius dignitatem animo speculemur. Ceterùm vt ea quæ monuistis in me Deus operetur, vestrum erit G assiduis orationibus impetrare; scilicet vt qui nostri vobis infudit curam, profectus concedat audire lætitiam. Quid super Suetonio Tranquillo, & Iosepho, à vobis fieri optem, demonstrabit Eigil, nostrarum rerum fidus interpres. Salutate omnes fratres ex nostra paruitate, specialiterque Gerungum, Fulcoldum, & Ausboldum; & vt nostri benignè meminerint, dignamini postulare.

EPISTOLA XI.

Ad Lotharium Regem de Cella S. Iudoci.

Domine præcellentissime Auguste, Nos fratres ex cœnobio Ferrariensi, multis & maximis hoc anno pressi angustiis, erubescimus, quod totiens celsitudinis vestræ maiestatem inquietare compellimur. Tamen recordantes quia pro vobis fideliter orauimus H & oramus, & promissionem adiutorij vestri tenentes, non desperamus nos impetraturos quod petimus. Cellam sancti Iudoci, quam Magnus Carolus quondam Alcuino ad eleemosynam exhibendam peregrinis commiserat, beatæ memoriæ pater vester nobis ea ratione concessit, sicut edictum illius attestatur, vt quod eleemosynæ superesset, in nostrum vsum cederet. Hanc per surreptionem Rhuodingus à vobis obtinuit, nobisque legitimam donationem patris vestri repetentibus imposterum crimen inurit. Vnde petimus, vt inspecto edicto patris vestri, pro reuerentia beati Petri & beatæ Mariæ & Pauli, apud quos communem Dominum pro vobis exoramus, sic hoc negotium terminare dignemini, vt non solum inuasor Cellæ illius in præsenti iustè redarguatur, verum etiam posteris calumniandi nobis occasio auferatur. Nam etsi Dominus Noster, pater quondam vester, hoc nobis munus non concessisset; tam intentè pro vobis & laborauimus &

ɔramus, vt ſi eandem Cellam aut amplius quid à excellentia peteremus: non eſſe nobis negandum uiter confidamus. Ipſe autem Deus inſpiret pru- : veſtræ, vt ſicut hoc ſcandalum veſtro tempore , ita etiam per vos firmiſſimum finem accipiat; vt ɪeneficio & nos & poſteri noſtri pro vobis & filiis ; nitamur eum attentius implorare, vóſque ſic tri- mperare in terris, vt æternum regnum poſſideatis ·lis.

EPISTOLA XII.

Ad Pardulum.

Lariſſimo Præſuli Pardulo Lupus plurimam ſalu- ɛem. Cùm repeto memoria intimos vos eſſe Regi, miror, quando ad fidei veſtræ meritum & ſine in- ſapientiæ merior priuilegium; immo gaudeo pluri- , quod iacentes res Eccleſiaſticas credo veſtra indu- ubleuandas. Proinde fiducia familiaritatis hortor oneo, ne perceptam à Deo gratiam negligatis. Ta- m enim, vt optimè noſtis, cum vſura reſtituendum nino accepiſtis. Ecce quanta vobis luerandi vltro rtur occaſio. Monachi ſanctæ Columbæ, priuile- : antiquorum & præſentium muniti Epiſcoporum inque & Imperatorum & priſcis & recentibus in- i edictis, ſpem recuperationis aliquam nacti, pie- regiæ portum petunt, vbi rurum perfugium veſtra ɛeſſione cupiunt inuenire. Dignamini, quæſo le- quæ ferunt, & vt à Rege clementer audiantur effi- & prudentiæ veſtræ laudabili acumine ne graue- aperite, hi qui ante eum feliciter regnauerunt, ı proficuum ſibi & patriæ iudicauerunt, ſi Dei . poſtulata concederent. Ferte opem indigentibus, ıte refrigerium laborantibus; ſit veſtrum memo- ſaltem aliquorum Dei ſeruorum inſtaurata libertas. ıpationum veſtrarum intuitu parcius rem ſuggero, ı veſtra mirabilis capacitas effectu tanti boni ſuffi- ct intellectam deſiderantibus patefaciat. Benigne nemores cupio vos valere feliciter.

EPISTOLA XIII.

Ad Ædilulfum Regem.

D laudem & gloriam Dei magnis laudibus eſſe- ıendo Ædilulpho Regi, omnium ſeruorum Dei nus Lupus Abbas ex monaſterio ſancti Iudoci, præ- s temporis felicitatem, & beatitudinis æternæ ſ- :ı. Quoniam regiminis veſtri opinionem bonam ıomimus, & vires vobis à Deo collatas contra inimi- Chriſti audiuimus; omnipotentem Deum qui eaſdem , tribuit, precamur, vt contra omnes Chriſtiani no- ıs hoſtes, vos inſuperabiles faciat, qui poteſtate ſua mprehenſibili, ſed tamen iuſta, omnia ſemper diſ- ıt. Verùm quia meam paruitatem à veſtra excellentia ıat continens, obſequendo notus vobis fieri cupio, ime poſtquam veſtrum in Dei cultu feruorem ex Fe- didiei, qui Epiſtolarum veſtrarum officio fungeba- Præcipite igitur quicquid poſſibile mihi creditis, & in omnibus ad famulandum paratum inuenietis. Sed os ad promerendum Deum excitemus, certandi vobis ɔribus materiam oſtendimus & in præſenti ſpem & ıturo ſeculo mercedem proculdubio præbituram ·ſiam in monaſterio noſtro, quod eſt mediterraneum Ferrarias appellatur, ac Bethleem à conditore impo- ım nomen poſſidet, operire plumbo molimur poſt um in honore Beati Petri & omnium cæterorum Apo- lorum conſecratam: cuius operis, ſi dignamini, vos eſſe ticipes precamur. Eſtote igitur in Dei honorem ad e perficiendum adiutores non meriti noſtri, ſed reſ- ɛu diuinæ mercedis. Quia qui ſine veſtra largitione › vobis interceſſores ſumus alacriores erimus, ſi vobis & nobis profuturum, ad animæ tantummodo remedium munus acceperimus. Erimus tamen, ſicut antè ſignifi- cauimus, in omne quicquid nobis poſſibile iniunxeritis, parati. Omnipotens Deus ad propagationem & conſer- uationem ſuæ fidei, vos & poſteritatem veſtram diutiſſi- mè regionis veſtræ faciat eſſe principes, & quandoque ſempiternæ beatitudinis heredes, E

EPISTOLA XIV.

Ad Felicem.

Dilectiſſimo amico Felici, Lupus Abbas Monaſte- rii Ferrarienſis atque ſancti Iudoci, ſalutem. Li- cèt aliquot anni fluxerint, ex quo nos inuicem, largiente Dei gratia, in monaſterio Faræ primò cognouimus: nec poſtea euenerit opportunitas, quod optaui, vt fa- miliariter loqueremur; tamen quia in neutro noſtrum feruor caritatis refrixit, precor vt apud laudabilem F veſtrum Ædilulfum mea petitio veſtra diligentia ſor- tiatur effectum. Siquidem recordatur quantæ illum li- beralitatis prædicaueritis; per litteras flagito, vt quo- niam ſtatui Eccleſiam B. Petri principis Apoſtolorum in monaſterio Ferrarienſi tegere plumbo, ad diuturni- tatem contignationis, vt ad augmentum bonorum ſuorum, ex eodem plumbi metallo ad memoratum opus, quantum ei Deus inſpirauerit, nobis dignetur largiri. Quod ſi exuberante Dei clementia, & veſtra cooperante induſtria, obtinuero; veſtræ rurſum erit ſollicitudinis, vt munificentiæ illius beneficium ad villam Stapulas prouehatur. Nos autem, ſicut & in litteris præfato Regi directis expreſſimus, & pro illo ſemper orare parati ſumus, & ſi quid poſſibile nobis iniunxerit, celeriter exequi. Cupio vos valere feliciter.

EPISTOLA XV.

Ad Leotaldum.

LVpus Abbas Lentaldo ſuo ſalutem. Non eram neſcius te id animo continere, quod litteris ex- G preſſiſti; quoniam penè omnia ſunt mihi ac frequenter in oculis, quibus modis beneuolentiæ germanus ani- mus ſit ſolitus reſpondere. Vnde autem te certiorem fieri popoſciſti, indulgentia Dei ſcias me pro tempore bene valere, meiſque diſpoſitionibus, quas iuſtitia ſem- per condire cupio, nihil, quod ſciam, obſiſtere. Qua- mobrem bono animo eſto, & pro noſtra communi ſalu- te hoc ſancto tempore inſtantius deprecare. Patrem patratum nomen eſſe gradus ſacerdotalis exiſtimo: cùm is, qui eo fungeretur, tantum venerationis à ciui- bus mereretur, vt eorum pater factus diceretur, per quem ea faciebant quæ in Seruio legis; vt hoſtes, quos viribus ſuperare moliebantur, prius religione terre- H rent.

EPISTOLA XVI.

Ad Oſmarum Metropol. Turonum.

REuerentiſſimo Orſmaro Metrop. Lupus in Domi- no ſalutem. Germani mei veſtrique fidiſſimi rela- tione poſtquam mihi veſtra opinio innotuit, miro ſem- per ardeo deſiderio experiri quod illius diligentia dele- ctabiliter prælibaui; maximaſque ſanctitati veſtræ ago & habeo gratias, quod vltro certare beneficiis non fa- ſtidiſtis, memoratum fratrem Epiſcopaliter excipiendo, & benignè fouendo, paruitatem vero meam ad ve- ſtrum amorem ſinceriſſimo affectu inuitando. Quod an pura mente depromâ, facile veſtra prudentia colliget, ſi facultatem demonſtrandi diuina vnquam gratia nactus fuero. Interim quod iam didicimus quantum de vobis

præſumere

præsumere debeamus, impendio supplicamus, vt commentarios Boëtij in Topica Ciceronis, quos in chartacio codice, siue vt emendatiùs aliis dicendum videtur, chartinacio, Amalricus in armario sancti Martini habet, obtentos ab eo nobis per hunc, quem ob hoc direximus, nuntium dirigatis. Monemusque, vt cùm quilibet quæsierit cuinam præfatum codicem commodaturi sitis, nostra nomina supprimentes, quod quibusdam propinquis vestris id magnopere flagitantibus velitis eum mittere, respondeatis. Si autem per vos illum accipere meruerimus, optime tractabimus, & tempore opportuno remittemus. Super vestra incolumitate, nobisque gratissima prosperitate, litteris nos certiores facere dignemini, & ne aliqua ex parte ad vos frustra miserimus, pariter procurare.

EPISTOLA XVII.

Ad Iunetum.

QVanquam vasta terrarum amplitudo diuersis nos secernat locis; tamen, quia caritas illius, qui per fidem facit vnanimes habitare in domo Ecclesiæ, nos concordi sociat religione, æquum est, vt quæ dictante vtilitate vicissim vobis scribimus, germana reuerentia complectamur. Itaque frater vester post longos errores ad nos deuenit, delictique sui qualitatem simpliciter exposuit; quam litteris comprehendere otiosum iudicauimus, quando & rebus & verbis illius scire volentibus absque difficultate constabit. Cuius condolentes calamitati, & congratulantes conuersioni, sanctitati vestræ has tenuitatis nostræ litteras destinandas decreuimus: quibus imploramus, vt excessus illius vindictam nostræ deprecationi remittere non dedignemini. Siquidem temeritatis suæ adeo dignum refert pretium, vt si qui forte sint eius inimici, tantæ, tam molestæ, tam denique infructuosæ peregrinationis illius exsaturari possint iniuria. Perditorum enim hominum adquiescens circumuentioni, pene vsque ad vltimas Galliæ partes abductus est; omnique ope nudatus, inde ad vos magno cum rubore, vt videtis, reuertitur. Quocirca vestra clementia nostris flexa precibus, & culpam dignanter indulgeat, & pietatis gremium ei citiùs pœnitenti aperiat.

EPISTOLA XVIII.

Quibusdam fratribus ex Monasterio S. Amandi.

CArissimis fratribus Lupus in Domino salutem. Curam vestri nec me cupide appetisse, nec insolenter excepisse vidistis, quod paruitatem meam duplici onere grauari, non prouehi, facile sentiebam; & nunc eandem curam in promptu est conijcere me libenter deponere, nec alicui eam gerenti aliquatenus inuidere: siquidem & sine dolore amittuntur quæ absque delectationis illecebra possidentur; & iuxta B. Apostolum, siue ea veritate, siue ex occasione, Christus annuntiatur, & in hoc gaudeo, & gaudebo. Proinde videtur mihi obediendum vobis esse cui præcipitur, & ad generale Placitum occurrendum quod in prædio quodam Parisiorum, cui Bonogilo nomen est, incipiet Kal. Iulij celebrari. Sacris enim Regis obniti, præsertim hoc tempore, periculosum existimo. Exiguitatem verò meam, si vita comes fuerit absque difficultate in conuentu reperietis. Quod si tardius quàm voluissetis, præsentes vobis redditæ fuerint litteræ; noueritis vestras I X. Kal. Iul. mihi fuisse allatas, & meas postridie eius diei traditas.

Mei benignè memores cupio vos valere feliciter.

* * *

EPISTOLA XIX.

Ad Heriboldum Episcopum.

EXcellentissimo Præsuli Heriboldo Lupus. Quidam vestrum monachus, cui Iohanni nomen est, nobiscū in monasterio nostro versatur, propter quandam necessitatem à quodam fratre nostro, vocatus, à me autem postea retentus, quòd & nobis prodest, & in cœnobio, eius, vt audiuimus, indigentia laborarot. Quò congregari vndique fratres vos præcepisse comperiens, celsitudini vestræ hos direxi apices, postulans vt & hunc mihi aliquandiu concedatis, & quantum audeo suppliciter implorans, vt secundum ingenitam vobis benignitatem, & impositam officij diligentiam, loco illi consulatis; ne forte fratrum penuria non solùm bona vestra obscuret, verùm etiam Dei nostri, ad cuius cottidie iudicium properamus, propter offensam, & irreuocabilem acceleret vindictam. Res enim Ecclesiasticæ, & animarum cura, quanta cautela tractandæ sint, nec admonita vestra videt prudentia. Proinde & vobis & illis fratribus consulite; vt & de vestra indulgentia, & de illorum subleuatione glorificetur Deus, qui singulis citò retribuet quod merentur. Valeas, Domine carissime; meique præcipuè in sacris orationibus meminisse digneris.

EPISTOLA XX.

Ad Altuinum.

CArissimo fratri Altuino Lupus plurimam salutem. Litteræ sanctitatis tuæ III. Kal. Maij mihi redditæ sunt: quarum sententia pronum in me tuum declarauit affectum, haudquaquam sanè aliter quàm perceperam animo ac firmissimè retinebam. Namque cum tam concorditer, tamque iocundè, ac forsan tam proficuè, aliquandiu peregrè vixerimus, qui poterat amor tam longo vsu concretus, labefactari? Infirmitatem vero quam contigisse mihi audisti, cognoscas exuberante circa me, vt semper & in omnibus, diuina gratia, detrimenti nihil, at emolumenti plurimum addidisse. Quippe nihil incommodi præter formidinem solam tulit. Orta enim in dextro inguine pustula, impendentem solum minata est mortem. Tantam autem orationum peperit copiam, quacumque meum fama casum dissipauerat, vt opinari audeam eum diuino mihi beneficio procuratum. Regressus à Transrhenanis partibus, vbi statum loci nostri deprehendi, morem gerere statui quibus debebam; & fauente Dei clementia, firmissima fruor quiete, otiumque meum est mihi pergratum conducibili lectionis negotio. Vides igitur nullos me itus moliri, ac reditus. Quocirca si tibi necessarium ducis meum colloquium, adultam æstatem propter pabuli penuriam præstoleris oportet, quando non impediente cura equorum facere nobiscum dies aliquot valeas. Interim quæ ex me quæsisti, ea dumtaxat quorum videor mihi attigisse notitiam, quàm possum breuiter absoluo. Communem syllabam ex muta & liquida fieri in eis solis quæ per naturam breuia sunt, nequaquam dubitauerim. Primò, quòd natura pene semper arti præiudicat. Deinde, quod vt sentiam huiusmodi suadent pronunciationes. *Peccator* creat ex se femininum *Peccatrix*; *amator, amatrix*; *venator venatrix*; multaque similia, in quibus penultima syllaba nullus vnquam dubitauit ponendum accentum. Nam si positionem sequeremur, femininum genus acuta antepenultima proferremus; quod quam sit absurdum, imo barbarum, quis non intellegat? Postremò quæcumque natura produxi, nullius Poetæ testimonio vsquam correpta reperio, quanquam diu sit quod id vigilanter quæsierim. Videtur ergo mihi & quibusdam

doctis

ɔctis eiſdémque ſtudioſiſſimis viris, qui mecum talia ɔnitarunt, *ſalubris*, *aratrum*, & ſimilia accentu pe-altimo indubitanter moderanda. *Bibliothecam* que-admodum eountiare debeamus, Martialis verſu oſten-itur,

Quem meanus totum Bibliotheca capit.

In verſibus moralibus, quos Alcuinus dicitur edi-ſſe, *ſtatera* ſic poſita eſt:

Non tibi ſit modius duplex, nec ſtatera duplex.

'aſphemus Græcum eſſe nondubitabit, niſi qui id per & *h* ſcribi parum attendit. Itaque Græcus quidam ;æcos *blaſphemus* dicere correpta penultima mihi con-ntet aſſeruit, &id ipſum Einhardus noſter aſtruxit. ımen Aurelius Prudentius, qoi apud pleroſque vehe-entiſſimè celebratur, id nomen ſic poſuit. — *Dini-· blaſpheme Dei.* Hinc igitur longè latéque manauit, *blaſphemus*, & *blaſphemo*, accentum in penultima llaba ſortirentur. *Nundinas* in Theodulfi carmine ʒi producta penultima, quod vrrum eius, an præce-orum auctoritate, penes illum fides habeatur. *Loque-m* & *& querelam* per vnum *l*, Capri orthographiam quentes, proferimus. *Medelam*, vero, ſicut *ſuade-m*, abſque retractatione diceremus, ni coniugatio-s ſimilitudinem coufunderet diuerſitas generis, & om-ıın penè exemplarium non contemnenda repugnaret ıcordia. Quamobrem in medio relinquamus, nec merè noſtrum permutemos vſum, quoad ſi non ſuf-iunt quæ dixi, vel à nobis, vel ab obnitentibus ali-ıid robuſtius inueniatur. *Siſtrum*, muſicum eſt in-ımentum; quod Iſis, vt ſcripſiſti, manu geſtare ſio-batur, acceſſus & receſſus. Nili fluminis eo ſignifi-ns. Vnde Cleopatram Virgilius, vt commentitiam ıs poteſtatem ſibi arrogaſſe ſolita ſubtilitate aperiret, — *Patrio*, inquit, *vocat agmina ſiſtro. Fialas* cor-pta penultima ea cauſa dicimus: quod fialæ dicuntur, ıia fiunt ex vitro, quod Græci *hialin* appellant. Hialin tem habes in Virgilio: — *Carpebant hialin ſaturo cata colore:* Item apud Martialem: — *Quid tibi m fiala ligulam committere poſſes.* De Cometis qui ſi ſunt, timendum potiùs quèm diſſerendum videtur. quia de his nil vſquam diuina loquitur auctoritas, id ıitari, immo metuere poſſumus, quod Gentiles illis patentibus vſu deprehenderunt. Hi portendere Co-ætas peſtilentiam, vel famem, vel bella tradiderunt. ıne Mantuanus vates, morte Cæſaris ac bellis ciuili-s imminentibus, inter alia quæ ponit monſtra, —*Nec diri*, inquit, *totiens arſere Cometa.* Ioſephus ıoque prodit: priuſquam euerteretur Hieruſalem, fuiſſe llam in morem gladij per totum annum ſuper eandem bem. Sed vt in ſpem aliquam adducamur elementio-experiendi; refert Pompeius Trogus, Mithridaris ;gis futuram excellentiam præmonſtratam, his verbis: *am & eo quo genitus eſt anno, & eo quo regnare primum ·pit, ſtella Cometes per vtrumque tempus ſeptuaginta ebus ita luxit, vt cælum omne flagrare videretur. am & magnitudine ſui quartam cæli partem occupaue-t, & fulguris ſui radiis nitorem ſolis vicerat; & cùm iretur occumberétque, quatuor horarum ſpatium conſu-ebat.* Vidi ego præterea hoc Aprili, poſt mediam fer-e noctem, ſtellam quandam ſubobſcuram, quæ ſub ;one poſita, radium ad ſpicam Virginis vſque porre-rit, quam rem aliquot dies ſcrupuloſè obſeruans, ıllam eandem contemplatus ſum, ſed radium deinceps ɔn vidi, deinde ipſa quoque ſtella ſublata eſt. Librum, tem petiſti, multi, quibus non erat commodandus, enm poſt reditum flagitarant. Quare ablegandum um aliquò, ne perire contingeret, penè ſtatui. Hunc ne, cum veneris, forſitan impetrabis. Nam hinc erico etſi, qoia tibi fidus eſt, hunc committi poſſe vi-bam; tamen non ſatis tutò, quod pedes erat, re non luctiſſe miratus ſum. Ceterum vt me ſuper epiſcopo ɔſtro plene certum non reddideris, tuli moleſtè quo-iam nullius me cauſæ, quantum illius, fatigant. Iam cıò penè ſtomachor, quoniam non ſcripſiſti quid Pro-us noſter exerceat; ſcilicet vtrum in ſaltu Germaniæ, diſciplinas liberales, vt ſeriò dicere ſolitus erat, ordine currat, an certè inchoatam ſatyram, quod magis exiſti-mo, ſtruens, Ciceronem & Virgilium, ceteróſque opinione eius probatiſſimos viros, in electorum colle-gium admittat, ne fruſtra Dominus ſanguinem fuderit, & in inferno otium trinerit, ſi verum ſit illud Prophe-ticum: *Ero mors tua, ô mors, morſus tuus ero inferne.* Os Vale cariſſime, & in amore noſtro benigne perſeuera. Ex paruitate mea digneris ſalutare Præpoſitum, & con-gregatiooem veſtram, & precari vt pro me, & patre meo, atque matre Dominom exorare dignen-tur.

EPISTOLA XXI.

Ad Ionam.

MOleſte vos tuliſſe mearum litterarum ſententiam non mediocriter mirari ſoleo, cum ſi ea paulò diligentiùs conſideretur, non modò dignitati veſtræ nihil derogauerit, verùm etiam detulerit plurimum; quando id quod nos magna cogebat facere neceſſitas, vt veſtra pace poſſet fieri exorauit. Tantum enim abeſt me veſtram cogitaſſe iniuriam, vt ſincera caritate optem gradum veſtrum prædicationemque vos integritate vitæ ſemper æquare, nihilque in ea prorſus apparere quod ſanctitatis veſtræ opinionem fuſcare præualeat. Hinc fuit quod propinqui veſtri Agij vobis expoſui, quæ à multis culparetur, immodicam rapacitatem, vt quia ve-ſtra id feciſſe iactabatur voluntate, cum à vobis dein-ceps compeſceretur, extra illam ea omnia geſſiſſe inſpi-cere volentibus emineret. Et quanquam fruſtra prioris iacturæ querelam omiſerim, & de illa quam poſtmo-dum intulit, impelleotibus his qui maximo adfecti fuerant damoo queſtus fuerim Domino Noſtro, atque ille, vt ea in ſe lex conſeruaretur, ſe velle reſponderit, perſequi negotium reuerentiæ veſtræ conſideratione de-ſtiti hortantibus id clariſſimo viro Eriboldu, & vene-rabili Fulcone, qui mallent me maximarum rerum quam amicitiæ veſtræ diſpendia ſuſtinere. Vt autem verè vobis confitear quod cupio vos Epiſcopaliter ac-cipere; in vrbe veſtra, & in villulis, quas extrinſecus habebamus, nec tantum quidem nobis relictum eſt vnde familia viueret, agríque fænus acciperent. Fuit autem nobis ibi non contemnenda vini & annonæ copia, ſalis quoque aliquantulum: quæ vendita, & veſtimentorum nobis præbitura erant, ſolatia, & in expeditionibus, quæ hoc reipublicæ turbulento tempore exiguntur, quan-tulamcunque facultatem argenti: quarum rerum tan-tam nunc patior anxietatem, vt illud mihi ſolum oc-currat dicendum: *Tu es refugium meum à tribulatione* Ps. *quæ circumdedit me.* Hinc enim me fratrum vexat ino-pia, hinc impendenda itineribus vehementer affligit pe-cunia; & penè omnibus rebus noſtris vndique aut ſu-blatis, aut denaſtatis, nuſquam niſi in Dei amicorúm-que ſuffragio auxilium valeo reperire. Ceterum de Ab-bate quondam noſtro falſa neſcio quæ vobis relata eſſe audio; & ne apud vos ea vlterius præualeant, quæ ſu-per ea geſta ſunt quam veriſſimè ſanctitati veſtræ ſigni-fico. Dominus Noſter, ne in monaſterio noſtro eſſe per-mitteretur, iuſſit, præfatus de eo talia quæ melius reticen-tur. Id reuerſus ad monaſterium, quam molliſſimè eidem Abbati edixi; atque illi hominibus, qui eum deduce-rent, deputatis, equis, & veſtimentis, & argento ad viaticum conceſſis, cùm iuſſu Domini Regis ſecundo Kalendas Decembris promouerem, conſtitui vt intra III. Non. memorati menſis monaſterio decederet, quod eo die ante Dominum Regem me venturum ſperarem Quod cum iuxta meam opinionem feciſſem; poſt ſo-lennem exceptionem, qua finit quidnam de præfato Abbate feciſſem. Ego qui crederem ſic eundem Abba-tem geſſiſſe, vt nobis conuenerat, præceptum eius me ſuper eo compleuiſſe reſpondi. Accepta igitur licentia cum pridie Idus Decembres monaſterio propinquaſſem,

comperi

A competi sæpe dictum Abbatem ibi adbuc morari. Hinc vehementer anxius, quod aliter Domino Nostro dixeram, aliter inueniebam, præmisi nocte qui ei honestè diceret, vt primo diluculo egrederetur: non esse honestum vt aut ego meum differrem ingressum, aut illum ibi contra Domini Nostri præceptum inuenirem. Cúmque ille mandasset se in crastinum exire disposuisse; ne aliquam inimicis calumniandi ansam relinquerem, remandaui me non ante ingressurum, quàm ipse egrederetur. Ita ille cœnobium egressus est; permissis sibi omnibus quæ illi antè largitus fueram, & nonnullis insuper attributis. Quam rem aulicis familiaribus meis euotinuò significaui: & opportunè egomet Domino Nostro exposui, & mendacia quæ inde fererentur declaraui. Nun aliter me facere debuisse eis concorditer visum est. Viderint qui alia inde sparserunt, an perperam fecerint: ego certè simplicem in hac parte oculum habens, lucidum fore corpus meum diuina auctoritate confido. B Opto vos valere feliciter, & bonis omnibus abundate.

EPISTOLA XXII.

Ad Ludoguicum.

QVantum congaudeam successibus vestris prosperioribus, etiamsi non scriberem, facilè possetis ex antiquo nostro amore colligere. Illud forsitan iustè flagitauerim, vt vestra celsitudo paruitatem meam non aspernetur, sed olim concessam notitiam condescensionémque retinere dignetur. Me verò nouerit in sui obsequium fideliter præparatum. Ceterùm vestram opinatissimam flagito liberalitatem, vt duos nostros famulos à vestris fabris, quos peritissimos vos habere longè latéque fama vulgauit, auri & argenti operibus erudiri iubeatis, vestro beneficio nobis & vicinis nostris pluri- C mùm profuturos. Vnde ne nostra vota nimiùm differentur, si quod petimus obtinere meruerimus, vnum eorum quos dirigere cupimus, ea iam imbuendum arte procurauimus. Aurum præterea quod hic frater noster apud vos deposuit, eidem iubet restitui; vt opere inspecto, quid nobis agendum sit æstimare valeamus. Opto vos valere feliciter, & virtutum in dies capere incrementum.

EPISTOLA XXIII.

Item ad eundem, ex Odonis parte.

CLarissimis honoribus meritò decorato Ludoguico vltimus Abbatum Odo, & vniuersa Ferrariensis cœnobij vnanimitas, plurimam salutem. Quoniam aliqua perturbationis vel necessitatis procella quatimur, ad beniuolentiæ vestræ portum securi confugimus: quæ D omnibus ad benefaciendum exposita, neminem repellit, qui sese opem petendo ingesserit. Verum ne vos in longum ducamus, meministis nobis Zachariam Abbatem hoc anno commissum; quando & vestra prudentia in tantum nobis fauit, vt penè non nobis, sed aliis commendaretur. Nunc idem Abbas Dominum Regem adit, quid ei potissimum agendum sit ab eo quæsiturus. Habeat igitur vestra insignis industria tenuitatis nostræ considerationem, & dignetur elaborare, vt vel ad locum vnde ad nos venit, vel ad alium quemlibet iam dirigatur: quia, vt rem vobis, vti est, simpliciter fateamur, non mediocriter nos grauant expensæ, quæ illius hominibus tribuuntur. Vnde per vos subleuari deposcimus, vt sit vnde aliis ad nos confluentibus hospitalitatis gratiam impendere valeamus.

EPISTOLA XXIV. E

Item ad quem supra.

SVmmis honoribus dignissimo Ludouico Odo Abbatum vltimus plurimam in Domino salutem. Affectum vestræ beniuolentiæ pronum in paruitatem meam luce clarius peruidens, ago multiplices gratias, Deumque fore pietati vestræ retributorem exopto. Ipse autem paratus sum, si quid iubere vestra dignetur excellentia, fideliter obtemperare. Ceterùm impellit me necessitas iterum vestri adiutorij patrocinium suppliciter implorare. Namque postquam vobis auxiliantibus impetrata licentia, ab expeditione Aquitanica grauatus infirmitate redij, eadem penè semper attritus, necdum re- F ualui: quæ res, ne cum aliis ad condictum occurrerem Placitum, prohibuit. Misi tamen homines nostros vna cum Comite pagi, qui expeditionis officia more solito exequerentur. Vestram igitur supplicamus pietatem, vt nos offensæ metu leuare dignemini: siquidem quanquam ad obsequendum cum aliis paratissimam haberem voluntatem, imbecillitati tamen obuiare non potui.

EPISTOLA XXV.

Item ad quem supra.

OMni reuerentiæ apice suspiciendo viro clarissimo Ludouico, O. omnium Abbatum vltimus, & vniuersa Ferrariensis cœnobij societas, in Domino salutem. Non sumus nescij multarum maximarumque causarum vndique confluentium vos molibus opprimi, eisque componendis vix tempora ipsa sufficere. Sed vestræ pie- G tati eò vsque confidimus, vt apud vos nostris rebus locum semper patere credamus. Explicari autem vix potest, quam simus parati vestræ voluntati, si quid iubere dignemini, obtemperare, & condignis excellentiam vestram obsequiis prosequi. Interim, quod valemus, deuotissimas preces Domino Deo nostro pro vestra salute atque prosperitate, quam & nostram ducimus, indesinenter dependimus. Vos autem accipite iterum petitionem nostram, & vt effectum obtineat, quæsumus, dignanter instate. Homines nostri toto hoc ferè biennio aut nobiscum, aut soli, generalis expeditionis difficultatibus fatigati, censu rei familiaris in huiusmodi seruitio effuso, onere paupertatis grauantur. Subueniat itaque illis vestra insignis clementia, & si possit fieri, licentiam domum reuertendi obtineat, vt possint populum respirare, atque futuri seruitij rursus impendia præparare. Ceterùm fama versatur inter nos, Clericos palatij diuersorum cœnobiorum sibi dominium optare, atque poscere; quibus nulla sit alia cura, nisi vt suæ aua- H ritiæ oppressione seruorum Dei satisfaciant. Vnde in hac parte supplicamus vestram nobis vigilare prudentiam vt reuitas nostra per vos esse valeat tuta. Namque quia haud procul à nobis educati estis, apud nos quoque fuistis, qualitas monasterij nostri vos minimè latet: vbi præter studium religionis, quo sibi nomen inter alia cœnobia vindicauit, nun est quod expetendum sit ei qui se magni facit. Nisi fortè tam sacrilegus quis inueniatur, qui stipendia Deo seruientium in suos audeat vsus conuertere, & eorum inopiam, suam luxuriam facere. Ergo vestra industria hinc quoque nobis prospiciat vt per vos accepta securitate, liberiùs pro vobis Domino supplicemus.

***

EPISTOLA XXVI.

Marcuuardo & Sichardo.

Reuerentissimis atque clarissimis Patribus Marcuuardo, & Sichardo, O. sempiternam salutem. Hominibus vestris, qui ad vos proficiscebantur, opportunitatem scribendi nobis vltro ingerentibus, officium nequaquam neglexímus litterarum; vestramque sanctitatem precamur, vt vicissim quam potestis celerius nobis literas dirigatis, vestræ sospitatis qualitatem modumque prosperitatis continentes. Nos autem in quodam :ditullio positi, fluctuamus incerti dum deprehendere m valemus quinam potissimum regionem nostram sibi beat vindicare. Namque, sicut relatio vestrorum boinum declarault, varia hinc fertur opinio. Tamen suppiciter vestram poscimus paternitatem, vt si consensus nnium In Lotharium pronior fuerit, & apud eum, sit optamus & credimus, diuina vobis locum ad seruom Dei vtilitatem concesserit clementia, memores noi esse non dedignemini; & peruersorum improbitatem pigeat vos, quantum potestis, à nostra paruitate, opiante Dei gratia, propulsare. Optamus vos bene valere, lætioribus in dies augeri successibus.

EPISTOLA XXVII.

Ad Ionam Episcopum.

Reuerentissimo Præsuli Ionæ Lupus & VV. in Domino salutem. Librum vestrum, sicut rogastis, exrimus: sed, vt parcissimè dicamus, in eo mutare nihil umus; vt operis vestri sitis ipsi correctores, cuius estis ltores. Siquidem expendenda nobis fuit teneritudi- & tenuitatis nostræ ratio & ætatis ac ordinis vestri benda consideratio. Nec facilitatem ac delectationem ndam reprehendendi, quam in quibusdam notare soius, debuimus imitari.

EPISTOLA XXVIII.

Item ad eundem.

Reuerentissimo Ionæ Episcopo O. perpetuam salutem. Pridie, hoc est, IV Idus Augustas, post hononá, homines nostri ab expeditione Aquitanica re- i, cuncta prospera retulerunt. Namq; Aquitaniæ tutelpartitio diuisa est, secundùm opportunitatem locomilitarium virorum multitudine distributa. Quavni parti, quæ apud Clarummontem agit, præest doinus Augustodunensium Episcopus, & Auber- Auallensium Comes, cum aliis quibusdam. Alteri, Lemonicis versatur, præsidet Gerardus Princeps ndam & carus Pipini Regis, cum sociis ad idem otium idoneis. Tertiæ vero prælatus est Reinoldus nes, Ecolesinæ constitutæ. Dominum autem Recodem die, hoc est, IV. Iduum Augustarum, ad san- Martinum venire nunciauerunt, inde verò eius tranu per vrbem Aurelianensium: quod pitancrim venle: quoniam magnæ indolis Ludouicus, epistolapalatio gerens officium, mandare mihi studuit, vt d vrbem Turonum, aut certè Aurelianorum, Do- Regi occurrerem; sic temperans hortamentum, *nen per vrbem Aurelianensium iter habueris.* Ceterùm unboldus & Vgo redeunt supplices ad Regem, & proprios honores recuperaturi creduntur. Ipse verò Rex IX. Kal. Septembris ad Carisiacum, vita comite, veoire disposuit.

EPISTOLA XXIX.

Ad Guenilonem Episcopum.

DVm abundante iniquitate caritas iam refrixit multorum, & plures lætari videmus cum malè fecerint & in rebus pessimis exultare. Quando peccatis nostris Republica dissipatâ impune peruersorum grassatur insania, legumque metus aboletur; maximo debemos affici gaudio, si saltem aliquis inueniatur, qui memor futurorum, seculi fugientis contemptum pia mente concipiat, & operante Dei gratia, perfectionis apicem apprehendat. Quod mihi quia moliri visi sunt duo Presbyteri nostri, quorum alter Ardegarius, alter Baldricus vocatur, vnum eorum (nam alterum ineuitabilis necessitas retinebat) vestræ reuerentiæ direxi, adiuncto militari viro, qui eum in itinere tueretur; vt à Presbytero vtriusque desiderium agnosceretis, & nuntij nostri relatione testatior eorum vita prior & præsens deuotio appareret. F
Vestra verò prudentia relinquendi suos eis Titulos copiam negauit facturam, vt liberiùs & districtius institutionem beati Benedicti sequantur, nisi fortè nostra paruitas auctoritatem vobis depromat absque vitio posse fieri. Id tametsi nunquam in controuersiam vocatum, vel audierim vnquam, vel magistra lectione compererim; tamen simpliciter quod sentio vestræ auctoritati aperiam. Dominus Iesus diuitis legalium præceptorum sibi obseruantiam arroganti, & audaciùs, quid sibi deesset percontanti: *Vade*, inquit, *& vende omnia quæ habes*, & cetera: vbi aperuit voluntariam paupertatem fore fructuosam, si illud impleatur quod alibi docet: *Discite a me, quia mitis sum & humilis corde*, & reliqua: quod nusquam fieri aut tutius aut meliùs potest, quàm in monasterio: vbi sic libertas voluntatis propriæ pro Dei amore, quod est laboriosissimum, resecatur, vt ex arbitrio Prioris subiectorum actio cuncta formetur. Quanquam quidam nostrorum, exuberante Dei gratia, ingenti vigore animi consortia humana vitauerint & præfata Dominica sententia iam impleta, solitudines penetrauerint, & constanter in Dei opere penè totam ætatem consumpserint. Ab ea igitur perfectione, quam Deus etiam laicis proposuit, absit vt summoueat sacerdotes. Sed dicat aliquis: Quid plebes faciant, quarum ab eis fuerat canonice cura suscepta? Nimirum qui hos ad implendum illud vocat quod in Psalmo canimus, *Vacate & videte, quia ego sum Deus*, procurabit alios, quos animabus gubernandis præficiat. At inquit, quemadmodum carnalem copulam non licet resoluere, nisi causa fornicationis; ita susceptam semel pastoralem curam nefas est deponere, quandiu ouium saluti consuli potest. Concedimus; nisi fortè coniugium qui constituit, ipse dissoluat, & qui regimen imposuit, ipse, vt sibi liberiùs vacetur, id relinquere occulta inspiratione præcipiat. Namque qui iussit vt quod Deus coniunxit homo non separet, idem quia Deus est, quotiens libuit coniugia separauit; adeo vt etiam probabiles vtriusque sexus personas optime nouerimus, rescisso carnali commercio, in sacris locis separatim Domino militasse. Iam vero de Presbyteris quid dicam, cùm nullum ferè monachorum reperiatur monasterium, quo non aliqui eorum, seculi tumultus declinantes, concesserint? quos si perperam fecisse conemur asserere, obruemur eorumdem auctoritate, qui nos & sanctitate superant, & sapientia fortè præcedunt. Neque enim frustra scriptum est: *Timor Domini ipsa est sapientia, & recedere a malo, intelligentia.* Siquidem, vt de coniugiis taceam quæ ob Dei amorem separata sunt, quorum magna nobis suppetit copia; certè Ferrariensis monasterij, cui indignus deseruio, quondam nobilis Abbas & Presbyter Sigulfus, qui vsque ad senium canonico habitu laudabiliter vixerat, sponte se potestate exuit, & nostram, hoc est, monachicam religionem assumpsit; atque donec diem obiret, suo passus est subici discipulo,

E
Matt.19.
Matt.11.
G
Ps.45.
Matt.19
H
Iob.28.

A

discipulo, quem ipsius voluntate ac fratrum consensu Imperator Ludouicus memorato loco Abbatem præfecerat. Quin etiam decessor vester beatæ memoriæ Aldricus, qui præfati Cæsaris iussu, & mirabili bonorum annisu, nobis, cum esset Abbas, ablatus, & Ecclesiæ Senonicæ Pontifex factus est, ad nos immutabiliter proposuerat regredi, Episcopali cura omissa, quando hanc vitam, vt credimus feliciore mutauit. Quis hos viros Canones ignorasse dicat, nisi prius ipse desipiat? Profecto primordia fidei Christianæ recolebant; quæ beatus Lucas commendans, ostendit tunc illis omnia fuisse communia, quando postquam singuli agrorum & quarumlibet possessionum pretia Apostolis, prout cuique opus erat, diuidenda permiserant, ipsi Deo soli vacabant, & erat eis cor vnum & anima vna in Domino. Nec ab hac sancta societate sacerdotes exclusos inuenio, cùm præfatus Euangelista hinc etiam nos instruendos prospiciens:

B
Act.6.

Multa, inquit, *turba sacerdotum obediebat fidei*. Siquidem tametsi quàm longissimè absumus à tam sanctorum virorum perfectione; tamen vestigia, & quædam, vt ita dixerim, liniamenta formæ Apostolicæ retinemus, dum nemo nostrum aliquid sibi vindicat, nec in seculares curas dissipare animum permittitur, & orationum & abstinentiæ legitimam constitutionem persoluere regulari rigore, cui nos sponte submisimus, coarctamur. Nec mirandum, sed Episcopaliter compatiendum vobis est, si multos monachorum experti sitis à sua professione detestabiliter deuiare; cùm & natura humana prona sit ad malum, & hostis noster bono semini superseminare semper gestiat zizania. Ceterùm, vt mea & multorum fert opinio, nullus intra sanctam Ecclesiam ordo est, vbi certius promereri Deum fidelis anima possit, quam si monasticæ disciplinæ studeat propositum integrè obseruare. Verùm ne nos magnifacere videamur; beatus Gregorius, cuius tanta in Ecclesia resplendet auctoritas, patrem nostrum Benedictum his verbis commendat:

C
S. Greg. l.3. Dialog.c.36.

Scripsit monachorum regulam discretione præcipuam, sermone luculentam. Sanctus autem Benedictus sacerdotes suscipi in monasterium & posse & debere ostendit, cum quanquam non facilem, tamen eis permittat ingressum, & retinendi officium ex Abbatis iussione præbet auctoritatem: quod nullo modo faceret, si soli admittendi essent criminosi. Nam & eos quidem interdum, sed difficillimè, & vehementer compunctos, recipimus.

Matt.18

Venit enim filius hominis quærere & saluare quod perierat. Cum autem Beatus Gregorius regulam patris nostri Benedicti approbat, eadem autem regula sacerdotes cum officio suspiciendos censet; nisi qui contentioso spiritu laborat, & susceptos iam inde ab initio nostri ordinis, & esse integræ vitæ sacerdotes in monasterium † minimè dubitat. Quapropter vestra paternitas dignetur hæc studiosius pertractare, & Presbyteris ad melius de bono tendentibus non cunctetur licentiæ aditum reserare;

D

ne fortè, quod nullatenus optamus, videamini ordini nostro prouisa cœlitus incrementa derogare, quem summi & optimi Pontifices non solum non infamauerunt, verum etiam vt par fuit, suis & laudibus ornauerunt, & exhortationibus cumularunt. Neque enim sacrorum canonum suspicienda censura, quantum dispicere valuimus, vsquam nostram infirmat sententiam, quam & auctoritate diuina & præclaris exemplis roborandam curauimus. Illud potissimum à vestra eximietate obtinuerimus, ne nostram admonitionem grauemini: quam non vendicandæ scientiæ studio, sed implendæ caritatis officio assumpsi, & rerum pondere & stili lenitate satis, vt opinor apparet.

* * *

E

EPISTOLA XXX.

Ad Godescalcum Monachum.

NI veritus fuissem, vt me ab obseruatione caritatis auersum nullius flecti posse precibus putando, eandem caritatem offenderes, etiam nunc silentij latebram fouens, nihil ad ea quæ consuluisti respondissem, duabus videlicet ex causis. Altera, ne otio tuo materiam exercendi ingenij vel imminuerem, vel detraherem. Altera, vt habita consideratione illorum, quos super eadem quæstione te sollicitasse olim cognoui, mediocritatem meam non præiudicare quorundam excellentiæ æstimatione propria comprobarem. Verùm autem illorum colloquio & rescripto potius, quid ego hinc sentiam desideras experiri: quoniam de eisdem quæstionibus diuersa sentire, quousque contra fidem non est, aut nulla aut parua culpa est.

F

Quid mihi sentire visus sit beatissimus ac doctissimus Augustinus, in eo loco quem enodandum proposuisti, non grauabor exponere. Et illa quidem prior quæstio, quam, quia nullis diuinarum scripturarum exemplis aut testimoniis aut ægrè aut nequaquam definiri poterat, in medio reliquit, penitus omittatur; scilicet an in illo cunctis exoptabili fidelibus culmine resurrectionis oculi carnis aliquid sint mentis simile habituri: siquidem futuras earum rerum imagines aliqua nos mentis acrimonia posse apprehendere, quæ illius tanti auctoris ingenium sint transgressæ, si vel opinari possemus, esset extremæ dementiæ. Nec tamen felicitati nostræ in illa resurrectione aliquid derogabitur, si diuinitatis excellentia carnalibus oculis conspicua non fuerit; quando nullum hoc tempore dispendium intelligentiæ nos pati sentimus, si rationem quam mentis acumine contuemur, manu perpetua, quod est incorporea, palpare non possumus.

G

Nec indignum aliquid nostra patietur natura, si spiritus longè sublimiori donetur excellentia: qui iam inde ab initio nostræ natiuitatis tantum excelluit, & in eo, etsi aliquandiu decolor propter peccatum, semper tamen Dei perseuerauerit imago, & ab eo in vnam eandemque personam redacta gubernata sit caro. Alteram vero quæstionem quibus verbis idem præcellentissimus auctor moderatus sit, vigilanter considerantes, eorum mentem dispiciamus.

Lib.22. de Ciuit. Dei cap. 29.

Aut quod est, inquit, *ad intelligendum facilius, ita nobis erit Deus notus atque conspicuus, vt videatur spiritu à singulis nobis in singulis nobis, videatur ab altero in altero, videatur in seipso, videatur in cœlo nouo, & terra noua, atque in omni quæ tunc fuerit creatura.* Hactenus quid hæc verba obscuritatis pariant non video. Quippe clarissimus auctor, quia diuinæ auctoritatis obseruantissimus, quemadmodum sit futurus Deus omnia in omnibus copiosiùs explicat; scilicet quòd electis diuina gratia ad Angelicam prouectis æqualitatem, remoto pristinæ ignorantiæ nubilo,

H

semetipsum plene manifestet, ac sua ineffabili visione in perpetuum beatificet, tantaque suæ præsentiæ lætificet euidentia, vt vniuscuiusque spiritus dubitare non possit, quin nobis & reliquis sanctis omnibus insit Deus atque cuilibet alicui creaturæ; ita vt rationabilem tantummodo sui notitia glorificet, irrationabilem verò, hoc est, terram, & cœlum præsens vbique totus gubernando contineat. Ac per hoc rationabili aderit per notitiam & præsentiam, irrationabili per solam præsentiam: quæ tamen longè præstantius quam nunc ad electorum notionem deducta, vt augmentum scientiæ, ita etiam incrementum felicitatis factura est. Nam & nunc præsentia sua regit cœlum & terram, cuius veridica vox est:

Hier.23. Sap.9.

Cœlum & terram ego impleo. Sed ad comprehendendum quemadmodum totus in cœlo, totus in terra sit, acies mentis nostræ caligat, quandiu corpus quod corrumpitur adgrauat animam, ne naturæ suæ vim liberè queat exercere. Quod cum totius

·otruptionis non molestia modo, verum etiam suspicione iuerit liberatum, glorificata duntaxat non mutata natu- a, (Neque enim hinc nos errare permisit, qui ait, *Pal- ate, & videte: quia spiritus carnem & ossa non habet, ut me videtis habere,*) tantámque cum spiritu, cui unc repugnat, habuerit concordiam, vt cum eo de- nceps nec velit peccare nec possit; Idem spiritus Deo o tunc verè inhærendo, vnum cum eo effectus, in- ieri merebitur habitatorem sui, similiúmque creatura- um verò rectorem. Hæc est visio, in qua scilicet con- abit & secura felicitas, & felix securitas; cui viden- æ oculos non corporis, sed cordis, hoc est, mentis, undari veritas præcipit: *Beati*, inquit, *mundo corde, uoniam ipsi Deum videbunt.* Huiusmodi verò munda- onem fides hîc inchoat, illic caritas consummat. Nam uousque affectus noster dicere Deo possit, *Quid mihi ? in cælo, & à te quid volui super terram?* Hoc est, uandiu in cælestis alicuius creaturæ potentia, vel ex lleutiæ mundanæ illecebra, & non in Deo, à quo su- us conditi, spem nostræ beatitudinis reponimus, cras- m glaucoma nostris obductum oculis patimur. At cùm lubiter ea sordere cœperint, quæ priùs animum no- rum perniciosè aut eludebant opinionum falsitate, aut blectabant fallaci suauitate; paulatim Dei clementia ascente caligine, noster visus recuperatur, ac diuino- um præceptorum in dies exacuitur collyrio, donec de- osita mortalitatis sarcina, ad videndum eum, in quem ta fuerit translata intentio, perducatur. Præmonstratis bis, super quorum sententia non vt voluimus, sed vt luimus, (res enim quam significant incomprehensibilis) diutulè locuti sumus, idem mirabilis auctor sub- cit, *& per corpora in omni corpore, quocunque fuerint ritalis corporis oculi acie perueniente directi.* Hic vel rum seculari litteratura imbutus, nemo dubitat à com- uni subaudiendum, & vt videatur spiritu per corpora omni corpore. Opinionem enim illam, vt videri ssit Deus carnalibus oculis, nisi aliquid mentis obti- ieriut, ipse manifestissimè remouet. Quid verò In eo luerit intelligi, quod ait, *Per corpora in omni corpore,* upulosiùs quæri posset, nisi eandem rem adhibita qua- n similitudine præstruxisset. Denique præmisit: *Vi- n quidem suam* (haud dubium quin spiritus) *qua nunc it in corpore, & hac terrena membra vegetat, facitque ientia, interiore sensu quisque non per corporeos oculos it. Aliorum verò vitas, cum sint inuisibiles, per cor- videt. Nam vnde viuentia discernimus à non viuenti- corpora, nisi corpora simul vitasque videamus, quas per corpus videre non possumus?* Siquidem hac eius luculenta sententia colligitur, quòd *per corpora*, : est, per corporis oculos, *in omni corpore*, quod n conspexerint oculi, videndus sit Deus, non in sua stantia, quod priuilegium spiritui reseruatur, sed in lentissima gubernationis præsentia. Sic enim cùm sensus corporeos vitas aliorum in corpore intuemur, vitas inuisibiles aspicimus; sed eas tamen inesse vi- ationis potentia dubitare non possumus. Nec su- ebunt quicquam contumeliæ oculi, si spiritu Deum ue præsentem comprehendente, illi eum tantum- o in corporibus, quò direxerint aciem, quemad- lum superiùs ostendi, poterunt intueri; sicut neque e patiuntur aliquid ignominiæ, cùm sensu aurium issimum quemlibet sonum capiente, ipsi intra me- proprij muneris cohibentur. Hic à me monstra- ntellectus capituli, omnibus te quas proposui- ræstionum angustiis liberabit; Inter quæ etiam ocu- hil simile mentis habentibus in quouis corpore, propriè, nec figuratè, Deum fore conspicuum de- bit. Namque proprietatem eius cognitione spi- sibi dignitas vindicabit. Quòd autem tam eviden- creaturas suas diuina reget maiestas, vt ne oculos em corporeos latere possit, nihil præterquàm quod ur significare, omnis qui sobriè sapit, facilè aduer- Ad hunc enim exitum circumstantia, sine supersti- s peruicacia considerata, cautum instructúmque rem perducunt. Quod adeo mihi constat, vt etiam Beatissimum Augustinum, si reuiuisceret, aliter quem- quam sensisse credam non mediocriter miraturum. Proinde semper soluendo, & nunquam persoluendo caritatis debito, te, suspiciende frater, exhortor, vt nequaquam vltra in talibus tuum ingenium conteras; ne his vltra quàm oportet occupatus, ad vtiliora vestiganda sive docenda minùs sufficias. Quid enim tantopere quæramus, quod nobis nosse needum forsitan expedit; Certè diuinitus illustrata mens Deo loquitur: *Oculus non videt Deus absque te qua præparasti expectantibus te.* Et nos illius ineffabilis visionis plenissimam rationem complecti animo, concretis vitiorum sordibus adhuc grauato, desideramus? In amplissimo Scripturarum sanctarum campo interim spatiemur, earúmque meditationi nos penitùs totósque dedamus, faciemque Domini humiliter, piè, ac semper quæramus; *quoniam inquirentes Dominum non deficient omni bono.* Eius erit clementiæ, vt dum considerata nostra conditione, altiora nobis non quærimus, nec fortiora scrutamur, nos ad sublimiora & robustiora sustollere, purgatisque nostræ mentis obtutibus, quibus videri se posse reuelauit, semetipsum dignetur ostendere. Ceterùm daturus necne sit oculis post resurrectionem aliquid simile mentis, eius arbitrio relinquamus, cuius iudicio & hæc & alia innumera impune, quoad mortaliter viuitur, ignoramus. Quaternionem quem reperisti, nescio quis mihi sublegerat, Verborum verò, quorum flagitasti rationem, quia nec plenaria statim omnium occurrit, & eam indagare maximæ causarum moles, quibus assiduè obruor, inhibuerunt, in aliud tempus distuli; quanquam non sim nescius Græcorum sermonum proprietates à Græcis potiùs expectandas. Sanè si quando scribendum paruitati meæ decreueris, obsecro superfluis aut falsis laudibus non oneres; sed magis Domino supplices, vt me semper suæ laudis auidum faciat, meæ verò laudis fructum in illud tempus differat, quo laus erit vnicuique ab eo.

EPISTOLA XXXI.

Ad Guenilonem Episcopum.

SVmma veneratione colendo insigni Præsuli Guenuiloni Lupus plurimam salutem. Cùm ad Regem proficiscerer, & præmisissem sciscitari, quid me facere vellet, ipse verò præcepisset, vt festiuitate Beati Martini ad Monasterium eiusdem præclari Confessori ei occurrerem, eum verò vtilitas publica aliò traxisset, missis iterum nuntiis per amicos obtinui eum gratia licentiam recurrendi. Cur autem, sicut constituerat Dominus noster Rex, ad sanctum Martinum non accesserit, hæc, vt nuntij nostri retulerunt, caosa fuit; quòd Britanni sibi præter solitum diffidentes, Regem nostrum in Britanniam versùs euocauerunt, vt pars quæ contra Nomenoium sentiebat, ad eum tutò deficeret. De Pippino, vnde vestra quæsiuit paternitas, nihil certi in Palatio dicebatur. Leuiter tantùm fama jactabat, eos, qui nuper ab eo desciuissent, in concordiam redituros. Quidam verò de Aquitania venientes, Nortmannos inter Burdegalam & Santones eruptionem his diebus fecisse retulerant, & nostros, id est, Christianos, pedestri cum eis prælio congressos, & miserabiliter, nisi quos fuga eripere potuit, peremptos. In quo bello comprehensum Ducem Vasconum Siguinum, & peremptum, etiam iurando testati sunt. Quæ res quàm vera sit, Dominica sententia, *Omne regnum in seipsum diuisum, desolabitur*, indicat; & discordiam amplectentibus qui fructus maneat, manifestat. Bene vos valere cupimus.

***

A

EPISTOLA XXXII.

Ad Hludouicum.

DEsiderantissimo suo Hludouico Abbatum summo Lupus præsentem & futuram salutem. Dici non potest quanto nuper dolore affectus sim, cum in hac Reipublicæ calamitate, feliciter fallax fama disperserit vos quoque inter alios cecidisse. Hunc mœrorem nullus vnquam dies, vt verè fatear, nisi cum vltimo mihi spiritu abstulisset. At veritate comperta, vt par fuit inexplicabili gaudio exultaui; quod is viueret, cum quo, si possem, & esset necesse, iuxta illud Horatianum, *meos diuiderem libenter annos.* Immensas itaque gratias omnipotenti Deo omnium carissime, refero, quod

B

te mihi seruauit; quo seruato, ipse quoque seruatus sum. Præterea Domini Nostri Regis aduersitati condolens, & ereptioni supra modum congaudens, instar illius Euangelicæ viduæ, quæ duo minuta in gazophylacium misit, quidquid muneris consequi potui, per vos offerendum direxi: quod gratum ei, sicut mihi expedire videris quæso dignemini facere. Ideo autem dixi illi me totum quod inuenire voluissem, fideliter misisse; quod propter eius frequens seruitium, quod priùs à præcessoribus meis non exigebatur, & propter Cellæ nostræ subtractionem, & frumenti antè inauditam penuriam, omnia iam exhausta sunt; ita vt emptitio frumento fratres iam mense integro sustententur, eodem tanta prolixitate vsque ad nouas fruges victuri; nec suffecerunt quæ vsque ad communes vsus parata fuerant; sed vrgente ineuitabili necessitate, paucissima vasa, & cetera ornamenta Ecclesiæ nostræ dolentibus omnibus distrahuntur: quæ res quo redundet, & quantum publicam prosperitatem impedire possit, nec ammonita vestra videt prudentia. Proinde vestram supplex imploro pie-

C

tatem, vt Regi meas & fratrum necessitates, imo iam veras miserias aperiatis; suggerentes vt quod suo maximo periculo in beatum Petrum & nos fecit, voti memor quo se hoc anno obligauit, tandem aliquando immutare dignetur; vt & principem Apostolorum in suis rebus dubiis adiutorem, & nos omnes ex corde possit habere intercessores. Neque enim contemnere debet orationes seruorum Domini, cùm de vno quolibet

Iac. 5. iusto dicitur: *Multum valet deprecatio iusti assidua.* & de pluribus Domini cultoribus sacer insonet Psalmus:

Ps. 144. *Voluntatem timentium se faciet, & deprecationem eorum exaudiet.* Nec de nostri instauratione cœnobij tantùm, verùm etiam de totius Ecclesiæ statu sollicitè vobis admonendum est; ne fortè, quod absit, quam integram accepit, scissam nobis flentibus, hostibus autem eius tam occultis quàm manifestis irridentibus, relinquere compellatur. Vtinam ei non contingat quod Deus

Is. 28. suis contemptoribus comminatur: *Sola vexatio intelle-*

D

Heb. 10. *ctum dabit auditui.* Nec experiatur quod ait Apostolus: *Horrendum est incidere in manus Dei viuentis.* In expeditione Aquitanica olim, vt nostis, omnia perdidi. Superiore anno missus in Burgundiam, decem equos amisi. Nunc nos, quam significaui, premit inopia. Cupio etiam, si Deo placet, quod didici, & semper disco, docere. Quas res, (præter vltimam: ea enim velut Reipublicæ inutilis iudicaretur, quæ meo iudicio ceterarum est grauissima) si me euocare voluerit ad Comitatum, Regi, quæso, suggerite, quoniam nisi spoliem aliquod altare, aut fratres importabili affligam inedia, non habeo vnde octo dies in eius possim versari seruitio, donec nouæ fruges optatam referant facultatem. Nisi autem absque periculo possitis, militarium hominum nostrorum uolo vos otium deprecari; quanquam & illis quàm sit necessarium, vltro cognoscitis. Congratulationis chartulam, si vtilem futuram ex morum eius qualitate depreheuderitis, hoc est, vt ea ad bene agendum aliquo modo incitetur, ex paruitatis meæ nomine tradendam curate: sin autem, quid animo contineam, vos nosse suffecerit. De annuis donis, quæ adhuc penes

E

me habeo, quid mihi agendum sit; per meum nuntium remandate. Munusculi similitudinem, quam nimia verecundia, quòd aliud non habui, celsitudini vestræ direxi memores primæ amicitiæ nostræ, quæso ne dignemini aspernari. Exiguitatis meæ benignè memores, bene vos valere cupio, & ad bonorum emolumentum prosperis semper augeri successibus.

EPISTOLA XXXIII.

Exhortatio ad Domnum Regem.

PRæcellentissime Domine, & si dicere audeam, amantissime: Audita nuper status vestri aduersitate, ineffabili dolore distabui. Namque mecum reputabam vestræ nobilitatis indolem quam cupio ætatis maturitate ac sapientiæ grauitate consummari, nimis immaturè

F

nobis ablatam. Id quia irrecuperabile videbatur, quoniam id constanter fallax fama iactaret, totum me cum fratribus, qui mecum Deo seruire satagunt, ad impetrandam salutem animæ vestræ contuleram, cui vehementer timebam quorumdam non satis Deum timentium persuasiones obesse. Verùm quoniam sospitate vestra donati sumus; incredibili gaudio repleti, sincera fide maiestatem vestræ celsitudinis admonemus, vt omnipotenti Deo nobiscum maximas gratias habeatis, & referatis, qui nobis quantum se amare debeatis ostendit cùm, vt pace cunctorum dixerim, humano cessante auxilio, ipse vos potenter & pie seruauit, & quantum de eo præsumere debeatis, manifestare dignatus est. Nolite igitur casu contrario nimium contristari, sed potius Ioan. 15.

credite veridicis verbis eius: *Sine me nihil potestis facere.* Rom. 9.

Et: *Non est volentis, neque currentis, sed miserantis Dei.* Ps. 113.

Et: *Omnia quæcunque voluit Dominus fecit in cœlo, &* Is. 46.

in terra. Et: *Omnis voluntas mea fiet.* Et: *Non salua-* Ps. 32.

tur Rex per multam virtutem. Et: *Non est Domino sal-* 1. Reg. 14.

uare difficile in multitudine, vel in paucis. Et: *Qui*

G

glorificat me, glorificabo eum; qui autem contemnunt 1. Reg. 2.

me, erunt ignobiles. Et spreto carnalium consilio, de quibus dicitur, *Dominus dissipat consilia gentium, re-* Ps. 44.

probat autem cogitationes populorum, & reprobat consilia Principum; consilium autem Domini in æternum manet, acquiescite consilio quod per Prophetam ipse dignatur dare mortalibus: *Iacta cogitatum tuum in Deum*

& ipse te nutriet. Et: *Sperantes in Domino misericor-* Ps. 54.

dia circumdabit. Et: *Cum esses paruulus in oculis tuis* Ps. 31.

caput in tribubus Israel factus es. Et: *Immola Deo* 1. Reg. 15.

sacrificium laudis, & redde Altissimo vota tua. Et in- Ps. 49.

uoca me in die tribulationis: eruam te, & honorificabis me. Præterea memento te quod Salomon ad regendum populum Israel, cui diu in maxima pace præsedit, sapientiam potissimùm postulauit. Nec spernatis etiam eorum hortamenta, qui Deum ignorantes, vtilia non tam sibi quàm nobis viderunt: in quibus inue-

H

nitur, quòd ante quam aliquid incipiamus, prudenter Salust. in Catilina.

quid agendum sit debeamus inquirere; & cum inuenerimus, matura festinatione perficere; & quod diu apparandum sit bellum, vt celeriter vincatur. Hæc breuiter celsitudini vestræ suggessi; vt diuina & humana auctoritate quid vobis agendum sit, indubitanter possetis cognoscere. Det autem ipse Deus vt spiritaliter & corporaliter, quantum cupio, valeatis.

EPISTOLA XXXIV.

Ad Altuuinum Monachum.

VEnerabili Fratri Altuuino Lupus perpetuam salutem. Si tanta facilitate discuti possent à quoquam quanta mouentur quæstiones, olim ad consummatam tam studiosi quique sapientiam euasissent. Nunc litterarũ studiis penè obsoletis, quotus quisque inueniri posit,

de magiſtrorum imperitia, librorum penuria, otij queinopia meritò non querantr? Quo minùs indi- ri mihi debes; ſi per exiguum otij, quod mihi vix ngit, indagandis quæ neſciam, quam ventilandis iam conſecutus ſum, iudicem expendendum. Nec, pinor, erro, ſi quibus diuino fauore viam intelligen- vel apeni, vel planiorem feci, quam præcelletim iendi neceſſitatem indicam; hoc eſt, lectione magi- vel vtens, vel vſus, ſi auditoribus meis aut præſen- s idipſum ſermone, aut abſentibus obſtinato impo- i ſilentio. Obtinuit tamen tua inſtantia, vt quædam s quæ ſtudioſè quæſiſti enuclearem. *Locuples* penul- m genitiui producere ſic apud Priſcianum proba- n libro V. cum de nominibus in *es* productam deſi- ibus diſputaret: *Appellatiua vero*, inquit, *ſi ſint ad ines pertinentia, qua apud Gracos communia vel mo- i, apud nos communia ſunt, vt heres, locuples.* Idem II. penultima tertiæ declinationis quando produci sat, vel corripi, mira diligentia oſtendens: *Produci-* inquit, *in his quorum nominatiuus in longam deſinit, natura, ſeu poſitione, vt ſol ſolis, infans infantis. Ex- untur in on deſinentia Graca; & in o tam Latina quam a, qua aliquando corripiunt, aliquando producunt pe- imam genitiui. Praterea in ms, vel bs, vel ps, vel x ntia, qua penultimam genitiui ſemper corripiunt. Item lar, vas, pes, Ceres, compos, bos, ſus, grus: qua 'ucentia nominatiuos, corripiunt penultimam genitiui.* n igitur producta nominatiuo vel natura vel poſitio- penultimas genitiuorum conſequenter producant, lex exceptis nominibus, quæ longa obſeruantia de- tenſa notauit, quoniam, ipſo teſte, *locuples* in *es* luctam finitur) eodem auctore genitiuo longa pe- ima proferetur: quod poſſem etiam poëtico teſti- io confirmare, niſi apud contentioſos quoſque tan- ri tantum poſſet auctoritas. *Locupleto* autem, quod ultima producta nequaquam dubito proferendum, ut quoniam *robur roboris* corripitur, *robero* eadem ultima correpta pronuntiatur) actiuum eſſe in Ci- me poſſimus confirmare: qua ſignificatione etiam ſalmo poſitum canimus: *Multiplicaſti locupletare.* . Apud memoratum auctorem Priſcianum in iam o VII. libro quid ſentire de pronuntiatione *mulieris* tamus, deprehendi poteſt. In eo enim in *er* corre- naſculina, feminina, neutra & communia inueniri : in *er* autem producta Græca maſculina, & vnum num, & magis nothum, atque in ſequentibus: *Cor- ntia, inquit, nominatiuum, in quibuſdam corripiunt pe- 'mam genitiui, in quibuſdam producunt. Producunt & in el, neutra, & in ar neutra deriuatiua. In or ne deſinentia alia producunt penultimam genitiui, vt or, curſoris; alia corripiunt, vt Hector Hectoris; alia omnia, qua nominatiui terminationem corripiunt, ſi- 'er penultimam genitiui corripiunt. Excipitur inquies, ſimplicis declinationem ſeruauit in compoſita, quam- orripiunt extremitatem nominatiui.* Ergo ſi *mulier* iit in *er* correptam, vnde nulla dubitatio eſt, nec : excepta ab eo eſt, poſitum, ſecundum eum corre- penultima genitiuus eius efferetur. Ad hanc rem randam nullum adhuc poëticum habeo teſtimo- : & quoniam, vt ipſe ait, *nihil ex omni parte per- m in humanis eſt inuentionibus*, ab eo forſitan eſt ignorantia ſed obliuione prætermiſſum. Quare in mutando auctoritatis meæ periculum nolo facere, e aut mea aut amicorum diligentia aliquid hinc, ſi ſolidius, at euidentius valeat inueniri. *Vltiſcor* & *itor* cur dixerit idem auctor inſignis in vtraque ſi- catione accipiendum, ipſe explanat, ſubinferens pro læſo quam contra lædentem accipiendum: vn- : & *vindicta* non ſolum pœna, ſed etiam liberatio piatur. Quamuis & ex Virgilianis verſibus ſenſus in promptu ſit rectè conſiderantibus. In eo enim à poſuit *Vlta virum pœnas inimico à fratre recepi*, pro læſo facit: Læſus enim Sicharbas, ſiue vt dea licentia ponit Virgilius, Sichæus, à Pigmalio- atre Didonis erat, à quo fuerat morte mulctatus.

Maritum autem poſtea Dido vlta eſt; non ei, vtpote qui erat extinctus, pœnam aliquam inferendo; ſed Pygma- lionem, propter quam ſcelus commiſerat, pecunia pri- uando. Itaque ſupplicium de eo qui læſerat, pro eo qui læſus erat ſumpſit. Ita pro læſo idem verbum accipitur: quo ſenſu acciperetur etiam, ſi, metro permittente, di- cere potuiſſet, *vindicaui virum*. Sequens exemplum, quod eſt, *Nunquam omnes hodie moriemur inulti*, con- Vig. l Æneı tra lædentem accipitur. Cùm enim Æneas ſocios ad re- pugnandum Græcis, qui in ſuam poteſtatem vrbem re- degerant, animaret, vſus eſt eo verbo, vt fingit Virgi- lius, quo ſignificauit vindictam & vltionem ſuorum gentilium, qui iam occidiſſent, & ſui ante quàm occi- diſſent, viriliter à lædentibus exigendam illud quod ſe- quitur tangere nolui, donec in Liuio vigilantius indaga- rem. *Propitius* & perſibilum pronuntiari etiam à non parum doctis ſemper audiui, & in antiquiſſimis exem- plaribus nunquam niſi per *t* ſcriptum inueni. *Stupeo*, an conuertat in præterito *u* præſentis in *i*, apud Priſcianum non diſcernitur. In veteribus tamen codicibus indiffe- renter expreſſum inuenies. Patronum noſtrum Epiſco- pum incolumem eſſe vehementer exulto. Probum au- tem non tam aliquid edidiſſe admiror, quam non om- nibus iam ſcribendi materiam abſtuliſſe. Bene vale; & pro me, patreque meo, & matre, & per te, & per ce- teros amicos Dominum exorare, ſi me amas, quæſo ne ceſſes.

E

F

EPISTOLA XXXV.

Ad Ebrardum monachum, propinquum ſuum.

ASſiduis vrges, mi cariſſime, petitionibus, vt antiqui- tatem noſtræ propinquitatis & amicitiæ ſingularis litteris proſequens, ſcribam aliquid quod eſſe tibi poſſit ſi non vſui, ſaltem delectationi. Hoc forſitan digne feciſſem, ſi cum opus poſtulas, materiam præbuiſſes. Ve- rum quia gratum tibi fore dum ſcribam, quidquid illud ſit, polliceris, in exquirenda materia nolui me operoſa torquere diligentia, multò minùs in elegantia ſolerti ver- borum. Quod igitur mihi nihil tale molienti occurrit, extemporaliter explicabo. Reuiuiſcentem in his noſtris regionibus ſapientiam quoſdam ſtudioſiſſime colere per- gratum habeo; ſed hinc haudquaquam mediocriter mo- ueor, quòd quidam noſtrum partem illius apperentes, inſolenter partem repudiant. Omnium autem conſen- ſu nihil in ea eſt, quod iure excipi aut poſſit, aut debeat. Quare apparet nos ipſos nobis eſſe contrarios, dum in- ſipienter ſapientiam conſequi cogitamus. Etenim pleri- que ex ea cultum ſermonis quærimus; & paucos admo- dum reperias, qui ex ea morum probitatem, quod lon- gè conducibilius eſt, proponant addiſcere. Sic linguæ vitia reformidamus, & purgare contendimus; vitæ ve- rò delicta paruipendimus, & augemus. Sed cùm omnis ſapientia à Domino Deo ſit, vt litteræ diuinæ demon- ſtrant; ordine congruo eam appetamus; & proculdubio conſequemur. Id autem nobis ex diuina auctoritate de- promitur: *Fili*, inquit, *concupiſti ſapientiam, ſerua mandata, & Dominus prabet eam tibi.* Eccl Vbi etiam quid ſit ſapientia ſummè ac pulcherrimè definitur? *Timor Do-* Iob *mini*, inquit, *eſt ſapientia, & recedere à malo, intelle- gentia.* Ceterùm de his qui perperam viuunt, & inte- gre loqui concupiſcunt, & corruptos ſermones quam mores aſpernantur, ſic inſtruimur: *Omnis labor homi-* Eccl *nis in ore eius, & anima illius non replebitur.* Quia di- gnum profecto eſt, vt qui primas partes eruditioni tri- buit, non ſanctitati, à refectione ſapientiæ exitiali ieiu- nio excludatur. Quocirca ſi vigilanter poliendo incum- bimus eloquio, multo maximè conſequendæ honeſtati atque iuſtitiæ operam impendamus oportet. Sed cum variæ ſint ſectæ Philoſophorum, ſuo vnaquæque genere perfectæ, quarum nulla alij præiudicat, quo minus cul- tores ſuos in philoſophiæ ſacrarium introducat, & di- ſcordi concordia omnes quodammodo vniantur; palam

est

A est propositorum diuersitarem, qua pacantissimus Dei populus inseparabiliter, vt ita dixerim, separatur, non officere ad bene viuendum, & vario itinere pie venientibus matris Ecclesiæ templum esse apertum, quando vnicuique ordini sua constet perfectio. Quanquam id postremum hoc sit certiùs, quo diuina præstant humanis. Itaque hortor indolem tuę nobilitatis, vti quicunque religionis Christianæ gradus præ ceteris tibi animo sederit; seruata ceterorum reuerentia, in eo cooperante Deo, in dies proficias, & integrum te in eo exhibeas. Quòd si potes ex bono ad meliorem, atque ab imo ad summum euadere; id te niti summa intentione persuadere velim, vt laboriosins auctori militans, ab eo gloriosius coroneris. *Iacta cogitatum tuum in Domino*, vt ab eo nitorimenta perpetuò felicia & feliciter perpetua consequaris. Illúdque ante omnia semper in oculis habeas, quod ipse te fecerit, quod perditum reformatit, quòd tam crebris, tam copiosis tandemque proficuis
B auxerit beneficiis, vt hinc illum laudandi concepta materia dum ei gratias de acceptis habes & refers, muneribus fias ad accipienda maiora dignior, & fretus humilitate, perseuerantiam in bonis actibus) quod est donum inamissibile) sortiaris. Sanè dum his studiis occuparis, honestas artes & ingenio dignas nolim negligéter prætereas; verum postules earum scientiam ab eo qui dat omnibus affluenter, & non improperat; & iuxta mensuram fidei tuæ hauddubiè tribuentur. Valeas carissime & desiderantissime; & longa florens ætate, salutiferis quotidie crescas virtutibus; meique semper benignè memineris.

EPISTOLA XXXVI.

Ad Altuinum.

C SI subitaneam nobis tuam attulisses præsentiam, infertilis profectò laboris retulisses dispendium. Namque ita me variis & ineuitabilibus inuolutum offendisses negotiis, vt vix intra multos dies vna hora vacuas tibi aures præbere potuissem. Quin etiam Abbatis absentia intentioni tuæ plurimum detogasset. Itaque quòd & ego, quemadmodum supra expressi, sum occupatus, & Abbas vix Autumno reuersurus creditur; si tibi ad nos veniendum existimas opportunitatis vides expectandum commercium. Ceterum germanum tuum, vt supplicasti, orationibus, quod potero, iuuare contendam.

EPISTOLA XXXVII.

Ad Heriboldum Episcopum.

SVspectæ mihi amplitudinis vestræ nuper missæ fuerunt litteræ, idcirco temperandum responsione pu-
D taui, quoad rei veritatem rescirem. Nunc quoniam communis frater & earundem litterarum fidem, & vestri status patefecit veritatem; bonæ valetudinis vobis recuperationem quam celerrimam exoptans breuiter litteris respondeo. Si naturæ memores, quæ nos arctissimo necessitudinis vinculo nexuit, pristinique amoris vnicè singularitérque deuinxit (quorum vnum est euentus, alterum iudicij) sinceram mihi beneuolentiam exhibendam decreuistis, immo quia decreuistis, locorum interstitia, quæ mihi questi estis, detrimento esse non poterunt. Siquidem & frequenter inuicem videre nobis facultas est, & si quis casus impedierit, litterale nobis haudquaquam deest commercium, quo vicissim intentiones nostras) si vestra eo vsque se summittit sublimitas) familiariter possumus reuelare. Ceterum codicem annotationum Beati Hieronymi in Prophetas needum à me lectum, vobis morem gerens, dirigo; quem vestra diligentia citò aut exscribendum, aut legendum procuret, nobisque restitui iubeat. Vnde

E vos monendum iudicaui; ne forte vobis in multis assiduisque occupatis negotiis, nihil vobis collatura nobis earundem rerum obesset dilatio. Atque vtinam altissimum diuinumque vestrum ingenium, quantum posset fieri, à communibus aduersum negotiis, ad indaganda humanæ vel diuinæ sapientiæ transferretur secreta. Profectò vestra nobilitas, officiíque clarissimus gradus dignum sua amplitudine cepisset emolumentum. Quod nolim eò dictum à me accipiatis, vt me in hac parte perfectum iactantet existimem, aut vobis in aliquo prorsus conferendum, nedum præferendum, opiner. Sed sicut vos conuenientibus cumulatus congratulor honoribus, ita etiam ingeniis, maximè quæ excellent artibus, ornatos nosse desidero. Caius Iulius Cæsar historiographus Romanorum nullus est. Commentarij belli Gallici, quorum ad vos manauit opinio, tantum extant, nec quantum ad historiam, quod compertum habeam, quicquam aliud. Nam ceterarum eius rerum gestarum,
F postquam idem Iulius totius pene orbis causatum molibus est oppressus, Hirtius eius notarius in commentarios seriem referendam suscepit. Eiusdem itaque Iulij Commentarios vt primum habere potuero, vobis dirigendos curabo. Cupio vos valere feliciter.

EPISTOLA XXXVIII.

Ad Regem Karolum.

EXcellentissimo Domino, iudicioque sapientiom multis & maximis regnis dignissimo, summa veneratione nominando inclyto Regi Karolo, deuotissimus per omnia Lupus. Licet ineuitabilis necessitas me ad tempus vestris aspectibus subtrahat; sic tamen animus meus vobis agglutinatus est, vt vos & vestra semper in oculis habeam, & vt absque adulationis fuco verum vobis confitear, vix comprehensibili amore complectar. Nam cur ab omnibus bonis debeatis amari, facilè in vobis eminet. Vnde quantum capio, quantum sufficio, quantum intelligo, vobis fidelis sum. Ceterum
G præsentes meas necessitates per venerabilem Hludouicum, qui vobis non minus quam decet fidus est: maiestati vestræ notas facere studui: quibus peto, secundum datam vobis diuinitus prudentiam, cui omnes congratulamur, pie consulatis, vt Dei vestrique seruitij talia nunc valeam in primordio ponere fundamenta, quæ futuri obsequij deuotis molitionibus, opitulante eiusdem Dei gratia & vestro fauore respondeant. Me autem noueritis, quotiescumque possum, Dei clementiam intentis precibus implorare, vt concedat nobis prolixam sospitatem, incruentam victoriam, perpetuam pacem, vitiorum odium, possessionem virtutum; sicque vos faciat regnare in terris, vt regnum non amittatis in cœlis.

EPISTOLA XXXIX.

H *Ad Ebroinum Episcopum.*

CLarissimo Ebroino Lupus perpetuam salutem. Causas meas Hludouico nostro significaui; quas his litteris repetere superfluum duxi, cum eas quæ illi redditæ sunt vos lecturos & velim & sciam. Tantum postulo, vt in omnibus ita mihi adesse dignemini, sicut me confidere illis etiam litteris cognoscetis. Misi vobis eburneum pectinem; quem quæso, vt in vestro retineatis vsu, quo inter pectendum arctior vobis mei memoria imprimatur. Bene vos valere cupio.

EPISTOLA XL.

Ad Rhabanum Præceptorem suum.

Reuerentissimo Patri eximióque Præceptori Rhabano Lupus salutem. Rebus non potui hactenus gratias vobis agere: tamen quantas affectu habuerim, occultorum cognitor semper inspexit. Deinceps autem, si idem Deus vitam vestram produxerit, optatamque pacem reformauerit, non erit impossibile quid animo geram factis ostendere. Namque consensu fratrum nostrorum 10. Kal. Decembr. Cœnobium Ferrariense mihi commissum est; Dominúsque Noster Karolus mira me dignatione fouens, gratia sua donauit. Vestra igitur beneuolentia me, vnáque congregationem mihi creditam, sacris orationibus; quæso, commendare dignetur; vt sicut studia mea plurimum eruditione adiuuistis, sic officij difficultatem assiduis precibus temperetis. Ceterùm audiui sarcinam administrationis vestræ vos deposuisse, & rebus diuinis solummodo nunc esse intentos, Hattoni verò nostro curam sudoris plenam reliquisse: cuius rei ordinem simúlque alia quæcunque videbuntur, beatitudinis vestræ litteris expectabo cognoscere. Opto vos bene valere, meíque perpetuò dignanter meminisse.

EPISTOLA XLI.

Ad Immonem.

Sanctitatis merito sincere suspiciendo venerabili Immoni Lupus æternam salutem. Epistolam vestram me quàm molliter mulcentem, amicitiæque memoriam suauiter refricantem, vt par fuit, summa delectatione perlegi; eique sensa menti penitùs illapsa, diligenti memoriæ commendaui. Nam si verè, vt scripsistis, me inter carissimos numeratis, erit fortitan veniabile quòd peregrinationis molestia, præsertim tot quot inueniri facilè potuerant neglectis opportunitatibus, epistolari solatio me leuare spreuistis: quamquam tanti contemptus dolorem vehementer exulceret non actum quod sæpe inter nos constitit, vt quotiescunque nancisci possetis occasionem, quæ cognoscenda mihi essent, vos potissimùm panderetis. Verùm hæc aliàs. Ceterùm propitio Domino Deo nostro sospes regressus sum; prætérque Domini ac nutritoris mei Aldrici, quantum ad me attinet, plenum infortunij obitum, & quorundam aliorum amicorum, non est quod mihi extrinsecus accidisse admodum triste crediderim. Cur autem vobis significari petieritis quos libros in Germania vel scripserim vel legerim, demiratus sum, nec satis causam comprehendere potui; nisi fortè ioci experimentum argutè capere voluistis, propositis duabus rebus; quarum altera, si cessissem, videri poterat ostentationis, altera imprudentiæ puerilis. Itaque simpliciter vobis aperio, principem operam me illic destinasse lectioni, & ad obliuionis remedium, & eruditionis augmentum, libros pauculos parauisse, nec Germanicæ linguæ captum amore, vt ineptissimè quidam iactauerunt, sarcinam subiisse tanti tamque diuturni laboris. Quòd autem studio humilitatis me iouigilare diuinis auctoritatibus monuistis, pergratum habeo; & velim credatis me hactenus id agere, vt quòd Deus me fecit, quódque suis beneficiis donauit, totum eius gratiæ assignem, & vt ea in me conseruans amplificet, summissis precibus flagitem: siquidem ad ea quæ proposuistis, illud etiam Euangelicum adiicio: *Habete sal in vobis, & pacem habete inter vos:* & quod secretorum cœlestium conscius docet Paulus: *Quid habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis;* Nec illud me fugit, quanquam omnino me magnum non sentiam: *Quanto magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam.* Atque tam multa, tam fortia, tandémque salubria hinc teneo documenta, vt ne somniare quidem possim diuinorum beneficiorum mihi aliquid arrogandum. Sed planè qui aliqua diuina emicet gratia, non potest effugere varias diuersorum opiniones, quandoquidem de Saluatore nostro, in quem nulla prorsùs reprehensionis cadit suspicio, alij dicebant, *Quia bonus est, alij autem, Non, sed seducit* Ioan
turbas. Quare sapienti firmissimum erit illic ac singulare suffugium: *Si oculus tuus simplex fuerit, totum cor-* Mat
pus tuum lucidum erit. Benignè mei memores cupio vos Luc
bene valere.

EPISTOLA XLII.

Ad Hincmarum Episcopum.

Non sum nescius, cùm tantis diuinæ gratiæ muneribus abunderis, vltro vos cogitare apud Principem iuuandi bonos facultatem diuinitus accepisse; vt quod in se non habent, in vobis possideant, & remunerandæ vestræ industriæ materiam præbeant. Proinde familiaritatis fiducia moneo, vt dum tempus habetis, vsuram talenti multiplicare curetis; vt instar Solis, beniuolentiæ vestræ splendor cunctos irradiet, nec quemquam excipiat, nisi qui superba cæcitate lucem iustitiæ aspernatur. Nobilitatem vestræ generositatis ornat eruditio salutaris, altitudinem officij commendat religio professionis. Hæc vestræ celsitudini non arrogantiæ vitio, sed amicitiæ studio scripsi; vt quoniam in vobis & nobilitas & sapientia conuenerunt, quantum hæc societas valeat, etiam nolentibus emineat, qui ipsa quoque lumina Ecclesiæ obscurare contendunt. Loci nostri iactura vobis nota est; vt scilicet Rex Cellam nobis nulla mea culpa subtraxerit, quam pater eius etiam edicto contulerat; quòd comperisset monachicam religionem apud nos durare non posse, nisi facultatum fulciretur agmento. Itaque ad tantam inopiam deuoluti sumus, vt hoc anno vix duorum mensium frumenti sustentaculum habeamus; famuli, quorum seruitio carere non possumus; penè nudi sunt; nec quid his faciamus, habemus. Pleríque fratrum nuditatem attritis atque scissis vestimentis vitare coguntur, hospitalitatem paupertate compellimur imminuere; & hoc turbulento Reip. tempore, his expensis quæ maiores nostri congregauerunt, à Rege clementiam, à communi Domino patientiam flagitamus. Itaque tædio necessitatum afflictus, vacationem officij, ad quod à fratribus electus sum, subinde cogito. Verùm ab ea, & secularium perniciosa voracitate, & impatientiæ crimine, si in tanta perturbatione eosdem fratres relinquam, deducor. Cùm enim pro viribus, immo vltra vires, Regi seruierim, & pro eo semper instanter orem, non solùm vt aliquid mediocritati nostri cœnobij conferret non metui, verùm etiam hanc notam incurri, vt partem eius optimam seculari homini traderet, non regendam, sed euertendam. Fecerit hoc mea vilitas. Cur tantorum virorum, qui mecum Deo seruiunt, est contempta sanctitas? Vestro admonitu nosse debet, esse inter nos aliquos de quibus meritò Scriptura testetur: *Voluntatem timentium se faciet, & deprecationem eorum* Ps
exaudiet. & : *Qui tangit vos, quasi qui tangit pupil-* Za
lam oculi mei. Quid ei secularis illius excellentia contulit? Nunquid illi postea gentem aliquam barbaram subiugauit, aut hoc sibi dissidens regnum composuit? At si votum, quo, vobis, credo, suggerentibus, in Ecclesia Beati Dionysij se obligauit, ex integro, absque respectu vllius personæ, Deo persoluisset, immo primò consiliis quæ in Verno quæsita & inuenta sunt adquieuisset, iam eum in pace regnare fecisset ille, de quo sacræ continent litteræ: *Non est sapientia, non est prudentia,* Pr
non est consilium contra Dominum. Canones eosdem, sicut, vt vos vocatis, Capitula meo stilo tunc cōprehensa vobis direxi: de quorū æquitate, credo, ætas posterior iudicabit, & deuotionis meæ non erit immemor cordium tenúm-

que

A que scrutator. Vos autem interim mihi, quæso, & quibuscunque similia patientibus, Mardochæi constantiam Hester pietatem impendite, vt hostes famulorum Dei vestra diligentia, immo diuina virtute, non vt temporе cuius mentionem facio, ad suam perniciem, sed ad perpetuam salutem vincantur & opprimantur. Bene vos vos valere optamus.

EPISTOLA XLIII.

Ad Ludouicum Abbatem.

PRæcelentissimo Abbati Hludouico Lupus æternam salutem. Debita dona, quæ per vos iussit direxi; quæ vt ei grata fiant, vestra beniuolentia non aspernabitur procurare. Quia verò Odulphum cum Regina ad Regem venturum audiui, supplico, vt memores
B nostri esse dignemini, scilicet vt Cellam nostram, in qua præter solum nihil penè aliud iam relictum est, tandem aliquando recipiam; quia eam nulla culpa mea perdidi, nec eas facultates noster habet locus, vt sine præfata Cella in eo durare possit religio. Namque inde cera, Ecclesiæ, fratribus & famulis vestimenta, pisces, caseus, & legumina ministrabantur; quibus omnibus, vtinam non ad duplum detrimentum Domini Nostri, gementes careremus. Admonete igitur eum sui periculi, vt & sibi & nobis aliisque similiter à se afflictis consulat; nec timeat Deum nostra consolatione placare, quem non timuit acerba oppressione offendere. Siquidem generalis religiosorum assertio est, præter vindictam vltimam quæ impendeat, nunquam eum felicitatis optatæ prosperitatem adepturum, donec redintegret Ecclesiam, quam diuisit, & grauibus ac maturis bonorum, hoc est, Deum timentium consiliis adquiescat. Bene vos valere cupio.

C

EPISTOLA XLIV.

Ad Hincmarum.

SVmma veneratione suspiciendo Hincmaro Antistiti. Lupus omnimodam salutem. Effectum petitionis meæ nuper à Rege vestra digressio impediuit; quam vrgente necessitate his litteris refrico, vt mea saltem importunitate, quæ ipsum quoque ingenuum pudorem excludit, vos ad subueniendum mihi & aliis eadem patientibus impellam. Neque enim congregandi auri, argentique, ac aliarum pretiosarum specierum sublatam nobis dolemus materiam, sed vnde vitam mediocriter sustentabamus, hoc est vnde vestimenta & alimentorum consequebamur omni tempore adiumenta. Cogimur itaque attrita & resarta ferre vestimenta, & famem penè semper solis oleribus & empritiis leguminibus temperare. Hinc queruntur infirmi: apud nos con-
D sueta requirunt, nec inueniunt, hospites præsentia tempora infamantur, & Deus ad vindictam sine dubio prouocatur. Verùm quia, sicut priori Epistola non adulatoriè, sed serio comprehendi, totius Ecclesiæ causa vos dignitate ornatos, & familiaritate Principis donatos credimus, idque rebus cupimus approbari; dum adesse Odulphus dicitur, elaborare digne emini, vt se Rex tanto peccato exuat, & nos tam ingenti penuria liberet; ne non tam enim nostra oratio subleuet, quàm afflictio importabilis deprimat. Siquidem vestra suggestione instinctus, magnam potest habere opportunitatem, vt quod perperam fecit immutet; scilicet si secularibus, quibus res Ecclesiasticas impertitus est, enumeret quæ seipsum & illos post consecuta sint incommoda, & iratum Deum non nisi sua ei restituant, esse placandum, nec aliter eos virtutem & consilium recepturos, nisi ex corde ad ipsum Deum reuersi, rapinis abstineant, & suæ imbecillitatis conscij, eius omnipotentiæ se summittant. Quod nisi facere Dominus Noster Rex accelerauerit, & trepidauerit vbi non est timor; vltra quam dici potest formido, ne citissimè suis inimicis gaudium pariat exoptatum, nobis autem viuicè se amantibus opprobrium derelinquat. Bene vos valere cupio, & in dies ad meliora proficere. Imitatus veteres eruditionis artificio, etiam nunc nostra recuperare molitus essem; nisi hoc frustra tentans experimento proprio comperissem, etiamsi Virgilius reuiuisceret, & totas tripertiti operis vires mouendis quorundam cordibus expenderet, ne lectionem quidem præsentium adepturum.

EPISTOLA XLV.

Ad domnum Regem Karolum.

OMnipotentis Dei, quæso recordamini, qui gratis dedit vobis vitam, nobilitatem, pulchritudinem, potentiam, laudabilémque prudentiam, & quod his maius est, omnibus, sui cognitionem. Et honorate eum in seruis eius; quia ipsi vtpote habenti omnia, confer- F
re nihil potestis. Polliceri dignatur ille, *Beati misericordes quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Estote nobis Math. 5.
nimium indigentibus misericordes, vt pro nobis beatitudinem, misericordiam ipse vobis restituat. Plus minúsve quadriennium est, ex quo septuaginta duo monachi, quos ad eorum votum electionémque mihi commisistis, quique indesinenter, nobis in diuersa occupatis, pro salute ac prosperitate vestra excubant, propter abstractas facultates patiuntur incredibilem vestimentorum, leguminum, ac piscium indigentiam; & publica hospitalitas, peregrinis iuxta constitutionem priorum Regum exhibenda, intermissa est, famuli monasterij squalore torquentur & frigore. Nec possum subuenire miseris: quoniam ab aliis multitudo collecta mihi relicta est, & copia vnde sustentabantur ablata. Siquidem intercedente gloriosa matre vestra serenissimus pa- G
ter vester Hludouicus Augustus ad remedium animæ suæ ac salutem posteritatis, supplementum hoc cœnobio nostro contulerat. Nec tamen, cum id haberemus, noxia diffluebamus abundantia, vt in delitias intemperanter solueremur; quia quæ Regula concedit, integris facultatibus monasterij vix poterant procurari. Nunc autem longe pauciora consecuti, abstinemus inuiti, algemus coacti: pueros, senes, atque infirmos propter inopiam non fouemus. In tanta calamitate, patri & matri vestræ cottidianas preces & annuum officium persoluimus, quasi quod illi contulerunt possideamus. Fecerunt enim illi totum quod potuerunt, & donum suum robustissimè firmauerunt. Tangat itaque vos affectus eorum per quos esse cœpistis. Instaurate illorum eleemosynam, ingenti periculo hactenus intermissam. Nec obliuiscamini vestri. Etenim vos iam eleemosyna indigetis. Tempus est vt Dei timor atque amor vestram compungat mentem, quia iam peruenit corpus ad virilem ætatem. Ne differatis, quæso, vlterius bonum, H
quod vos velle dicitis: quoniam cum nesciatis quid superuentura pariat dies, tamen quia nobiscum cottidie ad eius iudicium tenditis, cui verissimè dicitur, *Tu reddes vnicuique secundum opera sua*, dubitare nequaquam Matt. 16.
potestis. *Horribile est autem incidere in manus Dei viuentis.* Nec vero dicere dignemini vos non posse. Si- Rom. 2. Heb. 10.
quidem, vt ait Apostolus, *Deus non irridetur.* Scit Gal. 6.
ille quantum potestatis contulit, qui non nisi quod iustum est exigit, ne trepidetis timore, vbi non est timor. Audete potius benefacere; si in hac vita prospere, & in futura feliciter desideratis regnare. Cur enim non constanter audeatis immutare quod nullus iustum esse possit ostendere? Consensu bonorum omnium iustum est quod poscimus, possibile regali potentiæ, necessarium nobis, vtile non tam nobis quàm vobis. Nos enim ex hoc beneficio temporalem consequemur vsum; vos autem accedentibus aliis bonis, præmium sempiternum. Flectat igitur pietatem vestram iustissimæ supplicationes

humillimæ

humillimæ preces, quas maxima extorquet egeſtas. Et vel nunc perficere dignamini quod tunc firmiſſime conceſſiſtis; cum vobis Dauidicum illud ſeruandum propoſui: *Fixum eſt quod locutus ſum.* Namque nec aliter decet veſtram nobilitatem atque probitatem; quæ omnibus imitabilis eſſe debet; nec verò aliter conuenit veſtræ ſaluti, atque Reipublicæ paci. Nos autem nec in debito famulatu reddendo inueniemur ſegnes, & in placanda vobis, quantum poterimus, diuinitate curabimus eſſe feruentes.

EPISTOLA XLVI.

Cuidam Neceſſario.

IVſta copioſáque ſuppetente materia, ne dubiteris tu, & quos fideles iudicaſti, perfidi commenta ſubuertere; qui impudentia ſingulari & beneficiis meis, vt in monaſterio noſtro ſubſiſteus, vtitur & lacerare non deſinit à quo fouetur; atque opertus ignominia, & teſerrus inuidia, vnde ſe non valet expedire, me conatur propellere. Et quia fugit eum optata victoria, mirabili amentia ferere infamiam delectatur; illi ſimilis, qui quod ſe nequaquam recuperaturum cognoſcit, amoliri ab aliis non quieſcit. Cur autem eum non conſtantiſſimè inuictis & inſolubilibus argumentis opprimatis, quem iuxta fidem diuini oraculi anima Dei deteſtetur, quòd humana diuináque iura permiſcens, ſeminet inter eos diſcordias, quos vel natura protulit, vel religio fratres fecit? Tu vero nullis omnino maleficiis à loco noſtro auellaris: quod ope diuina nec illud continget quod formidas, & eueniet cito quod optas; conſequenterque ſecuri ſtudebimus, Ita mihi iam explorata ſunt omnia. Demoſthenes noſter ipſo interdum caule indiget, & cibario nonnunquam pane altus fert modice: deſperatione quoque vini ad hoc perductus eſt, vt venali ceruiſia delectetur; & vel in hoc Tullium ſuperat, cùm quòd ille dormiens, id iſte vigilans patitur. Ita nec lateribus robur comparatur, nec vocis conſeruandæ cura laborat. Rhetoricæ magis actionis immemor, retinendæ vitæ facultate contentus eſt. Verùm enimuero auctor bonorum omnium noſtram & veſtram inopiam larga, vt credimus, opulentia abolebit.

EPISTOLA XLVII.

Eidem.

NOn eſt quicquam quod metuas. Nam & domeſtici & extrarij hoſtes, tametſi plurimum ſibi, nihil mihi obeſunt; quod protegere meam paruitatem dignabitur, qui me ſibi iuſſit & dedit confidere. Proinde irridenda omnis illorum molitio eſt, qui vel implacabili cruciantur inuidia, vel inexhauſta cupiditate torquentur.

EPISTOLA XLVIII.

Sar.

COntentionis obſtinatione poſita, & ſuperandi peruicacia, æquus æſtimator neceſſitatum, vide vt affluens annonæ copia, quam tibi commiſi, proſit vtilitatibus noſtris. Namque ſationi, & animalium pabulo, & cuius ingentem te habere curam deſidero, iuſtæ hoſpitalitati adhibita diligentia, non dubito ſuperfuturum quod præſtare non mediocre commodum poſſit.

***

EPISTOLA XLIX.

Ad Hincmarum Epiſcopum.

SVſpiciendo H. Antiſti Lupus omnimodam ſalutem. Anguſtiam noſtram, quam temporis cùm prolixitas tum etiam aſperitas peperit, nuntius à me directus vobis expoſuit, nec aliud in paternitate veſtra, quam quod de ea præſumebam, inuenit. Sanè priores certauimus officio; nec tantum popoſcimus quantum præſtitimus, ſcilicet implendæ materiam caritatis. Itaque nobis omnium, quorum indiget vſus penuria iamdiu laborantibus, magna properantia ſubuenite, vt promiſſionum beneuolentiam optatus largitatis conſequatur effectus. Hoſpitamur autem in villa, quæ antiphraſticos Viniacus vocatur, & ab Attiniaco in Africum plus minúſve vno milliario diſtat. Hoc ideo vt etiam de vectura cogitet veſtra inſignis prudentia, quod huius quoque rei nulla nobis facultas eſt. Quo, & quanto, & quando nos viſitaturi ſitis, litteris per hunc latorem viciſſim redditis pandere dignamini; vt interim & ſpe refici, & quid nobis agendum ſit, valeamus proſpicere.

EPISTOLA L.

Cuidam fido.

NOn ignoras prolixi temporis laborem, quem recuperandæ Cellæ ſtudio aſſumpſi; quo adhuc flagrás, iuſſu Regis vita comite, ad colloquium proficiſcar, quod Reges ad Traiectum habituri ſunt. Pecunia nobis iam nulla eſt, quæ tanto ſpatio vix potuit ſufficere. Proindè quia non videbatur conſilium imperfectos conatus relinquere, donec euidenter appareat qui eos conſequatur effectus, non vſquequaque inhoneſtum credidi opem ab amicis petere, quorum fides mihi non fluxa in ſimilibus inuenta eſt. Itaque maxima ſpe ad Dominicam Rh. direxi; cui cum noſtro nuntio, aut ſi commodius iudicaueris, ſeparatim, huius meæ neceſſitatis volo cauſam aperias, eamque quam molliſsimis precibus flectas, vt ſicut ſemper, nunc mihi ſubueniat, & continuo per hunc meum nuntium argento, quo in hoc vtar itinere, iuuet me liberaliter; vt & in cœnobij noſtri, pro quo ſatagimus, inſtauratione particeps exiſtat, & me ſibi deuotiorem, ſi id fieri poſsit, efficiat. Si quid etiam ab aliquo tibi datum habes, mihi mittere ingenti neceſsitate arctato ne graueris: quoniam nihil tam pretioſum, aut paruum dirigere poteris, quod non patiamur pro victu expendere.

EPISTOLA LI.

Fratribus Ferrarienſibus.

DIlectis fratribus. Quod gaudium capiam de R. ſi
fortè veſtrûm aliquis ambigit, reperat illud me- 1. Cor. 6.
moria quod auctoritas diuina neque rapaces regnum Dei poſſeſſuros affirmat, & vltra dubius eſſe non poterit. Præceptor verò eius, ne ſe inſolubile argumentum reperiſſe glorietur, accipiat omnium villarum noſtrarum meum, meum inquam eſſe regimen & laborem, vſum verò fructuum ipſum etiam ſecundùm meam diſpoſitionem fratrum eſſe communem. Ita nec ſecularem religio minuit poteſtatem, nec poteſtas confundit religionem. Interim proſpicite noſtris equis, ne à magiſtro aut à diſcipulo ſubtrahantur; & abſque vllo in hac parte meo reſpectu, quicquid ſecundùm leges valetis, contra violentiam peruaſoris agere contendite; induſtriam veſtram hoc mihi gratiorem ſcientes futuram, quo maior & illuſtrior enituerit, mihi potiora molienti, quod opportunitas hinc, immo Deus permiſerit, curæ

erit

A erit perficere. Ego, quoniam cum Regead Traiectum, Deo volente, iturus sum, quò ei ad colloquium fratres occurrent, & recipiendæ Cellæ bona mihi spes est, nec possum adesse vobis, vt vnusquisque vestrum agat mecum quod solet & debet, sicut superiore anno conuenit nobis, qui potest agere studeat; quousque rediens, si aliquid sit immutandum, cognoscam. Satio studiosissimè procuretur: & quod nostri boues post solemne debitum non suffecerint, frequentes impleant corrogationes. Bene vos valere cupio, & diligentissimè orate pro nobis.

EPISTOLA LII.

Præposito.

B E. Noster probabilia fecit quæcunque abs te gerentur; quod mihi cordi fuit: moneóque te, vt sicut cœpisti, in officio sincera fide permaneas. Furiosum illum, super quo scripsisti, quia etiam pœnitens suspectus mihi est, & germana sanctitate vsque ad fastidium satiamur, vehementer me recusaturum cognosce: ac si se ingesserit, ne tridui moras excedat, ceteris persuade: quia quod toleremus, non opus est nobis extrinsecus quærere.

EPISTOLA LIII.

Ad domnum regem Karolum.

PRæcellentissime Rex. Licèt tacendo, loquendo, ac scribendo, nihil hactenus profecerim; tamen quia Dei causa est quam ago, quiescere non audeo. Pro vestra salute ac prosperitate vos admoneo & supplex flagito, vt vosmetipsos liberetis periculo, méque deuotissimum vobis famulum, secundùm frequentes vestras promissiones, asperrimo subleuetis labore. C Quæ beatæ memoriæ pater vester, intercedente gloriosa matre, peregrinis & Dei seruis largiti sunt ob redemptionem animarum suarum, hæc afflicti variis necessitatibus, quatuor annorum spatio, quia omnes adesse non possunt, per me reposcunt à vobis. Vt ipsa etiam eorum verba sciatis; dicunt iniustum esse, vt à vobis fame torqueantur, & frigore, cùm assiduè pro vestra temporali & perpetua salute cogantur orare, nec vos omnino consecuturos felicitatem, quam desideretis, donec cum paruulo nostro sancto Petro in gratiam amicitiæ redeatis. Ac ne putetis eos iocari, seriò confirmant senes nostri, experimento se proprio comperisse, idque sibi pueris à senibus esse traditum, quòd quicunque monasterio nostro insigne aliquod intulerit damnum, nisi citò resipuerit, magnum incurrerit incommodum, aut sanitatis & vitæ pertulerit dispendium. Ne igitur tali re aut similibus vestram impediatis prosperitatem; nec seruorum Dei D penuriam contemnatis, nec salutem vestram dubiam faciatis. Reddite potiùs Deo vota vestra, dum potestis; ad cuius iudicium nimis tremendum cottidie properatis nobiscum, in quo absque respectu dignitatum, aut personarum, vnusquisque recipiet quod meretur. Vita hæc breuis, & incerta est, & iuniores vobis cottidie moriuntur. Ipse verò Deus promittit, & minatur: *Qui glorificat me,*
1.Reg. 2. *glorificabo eum; qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.* Ad virilem ætatem perducti estis. Ne timeatis iustitiam facere, vt per eam thronus vester firmetur. Domine mi Rex, considera, quòd sicut nuper in Exhortatione prudenter dictum est, iam pater es, & in magnis adhuc versatis laboribus; & talem te omnibus exhibe, vt boni te cupiant & optent videre fortunatum atque felicem annum, & post huius vitæ transitum, cœlestis patriæ possessorem.

EPISTOLA LIV.

Necessario.

E NOn ignorabam haud aliter te quàm volebam, quámque oportebat, facturum, & maleficia illius perditissimi maxima ingenti auctoritate præuenturum. Vnde & tibi gratulor, & omnipotenti Deo si non dignas, certè quantas possum, & ago & habeo gratias; qui sic me necessariis aliqua in parte destituit, vt tamen hoc dispendium fidissimi deuotione suppleret. Nec verò ille impudenter inimicus solùm cauendus & eludendus est, verùm & hi, quos nuper dubitando præfeci, tua semper industria confirmandi, vt dicto audientes existere contendant, nec sibi vllatenus teniti tutum arbitrentur. Vultus noster, cùm redierit, forsitan tibi metum detrahet, interim sine pauere ingratos. F

EPISTOLA LV.

Ad Marcuuardum Abbatem.

DEsiderabili maximáque veneratione suspiciendo Marcuuardo Abbati clarissimo Lupus præsentem & futuram salutem. Nithardi aduentus ad Siluacum, quò me monasterij necessitas traxerat, vehementer me lætificauit (cuius præsentia factum est, vt hæ litteræ vestræ paternitati redderentur) cùm vos esse sospites, & communem filium Eigileth ex validissima infirmitate, opitulante fauore diuino, reualuisse ostendit. Tantam siquidem expertus sum vestram beniuolentiam & liberalitatem, vt nemini, quàm vobis, me maiorem debere sentiam deuotionem. Verùm quanquam temporis malitia obstiterit, ne possem hactenus obsequiis pandere quod meritò concupiscn, bonitate vestra præsisus, audeo supplicare, ne ad Regem nostrum venire grauemini: quia & res vestras forsitan recuperare poteritis, & nobis in recipienda G Cella sancti Iudoci prodesse plurimum; super qua & vobis iam & mihi sæpissime, & Ludouico nuperrime tam seriò promisit, vt si adesse dignemini, dilationis nullum posit inuenire perfugium. Ita & rei discrimine terrebitur, quòd & peregrinis nobisque monachis à suo patre & matre relicta stipendia sustulit; & promissionum suarum serie constringetur, vt saltem tunc faciat quod olim se facturum spopondit. Pridie Kalendarum Decembrium, ad Comitatum accessi; & ingentibus dispendiis atque laboribus cum Rege versor assiduè spes meas differente, propter absentiam, vt fatetur, Odulsi. Is languere dicitur, nec tam periculosè vt vel admonitus corrigatur, quod optaremus; nec tam grauiter vt moriatur, quod propter eius certissimam damnationem doleremus. Properare itaque, vt quoniam propiores aliquantulum facti sumus, post tanta spa- H tia desideratis refoueat alloquiis, & vestro annisu, auctore diuina gratia, liberer angoribus vix ferendis. Tales, quæso, nostris estote pueris, quales non modò nostris, verùm etiam vulgò fuistis omnibus paternitatem vestram piè quærentibus. Exiguitatis meæ nomine carissimum Eigilem & reliquos omnes fratres dignamini salutare. Laboriosissimum difficillimo tempore negotium, præsertim nihil meritus, vobis imponere haudquaquam præsumpsissem, nisi quòd Rex noster vos ad colloquium inuitaret competissem; adeo vt mihi quoque hoc tempore præceperit, vt si fortè ad monasterium nostrum accederetis, ad se vos deducendos curarem; vtque licentiam imperraturi, inter alia commodè Imperatori suggerere posseris, à me fratribúsque nostris, qui pro eo semper oremus, vos precibus fatigari; vt quoniam de loco nostro sitis, a quo vos corpore duntaxat Ecclesiastica vtilitas abduxerit, ísque diminutione facultatum vehementer attenuetur, atque

religioni

gioni paupertas impedimento ſit, intercesſionis opem autationi eius impenſiſſimo ſtudio conferatis. Vale mine paterque cariſſime, Lupique tui ſemper benignè mineris.

EPISTOLA LVI.

Ratberto Abbati.

Onis omnibus amplectendo Ratberto Lupus in Domino ſalutem. Habita diligenter opportunitatis ione, ſuggeſſi Domino Regi, annitente Vulfegiſo ſtro ſuper Iuone id vos poſtulare, vt quoniam nec monaſterium remeaſſet, & veriſimile eſſet eum quæ rit ſolitus iterare, ſi quando reuerti tentaret, ne in aliorumque perniciem poteſtatis eius præſidio muni- . Siquidem eſſet indignum eius maieſtate, niſi reſi- centibus, peruerſis aperire acceſſum nedum impuni- :is indulgere ſecuritatem. Ille, quo ſolet vultu cum atioſus apparet, poſt quædam alia, iure ſe ipſi monao deinceps negaturum auctoritatis aditum reſpondit, o hactenus, vti contempſerit, atque hoc ſibi ſatius deri, ne pereat, vt conſtringatur conuenienti cuſtodia, juſquam ſocietatis communionem recuperet. Nos ro, tametſi offerret quæ ſperare vix omnino poſſe- us, idque, vt par erat, amplecteremur, vos nec citra cretum Regulæ ſubſiſtere, nec vltra velle progredi nſtanter aſtruximus. De liberalitate veſtra quid ſen- am, nolui præcipiti declarare præconio, donec expeter an copia piſcium, quæ ventura erat cùm maxima, m etiam, vt opinabat, optima mei ſupergrederetur in- nioli facultatem.

EPISTOLA LVII.

Eidem.

Dilectiſſimo Abbati Ratberto Lupus omnimodam ſalutem. Quod flagitaſtis, exequi abſque dilatio- e contendi; euolutiſque ratiocinationibus multis, ad anc virum compuli conditionem, vt non modò noceat ihil, verùm etiam proſit plurimum, ſi erga eius pro- inquum, qui tempore tumultus diſceſſit, & inſtau- ata pace reuerteretur, benigni extiteritis. Id vos & li- enter facturos, & in omnibus quæ iubere dignaretur bſequuturos, dum eius gratia frueremini, fiducialiter popondi; atque eo vſque inſtiti, donec firmiſſimè romitteret nihil ſe vobis offecturum, niſi priùs mecum auſam conferret. Itaque modum petitionis meæ hoc ine terminaui, vt ſi quando rebelles eius fauore ſuas uerelas fulciri depoſcerent, non vulgo adquieſceret, eùm res duntaxat dignas veſtræ conſcientiæ reſerua- et. Quædam alia comperi tam cautè reuelanda, vt ea itteris comprehendere tutum non putauerim, támque eceſſaria cognitu, vt quàm poteſtis celeriùs, præterita ualibet alia vtilitate, mihi ad colloquium occurrere lebeatis. Ceterum, niſi iam moleſtum ſit profecturo nihi cum Rege, ſi Deus vult, ad Siluacum nun- ium dirigite; vt cum gratias agere cœpero, vberiùs licendi copia fruſtra conantem plurima non deſtituat. Vt verò Epiſtolam ſeriò claudam, obſecro ne ſim obis oneri, quod nimiæ familiaritatis fiducia multà oſtulo: quia ſi vitam & proſperitatem Deus mihi oncesſerit, non ſum nunc ad accipiendum pa- atior, quàm quondam ad largiendum eſſe curabo.

EPISTOLA LVIII.

Eidem.

Qvod petiiſtis, necdum Regi ſuggeſſi, quod opportunitas defuit: maturabo tamen vobis, cooperante Deo, morem gerere, communi honeſtate ſeruata. Bene valete.

E

EPISTOLA LIX.

Ad Marcuuardum Abbatem.

NOn ignorare, credo, Reges noſtros apud Traiectum hebdomade ſecunda Quadrageſimæ celebraturos colloquium: quo me trahit Eccleſiaſtica neceſſitas. Qua vrgente, vt vobis iam aliis expreſſi litteris, cum Rege quartum ago menſem, ita vt ne die quidem à comitatu abfuerim. Præbeat igitur ſe mihi ſaltem illic deſiderabilis veſtra paternitas; vt noſtra familiariter viua tamen voce valeamus cognoſcere. Si quid præterea, vt paſſim ſoletis omnibus nobis quoque facultas fuerit impendere, libenter nos accepturos cognoſcite. *Debent enim parentes theſaurizare filiis*; vt fallere neſcia diuini ſpiritus confirmat auctoritas. Benignè mei memores cupio vos valere feliciter.

EPISTOLA LX.

Ad eundem.

CLariſsimo Patri Marcuuardo Lupus. Officioſa humanitas veſtra vicit petitionem meam, quæ leuiter tetigit quod temporis poſcebat neceſſitas. Proinde fuit ea gratior quam æſtimare valeant ærumnarum expertes. moleſtiſſimè autem fero, quod vobis non viſis diſcedo, quanquam conſolatur meam mœſtitiam, quod poſt Paſcha noſtram vos viſitaturos, pollicemini paruitatem. Commodè autem & me præſente id vos facturos puto, ſi ſecunda hebdomade menſis Maij iter ad nos arripiatis. Nam quintodecimo die poſt Paſcha Synodus magna, vt aiunt, apud Attiniacum celebrabitur, cui me abeſſe nequaquam, vt credo noſtri Præſules patientur. De Cella noſtra nihil aliud paternitati veſtræ poſſum exprimere, niſi quòd promiſſionum vbertas ſpes nobis varias penè cottidie pariat, & quod ſicut omnium, præter malorum illius quoque rei effectus incertus ſit. Abbas monaſterij quod Germanicè Saligſtat apellatur, cui nomen eſt Ratlegio, partem quandam cuiuſdam libri faciet mihi deſcribi, eámque veſtro, mihi reddendam, nuntio ſe traditurum promittit; atque obſecrat vt tabulas quas Hilpericus pictor beatis vouit martyribus, hebdomada ſecunda poſt Paſcha ipſi dirigere dignemini. Quod etiam cauſa petitionis meæ vos maturare cupio; vt cùm ad nos veneritis, præfatam partem ipſius libri nobis adferendam curetis. In pueris multum nobis præſtiteritis, ſi quod cœpiſtis, paterna pietate non grauemini conſummate. Capitis autem dolorem nepoti meo paruitas potus forſitan detrahet, ſi eius appetentior fuerit deprehenſus, alioqui noſtro curandus reſeruabitur medico, qui omnes, quarum nullam non ignorat, depellere ſe poſſe confidit infirmitates. Integerrimè vos amans feliciſſimè valere deſidero, & vt me ſemper apud Deum præcipuè iuuare dignemini ſupplex efflagito.

EPISTOLA LXI.

Ad Guigmundum Eboracenſem Epiſcopum.

REuerentiſſimo magnáque veneratione ſuſpiciendo Guigmundo Eboracenſis Eccleſiæ Antiſtiti; cunctiſque ſub eo Domino Deo famulantibus: Lupus Abbas & vniuerſa Cœnobij Ferrarienſis congregatio, in Domino ſalutem. Ingens fluxit ſpatium temporis quod perturbationibus variis crebreſcentibus, ſocietas, quæ à præceſſoribus noſtris, auctore Domino, inita eſt, nulla præter orationes protulit indicia caritatis. Nunc autem aperiente ſe gratia pacis, & recepta Cella ſancti Iudoci,

vude

A vnde & hæc ſcribimus, curauimus, vt par fuit, priores certare officio, vóſque ſiue ad repetendam ſiue ad declarandam amicitiam prouocare. Ac primum illud ante omnia ſuppliciter poſcimus, vt & in priuatis & in publicis precibus noſtri memores eſſe dignemini. Deinde volumus vt viciſſim nobis præſtare ſtudeamus quicquid gratioſum fore litteris vtriuque directis conſtiterit, & facultas permiſerit. Maturate igitur veſtram nobis pandere voluntatem; vt & ad morigerendum vobis continnò præparemur, & fructu dilectionis Dominus Deus noſter glorificetur ac delectetur. Cupio vos valere feliciter, amantiſsimi patres.

EPISTOLA LXII.

Ad Altſic. Abbatem.

B Venerabili Altſig. Abbati Lupus monaſterij Bethlehemitici ſiue Ferrarienſis in Domino ſalutem. Ingenti clementia Dei noſtri diſcordiæ peſte mitigata, quæ totas Gallias Germaniámque hactenus vexauit atrociter, inter ipſa pacis exordia fœdus quod inter noſtram veſtrámque olim fuit Eccleſiam, directis ad reuerentiſſimum Guigmundum Epiſcopum litteris ſtudui renouare. Quia verò vos amore ſapientiæ, cuius & ego ſum auidus, flagrare comperi, vel ſecundùm illud Tullij, *pares cum paribus facile congregantur*, vel iuxta receptæ ſcripturæ aſſertionem, *Omne animal diligit ſibi ſimile, ſic omnis homo*; hac epiſtola meam offero & veſtram expeto amicitiam, vt nobis viciſſim cùm in ſacris orationibus, tum etiam in quibuſlibet aliis vtilitatibus prodeſſe curemus. Atque vt quod polliceor vos exequamini priores, obnixe flagito vt Quæſtiones beati Hieronymi, quas teſte Caſſiodoro in Vetus & Nouum Teſtamentum elaborauit, Bedæ quoque veſtri ſimiliter Quæſtiones in vtrumque Teſtamen-
C tum, itémque memorati Hieronymi libros explanationum in Hieremiam, præter ſex primos, qui apud nos reperiuntur, ceteros qui ſequuntur, præterea Quintiliani Inſtitutionum Oratoriarum libros XII. per certiſſimos nuntios mihi ad Cellam ſancti Iudoci, quæ tandem aliquando nobis reddita eſt, dirigatis tradendos Lantramno, qui bene vobis notus eſt, ibique exſcribendos, vobíſque, quàm poterit fieri celeriùs, remittendos. Quòd ſi omnes non potueritis, at aliquos ne grauemini deſtinare; recepturi à Deo præmium impletæ caritatis, à nobis autem quamcunque poſsibilem duntaxat ceſſeritis vicem tanti laboris. Valete, nóſque mox vt ſe opportunitas obtulerit, exoptabili reſponſo lætificate.

EPISTOLA LXIII.

Ad Prudentium Epiſcopum.

D Cariſsimo ſuo Prudentio Lupus in Domino ſalutem. Septimo Idus April. Heriboldus Epiſcopus, paulò antè regreſſus à Rege, mandauit mihi ex præcepto eiuſdem Regis, vt quoniam ſe ipſe legationis functione abſoluiſſet, eandem nos ſtrenuè ac celeriter exequeremur, vt in conuentu generali memoratus Rex de ſingulis locis poſſet certior fieri. Itaque quia & tempus appropinquat, nec ſine difficultate, maximè propter equorum pabulum, colloqui poſſumus, nec verò ante copiam herbæ quod iubetur inchoare, & valetudinem veſtram & quid ſuper hac re vobis placeat continuò directis litteris declarate. Vt autem hinc meam ſententiam vobis aperiam; ſuperuacuum iudico, loca quorum ſtatum iam proſpeximus, iterum adire; quando nulla ſit correctio ſubſecuta, & in Aurelianenſi ac Senonico & veſtro ac noſtro pago reſtent quædam cœnobia, in quibus tempus interim terere poſſimus; vt ſicut in aliis locis; ita & in his etiam emendanda per nos Rex cognoſcat. Et ne in legatis eius, ipſius iuſſio contemnatur, ſi voluerit, ſanciat. Quanti enim ſimus habiti, E immo ipſe qui nos miſerat, nobis impenſius honor patefecit, & monaſteriorum inſtaurata religio. Proinde antequam legationem adoriamur, Regi per me de his quæ videbuntur ſuggerere ſtatui, & tractorias accipere, & tunc fauente Dei gratia proficiſci. Viciſſim ergo ſenſum veſtrum litteris exprimite, vt optimum factu ex vtriuſque ingenio colligatur. Illud autem non vos fugiat; quantumcunque in hac legatione laborauerimus, nec nobis nec hominibus noſtris aliquid remittendum, quin agamus quod cæteri, ſi motus his qui hactenus vexarunt extiterint ſimiles.

EPISTOLA LXIV.

Exhortatio ad Regem Karolum.

F Vt pacificè feliciterque regnetis, obſeruanda vobis fideli deuotione collegi. Creatori veſtro Deo & iudici futuro gratias habete ſemper & agite, qui vos hactenus malis pluribus liberauit, & bonis multiplibus exornauit; vtque vobis initium, profectum, atque perſeuerantiam in bonis actibus largiatur, cottidianis precibus flagitate. Cum eſſetis paruuli, loquebamini vt paruuli, ſapiebatis vt paruuli, nunc autem ad virilem perducti ætatem, ſecundum eundem Apoſtolum; in quo euidenter Dei ſpiritus loquebatur, euacuate quæ fuerunt paruuli. Scilicet ſtulta quæque atque inania declinantes, rationabilia præſenti & futuræ ſaluti profutura ſectamini. Quæ agenda ſunt proſpicite diligenter, & tractate ſubtiliter communicato conſilio cum Dei veſtriſque perfectè fidelibus: quia, vt diuinum nos inſtruit eloquium, *qui ſibi nequam eſt, cui bonus erit?* Nec vos cuilibet ita ſubiiciatis, vt ad eius arbitrium omnia faciatis. Cur enim regium G nomen prætenditis, ſi regnare neſcitis? Vt pace cunctorum dixerim, non expedit vobis & populo vt aliquem vobis æquetis, nedum præponatis, quoniam Deus, qui ſcit quid ſit in homine, præmonet, ne des poteſtatem filiis tuis in vita, quia melius eſt vt illi te deprecentur, quam tu illos. Si filiis hoc non eſt concedendum, quanto minus aliis? Vicem vos gerere Dei quis ignorat? At ipſe dicit: *Gloriam meam alteri non dabo.* Non admittantur ergo à vobis monitores, quos baiulos vulgus appellat; ne gloriam veſtram inter ſe ipſi partiantur, & meliorem amorem alienent à vobis. Imitatione Dei, nolite perſonaliter iudicare; ſed in eadem cauſa diues, mediocris, & pauper, eundem vos ſentiant; vt ſit quod potentes terreat, & quod mulceat non reſiſtentes. Bene ſemel geſta nunquam niſi in melius immutaueritis; vt fidem veſtram atque conſtantiam cuncti mirentur. Fugite leuitatem, motum maturitatem apprehendite, vt veſtra probitas cunctis poſſit prodeſſe ſubiectis. Vitate malorum ſocietatem, quoniam, vt H ſcriptum recolitis, *corrumpunt mores bonos colloquia mala.* Amplectimini bonorum collegium: quoniam *cum ſancto ſanctus eris, & cum viro innocente innocens eris. Et cum electo, electus eris, & cum peruerſo, peruerteris.* Et apud eundem Regem & Prophetam pulcherrimè dicitur: *Ambulans in via immaculata, hic mihi miniſtrabat. Non habitabit in medio domus meæ qui facit ſuperbiam: qui loquitur iniqua, non direxit in conſpectu oculorum meorum.* Ne metuatis potentes, quos ipſi feciſtis; & quos, cum vultis, extenuare poteſtis. *Ne confidatis in Principibus in filiis hominum, in quibus non eſt ſalus*; ſed transferte ſpem veſtram ad Deum, *qui fecit cælum & terram, qui cuſtodit veritatem in ſeculum.* Concipite honeſtam veritatem; vt quod vos non decet præſtare, nemo ſcienter à vobis audeat poſtulare. Cogitate multa, nec dicatis omnia; quia vel iuxta diuinam ſcripturam: *qui cuſtodit os ſuum, cuſtodit ab anguſtiis animam ſuam*, vel iuxta ſecularem litteraturam, *Quod occultum velis, nemini dixeris*

[Marginal references: 1. Cor. 13. — Eccl. 14. — Eccl. 33. — Iſa. 42. — 1. Cor. 15. — Pſ. 17. — Pſ. 100. — Pſ. 145. — Prou. 21.]

dixeris. Quomodo namque poteris ab alio exigere silentium, quod tibi ipse non præstas. Et, *non potest vox missa reuerti.* Communem vtilitatem & opportunitatem omnium carissimam vobis omnes intelligant; vt certatim omnes sibi vos præferre contendant. Diuinas & humanas leges, iustas duntaxat, nemo sinatur contemnere: quia malorum impunitas, vitiorum semper peperit incrementum. Humilitas cuncta opera vestra venustet, quia scriptum est: *Quid superbis terra & cinis?* Et, *Quanto magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam*: & ipse redemptor noster admonet: *Discite à me quia mitis sum, & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris.* Eleemosynis assiduis Deum vobis placare, secundùm illud, *Miserere animæ tuæ placens Deo*: quia, vt sacræ continent litteræ, *eleemosyna à morte liberat, & non patitur animam ire in tenebras.* Saluator quoque hanc ita commendat: *Date eleemosynam, & omnia munda sunt vobis.* Glorificate Deum in omnibus: quia ipse testatur: *Qui glorificat me, glorificabo eum; qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.* Rex etiam & Propheta eximius sic sibi Deum proponit: *Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.* Hæc studiose custodientes, Deo & bonis quibuscunque placebitis, rebelles, Deo, vt credimus, pro vobis pugnante, comprimetis, atque vinceris & post regnum temporale atque laboriosum, consequemini sempiternum & verè quietum.

EPISTOLA LXV.

Fratribus quibus præerat.

DIlectis fratribus suis Lupus Abbas in Domino salutem. Flagrante cupiditate, hostes nostri multa quidem conati sunt; sed protegente nos Domino meritisque sanctorum, spe sua deiecti sunt; eodémque opitulante, nunquam optatum sibi consequentur effectum, quod vobis declarare studui, vt Deo & sanctis eius dignæ gratiæ referantur, & recepta securitate mentes vestræ quietis gratia perfruantur.

EPISTOLA LXVI.

Ad Reginfridum Episcopum.

REuerentissimo Præsuli Reginfrido Lupus in Domino salutem. Profecturus Romam, transitum nobis fore haud longè ab vrbe vestra didicimus, vbi vestram humanitatem, quam animo præcipimus, reipsa cupimus experiri, maximèque, cuius penitus copia deest, Italicæ monetæ argento, quod solum vsui futurum est nobis, permutandi. Id interrogati concorditer quique confirmant. Conspectum quoque vestrum, fauente Deo, nobis exhibebitis; vt officij beneficium hac, vt decet, gratia cumuletis. Sane aduentus nostri certum tempus præfigere non valeo. Tamen hunc futurum aut præcipiti æstate, aut prima suspicor parte autumni. Bene vos valere cupio.

EPISTOLA LXVII.

Ad V, V.

VEnerabili V. Lupus. Nec opinanti mihi, optanti tamen, videndi vos occasio sese obtulit, quod ab vrbe, quæ in vestra cura & patrocinio requiescit, Romam proficiscentibus, quo ipse tendo, iter patere cognoui. Facite itaque, vt positis aliis occupationibus, sinceræ caritatis fruamur alloquiis, & de præsenti vtilitate & futura salute tractemus. Otiosum autem existimo præmonere vt me iuuare his quæ vsus poposcerit studeatis; cùm nihil derogare debeam vestræ prudentiæ, & liberalitati confiderè plurimùm. Peri- E
tiam ergo regionis in qua versamini, affectúmque patriæ in qua orti sumus, præstate nobis contendite. Transibo verò, si Deus vult, per vos, vt opinor, aut extrema æstate, aut certè primo autumno. Cupio vos valere feliciter.

EPISTOLA LXVIII.

Ad Dominum Marcuuardum Abbatem.

CArissimo ac desiderantissimo patri Marcuuardo Lupus, plurimam salutem. Orationis gratia & quarundam Ecclesiasticarum studio causarum, quas, Deo volente, reuersus, cùm vos videro, paternitati vestræ aperiam, Romam proficiscor. Et quoniam in conficiendis rebus, Apostolici notitia indigebo, ea ve-
rò sine munerum intercessione iniri commodè non po- F
test; velut ad paternum, immo ad maternum gremium, ad vos confugio, supplicans vt sicut nunquam mihi in vlla necessitate defuistis, ita in hac adesse dignemini; mihique, si vllo modo potestis, per præsentes nuncios duo saga veneti coloris & totidem linea, quæ Germanice glizza vocantur, dirigatis, quæ illi comperi esse carissima atque gratissima. Horum si fuerit vobis integritas ardua, nequicquam videbitur nobis ipsa medietas contemnenda. Namque ita secularis eruditione docti sumus, vt spetantes minora, maiora poscamus. Ac ingenio nostro latiorem defuisse materiam suspicemini, si equo tollutario, vel quolibet alio fortissimo, nostrum iter subleuaueritis, plurimum nobis collatum esse ducemus. Sanè nihil me obtinuisse molestè non feram, si communicatis his litteris cum communi filio Eigile, risum vterque vestrum tenuerit. Cupio vos valere feliciter, meique benignè memoriam gerere.

G

EPISTOLA LXIX.

Ad Ansbaldum.

DIlecto suo Ansbaldo Lupus salutem. Molestè tuli quòd tanta opportunitate comperta, vt parcissimè dicam, nihil mihi vel mandare vel scribere voluisti. Tamen, quanquam curam nostri tam facilè deposueris, quod in te reprehendo, ipse nequaquam imitabor, sed me aspernantem pio complectar colloquio, Tullianas epistolas, quas misisti; cum nostris conferri faciam; vt ex vtrisque, si possit fieri, veritas exculpatur. Tu autem huic nostro cursori Tullium in Arato trade; vt ex eo, quem me impetraturum credo, quæ deesse illi Egil noster aperuit, suppleantur. Bene vale, & tuis me semper orationibus protege.

H

EPISTOLA LXX.

Ad Marcuuardum.

DEsiderantissimo & integritate vitæ meritò suspiciendo Marcuuardo Abbati Lupus perpetuam salutem. Dignas vobis rependere gratias non valemus; sed non ideirco vel verbis id tentare non debemus. Siquidem inter alia quæ nobis iam plurima præstitistis, linguæ vestræ pueros nostros fecistis participes, cuius vsum hoc tempore pernecessarium nemo nisi nimis tardus ignorat. Itaque non istis gratam rem solùm, verum etiam vtilissimam nobis omnibus contulistis. Dilectissimum fratrem Eigilem & ceteros IV. Non. Septembris lætus excepi. Sed vt congruum curationi tempus impenderent, iussu celeriùs dimisimus, ea conditione obstrictos, vt per nos, dum redierint, proficiscantur. Sumus enim de eorum sanitate & ipsorum

&

& vestri causa vehementer solliciti. Ceterum hunc nouicium cursorem nostrum vestræ sanctitati commendamus, omni genere conuersationis professioni suæ respondentem; nisi quod adhuc, credo propter timores nocturnos; solus cubare non poreft. Opto vos valere feliciter, meique semper paterno affectu meminisse.

EPISTOLA LXXI.

Ad Regem Karolum, Ante Recuperationem Cellæ.

PRæcellentissime Domine mi Rex humiliter supplico, vt suggestionem tui deuotissimi famuli digneris prudenter cognoscere, & clementer tractare, religiosissimus Imperator Hludouicus, vestræ nobilitatis auctor ad petitionem gloriosissimæ memoriæ Iudit Augustæ matris vestræ, Cellam sancti Iudoci monasterio Ferrariensi contulit, & suum donum Præcepto firmauit; vt & monachi absque inopia in monasterio Deo seruirent, & in præfata Cella hospitalitatem, iuxta Dei timorem, peregrinis impenderent, atque pro vtriusque salute & prosperitate Dominum delectabiliter exorarent. Eorum eleemosynam primò benignè concessistis, nouo etiam Præcepto firmastis; sed postea ad persuasionem eorum qui cum Dei offensione non timent ditescere, euacuata duplici eleemosyna, votum secularium de memorata Cella implere coacti estis. Quam ob causam nunc Dei serui, qui pro vobis assiduè orant, hoc triennio consueta vestimenta non accipiunt, & quæ ferre compelluntur, attrita & pleraque resarta sunt, leguminibus emptitiis sustentantur, piscium & casei consolationem rarissimè consequuntur; famuli debita indumenta non accipiunt: quæ omnia nobis ex prædicta Cella ministrabantur. In qua intermissam transmarinorum curam, aliorúmque pauperum, & neglectam sui culturam, vtinam vobis Deus non imputet. Me, præter communem necessitatem & singularem laborem, grauissimus pudor onerat, quia id quod alij Abbates ad stabilitatem religionis munificentia imperiali consecuti sunt, ego quasi omnium vilissimus & inutilissimus amisi. Tamen spem gerens recuperandi meo seruitio quod nulla in vos culpa, vt Deus testis est, perdidi; maximè cùm vestram promissionem inde teneam, quam fallere nefas est, imploro quod iustè reposcimus, ne vlterius differatis; sed continuò vobis nobisque dignemini consulere, vt & Deum faciatis vobis propitium, & nos vltimos famulos vestros reddatis ad intercedendum pro vobis omni tempore promptiores.

EPISTOLA LXXII.

Ad Didonem Ex persona Marcuuardi.

REuerentissimo & plurimorum præconiis celebrando Didoni Abbati Marcuuardus plurimam salutem. Artis vestræ singularis peritia multorum oratione peruulgata, fratris Nithardi potissimum relatione nobis innotuit; quo etiam referente comperimus, passim vos accessum indigentibus aperire, & sempiternam vsuram temporali ægrotantium remedio procurare. Vnde tametsi vobis adhuc sumus ignoti, non dubitauimus propter eiusdem religionis vnitatem, cuius etiam vos obseruantissimos gratulamur, materiam præstandi nobis beneficij vltro proponere, parati vestræ opinatissimæ liberalitati modis quibuscunque possumus respondere. Namque & filij nostri, quos & vestros optamus, molestia corporis laborabant; quam aliquot adhibiti apud nos medici propulsare nequiuerunt. Hos, Domino & vestræ caritati fidentes, curandos vobis offerimus; vt per vos optatæ sanitatis solatia temperantes, auctori eiusdem nobiscum gratias referant, & vestro labori. Illi quidem deuotionem, quam solam possunt, vtpote monachi, repensent; nos autem dignum omnino seruitium persoluamus. Petitionem nostram diu verbis extendere noluimus, ne fortè de vestræ caritatis perfectione dubitare videremur, quæ non solùm ignotis, verùm etiam inimicis prodesse contendit. Et ideo, vt optimè nostis, oraculi mandatum attestatione prophetica confirmatur. Optamus vos valere feliciter.

EPISTOLA LXXIII.

Ad Guenilonem.

REuerentissimo Antistiti Gueniloni ------ cuius lectione vestra victus amore pene ------ per communem propinquum nostrum ab ra ------ dirigite. Quem quantopere diligantur ------ quod eum præter vos nulli vnquam passus sim ------ autem Ecclesiæ nostræ quod fanum appr ------------ æquissimum iam decreuistis & ------------ quærere ipsi optimè intellegitis. Quanquam in proximo conuentu vobis gratias retulerim, putans penitus litem esse sopitam, noueritis nihil esse definitum, sed ad votum eorum, qui etiam iniustè non erubescunt, immo appetunt esse victores occasione dilationis Presbytero vestro præparatum quod quæsiuit emolumentum ac nostro, quam fastidit, iam spem inanem relictam. Proinde vestra insignis prudentia, quæ didicit ex Euangelio non personaliter iudicare, instructa est etiam illo veteri præcepto, *Iuste indica proximo tuo*, iudicij veritatem, vt cœpit, constanter & citò perficiat, ne, quod absit, abutantur vestra nobilitate, qui cupiditatis patrocinium suscepere. Nam & ipsa illis ad subuersionem Ecclesiæ nostræ oratorium nouum commenta est, & ne veritati acquiescant, vnanimitatémque caritatis dissoluant, adhuc inde sese horratur. Peto etiam vt ad supplicationem Gerohaldi Presbyteri Lan. Diaconum, eius propinquum, in ipsius titulo dignemini ordinare, quoniam difficultate visus frequenter non sufficit sacerdotale munus implere. Cete ---------- perfectione quæso me fieri è vestigio certiorem -------- digno tamen qualicunque paruitatis meæ discedatis ------ valere feliciter ------ Leu. 19.

EPISTOLA LXXIV.

Ad eundem.

REuerentissimo Præsuli Gueniloni Lupus in Domino salutem. T. Liuium per hunc ------ agite, quia illo non mediocriter indigemus. Bene ------- tamen postulauimus dignamini implere ------ sanctos ordines largiemini participem cum ------- infenum infirmitas illius promotione ----- meum quòd elaboraui delibero ac ----- veritate precij quo redempti sumus ipse vobis elegi ostendere quàm per quemlibet dirigere, vt orio nobis diuinitus collato tantarum rerum subtilitatem faciliùs mecum possitis aduertere.

EPISTOLA LXXV.

Ad Bertoldum.

DIlecto suo Bertoldo Lupus salutem. In hoc, quem nuper habuimus, conuentu, quanquam voluissem, idque Episcopo vestro dixissem, demiror contigisse, ne nos inuicem videremus. Præter alia vero quæ inter nos familiariter conferrentur, statueram vos precari, quod nunc efflagito, vt in saltu apud Matriniacum vestrum largiamini nobis viginti

arbores, earúmque peritos commodetis aliquot cæsores, vt iunctis nostris, nauiculam nobis componant meliorem quàm inuenire possimus venalem. Per hunc ergo nuncium quod vobis concedere placuerit remandate.

EPISTOLA LXXVI.

Ad Hincmarum.

CLarissimo Præsuli Hincmaro Lupus perpetuam salutem. Collectaneum Bedæ in Apostolum ex operibus Augustini veritus sum dirigere, propterea quòd tantus est liber, vt nec sinu celari, nec pera posset satis commodè contineri: quanquam si alterutrum fieret formidanda esset obuia improborum rapacitas, quam profectò pulchritudo ipsius codicis accendisset; & ita forsitan & mihi & vobis periisset. Proinde tutò vobis memoratum volumen ipse commodaturus sum, cum primò, si Deus vult, aliquò nos contigerit sospites conuenire. Pineas autem nuces, quot cursor ferre potuit, hoc est, decem, mittendas curaui. Rescriptum vestrum, quo notarij, vt scripsistis, me priuauit impedimentum, cursor idem noster ad hoc directus, vt à vobis propositum est, accipiat, vt lectione illius vel erudiar, vel delecter. Benignè vos mei memores opto valere feliciter.

EPISTOLA LXXVII.

Ad Pardulum.

CArissimo suo Pardulo Lupus plurimam salutem. Secundùm quod statuistis, direxi nuncium, qui super meis recentibus litteris quid vobis visum fuerit, & quæcunque cognitu necessaria indicaueritis, comprehensa vestris apicibus reportaret. Peto itaque ne illum vacuum aut tardiùs remittatis. Cupio vos valere feliciter.

EPISTOLA LXXVIII.

Eidem.

VNice singulariterque dilecto Pardulo Episcopo Lupus in Domino salutem. Sacris Domini Regis non sum euocatus: propterea ad conuentum non veni. Litterarum ipsarum exemplar dirigendum curaui, vt si forte mentio de me inciderit, iuste me remansisse possitis ostendere. Ceterùm quia me intra conseptum familiaritatis admisistis, quæso vt & nunc, & quotiescunque possibilitatem Deus largitus fuerit, tutum vestra intercessione reddere curetis. Ego vt nostis, hostem ferire ac vitare non didici, nec verò cetera pedestris ac equestris militiæ officia exequi: nec Rex noster solis bellatoribus indiget. Admonitu vestro, &, si opus fuerit, Hincmari, si expeditio ingruerit, obsecro, doceatur, vt quoniam studia mea non magnificit, vel dignetur considerare propositum, & alia mihi iniungere, quæ ab illo penitus non abhorreant. Id, si me sincere amatis, sic potestis efficere, vt non solùm offensæ contraham nihil, verùm etiam gratiæ consequar aliquid. Ita mihi comperta & probata est vestra prudentia. Itaque dum tempus & locum habetis, & mihi & quibuscunque valetis quæso succurrite, certi & Deum iustum retributorem futurum, & nos sinceram beneficiorum memoriam habituros. Litteras quæ me lætificent remittite; & mei benignè semper memores, bene valete.

EPISTOLA LXXIX.

Ad Rotrannum Monachum.

CArissimo suo R. Lupus salutem. Quoniam ad conuentum non euocatus, nolui me vltro ingerere, Venerabili Episcopo Hincmaro litteras dirigens, inter alia Hilmeradi nostri causam apud eum studui commendare. Ex eisdem litteris verba hîc posui, vt eidem Hilmerado possitis ostendere, quàm velim rebus eius fauere. *Hilmeradus, inquam, quem Rex Ambianensium esse Episcopum iussit, quadam mihi necessitudine coniunctus est; cui, supplico, prosit quòd apud vos plurimùm valeo. Nam licet desit ei forsitan aliquid eruditionis, tamen poterit esse vtilis, cum & vestræ doctrinæ parebit. Et si plene non potest docere instituta diuina, poterit tamen facere vnde & ipse & eum sequentes efficiantur salutis æternæ capaces.* Hæc ad illum sic scripsi. Vos, quæso, vt in cœpta semper amicitia maneatis, certi me nunquam ab officio recessurum. Bene valete.

Fra tun Rol Hi ma

EPISTOLA LXXX.

Ad Vsuardum Abbatem.

DIlecto Vsuardo Abbati & Archidiacono Lupus in Domino salutem. Non estis obliti quemadmodum vobis, præsentibus maioribus Ecclesiæ vestræ, constitutum synodi decretúmque metropolitani Amuli ostenderim super Presbytero Godelgario, terruerimque vos, nisi Præceptum Domini Nostri Regis confirmantis quod sancta Synodus & Metropolitanus iussisset impleretis, futurum vt iacturam grauis exilij pateremini. Verùm quia id hactenus distulistis, & memoratus Presbyter tam diuturnam calamitatem cupit effugere: Synodali & Metropolitani simúlque auctoritate regia commoneo, vt quod per me vobis iniunctum est, sine dilatione perficiatis; ne fortè pro triplici contemptu, multiplicem vindictam sustinere cogamini. Breues etiã quos de facultate Monasterij vestri mittere debuistis, vt apud Sedelocum mihi reddantur absque vlla excusatione procurate. Bene valete.

EPISTOLA LXXXI.

Ad Amulum Episcopum ex Parte Guenilonis & Gher.

REuerentissimo & clarissimo Præsuli Amulo Guenilo Episcopus & Gherardus Comes perpetuam salutem. Multa & magna iussu Domini Nostri Regis, ex eius parte familiarissimè vobis mandata tenelassemus, si quod ipse optauit, quod etiam sius vobis litteris significant, nos quoque plurimùm volumus, ad Augustidunensem vrbem vacuum fuisset vobis expectationi nostræ occurrere. Sed quòd nuncij vestri certissimas impossibilitatis vestræ causas nobis prodiderunt, quæ copiosè multipliciterque dicenda verbis nobis commisit, sensuum veritate seruata, conati sumus vestræ sapientiæ compendiosis litteris aperire. Præcepit itaque vt eius vobis sermonibus diceremus, se fideliter tenere, quòd Rex Regum, idémque Sacerdos Sacerdotum, qui solus potuit Ecclesiam regere, quam redemit, postquàm humanitatem suam in cœlum euexit, semper cum suis futurus diuinitate, potestatem suam ad eandem gubernandam Ecclesiam, in Sacerdotes diuisit, & Reges; vt quod sancti docerent Pontifices, & ipsi implerent & impleri facerent deuotissimi Reges. Quamobrem se cupere debitam sanctitati vestræ impendere reuerentiam, sicut ei quem sciat diuinitatis cultum integrè velle seruare, atque vicissim postulare, vt cum eo tale fœdus concordiæ ineatis, vt vbi-

cunque

A vbicumque Ecclesiasticæ vtilitati, in portione diuinitus sibi collata, vestræ auctoritatis dispositione in re tanta cupit consulere, vnanimitate vestri consensus continuo adiuuetur. Et ne vos longis ambagibus diutius fatigemus, recens incommodum Augustodunensis Ecclesiæ, & prolixa perturbatio, flexit eius pietatem, vt sua largitate vestraque promotione talem ei præficiat, qui ruinas illius & spiritaliter & secnlariter strenuè sarcire sufficiat. Est autem, quem benignitati vestræ plurimùm commendat, propinquus eius Bernus, à beatæ memoriæ gloriosos Imperatore Hludouico tenerè educatus, & claris ornatus honoribus; quem & ipse hoc suo tempore multis experimentis inuenit idoneum, & opitulante gratia Dei, tanto negotio credit aptissimum. In hoc probatissimorum eius consiliariorum acquiescit consensus. Idque vestræ prudentiæ Dominus Noster iussit suggerere, non esse nouicium aut temeratium, quòd ex palatio honorabilioribus maximè Ecclesiis procurat
B antistites. Nam Pippinus, à quo per maximum Karolum & religiosissimum Hludouuicum Imperatores ducit Rex noster originem, exposita necessitate huius regni Zachariæ Romano Papæ in synodo cui Martyr Bonifacius interfuit, eius accepit consensum, vt acerbitati temporis industria sibi probatissimorum decedentibus Episcopis mederetur; ne forte simplicitate Pontificum posset contingere, quod in hac Heduorum vrbe, cuius nos nunc cura exercet, euenit. Proinde se petere vt honorem, à Papa Romano, maioribus eius & Regibus & Imperatoribus concessum, & a Lugdunensis Ecclesiæ Metropolitanis, cui auctore Deo præsidetis, nunquam hactenus infirmatum, à vobis nulla vestra iniuria consequatur; quod si in hac parte spreuis non fueris, facturum se vt in regno eius vestrum ministerium debitam semper venerationem obtineat, & optimum exitum sortiatur. Cuius petitionis nostras nos supplices iungimus preces, vt quod tantis viris videtur optimum, vobis quoque complaceat; vt in obsequendo vobis non
C solùm nos, verùm etiam illos faciatis, quod optamus, cupidissimos debitores. Idque impetratum a vestra fidissima nobis familiaritate volumus, vt quod vobis Deus inspirauerit, nobis quàm celerrimè litteris ostendatis; vt per nos citiùs Dominus Noster Rex, quod plurimum cupit, beniuolam in se vestram cognoscens voluntatem, dignas Deo referat gratias, & antequam necessitate regni longius abducatur, damnosam Præsulis dilationem recidat, vobisque fidissimum adiutorem dirigat ordinandum. Godelsadum etiam, quem ex palatio suo more præcessorum Regum maiorum suorum, vt ante monstratum est; Cabillonensi præfecit Ecclesiæ, flagitat idem Rex vt hac Quadragesima non grauemini ordinare. Quod si per absentiam Teorbaldi Episcopi visum fuerit impossibile; quocunque tempore constitueritis, congruum vobis curabimus ex Episcopis nostris facere supplementum, vt quod prosit populo Christiano, absque dilatione per vos Deus implere dignetur.

D

EPISTOLA LXXXII.

Ad Guenilonem.

REuerentissimo Præsuli Gueniloni Lupus salutem. Hic Presbyter, cui nomen est Erlegaudus, ex Ecclesia sancti Petri & nostra queritur pati se calumniam, & de suo gradu periclitari. Proinde vestram poscimus paternitatem, vt ei iustè ac rationabiliter adesse dignemini, ne quorumlibet insidiis opprimatur, qui forsitan diuini timoris obliti superare innoxium peruicaciter moliuntur. Prosit itaque huic & illis vestra prudentia; vt & hic, si est innoxius, liberetur; & illi qui peccare in proximi læsione conantur, non inueniant facultatem, quod donec inspirante Deo perficiatis, & synodi tempus adueniat; si potest fieri, & vestræ sanctitati videtur exequendi officij, quæsumus,
E recipiat libertatem; ne secundùm inimicorum votum quorum se testimonio purgare possit inuenire non valeat. Bene vos valere cupimus.

EPISTOLA LXXXIII.

Ad Hludouicum, Ante Recuperationem Cellæ.

EXcellentissimo bonisque omnibus carissimo Hludouuico Abbati Lupus plurimam salutem. Iussu Regis ad palatium dirigens nuncium, ad vos eum iussi accedere, vt quæ mihi agenda sunt, per vos veraciter atque celeriter possim cognoscere. Proinde vestra insignis beniuolentia mihi necessaria cognitu litteris comprehendat; quibus certior factus, rebus gerendis occurram. Vnum impensè flagitauerim, vt si molitiones, quæ oc-
F culte, vt fertur, cum Britannis exercentur, effectum habituræ credantur, non aspernemini significare, quòd frustra expertum, infructuosum, periculosumque laborem etiam strenuorum animi valde refugiunt; & compertum atque in litteras relatum est, nequaquam inuitos ad bellum esse cogendos. De recuperanda Cella nostra si se locus obtulerit, quemadmodum in omnibus, nos iuuare contendite; vt vestra industria & Rex maximo purgetur peccato, & nos tandem aliquando necessitate nimia liberemur. Ita semper, vt cupio, valeatis.

EPISTOLA LXXXIV.

Ad Nomenoium.

LAndramnus Turonum Metropolitanus Episcopus, Dodo Andegauorum, Aldricus Cenomanorum Episcopus, Guenilo Senonum Metropol. Episcopus, Heriboldus Antisiodori Episcopus, Prudentius Tre-
G cassinorum, Agius Aurelianorum, Eccanradus Parisiorum, Hucbertus Meldorum, Helias Carnutum, Hermannus Neuernorum; Hincmarus Remorum Metropolitanus Episcopus, Immo Nuuiomagi, Paedulus Lugduni, Rhothadus Suessionum, Hilmeradus Ambianorum, Erpoinus Siluanecti, Eimenfridus Bellonacorum, Paolus Rhotomagi Metropolitanus Episcopus, Saxbodus Saiorum Episcopus, Freculfus Lexouiorum, Valfridus Baioeacensium, Nomenoio priori gentis Britannicæ salutem quæ est in CHRISTO IESV Domino nostro.

Diu est quòd Deus occulto, iusto tamen iudicio, permisit esse te rectorem gentis tuæ; in quo tamen regimine qualem te exhibueris, testis est conscientia tua, & amaræ querimoniæ diuersarum Ecclesiarum, & afflictiones nobilium & ignobilium, diuitum & pauperum, viduarum & orphanorum, quos damnabili cupiditate & horribili crudelitate vexasti. Sed quia Christianum nomen non penitus abiecisti, & nos ex Aposto-
H lica successione debitores sumus omnibus, vt bene agentes ad perseuerantiam exhortemur, delinquentes autem ad pœnitentiam auctoritate diuina prouocemus; vehementissime tuis excessibus condolemus, & à tuo interitu paterna & Episcopali sollicitudine te cupimus reuocare.

Cupiditate tua vastata est terra Christianorum, templa Dei partim destructa, partim incensa, cum sanctorum ossibus ceterisque reliquiis, possessiones Ecclesiarum, quæ fuerunt vota fidelium, redemptio animarum, patrimonia pauperum, illicitè in tuos vsus redacta, hereditates nobilium ablatæ, & maxima multitudo hominum vel interfecta, vel seruitute oppressa, rapinæ crudelissimæ perpetratæ, adulteria & corruptiones virginum passim commissæ, Episcopi legitimi, sedibus propriis expulsi, & vt mitiùs loquamur, quia dicere noluimus fures & latrones, mercenarij introducti, patroni nostri Beati Martini quondam diocesis, ex qua vos esse negare non potestis, violata, omnes

postremò Ecclesiastici ordines perturbati: quod nimis dolendo & compatiendo dicimus.

Satis hæc ad tuam perditionem sufficiebant. Sed ad cumulum malorum auxisti temeritatem, & omnem læsisti Christianitatem, dum Vicarium Beati Petri Leonem Apostolicum, cui dedit Deus primatum in omni orbe terrarum, spreuisti. Cùm enim eum postulasses vt in libro suo te scriberet, & pro te Dei clementiam exoraret, & ille directis litteris se id facturum promisisset, si se monentem obedienter audires; non solùm nihil eorum quæ mandauerat fecisti, sed ne litteras quidem ipsas recepisti; & quia nolebas à malo desinere, timuisti bene monentem audire. In eo igitur læsisti Apostolos, quorum est princeps Petrus. Læsisti Episcopos, qui iam cum Deo regnant in cœlis, & miraculis coruscant in terris. Læsisti & nos: qui, etsi non habeamus eorum meritum, idem tamen diuina gratia possidemus officium.

Nuper etiam excipiens Lantbertum, quem Ecclesia materna pietate ex aliqua parte receperat, ea scilicet conditione, vt se corrigeret, & mala solita perfectè declinaret, fecisti te participem immo auctorem perturbationis populi Christiani. Eum enim amator pacis Dominus Noster Rex, etiam ad tuam suasionem, remouerat à finibus tuis, & aliis honoribus decorauerat. Et nunc eum rebellare conantem, velut in gremium recepisti, & vt in malo proficiat, fouere non desinis. Iube afferri libros tuos. In eis comminantem Dominum audies, *Impio præbes auxilium, & his qui oderunt Dominum amicitia iungeris*; & non solùm qui faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus, dignos esse morte inuenies.

Nec ignoras quòd certi fines ab exordio dominationis Francorum fuerunt, quos ipsi vindicauerunt sibi, & certi quos petentibus concesserunt Britannis. Quomodo ergo despicis legem Dei, quæ præcepit *ne transgrediaris terminos, quos posuerunt patres tui?* & terram Francorum iniustè tibi defendere conaris? nec formidas illud, *Maledictus qui transgressus fuerit terminos proximi sui?* O quid facturus es in die magni iudicij, cùm tibi reddenda erit ratio de tuis annis, mensibus, horis, momentis? & hoc erit celeriter. Verum est enim quòd iuuenis possit citò mori, sed senex diù non possit viuere? Ante te prolixum fuit seculum: post te quoque Deo certum est quantum durabit: pro hac vita breuissima noli tibi sempiternam miseriam comparare.

Nisi deponas peruasionem alienorum, oppressiones omnium, societates perditorum, & recipias admonitionem Sedis Apostolicæ nostræque vnanimitatis, non tibi proderit fides, nec quæcunque putas bona opera: quia Saluator dicit; *Non omnis qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum; sed qui facit voluntatem patris mei, qui in cœlis est, ipse intrabit in regnum cœlorum.* Cogita quid mereatur qui scandalizauerit vnum de pusillis; & ita poteris colligere quàm ingentem sis perlaturus, nisi resipueris, damnationem; qui partem maximam populi Christiani grauissimè perturbasti.

Monemus te, obsecramus, obtestamur, tuæ salutis cupidi, pone finem malis tuis, conuertere ad Dominum, cuius nemo nostrum potest effugere iudicium. Fac fructus dignos pœnitentiæ. Hoc est. Quia granditer deliquisti, granditer bona exerce; vt non solum non torqueatis cum diabolo & reprobis in inferno, verùm etiam gaudeas cum Deo & electis eius in cœlo. Id quoque tibi pollicemur, quia si te Deo restitueris, apud eum intercessores pro peccatis tuis esse cupimus; & apud pium Principem nostrum, vt tibi tuæque posteritati benignè consulat, conabimur obtinere.

Maximum reatum te contraxisse scimus, quod epistolam sedis Apostolicæ respuisti, existimans aliqua in ea tibi noxia contineri. Sed quod exemplar eius venerabilis Papa nobis dignatus est dirigere; notum tibi facimus nihil in ea contineri, quod ad tuam pertineat læsionem, & propterea parati sumus, si vis, secundo Legatum sedis memoratæ cum scriptis toti mundo venerandis dirigere. Quod si eum non receperis; nos, qui monuimus, excusabiles erimus: si autem receperis & ausculraueris, & Dominum & beatum Petrum propitios & nos habebis in fide coniunctos, & intercessione proficuos. Si verò nos benignè monentes contempseris; certum tibi sit nunquam tibi futurum locum in cœlo, & citò non futurum in terra: quia tua culpa separatus ab Apostolica & nostra societate, anathematis vltione locum habebis, quod auertat Deus, in tartaro. E

Hoc etiam per tuum ministerium denuntiamus Lantberti hominibus, & quibuslibet gentis tuæ, quia si communicauerint ipsi, & rebellioni eius consenserint, anathemate condemnabuntur, & traditi Sathanæ sine fine peribunt. Conuersos autem recipimus, & in pace Christiana permanere optamus, atque pro eis parati sumus Domini Nostri Regis clementiam, quantum possumus, flectere.

F

EPISTOLA LXXXV.

Ad Marcuuardum.

Reuerentissimo & clarissimo Patri Marcuuardo Lupus perpetuam salutem. Nuper à magnificentissimis epulis reuersus, hoc est, à Britannica expeditione, vix resumpto spiritu per cursorem hunc prosperitatis vestræ veritatem discere cupio; vt quia propriis angoribus æstuo, saltem vestris secundis successibus requiescam. Dominus Rex, vester alumnus, cùm me deliciis, quas grauabat, liberaret, suo vos nomine salutari præcepit: quod quàm libenter faciam, æstimare potestis. Carissimum nostrum, hoc est, communem filium Eigilem, & post eum, Ansb. ceterósque fratres, paruitatis meæ nomine dignamini salutare. Cuppas viatico aptas, forma & qualitate preciosissimas, ligneas duntaxat, mihi, cum opportunum vobis fuerit, curato dirigere: quia dum video preciosiores, quas aliis tribuistis, propemodum inuidiæ morbum incurro. Cupio vos valere feliciter. G

EPISTOLA LXXXVI.

Ad Hattonem.

Carissimo suo Hattoni Lupus in Domino salutem. Quanquam occupationes ineuitabiles colloquium nostrum, quod frequens esse debuit, impediant; tamen eis paulum perdilatis, nobismetipsis consulamus oportet; ne salutaria consilia, quibus inuicem auctore Deo iuuare possumus, ad nostrum detrimentum vlterius negligantur. Curate igitur hoc mense Octobri, die quo significaueritis, ad Arceias vestras mihi occurrere; vt loco vtrisque medio conuenientes, opportunè possimus de rebus necessariis consultare. Noueritis etiam Odacrum Abbatem & consanguineum nostrum, libram auri, quam nostis, instante Viuiano repetere; cuius humanitas nulla inhumanitate exasperanda est. H Maturè cursorem hunc remittite; vt tempore quo significaueritis, valeam vobis ad memoratum locum occurrere. Cùm iam emisissem cursorem, superuenit Rath. & causas vestras nuda veritate patefecit: quibus cognitis, accelerandum colloquium multò mihi maximè visum est, vt rebus asperis demonstrante Deo per subtilem tractatum prudenter possimus occurrere. Interim quemadmodum idem Rath. (qui nihil meritus, impetum indignationis excepit) restituatur, elaborare, quia vehemens indignitas est, quòd, propter rem ad se nihil pertinentem, tam diuturni laboris præmio, vacuatur.

EPISTOLA LXXXVII.

Ad Hugonem.

FRatres noſtri, qui ad vos directi ſunt, retulerunt nobis commotionem veſtram, quæ occaſione illius hominis accidit, qui cum aliis malefactoribus rapinam ſectando, ſibi vitam auferri coëgit: cuius rei nos non fuiſſe conſcios optimè noſtis. Vnde cùm id venerabilis filius veſter, nobiſque familiaris, Stephanus non ſicut res erat, ſed ſicut ei falſo relatum fuerat, narraſſet, miſimus Præpoſitum noſtrum talium peritum, & vt eius ætatem atque nobilitatem decet, admodum religioſum; qui ſecundum prudentiam quam in ſeculo hauſerat, cauſam cum veſtro nuncio diſcerneret, & finiret. Verùm quia qui iuſtitiam quærebat, ipſe implere nolebat, exitum res non potuit inuenire. Itaque has litteras celſitudini veſtræ dirigendas curauimus; quibus placare cupimus animi veſtri motum, quem nequaquam vlla noſtra negligentia, aut pernicacia prouocauimus. Potentia enim culminis veſtri nequaquam perſonis, ſed iuſtis cauſis fauere debet, nec vilitatem noſtram, ſed diuinam maieſtatem, cuius, quanquam indigni, ſerui ſumus, & Beati Petri reuerentiam attendere: nec nobis aliquid mali comminari aut inferre, qui ſic iuſtitiam repetimus, ſicut reddere parati ſumus. Hoc etiam prouidentiam veſtri culminis commonemus, ne propter defenſionem perditorum hominum, patrocinium Beati Petri & noſtram antiquam familiaritatem aſpernemini. Sed cogitantes quod ſcriptum eſt, *Quia ſperantes in Domino miſericordia circumdabit*, (Pſ. 31.) & *Omnis qui ſe humiliat exaltabitur* (Luc. 18.), ita exortam controuerſiam ſopire dignemini, vt nec nos grauari patiamini, nec veſtros impunè malè agere permittatis; ne forte, quod abſit, Dei vindicta in vos propter iniquorum conſenſum redundet. Optamus vos bene valere, & ſicut nobilitatem & ſapientiam veſtram decet, in omnibus agere.

EPISTOLA LXXXVIII.

Ad Hugonem Abbatem.

SVmma veneratione ſuſpiciendo Hugoni Abbatum ſummo Lupus præſentem & futuram ſalutem. Poſtquam vos noſſe cœpi, diu in veſtram venire notitiam, fateor, concupiui. Quod tandem veſtra dignatione conſecutus, plurimum vobis confidere audeo, dum & ſingularem in vobis nobilitatem, & conuenientem nobilitati ſapientiam frequenter conſidero. Qua cauſa cum mihi quod nec timueram, nec, vt opinor, merueram, contigiſſet, vt Dominus Rex Cellam cœnobij noſtri, vnde edictum & ipſius & patris eius Domini Hludouici Sereniſſimi Auguſti habemus, nobis ablatam, Odulfo comiti daret, eamque, vt eum decebat, Deo inſpirante, & ampliſſimo viro Adahl cooperante, nobis reſtituiſſet, vos potiſſimum hortante ipſo Adahl. credidi expetendos, qui & ipſius Odulfi periculoſam auiditatem prudenter compeſceretis & nobis benignè memoratam Cellam reſtitueretis. Veſtra igitur longe latéque bonitas peruulgata, nobis vehementer indigentibus pro Dei amore, ſecundum litteras regias, quam celerrime fieri poteſt ſubueniat, vt & calamitatis noſtræ commiſeratio præmium vobis pariat ſempiternum, & a nobis & a poſteris noſtris beneficij veſtri memoria fideliter celebretur.

***

EPISTOLA LXXXIX.

A Pardulum ex parte Reginæ.

IN nomine Dei ſolius & omnipotentis. Irmindrudis diuina ordinante gratia Regina venerando Pardulo Epiſcopo ſalutem. Res nouas, ſuper quibus vos nihil poſſe ſcribere ſignificaſtis niſi quod per Rhobertum iam mandaueràtis, proſperas exuberante Dei gratia prouenire cupimus & audire. Diem verò veſtræ ordinationis, noſtris & noſtrorum precibus, vobis vtinam profuturis, ſolemnem facere ſtudebimus. Præterea quæ miſiſtis munera, grata nobis fuerunt; & ſtolæ cuius impoſuiſtis laborem libenter experiri curabimus, & ſecundum veſtram ſuggeſtionem, propitio Deo; qui nos fecit, & tantis bonis cumulauit, noxium ſtudebimus otium euitare. Veſtris tamen ſemper efficacibus iuuemur orationibus: quia nihil vnquam nobis præſtabitis, quod non de veſtra probabili fidelitate præſumpſerimus. Hoc à veſtra benignitate impetrarũ volumus, vt pro his qui defenſione patriæ ſuas poſuerunt animas, Dei clementiam ſuppliciter flagitetis, & ſuperſtitibus eorum hominibus auxiliemini quantumcunque vobis poſſibile fuerit.

EPISTOLA XC.

Ad Odacrum Abbatem.

TErtio Non. Iulij Deo propitio ad monaſterium noſtrum reuerſus, primum vt potui veſtræ prudentiæ has litteras dirigendas curaui: quibus totis affectibus veſtræ beniuolentiæ gratias refero, quod fratres noſtros & ceteros homines tantæ calamitatis anguſtia deprehenſos aperto caritatis gremio excepiſtis; & materna pietate fouiſtis: quorum relatio adeo me lætificauit, vt Epiſtolaris anguſtia vix valeat indicium meæ in vos voluntatis aperire; eum & germanos meos ſingulari dilectione tractetis, & ampliſſima liberalitate noſtris omnibus quantam vix vnquam ſperare potuerant, præbeatis. Proinde opto vt diuina gratia, cuius munere tales eſtis, exiguitati meæ largiri dignetur, vt quantulumcumque vicem rependere ſufficiam; integra verò merces ab eo vobis reſtituatur, qui ſummam præceptorum ſuorum in ſoliditate caritatis conſtituit.

EPISTOLA XCI.

Ad Marcuuardum Abbatem.

IN Aquitanica congreſſione manifeſta morte liberatus poſt captiuitatis moleſtias ſolutus vtroque periculo ingenti Dei gratia, cui maxime præſidebam, & ſanctorum eius, beneficio præterea cuiuſdam Turpionis, ereptus, integra valetudine monaſterium III. Nonas Iulij remeaui; vbi quod vltro ſciebam, & fratrum meorum Hattonis & Richarij relatu, & litterarum veſtrarum lectione certior factus ſum, mea calamitate vos vehementer commoueri. Iamque mihi videre videor vos ingenti gaudio exultare, cùm me, quem dolebatis aut captiuum aut mortuum, accipiatis incolumem in monaſterio reſidere. Ego viciſſim fratreſque omnes de veſtra tam fructuoſa reuerſione maxima lætitia gratulamur, & Domino Deo noſtro gratias ingentes referimus, quod non ſolum veſtram excellentiam nobis reſtituit, verùm etiam veſtro labore duplex patrocinium ſanctorum prouidit. Pro veſtra quidem incolumitate & regreſſione cottidie Deo ſupplicabamus (ſanctorum autem perlationem voto continentes, veſtris amabilibus Deo ſtudiis vt ſuſpicaremur de vobis talia facilè adducebamur. Nunc Deum in commune laudamus, qui ſupra quam

petere audebamus largitus eſt. Illud vnũ ad cumulũ gaudiorum reſtat, vt præſentiã veſtrã nobis exhibeatis: quod vos haudquaquam poſſe literæ veſtræ profeſſæ ſunt, nos hoc eas promiſiſſe tenebimus: quod ſi feceritis, cũ paruitati noſtræ plurimum, tum etiã vobis aliquid conferetis: ſiquidẽ & nobis conſulationem & virtutis incitamentũ ſuggéretis, & fratrum, qui veſtrum poſt diſceſſum decedentium ſupplerere locum, notitiam, & firmiorem, ſi poſſit fieri, lucrabimini caritatem. Quæſo præterea, vt ad ſanctum Bonifacium, ſolertem aliquem monachum dirigatis, qui ex veſtra parte Hattunem Abbatem depoſcat, vt vobis Suetonium Tranquillum de vita Cæſarum, qui apud eos in duos nec magnos codices diuiſus eſt, ad exſcribendum dirigat; mihique eum aut ipſi, quod nimium opto, afferatis; aut ſi hæc felicitas noſtris differetur peccatis, per certiſſimum nuntium mittendum curetis. Namque in hac regione nuſquam inuenitur; & credimus hoc quoque nos beneficium veſtra liberalitate conſecuturos. Filium Guagonis nepotem meum, veſtrumque propinquum, & cum eo duos alios puerulos nobiles, & quandoque, ſi Deus vult, noſtro monaſterio ſuo ſeruitio profuturos, propter Germanicæ linguæ naciſcendam ſcientiam veſtræ ſanctitati mittere cupio: qui tres duobus tantummodo pædagogis contenti ſunt. Quod vtrum dignemini præſtare, vt primum ſe facultas obtulerit, ne grauemini aperire. Sterilitatem vini ſuperiore anno paſſi ſumus: aliis rebus pro tempore abundamus: & largiente Dei gratia aliquantula pace fruimur; niſi quod ſeculares quidam, qui vellent noſtrum inuadere monaſterium, nobis moliuntur inſidias. Vnde vobis eſt ſtudioſè, propter caritatis debitum perſoluendum, Deus orandus, vt quod nobis maximè conducit, in corde Principum operetur.

EPISTOLA XCII.

Ad Hludouicum.

PRæcellentiſſimo atque clariſſimo Abbatum ſummo Lupus plurimam ſalutem. Occupationum veſtrarum conſiderationem habens, paucis vobis aperio magnum Adalh. cùm adhuc proficiſceretur, mihi ſeriò promiſiſſe, quod nunc opportunitate ſe vltro ingerente Cellam ſancti Iudoci nobis recuperaturus eſſet, & ne quis apud Regem nobis aliquid nocere poſſet, in omnibus prouiſurus. Cùm autem ab Aquitania, Dei bonitate & clementia ſeruatus, reuerſus eſſem, & a tantis calamitatibus, quas pro Regis fidelitate paſſus fueram, vellem aliquantulum requieſcere, fama diſperſit datum noſtrum monaſterium Egilberto. Itaque de vtroque, memores amicitiæ noſtræ, ſolito more me adiuuare contendite; præſertim cùm & meam fidem in Regem & ſeruitium cognoſcatis, & fieri magnam indignitatem facile comprehendatis me cum prædicto Egilberto conferri, nedum mihi eum præferri. Quæ proponere in tali negotio debeatis complexus eſſem, niſi naturali prudentia & eruditionis copia vobis vltro ſuggererentur. Cupio vos bene valere, & paruitatis meæ memores lætioribus in dies augeri ſucceſſibus.

EPISTOLA XCIII.

Ad Dominum Regem Karolum.

EXplicari facilè non poteſt, quàm cupiam, Domine mi Rex glorioſe Karole, ego vltimus veſter famulus, in omnibus veſtram proſperitatem & ſpiritalem & ſecularem. Propterea aliquotiens & verbis, & ſcriptis, vltro me ingeſſi, vt mea deuotio, opitulante Dei gratia, veſtræ prodeſſet felicitati. Nunc etiam quod vtiliſſimum vobis & veſtro regno multa meditanti occurrit, paucis aperio. Obſeruantia iuſtitiæ non ſolùm apud Deum meritum vobis comparat, verum etiam terrenam poteſtatem confirmat. Bonorum ſocietas profectum vobis & laudem parit, ad exemplum beati Dauid, qui ſe E
imitandum proponens, ait: *Ambulans in via immaculata, hic mihi miniſtrabat.* Segregatio etiam peruerſorum Pſ. 100. Ibid.
æque laudabilis eſt, vt idem ipſe Dauid inſtituit: *Non habitabit in medio domus meæ qui facit ſuperbiam, qui loquitur iniqua, nec direxit in conſpectu oculorum meorum.* Quòd autem fidiſſimus quiſque debeat eſſe familiariſſimus, illa ſententia inſtruimur: *Quæ peſtis ad nocendum efficacior eſſe poteſt, quàm familiaris inimicus?* Quorum Boet. l. 3. de Conſol.
conſilio Reſpublica, Domino faciente, de quo dicitur, Pſ. 121.
Fiat pax in virtute tua, poſſit eſſe tuta & quieta, ſanctæ Sap. 6.
litteræ his verbis inſinuant: *Multitudo ſapientium, ſanitas eſt orbis terrarum.* Prou. 25.
Hi enim intelligunt quod *non eſt ſapientia, non prudentia, non eſt conſilium contra Dominum.* & in Dauidis conſiliis ab æquitatis tramite non recedunt: vnde & eadem conſilia ab ipſo Domino ad vtiles F
diriguntur effectus. Alibi etiam ſatis hinc aperte docemur, vbi legimus: *Conſilium ſemper à ſapiente perquire.* Tob. 4.
Sapientem hîc intelligimus, quem aut experientia docuit, aut lectio erudiuit, aut inſpiratio diuina ceteris prætulit. Magnum aliquid facturi, quæſo recolite memoria illud quod prudentiſſimè dictum eſt: Saluſt. i. Catil.
Antequam incipias, conſulto, & vbi conſulueris, maturè facto opus eſt. Sic enim & præcipitatio vitabitur, & nocitura dilatio. Romani, orbis terrarum domini, quibus conſiliariis vſi ſint, hac vna & breui ſententia ad veſtram noſtramque vtilitatem conſiderare dignamini: Valer. Max. 2. c. 1.
Fidum erat & altum Reipublicæ pectus, Curia, ſilentiique ſalubritate munitum & vallatum vndique: cuius limen intrantes, abiecta priuata caritate, publicam induebant. Tales, quæſo, tales quærite, qui publicam dilectionem, hoc eſt, totius populi, præferant priuatis commodis, & miſerante Deo motus iſti moleſtiſſimi conquieſcent. Imperatorum geſta breuiſſimè comprehenſa, veſtræ maieſtati offerenda curaui; vt facilè in eis inſpiciatis, quæ G
vobis vel imitanda ſint, vel cauenda. Maximè autem Traianum & Theodoſium ſuggero contemplandos: quia ex eorum actibus multa vtiliſſimè poteritis ad imitandum aſſumere. Ita diutiſſimè regnetis, vt ſemper Deus regnet in vobis.

EPISTOLA XCIV.

Ad Marcuuardum.

REligioſiſſimo patri Marcuuardo Lupus ſalutem. Si prudenter cogitemus, quod originalis peccati merito iuſtiſſima Dei vindicta exules facti ſumus, cùm aduerſa nobis contingunt, non mirabimur: repulſi enim à lætitiæ patria, in vallem lacrymarum ſumus deiecti. Dei potius ineffabilis clementia ſuſpicienda pieque laudanda eſt, quæ nos nec in ipſa ira deſerit, & triſtia blandis plerumque temperat; ne mœrore victi in deſperationis baratrũ corruamus. Vnde culpanda quorundam temeritas eſt; H
qui gratiæ diuinæ continuis aſſuefacti beneficiis, dum aliquibus tanguntur incommodis, peccata querelis augent, quorum debita nec admoniti recognoſcere debuerunt. Credibile tamen eſt in numero fidelium aliquos eſſe ſanctitate, quam diuinitus acceperunt, egregios, quorum non tã delicta eueniunt aduerſis, quàm merita augeantur. Neque enim ſoli beato Iob Deus munus hoc contulit, quem ad imitandum ſeruis ſuis in arce patientiæ collocauit. Qui vicit in illo, vincit in multis, cum quibus Matt. 28.
ſe futurum vſque in finem ſeculi pollicetur. Si cuius felicitatem nulla vnquam perturbatio interpellet, quàm tardus eſt, niſi metum hinc concipiat ne cum purpurato diuite quondam audiat: *Recepiſti bona in vita tua.* Et Luc. 16. Iob. 21.
quomodo non cum illa veridica terreat ſententia: *Ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt.* Heb. 12.
Ille verò qui vigili memoria repetat, *Flagellat Deus omnem filium quem recipit,* ſi morbo grauetur, exceſſu ne-

ceſſitu

A celsitudinum tentetur, substantiæ imminutione vel amissione pulsetur; quomodo non ad affectum gratias agendi pio parenti excitetur, cuius cura se dignum correptionis priuilegio, ipso instituente, præsumit? Futuræ vitæ dulcedo segnius appeteretur, nisi sæpius præsentis amaritudo sentiretur. Multi hac, qualis est, delectantur. Nimirum plures delectarentur, si assidua prosperitas vota omnium sequeretur. Proinde quis non videat incomprehensibili Dei pietate, per molestam huius vitæ mutabilitatem impelli nos quodam motu ad capessendam alterius vitæ immutabilitatem, impelli nos pietate per molestam huius vitæ mutabilitatem? Dominus Iesus, qui cum Patre & Spiritu sancto beatitudo nostra erit, eos qui eius magisterio adhærebant, ad toleranda
Ioan. 10. aduersa suo exemplo sic informat: *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos*; ne se diligi desperarent ab eo, cum variis quaterentur incommodis, quando dilectissimum patri filium per eadem transisse recolerent. Nec quid eis
B imminetet occultans: *In mundo*, inquit, *pressuram ha-*
Ioan. 16. *bebitis; sed confidite, ego vici mundum*: scilicet vt superandi vires in illo se habere cognoscerent, qui omnipotens esset. Sanctus Apostolus, in quo euidenter Dei Spiritus loquebatur, sua tempora videns, nostra præ-
2. Tim. 3. uidens: *Qui volunt*, ait, *viuere in Christo, persecutionem patiuntur*. Persecutionem autem hanc religiosis intelligimus inferri, vel ab immundis spiritibus, vel a prauis hominibus. Verùm siue Deus tentet, siue tentari permittat; ne muliebriter pauidi succumbamus, alibi
1. Cor. 10. nos his verbis confirmat: *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra quam potestis; sed faciet cum tentatione exitum, vt possitis sustinere*. Nihil itaque importabile nobis euenisse censetur: quoniam qui certamen proponit, si postuletur fideliter, vincendi copiam subministrat. Benedicamus ergo eum in omni tempore, qui & prosperis nos inuitat, & aduersis castigat; & sit semper laus eius in ore nostro, vt quod ipso largiente in sæcula
C sæculorum facturi sumus beati, iam nunc meditemur deuoti. Hæc ad consolationem strictim, vitandi fastidij gratia, comprehensa, sanctitati vestræ dirigere studui: quæ vobis, vt credo, erunt proficua, quia & ex caritatis fonte petita sunt, & ex eodem fonte manarunt. Mei benignè memores cupio vos valere feliciter.

EPISTOLA XCV.

Ad Heriboldum ex parte Reginæ.

IN nomine Domini solius & omnipotentis. Irmindrudis ipsius gratia ordinante Regina Heriboldo venerabili Episcopo salutem. Quoniam diuturna infirmitas gratum nobis vestræ sanctitatis denegat colloquium, absenti scribimus quod præsenti libentius diceremus. Germanus vester destitutus honoribus, propter homines qui ei famulati sunt maxime anxius, nostræ pietatis opem expetiit; confidens, post Deum, nostra opera se
D calamitatis molestiam euasurum, quem sulta mansuetudine miserantes, opportunitatem Deo præbente, cupimus adiuuare. Verum vt in palatio voluntatis nostræ præstolari possit effectum, suademus ne grauemini eius indigentiam collatis necessariis temperare. Cum enim soleat vestra largitas ministrare postulata externis, etiam germanum indigentem non sine spe diuinæ retributionis idem valet præstare: quod facile facturos monstraremus eloquiis, nisi vltro ea vobis occurrere crederemus, & nostræ vestræque personæ haberemus considerationem. Impendite igitur debitum religioni & necessitudini affectum, & in orationibus nostri assiduè memores bene valete.

EPISTOLA XCVI.

Ad Karolum Regem.

E GLorioso Domino præcellentissimo Regi Karolo integrè fidelis Lupus salutem. Cùm à vestra maiestate digrederer, præcepistis vt impendente Quadragesima quiddam vobis dirigerem, vnde caperetis fructum aliquem ædificationis. Sermonem itaque beati Augustini in quo iurandi consuetudinem dissuadet, quamque sit ferale periurium ostendit, vestræ prudentiæ destinaui; August. serm. 28 de verbis Apostoli. profuturum, vobis plurimum credens, si vobis admonentibus quidam assiduè iurare desistant, & quod rectè iurauerint, non contemnant. Non adolandi vitio in gratiam vestram dico; sed desiderio salutis eorum, qui nobiscum patrem in cœlis inuocant. Quicumque fidem vobis iureiurando firmauerunt, si ab ea saltem latenter F deficiunt, iam sibi mortem animæ intulerunt, nec possunt esse filij Dei, qui nolunt esse pacifici. Admoneantur ergo vestra industria sui periculi, & saluberrima institutione tanti doctoris, ad correctionis remedium innitentur. Misi prætetea celsitudini vestræ gemmas, quas dudum opifex noster exculpendas & poliendas acceperat: quarum formam atque nitorem si approbaueritis, memorato artifici gratulabor. Opto & oro vt bene semper agatis, & propitio Deo felici successu diuturnissimè gaudeatis.

EPISTOLA XCVII.

Ad Hilduinum.

PRæcellentissimo Abbati Hilduino Lupus temporalem & perpetuam salutem. Recordans nostri contubernij in vestra adolescentia & initio meæ iuuentutis consuetudinem, & cogitans quod vestra nobilitas mo- G rumque probitas blandimentis fortunæ nullatenus valeat immutari; quemadmodum tunc familiariter loquebamur, ita nunc vobis simpliciter scribo. Omnibus, vt pluribus uideram vestri propositi, in largiendis opibus omnipotens vos Deus prætulit; & sine dubio cui tantum contulit, plurimum ab eo reposcet. Ipse enim dicit: *Qui glorificauerit me, glorificabo eum; qui autem* 1. Reg. 2. *contemnunt me, erunt ignobiles*. Itaque non sit vobis oneri quod illaturus sum. Honorate illum timore ipsius & amore qui vos tam sublimiter honorauit; & dum vobis bona suppetunt in hoc sæculo curate illi qui hæc dedit indesinenter placere, nec vos decipiat transitoria felicitas mundi, cui perpetua promittitur beatitudo cœli. Exercete vbicumque potestis iustitiam, & quibuscumque sufficitis impendite misericordiam: quia qui vobis bene agendi facultatem largitus est, quamdiu id permissurus sit ignoratis. Ipsius vox est: *Vigilate, quia* Matt. 25. *nescitis diem neque horam*. Nos etiam, qui vos vnicè H diligimus, & per vos solatium aliquod habituros confidimus, aliquantulam diuturnitatem dignitatis vos possessuros credimus, si vos largitori bonorum omnium deuote summiseritis. Donec vos videre merear, absque fastidio hæc frequenter legite, aut recolite; vt sicut de vestra excellentia gloriamur, ita de probitate certius exultemus. Peto etiam vt propinquum meum Abbatem Cellæ vestræ, quæ dicitur Cor: qui & Deo, vt credimus, & bonis omnibus, vt palam est, pro sua probitate placet, honorificè suscipiatis, benignè tractetis, & quod sufficere credo, (sicut vestram decet nobilitatem & honestum eruditionem, ac bonæ famæ augmentum) ne dignemini consulere illi semper in omnibus tantum semper quantum cupiunt qui bene sentiunt. In sæculo & in Domino valeas.

EPISTOLA XCVIII.

Ad Guenilonem eiuſque Suffraganeos.

RELigioſiſſimis Patribus & fratribus, Guenilonì Metropolitano Senonicæ ſedis Antiſtiti, & vniuerſo Clero eius, & ceterarum Eccleſiarum Præſulibus, quæ dioceſi memoratæ ſedis cenſentur, cunctiſque in eis Deo famulantibus, Clerus matris Eccleſiæ Pariſiorum, & fratres cœnobij ſancti Dionyſij, & ſancti Germani, & beatæ Genouefæ, ac Fuſſatenſis, diuerſorumque monaſteriorum vnanimitas, præſentem & futuram ſalutem. Venerabilem Paſtorem noſtrum Ercanradum nuper deceſſiſſe cùm longè lateque vulgatum ſit, tum ſanctitatem veſtram latere non potuit; nóſque affici mœſtitia de vocatione patris defuncti, ac ſollicitudine permoueri de electione ſucceſſuri, prudentia veſtra intellegit. Cùm enim principaliter ſe futurum Dominus IESVS polliceatur cum his qui principes religionis exiſtunt, non patimur diu carere antiſtite, cuius doctrina ad ſalutem noſtram inſtituamur, exemplo informemur, benedictionibus in nomine Domini muniamur. Eius, vtpote bonorum omnium auctoris, nequaquam nos cura deſtitutos firmiſsimè credimus, dum ipſe curas noſtras ſua clementia ſuſtulit, & vota vltronea benignitate præuenit. Namque ipſe in cuius manu cor Regis eſt, glorioſi Domini Noſtri Karoli, quemadmodum plenè confidimus, menti infudit, vt eius nos regimini committeret, quem in diuinis & humanis rebus ſui fidiſſimum multis experimentis probaſſet. Igitur Dei pronam in nos amplectentes miſericordiam, & Regis noſtri piam ſuſpicientes prouidentiam, Æneam, cuius præconia præmiſimus, concorditer omnes eligimus, Æneam patrem, Æneam Pontificem habere optamus. Quamuis enim tanta prudentia ac probitate præcellentiſſimus Rex noſter polleat, vt ſolum eius iudicium de viro memorato poſſet ſufficere; tamen conditionis humanæ non neſcij, futurorúmque curioſi, aulicorum nos ipſi propoſitum ac mores longè priùs inſpeximus; & inter graues probabiléſque perſonas & ſanctitate feruentes, hunc quem antiſtitem habere cupimus, quotquot eum noſſe potuimus, vt nunc palam eſt, abſque errore annumerauimus. Proinde, ſancti Patres, annitimini ne dilatione diuini & regij beneficij torqueamur; ſed nobis ſuſpenſis, nobis deſiderantibus, nobis flagitantibus, ponatur celeriter lucerna ſuper candelabrum; vt lumen veritatis populus Dei videat, & æmula deuotione, Præſulis veſtigia tenens, ſempiternæ beatitudini præparetur. Proceſſionem verò noſtri conſenſus in Æneam, Deo annuente per veſtrum miniſterium nobis futurum antiſtitem, ſubſcriptionibus noſtris certatim roborauimus; vt noſtra vnanimitate comperta, votum ſumma properantia compleatis.

EPISTOLA XCIX.

Reſcriptum Epiſcoporum ad ipſos.

GVenilo ſanctæ Senonicæ ſedis Metropolitanus Epiſcopus, Heriboldus Autiſiodori Epiſcopus, Agius Aurelianorum, Prudentius Tricaſſinorum, Herimannus Niuernenſium, Frotbertus Carnotum, Hildegarius Meldorum, Clero matris Eccleſiæ Pariſiorum, & cunctis in diuerſis cœnobiis ſub ea Deo militantibus, ſalutem. De exceſſu reuerentiſſimi Coëpiſcopi noſtri Ercanradi non mediocriter anxij, veſtrique mœroris participes, tandem iuſtiſſimæ diſpoſitionis Dei memores, conſolationem recipimus, dum vos ſub Paſtore bono agentes, qui ſummè bonus eſt, vicarium eius ſcilicet viſibilem miniſteriique noſtri conſortem, abſque dilatione expetere veſtris litteris tenentibus lineas rationis cognouimus. Præparatum enim à Deo ei bonum exitum credimus cuius, munere talem videmus patere ingreſſum: quanquam nobis futurus nunc ſocius olim fuit præcognitus, & merito ſuæ probitatis amabilis. Quis enim vel leuiter tetigit palatium, cui labor Æneæ non innotuit, & feruor in diuinis rebus non apparuit? Quamobrem electionem veſtram in eo factam Deo propitio libenter ſequimur; vt eum profuturum populo eius, ad dignitatem Pontificatus promouendum concorditer decernamus. Sit igitur vobis paſtor, qui pro ſuis in Deum meritis bene complacuit; & ſequentes eius veracem doctrinam, & ſancta opera imitantes, ad cœleſtis regni paſcua properate felices. Ordinationi autem eius ſubſcripſimus concorditer vniuerſi, vt ſecuri miniſterio poteſtatis eius fruamini.

EPISTOLA C.

Admonitio.

DIuerſis malis afflicti, cauſam eorundem malorum debemus cognoſcere, & cognitam, auxiliante Dei miſericordia, euitare. Cauſam proſperitatis & aduerſitatis Spiritus ſanctus apertè demonſtrat, his verbis: *Iuſtitia eleuat gentem, miſeros facit populos peccatum.* Peccatum quo miſeri efficimur hoc eſſe credibile eſt, quòd cum ſimus fide Chriſtiani, deſtruimus factis noſtram profeſſionem. Et quia beatitudini ſempiternæ felicitatem præponimus temporalem; & illam, niſi reſipiſcamus, perdimus, & hanc, quæ quantulacunque poſſet eſſe, ſi recti eſſe vellemus, non apprehendimus. Quia ergo vindicta Dei & in hac vita temporaliter incipit, & vſque ad alteram, quæ finem non habet, niſi conuerſio ſubueniat, pertendit, & hîc ſæpe bonos bona temporalia comitantur, alibi autem eoſdem bonos æterna bona coronant; ſiue prælati, ſiue ſubditi, omnes deponamus excuſationem; & cùm ſibi vnuſquiſque noſtrum ſit conſcius in quibus maximè Deum offendit, communiter eum & obedienter audiamus monentem; *Redite præuaricatores ad cor.* Itémque: *Lauamini, mundi eſtote, auferte malum cogitationum veſtrarum ab oculis meis, quieſcite agere peruersè. diſcite benefacere*; vt per pœnitentiæ ſalubrem curſum, perueniamus ad indulgentiæ tutiſsimum portum. Ita enim valebimus non ſolùm effugere mala præſentia, verùm etiam bona ſperare ventura. Dediſcamus ſola carnalia appetere: de conſequendis ſpiritalibus aliquando cogitemus: & vt noſtræ cupiditates temperentur, & modum aliquem teneant, veniat nobis in memoriam celer eorum tranſitus quos in dignitatibus vidimus, nec obliuiſcamur quòd eos cottidie ſequimur: ad mortem enim ſine intermiſsione properamus. Repetamus mores quibus hoc regnum creuit, & viguit. Nullæ ſint factiones, nullæ conſpirationes inter nos, qui patrem inuocamus Deum, quibus dicunt Pontifices, PAX VOBIS, & pro quibus omnes concorditer orant Sacerdotes, *Da propitius pacem in diebus noſtris*, &, *Pax Domini ſit ſemper vobiſcum*, & quibus polliceri dignatur: *Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur.* Illa comminatio eius non videatur nobis contemptibilis, *Væ illi per quem ſcandalum venit*; ne fortè, quod ipſe auertat, *ſola vexatio det aliquando intellectum auditui*; vt infelici experimento, quod nunc non credimus, aut nos neſcire fingimus, in tormentis poſiti ſentiamus. Prædas & rapinas, conuerſationi Chriſtianæ nimis contrarias, & à regno Dei miſerrimos excludentes, penitus deponamus. Contra hos enim ſic ſermo Apoſtolicus fremit: *Neque rapaces regnum poſſidebunt.* Pro Dei timore atque amore, lucra propria intermittamus, bono communi & publico certatim & vnanimiter conſulamus, vt dum tranquillitatem fidelibus præſtare nitimur, & vires reſiſtendi infidelibus recuperemus, & ab eo qui eſt omnipotens, vtriuſque pacis, id eſt, & qualis nunc eſſe poteſt, & illius

conſum

A consummatæ, quæ solis electis dabitur, gaudia consequamur. Illud autem neminem nostrum fugiat, quibusque doctissimis vsque ad nostram ætatem probatum & creditum, quia per concordiam paruæ res crescunt, per discordiam verò maximæ dilabuntur; ne fortè dum cupimus nostra securiùs tenere, vel ad maiora capienda felicius conscendere, iusto Dei iudicio ruina nos regni, quam nostris dissensionibus præparamus, inuoluat, & in perniciem animæ & corporis pertrahat.

EPISTOLA CI.

Ad Episcopos, de Peregrinorum receptione, ex parte Guenilonis.

B REuerentissimis Præsulibus Italiæ & Galliæ, ceterisque Dei fidelibus, Guenilo Senonum Metropolitanus Episcopus in Domino salutem. Quotiens iusta extante causa sanctitatem vestram alloquimur, caritas, quæ diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis, id agendi tribuit fiduciam, præsertim cum gratuito negocio pietatis proueniat incrementum. Monachi prouinciæ ac dioeceseos nostræ ex monasterio quod appellatur Bethleem siue Ferrarias, nomine Aldulphus & Acaricus, presbyterij gradu ornati, diuino, vt credimus, instinctu Romam proficisci orandi studio destinarunt, & nostra Abbatisque sui nobis admodum dilecti Lupi accepta licentia propositum exequuntur; quos vestræ paternitati de more commendamus; implorantes, vt quia laborem peregrinationis pro æterna remuneratione susceperunt, consolationem in vobis in eundo ac redeundo eam inueniant, qua deuoti à religiosis fouentur. Eritis enim mercedis eorum participes, si laboris fueritis beniuoli adiutores. Cupimus vos valere feliciter.

C

EPISTOLA CII.

Item ex parte Abbatis.

PLurima veneratione suspiciendis Episcopis Italiæ ac Galliæ, reliquisque Christiana religione pollentibus, Lupus Abbas ex monasterio quod dicitur Bethleem siue Ferrarias, situm in dioecesi Senonicæ vrbis, cui præest reuerentissimus Guenilo, præsentem & futuram salutem.
Ps. 118. Quamuis vergente in occasum mundo non dubito in electorum corde feruere caritatem, quæ merito in sacris eloquiis latum appellatur mandatum. Ac propterea non erubesco postulare ab aliis aliquid quibus nihil præstiterim, vel quos penitùs facie nesciam. Ea bonis vsitatissima caritate, Deus, qui nos facit vnanimes habitare in domo, perpetuis bonis transeuntia mutare, lucrum esse maximum instituit. Proinde
D suggero sanctæ paternitati vestræ monachos & presbyteros, quorum alter vocatur Aldulfus, alter Acaricus, ex nostro collegio, Romam supplicatum proficisci statuisse, & antistitis memorati ac nostro permissu, quod exoptauerant adimplere. Vestra ergo beniuolentia euntibus illis ac redeuntibus subsidium dignetur impendere: quia & sufficiens viaticum tanto itineri ferre fuit eis impossibile, & mercedis eorum vos credimus fore consortes, si experti fuerint laboris sui pro Dei nomine cooperatores.

EPISTOLA CIII.

Ad dominum Apostolicum.

DOmino præcellentissimo, & omnibus Christianis vnicè singulariterque venerando, vniuersali Papæ Benedicto, vltimus Abbatum Lupus, ex monasterio E Galliæ, quod vocatur Bethleem siue Ferrariæ, præsentem prosperitatem, & futuram beatitudinem. Tempore decessoris vestri beatæ memoriæ Leonis functus legationes Romæ, cui auctore Deo præsidetis, & ab eodem antistite exceptus benigne atque tractatus, postquam vos non esse inferiores religione fama declarauit, nec tantum potestatis beatissimi Petri participes, verum etiam humilitatis, quam in allocutione Cornelij vulganit, heredes vera morum vestrorum expensio certa ratione perdocuit, ausus sum ego tantillus cognitioni vestræ sublimitatis me scriptis ingerere, meamque exiguitatem & fratrum meorum monachorum vnanimitatem eximietati vestræ committere; vt in vestris sanctis orationibus mereamur à Deo & in præsenti vita consolationem, & in futura communionem salutis feliciter consequi. Fratres præterea & compresbyteros nostros Aldulphum & Acaricum, qui spontaneam peregrinationem pro nomine Domini susceperunt, & quanquam F laboriosissime, ad memoriam beatissimorum Apostolorum ceterorumque sanctorum tandem aliquando peruenerunt, specialiter vestræ mansuetudini commendamus; vt eos pietate competenti fouere dignemini, & consuetudinibus Ecclesiasticis, quæ variæ in diuersis locis tenentur, diligenter instruere; vt per eos ad nos, & ad ceteros quosque talia piè quærentes, institutio Romana perueniat. Siquidem in quibuscumque ad religionem vel honestatem pertinentibus ambiguitatem creat varietas. Vt optima quæque eniteant, illuc sollicita inuestigatione credimus recurrendum, vnde vbique fidei manauit exordium. Ceterùm quia *parentes thesaurizare debent filiis*, vt doctor gentium manifestat, nosque 2 Cor. 12. vobis obsequentissimi filij esse cupimus; Commentarios beati Hieronymi in Hieremiam, post sextum librum, vsque in finem prædicti Prophetæ: per eosdem fratres nobis mitti deposcimus in codice reuerendæ veritatis, vestræ sanctitati, si id obtinuerimus, postquam celeriter exscriptus fuerit, sine dubio remittendos. Nam G in nostris regionibus nusquam vllus post sextum commentarium potuit inueniri; & optamus in vobis recuperare quicquid patriæ nostræ deesse sentimus. Petimus etiam Tullium de Oratore, & XII. libros Institutionum Oratoriarum Quintiliani, qui vno nec ingenti volumine continentur: quorum vtriusque auctorum partes habemus, verùm plenitudinem per vos desideramus obtinere. Pari intentione, Donati Commentum in Terentium flagitamus. Quæ auctorum opera si vestra liberalitas nobis largita fuerit; Deo annuente, cum memorato sancti Hieronymi codice fideliter omnino restituenda curabimus. Sanctitatem vestram ad totius Ecclesiæ vtilitatem diuina clementia diuturnis temporibus conseruare dignetur.

EPISTOLA CIV.

Ad Regimb.

H CArissimo suo Reg. Lupus in Domino salutem. Desideramus quidem aduentum vestrum, vt dignum est, quem iam certæ litteræ spoponderunt; sed suademus vigilantissima cautione tutum iter eligendum, propterea quod in regno Karoli Regis nostri nouis exortis rebus, impune latrocinia committuntur, & nihil securius atque constantius quam rapinarum violentia frequentatur. Talis igitur est commeantium quærenda societas, quorum numero atque virtute improborum factio caueatur, aut, si necesse fuerit, repellatur. Catilinarium & Iugurthinum Sallustij, librosque Verrinarum, & si aliquos alios vel corruptos nos habere, vel penitùs non habere cognoscitis, nobis afferre dignemini; vt vestro beneficio & vitiosi corrigantur, & non habiti, numquamque, nisi per vos, habendi, hoc gratiùs quo insperatiùs adquirantur. Cupio vos valere feliciter.

A

EPISTOLA CV.

Ad Marcuuardum & Eigilem.

CArisſimis ſuis Marcuuardo & Eigili Lupus plurimam ſalutem. Octauo Idos Auguſti litteras veſtras accepi, cum eſſem in Faræ monaſterio, proficiſcens ad generale Placitum quod Rex noſter indixerat futurum VI. Id. prædicti menſis. Quia itaque quatuor mecum tantummodo fratres habebam, & ceterorum voluntatem plenè ſcire non poteram, & mira nimium res contigerat, (quod ſcilicet in monaſterio noſtro educatus, poſtquam diuinam admonitionem aſsiduè audierat, nullam perſecutionem paſſus, matura ætate non heremum expetierat, ſed proprio relicto habitu, dignitatem ſæcularem, quod diu meditatus & confeſſus plurimis fuerat, lucraturus abierat, ſimilibus paria facturis felix iter paraturus, & nunc ad ſuggeſtionem veſtram propoſito mutato ad Deum reuerti velle ſcribebatur à vobis) B ſanctitati veſtræ notum facio, veræ illius conuerſioni, ſi contigerit, me valde gratulaturum, & quæcumque in me commiſit, pœnitenti ex animo dimiſſurum. Vos, dum à placito regredior, quod propter Deum cœpiſtis, inſtanter elaborate perficere, videlicet vt integrè ad Deum reuertatur, & ſuam culpam in alium deinceps transfundere non optatur. Temperantiæ ſtudeat, conſpirationes non repetat, murmurum auctor nec particeps exiſtat; ſeditiones nec faciat, nec foueat; ſed quietem & ipſe habeat & alios habere permittat; & generaliter iuxta Dei præceptum, *declinet a malo, & faciat bonum*; & in diebus noſtris in loco noſtro nihil patiemur vnde iuſtè queratur. Mox autem vt rediero, fauente Dei gratia, vt veſtræ ſuggeſtioni fratres pareant elaborare contendam illorumque conſenſum ſanctitati veſtræ litteris exprimam, & Domino Imperatori, cui propter ſingularem C & vbique diuulgatam pietatem deuotiſsimi ſumus, digno reſcripto ſatisfacere curabimus. Benignè memorem noſtri ſanctitatem veſtram feliciſsimeque optamus, vnicè ſingulariterque nobis patres dilecti.

1 Pet. 3.

EPISTOLA CVI.

De receptione Peregrinorum.

OMnibus Dei omnipotentis fidelibus Guenilo Senonum Metropolitanus Epiſcopus ſalutem. Monachus quidam noſtræ dioeceſis, nomine Dolinaldus, ex monaſterio quod appellatur Ferrariæ diuino, vt credimus, inſtinctu, (eſt enim valde religioſus) laborem peregrinationis aſſumpſit; vt pro ſe fratribuſque ſuis monachis, ac pro nobis, apud beatiſſimos Apoſtolos Petrum & Paulum, ceteroſque ſanctos, Dei miſericordiam imploraret, & quod ſuis non poſſet, eorum orationibus obtineret. Hunc veſtræ committimus caritati, D obſecrantes, vt pro amore Dei, ſicut ſeruum eius, eum excipiatis, tractetis, atque dimittatis, ſiue euntem, ſiue redeuntem. Decet enim vt vbicumque religionem ſuam, hoc eſt, Chriſtianam, inuenerit, ſuam quoque patriam recognoſcat; & inter ceteros hunc quoque faciatis amicum, qui ſunt vos in æterna tabernacula recepturi.

EPISTOLA CVII.

Item vnde ſupra.

DOminis reuerentiſſimis, Chriſtiana religione pollentibus, Lupus Abbas ex monaſterio Galliæ, quod appellatur Bethlehem ſiue Ferrariæ, plurimam ſalutem. Monachus noſter, cui nomen eſt Dolinaldus, magna ſimplicitate ac laudabili deuotione, vir ſpiritu Dei vt omnino credimus, accenſus, cum venerabilis Epiſcopi noſtri Guenilonis ac noſtra benedictione pro ſe ac pro nobis Deum & Sanctos Apoſtolos Petrum & Paulum precaturus, Romam proficiſcitur; quo maiorem laborem aſſumpſit, hoc certiùs ſe exaudiendum confidens. Hunc veſtræ ſanctitati, probitati eius teſtimonium perhibentes, commendamus. Ne dubitetis huic impendere quod bono cuique indigenti præbendum eſt, quoniam licet ſit expers litterarum, mandata Dei quæ non legit in codice, demonſtrat in opere, omniumque inter quos verſatur non amorem ſolum, verùm etiam venerationem breui meretur. Vos itaque ſic eum quæſumus vel euntem vel reuertentem tractare dignemini, vt ab illo cuius verus eſt cultor ſecuri perenne præmium expectetis.

EPISTOLA CVIII.

Ad domnum Hlotarium.

PRæcellentiſſimo Domino Lothario glorioſo Auguſto, vltimus Abbatum Lupus, & omnia monaſterij Ferrarienſis vnanimitas, præſentem felicitatem & futuram beatitudinem. Quanquam inter adminiſtrationem terreni regni; de cœleſtis acquiſitione vos cogitare magnam ſpem veſtræ ſalutis tribuat his qui ſincere vos diligunt, quod ſempiternum præmium bonis operibus comparatis; tamen hoc eos maximè lætificat, vt abſque fuco adulationis, quod ſentimus ſimpliciter eloquamur quod poteſtatem culminis veſtri gratiſſima Deo & hominibus pietate ornatis: in hac enim perſeuerantes, inter eos annumerabimini, quibus promittere dignatur ſaluator: *Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur.* Nos deuotiſſimi famuli veſtri, ſpecialiter maieſtati veſtræ gratias agimus, quia fratrem noſtrum G. (ideo fratrem, quia audiuimus conuerſum) à ſuo propoſito deuium & auctoritate reuocaſtis, & mira dignatione, etiam interceſſione, quæ vim iuſſionis meritò obtinet, ad noſtrum collegium reduxiſtis. Debemus igitur vobis aſſignare, poſt Deum, nos eius correctionem, ille ſuam ſalutem. Nam quod ſacra veſtra ſignificabant, vt reſumpto habitu in officio condendarum epiſtolarum perſeueraret, nec vos decebat, & nobis conſentire erat impoſſibile; quoniam propoſitum noſtrum vix mediocriter intra clauſtra monaſterij cuſtoditur, nedum inter tumultus mundanos à quolibet, præſertim non ſuis cauto, valeat adimpleri Dominus & Saluator noſter ad tutelam & pacem populi Chriſtiani, quem redemit: diuturna ſoſpitate in hac vos vita contineat, & in futura gloria ſempiterna coronet. M

EPISTOLA CIX.

Ad Marcuuardum & Eigilem.

CArisſimis ſuis Marcuuardo & Eigili Lupus, omniſque Ferrarienſis cœnobij ſocietas, præſentem & futuram ſalutem. Tandem à Placito me reuerſo ad monaſterium, fratribuſque veſtra diligentia conuerſione G. expoſita, ab omnibus talium capacibus ſanctitati veſtræ relatæ ſunt dignæ gratiæ; illi autem congratulatum quod audiebant depoſitam certæ perditionis temeritatem, & reſumptam obtinendæ ſalutis intentionem. Redeat itaque ſecurus, ſi ex animo eſt, vt optamus, conuerſus: quia vnde Angeli, totius expertes peccati, gaudium habent, crudele eſt nos non exultare, qui in multis offendimus omnes. Siquidem quacumque occaſione quis ad Deum recurrat, gaudendum eſſe nobis, luxurioſus ille filius miſericordia patris receptus informat, cui apud eundem patrem non fuit egeſtas opprobrio, quem gratis reformata dignitas abſoluit. Litteras Domino Imperatori vobis legendas, ac ſigillo munitas, maieſtati eius per vos honorifice offerendas direximus, vt volun-

A tatem nostram etiam in eis rectam inspiceretis. Folchricum & Maur. cupimus cum fratre memorato redire, vt piractio, quo vnice delectantur, (nam hoc anno penuria vini timetur) nobiscum fruantur. Raritas tamen fructuum idipsum defuturum, vt prodamus veritatem, minatur, ceruisiam vero sterilis annonæ prouentus. Tuto igitur naturali potu, quo salubritas animæ corporisque nonnunquam acquiritur, omnes vtemur: non hausta lutulenta cisterna, sed puteali perspicuitate aut vitrei riui decursu. Optamus vos valere feliciter, & paruitatis nostræ benigne in omnibus meminisse.

EPISTOLA CX.

Ad Hilduinum.

B NObilitatis, dignitatis, & moderationis apice conspicuo Hilduino, Ecclesiasticorum magistro, Lupus præsentem & futuram prosperitatem. Non est mirandum amplitudinem vestram putasse tuto committi nobis thesauri custodiam, propterea quod monasterij situs vobis non erat compertus. Hunc enim si cognouissetis, non mododiuturno non conseruandum, sed ne triduiquidem spatio habendum eum nobis direxissetis. Namque tametsi piratarum huc difficilis videtur accessus, (quibus iam, peccatis nostris talia merentibus, nihil longinquum non est propinquum, nihil arduum est inuium) tamen infirmitas nostri loci, & exiguitas hominum qui sint idonei resistere, accendit rapacium auiditatem; præsertim cum siluis tecti possint aduolare, nulla munitione, nulla hominum obstante frequentia, & vicinia saltuum recepti, sic diuersi diffugere, vt ipsi pecunia secum potiantur, inanem laborem inquirentibus derelinquant. Hæc ita esse & homines vestri nuper inspexerunt, & hic suo, qui diu nobiscum
C versatus est, poterit approbare. Proinde vestra merito laudata & laudanda prudentia prospiciat nostræ formidini, & suæ rei, ac pretiosi pericula alio transferenda procuret; ne si quod veremur contigerit, vos sera penitudine torqueamini, nos verò quam non meremur incurramus offensionem. Eximietatem vestram cupio valere feliciter.

EPISTOLA CXI.

Ad Odonem Abbatem.

CArissimo suo Odoni Abbatum clarissimo Lupus plurimam salutem. Magnis & innumeris vestræ liberalitatis [illegible] beneficiis, si, quas animo retineo, gratias verbis explicare conarer, non epistolæ solum, verum etiam voluminis modum excederem. Amplitudo vestra nostram exiguitatem non despexit, egestatem vberta[illegible] sublenit; nec [illegible] quod me suspicari audentem, vtpote longe imparem, [illegible] ssima sibi amicitia coæquauit. cuius ego [illegible] persruens, tamen facultate destitutor, non designo [illegible] saltem affectum mei animi declarare. [illegible] amicorum, quos ab ineunte ætate diuina mihi pietas con[illegible], sinistrsane vos teneo principes, nec cuiusquam alterius vt vestra dignatione [illegible] humanitate me [illegible] obligatum; adeo vt cum hæc repeto, [illegible] molestiam [illegible] quam valeam curare, atque vnum ac singulare [illegible] reperio solatium, quod diuina gratia, quæ me nihil huiusmodi merentem in tantum culmen societatis euexit, collatura sit ne in perpetuum [illegible]. Quæso ne putetis me delinimentis fallacibus vobis illudere; quæ denique tam sint apud me qu[illegible] [illegible] tango, sera, vt mea digne explicandis [illegible] labore oratio. Ceterum [illegible] fallax fama vulg[illegible], in procinctu contra barbaros, quosdam vestrorum [illegible] sauciatos; in quibus [illegible] dilectum nostris G. [illegible] confossum vulneribus, vix euasisse.

E Hinc vehementi dolore afflictus, opemque intercessionis cum fratribus meis continuans, super statu eorum cupio vestris litteris maturè fieri certior. Ingenti quoque vestri cura sollicitor, cum vos inermes incaute in media discrimina prorumpere solitos recogito, in quæ iuuenilem agilitatem vincendi rapit auiditas. Proinde benigna deuotione suadeo, vt sola dispositione contenti, quæ tantummodo vestro proposito congruit, armatos exequi permittatis quod instrumentis bellicis profitentur: denique multum proficit qui prudentibus consiliis competenter sibi & aliis prospicit. Quare seruate vos vestro loco, seruate vos amicis, seruate bonis omnibus; nec committatis quod mecum plurimi lugeant. Emptionem ferri, quod propter messem erat difficillima, distulimus, parati in nauem quam ædificamus vos recipere, & nisi naulum recusetis auferre. Dirigite impendenti Septembri, si prius non fuerit opportunum, quemadmodum nobis conuenit, fratres qui saltus partem as-
F signent. Infaustum etiam Faustum afferant; & responsa de omnibus, quæ mandaueritis, fideliter referant. Persica quæ pollicitus sum per cursorem, quem iam bene cognoscitis, misi. Ea si, vt vereor, vorauerit, vel vi sibi erepta questus fuerit; extorquere precibus, vt vel ossa tradat, nisi tamen & ipsa consumpserit, vt [illegible] persicorum sitis quandoque participes.

EPISTOLA CXII.

Item ad eundem.

CArissimo suo Odoni Lupus perpetuam salutem. Nuper mihi litteras reddidas, si possem diuinare à vob[illegible] ipsis quam ab alio compositas, conueniens forsitan reperir[illegible] responsum. Nunc ambiguo deterritus, quibus verbis vti valeam, quibusve sententiis, anxie
G quæro, ne apud vos metas moderationis excedam, quandoquidem vestræ personæ singulariter mihi considerato [illegible] sit habenda. Quis enim me ferendum iudicaret, si vos, quibus [illegible] gratias plurima, immo omnia debeo, tam [illegible] suspicionis arguerem? N[illegible] [illegible] epistolæ auctorem, [illegible] dolore [illegible] flagitarem, quibus tandem modis fidei studium [illegible] præciperet, qui litteras, vt ita dixerim, calamo in veritate tincto perscriptas, suspectas tam inuerecundè fecisset. Ego enim nihil vnquam de humanis rebus [illegible] locutus sum verius, nihil amico reuelam purius [illegible]. In[illegible] his aliis libenter, verendi [illegible] gratia [illegible] ridicula. Porro [illegible] professione amicitiæ, contemplatione tanti tamque diuini muneris, [illegible] complector. Hunc [illegible] de [illegible] approbauimus, si sic commendaretur sublimitas virginalis, vt non [illegible] humilitas coniugalis. Denique virginis filius non modo non damnauit coniugium, verum
H etiam eius nuptias videlicet, primo miraculo illustrauit. Placet itaque ac vehementissime virginalis integritas, sed non despicitur, ne ab ipso quidem Deo, coniugalis societas. [illegible] illud quod [illegible] est quod recipi [illegible] impone [illegible] taxatione [illegible]. S[illegible] quod futurum [illegible] intolerater repellatis, [illegible] prospicere ne impedientem [illegible]. V[illegible] gratiarum [illegible] reperta [illegible] barbaros & ad [illegible] vestra [illegible] Dei virtute [illegible] vosque ipsos & vestros [illegible] liberatos, nec [illegible] parim [illegible], tamen vos [illegible] non [illegible] tentandum. [illegible] patriæ sanctitas non cessabit [illegible] quoniam vestra [illegible] sanitate [illegible] lætificet. Tantum [illegible] non [illegible] Augustinus, sed quæ [illegible] in Decretis

Gelaſius. Vinum vobis mercandi curam depoſuetam, propterea quod deſpetabaris poſſibile vobis futurum ad nos deſtinare, noſtrorum diſcordia & barbarorum impediente audacia. Quoniam verò recenti me ſollicitaſtis admonitione, quanquam vindemiæ apud nos non eſt quantus iactabatur prouentus, vincere ſterilitatem anni labore contendam, ſi conſilium, quod vobis nuncius meus exponet, placuerit. Illud autem quod pollicitus ſum cum direxero, cognoſcetis quanta proprietate intelligam indulgentiam Apoſtoli, qua ſe auidiores vini tuerunt: *Modico vino vtere.* Circumſepti enim conditionis neceſſitate, non aliud quam à me miſſum bibendi modum dediſſe nomine modici me ſentire animaduertetis. Licet minaciter epiſtolam terminauerim, cupio vos valere feliciter.

EPISTOLA CXIII.

Ad Hludoguicum Abbatem.

CLariſſimo Abbatum Hludoguico Lupus præſentem & futuram ſalutem. Non dubito vbertate diuinæ gratiæ factum, vt veſtra ſublimitas meæ humilitati dignaretur condeſcendere, & me in qualicumque amicorum ordine numerare. Per vos enim & ſæpe aliàs & proximè intolerabili me incommodo diuina pietas liberauit cum moleſta nimis & diuturna ſtatio imponeretur. Veſtris itaque innumeris & aſſiduis beneficiis me imparem credens & confitens, reſpõdere omnipotentem imploro, cuius munere tantam & in me & in omnes opis egentes eſtis beniuolentiam conſecuti. Ceterum homines mei frequentibus exhauſti expeditionibus, audita profectione Domini Regis Britanniam versùs, & denuntiati olim Placiti aliquam ſperantes dilationem, popoſcerunt vt vos conſulerem, vbi & quando vobis iungi deberem. Proinde veſtra indulgentiſſima moderatio noſtras metiens difficultates, dignetur nobis litteris exprimere, quamdiu poſt præſtitutum Placiti diem, tuto morari poſſimus; ita vt nec deſimus Placitu, & aliqtid ſpatij, veſtro nos conſilio regente, lucremur. Illud etiam ne faſtidiatis ſubiungere, ſi abſque periculo piratarum nauis noſtra, expenſam vehens, poſſit tenere curſum per Sequanam, & inde per confluentem Iſaræ, vſque ad Credilium progredi. De veſtra exoptabili ſoſpitate ſuper omnia paruitatem meam lætificate; meique benigne memores, bene ſemper valete.

EPISTOLA CXIV.

Ad eundem.

CLariſsimo Abbatum Hludoguico Lupus plurimam ſalutem. Veſtris frequentibus imo aſsiduis beneficiis obligatus, doleo rebus me non põſſe rependere gratias. Propterea id proxime conatus ſum litteris agere; nec ruboris mei anguſtias amplitudinis veſtræ dignatio faſtidiuit. Vnde, quod ſolum poſſum, ingenuè fateor arctiori paruitatem meam debiti vinculo deuinxiſtis. Hæc tam ingens veſtra beniuolentia & in me & in omnes, à quo ſolo infunditur, ab eo, credo, remunerabitur. Nos, qui veſtri poſt Deum indigemus, continuis petitionibus æternæ illius retributionis augmenta præbemus. Poſitus in itinere comperi Dominum Regem ne tunc quidem quando conſtituerat ad vos reuerſum. Proinde dilationem flagitantibus hominibus meis, vt ſoleo ad præſidium conſilij veſtri confugio: quod ſic quæſo moderamini, quæ mihi agenda ſint præſcribentes, vt & ab offenſa tutus eſſe valeam; & ſi in retundendis aut opprimendis barbaris inſpirante Deo, efficax molitio ſtatuitur, pro viribus meæ tenuitatis adiutor exiſtam. Quantum cupio, in perpetuum valeatis.

EPISTOLA CXV.

Ad Ercanr. ex Gu. & aliorum perſonis.

REuerentiſsimo Præſuli Erc. G. H. & Ag. Epiſcopi, & vniuerſa Synodus apud Muritrum in Dei nomine congregata, perpetuam ſalutem. Sanctitati veſtræ gratias agimus, quod quanquam tardiuſculè, tamen veſtrum vicarium direxiſtis, qui pondus deliberationum noſtrarum nobiſcum exciperet, definiendiſque rebus neceſſarium conamen adhiberet. Sed perſona veſtra apud ſimplices quoſque tantum amplius contuliſſet auctoritatis, quantum præcedit apice dignitatis. Proinde quia, peccatis noſtris merentibus, turbulentiſsimum tempus eſt, & tot ſibi ſuccedentibus annis, exuberante iniquitate, defuit facultas celebrandi conuentum, ac Regis cor Deus ita molliuit vt nobis aliquam correctionis largiretur opportunitatem, momenta verò vitæ noſtræ nullam ſui tranſitus dilationem recipiunt, cauſam ipſius Domini Noſtri haudquaquam ſegniter debemus curare, nec nos ab executione officij, quod indigni ſuſcepimus, vlla niſi impoſsibilitatis neceſsitate ſubtrahere: quoniam, vt ſcriptum eſt, *homo videt in facie, Deus* 1.R.
autem in corde; qui redditurus eſt, vt alibi veriſsime dici- 16
tur, *vnicuique ſecundum opera ſua.* Atque vtinam ſu- M.
pererogaremus aliquid; vt ipſe rediens, optata mercede cumularet. Caritatis igitur . . . . *Cetera deſunt.*

*****

noſtri detrimenta, vbi aliquot diſcipuli bene iam inſtituti, immatura morte deceſſerunt, compenſate illorum eruditione, qui vel in profectu poſiti, ſuæ profectionis augmenta deſiderant, vel eorum qui felicibus indiciis ſpem ſui profectus, plurimum id nobis cupientibus, iam dederunt, nimirum crederem me totius boni auctorem tam fructuoſo promereri labore. Vt ergo particeps efficiatur doctrinæ memoratus puer, cui iuſtè conſulitis, licentiam & litteras ſui habet Epiſcopi, perducatur ad nos à dilectiſsimo Remigio IV. Kal. Iul. & gratia Dei opitulante conabimur cum aliis illi quoque prodeſſe.

EPISTOLA CXVI.

Fratribus ex Cœnobio ſancti Germani.

SAnctis Patribus in monaſterio beati Germani Deo excellenter militantibus Lupus ſocia congregatione Ferrarienſi copioſam in Domino ſalutem. Semper quidem in cœnobiorum noſtrorum habitatoribus vera caritas viguit; ſed nunquam tam certis indiciis, vt noſtro tempore, ſui magnitudinem declarauit; ac in nobis ſi quid præter ſolitum exercuiſſet, ſupprimendum videretur, ne immemoris beneficij exprobrationem nos formare aliquis æſtimaret. De vobis liberum nobis eſt, præſertim vera narrare, ad diuinæ laudis augmentum. Et quoniam confidentius experta aſſerimus, quàm audita; à memetipſo inchoandum decreui, fidem propoſitioni facturus. Cum proximo autumno inſignis Rex noſter Karolus Antiſiodorum veniſſet, & comitatus eius proxima loca pene omnia occupaſſet; egentes hoſpitij vos potiſsimum adeundos credimus. Nec ſpe noſtra falſi, officiosè ſumus excepti; & publicum veſtrum conuictum regio famulatu nobis penitus adimente, quacumque hora elabi potuimus, nequaquam ſenſimus importunitatem noſtram vobis oneri extitiſſe. poſtquam per cariſsimum propinquum Remigium, & gratiſsimum auditorem meum Fridilonem, ſanctitati veſtræ ſatisfecimus, oſtendentes votum noſtrum; quibus reniti non valebamus, mandata Regis aliò quàm vellemus auertere. Diſceſſuri, ne gratias quidem in conuentu referendi copiam habuimus, quoniam

moras

A moras omnes deferendæ legationis impossibilitas auferebat. Vnde in hac parte memoratos amantissimos fratres, vicem nostram implere obsecrauimus, donec per nos id ipsum exequi diuinitas largietur. Ad hæc quæ suprà retulimus, terrente prædonum improbitate, ornamenta Ecclesiæ nostræ occultanda curastis, nec ad id præstandum inuenti estis difficiles. Quæ secum reputans dilectissimus frater noster S. & cùm sibi, tum etiam pluribus aliis nostrum multa benignè collata recensens, impendente, vt metuebamus, ruina nostri loci, quam & nostra peccata & piratarum vicinia minabantur, vos elegit, non apud quos peregrinaretur, sed intra quorum collegium admissus, vicarium nostri loci contubernium possideret. Verùm id etiam alij postulauerunt, optantes, licèt diuersi, in monasteriis consistere, quàm cum maiore suorum parte in villa versari. Quamquam igitur Deus, incertum vtrùm sua pietate in perpetuum subuersionem nostri monasterij re-
B mouerit, an aliqua latente causa ad tempus distulerit; tamen prædictus frater, quod obtinendum conceperat, perseuerauit flagitare: quod vtinam vobis annuentibus consequatur, ne simili casu coactus, vlteriora compellatur sectari. Supplicamúsque vt eum apud vos consistentem, piè foueatis: quia meorum laborum diu particeps fuit, & pro sua probitate ac strenuitate semper gratus omnibus & vniuersaliter vtilis est iudicatus. Præterea vestræ sanctitati plurimùm confisi, ausi sumus fratrem Bernegaudum, rudem adhuc monachum, roganti vestræ paternitati dirigere, vestræ voluntati obsecuturum, & in suo proposito perfectiorum exemplis atque doctrina studiosiùs confirmandum. Exiguitatis nostræ benignè memores optamus vos valere feliciter.

EPISTOLA CXVII.

Ad Ansboldum.

REuerentissimo A. Abbati, & vniuersis fratribus eius, Lupus & omnis Ferrariensis cœnobij societas, in Domino salutem. Asperrimis difficultatibus enictis, gaudemus vos tandem aliquando gratia diuina loco proprio restitutos. Nec illud non libenter accipimus, quòd nostram in vos pronam voluntatem pio affectu iucundísque sermonibus prosequimini; quamquam longè plura atque maiora vobis præstita cupetemus. Tribulationes nostras partim dolenter audistis, partim anxij aspexistis: sed eas temperante vel penitùs auferente Domino Deo nostro, cum vestro commodo vobis, vestrísque qui nos adierint, desideramus vsui esse ac sincerissimæ voluptati. Vt igitur familiaritas olim inita, vberiori proficiat incremento, in occidua plaga recuperatæ facultates fuerint adiumento, dum excursus & recursus per nos, quæ vtrinque gerantur aperiet, cupimus vos nostri benignè memores semper valere feliciter.

EPISTOLA CXVIII.

Ad Herardum Episcopum.

REuerentissimo Turonicæ Ecclesiæ antistiti Herardo Lupus & Bethlehemitici cœnobij vnanimitas, plurimam in Domino salutem. Quemadmodum scribere dignati estis, diuinitus cum exiguitate nostra familiaritatis fœdera sociastis. *Caritas* enim, vt scribit Apostolus, *à Deo est*; quæ maximè in his eminet, qui sincera amicitia fœderantur. Vtinam autem vel orando spiritaliter, vel obsequendo seculariter, aliquid vobis conferre possemus. Profectò nostram in vos voluntatem fideliter aperiremus, quod in carissimo nobis fratre T. declaramus, quem secundùm petitionem vestram ad regendos monachos in Cella Roclena concedimus: qui
E cuius momenti apud nos sit, ex officio, quod laboriosissimè gessit, facile est æstimare. Supplicamus autem sanctitatem vestram, vt eum assidua pietate foueatis, sentiátque paternum in vobis affectum, cuius dulcedine semper inter mundi amarissimas molestias recreetur.

EPISTOLA CXIX.

Ad Æneam Episcopum.

CArissimo suo Æneæ Lupus æternam salutem. Doctrinæ studiosissimo Regi nostro, quemadmodum vobis post alia intentionem meam aperui, quòd liberalium disciplinarum laborem recolendo, & alios instituendo, fauente totius boni auctore Deo, vellem repetere, si otium ipse habiturus præmij communionem sua indulgentia concessisset: quod votum meum sere-
F no vultu sermonibúsque blandis amplexus, vt ad effectum valerem perducere, se curaturum promisit. Id vobis continuò significandum credidi; ne oblata occasione nescíretis ad tantæ rei adnisum quibus esset inuitandus alloquiis. Me verò monasterium ingredientem tristis excepit nuncius, ostendens Hildegarium vestrum, qui neptem meam habebat in coniugium, decessisse. Vnde proprio affectu & propinquorum vtriusque lineæ impulsu, asserentium me apud vos plurimum posse, sanctitati vestræ has litteras destinaui, supplicans vt filio ipsius, super quo postulauit, concedere dignemini beneficium; tutorem verò, qui & moribus vestris congruat, & militare obsequium exigat, laudabili prudentia statuatis. Relicta memorati viri eiúsque propinqui decenter vos, si obtinuero, venerari studebunt. Deus autem, aliis etiam bonis suffragantibus meritis, in eorum collegium aggregabit, quibus pollicetur: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam con-*
G *sequentur.* Cupio vos valere feliciter.

EPISTOLA CXX.

Ad Arduicum Episcopum.

DEsiderabili Pontifici A. Lupus & fratres eius monachi sempiternam salutem. Suspensi ad benignissimas promissiones vestras, tempus frustra fluere dolemus, cùm infestationes prædonum non possimus non habere suspectas. Proinde vt vestrum acceleretur votum, nostrúmque depellatur periculum; suppliciter imploramus, vt propter cœlestem retributionem, ipsi dignemini ad aliquem locum fatigari, quò non sit mihi & quibusdam fratribus impossibilis accessus; vt & vos nobis exponentibus nostram necessitatem, & nos vobis aperientibus vestram voluntatem plenè valeamus cognoscere. Cum loco autem, diem mensis exprimite, ne du-
H bietate aliqua confundamur, cupimus.

EPISTOLA CXXI.

Ad VVlfadum Abbatem.

VNanimi suo Vulfado Lupus omnimodam salutem. Fama vulgauit aduentum Regis aliter futurum quàm fuerat ab eo dispositû. Causas igitur huius immutationis, & quo tandem tempore venturus sit, aut vbi interim moraturus, familiaribus litteris aperite; vt ex eis quid mihi agendum sit, inspirante Dei fauore, valeam æstimare. Relatio enim cursoris fidem non inuenit, quoniam frequenter euidenti mendacio maculatur. Valete.

A

EPISTOLA CXXII.

Ad Gerhardum.

PRæcellentiſſimo Duci G. & clariſſimæ coniugi eius B. Lupus præſentem & futuram ſalutem. Semper inſignis fama de probitate veſtra bonus quoſque lætificauit; ſed nunc in omnium notitia vberiùs effloruit, cum eandem probitatem veſtram ſucceſſu profuturo Chriſtianis omnibus diuinitas comprobauit. Illi laudes illi gratiæ, illi exquiſita præconia, qua auctore hoſtes moleſtiſſimos partim peremiſtis, partim fugaſtis. Cùm verò quæ primo polliceri, poſtea promittere dignati eſtis, largiri fueritis, conabimur gratias cumulare. Ceterum, quod diligenter ſcrutamini noueritis monachum
B & diſcipulum meum Ad. nunquam à noſtro monaſterio aufugiſſe, ſed ad petitionem beatæ memoriæ Marcuuardi Abbatis ex Prumia aut Proncam, à nobis eum honeſtè directum, & cum illo aliquamdiu conuerſatum, quorundam inuidioſorum vitaſſe inſidias, & inde diſcendi ſtudio & quietis amore in vrbe Lugdunenſium conſtitiſſe. Reuerentiſſimis autem viris Remigio memoratæ vrbis Metropolitano & H. Gratianopolitano inſtanter poſtulantibus, & conuerſationem memorati fratris laudantibus, quanquam olim meam verbis habuiſſet licentiam, etiam regulares litteras accepiſſe; quæ prolatæ, quid de eo ſentiam, fideli relatione fatebuntur. Litteras etiam eum Eccleſiaſticas habere à venerabili Epiſcopo noſtro Guenilone certiſſimè ſcio, nec impedire aliquid, ſi Deus eum vocat, quo iuſtè eius infirmari poſſit electio bene apud nos conuerſatus eſt. Quæ plurimum indiget Eccleſia, idoneus eſt ad docendum: regularibus & pontificalibus fultus eſt epiſtolis: progenitorum nobilitate ornatur. In ſancto propoſito, iu-
C dicio prædictorum antiſtitum inter quos degit, deuotè perdurat. Quid reſtat, niſi vt quod ſanctis Præſulibus Deus inſpirauerit fiat? Quid autem mirum, ſi aliquando aſperiùs aliquid ſuper eo locutus ſum. Illud culpa fuit inimicorum eius impudenter falſa vulgantium: iſtud quod nunc litteris alligo meum eſt iudicium conſtanter priùs viſa & poſtea comperta narrantis. Cupio vos valere feliciter.

EPISTOLA CXXIII.

Ad Ansboldum.

CAriſſimo ſuo Anſbold. Lupus indeficientem ſalutem. Vehemens ac generalis neceſſitas, vt comperiſtis, abduxerat; ac propterea nequiuimus, quemadmodum vterque noſtrum cupiebat, dum reuerteremini fido recreari colloquio: erit autem diuinæ gratiæ iſtud
D quandoque compenſare diſpendium: interim ſinceritate amoris probabiliter delectemur. Ceterùm redditæ ſunt nobis dudum litteræ diem ingreſſus veſtri in monaſterium oſtendentes: quibus in conuentu recitatis, & ab omnibus meritò collaudatis, reſcripſimus quæ nobis conſequentia videbantur. His autem recentibus inſpectis, intelleximus illas needum vobis fuiſſe perlatas. Nunc verò, id eſt, Nonis Martij, vos eaſdem habere opinamur. Atque ideo quæ continentur eiſdem, otioſum eſſe repetere. Fratres omnes affabiliter ſalutate, & vt pro nobis, vtpote ſibi deuotiſſimis, orare dignentur, ſuppliciter obtinete. Optimè vos valere optamus.

***

EPISTOLA CXXIV.

Ad Guenilonem Epiſcopum.

REuerentiſſimo Gueniloni Pontifici Lupus præſentem & futuram ſalutem. Non eſt mirum ſi vos tamdiu Metropolitanus Epiſcopus mendacio fefellit, quando Dauid nequam ſeruus veriſimili figmento ad horam decepit. Prædiorum, quibus donatus fuerat, medietate ſeruus ille mulctatus eſt. Epiſcopo verò timendum eſt, ne promiſſionum cœleſtium integritate priuetur; cùm, teſte ſapientiſſimo Salomone, eum deteſtetur anima Dei, *qui ſeminat inter fratres diſcordias.* Pr.
Et hoc & omnia quæ ab imprudentibus velut tædio & impoſſibilitate contemnenda ducuntur, facillimè iudicij exitum ſortientur, cùm tanta euidentia in memoriam cuncta reuocabuntur, vt nec auctores malorum purgare obiecta, imo declarata conentur, nec vlla rationalis creatura inde dubitare præualeat, quæ creatoris æquitas omnibus propoſuerit cognoſcenda. Ibi, niſi ſatisfecerit, eum trepidare fruſtra videbitis, quem vera referre vt homo falſi crediſtis. Quomodo enim tantæ poſſem effici prauitatis, vt depoſitionem eius cuperem, cuius acceperam diuinitus conſecrationem; Teſtem eum ſecurus facio, cuius experiemur vterque iudicium, quoniam poſtquam præeſſe cœpiſtis, & dignati eſtis me in familiaritatem aſſumere, ſemper optaui vos & in ſanctitate proficere, & dignitate augeri; &, ſi meis rebus integris, ſiniſtrum aliquid, quod Deus auertat, vobis contigiſſet, paratus fui opem ferre pro viribus, & me amiciſſimum modis omnibus euidentiſſime comprobare. Quod ſi me perfidiam incurriſſe recolerem, tantum ſcelus negatione non tegerem; ſed confeſſione ſimplici veniam obtinere conarer. Nam cui vel parum ſacras intuenti litteras non vltro ac ſæpiſsime occurrat: *Qui parat foueam proximo ſuo, incidet in eam.* Hæc quam vera ſint vtinam aperiat in præſenti, qui omni ambi- Pr. E. L.
guitate remota, patefaciet in futuro; ac me, in hac parte penitùs innocentem, inſolubilem familiaritatem veſtram ad vtilitatem vtriuſque tribuat obtinere. Quod aliunde compereram, voſque dignati eſtis mandare, ſi Deus annuerit, Dominus Rex fiet nobis vicinus: poſt cuius digreſſum, ſi vobis placet, vt primo fieri potuerit, deſidero congruo vtrique loco vos adire, & ſequeſtra Spiritus ſancti gratia recuperare amicitiam, quam ſpiritus maligni maliuolentia aliquantulum perturbauit. Tunc etiam referre potero quid ſuper fratre Bernegaudo ſancti Germani monachi annuerint, quidque ſolum abſque noſtro damno præſtare valeamus fugitiuo noſtro qui nuper clementiam veſtram precibus inquietauit. Exiguitatis meæ memores, ſemper cupio vos valere feliciter.

EPISTOLA CXXV.

Ad Folcricum.

REuerentiſsimo Præſuli Folcrico Lupus temporalem & æternam ſalutem. Affluentiam gratiæ diuino munere vobis indultam litteris comprehendere placuit ad laudem illius qui dedit, & ad condemnationem auaritiæ, condemnationemque inuictiſsimæ caritatis. Nam cum aliquam inſulam Sequanæ pagani crudeliſſimi piratæ applicuiſſent, quæ ſita eſt ſub Melleduni oppido ab aliis recens exuſto, & eorum viciniam nobis, vt erat, periculoſiſsimam, niſi Dei miſeratio ſubueniret, duceremus, nec in monaſterio conſiſtere audebamus, nec quo migrare poſſemus, depreſſi ærumna tantæ calamitatis, inueniebamus. Inter hæc, cum me grauiter ægrotantem viſitatum veniſſetis, ac nos ingenti exterritos metu offendiſſetis, ilico abſque vllo deliberationis tædio noſtrum exoneraſtis pudorem

&

& præuenientes nostram supplicationem, obtulistis prædium Aquense, dominationis vestræ præcipuum, in quo totius malitiam temporis vitaremus tenendæ nostræ professionis opportunitate non penitus destituti. Præterea largissimam humanitatem vos præhituros vix credibili beniuolentia ostendistis. Hinc incomparabili consolatione per vos vltro nobis diuinitus oblata, præsertim in tam immani discrimine quid faceremus, conati sumus, vt par erat, Deo & vobis saltem gratias referre. Sed succumbente ingenio, nequiuimus eas dignè mente concipere, nedum ore proferre. Ergo attoniti, abundante vbique iniquitate, & refrigescente caritate multorum, admirati sumus diebus nostris aliquem repertum, qui cum tanto rei familiaris detrimento & imminutione, indigentibus subueniret. Nimirum hoc fuit à fratribus necessitatem patientibus non claudere viscera, hoc fuit Episcopaliter compati, hoc postremo caritatem implere. Verùm quoniam exuberans Dei nostri clementia, regens indulgentia innumeras maximasque culpas nostras, minas prædonum, quibus, vastatis longè latéque celeberrimis locis, etiam sedem negotiatorum cappas se periturum iactabant, subuertit, ac eos à nobis, quod vtinam ab omnibus Christianis faciat auertit; nec hac vice auulsi à nostro cœnobio, cogemur peregrinari: optamus omnes; quasi concesso nobis vsi beneficio, vt sit vobis tam copiosi boni salua merces repræsentanda à Deo, cùm cœperit electos glorificare, & gratiam pro gratia reddere. Paruitas autem nostra penè . . . . audita vestra liberalitate obligata, nunquam erit vobis ingrata - - - - ad obsequendum paratissimam quibuscumque valuerit indiciis confirmabit. Sit tamen Aquensis fundus tempore prælationis vestræ, quod Deus diuturnum esse concedat, nostro perfugio, si infelicitas similis acciderit, destinatus. Contineantur ædificia, hortus etiam diligentius excolatur: quod rectè facere disposuistis. Agri ad hoc apti, vitibus conserantur; aceruí frugum, iusti laboris industria multiplicentur; vt & vobis suppetat quod de more quotannis domesticis tribuatis, & quod opem quærentibus misericorditer largiamini. Et si illo nos, quemadmodum formidamus, peccatis nostris id exigentibus, vltima necessitas traxerit, latibuli nostri asperitas memoratis subsidiis leniatur. Quid autem velimus super his quæ à nobis dignati estis accipere, cur quæritis; Quare non aspicitis quota portio sit nostræ seruitutis, si vestro maximo beneficio conferatur? ac ne huiusmodi, quam non ferimus, dissimulatione nos callidè ampliora suspicemini elicere meditari, quæ cogitamus absque obscuritate exprimimus. Comperistis, quamquam locus noster Berhlebem, hoc est, domus panis appelletur, panis nos penuriam citò passuros, nisi vestra aliorumque amicorum benignitas suffragetur. Deinde pollicitationis veræ memores, potestia nos clientes vestros mense gratis alere dimidio, non sine vsura quasi ex debito sustentare. Ac ne nos impudentiæ, immo stultitiæ arguatis; recolite rhetoricæ à nobis non improbari peritiam, quæ instituit, vt cum minora impetrare disponimus, maiora poscamus. Cupimus vos valere feliciter, & vestræ dignitatis eminentiam honestia iugiter moribus & sanctis actibus exornare.

EPISTOLA CXXVI.

Ad Guenilonem.

REuerentissimo Pontifici Gueniloni Lupus præsentem & futuram salutem. Sanctitatis vestræ litteris alacriter paruissem, nisi votum meum molestia corporis impedisset. Nam cum post diuturnas & asperas huius anni ægritudines, bene reualescerem, subito tussim incurri, quæ meatus obstruens, penè totam mihi spirandi facultatem adimebat. Hinc factum est vt multum sanguinis detraherem, maximamque imbecillitatem contraherem. Proinde nusquam audeo progredi, donec quietis ac medicamentorum, imo diuinitatis ope, mihi quantulacunque sospitas reformetur. Vnanimis tantum vobis in omnibus supplicabo, & ad idem agendum fratres meos hortabor, vt Deus inspiret vobis consilium, quo generaliter prositis omnibus Christianis; ne peccatum iniustitiæ, quæ nos iam miseros fecit in damnationem pertrahat sempiternam. In diebus Pontificatus vestri, ad tantam libertatem vitia proruperunt, vt vindicata impunitate apertis quibusque, nec Deus, nec Rex, nec Episcopus timeatur. Quid moramini? quid vltra expectatis? Aut Deus vestra industria & auctoritate ad æquitatem reducet res humanas; aut hæc malorum incrementa, post inauditas contumelias, penè omnes, qui pauci remanserunt, oppriment innocentes. Videtis, quia secundum beatum Esaiam, *qui recedit à malo, prædæ patuit:* nec tutus quisquam contra violentiam raptorum est, nisi qui viribus præualet, aut in eorum concessit collegium. Cupio vos valere feliciter, & paruitatis meæ memoriam habere benignam atque continuam.

EPISTOLA CXXVII.

Ad Odon. præsulem.

VNice singulariterque dilecto Præsuli Odoni Lupus plurimam salutem. Maximis pluribusque vestris beneficiis adiutos, securus ad vos decurro, his etiam vsuris quæ per nuncios meos vos præbiturum esse mandastis. Verùm quia non misistis equum, nec idoneum qui me exolutim ferret habebam, naui ad vos si Deus vult, cursum tenebo. Ergo vestra indulgentissima pietas, quæ me gratis & vltro fouendum recepit, naui egressum ne patiatur durioris equi succussatura vexari. Locum vbi tendamus vobis vicinum, & congrua æquis pabula cum vestris, sicut mandare dignati estis, vos procuraturum non dubito. Cursor noster, donec veniamus, (quod opinor futurum, suffragante Dei clementia, Kal. Iunij) pauperis apud vos locum implebit; &, si permissus fuerit, obseruabit fragmenta, ne pereant; pocula etiam, ne gratiam amittant humore, siccabit.

EPISTOLA CXXVIII.

Ad Domnum Regem.

DOmino glorioso Regi Karolo sincere fidelis Lupus. Dudum in vrbe Biturigum quæsistis de prædestinatione; & libero arbitrio, ac redemptione sanguinis Christi quid sentirem; & ego quæ in diuinis litteris didiceram, & in maximis auctoribus inueneram, vestræ maiestati strictim aperui. Et quoniam aliter videtur quibusdam, qui me putant de Deo non pie fideliterque sentire; ipso Deo, cui ab intelligibili ætate plurimum confisus sum, sensum & stilum meum regente, memoratas quæstiones, quas audacter multi ventilant, intelligenter pauci capiunt, breuiter, veraciter, perspicuéque dissoluam. Neque enim longa disputatione vos tenere debeo, aut in aliquo fallere, aut obscuritatibus retardare, cùm vestras occupationes in disponenda republica non ignorem, vobisque post Deum fidem debeam singularem.

Deus Adam rectum condidit, vt sancta Scriptura docet, & originaliter in eo nos omnes rectos creauit. Hic parens humani generis, rectitudinem deserens naturalem, nullo cogente peccauit, tam granditer, vt & se ipsum perderet, & in se omnes vtroque sexu natos condemnaret. Deus ergo fecit excellenter bonam hominis naturam, sed eandem ipse homo vitiauit miserabiliter per spontaneam culpam. Denique fuit Adam, vt ait beatus

[A] Ambroſius, & in eo fuimus omnes: periit Adam, & in illo omnes perierunt. Laudemus igitur Dei opificium; & cognoſcamus culpæ noſtræ nihil aliud deberi, niſi ſupplicium. Sed Deus, cui præterita, præſentia, & futura æquè præſto ſunt, (ipſe eſt enim qui eſt, nec ſcientiæ illius accedit aliquid aut decedit) cum ſciret in Adam maſſam totius humani generis peccato corrumpendam, non abſtinuit ab ea bonum ſuæ creationis, bene vſurus etiam malis: & ante conſtitutionem mundi elegit ex ea quos à debita pœna per gratiam liberaret, vt ait Apo- [Eph. 1.] ſtolus, *Sicut elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem*: cæteros autem, quibus non hanc gratiam miſericordia impendit, in damnatione, quam ipſi peccando meruerant, iuſto iudicio dereliquit: & hoc modo, vt docet [Rom. 9.] Apoſtolus, *cuius vult miſeretur, & quem vult indurat*. Miſeretur eorum quos aſſumit per gratiam, indurat illos quos per eandem gratiam non emollit, ſed quamuis occulto, iuſto tamen iudicio derelinquit. Hi ergo quo- [B] rum miſeretur, prædeſtinati ſunt ad gloriam, ſecundum [Rom. 8.] illud Apoſtoli, *quos præſciuit & prædeſtinauit*, & appellantur vaſa in honorem. Hi debent Deo totum quod ſunt, & quod habent: ſiquidem eius bonitate facti ſunt cum non eſſent; eius benignitate ſaluati ſunt, cùm perdiri eſſent. Illi verò quos indurat, hoc eſt, non emollit, qui in damnatione relinquuntur, quam originaliter vel actualiter meruerunt, dicuntur vaſa in contumeliam, perfecta vel apta in interitum. Hi quod creantur, Dei donum eſt; quod puniuntur, malum ipſorum. Hos beatus Auguſtinus in multis libris; & in eo quem fecit vltimum, non dubitat dicere prædeſtinatos ad pœnam: non intelligens fatalem perditorum neceſſitatem, ſed immutabilem relictorum deſertionem. Legebat enim [Iob. 12.] de Deo, *Si concluſerit hominem, nullus eſt qui aperiat*: [Eccl. 7.] itemque, *Conſidera opera Dei, quod nemo poſſit corrigere, quem ille deſpexerit*: illud etiam, *Dimiſi eos ſecundum* [Pſ. 80.] *deſideria cordis eorum, ibunt in adinuentionibus ſuis.* Et, vt opinor, dirigebat cum in hunc ſenſum, illud maxi- [C] mè teſtimonium de Deo, qui fecit quæ futura ſunt. Cui [Pſ. 61.] & dicitur, *Reddes vnicuique ſecundum opera ſua.* Quod nimirum facturus eſt omnibus, niſi quos fecerit beatos remittendo iniquitates eorum, & tegendo peccata. Qui gratiam ipſius Dei ſummis efferentes præconiis dicere poſſunt, non ſecundum peccata noſtra fecit nobis, neque ſecundum iniquitates noſtras retribuit nobis. Conſentiunt Auguſtino verbis aliis Hieronymus & Gregorius, eodem autem verbo Beda & Iſidorus: quod ex ipſis auctoribus, ſi veſtræ placuerit celſitudini, facilè potero demonſtrare.

Liberum ſanè arbitrium in bono quod contempſit, primus homo peccans perdidit, in malo autem quod elegit retinuit. Quemadmodum verò ſi velit quis, vel ſubtrahendo ſibi cibum, ſe poteſt perimere, peremptum autem non poteſt viuificare: ita potuit homo voluntate delinquens, vſum in bono liberi arbitrij perdere, ſed id, etiam ſi velit, non poteſt ſuis viribus reſumere. Non erit igitur in hoc bono liberum illi arbitrium, ni- [D] ſi fuerit diuina gratia liberatum. Dominus Ieſus *ſciebat*, [Ioan. 2.] vt ſcriptum eſt, *quid eſſet in homine*, id ſalubriter ape- [Ioan. 15.] riens; *Sine me*, inquit, *nihil poteſtis facere*, nihil ſcilicet boni. Nam ipſe mali auctor & cooperator eſſe non [Ioan. 1.] poteſt, qui, vt Ioannes ait Baptiſta, *Agnus Dei eſt, qui* [Ioan. 8.] *tollit peccata mundi*, & quæ ſcilicet facta ſunt, & ne fiant. Item alibi Dominus: *Si vos filius liberauerit, tunc verè liberi eritis.* Sanctus Cyprianus, martyr glorio- [1. Cor. 4.] ſiſſimus, & doctor ſuauiſſimus, bene expendens verba Apoſtoli, *Quid habes quod non accepiſti? quid gloriaris quaſi non acceperis?* ſtatuit in nullo gloriandum, quando noſtrum nihil ſit. Vnde bona quoque voluntas præparatur à Domino; vt memoratus Apoſtolus docet. Deus [Phil. 2.] eſt qui operatur in nobis & velle & perficere opus bonæ voluntatis: propter quod ſubiungit, *& perficere pro* [2. Cor. 3.] *bona voluntate.* Ipſam etiam bonam cogitationem à Deo nobis eſſe doctor gentium manifeſtans, *Non quaſi ſufficientes ſimus*, inquit, *cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.* Dei gratia nos [E] præuenit propter quod ſcriptum eſt, *Deus meus, miſe-* [Pſ. 58.] *ricordia eius præueniet me*, vt bona velimus & inchoe- [Pſ. 22.] mus. Dei gratia nos ſubſequitur, vt ſcriptum eſt, *& miſericordia tua ſubſequetur me*, ne fruſtra velimus & cœperimus. Hæc principaliter Dei ſunt, vt præmiſſis teſtimoniis claruit, & conſequenter noſtra quia voluntate à nobi fiunt. Et ſcriptum eſt: *Domine pacem da* [Eſa. 26.] *nobis, omnia enim opera noſtra operatus es nobis.* Reatus quidem peccati in baptiſmate ſoluitur, ſed conflictus eius propter exercendam fidem ſeruatur: ita vt adiutorio Dei ſemper, & comprimendis vitiis, & obtinendis virtutibus egeamus. Hoc & vnuſquiſque Deo piè militans in ſemetipſo ſentit, & Apoſtolus, iam Chriſti ſacramentum conſecutus, ſic humiliter confitetur: *Con-* [Rom. 7.] *delector legi Dei ſecundum interiorem hominem. Video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuum me ducentem in lege peccati, quæ eſt in membris meis.* De libero arbitrio concorditer ita ſenſerunt quicumque mentem diuinorum eloquiorum pro- [F] babiliter perceperunt.

Poſtremo quos redemerit Dominus ſanguine ſuo, Euangelica lectione colligitur apud Matthæum. *Bibite* [Matt. 26.] inquit Dominus, *ex hoc omnes: hic eſt enim ſanguis meus noui teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.* Apud Marcum: *Hic eſt ſanguis meus noui* [Marc. 14.] *teſtamenti, qui pro multis effundetur.* Apud Lucam ve- [Luc. 22.] rò: *Hic eſt calix nouum teſtamentum in ſanguine meo, qui pro vobis fundetur.* Duo ergo Euangeliſtæ ponunt pro multis, vnus pro vobis: quia & diſcipuli multis annumerantur, nullus pro omnibus. Et ne id ego temerè ſcrutatus exiſtimer, ſanctus Hieronymus explanans [Matt. 20.] locum Euangelij, *Sicut filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare, & dare animam ſuam redemptionem pro multis*, quando, inquit, formam ſerui accepit, vt pro mundo ſanguinem funderet: & non dixit dare animam ſuam redemptionem pro omnibus, ſed pro multis, id eſt, pro his qui credere voluerint. Qua expo- [G] ſitione, iuxta fidem catholicam, docuit ſolos fideles eſſe intelligendos, ſiue in gratia permanſuros, ſiue ab ea ſuo vitio receſſuros. Item beatus Auguſtinus, aperiens [Ioan. 10.] populo ſententiam Euangelij, *Vos non creditis, quia non eſtis ex ouibus meis*; Quomodo, ait, iſtis dixit, *non eſtis ex ouibus meis?* quia videbat eos ad ſempiternum interitum prædeſtinatos, non ad vitam æternam ſui ſanguinis pretio comparatos. His tam claris luminibus doctrinam ſuam Euangelico ſenſu roborantibus qui audeant contradicere, niſi qui erubeſcunt ſine luminibus apparere? Vt pace tamen & reuerentia tanti viri dictum ſit, hunc intellectum Euangelico fonte manantem non videns Ioannes Conſtantinupolitanus Epiſcopus, cum exponeret illud Apoſtoli, qualiter gratia Dei pro omnibus guſtauerit mortem, Non pro fidelibus tantum, inquit, ſed pro mundo vniuerſo: & ipſe quidem pro omnibus mortuus eſt: quid autem ſi non omnes credunt? ille quod ſuum erat impleuit. Verum cur hoc ſenſerit, nullo diuino teſtimonio comprobauit. Quod [H] ſi quis excellentiæ culminis veſtri oſtendit aut oſtenderit Fauſtum quendam de his longè diuerſa ſcribentem, ne adquieueritis erranti: quoniam docet Gelaſius cum L X X. Epiſcopis viris eruditiſſimis, qui ſcriptores eſſent vel non eſſent recipiendi: ſtatuens primo commendationem Auguſtini, & ſingulares laudes Hieronymi, memorati Fauſti ſcripta his verbis exauctorauit, *Opuſcula Fauſti Regenſis Galli apocrypha.* Hanc fidem, quam expreſſi in ſupradictis quæſtionibus, tenuerunt Eccleſiæ catholicæ inuictiſſimi defenſores: hanc ego minimus omnium cuſtodio, hanc volentibus abſque inuidia oſtendo: nolentibus meæ mediocritatis conſcius non ingero. Nec, vt quidam ſuſpicati ſe ſimulant, inaniter, hoc eſt, vanæ gloriæ ſtudio cupio innoteſcere, cum terreat me plurimum illa de Scribis & Phariſæis Domini ſententia: *Omnia opera ſua faciunt,* [Matt. 23.] *vt videantur ab hominibus*: & de hypocritis: *Amen* [Matth. 6.] *dico vobis, receperunt mercedem ſuam.* Sed aſſerendæ veritatis intuitu, quod in diuinis auctoritatibus, earum-

que

A que sensum sequentibus præcellentissimis auctoribus, Deo inspirante deprehendi, quærentibus absque contentione manifesto. Vestræ igitur optimatissimæ prudentiæ si iam satisfactum est, gaudeo. Sin autem, vel nunc, vel cùm Deus noster optatam vobis quietem contulerit, propter alia etiam negotia Ecclesiastica, euocatis ad conuentum doctioribus quibusque, rectène, perperamve sentiam, subtilior plurium tractatus poterit inuenire. Sic Deus vos opto & oro diù feliciterque faciat regnare, vt secum vos in æternum regnare concedat.

EPISTOLA CXXIX.

Ad Hincmarum.

B REuerentissimo Præsuli Hincmaro Lupus perpetuam in Domino salutem. Scrutanti mihi diù multúmque de prædestinatione, de qua in pace, in qua vocati sumus a Deo, quærimus & deliberamus, quid probabiliter esset sentiendum, ne illud Apostoli, *quos præsciuit & prædestinauit* pateat, illud verò, *vasa iræ perfecta, siue parata, siue apta in interitum*, & illud quod
Rom.9.
Rom.9.
diuinitus alibi scribitur, *nescit homo vtrum amore an odio dignus sit*, itémque, *Considera opera Dei, quòd nemo possit corrigere quem ille despexerit*, & similia passim in diuinis reperta eloquiis, dignum non habeant exitum, hæc verissima videtur sententia, vt prædestinatio sit in bonis, iuxta intellectum doctissimi Augustini, gratiæ præparatio: prædestinatio autem in malis, secundùm nostram capacitatem, gratiæ subtractio. De quibus idem certissimus auctor ita scribit: Quibus non vult subuenire, non subuenit, de quibus in sua prędestinatione aliud iudicauit: ita tamen, vt in vtrisque creator æquissimus inueniatur, dum & illis gratiam misericordia impertitur, & istis eandem gratiam, quanquam occulto, iusto tamen iudicio
Eccl 9.
Ibid 7.
C non largitur. Dúmque in Adam omnes recti creati sumus, & libertatem arbitrij absque vllius difficultatis impedimento & interpellatione accepimus, sponte autem peccante Adam, *in quo*, vt Apostolus testis est, *omnes peccauerunt*, omnes, ex eo duntaxat vtroque sexu progeniti, conditionis dignitatem amisimus, & pœnam peccati, hoc est, concupiscentiam, & mortem, non animæ solùm, verùm etiam corporis, merito nostro incurrimus. Hoc est, quòd qualis adam à Deo creatus est non nascimur, sed originaliter peccatores, damnatique, pœna peccati; quorum alterum fecit spontanea culpa nostri primi parentis, alterum culpam puniens tremenda seueritas iustissimi iudicis. Cùm ergo communiter omnes damnati simus, cuius nostrûm vult Deus miseretur, & quem vult indurat, hoc est, in propria duritia derelinquit: miseretur magna bonitate, indurat nulla iniquitate. Sic itaque hos quos indurat prædestinat, non ad supplicium impellendo, sed à peccato quod meretur supplicium non retrahendo:
Rom.5.
D quemadmodum indurauit cor Pharaonis, non ad culpam vrgendo, sed gratia emollitum à culpa non reuocando. Sic rectè possumus dicere, induci à Deo in tentationé qui non exaudiuntur orantes, *Et ne nos inducas in tentationem:* non quòd ipse inducat in malorum tentationem, quòd vtique, vt alibi docetur, *intentator malorum est*: sed quodam locutionis genere inducere dicitur, cùm iudicio desertos patitur in tentationem induci, quos à tentatione gratia non educit. Nemo tamen opinetur, aut iustis, aut iniustis reprobis, prædestinationis veritate fatalem necessitatem induci, cùm in vtrisque suspicionem necessitatis libertas excludat voluntatis. Siquidem electi, accipientes à Deo & velle & perficere, libenter agunt, vnde sempiternum præmium consequantur: peruersi autem, deserti ab eodem Deo, non inuiti, sed & ipsi libenter agunt, vnde in æternum meritò puniantur. Quis verò, nisi, vt mitiùs loquar, tardus sit, ibi afferat necessitatem, vbi videat regnare voluntatem, vel adiutam misericordia, vel desertam diuino iudicio? Bonorum ergo
Iac.1.
E voluntatem sic diuina commendant eloquia: *Beatus vir qui timet Dominum, in mandatis eius volet nimis.* Porrò malorum voluntatem talem insinuant *Noluit intelligere vt bene ageret, iniquitatem meditatus est in corde suo: adstitit omni via non bonæ, malitiam autem non odiuit.* Permissus est ergo iniustus agere quod elegit, vt de malo bene operante Deo claresceret quid esset inter seruientem ei & non seruientem, & saluati quantas habere & agere deberent ipsi Deo gratias agnoscerent; dum eandem habentes damnationis causam, in isto aspicerent quod liberatoris gratia euasissent. Hæc assertio voluntatis ne in recens quidem * natis locum non habet. Nam aut percepta baptismatis gratia si decedunt, voluntate Dei saluantur; aut eadem gratia eiusdem Dei iudicio fraudati, hereditarij peccati merito, paterna commissi voluntate damnantur. Ego quod sentio simpliciter vobis aperui: vos vicissim, si in aliquo diuersi estis, ne grauemini referare. Simile & Pardulo nostro direxi. Cupio vos valere feliciter.
Ps.111.
Ps.35.
F

EPISTOLA CXXX.

Ad Nicolaum Papam, ex parte Guenilonis & Suffraganeorum eius.

SVggerimus mansuetissimæ paternitati vestræ, in nostra diœcesi, in oppido quod Neuernum dicitur, esse quendam Episcopali officio præditum nomine H. qui frequenter admonitus, & diù expectatus vt reualesceret, implere non sufficit ipsum officium mente non integra. Dicitur autem Melchiades Papa decreuisse, ne quis vnquam Pontifex sine consensu Papæ Romani deponeretur. Vnde supplicamus, vt statuta illius integra, sicut penes vos habentur, nobis dirigere dignemini: vt hinc dictis ipsius confirmati, aut sicut Beatus Gregorius Doctor fecit de Ariminensi Episcopo incommodo simili laborante sequamur, aut
G sicut sanctus Gelasius docet, remouendus sit mente percussus. Quò verum absque dubietate sciamus, experimus & expectamus vestrum iudicium: ne in temeritatis calumniam aliquatenus incidamus, sed vestro instituti moderamine, veritatis & rectitudinis tramitem nullatenus deseramus.

Expliciunt Epistolæ B. Lupi Abbatis Ferrariensis.

SERVATI LVPI PRESBYTERI De tribus Quæstionibus Liber.

Eruditissimi Viri IACOBI SIRMONDI *Præfatio*,

H De duobus sequentibus Opusculis, & de nomine Auctoris.

DE Auctoris nomine hoc primò, LECTOR, statuendum est, non Lupum Seruatum, vt cum Sigeberto & Trithemio plerique hodie vocant, sed Seruatum Lupum, quod veteres libri & aliorum exempla docent, dici oportet. Quemadmodum enim in Cæcilio Cypriano, Eusebio Hieronymo, Aurelio Augustino, Sulpitio Seuero, & similibus, nemo ambigit quin id verum ac proprium cuiusque sit nomen, quod posteriore loco ponitur, sic in hoc Lupi nomen ideirco postponendum esse quia proprium est. Qua de re dictum aliquando à nobis est in Notis ad Sidonium, nec repeti est opus.

LIBRI ergo de tribus quæstionibus, qui primum hîc locum tenet, tria in manus nostras venerunt vetera

exemplaria : vnum Virdunense, quod penes nos est, alterum Metense S. Arnulfi, tertium S. Victoris Parisiensis : quarti apographum tantum vidimus è Siluiniacensi Cluniacensium monasterio. Sed quod mireris, in Metensi non Lupo; sed Hincmaro Episcopo tribuebatur; in Siluiniacensi adscriptum erat nomen Amalarij, ex eo vt opinor, quod in eodem codice post Amalarij opera sequebatur. In Virdunensi autem & in victorino vera fuit inscriptio, Seruati Lupi de tribus Quæstionibus liber.

Collectanei de iisdem quæstionibus cùm vnicum exemplar idque anepigraphum & mutilum haberemus ex Bibliotheca Corbeiensi, quod in ceteris omnibus desideraretur, commode ad nos V. C. & humanissimus I. Bouherus Senator Diuionensis integrum alterum ex sua depromptum misit hac inscriptione, Collectaneum Seruati Lupi de tribus Quæstionibus. Quo nos freti argumento, cum ante triennium editionem hanc curaremus, vni eidem Lupo vtrumque opus, etsi exploratum non erat, adscribi passi sumus.

De duabus Epistolis quæ restant, quarum quæ ad Hincmarum scripta est, in Virdunensi codice atque in Elnonensi priorem locum obtinet, altera verò, quæ ad Carolum Regem, in codice Corbeiensi Collectaneum antecedit, in Diuionensi subsequitur, cum in vtraque auctor Lupum tantummodo se nominet, si quis has ad Lupum Ferrariensem potiùs referendas contendat, cuius ad eosdem aliæ extant Epistolæ, prima & postrema compellatione non absimiles, liberum per nos erit iudicium.

Editæ sunt supra num. 128 129.

Quinimmo, vt dicam quod sentio, ad Lupum eundem superiora quoque Opuscula pertinere, nostra dudum coniectura fuit : quam nunc etiam id maximè confirmat, quòd Seruato huic prænomen fuisse docet ipsius ad Nicolaum Papam Epistola, VVenilonis, vt apparet, Senonensis Episcopi nomine scripta de Herimano Neuernensi : quæ nimirum in Floriacensi codice sic habet.

Scriptum Seruati Lupi ad Papam Nicolaum.

SVggerimus mansuetissimæ paternitati vestræ &c. *Extat inter Epistolas, num.* 130.

Obseruatio D. Baluse.

Magnum ab aliquot annis certamen fuit inter eruditos Lupine Ferrariensis Abbatis essent liber, & collectaneum de tribus Quæstionibus, an vero Seruati Lupi Presbyteri, sed qui diuersus fuerit ab Abbati Ferrariensi : mihi vero ista consideranti, planè constat hærere interdum aquam viris doctis, in rebus etiam nullius momenti, quod in hac causa contigisse puto. Nam si cui liberet libros illos conferre cum Epistolis Lupinis ingerentem se oculis veritatem respuere non posset, neque inuitus fateretur stilo eodem scriptos esse libellos, quo scripta sunt Epistolæ. Quod magis perspicuum fore puto ex comparatione Phrasium similium, quæ in Epistolis eiusdem reperiuntur. Nam quod quidam permouentur authoritate Trithemij, qui Lupum Seruatum Presbyterum anno 851. diem suum obiisse dicit, adeoque eum distinguere videtur à Lupo Ferrariensi, ea authoritas non est tanti momenti vt quemquam remorari debeat, præsertim, si quis rem altius scrutetur; ipsaque Trithemij verba expendat. Etenim si Lupus ille ad quem Rhabanus scripsit octo libros in Epistolam Pauli ad Romanos is ipse est author libri de tribus quæstionibus, negari non potest quin ea lucubratio restituenda sit Lupo Abbati Ferrariensi. Nam is adhuc Monachus & Diaconus, ab Aldrico Abbate studiorum causa missus ad Rhabanum, vt in sacrarum Scripturarum doctrina informaretur, author Rhabano fuit, vt commentarium ederet in Epistolas Pauli; vt ex ipso Rhabano colligi potest in Epistola ad Samuelem Episcopum. Lupum autem illum longo interuallo disiunctum fuisse à Rhabano, cum hic commentarius scriptus est, Patet ex Epistola Rhabani ad Lupum. Quoniam verò ex ea quam diximus Epistola ad Samuelem colligitur Lupum monachum & Diaconum, ad altiorem gradum à Diaconatu fuisse prouectum cum ea Epistola scripta est, manifestum esse, reor hinc probari hic agi de Lupo quondam monacho, & Diacono, postea vero Presbytero & Abbate Ferrariensi. Nam eum fuisse Presbyterum produnt acta Synodi Suessionensis, quæ anno 853. habita est.

QVæ nobis vtilia iudicamus, si communicamus cum aliis, Deum nullo renitente promeremur, cuius præcepto deuoto respondemus obsequio, & si quod iam accepimus sincera beniuolentia impertimur, quæ needum accepimus, eius munere consequemur. Hæc mecum reputans, cùm post deuictas persecutiones & falsas opiniones iam inde ab initio incarnationis Domini exortas, octingentesimum quadragesimum nonum ab eadem incarnatione agente annum Ecclesia in pace quam ei reliquit Saluator, cum ea futurus, iuxta suæ pollicitationis fidem, vsque ad consummationem seculi, comperissem primum in Italia, deinde in Gallia, si non concuti fidem, turbari certè quorundam intentionem, quod de libero arbitrio, & de prædestinatione bonorum & malorum, ac de sanguinis Domini taxatione vulgò quædam inaudita iactarentur, harum rerum, qui per se non possent optaui vt per me fierent certiores. Hic in auxilium inuocato Deo, à quo non esse solum, sed etiam nosse percepimus, ad eius primum auctoritates quibus omnium consensus fidelium adquiescit, me contuli. Deinde quid earundem clarissimi tractatores & defensores inuictissimi super memoratis quæstionibus sensissent, anxiè diuque scrutatus sum. Quorum sole clariora opera, diuinis irradiata eloquiis, si omnes vel intelligerent vel haberent, iure deberem superfluitatis aut arrogantiæ argui, qui vel eadem verbis aliis ingessissem, vel quod ipsi non valuissent me implere posse confiderem. Cùm verò vtrumque multis alterutrum quibusdam, neutrum forte nonnullis obtigerit, alterum vel neutrum habentibus sic adesse conteodam, vt vtrumque possidentes si tamen sua cognitione hæc mea, qualiacumque sunt, digna duxerint, non offendam. Itaque mihi nihil, Deo plurimum, quod proposui hinc expedire conabor.

Rerum omnium opifex Deus, loci temporisque ac per hoc totius mutabilitatis expers, (neque enim concluditur loco qui continet omnia, nec verò accessu temporis augetur, qui nequaquam temporali primordio cohibetur, omnis creaturæ rationes sempiterna apud se immutabilitate custodiens, spiritalem creaturam tantum tempori, corporalem autem non tempori modo, verum etiam loco fecit obnoxiam. Siquidem subiectam se temporis spiritalis natura ostendit, quæ bene, vtpote à bono Deo, condita, partim sua se vitio depranans in veritate non stetit, atque ideo corruit, partim conditori pia subiectione adhærens, & quod lapsus esset capax aperuit, & ne vltra laberetur compus tantæ felicitatis accepit. Namque redemptor, cum in resurrectione opinionem coniugalis commercij remouisset, nequaquam nobis Angelorum spopondisset æqualitatem, si in eis peccandi aut consequenter cadendi suspicio remansisset. Qui enim feliciore quam nunc sumus donaremur conditione, nisi emenso mortalis vitæ discrimine in tanta beatitudinis collocaremur securitate, vt vltra nec peccare possemus, nec velle peccare? Porro corporis natura, & cœpit ex tempore, & augmentis decrementisque, siue conuersionis in alia facultate, mutabilitatis vices, quæ cuncta fiunt in tempore, confitetur. Loco vero subiectam non dubitat, qui omne corpus longitudine, latitudine, atque altitudine constans, quod solidum appellatur, non nisi loco semper contineri considerat. Vtriusque autem naturæ, hoc est, & spiritalis & corporalis, proprietatibus Deus artifex obseruatis, hominem ex anima compegit & corpore sicut eodem reuelante qui fecit accipimus. Verùm

animam

A animam illi fecit ad imaginem suam: quia tametsi cœpit ex tempore vt creatura, sempiterna autem vt Deus pro suo modulo permanebit: vel quia rationis ei & intellectus participium quemadmodum sanctis Angelis contulit: corpus autem non vsquequaque ceteris animalibus formauit dissimile, nisi quòd illa in aluum prona, id autem erectum instituit, cuius fido seruitio ad capessenda superiora auctoris sui nutibus obediens anima vteretur. Quantum verò præstet corpori anima, etiam gentilis auctor conatur exprimere, cùm de vtroque loquens, alterum nobis, inquit, cum Diis, alterum cum beluis commune est. Ita factum hominem primum Adam cum Eua coniuge, quam mirabile dictu de costa illi dormienti subtracta Deus produxit, in paradiso voluptatis, vt sacræ litteræ testantur, constituit, eúmque, suppetentibus omnibus ad vsum necessariis, non molesto labore damnauit, sed otiandi tædium ablata ei facultate operandi remouit. Ne autem nesciret homo ei se debere

B subiectionis & obedientiæ vicem, à quo & esse acceperat, & bene esse nullis contra votum reluctantibus animæ corporisve motibus feliciter capiebat; concessis ei Deus ad escam vniuersis pomorum paradisi generibus, vno prohibuit ligno, quod scientiæ boni & mali nominauit. Et quoniam spes impunitatis magna est peccandi illecebra, præcepto interminationem pœnæ addidit, moriendum eis confirmans qua die ex ligno quod vetuerat comedissent. Summa erat obseruandi iussum facilitas, quando ad id violandum nec vlla necessitas innitabat, nec hostis, qui solus diabolus erat, vim vllam inferendo impellere poterat. Iam ipse superbiendo ceciderat, iam quod ipse meritò perdiderat, hominibus posse contingere inuidebat. Quid faceret qui nec semel conceptam malitiam deponere, nec hominem nisi adquiescentem, nisi consentientem, nisi volentem posset deicere? Auctor mali proprij, repertor alieni, serpente induitur, & cùm diuinæ iussionis non causa scrutanda sit, sed executio maturanda, quod se quærere simulat,

C rudes quærere instigat, cur videlicet eis omnium pomorum Deus vsum non permisisset promiscuum. Respondente muliere, quam faciliorem falli callidus explorator deprehenderat, ne fortè morerentur, incautam à vera sententia deduxit, & in falsam quòd non essent morituri protinus induxit: adiecto eo,

f. enim

scire Deum, * quòd si comedissent vnde prohibiti essent, mox aperirentur oculi eorum, similésque Diis existerent. Scilicet vt numerositate Deorum saltem eorum fidem corrumperet, si ad inobedientiam tentati gulæ vitio non cessissent. Capta mulier, cùm hostis malè dulcoratis alloquiis, tum etiam interdicti pomi immodica venustate, prior comedit, & viro vt comederet persuasit. Mox vterque non anima solùm, sed & corpore occidit, quando ineuitabilem moriendi necessitatem contraxit. Et quia peccati mortem, vnde liberum ei fuerat abstinere, non exhorruit, ad persoluendam mortem corporis nolens quandoque peruenit. Mortuum sanè hominem statim vt vetitum præsumpsit non mira-

D bitur, qui ferali vulnere saucium, vel irremediabiliter veneni contagio iam corruptum, non perperam dici mortuum recordetur, propterea quòd iam certa mors impendeat sic affecto, vt nulla spes effugij va-

Rom. 8.

leat inueniri. Istius quoque sententiæ Apostolus auctor est qui ait, *Corpus mortuum est propter peccatum.* Habet scilicet moriendi necessitatem, quam non habuit ante peccatum. Ita quippe conditus fuerat Adam, vt posset non peccare si vellet; & posset non mori nisi peccasset. Verùm vbi ei solum non sufficit bonum, nisi etiam mali caperet experimentum, & voluntatem ad peccandum conuertit, posse non mori amisit, & non posse non mori incurrit. Ita serò scientiam boni obedientiæ quam sponte deseruit sensit, & scientiam mali, quam impia curiositate affectauit, inuenit. Quod nunquam enim veritus fuerat, vltricem comitémque peccati concupiscentiam sensit, membrorum scilicet genitalium appetitum: quem ita exhorruit, vt ad pudoris remedium velameo quæreret foliorum: ita adamauit, vt ad iustum damnationis iudicium importunam eius

E illecebram nec si vellet vitare sufficeret. Quòd itaque peccare posset si vellet, peccando publicauit: quòd verò posset etiam non peccare si vellet, conditor patefecit; qui comminatus pœnam, ne peccaret præmonuit. Habuit ergo Adam liberum voluntatis arbitrium & ad bonum & ad malum: sed ad bonum diuino munere adiuuandum, ad malum autem diuino iudicio deserendum. Quemadmodum enim non adiuuaretur in bono ab eo qui vita esset animæ eius, vt anima corporis eius?

Ezech. 18.

Denique si *anima quæ peccauerit ipsa morietur*, vt prophetica præscribit auctoritas, consequens est vt viuat quæ bene gesserit viuificante Deo vita ipsius. Liberum autem hominis arbitrium in malo idcirco fuerat diuino iudice deserendum: quia cùm illi æqua facultas boni malíque constaret, nulla indigentia, nulla violentia, voluntatem ad malum inflexit, dum præceptum Dei sui obseruatu facillimum, à quo se tanta bona percepisse

F videbat, sacrilega impietate quasi suspectum contempsit, & hostis ignoti, cuius in nullo penitùs indigebat, incitamentum, non solùm ad examen Dei non retulit, verùm audaci temeritate quasi profuturum excepit. Iustissimè igitur in illo hæsit quod sponte elegit. Et quia,

Rom. 5.

vt Apostolus asserit, *in eo omnes peccauerunt*, in omnibus eius vitiata est natura ex vtroque sexu progenitis, vt ad malè agendum, quatenus tamen progredi permittimur, sit nobis vt illi liberum arbitrium, ad benè autem operandum nequaquam sit liberum, nisi fuerit Dei gratia liberatum. In primo parente nostro, qui vtinam stetisset, omnes peccando cecidimus, & omnes communi merito atrocissima quidem summus, sed iustissima pœna damnati. Non fuisset homo ingratus ei qui se fecerat, obtemperasset conditori, non seductori, noluisset esse nisi quod vellet qui eum potentia fecerat, clementia gubernabat. Verba hostis, quæ forinsecus per serpentem sonuerunt, sacra reuelante scriptura cognouimus: quæ verò intrinsecus menti huma-

G næ suggestionis uolumina admonerit, tametsi indubitanter non valemus comprehendere, tamen probabili coniectura possumus æstimare. Siquidem Diabolus misit in cor vt traderet Dominum Iudas, non palam vocibus perstrependo, verùm clandestinis auaritiæ facibus miserum accendendo. Celsitudinem similitudinis Dei superbiendo diabolus conceperat, iámque alieni appetens sui gradus dignitate deciderat. Dúmque hanc nec vellet recuperare, nec posset, habituro inuidit, & fortasse priusquam verba ederet, incautum qua perierat peste corrupit. Quomodo enim ad capiendum cibum exteriùs tam citò adquieuisset, nisi ad obtinendam propriam libertatem tumuisset ante interius? Quomodocunque contigerit, auctor nostri generis suo, vt palam est, vitio cecidit. Et quoniam in eo omnes peccauimus, omnes nos in lapsum eius ruina proculdubio secum traxit. Atque cuilibet sicut possibile est cùm voluerit in foueam se præcipitare, quæ sit ampla nec scabra tamen crepidine, cùm verò egredi voluerit non

H valebit, nisi exteriis nisibus adiuuetur: ita primus homo sponte quidem cecidit, in quo ipsi originaliter lapsi sumus, sed cœno peccati nos, etiamsi volumus, expedire non possumus vt resurgamus, nisi prostratos extrahat & erigat gratia Dei per IESVM CHRISTVM Dominum nostrum. Voluntarij criminis tantum malum non hominem primum modò, sed vniuersam etiam eius sobolem, sexus vtriusque copula manantem, merito damnationis obstrinxit: quam, cùm eadem causa sit omnium, communiter omnes paterentur, quippe qui non Deo, sed diabolo auscultauerint omnes. Nec hinc oriretur iusta conquestio æquitate seruata, præterquam quod mererentur nullis recipientibus, nisi esset Deus, quemadmodum incomparabiliter iustus, ita ineffabiliter pius, immo vt verbo nostratium scripturarum vtamur, quo colligimur, quo saluamur, misericors. Cùm itaque suo merito pereundum esset omnibus, plures diuina bonitate saluantur. In his agnoscamus & amplectamur misericordiam eius: & vt his aggregati

mereamur

A mereamur supplici obseruantia mandatorum ipsius, & precibus assiduis flectamus indulgentiam eius. Cùm verò itidem plures damnantur, non reprehendamus, quia merito suo iuste damnantur; sed pertimescamus iudicium eius qui est terribilis in consiliis super filios hominum, nosque paria merentes miremur potuisse saluari; vt horum consideratione feruentius accendamur ad amandam, laudandam & prædicandam misericordiam eius. His constitutis, & fideli assensu retentis, nemo sobriè sapientium erit nesciens non esse Deum auctorem causamque perditionis homini, quem & rectum condidit, & posse si vellet in suo statu manere, monendo monstrauit. Namque necdum erat eius vitiata natura, vt vel scienda nesciret, vel impediente difficultate cognita implere non posset. Nimirum sibimetipsi homo aut ex seipso, aut ex diabolo, malum concepit & peperit, dum à se diuinam amoliendo reuerentiam deceptori credidit, & cibum vsurpando illicitum capitale B crimen commisit. Istud, istud planè mortalium generi omnium causa fuit malorum. Peccatum siquidem pœna consequitur; & quicquid non consumit remittendo præsens misericordia, rependit vlciscendo quandoque repræsentata iustitia. Sed insurgat aliquis ex numero mordaciter querulorum, & dicat, Non fecisset Deus hominem, quem peccaturum sciebat. Quanto rectius diceret, Non fecisset homo quod summa facilitate vitare poterat peccatum quo se, si verbis Dei fidem habebat cognouerat moriturum: quanquam esset diuinæ bonitati non congruens, hominem, quem bonum post lapsum, aut etiam ex quo bonum facere posset, non condere. Aut talem fecisse subiiciat, qui peccare non posset. Quid ita non quæratur: Cur homo, cum talis factus esset, vt posset non peccare si vellet, in hoc statu manere voluit, vt quandoque tantum de Deo mereretur obediendo, ne peccare vellet aut non posset? Verùm cur homini negaretur illa voluntas, qua vel bene vtens expectaret præmium, vel male excedens C præmonstratum pari cogeretur tormentum? Constanter dixerim, nullam Deum creaturam, quæ mala peccando futura esset, facturum fuisse, nisi aut eam iterum bonam aut ex ea boni aliquid facere decreuisset. Maluit enim ex malis bonos vel bona facere, quam mala nulla esse permittere. Et hominem quidem plerosque, vel originali vel proprio vitio malos reformat in bonos, nulla eis imputata iniquitate, sua; quod firmissimè tenendum est, gratuita bonitate, spirituum autem immundorum neminem hac dignatur gratia, quorum pertinaci superbiæ nullo veniæ subuenire decreuit remedio. Horum tamen, eorumque participum hominum perditorum, quanquam ipsis nolentibus, bene vtitur famulatu: dum his vel aperte sæuientibus vel occulte insidiantibus, exercet sanctorum patientiam sempiterno quondam præmio coronandam. Nec minus ex malis bonum agit, cum singulis eis meritum repensat supplicium. Bonum enim est malos non conuersos puniri, vt comprimatur superborum elatio, crescat humilium deuotio, augeatur ex D vtrisque diuina laudatio. Inuicta, vt opinor, superiorum ratione colligitur, hominem tam anima quàm corpore fuisse damnatum, nec infortunium damnationis eius alij quam ipsi seductori eius aliquatenus imputandum. Illud etiam claruit; potuisse suis viribus hominem peccando cadere, verùm non posse vnquam sua virtute resurgere. Proinde pius artifex; quod homo non posset vt ipse perficeret, filium sibi coæternum, æqualitate voluntatis & potestatis consimilem, non ex mare & femina, sed ex Spiritu sancto & Maria Virgine, nouo nascendi priuilegio, hominem absque peccato instituit, vt per eum qui obumbrante Spiritu sancto non fuisset conceptus æstu libidinis, eorum qui in peccatis concepti essent aboleret omne peccatum. Hinc virgine satus, virgine natus, vt absque delicto conceptus & ortus, sic absque vlla offensæ macula conuersatus, postquam dispensationem nostræ salutis docendo sufficienter exercuit, Deus verus, homo verus, vterumque vnus, hoc est, in vtroque & ex vtroque vnus, dignatione mirabili, mortem E quæ peccato debetur, totius expers contagij sponte pertulit, & nos peccatores æterna morte liberauit. Tum intra triduum resurgens, spem nostram in cælum sustulit & paulatim pristini lapsus veritatem, & nostræ instaurationis integritatem exposuit non suis verbis solum, verùm etiam discipulorum & verbis & scriptis, quanquam & sanctæ litteræ, quæ dicuntur veteris testamenti, alterum mira proprietate expresserunt, alterum mystica præfiguratione signarunt. Nam & primi parentis peccatum ipsæ prodiderunt, & futurum vt per Dominum Iesum repararetur genus humanum, cùm multis aliis locis, tum in illo summè atque clarissimè, *Dominabitur à mari vsque ad mare, & à flumine vsque* Ps.71. *ad terminos orbis terrarum.* Subtiliter igitur expendat fidelis examinator & pius, quanta fuerit hominis iniquitas, quam nec quisquam hominum, nec quilibet Angelorum, nisi Dei solius sanguis valuit expiare: nec se mereri aliud quam supplicium credat homo, qui F post purgationem baptismatis, qua etiam paruulis regni cœlestis ianua aperitur, tametsi quædam digna venia suspicatur se gessisse magis quàm nouit, multo sunt tamen plura, super quibus diuini iudicij seueritatem formidet. Quanquam etiam bene gestis timendum est, cum tantus vir dicat, *omnes iustitia nostra quasi* Esa.64. *pannus menstruata.* Iustitia enim nostra, licet interdum coram hominibus splendeat opere & sermone, in conspectu Dei sordescit praua cogitatione. Habemus autem vt supra relatum est, ex Adam liberum arbitrium, non ad bonum & malum, quale ipse à conditore accepit, sed quale ipse sponte in ima vergens elegit, & peccando commeruit, hoc est, ad malum liberum, ad bonum autem, si tamen id nobis diuino munere contigerit, vt supra iam diximus, Dei gratia ad liberandum. Mentior nisi hoc primus liber diuinæ auctoritatis ostendit his verbis: *Sensus & cogitatio humani cordis ad ma-* Gen.8. *lum prona sunt ab adolescentia sua.* Secretorum etiam cœlestium fidus interpres Paulus, iam baptizatus iam G forsitan ad tertium cœlum euectus, *Condelector*, inquit, Rom.7. *legi Dei secundum interiorem hominem*, illi profecto quæ sanxit, Non concupisces, *video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuum me ducentem in lege peccati, qua est in membris meis.* Legem in membris concupiscentiam vocat, quam post peccatum in membris genitalibus primi senserunt parentes, quam sibi aduersantem diuino freti adiutorio etiam continentes quique repellunt, sed penitus nunquam reuersuram, dum hic mortaliter viuunt, excludere nequeunt. Dominus quoque IESVS, qui singulariter vt conditor sciebat quid esset in homine imbecillitatis nostræ nos admonens, *Sine me*, inquit, *nihil po-* Ioan.15. *testis facere*, nihil scilicet boni, nihil saluti conducibile. Nec indignetur saluatus, & saluandus, sine Saluatore se nihil posse facere, qui pollicetur, *Si vos filius libe-* Ioan.8. *rauerit, vere liberi eritis.* Et cur, dicat aliquis, possibile præcipitur, quod postea impossibile demonstratur? *Diliges* Matt.22. *Dominũ Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua,* H *& ex tota mente tua*, & , *Diliges proximum tuum tanquam teipsum.* Et *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui vos* Matth.5. *oderunt.* Et, *Qui vult post me venire, abneget semetipsum, &* Luc.9. *tollat crucem suam, & sequatur me*: & alia multa, quæ nunc peccata prohibent, nunc instituunt fidem, nunc vires informant. Profecto vt dum conatur quis, nec sufficit quæ iubentur implere, illuc fatigatione humiliatus recurrat, vnde, petendo, quærendo, pulsando, accipiat quod desiderat, & non in se, sed in Domino de omnibus eius beneficiis glorietur. Nec sibi neruos fortitudinis detrahi opinetur sobriè Deo deuotus, cùm per se nihil boni posse facere tam euidentibus instruatur testimoniis. Nec vero meritum minui: quoniam solum hominem præstantius quàm Deo cooperante posse aliquid agere, ne dicam opinari, vel somniare, non tam superbientis est hominis, quam amentis, & de cuius plenitudine omnes accepimus gratiam pro gratia, pro gratia quam impendit laboriosæ bonitatis,

A gratiam rependit beatæ retributionis. Non habere ho-
minem in bono liberum arbitrium etiam Hieremias pro-
Hier. 10. pheta non dubitans, *Scio*, inquit, *Domine quia non sit*
hominis via eius, nec est vt ambulet & dirigat gressus suos.
Proinde mox adiutorium flagitat: *Corripe me Domine,*
verumtamen in iudicio, & non in furore tuo. Hoc est.
Quis non est meæ virtutis vt meam prauitatem corri-
gam, & iustitiæ tuæ apprehendam & teneam rectitu-
dinem, tu adhibe correctionem iudicij, cuius terrore
salubriter sanas infirmos, non correptionem, cuius se-
ueritate horribiliter damnas superbos: vt mutata &
confirmata voluntate faciam, te cooperante, quod meis
viribus implere non valeo. Vates præterea clarissimus
Isaias totum Deo nihil nobis penitùs tribuendum,
Esa. 26. confirmans, *Domine*, inquit, *pacem da nobis: omnia enim*
opera nostra operatus es nobis. Namque si nobis temerè
sanitatem liberi arbitrij arrogamus, frustra diu multa
conati, sic impossibilitate, vt hoste acerrimo confun-
B dimur molestoque bello laboramus, quousque defessi
ad diuinum recurramus auxilium. Quo impetrato
Ps. 118. pacem de qua dicitur, *Pax multa diligentibus legem tuam,*
consequimur; dum per bonum affectum in Deo mens
nostra velut in munitione tutissima requiescit & iam sa-
lutaris præcepta fiducialiter operatur, quandoquidem
ea ipse qui præcipit exercet. Miretur aliquis, ne parua
quidē opera nobis à nobis, sed ipsa quoque à Deo esse, ni-
si cognouerit ipsas cogitationes bonas, & initium ac per-
fectionem fidei non à nobis procedere, sed à Deo inspi-
rari habentibus atque firmari. Doctor hæc gentium,
2 Cor. 3. immo per eum Dei spiritus publicans, *Non quasi suffi-*
cientes simus, inquit, *cogitare aliquid à nobis, quasi ex*
nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est, hoc est, quod
ad sanctitatem religionis pertinet, nos quidem nihil
sufficimus cogitare: sed vt sufficiamus, ipsas à Deo co-
1. Cor. 7. gitationes bonas accipimus. Item de initio fidei, *Sed*
misericordiam consecutus sum, ait, *vt fidelis essem.* Non
enim ait, quia fidelis fui misericordiam consecutus sum,
sed misericordiam consecutus sum vt fidelis essem. De
C Eph. 2. Phil. 2. perfectione autem fidei: *Gratia salui facti estis per fidem,*
& hoc non ex vobis. Dei donum est. Itémque non de
fide solùm, sed de ipsa bona voluntate: *Deus est*, in-
quit, *qui operatur in vobis & velle & perficere.* Quod
vero in bonis actibus perseuerantia Dei donum ac per
hoc gratia Dei sit, facilè illud satis idoneo testimonio
Phil. 1. comprobatur: *Confidimus in Domino* Iesv, *quia qui cœ-*
pit in vobis opus bonum, perficiet vsque in diem Christi
Iesv. Hoc est. Deus, qui cœpit in vobis agere quod
præcepit, tamdiu operabitur, quousque excedentibus
vita singulis adueniens incipiat reddere quod promisit.
His omnibus erudimur ne spem in nobis collocemus
opinione grauius delinquentes; sed statum nostrum
munientes, totius nostræ spei plenitudinem transfera-
mus in illum, qui propterea nos ad se vocat vt fulciat:
idcirco profutura nos petere inuitat vt tribuat, ideo ne
nobis confidamus terret, ne deserat. Namque male-
dictus homo est qui spem ponit in homine: qui au-
D tem eam in seipso ponit, in homine ponit: maledictus
igitur est. Sanè Dei bonitas præclare commendatur,
cum benedictus esse vir asseritur qui confidit in Domino
& solus interdum confidentis affectus præmium iam
benedictionis assequitur. Amant autem immundi spi-
ritus, decipiendi astu spem hominum in se transferre,
quod in suis cultoribus effecerunt, vel ex quodam
colludio falsas opiniones mentibus eorum inserere:
quasi propter naturæ dignitatem atque præstantiam
tutissimum sit eis in seipsis spem aliquatenus colloca-
re. Quod est ex eorum scriptis ostendere qui diuinæ va-
cui notitia mundanæ sapientiæ claruerunt. Tullius
facit non Lælium vel Scipionem, quæ posset esse du-
bia, sed M. Catonem senem certa, hoc est sua, dicere
sententia. Quibus nihil est in ipsis opis ad bene bea-
téque viuendum, his omnis ætas grauis est: qui autem
omnia bona à seipsis petunt, his nihil malum po-
test videri, quod naturæ necessitas afferat. Omnia
bona a vero Deo non a seipsis petunt, Marce Tulli,
dixisses; & nobis non tam splendore verborum, quam E
sententiæ veritate placuisses. Virgilius etiam, vt ho-
minem decuit poëtica figmenta tractantem, aliud agens
tale quid significauit potiùs quam expressit, *Spes sibi*
quisque. O vtinam dixisset, cuique Deus verus spes,
& credidisset, nec de Mæcenate adulando, sed de eo-
dem vero & solo Deo probè summèque canendo protu-
lisset, *Te sine nil altum mens inchoat.* Nostri autem au-
ctores, facile sapientia superiores, quia diuina eloquen-
tia parea, quam, cum volunt, exerunt; cum volunt
abscondunt, Cyprianum loquor, Augustinum, Hie-
ronymum, Ambrosium, & quosdam alios, &
mentem diuinorum eloquiorum penitùs inspexerunt,
& nobis salubriter expresserunt. Scilicet egere nos
in bonum arbitrio liberando, & Dei gratiam non
secundum merita nostra dari. Itaque gloriosissimus
martyr Cyprianus, & doctor suauissimus, omnis no-
stris viribus adimens, Deo assignans, breuissimè om- F
nia genera meritorum complexus, sit in nullo glo-
riandum, quando nostrum nihil sit. Ambrosius autem
scribens, non est in nostra potestate cor nostrum &
nostræ cogitationes, etiam ipsa facta & dicta comprehen-
dit, quæ profecto ex corde & cogitatione procedunt.
Hieronymus diuina & seculari doctrina præcipuus, &
velut quidam parens cum Augustino Ecclesiasticæ Phi-
losophiæ, quæ humanam nec multum appetit, nec in om-
nibus contemnit, Pelagianam hæresim recens exortam
potenter debellans, Si, inquit, in eo tantum Dei gra-
tia est, quod propriæ nos condidit voluntatis & libero
arbitrio contenti sumus, nec vltra eius indigemus, ne si
indiguerimus liberum frangatur arbitrium, ergo neque
vltra orare debemus, nec illius clementiam precibus
flectere, vt accipiamus cotidie quod semel acceptum
in nostra est potestate. Item post aliquanta: Agamus
semper gratias largitori, sciamusque nos nihil esse,
nisi quod donauit in nobis ipse seruauerit. Item alibi in
Deuteronomio perspicuè demonstratur, non operibus G
nostris atque iustitiis, sed Dei nos misericordia con-
seruari. *Non iustitia tua Dominus Deus tuus, dabit tibi* Deut. 9.
terram optimam, vt possideas eam, quia populus duræ Ps. 55.
ceruicis es tu. Item post aliquanta: *Pro nihilo saluos*
facies eos, haud dubium quin iustos, quia non proprio
merito, sed Dei saluantur clementia. Item alibi in ex- Hier. 9.
positione sententiæ: *Non glorietur sapiens in sapientia*
sua & non glorietur fortis in fortitudine sua, & non
glorietur diues in diuitiis suis, sed in hoc glorietur qui
gloriatur, scire & intelligere & nosse me, quia ego sum Do-
minus, qui facio misericordiam & iudicium, & iustitiam
in terra. Vbi sunt, inquit, qui dicunt proprio homi-
nem regi arbitrio: sic datam liberi arbitrij potestatem,
vt Dei misericordia tolleretur atque iustitia?] Ipse au-
tem Augustinus, quem nescias vtrum rerum inuentione
magis an dicendi felicitate mireris, de libero arbitrio
& gratia Dei tanta disseruit, vt possint vix ab aliquo
legi, omnia verò, vt mea fert opinio, quanquam sint
clarissima & vtilissima, à nemine memoria contineri.
Quid enim sentiendum sit de libero arbitrio & gratia H
Dei, sicut nemo tam laboriosa indagine vestigauit, ne-
mo vt ille studio versauit; ita, vt pace cunctorum di-
xerim, nullus vtrumque tanta veritatis proprietate
inuenit, nullus tanta eloquentiæ vbertate asseruit, nul-
lus inexpugnabilium argumentorum copia tanta defen-
dit. Proinde, cum essent illius omnia optima; & penè
innumera; hæsitatémque quid potissimum esset eligen-
dum, statui studiosum ad illorum inuitare lectionem,
quæ nostris præcognitis facilius poterit penetrare, quam
paucis positis, similibus melioribusve frandare. Hoc
vnum tamen occultare non passus sum, quod inter alia
de libero arbitrio sentissime deprehendit. Liberum
inquit, arbitrium congenitum, & omnino inamissibile
si quærimus, illud est quo beati esse volunt etiam hi
qui ea nolunt quæ ad beatitudinem ducunt. Nec ar-
bitretur aliquis, aut tantos viros, aut nos, bona quæ
dono Dei consequimur, sic dona eius asserere, vt non
sint etiam nostra. Sunt profecto Dei sc principaliter

quia

quia ab illo donantur: sunt consequenter & bona nostra, quia nobis ab illo esse creduntur: & cùm aliquid boni molimur vel agimus, est in nobis liberum arbitrium, quia peccati affectu Dei gratia liberatum. Idémque opus & Dei est, qui operatur in nobis; & nostrum est, quia voluntate facimus quod præceptum est nobis. Cogitationes bonæ Dei sunt, quia nobis donantur ab
3. illo, vt Apostolico superiùs constitit documento, *Non quòd sufficientes simus cogitare aliquid à nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est*: & eædem nostræ sunt, quia Spiritus Dei admonet, *Iacta cogitatum tuum in Domino, & ipse te enutriet.* Conuersio nostra Dei est, cui supplicatur, *Conuerte nos Deus salutaris noster*: & eadem nostra est, quia diuinitus iubetur, *Conuertimini ad me in toto corde vestro.* Inclinatio cordis nostri ad præcepta Dei, & ipsius Dei est, quem placamus his ab eodem docti precibus: *Inclina cor meum in testimonia tua*: & eadem inclinatio nostra est, quia volentibus nobis est: vnde non falsò gloriamur: *Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas in æternum.* Posttemò
5. omnia opera nostra bona, & Dei sunt qui dicit, *Sine me nihil potestis facere*; & eadem nostra sunt, quia illi propheticè dicitur: *Domine pacem da nobis, omnia enim opera nostra operatus es nobis.* Nostrorum autem omnium bonorum Dei gratia auctor & causa est. Nam post peccatum Adæ; in quo omnes peccauimus, & iustè damnati sumus, (rectus est enim Dominus Deus noster, & non est iniquitas in eo) quid mereatur totius generis humani series vsitata, & propter originale peccatum damnata, & propter propria addita si ad actiuam ætatem accesserit damnanda, nisi sempiterna supplicia? Hæc planè, vt supra relatum est, peccato vitiata tota stirps hominum perpeti cogeretur, nisi ex eadem stirpe eandem causam damnationis habente, alij occulto iudicio Dei quanquam rectissimo per iustitiam eius in damnatione debita relinquerentur; alij verò manifesta gratia per eius misericordiam saluarentur. Non est vnde inflentur liberati, quia quod non meruerant acceperunt; non est vnde querantur damnati, quia nihil nisi quod meruerant perferre coacti sunt. Cur autem istos non illos saluet Deus, aut cur non potiùs istos, quàm illos, iam hoc supra hominem est, nec secreti Dei præsertim tanti causa expectari debet ab homi-
1. ne. *Quis cognouit sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuit?* Igitur, vt idem ait, *cuius vult miseretur, & quem vult indurat*: miseretur exuberante bonitate, indurat nulla intercedente iniquitate. Indurat autem, non ad peccatum impellendo, Deus enim intentator malorum est, sed in peccato deserendo, quia ipse quorum vult solùm liberator est. Et vtique vt est quorundam, si voluisset esse potuisset & omnium: omnia enim quæcumque voluit, Dominus fecit in cœlo & in terra. Sed ita voluit exercere misericordiam, ne in aliquo firmaret iustitiam. Nam quod venerabilis Paulus ait, *Qui vult omnes homines saluos fieri*, non sic accipiendum est, quasi cùm Deus velit generaliter omnes fieri saluos, quibusdam impedientibus impotentissimis, non valeat omnipotentissimus implere quod velit: sed ita potiùs, quòd illis siue volentibus, siue nolentibus, (nam plures in infantili ætate baptizati, horum non habentes discrimen, mox vita excedentes transferuntur ad gloriam) saluantur omnes quoscunque ille saluare voluerit. Omnes ergo vult saluos fieri homines, sed non alios quàm qui saluantur. Quo elocutionis genere vsus est Euangelista Ioannes his verbis: *Qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*: non quo fidei luce omnes in hunc mundum venientes illuminet, (quod sentire perquam absurdum est, quandoquidem plures infidelitatis tenebris obscurentur) sed eos videlicet qui illuminantur, dum non ab alio nisi ab illo illuminantur. Omnes autem non semper vniuersitatem generaliter; verùm aliquando exceptionem quandam particulariter comprehendere, etiam ipse Apostolus, de cuius deliberatur sententia, idoneus auctor est, vbi ait: *Sicut ego per omnia omnibus placeo.* Nanque vt taceam de maiore adhuc infidelium parte, quibus perfectò placere non poterat, non placebat his à quibus cædebatur, non placebat his à quibus obruebatur lapidibus, non placebat his denique à quibus vrbe velut mortuus pellebatur. Placebat autem solis fidelibus, qui tot erant vt meritò dici possent omnes, quique in illo glorificabant Deum quòd persecutionem prædicatione mutasset. Possumus etiam, *qui vult omnes homines saluos fieri*, sic sano sensu intelligere, quòd ex omni genere hominum colligat ad salutem, hoc est, quosdam Iudæorum atque gentilium, quosdam vtriusque sexus, nonnullos magistratuum, & priuatorum, aliquos dominorum atque seruorum, alios ingeniosorum atque hebetum, & quarumcunque differentiarum homines possunt à subtiliter contemplantibus deprehendi, qui omnium vocabulo non immeritò censeantur. Siquidem eadem notione idem nomen in Euangelio Lucas posuit: *Væ vobis Pharisæi, qui decimatis mentam & rutam, & omne olus.* Neque enim omnium generum olus per omnem terræ amplitudinem Pharisæi decimabant: sed omne olus, omne genus olerum quod habebant est absque scrupulo sentiendum. Nec ille sensus abhorret à vero, vt qui vult omnes homines saluos fieri, qui velle nos facit, omnes homines saluos fieri significare voluerit, vt qui sciamus multos vocatos, paucos autem electos, nullos discrimine separare valeamus, omnes indifferenter velimus fieri saluos. Nam & in eundem modum inuenimus apud Apostolum:
Ipse spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus, 1
hoc est, postulare nos facit. Hanc autem gratiam, qua nos omnes qui saluamur gratia eripimur, pluribus relictis in damnatione, quam nos quoque meruimus, commendans vas electionis, *Sicut elegit nos*, inquit, *in ipso ante mundi constitutionem, vt essemus sancti & immaculati in conspectu eius in caritate: qui prædestinauit nos in adoptionem filiorum per* IESVM CHRISTVM *in ipsum.* Ne aduersùs Deum ex eius munere inflaremur, antequam oriretur superbiæ morbus, quàm efficax est remedium procuratum. Elegit nos Deus ante mundi constitutionem, non quia eramus sancti & immaculati, aut quia futuri eramus sancti & immaculati; alioquin non tam suæ gratiæ donum largiretur, quam nostro merito vel præsenti, vel futuro præmio velut ex debito referret. Sed elegit nos ante constitutionem mundi, vt essemus sancti & immaculati, qui nisi vellet, nec vlli quidem esse possemus. Ceterùm vbicunque de electione vel præscientia siue prædestinatione Apostoli loquuntur, quicunque Deum propterea elegisse præscisse aut prædestinasse quoslibet asserunt; quòd præscierit eos deuotos sibi futuros, & in eadem deuotione mansuros, tametsi sint in aliis magnæ auctoritatis, in hac sententia non sunt penitùs audiendi, ne euacuetur diuinæ gratiæ donum, si secundùm humanum quanquam futurum meritum dispensetur. Nec indignentur his præponi Apostolum quicunque non nesciunt in hoc loqui potiùs Christum, qui se quemadmodum est veritatem esse testatur. Hi sola gratia prædestinati sunt omnes, de quibus ait Saluator: *Omnis qui audiuit à patre & didicit veniet ad me.*
Hæc autem salutis doctrina, qua venitur ad gratiam saluantis, valde remota est à sensibus corporis. Non auribus apprehenditur sonantibus verbis, sed mentibus creatoris instinctu, etiam in eis absque strepitu quod placuerit operantis, vel misericordiam, vt vocati liberentur, vel iudicium vt relicti damnentur. Operatur planè in mentibus piorum, adiuuando vt salutaria velint, & in eis proficiant: operatur in mentibus impiorum deserendo, ne nisi noxia velint, & in peiora labantur. Id Propheta intelligens orat, *Adiuua me, & saluus ero.* De reprobis verò sponte peccantibus, & deserente iudicio Dei ad deteriora ruentibus ait Apostolus, *quia non probauerunt Deum habere in notitiam, tradidit illos Deus in reprobum sensum, vt faciant quæ non conueniunt.* Vtrosque discernit voluntas, vel misericordia Dei adiuta, vel iudicio non adiuta. Deum itaque, qui adiuuat vt bona sit voluntas, & voluntatis ipsius, & omnium quæ ex ea prodeunt bonorum, necnon & quæ

hæc

A hæc nullo dubitante consequuntur præmiorum, nemo est tam ingratus, qui non credat & confiteatur auctorem. Perditorum verò malæ voluntatis eum esse auctorem nemo, nisi insanus & perditus opinari audebit. Non enim cuius voluntas summè bona est, malam esse facit alterius. Auctor itaque sicut non est malæ voluntatis impiorum, ita nec aliorum quorumlibet peccatorum quæ ex ea procedunt. Verum qui non est auctor vllius omnino reatus, est profectò censor & iudex. Vt autem reus maiestatis damnatus, non rectè nisi sibi aut sociis criminis imputat quòd punitur, ita iudicio Dei damnatus, non rectè potest in eum supplicij sui retorquere inuidiam, cui nequaquam valet obicere peccati sponte à se commissi calumniam. Imputet igitur sibi homo vel si placet Diabolo cui temere credidit, & peccatum & vindictam peccati, hoc est, & causam damnationis, & ipsam damnationem: Deo vero & bonum opus, & ipsum boni operis præmium. Ad hoc bonum

B nemo malus nisi discessurus accessit: ad hoc bonum nemo bonus nisi tractus peruenit. Siquidem quam

…an. verum est, *ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis*,

…6. tam verum, *nemo venit ad me, nisi Pater qui misit me traxerit eum.* Vbi prauitas nostræ naturæ, quam tamen translato vocabulo, id est, improprio vtentes naturam

…1. iuxta Apostolum dicimus, qui ait, *Eramus nos aliquando natura filij iræ, sicut & cæteri*, vocans naturam quæ habeat iam peccatum quod sit contra naturam, cum verè & propriè natura dicatur incorrupta, in qua conditus est Adam. Prauitas inquam nostræ naturæ ostenditur, quæ vt alibi declaratur *sensu & cogitatione cordis ad malum prona ab adolescentia*, hoc est, ex quo potest discretionis habere iudicium, ad virtutem reluctans trahitur & inuita. Sed vt ad propositum reuertamur, ad bonum, & ad boni præmium, nemo nisi ante mundi constitutionem gratia electus, gratia præscitus, gratia prædestinatus, intromissus est, sicut diuino spiritu pandente comperimus. Electio non omnium, sed quorun-

C dam confitetur salutem, præscientia futurorum, nobis duntaxat, nam Deo simul præsto sunt omnia, prænotionem insinuat. Prædestinationem autem in bono positam, didicimus ostendere in sanctis litteris gratiæ præparationem. Gratiam vero ipsam exprimere donationem. Præscit Deus quæcunque aut facturus est, aut permissurus: vtraque nulla necessitate, alterum communione iniustitiæ nulla: prædestinat quæcunque immutabiliter facere statuit: immo omnia quæ facturus erat tunc prædestinauit, quando cuncta quæ futura erant fecit. Proinde prædestinatio nunquam est sine præscientia: nihil enim quod nesciat se facturum Deus prædestinat. Præscientia vero est & plerunque sine prædestinatione quia crimina peruersorum præscit Deus, quæ vtique vt se facturum non prædestinauit, ita nec fecit. Verum enimuero præfixit numerum electorum, cui nullus possit augeri, nullusque subtrahi, ne videretur Deus, quod nefas est opinari, in veritate suæ prædestinationis errasse. Si quis verò hinc fortè confirmari desiderat, instruentur Baptistæ Ioannis quæ in Euangelio refertur illa sententia: *Facite fructum dignum pœnitentiæ, & nolite dicere apud vos, patrem habemus Abraham: potens est enim Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ.* Qua satis ostendit: sic istos nisi fructum fecerint præcidendos, vt substituantur alij, vel carne vel tantum imitatione filij Abrahæ: ne nutante promissionis Dei fide possit aliquis certæ summæ deesse,

1. & adhuc apertiùs in Apocalypsi, vbi præcipitur: *Tene quod tenes, ne alius accipiat coronam tuam.* Si enim alius accepturus, nisi iste perdendo locum vacuum fecerit successuro, certus est numerus electorum. Vt autem etiam perseueraturis perinde ista dicantur, velut eos perseueraturos habeatur incertum, hæc ratio est, quod metus est necessarius, quibus adhuc potest subripere superbiæ morbus: & tanta subest his adhuc infirmitas, quæ non securitate fouenda, sed alia sit infirmitate sedanda. Veniat nobis in mentem Apostolus, cui corporis incertum an mentis incommodo laboranti,

E & remedium flagitanti, cœlestis medicus, qui sciret quàm ipse meliùs, quid ei competeret, infirmitatis antidotum conuenire monstrauit hanc prædestinationem quia Deus euoluens gratiam facit sanctos, non inuenit & post excursum instantis vitæ perficit & coronat Hanc inquiunt prædestinationem, quæ illustribus diuini eloquij testimoniis & inexpugnabilibus argumentis adstruitur, fideles quique passim suscipiunt, constanter defendunt, in hac vt par est suspensi spem suæ salutis pio consensu reponunt, nec immeritò. Siquidem nulla via salutis humanæ potest inueniri, præter hanc quam quæ præstitit diuina gratia demonstrauit. Hac exclusis nullus omnino patet reditus ad salutem. De his prædestinationem Dei dici horrent plerique atque refugiunt: in quibus & quædam præclara Præsulum lumina. Scilicet ne credatur Deus libidine puniendi aliquos condidisse, & iniustè damnare eos qui non valuerint peccatum ac per hoc nec supplicium declinare. Qui

F si attenderent, sicut in Adam illo voluntate peccante omnes peccauerunt, ita prius illo absque vitio existente omnes absque vitio extitisse, Deum autem non homini necessitatem casus intulisse, potestatem tamen permisisse, ipsum vero, vtpote qui fecit quæ futura sunt, & qui vocat quæ non sunt tanquam ea quæ sunt, & casum præscisse, & quid casum sequeretur constituisse, vt videlicet genus humanum sua sponte corruptum, nec totum propter misericordiam damnaretur, nec totum propter iustitiam saluaretur, nullam patientur caliginem, Deus quos rectos origine condidit, voluntas propria vitiauit, quos non liberat clementia, sic punire iudicio, vt non ipse, verum ipsi conuincantur suæ damnationis auctores. Hic aliquis, vnde placari debuit, forsan irritatior dicat: Et si mihi semel pereundum est, cur huius vitæ perdo compendia? cur cùm mihi alibi semper futurum est malè, non sit hic aliquandiu benè? quare non omnes voluptatis effundo habenas, totúmque quod delectat perficio? Auerterit Deus hanc ab

G omni Christiano insaniam, vt se aliquis de numero perditorum credat, se à malo reuerti non posse coniiciat, se inæstimabili Dei clementia saluari posse diffidat. Hoc eorum est, qui transeunt in affectum cordis, hoc est, qui malum amore insatiabili diligunt, & in eo durare obstinatissima intentione decreuerunt, & in desperationis baratrum irreuocabili se impietate merserunt. Qui vero se redemptum Christi sanguine tanto pretio meminit, initiatum baptismate tanto sato sacramento non nescit, pœnitentiæ aditum suæ salutis argumentum patere non dubitat, cur quæso potius tantis beneficiis nullo suo merito nisi malo, non indefessus implorat, vt etiam & bonum meritum à Deo, & quæ bonum meritum consequuntur accipiat? Cur se regressum habere dum hic viuit desperat, cùm potius de bonitate Dei præsumere debeat, quod ideo viuat vt semetipsum tandem aliquando corrigat? Quis integrè vnquam sperare in Domino potuit, nec potuit ad veniam peruenire? Immo suo quisque iudicio damnatus fugiat à Deo ad Deum,

H ab irato dum peccat ad placatum dum pœnitet. Reuelet Domino viam suam, & speret in eum, & ipse faciet. scilicet vt mala plena deserat, & bona iam ardenter ac delectabiliter apprehendat. Ille non potest Dei misericordiam consequi, qui in illo sperare non potest. Nam *sperantem in Domino*, vt ipse aperit, *misericordia circumdabit.* O quàm tutum est nobis in Dei pietate perfugium? Paratus est Deus, parcere subiectis, & debellare superbos, his qui relinquunt culpam, & lachrymabiliter postulant veniam, facilis est præstare indulgentiam. Quis non hunc multum diligat, vt sibi dimitti peccata multa obtineat? Festinus ergo quisque ad pœnitentiæ portum confugiat, securus adprehendat & teneat. Proponat sibi quisque æmula Pietate Dauid Regem, & Petrum: Apostolum quorum vnus de adulterio & homicidio increpatus, vt par fuit, insigni dolore, *peccaui Domino* dixit, & translatum mox peccatum, nec se moriturum audire meruit: alter verò 2.Reg. 12.

A respectus ab eo qui paulisper auerterat ab eo faciem suã, & propterea factus fuerat conturbatus, respectus, inquam, id est, in affectum pœnitentiæ excitatus, negationis Dei maculam, tantum nefas dicto citius amaris lacrymis diluit, aboleuit. At si quis tantorum virorum contemplatione desperationem quam imitationem concipit, quod hi quanquam maxima crimina; virtutum copia propulsauerint atque oppresserint, se autem solis scatere vitiis ingemiscat, saltem illum latronem adspiciat, qui supplicium crucis haud dubiè sceleratis actibus meruit, & per solam fidem, quæ subito confessionem peperit atque spem, in media morte vitam inuenit. Postremò, si sciret se aliquis tam infeliciter addictum, vt absque vlla dubietate damnandus esset, cur non temperaret à vitiis? cur non etiam elaboraret sectari bona quæ posset, vt saltem eum leuior pœna postea plecteret? Qui huius vitæ pœnis torquendus, si facultas detur, non minores eligat, maiores declinet? Minores
B autem pœnas minoribus, maiores peccatis maioribus rependi diuina Scriptura consulta respondet. *Reddes*,
I. 51. inquit Propheta, *vnicuique iuxta opera sua:* pro qualitate scilicet bonorum, siue malorum, præmia quibusque digna restitues. Sed si iam aliquid in persuadenda bona spe fauore diuino promouimus sitne malorum prædestinatio sentienda, post ratiocinationem quam præmisimus, Beati Augustini assertione pandamus. Hic auctor certissimus, quia diuinarum Scripturarum obseruantissimus, scribendo profecit: vnde culpat quosdam in libro de prædestinatione sanctorum, quod sicut studuissent ipsius libros legere non etiam certassent cum ipso proficere; & proficienter scripsit, nec tamen suo iudicio ad perfectionem peruenit. Tenebat enim, quod etiam in suo mirabili de Grammatica opere Priscianus intelligit, nihil perfectum ex omni parte in humanis locutionibus inueniri posse. Immo quod noster ait Apostolus, *ex parte cognoscimus, & ex parte propheta-*
1. Cor 13. *mus.* Hoc in exactissimo libro de bono perseuerantiæ,
C quem post veliorer libros Retractationum edidit, dignatur ingenue confiteri. In libris autem Retractationum, quibus non erubuit publicare in quibuscunque se deprehendit errasse, & censoria seueritate damnare, & adhibita vbicunque potuit norma diuinæ auctoritatis, & acumine cautissimæ argumentationis corrigere, eò vsque profecit, vt studiosus quisque singularem eius doctrinam securus haurire debeat malitiosus, non inueniat in eo quod iustè reprehendat. Quis illo pressiùs vitia resecuit? quis ad virtutes potentiùs instigauit, immo, vt veriùs eloquar, impulit? quis illo feliciùs quod voluit persuasit? Cumque sit, vt ait Tullius minimum de arte loqui, multò maximum ex arte dicere; ex arte quotiens voluit perfectè loquens oratorem impleuit: de arte autem præclara adiumenta, vim eius aperiens in quarto de Doctrina Christiana libro capacibus præstitit. Quis hoc sit sanctior? quis cautior? quis acutior? Hic itaque tot diuinis ornatus muneribus, non dubitando, non quærendo, non argumentando, sed
D plane velut professum docendo, malorum prædestinationem esse insinuat. Verba eius posui ex libro quem Enchiridion dixit, cui in retractatione cùm vellet supremam imponere vt aiunt, manum, nihil quod adderet, nihil quod detraheret, nihil quod mutaret inuenit. Hæc sunt magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates eius, & tam sapienter exquisita, vt cùm Angelica & humana creatura peccasset, id est, non quod ille, sed quod voluit ipse fecisset, etiam per eandem creaturæ voluntatem, qua factum est quod creator noluit, impleret ipse quod voluit, bene vtens & malis tanquam, summè bonus, ad eorum damnationem, quos iustè prædestinauit ad pœnam, & ad eorum salutem, quos benignè prædestinauit ad gloriam. Et ne hoc illi excidisse arbitreris, ac non pro comperto & certissimo comprobatum, cum ex multis librorum eius locis, tum ex illius, cuius feci paulo ante mentionem qui inscribitur, De bono perseuerantiæ, quem ætate matura firmóque iudicio exercitatissimus edidit, poterit confirmari. Quibus, inquit, non vult subuenire non subuenit, de quibus in sua prædestinatione, occultè quidem, sed iustè, aliud iudicauit. Non est enim iniquitas apud Deum. Huic non dissimilia S. Gregorius Papa, Fulgentius, Isidorusque senserunt, quorum ego testimonia ponere supersedi, ne diu aliorum scriptis exceptus esset noster labor ingratior. Cuius autem sit momenti Augustinus, Cælestino Papa docente discamus. Augustinum, inquit, sanctæ recordationis virum pro vita sua atque meritis, in nostra communione semper habuimus, nec vnquam hunc sinistræ suspicionis rumor aspersit. Quem tantæ scientiæ olim fuisse meminimus, vt inter magistros etiam à meis semper decessoribus haberetur. Bene ergo de eo omnes in commune senserunt, vtpote qui vbique cunctis & amori fuerit & honori. Verum ne quod cauendum etiam secularibus litteris dum inbueremur cognouimus amore doctorum amplecti iudicemur errores eorum, (vnde probe idem Augustinus dehortatur in memorato De bono perseuerantiæ libro his verbis, Quanquam neminem velim sic amplecti omnia mea vt me sequatur, nisi in his in quibus me non errare perspexerit, ac non potius vnde potissimum quærendum est vestigare veritatem) procedat Paulus in medium, vt detegat hoc tandem suo sermone secretum. *Volens*, inquit, *Deus ostendere iram & demonstrare potentiam suam attulit in multa patientia vasa iræ, quæ perfecta sunt in perditionem, vt notas faciat diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ quæ præparauit in gloriam.* Ecce vasa iræ perfecta confirmat doctor gentium in perditionem. Et certè, quantum ad humanam spectat opinionem, pressius est dicere perfectum aliquid esse quam prædestinatum. Quantum enim ad humanorum casuum varietatem, perfectum infectum esse non potest, prædestinatum autem mutari aliquando potest: quantum autem ad Dei pertinet continentem omnia maiestatem, idem illi & perfectum est, quia fecit quæ futura sunt, & prædestinatum, quia est immutabili veritate complendum. Iram verò illam appellat qua reprobi puniuntur, quæ talibus verbis in Euangelio terminatur: *Qui incredulus est filio non videbit vitam: sed ira Dei manet super* Io.
eum. Hanc vt euitaret orabat Propheta, *Domine ne in* Ps.
furore arguas me, neque in ira tua corripias me. Sed fortè nec ex hoc loco diuersa sentientium sopiatur intentio, quia pleraque exemplaria, non vasa iræ perfecta in perditionem habent, sed vasa iræ apta in interitum. Quasi vero propterea non possint vasa iræ prædestinari in perditionem, quod apta sint in interitum. Accedat ergo Dominus IESVS, & nodum quæstionis ipse dissoluat. Denique ipse dicit in Euangelio: *Vobis* M
datum est nosse mysterium regni cælorum, illis autem non est datum. Vobis datum est, discipulis loquitur, illis autem non est datum, hoc est, de vndequaque confluentibus turbis. Si bene docentem capio, eos quibus datum est misericordia colligit, quibus non est datum, iudicio repellit, hoc est, non adiuuando relinquit. Prædestinati autem sunt electi, quibus datum est, quorum certus est numerus. Neque enim Deus prædestinaret eos, quorum summam nesciret. Igitur cum ad eorum numerum adspirare non possint reprobi, quia vt saluentur non est eis datum, quis possit ostendere, quis audeat affirmare, vt damnentur non esse prædestinatum? Item in Euangelio immutabili sententia præscribitur, *Qui non credit iam iudicatus est*, ad quid arbitraris, Io.
nisi ad puniendum? cur quæso, nisi quia in Adam sua sponte peccante peccauit, nec hunc Dei gratia liberauit? An & inde cumulum sibi damnationis conseruit, quod in infidelitate permanere delegit? Ita vero est. Sed cur credere noluit? quia, vt scriptum est, *non omnium est fides.* At cur non sit fides non omnium, certus est limes, quem nisi impius excedere nullus audeat? quia illis non est datum. Siquidem cur eis non sit datum, illius est solius consilij, cuius quamquam sit subinde occultum, nunquam tamen est iniustum iudicium. Hanc seueritatem verisimile est illam quoque sonare sententiam,

A Eccl. 7. *Considera opera Dei, quod nemo possit corrigere quem ille despexerit*, quod scilicet vas iræ aptum in interitum, vel perfectum in perditionem, malus obstinate in malo semper hæreat, etsi videatur ad tempus correctionem simulare, sicut canis ad vomitum, sic ipse ad peccatum consciscendo sibi mortem recurrat. In eadem sententia studiosi, qui cultu orationis plurimum delectantur, recognoscant licet, non eloquentiæ nitorem solum, sed etiam clausulam numerose cadentem. Iam ergo cùm res in tuto sit, ponamus verborum controuersias, ne puerili animositate contra inuicem pro inani victoriæ iactantiæ litigantes corripiamur ab Apostolo dicen- .Tim. te: *Noli verbis contendere: ad nihil enim vtile est, nisi ad subuersionem audientium.* Nàm cum sit nobis vnus magister cœlestis, qui est verus & veritas, vnde accipitur, & quo referenda est omnis veritas, cur pro nostris inuentis dimicemus., vt idipsum dimicamus omnes, quod nostrum non sit commentum, sed illius docu- B mentum, pacificè atque humiliter quid sit rectissimum reperiamus. Si qui vero tantis mouentur auctoritatibus, seque non nostra assertione, verùm perspicua superatos intelligunt veritate, non dedignentur suam mutare sententiam: quia non tam erubescendum est homini errasse, quam cognitum errorem nolle vitare. Quod vtiliter amplissimus orator Tullius suo proposito subtiliter monstrat exemplo. Si temerè, inquit, aliquid alicuius præterisse, aut non satis eleganter secuti videbimur, docti ab aliquo facilè & libenter sententiam commutabimus. Non enim parum cognouisse, sed in parum cognito stultè & diu perseuerasse turpe est: proptetea quod alterum communi hominum infirmitati, alterum singulari vniuscuiusque vitio est attributum.

I. Quæstionibus duabus, hoc est, de libero arbitrio, & de prædestinatione, non vt voluimus, sed vt valuimus, pertractatis, ad tertiam, scilicet de redemptione; quanta sit sanguinis Christi, quæ est vltima, veniamus. Et vnde meliùs considerandi capiemus exor- C dium, quam ab eius verbis, qui quod postea sicut homo impleuit, antea sicut Deus prædixit? Sunt hæc eius .12. verba: *Si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum.* In hac exaltatione, quam se humiliando vt nos exaltaremur perpessus est, sanguis ille pro multis effusus est in remissionem peccatorum. Sic enim idem IESVS, hoc est, nostra lingua Saluator, saluum fecit populum suum a peccatis eorum. Denique non aliquam solam gentem elegit, quam singulari priuilegio eorum saluaret: sed vt non suo merito, verùm forsitan commendandæ dignitatis pontificalis gratia, Caiphas prophetauit, mortuus est Iesus, non tantum pro Iudæorum gente, vnde genus ducebat, sed vt filios Dei qui erant dispersi congregaret in vnum. Non quod adhuc essent filij Dei; sed quia inter congregandum facti sunt filij Dei, cum vnitati fidei accesserunt. Non incongruenter igitur, sicut prædixit, ad se omnia traxit, qui ex omni genere hominum elegit quoscunque saluare decreuit. Qui multi dicti sunt, quia plures vtique saluantur: omnes autem, quia ex omni genere hominum colliguntur. Pro his fusum esse sanguinem Dei: quia Verbum caro factum est, hoc est, Deus homo factus a parte totum significante Scriptura, sicut alibi, *Et videbit omnis caro salutare Dei*, hoc est, omnis homo, & quia Deus, dum integram naturam nostram assumpsit, suam incorruptam certè retinuit, vniuersalis confitetur Ecclesia per totum orbem terræ diffusa: quæ necessitate constringitur in accepta sanctificatione manendi, sic Apostolo explanante, *Empti estis pretio magno glorificate & portate Deum in corpore vestro.* Itémque se annumerato de omnibus dicit idem Apostolus: *Proprio filio*, haud dubium quin Deus, *non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum*, Item de his omnibus in Epistola quæ præscribitur ad Hebræos: *Vidimus* IESVM *propter passionem mortis gloria & honore coronatum, vt gratia Dei pro omnibus gustaret mortem.* Et aperiens qui sunt isti homines, mox intulit: *Decebat enim eum propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos filios in gloriam abduxerat, auctorem salutis eorum per passionem consummare.* E Decebat quippe Deum patrem, propter quem omnia, hoc est, cuius bonitate sunt omnia, & per quem omnia, quia ab illo coæternus ei ortus est filius per quē facta sunt omnia, (*Omnia enim in sapientia fecisti*, dicit Ps. 101. sacer Psalmus) qui, hoc est, pater, multos filios in gloriam adduxerat, cum scilicet nemo venisset ad filium, nisi quem pater ipse traxisset, auctorem salutis eorum, hoc est, auctorem saluatorum per passionem consummare; vt de quo dicitur, quæ cœpit IESVS facere & docere, quod docendum in mundo ipse docuerat, primus impleret, hoc est, maiorem caritatem nemo habet, quam vt animam suam ponat quis pro amicis suis. & ita cum per passionem consummaret pater, id est, consummatum perfectúmque ostenderet; cùm quod ipse bene docuisset, non solùm implere quanquam arduum non recusasset, verùm etiam suo exemplo cæteros excitasset. Intuendum quod quos dicit omnes in eo quod F paulo ante posuit, qualiter gratia Dei pro omnibus gustauerit mortem, eosdem paulo post nuncupat multos, inferens; qui multos filios in gloriam adduxerat. Hæc diuinorum eloquiorum auctoritas intelligenter expensa, pro omnibus Dei filium gustasse mortem sic accipi posse insinuat, quemadmodum Deum velle omnes fieri saluos. Vt enim saluos fieri vult omnea quicunque saluantur, ita redimit omnes quicunque redimuntur. Non autem saluantur omnes, nec vero redimuntur. Non itaque vult saluari alios omnes aut redimi, nisi qui redimuntur atque saluantur. In hoc sensu Beatus Augustinus inuenitur in libro cuius iam supra meminimus Enchiridion dicitur. Locus hic est. Hæc quæ in sanctis Angelis & virtutibus dicitur Ecclesia, tunc nobis sicuti est innotescet, cum ei coniuncti fuerimus in finem ad simul habendam beatitudinem sempiternam. Ista vero quæ ab illa peregrinatur in terria, & nobis notior est, quo in illa sumus, & qoia hominum est, quod & nos sumus, hæc sanguine mediatoris nullium habentis peccatum ab omni est redempta peccato, Eius vox G est: *Si Deus pro nobis, quis contra nos? qui proprio filio* Rom. 8. *non pepercit, sed pro omnibus tradidit eum.* In Ecclesia enim; quæ sanguine mediatoris, nullum habentis peccatum, ab omni est redempta peccato, intelligit esse omnes, qui Apostolico testimonio comprehenduntur, quod est, pro nobis omnibus tradidit eum. Curiosus tamen diuinorum eloquiorum non fugiat probabiliter dici posse mortuum pro omnibus Christum, qui eius fidei sacramenta, siue seruaturi, siue non seruaturi susciplunt. Pro seruaturis quidem nulli potest esse ambiguum: pro non seruaturis Apostolus idoneus auctor est illo testimonio; *Peribit in tua scientia frater, propter* 1. Cor. 8. *quem Christus mortuus est.* Nec mirum, cum fides sine operibus otiosa sit, & multi vocati pauci vero doceantur electi. Verum hoc quidam velut blasphemum vehementer execrantur & damnant, quod detogetur plurimum redemptori, nisi generaliter omnes homines redemerit Nos autem salua fide, hoc est, quod suo sanguine Deus redemerit omnes quos voluerit, & nulli sint H redempti, nisi quos ipse redemerit, ita causam in medio relinquimus, vt si quilibet eundem sanguinem redemptoris prodesse aliquid etiam perditis valeant demonstrare, non solùm resistamus nihil, verùm etiam libenter in eorum sententiam transeamus. Nam si Sol cæcos, quanquam non illuminet, tamen fouet; cur non potentior Sol etsi non saluat suo merito excæcatos atque damnatos, tanti pretij merito minus puniat? Si tamen hoc admittat consilij eius beniuolentia, cui canitur: *Suauis Dominus vniuersis, & miserationes eius* Ps. 144. *super omnia opera eius.* Sed huic opinioni videtur Gal. 5. Apostolus refragari, vbi ait: *Ego Paulus dico vobis, quia si circumcidimini, Christus vobis nihil proderit.* Nam si nihil proderit Christus baptizatis, qui etiam Spiritum sanctum acceperint, sicut idem Apostolus declarat his verbis, *Ex operibus legis spiritum accepistis,* Gal. 3. *an ex auditu fidei?* Si, inquam, nihil proderit Christus talibus baptizatis à fide resilientibus, quemadmodum

toderit aliquid baptizatis, & relapsis in crimina nec correctis, & quibusque in infidelitate defunctis? Verum eme itiidendum & respuendum pronuntient, quibus licet omnes siue bonos siue malos indifferenter à Christo redemptos, ponam vnum quod cum eis faciat testimonium, & eos omnes, vt opinor in gratiam reducero. Ioannes Constantinopolitanus, doctrina & sanctitate iuxta insignis Episcopus: vt gratia Dei pro omnibus gustauerit mortem, quod supra iam posui, sic exposuit, qualiter gratia Dei pro omnibus gustauerit mortem, non pro fidelibus tantum, sed pro mundo vniuerso. Et ipse quidem pro omnibus mortuus est: quid item si non omnes credunt? ille quod suum erat impleuit.] Eligat sanè, superioribus acutè consideratis, unusquisque quod optimum ei Deus occulta inspiratione suggesserit, aut magistra eius scriptura manifesta ratione protulerit.

Hæc habui quæ de tribus non spernendis quæstionibus dicerem; atque vtinam tam prosicuè, quam prolixè. Quæ si cognoscere non fastidierint studiosi, quanquam approbare non possint obtusam inculsamque meam disputationem, tamen quando volentibus quod ille putaui beniuolè cognoscendum exposui, non improbabunt, credo, talem scilicet volentem prodesse instructionem.

SERVATI LVPI COLLECTANEVM
De tribus quæstionibus.

MVLTIS laudabiliter studiosis desiderantibus cognoscere ipsis auctorum verbis, quem exitum habeant quæstiones de prædestinatione ac libero arbitrio, nec non de redemptione sanguinis Christi fideliter morem gessi, vt & pie quærentium eruditio largiente Dei gratia capiat incrementum, & diuersa sententium contradictio mitigetur. Nec aspernabitur beniuolus & prudens lector, si deseram per quos profeci & proficio doctores, vel si eorum assignaris obscurioribus sententiis aliquid lucis infundam, cum eorum honoris mecum habere debeat considerationem, & facillimè possit aduertere, non ostentationis vanitate, sed ostendendæ veritatis voto, me deprehensa monstrare. Iam itaque narratio propositum exequatur.

Cælestinus Papa beatum Augustinum his verbis commendat. Augustinum sanctæ recordationis virum pro vita sua atque meritis, in nostra communione semper habuimus, nec vnquam hunc sinistræ suspicionis saltem rumor aspersit. Quem tantæ scientiæ olim fuisse meminimus, vt inter magistros etiam à meis decessoribus haberetur. Bene ergo de eo omnes in commune senserunt, vtpote qui vbique cunctis & amori fuerit & honori.] Hic clarissimus doctor, sedis Apostolicæ tanto præconio laudatus, in libro ad Laurentium de fide, spe, & caritate, quem iam Episcopus & senex edidit, prædestinatos bonos & malos ita insinuat. Hæc sunt, inquit, magna opera Domini exquisita in omnes voluntates eius, & tam sapienter exquisita, vt cùm Angelica & humana creatura peccasset, id est, non quod ille, sed quod voluit ipsa fecisset; etiam per eandem creaturæ voluntatem, qua factum est quod creator noluit, impleret ipse quod voluit, bene vtens & malis, tanquam summè bonus, ad eorum damnationem, quos iustè prædestinauit ad pœnam, & ad eorum salutem, quos beniguè prædestinauit ad gloriam.]

Idem in vltimo de Ciuitate Dei libro, quem iam Episcopus composuit, expresserat. Hæc, inquit, omnia miserorum sunt damnatorumque solatia, non præmia beatorum. Quæ igitur illa sunt, si tot & talia ac tanta sunt ista? quid dabit eis, quos prædestinauit ad vitam, qui hæc dedit etiam eis quos prædestinauit ad mortem?] In penultimo autem eiusdem tam elaborati & mirandi operis libro sic docuerat. Hæc causa, qua fit vt nunc Ecclesia non oret pro malis Angelis, quos suos nouit esse Inimicos, eadem ipsa causa est, qua fiet vt in illo tunc iudicio, etiam pro hominibus æterno igni cruciandis, quamuis perfecta sit sanctitate, non oret. Nunc enim propterea pro eis orat, quos in genere humano habet inimicos, quia tempus est pœnitentiæ fructuosæ: nam quid maxime pro eis orat, nisi vt det illis Deus, sicut dixit Apostolus, pœnitentiam, & resipiscant à diaboli laqueis à quo captiui tenentur secundum ipsius voluntatem? Denique si de aliquibus ita Ecclesia certa esset, vt qui sunt illi etiam nosset, qui licet adhuc in hac vita sint constituti, tamen prædestinati sunt in æternum ignem ire cum Diabolo tam pro eis non oraret, quam nec pro ipso. Sed quia de nullo certa est, orat pro omnibus duntaxat hominibus inimicis suis in hoc corpore constitutis, nec tamen pro omnibus exauditur. Pro his enim solis exauditur, qui etsi aduersantur Ecclesiæ, ita sunt tamen prædestinati, vt pro eis exaudiatur Ecclesia, & filij efficiantur Ecclesiæ. Si qui autem vsque ad mortem habebunt cor impœnitens, nec ex inimicis conuertentur in filios nunquid iam pro eis, id est, pro talium defunctorum spiritibus orat Ecclesia? Non: cur ita, nisi quia in parte iam diaboli computatur, qui cùm esset in corpore non est translatus ad Christum? Eadem itaque causa est, cur non oretur tunc pro hominibus æterno igne puniẽdis, quę causa est vt neque nũc neque tũc, oretur pro Angelis malis: quę itidem causa est, vt quamuis pro hominibus nunc viuis oretur etiam malis, tamen iam nec nunc oretur pro infidelibus impiisque defunctis. Nam pro defunctis quibusdam, vel ipsius Ecclesiæ, vel quorundam piorum exauditur oratio: sed pro his, quorum in Christo regenerationem, nec vsque adeo vita in corpore malè gesta est, vt tali misericordia iudicentur digni non esse, nec vsque adeo bene vt talem misericordiã reperiant necessariam non habere.]

Item in secundo ad Marcellinum libro, malos prædestinatos iam Episcopus ita scribit. Vt innotescat, inquit, quod latebat, & suaue fiat quod non delectabat, gratiæ Dei est, quæ hominum adiuuat voluntates, qua vt non adiuuentur in ipsis itidem causa est, non in Deo, siue damnandi prædestinati sunt propter iniquitatem superbiæ, siue contra ipsam suam superbiam iudicandi, vt erudiri filij sint misericordiæ.]

Item malos prædestinatos in libro De bono perseuerantiæ, quẽ inter vel post libros Retractationum edidit, sic sentit: Quibus non vult subuenire non subuenit, de quibus in sua prædestinatione, occultè quidem, sed iustè, aliud iudicauit: non est enim iniquitas apud Deum] In eodem libro nomine præscientiæ significati prædestinationem Apostolico testimonio confirmauit, *Non repulit*, inquit, *Deus plebem suam quam præsciuit*. Hoc quod ait, præsciuit, non rectè intelligitur nisi prædestinauit.] Quid autem sit prædestinare, in superioribus eiusdem libri taliter definierat, quod fideli est memoria continendum. Sine pœnitentia, inquit, sunt dona & vocatio Dei. Namque in sua quæ falli mutarique non potest præscientia opera sua futura disponere, id omnino nec aliud quicquam est, quam prædestinare.] De vtorumque prædestinatione, hoc est, bonorum & malorum, non dubitauit palam in populo prædicare: *Quia dilexisti*, inquit, *me ante mundi constitutionem*: in illo enim dilexit & nos ante constitutionem mundi, & iam prædestinauit quid in fine facturus est mundi. *Pater*, inquit, *iuste mundus te non cognouit*, quia iustus es, ideo te non cognouit: mundus quippe ille dãnationi prædestinatus merito non cognouit: mundus verò, quem per Christum reconciliauit sibi, non merito, sed gratia cognouit.]

In opere autem, quod vt Prosper testis est, vltimum contra Iuliani libros, inter impetum VVandalorum in ipso dierum suorum fine composuit, gloriose in defensione Christianæ gratiæ perseuerans, sic loquitur. Quid te adimat quòd eos mihi obiecisti, quos expectat Dei patientia per pœnitentiam corrigendos, & ideo super illos oriri solem suum facit & pluit, cum ego tibi hædos sinistræ partis obiecerim, quos vsque in finem sine pœnitentia victuros in impietate & sceleribus suis, ac per hoc æterno supplicio puniendos ignorare

non

A non potest, præscius omnium futurorum, nec ab eis ab-
stinet bonum creationis suæ quibus nec nasci expediret,
nec bonum nutritionis & viuificationis suæ, quantum
ei placuerit diuturnæ, quibus mori quantocius expe-
diret? Inter quos sunt certè plurimi, qui si ex hac vi-
ta abriperentur infantes, secundùm falsam vestram
hæresim, penitùs ab omni, secundùm autem Catholi-
cam fidem, à damnatione grauissima tollerentur. Quid
deinde illud est, quòd in his sinistræ partis hædis, in
Dei præscientia, quæ falli non potest, igni perpetuo
destinatis, multi sunt qui lauacro regenerationis ablu-
ti, postea vel apostasia pereunt, vel tam facinorosè fla-
gitioséque viuunt, vt eidem sinistræ sine dubio deputen-
tur, nec rapiuntur sicut quidam, ne malitia mutet intel-
lectum eorum, nec vt hoc eis Deus tam magnum be-
neficium non conferat, fatali necessitate prohibe-
tur, neque vt aliis conferat personarum acceptione
mutator.]

B Hæc de prædestinatione sanctus Augustinus. Sed ne
fortè quis audiens malos prædestinatos, arbitretur Deum
auctorem perditionis eorum, sicut est auctor salutis
eorum quos prædestinauit ad gloriam, consideret quòd
idem Deus Adam rectum fecit, & in eo originaliter re-
ctos nos omnes condidit. Fuit enim Adam, vt ait bea-
tus Ambrosius, & in eo fuimus omnes: periit Adam,
& in illo omnes perierunt. Cùm itaque omnes recti es-
semus in Adam, illo absque vlla necessitate peccante,
sine dubio corrupti sumus peccato, & diuino damnati
iudicio. Ex hac totius generis humani massa meritò
damnata, cùm fiunt vasa in honorem, hoc est, cùm
formantur electi, exuberat Dei misericordia, & solâ
eius gratiâ corrupta saluatur natura. Ergo & quòd creâ-
tur, & quòd saluantur Dei est, quorum alterum opi-
ficio, alterum eius beneficio deputatur. Cùm verò ex
eadem massa fiunt vasa in contumeliam, hoc est, non
saluandi producuntur; nihil mirum videri debet, quia
spontanei peccati merito damnata est massa vnde crean-
C tur. Quod ergo creantur, Dei est; quòd damnantur,
ipsorum. Et quis nesciet creationem cuiuslibet rei, ne-
dum hominis, bonam esse, sponte verò commissæ cul-
pæ vltionem iustam existere? Cùm itaque bonos præ-
destinatos audimus, creantem Deum, & ex meritò
damnata massa eos sua gratia liberantem intueamur:
cùm verò malos prædestinatos, item creantem eos
Deum, & in meritò damnata massa iudicio relinquen-
tem consideremus, & sic in vtrisque creationis bonum
semper nobis constabit; & vel in assumptis misericor-
dia, vel in relictis iustitia eminebit. Neque enim Deus
quos condidit in perditionem impellit, sed quos non li-
berat à perditione per gratiam, relinquit in perditione,
quam vel nascendo, vel postea viuendo meruerunt, per
occultam, nec tamen reprehendendam iustitiam. Ita
1.9. Deus, iuxta beatum Apostolum, *cuius vult miseretur,
& quem vult obdurat*, qui omnia quæcunque voluit
fecit in cœlo & in terra. Rectus est autem Dominus
Deus noster, & non est iniquitas in eo. De his
) qui liberantur dictum est, *Nolite timere pusillus grex,
12. quia complacuit patri vestro dare vobis regnum*, de his
80. autem qui relinquuntur, *Dimisit eos secundum desideria
cordis eorum, ibunt in adinuentionibus suis.*

Hunc sensum beatus Augustinus in memorato libro,
quem vt ostendi vltimum fecit, his verbis satis aperuit.
1. Cùm dicuntur, inquit, omnes ex vno in condemna-
6. tionem, ipsa massa significatur, ex qua fiunt à figulo
alia vasa in honorem, id est, quæ assumuntur in gra-
tiam, alia in contumeliam, id est, quæ ad luendum
debitum relinquuntur. Vt filij gratiæ id sibi donari
sciant, quod si exigeretur non esset iniustum, ac sic non
in se ipsis, sed in Domino glorientur.] Et post paulu-
lum, refutans id quod Iulianus scripserat, *Pietas expla-
nauit & ratio, Deum meum neminem in contumeliam for-
mare.* Si Deus tuus, inquit, in contumeliam neminem
format, non est ipse Pauli Apostoli Deus: ille quippe
9. de Deo vero dicebat: *O homo, tu quis es qui respondeas
Deo? numquid dicit figmentum ei qui se finxit, quid me
fecisti sic? annon habet potestatem figulus luti ex eadem* E
*massa aliud quidem vas facere in honorem, aliud in contu-
meliam?* Sed tu videlicet artifex magnus profers ex offi-
cina Pelagiana meliorem Deum, qui nullum vas fecit
in contumeliam.] Item post aliquanta: Non Abstinet Cap.
Deus bonum formationis suæ etiam ob stirpe damna- 152.
ta. Sed si tibi displicet Deum creare quos damnet, con-
tradic ei si potes, ne creet eos quos malos futuros, &
in malignitate vsque in finem perseueraturos, & ob hoc
sine dubitatione damnandos esse præsciuit: aut ei sugge-
rere, si videtur, vt tot millia paruulorum non bapti-
zatorum, quos nouit perditè esse victuros, & in æter-
num ignem damnante ipso cum diabolo ituros, rapi ve-
tet ex hac vita dum sunt innocentes & boni.) Et pau-
cis interpositis: Cùm enim, inquit, te inuidiosè dicere
putaueris Deum creare quos damnet, cogita quanto in-
uidiosiùs possit dicere aliud similiter, vanè Deum rege-
nerare quos damnet, cùm sit in eius omnipotentiæ po-
testate antequàm damnabiles fiant, eos de tentationi- F
bus mortalis vitæ huius auferre. Si autem non potes
ista dicere, nec Deo contradicere, nec illi sapientiæ tuum
præbere consilium, (*Quis enim cognouit sensum Domini* Is. 40.
aut quis consiliarius eius fuit?) desine nobis introducere
alterum figulum, qui non facit vasa in contumeliam,
& ab isto qui ea facit reprehendendo cohibere, & ag-
nosce te, quia vt te non implices hoc sacrilegio, ideo
tibi dicit Apostolus, *O homo, tu quis es vt respondeas Deo?*] Rom. 9.
Recurramus posita contentione ad Apostolum Paulum,
& obscurum locum eius tanto auctore illustrante salubri-
ter intelligamus. *Quòd si volens Deus ostendere iram, &* Rom. 9.
*notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia,
vasa iræ apta in interitum, vt ostenderet diuitias gloriæ
suæ in vasa misericordiæ quæ præparauit in gloriam.*

Nam de his vasis iræ, & vasis misericordiæ, & sæpe
aliàs, & in epistola ad Optatum Episcopum, quid sit Ep. 157.
sentiendum, idem auctor luculenter expressit: Cur au-
tem, inquit, creantur etiam illi quos creator nouit ad
damnationem, non ad gratiam pertinere, beatus Apo- G
stolus tanto succinctiori breuitate, quanto maiore au-
ctoritate commemorat. Deum enim dicit, volentem
ostendere iram, & demonstrare potentiam suam, at-
tulisse in multa patientia vasa iræ, quæ perfecta sunt in
perditionem, vt notas faceret diuitias gloriæ suæ in va-
sa misericordiæ, quem superiùs dixerat, tanquam figu-
lum luti, ex eadem massa facere aliud vas in honorem,
aliud in contumeliam. Meritò autem videretur iniu-
stum, quòd fiunt inde vasa iræ ad perditionem, si
non esset ipsa vniuersa ex Adam massa damnata. Quòd
ergo fiunt inde nascendo vasa iræ, pertinet ad debi-
tam pœnam; quòd autem fiunt renascendo vasa mi-
sericordiæ, pertinet ad indebitam gratiam. Ostendit
ergo Deus iram suam, non vtique animi perturbatio-
nem, sicut est quæ ira hominis nuncupatur, sed iustam
fixámque vindictam quòd de stirpe inobedientiæ du-
citur propago peccati atque supplicij; & homo na-
tus ex muliere, sicut in libro Iob scriptum est, bre- Iob. 14.
uis est vitæ, & plenus iracundiæ: eius enim rei vas est H
qua plenus est, vnde vasa iræ dicuntur. Ostendit &
potentiam suam, qua bene vtitur etiam malis, multa in
illis naturalia & temporalia bona largiens, eorúm-
que malitiam ad exercendos & comparatione admonen-
dos bonos accommodans: vt in eis discant agere gra-
tias Deo, quòd ab eis non suis meritis, qui in eadem
paria fuerunt, sed in illius miseratione discreti sunt. Quod
maximè apparet in paruulis, de quibus cùm per Chri-
sti gratiam renascuntur, & istam vitam in illa tenera
ætate finientes in æternam transeunt & beatam, dici non
potest quòd libero discernuntur arbitrio ab aliis infanti-
bus, qui sine hac gratia in ipsius massæ damnatione mo-
riuntur. Si autem hi soli crearentur ex Adam qui essent
per gratiam recreandi, & præter illos qui in Dei filios
adoptantur, nulli alij homines nascerentur, late-
ret beneficium quod donaretur indignis, quia nullis ex
eadem damnabili stirpe venientibus debitum suppli-
cium redderetur. Cùm verò attulit in multa patientia

vasa iræ quæ perfecta sunt in perditionem, non solùm ostendit iram, & demonstrauit potentiam suam, redhibendo vindictam, & bene vtendo non bonis, sed etiam notas fecit diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ. Ita enim quid sibi præstetur discit gratis iustificatus, dum non suo merito, sed gloria largissimæ Dei misericordiæ discernitur à damnato, cum quo eadem iustitia fuerat & ipse damnandus. Tam multos autem creando nasci voluit, quos ad suam gratiam non pertinere præsciuit, vt multitudine incomparabili plures sint eis, quos in sui regni gloriam filios promissionis prædestinare dignatus est: vt etiam ipsa reiectorum multitudine ostenderetur, quam nullius momenti sit apud Deum iustum quantalibet numerositas iustissimè damnatorum. Atque vt hinc quoque intelligant qui ex ipsa damnatione redimuntur hoc fuisse debitum massæ illi vniuersæ, quod tam magnæ parti eius redditum cernerent, non solum in eis qui originali peccato multa addunt malæ voluntatis arbitrio, verùm etiam in tam multis paruulis, qui tantummodo vinculo peccati originalis obstricti sine gratia mediatoris ex hac luce rapiuntur. Tota quippe ista massa iustæ damnationis reciperet debitum, nisi èx ea faceret, non solum iustus, sed etiam misericors figulus, alia vasa in honorem, secundum gratiam, non secundum debitum, dum & paruulis subuenit, quorum nulla merita dici possunt, & maiores præuenit, vt habere aliqua merita possint.]

Prædestinatus malos in opere beati Augustini ad Marcellinum clarissimus auctor Hieronymus legit, & id opus non solum non reprehendit, verum etiam magnis laudibus extulit. Verba eius hæc sunt. Scripsit dudum vir sanctus & eloquens Episcopus Augustinus ad Marcellinum, qui postea sub inuidia tyrannidis Heraclianæ ab hæreticis innocens cæsus est, duos libros de infantibus baptizandis contra hæresim vestram, per quàm vultis asserere baptizari infantes, non in remissionem peccatorum, sed in regnum cœlorum. Tertium quoque ad eundem Marcellinum, contra eos qui dicunt idem quod vos, posse hominem sine peccato esse, si velit, absque Dei gratia. Vnde supersedendum huic labori censeo ne dicatur mihi illud Horatij, *In siluam ne ligna feras*. Aut enim eadem dicemus ex superfluo, aut si noua voluerimus dicere, à clarissimo ingenio occupata sunt meliora.]

Idem Ductor alio verbo sensum prædestinationis expressit in explanatione Primi Psalmi, *Qui autem non credit*, inquit, *iam iudicatus est*: iam enim præiudicatus ad pœnam est. Et post pauca: *Non resurgunt*, inquit, *impij in iudicio*: non resurgunt vt iudicentur, quia iam iudicati sunt, qui enim non credit in me, iam iudicatus est.].

Item in Dialogo: Aliud est cædere magistri & parentis affectu, aliud contra aduersarios crudeli animo deseuire. Quam ob causam & in primo Psalmo canit, quoniam non resurgunt impij in iudicium: iam enim in iudicium præiudicati sunt.] Idem in explanatione Esaiæ Prophetæ: Pro dissipata terra L X X. corruptum orbem interpretati sunt: & pro afflicta facie illius, id est, terræ, iidem transtulerunt, & reuelabit faciem eius, vt procedant mortui de sepulcris suis, siue nudabit eam, vt omnia opera eius proferantur in publicum, & dispergantur habitatores in diuersa loca præmiis vel suppliciis destinati.]

Non contemnendus auditor eiusdem Hieronymi Philippus, in expositione sententiæ beati Iob. *Antequam dies eius impleantur peribit*. Tunc dies, inquit, vniuscuiusque impleri dicitur, cùm bonorum hominum ac malorum retributio venerit. Hic ergo homo, siue diabolus ante perspicuæ sententiæ diem, quam ei Dominus in futuro iudicio daturus est, præscitis in prædestinatione peribit, sicut & de incredulis, Propheta dicit. *Non resurgent impij in iudicio*, vel Dominus ait in Euangelio, *qui autem non credit, iam iudicatus est*.

Sanctus Papa Gregorius prædestinatos malos pressiore adhuc verbo insinuat. Leuiathan, inquit, ille, qui cum membris suis æternis est cruciatibus deputatus, & dolus in manu eius dirigitur, & in collo eius fortitudo demoratur, hoc quod temporaliter peruersa contra bonos voluntate desiderat, peruersiore facultate consummat: vt tanto ei de aduersitate in præsenti nihil obstet, quanto ei in posterum de prosperitate, nihil remanet.] Eadem tamen prædestinatio vel deputatio, quemadmodum sit intelligenda exponens in Moralibus; *Non quasi*, inquit, *crudelis suscitabo eum, quis enim resistere potest vultui meo, & quis ante dedit mihi vt reddam ei?* apertè insinuat. Non eum, inquit, quasi crudelis suscito, quia de eius fortitudine, & electos meos potenter eripio, & rursum reprobos non iniustè sed rationabiliter damno, id est, & eos quos benignè eligo, eripere mirabiliter possum, & eos quos respuo non iniustè derelinquo.] *Et post aliquanta*: Miro modo, inquit, æquus omnibus conditor, & quosdam præeligit, & quosdam in suis reprobis moribus iustè derelinquit.] Item in Moralibus exponens, *Si destruxerit, nemo est qui ædificet: si incluserit hominem nullus est qui aperiat.* Omnipotens, inquit, Deus humanum cor destruit cùm relinquit, ædificat dum replet. Neque enim humanam mentem debellando destruit, sed recedendo, quia ad perditionem suam sufficit sibi dimissa.] *Item post aliquanta: Si incluserit hominem, nullus est qui aperiat*, quia sicut nemo obsistit largitati vocantis, ita nullus obuiat iustitiæ relinquentis. Includere itaque Dei est clausis non aperire. Vnde & ad Moysen dicitur de Pharaone, *ego obdurabo cor eius*. Obdurare quippe per iustitiam dicitur, quando cor reprobum per gratiam non emollit.]

Idem in explanatione Euangelicæ sententiæ, *In viam gentium ne abieritis*. Subtili, ait, occultóque iudicio a quorundam auribus prædicatio sancta subtrahitur, quia suscitari per gratiam non merentur. Vnde necesse est, fratres carissimi, vt in omne quod agimus, omnipotentis super nos Domini consilia occulta timeamus ne dum mens nostra exterius fusa à sua se voluntate non reuocat, intus contra eam iudex terribiliter aduersa disponat. Quod bene Psalmista intuens ait, *Venite & videte opera Domini, quàm terribilis in consiliis super filios hominum*. Vidit namque, quod alius misericorditer vocatur, alius iustitia exigente repellitur. Et quia alia parcendo Dominus, alia irascendo disponit, expauit quod penetrare non potuit, & quem non solùm inuestigabilem in quibusdam suis sententiis, sed etiam inflexibilem vidit, terribilem in consiliis esse memorauit.] Beda diuinis litteris impensè doctus, bonos malósque prædestinatos, exponens illud Genesis, *Surgite, egredimini de loco isto, quia delebit Dominus ciuitatem hanc, & visus est eis quasi ludens loqui*, indubitanter asseruit. Quod ostium; inquit, Loth obcluserunt Angeli, ne vel ipsum, vel aliquem de domo ipsius possent ad perdendum rapere Sodomitæ, patenter insinuat, quia nullum de electis Dei perditura est impietas & persecutio reproborum, dicente Domino de ouibus suis, *Et ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum, & non rapiet eos quisquam de manu mea*. Quod item Loth, facultate ab Angelis data, nullum de ciuibus perfidis, ne de suis quidem cognatis, siue amicis, tamen etsi multum conatus, potuit ad salutem reuocare, significat quod nullius labor hominis ad numerum prædestinatorum, qui ante constitutionem mundi electi sunt à Domino, vel vnam possit animam adiicere. Nouit enim Deus qui sunt eius. Verum etsi nostram fragilitatem qui ad electorum sortem pertineant latet, non tamen ab agenda cura nostræ salutis cessandum, nec ab instruendis proximis lingua est continenda: sed ad exemplum beati Loth, & nobis castè viuendum, & errantium quoque correctioni officium pietatis impendendum. Constat enim, quod etsi prædestinatos ad interitum saluare nequimus, nostræ tamen benignitatis opum erga illorum salutem impendimus, mercedem non perdimus.

A S. Fulgentius. De fide ad Petr. c. 35.

Sanctus Fulgentius Ruspensis Prouinciæ Africanæ Episcopus (vt scribit Ioannes Romanæ Ecclesiæ Diaconus) in libro ad Petrum de regula veræ fidei, de prædestinatis hoc modo disseruit. Firmissime tene, & nullatenus dubites, omnes quos vasa misericordiæ gratuita bonitate Deus facit, ante constitutionem mundi in adoptionem filiorum Dei prædestinatos à Deo, neque perire posse aliquem eorum quos Deus prædestinauit ad regnum, nec quemquam eorum quos Deus non prædestinauit ad vitam, vlla posse ratione saluari. Prædestinatio enim illa gratuitæ donationis est præparatio, qua nos Apostolus ait prædestinatos in adoptionem filiorum Dei per Iesum Christum in ipsum.]

Cap. 5.

Item Fulgentius in libro ad Monimum, sensum beati Augustini de prædestinatis ad interitum his verbis expressit. Nihil aliud, inquit, accipiendum existimo in illo sancti Augustini sermone, quo ad interitum quosdam prædestinatos firmat, nisi ad interitum supplicij non delicti; neque ad malum quod iniustè admittunt, sed ad B cruciatum quem iustissimè patientur; nec ad peccatum, quo primæ resurrectionis beneficium, aut non accipiunt, aut amittunt, sed ad tormentum quod illis propria iniquitas malè parit, & æquitas diuina bene retribuit: nec ad mortem animæ primam, in qua nascuntur paruuli, vel in quam, sicut beatus Iacobus dicit, concupiscentia sua abstracti & illecti recidunt criminosi; sed ad mortem secundam, quam necesse est patiantur, retribuente iustissimo iudice; seu qui ante perceptam gratiam baptismi discedunt de sæculo, siue qui in vacuum gratiam Dei recipientes, post acceptum baptismum, vsque in finem præsentis vitæ, malunt serui esse peccati, nec volunt dum tempus est acceptabile, & dies salutis, conuerti à via sua mala vt viuant, & ignorantes quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam eos adducit, ipsi secundum duritiam suam, & impœnitens cor, thesaurizant sibi iram in die iræ, & reuelationis iusti iudicij Dei.]

Iac. 1.

Ioannes C Diacon. E. R. Cap. 1.

Item Ioannes Ecclesiæ Romanæ Diaconus, prædestinatos malos sermonibus beati Augustini expressit, volens ostendere, quid significet illud Genesis, *Congregentur aquæ quæ sub cœlo sunt in locum vnum, & appareat arida.* Quid est, inquit, arida? In Ecclesia, arida vocatur omnis anima sitiens Dominum. Segregatæ sunt enim aquæ, & apparuit arida. Mare hoc sæculum est, & aquæ quæ sunt amaræ segregatæ sunt, in congregatione vna, id est, prædestinatæ in vnum finem, quo dirigit Deus omnipotens quos separat à sanctis.]

Isidorus Lib. 2. c. 6.

Isidorus Episcopus in libro sententiarum. Gemina est inquit, prædestinatio, siue electorum ad requiem, siue reproborum ad mortem.] Hunc tamen quidam reprehendendum putant, quod geminam, hoc est, duplicem prædestinationem solus introduxerit, cum simplex Dei natura simplici, hoc est, vna prædestinatione secundum eos bonos malosque complexa sit. Qui si intueantur, alios esse qui ad dexteram gratia statuuntur, alios qui ad sinistram iustitia relinquuntur, tamen etsi sit vt volunt simplex prædestinatio, duplicem eius non ne- D gabunt effectum: cum aliud sit debitam pœnam luere aliud gratuitam gloriam reportare: nec docto viro verbi calumniam vlterius nisi contentione impudentissima commouebunt. A qua tamen vt tandem aliquando conquiescant, & docturi prius ad doctores accedant, docendi non indicaturi, recenseant sententiam Dei ad beatum Iob, *Nunquid nosti*, inquit, *ordinem cœli, & pones rationem eius in terra?* & beatum Gregorium, & summè doctum, & mirè facundum, in eius explanatione prædestinationes plurali numero posuisse inuenient. Ordinem, inquit, cœli nosse, est supernarum dispositionum occultas prædestinationes videre: rationem verò eius in terra ponere, est ante humana corda talium secretorum causas aperire.]

Iob. 38. Moral. lib. 29. cap. 18.

In Enchiridio cap. 30.

De libero arbitrio, beatus Augustinus in libro ad Laurentium, quid sit sentiendum his verbis ostendit. Libero arbitrio male vtens homo, & se perdidit & ipsum. Sicut enim qui se occidit, vtique viuendo se occidit sed se occidendo non viuit, nec seipsum poterit resuscitare cum occiderit: ita cum E libero peccaret arbitrio, victore peccato amissum est & liberum arbitrium. A quo enim quis deuictus est, huic & seruus addictus est. Petri certè Apostoli est ista sententia: quæ cum vera sit, qualis quæso potest serui addicti esse libertas, nisi quando eum peccare delectat? Liberaliter enim seruit qui sui domini voluntatem libenter facit, ac per hoc ad peccandum liber est qui peccati seruus est: vnde ad iustè faciendum liber non erit, nisi à peccato liberatus, esse iustitiæ cœperit seruus. Ipsa est vera libertas propter recti facti licentiam, simul & pia seruitus propter præcepti obedientiam. Sed ad bene faciendum ista libertas vnde erit homini addicto & vendito, nisi eum redimat cuius illa vox est, *si vos filius liberauerit, tunc verè liberi eritis?* Quod antequam fieri in homine incipiat, quomodo quisquam de libero arbitrio in bono glorietur opere, qui nondum est liber ad operandum bene? Nisi se vana superbia inflatus extollat quam cohibet Apostolus dicens: *Gratia salui facti estis per fidem:* & ne ipsam sibi saltem fidem sic arrogarent, vt non intelligerent diuinitus esse donatam, sicut idem Apostolus alio loco se dicit vt fidelis esset misericordiam consequutum, hic quoque adiunxit atque ait, *& hoc non ex vobis, sed Dei donum est*, non ex operibus, ne fortè quis extollatur: & ne putarentur fidelibus bona opera defutura, rursus adiecit: *Ipsius enim sumus figmentum, creati in Christo Iesu in operibus bonis, quæ præparauit Deus, vt in illis ambulemus.* Tunc ergo efficimur verè liberi, cùm Deus nos fingit, id est, format & creat non vt homines, quod iam fecit, sed vt boni homines simus, quod nunc gratia sua facit, vt simus in Christo Iesu noua creatura, secundum quod dictum est, *Cor mundum crea in me Deus.* Neque enim cor eius, quantum pertinet ad naturam cordis humani, non iam creauerat Deus. Item ne quisquam, etsi non de operibus, de ipso glorietur libero voluntatis arbitrio, tanquam ab ipso incipiat meritum, cui tanquam debitum reddatur præmium bene operandi ipsa libertas, audiat eundem G gratiæ præconem dicentem: *Deus enim est qui operatur in vobis & velle & operari pro bona voluntate*, & alio loco, *Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei*: cum procul dubio, si homo eius ætatis est vt ratione iam vtatur, non possit credere, sperare, diligere, nisi velit, nec peruenire ad palmam supernæ vocationis Dei, nisi voluntate cucurrerit: quomodo ergo non volentis, neque currentis, nisi quia & ipsa voluntas, sicut scriptum est, a Deo præparatur?]

Ioan. 8. Eph. 2. F Cap. 31. 1. Cor. 7. Eph. 2. Psal. 50. Cap. 32. Phil. 2. Rom. 9.

Item in libro de correptione & gratia. Liberum, inquit, arbitrium, & ad malum, & ad bonum faciendum confitendum est, nos habere. Sed in malo faciendo, liber est quisque iustitiæ seruusque peccati, in bono autem liber esse nullus potest, nisi fuerit liberatus ab eo qui dixit, *si vos filius liberauerit, tunc verè liberi eritis.* Nec ita vt cum quisque fuerit à peccati damnatione liberatus, iam non indigeat sui liberatoris auxilio: sed ita potius vt ab illo audiens, *sine me nihil potestis facere*, dicat ei & H ipse, *Adiutor meus esto: ne derelinquas me.*] *Item post multa*. Liberum, inquit, arbitrium ad malum sufficit, ad bonum autem parum est, nisi adiuuetur ab omnipotente bono.] Item in libro De bono perseuerantiæ. Qui non infertur in tentationem non discedit a Deo: non est hoc omnino in viribus liberi arbitrij, quales nunc sunt, peccato resistere, quod tamen fuerat in homine antequam caderet.]

Cap 1. Ioan 8. Ioan 15. Psal. 26. Cap 7.

Idem auctor in memorato opere contra Iulianum Hominis, inquit, liberum arbitrium congenitum, & omnino inamissibile, illud est quo beati esse omnes volunt, etiam ij qui ea nolunt quæ ad beatitudinem ducunt. *Item post multa* Quid sic fugit natura vt miseriam? quid sic appetit vt beatitudinem? Denique liberum arbitrium quod de hac re habemus, ita nobis naturaliter insitum est, vt nulla miseria nobis possit auferri, quod miseri esse nolumus, & volumus beati: vsque adeo vt etiam ipsi qui malè viuendo sunt miseri, male viuere quidem velint, nolint tamen esse miseri, sed beati. Hoc

est illud arbitrium in nostris mentibus immobiliter fixum, non quo bene agere volumus, (nam id humana iniquitate potuimus amittere, & gratia possumus diuina recipere (sed liberum arbitrium, quo beati esse volumus, & miseri nolumus, nec miseri possunt amittere, nec beati. *Item post pauca.* Hoc liberum arbitrium adiuuatur per Dei gratiam, vt quod naturaliter volumus, hoc est, beatè viuere, bene viuendo habere possimus.] Quòd reatus peccati regeneratione, hoc est, baptismate soluatur, conflictus autem eius adhuc maneat, in eodem opere memoratus auctor expressit. Quid litigas, inquit, de concupiscentia litigante, hoc est, de lege in membris repugnante legi mentis? Lex peccati dicitur, quia suadet peccata, atque, vt ita dixerim, iubet, & si ei mente seruiatur, sine excusatione peccatur. Peccatum dicitur ipsa concupiscentia, quia peccato facta est, appetitque peccare. Reatus eius regeneratione solutus est, conflictus eius ad agonem relictus est. Malum eius clarum est: non viribus nostræ volontatis, vt putas, huic obsistimus, nisi diuinitus adiuuemur. Debellandum hoc malum est non negandum, vincendum est non differendum. *Item post rerum aliarum amplissimam disputationem.* Tam, inquit, malignum est hoc seculum, vt nisi exitum hinc fuerit, promissa requies nobis adesse non possit. Quamuis per præuaricationem primi hominis labor posteris eius aduenerit, tamen etiam reatu præuaricationis illius quem traximus iam soluto, vt fidei exerceatur examen, labor remanet ad certamen. Oportet enim nos certare cum vitiis, & in ipso certamine laborare, donec donetur nobis aduersarium non habere. Quapropter vt boni prœliatores perducantur ad præmia, supplicia vertuntur in prælia. Paruulorum quoque soluto reatu originaliter, propterea labores manent, quamuis ex ipso reatu doceantur exorti, quia etiam sic Deo placuit fidem probare maiorem. A quibus enim offeruntur vt regenerentur, qualis & quanta fides esset rerum inuisibilium, si visibilis remuneratio continuò sequeretur, ac non potiùs, dilata requie quæ promittitur, ageretur fidei negotium cum corde, non cum oculis, ac sic futurum seculum, vbi nulli labores erunt, quod nondum videtur, & crederetur sinceriùs & desiderabiliùs quæreretur? ac per hoc Deus labores nostros, id est, pœnas nostras, ad vtilitates nostras mirabili benignitate conuertit.] *Item in eadem opere.* Quoniam post pristinam ruinam, inquit, tam grauem vt in huius mortalitatis miseriam caderemus, priùs Deus nos certare voluit, donans nobis vt eius agamur spiritu, mortificemus opera carnis, atque ipso dante victoriam per Dominum nostrum Iesum Christum in æterna cum illo postea pace regnemus: profectò nisi Deus adsit, nemo est idoneus certare cum vitiis, ne sine certamine pertrahatur ab eis, aut ne iam certans in ipseorum conflictatione vincatur. Ideo in hoc agone magis nos Deus voluit orationibus certare quàm viribus, quia & ipsas vires, quantas hîc habere nos competit, ipse subministrat certantibus quem rogamus. Si ergo ij, quorum contra carnem iam spiritus concupiscit, ad singulos actus indigent Dei gratia ne vincantur, qualem libertatem voluntatis habere possunt, qui nondum de potestate eruti tenebrarum, dominante iniquitate, nec certare cœperunt, aut si certare voluerunt, nondum liberatæ voluntatis seruitute vincuntur? Item in libro Retractationum priore: Perfectio, inquit, boni est, vt nec ipsa concupiscentia peccati sit in homine: cui quidem quando bene viuitur, non consentit voluntas, veruntamen non perficit bonum, quia inest adhuc concupiscentia, cui repugnat voluntas. Cuius concupiscentiæ reatus in baptismate soluitur, sed infirmitas manet, cui donec sanetur, omnis fidelis qui bene proficit studiosissimè reluctatur.]

Alterum lumen tractatorum Hieronymus in Dialogo, Non ideo, inquit, peccauit Adam, quia Deus hoc futurum nouerat, sed præsciuit Deus, quod ille erat propria voluntate facturus. [*Item post aliquanta.* Dominus inquit ad discipulos: *Ego sum vitis, vos rami: qui manet in me, & ego in eo: iste afferet fructum multum, quia sine me nihil potestis facere.* Sicut rami & folia vitium ilico contabescunt cùm fuerint à matrice præcisa; ita omnis hominum fortitudo marcessit & deperit, si à Dei auxilio deseratur. *Nemo*, inquit *potest venire ad me; nisi pater qui misit me traxerit eum.* Quando dicit, nemo potest venire ad me frangit superbientem arbitrij libertatem, quod etiamsi velit ad Christum pergere, nisi fiat illud quod sequitur; pater meus cœlestis traxerit eum, nequicquam cupiat, frustra nitatur. Simul & hoc animaduertendum, quòd qui trahitur, non sponte currit, sed aut retractans, aut tardus, aut inuitus adducitur. Qui non potest suis viribus & labore venire ad Iesum, quomodo potest omnis simul peccata vitare, & vitare in perpetuum?]

Cælestinus etiam Papa, magnis annumerandus doctoribus, de libero arbitrio, vt tantum Pontificem decuit, vniuersos instituit. Ex eius decretis verba hæc sunt: In præuaricatione, inquit, Adæ omnes homines naturalem possibilitatem & innocentiam perdidisse clarum est, & neminem de profundo illius ruinæ posse consurgere, nisi eum gratia miserentis Dei erexerit.] Item. Neminem etiam, inquit, baptismatis gratia renouatum idoneum esse ad superandas diaboli insidias, & ad vincendas carnis concupiscentias, nisi per quotidianum adiutorium Dei perseuerantiam bonæ conuersationis acceperit.] Item, quòd nemo nisi per Christum libero bene vtatur arbitrio, hinc & Innocentium Papam adhibet testem posita eius sententia. Aduerte tandem, ô prauissimarum mentium peruersa doctrina, quòd primum hominem ita libertas ipsa decepit, vt dum indulgentiùs frænis eius vtitur, in præuaricationem præsumptione conciderit. Nec ex hac potuit erui, nisi ei prouidentia regenerationis statum pristinæ libertatis Christi Domini reformasset aduentus.] Item Cælestinus, quòd omnia studia, & omnia opera ac merita sanctorum, ad Dei gloriam laudémque referenda sunt, quia nemo ei aliunde placet, nisi ex eo quod ipse donauerit.] Item, quòd ita Deus in cordibus hominum, atque in ipso libero operetur arbitrio, vt sancta cogitatio, pium consilium, omnisque motus bonæ voluntatis ex Deo sit, quia non nisi per illum aliquid boni possumus, sine quo nihil possumus.] Item, Quisquis dixerit, ideo nobis gratiam iustificationis dari, vt quod facere iubemur per liberum arbitrium, faciliùs possimus implere per gratiam, tanquam etsi gratia non daretur; non quidem facilè, sed tamen possemus etiam sine illa implere diuina mandata, anathema sit. De fructibus enim mandatorum Dominus loquebatur, vbi non ait, sine me difficiliùs potestis, sed sine me nihil potestis facere.]

Sanctus quoque Papa Gregorius, bonis omnibus, latini sermonis capacibus, suæque doctrinæ piè studiosis, plurimum collaturus, humani arbitrij proprietatem subtiliter, ac suauitate solita, Homilia nona in Ezechielem expressit: *Audiui*, inquit, *vocem sequentis, & dixit ad me, Fili hominis, sta super pedes tuos, & loquar tecum:* vbi adhuc subditur, *& ingressus est in me Spiritus postquàm locutus est mihi, & statuit me super pedes meos.* Ecce diuina vox iacenti Prophetæ iussit vt surgeret. Sed surgere omnino non posset nisi in hunc omnipotentis Dei spiritus intrasset: quia ex omnipotentis Dei gratia ad bona opera conari quidem possumus, sed hæc implere non possumus, si ipse non adiuuat qui iubet. Sic Paulus cùm discipulos admoneret dicens, *Cum metu & tremore vestram ipsorum salutem operamini*, ilicò quis in eis hæc ipsa bona operaretur adiunxit dicens, *Deus est enim qui operatur in vobis & velle & perficere pro bona voluntate.* Hinc est quòd ipsa veritas discipulis dicit, *Sine me nihil potestis facere.* Sed in his considerandum est, quia si bona nostra sic omnipotentis Dei dona sunt, vt in eis aliquid nostrum non sit, cur nos quasi pro meritis æternam retributionem quærimus? si autem ita nostra sunt, vt dona Dei omnipotentis

A potentia non sint, cur ex eis omnipotenti Deo gratias
agimus? Sed sciendum est, quod mala nostra solummo-
do nostra sunt, bona autem nostra, & omnipotentis Dei
sunt, & nostra: quia ipse adspirando nos præuenit vt
velimus, qui adiuuando subsequitur ne inaniter velimus
sed possimus implere quæ volumus.] Præueniente ergo
gratia, & bona voluntate subsequente, hoc quod omni-
potentis Dei donum est, fit meritum nostrum: quod be-
'or. ne Paulus breui sententia explicat, dicens: *Plus illis om-*
nibus laboraui: qui ne suæ videretur virtuti tribuisse, ad-
iunxit, *non autem ego, sed gratia Dei mecum.* Quia enim
cœlesti dono præuentus est, quasi alienum se à bono suo
opere agnouit, dicens, *non autem ego*: sed quia præueniens
gratia liberum in eo arbitrium fecerat in bono, quo li-
bero arbitrio eandem gratiam est subsecutus in opere,
adiunxit, *sed gratia Dei mecum*: ac si diceret, in bono
opere laboraui, non ego, sed & ego. In eo autem quod
solo Domini dono præuentus sum, non ego: in eo enim
3 quòd donum voluntate subsecutus sum, & ego.] Pro qui-
En- bus effusus sit & quos redemerit sanguis Domini, san-
dio ctus Augustinus in libro ad Laurentium his verbis de-
-s. clarat. Hæc quæ in sanctis Angelis & virtutibus Dei
est Ecclesia, tunc nobis sicuti est innotescet, cum ei con-
iuncti fuerimus in finem, ad simul habendam beatitudi-
nem sempiternam. Ista verò quæ ab illa peregrinatur in
terris, eo nobis est notior, quo in illa sumus, & quia ho-
minum est, quod & nos sumus. Hæc sanguine media-
toris nullum habentis peccatum, ab omni est redempta
8. peccato. Eius vox est: *Si Deus pro nobis, quis contra nos?*
qui filio proprio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit
eum.] In Ecclesia enim, quæ sanguine mediatoris nul-
lum habentis peccatum, ab omni est redempta peccato,
intelligit esse omnes, qui Apostolico testimonio com-
prehenduntur, quod est, *pro nobis omnibus tradidit*
eum.

Item idem auctor in opere memorato contra Iulia-
num. Redimuntur, inquit, quicumque redimuntur ab
eo qui venit quærere quod perierat: qui & antequam
veniret in carne, per ipsam fidem redemit, qua credebatur
esse venturus. Redimuntur autem in libertatem beatitu-
dinis sempiternam, vbi peccato iam seruire non possint.]
Et manifestissimè explanans populo sancti Euangelij lo-
10. cum secundum Ioannem, *vos non creditis, quia non estis*
ex ouibus meis. Quomodo, ait, istis dixit, *non estis ex*
ouibus meis? quia videbat eos ad sempiternum interitum
prædestinatos, non ad vitam æternam sui sanguinis pre-
tio comparatos.]

Item ad Pollentium libro priore. Sicut omnis, in-
quit, qui Christi sanguine redemptus est homo est, non
tamen omnis qui homo est etiam sanguine Christi re-
demptus est: ita omne quod non licet, non expedit, nec
tamen omne quod non expedit, etiam non licet.] Beatus
quoque Hieronymus commentario in Matthæum, se
10. idem sentire manifestat his verbis: *Sicut filius hominis*
non venit ministrari, sed ministrare. Nota quod crebro di-
ximus, eum qui ministret filium appellari hominis, & da-
re animam suam redemptionem pro multis, quando for-
mam serui accepit, vt pro mundo sanguinem funderet.
Et non dixit dare animam suam redemptionem pro om-
nibus, sed pro multis, id est, pro his qui credere volue-
rint. Quod cautissimè doctor celeberrimus vidit de qua-
libuscumque fidelibus intelligendum, propter illud,
8. *Peribit in tua scientia frater, propter quem Christus mor-*
tuus est: propter illud etiam: *Quicumque baptizati su-*
3. *mus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus.* Nec-
non & propter illud: *Quanto magis putatis deteriora*
mereri supplicia qui filium Dei conculcauerit, & sangui-
nem testamenti pollutum duxerit in quo sanctificatus est?
Et quæcumque similia scrutatores pij valent in diuinis
eloquiis inuenire. Sensum Hieronymi Beda in expla-
natione Marci verbis ipsius ponit: nam & filius hominis
non venit vt ministraretur ei, sed vt ministraret. Nota,
inquit, quod crebro diximus, eum qui ministrat fi-
lium appellari hominis, & dare animam suam re-
demptionem pro multis, quando formam serui accepit,

vt pro mundo sanguinem funderet. Et non dixit, dare B
animam suam redemptionem pro omnibus, sed pro mul-
tis, id est, pro his qui credere voluerint.] Item Hierony-
mus edisserens illud Psalmi *Vendidisti populum tuum sine* Ps.43.
pretio. Vsque nunc, inquit de se locuti sunt martyres
nunc de Iudæorum populo dicunt, quibus dictum est, *in*
peccatis vestris venditi estis: & ideo sine pretio, quia non
est effusus agni sanguis pro eis.

Sanctus Gregorius Papa in Moralibus exponens lo- Lib 4.
cum illum, *non computetur in diebus anni*, eundem sen- c.11. l.3.
sum asserit his verbis. Annum prædicationem supernæ Iob.3.
gratiæ non inconuenienter accipimus: quia sicut in an-
no congestis diebus tempus perficitur, ita in superna gra-
tia virtutum multiplex vita completur. Potest per an-
num etiam multitudo intelligi redemptorum: quia sicut
ex dierum multitudine annus ducitur, ita ex collectione
bonorum omnium illa electorum innumerabilis vniuer-
sitas expletur.]

Nec mirandum, duo clarissima lumina doctorum, bea- F
tum Augustinum & Hieronymum, & post illos Gre-
gorium & Bedam, in hoc sensu inueniri, cum eorum
doctrina ex Euangelica pendeat auctoritate. In qua qui- Matt.26.
dem apud Matthæum sic inuenitur: *Bibite ex hoc omnes:*
hic est enim sanguis meus noui testamenti, qui pro multis ef- Marc.14.
funditur in remissionem peccatorum: Apud Marcum au-
tem, *hic est sanguis meus noui testamenti, qui pro multis*
fundetur. Apud Lucam verò, *hic est calix nouum testa-*
mentum in sanguine meo, qui pro vobis funditur. Vnde con-
cordantes Lucæ, cum rem diuinam agimus, in prece, hic
est calix sanguinis mei noui & æterni testamenti myste-
rium fidei, qui pro vobis, concinentes autem Matthæo
& Marco addimus, pro multis effundetur in remissio- Hebr.2.
nem peccatorum. Ioannes tamen Constantinopolitanus
Episcopus, explanans locum illum epistolæ ad Hebræos
qualiter gratia Dei pro omnibus gustauerit mortem,
Non pro fidelibus tantum, inquit, sed pro mondo
vniuerso: & ipse quidem pro omnibus mortuus est:
quid autem si non omnes credunt? ille quod suum G
erat impleuit.] Verùm hanc intellegentiam diuinis non
roborauit eloquiis. Faustus etiam quidam, ex Abbate
Lerinensi Regensis Galliæ Episcopus, de his rebus,
est, de Prædestinatione & libero arbitrio, & sanguinis
Christi redemptione, longè diuersa superioribus præ-
cellentissimis auctoribus scripsit. Sed intelligentius
inspecta diuinorum eloquiorum integritas errandi oc-
casionem penitùs abstulit, & reuerendissimus Papa Ge-
lasius cum L X X. Episcopis viris Eruditissimis sta-
tuens qui scriptores essent vel non essent recipiendi,
post approbationem Augustini, & amplissimas laudes
Hieronymi, memoratum Faustum ab auctoritate his
verbis remouit: *Opuscula Fausti Regensis Galli apocry-*
pha. Nos igitur incorruptum sanctarum Scripturarum
sequentes intellectum, & Apostolicæ sedis grauitatem
suspicientes, quid aliud dicamus, nisi, Taceat Faustus,
& similiter sentientes, loquantor cum suis consortis
Hieronymus & Augustinus? Scilicet illius prouerbij
recordantes, conticescant ranæ dum cœlum tonat. At-
que vt hunc nostrum laborem fructuosum ceteris relin- H
quamus, illud semper memoria tenendum de repro-
bis monemus: *Qui elongant se à te peribunt*: de electis
verò, *in omni gente qui timet Deum, & facit volunta-*
tem eius, acceptus est illi. Et vt ab illis Dei gratia
separati, istis eadem Dei gratia sociemur. assiduis pre-
cibus communiter implorandum. Nam qui paruulis
regeneratis, moxque vita excedentibus, ineffabili
pietate beatitudinem largitur, etiam eorum
saluti benignè prospexit, quibus
perfectè in se sperare
donauit.

***

SERVATI LVPI HOMILIÆ DVÆ in solemnitate sancti VVigberti.

HOMILIA I.

GAVDETE & exultate in Domino, dilectissimi fratres, quis deuotis mentibus ad solemnia sancti Vvigberti conuenistis; & Dominum Iesum Christum multimodis deuotissimè conlaudate, qui nunquam derelinquit sperantes in se, sed misericorditer nobis in hoc misertimo mundi ergastulo constitutis patronos pro nobis laudabiles ad intercedendum procurauit; quatenus per hos Christianæ religionis imbuti, ferculisve satiati cœlestibus, spem cœlestium præmiorum iam habere possimus, si illuc corde & opere sequamur. Ipse quoque Dominus noster Iesus Christus, omniumque creatur sanctus, omnes sanctos condidit; & nullus vnquam per se fit sanctus absque Dei larga prouidentia. Ideo quippe, sicut in sacris legimus scripturis, ab Abel protomartyre vsque nunc glorificat sanctos & electos suos salutiferis in hoc mundo miraculis, qui mundialibus non fuerunt comprehensi illecebris; sed omni quidem conamine mentis & corporis rectè cogitando, atque ab omni iniquitate se continendo, diabolicis efficacissimè resistebant suggestionibus. Quapropter diuina exuberante gratia consortes & heredes sunt Angelicis in cœlo sedibus, vbi nil vlterius desiderare queant, sed Domini Iesu Christi insatiabiliter visione, ac consortio supernorum ciuium perfruantur. Et ideo, fratres carissimi, assumamus nobis diuino suffragio arma & exempla illorum, qui per imaginabilem Dei adiuuamine fidem vicerunt regna transitoria, operati sunt iustitiam, adepti sunt promissiones; &, sicut namque Dominus Iesus Christus veridica in Euangelio voce prædicit, *sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona & glorificent patrem vestrum, qui in cælis est*. Paulus sane egregius prædicator, præmonuit ita dicens: *Non habemus hic manentem* in cœnoso mundo *ciuitatem*, *sed futuram* bonis operibus *inquirimus*. Quamobrem namque oportet vobis, qui sincerissimam Apostolorum fidem tenetis, vt in omnibus sagaci atque insatiabili mente, quantum quiueritis, illos imitari studeatis, Quia, sicut legimus in sacris pagunulis, tanto accensi fuerunt Apostoli amore Christi, vt nec vllo modo tormentis, vel minis Regum, necnon etiam persecutionibus infidelium ab illo possent euelli, sed firma fide, & opere vel indissolubili caritate, vnanimiter perseuerarent, donec diuina ab hoc mundo vocatione cœlestia scandere meruerunt. Quid enim dicimus de virginibus? quia humanis non sufficit ingeniis de illis aliquid pro fragilitate carnis condignum scribere vel imitari, quibus fuit vna fides, immutabilis amor, caritas vna, eratque illis virginitas carnis, corpus intactum; virginitas animæ, fides incorrupta. Et ideo verò, quia fuerunt piis in Christo Domino studiis adornatæ, virtutum palmas coronasque dignis acceperunt in cœlo præmiis. De martyribus quoque quid dicendum est? qui panniculis despectisque vestibus * corpora ad tormenta tradiderunt terrestria, quatenus Deum dominatorem omnium habere, & cum illo æternaliter regnare mererentur, respuerunt florigeros huius mundi flores cum fallacibus citis, quæ homines commentis suis ludificant, totisque viribus Dominum Christum dilexerunt: & propter hoc in cœlestibus thalamis regnant. De Confessoribus, ex quorum collegio iste Dei famulus est, vel etiam omnibus sanctis, legimus in diuinis historiis omnea cum diuersis ab huius mundi calle tribulationibus cœlestia scandere; de quorum scilicet omnium sanctissima vita aliquid nobis imitandum est, in quantum humana suppetit fragilitas; quia ad imaginem Dei facti sumus, sicut & illi. Et ideo siquidem altithrono Deo nostras impollutas imagines reddere debemus, sicut alibi dicit: Imago Cæsaris reddatur Cæsari; imago Dei reddatur Deo. Si nos, in comparatione illorum, lutulentam pro sanctitate habemus vitam; tamen quippe in desperationem, quæ periculosa est, cadere Domini adminicolo non debemus: quia *vniuersa via Domini*, *misericordia & veritas*, suo fine distinctæ sunt. Etenim omnipotentis benigna atque ineffabilis voluntas nil discernit, nisi illud quod iustissimè conuenit. Nemo verò de suprà memoratis sanctis tam * doctus fuit, qui summa non indiguerit misericordia. Non enim ita vlli diuinorum bonorum sufficiunt augmenta, vt non semper amplius supersit quod mens armata diuinis suffragiis, & intelligendum desideret, & gerendum. Quamobrem nemo de magnitudine iniquitatum suarum desperet, sicut alibi dicit: *Nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur, & viuat*. Sed tamen videlicet acceleranda est medicina conuersionis ad Deum; ne tempus correctionis atque emendationis pereat tarditate atque negligentia, quia nemini nostrum vltima dies nota est. Ideoque veridicis Pauli sententiis aures cordis accommodemus, vbi dicit; *Abiiciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis. Sicut in die honestè ambulemus.* Nulla enim Domini nostri Iesu Christi opera misericordia vacant; quando homini & indulgentia consulit & castigatione; & misericorditer prouidet temporalem austeritatem, ne æternam iustè inferat vltionem. Et ideo nemo in huius vitæ itinere torpeat, ne in patria amœnissimum perdat locum. Idcirco qui Deum quærit bona voluntate, in quo est summum bonorum omnium, cuncta intra se bona perfectaque continens, nihil aliud quærit, nisi sempiternum in cœlo gaudium. Quæramus ergo Dominum, sicut beatus iste Dei famulus fecit, & propter hoc coram Deo & hominibus coronatur. Quæramus illum armis, cum quibus eum inuenire possimus; Deum diligendo, proximumque amando, eleemosynam dando, Ecclesiam assiduis orationibus frequentando, armisque semper diabolicis Domino donante resistendo: quia etiam per varios casus mortalis vita, quasi mundi orbita, concurrit. Nemo in hac vita gaudia habet cœlestia. Sed ab initio mundi vsque huc multi deuiauerunt per ignorantiam, quia inter multa turbulenta & fallacia, Deum nosse & amare difficile est. Propter hoc faciamus sicut Propheta dicit: *Quærite Dominum, dum inueniri potest; inuocate eum, dum prope est. Derelinquat impius viam suam, & vir iniquus cogitationes suas, & reuertatur ad Dominum, & miserebitur eius.* Quærite igitur bonum sine fine, & persistite in reperto; quia veram etiam beatitudinem in summo Deo sitam esse necesse est: quod contradici nullo modo potest. Neque enim fas est homini cunctas diuinæ operationis machinas vel ingenio comprehendere, vel explicare sermone. Veniet tempus, quando ea quæ nunc specie gerimus, rerum veritate capiamus. Hæc vero strictim breuiterque attigimus. Ceterum quid felicius, quidve salubrius, quam seruire Deo, qui mundum tantis gubernaculis regit, & *omnes homines vult saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*: quatenus sane, cùm generalis aduenerit dies, omnes læti pro bonis operibus, & Dei suffragio protecti, æternam beatitudinem vnà cum sanctis suis accipere mereamur.

HOMILIA II.

RESTAT igitur adhuc aliquid de sancto Vvigberto breui sermone narrare; qui tantis in hoc mundo beneficiis, omnibusque Christicolis claruit, vt meritò totus Christianus populus summa veneratione de solemnitate illius gaudeat; maximè namque nos, qui in suum apud Deum patrocinium hic & in futuro confidimus. Credimus siquidem illum in præsentia Domini nostri Iesu Christi omnia posse impetrare, de quibus illum piis deuotisque poscit precibus, dum tanta in præsentia populi miracula, sicut sæpe audistis, pro eius laude nobilitauit, Videtis ergo, fratres carissimi, quanta humano generi

A gloria eſt, Deum deuota mente ſequi, qui nunquam in tribulationib. derelinquit ſperantes in ſe, ſed omnes ſcilicet qui pro amore illius florentē deſpiciūt mundum æternis in cœlo gaudiis honorifice ſublimat; ſicut ipſa Veritas (Ioan. 14.) teſtatur, dicens; *Qui autem diligit me, diligetur à patre meo; & ego diligam eum; & manifeſtabo ei me ipſum.* Paulus quoque Apoſtolus de diligentibus Deum dixit: (1. Cor. 2.) *Quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus diligentibus ſe.* Erat quippe vir iſte ſanctus Vvigbertus, ſicut ſacra fama narrat, omni dignitate præclarus, corde pro Dei amore lætus, motibus ſemper compoſitus, in omni opere Dei ſtrenuus. Eius verò ſecreta conuerſatio in vigiliis, & orationibus, vel etiam in ieiuniis, in ſanctitate vitæ, & ſignorum oſtenſione, intelligi datur. Caritatem ſiquidem aſſiduus labor oſtendit, quem quotidie pro Christi nomine ſuſtinuit. Semper enim omnes dies vitæ ſuæ in diuino proficiens opere, fuit omnipotenti amabilis pro B eximiis operibus, & omni populo placabilis. Ab infantia enim, cuncta quæ habere potuit, ad pietatis opus largifluis manibus tribuit, vt Christum, pro nobis factum egenum, egens ipſe ſequeretur. Quis enim tam loquax in lingua, vt ſingillatim omnia mirabilia, vel beneficia quæ per illum Deus operatur aſſiduis explicare valeat verbis? non enim de craſtino cogitans, ſed ſemper ſecundum Euangelium, de Dei confidens clementia, omnes ad ſe venientes æternis paſcebat ferculis. Nullum ſcilicet in ſua deſpiciebat anguſtia; ſed ſemper diuino mœſtos reficiebat ſolamine, fraterno ſuffultus amore cunctiſque propter Deum prodeſſe ſatagebat. Mente videlicet & corpore ad ſublimia erectus, hoſpes & inops mundo fuit. Quamuis namque terrenis nutritus eſſet vſibus, totis tamen ſemper viribus cœleſtia tractabat. Quamobrem ſcilicet cum Domino æquiſſimo, necnon & cum omnibus in cœlo habitatoribus, æternaliter coronatur; vbi nunquam poteſt gaudiis fraudari, cui Christus eſt gaudium. Idcirco nos quippe, quantum diuina C ſuffragante gratia poterimus, illum totis viribus tantum imitari ſtudeamus, vt ſi talia in cœleſtibus præmia acquirere non poterimus, ſaltem aliquo in cœlo refrigerio non priuemur. Habemus ergo arma iuſtitiæ, ſicut iſte Dei famulus tenuit. Deum diligendo, proximumque ſine ſimulatione amando, caritatem & pacem cum omnibus habendo, (quia Chriſtianæ perfectionis eſt pacificum eſſe cum ſuis inimicis, ſpe correctionis, non conſenſu malignitatis) humilitatem & patientiam corde & opere oſtendendo. Quia malignus ſpiritus & ſuperbus hominem primum ſuperbientem deduxit ad mortem, Chriſtus quoque humilis hominem obedientem reduxit ad vitam. Simus namque pietatis & Chriſtianæ religionis amatores, miſericordes, ad opus bonum vnanimes, concordiam, quæ eſt cuſtos virtutum, firmiter cuſtodientes; ſicut alibi dicit. Cauete ergo viri, ne ſit in veſtris mentibus ſententia diſcors: quod ſapimus coniungat vnus amor: quod viuimus & intelligimus vno eodemque conſtet ſtudio. Nil firmum eſt diſſociabile: & D nil eſt in hominibus Deo placitum ſine pace, nec munus ampliſſimum ad aram. Similiter etenim è contrario diuinis armati ſuffragiis, fugiamus arma diabolica, id eſt, ſuperbiam. Omnia enim vitia in malis operibus tantum valent. Sola ſuperbia in perfectis rectiſque factis cauenda eſt: quia ſine dubio frangit Deus omnem ſuperbum, & ſemper ſuperbis reſiſtit. Poſtea quoque toto niſu vel affectu cauenda eſt ebrietas; quæ eſt radix omnium mortalium ad peccandum. Iram videlicet fugiamus, quæ ſæpiſſime ſtomachando in proprium cadit lethum. Luxuriam & auaritiam, Deo donante, à nobis quaſi venenum expellamus. Luxuria verò maleſuada, melliſque ſapore damnat in pœnas incorrigibiles. Nil namque in moderno tempore omne genus humanum tam miſerabiliter deuaſtat, quam auaritia. Odium ergo & inuidiam à noſtris cordibus reſpuamus: quia omnino non condecet Chriſtiano, vt imaginem Dei in odio habeat. Sed tamen in malis odimus prorſus malitiam, & diligimus creaturam. Diſcordiam quoque & E fraudem, diuinis munificentiis adiuti, fugiamus: nil namque poteſt boni eſſe, vbi fraus & diſcordia regnant. Pudet autem de his longius diſputare. Omittamus malas, Domino adiuuante, ſyrenas; quæ hominum mentes aſſuefaciunt morbo, non liberant. Teneamus etiam illas virtutes, in quibus eſt ſola ſanitas, & æterna felicitas. Ideoque dilectiſſimi fratres, ſcitote quia in maxima egeſtate ſunt diuites in hoc mundo, iuſtitiæ & veritatis opes non habentes. Qui autem altithrono Domino fideliter ſeruiunt, ea bona inueniunt, quæ nullatenus perire poſſunt. Parua enim ſunt præſentis ſæculi bona: nunquam verò niſi per negligentiam & inertiam perdit æterna. Quamobrem, qui triumphali Chriſti ſigno ſignati eſtis, & Domino opitulante vultis ancipitem ſuperare vitam in qua nihil eſt aliud, niſi ſeductiones, & infeſtationes, diligite ſemper moribus & operibus quod verus amator Chriſtus iam habet. Feruent enim mundi amatores pro damnis, proque peſtiferis lucris. Idcirco namque, quia mundus amaritudine F & caſu totus eſt plenus, & fluunt gaudia falſa, appropinquate Deo bonis operibus, & appropinquabit vobis. Quærite illum, non fictè, ſed veraciter, & inuenietis illum. Nullus, obſecro, dubitet in fide; nec de veniæ largitione hæſitet, nec de piæ petitionis effectu: quia quanto fiducialius & benignius Deum deprecamur, tanto citius exaudiri merebimur. Fides enim omnibus bonis abundat, ſicut in Euangelio ipſe Saluator ait. Omnis enim qui cum fide petit, accipit; & qui quærit, inuenit; & pulſanti aperietur. Et iterum: *Omni habenti dabitur, & abundabit; ei autem qui non habet & quod habet auferetur ab eo.* (Matt. 7. Matt. 13.) Habemus igitur multa in diuinis paginulis exempla patrum noſtrorum. Habemus etiam ante oculos exempla certiſſima, ſicuti huius ſancti viri, cuius hodie feſtiuum celebramus diem: qui patriam, cognationemque, & amicos ſeculares feruente fide pro amore Dei dereliquit, terrena contempſit, cum pompaticis laudibus, vt cœleſtia conquireret. Deſpiciamus quoque, G Domino ſuffragante, mundum & amemus cum præceptis eius creatorem noſtrum quatenus per præſentia bona quæ agimus, ad gaudia æterna felicitatis peruenire valeamus, præſtante Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui patria virtute trinus & vnus viuit & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.

HYMNI DE SOLEMNITATE Sancti Vvigberti.

VVIGBERTI dies natalis
Venit modò mirabilis,
Lucem iam nos illuminans,
Quos ſeruet Chriſtus glorificans.
Iſte Confeſſor Domini
Frater in mente humilis,
Quem Chriſtus iam prædixerat,
Vt regnum eius capiat.
Huius oratu credimus,
Ad aſtra cuncti pergimus,
Si cultum eius agimus,
Qui ſedet ſuper Angelos.
Qui ſedet ſuper Cherubin,
Simulque ſuper Seraphin,
Sidereaque agmina
Regit ſua potentia.
Ipſéque nos tartareo
Eripiat à tormento,
Zabuli & à laqueo
Defendat ſuo labaro.
Sancte Vvigberte, quæſumus,
Ora pro nobis omnibus,
Vt lauet nos criminibus
Rex Angelorum Dominus.
O Paſtor alme, pro Clero

H

Intemeni iam deuoto.
Digna tua oracula
Tollunt nostra piacula.
Saluator noster, relaxa,
Et dele nostra crimina,
Per Confessoris inclyta
Sancti Vvigberti merita.
Deo Patri sit gloria &c.

ALIVS.

EN piis splendent reuoluta votis,
Annuo nobis veneranda cultu,
Festa Vvigberti. Populo frequenti
Christe faueto.
Hic velut clara rutilans lucerna,
Indolis primæ radios micantes
Sparsit in mundo, gradiendo callis
Ardua desteri.
Vtque nil facti meriti deesset,
Subdidit summæ pia iussioni
Colla, quò Christi crucis & minister
Pauper adesset.
Ipsa quem tantum Deitas beauit,
Quò foret sæclo sibi commoranti
Forma, sic æqoe via lapsitanti
Posteritati.
Cuius exemplum glomeret in vnum
Turbam haud paruam sibi seruientum,
Semper vt Christi resonet fideli
Pectore laudes.
Quam Deus cunctis redimet ærumnis,
Cum potens dexttam quatitur coruscam,
Vltimi donans requiem laboris
Visere sese.
Patris hoc proles, Pater hoc & ipse
Præster hoc flatus par vtrique sanctus;
Vnicum nomen Deitatis omni
Est quibus æuo.

IOANNIS BVSEI

Admonitio ad amicum lectorem.

QVoniam ante biennium cum Hincmari epistolis edita est vita sancti Vvigberti quondam sancti bonifacij Archiepiscopi Moguntini socij, auctore Lupo Seruato, nunc placuit hymnos duos, ac item homilias duas in eiusdem laudem ab eodem auctore, vt apparet, conscripras addere, quas in vetustissimo MS. codice Dominicanorum; Parrum in hac vrbe Moguntina degentium, vitæ sancti Vvigberti adiunctas inuenimus.

NOTA.

Porro huius sancti Vvigberti vita vt & sancti Maximi ab eodem Lupo conscripta, hic omissa sunt; reperiuntur enim vel apud Vollandum vel apud Surium.

FLORI MAGISTRI
qui floruit tempore Caroli Calui opuscula.

LECTORI STVDIOSO.

De Floro Lugdunensi & de Libris ab eo Conscriptis.

I. FLORVS Lugdunensis Ecclesiæ primùm Subdiaconus, ac deinde Diaconus, fuit, vnde Hincmaro in posteriori dissertatione contra Gotbescalcum cap. 6. minister nuncupatur Ecclesiæ Lugdunensis, vir memorabilis, Vsuardo in sui Martyrologij prologo, vir sanctus & nominatissimus Vvandalberto in præfatione metrici martyrologij, vbi & locupletissimam eius Bibliothecam his verbis commendat. *In quo opere quia solemnium dierum certissima comprehensio, non leuiter, nec facilè pro librorum varietate constabat, ope & subsidio præcipue vsus sum Sancti & nominatissimi viri Flori, Lugdunensis Ecclesiæ Subdiaconi; qui vt nostro tempore, reuera singulari studio & assiduitate in diuina Scripturæ scientia pollere, ita librorum authenticorum non mediocri copia & varietate, noscitur abundare. Ab hoc ergo sumptis veteribus emendatisque codicibus, martyrologium Librum à Kalendis Ianuariis ad finem anni per dierum singulorum occurrentes festiuitates metro edidi.* cum autem subinde ac nominatim in titulo Libri ab eo conscripti de actione Missarum magister dicatur, coniectura est eum Lugdunensis Ecclesiæ scholis aliquando præfuisse; nisi tantum (vt alij complures) ob doctrinæ præstantiam hoc honoris titulo est donatus: insigne est eius Elogium apud Vvalafridum Strabonem in carmine ad Agobardum, vbi hæc inter cætera.

At de Flore nouo qui vos penes ortus odorem
Prodit vbique sui, hac loca rumor alit.
Flora venit quondam, dum singula quæque deorum
Sunt affata, iugis prata thymumque gerens,
Huic Floro melius sententia Christicolarum
Attribuit quidquid dogmate & ore viret.

Ex quibus etiam apparet floruisse Lugduni Florum tempore Agobardi Archiepiscopi, cuius est cũ Hildigiso & Floro communis Epistola ad Bartholomæum Episcopum Narbonensem de quorundam illusione signorum. Agobardum autem obiisse constat ex Chronico Beniguiano ad Cyclos Paschales, VIII. Idus Iulij, anno Christi 840. eique successisse Amolonem ex Diacono, ac fuisse ordinatum sequente anno 841. VIII. Calendas Februarias. Nec est improbabile, Legatum Romani Pontificis fuisse hunc Florum in conuentu ad Theodonis villam, cuius meminit author vitæ Ludouici Pij ad annum 821. vbi Imperator primogenito filio suo Lothario Ermengardam filiam Hugonis Comitis, vxorem magno apparatu coniunxit. Collega in eo munere, siue assessor erat Florus Theodoro Primicerio.

II. De Libris à Floro conscriptis, hoc imprimis moneo, nihil ad eum pertinere collectanea in omnes Pauli Apostoli Epistolas ex Augustino; quamuis illi asserantur à Sigeberto Gemblacensi in Libro de scriptoribus Ecclesiasticis, & à Trithemio Libro 2. de viris illustribus Ordinis S. Benedicti c. 41. faueantque nonnulli codices m. ss. vt ostendit P. Franciscus Chiffletius Soc. Iesu, in suis ad Ferrandum notis, & vir eruditus Stephanus Balusius in Epistolam 76. Lupi Ferrariensis ad Hincmarum Archiepiscopum Rhemensem, in qua sic eum affatur: *Collectaneum Bedæ in Apostolum ex operibus Augustini veritus sum dirigere: propterea quod tantus est liber, vt nec sinu celari, nec pera posset satis commodè contineri. Quamquam si alterutrum fieret formidanda esset obuia improborum rapacitas, quam profectò pulchritudo ipsius codicis accendisset, & ita forsitan, & mihi & vobis perisset. Proinde tuto vobis memoratum volumen ipse vobis commodaturus sum cum primo (si Deus vult) aliquò nos contigerit sospites conuenire.* Ipse Hincmarus in posteriori opere contra Gotescalcum cap. 1. *Si quis tamen* (inquit) *eosdem libros non habet, videat in collectione venerabilis Bedæ Presbyteri de opusculis S. Augustini super Apostolum: & ibi discere poterit, quod antea ignorauit.* Quibus ex tantæ antiquitatis, tantæque authoritatis testimoniis scite concludit Baluzius, deinceps dubitandum nemini esse, quin opus illud sit venerabilis Bedæ: quod frustra Robertus de Torineio (apud Lucam Dacherium, post opera Guiberti de Nouingento) vindicare conatur Petro Tripolitanæ prouinciæ Ab-

bati

bati ex Cassiodoro. Nam Cassiodorus libro 1. dininarum lectionum cap. 8. Petri Tripolitani collectanea illa ex Augustino recenset inter Annotationes Epistolarum à'oonnullis breuiter comprehensas: Bedæ autem collectanea prolixissima sunt teste Lupo Ferrariensi in Epistola ad Hincmarum citata: Immò Beda ipso teste, qui in calce historiæ suæ; *In Apostolum* (inquit) *quæcumque in opusculis sancti Augustini exposita inueni, cuncta per ordinem transcribere curaui*; quæ verba aperte indicant magnæ molis volumen, cum illa Augustini cuncta, nou nisi prolixo opere potuerint comprehendi. Quare, si quæ fuerunt Bedæ breues annotatiooes in Apostolum ex libris Augustioi, quas æuo suo (hoc est ante annos quingentos) vulgo notas fuisse Robertus de Torineio affirmat; illas fuisse oportet aut delineationes quasdam maioris operis, aut ex maiore opere compendiosa excerpta. Quæ igitur sunt vulgata magnæ molis collectanea in Epistolas Pauli ex Augustino, nec Flori sunt, nec Petri Tripolitani, sed solius Bedæ.

III. Nec magis authot fuisse credendus est Florus cuiusdam Canonum collectionis, ex qua excerptum quoddam hic habes de Electionibus Episcoporum. Duo vidimus huius collectionis vetusta exemplaria Bisontinum alterum, alterum Diuiooense, in plerisque similia, in nonnullis tamen dioersa: in quibus obseruauimus de permultis ibi descriptis capitulis, duo tantum refert ex Floro; primum de Episcoporum electione, secundum de coercitione Iudæorum, & de anthoritate ac firmitate iudicij & testimonij Episeoporum; cui capitulo ad marginem adscriptum est, Hæc à Domino Floro viro prudenti collecta sunt ex lege & canonibus. Non ergo Flori est tota hæc collectio, cuius author profitetur duo tantum ex Floro referre capita; sed est Episcopi cuiusdam ignotæ sedis, qui cum esset Augustodnni Presbyter, vnus fuerat ex ordinatoribus Episeopi Æduensis, vt intelligitur ex his eius verbis quæ habentur cap. 2. collectionis, quod incipit de comprouincialibus Episcopis &c. *Obiicitur etiam carissimo fratri nostro Augustodunensi Episcopo, quod eisdem diebus cum ego Presbyter tantummodo adhuc existerem illicite ordinatus sit: de qua re quia loci mei necessitate compellor, hoc simpliciter dico, quia consultus ab Episcopis respondi dicens; quantum prebytero licet concedo: & tamen consideret prudenter & piè vestra paternitas, vtrum post electionem Ecclesia ad Pontificalem honorem & susceptionem regiminis legitime collati: non sicut vnus ex cæteris ad alium titulum vel in discipulatum Episcopi; Sed ad ipsam Episcopalem sedem obtinendam atque regendam presbyter ordinatus, potuerim iam tunc in tali re habere aliquid authoritatis. Præsertim cum iuxta beatum Paulum Apostolum, per multa annorum curricula in plerisque Ecclesiis presbyteri Episcopale munus impleuerint, & iidem Episcopi qui presbyteri fuerint; sicut beatus Hieronymus in expositione Epistola ad Titum euidenter ostendit.* Vides, huius authorem collectionis vnum fuisse ex ordinatoribus Episeopi Augustodoneosis, cum esset dumtaxat presbyter: ac postea in alia quadam sede factum Episcopum, quod alias tantùm presbyter præsumpserat purgare voluisse apud Metropolitanum aut primatum suum, vel potius apud Romanum Pontificem, quem vestræ Paternitatis appellatione designet. Longe ergo diuersus est huius author collectionis à Floro Lugdunensi, qui nec Episcopus vnquam, nec presbyter fuit, & ex quo duo non amplios totius collectionis capita profert.

IV. His tandem libris Floro abiudicatis, nunc legitima eius opera recenseamus, quæ quidem ad notitiam nostram peruenerunt.

1. Scripsit Floros Martyrologium quod hactenus Bedæ volgo putatum est; aut certe Bedæ compendium multa accessione perfecit. Id testatur Ado Viennensis in præfatiooe sui martyrologij, & expressius Vsuardus, cuius hæc sunt verba. *Præterea & venerabilium Hieronymi scilicet ac Bedæ presbyterorum piis, quamuis succinctis super hoc prouocabat descriptis: quorum prior breuitati studens, alter vero quamplures Calendarum dies intactos relinquens, multa inueniuntur huius operis præteriisse necessaria*: quos tamen secutus censui & Flori memorabilis viri lauora iam in eo ipso negotio sequi vestigia, præsertim in 2. eius libro, ibi enim multa quæ in priori omiserat, & correxit & addidit. Secundum Flori librum martyrologicum, secundam editionem interpretor, priore auctiorem & emendatiorem: distinxerunt Beda proprium martyrologium à martyrologio Flori & tomo 2. mensis sui Martij vtrumque ediderunt Godefridus Henschenius & Daniel Papebrochius, Heriberti Rosueidi & Ioannis Bollandi io vitis sanctorum colligendis atque illustrandis digni successores, quos tu consule.

2. Scripsit Florus nomine Ecclesiæ Lugdunensis librum aduersus Ioannem Erigenam Scotum, vt affirmat Matthæus Vvestmonasteriensis in Chronico ad annum 883. Sirmondus in notis ad Auitum, & alij recentiores: hunc librum habes infra hoc eodem tomo sub nomine Ecclesiæ Lugdunensis.

3. Librum alium præcedeoti iunctum, de tribus Epistolis prædestinationem & liberum arbitrium spectantibus, quarum in secundæ examine Amalarium, & Ioannem Scotum acriter perstringit; non concoquens quod eius author Epistolæ quidam Episcopos, super quæstionibus propositis illos censuisset consulendos, qui potius vt peregrinorum authores dogmatum notandi & anathemate percellendi essent: his porro libris quamuis Lugdunensis Ecclesia cum suo Floro, Hincmarum Rhemensem & Rabanum Moguntinum Archiepiscopos, ac cæteros Gothescalci aduersarios nimiæ in miserum monachum seueritatis redarguere videatur; quod tamen non idcirco Gothescalci de prædestioatione & libero arbitrio erroribus faueat, erudite docet Sirmondus historiæ Prædestinat. cap. 12. & in præfatione Epistolæ Amolouis Lugdunensis Archiepiscopi aduersus Gothescalcum.

4. Librum de actione Missarum ex antiquis Patribus collectum.

5. Sermonem de prædestinatione & de libero arbitrio: quem describit & Floro vindicat Hincmarus ei suppar in præfatione posterioris operis contra Gothescalcum.

6. Duo capita Collectionis, quam totam Floro male tribui ostendimus: primum est de electione Episcoporum, alterum de coercitione Iudæorum & de authoritate ac firmitate Iudicij & testimonij Episcoporum.

7. Epistolam quæ Floro communis est cum Agobardo & Medigiso, ad Bartholomeum Episcopum Narbonensem de quorundam illusione signorum.

8, Tres Epistolas ad Modoinum Episcopum Augustodunensem, quarum meminit Sirmondus in notis ad Theodulphum.

9. Præfationem ad Libros quinque sancti Irenæi aduersus hæreses, cuidam Agobardi Epistolæ iunctam in Codice m. ss. maioris Carthusiæ, qoi in veteri Bibliothecæ catalogo adnotatus, nunc non reperitur.

10. Commentarium aliquem in Psalmos, aut saltem in Psalmum 80. siquidem Andreas Duoallius in notis ad Librum Ecclesiæ Lugdunensis de tribus Epistolis, refert ex doctissimo viro Nicolao Fabro, Florum magistrum qoi contra Ioannem Scotum multa scripsit, fuisse Episcopum Treceusem: & in Psalmum 80. hæc dicere aduersus Amalarium: *Vis comedere ipsum Dominum Deum tuum? audi quid dicat; dilata os tuum, & implebo illud: dilatate ora vestra; ipse est Dominus, & panis; ipse hortatur nos vt comedamus: at ipse noster cibus est: quantum dilatatueris, tantum accipies.* Ex quibus verbis coniicit Duuallius fuisse Amalarium cum Ioanne Scoto, Berengarij,

Caluini aliorumque sacramentariorum præcursores. Certè de Flori Trecensi Episcopatu haud facile assenserim, cum in Episcoporum Trecensium catalogis, huius nominis nullus appareat; dubitare tamen vix possum quin aliquo ea codice antiquo didicerit Faber, Flori esse hæc verba in Psalmum 8. & bis Amalarium ac Ioannem Scotum à Floro nominatim redargui.

11. Collectanea in omnes beati Apostoli Pauli Epistolas ex Patribus nempe Cypriano Carthaginensi Episcopo, Hilario Pictauiensi, Ambrosio Mediolanensi, Paciano Barcinonensi, Theophilo Alexandrino Gregorio Nazianzeno, Ephrem Diacono, Leone Papa, Cyrillo Alexandrino, Fulgentio Ruspensi, Paulino Nolensi & Auito Viennensi. Horum autem collectaneorum exemplar m. ss. reperitur in Bibliotheca maioris Carthusiæ, cuius copiam obtinuit R. P. Franciscus Chiffletius Societatis Iesu Presbyter vir de tota antiquitate optime meritus, quam quidem nobis edendam pro sua humanitate obtulit. Certe ab huius operis editione in hac nostra Bibliotheca abstinuimus, tum quod in eo, de suo nihil det Florus, tum quod plerumque Patrum (nempe Paciani, Theophili, Leonis, Fulgentij, Paulini, & Auiti) integra opera ex quibus deprompta sunt hæc collectanea, iam in præcedentibus huius Bibliothecæ tomis reperiantur.

FLORI DIACONI OPVSCVLVM, DE ACTIONE MISSARVM.

Ex m. ss. codice Balernensi.

Collectum quam maxime, & in ordinem digestum, ex verbis sanctorum Patrum, Cypriani, Ambrosij, Augustini, Hieronymi, Gregorij, Fulgentij, Seueriani, Vigilij, Isidori, Bedæ, Auiti. Sed & ex antiquis mysteriorum libris quædam verba necessariò sumpta sunt. Quod autem eadem nomina in ipsa opusculi serie vbique inserta non sunt, illa necessitas fecit, ne frequens eorum interpositio fieret absurda & incommoda ipsius dictionis & sensuum interruptio. In qua tamen expositiuncula non tam verba, quæ satis simplicia sunt, sed potius ipsius mysterij tarlo & actio exponitur, & commendatur: videlicet qua fide celebrandum, & pietate sit amplectendum.

IN Mysterio Corporis & Sanguinis Domini nostri Iesu Christi, quod sancta Ecclesia per vniuersum mundum pro eiusdem mundi salute offert, maximè nobis humilitas commendatur. Viam nobis fecit idem Dominus Iesus Christus per humilitatem, quia per superbiam recesseramus à Deo: redire autem ad eum nisi per humilitatem, non poteramus: & quem nobis proponeremus ad imitandum non habebamus. Omnis enim mortalitas hominum, superbia tumebat: & si exsisteret aliquis humilis vir in spiritu (sicut erant Prophetæ & Patriarchæ) dedignabatur genus humanum imitari humiles homines. Ne ergo dedignaretur homo imitari hominem humilem, Deus factus est humilis; vt vel sic superbia humani generis, non dedignaretur sequi vestigia Dei. Erant autem sacrificia (vt legimus) antea Iudæorum, secundum ordinem Aaron, in victimis pecorum: & hoc in mysterio. Nondum erat sacrificium Corporis & Sanguinis Domini, quod nunc diffusum est in toto orbe terrarum. Proponamus ergo nobis ante oculos duo sacrificia; & illud secundum ordinem Aaron, & hoc secundum ordinem Melchisedech. Scriptum est enim; Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum: tu es Sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech. Hoc autem manifestò dicitur de Domino nostro Iesu Christo. Quis ergo erat Melchisedech? Vtique sicut legimus, Rex Salem. Salem ciuitas fuit anteà, illa quæ posteà (sicut docti prodiderunt) Hierusalem dicta est: ergo antequam ibi regnarent Iudæi, ibi erat ille Sacerdos Melchisedech, qui scribitur in Genesi Sacerdos Dei excelsi. Ipse occurrit Abrahæ, quando liberauit Loth de manu persequentium, & prostrauit illos à quibus ille tenebatur, & liberauit fratrem suum. Post liberationem fratris occurrit ei Melchisedech. Tantus erat Melchisedech, à quo benediceretur Abraham. Protulit panem & vinum; & benedixit Abraham: & dedit ei decimas Abraham. Vide quid protulit, & quem benedixit. Et dictum est postea; Tu es Sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech. Dauid hoc indiait longè post Abraham. Temporibus autem Abrahæ fuit Melchisedech. De quo ergo alio dicit, Tu es Sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech, nisi de illo cuius nouimus sacrificium? Sublatum est enim sacrificium Aaron, & cœpit esse sacrificium secundum ordinem Melchisedech. Dominus noster IESVS CHRISTVS, in Corpore & Sanguine suo voluit esse salutem nostram. Vnde autem commendauit Corpus & Sanguinem suum? De humilitate sua. Nisi enim esset humilis, nec manducaretur, nec biberetur. Respice altitudinem ipsius. In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum & Deus erat Verbum. Ecce cibus sempiternus. Sed manducant Angeli, manducant supernæ virtutes, manducant cœlestes spiritus & manducant, & saginantur, & integrum manet quod eos satiat & lætificat. Quis autem homo posset ad illum cibum accedere? Vnde cor tam idoneum illi cibo? Oportebat ergo vt mensa illa lactesceret, & ad paruulos perueniret. Vnde autem fit cibus lac? Vnde cibus in lac conuertitur, nisi per carnem traiiciatur? Nam mater hoc facit. Quod manducat mater, hoc manducat infans: sed quia minùs idoneus est infans qui pane vescatur, ipsum panem mater incarnat, & vilitate mamillæ, & lactis succo, de ipso pane pascit infantem. Quomodo ergo de ipso pane pauit nos sapientia Dei? Quia Verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Vide ergo humilitatem, quia panem Angelorum manducauit Homo, & scriptum est; Panem cœli dedit eis, panem Angelorum manducauit homo, id est; Verbum illud quo pascuntur Angeli, sempiternum, quod est æquale Patri manducauit homo: quia cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo. Saginantur illo Angeli. Sed semetipsum exinaniuit vt panem Angelorum manducaret homo: formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo. Humiliauit se, factus obediens vsque ad mortem, mortem autem Crucis; vt iam de Cruce commendaretur nobis Caro & Sanguis Domini, nouum sacrificium. Ipse ergo à Deo Domino missus Sacerdos noster, assumpsit à nobis quod offerret Deo: illas sanctas primitias carnis ex vtero Virginis, holocaustum obtulit Deo: extendit manus in Cruce, vt diceret, Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo: eleuatio manuum mearum, sacrificium vespertinum. Sicut nouimus quia Dominus circa vesperam pependit in Cruce, & iniquitates nostræ propitiatæ sunt; (alioquin absorbuerant nos) merito illi cantamus in Psalmo; & impietates nostras tu propitiaberis. Tu

Sacerdos,

A Sacerdos, tu victima, tu oblator, tu oblatio. Ipse Sacerdos est, qui nunc ingressus interiora cœli, solus ibi ex his qui carnem gustauerunt, interpellat pro nobis. In cuius rei figura, in illo primo populo, & in illo primo templo vnus Sacerdos intrabat in sancta Sanctorum: populus omnis foris stabat: & ille qui solus ingrediebatur interiora veli, offerebat sacrificium pro populo foris stante. Quid enim ageretur in illo populo, Iudæi nescierunt; sed nec modò sciunt: de illis quippe dictum est; Quamdiu legitur Moyses, velamen super cor eorum positum est. Ibi velamen figura est. Sed tolletur figura, & apparebit veritas. Sed quando tolletur velamen? Audi Apostolum. Cum autem transieris ad Dominum auferetur velamen. Propiciatis ergo peccatis & impietatibus per illud sacrificium vespertinum, transimus ad Dominum, & auferetur velamen. Propterea & Domino crucifixo velum templi scissum est. Itaque

B nec carnem præputij circumcidimus iuxta ritum Mosaicæ legis; nec abstinemur carnibus, quas eadem lex dicit immundas; nec sabbata, nec neomenias, & dies festos eorum carnaliter obseruamus: nec victimas pecorum sacrificamus Deo; nec Pascha in oue, & azymis similiter celebramus: & si quæ alia fuerunt vetera sacramenta, quæ omnia vmbra futurorum appellat Apostolus, quia ea significabant suo tempore reuelanda, quæ nos reuelata percepimus, vt remota vmbra, nuda eorum luce frueremur. Nam exuendo veterem hominem, circumcidimur in exspoliatione corporis carnis & quos cibos illi vitant in pecoribus, nos vitamus in moribus: & exhibemus corpora nostra hostiam viuam, sanctam, Deo placentem; cui & animas nostras in desideriis sanctis pro sanguine intelligenter effundimus & Christi, velut Agni immaculati sanguine, ab omni iniquitate mundamur: qui propter similitudinem carnis peccati, etiam caprino pectore in veteribus sacrificiis figuratur: nec eum negat in Crucis cornibus taurum, qui in illo cognoscit maximam victimam in illu

C regnum cum inuenimus, verè sabbatizamus: & Lunæ nouæ obseruatio, vitæ nouæ est sanctificatio: & Pascha nostrum est Christus; & azymum nostrum sinceritas veritatis, fermentum non habens vetustatis: & quæcumque alia illis veteribus adumbrata sunt signis, in isto habent finem, cuius regni non erit finis. In illo quippe omnia oportebat impleri, qui venit legem & Prophetas non soluere; sed adimplere. Proinde illa vetera signa rerum non euacuauit arguendo, sed implendo mutauit; vt alia essent quæ nunciarent venisse iam Christum; quam fuerant illa quæ prænunciabant esse venturum. Quoniam ergo (sicut scriptum est in Cantico Canticorum) aspirauit dies, remoueantur vmbræ: spiritualis significatio iam lucescat, carnalis celebratio iam quiescat. Audiamus Dominum vetera Iudæorum sacrificia repudiantem, & nouum Christi sacrificium apertissimè promittentem; per Malachiam Prophetam, dicentem; Non est mihi voluntas in vobis dicit Domi-

D nus: & munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim Solis vsque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus: & in omni loco sacrificatur; & offertur nomini meo oblatio munda; quia magnum nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum. Certè hoc negare non possunt Iudæi, non solum illum non accipere sacrificium de manibus eorum, sed nec se illi offerre manibus suis. Locus enim vnus est lege Domini constitutus, vbi manibus eorum sacrificia iussit offerri, præter quem locum, omnino prohibuit. Hunc ergo locum quoniam pro suis meritis amiserunt, & sacrificium quod ibi tantum licebat offerri, in locis aliis offerre non audent. Ecce omni modo impletum est quod ait Propheta: & munus non suscipiam de manibus vestris. Neque hoc ita prædictum & impletum est, & eos prophetica sententia respondere permittat. Quia manibus non offerimus carnem, corde & ore offerimus laudem, secundum illud in Psalmo; Immola Deo sacrificium laudis. Etiam hinc contradicit eis, qui dicit; non est mihi voluntas in vobis. Deinde ne existi- E

ment Iudæi, quod illis non offerentibus, nec illo accipiente de manibus eorum, Deo sacrificium non offeratur; quo quidem ille non eget, qui bonorum nostrorum nullius indiget. Tamen quia sine sacrificio non est, quod non illi, sed nobis vtile est; audiant ipsum Dominum contestantem, immo aperiant oculos, & videant, quia ab ortu Solis vsque ad occasum; non in vno (sicut illis fuerat constitutum) sed in omni loco offertur sacrificium Christianorum; nec cuilibet Deo, sed ei qui prædixit, Deo Israel. Vnde alibi dicit Ecclesiæ suæ; Et redemptor tuus, Israel, Deus vniuersæ terræ vocabitur. Hoc sacrificium mundum offertur Deo Israel, non ab vna gente Iudæorum, de cuius manibus non se accepturum prædixit, sed ab omnibus gentibus, quæ dicunt; Venite, ascendamus ad montem Domini. Nec in vno loco, sicut præceptum erat in terrena Hierusalem, sed in omni loco vsque in ipsa Hierusalem, nec secundum Aaron, sed secundum ordinem Melchisedech. Christo enim dictum est, & de Christo tantum F

ante prædictum est, Iurauit Dominus & non pœnitebit eum, tu es Sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech. Quid est, Iurauit Dominus, nisi inconcussa veritate firmauit? Et quid est; Non pœnitebit eum, nisi, hoc sacerdotium nulla omnino ratione mutabit ex se. Neque enim sicut hominem pœnitet Deum: sed Dei pœnitentia dicitur, quæuis ab illo institutæ rei cuiuslibet mutatio, quæ credebatur esse mansura. Proinde cum dicit; Non pœnitebit eum, tu es Sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech, satis eum ostendit pœnituisse; hoc est, eum mutare voluisse sacerdotium, quod constituerat secundum ordinem Aaron: sicut de vtroque vidimus impletum. Iam & Aaron sacerdotium nullum est in aliquo templo, & Christi sacerdotium æternum perseuerat in cœlo. Hunc Sacerdotem, & hoc nobis sacerdotium magnificè commendat Apostolus, cum gratiam Euangelij a legalibus cærimoniis distinguens, scribit ad Hebræos; Et G

alij quidem plures facti sunt Sacerdotes, eo quòd morte prohiberentur permanere: hic autem, eo quod maneat in æternum, sempiternum habet sacerdotium; vnde & saluare in perpetuum potest, accedens per semetipsum ad Deum semper viuens ad interpellandum pro eis. Talis enim decebat vt nobis esset Pontifex, sanctus, Innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior cœlis factus: qui non habet quotidie necessitatem, quemadmodum Sacerdotes, primo pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populo. Hoc enim fecit semel se offerendo. Et iterum; Talem habemus Pontificem, qui consedit ad dexteram maiestatis in cœlis: Sanctorum minister, & tabernaculi veri quod fixit Deus, & non homo. Sancti ergo Patres nostri, in veteri testamento, vni Deo creatori omnium victimas obtulerunt, quas sibi ipse offerri voluit: per earum similitudinem promittens victimam veram, per quam nos sibi peccatorum remissione reconciliauit, in Christo Iesu Domino nostro: vt ei offerretur similitudo promittens H

veritatem sacrificij, cui erat offerenda ipsa reddita veritas in passione corporis & Sanguinis Christi. Huius sacrificij caro & sanguis ante aduentum Christi, per victimarum similitudinem promittebatur, in passione Christi per ipsam veritatē reddebatur, post ascensum Christi per sacramentum memoriæ celebratur. Proinde prima sacramenta, quæ obseruabantur & celebrabantur ex lege, prænunciatiua erant Christi venturi: quæ cùm suo aduentu Christus implesset, ablata sunt: & ideo ablata, quia impleta: non enim venit legem soluere, sed adimplere: & alia sunt instituta, virtute maiora, vtilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora: tanquam iustitiā fidei reuelata, & in libertatem vocatis filiis Dei, iugo seruitutis ablato, quod duro & carni dedito populo congruebat. Qualia sunt in Ecclesia baptismus Christi, Eucharistia Christi, signaculum Christi. Hinc est quod cautissimo Fulg. diuisionis ordine, Ecclesia Dei viui, quæ est columna & firmamentum veritatis, tempora venturi Christi, ve-

nientisque discernit: & omissis sacrificiis, quibus Christus passurus promittebatur, hoc sacrificium offert, quo Christus iam passus ostenditur. Qui propterea verus est Sacerdos, quia semetipsum pro nobis hostiam veram obtulit, sicut Apostolus testatur, dicens; Estote ergo imitatores Dei, sicut filij carissimi: & ambulate in dilectione sicut & Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo in odorem suauitatis; vt in ipso Sacerdote ac sacrificio fieret remissio peccatorum: id est, per mediatorem Dei & hominum hominem Christum Iesum, per quem facta peccatorum purgatione reconciliamur Deo. Non enim nisi peccatis homines separantur à Deo, quorum in hac vitâ non fit nostrâ virtute sed diuinâ miseratione purgatio: per indulgentiam illius; non per nostram potentiam: quia & ipsa quantulacumque virtus, quæ dicitur nostra, illius est nobis, bonitate concessa. Propterea ergo nobis præstita est gratia, vt polluti carne peccati, carnis peccati similitudine mundaremur: per hoc scilicet quod eramus & non eramus: eramus enim homines, sed iusti non eramus. In illius autem incarnatione natura humana erat; sed iusta, non peccatrix erat. Hæc est medicatio, qua manus lapsis iacentibus porrecta est: hoc est semen dispositum per Angelos, in quorum edictis & lex dabatur; quia & vnus Deus coli iubebatur; & hic mediator venturus promittebatur. Huius sacramenti fide, etiam iusti antiqui mundari piè viuendo nouerunt; sicut Beatus Petrus Apostolus, ad quosdam qui in lege iustificari quærebant, manifestè testatur, dicens; Quid tentatis Dominum imponere iugum super ceruices discipulorum, quod neque nos, neque patres nostri portare potuimus. Sed per fidem Domini Iesu credimus saluari, quemadmodum & illi. Omnis itaque hominum multitudo, propter quos à dæmonum dominatu liberandos Christus aduenit, in illo habent misericordissimam purgationem, & mentis & spiritus & corporis sui. Propterea quippe totum hominem sine peccato suscepit, vt totum quo constat homo à peccatorum peste sanaretur. Gratia quippe Dei non potuit gratius commendari, quàm vt ipse vnicus Dei Filius, in se incommutabiliter manens, indueret hominem; & spem dilectionis donaret hominibus homine medio, quo ad illum ab hominibus veniretur, qui tam longè erat, immortalis à mortalibus, incommutabilis à commutabilibus, iustus ab impiis, beatus à miseris. Et quia naturaliter indidit nobis, vt beati immortalesque esse cupiamus; manens beatus, suscipiens mortalitatem, vt nobis tribueret quod amamus, perpetiendo docuit contemnere quod timemus. Hac Dei gratia, qua in nos ostendit magnam misericordiam suam, & in hac vita per fidem regimur & post hanc vitam per ipsam speciem incommutabilis veritatis ad perfectionem plenissimam perducemur. Hanc igitur gratiam purgationis & redemptionis nostræ, quam nobis Dominus & Saluator in sacramento sui Corporis & Sanguinis commendauit, longè antè quàm pateretur in populis prædicauit: sed pridie quàm pateretur, id est, ea nocte qua tradebatur, in cœna discipulis tradidit. Nam Beatus Iohannes Euangelista statim post illud de quinque panibus miraculum, quo quinque millia hominum satiata sunt, narrat eum fugisse in montem; declinando videlicet à turbis, quæ tanti signi admiratione permotæ, cupiebant rapere & facere eum Regem: & mox veniente nocte ambulantem super mare venisse Capharnaum; atque ibi iam die altera occurrentibus sibi turbis, & inter alia quærentibus & dicentibus, Quid faciemus vt operemur opera Dei respondisse eis; Hoc est opus Dei, vt credatis in eum quem misit ille. Cumque respõdissent ei; Quod ergo tu facis signum, vt videamus, & credamus tibi? Quid operaris? Patres nostri manducauerunt manna in deserto, sicut scriptum est, Panem de cœlo dedit eis manducare. Dixit eis Iesus; Amen, amen dico vobis; Non Moyses dedit vobis panem de cœlo verum: panis enim Dei est qui descendit de cœlo, & dat vitam mundo. Et post paululum; Ego sum panis vitæ: qui venit ad me, non esuriet & qui credit in me, non sitiet vnquam. Et iterum; Amen, amen dico vobis, qui credit in me, habet vitam æternam. Ego sum panis vitæ. Patres vestri manducauerunt manna in deserto, & mortui sunt. Hic est panis de cœlo descendens, vt si quis ex ipso manducauerit, non moriatur. Ego sum panis viuus qui de cœlo descendi: si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum. Et panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Et rursum post aliqua; Amen, amen dico vobis; nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat carnem meam, & bibit sanguinem meum, habet vitam æternam, & ego resuscitabo eum in nouissimo die. Caro enim mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. Qui manducat carnem meam, & bibit sanguinem meum, in me manet, & ego in eo. Sicut misit me viuens Pater, & ego viuo propter Patrem; & qui manducat me, & ipse viuet propter me. Post hæc subiunxit Euangelista; Hæc dixit in synagoga docens, in Capharnaum. Quod totum, sicut ipse Euangelij secundum Iohannem textus ostendit, manifestè anno integro ante passionem Domini gestum est. Nam sicut idem Euangelista scribit, quando illud de quinque panibus miraculum factum est proximum erat Pascha dies festus Iudæorum: nec tamen in ipso, sed in Pascha anni sequentis, eum ad passionem venisse commemorat. Hinc est quod in illa cœna Paschali, quando Dominus est traditus, nihil de isto Corporis & Sanguinis eius mysterio idem Beatus Iohannes commemorat: quia videlicet copiosius hoc, & sublimius in præcedentibus Euangelij sui partibus explicauerat, & ab reliquis tribus Euangelistis quod in eadem cœna in commemorationem dominicæ passionis ad salutem fidelium fuerat traditum, diligenter nouerat commendatum: verba quippe Matthæi hæc sunt; Cœnantibus autem eis accepit Iesus panem, & benedixit, ac fregit, deditque discipulis, & ait; Accipite & comedite; Hoc est corpus meum. Et accipiens calicem gratias egit, & dedit discipulis suis, dicens; Bibite ex hoc omnes; Hic est sanguis meus noui testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Marcus vero sic ait; Et manducantibus illis accepit Iesus panem, & benedicens fregit, & dedit eis, & ait; Sumite; hoc est corpus meum. Et accepto calice gratias agens dedit eis, & biberunt ex illo omnes, & ait illis; Hic est sanguis meus noui testamenti, qui pro multis effundetur. Lucæ verò his verbis narratio explicatur; Et accepto calice gratias egit, & dixit; Accipite, & diuidite inter vos: dico enim vobis quod non bibam de generatione vitis, donec veniat regnum Dei. Et accepto pane gratias egit, ac fregit, & dedit eis, dicens; Hoc est corpus meum quod pro vobis datur: hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem postquam cœnauit, dicens; Hic calix nouum Testamentum est in meo sanguine, qui pro vobis fundetur. Beatus etiam Paulus commemorans sanctissimum illius cœnæ mysterium, inter alia sic dicit; Ego enim accepi à Domino quod & tradidi vobis; quoniam Dominus Iesus in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens fregit, & dixit; Hoc est Corpus meum quod pro vobis tradetur: hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem postquam cœnauit, dicens, Hic calix nouum Testamentum est in sanguine meo: hoc facite quotiescumque bibetis, in meam commemorationem. Quantum est istud, & quam ineffabile salutis mysterium, & pietatis sacramentum, tanta contestatione præditum, tanta virtute commendatum! vt prius hoc Dominus Corpus & Sanguinem suum afferret, quàm pro nobis suum corpus & sanguinem traderet. Nemo enim potest passionis Domini, Corporisque eius & Sanguinis pro maiestate rei sacramenta cognoscere. Notandum quoque diligenter, quod in eadem cœna & Iudaicum Dominus Pascha comedit, quod oportebat auferri; & sacramentum Corporis sui & sanguinis dedit, quod ad Ful[illegible] uus

salutem

A salutem fidelium oportebat institui. Desiderio, inquit, desideraui hoc Pascha manducare vobiscum antequam patiar. Manducauit ergo Pascha quo passurus significabatur, antequam pro nobis voluntariè pateretur. Comedit Pascha Iudæorum quo missus est Christus, vt veniret ad Pascha nostrum quod immolatus est Christus. Apertè autem Euangelium dicit quod manducantibus illis accepit panem, & benedixit. Cum enim superius dixisset; cùm sero autem factum esset, discumbebat cum duodecim: & manducantibus dixit, quoniam vnus ex vobis tradet me: post eis tradidit sacramentum. Vnde liquidò apparet, quando primò acceperunt discipuli Corpus & Sanguinem Domini, non eos accepisse ieiunos. Nequaquam tamen propterea calumniandum est vniuersæ Ecclesiæ, quod à ieiunis semper accipitur: ex hoc enim placuit Spiritui sancto, vt in honorem tanti sacramenti, in os Christiani priùs dominicum Corpus in-
B traret quam cæteri cibi. Nam ideò per vniuersum orbem mos iste seruatur. Neque enim quia post cibos dedit Dominus, propterea pransi aut cœnati fratres ad illud sacramentum accipiendum conuenire debebunt; aut (sicut faciebant quos Apostolus arguit & emendat) mensis suis ista miscere: ait enim; conuenientibus vobis in vnum, iam non est dominicam cœnam manducare; hanc ipsam perceptionem Eucharistiæ, dominicam cœnam vocans; Vnusquisque enim, inquit, suam cœnam præoccupat ad manducandum. Vnde & indignè dicit acceptum ab eis, qui hoc non discernebant à cæteris cibis, veneratione singulariter debita. Continuò quippe, cùm dixisset, iudicium sibi manducat & bibit, subiecit, non diiudicans Corpus Domini. Namque Saluator quò vehementiùs commendaret mysterij illius altitudinem, vltimum hoc voluit infigere cordibus & memoriæ discipulorum, à quibus ad passionem digressurus erat. Et ideò non præcepit quo deinceps ordine sumeretur, vt Aposto-
C *Cyprianus.* lis, per quos ordinare Ecclesias disposuerat, seruaret hunc locum. Neque enim quia post cœnam calicem obtulit Dominus, etiam Dominici Dei sacrificium post cœnam celebrare debemus. Christum offerre oportebat circa vesperam diei, vt hora ipsa sacrificij ostenderet occasum & vesperam mundi: sicut de paschali agno in Exodo scriptum est; immolabit eum multitudo filiorum Israël ad vesperam: & iterum in Psalmis; Alleuatio manuum mearum sacrificium vespertinum. Nos autem resurrectionem Domini manè celebramus. Cùm verò ait Apostolus de hoc sacramento loquens; Propter quod (fratres) cùm conuenitis ad manducandum inuicem expectate. Si quis esurit, domi manducet, vt non in iudicium conueniatis, statim subtexuit; cetera autem, cùm venero, ordinabo. Vnde intelligi datur, quia multum erat, vt in epistola totum illis agendi ordinem insinuaret, quem vniuersa per orbem seruat Ecclesia, ab ipso ordinatum est quod nulla horum diuersitate variatur. Nam vt
D ad Timotheum scribens ait; Obsecro itaque primo omnium fieri obsecrationes, orationes, interpellationes, gratiarum actiones, hoc instituisse intelligitur, quod omnis vel penè omnis frequentat Ecclesia vt obsecrationes accipiamus dictas, quæ fiunt in celebratione sacramentorum, antequam illud quod est in Domini mensa incipiat benedici: orationes, cùm benedicitur, & sanctificatur, & ad distribuendum comminuitur; quam totam benedictionem ferè omnis Ecclesia dominica oratione concludit interpellationes autem, siue (vt quidam codices habent) postulationes fiunt cum populos benedicitur; tunc enim Antistites, velut aduocati susceptos suos, per manus impositionem misericordissimæ offerunt potestati. Quibus peractis, & participato tanto sacramento gratiarum actio cuncta concludit, quam in his etiam verbis vltimam commendauit Apostolus. Hæc autem causa præcipua fuit ista dicendi, vt his breuiter præscriptis atque significatis, non putaretur negligendum esse quod sequitur; Pro omnibus

E hominibus, pro Regibus, & his qui in sublimitate sunt vt quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate, & castitate: ne quisquam (sicut se habet humanæ contagionis infirmitas) existimaret non esse ista facienda pro his, à quibus persecutionem patiebatur Ecclesia, cùm membra Christi ex omni essent genere hominum colligenda. Vnde adiungit, & dicit; Hoc enim bonum & acceptum coram Saluatore nostro Deo; qui omnes homines vult saluos fieri, & ad agnitionem venire veritatis. Et ne quis diceret posse esse saluris viam in bona conuersatione, & vnius Dei omnipotentis cultu, sine participatione Corporis & Sanguinis Christi, vnus enim Deus, inquit, & vnus mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus, vt illud quod dixerat (omnes homines vult saluos fieri) nullo alio modo intelligatur præstari, nisi per mediatorem: non Deum quod semper erat verbum, sed hominem Christum Iesum, cùm Verbum caro factum est, & habitauit in no-
F bis. Hic enim Christus, mediator Dei & hominum dictus est; inter Deum immortalem, & hominem mortalem Deus & homo, reconcilians hominem Deo, verus Rex, verus Sacerdos. Ne ergo peccet homo, à Rege Christo regatur, si forte peccauerit, ab eodem Sacerdote Christo expietur. Primo igitur conuenientibus in vnum, & astantibus in domo Dei fidelibus, præcedente modulatione diuinarum laudum, præcedente lectione Apostolorum & Euangeliorum, præcedente etiam nonnunquam sermone & allocutione magistrorum, subiuncta quoque Symboli confessione, & oblatione populorum, & initiata consecratione sacramentorum, (in quibus omnibus mens adstantium, ad diuina & cœlestia cogitanda ac desideranda præparatur), assistit Sacerdos altari, & celebraturus diuina mysteria, Ecclesiam salutando orat, & orando salutat, dicens, Dominus vobiscum. Qui salutationis sermo non humano arbitrio compositus, sed ex diuinæ Scripturæ auctoritate sumptus probatur, vbi frequenter & singulariter & pluraliter positus legitur: singulariter, sicut ait Angelus ad
G Beatam Mariam; Aue gratia plena, Dominus tecum, & sicut ad Gedeonem similiter Angelus salutando dixit, Dominus tecum, virorum fortissime: pluraliter autem, sicut in libro Ruth (qui vtique, sicut & cæteri sacræ Scripturæ libri diuina & mystica continet) legitur Booth salutando dixisse messoribus suis, Dominus vobiscum, cui & ipsi resalutantes dixerunt, Benedicat tibi Dominus. Et sicut in historia Paralipomenon Propheta à Deo missus, inuenitur salutasse Asa Regem Iuda cum exercitu suo *Paralip. 2 c. 15.* inuocato Dei auxilio victores de prælio reuertentes: ait enim, Dominus vobiscum, quia fuistis cum eo: & addidit; Si quæsieritis eum, inuenietis; si autem dereliqueritis illũ derelinquet vos. Vnde apparet quia sicut nihil peius potest esse homini, quam derelinquere Deum & derelinqui à Deo; ità è contrario nihil melius quam habere Deum, & esse cum Deo. Et quia salutare nihil est aliud quàm salutem optare, hæc est vera salutatio, id est, veræ saluris optatio, vt Dominus sit cum Ecclesia
H sua, tanquam in templo suo, cui dicit Apostolus; Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos: & Ecclesia habeat Dominum secum inhabitantem & illuminantem, regentem & protegentem; vt ille sit ei Deus, & ille sit ei populus, sicut per Prophetam promittit, dicens; Et inhabitabo, & inambulabo in illis, & ero eis Deus, & ipsi erunt mihi populus. Vt dum tantæ beatitudinis dono Ecclesia Dei & possidet Deum, & possidetur à Deo (quatinus & ipse sit hereditas Domini, & Dominus pars hæreditatis eius) impleatur in illâ quod Psalmista ait; Beata gens cuius est Dominus Deus eorum populus quem elegit in hereditatem sibi. Hoc est enim summum hominis bonum, possidere Deum, & possideri à Deo; ipsum solum diligere, & illi soli seruire, illi soli adhærere: vt dicat illi anima deuota; mihi autem adhærere Deo bonum est, & iterum; adhæsit anima mea post te: vt adhærens Deo vnus cum eo spiritus fiat; dicente Apostolo; qui adhæret Domino, vnus spiritus est. Nam & ipse Apostolus in Epistolis suis frequenter

A ita salutat Ecclesias, vt aliquando, Dominus, dicat, sit cum omnibus vobis; aliquando, Deus autem pacis sit cum omnibus vobis; item aliquando, gratia Domini nostri Iesu Christi sit cum spititu vestro, fratres, ameu; aliquando autem, Dominus Iesus Christus sit cum spiritu vestro, fratres, amen: vt nonnunquam sub distinctione personarum inuocans Trinitatem, salutat, gratia Domini nostri Iesu Christi, & caritas Dei, & communicatio sancti Spiritus, sit cum omnibus vobis. In quibus omnibus hoc optat fidelibus scribens, quod Sacerdos ad altare assistens, videlicet vt habentes Deum non deserantur à Deo. Recte ergo Ecclesia, tam salubri salutatione Sacerdotis accepta, & ipsa resalutando orat, & orando resalutar Sacerdotem, dicens, & cum spiritu tuo. Nihil enim melius inuenit Ecclesia quod optet Sacerdoti, nisi quod Sacerdos optat Ecclesiæ: id est, vt idem Dominus qui dignatur esse cum Ecclesia dignetur esse etiam cum spiritu Sacerdotis: ac

B sic in vtroque, benigna illa Domini promissio impleatur, qua ascensurus in cœlum, omnibus fidelibus promisit, dicens; ecce, ego vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad consummationem sæculi. Hoc ergo tantum bonum sibi inuicem optant & postulant, & Sacerdos Ecclesiæ, & Ecclesia Sacerdoti; vt videlicet assiduè eius gratia illuminati, eius præsentia confortati, eius protectione muniti, semper eum manere quemadmodum est pollicitus, sentiamus. Hoc etiam modo aliquotiens salutat Apostolus, & pluraliter (vt superius memorauimus) vbi ait, Dominus Iesus Christus sit cum spiritu vestro, fratres, amen; & singulariter, vbi ad Timotheum salutans dicit, Dominus Iesus Christus sit cum spiritu tuo, amen. Et benè Dominus cum spiritu hominis esse optatur, qui in spiritu & mente rationali creatus est homo ad imaginem & similitudinem Dei: & ibi est capax diuinæ gratiæ & illuminationis, vt in quantum ei datur, possit sentire dulcedinem suauitatis, & splendorem præsentiæ eius, vt fiat in eo

C illud quod Psalmista ait; gustate, & videte, quoniam suauis est Dominus, & iterum; accedite ad eum, & illuminamini, & vultus vestri non erubescent. Sic namque sanctificato spiritu hominis per inhabitationem Dei, efficitur homo etiam in corpore templum Dei: vnde ait Apostolus; corpora vestra templum est Spiritus sancti, quem habetis à Deo. Sed & illa salutatio episcopalis ad populum, qua dicitur, Pax vobiscum, siue, Pax vobis, similiter non humano sensu inuenta, sed de Scripturæ sanctæ auctoritate sumpta est. Nam & in veteri testamento inuenitur dixisse Angelus Danieli Prophetæ; noli timere, vir desideriorum: pax tibi: confortare, & esto robustus, & in nouo, id est, in Euangelio penè semper ita Dominus legitur Apostolos salutasse, dicendo Pax vobis. Et eisdem Apostolis eandem salutationis formam commendauit, dicens, in quamcumque autem domum intraueritis, salutate eam dicentes, Pax huic domui. Et si ibi fuerit filius pacis, requiescet pax vestra super illum, sin au-

D tem, pax vestra ad vos reuertetur: meritò ergo & Apostolorum successores, id est, Ecclesiarum Præsules, hac salutatione vtuntur, domum Dei salutantes, vbi omnes oportet esse filios pacis (Beati enim pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur) vt salutatio pacis super eos requiescens, & salutantibus & salutatis possit esse fructuosa. Pax autem quæ siue per Angelum, siue per Dominum, siue per Pastores Ecclesiarum fidelibus imputatur, non est mundana aut caduca, sed diuina & æterna, quæ nos Deo conciliat, & contra tentationes diaboli, atque aduersitates sæculi ipsius protectione munitos, tranquilla proximis caritate coniungit. Hanc enim Dominus Ecclesiæ suæ commendauit, dicens; Pacem meam do vobis: & continuo subiunxit, non quomodo hic mundus dat, ego do vobis. De hac iterum dicit; Hæc locutus sum vobis, vt in me pacem habeatis in mundo pressuram habebitis: sed confidite; ego vici mundum Hanc & Apostolus fidelibus implorat, dicens; & pax Dei quæ exuperat omnem censum, custodiat corda

vestra & intelligentias vestras in Christo Iesu. Quæ pax E
si omni tempore seruanda est, & vbique tenenda fideliter, quantò attentius & deuotius ea hora, cùm in domo Domini, & in conspectu Dei assistunt, & vota vel munera omnium sacris altaribus offeruntur? quando aliter diuinam Maiestatem nobis propitiare non possumus, nisi sincero caritatis affectu illud implere studeamus, quod de hac re specialiter Dominus præcepit, dicens; Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduersum te; relinque ibi munus tuum ad altare, & vade prius reconciliari fratri tuo: & tunc veniens offeres munus tuum. Qua in re pensandum est, cum omnia culpa munere soluatur, quam grauis est culpa discordiæ, pro qua nec munus accipitur. Debemus itaque ad proximum, quamuis longè positum, longeque disiunctum mente ire, digne animum subdere, humilitate illum ac beneuolentia placare: vt videlicet conditor noster, dum tale placitum nostræ mentis aspexerit, à peccato nos F
soluit, quia munus pro culpa sumit. Veritatis autem voce testante didicimus, quia seruus qui decem millia talenta debebat, cùm pœnitentiam ageret, absolutionem debiti à Domino accepit: sed quia conseruo suo centum sibi denarios debenti, debitum non dimisit; & hoc est iussus exigi, quod ei fuerat iam dimissum. Ex quibus videlicet dictis constat, quia si hoc quod in nos delinquitur, ex corde non dimittimus; & illud rursus exigitur, quod nobis iam per pœnitentiam dimissum fuisse gaudebamus. Summopere autem necesse est, vt quando stamus ad orationem, quando tam Cyprianus.
sancta & veneranda mysteria sub oculis Dei geruntur, toto corde ad precandum vigilemus. Cogitatio omnis carnalis & sæcularis abscedat, nec quidquam animus, quàm id solum cogitet quod precatur. Ideò & Sacerdos ante illam sacrosanctam orationem præfatione præmissa, parat fratrum mentes, dicendo, Sursum corda: vt dum respondet plebs, Habemus ad Dominum, ammoneatur, nihil aliud se quam Dominum co- G
gitare debere. Claudatur contra aduersarium pectus, & soli Deo pateat, nec ad se adire hostem Dei, tempore orationis patiatur. Obrepit enim frequenter, & penetrat; & subtiliter fallens preces nostras à Deo auocat: & aliud habemus in corde, aliud in voce, quando intentione sincera Deum non vocis sonus, sed animus & sensus debeat orare; quasi sit aliud quod magis cogitare debeamus, quam quod cum Deo loquimur. Quomodo audiri à Deo postulamus, cùm nos ipsi non audiamus? Volumus esse Deum memorem nostri, quando nostri memores ipsi non sumus. Hoc est, quando oramus Deum, maiestatem Dei negligentia orationis offendere: hoc est vigilare oculis, & corde dormire cùm debeat Christianus, etiam cum dormit oculis, corde vigilare, sicut scriptum est ex persona Ecclesiæ loquentia in Cantico Canticorum; Ego dormio, & cor meum vigilat. Quapropter sollicitè & cautè Apostolus ammonet, dicens; Instate orationi, vigilan-
tes in ea: docens scilicet, & ostendens, eos impetrare quod postulant de Deo posse, quos ipse videt H
in oratione vigilare. Quid est ergo sursum habere corda, nisi ea quæ sursum sunt quærere, quæ sursum sunt sapere? Quærere videlicet amando, sapere intelligendo; sicut Apostolus eodem sermone ammonet, dicens; Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, vbi Christus est in dextera Dei sedens; quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. Hunc ascensum cordis nostri, qui sit ad Deum à conualle plorationis, non nostris viribus, sed auxilio Dei ostendit nobis Psalmista, dicens, Beatus vir, cuius est auxilium abs te: ascensiones in corde suo disposuit in valle lacrymarum. Ascensus enim vtilis nobis non potest esse, nisi primò humilitate à conualle plorationis nobis ascendendum esse meminerimus. Conuallis enim locus est terræ depressus. Docuit ipse Dominus, à conualle plorationis ascendendum, quando pro nobis humiliari vsque ad mortem Crucis, & pati

dignatus

A dignatus est. Hoc exemplum non relinquamus. Istam conualiem plorationis Martyres intellexerunt, & inde vt coronarentur ascenderunt. Amor sanctus ad superna eleuat, & ad æterna inflammat. Obligata enim anima amore terreno; quasi viscum habet in pennis; volare non potest: mundata vero ab affectibus sordidissimis sæculi, tanquam extensis pennis, & duabus alis resolutis, idest, duobus præceptis, dilectionis Dei; & dilectionis proximi volat ad Dominum; ascendens volando, quia ascendit amando, ad illam scilicet supernam Ierusalem, matrem omnium Martyrum, quæ est in cælis. Ab illa enim peregrinamur in hac vitâ, ad eius reditum suspiramus, tamdiu miseri & laborantes, donec ad illam redeamus. Nec ciues nostri Angeli dimiserunt nos in peregrinatione, sed annuntiauerunt nobis ipsum Regem venturum ad nos: & venit ad nos, & contemptus est inter nos à nobis: & postea nobiscum fuit, & docuit nos contemni, quia contemptus est; docuit nos tolerare, quia tolerauit; docuit nos pati, quia passus est; &

B promisit nos resurrecturos, quia resurrexit, in seipso ostendens quid sperare debeamus. Si ergo Prophetæ & Patres antiqui, antequam Dominus IESVS CHRISTVS veniret in carne, antequam mortuus resurrexisset, & ascendisset in cœlum, suspirabant tamen illi ciuitati, quantum nos oportet desiderare quò nos ipse præcessit, & vnde nunquam recessit? Antiqui sacerdotes, qui non tam curabant de cultu sermonis, quam de salute & ædificatione plebis, propter idiotas & rusticanos, non sursū, sed vulgari sermone. Sursum corda dicere solebant, vt res tanta planius omnium sensibus commendaretur. Monet

August. autem adhuc Sacerdos, & dicit; Gratias agamus Domino Deo nostro. Gratiarum actio Patri luminū semper à nobis debetur, à quo sine vlla dubitatione omne datum optimū & omne donum perfectum Scriptura teste descendit. Nemo est enim donis Dei, beatus; qui donanti existit ingratus. Quia & hoc quod inter sacra mysteria cor habere sursum iubemur, ipso adiuuante id valemus, quo iubente ammonemur. Et ideo sequitur, vt de hoc

C tanto bono sursum leuati cordis, non nobis gloriam, quasi nostrarum virium tribuamus, sed Domino Deo nostro gratias agamus: hoc enim continuo commonemur, quia hoc dignum est, hoc iustum est. Recordari oportet semper hæc verba, vnde sint inter quas actiones, & quanta sanctitate commendentur. Teneamus & habeamus quod accepimus, & datori gratias agamus. Quamuis enim accipere & habere nostrum sit, id tamen habemus quod accepimus. Quoniam superbienti, & ex eo quod habebat, quasi à se ipso haberet, impiè glorianti, Veritas per Apostolum dicit, quid enim habes quod non accepisti? Quod si accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? Merito ergo in illo verissimo & singulari sacrificio, Domino Deo nostro agere gratias ammonemur, vt agnoscat homo, si quid bene viuit, Dei gratiâ se habere; & vt perficiatur in dilectione iustitiæ non se aliunde consecuturum. Quæ cogitatio pium facit. Ipsa est illa iustitia quæ pietas vocatur, quâ colitur pater luminum,

D à quo est omne datum optimum, & omne donum perfectum. Colitur autem sacrificio laudis, actionibus gratiarum; vt cultor eius, non in seipso, sed in illo glorietur. Non enim spiritum huius mundi accepimus (vt ait idem Apostolus), sed Spiritum qui ex Deo est, vt sciamus quæ à Deo donata sunt nobis. Quis est autem spiritus mundi huius, nisi superbiæ spiritus, quo cor insipiens obdoratum est eorum, qui cognitum Dominum, non vt Deum gratias agendo glorificauerunt? Consideremus ergo hæc, vt de omnibus beneficiis Dei, semper illi gratias referamus. Inter quæ omnia opera eius, nihil est quod vel considerare libentiùs, vel laudare diutiùs debeamus; quam quod Christus factus est humilis, & ad hominem qui cadendo ad ima deiectus fuerat, sponte descendit, vt vel sic se erigendum crederet qui iacebat. Denique vt leuaret in cœlum spem nostram, leuauit primò ipse carnem suam: & vt non dubitaremus secuturum quod promisit nobis, illuc iam præcessit quod accepit ex nobis. Ideo ergo præcipue in ipso sacrificio Corporis Christi, à gratiarum actione incipimus,

E vt Christum non dandum, sed datum nobis in veritate monstraremus: & in eo quòd gratias agimus Deo in oblatione Corporis & sanguinis Christi, cognoscamus, non adhuc occidendum Christum pro nostris iniquitatibus, sed occisum; nec redimendos nos illo sanguine, sed redemptos. Vera est enim Beati Petri prædicatio dicentis; non corruptibilibus argento vel auro redempti estis de vana vestra conuersatione paternæ traditionis, sed pretioso sanguine quasi agni incontaminati & immaculati Christi. Bene itaque ammonenti Sacerdoti, & dicenti, Gratias agamus Domino Deo nostro, respondet Ecclesia, Dignum & iustum est. Quid enim magis potest esse Deo dignius, aut quid ei iustius responderi potest, quam vt tantæ misericordiæ Dei, cui vicem referre non possumus, debitas gratias reddamus? audientes Apostolum exhortantem nos, & dicentem, gratias agamus Deo & patri, qui dignos nos fecit in sorte

F sanctorum, & in lumine: qui eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filij caritatis suæ: in quo habemus redemptionem per sanguinem eius, & remissionem peccatorum. Sic enim Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret, vt gratiâ Dei pro omnibus gustaret mortem. Sic ergo per hanc gratiam eripimur de potestate tenebrarum, id est, diaboli & angelorum eius: & transferimur in regnum Filij dilectionis Dei; videlicet vt efficiamur genus electum, regale sacerdotium; habeores in eodem Filio per sanguinem eius remissionem peccatorum. Quid dignius agere possumus, quàm quod Beatus Petrus ammonet, dicens, vt virtutes annuncietis eius, qui vos de tenebris vocauit in ammirabile lumen suum: qui aliquando non populus, nunc autem populus Dei; qui non consecuti misericordiam, nunc autem misericordiam consecuti. Hanc ergo Ecclesiæ responsionem confirmat sacerdos, & in Deum mente suspensus, congemiscente secum omni Ecclesiâ proclamat, & dicit; verè dignum & iustum est, æquum & salutare, nos tibi semper & vbique

G gratias agere, Quod est iustum, hoc est & æquum; sed repetitio sermonis, confirmatio est veritatis. Nam iustitia & æquitas, vna res est, sicut cantamus in psalmo de Domino; iudicabit orbem terrarum in iustitia, & populos in æquitate: quod enim prius dicimus, in iustitia, hoc posteà, replicando subiungimus, in æquitate. Salutare autem dicitur quod est salubre, eò quod salutem conferat. Vere ergo vt incessanter gratias agamus, dignum est tantis beneficiis, iustum nostris obsequiis, æquum ipso pondere rationis, salutare manifesto fructu salutis; quòd & Deum laudantes saluantur, & ingrati ipsius in iudicio reprobantur. Nam fideliter laudantes, verè saluantur, sicut in psalmo canitur? laudans inuocabo Dominum & ab inimicis meis saluus ero. Ingrati autem reprobantur, sicut apertè in Euangelio ipse Dominus ostendit, qui ex decem leprosis eius virtute mundatis, vnum ad se simpliciter reuertentem, & magnâ voce gratias agentem laudauit, & gratia fidei saluauit

H dicendo; Non est inuentus qui rediret, & daret gloriam Deo nisi hic alienigena: & continuò clementer adiungit; Surge, vade, quia fides tua te saluum fecit. Nouem autem reliquos, licèt crediderint se per eum posse mundari, quando vnâ voce clamauerunt, dicentes, Iesu præceptor miserere nostri; tamen quia tantæ virtuti extiterunt ingrati, velut infideles nescire se ostendit, dicendo; Nonne decem mundati sunt? & nouem vbi sunt? Nescire autem Dei, reprobare est: vnde & quibusdam dicturus est, Amen dico vobis, nescio vos. Ex quo, quantum malum sit gratiarum actionem Deo debitam negligere, euidenter ostenditur, quando eos quos credentes mundauit, etiam mundatos istius culpa merito tanquam infideles abiecit. Gratias autem agere debemus semper, & vbique; id est, in omni tempore, & in omni loco: vt impleatur in nobis quod cantamus in Psalmo, Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo, & iterum; In omni loco dominationis eius benedic anima mea Domi- *August.*

no. Quis est ergo qui Benedicit & gratias agit Domino in omni tempore; nisi humilis corde? Ipsam enim humilitatem docuit Dominus noster io Corpore suo, quia cum commendar, Corpus & sauguinem suum, humilitatem suam commeodat. Esto humilis, si vis Benedicere Dominum in omni tempore, & semper laus eius in ore tuo: quia & Iob non tantum Benedixit Dominum, quando abundabant illi omnia, quibus eum legimus diuitem fuisse. Ablata sunt omnia vno tempore & impleuit quod in hoc Psalmo scriptum est, diceus; Dominus dedit, Dominus abstulit; sicut Domino placuit, ita factum est. Sit nomen Domini Benedictum, ecce habes exemplum Benedicentis in omni tempore: Non habebat quæ teoeret, sed habebat quod laudaret. In laude Dei sui, quasi in rerum copia quiescebat. Deus illi solarium fuit, ne possessionum damnis periclitaretur, Nunquid enim perdidit Deum, quamuis perdiderit quod dederat Deus? Plus est enim habere eum qui dat, quam illa quæ dat: si enim pulchra sunt quæ dat; quanto pulchrior ille qui dat? Si magna sunt, quanto maior ipse largitor? Et certè quæ in hac terrena vita dederit Deus, aut dum viuimus, nos deserunt, aut à nobis morte deseruntur. At vero ipse Deus æterna possessio, semper præsens, nunquam deserit possidentem. Sint ergo casta vota fidelium. Vile sit temporale bonum vt veniat æternum. Inhæreat Deo anima pia, in eum oratione suspensa, & per spiritales amplexus ei connexa desideret illud quod secum ipse largitur. Quantum est enim quod nobis exhibet Deus, si seipsum nobis nolit exhibere? Si ergo bona suppetunt sæculi, sit misericordiæ faciendæ materies, si desuerint, sit patientiæ fidelis occasio. Tali enim deuotione etiam in omni Deo gratiæ aguntur, quia qui vbique est præsens, vbique agnoscit laudatorem suum; etiam cùm ore quiescente, & tacente linguâ secreto cordis affectu fidelis ei anima benedicit, cum agit io silentio, quòd canitur in Psalmo; Benedic anima mea Domino, & omnia quæ intrà me sunt nomini sancto eius. Quisquis ergo supplicaturus, & gratias acturus Deo, locum sanctum & apertum requiris, interiora tua munda, & omni inde malà cupiditate depulsa, præpara tibi in cordis tui pace secretum: volens in templo orare, in te ora; & ita age semper, vt templum Dei sis. Ibi enim exaudit Deus, vbi habitat. Proclamans autem, Sacerdos, verè dignum & iustum est, æquum & salutare, nos tibi semper & vbique gratias agere, subiungit ad quem dirigat orationem dicendo; Domine Sancte Pater omnipotens æterne Deus: & per quem eandem orationem dirigat, addendo, per Christum Dominum nostrum. Quòd ergo dicit, Domine, refertur ad creaturæ subiectionem, de qua in Psalmo canitur; Quoniam omnia seruiunt tibi. Et alibi, Dixi Domino, Deus meus & tu, quoniam bonorum meorum non eges. Quid est enim; bonorum meorum; nisi à te datorum? Quomodò eget aliquo bono, à quo omne bonum datur? Ideò verus est Dominus qui seruo non indiget, & quo seruus indiget. Quòd verò adiungit, Sancte Pater, refertur vel specialiter ad vnigeniti Filii generationem, in qua coæternus & coæqualis est patri; de qua etiam Propheta ait; generationem eius quis enarrauit? Vel generaliter ad omnium filiorum Dei adoptionem; cuius tanta est gratia, vt cùm haberet vnicum, noluerit illum esse vnum; sed vt fratres haberet, adoptauit illi qui cum illo possiderent vitam æternam. Pro quibus ipse eisdem verbis Patri supplicans ait; Pater sancte, serua eos in nomine tuo, quos dedisti mihi. Hæc ergo vox, vt dicatur Deo, Pater Sancte, & propria est vnici Filij per naturam, & communis omnium adoptatorum filiorum per gratiam: per quam eis etiam concessit, vt orantes dicant; Pater noster qui es in cœlis. Qui vere omnipotens & æternus est Deus. Omnipotens videlicet virtute, quia omnia condidit, & continet, & regit: cui veraciter Scriptura dicit; Quia tibi impossibile nihil est: qui tamen sic omnipotens est, vt nunquam suæ rationis instituta conuellat. Ipsius est etiam vera æternitas, cui quod est esse, perpetuum est: qui initio carens, sicut nullum finem, ità nullam recipit mutabilitatem. Tota autem oratio, & gratiarum actio, quam semper & vbique debemus agere, dirigitur & offertur Deo Patri per Christum Dominum nostrum, tanquam per mediatorem, & conciliatorem Dei & hominum; de quo Apostolus ait; Vnus enim Deus, vnus & mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus, qui dedit semetipsum redemptionem pro nobis. Qui cùm in natura deitatis sit vnus cum Patre; suscipiendo naturam nostram, factus nobis mediator ad Patrem. Ideò enim mediator Dei & hominum, quia Deus cum Patre, quia homo cum hominibus. Non mediator homo præter deitatem, non mediator Deus præter humanitatem. Diuinitas sine humanitate, non est mediatrix: humanitas sine diuinitate, non est mediatrix: sed inter diuinitatem solam, & humanitatem solam mediatrix est humana diuinitas, & diuina humanitas Christi. Qui semetipsum obtulit in passione pro nobis vt tanti capitis corpus essemus secundum formam serui. Hanc enim obtulit, in hac oblatus est, quia secundum hanc mediator est: in hac sacerdos, in hac sacrificium est, per ipsum ergo & petitiones & laudes suas offert Ecclesia Deo Patri, sciens per eum solum se posse accipere quod postulat; per eum solum placere posse quod laudat; sicut ipse in Euangelio promittit, dicens, Amen, amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis: Hæc est enim mediationis gratia, per quam exauditur Ecclesia; secundum quam & Apostolus exhortatur, dicens; Per ipsum ergo offeramus hostiam laudis semper Deo, idest fructum labiorum confitentium nomini eius. Idem namque mediator Dei & hominum, Deus super nos, homo propter nos, per humanitatem interpellat pro nobis apud Patrem, per diuinitatem exaudit & præstat cum Patre, sicut ipse testatur dicens; Quia ego vado ad Patrem, & quodcunque petieritis in nomine meo, hoc faciam, vt clarificetur Pater in Filio. De qua mediatione & aduocatione, etiam Beatus Iohannes Apostolus ait; Aduocatum habemus apud Patrem, IESVM CHRISTVM iustum: & ipse est propitiatio pro peccatis nostris: quia qui per humanitatem interpellat pro nobis apud patrem, idem per diuinitatem propiciatur nobis cum Patre. Orat itaque Sacerdos pro Ecclesia, orat Ecclesia pro Sacerdote sicut orat Apostolus pro plebe, orat plebs pro Apostolo, qui dicit; Orantes simul & pro nobis, vt Deus aperiat nobis ostium verbi: Et pro Petro orabat Ecclesia, cum esset in vinculis Petrus, & exaudita est; quomodo & Petrus pro Ecclesia. Quia omnia pro inuicem membra orant, caput pro omnibus interpellat, de quo scriptum est; Qui sedet ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis. Vnigenito enim Filio pro homine interpellare, est apud coæternum Patrem seipsum hominem demonstrare, eique pro humanâ naturâ rogasse, est eandem naturam in diuinitatis suæ celsitudinem suscepisse. Interpellat igitur pro nobis Dominus non voce, sed miseratione; quia quod damnati in electis voluit suscipiendo seruauit. Qui quoniam hoc, quod moriendo in sepulchro posuit, resurgendo super Angelos eleuauit, rectè Sacerdos adiungit, & dicit; Per quem maiestatem tuam laudant Angeli, adorant Dominationes, tremunt potestates. Hæc est enim ineffabilis gloria Saluatoris & mediatoris nostri, qui (vt ait Apostolus) purgationem peccatorum faciens, sedet ad dexteram maiestatis in excelsis: tanto melior Angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hæreditauit. Cuius nominis celsitudinem alibi exponens dicit, propter quod & Deus illum exaltauit, & donauit illi nomen quod est super omne nomen; vt in nomine Iesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, & infernorum. Quatenus per eumdem mediatorem laudet, adoret, & contremiscat maiestatem Dei Patris, non solùm Ecclesia hominum in terris, sed etiam Ecclesia Angelorum in cœlis. Sic enim Ecclesia tota & vna accipienda est, non solùm ex eâ parte qua peregrinatur in terris, à Solis ortu vsque

A ad occasum laudans nomen Domini, & post captiuitatem vetustatis cantans canticum nouum; verum etiam ex illa quæ in cœlis semper, ex quo condita est cohæsit Deo nec vllum malum sui casus experta est. Hæc in sanctis Angelis beata persistit, & suæ parti peregrinanti, sicut oportet opitulatur: quia vtraque vna erit consortio æternitatis, & nunc vna est in vinculo caritatis. Hæc ergo quæ peregrinatur in terris sanguine mediatoris nullum habentis peccatum, ab omni est redempta peccato. Eius vox est, Si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. Non enim pro Angelis mortuus est Christus: sed ideò etiam pro Angelis fit ipsa redemtio hominum, quoniam cum eis redimus ad gratiam, post inimicitias quas inter homines & Sanctos Angelos peccata fecerunt. Ex ipsa hominum redemptione, ruinæ illius angelicæ damna reparantur. Propter hoc ait Apostolus, omnia instaurari in Christo, quæ in cœlis sunt,

B & quæ in terris. In ipso instaurantur quippe quæ in cœlis sunt, cùm id quod inde in Angelis lapsum est, ex hominibus redditur: instaurantur autem quæ in terris sunt, cùm ipsi homines qui prædestinati sunt in æternam vitam, à corruptionis vetustate renouantur. Ac sic per illud singulare sacrificium, in quo mediator est immolatus, pacificantur cœlestia cum terrestribus, & terrena cum cœlestibus: quoniam (sicut Apostolus dicit,) in ipso complacuit omnem plenitudinem habitare: & per ipsum reconciliari omnia in ipsum, pacificans per sanguinem Crucis eius, siue quæ in terris sunt siue quæ in Cœlis. De ipso namque & alibi idem ait Apostolus; & ipse est caput Ecclesiæ. & iterum; & estis in illo repleti, qui est caput omnis principatus & potestatis, Omnes ergo qui ab initio sæculi fuerunt iusti, caput Christum habent. Illum enim venturum crediderunt, quem nos venisse iam credimus; & in eius fide & ipsi sanati sunt, in cuius & nos: vt esset ipse totius caput ciuitatis Ierusalem, omnibus commemoratus fidelibus ab initio vsque in finem: adiunctis etiam legioni-

C bus & exercitibus Angelorum, vt fiat vna ciuitas sub vno Rege, & quædam prouincia sub vno Imperatore, felix in perpetua pace ac salute, laudans Deum sine fine, beato fine. Istorum verò trium ordinum supernorum spirituum, id est, Angelorum, Dominationum, Potestatum, qui diuinam maiestatem laudare, adorare, tremere dicuntur, talis est differentia, quod Angeli, qui Latinè nuncij interpretantur, ex ipso nomine officium suum nobis indicant; quia videlicet a Deo missi, voluntatem eius hominibus nunciant: sicut legimus in veteri testamento, missus Angelos ad Abraham, ad Loth ad Iacob, ad Moysem, ad Iosue, ad Daniel, & Tobiam, & in nouo frequenter. Vnde & per Psalmistam dicitur, Benedicite Domino Angeli eius, potentes virtute, facientes verbum illius, ad audiendam vocem sermonum eius. Et iterum; Qui facit Angelos suos spiritus: ac si aperte dicat quia eos quos semper habet spiritus, etiam cum voluerit, Angelos, id est, nuncios

D facit. Dominationes autem vocantur ea Angelorum agmina, quæ mira potentia præeminent, eo quod eis cætera ad obediendum subiecta sunt. Potestates autem vocantur ij, qui hoc potentius cæteris in suo ordine perceperunt, vt eorum ditioni virtutes aduersæ subiectæ sint quorum potestate refrenantur, ne corda hominum tantum tentare præualeant, quantum volunt. Hi ergo tam beati & sublimes in cœlestibus spiritibus per Christum Dominum nostrum maiestatem Dei laudant, sicut ad eos congratulando dicitur in Psalmo; Laudate Dominum de cœlis, laudate eum in excelsis. Laudate eum omnes Angeli eius, Laudate eum omnes Virtutes eius. De quibus & Deus in libro Iob loquitur; dicens; Quando facta sunt si leta, laudauerunt me omnes Angeli mei voce magna. Adorant quoque eamdem diuinam Maiestatem, sicut in hymno confessionis Esdræ ad ipsum Deum dicitur, Tu ipse, Domine Deus, qui fecisti cælum, cælum cæli, & vniuersa quæ in eo sunt Et tu viuificas omnia hæc, & exercitus cœli te adorat. Tremunt etiam

sicut per figuram de eis in libro Iob dicitur; Columnæ cœli contremiscunt, & pauent ad nutum eius: quia ipsæ B quoque virtutes cœlestium, quæ Deum sine cessatione conspiciunt, in ipsa sua contemplatione contremiscunt. Sed eisdem tremor, ne eis pœnalis sit non timoris est, sed admirationis. Cum igitur in cœlestibus tanta sit deuotio laudantium, veneratio adorantium, tremor admirantium, consideret hæc homo, cui dictum est; Quid superbit terra, & cinis: & audiat Apostolum monentem; Cum metu & timore, & tremore vestram ipsorum salutem operamini. Sequitur Sacerdos in Dei laudibus, & dicit; Cœli, cœlorumque virtutes, ac beata Seraphin socia exultatione concelebrant. Subauditur hoc quod iam suprà dictum est, maiestatem tuam. Hanc namque non solum (vt præmissum est) Angeli, Dominationes, & Potestates laudant & adorant & tremunt; sed etiam cœli cœlorum Virtutes, & Seraphim concelebrant, id est, in communione celebrant, concordi deuotione, & communi gaudio laudant. Nam celebritas est conuentus populi in F laude, & celebrata dicimus in celebri, id est, in frequentissimo conuentu acta. Celebrat itaque, & concelebrat maiestatem Dei Beatus ille populus Angelorum, de cuius inenarrabili multitudine scriptum est, millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei, quia adest illis semper vultus præsens Dei; dicente Domino in Euangelio; Angeli eorum in cœlis semper vident faciem Patris mei qui in cœlis est. Qui dum sine defectu conspicitur, & amatur: amatur & laudatur: electorum ciuium mira lætitia agitur, vicissim de se omnes in suo conuentu gratulantur. Ipsa est enim domus Dei æterna, de quâ in Psalmis canitur; Beati qui habitant in domo tua in sæcula sæculorum laudabunt te; & iterum; sicut lætantium omnium habitatio est in te. Ideò benè hîc dicitur, quia maiestatem Dei sociâ, id est, iunctâ exultatione concelebrant: quoniam (vt iam dictum est) sine intermissione laudantes, vicissim de illo, & de se in illo lætantur, Sicut de ipsis Seraphim manifestè in Isaiâ legitur, quia volabant, & clamabant alter ad alterum, & dicebant Sanctus, Sanctus, Sanctus, & cætera. Me- G ritò enim laudant cui ministrant & assistunt, & dant gloriam in excelsis Deo, quia illi debent quod sunt, illi debent quòd viuunt, illi debent quòd iustè viuunt, illi debent quòd beatè viuunt ne putemus hominem solum pertinere ad gratiam Dei. Quid erat Angelus antequam fieret? quid est Angelus, si deserat qui creauit? Hunc enim omnium creatorem & rectorem laudant & concelebrant cœli, sicut eum laudant Sol & Luna, omnes stellæ & lumen: vnde in Psalmo dicitur; Laudate eum Sol & Luna. Laudate eum omnes stellæ & lumen: Laudate eum cœli cœlorũ: & aquæ quæ super cœlos sunt laudent nomen Domini. In hymnu quoque trium puerorum, ad laudem Dei elementa omnia prouocantur: non quod elementa muta habeant sensum laudandi, sed quia cuncta bene cogitata laudem pariant. Et impletur cor consideratione creaturæ, ad eructandum hymnum creatori. Et quia longum fuit, in ista gratiarum H actione totos Angelorum ordines qui in Scripturis nomen inueniuntur, singillatim ponere; post cœlos ponuntur Virtutes; quo nomine omnes cœlestes spiritus nonnunquam generaliter appellari solent, vt est illud in Psalmo; Verbo Domini cœli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum. Et iterum; Dominus Virtutum ipse est Rex gloriæ. Tamen propriè in ordinibus Angelorũ, Virtutes illi spiritus vocãtur, per quos signa & miracula frequẽtius fiunt. Ad vltimum ponuntur Seraphim, qui est summus ordo Angelorum spirituum: & vere beata, quæ ex singulari propinquitate, conditoris sui incomparabili ardent amore; vnde & Seraphim ardẽtes vel incendentes interpretãtur, quia quo subtiliùs claritatẽ diuinitatis aspiciũt, eo validiùs in eius amore flãmescũt. Sciendũ quoque est, quod Cherubim & Seraphim per m litteram prolata, secundum proprietatẽ linguæ Hebrææ masculini sunt generis, & pluralis numeri tantum: si autem per n litterã dicãtur, sicut in Psalmis, & hymnis, & in præsenti gratiarũ actione ponitur, Græcâ declinatione in neutrale

genus

genus mutantur: velut cum dicimus lucida sidera speciosa nemora iocunda littora? sic & beata Seraphim neuttali genere & plurali numero accipiamus. Illud autem attentissime cognoscendum quia non ita sancti Angeli, & cæteræ cœlorum virtutes maiestatem Dei Patris laudare, adorare, tremere, & communi exultatione concelebrare dicuntur per Christum Dominum nostrum, tanquam hae venerationis & glorificationis obsequia soli Deo Patri deferant, non etiam Filio, & Spiritui sancto. Certissime enim fide tenere, & scire debemus, quia totius sanctæ Trinitatis, Patris, & Filij, & Spiritus sancti sicut vna est diuinitas, & indiuidua maiestas, ita & in omnibus æqualis honor, & indiuidua glotificatio debetur: nec vllo modo aut Pater sine Flio, aut Flius sine Patte & Spiritu sancto aut laudari, aut adorari, aut vllo diuini cultus obsequio honorari potest. Nulla est in Trinitate distantia; sed siue Pattem quis adoret, ibi est & Filius & Spiritus sanctus; siue Filio aut Spiritui sancto supplicar, ibidem sine dubio & pater inuenitur: quia dum Patrem aut Filium inuocas, totam vnitatem deitatis, totam amplecteris Trinitatem. Si enim verè & fideliter creditur, quia Pater in Filio & filius in Patre est (sicut Esaias ad eundem Filium loquitur, dicens; In te est Deus; & non est Deus præter te: & in Euangelio; ego inquit in Patre, & Pater in me est) nulli dubium, quòd similiter vt Patri, etiam Filio qui in eodem Patre consubstantialiter manet, à nobis sacrificium immoletur. Cùm enim ita in se inuicem vt separari nequeant maneant, quod vni exhibueris, vtrisque exhibitum crede. Denique Filius ait; Qui me vidit, vidit & Patrem. Ego & Pater vnum sumus. Si visio Filij, Patris est contemplatio; Patris honorificentia, Filij est gloria: dicente eodem Filio, vt omnes honorificent Filium sicut honorificant Pattem. Quòd si inueniuntur qui Pattem honorificant & non honorificant Filium, non potest (inquit) fieri. Qui non honorificat filium non honorificat Patrem qui misit illum. Sed ne fortè Pattem quidem honorifices tanquam maiorem, Filium verò tanquam minorem, corrigit te ipse Filius, & reuocat te, dicens; Vt omnes honorificent Filium, non inferiùs, sed sicut honorificant Pattem. Quicquid ergo mandatis cœlestibus obsequendo diuinitati exhibemus, siue in sacrificiorum ritu, siue in supplicatione precum, siue in alio quolibet munificentiæ genere, & Patri & Filio æqualiter debetur. Ac sic nullum venerationis honorem priuatim possidet Pater, qui non ad Filij & Spiritus sancti pertineat dignitatem. Nam si sacramentum regenerationis Baptismi ad eos æqualiter pertinet, dum in nomine Patris, & Filij & Spiritus sancti beata illa secundæ natiuitatis gratia celebratur, nulli dubium quod & mysteriorum sacrificia communi dignitatis honore Pater, & filius, & Spiritus sanctus possidet; quia inseparabili deitatis vnitate Trinitas ipsa connexa est. Vt autem ad solum Patrem oratio dirigatur, id Apostoli, per eos ordinante Spiritu sancto sanxerunt; vt qui multorum deorum errores, vnius Dei prædicatione nitebantur euellere, sub Trinitatis sacramento vni personæ in sacrificiorum ritu, supplicandum esse decernerent: ne qui vnum Deum ob falsorum Deorum extirpandos errores prædicabant, in pluralem diuinitatis numerum incidisse arguerentur ab his, qui ineffabile Patris, & Filij, & Spiritus sancti mysterium ignorabant. Rectissimè ergo constitutum est, quia Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, vnius deitatis, vnius naturæ, vnius æqualitatis, vnius denique potestatis existunt; vna ex eis persona, propter vnitatis mysterium retinendum, in sacrificio inuocaretur. Nec alia debuit nisi quæ prima est, in qua cæteræ duæ naturaliter manentes existunt. Quod vero per Filium inuocamus, cum ad eum dicimus, Per Iesvm Christvm Filium tuum, hoc (vt supra iam dictum est) ex ea parte præcipitur, qua pro nobis Sacerdotis officio functus est, tunc cum Deo Patri immaculatam suæ carnis hostiam in arâ obtulit Crucis: vnde Vas electionis? Considerate, inquit, Apostolò & Pontificem confessionis nostræ Iesum Christum qui fidelis est ei qui fecit eum. Factus ergo Sacerdos, pro nobis interpellet necesse est: sed ea (vt dixi) parte qua hominis gerit naturam. Vnde & Apostolus non diuinitati sed humanitati eius hoc intercessionis eius ministerium coaptauit, dicens; Vnus enim mediator Dei & hominum, homo Christvs Iesvs. Quod autem oratio & adoratio sicut Patri, ita & filio deferatur, ostendit Isaias, dicens: Ipsum gentes deprecabuntur, & erit nomen eius gloriosum, & iterum, vbi inducit Deum Patrem loquentem ad filium, labor Ægypti, & negotiatio Æthiopiæ, & Sabaim, viri sublimes, ad te transibunt, & tui erunt, post te ambulabunt vinculis alligati, & te adorabunt, teque deprecabuntur: quoniam in te est Deus, & non est præter te. Item in Ioel; omnis qui inuocauerit nomen Domini, saluus erit quod de filio dictum Apostolus edocet, tunc enim Iudæorum incredulitatem exprobrans ait; Omnis homo qui inuocauerit nomen Domini, saluus erit. Quomodo inuocabunt eum in quem non crediderunt? Dauid etiam supernatum sedium confessorem filium deprecans, ait; Qui sedes super Cherubim, appare coram Ephraim, Beniamin, & Manasse. Excita potentiam tuam, & veni vt saluos facias nos. Audi etiam Spiritum sanctum, quemadmodum laudis sacrificium & Filio, & Patri, & sibi præcepit immolari, vbi vere indiuidua Trinitas cum personarum distinctione euidentius demonstratur. Dicit ergo idem Spiritus sanctus in Psalmo, Immola Deo sacrificium laudis, & redde altissimo vota tua. Et inuoca me in die tribulationis tuæ, & eripiam te, & glorificabis me. Ecce Spiritus sanctus, & Deo filio Sacrificium laudis, & Patri altissimo vota promissionis, & sibi inuocationis & glorificationis hostiam à veritatis cultoribus suadet exhiberi. De illo quippe dicit Apostolus; Nescitis quia corpora vestra templum in vobis est Spiritus sancti, quem habetis à Deo; Et non estis vestri: empti enim estis pretio magno. Glorificate, & portate Deum in corpore vestro. Quemnam Deum, nisi Spiritum sanctum, cuius corpora nostra esse dixerat templũ? Debetur ergo gloria Spiritui sancto. Quod verò Virtutes angelicæ cum Patre simul etiam filium laudent atque glorificent, ostenditur nobis in Deuteronomio vbi ita ad Filij venerationem cœlestis inuitatur exercitus. Lætamini cœli simul cum eo, & adorent eum Angeli Dei. Lætamini gentes cum populo eius, & glorificent eum omnes filij Dei. In Apocalypsi quoque Beatus Iohannes, postquam vidit quatuor animalia, & viginti quatuor seniores coram Agno qui librum signatum aperuit, cecidisse, dicentes; Dignus es accipere librum, & aperire signacula eius, quoniam occisus es, & redemisti nos Deo in sanguine tuo, subiunxit voces militiæ cœlestis, redemptioni nostræ congratulantes, & ait; Et vidi, & audiui vocem Angelorum multorum in circuitu throni: & erat numerus eorum millia millium, dicentium voce magna; Dignus est Agnus qui occisus est, accipere virtutem, & diuinitatem, & sapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem. Post hæc, inquit, vidi, & ecce multitudo magna, quam numerare nemo poterat, ex omni gente, & tribu, & populo, & lingua, & natione, stantes ante thronum, & in conspectu Agni: amicti stolis albis, & palmæ in manibus eorum: & clamabant voce magna, dicentes, Salus Deo nostro sedenti super thronum, & Agno. Ecce laudis sacrificium indiscrete Patri & Filio, Sanctorum immolat chorus. Quorum voces multitudo Angelorum, adorando, & Amen respondendo confirmat, sicut statim in eodem libro sequitur: Et omnes Angeli stabant in circuitu throni & ceciderunt in conspectu throni in facies suas, & adorauerunt Deum, dicentes: Amen. Spiritum quoque sanctum in eadem gloriæ sublimitate Beatus Petrus prædicat, dicens, Spiritu sancto misso de cœlis, in quem desiderant Angeli prospicere.

Sequitur Sacerdos, & dicit: *Cum quibus & nostras*

voces

Digitized by Google

A *voces vt admitti iubeat deprecamur, supplici confessione dicentes.* Voces Angelorum sunt in laude conditoris, ipsa admiratio intimæ contemplationis. Quales ergo oportet esse voces nostras, quas in conspectu Dei cum angelicis laudibus deprecamur admitti, id est, intromitti; vt possimus dicere; Intret oratio mea in conspectu tuo? & iterum; Vt veniat ad te oratio mea ad templum sanctum tuum. Vtique tales voces, & talis clamor non est in sono oris, sed in desiderio cordis. Voces enim apud sacratissimas aures Dei, non faciunt verba nostra, sed desideria. Æternam etenim vitam si ore petimus, nec tamen corde desideramus, clamantes tacuimus? si vero desideramus ex corde, etiam cum ore conticescimus, tacentes clamamus. Sic Moyses ab strepitu verborum tacebat, & tamen silens, sono diuinæ pietatis audiebatur; cui dicitur, Quid clamas ad me? Intus est ergo in desiderio clamor secretus, quia ad humanas aures non peruenit; & tamen auditum conditoris replet.

B Et quia superna illa ciuitas ex Angelis & hominibus constat; ad quam tantum credimus hominum genus ascendere, quantos illic contingit electos Angelos remansisse, sicut scriptum est; Statuit terminos gentium, iuxta numerum Angelorum Dei; merito sancta Ecclesia, quæ illis socianda est in cœlo, & cũ illis in Dei laudibus permansura, iam nũc ipsis vocibus Deũ laudat in terris quibus eum S. Angeli laudant in cœlis. Et hoc non superba præsũptione, sed supplici confessione: sic desiderans maiestatem Dei credere, & confiteri in mundo, sicut ab Angelis videtur & laudatur in cœlo. Hæc enim confessio non est peccati, (de qua nobis præcipitur; Confitemini alterutrum peccata vestra: & Psalmista ait; Dixi, confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino); sed laudis, & gratiarum actionis, qualis intelligitur à nobis, cum canimus; Confiteantur misericordiæ eius, & mirabilia eius filiis hominum: & qualem Dominus Iesvs, qui nullum omnino habebat peccatum, in Euangelio Deo Patri offert dicens; Confiteor tibi, Pater, Domine cœli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis.) Vna igitur confessione, id est, laude, & gratiarum actione iam nunc homines cum Angelis sociantur; laudantes de cælestibus & terrestribus, tanquam eum qui fecit cœlum & terram, & dicentes; *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus Sabaoth: pleni sunt cœli & terra gloria tua.* Istæ sunt voces Angelorum laudantium in cœlis. Hunc hymnum gloriæ Dei & Esaias Propheta se audisse testatur, quando gloriam Dei vidit, & Seraphim istis vocibus eum conlaudantia audiuit. Et Beatus Iohannes in Apocalypsi, sub figura quatuor animalium introducitur. Legitur namque in Isaia de Seraphin laudantibus ita; Et clamabant alter ad alterum, & dicebant, Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus Sabaoth: plena est omnis terra gloria eius. In Apocalypsi vero, de quatuor animalibus sic legitur. Et requiem non habebant die ac nocte dicentia, Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus omnipotens, qui est, & qui erat, & qui venturus est. Manifestum est ergo quod in his verbis diuinæ laudis, quæ ad imitationem supernarum Virtutum (iuxta Esaiam) decantat Ecclesia, vnus sermo de Apocalypsi additus sit. Nam in Isaia tantum Dominus Sabaoth legitur; in Apocalypsi verò, Dominus Deus omnipotens. Et ideo non humano arbitrio, sed vtriusque Scripturæ auctoritate coniunctâ dicimus, Dominus Deus Sabaoth. Item in Esaia legitur, Plena est omnis terra gloria eius, *tanquam hoc Angeli non ad ipsum Dominum, sed de ipso ad inuicem dicant.* Nos autem conuersa ad eum voce dicimus: Pleni sunt cœli & terra gloria tua: quod non humano sensu præsumptum, sed de alia Scriptura assumptum & additum est: loquente ipso Deo in Ieremia Propheta, & dicente: Cœlum & terram ego implebo. Quicquid autem in Dei laudibus Scriptura dicit, recte ad ipsum dicitur, gratulando; & de ipso ad alios, exortando, vel instruendo. Sabaoth autem vnum, est de de-

E cem nominibus Dei apud Hebræos, & interpretatur Latine, exercituum, siue virtutum; sicut frequenter in Prophetis positum est, Hæc dicit Dominus exercituum: & in Psalmo: Dominus virtutum, ipse est Rex gloriæ. Qui ideò Dominus exercituum, & Dominus virtutum vere dicitur, quia omnis militia cœlestis exercitus, omnes supernæ virtutes, atque angelicæ potestates, eius imperio subiacent, eius seruiunt voluntati. Angelicos enim spiritus rectè militiam dicimus, quia decertare eos contra potestates aëreas non ignoramus. Quæ tamen certamina non labore sed imperio peragunt, quia quod agendum contra immundos spiritus appetunt, ex adiutorio cuncta regentis possunt. De hac namque militia, nascente Rege nostro scriptum est, Subitò facta est cum Angelo multitudo militiæ cœlestis. Quid sibi ergo vult in hoc hymno angelico, sub vno nomine, sanctitatis trina repetitio. Si trina repetitio cur vna laudatio? si vna laudatio cur trina repetitio? Nisi quia F Pater, & Filius, & Spiritus sanctus sanctitate vnum sunt? Non dixit semel, ne Filium sequestraret: non bis, ne Spiritum sanctum præteriret: non quater, ne creaturam coniungeret. Et vt ostenderet vnam esse deitatem, cùm tertiò dixisset, Sanctus, Sanctus, Sanctus; addidit, Dominus Deus Sabaoth. Sanctus igitur Pater, Sanctus Filius, sanctus & Dei Spiritus, tota videlicet Trinitas adoratur & laudatur ab Angelis. Hanc Seraphim glorificant, & omnes Potestates, Virtutesque cœlestes.

Adiungunt autem huic hymno Angelorum, sumpta ex Euangelio verba turbarum laudantium Dominum & Regem nostrum venientem Ierosolymis, atque dicentium; Osanna in excelsis, Benedictus qui venit in nomine Domini, Osanna in excelsis. Ita enim ex Scriptura prophetica & euangelica completur plena laudatio, cum post laudem & gloriam sanctæ Trinitatis, adiungitur etiam gratiarum actio de aduentu Saluatoris; qui vnus in ipsa, & ex ipsa Trinitate, pro salute nostra homo factus, in mundum venit, & eandem salutem moriendo & resurgendo perfecit. G Mortuus est enim propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram. Vnde rectè illi gratias agentes dicimus; Osanna, id est, salus in excelsis. Hoc est enim quod in Psalmo canitur; Domini est salus, & super populum tuum Benedictio tua. Hoc est enim quod in magnæ deuotione laudis, in Apocalypsi Sanctorum chorus resonat, Salus Deo nostro qui sedet super thronum, & Agno. Recte quoque subiungimus, Benedictus qui venit in nomine Domini: Iuxta quod ipse ait in Euangelio: Ego veni in nomine Patris mei, & non recepistis me. Assumunt autem versiculum laudis turbæ de Psalmo centesimo septimodecimo, quem de Domino cantatum esse manifestum est. Quòd enim turbæ dicunt Osanna, hoc est quod ibi dictum dicitur; O Domine, saluum me fac: ô Domine, bene prosperare. H Et statim eisdem verbis subiungitur; Benedictus qui venit in nomine Domini. Quòd verò in eiusdem laudis prosecutione subiungitur, Osanna id est salus, siue saluifica in excelsis, apertè docet, aduentum Domini in carne, non solum humani generis in terra, sed & Angelorum in cœlis esse salutem: quia dum nos redempti ad superna perducimur, eorum profectò numerus qui Satana cadente erat minoratus, impletur. Hinc etenim Paulus ait instaurari omnia in Christo, quæ in cœlis, & quæ in terra sunt in ipso. Rectè igitur, Osanna in altissimis in eius laude canitur, cuius tota Incarnationis dispensatio, pro implenda gloria patriæ cœlestis apparuit.

Post has laudes, & gratiarum actiones pro tanta gloria redemptionis nostræ, quæ in illo diuino mysterio agitur & commendatur, facto totius Ecclesiæ silentio, in quo cessante omni strepitu verborum, sola ad Deum dirigatur intentio, & deuotio cordium; sociatis sibi omnium votis & desideriis incipit Sacerdos orationem fundere, qua ipsum mysterium

Domini

Domini Corporis & sanguinis conseeratur. Sic enim oportet vt in illa hora tam sacr.e & diuinæ actionis, tota per Dei gratiam à terrenis cogitationibus mente separata, & Ecclesia cum Sacerdote, Et sacerdos cum Ecclesia, spirituali desiderio intret in sanctuarium Dei supernum, & æternum. Et quoniam spiritus est Deus, & eos qui adorant eum, in spiritu & veritate oporter adorare; (nam & Pater tales quærit qui adorent eum), sic eundem Deum & Patrem deprecetur, & dicat; *Te igitur, clementissime Pater, per* IESVM CHRISTVM, *Filium tuum, Dominum nostrum rogamus, & petimus vti accepta habeas, & benedicas hec dona, hec munera, hec sancta sacrificia illibata.* Dirigitur ergo hæc oratio, sicut & & reliquæ orationes, iuxta regulam fidei, & morem Ecclesiæ, ad clementissimum Pattem, cuius erga nos peccatores & indignos tanta extitit clementia & misericordia, quantam Apostolus commendat dicens: Qui etiam proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum; quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit? Et iterum. Deus autem qui diues est in misericordia, propter nimiam caritatem suam quâ dilexit nos, & cum essemus mortui peccatis, conuiuificauit nos Christo. Per hanc gratiam Spiritum adoptionis accepimus, quam commendat Apostolus dicens Sed accepistis Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba Pater. Et ideo in hoc Spiritu adoptionis, (qui postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus quia eos quos replere dignatur, inenarrabili desiderio gementes & postulantes facit) clamat Sacerdos cum Ecclesia, non voce sed corde, dicens; Te igitur, clementissime Pater, supplices rogamus, & petimus; quia supplicatio, & inclinatio cordis ad Deum, tantæ reuerentiæ & humilitatis esse debet, vt inuitari quærat illud quod in sua supplicatione Apostolus dicit; Huius rei gratia flecto genua mea ad Patrem ex quo omnis paternitas in cælis & in terra nominatur. In qua flexione genuum, non corporis prostratio, sed supplex affectus, & cordis contritio intelligitur, de qua Psalmista ait; Sacrificium Deo spiritus contribulatus. Cor contritum & humiliatum Deus non despicies Secundum hæc ergo dicitur, Supplices rogamus, & petimus: & hoc per IESVM CHRISTVM, Filium tuum, Dominum nostrum per quem omnis supplicatio & petitio nostra ad Deum dirigi debet, tanquam per verum mediatorem; & æternum Sacerdotem, qui sedet ad dexteram Patris, & interpellat pro nobis.] Pro qua autem re dicit, Sacerdos ad Deum Patrem, Rogamus, & petimus, nisi pro eo quod sequitur? Videlicet vt ea quæ ipsi offeruntur dona, munera, sancta sacrificia, accepta, (id est, beneplacita) habeat, & benedicat. Sacerdotum est enim offerre, & maiestatem Dei inuocare: Dei est autem dignanter suscipere, & ea quæ offeruntur benedicere, sicut in lege præcepit Sacerdotibus, dicens; Sic benedicetis filiis. Israël, & dicetis eis. Et post verba benedictionis subiungit; Inuocabunt nomen meum super filios Israël, & ego benedicam eis. Quid atrius? Illi inuocabunt, & ego benedicam eis. Et tamen supra eis dixerat, Sic benedicetis, sed illi exortando, ille largiendo. Ita ergo & in oblatione diuini sacrificij, Sacerdotes exhibent offerendi & supplicandi ministerium, sed Deus largitur benedictionis donum; per vnum & verum Sacerdotem, per quem & oblata sanctificat, & sanctificata acceptat. Dicunt itaque, *Vti accepta habeas & benedicas*; ac si suppliciter dicant; Petimus vt hæc Spiritu tuo sanctifices atque oro benedicas; vt quod nostræ humilitatis geritur ministerio; tuæ virtutis impleatur effectu. Quod autem subiungitur, *Hec dona; hec munera, hec sancta sacrificia illibata*, non aliud atque aliud dicitur; sed res vna pro sui magnitudine, diuersa appellatione laudatur, & laudando commendatur. Quæ enim diuinis offeruntur altaribus, & munera appellantur (sicut in Euangelio Dominus dicit; Si offers munus tuum ad altare, & cætera) & dona vel sacrificia dicuntur, sicut ostendit Apostolus, dicens; Omnis namque Sacerdos ea hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in his quæ sunt ad Deum, vt offerat dona & sacrificia pro peccatis. Sed (vt dictum est) ista sermonum repetitio, tanti sacramenti est commendatio, & piæ deuotionis excitatio: quia hæc sunt vera, sancta, & illibata, id est, inuiolata, & incontaminata sacrificia, quæ nulla digne possint verba laudare, quæ in mysterio dominici Corporis offeruntur; in cuius figuram, hostiæ illæ veteris legis, immaculatæ, ac sine vllo vitio iubebantur offerri; qualis solus inuentus est Christus sine vllo omnino peccato.

Sequitur Sacerdos, & dicit, *In primis que tibi offerimus pro Ecclesia tuâ sancta catholicâ, quam pacificare custodire, adunare, & regere digneris toto orbe terrarum, vna cum famulo tuo Papa nostro sedis Apostolica.* Sic omnino dignum fuit vt inciperet sancta oblatio; videlicet pro Ecclesia Dei sancta, Catholica, toto terrarum orbe diffusa. Ipsa est enim vniuersitas sanguine Domini redempta: Ipsa est hereditas à Patre ei promissa & data, sicut ipse Pater loquitur in Psalmo; Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Hæc vnitas corporis Christi, templum Dei est; cui Apostolus dicit; Templum enim Dei sanctum est quod estis vos. Omnes qui credunt in Christum, & sic credunt vt diligant (hoc est enim credere in Christum, diligere proximum) tanquam lapides sunt viui, de quibus templum Domini ædificatur. Hoc autem templum est, vbi rogatur Deus, & exaudit. Quisquis enim præter templum Dei orauerit Deum non exauditur ad illam pacem supernam, non exauditur ad vitam æternam quæ non conceditur nisi ei qui in templo Dei orat; qui in pace Ecclesiæ, in vnitate corporis Christi: quod corpus Christi constat ex multis credentibus in toto orbe terrarum. Et ideo exauditur qui, orat in templo, quia ipse orat in spiritu & veritate. Merito ab ea, & pro ea, quia & in ea incipit diuina oblatio: tanquam dicatur Deo de illa, & in illa; Exaudi nos Deus salutaris noster, spes omnium finium terræ, & in mari longe. Ipsa est namque vnitas, quæ à finibus terræ, id est, ab oriente, & ab occidente, septentrione, & meridie clamat ad Deum, & dicit; A finibus terræ ad te clamaui, dum anxiaretur cor meum. Hinc & Ecclesia Græcè dicitur, quod in Latinum vertitur, conuocatio; eò quod omnes ad se conuocat: & catholica appellatur, id est, vniuersalis. Non enim sicut conuenticula hæreticorum in aliquibus regionum partibus coartatur, sed per totum terrarum orbem dilatata diffunditur. Hinc & vniuersitas ab vno cognominata est, eo quod in vnitate colligitur? Vnde ait Dominus in Euangelio, Qui mecum non colligit, spargit; id est, qui in vnitatem non colligitur, à me diuisus, in dispersionis perditione dissipatur. Pro hac itaque primum in illâ oblatione postulatur, & eam Deus toto orbe terrarum pacificare dignetur? videlicet ne per hæreses & chismata, eius vnitas dilanietur; aut aduersitate persecutionum, eius tranquillitas perturbetur. Vt enim hanc pacem tam interiùs quàm exteriùs faciat Deus Ecclesiæ suæ, & ipse Apostolus orat, dicens, Pax Dei, quæ exuperat omnem sensum, custodiat corda vestra, & intelligentias vestras in CHRISTO IESV. Et omnem Ecclesiam orare admonet, cùm ait: Volo igitur primò omnium fidei obseruationes, orationes, postulationes, & gratiarum actiones, & post paululum, Vt quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate Postulatur etiam omnipotens Deus, vt eam custodire, adunare, & regere dignetur. Ipse est enim verus custos populi sui, id est, veri Israel, de quo in Psalmo cantatur; Ecce non dormitabit, neque dormiet qui custodit Israël, & iterum; Nisi Dominus custodierit ciuitatem, frustra vigilat qui custodit eam. Idipsum autem videtur esse adunare, quod pacificare; idipsum custodire, quod & regere: quia Ecclesiam suam Deus & pacificando adunat, & adunando pacificat; & custodiendo regit, & regendo custodit. Pacificando namque adunat, cum omnium fidelium corda in sua pace coniungit; cùm omnium fidelium mentes, per vnitatem fidei, spei, & cari-

A tatis, vnius efficit voluntaris: vt per Spiritum sanctum caritate diffusa, impleatur in ea quod scriptum est, Multitudinis autem credentium erat cor vnum, & anima vna &; Ecce, quam bonum, & quam iocundum habitare fratres in vnum. Custodiendu quoque regit eamdem Ecclesiam suam, cum inter omnia pericula clementer eam gubernat, & dirigit; cui in Psalmo orantes dicimus; Saluum fac populum tuum, Domine, & benedic hereditati tuæ, & rege eos, & extolle illus vsque in æternum.

Quod vero post generalem Ecclesiæ commendationem adiungitur; *Vna cum famulo Papa nostro*, ipsa vnitas Ecclesiastici corporis fortius commendatur: quia diuinæ religionis cultum (vt Beatus Leo scribit) quem in omnes gentes, omnesque nationes, Dei voluit gratia conseruare, ita Dominus noster IESVS CHRISTVS humani generis Saluator instituit, vt huius muneris sacramentum in beatissimo Petro, Apostolorum B omnium summo principaliter collocaret: atque ab ipso, quasi quodam capite, dona sua vellet in corpus omne manare; vt exortem se mysterij intelligeret esse diuini, qui ausus fuisset à Petri soliditate recedere. Hunc enim in consortium indiuiduæ vnitatis assumptum, id quod ipse erat voluit nominari dicendo; Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Vnde constat (sicut iterum Beatus Papa Pelagius docet, ab vniuersi orbis communione separatos esse, qui qualiber dissensione inter sacra mysteria Apostolici Pontificis memoriam secundum consuetudinem non frequentant.

Sequitur in mysterio; *Et Antistite nostro, & omnibus orthodoxis, atque Catholicæ & Apostolicæ fidei cultoribus.* Sicut enim vniuersalis Ecclesiæ commemoratio, propter vnitatem societatis coniungitur commemorationi Apostolici Pontificis; ita dignum & religiosum est vt singulæ Ecclesiæ commemorationem subiungant suorum Antistitum; probantes, se per illam oratio- C nem dominicæ oblationis, seruare cum eis vnitatem spiritus in vinculo pacis. Orthodoxi autem Græce, Latine autem Rectæ gloriæ dicuntur; eo quod in illo hæretico errore deprauati, rectæ fidei confessione Deum glorificent. Iidem ipsi ergo sunt Catholicæ & Apostolicæ fidei cultores; Catholica, id est, vniuersalis, quam vniuersa vbique seruat Ecclesia, eiusdemque Apostolicæ, quam in toto mundo Apostolorum doctrina fundauit. Cultores autem huius fidei non possunt dici, nisi illi qui quod recte crediderint, veraciter diligunt: hoc enim vnusquisque colit quod maxinè diligit; vnde & de quibusdam gulæ & ventris amatoribus ait Apostolus: Quorum Deus venter est. Ille ergo est veritatis cultor, qui sic iungit fidei dilectionem, vt Deum de quo recte credit diligendo colat, & colendo promereatur. Ipsa est fides; quam commendat Apostolus, dicens. In Christo enim IESV neque circumcisio aliquid valet, neque præ- D putium, sed fides quæ per dilectionem operatur. Neque enim in confusione paganorum, neque in purgamentis hæreticorum, neque in languore schismaticorum, neque in cæcitate Iudæorum quærenda religio est, sed apud eos qui Christiani Catholici, vel Orthodoxi nominantur: id est, integritatis custodes, & recta sectantes.

Completa hac oratione: qua in primis vniuersalis Ecclesia, cum Apostolico Pontifice, & omnibus orthodoxis Deo commendatur, adiungitur in conclusione more solito, *Per Christum Dominum nostrum.* Aliter enim nec oblatio Ecclesiæ Deo offerri potest, nec illa pro quibus Deus exhortatur accipere, nisi per vnum mediatorem Dei & hominum, qui interpellat pro nobis. Quod ergo offert Ecclesia, offert per illum; quod Deus eamdem Ecclesiam pacificate, custodire, adunare, & regere dignatur, præstat per illum. Per ipsum vota nostra ad Deum ascendunt, per ipsum diuina ad nos dona descendunt: hoc namque ipse in Euangelio commendat, dicens; Quia ego ad Patrem vado: & quicquid petieritis in nomine meo, hoc faciam, vt clarificetur Pater in filio. Quam petitionis formam in omni oratione sua custodit Ecclesia. E

Sequitur in mysterio *Memento Domine, famulorum, famularumque tuarum, & omnium circumadstantium quorum tibi fides cognita est, & nota deuotio.* In quibus verbis, cum primum dicitur, *Memento, Domine, famulorum, famularumque tuarum*, & sic deinde subiungitur, *Et omnium circumadstantium*, manifestum est, quod quasi quidam locus sit, vbi aliquibus specialiter nominatis; etiam cæterorum qui assistunt in Ecclesia, commemoratio adiungitur: in quo vtique loco aut liberum est Sacerdoti quos desiderauerit, peculiariter nominare; aut certè illud ab antiquis obseruatum est, vt ibi offerentium nomina recitarentur: quod videtur beatus Papa Innocentius in quadam Epistola significare, vbi dicit, superfluum est, vt cuius hostiam necdum Deo offeras, eius ante nomen insinues, quamuis illi incognitum nihil sit. F Prius ergo oblationes sunt commendandæ, ac tunc eorum nomina quorum sunt, dicenda, vt inter sacra mysteria nominentur, non inter alia quæ ante præmittimus, vt ipsis mysteriis viam futuris precibus aperiamus. Fit ergo hæc oratio ad Deum Patrem, vt, memor esse dignetur famulorum, famularumque suarum, vtriusque videlicet sexus seruientium, non solum eorum qui nominantur, sed & omnium circumadstantium: ac de omnibus, & pro omnibus simul dicitur Deo, *Quorum tibi fides cognita est, & nota deuotio*, hoc est, quam recte credant, quam deuote te diligant tu solus vides in conscientiis singulorum. Tu es enim scrutans corda & renes Deus, & tibi veraciter dictum est, Tu enim solus nosti corda filiorum hominum, qui in tuis cultoribus magis oblationem fidei & deuotionis requiris: fidei, cum per legislatorem tuum dicis, Audi, audi, Israël, Dominus Deus tuus, Dominus vnus est: deuotionis, cum statim adiungis, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, G & ex tota mente tua, & proximum tuum tanquam teipsum. Nunc enim fidem & deuotionem Deo offerre, hoc est vere sacrificium salutare, de quo scriptum est, Sacrificium salutare est, attendere mandatis.

Sequitur in mysterio, *Qui tibi offerunt sacrificium laudis pro se, suisque omnibus pro redemptione animarum suarum, pro spe salutis, & incolumitatis suæ: tibique reddunt vota sua, æterno Deo, viuo, & vero.* In quibus verbis fideliter considerandum est, quod tota Ecclesia offerat Deo illud sacrificium laudis, quia de omni multitudine circumadstantium fidelium dicitur, *Qui tibi offerunt*; quod enim adimpletur propriè ministerio Sacerdotum, hoc generaliter agitur fide & deuotione cunctorum. Omni enim Ecclesiæ dicitur per Beatum Petrum Apostolum, vos autem genus electum; regale sacerdotium, offerte spirituales hostias, & acceptabiles Deo per IESVM CHRISTVM. Omnem ergo Ecclesiam sacerdotium sanctum appellat, quod sola H domus Aaron nomen in lege nomen & officium habuit, quia nimirum omnes fideles summi Sacerdotis membra existunt: cuncti oleo lætitiæ saginantur, illius corpori vniti, qui Rex summus, & Sacerdos est verus, regnum suis tribuens vt Rex: & vt Pontifex eorum & peccata sui sanguinis hostia mundans. Quanquam & in eadem lege veteris testamenti, huius spiritualis sacerdotij, quo tota Ecclesia consecratur, euidenter mysterium commendatur, cum ille agnus in Pascha mactandus (quod pro nobis immolatus est Christus) non à solis Sacerdotibus, sed ab vniuerso generaliter populo iubetur immolari dicente Domino, Immolabitque eum omnis multitudo filiorum Israël ad vesperam. Hunc namque agnum in paschali solemnitate immolatum, eadem lex victimam, & hostiam, & sacrificium Domini, esse commendat, præcipiente Domino, & dicente: Non immolabis super fermento sanguinem hostiæ meæ:

A neque refidcbit manè de victima sollemnitatis Phase, & iterum, Homo, inquit, qui fuerit immundus super anima, siue in via procul; in gente vestrâ, faciat Phase Domino mense secundo, & post panca; Si qois autem & mundus est, & in itinere non fuit, & tamen non fecit Phase, exterminabitur anima illa de populis suis, quia sacrificium non obtulit Domino tempore suo. Offerunt ergo Sacerdotes Ecclesiæ, offert per ipsos, & in ipsis, tota Ecclesia Deo sacrificium laudis, quod à cultoribus suis sibi offerri ipse præcepit, dicens; Immola Deo sacrificium laudis, & redde altissimo vota tua: non quod à nobis indigeos exspectet laudem, sed vt in ea nobis consulat ad salutem; sicut in eodem Psalmo iterum dicit; Sacrificium laudis honorificabit me: & illic via est vbi ostendam salutare meum. Quid est enim salutare Dei, nisi Filius Dei, Salvator mundi? Ipse igitur Sacerdos & victima, sacrificium laudis impleuit; malorum operum tribuens indulgentiam, & bene operandi largiens gratiam.
B Ad hoc enim Domino sacrificium laudis ab eius cultoribus immolatur, vt qui gloriatur, in Domino glorietur. Hoc ergo sacrificium laudis, id est, oblationem dominicæ passionis, in quà nulla nostra merita agnoscimus, sed solam Dei gratiam conlaudamus: (quia in hoc apparuit caritas Dei in nobis, quia Filium suum vnigenitum misit Deus in mundum, vt viuamus per eum. Non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos, & misit Filium suum propiciationem pro peccatis nostris); hanc offert deuotio fidelium pro se suisque omnibus; id est, ad se vel genere, vel familiaritate, vel qualibet alia conditione sub eiusdem fidei professione pertinentibus; tam viuentibus videlicet, quam defunctis. Et hoc qua spe fideles faciant subiungitur: quia non pro aliquo terreno appetitu, non pro aliquo terreno lucro, sed solummodo *pro redemptione animarum suarum*; quia, vt Apostolus dicit; In ipso habemus redemptionem per sanguinem eius, remissionem peccatorum: *pro spe sa-*
C *lutis & incolumitatis suæ*; pro spe videlicet æternæ salutis. Spe enim salui facti sumus: si autem quod non videmus speramus, per patientiam exspectamus. Nec solum pro æterna salute, sed etiam pro temporali incolumitate, id est, corporali sanitate: incolumitas enim dicitur sanitatis integritas. Vtraque enim salus, & animæ scilicet & corporis, ab illo est de quo in Psalmo canitur; Domini est salus: & vt vtraque ab illo exspectetur, pertinet ad pietatem religionis, de qua testatur Apostolus, dicens, Pietas autem ad omnia vtilis est, promissionem habens vitæ quæ nunc est, & futuræ. Tibi igitur reddunt vota sua, æterno Deo, viuo, & vero; iuxta quod in Psalmo dicitur; Et redde altissimo vota tua; vota videlicet fidei, & piæ deuotionis, per quam nosmetipsos Deo vouemus; & reddimus. Quisquis enim bene cogitat quid Deo voueat, & quæ vota persoluat, hoc exigitur, hoc debetur, vt seipsum voueat & reddat. Imago Cæsaris reddatur Cæsari, imago Dei reddatur Deo.

D Sed sicut videndum est quid offerat; ita etiam considerandum est vbi offerat, quia veri sacrificij extra Catholicam Ecclesiam locus non est. Vnde multum consequenter adiungitur in mysterio; *Communicantes, & memoriam venerantes, in primis gloriosæ semper Virginis Mariæ, Genitricis Dei & Domini nostri* IESV CHRISTI: *sed & beatorum Apostolorum, ac Martyrum tuorum*, & cætera, vsque vbi dicitur, *Et omnium Sanctorum tuorum.* Quos dicit communicantes, & memoriam venerantes beatæ Dei Genitricis, & Apostolorum, ac Martyrum, & omnium Sanctorum, nisi & se ipse Sacerdos qui offert, & omnes circum astantes, qui simul offerunt vnum sacrificium laudis? Quod vt Deo possit esse acceptum & beneplacitum, non alibi hoc offerunt, & Sacerdotes, & Ecclesia cum Sacerdotibus, nisi in communione & societate Sanctorum; in quibus voluit idem omnipotens Deus, Ecclesiæ suæ constare fundamentum; sicut Apostolus fidelibus dicit; Vos estis ciues Sanctorum; & domestici Dei, superædificati super fundamentum Apostolorum & Prophetarum. In eorum ergo communione, & memoriæ veneratione tanquam in vero templo Dei offert deuotio fidelium, Deo vota & munera sua: & ideo sunt communicantes eorum memoriæ, tanquam filij patrum, & sectatores præcedentium. Quid est enim, Communicantes, nisi communionem & societatem tenentes? & quid est eorum memoriam venerari, nisi cum pietate & humilitate eorum vestigia sequi? Ad hanc societatem nos Beatus Iohannes Apostolus inuitans dicit quod vidimus, & audiuimus, annunciamus & vobis. Et quasi interrogaremus quid nobis prodesset illa annuntiatio, ait; Vt & vos societatem habeatis nobiscum. Et ne quis contemnendam putaret hanc societatem tanquam hominum continuo adiunxit; Et societas nostra sit cum Patre, & Filio eius IESV CHRISTO: manifestè ostendens, quia quicumque societatem cum Deo habere desiderant, primò Ecclesiæ societati debent adunari; illamque fidem addiscere, & eius sacramentis imbui, quod Apostoli ab ipsa præsente in carne veritate perceperunt. Pro ipsa enim & sancti Martyres passi sunt, & ipsa catholica fundatur Ecclesia cui beatæ & gloriosæ Virginis partus exstitit salutis exordium: quæ verè semper creditur Virgo, quia vel si Domino nascente corrumperetur eius integritas, non iam ille de Virgine nasceretur; eumque falsò (quod absit) natum de Virgine Maria tota confiteretur Ecclesia, cui pro humani generis salute vero homini facto, singulari munere datum est, vt statim ex quo in vtero Virginis concipi, & homo fieri inciperet, verus esset & Deus. Vnde & eadem gloriosa semper Virgo Maria, verè Dei Genitrix credenda & confitenda est. Ipsa ergo in hac venerabili commemoratione Sanctorum prima ponitur; per quam illi & nos meruimus auctorem vitæ suscipere. Et ei coniungitur commemoratio beatorum Apostolorum & Martyrum; non solum eorum qui hic nominatim exprimuntur, sed & omnium quorum nec numerum nec nomina scire possumus. Et tamen per gratiam fidei & caritatis, si istis paucis & præcipuis nominatis pie adhæremus; etiam illis quos nosse non possumus, in horum copulati communione sumus: seruantes societatem spiritus in vinculo pacis, vt cum eis vnum corpus & vnus spiritus simus.

Sequitur in mysterio; *Quorum meritis, precibusque concedas, vt in omnibus protectionis tuæ muniamur auxilio per Christum Dominum nostrum.* Propter merita namque, & intercessiones sublimium iustorum, quos intercessores & patronos quærimus, nostræ infirmitati Domious miseretur & propiciatur; vt in omnibus, siue aduersis, siue prosperis (ne vel in illis deficiamus, vel in istis decipiamur) protectionis eius muniamur auxilio. Denique obsesso ab hostibus Ezechiæ, & auxilium eius inuocanti ait; Et ciuitatem hanc saluabo, & protegam eam propter me, & propter Daoid seruum meum. Sic & Moyses pro populo peccante intercedens, Patrum fecit memoriam, & ita deprecans, Deum placare curabat; Quiescat (inquiens) ira tua, & esto placabilis super malitia populi tui. Recordare Abraham, & Isaac, & Israël seruorum tuorum, quibus iurasti per temetipsum, dicens, Multiplicabo semen vestrum sicut stellas cœli. Nec dubitandum est, fidelium petitiones à spiritibus iustorum sciri: quia qui intus omnipotentis Dei claritatem vident, nullo modo credendum est, quia sit foris aliquid quod ignorent. Postulat ergo Ecclesia suffragia sanctorum Martyrum, nec tamen erigit altaria in quibus sacrificet Martyribus, sed vni Deo, & Martyrum, & nostro. Ad quod sacrificium, sicut homines Dei, qui mundum in eius confessione vicerunt, suo loco & ordine nominantur, non tamen à Sacerdote qui sacrificat inuocantur, Deo quippe, non ipsi sacrificat, quamuis in memoriis sacrificet eorum, quia Dei Sacerdos est, non illorum: ipsum vero sacrificium corpus est Christi, quod non offertur ipsis quia hoc sunt & ipsi.

A Sequitur in mysterio: *Hanc igitur oblationem seruitutis nostræ, sed & cunctæ familiæ tuæ, quæsumus (Domine) vt placatus accipias, diesque nostros in tua pace disponas: atque ab æterna damnatione nos eripi, & in electorum tuorum iubeas grege numerari, per Christum Dominum nostrum.* Et in his verbis vnitas Ecclesiæ offerentis ostenditur, quando in illa sacrosancta oblatione communis seruitus exhibetur Deo, tam à Sacerdotibus, quam à cunctâ familiâ domus Dei. Hæc autem est seruitus quæ nulli alij debetur, nec sanctis Angelis, nec sanctis animabus, nisi vni Deo viuo & vero, de quo nobis præcipitur; Dominum Deum tuum adorabis; & illi soli seruies. Si enim ab homine sic offertur, tamen sacrificium res diuina est: vnde & alibi diuina lege præcipitur, dicens; Sacrificans dijs eradicabitur, nisi Domino soli. Vnde merito illi in cœlestibus sedibus constituti immortales & beati, quia nos mortales & miseros, vt immorta-
B les beatique simus, misericorditer diligunt, nolunt nos sibi sacrificare, sed ei cuius & ipsi nobiscum sacrificium se esse nouerunt. Cum ipsis enim sumus vna ciuitas Dei, cui dicitur in Psalmo: Gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei: cuius pars in nobis peregrinatur, pars in illis opitulatur. Oratur itaque Deus, vt hanc oblationem, quam illi soli debitâ seruitute defert Ecclesia placatus accipiat, Hæc est enim vera oblatio, in qua Filius offertur, Pater reconciliatur: quia (vt Apostolus ait) Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis, oblationem, & hostiam Deo in odorem suauitatis; & vt tali oblatione placatus, dies nostros, quibus in hac mortalitate inter diuersa pericula, & tentationes, & impugnationes viuimus, in suâ pace disponat; ita omnia suâ pietate moderando, vt ferre possimus, vt ab eius pace non deficiamus; vt, etsi in mundo pressuram habemus, in illo pacem habeamus: finito autem huius mortalitatis cursu, ab æternâ damnatione erep-
C tos, in electorum suorum grege nos annumerare dignetur, quia ipsa quoque perennis regni prædestinatio ita est ab omnipotente Deo disposita, vt ad hoc electi ex labore perueniant; quatenus postulando mereantur accipere quod eis omnipotens Deus ante sæcula disposuit donare.

Sequitur in mysterio, *Quam oblationem tu Deus in omnibus (quæsumus) benedictam, adscriptam ratam, rationabilem, acceptabilemque facere digneris, vt nobis Corpus & Sanguis fiat dilectissimi Filij tui, Domini nostri* IESV CHRISTI. Orant omnipotens vt oblationem suis sacris altaribus impositam, & tantis precibus commendatam, ipse per virtutem Spiritus descendentis, ita legitimam & perfectam Eucharistiam efficiat, vt in omnibus sit adscripta, id est, in numerum placitorum sibi munerum recepta. Sit etiam rata, id est, immobili firmitate perpetua: hoc namque dicitur ratum, quod immobili ratione firmum & inconuulsum. Sit quo-
D que eiusdem Spiritus sancti operante virtute rationabilis, & per hæc omnia, singulariter Deo grata, & acceptabilis: vt quamuis de simplicibus terræ frugibus sumpta, diuinæ benedictionis ineffabili potentia efficiatur fidelibus Corpus & Sanguis vnigeniti Filij Dei, sicut ipse vnigenitus testatur, dicens: Caro enim mea verè est cibus, & Sanguis meus verè est potus: vt per hunc cibum & potum impleatur in mentibus sumentium quod ipse promittit, dicens, Sicut misit me viuens Pater, & ego viuo propter Patrem, & qui manducat me, & ipse viuit propter me. Hæc est ergo vera & æterna hostia quia vera & æterna eius est virtus, vera & æterna per eam perficitur salus: est enim noui æterni testamenti. Hæc est rationalis hostia, plena videlicet rationis, plena mysterij, quæ non corporali mactatione (vt in veteribus sacrificiis fiebat) sed spirituali ratione celebratur, & fidei puritate exhibetur, iuxta Apostolum fidelibus præcipientem rationabile obsequium vestrum. Vt enim Apostolus hoc dicens, E
vtique de spirituali sacrificio loquebatur: vnde & alibi ait, Necesse est ergo exemplaria quidem cœlestium his mundari, ipsa autem cœlestia, melioribus hostiis quam istis. Vt enim corda fidelium fierent cœlestia, & sicut portauerant imaginem terreni, portarent & imaginem eius qui de cœlis est, & qualis cœlestis tales fierent & cœlestes; non brutorum animalium cruore, sed rationabili Sanguinis Christi oblatione mundari debuerunt: qui (vt idem Apostolus testatur) per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo. Hoc namque nobis in sacramento Corporis & Sanguinis Filij Dei quotidie instauratur. Hoc Corpus, & hic Sanguis, non in spicis & in sarmentis colligitur, sed certa consecratione mysticus fit nobis, non nascitur; cum panis & vini creatura in sacramentum Carnis & Sanguinis eius, ineffabili Spiritus sanctificatione transfertur. Quod autem non
ita fit, quamuis sit panis & calix alimentum est refectionis, non sacramentum religionis quo diuinum altare Christus impleuit. Inuitauit ergo Dominus seruos, & præparauit eis cibum seipsum. Quis audeat manducare Dominum suum? Et tamen ait; Qui manducat me, viuit propter me. Quando Christus manducatur, vita manducatur: nec occiditur vt manducetur, sed mortuos viuificat quando manducatur: reficit, sed non deficit. Manducetur Christus, viuit manducatus, quia resurrexit occisus; ne quando manducamus, partes de illo faciamus. Et quidem in Sacramento sic fit. Per partes manducatur in Sacramento, & manet totus integer in cœlo, manet integer totus in corde tuo. F

Sequitur in mysterio; *Qui pridie quam pateretur accepit panem in sanctas ac venerabiles manus suas: & eleuatis oculis in cœlum ad te Deum, Patrem suum omnipotentem, tibi gratias agens, benedixit, fre-
git, deditque discipulis suis, dicens: Accipite, & G
manducate ex hoc omnes: Hoc est enim Corpus meum. Simili modo postquam cœnatum est, accipiens & hunc præclarum calicem in sanctas ac venerabiles manus suas, item tibi gratias agens benedixit deditque discipulis suis, dicens; Accipite, & bibite ex eo omnes; Hic est enim calix Sanguinis mei; noui & æterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Hæc quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis.* Vnde vniuersalis Ecclesia iugem memoriam Domini & Redemptoris celebret, ipse Dominus tradidit Apostolis, & Apostoli generaliter omni Ecclesiæ, in his verbis, sine quibus nulla lingua, nulla regio, nulla ciuitas, id est, nulla pars Ecclesiæ Catholicæ conficere potest, id est, consecrare Sacramentum Corporis & Sanguinis Domini. Quod Apostolus manifestè demonstrat ad Corinthios, vbi dicit; Ego enim accepi à Domino quod &
tradidi vobis, quoniam Dominus Iesus in qua nocte H
tradebatur, accepit panem, & cætera. Christi ergo virtute, & verbis semper consecratur, & consecrabitur. Ille in suis Sacerdotibus quotidie loquitur: illius sermo est, qui cœlestia sacramenta sanctificat: illi funguntur officio, ille maiestate diuinæ potestatis operatur: ipse est enim verus Melchisedech, qui hæc sancta sacrificia, quæ ille tunc in mysterio præfigurauit, per oblationem sui Corporis, suique Sanguinis adimpleuit: ipse ea Spiritus paracliti virtute, & cœlesti benedictione sanctum Corpus & Sanguinem suum esse perficit. Quod autem de pane ait; Accipite, & manducate ex hoc omnes, commendatio est vnitatis & pacis; vt per hoc mysterium Christo participantes, vnum omnes simus in illo, sicut Apostolus affirmat dicens; Non enim Iudæus, neque Græcus; non est seruus neque liber, non est masculus neque femina: omnes enim vos vnum estis in Christo Iesu. Hanc namque vnitatem in communicatione huius sacramenti

alibi commendat, dicens; Calix benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio Sanguinis Christi est? Et panis quem frangimus, nonne participatio Corporis Domini est? Quoniam vnus panis, vnum corpus multi sumus: omnesque de vno pane, & de vno calice participamus. Tanta enim est Ecclesiæ in Christo vnitas, vt quomodo vna fides: & vnum baptisma, & vnum altare de quo Isaias ait; Erit altare, Domini in medio terræ Ægypti); ita vnus vbique sit panis Corporis Christi, & vnus Calix Sanguinis eius. Vnde & Ecclesia ex traditione Apostolorum his verbis consecrans mysterium sacri Corporis & Sanguinis Domini, designanter dicit Dominum dixisse Apostolis? Accipite, & manducate ex hoc omnes: hoc est enim Corpus meum. Simili modo posteaquam cœnatum est, accipiens & hunc præclarum calicem. Attendat fidelis quisque quod est quod dicit, Hunc. Videlicet quia calix quem Sacerdos Catholicus sacrificat, non est alius nisi ipse quem Dominus Apostolis tradidit. Sic ergo de Sanguine, sic quoque de Corpore sentiendum & tenendum est. Quod autem præclarum calicem dicit, manifestè de Psalmo sumptum est, vbi canitur; Et calix tuus inebrians quam præclarus est. Et verò præclarus, quo Sanguis offertur immaculatus, nulla peccati nebula tactus. Hoc poculo fidelium inebriatur affectus, vt lætum inducat de remissione peccati: hoc inebriatus animus non confunditur sed consectatur. Item quod in his verbis dicitur, *Noui & æterni testamenti*, manifestum est quia in Euangelio non legitur, nisi tantummodo, Calix Sanguinis mei, noui testamenti: sed quod hic additur, Æterni, & in propheticis & in Apostolicis litteris continetur. Nam & in Isaia legimus promittentem Deum fidelibus; Et feriam pactum vobiscum, id est, testamentum sempiternum: & Apostolus dicit; Vna enim oblatione consummauit in sempiternum sanctificatos. Et iterum; Deus autem pacis; qui eduxit de mortuis Pastorem magnum ouium in sanguine testamenti æterni, Dominum nostrum IESVM CHRISTVM. Ideò ergo sanguis Christi, nouum est testamentum, quia noua dilectio quâ vsque ad mortem in nouissimis sæculorum temporibus nos dilexit; dilectio ista nos inuocat, vt simus noui homines heredes testamenti noui: sicut & Apostolus docet, dicens; Quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundauit conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad seruiendum Deo viuenti? Et ideo noui testamenti mediator est. Per hunc ergo sanguinem noui testamenti, qui effusus est in remissionem peccatorum, emundauit, id est, innouauit conscientiam fidelium: & fiunt iidem fideles (iuxta eundem Apostolum) heredes secundum spem, vitæ æternæ; &. repromissionem accipiunt qui vocati sunt, æternæ hereditatis. Et ideò Sanguis ille verè noui & æterni testamenti est, quia quos à vetustate innouat, ad æternam hæreditatem perducit. Hinc Zacharias propheta velut ad ipsum Dominum loquens, ait; Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non erat aqua: quia videlicet per huius sanguinis effusionem, & antiqui iusti spe futuræ redemptionis, deuincti, ab inferni claustris educti sunt, & per eundem etiam, omnes credentes, à peccatorum vinculis, & de lacu miseriæ, ac de luto fæcis eripiantur. Idem quod hic dicitur *misterium fidei*, & in illis verbis Domini, quibus mysterium Corporis & Sanguinis sui tradidit non legitur, videtur de alio loco Euangelij sumptum esse, vbi (secundum Iohannem) de hoc eodem sacramento quibusdam discipulis non credentibus loquens; ait; Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt. Sed sunt quidam ex vobis qui non credunt. Ostendit enim se magnum dixisse mysterium cum ait; Verba quæ ego locutus sum vobis spiritus & vita sunt. Cum autem adiungit; Sed sunt quidam ex vobis qui non credunt, ostendit istud

mysterium non esse nisi fidei, & fidelium qui illa verba E
fideliter audiunt. Et ideo eis spiritus & vita sunt, quia eos spiritualiter intellecta viuificant. Aut certè hæc verba de Apostolo sumpta sunt, vbi ait; Habentes mysterium fidei in conscientia purâ: quia sicut sacramentum sanctæ Trinitatis, ita & sacramentum dominicæ passionis & mortis, quod illâ oblatione frequentatur, æqualiter necessarium ad salutem, æqualiter in conscientia purâ est sumendum, ac retinendum. Quod etiam in baptismate celebratur, docente eodem Apostolo ac dicente; Quicunque enim baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus. Totum ergo quod in hac oblatione dominici Corporis & Sanguinis agitur, mysterium est: aliud enim videtur, aliud intelligitur: quod videtur, speciem habet corporalem, quod intelligitur futurum habet spiritualem. Sciendum verò quod eundem calicem dominici Sanguinis, iuxta obseruantiam Ecclesiæ Catholicæ ab Apostolis traditam
nisi mixtum aqua offerri non licet: quia vinum fuit in F
redemptionis nostræ mysterio, cum ait, non bibam, amodò de hoc genimine vitis: & de latere eius quod lancea transfixum est, aqua cum sanguine egressa, vinum de vera carnis eius vitæ cum aqua expressum ostendit. Hæc sunt enim sacramenta Ecclesiæ, sine quibus ad vitam quæ vera vita est, non intratur. Ille sanguis in remissione fusus est peccatorum: aqua illa salutare temperat poculum: hæc lauacrum præstat, & potum. Hoc totum dominicæ oblationis mysterium quanta pietate & amore agendum, & accipiendum sit commendat nobis ipse Dominus, dicendo, Hæc quotiescunque feceritis, in mei memoriam facietis: quod exponens Apostolus ad Corinthios, ait, Quotiens enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis; mortem Domini annunciabitis donec veniat. Illius ergo panis & calicis oblatio; mortis Christi est commemoratio & annuntiatio, quæ non tam verbis quam mysteriis ipsis agitur, per quæ nostris mentibus mors illa
pretiosa altius & fortius commendatur. Quid est G
enim mortis Christi commemoratio, nisi caritatis eius commendatio? quam nobis Beatus Euangelista Iohannes commendans ait, Sciens IESVS quia venit eius hora vt transeat ex hoc mundo ad Patrem, cum dilexisset suos qui erant in mundo in finem dilexit eos: id est, vsque ad mortem eum dilectio illa perduxit, quia tantum dilexit illos, vt moreretur propter eos: hoc enim testatus est dicens: Maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis. Propterea & iturus ad Patrem per passionem, & per resurrectionis atque ascensionis gloriam discessurus à mundo hoc sacramentum vltimum tradidit discipulis, vt memoriam tantæ caritatis (per quam solam saluamur) altius eorum mentibus infigeret, quatenus semper memores simus, & quales, & quantum ab eo dilecti simus: quales, ne de nobis gloriemur, quantum, vt de illo speremus, quod vtrumque diligenter Apostolus exponit, & inculcat, dicens, Vt quid enim
Christus cum adhuc infirmi essemus secundum tempus H
pro impiis mortuus est? & post paululum: Commendat autem, inquit, suam caritatem Deus in nobis, quoniam si cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est: multo magis iustificati nunc in sanguine ipsius salui erimus ab ira per ipsum. Si enim cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filij eius, multo magis reconciliati, salui erimus in vita ipsius. Hoc ergo agendum, hoc frequentandum commendauit Ecclesiæ, quousque ipse veniat in fine sæculi, quando erit Sanctorum requies: non adhuc in sacramento spei, quo in hoc tempore consociatur Ecclesia, quandiu bibitur quod de Christi latere manauit; sed iam in ipsa perfectione salutis æternæ, cum tradetur regnum Deo Patri, vt in illa perspicua contemplatione incommutabilis veritatis, nullis mysteriis corporalibus egeamus. Hæc namque singulariter victima ab æterno interitu animam saluat, quæ illa nobis mortem vni-

geniti

A geniti per mysterium reparat. Qui licèt surgens a mortuis iam non moritur, & mors ei vltrà non dominabitur; tamen in seipso immortaliter atque incorruptibiliter viuens, pro nobis iterum in hoc mysterio sacræ oblationis immolatur. Eius quippe ibi Corpus sumitur, eius Caro in populi salute patitur; & Sanguis non iam in manus infidelium, sed in ora fidelium funditur. Hinc ergo pensemus quale sit pro nobis hoc sacrificium, quod pro absolutione nostrâ passionem vnigeniti Filij semper imitatur.

Sequitur in mysterio; *Vnde & memores (Domine) nos tui serui, sed & plebs tua sancta, eiusdem Christi Filij tui, Domini Dei nostri tam beatæ Passionis, necnon ab inferis Resurrectionis, sed & in cælos gloriosæ Ascensionis, offerimus præclaræ maiestati tuæ de tuis donis ac datis, Hostiam puram, Hostiam sanctam, Hostiam Immaculatam, panem sanctum vitæ æternæ, & calicem salutis perpetuæ.* Quia Dominus &

B Saluator noster mysterium suæ mortis, quam pro nostra, omniumque salute suscepit tanta pietate memoriæ fidelium commendauit, vt per oblationem & participationem sui Corporis & Sanguinis, eandem viuificam mortem suam nos annunciare voluerat, donec veniat in maiestate de cælis, quid dignius aut salubrius fieri potest, quàm vt hæc veneranda mysteria frequentando, memores fint pariter Sacerdotes & populus (vniuersa videlicet Ecclesia) beatæ Passionis eius? Et vere beata, quæ sine peccato suscepta, totius mundi peccata deleuit. Et qui non solùm (vt Apostolus ait) mortuus est propter delicta nostra, sed & resurrexit propter iustificationem nostram (ac sic mortem nostram moriendo destruxit, & vitam resurgendo reparauit) memores simus resurrectionis quoque eius ab inferis; per quam spoliato inferno (sicut per Prophetam prædixerat; ero mors tua, ô mors: morsus tuus ero, inferne) impleuit in se quod ante fuerat prophetatum; Quoniam non derelinques animam meam

C in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem. Et quoniam resurgens a mortuis, factus est primitiæ dormientium, & primogenitus mortuorum; (quia iam non moritur, & mors ei vltra non dominabitur;) & assumptus in cœlum, sedet à dextris Dei; simus memores etiam gloriosæ Ascensionis eius, quando congratulantibus Angelis, & omni militia cælestis exercitus in eius laudibus concrepante, impleuit quod in Psalmo canitur; Ascendit Deus in iubilatione, & Dominus in voce tubæ, vnde in alio Psalmo, cœlestium virtutum voces introducuntur, in eius gloriosâ Ascensione admirando interrogantium, & congratulando respondentium, cùm interrogantes dicunt; Quis est iste Rex gloriæ? Et respondentes adiungunt; Dominus fortis, & potens; Dominus potens in prælio & iterum interrogant; Quis est iste Rex gloriæ? & respondent; Dominus Virtutum, ipse est Rex gloriæ. Hæc est enim tota salus nostra, & vita, si incessanter eius memores simus, & illi soli nos debere cognoscamus, cuius pas-

D sione firmati, cuius vulnere sanati, cuius sanguine mundati, morte viuificati, Resurrectione coexcitati Ascensione in cœlis glorificati sumus. Quia & ideò pretium Redemptionis nostræ in Sacramento Dominici Sanguinis celebramus, vt semper illud fideliter meditemur quod Apostolus monet, dicens; & non estis vestri: empti enim estis pretio magno. Memores igitur Dominicæ Passionis, Resurrectionis, & Ascensionis, tam Sacerdotes quàm plebs fidelis, offerunt præclaræ, id est, præcellenti & gloriosæ Maiestati Dei; non de suo, sed de eius donis ac datis; iuxta quod scriptum est, & quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi: ipse est enim, qui educit panem de terra, & præstat vt vinum lætificet cor hominis. Ex his ergo creaturæ Dei fructibus, id est, bonitatis & pietatis eius muneribus, offert illi Ecclesia in mysterio Dominici Corporis & Sanguinis, verè Hostiam puram, Hostiam sanctam, Hostiam immaculatam. Quæ trina repetitio, tanti mysterij est laudatio, & laudando commendatio, & commendando pie deuotionis excitatio. Hæc namque Hostia, Cor-

E pus & Sanguis est (vt Beatus Petrus ait) Agni incontaminati & immaculati Christi. Quam verò Hostiam puram, sanctam, & immaculatam offert Ecclesia, nisi quam à Domino accepit, id est, panem sanctum vitæ æternæ, & calicem salutis perpetuæ? In hoc enim pane, sumentibus vita æterna est, sicut ipse Dominus, panis viuus, & panis vitæ, de seipso ait; Ego sum panis viuus, qui de cœlo descendi, & iterum; Panis enim Dei est qui descendit de cœlo, & dat vitam mundo: & alio loco dicit; Qui manducat hunc panem, viuet in æternum. Et quòd iste fit panis corporis sui, ipse exponit dicens; Et panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vitâ. Ergo & calix Sanguinis eius, calix salutis æternæ; quia sanguis ille pro multis effusus est in remissionem peccatorum, vt saluum faceret populum suum à peccatis eorum. De hoc canitur in Psalmo, Calicem salutaris accipiam, & nomen Do-

F mini inuocabo. Est enim calix iste salutaris accipienti & in sacramenti perceptione, & in passionis imitatione sicut à sanctis Martyribus acceptus est. Hunc panem significauit manna: hunc panem tribuit altare Dei. Nouerunt fideles Corpus Christi. Si in Christi corpore homo fuerit, accipiet de Christi spiritu. Sicut autem corpus nostrum sine Spiritu non potest viuere; sic non habebit Spiritum vitæ, nisi qui in Christi corpore fuerit inuentus. Qui vult viuere, accedat, credat, viuat de Deo; Deo incorporetur, vt viuificetur. Hoc est manducare illam escam, & illum bibere potum; in Christo manere; & illum manentem in se habere, sicut ipse dicit; Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo.

Sequitur in mysterio; *Supra quæ propitio ac sereno vultu respicere digneris, & accepta habere, sicuti accepta habere dignatus es munera pueri tui iusti Abel, & sacrificium Patriarchæ nostri Abrahæ, & quod tibi obtulit summus Sacerdos tuus Melchisedech, sanctum*

G *sacrificium, immaculatam hostiam.* Oratur Deus vt super hæc munera vitæ & salutis, quæ præclare maiestati eius offeruntur, propicio, (id est, placabili) & sereno vultu respicere dignetur. Non quia vultus eius aliquando obnubilatur, & aliquando serenatur; cum ipse sit Pater luminum (vt Beatus Iacobus dicit) apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio. Et Beatus Iohannes testatur, dicens; Quoniam Deus lux est, & tenebræ in eo non sunt vllæ. Sed qui semper in lumine est, tunc super nos serenat & illuminat vultum suum, quando declarat super nos misericordiam suam, sicut in Psalmo orantes dicimus; Illuminet vultum suum super nos, & misereatur nostri. Sicut è contrario, de quibusdam qui eius misericordia indigni sunt, ipse dicit; Abscondam faciem meam à vobis. Vnde & Beatus Daniel istis ipsis verbis exorat, dicens; Exaudi (Domine) preces seruorum tuorum illumina faciem tuam super sanctuarium tuum: & propicius in-

H tende populum istum, super quem inuocatum est nomen tuum. Neque enim Deus, humana forma faciem aut vultum habere putandus est, qui Dominus in Euangelio ait; Spiritus est Deus, & eos qui adorant eum, in spiritu & veritate oportet adorare: sed facies & vultus Dei, præsentia eius est. Quid est enim facies Dei super nos illuminata, nisi eius præsentia declarata, cum misericordiam & bonitatem ipsius præsentem nobis adesse sentimus? Sic & respicere Dei visitatio pietatis eius; sicut in Psalmo orantes dicimus; Deus virtutum conuertere respice de cœlo, & vide, & visita vineam istam. Oratur itaque omnipotens Deus, vt placabilis & propicius factus, sereno vultu, id est, declarata bonitate ac pietatis suæ præsentia, respiciat dignanter Ecclesiæ suæ munera; & accepta ac beneplacita habeat, sicut munera pueri sui Abel; cuius fides, & iustitia, & oblationis acceptatio; & in lege veteri commendatur, vbi scriptum est, Et respexit Deus ad Abel, & ad munera eius; & in Euangelio dicente Domino; A sanguine

Abel iuſti, vſque ad ſanguinem Zachariæ; filij Barachiæ, & in Apoſtolo, vbi ad Hebræos ſcribit; Fide plurimam hoſtiam Abel quam Cain obtulit Deo, per quam teſtimonium conſecutus eſt eſſe iuſtus; teſtimonium perhibente muneribus eius Deo: & per illam, defunctus adhuc loquitur; qui non ætate, ſed puritate & ſimplicitate puer Dei appellatur. Sicut etiam de Dauid, qui mortuus eſt ſenex & plenus dierum, tamen in Euangelio dicitur; Et erexit cornu ſalutis nobis, in domo Dauid pueri ſui. Et ſicut *ſacrificium*, inquit, *Patriarchæ noſtri Abrahæ*: vtique quod ſacrificauit in oblatione vnigeniti filij ſui Iſaac offerens eum Deo in holocauſtum, quod ità acceptum fuit, vt ſtatim mereretur audire; Per memetipſum iuraui, dicit Dominus; quia feciſti rem hanc, & non peperciſti filio tuo vnigenito, propter me, benedicam tibi, & cætera. Qui eſt Patriarcha, non tantum Iſraëliticæ plebis ſecundum carnem, ſed etiam noſtrum ſecundum fidem; ſicut ei promiſſum eſt; Quia patrem multarum gentium poſui te. Adiungitur adhuc; *Et quod tibi obtulit ſummus ſacerdos tuus Melchiſedech*: de quo manifeſte Scriptura dicit; Et melchiſedech Rex Salem protulit panem & vinum: erat enim Sacerdos Dei altiſſimi: & benedixit Abraham. Cuius & ſacerdotium & ſacrificium tantum magnificatur, vt dicat de eo Apoſtolus ad Hebræos ſcribens; Primum quidem Melchiſedech, qui interpretatur Rex iuſtitiæ: deinde Rex Salem; qui eſt Rex pacis: ſine patre, ſine matre, ſine genealogia: neque initium dierum, neque finem vitæ habens: aſſimilatus autem per omnia Filio Dei, manet Sacerdos in perpetuum. Quod vero poſt hæc omnia ſubiungitur, *Sanctum ſacrificium, immaculatam hoſtiam*, ad ſuperiora referendum eſſe videtur; vbi dictum eſt; *Supra quæ propicio ac ſereno vultu reſpicere digneris*: Vt ad complendam petitionem ſubiunctum ſit. Hoc autem tantum exoratur Deus omnipotens, videlicet vt ſacrificium ità acceptum habeat vt ſacrificium iuſti Abel, & Patriarchæ Abrahæ, & ſummi Sacerdotis Melchiſedech: quia & in illis antiquis ſacrificiis imago erat huius veri ſacrificij. Et hoc ipſum vni Deo, autori vtriuſque teſtamenti, & vtriuſque ſacrificij, ordinatiſſima temporum diſpoſitione tunc placebat in præfiguratione venturæ veritatis, quod & nunc placet in adimpletione eiuſdem veritatis. Nam & in ſacrificio Abel, quod de primogenitis ouium, & adipibus earum oblatum, ſacrificio Cain quod ex terræ fructibus offerebat, prælatum eſt, noui teſtamenti fides præfigurabatur, quæ ex innocentia gratiæ Deum laudans, veteris teſtamenti terrenis opibus anteponitur. Et immolatione vnici & dilecti filij Abrahæ, immolatio eius præſignabatur, de quo dicit Pater; Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacui: vnde ait Apoſtolus; Qui filio ſuo proprio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum. Et ſacrificium Melchiſedech tam verè erat ſignificatio ſacrificij Chriſti, vt inde prædictum ſit; Tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech.

Sequitur in myſterio; *Supplices te rogamus, omnipotens Deus; Iube hæc perferri per manus ſancti Angeli tui, in ſublime Altare tuum, in conſpectu diuinæ maieſtatis tuæ; vt quotquot ex hac altaris participatione, Filij tui Corpus & Sanguinem ſumpſerimus, omni Benedictione cæleſti, & gratia repleamur, per Chriſtum Dominum noſtrum.* Hæc verba myſterij tam profunda, tam mira & ſtupenda quis comprehendere ſufficiat? quis inde digne aliquid loquatur? Magis veneranda ſunt, & pauenda, quam diſcutienda. Beatus tamen Gregorius, idoneus tanti ſacramenti interpres in quodam loco aliquid de his, tanquam de re ineffabili loquitur; Quis enim fidelium, inquit, habere dubium poſſit in ipſa immolationis hora, ad Sacerdotis vocem cœlos aperiri? In illo IESV CHRISTI myſterio, Angelorum choros adeſſe, ſummis ima ſociati, terram cœleſtibus iungi, vnum quid ex inuiſibilibus atque viſibilibus fieri? Idem etiam doctor E
quomodo accipiendum ſit ſublime altare Dei in conſpectu diuinæ maieſtatis eius, quodam loco ſubtiliter oſtendit exponens illum verſiculum Pſalmi; Conſtituite diem ſolemnem in confrequentationibus, vſque ad cornu altaris. Dies, inquit, ſolemnis eſt Domino, compunctio cordis noſtri. Sed tunc in frequentatione dies ſolemnis conſtituitur, cum in lachrymis præ amore aſſiduè mens mouetur: cui velut ſi dixerimus, Quamdiu iſta acturi ſumus, quandiu tribulatione afficimur, illico terminum quouſque fieri debeat ſubiunxit, dicens; Vſque ad cornu altaris. Cornu quippe altaris eſt, exaltatio ſacrificij interioris: Vbi cum venerimus, iam nulla neceſſitas eſt, vt ſolemnem diem Domino de noſtra lamentatione faciamus. Beatus quoque Auguſtinus, de eodem ſublimi altari diuino exponens verſiculum Pſalmi; Lauabo inter innocentes manus meas, & circumdabo altare tuum, F
Domine ſic breuiter deſignat; Munda, inquit, faciem meam, inter innocentes opera mea, quibus amplexabor ſublimia tua. Item alio loco exponens illum verſiculum; Et introibo ad altare Dei ad Deum qui lætificat iuuentutem meam; de eadem re ſic dicit. Eſt enim quoddam altare Dei inuiſibile, ad quod non accedit iniuſtus. Ille ſolus accedit, qui ad iſtud ſecurus accedit. Illic inueniet vitam ſuam, qui in iſto diſcernit cauſam ſuam. Quale ibi ſacrificium eſt? Ipſe qui intrat, aſſumitur in holocauſtum. Et repetit aliis verbis quid hoc altare ſit; Ad Deum inquiens, qui lætificat iuuentutem meam. Item alibi idem doctor exponens eundem verſiculum, quem & Beatus Gregorius, SI enim eſt (inquit) in domo illâ ſempiternâ ſacrificium laudis, & Sacerdos ſempiternus eſt, & altare ſempiternum, placata mens ipſa iuſtorum. Non ergo ſufficiat in terra dies iſte ſolemnis quo agnus occiſus eſt: ſed conſtituite illum in condenſis, Scripturarum alta & ſecreta rimantes quouſque perueniatis exaltaris à G
Deo mentibus veſtris, vſque ad eius diuinitatem. Et quid ibi aliud niſi laudes cantabimus? quid ibi aliud dicemus, niſi Deus meus es & confitebor tibi; Deus meus es tu, & exaltabo te? Non ſtrepitu verborum iſtud dicemus; ſed dilectio inhærens illi per ſeipſam clamat iſtam vocem. Dilectio ipſa vox eſt. Hæc de ſublimi altari in conſpectu diuinæ maieſtatis eius, neceſſario in hoc loco ex ſanctorum Patrum verbis poſita ſunt; ne quis carnaliter cogitans, æſtimet in cœlis eſſe altare corporeum, ex cœleſti ſiue ſupercœleſti corpore factum: ſed potius iuxta ſenſum ſpiritualium Patrum intelligamus ſublime altare Dei, rationale, & intelligibile eſſe in electa & rationali creatura; Angelica videlicet & humana: quæ in ſanctis Angelis, ex quo condita eſt, in contemplatione ſui conditoris ſublimata, & ſibi inuicem per ſpiritum pacis vnita, verum & ſublime altare Dei exiſtit; ex quo accipit Deus ſempiternum ſacrificium lau- H
dis, & hoſtiam iubilationis: ad cuius altaris vnitatem adiungitur nunc per fidem, & in futuro per diuinæ contemplationis ſpeciem; omnis multitudo hominum electorum. Sed quamdiu in iſta mortalitate viuunt, antequam reipſa ingrediantur ad illud altare Dei, antequam perueniant vſque ad cornu altaris, in orationibus & ſupplicationibus ſuis tanquam in inferioribus adhuc poſitis à ſupernis virtutibus iuuantur, vt earum interuentione exaudiantur, & quaſi de ſublimitate altaris ſuſcipiantur, ſicut legimus & Danieli oranti & deprecanti, Gabrielem Angelum apparuiſſe, eique dixiſſe; Ab initio precum tuarum egreſſus eſt ſermo: & ego veni propter ſermones tuos: & nemo eſt adiutor meus in omnibus his, niſi Michael Archangelus, Princeps veſter. Et in Zacharia Propheta legimus, pro conſolatione & liberatione populi Dei Angelum deprecantem, & dicentem; Domine exercituum, vſquequo non miſereberis tu Iſraelis, & vrbium Iuda quibus iratus es? Iſte ſeptuageſimus an-

A nus est. Et respondit Dominus Angelo verba bona, verba consolatoria. Similiter & ad Tobiam Raphael Angelus dicit; Quando orabas tu cum lacrymis, & sepeliebas mortuos, ego obtuli orationem tuam Domino. Et nunc misit me Dominus vt curarem te, & cætera. Fit ergo & in ista oratione & oblatione sacræ consecrationis, aliquid incomprehensibile, & ineffabile, & multo his omnibus mirabilius, vt per Angelica ministeria & supplicationes, tanquam de sublimi altari, diuinæ maiestatis conspectibus offerantur. In illa immolationis hora, cum adstantibus sibi ministris cœlestibus Christus, vt proposita consecret adesse credendus est: de qua re commodum videtur aliqua Beati Ambrosij verba ponere, de expositione Euangelij secundum Lucam. Non enim dubites, inquit, assistere Angelum quando Christus assistit, Christus immolatur. Etenim Pascha nostrum immolatus est Christus. Vnde non immeritò etiam Zachariæ deprecanti apparuit Angelus, à dextris altaris incensi;

B quia veri Sacerdotis iam nunciabatur aduentus, & cœleste sacrificium parabatur, in quo Angeli ministrarent. Sic ergo ista cogitanda sunt, vt aliquid quo nihil sit melius atque sublimius illa cogitatione conemur attingere. Similiter quoque & illud quod sequitur; vt omnes quotquot ex hac altaris participatione sacrosanctum Filij tui Corpus & Sanguinem sumpserimus, omni benedictione cælesti, & gratia repleamur. Ista enim munera, sunt dona super omnem gloriam constituta, quibus fideles suos omnipotens Deus reficiens, glorioso Filij sui Corpore viuificat, sanctificat, æternitati præparat. Per hæc, corda fidelium omni benedictione cœlesti replet, & gratia; tribuens corporibus castimoniam, mentibus fidem, cogitationibus puritatem. Per hæc tuetur suos misericordia, confirmat spe, munit caritate; vt tanta dominici participatione Corporis, qui intra se Deum suscipiunt templum eius effici mereantur. Quid sit ergo per participationem corporis & Sanguinis Filij Dei,

C omni benedictione cœlesti, & gratia repleri, & quantum hoc bonum debeat esuriri ac sitiri, audiamus Beatum Ambrosium dulciter docentem, & exhortantem. Christus est Ecclesiæ cibus, Christus est potus. Caro, Dei est cibus & Dei Sanguis est potus. Christus nobis quotidie ministratur. Cibus iste non corpus impinguat, sed confirmat cor hominis. Hic est panis vitæ. Qui ergo vitam manducat, mori non potest. Accedite ad eum, & satiamini, quia panis est: accedite ad eum, & potate, quia fons est: accedite ad eum, & illuminamini, quia lux est: accedite ad eum, & liberamini, quia vbi Spiritus Domini, ibi libertas: accedite ad eum & absoluimini, quia remissio peccatorum est. Corpus Domini Iesu, postulatio est diuinæ reconciliationis, & protectionis æternæ. Accipe tibi munimentum: suscipe Dominum Iesum tuæ mentis hospitio. Vbi Corpus eius, ibi Christus est. Cum hospitium tuum viderit aduersarius occupatum cœlestis fulgore præsentiæ intelligat locum tentamentis suis interclusum esse per Christum. Qui sit iste quæris? Audi ipsum dicentem; Ego sum panis vitæ: qui venit ad me, non esuriet; & qui credit in me, non sitiet vnquam.

Sequitur in mysterio; *Memento etiam (Domine) famulorum famularumque tuarum, qui nos præcesserunt cum signo fidei, & dormiunt in somno pacis. Ipsis, & omnibus in Christo quiescentibus, locum refrigerij, lucis, & pacis vt indulgeas deprecamur.* Orat pia mater Ecclesia etiam pro defunctis suis, & eos sacræ oblationis intercessione commendat, certissimè credens, quia Sanguis ille pretiosus, qui pro multis effusus est in remissionem peccatorum non solum ad salutem viuentium, sed etiam ad absolutionem valeat defunctorum: sicut Beatus Iohannes testatur, dicens; Et Sanguis Filij eius Iesu Christi emundat nos ab omni peccato. Præcedunt enim fideles de corpore exeuntes ad Dominum; sed non præcidantur ab Ecclesia,

E quia præcedunt cum signo fidei, & dormiunt in somno pacis. Cum signo fidei, quia ex aqua & Spiritu sancto renati, quia Christi Cruce & passione signati. Dormiunt autem, tanquam vere resurrectione suscitandi: sicut Dominus de puella quam suscitaturus erat, ait; Non est mortua puella, sed dormit & de Lazaro; Lazarus amicus noster dormit; sed vado vt à somno exsuscitem eum. Vnde & Paulus de fidelibus defunctis ait; Nolumus vos ignorare, fratres, de dormientibus; vt non contristemini, sicut & cæteri qui spem non habent. Dormiunt ergo in somno pacis, quia ab vnitate & societate Christi, & Ecclesiæ, nec per hæreses, nec per schismata, nec per mortalia crimina separati sunt. In quibus & si aliquando fuerunt, tamen per pœnitentiam sanati, & per orationem Ecclesiæ (cui in Petro dictum est; Quodcumque solueris super terram, erit solutum & in cœlis) reconciliati, & redemptionis mysterio sociati, vtique in pace obierunt; miserante illo qui non vult mortem peccatoris, F sed vt conuertatur, & viuat. Neque enim piorum animæ mortuorum separantur ab Ecclesia: alioqui nec ad altare fieret eorum memoria in communicatione Corporis Christi. (August.) Nec aliquid prodesset, ad eius baptismum in periculis currere, ne sine illo finiatur hæc vita, nec ad reconciliationem, si fortè per impœnitentiam, vel malam conscientiam quisque ab eodem Corpore separatus est. Cur enim fiunt ista nisi quia fideles, etiam defuncti membra eius sunt. Quamuis ergo nondum cum suis corporibus, iam tamen animæ eorum regnant cum Christo: vnde & in Apocalypsi legitur; Beati mortui qui in Domino moriuntur. Amodò iam dicit Spiritus vt requiescant à laboribus suis; opera enim illorum sequuntur illos. Et ipse est verus baptismus fidelium, id est, requies, de qua Apostolus dicit, Itaque relinquitur sabbatismus populo Dei: qui enim ingressus est in requiem eius, requieuit ab operibus suis, quemadmodum & à suis Deus.

G Regnat itaque cum Christo nunc Ecclesia in viuis & mortuis. Propterea enim (sicut dicit Apostolus) mortuus est Christus, vt & viuorum & mortuorum dominetur: vnde & alibi ait; Quoniam non posuit nos Deus in iram; sed in adquisitionem salutis, per Dominum nostrum Iesum Christum, qui mortuus est pro nobis, vt siue vigilemus, siue dormiamus, simul cum illo viuamus. In quibus verbis, vigilantes viuentes, dormientes mortuos intelligi voluit: sicut iterum dicit; Siue ergo viuimus, siue morimur, Domini sumus. Nam luce clarius constat, quia perfectorum iustorum animæ mox vt huius carnis claustra exeunt, in cœlestibus sedibus recipiuntur: (Greg.) quod & ipsa Veritas attestatur dicens; Vbi fuerit corpus, illuc congregabuntur aquilæ; quia vbi ipse Redemptor noster est Corpore, illuc procul dubio colliguntur & animæ iustorum. Et Paulus dissolui desiderat, & cum Christo esse. Qui ergo Christum in cœlo esse non dubitat, nec Pauli animam in cœlo esse negat: qui etiam de solutione sui corporis, atque inhabitatione patriæ cœle-

H stis dicit; Scimus quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur, quod ædificationem habemus ex Deo domum non manu factam, æternam in cœlis. Verum de Apostolis, martyribus, Confessoribus, cæterisque perfectioris vitæ viris, vt iam diximus fieri credendum est. Nam sunt quorundam iustorum animæ, quæ à Cœlesti regno, licèt in beata requie, quibusdam adhuc mansionibus differuntur. In quo dilationis damno quid aliud ostenditur, nisi quod de perfecta iustitia aliquid minus habuerunt? At verò nonnulli propter bona quidem opera ad electorum sortem præordinati, sed propter mala aliqua quibus polluti de corpore exierunt, post mortem seuerè castigandi, excipiuntur flammis ignis purgatorij: & vel vsque ad diem iudicij longa examinatione à vitiorum sorde mundantur, vel certè priùs amicorum, fidelium precibus, eleemosynis, ieiuniis, fletibus, & hostiæ salutaris oblationibus, absoluti pœnis, & ipsi ad Bea-

torum perueniunt requiem. Illis ergo sacræ victimæ mortuis prosunt, qui hic viuendo obtinuerunt, vt eos etiam post mortem bona adiuuent, quæ hic pro ipsis ab aliis fiunt. Inter hæc autem pensandum est, quod tutior via sit, vt bonum quod quisque post mortem suam sperat agi per alios, agat dum viuit ipse pro se. Beatius quippe est liberum exire, quam post vincula libertatem quærere. Post illa ergo verba quibus dicitur; Qui nos præcesserunt cum signo fidei, & dormiunt in somno pacis, vsus fuit antiquorum (sicut etiam vsque hodie Romana agit Ecclesia) vt statim recitentur ex diptychis, id est, ex tabulis, nomina defunctorum: atque ita post lectionem nominum subiungerentur verba sequentia; *Ipsis, & omnibus in Christo quiescentibus, locum refrigerij, lucis, & pacis vt indulgeas deprecamur.* Ipsis videlicet quorum nomina memorantur, & cæteris omnibus in Christo quiescentibus, de quibus dicit Apostolus; Et mortui qui in Christo sunt, resurgent primi. Locus refrigerij est, vbi non sentitur ille ardor pœnarum, de quibus diues ille in inferno sepultus dicebat; Quia crucior in hac flamma. *Et lucis*, quam Dominus promittit fidelibus, dicens; Ego sum lux mundi. Qui sequitur me, non ambulat in tenebris sed habebit lumen vitæ: & de qua Psalmista ait; Vt placeam coram Deo in lumine viuentium. *Et pacis*, ad quam iustus Simeon finitis vitæ huius laboribus transire cupiebat, dicens; Nunc dimittis seruum tuum, Domine, secundum, verbum tuum in pace: & in qua Sanctorum martyrum animæ quiescunt dicente scriptura; Visi sunt oculis insipientium mori, illi autem sunt in pace. Hanc autem piam & religiosam obseruantiam, quam ex Apostolica sine dubio traditione susceptam, vniuersa in mundo vniformiter & celebriter tenet Ecclesia, etiam veteris testamenti Scriptura, & consuetudo à Patribus custodita diligentissimè commendat. Legimus namque in Machabæorum libris, quod vir fortissimus & Pontifex Iudas, duodecim millia drachmas argenti misit Hierosolymam, offerri ea pro peccatis mortuorum qui in bello ceciderant: considerans quod hi qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repositam gratiam. Vbi & hoc in laudibus fidei eius adiungitur, quia sancta & salubris cogitatio est, pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur.

Sequitur in mysterio; *Nobis quoque peccatoribus, famulis tuis de multitudine miserationum tuarum sperantibus, partem aliquam & societatem donare digneris cum tuis sanctis Apostolis, & martyribus*, & cætera, vsque vbi dicitur; *& cum omnibus sanctis tuis, intra quorum, nos consortium non æstimator meriti, sed veniæ (quæsumus) largitor admitte, per Christum Dominum nostrum Amen.* Commendatis spiritibus defunctorum per oblationem pietatis, vt in beatis electorum sedibus mereantur retinere locum refrigerij, lucis, & pacis; consequenter oratur omnipotens Deus, vt etiam cæteros fideles qui superstites sunt, & viuunt; id est, Sacerdotes & populum, per virtutem & gratiam eiusdem venerabilis Sacramenti, ad eamdem beatitudinem perducat. Totius namque Ecclesiæ vox est, id est, Sacerdotum & plebium veraciter confitentium, & dicentium Deo; *Nobis quoque peccatoribus, famulis tuis:* qui licet omni tempore peccatores nos esse, ex corde cognoscere debeamus, tunc quam maxime hoc attentius agendum, & confitendum est, cùm in illo sacro mysterio celebratur remissionis gratia, indulgentia peccatorum: & cum humilitate & contritione cordis dicendum Deo; *Nobis quoque peccatoribus, famulis tuis:* quia (sicut scriptum est) etsi peccauerimus, tui sumus, scientes magnitudinem tuam. Non de vllis nostris meritis, sed de multitudine miserationum tuarum de te sperantibus: vnde in Psalmo cantamus; Et secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam. Recordanda namque sunt in hoc loco; & diligenter inculcanda verba Apostoli dicentis; Omnis namque Sacerdos ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in his quæ sunt ad Deum, vt offerat dona & sacrificia pro peccatis: qui condolere possit his qui ignorant & errant; quoniam & ipse circumdatus est infirmitate: & propterea debet quemadmodum pro populo, ita etiam pro se offerre pro peccatis. Ad quod beatus Gregorius in quodam loco exhortans dicit; sed necesse est, vt cum hæc agimus, nosmetipsos Deo in cordis intentione mactemus. Quia passionis dominicæ mysteria celebramus, debemus imitari quod agimus. Tunc enim verè pro nobis Deo hostia erit, cum nos ipsos hostiam fecerit. Oratur itaque omnipotens Deus, vt non solum defunctis, quorum supra commemoratio facta est, sed etiam nobis peccatoribus, de multitudine miserationum suarum sperantibus, partem aliquam, & societatem donare dignetur cum suis sanctis Apostolis, & martyribus, & omnibus Sanctis: vt pro modulo nostro, quibus nunc sociamur per communionem fidei, quorum memoriam veneramur, in quorum communione & vnitate hæc diuina mysteria agimus, cum ipsis etiam societatem vitæ & beatitudinis æternæ in futuro accipiamus. Intrà quorum consortium & nos Dei pietas introducat, petimus: vt nobis non nostri meriti æstimator, sed veniæ sit largitor: vt quia Sanctorum societati per meritum iungi non possumus, per indulgentiam coniungamur. Si enim merita æstimentur, & diuino iudicio ponderentur, quis ad Apostolorum & martyrum societatem assurget? In fine autem huius orationis, sicut in cæteris præcedentibus, per quem nobis hæc omnia speranda, poscenda, & obtinenda sint subiungitur; *Per Christum Dominum nostrum:*

Et statim conclusio totius consecrationis sequitur, dicendo; *Per quem hæc omnia (Domine) semper bona creas, sanctificas, viuificas, benedicis, & præstas nobis. Per ipsum, & cum ipso, & in ipso est tibi Deo Patri omnipotenti, in vnitate Spiritus sancti, omnis honor & gloria per omnia sæcula sæculorum, amen.* Per ipsum enim omnipotens Pater hæc bona omnia, quæ sacris altaribus consecrantur, non solum in exordio mundi creauit condendo quod non erat; (quando per eumdem vnigenitum, verbum suum, dixit & factum est; Germinet terra herbam virentem, & afferentem semen: lignumque pomiferum, faciens fructum suum; In qua creatione vtique & herba frumenti, & lignum vini exortum est); sed etiam semper eadem bona creat propagando, & reparando (sicut & in Cana Galileæ, vt se ostenderet huius creationis auctorem, signo admirabili aquas vertit in vinum); vt per annos singulos & nouæ segetes, & noua vina nascantur. De hac namque operatione regendæ, propagandæ, & reparandæ creaturæ, ipse vnigenitus Filius in Euangelio dicit ad Iudæos, indignantes quod in Sabbato curaret; Pater meus vsque modo operatur, & ego operor. Tanquam diceret; Non sex tantum diebus primis (vt putatis) Pater operatus est, sed vsque modo operatur; non nouum creaturæ genus instituendo, sed quæ in principio creauerat, ne deficiant, propagando. Et ego, inquit, operor: subauditur, vsque modo; cum eo cuncta disponens, regens, accumulans. In quibus verbis æqualem se Deo Patri manifestissime prædicauit; quia quorum est vna eademque operatio procul dubio æqualis est & maiestas. Per ipsum ergo (vt dictum est) Deus Pater hæc omnia bona semper creat, & creata, ac suis conspectibus oblata sanctificat; vt quæ erant simplex creatura, fiant sacramenta, sicque sanctificando viuificat, vt sint mysteria vitæ, vt sumatur in eis vita, vt vitalem substantiam accipientibus subministrent: sanctificando autem & viuificando ineffabiliter benedicit, quia ea omni benedictione cœlesti, & gratia accumulat. Ità verò sanctificata, & viuificata, & benedicta præstat nobis per eundem, secum pariter sanctificantem, & viuificantem, & benedicentem; qui nobis de Corpore ac Sanguine suo dedit tam salubrem refectionem. Manducent ergo qui manducant, & bibant qui bibunt: esuriant, & sitiant: vitam manducent, vitam bibant. Illud manducare, reficere

est

A est : sed sic refeceris, vt non deficiat vnde refeceris. Illud bibere quid est nisi viuere ? Manduca vitam, bibe vitam : habebis vitam : hæc integra est vita. Tunc autem hoc erit, id est vita vnicuique erit Corpus & Sanguis Christi, si quod in sacramento visibiliter sumitur, in ipsa veritate spiritualiter manducetur, spiritualiter bibatur. Per ipsum ergo, & cum ipso, & in ipso, est Deo Patri omnipotenti, in vnitate Spiritus sancti, omnis honor & gloria. Per ipsum scilicet tanquam verum mediatorem Dei & hominum, hominem Christum Iesum. Cum ipso tanquam coæquali, cui secum vnus honor & gloria debetur ; quia cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo. In ipso autem tanquam consubstantiali, sicut ipse ait ; Vt glorificetur Pater in Filio. Omnis vero honor & gloria est Deo Patri per Filium, & cum Filio, & in Filio ; in vnitate Spiritus sancti, qui ex Patre Filioque procedens, vnitatem deitatis possidet cum Patre & Filio, atque ideo simul adoratur, & conglorificatur. Insinuatur itaque nobis in Patre auctoritas, in Filio natiuitas, in Spiritu sancto Patris Filiique communitas ; in tribus æqualitas. Quid est autem quod damus honorem & glo-
B riam Deo Patri, per filium, in vnitate Spiritus sancti, per omnia sæcula sæculorum ? Quid est autem, per omnia sæcula sæculorum, nisi quod Beatus Iudas Apostolus in fine Epistolæ suæ, velut distinctè & designanter exponit, & exponendo generaliter concludit, dicens ; Soli Deo Saluatori nostro, per Dominum nostrum Iesum Christum gloria, magnificentia, imperium, & potestas ante omne sæculum, & nunc, & in omnia sæcula sæculorum ? Cœpit enim sæculum, id est, temporalis mutabilitas à conditione creaturæ. Currunt sæcula præsentia, mutabilium rerum cursu labentia : succedent verò sæcula futura, incommutabili rerum statu æternaliter permanentia. Verùm quia hæc omnia in æterna Dei sapientia, sine vllo omnino initio, vel mutabilitate fixa sunt : quia, vt in
C Euangelio legimus ; Quod factum est in ipso, vita erat bene intelliguntur ita dici sæcula sæculorum, tanquam sæcula in sapientia Dei, inconcussa stabilitate manentia, istorum (quæ cum tempore transeunt) efficientia sæculorum. Aut certe simpliciter accipienda sunt sæcula sæculorum, velut consequentia præcedentium ; vt continuata sibi connexione copulentur quæ appellantur sæcula sæculorum : donec totum præsens, quod ex diuersorum temporum sæculis contexitur, perueniat ad finem & succedat futurum sæculum quod non habet finem ; vbi Deus videbitur, & laudabitur sine fine. Amen autem quod ab omni Ecclesia respondetur, interpretatur verum ; non vbicumque, & quomodocumque, sed mystica religione. Hoc ergo ad tanti mysterij consummationem, sicut & in omni legitima oratione, respondent fideles, & respondendo subscribunt.

Adiungit autem Sacerdos adhuc, & dicit ; *Oremus. Præceptis salutaribus moniti, & diuina institutione formati, audemus dicere ; Pater noster qui es in cœlis*, & cætera vsque ad finem. Dignum profectò fuit, vt tota hæc tam sacrosancta actio, dominica oratione concluderetur : & petitiones fidelium, quas vel propter futuram, vel propter præsentem vitam nos Dominus docuit, per eandem passionis eius commemorationem efficacius commendarentur. Admonetur ergo tota Ecclesia, & dicitur ei à Sacerdote, Oremus. Et orat Ecclesia cum Sacerdote, non voce, sed corde. Labia clausa sunt, & patet conscientia : silentium est, & clamat pectus ; sed in auribus Dei. Ille audit qui miseretur. Nam & Susanna, cum damnaretur ab iniustis Iudicibus tacebat, & orabat : os eius non audiebatur ab hominibus, cor eius clamabat ad Deum. Nunquid quia vox eius, ore corporis non processit, propterea exaudiri non meruit ? Exaudita est illa : sed quando orauit, nemo hominum sciuit. Orat ergo Sacerdos simul cum Ecclesia conuersus ad Deum, & dicit ; *Præceptis salutaribus moniti, & diuina institutione formati, audemus dicere, Pater noster qui es in cœlis*. Hoc enim præceptum nobis est salutare, id est, ad salutem nostram proficiens, quo nos vnigenitus Filius, per lauacrum regenerationis, & spiritum adoptionis Dei filios
E effectos dicere monuit, dicere iussit : & non humana, sed diuina sua institutione ipse nobis orandi formam instituit : & vt Deo audeamus dicere, Pater noster, ipse nos sua iussione monuit, ipse nos sua institutione informauit, dicens ; Sic ergo vos orabitis, Pater noster qui es in cœlis. Hoc itaque nobis super omnia salutare est, quod nobis tantam gratiam per vnigenitum suum contulit Deus Pater ; vt tantam bonitatem cogitantes, & amantes, sic agamus, vt iam non filij sæculi, sed Dei filij simus. Præceptis ergo salutaribus iussi, diuina institutione informati, non præsumptionis temeritate, sed obedientiæ pietate præsumamus dicere Deo, Pater noster qui es in cœlis : vt fidelis quisque, qui in veteri homine erat filius iræ, iam in cœlesti generatione Patrem inuocet pietate. Credimus verò vbi-
F que esse Deum per diuinitatis præsentiam, sed non vbique per habitationis gratiam. Propter hanc ergo inhabitationem, vbi gratia dilectionis eius agnoscitur, non dicimus, Pater noster qui es vbique, cum & hoc verum sit ; sed, Pater noster qui es in cœlis, vt templum eius potius in oratione commemoremus, quod & nos esse debemus, & in quantum sumus, in tantum ad eius societatem, & adoptionis familiam pertinemus. Nec se Filius in hac hora prætermisit, sed in Patris vnitate coniunxit ; quia in Patre & se orari iussit. Cum enim Patrem rogas, Filij nomen implotas ; *Sanctificetur nomen tuum.* Hoc petendo admonemur desiderare, vt nomen eius quod semper sanctum est, etiam apud homines sanctum habeatur ; hoc est, non contemnatur : quod non Deo, sed hominibus prodest. *Adueniat regnum tuum.* Hac petitione desiderium nostrum ad illud regnum excitamus, vt nobis veniat, atque in eo regnare mereamur. *Fiat voluntas tua sicut in cœlo & in terra.* Hac petitione nobis ab illo precamur ipsam obedien-
G tiam ; vt sic in nobis fiat voluntas eius, quemadmodum fit in cœlestibus, in Angelis eius. *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Per id quod dicimus, Hodie, significatur, hoc tempore : quâ petitione vel sufficientiam quotidiani victus petimus, nomine panis totum significantes ; vel sacramentum fidelium, quod in hoc tempore necessarium est, non tamen ad huius temporis, sed ad æternam felicitatem assequendam. *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Hic admonemur, & quid petamus, & quid faciamus vt accipere mereamur. *Et ne nos inducas in tentationem.* Petimus ne deserti eius adiutorio, alicui tentationi vel consentiamus decepti vel cedamus afflicti. *Sed libera nos a malo.* Hic admonemur cogitare, nondum nos esse in eo bono, in quo nullum patiemur malum. Quæ petitio ita latè patet, vt homo Christianus in qualibet tribulatione constitutus, in hoc gemitus edat, in hoc lacrymas fundat, in hoc exordiatur, in hoc immoretur, ad hoc terminet orationem. Amen. Signaculum dominicæ orationis (quod interpretatur, verè, siue fi-
H deliter), attestatio est veritatis. Quod ex Apostolica traditione, etiam ad cæteras orationes consuete respondet Ecclesia, sicut Apostolus ad Corinthios scribit, dicens ; Si benedixeris spiritu, quis supplet locum idiotæ. Quomodo dicit Amen super tua benedictione, quoniam quidem nescit quid dicat ? Ex quo ostendit non posse idiotam respondere, verum esse quod dicitur, nisi ante intellexerit.

Post orationem dominicam, quam ad completionem perfecti mysterij tota ad Deum fudit Ecclesia, sequitur in conclusione eiusdem orationis Sacerdos, & dicit ; *Libera nos, quæsumus Domine, ab omnibus malis, præteritis, præsentibus, & futuris.* In quibus verbis mala preterita a quibus liberari petimus, peccata nostra transacta intelligenda sunt ; quorum etsi actio iam cessauit in nobis, tamen reatus manet, nisi diuina indulgentia deleatur : vnde admonet Scriptura, dicens ; Fili, peccasti : ne adiicias iterum ; sed & de præteritis depre-

cate, vt tibi dimittantur. Mala vero præſentia; quia quotidie peccamus, & quotidie neceſſe habemus dicere, Dimitte nobis debita noſtra; poſſunt intelligi & quotidiana peccata noſtra in animo, & accidentes ſæpe diuerſi languores & afflictiones in corpore: & extrinſecus inuenientes innumeræ calamitates; vt fames, peſtilentia, gladius, & cætera huiuſmodi pericula: quæ omnia quotienſcumque patimur, eius debemus implorare auxilium, qui ſolus ſua pietate & animas curat & corpora; & nouit quando filiis ſuis quos ad æternam hæreditatem præparat, & flagellum correptionis, & dulcedinem conſolationis adhibeat. Futura etiam mala quid aliud intelligenda ſunt, niſi quæcumque nobis accidere poſſunt ſaluti & paci contraria, ſiue per tentationes diaboli, ſiue per aduerſitates & miſerias ſæculi? Et maximè illa pro quibus effugiendis præcipuè orare debemus, vt liberemur à ventura ira, à damnatione æterna, quæ ſine dubio malis conſtat eſſe futura? Orat ergo hæc Sacerdos, immo tota cum Sacerdote Eccleſia, vt quod in fine orationis dominicæ dictum eſt, *Sed libera nos à malo*; ità nobis per Dei miſericordiam præſtetur, vt liberemur ab omnibus malis; id eſt, quæ nobis vel in præterito acciderunt, vel in præſenti occidunt, vel in futuro accidere poſſe formidantur. Vnde & Dominus fragilitatem noſtram in tantis periculis conſtitutam miſericorditer admonet, dicens; Vigilate, & orate; ne intretis in tentationem & iterum Vigilate itaque omni tempore orantes, vt digni habeamini fugere iſta omnia quæ futura ſunt, & ſtare ante filium hominis.

Sequitur Sacerdos, & dicit; *Et intercedente beata & glorioſa ſemper Virgine Dei Genitrice Maria: & beatis Apoſtolis tuis Petro & Paulo, atque Andrea, cum omnibus Sanctis, da propitius pacem in diebus noſtris; vt ope miſericordiæ tuæ adiuti, & à peccato ſimus ſemper liberi, & ab omni perturbatione ſecuri.* Præcepit Dominus populo Iſraelitico, cum detineretur in Babylonica ſeruitute captiuus, dicens inter alia per Ieremiam Prophetam; & orate pro pace ciuitatis, ad quam tranſmigrare vos feci: quia in pace ipſius, erit pax vobis. Similiter autem & Apoſtolus populum Eccleſiæ exhortatur, dicens; Volo igitur, primo omnium fieri obſecrationes, orationes poſtulationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus, pro Regibus, & his qui in ſublimitate ſunt vt quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate. Iuxta ergo hanc formam, & per Prophetam & per Apoſtolum diuinitus conſtitutam, populus fidelium in huius ſæculi peregrinatione, tanquam in Babylone captiuus, & ſupernæ patriæ ſuſpirans, orat etiam pro pace temporali, ne impediatur à pace ſpirituali & æternali: vt remotis per Dei pietatem perſecutionibus, ſeditionibus; hoſtilitatibus, quietam & tranquillam vitam agat Eccleſia in omni pietate. Et hoc orat generali obſeruantia, ſine intermiſſione, in omni dominica obſeruatione; in qua, iuxta præceptum Apoſtolicum, obſecrationes ſuas, & orationes, & poſtulationes, & gratiarum actiones offert Deo. Hoc autem pauciſſimis, ſed eminentiſſimis Sanctis nominatis, à Deo exorat: videlicet intercedente in primis Dei Genitrice, per quam humano generi ſalus exorta eſt: & beatis Apoſtolis Petro, & Paulo, atque Andrea, impetrare meretur. In qua poſtulatione non cæterorum Sanctorum interceſſio prætermittitur, ſed in iſtorum commemoratione, omnium ſuffragia expetuntur: quia omnes ita ſibi in Deo ſociati & vniti exiſtunt; ita omnes vniri deſiderant, & rogant pro ſalute hominum, vt & in vno omnes pariter habeantur, & in vno omnes pariter negligantur. Magiſque offenſurus eſt, quiſquis ita agendum putat, eos ad quos ſe contulerit, quam eos à quibus abſtulerit. Vnitate enim gaudent, & in Chriſto ſunt. Quod ergo dicit Eccleſia; *Da propitius pacem in diebus noſtris*, manifeſtè iuxta exemplum quod in Iſaia legitur, hoc facit. Cùm enim prædixiſſet idem Propheta Ezechiæ Regi iuſto venturæ captiuitatis mala, compunctus reſpondit; Bonum verbum Domini, quod locutus eſt. Fiat pax tantum, & veritas in diebus meis: videlicet futura humiliter Dei iudicio ſeruans; de præſenti verò, quod ad ſuam & populi ſui ſalutem pertinet deprecans; Fiat, inquit, pax & veritas in diebus meis: pax, ne regni tranquillitas ab hoſtibus turbaretur; veritas vero, vt in ipſa pace, Dei cultus, & religionis veritas ſeruaretur. Vnde & Apoſtolus, vbi hæc orari præcepit, vtrumque: ſimul poſuit; vt quietam, inquit, & tranquillam vitam agamus in omni pietate. Nam quies & tranquillitas pertinet ad pacem, pietas ad diuini cultus religionem. Ita ergo & Eccleſia deprecatur fieri pacem in diebus noſtris: quod & poſt nos alij, & poſt ipſos alij vſque ad conſummationem ſæculi, vtique ſimiliter orabunt. Cur autem ipſam pacem poſtulet, ſubiungit: videlicet vt ope (id eſt, auxilio & protectione miſericordiæ Dei) adiuti, quantum ad interiorem religionis deuotionem pertinet, ſimus ſemper à peccato liberi; quantum vero ad exteriorem pacem, ſimus etiam ab omni perturbatione ſecuri. Nam pax, in qua non diuinæ religioni, ſed mundanæ cupiditati ſeruitur, non eſt iuſtorum, ſed iniquorum de quibus Pſalmiſta ait; Quia zelaui in peccatoribus, pacem peccatorum videns.

Sequitur quod & in iſta, & in omnibus ferè orationibus Eccleſiaſticis in concluſione ſubiungi ſolet; *Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum Filium tuum, qui tecum viuit & regnat Deus, in vnitate Spiritus ſancti, per omnia ſæcula ſæculorum.* Quod vtique certa ratione (vt ſæpe dictum eſt) catholica concelebrat Eccleſia, propter illud vtique ſacramentum, quod mediator Dei & hominum factus eſt, homo Chriſtus Ieſus, Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech: qui per proprium ſanguinem ſemel introiuit in Sancta, non vtique manufacta, ſed in ipſum cœlum, vbi eſt in dextera Dei, & interpellat pro nobis. Per ipſum ergo hoſtiam laudis atque operationis offerimus, qui per eius mortem reconciliati ſumus, cùm inimici eſſemus. Chriſtus namque in forma Dei permanens vnigenitus Deus, cui cum Patre hoſtias offerimus, formam ſerui accipiens, Sacerdos factus eſt; per quem hoſtiam viuam, ſanctam, Deo placentem offerre poſſumus. nec tamen hoſtia à nobis offerri potuiſſet, ſi Chriſtus pro nobis factus hoſtia non fuiſſet. Cum verò dicimus, *Filium tuum*; & adiicimus, *Qui tecum viuit & regnat Deus, in vnitate Spiritus ſancti*; illam vtique vnitatem commemoramus, quam naturaliter habet Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus. Vbi oſtenditur quod idem ipſe Chriſtus pro nobis ſacerdotali eſt functus officio, cui naturalis eſt vnitas cum Patre, & Spiritu ſancto. Cùm verò, *In vnitate Spiritus ſancti* dicimus, vnam naturam Spiritus ſancti cum Patre & filio monſtramus. Vnitas autem naturæ quid aliud quàm Trinitatem vnum Deum, & ex hoc vnum oſtendit regnum? Vbi autem regni naturalis eſt vnitas, vna regnandi permanet & poteſtas. Viuit ergo, & regnat Chriſtus Deus noſter cum Patre in vnitate Spiritus ſancti per omnia ſæcula ſæculorum ſicut & ipſe in Apocalypſi loquitur, dicens; Ego ſum primus, & nouiſſimus, & viuus; & fui mortuus: & ecce ſum viuens in ſæcula ſæculorum. Ipſi namque dicunt in Pſalmo; Thronus tuus, Deus, in ſæculum ſæculi & iterum; Regnum tuum, regnum omnium ſæculorum: de quo in Euangelio ad Beatam Mariam Angelus dicit; Et regni eius non erit finis.

Hac oratione expleta commiſcens Sacerdos dominicam oblationem, vt calix Domini totam plenitudinem contineat ſacramenti, tanquam per eandem myſterij copulationem imprecatur Eccleſiæ, dicens; *Pax Domini ſit ſemper vobiſcum.* Cui tantum bonum etiam Eccleſia imprecatur, reſpondens; Et cum ſpiritu tuo.

Quid

A Quid est autem pax Domini, nisi pax Christi? Pax autem Christi, finem temporis non habet: & ipsa est omnis piæ actionis, intentionisque perfectio. Propter hanc spiritum eius pignus accepimus: propter hanc in eum credimus & speramus, & amore ipsius (quantum donat) accendimur: propter hanc denique, omnem tribulationem fortiter toleramus, vt in ea feliciter sine tribulatione regnemus. Vera enim pax vnitatem facit, quoniam qui adhæret Domino, vnus spiritus est. Impetrata igitur pace vnitis, fiat in eis locus Dei; sicut dicitur in Psalmo; Et factus est in pace locus eius: & impleatur in Ecclesia quod alibi Psalmista dicit; Deus in loco sancto suo. Deus inhabitare facit vnanimes in domo. Et hoc vtique ex traditione Apostolorum seruat Ecclesia; cui frequenter ab eisdem Apostolis dicitur; Salutate inuicem in osculo sancto; id est, osculo vero, osculo pacifico, osculo B columbino; non ficto & subdolo, quali vsus est Ioab ad occidendum Amasam, quali Iudas ad tradendum Saluatorem; quali vtuntur hi qui loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem in cordibus eorum. Illi ergo osculo sancto salutant inuicem, qui non diligunt verbo nec lingua, sed opere & veritate.

Inter hæc omnia cantatur ab omnibus, & cantando oratur, dicentibus; *Agnus Dei qui tollis peccata mundi, miserere nobis.* Nullus enim tollit peccata, nisi ille de quo dictum est: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi: cui nullum bonum hominis impossibile, nullum malum est insanabile. Quomodo autem peccata mundi tollat, Apostolus Petrus ostendit, qui ait; Non corruptibilibus argento vel auro redempti estis de vana vestra conuersatione paternæ traditionis, sed pretioso sanguine quasi Agni incontaminati & immaculati Christi: & in Apocalypsi Iohannes Apostolus; Qui dilexit nos, inquit, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo. Non solum autem lauit nos C a peccatis nostris in sanguine suo, quando sanguinem suum dedit pro nobis in Cruce, vel quando quisque nostrum, in mysterium sacrosanctæ passionis illius baptismi aquis ablutus est: verum etiam quotidie pellit peccata mundi, lauatque nos a peccatis nostris quotidianis in sanguine suo, cum eiusdem beatæ passionis ad altare memoria replicatur.

Post hæc ergo, sumpta Eucharistia, id est, bona gratia (gratia enim Dei, pro omnibus gustauit mortem) & celebrata gratiarum actione, respondetur ab omnibus *Amen.* Hæc est enim clara vox sanguinis Christi, quam sanguis ipse exprimit ex ore fidelium eodem sanguine redemptorum.

Finitis verò omnibus, adstanti & obseruanti populo absolutio datur, inclamante Diacono, *Ite Missa est.* Missa ergo nihil aliud intelligitur quam dimissio, id est, absolutio, quam celebratis omnibus tunc Diaconus esse pronunciat, cum populus à sollemni obseruatione dimittitur. Vnde & Missam cathecumenorum Canones dicunt, D quando post Euangelij lectionem incipiunt celebrari sacra mysteria, quibus nullum nisi baptismi fonte renatum interesse licet: tunc enim clamante Diacono iidem cathecumeni mittebantur, id est, dimittebantur foras.

Missa ergo cathecumenorum fiebat ante actionem sacramentorum: sit post confectionem, & participationem eorundem sacramentorum Missa fidelium: Amen.

E

FLORI MAGISTRI Clarissimi Ecclesiæ Lugdunensis Diaconi,

Sermo de Prædestinatione,

EX HINCMARIANO CODICE.

De Floro eiusque Sermone,

HINCMARI RHEMENSIS Archiepiscopi.

F

ELOGIA.

Hincm. in lib. de prædest. cap. 6. pag. 27.

HOc Capitulum, *sicut conferentes ex scripto* FLORI *Ecclesiæ Lugdunensis Ministri, quod olim in Bonoilo à Veneranda memoria Heriboldo Episcopo Antisfiodorense accepimus, excerptum ex maxima parte inuenimus. Quapropter vtcumque à ratione non inuenitur penitus alienum. De præscientia enim Dei Catholicæ fidei aduersa non loquitur,* &c.

Idem in Præfatione eiusdem operis.

In Capite *indiculorum sequentis operis Sermonem* FLORI, *quem mutuante Heriboldo quondam Antisfiodorensium Venerabili Episcopo in Synodali conuentu apud Bonoilum transcripsimus, & post reuersionem de tumultu Brionensi, quodam offerente Clerico, ex scrinio Ebonis, sicut ipse dixerat, venerabilis Gratianopolitani Episcopi accepimus, integram hic ponere dignum* G *duximus, quia & constructione & sensu veritate cauta incedit, exceptis duobus locis, in quibus eum ita dixisse non credimus, sicut in eo scripto inuenimus, quem de scrinio Venerabilis Ebonis accepimus, cum in aliis sic Catholice dixerit, sicut patebit legentibus: maxime quia in eodem scripto, quem per manus præfati Heriboldi sicut ad se a prædicto Ebone transmissum accepimus, aliter inuenerimus, quam in isto quem postea accepimus reperiamus. Quæ de re immutatum ab aliquo suspicamur. Quæ loca antequam sermonem illum scribere adoriamur specialiter designare curabimus. Vbi enim dicit*, sed quos præsciuit, & præuidit malos atque impios futuros proprio vitio, ipse eos prædestinauit ad æternam damnationem iusto iudicio:] *in illa rotula scriptum habetur quam de Heriboldo accepimus*: Sed quia eos præsciuit & præuidit malos atque impios futuros proprio vitio, prædestinauit ad æternam damnationem, qua ipsi puniuntur iusto iudicio.] *Et in eo loco vbi scriptum est*, non H enim ille aliquem prædestinauit vt malus esset, sed verè omnem malum prædestinauit, vt impunitus non esset:] *Inuenimus in rotula, quam a prædicto Heriboldo accepimus*, sed vere prædestinauit pœnam, vt omnis malus impunitus non esset.] *Quod in sequentibus ipse demonstrat dicens*, pœnam eorum & præscisse, quia Deus est, & prædestinasse, quia iustus est.] *Cætera Catholici Lectoris iudicio derelinquimus. Sed idcirco hunc sermonem ex integro ponere necessarium duximus, quia ex eo confictor in proximo subsequentium Capitulorum* duo Capitula de præscientia & prædestinatione *confuso & præpostero ordine, ac sensu falsissimo, in secundo Capitulo studuit componere, sicut qui hunc & illa legerit aperte intelliget.*

FLORI MAGISTRI
Clarissimi Ecclesiæ Lugdunensis Diaconi,

Sermo de Prædestinatione,

SICVT EST DE EBONIS scrinio sumptus.

EX HINCMARIANO CODICE

OMNIPOTENS Deus, quia verissimè verus & solus Deus est, omninò in sua æterna & incommutabili scientia præsciuit omnia antequam fierent, sicut scriptura testatur, dicens, *Deus æterne, qui es absconditorum cognitor, qui nosti omnia antequam fiant.* Præsciuit ergo sine dubio & bona quæ boni erant facturi, & mala quæ mali erant gesturi: Sed in bonis ipse fecit sua gratia vt boni essent; in malis vero non ipse fecit, vt essent mali (quod absit) sed tantum præsciuit eos propriu vitio tales futuros. Neque enim præscientia Dei imposuit eis necessitatem, vt aliud esse non possent; sed tantum quod illi futuri erant ex propria voluntate, ille vt Deus præuidit ex sua omnipotenti maiestate. Vnde scriptura incontaminabilem iustitiam eius nobis insinuans; ait de illo, *Nemini mandauit impiè agere, & nemini dedit spatium peccandi.* Quod ergo impiè agunt impij & iniqui, & spatium temporis vitæ huius, quod eis Deus dedit ad benè agendum, ipsi è contrario conuertunt ad malum exercendum, non Dei, sed ipsorum est culpa, & ideo rectè damnantur ipsius iustitia. Præsciuit autem idem omnipotens Deus etiam æternam illorum damnationem, sed ex merito ipsorum, quos in propria malitia perseueraturos præuidit, non ex sua, quod absit, iniquitate qui nihil iniustè constituit, & *qui reddet vnicuique secundum opera sua*, id est, & bene agentibus bona æterna, & malè agentibus mala perpetua. Ergo bonos præsciuit omnino, & per gratiam suam bonos futuros, & per eandem gratiam æterna præmia accepturos, id est, & in præsenti sæculo bene victuros, & in futuro fœliciter remunerandos, vtrumque tamen ex dono misericordiæ Dei. Vnde Apostolus, *Vasa Misericordiæ* eius appellat, dicens, *vt ostenderet diuitias gratiæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparauit in gloriam.* E contrario autem, malos & præsciuit per propriam malitiam malos futuros, & præsciuit per suam iustitiam æterna vltione damnandos. Sicut præsciebat de Iuda proditore, *quod eum esset traditurum*, sicut Euangelium dicit, *cum esset vnus ex duodecim.* Præsciebat etiam æternam eius damnationem cum diceret: *Væ autem homini illi per quem filius tradetur. Bonum erat ei si natus non fuisset homo ille.* Sic & de impiis Iudæis præsciebat sine dubio eorum impietatem futuram, de qua prædixit in Psalmo, *Dederunt in escam meam fel, & in siti mea potauerunt me aceto*: Præsciebat & subsequentem ipsorum damnationem, de qua in eodem Psalmo subiunxit, *deleantur de libro viuentium, & cum iustis non scribantur.* Sed in istis; & in omnibus iniquis illud prius ex propria est prauitate, istud sequens ex diuina æquitate. Hoc modo & de prædestinatione Dei omnino sentiendum est, quia in bonis prædestinauit, & ipsam eorum bonitatem futuram ex dono gratiæ suæ, & pro eadem bonitate æternam ipsorum remunerationem, vt ipsius dono fierent boni, ipsius dono essent remunerati. Vnde ait Apostolus; *Qui prædestinauit nos in adoptionem filiorum per* IESVM CHRISTVM *in ipsum.* Et alio loco, *quos præsciuit & prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui.* Prædestinauit itaque electos suos, vt & nunc assumerentur in adoptionem filiorum Dei per gratiam baptismi, & in futuro efficiantur conformes imaginis Filij Dei, per eandem Dei gratiam secundum imaginem eius renouati & glorificati. Prædestinauit omnino vt & hic essent boni, non ex se, sed ex illo; & illic beati non per se, sed per illum. In vtroque ergo bona sua in eis & de eis futura præsciuit & prædestinauit: In malis vero & impiis non prædestinauit omnipotens Deus malitiam & impietatem, id est, vt mali & impij essent, & aliud esse non possent. * Sed quos præsciuit & prædestinauit malos, atque impios futuros proprio vitio, ipse eos prædestinauit ad æternam damnationem iusto iudicio: Non quia aliud esse non potuerunt, sed quia aliud esse noluerunt. Ipsi igitur sibimet ipsis extiterunt causa perditionis. Deus autem iudex iustus & ordinator iustus ipsius damnationis: Non enim prædestinauit iniusta, sed iusta: Prædestinauit tamen & coronas iustis, & pœnas iniustis, quia vtrumque est iustum. Quam iustitiam eius commendans nobis Apostolus, ait, *Numquid iniquus Deus, qui infert iram? Absit.* Et quia modo omnibus prærogat patientiam, vt conuertantur ad pœnitentiam: Et qui pereunt, suo contemptu & duritia pereunt; quia tantam bonitatem Dei contempserunt, iterum alio loco dicit, *An diuitias bonitatis & patientiæ, & longanimitatis eius contemnis, ignorans quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundum duritiam autem tuam, & cor impœnitens thesaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis iusti iudicij Dei, qui reddet vnicuique secundum opera sua.* Hinc etiam alia scriptura testatur dicens, *Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione viuorum. Impij autem manibus & verbis accersierunt illam, & æstimantes amicam defluxerunt, & sponsiones posuerunt ad illam, quoniam digni sunt qui sint ex parte illius.* Non ergo omnipotens Deus vlli hominum causa mortis vel perditionis existit, sed ipsam mortem & perditionem manibus & verbis ipsi impij sibi accersunt, dum nequiter operando, & nequius aliis persuadendo, & sibi & illis damnationem adducunt: dum viam iniquitatis & perditionis amantes, à recto itinere deflectuntur, & ad perpetuam damnationem, tanquam datis inter se dextris, pari consensu nequitiæ quasi ex voto & sponsione festinant, fœderati mortis, & vitæ æternæ inimici, ipsi *secundum duritiam suam, & cor impœnitens, thesaurizant sibi iram in die iræ.* In qua die iusti iudicij Dei: quia *vnusquisque secundum opera sua* recipit, nemo ex Dei præiudicio, sed ex merito propriæ iniquitatis condemnatur. Non enim ille aliquem prædestinauit, vt malus esset, sed verè * omnem malum prædestinauit, vt impunitus non esset: quia & vnaquæque lex iuxta crimen non habet, ne sit iniusta; & tamen criminosum punit, vt verè sit iusta. Qui ergo dicit quod hi qui pereunt, prædestinati sunt ad perditionem, & ideo aliter euenire non potest, similiter quoque & de iustis, tanquam & ipsi ideo saluentur, quia prædestinati ad salutem aliud esse non potuerunt. Qui ergo hæc tam confusè & insulsè dicit, & illis tollit meritum damnationis, & istis meritum salutis: Ac per hoc quid aliud agit, nisi vt & pereuntibus secundum illum sit imposita necessitas perditionis, & his qui saluantur sit imposita necessitas salutis? Atque ideo nec illi iustè damnentur, quia iusti esse non potuerunt, nec isti iustè remunerentur, quia aliud quàm iusti esse nequiuerunt. Vt in vtraque parte, & perditio & salus non sit ex iudicio propriæ actionis, sed ex præiudicio diuinæ præordinationis. Et vbi erit illud, *qui reddet vnicuique secundum opera sua?* Et iterum, *Nunquid iniquus Deus, qui infert iram? Absit.* Apertè namque causa perditionis illorum, qui pereunt, in Deum refertur, si ipse eos ita ad interitum prædestinauit, vt aliud esse non possent: Quod sentire vel dicere horribilis blasphemia est. Sed Ecclesiæ Catholicæ fides, cuius filij & sectatores esse debemus, ita nobis firmissimè tenendum insinuat, vt superius iuxta scripturæ sanctæ auctoritatem breuiter designauimus. Videlicet, omnipotentem Deum in malis

ipsorum

Margin: E — * In Cod. Her. *Sed quia eos præsciuit.* — Rom. 3. 5. — F — Rom. 2. 4. &c. — Sap. c. 13 — G — d. v. 4. — * In Cod. Her. *Prædestinauit pœnâ, vt omnis malus impunitus non esset.* — H — Rom. 2. 6. — Rom. 3. 5.

A Ipsorum malitiam præscisse, quia ex ipsis est, non præ-
destinasse quia ex illo non est; pœnam vero eorum &
præscisse, quia Deus est, & prædestinasse quia iustus
est, vt & in illis sit meritum suæ damnationis, & in illo
potestas & iudicium iustè damnantis. Non enim præ-
destinat Deus, nisi quæ ipse facturus est: Præscit verò
multa, quæ ipse facturus non est, sicut omnia mala; quæ
mala vtique mali faciunt, non ille. Ipsos quoque malos
non ideo perire, quia boni esse non potuerunt, sed quia
Rom. 9. 22. boni esse noluerunt, & suo vitio *Vasa iræ apta in interi-
tum* perseuerauerunt, & in massa damnationis vel origi-
nali vel actuali merito permanserunt. In bonis autem
omnipotens Deus, sicut supra satis ostensum est, vtrum-
que præsciuit & prædestinauit, vt & in præsenti vita per
suam gratiam existerent boni, & in futura etiam beati.
Vtriusque enim boni eorum, id est, & præsentis & futuri,
ipse est auctor, & ipse largitor, & ideirco sine dubio
B vtriusque præcognitor & prædestinator: Quia & ipsi ex
se ipsis non solum aliud esse potuerunt, sed etiam aliud
fuerunt antequam per eum, qui iustificat impium, ex
impiis iusti efficerentur. Siue autem in illis qui saluan-
tur, siue in illis qui pereunt, voluntas propria remunera-
tur, voluntas propria damnatur. Sed in illis quia per
gratiam Domini Saluatoris est sanata, vt ex mala & pra-
ua fieret bona & recta, est proculdubio dignissimè co-
ronata: In istis autem, quia non adquiescit per Salua-
torem recipere sanitatem, iustissimè per eundem iudicem
sentiet perpetuam damnationem. Et hoc est breuiter
totum, quod de libero arbitrio iuxta veritatem fidei Ca-
tholicæ est tenendum. Quod scilicet omnem homi-
Rom. 5. 12. nem liberi arbitrij condiderit Deus. Sed quia *per vnum
hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum
mors, & ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes pec-
cauerunt*, ita istud liberum arbitrium in vniuerso hu-
mano genere illius præuaricationis merito vitiatum &
corruptum, ita obcæcatum est & infirmatum, vt suffi-
ciat homini ad male agendum, id est, ad ruinam iniquita-
C tis, & ad hoc solùm possit esse liberum: ad bene vero
agendum, id est, ad exercitium virtutis & fructum bo-
ni operis, nullo modo assurgat & conualescat, nisi per
fidem verius mediatoris Dei & hominum hominis Chri-
sti Iesu & donum Spiritus sancti, instauretur; illumi-
netur, atque sanetur: Sicut ipse saluator in Euangelio
Ioan. 8. 36. promittit dicens, *Si vos filius liberauerit, tunc vere li-
beri eritis.* Et Apostolus ait, *vbi Spiritus Domini,*
2. Cor. 3. 17. *ibi libertas.* Vt per hanc gratiam Christi & spiritus
Christi, humanum liberum arbitrium, liberatum, il-
luminatum, atque sanatum dicat, gratulans illud Psal-
Ps. 26. 5. mistæ, *Dominus illuminatio mea & salus mea quem ti-
mebo?* Qui igitur hanc gratiam libertatis accipere desi-
derat, vt ad benè & piè viuendum veraciter liber fiat,
non de suis viribus præsumat, sed illi se fideliter sanan-
dum corroborandumque committat, de quo idem
Ps. 36. 23. Psalmista dicit, *Apud Dominum gressus hominis dirigen-
tur, & viam eius volet.* Illum oret atque illi suppli-
Ps. 118. 133. cet dicens, *Gressus meos dirige secundum eloquium tuum
D & non dominetur mei omnis iniustitia.* Et iterum, *Do-
Ps. 5. 9. mine deduc me in via tua, & ingrediar in veritate tua.*
Et cætera similia. Hæc vobis breuiter rescripsi ad ea
quæ insistis: Nunc fideliter deprecor & exhortor, vt in
simplicitate & sinceritate veræ fidei fundati, claudatis
aures vestras aduersus linguam nequam illius vanissimi
& miserrimi hominis, qui cum sit paratus ad conten-
sionem, & contumax aduersus veritatem, maluit
se infœlix diabolico inflatus spiritu à Christi
Ecclesia, & Sacerdotibus separare, quam
sua profana & inaniloqua
deserere.

***

E

FLORI DIACONI Lugdunensis Liber de Electionibus Episcoporum siue Collecta à Domino Floro ex sententiis antiquorum Patrum.

I. MANIFESTVM est omnibus qui in Ecclesia Dei
sacerdotale officium administrant, quæ sunt illa
quæ in ordinatione Episcopali, & sacrorum Canonum
authoritas, & consuetudo Ecclesiastica, iuxta dispositionē
diuinæ legis & traditionem Apostolicam iubeat obserua-
ri: videlicet vt pastore defuncto, & sede vacante vnus de
clero Eccl. quem communis & concors eiusdem Cleri & F
totius plebis consensus elegerit, & publico decreto cele-
briter ac solemniter designauerit, legitimo Episcoporum
numero consecratus, locum decedentis antistitis rite va-
leat obtinere; nec dubitetur diuino iudicio & dispositio-
ne firmatum, quod ab Ecclesia Dei tam sancto ordine &
legitima obseruatione fuerit celebratum.

II. Hæc sunt quæ in Conciliis Patrum, & in Decre-
tis Apostolicæ Sedis Pontificum statuta reperiuntur, &
ab Ecclesia Christi & initio comprobata reperiuntur, &
comprobātur. Vnde & beatus martyr Cyprianus de san-
cto Cornelio vrbis Romæ Pontifice, cum Episcopatum
eius aduersus quosdam superbos & inuidos calumniato-
res defenderet, hæc ipsa in testimonium sanctæ & legiti-
mæ ordinationis eius prosecutus est dicens: *Factus est* Cyprian. Epist. 52.
*Cornelius Episcopus de Dei & Christi eius iudicio, de Cle-
ricorum omnium testimonio, de plebeio suffragio, de sacerdo-
tum antiquorum & bonorum virorum consensu; cum nemo
Episcopus inibi factus esset, cum gradus cathedra sacerdota-
lis vacaret. Quo occupato, & omnium nostrorum consensione* G
*firmato quisquam iam Episcopus fieri voluerit, omnimodis
necesse est vt Ecclesiast. non habens ordinationem, qui Eccl.
non tenet per consensus vnitatem. Post primum secundus esse
non potest. Quisquis enim post vnum, qui per electionē con-
secratus est, esse voluerit, iam non secundus ille sed nullus est.*

III. Iuxta hæc verba beati Cypriani, ordinatos fuisse
constat, & legitimè præfuisse vniuerso populo deinceps
omnes Ecclesiarum Dei antistites, absque vllo consultu
mundanæ potestatis, à temporibus Apostolorum, &
postea per annos ferè quadringentos. Ex quo autem
Christiani Principes esse cœperunt, eandem Episcopo-
rum ordinationibus Ecclesiasticam libertatem ex par-
te maxima permansisse, manifesta ratio declarat. Ne-
que enim fieri potuit, cum vnus Imperator orbis terræ
monarchiam obtineret, vt ex omnibus latissimis mundi
partibus, Asiæ videlicet, Europæ, & Africæ omnes qui
ordinandi erant Episcopi ad eius cognitionem deduce-
rentur. Sed fuit semper integra & rata ordinatio, quam
sancta Ecclesia iuxta traditionem Apostolicam & reli- H
giosæ obseruationis formam celebrauit.

IV. Quod vero in quibusdam regnis postea consue-
tudo obtinuit, vt consultu Principis ordinatio fieret
Episcopalis, valet vtique ad cumulum fraternitatis, pro-
pter pacem & concordiam mundanæ potestatis; non ta-
men ad complendam veritatem vel auctoritatem sacræ
ordinationis, quæ nequaquam regio potentatu, sed so-
lo Dei nutu, & Ecclesiæ fidelium consensu, cuique con-
ferri potest. Quoniam episcopatus non est munus hu-
manum, sed sancti Spiritus donum, sicut ostendit Apo-
stolus, vbi ad Episcopos loquitur, dicens: *Attendite vo-* Act. 20.
*bis & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit
Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sangui-
ne suo.* Vnde & in Epistola ad Hebræos ait: *Nec quisquam
sibi sumit honorem, sed qui vocatur a Deo, sicut Aaron.
Sic & Christus non semetipsum glorificauit vt Pontifex
fieret sed qui locutus est ad eum, Filius meus es tu, ego
hodie genui te. Et iterum: Tu es sacerdos in æternum* Ps. 109.

secundum ordinem Melchisedech ; in quibus Apostoli verbis euidentissimè demonstratur, ad hoc munus adipiscendum atque sumendum sufficere vnicuique gratiam Dei, cooperante fide & deuotione gratiæ eius, absque his autem humano arbitrio nemini posse concedi. Vnde grauiter quilibet Princeps delinquit, si hoc suo beneficio largiri posse existimat quod sola diuina gratia dispensat; cum ministerium suæ potestatis in huiusmodi negotium peragendo adiungere debeat, non præferre.

V. Denique vt istius rei nonnulla proferantur exempla, puto quod de ordinatione beati Martini, quando ex monasterio sub alia occasione eductus, & à populo comprehensus, atque ad Ecclesiam perductus est, & continuo ab Episcopis, qui ad hoc inuitati fuerant, consecratus, nemo principum huius seculi fuerit interrogatus. In Ecclesia quoque Lugdunensi sic religiosa olim & venerabilis consuetudo fuit, sicut antiqua narrat historia. Scilicet vt defuncto Pontifice, omnis in vnum conueniret Ecclesia, & triduano ieiunio communi voto ac supplicatione celebrato, quemcumque eis Dominus per reuelationem siue ex eorum Clero seu aliunde ostenderet, ipsum sine dubio antistitem constituerent. Quod de beato Eucherio præfatæ vrbis Episcopo, & Doctore egregio, sanctissimæ vitæ eius liber manifestè testatur impletum. Qui cum esset ex nobilissimo Senatorum genere oriundus, & huic sæculo abrenuntians, omnique facultate sua in pauperes ob amorem Christi distributa partibus Prouinciæ in quodam specu retrusus, atque ibi soli Deo ieiunus, & orationibus vacans latitaret, tali reuelatione ostensus, atque inuentus, in Pontificali regimine locatus est. Ex quo certissime constat quod omni illo tempore quo tantam bonitatem siue gratiam omnipotens Deus in illa voluit Ecclesia demonstrare, valebat ac sufficiebat ad consecrationem rectorum sola eius gratia, & fides Ecclesiæ deuota.

VI. Sed & in Romana Ecclesia vsque in præsentem diem cernimus absque interrogatione Principis, solo dispositionis iudicio, & fidelium suffragio legitimè Pontifices consecrati: qui etiam omnium regionum & ciuitatum quæ illi subiectæ sunt iuxta antiquum morem, eadem libertate ordinant atque constituunt sacerdotes; nec adeo quisquam absurdus est, vt putet minorem illic sanctificationis diuinæ esse gratiam, eo quod nulla mundanæ potestatis comitetur auctoritas.

VII. Quæ omnia non ideo dicimus, quasi potestatem principum in aliquo minuendam putemus, vel contra religiosum morem regni aliquid sentiendum persuadeamus; sed vt clarissime demonstretur, in re huiusmodi diuinam gratiam sufficere, humanam verò potentiam, nisi illi consonet, nihil valere. Quapropter in sacris canonibus Patrum, vbi plurimæ causæ commemorantur sine quibus episcopalis ordinatio irrita habenda est, de hac re nihil inuenitur insertum.

CHRISTIANI DRVTHMARI Grammatici expositio in Matthæum Euangelistam.

Item Epitome in Lucam & Ioannem.

Ex Libro Ioannis Trithemy Abbatis Sphanemensis de scriptoribus Ecclesiasticis.

Christianus qui & Druthmarus monachus & presbyter Corbeiensis, Ordinis sanctæ memoriæ Benedicti Cassinensis; natione Aquitanicus: vir in diuinis scripturis doctus, Græco & Latino sermone imbutus veniēs ab Aquitania in Galliā, nomen suum scribendo notificauit: de cuius opusculis ego tantū videre hucusque merui: opus grande & præclarum ad Monachos Stabulensis, & Malmondariensis Cænobiorum sub vno Abbate consistentium in Diœcesi Leodiensis Ecclesiæ, aperto sermone conscriptum in Euangelium Matthæi. Incipit, hunc titulum non fecit Euangelista.

In Prologo Expositionis, secundum Matthæum etiam in alios Euangelistas se scripturum promisit: quod & fecisse dicitur, sed à nobis ignoratur.

Incipit Prologus Christiani Grammatici in Matthæum Euangelistam.

VENERABILIBVS *in Christo patribus in cænobiis sancti Petri principis Apostol. cognominibus Stabulaus sedula deuotione Deo militantibus & ad feliciora tendentibus: vester fidelis famulus Christianus indignus Sacerdos præsentis æui pacem, ac prosperitatem, futuræque æternæ beatitudinis in splendoribus sanctorum cum Rege regum, arbitro sæculorum optat societatem. Omnia verba sonando transeunt, & transeundo deficiunt: necesse est igitur alligari litteris verba quæ aliquid vtilitatis habere videntur: vt desides & friuoli cum perfectioni studere voluerint, abiecta vanitate, inueniant iterum vnde ammoneantur, quod aliquando iuuenili more citata aure surdaque transierunt. Nam quia perspexi iuuenibus nostris, post expositū bis textum Euangely Matthæi obliuioni habere: statui apud me ipsam expositionem eo tenore litteris mandari, quo coram vobis verbis digessi. Etsi aliquis requirit quare post beatum Ieronymum hoc ausus fuerim agere, respondeo, quia perspexit beatum Ieronymum multa verba quasi leuia præterisse: & paruuli sensu difficilia reddidisse: idcirco quod mihi aliquādo difficile visum fuit, facile valētibus scire reddidit. Et vsu loquēdi melius intelligitur de his, qui de eadē prouincia sunt quā aliquo deprauati vsu. Habet enim vnaquæque prouincia morē propriū loquendi quē alia non habet. Et ideo suauius auditur. Aperta quoque locutione ipsum cōtextū digessi, quoniā stultiloquiū est in expositione alicuius libri ita loqui, vt necessariū sit expositorē ipsius expositionis quærere. Eo enim modo quis loqui debet ad aliū si vult verba sua ab illo intelligi cui ipse loquitur: sicut beatus Paulus Apost. dicit. Si esses Græcus, Græce tibi loqui deberē. Ad illum verbū Græcū, ad illū verbū Latinum; studui autē plus historicū sensum sequi: quā spiritalem: quia irrationabile mihi videtur spiritalē intelligentiā in libro aliquo quærere, & historicum penitus ignorare: cum historia fundamentum omnis intelligentiæ sit, & ipsa primitus quærenda, & amplexanda: & sine ipsa perfectè ad aliā nō possit transiri. Ego vero nulli nolenti iussero, aut legere, aut habere hunc librū: sed qui voluerit. Et si aliquis hunc detestatur ordinet meliorem: & ego voluntarie ipsum suscipio Nam iste nihil vlli nocet. Amicis in hoc facto parui, inimici mea volūta[?] non tangent: ne forte de bono æmulationes fiant. Si ergo videro quod vobis ho. primū factum placeat, ad Euange..um Ioanni manum mittā: quia Augustinus aquilam sequens, id est B. Ioannem, qui aquilæ assimilatus est: cum ille vltra nubes, iste prope nubes incedit, propterea paruulis sensu necessarius est humilis & terra gradiens expositor, vt possint intelligere quod ille quasi omnibus notum relinquit intactum. Nam in Marco non est necessarium manum mittere, post beatum Bedam. In Luca quoque audio post sanctum Ambrosium eundem Bedam manum misisse. Sed non potui inuenire adhuc in tota eius expositione: nisi quasdam eius homelias. Si vero nec inuenero: & vestrum omnium cohortatio affuerit: & in hoc quoque laborare temptabo, si tamen gratum vobis fore sperauero: Supra enim omnes homines vestra mihi est gratior societas: quia est sincera & absque dolo, & quam Deus docuit: sanctique eius Apostoli tenuere: ac posteris tenendā tradiderunt. Non enim est fel amaritudinis in vobis, neque zelus iniquitatis: sed fides firma, caritas inuiolabilis erga Deum ac proximos. Et licet rebus terrenis egentes sitis: virtutibus tamen repleti estis ita vt qui vos perfectè agnouerit vlterius dilectione à vobis non possit separari. Sed si modico tempore vobiscū quis moratus fuerit pro certo intelliget quia Deus cohabitator vestri sit: & Spiritus sanctus regat opera vestra. Neque enim habitabit diu malus inter vos, neque permanebit in*

A *consortio vestro: quia sicut aurum & argentum in camino probationis sordes adiiciunt, ita & qui inter vos venerit, aut desinet à malo opere, aut certe alienus efficietur à consortiis vestris: qui namque inter vos conuersantur, non multum mirentur, si plurimi sancti in his monasteriis probabiles fuerunt: sed pro certo experientur quia qui apud vos non est bonus sine dubio nusquam alicubi erit; quoniam vos estis qui veraciter audistis vocem Domini dicentis.* Estote prudentes vt serpentes, & simplices sicut columbæ. *Et si reges & principes atque vulgaris populus vos veraciter agnouissent, vt veros Christi discipulos amarent, supra omnes homines venerarentur ac diligerent. Christus custos vester, qui cœpit vos custodire in sæcula, concedat in concepto bono opere permanere, vsque ad finem vitæ vestræ.*

B

CAP. I.

Incipit expositio Christiani Grammatici in Euangelium secundum Matthæum.

HVnc titulum non fecit Euangelista, scilicet interpres qui ipsum interpretatus est. Nam Matthæus libri sui titulum: *Liber generationis:* imposuit, iuxta consuetudinem Iudæorum ad quos scribebat qui soliti sunt libris suis ex principiis nomina imponere: vt *Genesis*, hoc est, *Generationis*: quia ibi scriptum est. Istæ sunt generationes cœli & terræ. Similiter *Exodus* id est exitus & numerorum & reliqui. Similiter beatus Mattheus quoniam de generatione domini primitus scripsit, *Liber generationis* nomen imposuit. Incipit, hoc est inchoat. Compositum verbum ex *in* propositione & *capio* verbo mutata *a* in *i* Euangelium Græcum nomen est, & dicitur Latine *bonum nuncium*. Eu *bonum* Angelum, *nuncium*. Vnge & Angelus dicitur: tamen sciendum est, quia C apud Græcos per duo gamma scribitur. Et Angelus similiter per duo gamma sicut & Priscianus dicit. Sed quia apud nos absonum videbatur: apud Latinos prima per n, secunda syllaba per g. Et non est iungendum u, cum a, sed cum e est iungendum: qoia eu, *bonum* dicitur. In omnium principiis librorum tria quærenda sunt, tempus, locus, persona. Similiter de isto Euangelio, hæc tria tenenda sunt. Locus Iudæa extitit, vbi conscriptum est Hebraica lingua ad Hebræos qui in Christum credidere. Tempus Caij imperatoris qui singulatem monarchiam vniuersi orbis Romæ tenebat. Persona Matthæus, leuita genere, & sacerdos extitit dignitate, cuius nomen interpretatum in nostra lingua *donatus* dicitur. Digno vaticinio sic vocatus quia in præsentia Dei ordinatus fuit & donatus, ad narranda gesta Christi, ante multa sæcula ostensus à Prophetis in specie hominis. Quia gesta quæ Dominus noster in carne iuxta humanam caruem gessit narraturus erat, ub hoc in effigie hominis visus est. Marcus quoque in specie leonis apparuit: quia euangelium suum ab actu leonis inchoauit cui proprium est in deserto rugire. D Dixit enim vox clamantis in deserto. Lucas nihilominus ore iuuenci similatus apparuit: quia ab eo cœpit qui vitulos frequentius offerre solitus fuit: videlicet a Zacharia Sacerdote. Ioannes vero more aquilæ volans illum qui supra astra sedet verbo petiit inquiens. *In principio erat verbum & verbum*, &c. Requirendum vero quare cum molta Euangelia ordinata fuisse legamus: & in nomine 2. Apostolorum & etiam aliorum doctorum sicut Lucas refert, nullum illorum placuit Deo legi vel suscipi in Ecclesia sua nisi hæc quatuor: neque plus neque minos. Nã hæc quatuor Euangelia propter quatuor climata mundi, a Deo ordinata sunt & ante multa secula ostensa a Prophetis. Appellata autem sunt animalia: quoniam propter animam hominis Euangeliũ prædicatur. Idcirco vero plena oculis ante & retro, intus & foris à Prophetis prædicta sunt: quia & præsentia Domini gesta & futura de iudicio venturo narrauere: Crura dicuntur recta habere quia nihil prauum in Euangeliis inuenitur. *Erat rota in rota:* quia subnixum est de veteri Testamento: & quicquid E Euangelium adnuntiat, in veteri prædictum fuit: & ambo in simile concordant. Quod dicit, vbi erat spiritus impetus, illuc gradiebantur: ostendit nihil aliud Euangelistas narrasse: nisi quæ spiritus in cordibus eorum profudit. Figuræ istorom animalium etiam domino conueniunt: qui homo factus est nascendo, vitulus moriendo. Leo factus est resurgendo, aquila extitit ascendendo. Quia sic ordinata à Deo & ostensa sunt ista quatuor Euangelia longo ante tempore: ideo respuit Ecclesia Catholica aliorum pseudodoctorum deliramenta, & suscipit hæc quatuor: in similitudine quatuor fluminum: quæ profluunt de vno fonte ex paradiso, similiter hæc ex ore Domini Iesu Christi. Per *geon*, qui dicitur terrenus significatur. Matthæus qui terrena acta de Christo narrauit. Per *tygrim*, qui velocitas interpretatur Marcus: qui cursim acta domini exposuit. Per *eufraten* qui fertilitas interpretatur. Lucas qui vberius & latius domini gesta decurrit. Per *phison*, qui insufflatio potest dici, Ioannes: qui excellentius afflatus Spiritu sancto de Domini dignitate F attigit. Sicut ista quatuor flumina irrigant omnem mundũ: sic 4. Euangelia irrigant omnem Ecclesiam. Multa sacramenta inueniuntur in scriptura sacra: quæ hunc numerum sacratum reddunt. Quatuor sunt elementa per quæ mundus subsistit, cœlum, terra, ignis & aqua. Per *aquam*, Marcus: qui dixit. *Vox clamantis in deserto.* Per *terram*, Matthæus, qui dixit. *Liber generationis.* Per *ignem*, Lucas qui ait. *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis.* Per *cælum* Ioannes, qui transiit omnes creaturas dicens. *In principio erat verbum.* Homo ex quatuor clementis constat superius comprehensis. Adam ex quatuor litteris compositum nomen habet, quæ principia sunt in quatuor climatibus mundi. In Græca lingua a, anathole i, alpha oriens d, delta disis i, occidens. Item a, arton i, septentrio m, misimbrio i, meridies. Archa Noe quadrata legitur ex lignis facta. Archa Testamenti quatuor circulis aureis portabatur, & per vectes 4. ex auro cooperto, quatuor Euangelia significantur. Archa Ecclesiam, vectes Do-G ctores. Sicut illi circumdari erant annulis: ita sacerdotes de veteri & de nouo Testamento docti, & de 4. Euangeliis defendunt Ecclesiam ab hæresibus. Vas linteum quod vidit Petrus, significat Ecclesiam. Quatuor lineæ per quas dimittebatur 4. Euangelia significant munda & immunda animalia habebat, quia Ecclesia de omnibus gentibus colligitur. Etiam apud paganos iste quaternatius numerus sacratus fuit, quia in omni parte solidus stat: seu propter 4. virtutes, prudentiam, temperantiam, fortitudinem atque iustitiam. Quare placuit Domino duos Apostolos Euangelistas fore, & duos discipulos discipulorum? vt ostenderet seipsum esse, qui elegit filios Iacob in populum peculiarem sibi de duabus vxoribus & de duabus concubinis aggregatum & natum. Sicut in ordine habentur, sic editæ sunt. Primum Matthæi Euangelium: quoniam tempore Caij factum est. Secundum Marci, quod Claudij tempore in Roma Græco sermone scriptũ fuit. Tertium Lucæ in Achaia Græco eloquio. Quartum Ioannis, in Asia in ciuitate H Epheso Græco eloquio nihilominus tempore Neruæ imperatoris. Quia Romani qui omni mundo dominabantur Græca lingua loquebantur, & de Romanis habebant per omnes gentes qui tenebant terras: propterea illi tres Græce scripserunt. Ipsa quoque sonotior omnibus linguis habetur. Potest ipse ordo Euangeliorum ideo sic haberi, vt vnus Apostolus sit in capite, alter in fine. Et illi duo qui inter ipsos habentur, auctoritatem ab ipsis duobus habeant. Vidi tamen librum Euangelij Græce scriptum, qui dicebatur sancti Hilarij fuisse, in quo primi erant Matthæus & Ioannes & prius alij duo. Interrogaui enim Eusemium Græcum cur hoc ita esset: dixit mihi. In similitudinem boni agricolæ, qui quos fortiores haber boues primo iungit. Habet autem vnumquodque Euangelium tres titulos, vnum qui ostendit qui canon sit, qui vsqoe ad decem ascendit non amplius: secundum in quo Euangelistæ concordatio continetur, de quibus habet Matthæus 300. 55. Marc. 200. 34. Luc. 300 42. Ioann. 100. & 31. Tertium vniuscuiusque proprium,

A in quo ostendit in quo ordine sententiæ habeantur in ipso Euangelio. De quibus sunt Matthæi 81. Marc. 47. Luc. 79. Ioan. 14. Tria genera Philosophiæ apud omnes sapientes fuerunt, quæ & ipsa inueniuntur in scriptura diuina, videlicet, Physica, Ethica, Logica, hoc est, naturalis, moralis, rationalis. In Physica, id est, in naturali scientia, ordo inquirendi per naturam rerum & per conditionem, quia & ipsam Physicam diuiserunt sapientes in quatuor virtutes, hoc est, Arithmeticam, Geometriam & Musicam atque Astronomiam. Dicuntur autem numeralis, mensuralis, cantilenatis, sideralis, quia istæ artes naturales nobis & sine istis mundus non potest consistere, nec nos aliquid boni scire. Ethicam autem id est, moralem, similiter diuisere in quatuor virtutes, hoc est, prudentiam, iustitiam, fortitudinem atque temperantiam, & præcepetunt sapientes, vt vnusquisque homo secundum istas virtutes aptaret mores suos, vtque studeret quantum posset esse prudens de diuinis & huma-
B nis rebus, & in ipsa prudentia esset iustitia, & prius fortitudo animi, vt siue euenirent ei aduersa siue prospera, semper vno modo esset trãquillus, vt neque aduersa eum deiicerent, neque prospera in superbiam eleuarent. Post omnia ista & in omnibus istis teneret temperantiam & in prudentia & in iustitia, & in fortitudine, vt in neutris modum excederet. Loycam quoque, hoc est rationalem, diuiserunt in tres diuisiones, id est, in Grammaticam & Rhetoricam & Dialecticam: vt prius naturales & morales causas quæreret per rationem & morales & superas causas quantum discendo & disputando plus posset scire. Et omnes istæ diffinitiones inueniuntur etiam in diuinis scripturis. Inuenitur etiam Physica, id est, naturalis in Genesi: vt vnusquisque in lege naturæ habuit facere proximo, quod sibi vellet, & non faceret alteri quod pati nollet. Moralis quoque in Prouerbiis inuenitur, vt *Dominum time & mandata eius obserua*, hoc est enim omnis homo. Loyca in Canticis Canticorum, quia omnia quæ ibi dicunt super sponsum & super sponsam, super
C Dominum & super Ecclesiã eius rationabiliter & per logicam interpretantur. Et est locus in scripturis, vbi singulæ istæ sapientiæ, inueniuntur separatim, & locus vbi duæ solummodo & locus vbi tres. Vtputa de vno exemplo sufficiat quærere simili modo in aliis quæ superius diximus. De duabus in Adam dormiente, secundum historiam & Physicam sic fuit, & secundum logicam Christum intelligere debemus dormientem in cruce hoc est morientem, quia & mortui dormientes vocantur, vt Paulus ait: *Nolumus autem vos ignorare de dormientibus.* Et sicut dormiente Adam formata est vxor, sic Christo moriente formata est Ecclesia. De tribus vt in Noe. Secundum Physicam, qui fecit voluntatem Domini, eripuit eum Dominus à perditione impiorum. Iuxta Ethicam quicunque studuerit mores suos ita componere liberabitur à perditione futura, quæ comprehensura est impios. Secundum logicam, id est, rationalem, in Noe Christum, in Archa Ecclesiam. In tribus filiis Noe, omne hominum genus, qui Trinitati crediderunt, & de eius
D numero esse studuerint. Vbicumque ergo fuerint istæ intelligentiæ, prout Dominus dederit deducemus ad notitiam. Liber duobus modis dicitur, quia & liber dicitur à libertate, hoc est absolutus à seruitio, siue de alia re liber quod Græcè *eleuteros* dicitur & liber interior pars corticis dicitur de aliqua arbore, vnde apud antiquos ante inuentionem pergameni libri fiebant, & ab illa consuetudine descendit, vt libri eo nomine vocentur etiamsi sint de alia re, pergameno vel papyro, vnde & Virg. de illo dicit. *Liber haret in vlmo* Est autem & Sinonymum hoc nomen, quia & volumen à voluendo, & codex quasi caudex dicitur. Generationis, deriuatum est hoc nomen à Græco quod est, *ι, n.* Inde genus & Iudæ generatio dicitur, quia qui generantur de terra sunt (IESV) IESVS Hebræum nomen est, & dicitur Latine Saluator vel saluaturus. Et hoc nomen Moyses Iosue primitus imposuit quando de bello victor regressus est. Sed tamen per omnes litteras scribitur, istud autem cum tribus litteris, id est, *iotha*, & *e* longo & *sigma*, vt significet quia Trinitas litteris non potest nec comprehendi nec I explicari, sed ineffabilis est, vel eum *iotha* & *sigma* & apice desuper, vt ostendat quæ supradiximus. Si nominatiuus casus fuerit sic scribitur. Si autem alius in fine *u*, debet scribi. Et Græci non coniungunt ipsum *iotha* eum *e*, sed separatim profertur vt sit vocalis semper *iotha*, dicitur enim IESVS (CHRISTVS) Græcum nomen est & interpretatur Latine vnctus & Hebraice dicitur Messias. Non autem habebat istud nomem ante latinitas, sed habere poterat, vocati sunt autem in Iudæorum gente hoc nomine sacerdotes & reges, quia ipsi vngebantur de crismate quando ordinabantur, vnde & propter ipsos dicitur in Psalmis: *Nolite tangere Christos meos.* Et sicut in Romanorum regno omnes vocati sunt Cæsares & Augusti ab Iulio & Octauiano, qui primi sic vocati sunt, ita illi omnes reges Christi vocantur, vnde & Dauid de Saule dicebat. *Non mittam manum meam in Christum Domini.* Quando vero de Domino per *chi* & *ro* & *sigma* & apice desuper, vt hic illa significet quæ de IESV nomine diximus, hoc est, ineffabile esse. Similiter Deus & Dominus quando de homine per litteras, quãdo de Deo comprehensiue fieri debet, quia nullum nomen proprie potest Deo dici, quod eius maiestatem valeat ostendere. Non est autem vnctus Christus Dominus noster oleo vel chrismate corporali, sed spirituali, sicut scriptum est, *vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ*, quia nec regnum terrenum aliter habere voluit, nisi sicut modo habet cum patre in potestate, ideo noluit vngi oleo temporali. (Filij Dauid.) Quatuor modis dicuntur filij, id est natura, vt Isaac filius fuit Abrahæ, secundo imitatione, vt Iudæi dicuntur filij diaboli imitãdo eum, vt ad eos Dominus dixit: *Vos ex patre diabolo estis.* Et item: *Cuius opera facis, eius filius & vocaberis.* Tertio adoptione, vt Hester dicta est filia Mardochæi. Quarto doctrina, vt Paulus dicit. *Per Euangelium ego vos genui.* Dauid (Dauid dicitur *fortis manu* quia præualuit Goliad.) (Abraham) dicitur pater multarum subauditur gentium futurus per fidem. Quare autem istorum dicitur filius? Quia ad hos facta est repromissio de Christo. ad Abraham quidem dictum est. *In Semine tuo benedicentur omnes gentes.* Ad Dauid autem. *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam.* Quare primum posuit Dauid & & postea Abraham? Quia de illa gente, nullus excellẽtior fuit quã Dauid. Et quia narraturus erat & repetiturus in generationis ordine Abraham, idcirco primum posuit Dauid & postea Abraham, vt diceret: *Abraham genuit Isaac.* Filius autem istorum dicitur, quia non solum dicuntur filij, qui generantur à patre, sed & hi, qui de eadẽ progenie sunt, sicut filij Israël dicuntur omnes Iudæi & filij Ismahel omnes Sarraceni (Filij Abrahã.) De Abraham & Isaac & Iacob, non est necesse quicquam dicere, quia notum vobis est, qui fuerint & quam iuste vixerunt, & quia Dominum in suis actibus præfigurauerunt. (Abraham genuit Isaac) Abraham Dominum patrem significauit; Isaac Dominum IESVM CHRISTVM. Et sicut Abraham obtulit filium suum, sic Dominus pro nobis obtulit filium suum immolandum. Et sicut Isaac non est immolatus, sed aries pro eo, sic nec diuinitas passa, sed humanitas, corpus videlicet quod inter peccatores conuersabatur, quasi aries inter spinas, Isaac risus interpretatur quia mater eius risit, quando promissus ei fuit nascendus. (Iacob autem genuit Iudã & fratres eius.) Et Iacob *supplantator* interpretatur, & ipse figuram Domini gessit, habens 12. filios, sicut Dominus postea habuit 12. discipulos quasi 12. filios. (Iudas autem genuit Phares, & Zara de Thamar.) Iudas interpretatur cõfessor seu confitens, quia mater eius dixit quando eum peperit. *Nunc confitebor Domino.* Et ideirco dicitur confitens se confessor & ipse & fratres Dominum præfigurauere. Iudas genuit Phares & Zara de Thamar. Requirendum est quare peccatrices mulieres commemorentur in genealogia Domini, & non iusta vt Sara & Rebecca & aliæ quæ ibi multæ fuere, vt mater Dauid & Iosaphat. Sed propterea illæ peccatrices mulieres ponuntur, vt ostendatur illum cuius genealogia est propter peccatores venisse: sicut ipse dixit. *Non veni vocare iustos sed peccatores*, & vt nullus peccator desperaret

conuerti

A conuerti ad Dominum. Verumtamen nec illæ fœminæ nimis vituperandæ, si quis earum causam velit diligenter animaduertere. Si quidem ipsa Thamar secundum litteram inspecta, optimam fidem marito mortuo custodiuit, quæ tanto tempore fratrem expectauit & non est nupta alteri. Et cum vidit quod non ei daretur non quæsiuit de alio genere filium, sed de ipso vnde maritum habuerat. Et hoc etiam non ante de Iuda, nisi cum vxor ipsius mortua fuit omnes enim tunc desiderabant filios habere, quia mundus vacuus erat, & volebat vnusquisq; dici populos de se & regna, quia nec dum erat præcepta virginitas nec viduitas: nec ipsa amplios quæsiuit, nisi vt conciperet, propterea non est tam vilis vt à multis æstimatur. Thamar interpretatur *Palma* vel *amaritudo*. Palma propter sanctos qui de eius progenie orti sunt, de quibus scriptum est. *Iustus vt palma florebit*. Amaritudo ipsi conuenit propter virum quem cito perdidit. Peperit quoque filios mysticum præfigurantes populum videlicet Iudaicũ & gentilem. B Zara enim interpretatur *oriens*, quia de ipsa plures sancti fuerunt. Phares autem interpretatur *diuisio*, a quo Pharisæi dicti sunt. [*Phares autem genuit Esrom.*] Esrom interpretatur sagittã vidit, hoc est Christũ in carne prædixit venturum, à qua sagitta vulneratus est diabolus. *Esrom autem genuit Aram.*] Aram dicitur excelsus, significans in suo nomine Dominũ IESVM CHRISTVM, de quo dicit Propheta, qui excelsus reputatus est ipse. Et Psalmista. *Excelsus super omnes gentes Dominus, & super cælos gloria eius. Quis sicut Dominus Deus noster qui in altis habitat*, &c. [*Aram autem genuit Aminadab.*] Aminadab spiritus meus spontaneus dicitur, & in hoc nomine Dominus IESVS significatur, qui spontanea voluntate spiritus sui natus est in mundo, *Aminadab autem genuit Naason.*] Naason serpentinus interpretatur, & Dominus figuratus est, sicut ipse dixit. *Sicut exaltauit Moyses serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis.* [*Naason autem genuit Salmon.*] Salmon autem dicitur pax, & ipse in nomine suo Dominum prætendit, qui est pax nostra, C & qui pacificauit ea quæ in cœlo, & in terra erant, interficiens inimicitias in semetipso. [*Salmon autem genuit Boos de Raab.*] Raab ascendens dicitur, in qua Ecclesia præfiguratur de gentibus, quæ ascensura erat de lauacro Baptismi, munda & immaculata à pristinis erroribus facta. Quæ nec nimium vituperanda sed laudanda, cum per exploratorum susceptionem præuidit sibi salutem, & studuit, vniri populo Dei, sicut & Ecclesia postea ex gentibus. Salmon iste est Princeps Iodææ cui præceptum est numerari in Heremo populum cum aliis. Boos sonat *in quo virtus* siue *in fortitudine*. Et his nominibus, quis alius rectius quam Dominus noster IESVS exprimitur, qui est Dei Patris virtus. Ipse quoque in fortitudine fecit, quia resurrexit à mortuis vt Leo, & confregit claustra inferni. [*Boos autem genuit Obed ex Ruth.*] Et hic Ruth commemoratur alienigena, quia & ipsa licet alienigena fuerit: tamen bonam fidem habuit: reliquit enim Deos suos, & quæsiuit Deum Hebræorum, & seruiuit, propter amorem viri sui dereliquit parentes suos, D adhæsit parentibus viri sui.

Et nequaquam ad peiores, aut vagabunda, sed ad meliores & legitime se coniunxit non luxuriando. Vnde & mulier virtutis appellata fuit. Interpretatur quoque festinans vt nomine suo signet Ecclesiam. Et Buos Christum prætendit, qui accepturus erat sponsam ex gentibus. [*Obed autem genuit Iesse.*] Obed seruiens dicitur, in quo ille significatur qui dixit: *Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare.* Iesse binomius fuit, qui Isai vocatus est. Iesse *aperiens* sonat, illum nihilominus annuncians in nomine suo, de quo scriptum est: *aperuit eis sensum, vt intelligerent scripturas.* Isai etiam sacrificium dicitur, siue incensum patenter illum ostendens esse venturum qui seipsum sacrificium faceret pro multis in odorem suauitatis. [*Dauid autem rex genuit Salomonẽ, ex ea quæ fuit Vriæ.*] Et hic peccatrix mulier memoratur: Vt ostendat illum pro peccatoribus de hominibus natum, & Vrias de alienigenis erat, non erat de Iudæis. Qui quamuis bonus esset, diaboli expressit typum, cuius coniugio erat prius copulata Ecclesia quam Christus E concupiuit, cum vidit illam lauantem, hoc est semetipsam à sordibus seculi per lauacri vndam purificantem. De istis qui modo in medio interponuntur, non est necesse aliud dicere, quia nota est historia in regum qui fuerint vel quid fecerint, nisi tantummodo interpretationes nominũ ponere Dauid interpretatur fortis manu, qui iecit manu lapidẽ de funda, vnde occidit Goliath & significat in hoc facto Dominum Christum qui vicit diabolum per suam patientiam, & hic passus est persecutiones Saulis, sicut Christus Iudæorum, & sicut Dauid derelictus fuit a suo consiliario & proditus similiter Christus à Iuda discipulo suo, & sicut Dauid deiectus est à regno à filio suo: ita Dominus eiectus est à populo Iudæorum, quia filius eius dictus est per adoptionem, extra ciuitatem Hierusalem eiectus & occisus, siue etiam quia idem Dominus Christus ex eius stirpe processit. Salomon interpretatur *pacificus*, & ipse Dominum præfigurauit pace F sua quam in regno habuit, quia Dominus & pax nostra & pacificus noster est, quia de ipso dictum est, *orietur in diebus eius iustitia, & abundantia pacis, donec extollatur luna & quia ædificauit domum domino Salomon*: sic & Dominus ædificauit cælestem Hierusalem de lapidibus viuis. [*Roboam autem genuit Abia.*] Roboam interpretatur *latitudo populi*, sed per antiphrasin, hoc est per contrarietatem. Est enim quidam modus, qui antiphrasis dicitur apud Grammaticos quando aliter est res quam sonat in nomine, vt bellum dicitur eo quod sit minime bellum. Similiter & hic dictus latitudo per contrarium: eo quod ab illo defecerunt decem tribus: & eo angustiatum est in illo regnum Iuda: Abia interpretatur pater Dominus: & non debet coniungi *b.* cum *i* sed *ab*, per se, & *ia* per se, quod est nomen Domini. Et recte hoc nomine vocatus est, quia cognouit patrem Dominum esse creationis & salutis suæ. [*Abia autem genuit Asa.*] Asa dolens, siue sustollens interpretatur. [*Asa autem genuit Iosaphat.*] Iosaphath Domini iudicium: & G hic Domino adhæsit.] *Iosaphat autem genuit Ioram.*] Iste enim Iosaphat qui coniunctus fuit Achab, malo regi & abiit cum illo in bellom, & debuit ibi mori: quia contra voluntatem Domini adiutor erat illius, pro qua re & à Propheta increpatus est: eo quod præberet ei auxilium. Sed & naues fecit quæ irent in Asiongaber cum nauibus illius & Domini nutu confractæ sunt. Quod intelligens Iosaphat: voluit vlterius naues suas coniungere cum nauibus illius. [*Ioram autem genuit Oziam.*] Non filius eius, sed nepos eius fuit: sed dicuntur filij qui de longinqua progenie exierunt alicuius. Nam *Ioram genuit Ochoziam: Ochozias Ioas, Ioas Amasiam, Amasias Osiam.* Sed quia Ioras accepit filiam Iezabel: quæ occidit Naboth & persecuta fuerat Heliam & Prophetas & sacerdotes Domini & cultum eius: propterea quia de prole eius nati sunt: tolluntur de genealogia Domini vsque in tertiam generationem. Etiam & propositum erat Euangelistæ tres ordines ponere vnum ante legem, de Patriarcharum tempore: H alium sub Prophetarum æuo. Tertium sub sacerdotum dominio, hoc est per tres vices quatuordecim: hoc sunt τρὶς τέσσαρες ϗ δέκαδες, tres tessares, & decades, id est, quatuor, & decem & septem, propter septenarium numerum sabbati, quia septem & septẽ quatuordecim faciunt. Et sicut filij Israel per quadraginta duas mansiones venerunt ad terram promissionis duce Mose: ita & nos duce Domino qui per istas venit ad nos, perueniemus ad vitam æternam. Matthæus qui generationem Domini terrenam narrauit, ostendit qualiter ille de cœlo descenderit, per generationem terrenam, Lucas vero specialem ordinem tenens, ostendit qualiter illi omnes qui studuerint eius membris incorporari ascensuri essent in cœlum. Et ideo per quinquaginta generationes quæ significant requiem Iubilæi: seu per septuaginta duas generationes in quo numero gentes leguntur in initio esse diuisæ, vt ostenderetur de omnibus gentibus credituros in Christo & ascensuros in cœlum: siue si per septuaginta septem generationes velis computare, quæ sunt de Christo ad

Adam, quem numerum Dominus in peccatorum remissionem posuit, quando dixit non dico tibi Petre dimittendi septies; sed vsque septuagies septies, vt ostenderet se omnia peccata nostra in baptismo remissurum. Et sicut nulla generatio prætermissa est non numerata ab Adam vsque ad ipsum, sic nullum peccatum esse quod non remittatur in baptismo. Et sub hoc exemplo præcipitur vt in nos peccantibus, septuagies septies remittamus. Matthæus autem laborem certaminis quod Dominus sanctique sui habituri essent ostendit, per quadraginta duas, quæ prætenderunt labores in Heremo, Ioram autem excelsus. Hoc etiam per antiphrasim: quia deiectus fuit propter Achab & Iezabel. Ozias fortitudo Domini & iuste sic vocatus est, quia confisus est in Domino & fecit quæ placuerunt ei: excepto, quia per se voluit hostias offerre: quod sacramentum erat. Et ob hoc percussus lepra: & habitauit liber à se in domo seorsum extra ciuitatem & populum, habuit autem duo nomina. [*Ozias autem genuit Ioatham.*] Ioatham perfectus dicitur: & pulchra etymologia & conueniens illi est: quomodo ipse perfectus fuit, coram Domino & ædificauit portam templi. [*Achas autem genuit Ezechiam.*] Achas sonat apprehendens: subauditur nequitias omnes: quia dereliquit Dominum & vidit altare in Damasco & veneratus est illud: & iussit simile fieri in Ierusalem. Ecce pater malus genuit filium bonum. Ezechias *fortitudo* Domini dicitur: quia ipse in Domino visus est: & in diebus eius Dominus centum octuaginta quinque millia de Assyriis occidit, & cum decemviris fugit Sennacherib de terra eius: & occisus est a filiis suis cum adoraret Nesrac Deum suum, & diceret: *quare me dimisisti fugere sic de Iudæa, qui etiam filios meos immolassem tibi si iussisses?* Et cum audiuissent filij eius hæc, occiderunt eum timentes ne occideret eos pro *tali* voto, & fugerunt in montem Ararat. [*Ezechias autem genuit Manassen.*] Manasses dicitur *obliuiosus*: quia ipse per multa scelera oblitus est Domini, in tantum vt filium suum transferret per ignem dæmonibus, & ecce iterum malum filium bonus pater genuit; sed postea tamen suscepit Dominus preces eius propter patrem, & liberauit eum de Babylone vbi fuerat ductus captiuus propter peccata sua. [*Manasses autem genuit Amon.*] Amon sonat *infidelis.* Siquidem Ammon per duo m, sonat *filius populi mei:* per vnum m, *infidelis* dicitur: & iste propterea infidelis dicitur, quia recessit à via Domini. [*Amon genuit Iosiam.*] Iosias dicitur: *vbi est incensum Domini*, & hoc digne dictus est, quia ipse digne seruiuit Domino: & destruxit idola & cultores idolorum & phase Domini mirabiliter celebrauit. [*Iosias autem genuit Iechoniam.*] Iechonias *præparatio Domini* sonat, Iechonias autem primus pater intelligitur: & Iechonias post transmigrationem filius eius fuit: & dicitur alio nomine Ioachim, primus per c & h & m, secundus per c & n, & primus Ioachim *præparatio Domini*: secundus *præparatio Dei dicitur.* Nam si voluerimus vnum Iechoniam computare, non erunt nisi tredecim generationes. Sed sic est verum, quia primus Iechonias is est: quem Rex Ægypti Regem constituit. Sed venit super eum Nabuchodonosor & exegit ab eo iusiurandum & tributum. Et quia mentitus est ei occidit eum, & proiici iussit corpus eius in plateam. Sed filius istius cui Nabuchodonosor occurrit, antequam veniret Hierusalem cum matre & vxore: & dedit ei Nabuchodonosor beneficia in terra sua: & tradidit fratri eius Sedechiæ. Sed quia mentitus est ei Sacramentū quod ei iurauerat: venit iterum Hierusalem: & cōprehendit eum, & occidit filios suos in oculis eius & eruit oculos eius & misit eum in caueam moreferarum: quia dixerant Prophetæ eius vt Leo esset: & duxit eum in Babylonem & misit eum in carcerē & dimisit eum ibi vsque quo ipse Nabuchodonosor mortuus est: & ibi etiam habuit nepotem suum cum illo Euilmerodar, quem in regno inuenerat quando de bestiis reuersus fuit. De quo etiam scriptum est, quod subleuauit Euilmerodar caput Ioachim de carcere, & locutus est cum eo benigna, & dedit ei villas, & constituit cibos mensæ eius, quia socij erant in carcere. Quod dicit fratres eius: ille est vnus quem Nachor Rex Ægypti iunxit, & duxit in Ægyptum. Et alius Eliachim qui regnabat in Iudæa quando primum Nabuchodonosor ad Hierusalem venit: quando per tres vices deprædatus est ipsam terram: & tres reges in ea abstulit, illum quem modo dixi Eliachim: quem Nechao constituerat post interfectum fratrem: & alium quem cum matre eduxit: & tertium Sedechiam.

Transmigratio autem fuit in Babylone: quia migrare cogebantur a Nabuchodonosor de sua terra in Babylonem. [*Salathiel autem genuit Zorobabel.*] Salathiel *petitio* dicitur *Domini*: & recte petitio Domini dicitur: vt ostēdat omnes antiquos patres, petiisse Dominum venire ad redemptionem generis humani. [*Zorobabel autem genuit Abiud.*] Zorobabel ipse qui custodiebat Assuerum Regem dormientem cum aliis duobus: dixeruntque ad inuicem: *dicamus ad inuicem singuli sententias, & apparebit quis meliorem sententiam dicat.* Vnus dixit: *Rex est fortior sub cælo.* Alius dixit, *vinum est fortius sub cælo*, tertius Zorobabel dixit: *veritas est fortior & mulieres.* Et exsurgens Rex approbauit eum suis hominibus, quia Zorobabel melius dixisset, & tunc dedit ei principatum super omnes Iudæos qui erant in regno eius, & licentiam reuertendi cum omnibus Iudæis in Hierusalem. Et zo, *iste*, ro, *magister*, Babel, *Babylonis*, hoc est iste magister de Babylone: & significat ipse Dominum Christum: quia Babylon *confusio* dicitur quia significat istum mundum: vnde Dominus Christus auctor est ipse & magister: vnde & educit populum suum in terram repromissionis, hoc est in vitam æternam.

De his qui in medio sunt, qui in captiuitate fuerunt non habemus scriptum quid fecerint: nisi tantummodo interpretationes dicamus. [*Abiud autem genuit Elyachim.*] Abiud patris robur: & per ipsum Dominus Christus ostenditur: qui est Dei virtus per quam facta sunt omnia. Et *ab* per se debet, quia *ab* pater dicitur. Elyachim *resurrectio* interpretatur: quia videlicet ipsum figuricabat, per quem resurrecturus erit omnis mundus. [*Elyachim autem genuit Azor.*] Azor interpretatur *adiutor* illum præfigurans, de quo scriptum est, adiutor in oportunitatibus in tribulatione. [*Azor autem genuit Sadoc.*] Sadoc dicitur *iustus:* illum profecto prætendens, qui est iustus absque comparatione: de quo Psalmus, *iustus Dominus iustitias dilexit.* [*Sadoc autem genuit Achim.*] Achis sonat *frater meus.* Et ipse illū prætendit in nomine qui dicit. *Nunciabo nomen tuum fratribus meis.* Ille videlicet qui Deus erat per maiestatem. Frater factus est populo Christiano per humilitatem, & resurrectionem. [*Achim autem genuit Eliud.*] Eliud dicitur *Deus adiutor*, & *el*, per se & *iud*, postea. Et ipse etiam ex nomine futurum adnūtiat saluatorem, qui vocandus esset Emmanuel, hoc est est *nobiscum Deus* [*Eliud autem genuit Eleazar.*] Eleazar *adiutorium Domini* sonat: illum de quo Psalmus, ait: Adiutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit cœlum & terram. [*Eleazar autem genuit Nathan.*] Nathan *dulcedo:* siue *saturans:* dulcedinem sonat, præfigurans illum, de quo Euangelista postea dixit. Mirabantur omnes super his, quæ dicebantur de illo. Saturans autē, & hoc ad ipsum pertinet de quo scriptum est, *saturauit Dominus quinque millia hominum.* [*Nathan autem genuit Iacob.* Iacob *supplantator* dicitur, & hic suo nomine Dominum prænuntiat, qui supplantauit vitia & erexit virtutes: de istis vero, qui in fine generationis ponuntur videndum est quare Matthæus dicat. *Iacob genuit Ioseph*, & Lucas dicat: *quia Ely genuit Ioseph.* Sed hoc sciendum quia lex præcipiebat, vt quando frater moriebatur, & non relinquebat filium: Acciperet frater alius ipsius vxorem, cum sua vxore, & generaret filios in vxore fratris sui, & illi qui nascerentur filij fratris mortui dicerentur. Tali ergo causa est varietas in Euangelistis, & Matthæus ordinem naturalem sequens, dicit eum filium esse Iacob. Lucas autem secundum legem veterem dicit eum filium Eli fuisse. Eli dicitur *ascendens.* Iacob interpretatur, *supplantator*, Ioseph *augmentum.* Et ipse etiam illum intonat venturum, qui

aux.

auxit populum ſuum, dicens. *Et alias oues habeo: quæ non ſunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere, & vocem meam audient, & fiet vnum ouile & vnus paſtor.* [*Virum Mariæ.*] Cum audis virum, require, inuenies in ſcriptura, quod & ſponſi vocantur viri, & ſponſæ vxores, & etiam conſuetudo hiſtoriographorum eſt hiſtoriam ſic ſcribere, ſicut eo tempore putatur quando res agitur. Vnde de Herode dicitur quia contriſtatus fuerit ad petitionem capitis Ioannis: non quod vere contriſtatus, ſed quia ſic putatum eſt ab his qui viderunt.

In tertio ordine generationis Chriſtus quartuſdecimus eſt, quia iſta generatio ſic facta fuit ad capiendum diabolum, ſicut hamus ad capiendos piſces, ſicut in fine occultatur hamus per eſcam, ſic diuinitas Chriſti abſconſa fuit de carne, quia miſit hamum Deus pater, qui filium incarnari præcepit. Momordit diabolus & transfixus eſt à diuinitate eius, hoc eſt fecit carnem crucifigi, & comprehenſus eſt & religatus ab ipſa diuinitate quæ latebat ſub carne. Virga in qua hamus inſertus eſt Abraham extitit, qui origo huius generationis fuit.

Diximus iam quare per tres ordines diuiſit iſtam generationem: videlicet propter tria tempora, ante legem: ſub lege, & Prophetis & ſub ſacerdotibus, ſiue propter Trinitatem. Quatuordecim autem propter ſeptenatium numerum qui eſt ſacratus apud Iudæos pro Sabbato, quia ſeptem & ſeptem, quatuordecim faciunt, [de qua natus eſt IESVS, qui vocatur CHRISTVS.] Sicut ſcitis, Matthæus Domini poſt aſcenſum in cœlis Caij tempore Caligulæ Euangelium ſcripſit, propterea ſic vtroque nomine dicit illũ vocari, id eſt à credentibus in eum. Quid pertinuit narrari generationem Ioſeph, cum Chriſtus eius filius non fuerit? videlicet pro quatuor cauſis. Prima, vt per generationem Ioſeph Mariæ noſceretur origo, quia de vna generatione fuiſſe noſcuntur, quia præceptum erat, vt vnuſquiſque homo de ſua tribu vxorem ſumeret, quod Ioſeph qui iuſtus erat hoc cuſtodiebat. Sicut apparuit in cenſus profeſſione, quia cum præceptum eſſet, vt vnuſquiſque reuerteretur in terram & in patriam ſuam, & ibi profiteretur nomen ſuum, & artem, & ſolueret cenſum: *aſcendit Ioſeph & Maria de Galilæa in Bethleem, ad profitendum nomen in patria ſua.* Nec enim conſuetudo eſt ſcripturæ hiſtorias de fœminis texere. Licet enim Adam multas filias habuerit, & ne vel alij: de nullis tamen ſcriptura ſic refert ſicut de Abel & Cain, Sem, Cham & Iapheth, & regnorum libro. Fuit vir vnus de Ramatha Sophim ſimiliter in aliis hiſtoriis.

Secunda cauſa, ne lapidaretur à Iudæis, ſi eſſet ſine viro & habuiſſet filium. Omnium enim incredibiles Iudæi lapidaſſent eam ſi Ioſeph ab illa ſe ſeparaſſet. Maluit enim de ortu ſuo dubitare quoſdam, quam matrem ſuam falſis ſuſpicionibus infamari, vel etiam per tormenta cruciari, quæ erat & tenere nutrita, & inferior ſexus. Tertia cauſa, vt in Ægyptum iens, vel reuertens, is qui vir erat procuraret quæ neceſſaria fœminæ erant, ſocium vel victum, & vt infantem tanto itinere ferret ac referret. Quarta cauſa, vt partus eius diabolum lateret, qui ſi eum de virgine natum ſciſſet, nunquam eum crucifigere ſuaſiſſet Iudæis. Vnde & hoc requiſiuit per tentationes, ſi eſſet filius Dei. Sciebat namque per ſcripturas quia naſceretur. ſed in hoc deceptus eſt, quia de muliere putauit eum fuiſſe natum. Chriſti autem generatio ſic erat: ſubauditur ſicut ſuperius dictum eſt. Ideò autem IESV CHRISTI, vt dimittat Angelo narrandum. *Vocabis inquit nomen eius* IESVM. Chriſtus Græcum eſt nomen, & dicitur Latinè *vnctus*, & Hebraicè dicitur *Meſſias*. Non habebat autem ante latinitas hoc nomen, ſed habere poterat, ſicut apparet modo. Fuit autem hoc nomen apud Iudæos celebre, quamdiu eorum regnum ſtetit, quia ſicut apud multas gentes dignitatis nomina ſunt, quæ reges & principes per ſucceſſionem habent, vt apud Ægyptios *Pharaones*, & *Ptolomæi*, & apud Romanos *Cæſares* & *Auguſti* vocantur, ita & apud Iudæos tuis hoc nomen. Vnde enim ab Iulio, qui primus vocitatus eſt Cæſar, eo quod cæſo matris vtero mortuæ eductus ſit, in reliquum omnes Cæſares ſunt nuncupati, & ab Octauiano, cui Romani cum occurriſſent, poſt ſubiugatum orbem terræ cum ſcuto aureo & lapidibus, dederunt nomen *Auguſto*, quia adauxerat imperium eorum, in reliquum omnes *Auguſti* appellati ſunt. Simili modo quia Aaron iubente Domino inunctus eſt à Moyſe in ſacerdotem: omnes ſacerdotes *Meſſias* vocantur. Similiter omnes reges à Saule qui primus Rex eorum à Samuele inunctus eſt in regem *Meſſias* idem Chriſti vocati ſunt. Vnde & Dauid dicebat. *Non mittam manum meam in Chriſtum Domini*, & in Pſalmo. *Nolite tangere Chriſtos meos.* Interpretatio vna eſt, *Meſſias & Chriſtus*, ſed tamen quia lingua ſonantior & comptior eſt, omnibus linguis ſub cælo, & etiam notior, tum erat propter Romanos qui per totum mundum dominabantur, & ob Græcos qui ſapientiores fuerunt aliis, idcirco placuit Euangeliſtis & interpretibus in ea lingua illud nomen dimittere: quæ magis nota erat & amabilior.

In vigilia Natalis.

CVm eſſet deſponſata.] Sponſus & ſponſa ab *ſpondendo* dicti ſunt, eo quod ante ſpondebant ſibi cautiones matrimonij conſentire, & dabant fideiuſſores, etiam annulo ſubarrabantur. Tali ergo modo deſponſata erat Maria Ioſeph, non tamen in concupiſcentia iuncta. Quare deſponſata fuerit: ſuperius dictum eſt. [*Mater eius.*] Cuius eius? Mater immaculati, Mater vnici; qui in cælis ſine Matre in terra ſine patre natus eſt. Mater dicta, quia exinde efficiatur aliquid. Maria dicitur *illuminatrix*, ſiue *ſtella maris*: genuit enim lucem mundi ſermone Syro *domina* vocatur, & iuſte, genuit ſaluatorem mundi dominumque vniuerſi orbis. [*Antequam conuenirent*,] hoc eſt, ea conuenientia, quæ vſus erat conuenire ſponſum & ſponſam [*inuenta eſt.*] Videlicet ab ipſo Ioſeph inuenta, qui pene licentia maritali: vt putabatur, futuræ vxoris omnia ſecreta nouerat. Erat enim vſus in illa gente, vt qui vxorem debebat accipere, ad templum eam deſponſaret, & poſtea ſi diues eſſet haberet miſſos ſuos cum ea: aut ſi pauper, ipſe cuſtodiret ſimul cum patre & matre vſque ad præfinitum tempus. Eo igitur tenore inuenta eſt a Ioſeph. [*In vtero habens de Spiritu ſancto*,] quia pro certo ſciebat, quod nullus homo ad eam eo modo iunctus fuiſſet, vt concipere potuiſſet.

De iſta ſolummodo hoc ſcriptum eſt, quod & in vtero habuerit Sp. S. Iſta autem & in mente & in vtero, ἅγιον Pneuma dicitur, quando de Spir. S. intelligitur: quando vero de alio ἅγιον pneuma dicitur, [*cum eſſet iuſtus.*] Teſtimonium Euangeliſtæ eſt de Ioſeph, quia iuſtus erat & in conſummata lege erat & hoc etiã ex apparitione Angeli credere poſſumus, ex verbis ipſius dicentis. *Noli timere*, Si enim in eam malam ſuſpicionem habuiſſet, nec ipſe iuſtus eſſet, nec Angelus dixiſſet: *Noli timere*, ſed *noli deſpicere*. [*Et nollet eam traducere*,] hoc eſt diffamare, ſiue tranſducere, id eſt certa ducere quo tunc erat, & in blaſphemiam mittere [*voluit occulte dimittere eam.*] Si iuſtus erat, & nullam malam ſuſpitionem in ea habebat, quare ſanctam & iuſtam vellet dimittere? Sed ſciebat conuerſationem eius fore ſanctam, & appropinquare ſe indignum reputabat: ſicut B. Petrus faciebat cum viſo miraculo piſcium dicit. *Exi à me Domine, quia homo peccator ſum.* Vel ſicut centurio mittens miſſos ad Dominum dicens. *Non ſum dignus vt intres ſub tectum meum*, nec me ipſum dignum exiſtimaui ad te venire. Ita & iſte dicebat. *Longe faciam eam a me & cognatione mea.* Quia perſpicio in ea quoddam magnificum Sacramentum. [*Hæc autem eo cogitante.*] Hoc eſt indignum ſe iudicante ei appropinquare. Si enim aliud inique cogitaſſet, Angelus ei non apparuiſſet. A ſuperbis enim potius refugit quam appropinquat, & idcirco apparet non fuiſſe deſpectum ſuperbiæ ſed humilitatis elongationem. [*Ecce Angelus Domini apparuit in ſomnis*

ei dicens. Visionum qoibus Deus omnipotens locutus est ante incarnationem, quibus loqui voluit: septem genera sunt. Primum genus per aures corporis, vt sicut vidit Moyses rubum ardere & audiuit vocem Dei per aures corporis & omnis turba exercitus Israëlis audiuit Dominum dicentem decem verba legis. Secundum, genus extasis, sicut Petro quando misit ad eum Cornelius. *Et cecidit super eum mentis excessus, & vidit vas linteum submitti de cælo.* Tertium sicut Nabuchodonosor: quando vidit statuam de metallis. Vel arborem abscisam radicitus, & nihil intellexit. Quartum per nubem sicut ad Iob, post plagam locutus est. Quintum in corde sicut multis sanctis: vel etiam Balaam quando misit verbum in ore eius, & assumpta parabola locutus est. Sextum repletio Spir. S. sicut repleuit septuaginta senes in Heremo. Septimum in somnis viderunt: mente intellexerunt. Alij [*quod verius est*] tria genera esse dixerunt: vnum per corporeos oculos sicut Abraham & Lot Angelos viderunt, & locuti sunt: cum eis Aliud in corde sicut Danieli locutus est in corde, quæ Balthasar. oculis corporibus viderat & non intellexerat. Tertium in somnis & in corde, sicut ad Esaiam & ad omnes Prophetas & ad istum Ioseph quæ visio excellentior est aliis. Nihil enim prodest oculis videre corporalibus sicut vidit Balthasar: nisi quis & mente videat, sicut vidit Daniel eandem visionem. Similiter nihil prodest videre in somnis, vt vidit Pharao, & Nabuchodonosor, nisi assit qui sic videat, sicut viderunt Daniel & Ioseph. Eo ergo modo quo perfectis ab initio locutus est Deus eo etiam isti Ioseph, quia quæ vidit in sõnis intellexit & credidit, quia sicut Deus omnipotẽs inter cæteros Archangelos Gabrielem qui fortitodu Dei dicitur ordinauit ad adnuntiandum mysterium saluatoris nostri quem etiam & huic Ioseph locutum esse credimus, sic ordinauit perfectos viros ad tractandum Incarnationem Domini nostri, & non curauit per diuites hoc agere qui solent esse pleni viciis: sed per pauperes plenos virtutibus à perfectione. Vnde iste vnus fuit, qui dignus habitus est nutritius fieri Dei, & custos matris eius, & dignum hoc erat, vt qui totos homines in potestate habebat, sanctiores & perfectiores sibi appropinquare faceret. [*Ioseph fili Dauid.*] Non solum filius quia de eius prosapia, sed etiam imitando fidem eius. [*Noli timere accipere Mariam, coniugem tuam.*] Noli trepidare: nolite indignum iudicare illi, vel matri eius seruire, quia illa digna & ordinata inuenta fuerat ad generandum eum: & tu ad nutriendum electus es. Fuit autem tuus æquiuocus castus inuentus & bonus, sed non tu eo inferior, cui credita est virginitas matris, & baiulatio nascentis; dicatur interim coniunx tua, vt liberes eam de persecutionibus Iudæorum, sed melior tibi erit, quam si habuisses tantas vxores, quantas habuit Salomon. *Ipse qui nascetur ex ea dicetur ad tempus filius tuus,* sed est & creator tuus, qui melior erit tibi, quam si habuisses quadragiota filios: vt Abdon habuit. Propterea serui vt Domino dominorum & regi regum. Coniugem tuam dicito, vt Diabolus & Iudæi nesciant de virgine natum qui nasciturus est. Si non est coniunx tua more aliorum hominum: erit coniunx tua vt recipias mercedem, cum illa receperit pro generatione: tu recipies pro educatione in vita æterna. Coniuges dicuntur propter iugum quod imponitur matrimonio coniungendis, sine desponsationis à prima fide, qua quis adhuc ignorat coniugales concubitus, [*quod enim in ea natum est, de Spiritu S. est.*] instruitur Ioseph melius, quod ante sentiebat de S. Maria, videlicet quod de Spiritu sancto sit, quod in ea videbat. [*Pariet autem filium,*] quamuis de Spir. S. sit quod in ea natum est, tamen pariet filium, quod nunquam audisti vt fæmina peperisset filium de Spir. S. [*Et vocabis nomen eius* IESVM,] Ego dico tibi nomen eius, quod ante secula. Non tu pones ei nomen ex libitu tuo, vel mater eius, sed voca eum nomine quod habuit ante secula. Saluatorem eum esse testare: quia ipse saluum fecit ab initio omnem mundum. IESVS Hebræum nomen est, & Angelus Dei: expressit Etimologiam & interpretationem quomodo dixit. Ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum. Scribitur autem IESVS *iota*: & ita: E
& sigma: & apice desuper apud nos. Nam in Græcorum libris solummodo per *iota*: & sigma: & apice desuper inuenitur scriptum, & sicut alia nomina Dei comprehensioe debent scribi, quia nomen Dei non potest litteris explicari: quando purum hominem significat per omnes litteras scribitur. Debemus autem scire, vbi primitus istud nomen fuerit inuentum, hoc est à Moyse primum impositum filio Nun, quando reuersus victor de pugna Amalech, ad quam miserat eum Moyses cum aliqua parte populi. Tunc ierunt ei obuiam reliquus populus cum sacerdotibus, & imposiere ei hoc nomen, vt vocaretur Iosue, hoc est Saluator, quia saluauit popolum de Amalech. Et nomine & in facto ille Iosue figuram gessit Domini, quia Amalech qui interpretatur populus lambens, diabolum significat: de cuius lambitione, id est, seductione, semper liberat populum suum. Hoc est qui sui esse festiuat ore & opere, & à nomine eius Chri- F
stiani vocantur. Non etiam absolute dixit populum, sed suum addidit, id est qui fidem & spem suam in eam posuerunt. [*Hoc autem totum factum est, vt adimpleretur quod dictum est,*] hoc est, ideo prædicta sunt, quia sic erat futurum & ideo factum est, vt acta concordarent dictis, vt esset verus Dominus in Prophetis, & in omnibus operibus suis. Hoc totum factum est, id est quia missus est Angelus quia concepit Maria, quia peperit, omnia ista prædicta sunt à Prophetis. Istum vero per Esaiam dictum, sed ibi accipiet, quia ille de futuro, iste habet, habebit, quia iam præterita narrabat. [*Et vocabant nomen eius Emmanuel.*] Emmanuel quid sit Euangelista aperuit dicens: nobiscum Deus. Emmano, *nobiscum*, el, *vnum* de decem nominibus quo Deus vocatur apud Hebræos. Fuit Deus cũ Patriarchis & patribus, sed aliter fuit cum his, de quibus Prophera hoc dixit: *quia versatus est cum eis in carne & audierunt eum viua voce loquentem, & viderunt miracula facientem:* quod multi Prophetæ & reges voluerunt videre & audire, hoc fuit tunc cum illis. [*Exsurgens Ioseph à somno fecit sicut præceperat ei Angelus Domini.*] Et G
isto facto apparet quia & Ioseph perfecte eruditus est ab Angelo de illo facto, & quia vir sapiens fuerit, qui non quæsioit consilium postea de hac re, nec interpretem, sed statim fecit sicut præcepit ei Angelus. [*Accepit vxorem ad custodiendum.*] quia coniunx à coniungendo dicitur. [*Et non cognouit eam donec peperit filium suum primogenitum.* Ex his locis hæretici extiterunt, qui dixerunt quia ideo dicit donec peperit, quoniam postea cognouit eam. Sed tamen non habet talem sensum in Scriptura diuina, sicut in humana locutione. Dicit enim in Psalmo. *Sede à dextris meis, donec ponam inimicos scabellum pedum tuorum.* Nunquid non sedebit amplius Dominus Christus ad dexteram patris, nisi quo vsqoe inimici ponantur sub pedibus eius? Et in alio loco scriptura dicit *donec consenescatis, ego sum Dominus.* Nunquid non erit amplius Dominus, nisi quo vsque illi senes fierent cum quibus hæc loquutus est? Sed *donec* in scriptura diuina pro æterno ponitur, vt intelligatur: *sede à dextris meis in æternum. & ponam inimicos tuos sca-* H
bellum pedum tuorum: similiter in alio loco. *Ego sum Dominus in æternum, & cum viueris & cum senescetis etiam & cum moriemini,* hoc est, *in æternum.* Ex alio hæretici fuerunt verbo qui dixerunt, quod non diceretur primogenitus, nisi quem alij fratres sequuntur, sed non est ita. Lege vetus Testamentum & inuenies quia omnes qui prius vuluam aperiunt (licet non habeant fratres) primogeniti dicuntur: ipsi & vnigeniti & primogeniti vocantur. Qui amplius de istis requirit, legat librum S. Hieronymi quem fecit contra Eluidium de hac re.

CAPVT

Digitized by Google

A

CAP. II.

In Epiphania Domini.

Cum natus esset IESVS *in Bethleē Iuda in diebus Herodis regis.*] Quia Euangelista ordinante regenteque Spiritu S. diuisis inter se gestis Domini narrat, debet lector ad memoriam reducere, quæ alius de ipsa dicat Euangelista. Lucas enim narrat, quomodo Angelus Gabriel ad Mariam venerit, & beata Maria audiendo & credendo conceperit. Matthæus quomodo Ioseph desponsata fuerit. Iterum Lucas quomodo de Galilæa propter professionem census ascenderint. Denuo Matthæus quomodo natus à magis adoratus sit. Ait enim. [*Cum natus esset* IESVS.] Vsus fuit historiographorum, vt quando historiam scriberent tempus adnotarent, sicut

B

etiam nunc fit, non solum in gestis, sed etiam in chartis. Hac etiam de causa Matthæus tempus Herodis ponit, qui in Iudæa regnabat. Lucas vero longius & excelsius repetens & nomen imperatoris & nomina consulum, & tempus professionis census adnotauit dicens. *Exiit edictum à Cæsare Augusto*, videlicet *Octauiano*, quia quadragesimo secundo anno imperij Octauiani Christus natus est: & census exactus. Et sicut Abraham qui in figura Domini præcessit, quadragesimo secundo anno Nini qui primus Rex in mundo fuit, natus est: sic Christus quadragesimo secundo anno Octauiani, qui primus Imperator appellatus fuit, natus est: & ipsa die multa prodigia extiterunt, quæ eum creatorem orbis ostenderunt. Ipso die de taberna meritoria per totum diem fons olei largissimus fluxit, vt ostenderet quia nascebatur is qui Christus diceretur, id est *vnctus* oleo spirituali atque ab eius Ecclesia Christiani essent dicendi. Eodem die Angeli cantauerunt: *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Et vt ista vox compleretur,

C

tanta pax in orbe terrarum facta est per duodecim annos, quantam nullus Rex potuit facere in vna prouincia: ita, vt sicut Propheta dixit, conflarent gladios suos in vomeres & lanceas suas in falces, & Psalmista dixerat, *orietur in diebus eius abundantia pacis.* Eodem tempore hic Octauianus, ad quem omnium rerum summa concesserat: Dominum se hominum appellari non passus est, imo non ausus: quo verus Dominus totius generis humani inter homines natus est. Nam vna die cum eo spectante ludi agerentur, & quidam mimus pronunciasset: *ô Dominum æquum & bonum*: vniuersique exultantes approbassent: statim manu vultuque adulationes compressit, & cum grauissimo edicto se post hæc nec à liberis appellari aut à nepotibus vel à seruis, nec vocari Dominum passus est. [*In Bethleem Iuda.*] Bethleem *domus panis* dicitur: ante vocata *Effrata*, id est frugifera. Sed postquam Iacob ibi pauit pecora sua, appellauit eam Bethleem. Siquidem secunda littera apud Hebræos,

D

Beeth dicitur, & ipsa domus interpretatur, & vtraque nomina Ecclesiæ conueniunt. Et dignum fuit, vt domus in qua Christus nascebatur, his nominibus ante vocaretur, quia in Ecclesia ipsius verus panis, & satietas æterna reperitur ab omnibus in veritate quærentibus. Non autem debet haberi in libro Iudææ, sed Iuda, quia non inuenitur extra Iudæos alia gens habuisse ciuitatem eodem nomine vocatam. Attamen duæ sunt ciuitates in Iudæa: quæ Bethleem vocantur: vna in Galilæa in sorte tribus Zabulon. Altera autem Bethleem, ciuitas Dauid in sorte tribus Iudæ, in sexto ab Hierusalem milliario contra meridianam plagam, iuxta viam quæ ducit Hebron, vbi & sepulchrum Dauid & patris eius est, & sepulchrum Archelai regis, & iuxta ipsam turris Adherto est gregis: vbi Angelus Domini locutus est pastoribus. In hac ciuitate Dominus natus est noster. [*In diebus Herodis regis.*] Iste est Herodes Antipatri filius, qui cum à latronibus fuisset prædatus, tantæ paupertatis erat, vt eundem Antipatrem nequiuerit redimere: huius filius fuit iste Herodes. Quique cum Hircano regi Iudæorum

E

Simonis Machabæi nepoti fuisset adiunctus: direxit idem Hircanus eundem Herodem in legationem ad Pompeium. Et quia legationis fructu potitus, per eam gratiam parte regni affectus est, & senatusconsulto sub Antonio Iudæis regnare præceptum est. [*Ecce magi ab oriente venerunt.*] Magi sunt qui vulgo malefici vocantur: propter quod malefaciunt, elementa concutiunt, mentes turbant. De hac arte fuerunt illæ gentes doctæ vnde isti venerunt. Fuerunt autem de genere Balaam isti tres Reges. De tribus regnis fuerunt de terra Euilat: vbi effoditur aurum optimum sicut dixit Moyses: & vicini Persis: vnde dicit Iuuencus. *Iuuat Persis pertendere gressum.* In Prophetia autem Balaam cognouerunt: quod is qui natus erat, & Rex & homo erat, in hoc quod dixit: *orietur stella, cognouerunt eum Dominum*: pro cuius ortu mirabilior & maior stella oriebatur, in hoc quod dicit, *consurge virga de Israël*, intellexerunt quia homo esset futurus, quia de Hierusalem nasceretur, in

F

hoc vero: *confringet duces Moab*: Regem didicerunt fore, & vsque ad aliud tempus permissum est illis posse diuinare in stellis, vt potuissent ibi Christum cognoscere, post vero nullus ibi potuit veritatem inuenire. Dicebant Mathematici idem: quia & ortus hominum, & mores, & qualitates, & obitus, poterant scire in stellis. Christus quidem in Iudæa natus est, sed illi in oriente positi, stellam viderunt, & quem indicaret agnouerunt. Duxit autem eos stella aliquibus diebus, sed cum appropinquauerunt ad Iudæam, tunc dimisit eos stella Dei nutu, vt illi deserti à stella ad regiam ciuitatem venirent, & loquerentur cum compari suo Herode. [*Quia vnum Regem Cæsarem habebant.*] Vt interrogaret Herodes Iudæos, & fierent inexcusabiles, quia hoc à gentibus audissent, & magis certiores audientes ita fuisse Prophetatum. [*Venerunt Hierosolymam.*] Hæc ciuitas primitus fuit ædificata à Sem, filio Noe, qui vocatus est Melchisedech, id est, *Rex iustus*, & ipsa eius ciuitas Salem, id

G

est *pax* vocata est. Sub Abraham Solyma dicta est Homerus postea Hierosolymam dixit: quia Ieron Hebraicè *munitio* dicitur: quam postea Iebusæi tenuerunt, & Hiebus vocauerunt, inde ex his duobus nominibus Hierosolyma dicta est, inde à Salomone dicta est Hierosolyma, id est Hiebus Salomonis, id est *pacifica*. In ea Syon turris, quæ vertitur in speculum. [*Vidimus enim stellam eius in Oriente, & venimus adorare eum.*] Stellam eius dicunt, quia credebant vnumquemque hominem nasci sub stellarum fato & vnumquemque suam stellam habere. Sed tamen ista stella non fuit ante nec post, sed ad hoc fuit tunc creata, vt gentes per eam docerentur & ducerentur ad Christum. Et multa dicunt aliqui de stella hac, qui quia non habent fontem veritatis, prætermittere malui. [*Venimus*,] & de præsenti potest accipi: quasi modo venimus, & adhuc in itinere sumus: producta penultima syllaba, & de præterito correpta, nihilominus ipsa penultima, quasi dicant; cum vidimus, venimus huc vsque. [*Adorare eum.*] Non vt de-

H

fecto, imperatore nostro: illi tributum daremus, sed vt cum ipso terreno Domino cœlestem agnosceremus, & veneraremur Deum creatorem mundi, & nostri. [*Audiens autem Herodes Rex turbatus est, & omnis Hierosolyma cum illo.*] Herodes ideo turbatus est, quia ipse sciebat, quod non esset de regali progenie Dauid, & quia fraude regnum quæsisset: etiam & ipse aliquando iam scripturas adurere iussisset, ne qua posteris suis vel de præscripto veteri, quæstio moueretur: æstimans, quod si iudicia publica sustulisset, nullis aliis testimoniis clarere potuisset, qui de Patriarcharum vel proselitorum veterum genere dimanaret. Hierosolyma cum illo turbata est: videlicet per synecdochen; per continentem, id quod continetur ostendens, id est per ciuitatem habitantes in ciuitate. Idcirco tamen & ipsi turbati sunt, quia solent immutatione regis alij cadere, & alij exaltari, sicut Daniel dicit de Nabuchodonosor. *Quos volebas exaltabat, & quos volebat humiliabat.* [*Et conuocans omnes principes sacerdotum & scribas populi, sciscitabatur ab eis vbi Christus nasceretur.*] Quia Herodes Iudæus non erat,

Digitized by Google

A nec scripturas credebat, vel vsitabat: propterea Iudæos interrogabat. Sciscitari enim interrogare est: Enimvero & Deus legem sacerdotes interrogare iussit, & vbicunque populus erraret, ad sacerdotes referendum censuetar. Scribæ à scriptura quam vsitabant vocabantur. [*At illi dixerunt ei. In Bethleem Iudæ.*] Apparet, quia in vsu scripturas habebant, quia tam cito respondere potuerunt, & ex corde protulerunt testimonium: in quo loco dux debuisset nasci. Similiter præcipit Petrus Apostolus nobis dicens, *parati ad rationem reddendam omni poscenti vos de ea spe quæ in vobis est.* Sic enim scriptum est per Prophetam. *Et tu Bethleem terra Iuda nequaquam minima es in principibus Iuda: ex te enim exiet dux qui regat populum meum Israël.* Micheas hoc dixit, ac si diceret *tu Bethleem, quæ es in sorte tribus Iudæ, nequaquam minima es inter principales & laudabiles ciuitates Iuda,* quia tu protulisti Dauid, qui istud regnum nobilitauit

B & extulit, sed iterum exiet ex te, qui regat populum meum Israël, hoc est, qui Dominum videre mente voluerint, quia Israël *vir videns* dicitur Deum, qui regat populum meum Israël. Attendendum quod dicit populum meum Israël quia qui Dei populus sunt, Dei reguntur imperio: & ea faciunt quæ Dei sunt. Qui autem ea non faciunt, non populus Dei, sed diaboli. [*Tunc Herodes clam vocatis Magis diligenter didicit ab eis tempus stellæ, quæ apparuit eis.*] Clam, id est occulte. Occulte cum eis locutus est, quia timebat Iudæos ne ipsi puerum ei subiicerent. Nam sciebat quod Iudæi eum odio haberent, quia ipse de alienigenis erat. Hic deficit historia quia non narrat, quid ipse ad eos dixerit: vel quod ipsi de stellæ tempore responderint. Sed ex eo quod Herodes paruulos iussit occidere, à duobus annis & infra, volunt colligere quod dixerint, quod annus esset ex quo stellam vidissent, & inde accepisset vnum annum, & alium exspectasset in reuersionem eorum. Quidam autem dicunt, post annum, & duodecim dies venerunt ad Christum, & quidam dicunt, quod cum

C Dromedis in duodecim diebus venerunt, post quam stellam viderunt. Est autem Dromeda genus camelorum, minoris quidem staturæ, sed velocioris: vnde & nomen habet à velocitate. Nam Dromos Græcè, cursus & velocitas appellatur. Vnde & naues veloces Dromones appellant. Centum enim milliaria & eo amplius, vno die Dromeda currere dicitur. [*Et mittens illos in Bethleem, dixit.*] Quia audierat à scribis illic nasci oportere nouum ducem: propterea dirigit eos, vt cum viderent eum adorare custodes infantis, putarent, quod similiter vellet facere Herodes post reuersionem magorum. [*Ite & interrogate diligenter de puero, & cum inueneritis renuntiate mihi, vt & ego veniens adorem eum.*] Aspexit Herodes & intellexit quia isti Magi fideles erant iam eius quem quærebant, propterea dicit se velle eum adorare, etiam & Iudæis noluit confiteri, quia sciebat quod eum odirent, & de sua gente Regem gestirent fore. Sed si latebat homines, non latebat eum qui erat in corpore paruo, qui solus hominum corda agnoscebat.

D Nam quia fideles erant puero ad Herodem reuersi essent, nisi à puero in somnis prohibiti essent. [*Et ecce stella quam viderant in oriente.*] Ista stella non erat in illo cœlo vbi aliæ stellæ, sed proximior terræ & clarior quam reliquæ stellæ. [*Antecedebat eos, vsque dum veniens staret supra vbi erat puer.*] Herodes non fuit dignus videre stellam propter malitiam suam quia Deus intemptator malorum est, hoc est, non est adiutor eorum, qui male agunt, sed permissor malorum, quia multa permittit agere, quæ contra eius voluntatem sunt: non tamen adiuuat, sed Diabolus. [*Videntes autem stellam gauisi sunt gaudio magno.*] Solent enim homines maius gaudium habere de perdita re, cum rem inuenerint, quam primo cum habere cœperunt. [*Et intrantes domum inuenerunt puerum cum Maria matre eius.*] Quia pro puero venerant, nomen pueri præponitur. [*Et procidentes adorauerunt eum.*] Adorare aliquando pro *inclinare* ponitur, quod & ad homines & ad Deum commune est. Vnde de Chusi dicitur. *Adorauit regem pronus in terra.* Ve-

E rumtamen non habet hic talem intellectum, sed adorauerunt, vt Deum & Dominum pro remissione peccatorum & pro adeptione vitæ æternæ. Vnde & in oratione nostra dicimus. *Infunde cordibus nostris, quod trium magorum mentibus aspirasti.* Hoc adorationis cultu Mardochæus recusabat adorare Aman. [*Et apertis Thesauris, obtulerunt ei munera.*] Thesaurum medium est Græcum medium Latinum. Thesis Græce dicitur *positio*, & Thesaurum positio auri. Recte quæritur vtrum singuli singula obtulerunt, aut singuli tria. Sed credimus quia quod corde crediderunt: muneribus ostenderunt: vnusquisque tria obtulerit: Aurum vt regi, quia illud est gloria mundi, & reges à subditis sibi hoc exigunt. Thus vt Domino, quia semper & apud paganos & apud Deicolas hoc pigmentum domino fuit oblatum & consecratum. Denique semper fuit vsus apud paganos. Sicut Solinus narrat, vt quando colligendum erat, mundi pueri cum lotis vestibus hoc colligerent. Est autem ar-

F bor Arabiæ quod ipsum fert immensa atque ramosa, lenissimi corticis, ad aceris qualitatem, in modum amigdalæ, fundens aromaticum succum album, & cum frangitur resoluitur in puluerem, & igni appositum ardescit facile, & appellatur apud nos masculus, eo quod sit rotundum, in similitudine testiculorum. Istud est optimum: reliquum planum & scabrosum, & hoc vilius est, & dictum est à tundendo, id est percutiendo, eo quod vbi percussa arbor fuerit, ibi amplius exit, hoc & Libanum vocatur à monte Arabiæ, vbi Sabæi sunt, quia mons eorum Libanos dicitur vbi thura colliguntur. Myrrham dederunt, quia moriturum pro mundi salute cognouerunt. Fuit enim consuetudo apud multos, & maxime apud Iudæos, qui resurrectionem credebant, vt cum aliquis charus mortuus fuisset, nobilis vel potens vacuaretur ab intestinis, & contunderetur Myrrha cum aloe, vel aliis pigmentis, & primitus inlineretur de Balsamo totum corpus intro & extra, & post aspergeretur de ipso puluere, vt conseruaretur integrum cor-

G pus per secula; vnde & Ioseph attulit ad sepulturam Domini mixturam Myrrhæ & aloes libras centum, quamuis non fuerit necessarium, etiam ipsa in Arabia nascitur, eo more quo & Thus de arbore patua. Maior arbor cubitorum quinque similis spinæ: quam Achantum dicunt cuius gutta viridis & amara. Vnde accepit nomen Myrrha, id est amara, gutta eius sponte manans pretiosior est, elicita corticis vulnere vilior. Nulla est autem pretiosior quam illa, quæ de Troglodita insula affertur. [*Et responso accepto in somnis ne redirent ad Herodem.*] Sicut solent reges terreni legationibus responsa reddere, similiter fecit Dominus noster regibus qui ad se adorandum venerant: ipse per se reddidit responsum etiam in somnis: sicut Prophetis & perfectis viris, vt ipsi erant. Et monuit eos ne redirent ad Herodem, quia via ipsorum non fuerat per eos venire, nisi pro causis superius comprehensis. Ante enim Bethleem est venientibus de oriente, quam Hierusalem.

Quia vt potuimus historicum intellectum transcurrimus: nunc spiritalem videamus.

H Sicut enim diximus retro, inueniuntur omnes illæ tres Philosophiæ Græcorum, etiam in diuina scriptura. Et omnis etiam Philosophia & omnes modi locutionum ante fuerunt in scriptura diuina, quam apud sophistas seculares, quia si quid habuerunt, de Dei dono habuerunt, ipso largiente. [*Cum natus esset* IESVS *in Bethleem.*] Bethleem sicut diximus, *domus panis* interpretatur, & significat Ecclesiam in qua verus panis inuenitur, id est Christus qui dixit: *ego sum panis viuus qui de cœlo descendi, & si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum.*

Magi tres, significant gentilem populum qui ex tribus filiis Noe orti sunt, siue quia in Trinitatem credere habent.

Ab oriente venerunt. Siue quia de Paradiso patris nostri, ad diabolum venerunt: siue quia Oriens Dominus noster vocatur, & ab ipso acceperunt, vt ad eum venirent, quia *nemo venit ad patrem nisi per filium*, quia ipso

in

A in corda incrementum dante, credimus. Stella eius lux fidei est, qua aspirati sumus, vt in eum credere deberemus.

Hierusalem sacra scriptura hinc intelligi potest, per quam Dominum cognoscimus. Herodes qui *pellicius* dicitur, hoc est, *subdolosus*, significat Diabolum, qui quærit in cordibus electorum extinguere Christum, id ast à memoria aorum aboleri. Scribæ & Pharisæi sequaces Diaboli & membra aius, siue hæretici qui nobis insinuant Christum, quia instigantibus plerumque hæreticis, de Christo cognoscimus, quod nos latebat: siue circumimus alias factas, & abundantia vitiorum quæ in ais deprehendimus, Dominum intelligimus, quia vitia odit & virtutas diligit, cognoscimus tunc, quia in Bethleem, hoc ast in Ecclesia Catholica quærendum ast. Si autem aliquis de illis nobis bona dixerit, facere debemus; sicut Magi fecerunt, quia scriptum est: *quæ dicunt facite, quæ autem faciunt, facere nolite.* Cum autem B à Diabolo elongati fuerimus stellam vidimus, quia quanto magis Domino appropinquamus, eo amplius Dominum cognoscimus, & ab ipso responsum accipimus, vt viam qua venimus non repetamus: promittimus ranuntiaturos nos Diabolo; & Angelis eius, quia sicut via bonorum & bona opera: ita vita malorum & vitia: quia patria nostra Paradisus fuit: Vnda per parantem primum decessimus per gulam, auaritiam, vanam gloriam & reliqua his similia: Si ergu ad patriam nostram redire cupimus, non imitemur primum Adam, sed secundum, qui prohibita ab eo faciendo discessit. Iste, viam vitæ tenendo & nobis monstrando in cœlum ascendit, & sedet nunc à dextris Dei.

Ecce Physica intelligentia in historia nobis patuit Loica in spiritali: Ethica quoque inueniri potest, si secundum Anagogen requiranus: videlicet si cor nostrum Bethleem efficiatur, vt vbi abundet spiritalis meditatio scripturarum, quod est verbum Dei, & credens in sanctam Trinitatem: etiam da tribus virtutibus ornatus C anta Dominum appareat: hoc est da fide, spe & charitate, quæ ita charæ sunt regi seculorum, & Deo creatori cunctorum & homini facto in fina saculorum, qui est vnus Dominus, & super aurum & thopasion ea delactetur in fidelium suorum mentibus. Si igitur cum istis muneribus ante conspectum Domini semel vanerimus, videamus ne postea ad Herodem, id est ad diabolum rauertamur.

Quia autem istud Euangelium in Epiphania legitur apud nos, dicamus breuiter quam sacra ista dies habeatur. Nam in Græcia in natali Domini legitur hoc Euangelium & in ista dia Euangelium da baptismo aius legitur. In principio, autem in pascha legitur, vt sicut solennitates super alias festiuitates præclarissimæ sunt, ita Euangelia præclarissima in iisdam festiuitatibus legantur. Nam in natali eius legitur da natiuitata carnis: in pascha de natiuitata diuinitatis. Ergo quia consuetudo est istud Euangelium in hac dia legi, dicamus etiam de miraculis quæ in hac die facta D sunt.

Et quidem in hac die non sulum magos primitias gentium suscepit Dominus: verumetiam in hac die baptizari placuit à Ioanne in Iordane. Da aqua quoque vinum fieri alegit: atque etiam quinque milia de quinque panibus saturauit, non tamen in vno anno, sed per reuertentia annorum curricula. Hoc nihilominus die, (quem Græci *Epiphania*, Latini dicera possunt *apparitionus*) hora tertia puro ac sereno cœlo, circulus ad speciem cœlestis arcus solis vrbem Romam ambiuit: quasi eum vnum ac potissimum, in hoc mundo solumque clarissimum in orbe monstraret natum asse, qui ipsum solus solem mundumqua totum fecisset & regeret. Dicitus autem & ipse dies à quibusdam Theophania, id est, *Dei apparitio*: quam nos pro tantis mysteriis tota deuotione percolere debemus, quia illi Magi primitiæ gentium fuerunt, & nos in Christum credituros prætenderunt: propterea summa cum deuotione amplectenda ast ista dies à nobis. Potest autem & ipsa dies qua pastoribus Hebræorum per Angelos manifesta- E tus apparuit. (Quia de eis scriptum est venerunt & inuenerunt, sicut dictum est ab ipso.) Epiphania appellari, sed ista propterea nostra ast, quia nobis per stellam demonstrams est: per aam creaturam quam ipsa gens plurimum culebat, & venerabatur.

CAP. III.

In natale Innocentum.

QVI *cum recessissent, ecce Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph dicens.*]

Sunt aliqui qui volunt dicere, quod in Ægypto Magi ad eum venerint, proptarea quia occisio infantum ante celebratur, quam Epiphaniorum dies, quod nequaquam esse potest, quia infantes post duos natiuitaris Christi annos occisi sunt, sed & magi in Bethleem inue- F nerunt Dominum, vt certi magis fierent per Prophetiam Micheæ de Christo, & Euangelium aperta dicit, quia cum illi recessissent, Angelus Domini monuit Ioseph transferendum puerum in Ægyptum. [*Surge & accipe puerum, & matrem eius.*] Attendandum ast, quod non dicat iam coniugem tuam, sad mater pueri. Puer tribus modis dicitur, vno pro ætate & puritate: quia puer à puritata dicitur, vt Esaias de domino puer natus est nobis; puer solum pro ætate, vt infans septem annorum. Puer pro obsequio & obedientia, vt Dominus ad Ieramiam: *puer meus es tu, noli timere.* Et in libro regum pueri Dauid, *ecce fecit Dominus quod suis postea præceptarus erat: si vos*, inquit, *persecuti fuerint in ciuitate ista, fugite in aliam*: dans exemplum; vt qui pondus persecutionis se possa perferre desparant, non peccant si secedant in alium locum: tantum caput suum, id est Christum, in sua mente custodiant; & ea faciant quæ ipse præcepit, quia in omni loco dominationes eius, & ipse G vbique est, & oculi eius super iustos & aures eius in praces eorum.

Ægyptus sicut scitis, postquam Iudæi illic habitauerunt, semper fuit domestica Iudæis, & semper Æpyptij Deum Hebræorum timuerunt, & ipsos Hebræos venerati sunt. Quaptopter vt Iosephus & alij raferunt auctores, sub Philadelpho rege Onias Sacerdos vir bonus & iustus expulsus à Iudæa, templum in Ægypto ædificauit, & morem holocaustorum instituit vt in Iudæa agebatur. Ob hanc causam plus placuit Deo in Ægyptum ira: quam ad alias terras, vbi minus erat religionis.

Ægyptus autem à quodam homine Ægypto nomine vocata est, regio cœli imbribus insueta & pluuiis ignara. Solus Nilus eam irrigat sua inundatione. Vnde & ferax frugibus, aliis etiam mercibus valde repleta. [*Futurum est enim, vt Herodes quærat puerum.*] Futurum, hoc est venturum venit à verbo quod est sum, & non habet præsens participium, nisi istud solum quod est victurus. [*Ad perdendum eum.*] Hoc apparuit in pueris, quos pro illo occidit. [*Qui consurgens accepit puerum & ma- H tremeius.*] Quando fugit nox memoratur, quando reuertitur nihil tala memoratur. Refertur in Ecclesiastica historia Eusebij quod quando Ioseph ferebat in Ægyptum Dominum: transierunt per Eliopolim ciuitatem & erat in plateis eius Therebintbus miræ magnitudinis in quo habitatores loci illius diuinabant. Cumqua Ioseph cum puero transiret: penstrauit se arbor obuiam ai in terram, & iacuit donec pertransiit, & iterum erecta, stetit sicut anta steterat. [Et cum peruenisset in Ægyptum.] vt compleretur quod Propheta dixerat, ecce ascender super nubem leuem, & ingredietur in Ægyptum & Idola Ægypti corruent. Cum transiit Ioseph cum puero anta templum: corruerunt omnia idola in terram, vt ostenderetur quia idem erat Deus ante cuius arcam Dagon pronus & abscisis manibus & pedibus iacuerat. [*Vsque ad obitum Herodis.*] scilicet vsque ad tres annos: Et hoc ast tempus ablactationis, quo antiqui filios suos ablactabant, & inde separationis facie-

A bant conuiuium, sicut fecit Abraham, de Isaac filio suo. Et quanto longiori tempore ablactatus infans vel pecus lacte matris fuerit: tanto melius crescit. [*Vt adimpleretur quod dictum est per Prophetam.*] videlicet Michæam, etiam & hoc Balaam dicit. [*ex Ægypto vocaui filium meum.*] vno modo intelligitur, de Israël carnali: qui vocatus est per Moysen ex Ægypto verius autẽ de Domino, qui est naturalia filius. [*Tunc Herodes videns quomodo illusus esset à magis.*] Hoc est exspectata vno anno, illusus est. Delusus, est in eo quod dixerant reuertendos & non sunt reuersi. [*Et mittens occidit omnes pueros qui erant in Bethleem, & in omnibus eius finibus.*] In omnibus finibus, id est in villis quæ ad eiua comitatum pertinebant, sicut tradunt, expectauit, vt venirent ad solemnitatem quam illo tempore celebrabant: & tunc cum ibi fuerunt: præcepit militibus, vt occiderent eos. [*A bimatu & infra.*] Matus annus dicitur, biduo, id est bis à præpositione, id est à duobus annis. Et infra, hoc est qui B minus habuerunt vel vnum annum, vel dimidium, vel vnam noctem. [*Secundum tempus, quod exquisierat à magis.*] Quomodo (vt diximus vnum) annum accepit de magorum dictu, quasi annus quando venisset iam esset, aliũ exspectauit, pro reuersione eorum. [*Vox in Rama audita est.*] Rama non putemus nomen loci esse, sed Rama excelsum interpretatur, quasi dixisset: vox longe lateque audita est. Nam Rama quod in regum legimus, iuxta Gabaa est. [*Rachael plorans filios suos.*] Quomodo Rachaël dicitur plorasse illos, qui non fuerunt de sua progenie sed de alia? Sed sciendum quod Rachaël sepulta est in Bethleem & hoc prophetico more agi dicitur: siue per metonomiam speciẽ per id quod continetur, id quod continet ostendens, seu etiã quia Beniamin tribus iuncta erat tribui Iudæ, & cum his fuerunt de Bethleem occisi & iam propterea dicitur Rachaël plorasse filioa suos. [*Et noluit consolari quia non sunt.*] subauditur vltra reuocandi in mundum, qui bono exitu habent finitum mundum, seu alio modo noluit consolationem recipere, quia pu- C tabat eos perditos fore. [*Defuncti sunt enim, qui quærebant animam pueri.*] Species quædam est, quæ apud Grammaticos dicitur synecdoche, quando plus minusve pronuntiatur, sicut hic est cum pro vno pluraliter dicitur mortui sunt, cum solus Herodes mortuus esset. Sed & esse potuit vt alij morerentur in tanto spacio qui malam voluntatem habuissent in Christum.

De hoc Herode Iosephus refert, & alij, quod suspecte vixerit, & pessime finierit. Refert namque quod occiderit Mariam vxorem suam, filiam Aristoboli Regis, quam nobiliorem habebat, eo quod accusata fuerit apud eum, quod veneno perimere eum voluerit, ex qua iam habebat Hircanum & Aristobolum filios Imperatori Octauiano commendatos: quos & ipsos similiter occidit: quia pro matre sua ei irati esse videbantur. Post hæc tertium filium Antipatrem: qui fratres suos consenserat occidi, ad vltimum incidit ipse in infirmitate graui; & vocauit ad se generum suum & amicos sibi credulos, dixitque ad eos. *Ego noui quod Iudæi exultabunt de meo in-* D *teritu*, quia odiunt me. Vos autem poteritis facere, vt lugentes exequias habeam: si faceretis quod dicerem, Ego iubebo omnes recludere omnium nobilium filios, vt cum ego spiritum exhalauero, vos eos occidatis, & tunc inuiti lugebunt exequias meas. Illi vero promiserunt se ita facturos, tamen non fecerunt, sed vt ipse mortuus fuit, dimiserunt eos foras. Ille vero cum aliis tormentis habuit ignem actum in suis verendis & computruerunt: ita vt vix posset aliquis accedere ad eum: vnde & voluit se occidere, nisi prohibitus fuisset ab illo, qui eum custodiuit, & qui innocentes occidit cum multis tormentis hinc egressus ad maiora. Ecce audiuimus de morte Herodis. Cum venerimus ad passionem dicemus qui sit ille Herodes. Hoc solum sufficiat dixisse quia de isto Herode non audietis amplius in hoc Euangelio, sed de aliis. [Qui consurgens accepit puerum & matrem eius.] Et hic notandum quomodo non dicit coniugem: cum iam tres anni essent post natum puerum, & idcirco mentitus est Eluidius qui dixit habuisse sanctam Mariam filios de Ioseph. [*Venit in terram Israël.* E

Omnes Iudæi Israël vocantur: Iuda autem vna tribus Audiens autem quod Archelaus regnaret in Iudæa pro Herode patre suo: timuit illò ire. Post mortem Herodis Imperator regnum eius inter Archelaum & fratres eius, id est, Philippum & Herodem & Lisiam diuisit, & caput regni Hierusalem Archelao tradidit, quo paruo tempore fruitus est, quia Imperator propter insolentiam morum eius accusatum. Viennam à Iudæis quæ est in Burgundia ciuitas exilio relegauit, & regnum eius Pilato commendauit non tamen dedit: nec nomen regium permisit habere. Ideo dicit, quia noluit ire in locum illum quo Archelaus regnabat: quoniam Deus qui monuit eum diuertere in aliam partem, prouidebat quod ipse eiusdem voluntatis foret cuius & pater. Fratres autem eius non adeo dilexerant patrem pro interfectione parentum idcirco diuertit in Galilæam, vbi Herodes regnabat. [*Vt adimpletur quod dictum est per Prophetas, quoniam Nazareus vocabitur.*] Vbicunque dicit Euangelista per *Prophetas*, plurali numero, non fixum ponit exemplum, sed tamen omnes Prophetæ hoc prædixere quod Nazareus esset, id est sanctus. Verum Esaias dicit hoc modo secundum Hebraicam. Exiet virga de radice Iesse, & Nazareus de radice eius ascendet. Est autem aliqua differentia inter Nazarenum & Nazareum. Nazarenus à loco, Nazareus à religione.

CAP. IV.

Tractatus Christiani de prædicatione Ioannis.

IN diebus autem illis.] id est illius regis qui tunc regnabat in Galilæa videlicet Herodis, quod Lucas apertius indicat dicens: *Anno quintodecimo Imperij Tyberij Cæsaris, procurante Pontio Pilato Iudæam: tetrarcha autem Galilææ Herode Philippo autẽ fratre eius*, &c. [*Venit Ioan. Baptist.*] Ioannes Interpretatur gratia Dei, quod nomen illi a Domino impositum est: quia veraciter fuit in eo gratia Dei: sicut in Euangelio audistis baptista nomen Græcum est & dicitur Latine lauator, & venit à Græco verbo, quod est baptizo, id est lauo. Fuit autem Ioanni Epitheton super suum nomen, quod venit à Domino, scilicet missus Angelus namque ad Zachariam dixerat; ipse præcedet ante illum. Et Zacharias filio dixerat. Tu puer propheta altissimi vocaberis præibis ante faciem Domini parare vias eius. Nec æstimandum quod Ioannes hoc non intellexerit, cum non haberet nisi octo dies: cum adhuc nominatus intellexit sanctam Mariam loquentem & exultauit in vtero matris suæ. [*Pædicans in deserto.*] Et secundum historiam in deserto, quod iuxta Iordanem est, Ioannes conuersatus est, iuxta Betharaba siue quod alio nomine Ennon dicitur: vbi aquæ multæ erant, siue spiritualiter Iudæa iam tunc deserta erat ab illa custodia quam antea habuerat, & destitutæ ac derelictæ: solatium redemptoris annuntiabat. [*Pænitentiam*, inquit, *agite: appropinquabit enim regnum cælorum.*] Sicut Ioannes præcessit Dominum in sua Prophetia: sic etiam in sua prædicatione & in suo baptismo: ne occasionem Iudæi haberent erga Christum dicentes: *nouas causas nobis annuntia, & facit, propterea non recipimus prædicationem eius. Pœnitentiam agite: apropinquabit enim regnum cælorum.*] Nullus ante Ioannem ista prædicauit, nisi de terrenis rebus dicens: si hæc vel illa feceris longo viues tempore, ad terram ad quam ingrederis possidendam. Nunc per præconem iustitiæ dicitur. *Pœnitentiam agite: appropinquabit regnum cælorum.* Honoratur enim præco Domini: quod ipse de Domino nuntiat, quod nullus ante ipsum prophetauit, quia videlicet ipsa via quæ clausa fuerit homini primo per peccatum reseranda sit cito. Regnum enim cœlorum in hoc Euangelio aliquando præsens Ecclesia: aliquando vita æterna; aliquando ipse Dominus accipitur. In hoc vero potest vtrumque intelligi & ipse Dominus, quod iam in

A proximo sit, quod audiant vocem eios prædicantis: sen quod vita æterna cito aperienda sit, per bona quærentibus opera. Hic enim est qui dictus est per Esaiam Prophetam. Non solunt quæ Dominus facturus erat in carne prædicta sunt à Prophetis, sed etiam quod præco ipsius. Et dignum fuit, vt magnum Dominum magna & innumera præuenirent oracula. Dictus est ante Ioannes, vox, ab Esaia: quia verbum præcessurus erat. Scitis enim quod Dominus Christus verbum patris dictus est: *quia per ipsum facta sunt omnia*, & verbum in humana locutione sonus, id est vox solet præcedere. Sicut igitur vox præcedit verbum: sic Ioannes quia præibat verbum vox dictus est à propheta, quid autem ipsa vox clamaret adiungitur parate viam Domini. Omnis qui fidem rectam & opera bona prædicat, quid aliud quam venienti Domino ad cor audientium viam parat? vt vis gratiæ cor penetret, & illustret lumine veritatis & rectis
B Deo semitas faciat, dum mundas cogitationes in animo per sermonem bonæ prædicationis format. Via namque Domini ad cor dirigitur, dum veritas sermonis humiliter auditur. [*Rectas facite semitas eius.*] Semitæ prauæ sunt in cordibus hominum, quando superbia vel cetera vitia ibi habitaculum habent, quasi enim quidam montes sunt ipsa vitia quæ abhorret Dominus sicut ipse dixit: *super quem requiescam: nisi super humilem & quietum, & trementem verba mea?* Tali ergo modo viæ prauæ à prædicatoribus rectæ fiunt: si prædicationem Euangelij hi qui ante fuerant superbi, humiles efficiantur: qui luxuriosi, casti, qui crudeles misericordes fiant. Tunc non solum veniet Dominus in cordibus talium, sed etiam mansionem faciet, sicut ipse ait: *si quis diligit me, sermonem meum seruabit: & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus*, [*ipse autem Ioannes habebat vestimentum de pilis Camelorum.*] Austera vestis inditium est pœnitentiæ, fiunt autem cilicia & vestes ex lana Camelorum, quæ de Camelis tonditur. Habet enim sub ventre lanam cum qua miscetur
C alia lana etiam & caprina, & fiunt aliquando mira & dura de quibus Ioannes vestitus fuit. Vnde & à Domino laudatus est de ipsa re. [*Et Zonam pelliceam circa lumbos eius.*] Zona autem pellicea accinctus quoq; & Helias fuit: quia in omnibus similis illi. Zona vero pellicea mortificationẽ carnis designat: quam Ioãnes in suo corpore habuit. [*Esca autem eius erant locustæ.*] Et de locustis audiui quendam dicere, quod istæ locustæ auiculæ fuerunt paruæ cum tubeis tibiis, aliũ etiam dicere, quod Ioannes super Iordanem cõuersabatur, locustas pisces marinos ederit: sed neutrum verum est. Sed istas locustas quas vidimus in pratis: quæ etiam in veteri Testamento permittuntur manducari, sic etiam Origenes dicit. Sed tamen in illa terra maiores, quam in nostra inueniuntur, quare enim laudaretur de abstinentię rigore, si marinas delitias ederet: aut volatilia quæ desiderauerunt Iudæi? [*Mel siluestre.*] Et istud Mel cadit adhuc hodie copiosius in illam terram plusquã in alias terras, quia & inde dicta est fluere Mel, ipsum est manna vnde filij Israel pasti sunt per quadraginta an-
D nos. Sed filij Israel exeuntes de illa terra in qua non viderant cadere, qoniam nec ibi vnquam pluerat: dixere, *quid est hoc*: & postea sic semper eam vocare, hoc est Manna, vidimus & de ipsa afferentibus his qui de illa terra venere, habet verosimilitudinem niuis vel salis, & dulcedinem nostri mellis. [*Tunc exibat ad eum Hierosolyma,*] quia Iohannes Spiritu sancto repletus erat. Patet quoque eius vt nobilis Pontifex erudierat eum litteris sacris: effluebat abundans prædicatio ex ore eius: & audierant virtutes quæ factæ fuerant in ortu eius: & videbant austeram vitam eius secundum morem Prophetarum: propterea exiebant turbæ audire eum & consulere de vita sua. Omnis Hierosolyma ciuitas Dei & Regũ: vbi Sacerdotes & omnis scientia amplior quam in reliquis ciuitatibus: & omnis Iudæa. Propter regalem tribum, Iudæam dicit: quia & ipsa semper inter reliquas tribus primatum tenuit. Et omnis regio circa Iordanẽ ibi erit melior ipsa terra: propter irrigationem Iordanis: quia ibi erat Hiericho & Segor: vbi balsamũ crescit: sicut legimus de Sodoma: quod fue-

E rit quasi Paradisus Dei. [*Et baptizabantur ab eo in Iordane, confitentes peccata sua.*] Non poterat baptizare in remissionem peccatorum, sed tamen vt esset præco Domini: & in factis sola corpora aqua lauabat, & præcipiebat vt quicumq; suo baptismo baptizaretur crederet in illũ, qui post ipsum venturus esset, & acciperet aliud baptismũ in remissionem peccatorũ. Dicebat autem quando eos baptizabat. *Baptizo te, vt credas in eum qui post me venturus est.* Vnde postea dixit: *Hic est qui baptizat, qui tollit peccata mundi per suum baptismum.* Videns autem multos Pharisæorũ & Saducæorum venientes ad suum baptismũ dixit:

Progenies viperarũ,] Vipera dicta eo quod vi pariat. Nã cum venter matris intumuerit de partu, catuli non expectantes maturam solutionem naturæ, corrosis eius lateribus erumpunt interitu. Fertur autem quia cum masculus ore inserto semen viperæ expuit, illa ex volũtate libidinis in rabiem versa, caput masculi ore receptum præcidit: & ita fit vt parẽs vterque moriatur: masculus dum coit, ma-
F ter dum parit. Fiunt autem pastelli ex viperis qui tiriaca à Græcis vocantur: vt qui ex eis comẹderit vel biberit, vlterius iam lepram non habeat: & si habuerit, vltra non crescit. Sunt autem alia genera viperarum, de qoibus Paulum vna apprehendit, quam ille excussit in ignem. Tales dicit Iudæos fuisse Iohannes: quia parentes suos occiderunt: vt Naboch, Hieremiam: & Ozias, Zachariam: & Manasses Rex, auunculum suum Esaiam secuit: & pro tali facto generatio viperarũ esse dicuntur. [*Quis ostẽdet vobis fugere a ventura ira.*] Ventura ira dies est iudicij: quæ ventura est super omnes impios, qui Dei noluerint obtemperare mandatis. Quisquis autem de peccatis suis sollicitus est vt ei remittãtur, per bona opera fugit à vẽtura irã: quia festinat se tollere de sinistra parte hœdorum, & fugit in dexteram cum agnis: quomodo hœdi cruciabuntur agni protegẽtur à Domino [*Facite ergo dignum fructum pœnitentiæ.*] *Fructum dignũ pœnitentia facere*, est præterita mala fletibus punire, & bona econtrario agere, vt *sicut exhibuimus membra nostra seruire iniustitiæ: ita exhibeamus eadẽ iustitiæ in sanctificatione.* Vel fructus dignus pœnitentiæ,
G bona agere, & mala cõmissa eleemosynis redimere: & ne velitis dicere *patrem habemus Abrahã: Nolite gloriari de nobilitate Patriarcharũ qui si non fueritis imitatores in fide & in operibus eius: non dicemini filij Abraham: de vobis enim dixit Deus per Prophetam. Pater tuus Amorrhæus, & mater tua Cethæa.* [*Dico enim vobis quia potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ.*] De lapidibus istis gentiles dicit: quod lapides appellãtur: quia lapides colebant. Scriptum est enim. *Similes illis fiant, qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in eis*: vel lapides quoscunque materiales dicit: quia qui mundum ex nihilo creauit potẽs est de lapidibus homines creare. Imitãdo autem fidem Abrahæ id eunt omnes gentes filij Abrahæ, & Iudæi diaboli imitando diabolũ dicuntur, vt postea ad eos dixit Dominus, *vos ex patre vestro diabolo estis & opera patris vestri vultis facere.* [*Iã enim securis ad radices arboris posita est.*] Allegoria est hic per similitudinem infructuosæ arboris, quomodo autem arbor infructuosa succiditur, & in ignem
H mittitur: sic *homo qui non facit fructum bonum eradicatur anima eius de corpore ab Angelis: & in ignem mittetur æternum: non vt ardeat, scilicet vt crucietur sine fine,* Et vtinã finis potuisset in illo igne occurrere: sed quod est acerbius ad hoc duratur, vt æternaliter ardeat. Securis sententia Dei est, quæ separat animam à corpore. *Omnis ergo arbor qua non facit fructum bonu, excidetur & in ignem mittetur.* Comparatio est parabolæ de inferiori, ad superiorem & de inanimali ad animale: de arbore ad hominem, & dicitur sub magna certitudine, & diffinitione: quod *omnis arbor*, id est *omnis homo qui non facit fructum etiam bonum*: id est opus bonum *excidetur & in ignem mittetur, & præcidetur a sententia Dei in æternum,* [*Ego quidem baptizo vos in aqua pœnitentiæ.*] Ego videlicet paruus homo sum solummodo corpora vestra aqua lauo, sed mẽte per veniam non lauo: in pœnitentia autem hoc faciebant turbæ vt essent testimonium ad illum venire, qui posset etiam mente per veniam lauare. [*Qui post me autẽ venturus est,*] scilicet prædicando [*fortior me est diuinitate.*] quia crea-

uit omnes Iohannes Spiritu ſancto repletus per ordinem paulatim turbis annunciabat Chriſtum : & in fine dixit. *Ego vidi & teſtimonium perhibui :* quia hic eſt Chriſtus. Non enim poretant rudes turbæ capere : quod Deus homo factus eſſet. [*Cuius non ſum dignus corrigiam calceamenti portare.*] Hic humiliat ſe Iohannes : in alio loco Euangeliſta dicit, *Non ſum dignus corrigiam eius calciamenti ſoluere.* Mos fuit in illa gente (vt ſuperius dixi) vt quando frater moriebatur : frater eius aut propinquus eius acciperet vxorem propinqui ſui, & ſuſcitaret ſemen fratris vel parentis ſui. Si vero nollet eam accipere: tunc veniebat in placito, & ſoluebatur illi calciamentom de pede eius, quia illam noluiſſet accipere : & qui ſecundus erat accipiebat eam. Inde quaſi Iohannes myſterium tangit, quaſi dicat. Non ſum dignus ſponſam Chriſti, quæ eſt Eccleſia, mihi vſurpare. Siue alio modo, calciamenta ex mortuis animalibus fiunt, & quaſi calciata ad nos diuinitas venit, cum morticina noſtræ carnis indicta apparuit. Inde quaſi Iohannes dicit. Non ſum idoneus reſerare myſterium, quomodo diuinitas carne induta eſt. [*Ipſe vos baptizauit in Spiritu ſancto & igni,*] baptizamur in Spiritu ſancto : non ſolum cum quotidie baptiſmate renaſcimur: verum etiam cum per donum eiuſdem Spiritus ſancti incendimur, ad agenda diuina mandata, & accipimus per ſeptem modos, remiſſionem quotidie peccatorum : baptizamur igne ſiue quia Spiritus ſanctus eſt ſecundum actus Apoſtolorum ignis. Et ſicut ignis ligna ſolet delere : ſic etiam Spiritus ſanctus peccata, ſeu etiam in futuro ſecundum Apoſtoli dicta baptizabimur igne : quia tranſiemus per ignem cum ex hoc corpore migrauerimus. Et ſi cuius opus arſerit, detrimentum patietur, ſi cuius opus manſerit ipſe ſaluus erit: ſic tamen, quaſi per ignem. [*Cuius ventilabrum in manu ſua.*] Ventilabrum alio nomine *pala* appellatur. Dat per metaphoram comparationem de minori ad maiorem : & eſt ſpecies qua Græcè parabola dicitur : genere diſſimilium & dat examinationem ſiue ſeparationem, quia per Angelos boni à malis ſegregabunt : ſeu tempeſtatem quæ præibit vultum iuſti iudicis in tremendo die. [*Et mundabit aream ſuam,*] id eſt Eccleſiam ſuam [*& congregabit triticū in horreum ſuum.*] Triticum ſuum vult intelligi electos ſuos, horreum vitam æternam. Vnde quidam martyr cum torquebatur dicebat. Triticum Dei ſum, molor dentibus beſtiarum. [*Paleas autem comburet inextinguibili.*] Paleæ intelliguntur impij: qui nihil bonorum operū habent, ſed leues & faciles ad omnis ſeculi vanitates inueniuntur, ipſi comburentur igni, qui non extinguetur in ſempiternum

CAP. V.

Tractatus de baptiſatione Domini.

T*Vnc venit* IESVS *à Galilæa in Iordanem.*] tunc ſubauditur, quando ipſe populus exiebat ad Ioannem. Secundum Euangelia & Chronicas inuenimus, quia Iohannes viceſimo nono ætatis ſuæ anno exiit in deſertum & Dominus triceſimo incipiente ætatis ſuæ anno venit ad baptiſmum, & in triceſima ætate omnis mundus reſurget in quacunque ætate quis mortuus fuerit : ſic enim dicit Apoſtolus, *Donec occurramus omnes in virum perfectum in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti :* & in tali ætate Adam creatus eſt. Ob tres cauſas venit Dominus ad baptiſmum Iohannis. Vna vt per aquam Iordanis ſanctificaret omnium aquarum fluenta. Secunda, vt iuſtitiam omnis legis impleret & humilitatis omnibus præberet exemplum : non dedignatus eſt baptiſari à ſeruo ſuo : ſic creator baptiſatus eſt à creatura ſua. Tertia, vt comprobaret baptiſmum Iohannis à ſeipſo & à patre fuiſſe præceptum fieri. Iohannes autem prohibebat eum dicens. Propter humilitatem, vt dignum erat, obuiam creatori Ioannes iſta dicebat. Nam nouerat eum à ſe baptizandum, vt ipſe dixit: *Super quem videris ſpiritum Domini deſcendentem & manentem ipſe eſt qui baptizat.* Apparet in hoc verbo, quia nouerat eum. [*Ego à te debeo baptizari.*] In illo verbo, quod dixit ſuperius nouerat Iohannes, quia Dominus ſuos fideles baptizaturus eſſet in eo quod dicit: *hic eſt qui baptizat*, videlicet quicunque baptizet de fidelibus ſuis ipſe baptiſaturus eſt per illos. Reſpondens autem IESVS dixit ei : [*Sine modo*] id eſt dimitte me modo ſic agere, vt ego baptizer à te, & tu poſtmodum baptiſeris à me vt qui formam ſerui ſuſcepi expleam & humilitatem eius. Alioquin ſcito te in die iudicij à me baptizandum. Sine, verbum eſt imperatiui modi quod venit à verbo ſino. Modo vero aduerbium eſt ſignificans præſens tempus. Sic enim decet nos implere omnem iuſtitiam. Non addidit iuſtitiam naturæ ſuæ ſiue legis, ſed dixit omnē iuſtitiā, vt nos illas omnes intelligamus. [*Tunc dimiſit eum,*] id eſt tunc conſenſit quod antea expauerat. Vt enim B. Petrus expauit humiliari creatorem omnium ad lauandum pedes ſuos: ita & iſte pertimuit manus mittere ſuper creatorem. Sed Petro dictum eſt. *Niſi lauero te non habebis partem mecum.* Sic iſti dictū eſt. Sine vt fiat ſicut ego volo, & fiet quod tu vis, Conſequēs eſt enim: ſi non feceris voluntatem meam, nec ego tuam [*Baptizatus autē confeſtim aſcendit de aqua, & ecce aperti ſunt cœli.*] Trinitas hic oſtenditur, & propter nos vtique omnia fiunt : vt nos ſciamus quomodo in Dominum patrem noſtrum credere debeamus. Ecce Dominus noſter qui baptiſatus : Patris vox teſtimonium filio præbentis auditur: *Spiritus apparet in ſpecie columbæ.* Aperiūtur cœli non reſeratione elementorum, ſed ſpiritalibus oculis : quibus & Hiezechiel apertos eos vidiſſe ſe narrat in principio voluminis ſui. [*Seditque ſuper eum columba*] ne quis ad Iohannem vocem factam putaret. Sicut ſtella illa ad hoc fuit creata, vt myſterio Domini tunc deſeruiret, & poſtea non comparuit : ſic etiam dicunt de columba, quia ad hoc creata fuit, vt per eam Spiritus ſanctus monſtraretur & poſtea non comparuit. Sic audiui tradere eū, qui mihi primus Euangelium expoſuit (ſed nec Hieronymus, neque Beda de hoc quicquam dicunt) quod vera columba fuerit, & veram carnem habuerit & verum corpus. *Hic eſt filius meus dilectus*] non adoptariuus vt Iſraël, ſed proprius quem ante ſecula genui. Dilectus ſingulariter, hæc omnia propter nos monſtrata ſunt : namque Deus omnipotēs pater filiū nouerat, quia vnus Deus erat cum eo. Spiritus quoque ſanctus in ipſo & cum ipſo erat, quia ſimul inſeparabilis trinitas eſt, Spiritus ſanctus cum patre & filio. Sed vt nos trinitatem agnoſcamus, & credamus vnum eſſe, propterea hæc monſtrata ſunt. Quod cœli ibi aperti eſſe monſtrabantur, indicatur quando homo baptizatur ianua cœleſtis regni panditur : quæ peccāti protoplaſto generi humano poſito cuſtode Cherubin clauſa erat. Extinguitur enim illa flamma: quæ ibi interpoſita fuit : cum aquis ſacri baptiſmatis homo mergitur : quia Spiritus ſanctus viſus eſt ſuper eum deſcendiſſe: hoc monſtratur quia per baptiſmum, & poſt baptiſmum, per inuocationem Sacerdotum ſuper vnumquemque fidelem deſcendat. Quod vero dicit *quia manſit ſuper eum*, hoc ſpecialiter ad Dominum noſtrum pertinet: cuius hoc ſpeciale fuit, vt poſtquā ſemel eum impleuit, nunquā ab illo recederet : quia ille non effugauit eum de ſe pro aliquo peccato, vnde immunis fuit. Itaque ſuper ſanctos venit & recedit ad tempus. Eſt vero cum eis ſemper ad cuſtodiam eorum, & ad conſeruandam dilectionem cum proximo, ſicut Dominus diſcipulis dixit, *in vobis erit, & apud vos manebit.*

CAP. VI.

De temptatione Domini.

T*Vnc* IESVS *ductus eſt in deſertum à ſpiritu,*] quod dicit *tunc* (quod eſt aduerbiū temporis) reſpicit ad hoc quod dixerat: *venit* IESVS *ad Iordanē, quia ipſo tēpore poſt baptiſmum exiit in deſertum & ieiunauit.* In ipſo namque die ſicut tenemus ex traditione maiorum, fecit de aqua vinum & crediderunt in eum aliqui diſcipulorum, & tunc IESVS ductus eſt in deſertum quia dicit Lucas :

Digitized by Google

A IESVS *plenus Spiritu sancto regressus est ab Iordane & agebatur a spiritu in desertum diebus quadraginta & tentabatur à diabolo.* Desertus erat locus vltra Iordanem, qui ideo dicebatur desertus, quia non erat aptus ad laborandum. Et quia non erat acceptus, erat derelictus: vbi Theodas populum adduxit de Hierusalem quatuor milia. [*Ductus a spiritu*] scilicet à sancto suo spiritu: de quo dicit Euangelista: *quia plenus Spiritu sancto regressus est a Iordane.* Dignum fuit, vt illuc eum suus spiritus duceret, vbi hunc ad temptandum spiritus malignus inueniret. Exemplum nobis etiam præbens: vt post acceptum baptismum fugiamus pompas huius seculi, vnde fideiussores dedimus in ipso baptismo renunciaturos nos diabolo, & pompis eius. [*Vt temptaretur à diabolo.*] Postquam Dominus iuuenis factus est adhæsit illi diabolus temptando sicut & reliquos homines. Sed nunc Instauratis armis fortius bellum aggressus est, sicut tradunt Doctores. Audiuit itaque in baptismo vocem dicen-

B tem, *hic est filius meus dilectus in quo mihi complacui:* & voluit explorare si ipse esset, qui per Prophetas prænunciatus esset verus filius Dei: aut optiuus sicut de Israël audierat, *filius meus primogenitus Israel.* Sciuit vero Dominus, quod Sathanas magnopere quæreret temptare eum, & quæreret locum: & vt fortis præliator non denegauit ei campum in quo posset confligere cum illo. Imo non inuenit diligere eum caput serpentia vltra modum, sicut faciebat Eua: non diligebat feminas sicut faciebat Salmon: non meretrices, vt Samson: non habuit vxorem, vt Iob, idcirco non habuit quomodo, vel per quem deciperet eum. Recurrit ad illud vnde omnis mundus periclitatur: per suggestum ipsius videlicet de gula auaritia, & vana gloria. Accepit de aëre: & accessit ad illum, vt videri posset ab homine. Dominus autem dedit occasionem, vnde sciebat illum velle tentare. Ieiunauit quadraginta diebus, & postea esuriit. Si non esurisset, forsitan pro illa voce quam audierat: & quia absque peccato videbat eum viuere: ad eum non

C accessisset temptando. Vidit eum esurientem & æstimauit eum inferiorem Moyse & Helia, de quibus nihil tale refertur quod esurissent, & iam quia esuriit, gestu corporis ei permisit videre. Nam aliter diabolus non potest cognoscere cogitationes hominum. [*Et cum ieiunasset quadraginta diebus & noctibus.*] Nisi addidisset noctibus: putaretur diebus ieiunasse, & nocte manducasse. Sed decem quatuor ducti, quadraginta faciunt: quia ille decalogum bene custodiuit, qui Euangelium quod per quatuor Euangelistas expositum est, cum isto coniungit. Hic autem numerus in scriptura sacra pœnitentiæ & tribulationi semper aptatur: vt in hoc loco: & in veteri Testamento, vbi per quadraginta dies mundus cum aqua delebatur: & populus Israël per quadraginta dies & annos in heremo itineris labore fatigabatur. Moyses vt legem acciperet secundo quadraginta dies abstinuit: & Helias totidem, vt de persecutionis malo liberaretur. Et nos si volumus diabolum vincere, de persecutionibus seculi huius vel liberari, seu etiam ad terram

D repromissionis, id est ad vitam peruenire æternam. Exemplo Domini quadraginta dies non solum à cibis, sed etiam ab omnibus vitiis ieiunemus: & carnem nostram quater decies affligamus. [*Dic vt lapides isti panes fiant.*] Simili modo homini vt dixerat primo, *gustate & eritis sicut dij*, sic secundum gulam temptat: & post de auaritia ad vltimum de vana gloria: quia putauit eodem modo vincere sicut illum vicerat, quem Deus per se erudierat. Lucas ordinem historiæ temptationis Domini tenuit: & Matthæus ordinem temptationis Adæ secutus est. Sic enim Adæ dixit, *gustate*: ecce de gula: *Eritis sicut dij*, ecce de auaritia: quia auaritia non solum est de pecunia adipiscenda, sed etiam de honore, quod Paulus insinuat, qui de Domino dicit, *Non rapinam arbitratus est, se esse æqualem Domino.* Ac si aperte dicat, Si natura illi non fuisset æqualem & Domino esse voluisset, rapina putaretur. Post auaritiam suadet de vana gloria, scientes bonum & malum: quia scire velle malum ad nullum profectum pertinet, nisi ad vanam gloriam. Eodem ordine diabolus Dominum temptat. E Primo de gula, secundo de auaritia, quando omnia regna mundi ei ostendit: tertio de vana gloria: quamuis eodem Matthæus non narrat ordine. Et notandum quod illæ duæ temptationes in heremo factæ fuerunt: illa autem tertia in Hierusalem supra pinnaculum templi. [*Respondit ei* IESVS. *Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo Dei.*] Ac si aperte dicat, quare suades petere me panem terrenum, cum verbo Dei possit viuere corpus & anima: Vt Moyses per quadraginta dies intentus eloquiis Dei, & pastus ex eloquiis Dei, etiam in carne non esuriit? Et Moyses eodem modo dixit ad filios Israël. Pauit te Dominus quadraginta annos Manna, vt scires quia non in solo pane viueret homo, sed ex verbo Dei posset refici. Mente vero retinendum nobis est, quod Dominus dixit, non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo Dei, vt semper plus solliciti simus pasci de verbo Dei animam in æter- F num victuram, quam corpus quandoque moriturum, quia illa anima, quæ verbo Dei non pascitur: profecto mortua iacet. *Tunc assumpsit eum diabolus in sanctam ciuitatem.*] Sicut in heremum voluntariè Dominus abiit, sic etiam sanctam ciuitatem ascendit, vt daret temptatori locum accedendi ad se. Sanctam autem Hierusalem dicitur propter templum Domini & altare, ac religionem, seu multos bonos viros, qui adhuc ibi erant, nam & post ascensionem Domini Apostoli omnes quam diu ibi fuerunt in templo adorauerunt. [*Et statuit eum super pinnaculum templi.*] Mos erat in illa prouincia tecta æqualia facere, vt homines desuper ambulare possent & eo more erat præparatum desuper templum, & habebat in gyro cancellos ne quis inuitus decideret ad terram, hoc frequenter auditis in Euangeliis, Ibi soliti erant Sacerdotes legem legere, & turbis deorsum stantibus exponere, hic ergo de ipso loco suasit diabolus Dominum exilire ad terram, vt videretur à turbis, & laudaretur si sanus adstaret. Sicut fuit vana gloria quando dixit: scientes malum sic esset vana glo- G ria de alto salire ad terram in neutro profectus. [*Si filius Dei es mitte te deorsum.*] Deorsum aduerbium est loci per omnes temptationes hoc inquirit, quali modo esset filius Dei, vtrum adoptiuus, an proprius. Sed Dominus qui exemplum nobis venerat dare & in dictis & in factis, & diabolum dubium reddidit, & nobis insinuauit, quid facere debeamus quando temptamur. Videlicet ad mentem reducere verba sacri eloquij & nostras temptationes per eadem verba compescere. Suadet autem diabolus, non simplici verbo suo, sed cum additamento scripturæ diuinæ dicens. *Scriptum est, quia Angelis suis mandauit de te, & in manibus tollent te ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.*] Totus iste Psalmus de Ezechia rege scriptus est de illa defensione, quam ei Dominus fecit aduersus Sennacherib Assyriorum regem: & potest de vnoquoque electo accipi, quia autem diabolus purum hominem credebat Deum; ob hoc istud exemplum, quod de iusto dictum est, ei proponebat [*Ait illi* IESVS *rursus.*] Sic iungendum est rursum: H quia aduerbium est, & verba Euangelistæ sunt, & habet sensum, iterum. Postea vero inserendum est, *scriptum est*, quia istud Domini verbum, non illud. Ac si aperte dicat Diabolo, propterea non debeo nec ego nec alius quilibet homo te auscultare, quia est diuinum eloquium: quod me omnesque prohibet pro vana gloria, & nullã vtilitatẽ habentibus Deum petere. [*Iterum assumpsit eum diabolus in montem excelsum valde.*] Ista temptatio in heremo facta fuit cum prima temptatione, & istum montem vel Tabor vel Hermon intelligimus, sed verius Thabor. [*Et ostendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum*, Sicut Deus omnipotens diabolo ad libitum suæ temptationis permisit ei superiora quæ audistis, sic potest fieri, vt permiserit ei sub vna visione totum mundum ostendere, eo modo quo & Beatum Benedictum legimus vidisse. Vel alio modo, species quædam est, quæ frequenter inuenitur in scriptura diuina, & vocatur Græce Sinecdoche, cum totum dicit & pars intelligitur. Videlicet ostẽdit ei partẽ aliquã,

& promisit ei reliquam cum toto daturum. Gloria autem mundi aurum est & gemmæ, inde gloriatur istemundus. Et regna mundi id est homines in mundo habitantes: quæcunque habere possunt mundiales homines, hæc est fiducia eorum: & tamen nihil aliud faciũt de illo nisi ad gloriandum: & ad ostentationẽ possident. Non enim inde arant, aut aliud necessarium operantur: nisi solummodo viuunt, & portantes onerant & custodiunt die ac nocte. [*Dixit illi, hac omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me.*] Sicut mendacium fuit quando dixit, *ponam sedem meam ad Aquilonem: & ero similis altissimo*, sic etiã istud mendacium esset: si Dominus illum adorasset dicentem *Hac omnia tibi dabo*. Sed diabolus non curat de profectibus seductorum: nec curat nec veretur in futuro mendax haberi: tantum vt in præsenti nunc possit sedocere quos vult. Sic fecit de Adam quando dixit, *eritis sicut dy*. Sciendum est vero secundum dictum ipsius, quia cadit omnis qui adorat Diabolum: & non solum qui adorat, sed etiam qui auscultat, quia adorare venerari est: quia tunc homo illum veneratur: quando eius suggestiones Dei mandatis præfert, & illum auscultat, & Dominum prohibentem dimittit. [*Tunc dicit ei* IESVS, *vade Sathanas.*] In aliis suasionibus non tam potenter Dominus diabolo respondit sicut in ista: quia nimis superbe locutus est, quando vel à Deo vel à puro homine se iussit adorari: & quantum peruersos tantum peruersa locutus, dixit ei Dominus, *Vade Sathanas*: hoc in abyssum siue in perditionem. Non autem simili responsione Petrum confutauit: quia illi dixit: *vade retro*, hoc est sequere voluntatem meam. [*Dominum Deum tuum adorabis.*] Adorare duobus modis intelligitur in nostra lingua, adorare enim dicimus inclinare. Vnde scriptum est, *adorauit regem ille*, vel ille, hoc est inclinauit se. Adorare alto modo, hoc est cultum debitum Domino exhibere, de quo scriptum est. *Adorauit Salomon Dominum*. Isto ergo modo præceptum est antiquis ne Adorarent Deos alienos, nec quemquam excepto Domino solo: inde ergo dictum est: *Dominum Deum adorabis*. Adorare est autem, tota fide Dominum credere & ex totis præcordiis diligere, remissionem peccatorum petere, & omnia bona ab illo sperare præsentia & futura. Græcè autem differentius hoc dicitur vbi adorare quod ad Deum pertinet *procinisce* dicitur προσκυνῆσαι Adorare quod ad hominem pertinet κανίσκω dicitur: [*Et illi soli seruies.*] Quid est hoc quod dicit Dominus, *illi soli seruies*: cum Paulus Apostolos dicat *per charitatẽ seruite inuicem?* Nunqoid aliud Dominus præcepit, & aliud Paulus? Non: Sed & seruitium quod pertinet ad Deum solum & non ad hominem quod nulli alteri impendi debet, nisi Deo soli, videlicet credere illum firma fide, omnem spem suam in illo ponere; hostias illi offerre, cultum diuinum illi exhibere, & reliqua quæ ad solum Deum pertinent. In Græco quoque sermone similiter est differentia de hac re. Siquidem seruitium quod ad hominem pertinet duleusis δούλευσις dicitur & seruus dulos δοῦλ@ dicitur. Illud vero seruitium quod ad solum Deum pertinet λατρεία vocatur. Vnde in cantico Zachariæ non dicitur *duleusate* δουλεύσατε, sed *latreuin* λατρεύειν αὐτῷ *seruiamus illi*. Has discretiones debemus scire inter creaturam & creatorem, vt à nullo sancto petamus remissionem peccatorum: sed per eos studeamus impetrare vt detur nobis à Deo: neque credamus in aliquem nisi in Deum: quia credimus sanctos, sed non credimus in sanctos. [*Tunc reliquit eum diabolus: & ecce Angeli accesserunt & ministrabant ei.*] quod diabolus in Deum suaserat facere, hoc ei fecerunt angeli, id est adorauerunt eum: vt ostenderent, quia ipse merito adorandus esset non diabolus. Angeli ministrant vt victoris dignitas comprobetur. Omnes istas temptationes Dominus patientia vicit, vt nobis exemplum præberet patientiæ. Si is qui creator est & temptatorem suum in abyssum vno verbo mergere poterat sustinuit: & sacri verba eloquij ei respondit: Et nos quando temptamur visibiliter vel spiritaliter, semper ad memoriam reducamus, quæ præcepit Deus, & quia creator est audiendus non diabolus. Diabolus enim Hebraicè *deorsum fluens* interpretatur: quia de cœlo decidit. Græcè vero *criminator* sonat, quod electorum innocentiam fictis criminibus accuset. Vnde in Apocalypsi dicitur: *Proiectus est accusator fratrum nostrorum qui accusabat illos in conspectu Dei nostri die ac nocte.* Sathanas in Latinum sonat *aduersarius*: quia semper contrarius est virtutibus sanctorum. Notandum vero quod omnia testimonia, quæ in hoc agone Dominus protulit, de Deutronomio assumpsit: & rectum fuit, vt Dominus de Deutronomio ea sumeret: nam ibi perfectior lex habetur: quia quod secundo fit melius fit. Deutronomium enim *secunda lex* dicitur, deuteros Græcè *secundus*, nomos *lex*, & non est separandum u ab e, quia tunc habebit sensum quasi sit præpositio *de* & *vtero* nomen, sed Deutronomium: quia compositum est apud Græcos ex duobus nominibus: & non est fœminini generis apud Græcos sed masculini.

CAP. VII.

Quod Ioanne tradito incipit Dominus prædicare.

CVm autem audisset quod Iohannes traditus esset, secessit in Galilæam. [Antequam Iohannes traditus esset prædicabat Dominus: sed post religationem eius cœpit attentius prædicare ne deesset populo monitor salutis. [*Venit de heremo.*] vbi temptatus fuerat. [*in Nazareth.*] vbi nutritus fuerat, [*& relicta ipsa Nazareth*] propter incredulitatem, [*abiit in Capharnaum in finibus Zabulon & Neptalim.*] In hac terra primum Israël captiuatus est ab Assyriis, & conuenienter ibi Dominus incœpit prædicare, vbi hostis quondam propter peccata dominatus est. Zabulon interpretatur habitaculum pulchritudinis. Neptalim quoque idem affirmat qui conuersantis dicitur: quia antequam Deus veniret in hunc mundum, omnes sedebant in tenebris ignorantiæ: sed per Christum orta fuit lux, *quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*. Et vmbra mortis nobis erat: quia ad comparationem secundæ mortis, vmbra mortis est in hoc seculo: in futuro vera, quia æterna. [*Exinde cœpit* IESVS *prædicare & dicere*,] exinde, postquam Iohannes missus est in carcerem: quia cessante lege Euangelium successit. [*Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cælorum.*] quod Dominus eadem prædicat quæ & Iohannes, ostendit se illius esse filium à quo Ioannes missus est: diximus superius quomodo appropinquauerit regnum cœlorum. Appropinquauit enim quia iam in proximo erat, post peractam prædicationem, & passionem, ac eius ascensionem aperienda via ad vitam æternam digne pœnitentibus: hoc est punientibus in se veterem conuersationem, & incipientibus nouam. Pœnitentia namque, quasi punientia dicitur.

CAP. VIII.

De vocatione Apostolorum.

AMbulans IESVS *iuxta mare Galilea, vidit duos fratres.*] Diuersa videntur Euangelistæ de vocatione ista scribere, sed intelligentibus non sunt contrarij. Primitus factum est quod Iohannes scribit: quia Beatus Andreas audiuit à Iohanne de Christo testimonium, & venit ad eum & mansit cum illo, & post adduxit fratrem suum Symonem & cognouerunt eum: sed iterum abierunt ad opera sua. Iterum factum est quod Lucas refert. Qualiter ascendit IESVS nauim Petri: & prædicauit de ipsa: & post prædicationem iussit relaxare retia in capturam: & dixit ad Petrum. *Ex hoc iam homines eris capiens.* Sed tunc duxit Petrus nauim ad littus, & secutus est illum aliquo tempore, & iterum reuersus est ad nauim. Nam ideo eam ad littus duxerat. Nunc vero retibus relictis & naui, secuti sunt eum, vt semper cum illo essent.

Similiter

A Similiter intelligendum de Iacobo & Ioanne quod ante crediderunt in eum, quando de aqua vinum fecit: sed non sunt secuti continue, nisi modo. Et dicunt magistri Ecclesiæ: quod aliquid diuinitatis tunc resplenduit in facie eius, quod eos ad illum attraxit, vt continue iam sequerentur illum. Tradunt autem quia tribus vicibus resplenduit ipsa diuinitas in facie eius in hac carne. Vnum, quando discipulus vocauit. Alio, quando ementes & vendentes de templo eiecit. Tertio quando transfiguratus est in monte. Sed tunc tanta fuit ipsa maiestas vt non possent discipuli eam ferre. Vnde scriptum est, *ceciderunt in facies suas.* Quid mare sit Galileæ in sequentibus dicemus: similiter de Apostolis, cum de aliis dixerimus in Catalogo eorum dicemus & de his. [*Venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum.*] Conueniens est prædicatio piscationi, quia sicut rete multas maculas habet similiter prædicatio multa testimonia. Sicut illa capit paruos & magnos: ita ista
B sapientes & insipientes. Mare seculum istud in quo homines semper se persequuntur. Sicut cœpit pisces Petrus: sic postea homines cum verbo. Ab isto Zebedæo illi duo discipuli Zebedæi vocati sunt. Zebedæus dicitur *donatus*, siue *fluens*. Iste digno eloquio sic vocatus, quia fluxit, & recessit à prædicatione Domini: pro qua re & à filiis suis relictus est. [*Reficientes retia sua,*] id est reparantes: quia vetus erat. [*Relictis retibus & patre secuti sunt eum.*] Nunc apparet, quomodo cum tota diffinitione secuti sunt eum. Hoc non dixit in aliis apparitionibus.

CAP. IX.

De primis virtutibus Domini.

ET *circuibat Iesus totam Galilæam docens.*] Studium docentis Domini ostenditur: quia non expectabat vt populus ad eum veniret: sed ipse veniebat ad eos:
C exemplum dans beatis doctoribus vel Episcopis, quid facere debeant de subiectis plebibus. [*Docens totam Galilæam.*] In hoc quod dicit totam: ostendit sine personarum acceptione docens præsentes, prædicans aduenientes. [*In synagogis eorum.*] per omnes ciuitates, Iudæi synagogas agebant in diebus Sabbatorum & cæteris festis: in quibus diebus nihil aliud agebant (præter cibum & potum) nisi lectioni atque orationi vacabant. Et synagoga *congregatio* dicitur. [*Et prædicans Euangelium regni*] Euangelium regni, bonum nuncium regni cœlestis: quia hoc omnes prædicatores prædicare debent: quia pro vita æterna adipiscenda Christiani laborare debent. [*Sanans omnem languorem,*] id est animarum, quia sicut languet corpus quando officia sua nequit peragere, ita anima quæ torpet in præceptis Dei, languere dicitur. [*omnem infirmitatem,*] ad corporum infirmitates respicit: & est species Synecdochica: à toto pars intelligenda. [*Abiit opinio eius in totam Syriam.*] Opi-
D nio, *fama* dicitur: *malum quo non velocius vllum.* Syria, hic Tyrus & Sydon intelliguntur, in qua Syri habitabant. [*Et obtulerunt ei omnes male habentes,*] leuiores infirmitates habentes. (*Tormentis comprehensos,*) fortiores infirmitates vult ostendere: quia tormenta à torquendo vocantur. [*Et qui dæmonia habebant.*] Hoc est de quibus certum erat quia sine intermissione tenebantur. [*Lunaticos*] & ipsi dæmoniaci erant: sed propter infamationem creatoris, ad tempus eos vexabant, & ad tempus eos dimittebant: vt infamaretur creator, qui bonam creauerat lunam. Sunt aliquæ infirmitates, quæ plus nocent vna luna quam altera. Quia crescit corpus & decrescit cum elementis de quibus creatum est. Homo namque ex terra, aqua, igne, & aëre factus est. Paralyticus Græce, Latine dissolutus dicitur: & qui pro sanguinis effusione officia corporis habet amissa. [*& secutæ sunt eum turbæ multæ,*] propterea discipulis dixit. [*Messis multa de Galilæa.*] De illa nutritus fuerat. Quia duæ Galilææ sunt. Ista Iudæorum circa Tyberiadem, & stagnum Genesar, in tribu Za-

E bulon. Altera Galilæa gentium vicina finibus Tyriorum, vbi Salmon dedit Hiram regi viginti ciuitates & est in sorte tribus Neptalim, & Decapuli. Græcum nomen est, & dicitur *decem ciuitatum.* Est regio vltra Iordanem, habens decem ciuitates. Siquidem Græcè *polis*, Latine *ciuitas* dicitur; deca decem, inde compositum nomen Decapolis. [*Et de Hierusalem ciuitate regia & de Iudæa.*] Iudæa regio Palæstinæ ex nomine Iudæ appellata est: ex qua reges habuit ipsa terra initium longitudinis eius à vico Arsa, vsque ad vicum Iuliadem porrigitur, latitudo eius à monte Libani vsque ad Tyberiadis lacum extenditur. [*Et de trans Iordanem.*]. Videlicet de illis tribubus & dimidia, quibus Moyses dedit possessionem trans Iordanem.

CAP. X.

F *De octo beatitudinibus.*

VIdens autem Iesus turbas, ascendit in montem.*] Tria refugia sibi Dominus elegit, quandocumque turbæ multæ ad audienda verba ipsius conuenerunt. Montem istum Thabor, & lacum Genesar, & templum Domini. Sex quoque turbæ sequebantur eum, diuersa voluntate: primo discipuli propter amorem prædicationem eius audiendam. Alij propter sanitatem. Alij propter admirationem videre eum cupientes miracula facere. Alij propter indigentiam cupientes saturari ab illo, vel aliquid eleemosynæ in denariis, aut in alia re accipere. Pharisæi vero vel ministri eorum ob reprehensionem. [*Ascendit in montem.*] in superiori montis, secretiora loquens discipulis: in inferioribus autem, turbis: vbi etiam quinque milia hominum satiauit. [*Et cum sedisset.*] Videlicet segregatus à turbis. *Sedere Dei*, est spiritaliter incarnatum eum esse quia quasi contractum eum esse incarnatum hoc est non esse talem, qualis est in sua diui-
G nitate. *Discipuli eius accesserunt ad eum.*] Sicut alacres, sicut domestici, sicut electi de turbis, digni audire mysterium regni cœlorum: quod turbæ audire nequibant. [*Et aperiens os suum.*] Qui prius ora aperuerat Prophetarum. [*Docebat eos.*] Qui docuerat aliquando per legislatores & prophetas, nunc per semetipsum dicens [*Beati pauperes spiritu.*] Non dicit absolute *pauperes*: sed addit *spiritu*: quia multi inuiti sunt pauperes: sed de his dicit, qui cum possint esse diuites, propter Deum paupertatem sectantur sine non habent voluntatem habendi: sicut Apostoli ad quos hæc loquebatur. Siue *pauperes spiritu*, humiles: de quibus scriptum est: *& humiles spiritu saluabit.* Et de his per Esaiam: *spiritus Domini super me: ad annunciandum pauperibus misit me, quoniam ipsorum est regnum cælorum.*] Vita scilicet æterna. [*Beati mites,*] id est mansueti. Hanc virtutem Dominus à se discere iussit dicens: *Discite a me quia mitis sum, & humilis corde*: mansuetus manu assuetus dicitur: hoc est
H qui non despiciunt alios: sed omnes vt proximos amant & recipiant: qui non sunt superbi, nec dedignantur cæteros. [*Ipsi possidebunt terram*] Non istam quæ spinas & tribulos profert: quam crudelissimi & superbi magis possident: sed illam de qua dictum est: *Credo videre bona Domini in terra viuentium.* Cuius possessorem describens psalmista, quasi pro triumphato diabolo dicit. *Intende prospere, procede & regna, propter veritatem & mansuetudinem & iustitiam, &c.* Per tria ista, illa terra Domini possidetur: videlicet veritatem, mansuetudinem, & iustitiam [*Beati qui lugent.*] Est luctus malus pro terreno damno lugere: quia tristitia huius seculi mortem operatur. Et beatus Gregorius dicit. *Absit vt aliquis fidelium de interitu mundi lugeat, nec de mundo, nec de mundana re Christianus lugere debet.* Est autem luctus bonus quem debent habere Christiani. Lugere, eorum est, in quibus memores sunt Dei præcepta præterisse, vel non egisse quæ Dei sunt: vel proximos suos debent lugere, qui à Deo exorbitant. Sicut Samuel lugebat Saul præterisse mandata Dei: perfectorum quoque lugere est pro dilatione

A vitæ æternæ & pro desiderio visionis Dei: Qui ergo aut pro recordatione peccaminum suorum, aut proximorum: seu pro futuro iudicio, vel pro peregrinatione cœlesti patria lugent, isti consolabuntur consolatione æterna: quæ terminum non habebit. [*Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam.*] Qui semper faciunt iustitiam: hoc est iusta operantur, & semper plus cupiunt facere: & quasi faciendi famem patiuntur: isti saturabuntur de æternis bonis *quæ oculus non vidit: nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit: quæ præparauit Deus diligentibus se.* [*Beati misericordes: quoniam ipsi misericordiam consequentur.*] Misericordia, non solum est in re terrena: sed etiam in spirituali: vt adiuuemus proximos vbicunque possumus. Qui autem perituro non subuenit, si potest, occidit: & æqualis ille qui facit, & qui facienti consentit vt faciat. Misericordia autem à misero corde vocatur, si aliquid non possumus: vel in corde condoleamus: hoc de terrenis damnis, & erga nos commissis.

B Cæterum qui peccat in DEVM: non est nostrum remittere: donec DEVM credamus dimissum habere. Exemplum nobis est resuscitatio Lazari quem discipuli non antea soluerunt, quam Dominus habuisset resuscitatum: nec pastor Ecclesiæ peccatorem potest absoluere à peccatis, donec resuscitatus: hoc est immutatus fiat in anima. Quamdiu aut in voluntate aut in opere talis est qualis fuit: frustra illi veniam promittit peccatorum. De talibus Dominus dicit: *personam in iudicio cognoscere non est bonum.* Et iterum: *non declines cor ad dexteram neque ad sinistram.* Item: *si peccauerit vir in virum placari ei potest Deus: si autem in Deum peccauerit vir: quis orabit pro eo?* [*Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.*] Illi sunt mundo corde, quos non remordet conscientia criminalis peccati: vel qui non cogitant aliud nisi quod bonum est. Mundus enim Deus a mundis corde videbitur in hoc seculo oculis cordis, & sub quadam imagine in futura vita facie ad faciem. [*Beati pacifici: quoniam filij Dei vocabuntur.*] Pacifici

C compositum verbum est, à pace & facio. Illi sunt pacifici, qui primum faciunt pacem in se vitiorum: vt non pugnent vitia contra virtutes: sed habeant pacatum Deum: Deinde studeant pacificare proximos suos in bono, non in malo. Non enim est bona pax quam mali habent: nec eam iustus debet consentire, vel consors illius esse: quoniam proximum diligere, vitium debemus odire. [*Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam: quoniam ipsorum est regnum cælorum.*] Qui bona faciunt, & mala pro eisdem bonis recipiunt: & sanctus Lampertus: & sanctus Leodegarius: vel alij innumeri. Sed & qui pro Christo persecutionem patiuntur: vt fecerunt omnes Martyres. [*Beati est cum maledixerint vobis homines: & persecuti vos fuerint: & dixerint omne malum aduersum vos mentientes propter me.*] Exponit istam octauam beatitudinem: quomodo sustineatur persecutio propter iustitiam. Si male dicant nobis iniuste & mentiantur: si persequantur iniuste: si dixerint omne malū mentientes: nam si verum dixerint, non erimus beati: Et si

D propter peccata nostra persecutionem patiamur, non continuo erimus beati: sed si patienter sustineamus, & recognoscamus quia iuste: & non tantum quantum meriti sumus: perueniemus quandoque ad beatitudinem si futura non adcumulemus. [*Gaudete & exultate, ecce enim merces vestra copiosa est in cælis.*] Si bona facientes aduersis tundamur, certi esse possumus si patienter sustinemus, quia in futuro mercedem recipiemus. Si vero aliquid boni facimus, & prospera nobis arrident: timere debemus ne pro bonis quæ fecimus, hic mercedem recipiamus. Si autem & mala facimus & prospera habemus, de inferno certi esse possumus. Si etiam & male habemus: & tamen de ipsis malis murmuramus: certi sumus, quia de his malis ad peiora perueniemus. Omnes istas beatitudines Christus compleuit: quia nihil docuit nisi quæ ante ipse compleuit. Pauper fuit & rebus & corde, qui ait: *Filius hominis non habet vbi caput suum reclinet.* Mitis fuit, qui dixit: *discite à me quia mitis sum, & humilis corde.* Luxit aliorum peccata: qui videns ciuitatem fleuit super illam. Esuriuit & sitiuit iustitiam qui dixit, *meus cibus est, vt faciam voluntatem patris mei.* Misericors fuit: qui dixit; *misericordiam volo, & non sacrificium.* Mundo corde fuit: qui dixit, *Sancti estote, quia ego sanctus sum.* Pacificus fuit: qui dixit, *pacem meam relinquo vobis.* Persecutionem passus est: qui dixit, *si me persecuti sunt, & vos persequentur.* Sic enim persecuti sunt Prophetas qui fuerunt ante vos. Samuel de principatu eiecerunt: Esaiam secuerunt: Heliam de terra eiecerunt: Hieremiam lapidauerunt: & non fuit bonus à seculo, qui persecutionem non sustinuit in seculo. Ideo gaudete in persecutionibus, si vultis esse socij in beatitudinibus. [*Vos estis sal terræ.*] Sal dictum est, eo quod igne exiliat. Sunt autem multa genera salis. Est tamen naturalis, necessaria ad omnem escam. Pulmentis enim saporem dat: excitat auiditatem & appetitum in omnibus cibis: Ex eo quippe omnis victus, delectatio, & summa hilaritas.

F Omnes pecudes si semel gustauerint delectantur eum. Corpora astringit & siccat: defuncta etiam à putrescendi labe vindicat, vt durent. Omnis ista natura spiritaliter conuenit Doctoribus, faciunt enim Doctoribus auiditatem spiritalis cibi: scripturæ, quæ ante viles nobis erant: eorum teseratione delectabiles nobis fiunt: appetitur ab omnibus animalibus: quia & doctrina Apostolorum suscipitur ab omnibus gentibus: Restringit corpora sicut fit per doctrinam: vel luxuriosi casti fiunt: fugat muscas, id est diabolos. Et ideo iure dixit illis Dominus, *vos estis sal terræ*, id est habitantibus in terra. *Quod si sal euanuerit: in quo salietur?* Si doctor errauerit: à quo doctore emendabitur? Ad nihil vltra valet, nisi vt mittatur foras, & conculcetur ab hominibus. Sicut sal in omnibus agris nociuum est, quia sterilis efficitur omnis terra ab eo. Vnde & in subuersis ciuitatibus hoc legimus aspersum: ne quis ibi postea vellet manere quod Abimelech fecisse legimus: Ælio Atiano de Hierusalem. Hac similitudine, si Doctor ad hæresim conuersus fuerit eiicitur de Ecclesia, & habetur contemptui ab omnibus,

G ita vt nec aue ei dicatur: sed ab omnibus execretur: sicut Paulus dicit: *hæreticum hominem post primam & secundam correptionem deuita.* [*Vos estis lux mundi.*] Estis lux participando lucem illam de qua scriptum est. *Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem.* Sicut enim per lucem omnia noxia fugantur: fures videlicet, & nocuæ bestiæ, ac fantasmata dæmonum: similiter per prædicationem Apostolorum omnia nocua animarum detecta sunt, & reiecta: & illuminata corda credentium. [*Non potest ciuitas abscondi, supra montem posita.*] Ciuitatem, Ecclesiam dicit ædificatam super Dominum: quam debent Apostoli innotescere cunctis gentibus: vt congregentur ad eam: si non corpore, corde omnes electi eius, vt dicatur *Catholica*, id est *vniuersalis*. [*Neque accendunt lucernam & ponunt eam sub modio: sed super candelabrum,*] id est doctrinam Euangelicam, excelsam in prædicatoribus: vt innotescat omnibus perfectè: qui in Ecclesia sunt. Nec debent eam ponere sub modio,

H id est timore aliquo vel metu alicuius abscondere: sed vt videant opera vestra bona ad ædificationem & profectum animarum suarum. Et glorificent patrem vestrum qui in cœlis est: non vos quærentes laudari: sed Deum cuius donum est, si quid in vobis boni est.] *Nolite putare, quomodo veni soluere legem aut Prophetas.*] Putare dicit æstimare soluere, dissoluere siue adnihilare. Non veni soluere sed adimplere, id est, vbi bene non intelligebatur veni exsoluere: sicut est de dimittenda muliere. Vbi perfectio deerat, volo addere: sicut est de homicidio: quia & iram volo primitus resecare. Nam sicut beatus Augustinus dicit: *Omnia quæcumque in veritate præcepta sunt antiquis, absque figuralibus præceptis: & ea quæ legislator secundum duritiam cordis eorum eis concessit: Alia tenenda sunt:* ex hoc loco hoc affirmat. [*Amen dico vobis,*] id est verum dico vobis. [*Donec transeat cælum & terra, iota vnum aut vnus apex non præteribit à lege donec omnia fiāt.*] ac si dicat Vsquequo cœlum & terra transeat etiam ea quæ per *iota*

&

A & *apicem* significantur in lege non præteribunt, sed perficientur à meis electis. *Iota* autem & Hebræum est & Græcum: Hebraicè dicitur *Iot*, Græcum *Iota*, Latine, id est, Apex autem titula dicitur, quæ in aliquibus litteris apud antiquos super quibusdam litteris ponebatur, siue causâ differentiæ, siue vt ostenderetur geminandam esse litteram. Verbi gratia, populus quando gentem significat non ponebatur: quando vero arborem significabat, tunc ponebatur apex desuper: vt admoneret lectorem ab vsitato intellectu recedendum, & longam esse syllabam. Geminationis quoque causa ponebatur vt in Alleluia, quia duo *l* ibi esse debent: scribebaturque vnum & apex desuper, exinde intelligebatur geminandam esse litteram. *Luia:* quoque similiter super *i* vt ostenderet geminandam esse illud, i. Ostendit ergo Dominus tales differentias non prætereundas in scriptura diuina: quia si negligerentur, sensus quoque vna interiret. B Alio intellectu, i, *Iota* id est ι apud Græcos decem significat sine apice cum apice decem milia. Exinde coniicere possumus, quod decem verba legis nisi à nobis spiritaliter custodiantur, decem milia talenta à nobis exigenda: secundum illam parabolam Domini de seruo, qui oblatus est regi decem milium talentorum. Secundum Latinos *i* vnum significat: apex desuper mille demonstrat. Ex quo credere possumus, mille quadrantium & vnius nos debitores fore: & non exituros, donec illum vnum reddamus. Qui ergo soluerit vnum de mandatis istis minimis & docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cœlorum. Ac si patenter dicat. Omnis Doctor qui soluerit id est dissoluerit & spreuerit vnum de mandatis istis minimis, siue non fecerit: minimus vocabitur in regno cœlorum, id est, in præsenti Ecclesia. Quia cuius vita despicitur, restat, vt eius prædicatio condemnatur. Qui autem fecerit & docuerit magnus vocabitur in regno cœlorum. Quia dignum est, vt qui verbo & exemplo ædificant Ecclesiam, in honore habeantur: sicut & Paulus dicit: *Presbyteri duplici honore digni habeantur, maxime qui laborant in verbo.* C

CAP. XI.

De adimpletione legis.

D*ico autem vobis*] Modo incipit legem adimplere. [*Nisi abundauerit iustitia vestra plusquam scribarum, & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum.*] Iustitia Pharisæorum est non occidere, non adulterare, non facere furtum, decimas & primitias dare ex omnibus quæ possident. Iustitia Christi & omnium Christianorum est, non odire, non concupiscere, proximum propter Deum amare, persequentes ex animo diligere. Sensus igitur talis est. Pharisæi homicidia, furta pro crimine habent: discipuli mei etiam cogitationes, & verba iniqua deuitent. [*Qui autem occiderit, reus erit iudicio,*] subauditur mortis. D [*Audistis quia dictum est antiquis non occides.*] Ecce iustitia Pharisæorum. [*Ego autem dico vobis. Ego nouus homo, noua præcepta vobis pono. Quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio.*] Ecce iustitia Christianorum. Ea pœna reus habetur in Euangelio qui fratrem suum odit qua in veteri habebatur qui occidebat aliquem. Et sciendum vbicumque in hoc libro positum est antiquis, subauditur patribus: illud approbat Deus: vult vt illud custodiatur: donec transeat cœlum & terra. Illud vero vbi non est additum antiquis: non præcepit Deus: sed Moyses concessit populo adhuc rudi & carnali: quibus si illud præcepisset: intellexit non esse facturos, sicut dicit Dominus de muliere dimittenda. [*Moyses enim ad duritiam cordis vestri scripsit vobis: ab initio autem non fuit sic: qui autem dixerit fratri suo racha: reus erit consilio.*] Totum est istud iustitia Christianorum: modo tulit iram absconsam de corde: modo aufert sub maiori pœna iram cum voce. *Racha* interiectio est apud Hebræos: & tantummodo iratum animum demonstrat: & potest dici E inanis seu absque cerebro: quam iniuriam in vulgata locutione in vsu habemus: quia qui cerebrum non habet & non est sanæ mentis: quasi dicat, quemcumque ita commouerit ira, vt in voce eam ostendat proximo suo plus est plectendus, quam ille qui in corde iratus non protulit in voce. Et ideo iam consilium de illo est habendum qua pœna plectendus sit. In primo ira absconsa, & mors cum gladio cito finienda. In secundo, ira cum voce: iam excogitatio generis est tormenti, quomodo moriatur ille. In tertio ira cum improperio, & diffinitio quot pœnis infernalibus tradendus sit. Racha quoque Græcè *panuosus* dicitur: sed superior intellectus melior. [*Qui autem dixerit fatue.*] Subauditur: sicut in superioribus, *fratri suo.* Nullus enim alius nobis frater est: nisi qui eumdem patrem nobiscum in cœlis se confitetur habere, hoc est omnis Christianus. [*Reus erit gehennæ ignis.*] Iam de ipso qui cum ira in vitium fratris F prorupit non tenetur consilium: sed aperta sententia vltricibus flammis deputatur. Et qua ratione fatui nomen imponitur fratri, quia similiter credit in Deum, sicut & nos & Spiritum sanctum se habere confidit? qui enim nõ honorificat fratrem suum iniuriam facit Spiritui sancto qui in illo habitat sicut Petrus ad Ananiam loquitur: *non es mentitus hominibus sed Deo.* [*Si ergo offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris: quia frater tuus habet aliquid aduersum te.*] Munus hoc in loco non solum de sacrificio, sed & de omni oratione accipitur. Quia & in ipsa oratione dicimus: *dimitte nobis, sicut & nos dimittimus.* Quod vero ait: *quia frater tuus habet aliquid aduersum te,* hoc est si habet aliquid iustæ querelæ aduersum te: quod tu læseris eum in aliquo. [*Relinque ibi munus tuum ante altare: & vade prius reconciliari fratri tuo,*] si prope fuerit pedibus corporis eundum est, si autem longe fuerit, animo eundum & Domino promittendum: quia vt citius potueris, & corpore eundum sit & emendandum quodcumque ei malum intuleras. Et tamen multi verbo veniam petunt: & malum quod ei intulerunt non emendant: non est talis venia Deo accepta, quia sicut beatus Hieronymus dicit de Iuda. *Quia si opus non destruit homo vel non emendat, frustra postulat pœnitentiam, peccatum ipsius crescit quotidie, licet ipse sit mortuus & ille vult habere veniam.* G Verbi gratia quidam acquisiuit hominem iniuste vel tulit allodium alicuius & venit ad confessionem, & dicit mea culpa, peccaui in tali facto, da mihi pœnitentiam: & dicit illi: Abstine tanto tempore à vino & carne. O quam aperta seductio: nepotes illius seruiunt omni die & in fine mundi: aut centum aut ducenti erunt serui de illo vno: Et iste seductor dicit illi, saluus eris Allodium & aurum, quod tulit ipse habet: & abstinet à suo vino: vnde accipiet cras solidos plures quam si bibisset. O diabole confessor, si nescis illum saluare, vt quod scis teipsum perdere? Debueras dicere: *destrue opus, & accipe tunc pœnitentiam:* quare plus amasti aurum quam Dominum, tibi ista prohibuit? nonne diabolus quando anima eius egreditur à corpore in malo erat, & adhuc malum crescit: nonne dicit Ioannes, *peccatum vsque ad mortem:* non dico vt roget H quis pro eo? *Stulte lignum in quam partem ceciderit, ibi manebit.* Vtrumque autem possumus dicere: & reconciliare fratrem tuum. Hoc est ad te illum reducere in pace: & reconciliari fratri tuo, hoc est te illi reconciliari. [*Esto consentiens aduersario tuo.*] Aliqui exponunt hoc verbum super diabolum: vt simus benigni cum illo ne faciamus mala, quia tunc ille amplius cruciabitur pro malis quæ nobis suggessit: quam de inimicis nostris, vnde superius præcepit, vt reconciliaremus nos cum illis: & infra præcepturus est, *diligite inimicos vestros:* nam vt in Græco eunoon εὔνοον habet, id est *beniuolum:* & ita potest recte accipi, vt cum omnibus hominibus quantum ex nobis est pacem habeamus. Sed & de verbo Euangelij non inconuenienter potest accipi, qui quasi aduersarius noster est: quia ea præcipit quæ contraria sunt voluptatibus nostris. Verumtamen melius est vt concordemus cum eo dum sumus in corpore, & in via istius sæculi: ne forte con-

A temnet nos ipsum verbum : cui non obediuimus: & iudex Angelis tradat nos ministro diabolo qui nos mittat in carcerem pœnarum æternarum. *Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas nouissimum quadrantem, Donec* hic etiam pro æterno ponitur, quia qui in infernum introierit vlterius non exibit. Quasi dicat in æternum non exies inde : & ibi persolues tormenta pro minimis etiam peccatis : quæ per quadrantem intelliguntur, quadrans enim genus nummi est, qui habet duo minuta, id est quinque denarios, & similiter Hebraicè vocatur. Vnde in vno Euangelio mulier quadrantem, in alio duo minuta, misisse in corbonam scribitur:[*Audistis quia dictum est antiquis, non mechaberis. Ego autem dico vobis: quod omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mechatus est eam in corde suo.*] Ego qui legem dedi per Moysen, quod deerat adimpleo qui viderit ad hoc, vt deliberet se ita velle facere, iam tenetur reus in conspectu Domini. Dicit beatus Hieronymus

B quod aliud est passio, aliud propassio, aliud quod temptatur ex diabolo vel ex carne : & tamen non deliberat vt ita faciat: non tenetur reus in conspectu Dei. Exemplum possumus capere de latrocinio. Si quis tactus fuerit quod velit equum alterius furari: & tamen non mittit in effectum : temptatus per suggestionem est, sed non per effectum. Si quis cogitat & deliberat vt faciat si potuerit, locus illi deest: sed in conspectu reus tenetur, & de tali dicitur, iam adulteratus est eam in corde suo vel furatus. [*Quod si oculus tuus dexter scandalisat te, erue eum & proiice abs te.*] Per oculum & manum & pedem, spirituales concupiscentias intelligere debemus: vt quando videt oculus & concupiscit: illum oculum abscindamus, id est concupiscentiam: similiter de pede & manu. Alio etiam sensu per oculum manum & pedem parentes & amicos intelligamus vt si aliqui sint qui in via Dei contrarij sint nobis & non possimus eos conuertere, melius sit illis care-

C re & illorum amicitia quam offensam Dei incurrere. Vnde & de summo Sacerdote præcipitur: vt neque pro patre neque pro filiis polluatur, nisi illum immaculate custodiat, cuius cultui dedicatus est. [*Dictum est autem, quicunque dimiserit vxorem suam, det illi libellum repudij.*] Ecce nunc non habetur antiquis subiunctum: idcirco manifestum est (sicut in posteriori parte dicet) quod Moyses ex suo hoc dixit: non tamen Deus mandarit. Cognouit enim legislator quia si viuerent, antequam velint tenere illas quod occiderent eas, & iudicauit melius fore separationem, quam homicidium. Libellum autem chartam dicit repudij, id est, separationis: quia *repudio, reiicio* dicitur: & repudium est, quod testimonio testium datur, aut mittitur. *Ego autem dico vobis quod omnis qui dimiserit vxorem suam, excepta causa fornicationis, facit eam mechari: & qui dimissam duxerit, adulteram.* Simplex Domini præceptum est: quod si & propter fornicationem dimiserit, nec ille debet aliam habere, quoadusque illa viuit, nec illa alium. Si autem legaliter occiderit eam in iudicio, tunc potest alteram habe-

D re. Similem autem legem habet vir cum vxore, sicut mulier cum viro: vt si vir mulierem adulterauerit non posset eam occidi nisi & ipse moriatur: quia similiter reus est de adulterio. Si vero in monasterium abire voluerint, neuter alium potest dimittere, nisi ambo voluerint, & neuter habebit socium: quamdiu ambo viuunt. Iterum dictum est antiquis, [*non periurabis, reddes autem Domino iuramenta tua.*] Ne Iudæi per idolorum nomina iurarent, permisit eis Dominus iurare per nomen suum nec nobis etiam inhibuit, sed perfectionem nos docuit, quod ea fides sit habenda in Christianos, vt non sit necesse testem nomini Domini interponere, periurium nobis & illis prohibitum est. Debemus enim dicere non peierabis sine r, quia in verbo non habetur, r: sed *peiero* & *deiero* dicimus. Peierare male iurare: deierare, valde iurare. Iurare est namque, quasi iure orare: quod denique dicit, reddes Domino iuramenta tua, hoc est ad illum referes vt per nomen eius iures, & non per nomina deorum externorum, quidam iurant in arte, & pu-

E tant non esse periurium: sed tamen sic Deus accipit illud sicut is cui iuratur, etiamsi nullæ reliquiæ sanctorum ibi habeantur, quia maius est nomen Domini, quam corpora sanctorum. Etenim Deus non reputauit Sedechiæ aliud quãdo Nabuchodonosor iurauit: nisi quia nomen Domini despexit, quando illud peierauit: dicens. *Iuramentum quod spreuit, ponam super caput eius, & tradam eum in manu Nabuchodonosor*, & tamen non credebat in Deum is cui iuratum fuerat. Sed quia ille nomen Domini spreuerat, & pro nihilo duxerat, propterea traditus est in manum eius cui fidem promiserat. *Nolite iurare: neque per cælum: quia thronus Dei est.* Thronus, Græcum est & Latine *sedes* dicitur, habuerunt Iudæi consuetudinem iurandi per creaturas, Deus hoc nobis prohibet: quia per quem homo iurat, hunc colit & veneratur, sicut Paulus dicit: *homines enim per maiorem sui iurant.* Cœlũ sedes Dei dicitur: eo quod splendor diuinitatis eius ibi amplius à sanctis contempletur, vel quia sancti in quibus habitat

F habeantur. Neque per terram, quia scabellum pedum eius vocatur: eo quod sancti eius qui mẽbra ipsius sunt, adhuc ambulent in terra. *Neque per Hierosolymam*, quia ciuitas est magni regis. Hierusalem ciuitas regis magni dicitur, videlicet Domini: quia de ea dictum est: *fundamenta eius in montibus sanctis.* Et licet ista terrena non abiecta: tamẽ est alia Hierusalem: quia ibi est vera pax, & securitas æterna. De qua Psal. dicit: *Hierusalem quæ ædificatur vt ciuitas. Neque per caput tuum iuraueris.* Per ista quatuor prohibetur nobis, vt de cæteris elementis seu membris, non esse iurandum doceatur. [*Sit autem sermo vester, est, est, non, non.*] Non est contra præceptum Domini iurare per nomen ipsius, sed dum vsum iurandi assuescimus plerumque periurij & mendacij crimen incurrimus. Ideo quasi perfectis præcipit vt veritas inter Christianos habeatur, & veritatem vnusquisque proximo suo loquatur. [*Quod autem his abundantius est, à malo est*,] subauditur à malo auditore qui non credit, à nobis amplius vtẽdum est, sicut & ipse Dominus fecit addendo, Amen. Et

G Paulus Apostolus dicendo, *coram Deo in Christo loquimur. Audistis quia dictum est antiquis.* Nec hic illa subauditio est, *antiquis*: quia & hoc Moyses de suo præcepit, *oculum pro oculo, dentem pro dente*, subauditur *tollendum erat in veteri lege.* [*Ego autem dico vobis, non resistere à malo* hoc est non reddere malum pro malo, [*sed si quis te percusserit in dextram maxillam, præbe illi & alteram.*] Ecclesiasticus vir describitur, vt per omnia fiat imitator eius, qui dixit: *discite à me quia mitis sum & humilis corde.* Et David loquitur in Psalmo: *Si reddidi tribuentibus mihi mala.* Spiritaliter non iubemur sinistram præbere, sed alteram dextram, iustus enim sinistram non habet, [*& ei qui vult tecum iudicio contendere, & tunicam tuam tollere: remitte & pallium.*] Tunica est vestis ad pellata, quia in motu incedentis sonum facit, à tonando. Pallium est quo ministrantium scapulæ apud antiquos tegebantur, vt dũ ministrarent expediti discurrerent, quod non est in vsu apud nos. Nam illud quod fibula infrenante induimus, clamis vocatum est apud antiquos [*qui petit à te da ei,*] hoc non potest esse de terrena re: sed de spirituali melius

H accipitur: vt qui à nobis alimoniam verbi petierit: quantum ex nobis non negemus, quod ei ad ædificationem prodesse possit, [*& quicunque te angariauerit mille passus, vade cum illo alia duo.*] Mille passus (ad mensuram geometricam dicit) id est vnum milliarium: qui habet pedes quinque milia. Nam iuxta geometricos sedecim digiti transuersi, pedem faciunt: duo vero pedes & dimidius, gressum faciunt: duo gressus, passum implent. De his passibus, Dominus in hoc loco dicit: *quoniam* sequitur, *vnde cum illo alia duo milliaria. Angariare* à Græco venit, & significat cogere ambulare, & videtur esse sensus. Si quis te cogerit ambulare milliarium vnum: vade cum illo vt fiant duo: Ipsum angariare aut viam demonstrando, aut hortando quod te cogit & illud quod tu sponte abisti: Omnia ista ad illam perfectionem quæ superius dicta est, pertinent. *Audistis quia dictum est: diliges proximũ tuum, & odio habebis inimicum tuum.* Nec istud approbat Dominus se præcepisse:

A *propter illud odies inimicum tuum.* Non enim erat conueniens, vt Deus qui omnes æqualiter creauerat de vno patre & matre, aliquem odire præcepisset: nec Moyses hoc præcepit: sed indicauit quod facturi essent, nec dicitur in imperatiuo modo: sed in indicatiuo. Si denique imperatum fuisset vt odirent inimicos suos: Samuel & Dauid atque alij sancti in veteri lege, non dilexissent inimicos suos. [*Ego autem dico vobis: diligite inimicos vestros, subauditur in corde: bene facite his qui oderunt vos, in opere.* [*Et orate pro persequentibus & calumniantibus vos.*] Ecce per tria iussum est nobis bene facere inimicis, per quæ inimicis bona impendere solemus, id est in corde diligite: in ore orate, in opere bene facite. Propterea nullam excusationem habebimus si non diligamus. Si autem ipsi mali sunt erga cultum Dei: vitia eorum debemus odire, creaturam diligere. [*Vt sitis filij patris vestri qui in cælis est.*] Et secundum quod ipse diuinitas erat: & iuxta quod caro erat: exemplum nobis dedit. *Fecit oriri solem suum super bonos & malos: & pluit super iustos & iniustos:* & iuxta carnis formam, orauit pro persequentibus & calumniantibus sibi. Dat nobis exemplum à superiori ad inferiorem: & species parabolæ hortantis. [*Si enim diligitis eos qui vos diligunt, nonne & publicani hoc faciunt.*] Publicani vocantur conductores vectigalium fisci rerum publicarum, siue qui vectigalia publica exigunt, vel qui per negotia seculi lucra sectantur, vnde & cognominati. [*Et si salutaueritis fratres vestros, quid amplius facitis? Nonne & ethnici hoc faciunt.* Ethnici dicuntur Græcè, Latinè gentiles. [*Estote ergo perfecti sicut & pater vester cælestis perfectus est.*] Omnia ista quæ superius comprehensa sunt, ad perfectionem pertinere hic ostendit. [*Attendite, ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus.*] Ostendit superius in enumeratis præceptis, quæ essent iustitiæ Christianorum, nunc præcipit, ne ipsas iustitias coram hominibus faciamus vt videri velimus ab eis nostra facta, & nos laudari ab ipsis. *Attendite* hoc est *cauete.* In tribus locis in hoc Euangelio hoc dicitur *attendite,* & semper eundem sensum habet, cauete, & obseruate, ne ideo faciatis vt videamini, & videri velitis, & laudari. Nam qui ideo facit vt Deus laudetur, & proximus ædificetur, bene facit: qui autem propter laudem hominum facit, mercedem apud Deum amittit. Si volumus, possumus sic distinguere, vt dicamus. *Attendite ne iustitiam:* & postea inferamus: *vestram faciatis:* id est eam iustitiam, quæ Dei est nostram velimus facere: quia nullus iuste vel iustitiam facit: nisi ex dono Dei & quicquid boni est Dei est,: quicquid autem mali, nostrum est. Sic Moyses offendit ad aquas contradictionis retorquendo in se virtutem Dei dicendo. Num de Petra hac poterimus educere vobis aquam cum Dei esset virtus quæ fiebat, & non hominis per quem fiebat.] *Cum ergo facis eleemosynam, noli tuba canere ante te, sicut Hypocritæ faciunt in synagogis & in vicis, vt honorificentur ab hominibus,*] ipse in hoc loco insinuat, quomodo non debeamus iustitiam nostram facere coram hominibus sicut illi Hypocritæ, id est simulatores, faciunt in synagogis in congregationibus & in vicis. Vicus dictus ab ipsis habitatoribus: quod vias habeat tantum, vt ciuitas, & sit sine muris, & vici dicuntur etiam habitatores ciuitatis. Tubas autem solebant insonare tunc quasi ad pauperes congregandos: sed sicut hic demonstratur, magis pro laude humana hoc faciebant: vt à multis agnosceretur: quod ipsi magnam eleemosynam facerent. [*Amen dico vobis receperunt mercedem suam.*] hoc est, quam quæsiuerunt laudem hominum, propter quam fecerunt: à Deo nihil habent quod expectent. [*Te autem faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua.*] Eleemosyna Græcum nomen est & dicitur misericordia: & eleemosyna dicere debemus, non elimosina: per e, non per i. In omni re cauere debemus, ne sinistra nostra bonum sciat quod facimus: quia sinistra xenodoxia intelligitur: & semper in malam partem ponitur. [*Et cum oratis, non eritis sicut Hypocritæ: qui amant in synagogis & in angulis platearum stantes orare.*] Plateæ à latitudine dicuntur, Græcè etymologia: & solent dimitti ante portam ciuitatis: vt intrantes & B exeuntes possint recipere.* Hypocritæ per vnum p debet scribi, non per duo. [*Amen dico vobis, receperunt mercedem suam.*] Si ab hominibus laudem receperunt, ipsa contenti sint: quia apud Deum frustratam habent quicunque aliquid boni simulationis obtentu faciunt. [*Tu autem cum orabis intra in cubiculum tuum, & clauso ostio ora patrem tuum.*] Simpliciter erudit auditorem, vt vanam orandi gloriam fugiat. Sed & præceptum videtur esse spiritale, vt inclusa pectoris cogitatione, labiisque compressis oremus Dominum, sicut Anna dicitur fecisse, labia eius tantum mouebantur, & vox penitus non audiebatur. [*Orantes autem nolite multum loqui, sicut ethnici,*] id est gentiles, hi surdos Deos adorant qui aures habent & non audiunt: Christianos autem non est necesse multum loqui: quia ad Deum scientem omnia, antequam fiant loquuntur: sicut ipse loquitur. [*Scit namque pater vester quia opus sit vobis, antequam petatis eum.*] F propter ea non est necesse narratores nos esse, sed deprecatores.

CAP. XII.

De formula orationis Dominicæ.

Sic ergo orabitis.] Alij Euangelistæ narrant: quod ipsi discipuli petierint à Domino formulam orationis sibi edoceri quomodo ipsum cum patre & Spiritu sancto exorari deberent: & Dominus hanc orationem de pectoris sui fonte profudit, repletam omni necessaria petitione. Quicquid enim nobis necessarium est, & in præsenti seculo & in futuro, totum hic comprehensum est. Sunt quoque septem petitiones, & octo orationes. [*Pater noster.*] Nullus mortalis hoc auderet dicere, nisi ipse sua misericordia nobis præcepisset. Duobus modis est nobis pater Deus, conditione. Quia condidit & G creauit nos: Adoptione. Quia per suam misericordiam adoptauit nos in filios: iussitque nobis se vocari patrem, si tamen tanto patre non simus indigni, degenerando nos filio eius vnigenito Domino nostro IESV CHRISTO, qui nobis formam perfectionis ostendit, per quam filij Dei & fratres ipsius effici possumus operibus bonis. Quia ergo vnum patrem nos confitentur habere in cœlis: debemus esse amore fratres: quia qui fratres non vult recognoscere omnes Christianos, recusat patrem habere cum eis Deum. Te ergo inuocamus, [*qui es in cælis.*] Qui quamuis vbique sis: tamen splendidius maiestatem tuam contemplantur hi, qui in cœlo tecum habitant, vel etiam qui es in cœlis in sanctis tuis habitans. [*Sanctificetur nomen tuum.*] Cum per se sanctum sit, oramus vt in nobis sanctum fiat: quia à tuo filio Christo, Christiani dicimur, sicut tui simus per opera bona, vt digneris habitare in cordibus nostris. [*Adueniat regnum tuum,*] vt omnis mundus te cognoscat: & tu regnes in H nobis, regens & gubernans nos vsque in vitam æternam, non diabolus cuius conditionis non sumus. [*Fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra,*] vt, quomodo tibi angeli sine culpa seruiunt in cœlis; ita & nos seruiamus in terra. [*Panem nostrum cotidianum da nobis hodie.*] Pan Græcè, omne dicitur, & per panem, omnis substantia intelligitur, quæ cottidie nobis necessaria est: quod est cottidianus panis. In Græco pro cottidiano epiusion [illegible] habet: quod transfertur supersubstantialem: scilicet quod ad sub... iam nostram attinet, id est victum & vestitum. [*Da nobis hodie,*] tu es creator & Dominus noster vel panem spiritalem, vnum animæ nostræ satientur: vel etiam corpus & sanguinem tuum da nobis digne percipere hodie id est semper. [*Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.*] Quæcunque erga te pro carnis fragilitate, siue suadente diabolo, commisimus relaxa, vt non veniant super nos pœnæ debitæ, quæ debentur præuaricatoribus, quia & nos secundum tuum præceptum dimittimus his, qui in nos peccant. [*Et ne nos inducas in temptationem.*]

Non

A Non nos permittas incidere in aliquam temptationem, quæ nociua sit ad corpus, aut ad animam: quia tu potens es nos liberare: & non aliter inducis, nisi quia non liberas. [*Sed libera nos à malo,*] hoc est & à malo præsentis seculi, & à futuro & perpetuo. Ecce septem petitiones, in quibus comprehensa sunt omnia quæ nobis necessaria sunt, & præsenti seculo & in futuro. Octaua quoque oratio in fine supponitur. [*Amen.*] quod significat verum vt vera fiant omnia quæ superius precati sumus. Debent autem custodire omnes quicunque hanc orationem orauerint: vt custodiant se ab omni ira: vt veraciter dicant Domino creatori pater noster: quia si non amant omnes Christianos, non sunt tunc fratres: & ille qui aliquem odit, habet se eiectum de paternitate Domini. Qui noluit habere fratrem in dilectione Domini & proximi, non habebit partem in tuitione. Similiter custodiant illud verbum quod sequitur. *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus:* vt non mentiantur Domino: neque se accusent quia ea conditione

B sibi petunt dimitti, sicut ipsi dimiserunt suis debitoribus neque possunt ipsum verbum reticere: quia is qui docuit orationem, non exaudiet eam nisi sic fuerit sicut ipse composuit. Et ipse statim subiungit dicens: *si enim dimiseritis peccata eorum: dimittet & vobis pater vester cœlestis delicta vestra.* In potestate hominum habet dimissum, vt si nolunt imputare his qui in se peccant, nec Deus eis. Si vero retinuerint retenta erunt, hoc de his qui in nos peccant homines, non de his qui in Deum delinquunt. [*Cum autem ieiunatis nolite fieri sicut Hypocritæ tristes.*] Per omnia ostendit nobis Dominus, quomodo non debeamus facere iustitias nostras coram hominibus: ne mercedem perdamus apud Deum: ne faciamus sicut Saducæi: qui quando ieiunabant, non lauabant faciem, neque pectinabant caput. [*Exterminant enim facies suas,*] hoc est ab illo termino deturpant, qui aliis diebus soliti erant ornati incedere, siue demoliuntur, vt tristitiam simulent. [*Vt pareant hominibus*] id est appareant ieiunantes. [*Tu autem cum ieiunas vnge caput tuum.*]

C Secundum morem prouinciæ loquitur: in qua habitatores habebant compositum vnguentum de oleo & balsamo odorato: & vngebant caput. Ne propter ieiunia tristitiam simulemus, ob fauorem vulgi: sed hilariter Deo seruiamus: quia tunc manebit nos merces certa si propter Deum omnia faciamus. [*Et faciem tuam laua, ne videaris hominibus ieiunans.*] Faciem lauare præcipimur, & caput pectinare: ne propter vanam gloriam ieiunare videamur. Sed tamen si pro alia necessitate illoti incesserimus, non peccamus. [*Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra.*] Thesauri nomen, ex Græco Latinoque est compositum. Thesis namque Græcè, Latinè *positio* auri. De omni tamen pecunia hoc sentiendum est, quod Dominus hic præcipit: vt de omnibus rebus quas habere possumus in æterna vita thesaurum nostrum faciamus, pro quo in æternam patriam recipiamur. Per tria autem quæ hic nominantur, solent amittere frequentius diuites huius seculi thesaurum suum. Per æruginem quod

D pertinet ad metallorum genera: per tineas vestimenta: per fures omnia quæ haberi possint. Spiritalis quoque ærugo, est vana gloria, tinea inuidia, fures dæmones, per quæ Christianus perdit thesaurum animæ suæ, nisi vigilanti cura se custodierit. *Thesaurizate vobis thesauros in cœlo:* sicut fecit beatus Sixtus, & innumeri Christiani per manus pauperum. Quia ipse Dominus dixit: *quod vni ex minimis meis fecistis mihi fecistis.* Postquam enim pauperi vel bono homini in nomine Domini datum fuerit: is qui dedit, non potest perdere mercedem. [*Vbi est thesaurus tuus ibi est & cor tuum.*] De omnibus voluptatibus hoc accipi potest, vbi aliquis vltra modum intentus est. Gulosi thesaurus, Deus venter est, luxuriosi epulæ sunt: amatoris libidinis lasciuiæ & ludicra, illi seruit quis, à quo vincitur. [*Lucerna corporis tui est oculus tuus. Si oculus tuus fuerit simplex totum corpus tuum lucidum erit.*] Allegoria est in hoc loco aliud volens intelligi: quam in superficie sonet. Dat exemplum Dominus; quod is qui sanos habet oculos, potest videre omnia quæcunque voluerit: & per viam rectè incedere. Is qui non habet lumen, frequenter oberrat ab via: & offendit in itinere, sic is qui non habet rectam intentionem in sua fide vel in amore erga Deum, frequenter titubat in suis actionibus, quia vir duplex animo, inconstans est in omnibus operibus suis. At vero credentibus in Deum, omnia cooperantur in bonum. Inde sequitur: *Si oculus tuus fuerit simplex: totum corpus tuum lucidum erit.* Oculus intentio operationis est. [*Si ergo lumen quod in te est, tenebræ sint: ipsæ tenebræ quantæ erunt,*] id est si corpus amisso lumine oculorum tenebras patitur (lumen interius quod debet regere animam & corpus) quantæ erunt? videlicet quam magnæ, maiores quam corporis. E

CAP. XIII.

De non seruiendo duobus Dominis

NEmo potest duobus Dominis seruire.] Et quomodo potest: cum ipse alio loco dicat: *Non veni ministrari sed ministrare:* & Paulus dicat: *per charitatem seruite inuicem in vinculo pacis.* Sed tamen sciendum quia (sicut superius diximus) est seruitium quod soli Deo debet impendi, & nullo alio mortali: vt Deum credere certa fide, & illum adorare: Alienum Deum non habere, nomen Dei in vanum non assumere, diligere illum ex toto corde, & totis visceribus, hostias illi offerre: omnia bona ab ipso sperare. Alia autem seruitia & Deo & homini possumus secundum præcepta ipsius impendere: videlicet omnia bona quæ nobis volumus impendi ab aliis, faciamus proximis nostris. Est autem discretio in Græca lingua, de ipsis duobus seruitiis. Nam illud seruitium quod soli Deo impenditur, latresis λατρεία dicitur, illud vero quod ad homines, dulcusis δουλεία appellatur. Et hoc est quod Paulus dicit, *seruite inuicem*, in Græco habet *dulensate* δουλεύσατε. Aut enim vnum odio habebit, hoc est diabolum: & alterum diligit, id est Deum: vt dignum & iustum est. Aut vnum sustinebit, id est diabolum, quia nullus amat diabolum: sed ad modicum tempus sustinet illum propter suas voluptates perficiendas. Et alterum contemnet id est Deum. Non dixit *odiet.* Quia nullus potest odire Deum. Contemnunt autem multi, & abutuntur Dei patientia. Vnde & ad Samuel Dominus dixit. *Qui honorificauerint me, glorificabo eos, qui autem contemnunt me erunt ignobiles.* Qui autem sint isti duo Domini quibus insimul seruire non possumus sequitur dicens. [*Non potestis Deo seruire & mammonæ.*] Mammonæ Syra lingua, diuitiæ dicuntur. Aliud est habere diuitias, aliud seruire diuitiis. Qui seruit diuitiis, non potest Deo seruire, non dixit, *qui habet diuitias.* Qui enim habet diuitias & distribuit eas vt Dominus dixit ad eos qui eum hic recipiunt, quod recipiuntur in æterna tabernacula, & qui habent intelligentiam super egenum & pauperem, erunt in alia vita cum Iob, Abraham, Dauid, atque aliis qui & in hoc seculo diuitias habuerunt, & vitam æternam sibi mercati sunt. Qui autem seruiunt diuitiis, & nulli bona largiuntur ex ipsis diuitiis, nisi à quibus possunt recipere in hoc seculo, sepelientur cum diuite sepultura æterna: vt illic indigeant omnibus bonis. Mammonæ quoque nomen dæmonis Iudæi esse dicunt, qui diuitiis præest. Tradunt enim super vnumquodque vitium habere dæmones præpositos, & alios sub se positos qui seducant homines ad illa vel illa vitia, vel inde dictum. *Spiritum fornicationis seducti sunt.* Exceptis illis, habere, vnumquemque hominem duos angelos custodes sui, vnum bonum, alterum malum. [*Ideo dico vobis.*] subauditur, si me habetis electum Dominum, & alium reiectum. [*Ne solliciti sitis animæ vestræ.*] id est vitæ vestræ, *quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini:* Ego feci animam ministrabo victum quo possit subsistere vsque ad tempus præfinitum. Neque corpori vestro quid induamini. Quia ego creaui corpus in tali statura qua nunc est:

A est: & ego vestiam, si tamen meis obedieritis præceptis, quia *cum opera facitis, eius filij siue serui vocabimini.* [*Nonne anima plus est quam esca*] Qui dedit animam immortalem, & rationabilem dabit victum.

Plus est, id est, plus valet & preciosior est: quia immortalis & rationabilis. Et qui dedit corpus decorum, sursum erectum, ad omnia agenda paratum & intellectuale, multo excellentius quam bestiæ habeant: vestiet illud. Hæc omnia dicit vt timorem tollat de animabus nostris & sollicitudinem: quasi moriamur fame aut frigore, si voluntatem ipsius fecerimus. Nam opus debemus exercere, vnde viuamus & vestiamur, quoniam sic dictum est primo homini. *In sudore vultus tui vescêre panem tuum.* Et Paulus præcipit dicens: *Magis autem laboret vnusquisque manibus suis quod bonum est, vt habeat vnde tribuat necessitatem patientibus.* [*Respicite volatilia cœli, quomodo non serunt, id est seminant, neque metunt neque congregant in horrea: & pater vester cœlestis pascit*
B *illa.*] In hoc iubet respicere volatilia, vt habeamus fiduciā quod ille qui volatilibus dat escā daturus sit nobis, quia illi irrationabiles & mortales, & ad nostrum vsum creati, non autem in hoc vt otiosi simus & non laboremus serendo & metendo: sed ne pro timore thesauros condamus temporalium rerum: & non porrigamus manū egentibus: timentes indigentiam habere, si in nomine Domini largiti fuerimus. [*Nonne vos magis pluris estis illis,*] hoc est, plus valetis, & *ipsi hodie sunt: cras non erunt.* Vos autem semper eritis, siue ad bonum siue ad malum. Pluris ad pondus refertur, hoc est pluris precij, plures autem comparatiuus est gradus de multo positiuo, & ad numerum refertur. [*Quis autem vestrum cogitans potest adijcere ad staturam suam cubitum vnum? Sicut adijcere quis non potest aliquid ad staturam suam: & tamen Deus omnipotens fecit vos crescere quales estis, vtique qui maius dedit sine vestro conamine, minus etiam dabit,*] id est cibum & potum. [*Et de vestimento, quid solliciti estis?*] Sicut tulit timorem de cibo, similiter aufert de vestimento, ex rebus
C consequentibus.] *Considerate lilia agri quomodo crescunt: non laborant neque nent.* [Nent dicunt filant, ab eo verbo quod est neo: dicit vt videamus qualiter vestita sint lilia candore, siue ipsorum labore, vel rosæ: quia nullum linteum comparari potest candore lilij: neque vllum dirodinum roseo colori: neque vlla purpura tincturæ violæ. Propterea si Deus sic vestit viles herbas quas nos in focum soliti sumus mittere cum aruerint: quanto magis vos vestiet: quos ad similitudinem suam creauit. [*Dico autem vobis: quia nec Salomon in omni gloria sua coopertus est, sicut vnum ex istis.*] De Salomone dicit Iudæis exemplum: quia ipsi ditiorem Regem non habuerunt. Fuerunt autem multi ditiores, vt Nabuchodonosor, Assuerus, Octauianus, & sequaces eorum: sed tamen non nouerant eos Iudæi, sicut Salomonem. Dicit ergo, quod Salomon non fuit coopertus cum tota gloria sua de tam candenti linteo, nec de speciosiori pallio, quam præfatæ herbæ. [*Si autem fœnum agri quod hodie est.*] *Fœnum agri* appellat ipsas herbas. *Hodie est*, hoc est
D non multum durant. [*Et cras in clibanum mittitur.*] *Cras* hoc est in futuro cum siccatæ fuerint. *In clibanum*, hoc est in furnum mittuntur. [*Deus tali decore vestit: quanto magis vos qui aliquid fidei habetis, quod ipsa nō habet,*] quia insensibilia sunt. *Cras* autem in scriptura pro futuro tēpore accipitur, vt Iacob dicit, *exaudiat me cras iustitia mea.* [*Nolite ergo soliciti*, &c.] Per omnia sollicitudinem vult auferre à nobis, & opus exerceri. De spiritali vero cibo & indumento, semper debemus esse solliciti, & esuriem pati, quia beati qui esuriunt iustitiam. [*Hæc enim omnia gentes inquirunt.*] Hoc est sollicitudinem de his rebus habent: quia non adorant Deum verum. [*Scit enim pater vester, quia his omnibus indigetis.*] Propterea curabit de nobis, si nos eius voluntatem fecerimus, quoniam scit omnia necessaria nostra, ante quam petamus eum: quod & sequitur. [*Quærite primum regnum Dei & iustitiā eius, & hæc omnia adijcientur vobis.*] hoc est facite voluntatem Dei in his quæ vobis præcepit, & hæc, subauditur necessaria adijcientur, id est adaugebuntur vobis.

E Ad necessitatem, non ad superfluitatem, quia nullus Christianus ad aliud debet quærere subsidiū temporalis vitæ, nisi ad necessitatem. [*Nolite solliciti esse in crastinum, hoc est in futuro.*] *A cras* enim aduerbio, deriuatur crastinus nomen. [*Sufficit diei malitia sua.*] Malitiam dicit laborem præsentis diei: quasi diceret, sufficit nobis præsentis temporis cogitatio, futurorum autem quæ incerta est relinquamus. [*Nolite iudicare, vt non iudicemini.*] De incertis & dubiis causis prohibet iudicare vt ante simus cognitores, quam condemnatores, vt Iob dicit: *Causam quam nesciebam diligentissime inuestigabam.* Enimuero in iudiciis nullus debet neque clericum neque laicum iudicare, donec confessionem ipsius audiat de peccato vnde agitur. Denique de manifestis peccatis Paulus iubet iudicare, vt sunt stupra, homicidia, furta. Sic enim dicit: *Congregatus vobiscum meo spiritu, iam iudicaui eum qui sic operatus est, tradere Sathanæ in interitum carnis.* [*In quo enim iudicio iudicaueritis subaudi-*
F *tur iniuste: iudicabimini iuste: quia iniuste iudicastis. Et qua mensura mensi fueritis remetietur vobis.*] Si solerter inquit omnia quæ valetis bona facere: ac proximis intimare studeris aderit diuina pietas, quæ vobis & in præsenti sensum altiora capiendi, ac fortiora gerendi effectum conferet: & in futuro supra quam sperare possitis, æternæ vobis dona retributionis conferet. [*Quid autem vides festucam in oculo fratris tui?*] Ad hoc quod præmiserat respicit istud, non ad iudicandum temere fratrem. Quare alterius consideras, & tua obliuisceris? Cum vides alium leuiter peccare, condemnas, & iudicas grauia, & tua grauiora æstimas leuia. Per festucam leue peccatum, subitam iram, aut verbum ociosum: per trabem odium inueteratum, aut inuidiam, vel grauiora peccata. Festucam per e, dicere debemus, non per i, sicut Beda præcipit. Trabes proprie dicuntur ligna nauium in transuerso: vbi nauigatores sedent, & inde etiam trabes dicuntur in domibus, quæ tectum sustinent, & est allegoria in hoc loco, comparatio per speciem parabolæ, de re inanimali ad animale, de festu-
G ca ad peccatum. [*Hypocrita eijce primum trabem de oculo tuo, & tunc videbis eijcere festucam de oculo fratris tui.*] Hoc est purga teipsum à criminali peccato: & tunc poteris purgare fratrem à leui peccato. Quia nemo sordidis manibus potest vas sordidum mundare, nisi ante lauerit manus. Hypocrita Græcum est Latinè simulatio, vel simulator dicitur. [*Nolite sanctum dare canibus, neque mittatis ante porcos margaritas vestras.*] Canes hic hæretici intelliguntur, vel apostatæ Christiani, qui post agnitam fidē reuertuntur ad pristina peccata. Porci autem intelliguntur pagani. Quia sicut porci iacent semper in luto: similiter & isti semper iacent in prauis voluptatibus. Neutris ergo committēdum est Euangeliū, donec conuersos animo & corpore eos perspiciamus. Nam de primis dicit Apostolus. *Hæreticum hominem post primam & secundam correptionem deuita.* Quare autem non sit committendum eis diuinum eloquium, subiungit dicens: [*Ne forte conculcent eas pedibus suis & con-*
H *uersi dirumpant vos,*] hoc est irrideant verbum Euangelij, & interficiant vos, qui adhuc aliis poteratis esse salnatio. Quia autem margaritæ diuina eloquia vocentur & in hoc Euangelio, & in multis locis exempla perplura sunt vt illud de negotiatore quærenti bonas margaritas. Margaritum enim, est verbum Dei: & ex omni parte potest perforari. [*Petite: subauditur bene: & dabitur vobis.*] Petite animo: quærite verbis: pulsate operibus. Petite verbo: quærite operibus bonis: pulsate perseuerantia. Petite fidem; quærite spem, pulsate charitatem. [*Omnis enim qui petit: subauditur bene: accipit, & qui quærit per bona opera inueniet: & pulsanti in perseuerantia, aperietur. Quis est ex vobis homo, quem si petierit filius suus panem: nunquid lapidem dabit illi?*] Iuxta simplicem intelligentiam nullus filio suo bona petenti mala dat: quanto magis Deus qui essentialiter bonus est: etiam si mala petamus ignoranter: bona dabit spiritualiter? Si petamus fidem: non retribuet infidelitatem: & si spem, non dabit desperationem, quia sicut piscis

latet

A latet in aqua? similiter spes nostra latet in præsenti sæculo: sed apparebit in futuro, quando satiabimur in bonis Dei. [*Si ergo vos cum sitis mali.*] Notandum quod Apostolos malos dicit, quia ad comparationem Dei, nemo bonus: per se autem omnis creatura bona. [*Omnia ergo quæcumque vultis vt faciant vobis homines: & vos facite eis,*] De hoc verbo potest intelligi, quod Propheta ait. *Quia verbum breuiatum facit Dominus super terram.* Hæc fuit lex naturalis, quam Adam accepit. [*Hæc est enim lex & Prophetæ,*] quia quæcumque in latissimo legis libro, & Prophetarum scriptis mandauit, si dilectionem erga proximum habueris totum custodies. Omnia enim bona vis tibi fieri: & tu facies alteri, malom vlli non facies: quoniam non vis tibi fieri. [*Intrate per angustam portam.*] Allegoria est hic quia per portam, via mandatorum Christi intelligitur? *Lata via est & spatiosa, quæ ducit ad perditionem.* hoc est voluptas sæculi quæ se sponte offert: quia corpus hoc delectat, non B est necesse quærere nec discere, & propterea multi sunt, qui intrant per eam. [*Quam angusta porta, & arta via quæ ducit ad vitam*] id est valde angusta, per ieiunia, per patientiam, per dilectionem inimicorum, sæculum transire, & ad vitam æternam peruenire. *Arta via est.* Vnde & Psalmus dicit, *ego custodiui vias duras. Et pauci sunt qui inueniunt eam.*] Paucos dicit inuenire: nec tamen omnes qui inueniunt, per eam gradiuntur, quoniam multi sunt qui sciunt quod vnum Deum Christiani colant & tamen ipsi non colunt. Et multi sunt qui se verbis fatentur Deum nosse, & Christianos se esse profitentur: & factis negant, & ideo artam viam non ambulant, quia similiter in alio loco Dominus dicit. *Multi vocati pauci electi.* Vocati, Christiani facti. *Pauci electi:* quia opere negant Deum.

C

CAP. XIV.

De cauendo à falsis Christianis.

ATtendite *à falsis Prophetis.*] Attendite, cauete, obseruate. In tribus locis in hoc libro istud verbum est: & semper eundem sensum habet. Multi Prophetæ falsi apparuerunt in illa gente etiam post aduentum Domini, sicut fuit Theodas, & Iudas Galilæus, sicut in actibus Apostolorum legimus. Et de his præcepit Apostolis, ne sequerentur eos & perirent, sicut illi qui eos secuti sunt. Post vero de omnibus falsis Christianis potest accipi: qui aliud ore, aliud opere agunt. Nam fuerunt pagani, qui dixerunt se Christianos esse, vt possent eorum habitum explorare, & tradere ad mortem vt torquear. Sed & de hæreticis potest accipi. [*Qui veniunt ad vos in vestimentis ouium.*] Oues, molle pecus, corpus inerme, animo placidum. Sic iussit Christus esse suos, mites, non resistentes malo, cum omnibus hominibus pacem habere, de vestimentis suis & cibis alios alere. Omnia ista Christianitatis sunt opera: & vestimenta ouium. D Qui ista non facit, lupus est: Lupus Græcè lichos λύκος dicitur & habet à moribus etymologiã: eo quod rapacitati sit semper deditus & cruori. Similes sunt, qui semper alios Christianos cupiunt deprædare, aut per violentiam aut etiam quasi per legem mundanam. Si sunt de eius beneficio aut etiam serui: vel si habent ministerium super illos, quærunt occasiones vt quasi per legem possint eos expoliare, non cogitant, quod de vna progenie sunt, & de vno patre; sed peius quam suos canes eos tractant: non considerant quod vno modo Deus illos condidit: & vno sanguine redemit. Quod ipse dedit imperatori intranti in mundum: dedit & mendico similiter exeunti. Nihil in hunc mundum intulimus: sed nec auferre quid possimus, nisi opera nostra. Non erit in alia vita discretio Domini & serui, nisi per merita. Multi Christiani dicuntur: sed actione lupi sunt multi non solum laici, sed & clerici lupi moribus sunt: qui in ouili Domini inter oues videntur; sed lupi sunt etiam & rapaces.

Quicumque cum rapace consortium habet similis est E illi. Quia Paulus dicit: *Si quis frater nominatur, & est auarus aut rapax, &c.* cum huiusmodi nec cibum sumere. Qui pauperum annonas, pecunias prauæ deuorant, lupi rapaces sunt. Sequitur: [*A fructibus eorum cognoscetis eos.*] Dicunt in beneficio mei sunt: secundum legem accipio quod accipio. Deus dixit: *Recogita si ita velles tibi fieri: tunc facis bene. Sin aliter: veniet tempus quando ipse eris in gloria: tu in inferno.* Fructus hominum, sunt opera aut bona aut mala. Si bona sunt, ouis: si mala, lupus. [*Nunquid non colligunt de spinis vuas: aut de tribulis ficus?*] Per spinas, illi qui superius lupi vocati sunt: per tribulos quoque quæ similiter spinosa est arbor, quæ est rubus, ipsi designantur. Per vuas & ficus, digna Deo opera. [*Sic omnis arbor bona, fructus bonos facit.*] Sicut enim vnaquæque arbor ex fructu cognoscitur, & vel laudatur ex ipso: sic omnis homo ex opere suo, quod est fructus eius, aut remunerabitur, aut condemnabitur. Et est allegoria parabolæ comparatio de inferiori ad superiorem hortantis. F [*Vuas debuit facere Israel, & fecit labruscas: & debuit proferre ficus dulcedinis, & fecit ficus amaritudinis.*] Vitis dicta quod vim habeat radicandi. Ficus à fœcunditate dicitur: eo quod ter in anno fructum ferat. [*Non potest arbor bona fructus malos facere: neque arbor mala fructus bonos facere.*] Si arbor bonã non potest fructus malos facere: quomodo Moyses arbor bona, ad aquam contradictionis peccauit: & David adulterium & homicidium commisit: & Petrus Dominum negauit? vel quomodo Iethro & Achior arbores malæ, cõsilium vtile dederunt. Sed sciendum, quod tam diu arbor bona appellatur homo, quamdiu opera bona facit. Si vero mala cœperit facere: mala arbor appellatur. Sic Manasses mala arbor extitit, dum per multa scelera oblitus Dominum fuit. Sed dum egit pœnitentiam de malo in bonum in bonam arborem conuersus est. Deus de præsentibus vnumquemque iudicabit: & si in bono opere inuentus fuerit in die iudicij, de bono iudicabitur. Si autem in criminali peccato inuentus fuerit: in malo iudicatus erit. Sicut in Ezechiel plenius habetur. Et Salomon di- G cit: *Lignum in quam partem ceciderit, ibi manebit,* hoc est, peccator si in malo accubuerit de malo condemnabitur: & cum ipso punietur. *Si autem auerterit se à malo: & in bono fuerit inuentus, ante diem infirmitatis: cum illo bono liberabitur.* De his nsmque qui in infirmitate conuertuntur: dicit beatus Hieronymus in versu Psalmi: *quoniam non est in morte, qui memor sit tui: & in morte & in inferno: vtrumque agendam pœnitentiam denegauit.* [*Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur.*] Omnis homo Christianus, siue paganus, si non fructum facit etiam bonum: excidetur, éradicabitur anima eius à corpore: non se liberabit de ignorantia, quia non licet ignorare. [*In ignem mittetur,*] qui in sempiternum non extinguetur. Igitur ex fructibus eorum cognoscetis eos. Quia cognoscetis eos: ideo dico: *attendite ab illis.* [*Non omnis qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum.*] Non se confidat aliquis quod Christianus est, si non facit opera Christianitatis, non intrabit in vitam æternam. Quia *qui dicit* H *se nosse Deum & mandata eius non custodit; mendax est.* Etenim & illud quod Paulus dicit: *nemo potest dicere Dominus Iesus, nisi in Spiritu sancto.* Dictum hic profecto accipimus, & in credulitate cantamus, *& qui bona egerunt ibunt in vitam æternam, qui vero mala, in ignem æternum.* Et æternus erit ille ignis vnicuique, sicut Deus dixit. *Ite in ignem æternum,* quia qui semel infernum introierit: vlterius non exibit. Licet recipiat corpus, absque indicio & mora reuertetur vbi erat depmatus. [*Multi dicent mihi in illa die, Domine, Domine, nonne in nomine tuo Prophetauimus & in tuo nomine dæmonia eiecimus.* Prophetare & virtutes facere, & mali possunt, sicut Balaam qui multa bona dixit: & cum Iob, quia ipse fuit Eliu, & quando ad Balach vocatus fuit, sed tamen in auaritia seductus occisus est. Saul & Cayphas prophetauerunt, Pharao & Nabuchodonosor ventura viderunt. Virtutes quoque facere & multi possunt: vt magi in Ægypto fecerunt & Symon, & multi alij per necromantiam,

A id est mortuorū innocationem, vt & illa phytonissa mulier, in libro regum. Et dæmones eiicere mali solent, vt illi exorcistæ Iudæorum, & ille de quo Apostoli Domino dixerunt: *Vidimus quendam in nomine tuo dæmonia eiicientem, qui non sequitur nos.* Et Iudas quando Dominum secutus est, & ista fecit. Quod ideo conceditur malis, vel propter aucturitatem numinis ex cuius nomine adiuratur, vel propter salutem videntium & audientium. Non est hoc signum discipulorum Christi: nec dixit ipse discipulis suis. *Discite a me virtutes facere:* sed, *quia mitis sum & humilis corde.* Et alio loco: *In hoc cognoscent omnes quia mei estis discipuli: si dilectionem habueritis ad inuicem.* Ista sunt insignia discipulorum Christi. Nullus malus potest ista tria signa habere & malus esse, mansuetudinem, & humilitatem, & charitatem. Sequitur [*Et tunc confitebor illis, quod nunquam noui vos.*] Confitebor, veritatem illis manifestabo quam ipsi in se noluerunt perficere. Quia nunquam noui vos, subauditur meos

B esse discipulos, quia illa tria non habuistis, quæ præcepi habere discipulis meis ad discretionem aliorum discipulorum. [*Sed dixistis vos esse discipulos meos, falso dixistis nunquam perspexi opera. Discedite a me qui operamini iniquitatem, recedite a me qui operabimini quando de corpore præceptum est vobis exire*] Non dixit, qui operati estis, ne conuersis pœnitentiam auferret, sed qui operamini, hoc est, in voluntate adhuc operamini: quia adhuc licuisset viuere, libuisset & peccare. *Discedite a me.* Non est necesse diabolo tradere, quia ipse scit, quid debeat facere de his, quos non viderit eos fore. In ea vita omnis homo, aut Dei erit, aut diaboli. Tantæ crudelitatis est diabolus, vt non sit necesse imperare torquere, nouit suos esse qui Dei non sunt. [*Omnis ergo qui audit verba mea, & facit ea.*] Cōsiderandū quod dicit, qui audit verba mea & facit ea, hoc est qui propter me & verba mea facit bonum. Nam multi Philosophi fuerunt, qui omnia sua dereliquerunt, & a vicus abstinuerunt in tantum, vt remotis locis opere manuum stricte vixerunt & tamen

C nihil eis profuit. Titus optimus eleemosynarius fuit, & operator virtutum, in tantum, vt vna die dolens diceret, perdidimus hodie diem, quia non magni profectus alicui præstitimus. Diocletianus cum haberet totum mundum in pace, nullo cogente imperium dereliquit, & nec filio aut filiæ, siue alicui allium dedit, etiam Maximianum consortem imperij, quem ipse secum asciuerat eo quod ante amici adinuicem fuerunt, dimittere fecit. Et cum rogaretur a cognatis & amicis idem Diocletianus non hoc facere cum omnia in præcessent, respondit, Cum omnia nostra acta sine reprehensione sunt, debemus alteri locum cedere. Attamen si videretis hortos nostros, & pomeria nostris manibus conserta, nunquam suaderetis ista retinere. Sic fecit imperator Paganus. Quid putatis si ista pro Dei amore fecissent, quam [illegible] meritis digni apud Deum forent. [*Assimilabitur viro sapienti, qui ædificauit domum suam supra Petram.*] Sicut is qui terrenum fundamentum collocat, in firmo loco debet collocare, sic is qui aliquid bonum vult operari, opera Christi debet operari: [illegible] super ipsum qui lapis an-

D gularis dictus est construere; [illegible] amorem facere: & his impendere, quibus [illegible] *Quod vni ex minimis meis fecistis.* Si sic fecerit, erat quod [illegible] *Descendit pluuia, & venerunt flumina, & flauerunt venti.* [illegible] diabolus cum suis temptationibus, vt [illegible] beatum Iob: [illegible] tes quas diabolus ei intulit, de damnis [illegible] in Petra fundamenta Iob habuit, dictum [illegible] *nibus his non peccauit Iob labiis suis.* [illegible] pluuia, *data est mihi stimulus carnis meæ*, flumina, [illegible] *mihi apertum est:* sed aduersarij multi, [illegible] *quadragenas vna minus accepi* [illegible] *mel lapidatus sum,* [illegible] fundata erat in [illegible] Quia enim domus Pauli super Petram, id est Christum fundata erat, dicebat post [illegible] *Quis nos separabit a charitate Christi,* & in [illegible] *bus superamus propter eum qui dilexit nos.* [illegible] *spem suam ponunt in Deum non confundentur.* [*Et omnis*

qui audit verba mea hæc, & non facit ea, similis erit viro E *stulto.*] Per omnem textum Euangelij figuræ & tropi secularium litteratum inueniuntur, sed propter fastidium deuitandum & prolixitatem libri, frequenter omittimus. Nam & hic metaphora est translatio de re inanimali ad animale, de domo quæ animam non habet, ad hominem qui animam habet. Et est species metaphoræ, quæ appellatur parabola quotiens exemplo alicuius hortamur aliquem, aut deterremus. Hortantis quod supra dictum est, deterrentis quod nunc dicitur, de domo ædificata supra harenam, id est de illo qui spem suam in mundana voluptate ponit, & veniunt illi in similitudinem istius, siue illius qui dicebat: *Anima multa bona habes reposita in annos plurimos requiesce, comede, & bibe & epulare, & ipsa nocte audiuit Stulte, hac nocte animam tuam auferent a te: quæ autem parasti cuius erunt.* [*Et factum est cum consummasset Iesus verba hæc.*] Consummatio hæc ad perfectionē pertinet, quod verbum omnium est. Alio F enim modo dicimus, consummatus est cibus: quia finitus est. Alio consummatus est liber: quia perfectus est in scriptura. Et hic ergo consummatio de perfectione: quia Deus cœpit, ad perfectionem consummauit, non ad defectionem. [*Admirabantur turbæ super doctrina eius*] Mirabantur, quasi de fonte sapientiæ. Sed. Moyse dictum est quod fuit potens in opere & sermone, quid dicendum est de illo qui eum docuit sapientia Dei patris: Erat enim docens sicut potestatem habens, & non sicut scribæ & Pharisæi. Illi enim docebant sicut qui didicerant a mortalibus, & ea quæ legebant in lege & Prophetis: & non illa per omnia intelligebant. Dominus vero sicut is qui legem dederat: & in Prophetis locutus fuerat.

CAP. XV.

De leproso mundato.

G C*Vm autem descendisset de monte secuta, sunt eum turbæ multæ.* Audistis quia ascendit in montem: primitus instruxit in superioribus discipulos de sectionibus, & de octo beatitudinibus & post populos paulo in inferiori loco ipsius montis. Et his omnibus perfectis descendit de monte, & turbæ quæ propter eum montem ascenderant, simul cum ipso venerunt. [*Et ecce leprosus veniens adorabat eum dicens.*] Prohibitum erat leprosos in domibus accedere ad homines, propterea nec in monte propter populum, nec in domo, sed in via occurrit Domino. Lepra est asperitas cutis squamosa, [illegible] similis. Dicitur Græce [illegible] à prurit [illegible] ipsius scabies [illegible] vertitur, nunc in albedinem, nunc in rubedinem [illegible], hæc hac in infirmitate detentus fuerit, fuit [illegible] in accedendo, humilis in loquendo, pertinax in petendo. [*Et adorabat eum procidens*], quod est humilitatis & pudoris. [illegible] infirmitatem non celauit, exclusit in exclusione [*Domine si vis, potes me mundare.*] Adorat & Deum H inuocat. *Domine si vis:* nescio si sum dignus mundari, quia credo propter mea peccata mihi euenisse. Tu scis omnia in voluntate tua pono voluisti vt hæc immundissima lepra super me veniret: [illegible] sine propter tua magnalia, vt [illegible] mundans [illegible] ab omnibus. Non sum ausus [illegible] quod pote[illegible] me, quoniam scio omnia te posse: solummodo voluntatem tuam requiro, si vis, potes me mundare. [*Et extendens manum, tetigit eum dicens*] Extendit manum ad eum quem Sacerdotes non dignabantur tangere, sed extendit manum, vt ostenderet supra [illegible] qui [illegible] peccata leprosum quia non fuit ausus [illegible] manum veni[illegible] [*Volo.*] Ad ipsum verbum quod precatus erat leprosus dicens, *si vis*, respondens Dominus dixit *Volo.* Ad hoc quod dixerat *potes*, respondit *Mundare.* Non est iungendum vt dicamus *volo mundare*, sed primū dicendum *volo*, & postea imperando subiungendum

A est *mundare*. Non est hic mundare infinitiuus modus, sed imperatiuus. Quia perspexit Dominus in illo & fidem & humilitatem, & ideo ad verba sic consequenter respondit. [*Et confestim mundata est lepra eius.*] Nescio quod plus timuit lepra, verbum aut tactum eius. Si tacuisset, lepra non fuerat ausa expectare manum Domini: quia non fuerat ibi creata. Si non extendisset manum & *dixisset volo*, non esset ausa remanere. Quia ille erat intus in illo corpore, qui dixit *& facta sunt.* [*Et ait illi Iesus: Vide, nemini dixeris.*] Idcirco hæc præcipit, vt ostendat suis quando aliquid boni faciunt, non diuulgandum, vt laudem requiramus vel pecunias. Nec quidem necesse erat verbis narrare cum omnes sanum viderent quem leprosum ante viderant. [*Sed vade, ostende te sacerdoti.*] Ob tres causas Dominus præcepit mundatum se præsentari sacerdotibus. Primo, vt sacerdotibus reuerentiam deferre videretur. Secundo ne adnihilator legis videretur, qui de hoc criminabatur. Tertio, vt si non crederent mundatum B videntes, quem ipsi non potuerunt secundum legem mundare, deterius damnarentur. [*Et offer munus quod præcepit Moyses.*] Præcepit Moyses, vt qui mundatus fuisset à lepra offerret holocaustum Domino, duos turtures, aut duos pullos columbarum, sicut in Leuitico continetur. Enimuero non habebat adhuc corpus & sanguinem suum mystice consecratum, quod fecit vna die ante passionem: propterea nolebat destruere, significans sacrificium donec veniret nouum. [In testimonium illis, quod pro emundato à me, ipsi holocaustum obtulerint, & credere noluerint. Typice homo iste qui plenus lepra fuisse dicitur genus designat humanum, quod plenum omnibus peccatis erat ante incarnationem Domini. Veniens vero Dominus non solum in castris Ecclesiæ nos restituit, sed etiam genus sacerdotale, gentemque sanctam & populum adquisitionis effecit, & qui eramus longe pro peccatis, facti sumus prope. Iussum est nobis ab ipso, turtures & columbas nos factos in conuersatione nostra offerri nosmetipsos Deo, vt imitantes castitatem turturum, & C simplicitatem columbarum sine felle amaritudinis discamus transire laqueos huius sæculi, vt fiamus non solum hostia viuens, sancta Deo placens, sed & templum Dei in quo dignetur habitare, & inambulare, quousque perducat, vbi sine fine cum ipso lætemur.

CAP. XVI.

De sanato puero Centurionis.

C*Vm autem introisset Capharnaum.*] Capharnaum villa magna erat in Galilæa in qua Romani principes soliti erant sedere. Cum, illuc Dominus appropinquasset accessit ad eum Centurio nō corpore, sed fide & affectu. Narrat enim Lucas quod Iudæos ad ipsum miserit, indignum iudicans se aspectibus eius præsentari. Centurio dictus, eo quod centum militibus præest sicut quinquagenarius, qui quinquaginta & decani qui decem militi- D bus præsunt. Rogans eum per ipsos Iudæos quos miserat, qui etiam hoc ei dixerunt. Dignus est vt hoc ei præstes, quia diligit gentem nostram: & synagogam nobis ædificauit. [*Domine puer meus iacet in domo paralyticus.*] Paralyticus Græce, Latine dissolutus omnibus membris dicitur. Dixi superius, quia pueri quatuor modis dicūtur. Eo ergo modo, quo pueri Dauid dicti sunt, pro obedientia & hic puerum suum dicit nolens dicere quod esset seruus suus pro dilectione ipsius pueri, ad dolorem autem exprimendū dicit, quia & paralyticus est & iacet. Multi enim paralytici ambulant. Et addidit. [*Et male torquetur.*] Et ait illis Iesus. Videlicet missis eius. *Ego veniam & curabo eum.* Et sicut alius Euangelista refert, statim cœpit ire: non pro vllo dono, sed pro fide & humilitate & prudentia Centurionis. Fide quia credidit paralyticum à saluatore posse sanari: humilitate quia seipsum dignum non æstimauit ad eum venire: prudentia, quia vbique Deum posse operari quæ vellet verbo: Et respondens Centurio ait. [*Domine non sum dignus vt intres sub tectum meum.*]

E Refert Lucas quia miserit in via missos dicens, ne se fatigaret, quia non esset dignus vt sub tectum eius intraret. Sed tantum dic verbo, & sanabitur puer meus. Credebat quamuis gentilis, quod ipse esset, qui dixit, *& facta sunt: mandauit, & creata sunt.* [*Nam & ego homo sum sub potestate, habens sub me milites.*] Dat exemplum quasi dicat. Si ego qui purus homo sum constitutus sub alterius potestate, videlicet Tyberij Imperatoris, dico militibus meis iunioribus, vt faciant illa vel illa, & fit quanto magis tu qui habes Angelos in potestate, si præceperis Raphaeli vel eius ordini statim fiet. [*Dico huic*] subauditur militi. Miles dictus à mille, quia mille primum à Romulo in numero ordinati sunt, seu quia de mille vnus eligebatur, quando eligebantur. [*Et seruo meo fac hoc,*] id est opus. [*Et facit.*] Seruus dictus quia primum seruatus est in bello. Omnis creatura tibi obedit vt Domino, idcirco potes facere quæcumque volueris [*Audiens autem Iesus, miratus est.*] Mirandam & imitandam fidem videntibus, & audientibus demonstrauit. F Nam ipse ante eius fidē agnouerat qui creauerat. Et sequētibus se dixit. [*Non inueni tantā fidem in Israel.*] De Israel carnali dicit, qui legem & Prophetas habebant & tamen eius diuinitatem non sic intelligebant. Nam inuenerat in Apostolis & in Nathanaele perfectam fidē, sed de Iudæis carnalibus dixit. Quia Israel generali nomine tota gens sic vocabatur: quasi dixisset: totus Israel habens legem & Prophetas debuerat ita me cognoscere, vt iste, sed non facit: Et à toto pars intelligitur per synecdochen, sicut in alio loco: mortui sunt: cum solus Herodes mortuus fuerit. [*Dico autem vobis quod multi ab oriente & occidente venient.*] Per istas duas partēs aliæ etiam intelliguntur, scilicet totus mundus & accedunt fide ad Deum, & recipientur in illum Paradisum vbi Abraham est, & Isaac, & Iacob, & beata vita fruentur *Filij autem regni huius eiicientur in tenebras exteriores*, id est Iudæi, qui ibi nati fuerant & legem acceperunt, & de Patriarcharum progenie sunt, mittentur in tenebras exteriores, hoc est in infernum, vbi perpetuæ tenebræ sunt. G Interiores enim tenebræ, cæcitas mentis, qua melius videre debemus. Sed qui Deum non cognoscit, habet istas tenebras in præsenti: mittetur pro istis in exteriores vbi cruciabitur simul cum corpore & anima. [*Ibi erit fletus & stridor dentium.*] In fletu oculorum & dentium stridore, carnis & ossium resurrectio designatur, & vera hæc cruciabuntur pœna: non imaginaria, & quasi per somnium. Iste Centurio primitiuum populum gentium designat crediturum in Deum & filios Abrahæ per fidem futuros, & locum Israelitarum adepturum in regno Dei. Seruus vero pro quo deprecatur, illius populi partem designat, qui tarde conuertuntur ad Deum & quasi serui esse dicuntur, qui diutius in seruitio demorantur, quia similes sunt, qui faciunt, & qui confidunt in eis, & qui peccatum facit, seruus est peccati. [*Et dixit Iesus Centurioni. Vade, & sicut credidisti fiat tibi.*] Frequenter hoc Deus omnipotens ad multos dixit. Vnde ostenditur secundum vniuscuiusque fidem, à Deo esse accepturum & impetraturum quæ petierit, si perfecte crediderit; & in no- H mine saluatoris petierit & in petendo non hæsitauerit. (*Et sanatus est puer in illa hora.*) Ex hoc colligere possumus, quod aliorum preces alios adiuuant, & fides perfecta. Imitemur omnes Christiani istum Centurionem in prudentia, in fide, & humilitate. Studeamus secundum Deum prudentes fore, quia Deus inde dixit, estote prudentes vt serpentes. Pro iustitia vsque ad mortem pugnemus parati etiam omni poscenti nos ad reddendam rationem de ea quæ in nobis est spe. Fidem quoque certam & rectam habeamus in Deum, & omnibus quibuscumque promisimus nisi tantum in quantum deuiant à Dei voluntate. Humilitatem & in animo & in corpore habeamus, quia Deus omnibus Christianis à se præcepit disci humilitatem & mansuetudinem.

* * *

CAP. XVII.

De socru Petri.

A ET *cum venisset Iesus in domum Petri, vidit socrum Petri iacentem & febricitantem.*] Socrus dicitur Petri mulier, cuius filiam habebat beatus Petrus. Alius Euangelista dicit, *quod rogauerunt illum pro ea.* [*Et stans super illam imperauit febri, & dimisit eam.*] Aliquando expectat Dominus preces rogantium. Aliquando vltro curat ægroto volens, vt maiores gratias Deo referant, pro quorum precibus facit, & adhuc hodie ea quæ nobis habet disposita re, vult se pro his rogari à nobis. [*Et tetigit manum eius: & dimisit eam febris.*] Quia duo discipuli sui dilecti pro ea rogabant, & verbo febrem fugauit & manum surgenti porrexit. [*Et surrexit & ministrabat* B *eis.*] Naturale est omnibus febricitantibus cum omissi fuerint à febre, maiorem molestiam infirmitatis & lassitudinis sentire, & quasi semiuiui iacere. Sed vt ostenderetur, quia aliter ille sanabat: aliter medici terreni, omnes quoscumque sanabat in momento temporis sanabat: ita vt nec vestigium præteritæ infirmitatis remaneret. Vnde & ista cum surrexit, statim cæpit ministrare domino, significat hominem oppressum ab aliquo peccato luxuria, seu auaritia: pro quo si orauerint boni amici sanabitur ab ipsa febre, intantum vt Domino ministret, qui ante diabolo ministrabat faciendo voluntatem eius. [*Vespere autem facto obtulerunt ei multos dæmonia habentes.*]Quia sabbatum ipsa die fuerat, non fuerunt ausi ante vesperam propter sabbatum adducere infirmos, maxime dæmoniacos: quos non poterant aliter adducere; nisi ligatos, & cum vi. Typice figuratur, quod quando occubiturus erat, qui verus Sol erat in cruce, sanaturus esset omnem mundum. Lucas de his dicit, quod confitentur illum C Christum, vel temptando sicut ante magister eorum fecerat dicens: *Si filius Dei es.* Vel signorum magnitudine cognoscebant illum. Sequitur. [*Vt adimpleretur quod dictum est per Esaiam Prophetã. Ipse infirmitates nostras accepit, & ægrotationes portauit.*]De vtrisque infirmitatibus accipi valet, & de his de quibus nunc dixit liberasse illum illos, & de infirmitatibus animarum, de quibus omni die multa milia liberat.

CAP. XVIII.

De repulso scriba, & pauperie Domini.

V*Idens autem turbas multas circum se iussit ire trans fretum.*]Superius dixi Dominum ob turbarum affluentiam tria sibi refugia elegisse. Pinnaculum templi, & D lacum istum & montem Tabur. [*Cum vidit multitudinem iussit ire trans fretum.* Fretum à feruendo dictum, quoniam cottidie videbant signa in terra per quæ poterant agnoscere, quod ipse creator terrarum & hominum esset: malebat, vt scirent etiam ipsum Deum maris, & omnium creaturarum. Non iuxta paganos alium Deum cœli & terræ, alium maris, sed ipsum vnum per quem omnia facta sunt visibilia & inuisibilia. *Et accedens vnus scriba, ait illi.*]Scriba iste litteratus etiam, vt Græcè dicitur Grammaticus erat, & visa signorum magnitudine, cupiebat Dominum sequi quæstus causa: sicut & Simon Magus. Apparet hoc in suis verbis, qui neque Deum neque Dominum, sed magistrum vocat: æstimans eum similem fore aliis hominibus. [*Et dixit ei Iesus. Vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos.*] Ac si ei dicat. Quid me vis sequi lucri causa: cum tantæ paupertatis sim, vt quod bestiæ paruæ, & volucres cœli habent, in proprio caream: videlicet nec vbi lectum faciam: nisi in aliorum mansionibus hospitando victu & vestitu contentus sim. Alius autem de discipulis eius, ait illi. Domine permitte primum ire & sepelire patrem meum. Iste & melius credidit: & me- E liori deuotione sequebatur, qui dixit *Domine.* Et iste meliori voluntate erat, qui mortuum quamuis biothanatum sepelire gestiebat. [*Ait illi Iesus. Sequere me, & dimitte mortuos sepelire mortuos suos.*] Duobus modis mortuus dicitur: Mortuus corpore: mortuus anima. Sed væ his qui vtroque modo mortui sunt, quia irreparabiles sunt. Nam qui anima solum mortui sunt: possunt si festinent adhuc resuscitari, si promittant ex toto corde emendationem. De talibus Salomon. *Melius est canis viuus Leone mortuo.* Nam de mortuis solummodo corpore scriptum est: *Beati mortui, qui in Domino moriuntur.* Ille ergo ad quem sepeliendum discipulus ire volebat, anima & corpore mortuus erat, & illi qui iuxta eum erant anima mortui erant. Et poterat euenire, vt si discipulus ad mortuos in anima abiret, & ipse animo moreretur, quia cum sancto sanctus solet quis fieri, & cum peruerso peruerti. Dimitte vt mortui anima, sepeliant mortuum corpore & anima. Et quia dicit mortuos suos: potest fieri vt ipsi eum F animo occiderint per malum exemplum. Qui alicui malum exemplum de peccato criminali præbet, occidit eum, si sequax illius fuerit.

CAP. XIX.

De tempestate in Mari.

A*Scendente eo in nauiculam secuti sunt eum discipuli eius.*]In his lacubus non solent magnæ naues fieri propter impetus tempestatis, sed minores, & vix duodecim homines solent recipere, ob hoc dixit, *& secuti sunt eum discipuli eius.* Nam turbæ sequerentur, si naues habuissent. Sed à foris steterunt & miraculum de longe viderunt, & cognouerunt, quod non vt quidam dixit de Octauiano. *Diuisum imperium cum Ioue Cæsar habet*, sed cœlum cum terra, & mare & omnia quæ in eis erant in potestate habebat. [*Et ecce motus magnus factus est in ma-* G *ri.*]Plus solent tempestates nocere in his stagnis, quam in fluminibus; quia aquæ quæ non currunt si modicam commotionem habuerint, eo fit valentior motus ita, vt nisi cito ad ripam fugerint, periclitentur. [*Ita vt nauicula operiretur fluctibus.*] Cooperta erat ita, vt non videretur ab his qui in terra stabant, propter altas vndas iuxta se. [*Ipse vero dormiebat.*] Vtraque natura in hoc miraculo indicatur, & Dei hominis: Dei, qui mari & ventis imperat: hominis, qui dormire narratur. Ionas intelligens pro se mare commotum descenderat ad interiora nauis dormire, vt eum non videret eum mare, requiesceret in repetendo illum per fugam Dei. Iste secundus Ionas descendit dormire, vt posset mare arguere discipulos pro modica fide. Mare de Iona quasi dicebat, in ista naui est quem ego quæro. Istud mare quasi aiebat, ille dormit in quo vos habetis fiduciam. Non creditis quia vigilet diuinitate? propterea mittemus vos in timorem Si sic perfecti fuissent, sicut postea fuerunt, dixissent: *non* H *timemus*: quia non audetis mergere Dominum & creatorem vestrum. Dormiebat corpore, sed concitabat mare & ventos, & discipulos in timorem mittebat. *Et accesserunt & suscitauerunt eum dicentes*] Turbauit Ionas, sed inuitos: turbauit iste, sed voluntarius. Voluerunt fugere nautę cum Iona, sed non permisit mare, quasi dicens. Reddite per fugam, vt mittam illum in carcerem, & ite cum pace. Volebant isti fugere, & quasi diceret mare, nisi credideritis quod Deus noster sit, non effugietis. Recurrerunt ad hoc quod assueti erant, ad corpus quod videbant non fuerunt perfecti vt dicerent: qui creauit vos vigilat hic nobiscum est, qui dormit de sancta Maria natus est non tamen audetis illum mergere. [*Domine salua nos perimus.*]Non sobrie, sed immoderate sicut eum timore suscitauerunt eum dicentes. *Salua nos perimus.* Et Ionas cum surrexit liberauit socios. Sed iste per potentiam: Ionas per suam deiectionem. [*Et dixit eis: Quid timidi estis modicæ fidei?*] Modicæ fidei est, qui non est perfectus in charitate, vel modicæ fidei esse Apostoli dicuntur, qui

A

præſente creatore timebant. *Tunc ſurgens imperauit ventis & mari, & facta eſt tranquillitas magna.*] Dixit mari: *tace:* & vento *obmuteſce:* & non precando ſicut pagani, qui ventum adorant, ſed imperando iuſſit quieſcere. Et inde ſequitur. [*Quia homines mirati ſunt.*] Ante quidem factum fuerat, vt multi tempeſtatem paſſi, oratione repellerent: imperio nullus ante ipſum. [*Et facta eſt tranquillitas magna.*] Ad hoc quod ſupra dixerat, motus magnus factus eſt: ad hoc iterum dicitur, facta eſt tranquillitas magna. Qui iuſſit fieri motum magnum, præcipit fieri magnam tranquillitatem: & omnis creatura cognoſcit ſuum creatorem. Homines qui mirati ſunt nautæ intelliguntur. Vel ſi Apoſtolos velis intelligere, quia timuerunt præſente Domino: ideo homines appellantur. [*Qualis eſt hic.*] Subaudi quam magnus, qui imperat inſenſibilibus creaturis, & obediunt ei. Lacus ille, iſtud ſeculum ſignificat: nauis Eccleſiam: Ipſe eſt in Eccleſia ſua ſemper præſens, ſicut dixit. *Ego vobiſcum ſum: vſque ad*

B

conſummationem ſeculi. Sed aliquando ita permiſit affligi eos, qui in Eccleſia erant à perſecutionibus perfidorum, vt dicerent hi qui in ea erant. Exurge quare obdormis Domine, exurge, ne repellas in finem, ſed exurrexit, & fecit Eccleſiæ ſuæ magnam pacem.

CAP. XX.

De ſanatis duobus dæmonioſis.

ET *cum veniſſet trans fretum: in regionem Geraſenorum.*] Geraſa vrbs eſt præclara in Arabia trans Iordanem: quæ fuit in tribu Manaſſe: non longe à ſtagno Tyberiadis. [*Occurrunt ei duo habentes dæmonia, de monumentis exeuntes, ſæui nimis.*] Secundum hiſtoriam ſic fuit, ſecundum allegoriam populus ſignificant, qui in peccatis dediti erant: & in mortuis operibus, hoc eſt in peccatis delectabantur. [*Et clamabant dicentes. Quid nobis &*

C

tibi fili Dei veniſti ante tempus torquere nos.] Iſta confeſſio non eſt voluntatis, ſed neceſſitatis, & temptant vt poſſint ſcire, ſi ipſe eſſet Chriſtus. Volebant enim coniici eum per ſignorum magnitudinem. Et ſicut dicunt, aliqui Doctorum non ideo diabolus perſuaſit Iudæis Chriſtum crucifigere, quaſi eum neſciret Chriſtum eſſe, ſed quia ſe non præuidit morte illius damnandum. Quod autem dicunt, *veniſti ante tempus torquere nos*, ſciunt pro certo, quia in die iudicij artioribus ſunt conſtringendi tormentis, & propterea quaſi ſerui fugitiui de verberibus ſolliciti ſunt, & pro his deprecantur. *Erat autem non longe ab illis grex porcorum multorum paſcens.*] Non erant ipſi porci de Iudæorum populis, ſed de alienigenis, quia Iudæi abominabantur eos: non ſolum edere, ſed & tangere, ſicut in Machabæorum libro legimus, quia proinde occidi ſe permiſerunt, eo quod ſuillam carnem noluiſſent edere & quia in Dei ſacrificio non offerebantur, petierunt permitti ſibi introire dæmones in porcos. Et quia illi Romani qui ibi habitabant cum regibus præſulibus, non poterant

D

eoſdem porcos habere cum Iudæorum pecoribus, erant in vno loco tanti congregati. [*Dæmones autem rogabant.*] Lucas dicit quia rogabant eum, ne imperaret illis vt in abyſſum irent, ſcientes aliquando futurum iudicium, quando per aduentum Domini mittendi erant in abyſſum infernalem: deprecabantur ne cito fieret eis ipſa damnatio, ſiue in abyſſum, in aquam profundam. Et exauditi ſunt ad eorum condemnationẽ, quia quod timebant euenit illis. Dicunt enim aliqui Doctorum quod vnuſquiſq; Angelus malus, qui in aquã cecidit, in aqua poteſt nocere, & qui in terram, in terra habet poteſtatem ſine ideo exauditi ſunt, vt per mortes porcorum crederent habitatores loci illius: ſicut & factum eſt. Dignum ſibi habitaculum inuenerunt, quia nullum pecus ſordidius viuit quam porcus, & diabolus in eis ſolitus eſt conuerſari, qui more porcorum viuere ſolent, quia de ventre ſemper cogitant, *& quorum Deus venter eſt*, & ſemper in cœno luxuriæ conuerſari volunt, [*Et ecce impetu abijt totus grex per præceps in mare.*] Quod timebãt dæmones euenit illis.]*Paſtores autem fugerunt, & venientes in ciuitatem nuntiauerunt omnia. Et ecce tota ciuitas exijt obuiã* IESV.] Propter

E

iſtorum ſalutem leue duxit Dominus occidi porcos: quoniam nulla creatura ſub ſole charior Deo quam anima & cuncta quæ habet homo debet dare pro anima ſua. [*Et viſo eo rogabant vt transiret à finibus eorum.*] Non de odio precabantur, ſed de humilitate, æſtimantes ſe indignos eſſe præſentia eius quod quia ob hoc precati ſunt, apparuit in reuerſione eius, quomodo non ſolum venerunt ad eum, ſed & vicinos ſuos inuitauerunt ad eum venire.

CAP. XXI.

De paralytico ſanato.

F

ET *aſcendens in nauiculam transfretauit.*] De regione Geraſenorum iterum tranſit ſtagnum, & reuertitur in Galilæam. [*Et venit in ciuitatem ſuam.*] Ciuitas ſua dicitur. Nazareth: non ob aliam cauſam niſi quia ibi nutritus fuerat. Dominus & Saluator noſter exemplum præbuit prædicatoribus, vt omni inſtantia verbum vitæ populis adnuntiarent. Vnde nunc in Geraſa, nũc in Nazareth, nunc in Capharnaum, & tamen nunquam ceſſus. [*Et ecce offerebant ei paralyticum.*] Alius Euangeliſta dicit, hoc geſtum in Capharnaum. Nil tamen obſtat ita intelligi, quia cum Dominus aſcendit de freto, tranſit per Nazareth, & venit in Capharnaum, & conuenit ad eum innumera multitudo populi: ita, vt per oſtium iſte paralyticus non potuiſſet inferri, ſed nudato tecto à regulis ſubmiſerunt illum ante Ieſum. Paralyticus vel paralyſis Græcum nomen eſt, & dicitur Latine diſſolutio membrorum: vel diſſolutus membris. Dicunt autem medici, quia præ nimia abundantia ſanguinis hoc eueniat. Sed non æſtimo ego ita fore, quia iſta paſſio,

G

vix ante quadragenarium annum hominem debilitat, & ſcimus quia tunc iam incipit ſanguis in vnoquoque homine imminui, & illa pars quæ à paralyſi debilitatur, quaſi mortua habetur, puto ergo quia ſanguis ibi emoritur. Si enim pro abundantia ſanguinis hoc eueniret, iuuenibus in quibus ſanguis creſcit & feruet eueniret. Nunc vero ſemper in ſenibus fit: & ſi ſanguis abundaret, profecto viuerent membra. Sed cum ſanguis deficit, quia eſt ſedes animæ, deſerit anima membra, & contrahit ſe vbi ſanguis eſt. Patet virtus iuxta litteram. Moraliter homo iſte peccatorem quemlibet mole peccatorum prægrauatum & deſperatum deſignat, qui ob nimiam enormitatem ſcelerum nec veniam poſtulat peccatorum. Quem ſi boni viri ſuſceperint, & ad Deum quaſi reportauerint per exhortationem, & Deum ſupplicauerint, ſanitati reſtituent. Vnde ſequitur. [*Et videns* IESVS *fidem illorum, dixit paralytico.*] Videns fidem offerentium: non illi qui deſperatus eſt miſeretur Dominus, quia ſi peccare quis deſierit, & boni

H

homines pro ipſo orauerint, exaudietur. [*Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.*] Filium vocat quia dimittuntur ſibi peccata. Tamen oſtendit hic Dominus, quod multi pro peccatis ſuis in infirmitates decidunt. Inuenimus enim in ſcriptura diuina quod pro tribus cauſis infirmitates eueniunt hominibus: quas quidam in quinque extenuant. Dicamus ipſas quinque quæ eadem ſunt. Aut enim pro augendis meritis infirmitas datur, vt Iob & Tobiæ. Aut pro cuſtodia virtutum, vt Beato Paulo cui *datus fuerat ſtimulus carnis, Angelus Sathanæ.* Aut pro gloria Dei manifeſtata, vt Lazaro & cæco nato. De quibuſdam dicitur quod pro gloria Dei manifeſtanda eis euenerit. Quæ omnia vnum eſſe dico, quia omnibus aucta ſunt merita pro ipſis infirmitatibus: licet alij tres computent: Aut pro peccatis grauantur homines, vt iſte paralyticus, & illi qui audiunt ab Apoſtolo, quod multi indigne accipiunt corpus Domini: ideo *multi infirmi & dormiunt multi:* & Herodes & Antiochus pro ſuis peccatis damnati

A sunt, & in præsenti & in futuro, & innumeri multi. Aliquando autem remittuntur eis peccata in præsenti, & sanantur in corpore, vt isti & Mariæ in Heremo. Aliquando de præsenti pœna transeunt ad futuram, vt Herodes & Antiochus. Istud vnum in duo diuidunt, qui quinque dicunt. Tertium adiicio intemperantiam: cum quis non custodit corpus suum iuxta naturam suam & rationem, quam solam medici mederi possunt aliquando. Nam alias non potest mederi, nisi ille solus, qui permisit dominari. [*Et ecce quidam de scribis, dixerunt intra se. Hic blasphemauit.*] Quia scribę purum hominem putabant, & legerant in Propheta ex persona Dei dicente: *ego sum qui deleo iniquitates tuas*: idcirco blasphemiæ arguebant. [*Et cum vidisset Iesus cogitationes eorum dixit eis.*] Ad cogitationes eorum respondit Dominus quasi dixisset, si legistis quia nullus potest dimittere peccata, nisi solus Deus: similiter legistis quod nullus potest cogitationes hominum scire, nisi solus Deus dicente B Salomone: *Tu enim solus cognoscis corda hominum*, intelligite ergo, quia qui agnosco cogitationes vestras, possum etiam peccata dimittere. [*Vt quid cogitatis mala in cordibus vestris.*] Quod non possim scilicet peccata dimittere. [*Quid est facilius dicere, dimittuntur tibi peccata: aut dicere surge & ambula.*] Quid vos leuius aut quid grauius æstimatis: Forsitan surge & ambula, quia istud corporalibus oculis dicit apparere, grauius æstimatis. Vnde autem sciatis quia peccata dimittendi habeo potestatem, & peccata dimisi: propterea possum sanare eum. [*Tunc ait paralytico. Surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam.*] Quia non crediderunt quod videre oculis corporalibus non potuerunt, surge, vt videant quod sicut corporali infirmitate sanus sic à spirituali. Tolle lectum tuum, vt sciant quod aliter te sano quam medici terreni nihil in te pristinæ infirmitatis appareat, in tantum vt portes lectum, qui te non poteras conuertere in illo. Et vade in domum tuam, qui aliorum pedibus hic portatus fuisti. [*Et surrexit & tulit* C *in quo iacuerat. Et abiit in domum suam.*] Absque mora tria fecit, Surrexit & accepit lectum, & abiit in domum suam, quia ipse non fuerat deprecatus pro salute sua, sed alij intercesserunt pro eo, noluit habere eum secutorem: donec ipse ad domum suam reuerteretur, & cognosceret beneficia in se collata, & reuerteretur ad ipsum. Nam qui hac infirmitate grauantur, non solent habere perfectum sensum, ita vt cum alij pro eis doleant, ipsi quasi non intelligant, malum suum non dolentes, & apparet in hoc, quia cum emoritur pars corporis, cessat ministerium quod per eadem membra anima solita erat exercere. [*Videntes autem turba timuerunt.*] Turbæ quæ minus erant timuerunt, quia scribæ ausi fuerant in cogitationibus suis ei detrahere, & ipsi perfidi non timuerunt, quia mens quæ dedita est ad malum non timet ipsum malum quod ipsa agit, sicuti alij faciunt qui perhorrescunt. [*Et glorificauerunt Deum, qui dedit potestatem talem hominibus.*] Sicut imperfecti fecerunt non intellexerunt quod in ipso homine esset, qui potestatem homi- D ni quem ipsi videbant dedisset. Et tamen aliquid boni fecerunt, si retulerunt Deo gratias qui corpus commune habentem cum hominibus, tanta permisisset agere in terris. Si enim perfecti fuissent ipsi cum patre gratias retulissent cui placuisset in terra per se talia agere, homo ergo iste significat hominem peccatorum mole grauatum qui pro nimia peccatorum congerie non veniam petit æstimans non posse ad indulgentiam de tantis malis peruenire. Qui si habuerit bonos Doctores, qui eum Christo reducant & referant per spem veniæ, orentque pro ipso, impetrabunt ei opem spei & veniæ. Qui bene quatuor referuntur fuisse, quia per quatuor libros Euangelij potest ad spem veniæ reduci. Per quatuor funes submiserunt illum quia cum ipsa doctrina Euangelij necessarium est, vt virtutes quatuor prædicare, per quas perfectus quisque viam seculi inoffense graditur. Prudentiam videlicet fortitudinem, temperantiam & iustitiam. [*Fili dimittuntur tibi peccata tua.*] Qui ante fuisti filius diaboli faciendo eius voluntatem: efficieris filius Dei, cum liber fueris à peccato. [*Et surrexit, & abiit in domum suam.*] E Surrexit qui ante iacebat peccatis, & abiit in domum suam, id est in Ecclesiam Dei.

CAP. XXII.

De vocatione Matthæi.

ET *cum transiret inde Iesus, videlicet de Capharnaum, vidit hominem sedentem in theloneo.*] In theloneo dicitur, ad theloneum, ad curam vectigalium. Thelos enim Græcè, Latine vectigal dicitur. Et vectigal census qui portari potest: à vehendo dictus. Sedebat, quia ipse magister erat, & habebat iuniores qui circumibant mercatum & accipiebant vectigal, & reportabant illi: seu etiam intus sedebat, quia mercatum super aquam erat, & accipiebat quod de nauibus soluebatur, quia & illud the- F loneum dicitur. [*Matthæum nomine.*] Alij Euangelistæ Leui eum nominant, quod non erat vulgatum. Fuit enim binomius, & propter verecundiam & honorem & de vulgato nomine, & de ministerio quod agebat silent. Sed & ipse secundum dictum Salomonis, iustus in primordio accusator est sui: non solum Matthæum se nominat, sed & ministerium confitetur, vt & iustificari mereatur: secundum illud. *Dic tu iniquitates tuas, vt iustificeris*, & exempla omnibus conuerti volentibus det: quando ipse de publicano mutatus sit in Euangelistam. [*Et ait illi, Sequere me.*] Non solum gressibus corporis sed etiam imitatione actionis. Quod intelligens beatus Matthæus secundum Euangelium Lucæ: relictis omnibus secutus est eum, nec expectauit recipere censum, vel rationem reddere Domino suo, sed ex toto reliquit quod agebat, & qui solebat rapere aliena, reliquit propria. Agnoscens reatum suum, quia ipse de tribu Leui (vnde & Leui dictus est) ad templum Domino seruire debuerat, & pro philargiria vili ministerio adhæserat. Perfectam ergo formam Dominum sequendi beatus Mat- G thæus innotuit, qui nec damnum nec periculum suum quod ei euenire ex damno terreno poterat, quod imperfectam rationem vectigalium relinquebat, curauit. Nec mirum si tanta cupiditate Dominum secutus est ad vnius iussionis vocem: cum & audierit & viderit eum multa miracula fecisse: cum intus fuerit diuina inspiratio, quæ inuisibiliter eum accendit ad sequendum: etiam & maiestas & fulgor quæ in facie vocantis Domini relucebat. [*Et factum est discumbente eo in domo, ecce multi Publicani & peccatores discumbebant cum Iesu.* Publicani hi, qui publicam rem cum aliis vsque tunc exegerant seu conductores publicarum, vt Matthæus. Peccatores hi qui seculi huius lucra per negotia sectabantur, vt negotiatores: vel diuersa ministeria exercentes. Sunt denique negotia quæ non exercentur absque peccato: videlicet cum quis in vno loco comparat aurum vel argentum, vel aliud simile, & nihil in eo impendit operis, neque pro eo iter conficit & cum venerit proximus eius ad emendum duplicat pretium. Quantum super eroga- H tionem suam accipit, totum defraudat à proximo suo. Accumbebant ergo cum Domino, qui quidem fuerant Publicani & peccatores, sed iam mutato officio, & mente mutati erant. Ibat enim Dominus ad conuiuia peccatorum, vt occasionem haberet docendi, & posset spiritales cibos ingerere inter corporeos inuitatoribus suis: etiam & humilitas eius nobis commendatur, & locus pœnitentiæ. Denique vbicumque legitur inuitatus, statim refertur quod ibi docuerit, vel quod aliquid virtutis fecerit: non autem quod aliquis eum aut coegerit aut conitrauerit bibere, aut ipse aliquem: cum Lucas referat conuiuium magnum factum fuisse ei à Matthæo. [*Et videntes Pharisæi, dicebant discipulis eius.*] Quia magistro dicere propter venerationem signorum & sapientiam non audebant, discipulos increpabant. [*Quare cum publicanis & peccatoribus manducat magister vester?*] Quia enim videbant & audiebant esse locum pœnitentiæ, & exemplum habebant in magistro suo Matthæo: propterea ad

A ad magistrum confluebant. [*At Iesus audiens ait. Non est opus valentibus medicus, sed male habentibus.*] Dat Dominus comparationem, quod sicut medici ministerium ad sanum hominem nullum opus babent: similitèr medicus animarum nullum profectum potest impendere, qui se ægrotum non confitetur, id est peccatorem in anima. Medicum seipsum dicit, qui vulneratus est propter peccata nostra: & cuius liuore sanati sumus. Sanoa dicit scribas & Pharisæos, non quod veraciter sani essent in anima, sed quia ipsi se sanos esse dicebant. Infirmi erant Publicani, qui se peccarores fore fatebantur. Nequius malum apud Deum non est, quam peccatorem esse, & iustum se putare, qui si non est peccaror ex eo quod se iustificat iniustus fit. Vbi enim non est confessiu, nec remissio. Com enim Dauid iustus esset in facto, cœpit esse elatus in corde. Quod malum Deus in tantum abominatus est, vt fineret labi in adulterium & homicidium, manifesta probra: quatinus dum horrescerer manifesta, B castigatus fieret de occulto iu anima. [*Euntes autem, discite quid est: Misericordiam volo, & non sacrificium*, Euntes vel ad vos in vos inuicem, vel ad vestros libros, qui non creditis meam doctrinam. Discite quia adhuc non intelligitis, quod vos putatis intelligere. Deus omnipotens hoc dicit per Prophetam, quia amabilius est ei misericordiam faciat aliquia proximo suo, quam sibi offerat holocausta, & qui sacrificium offerebat, alterius carnem immolabat. Qui autem misericordiam alicui impendit, seipsum in eius contritione mactat. Sacrificia enim antiquitus concessa, non pro alia re sunt instituta: nisi ne dæmonibus fierent, sicut dicit. Holocaustomata vestra nolui.] *Non enim veni vocare iustos, sed peccatores.*] Quando Deus in hunc mundum venit nullus iustus erat, sed omnes detinebamur sub conditionis peccato. Ergo hic iustos, non vere iustos, sed putantes se iustos. Non enim peruenit nec per Christũ nec per Apostolos ad remissionem peccatorum, qui se iustum putauit, & noluit accipere baptismum, sed qui superius C sani dicti sunt, ipsi hic dicuntur iusti. Vtique falso modo. [*Tunc accesserunt ad eum discipuli Ioannis dicentes. Quare nos & Pharisæi ieiunamus. Discipuli autem tui non ieiunant?* Nec Ioannis discipuli perfecti erant, qui audierant magistrum suum laudasse Christum frequenter & vituperasse Pharisæos dicens, *genimina viperarum*: & tamen coniungebantur cum illis in discipulorum Domini reprehensione. Si autem Pharisæi vidissent Dominum ipso tempore comedentem: quomodo discipulos eius vtique reprehendissent eum, quia etiam sanitates hominum in malam partem conabantur conuertere? Non erant autem ipsa ieiunia præcepta in lege, sed ipsi Pharisæi adinuenerant, qui & alias superstitiones iouenerunt Similiter Saducæi, vt Iosephus narrat. [*Et ait illis Iesus. Nunquid possunt filij sponsi lugere, quamdiu cum illis est sponsus?*] Lugere pro ieiunare ponitur, quia ieiunium ad luctum pertinet. Dat similitudinem de sponso & sponsa, quod quando coniungantur, agunt dies lætitiæ, & vult seipsum intelligi spiritualiter sponsum, D & Ecclesiam sponsam suam. Thalamus huius sponsi vterus sanctæ Mariæ extitit, in quo Deus homo fieri dignatus est, quando ista loquebatur, tunc ipsa fiebat coniunctio quoniam per suam prædicationem colligebat eandem sponsam suam. Ideirco dicit: *non possunt lugere filij sponsi*, videlicet Apostoli, quia per Euangelium ab ipso erant geniti.] *Venient autem dies cum auferetur ab eis sponsus, & tunc ieiunabunt.*] Illud tempus ostendit, quo ipse in cœlum ascendit, quia quamuis semper cum illis esset spiritualiter, tamen corporali præsentia ab eis recessit. [*Nemo autem commissuram panni rudis mittit in vestimentum vetus.*] Per omnem textum Euangelij figuræ dictionum sunt, sed propter fastidium & prolixitatem libri frequenter omittimus. Per metaphoram & eius speciem allegoriæ & parabolæ facit comparationem, de inferiori ad superiorem, de inanimali ad animale, quod sicut in vestimentis resarciendis si petarium nouum in vestimento veteri consuatur illud quod nouum est aufert de veteri, quicquid sibi iunctum fuerit & peius vestimentum fit. E Ita dicit Dominus fieri discipulis suis quia adhuc erant veteres pro doctrina Pharisæorum qua imbuti fuerant, si austeritatem suæ prædicationis subito imponeret, etiam aliquid fieri quod babere videbantur amitterent, sicut septuaginta discipuli fecerunt pro eo quod ipsum verbum non intellexerunt, abierunt retrorsum, & iam cum illo non ambulabant. [*Neque mittunt vinum nouum in vtres veteres.*] Vinum nouum, prædicatio Euangelij, vtres veteres, Apostolos. Non solum vtres veterea mustum disrumpit, sed & magna & fortia vascula de lignis mustum disrumpit. Et similiter prædicatio Euangelij non bene intellecta ruina facta est multis. [*Alioquin, rumpentur vtres: & vinum effundetur, & vtres peribunt,*] id est, dissipabuntur corda eorum, & recedent à fide, & erunt perditi. [*Sed vinum nouum in vtres nouos mittunt.*] Cum fuerint noui facti per meam doctrinam, confirmati per passionem, resurrectionem & ascensionem, F per aduentum Spiritus sancti, tunc obseruabunt omnia dura & aspera, & ambo conseruabuntur, & discipuli & prædicatio, quæ in eis seminata est. Et sic factum est, quia postea cruces, & tormenta, verbera sustinuerunt, qui ante vocem duram non poterant sustinere.

CAP. XXIII.

De filia Iairi resuscitata.

H*Æc illo loquente ad eos, ecce princeps vnus accessit.*] Loquente Domino turbis salutem animarum, venit quidam princeps Iudæorum. Qui quia sapiens erat in lege, & archisynagogus, id est princeps synagogæ vocabatur, quia in eorum congregationibus propter peritiam suam magister erat, & quia nobilis erat: etiam nomen indicatur ab aliis Euangelistis dicentes: *cui nomen erat Iairus.* [*Et adorauit eum dicens. Filia mea modo defuncta est.*] Non erat adhuc mortua quando pater accessit, sed in via hoc ei nunciatum est. Sed Matthæus breG uitati studens, ita narrat. Quamuis ergo Iudæus esset, non dixit vt Centurio dixit: *dic & fiet*, sed veni credens eum solum sicut Prophetam fore, licet non crederet. Attamen erat nimis malus ad cuius preces annuit Dominus agere, vt petebatur. [*Sed veni, impone manum tuam & viuet.*] Quia enim non habebat aliam filiam vel filium, propterea tenerè diligebat, & idcirco & ipse venit & ad pedes corruit, & cum magistro ad eam reuerti volebat, sicut mulier Sunamitis quæ non dimisit Helizeum quousque ad filium mortuum perueniret. [*Et surgens Iesus sequebatur eum, & discipuli eius.*] Notandum quod discipuli in omnibus Domini factis memorantur adesse electi. Et digne tales effecti sunt, quia inspector cordis inspexit arcana.

Secundum Matthæi textum, septem miracula narrantur esse à Domino peracta nunc. In octauo subintrare voluit filia archisynagogi, sed surripuit mulier ematrosa. Typice archisynagogus iste Moyses intelligitur, H quia dicitur Iairus, id est illuminatus, quia à Deo illuminatus est lumine fidei & scientia legis. Qui habet vnicam filiam, id est Synagogam, quam vnico amore dilexit, & pro ea Deum frequenter exorauit.

Et ad pedes eius cadere, est incarnationem eius venerari. Quia enim caput Christi Deus, pedes eius incarnatio eius non inconuenienter accipitur. Et hoc est ad pedes cadere: eum super omnes singulariter magnum fateri. [*Filia mea modo defuncta est.*] Quia paululum ante aduentum redemptoris omnem iustitiam legis amisit. (*Surgens sequebatur eum.*) Quia cum vidit Deus deperisse Iudæos à vera vita, venit reducere eos (*Sequebatur eum*) quoniam sicut Moyses prædixit de illo, sic per omnia fecit Dominus. (*Et ecce mulier quæ sanguinis fluxum patiebatur.*) Mulier ista significat Ecclesiam ex gentibus cōgregatam: & sicut ista exclusa erat à domibus & à turbis duodecim annis propter sanguinis immunditiam: vnde & propterea in via venit ad Dominum, sic gentilis populus exclusus erat à cœtu fidelium, pollutus ingenito

A carnalium fluxu. Sed cum verbo Dei cerneret saluare Iudæam, rapuit sibi salutem. Et archisynagogi filia duodecim annis erat: & ista duodecim annos habebat in infirmitate, quia quando illa cæpit secundum Deum nasci in Patriarchis, ista cæpit elongari à Deo & infirmari mente. [*Accessit retro.*] Quia cum Christus ascendit, tunc gentes cæperunt credere.

Accedere retro, est illum sequi & imitari, quia ipse dixit, *si quis mihi ministrat me sequatur*. Et alibi, *Post Dominum Deum tuum ambulabis. Et tetigit fimbriam vestimenti eius.*] Iusserat Dominus in summitate tunicæ fieri fimbrias, vt sicut erat discretio circumcisio in corporibus, sic & in vestimentis. Iudæi adinuenerunt vt ponerent ibi spinas, vt quando pungerentur, retraherentur ad legem Dei; & fieret recordatio legis Dei. Sed ista non inuenit ibi spinas, quia Dominus superfluas abominationes Pharisæorum abominatus & detestatus est. Nec causa est tangere vestimentum quod carnem Domini tegebat, B sed illud quod foris prominebat.

Alio modo fimbriam vestimenti eius tangere, est incarnationem eius credere. Dicebat enim intra se. *Si tetigero tantum vestimentum eius salua ero.* Si credidero incarnationem eius, salua ero. Et primordium est initium immundæ cogitationis ex quo peccatum nascitur. Fons sanguinis, erat origo peccati. [*Et ipsa fuerat multa perpessa, a pluribus medicis*,] quia multi Philosophi fuerunt qui de virtutibus animæ disputauerunt, & de vitiis, sed tamen ad veram medicinam gentilem populum non adduxerunt. [*Et in ipsis erogauerat omnem substantiam suam.* Quia omnem laborem suum expendit gentilitas in variis poëmatibus Philosophorum. [*At* IESVS *conuersus & videns eam dixit.*] Alij Euangelistæ referunt quod dixerit, quis me tetigit? Et dixit Petrus præceptor, turbæ te comprimunt & affligunt & tu dicis quis me tetigit? Alij tangebant corporeo tactu, illa tetigit fide, qui sic tangit Dominum, meretur sanari. Ergo Ecclesia ex gentibus & tetigit fide Domi- C num, quia perfecto corde credidit in eum, vnde alteri quæ nec dum recte credebat dicebatur. Noli me tangere, quia non perfecte in fide tangis. [*At illa venit, & procidit ante eum: Et ob quam causam tetigerit eum confessa est, quemadmodum fluxus sanguinis eius steterit continuo.*] Propter salutem aliorum ista Dominus tam diligenter requirebat; vt alij similiter studerent bonæ fidei esse: & diceretur de eis. *Filia fides tua te saluam fecit*, in eo enim quod credidisti salua facta es. Vocatur autem ista mulier æmarrosa Græco nomine: veniens ab actu nomen eius. Siquidem sanguis Græce emar dicitur, & inde emarrosa diriuatiuum, id est, sanguinaria. In octano vero loco sanatur propter octauum diem resurrectionis, quam omnis Ecclesia gentium veneratur. [*Et salua facta est mulier ex illa hora.*] Quicunque bona fide studuerit esse erga Deum, filius Dei erit, & secundum fidem ipsius fiet ei. Ecclesia quoque ex gentibus ex quo in Deum credidit: saluari cæpit, & mente & corpore. [*Et cum venisset* IESVS *in domum principis, & vidisset* D *tybicines.*] Tybicines deriuatum est a tybia, & tybia dicta a tybiis hynoulorum, de quibus cœpti sunt primum fieri in Frigia: modo vero & de Cnibus fiunt, & de marellia. Adhibebantur autem antiquitus funeribus mortuorum: nunc itineribus principum: sonus autem qui fit ab ipso, tybicen dicitur quasi tybiæ cantus. [*Tubam tumultuantem.*] Quia vnica erat patri & matri, plorabant familiæ, quam sperauerant habere dominam post dominorum abscessum. Synagoga adhuc iacet mortua & fiunt in domo eius tumultus Iudæorum & tybicines: planctus, quos agunt inutiliter in sabbatis. Quia nondum venit IESVS ad eos. [*Dicebat recedite.*] Quia cum venerit ad eam Dominus IESVS, recedent tumultus doctrinæ eorum, & planctus irrationabiles. [*Non est mortua puella sed dormit.*] Illis mortua erat, sed dormiebat, quia tam cito eam excitare poterat. Vnde mos obtinuit apud Christianos, vt mortui eorum qui in bona confessione discesserunt, non mortui sed dormientes vocentur, & monumenta eorum non monumenta, sed E κοιμητήρια, id est dormitoria Græce vocentur. Synagoga quoque Iudæorum vobis mortua videtur, sed Deus eam resuscitabit per testes suos fideles Enoch & Heliam. [*Et deridebant eum.*] Quia potentiam loquentis needum cognoscebant. [*Et cum eiecta esset turba, intrauit & tenuit manum eius.*] Quia verba Domini irridere quam credere maluerunt, eiiciuntur, & non merentur resuscitantem videre. Synagoga quoque nisi à se habuerit multitudines quæ intrinsecus iacet mortua: non resurget. [*Et intrauit & tenuit manum eius, & surrexit puella.*] Nisi tenuerit Dominus, & mundauerit manus Iudæorum quæ sanguine plenæ sunt, synagoga non surget. [*Et exiit fama hæc in vniuersam terram illam.*] In aliis Euangelistis dicitur quod præceperit ne cui dicerent. Exemplum suis præbens, si quid boni faciunt, non curent hoc ad fauorem prædicare in populis, propter Xenodoxiam. Dicitur quoque in alio Euangelista, quod iusserit illi dari manducare, videlicet ad demonstrandam eius F sanitatem & resurrectionem.

Tres mortuos resuscitatos in Euangelio à Domino legimus, sed non ab re est: quod non amplius vel minus quam de solis tribus ibi narratur. Legimus enim in aliis libris, quod plures resuscitauit, & credimus quia ita est. Sed tamen non placuit Euangelistis de pluribus narrare, ordinante Spiritu sancto qui in eis locutus est, propter mysterij Sacramentum. Igitur tres mortui in corpore, significant tres mortuos in anima, quia anima quæ peccat moritur, iuxta Prophetæ dictum. Anima quæ peccauerit ipsa morietur: tres ergo mortui, tria genera hominum peccatorum sunt. Est peccator qui peccat criminali peccato, & moritur in conspectu Domini anima eius, & quia non habet in consuetudine ipsum peccatum, veretur iram Dei, & timet futuram discussionem. Istum significat filia Archisynagogi, quæ adhuc in domo erat, quando à Domino resuscitata est. Similiter & iste peccator in cubili cordis sui tegit adhuc peccatum suum, & non est multis cognitum de eo, pro- G pterea quasi leuior est eius resuscitatio, quia si peccauit, non ad multos exemplum malum protulit, neque frequentare studuit. Alius mortuus à Domino resuscitatus est filius viduæ, & non iam in domo, sed in platea & porta ciuitatis à Domino vitæ reductus est. Et iste significat hominem peccatorem lætali crimine frequenter animã suam occidẽtem, & ad multorum notitiam propalantem. Quem etiam Dominus resuscitabit, si frequens & multimoda fuerit pro eo ad Dominum iustorum oratio. Tertium resuscitauit, defunctum Lazarum: de quo scriptũ est quod feteret. Et hic ergo significat miserrimũ peccatorẽ, criminum enormitate grauatum, qui non solũ ad multos propalauit nequitias suas, sed etiam odio est omnibus pru udore fetoris sui, videlicet malæ famæ, quia sicut est odor bonus famæ bonæ, sic odor malus famæ malæ. Et hic ergo si lachrymæ & preces assiduæ fusæ fuerint iustorum resuscitabitur. His ergo exemplis omnes nos qui peccatores sumus veniam peccatorum nostrorum sperare possumus, si digne & instanter per ieiunia & eleemosy- H nas, atque lachrymarum orationes mala quæ fecimus punimus, & vlterius ad vomitum peccati non reuertimur, quod Deus nobis & omnibus pœnitere volentibus concedat perfecte agere.

CAP. XXIV.

De duobus cæcis illuminatis.

E*T transeunte inde* IESV *secuti sunt eum duo cæci clamantes & dicentes.*] Isti cæci significant duos populos Iudaicum & gentilem. Qui cæci erant quando Dominus interioribus oculis eorum obcæcatis Iericho veniebat. Per Iericho mundus siue incarnatio eius designatur, quia Iericho interpretatur Luna, & per Lunam defectus siue incarnatio nostri redemptoris. [*Miserere nostri fili David.*] Nisi enim crediderint, quod & filius hominis ex progenie Dauid, non recipient lumen spiritale. [*Cum*

autem venisset domum, accesserunt ad eum cæci.] Quia cum ascendit in cœlum illuminauit oculos cordis per Apostolus. [*Quibus dixit. Creditis quia possum hoc facere vobis? Dicunt ei vtique Domine.*] Et Doctores quando illominant paganos interioribus oculis, interrogant eos. *Credis in Deum patrem omnipotentem & in* IESVM, &c. [*Tunc tetigit eorum oculos dicens. Secundum fidem vestram fiet vobis.*] Quia nisi quia corde crediderit, & ore confessus fuerit, remissionem peccatorum non consequitur. [*Et aperti sunt oculi eorum.*] Quia si crediderit: etiam si non potest intelligere mysterium Trinitatis perueniet per credulitatem ad intelligentiam verbi. [*Et comminatus est eis* IESVS *dicens: Videte ne quis sciat.*] Propter exemplum discipulorum suorum, quod superius diximus.

CAP. XXV.

De dæmoniaco curato.

E*Gressis autem illis, ecce obtulerunt ei hominem mutum dæmoniū habentem.*]Sicut inuenimus in aliis Euangelistis, tria generalia signa in isto homine facta sunt. Erat mutus, surdus, dæmonio plenus. Siquidem in Græca lingua in qua Euangelia scripta fuerunt, sunt multæ differentiæ, quæ non sunt apud nos. Præsertim hoc nomen quod est Allaloa ἄλαλος Græce solummodo mutus dicitur, Cophos κωφὸς quidem, & mutus & surdus dicitur. Et beatus Gregor. dicit, quia omnis mutus naturaliter surdus est. Ideirco tantum duas infirmitates Euangelistæ dixerunt, vt ibi intelligatur surditas. Enimvero à dæmonio liberatur, & à duabus infirmitatibus: & eiecto dæmone locutus est mutus, & miratæ sunt turbæ. Turbæ quæ minus eruditæ videbantur, admirabantur semper doctrinam Domini. Pharisæi autem & Saducæi detrahebant, vel in malam partem conuertebant propter inuidiam, quia dolebant pro doctrina Domini, quia Christus à turbis & sanctior & sapientior credebatur. Sic denique Salomon dicit. *Qui addit scientiam, addit dolorem.* Quicunque scientiam habet, si non habet charitatem & humilitatem, statim habet superbiam. Et hoc est quod dicit, quod in multa scientia, si desit charitas & humilitas statim habet superbiam. Et hoc est quod dicit, quod in multa scientia, si desit caritas & humilitas multa sit indignatio. Quapropter hoc erat in Pharisæis, qui dicebant. [*In principe dæmoniorum eycit dæmonia.*] Principem dæmoniorum Iudæi Beelzebub appellabant. Sicut idolum primum in hoc mundo vocatum est Bel: sic etiam Luciferum illum, qui in Diabolum conuersus est primum Angelum de ipsius nomine vocabant. Fuit præsertim Bel filius Nini primi Regis Assyriorum in mundo, qui etiam Belus Latine dicitur. De quo nomine composuerunt Iudæi istud nomen Beelzebub, id est, Bel vel Baal muscarum, hoc est habens muscas. In derisionem sic vocabant Deum paganorum & principem Diaboli, qui alio nomine Resep vocatur apud eos. Dicunt quoque quod ipse sit, qui eiecit Adam de Paradiso. De Bel in Daniele legimus, quem Babylonij colebant, quem Daniel destruxit. Porro mentiebantur, quia quasi placato Diabolo Dominus, vt videretur facere virtutes precaretur illum de illo quem tenebant, sed hoc nusquam factum legimus. Cæterum Dominus ostendit sicut in alio Euangelista refertur, quod omne regnum in seipso diuisum stare non potest, quia sicut in isto terreno regno, si diuisum fuerit deperit & adnihilatur, sic etiam inter diabolos, si vnus alium eiicit de loco suo, non potest stare regnum Sathanæ. Plenius autem in aliis Euangelistis hoc exponitur, quæ Matthæus parum tetigit, sed sequamur sequentia eius, quem ad dilucidandum suscepimus. [*Et circumibat* IESVS *ciuitates omnes, & castella docens in synagogis eorum.*] Ostendit intentionem Domini erga salutem nostram, cum dicit, quia circumibat omnes ciuitates. Et non tantum ciuitates, sed & castella & synagogas, id est congregationes eorum. Addidit docens, & prædicans & curans omnem languorem, videlicet animarum. Quoniam sicut languet corpus: similiter languet anima torpens in præceptis Dei. [*Et omnem infirmitatem in populo.*] Infirmitatem, ad corpora pertinet. Potest autem subauditionem habere bonorum, quia non omnes infirmos sanabat, sed eos quos dignos & bonos præuidebat sicut legimus de his, qui in piscina Bethsaida iacebant, quod de multis vnum elegerit quem sanauerit. Vel species est synecdoche: quæ propria est Scripturæ diuinæ, cum à toto pars intelligitur. [*Videns autem turbas misertus est eis,*] videlicet & in doctrina sua, vt doceret eos vitam vitæ: In cibo quoque terreno saturans quinque milia de quinque panibus. Quod Matthæus præuidens alios narraturos ipse præterit. [*Quia erant vexati à diabolis idolisque & iacentes sicut oues non habentes pastorem.*] Iacentes dicit in peccatis quamuis essent oues. Et hic à toto pars intelligitur, quia non omnes futuri erant oues fore. Negligentiam sacerdotum demonstrat cum dicit: non habentes pastorem, quia Deus præceperat, vt sacerdotes legem adnuntiarent populo, & præirent eos exemplo boni operis. Quod adhuc debent similiter facere reges & omnes sacerdotes, tam Episcopi quam & Presbyteri, quia propterea Deus eos pupulis præfecit. Rex enim à regendo dicitur. Si bene non regit & defendit, non Rex sed tyrannus vocatur. Quod Salomon eruditus à patre intelligens, adhuc petiit Deum augere sibi sapientiam ad gubernandum populum. Episcopi quoque inspectores Græco nomine vocantur, siue superintendentes, scilicet in similitudine pastorum circumspicere debent, ne de aliqua parte nociua bestia suum gregem contaminet, vel conturbet. Legant Hiezechielem qui pastores dicuntur, audiant tamen nihilominus quid hic dominus adiungat. [*Tunc dicit discipulis suis. Messis multa, operarij autem pauci.*] Metaphora est hic, & species metaphoræ allegoria, per messem populum volens intelligi, per operarios prædicatores. Totus mundus erat in errore, quando Apostoli cœperunt prædicare. Nisi vero virtus diuina fuisset: quomodo per duodecim homines totus mundus reliquisset errores suos? Rogate Dominum messis vt eiciat operarios in messem suam. Istam messem Patriarchæ & Prophetæ seminauerunt, sed Apostoli maturuerunt eam per suas prædicationes. Patriarchæ & Prophetæ seminauerunt in lacrimis, & isti messuerunt in gaudio: quoniam istis iam erat aperta ianua regni cœlorum, quæ illis clausa fuit.

CAP. XXVI.

De 12. Apostolis ad prædicandum missis.

E*T conuocatis duodecim discipulis suis dedit illis potestatem spirituum immundorum.*] Referunt Euangelistæ quod ascendens in montem vocauit ad se quos voluit, hoc est elegit eos ex pluribus & ordinauit eos Apostolos. Breuiter Euangelistæ comprehenderunt hoc, sed septem gradus, quos rectores Ecclesiæ habent, ibi tunc acceperunt. Nam immundos spiritus eiicere, exorcistarum est, virtutes discretionem habere, ostiariorum est, infirmos curare, diaconorum est & Presbyterorum. De quibus præcipitur, vt introducantur ad infirmos, & vngant eos. Apostoli autem Græce, Latine missi dicuntur: vnde deriuatur Apostolicus. Nec equidem poterat eos ordinare Episcopos siue Apostolos, nisi alios ante gradus concederet & pro isto facto Apostoli sunt nominati. Sciendum vero, quia is qui primum fecit Moysen Apostolum, quando misit eum ad liberationem filiorum Israël ipse fecit & hos Apostolos, & qui tunc elegerat 12. tribus ipse voluit habere 12. discipulos, vt daret intelligi quia ipsius annus constans 12. mensibus, ac dies eum 12. horis similiter & nox. Quin etiam iste numerus apud arithmeticos celeber habetur, quia & omnes perfectos & sacratos numeros in se habet, & resolutos non solū non minuitur, sed etiam augetur. Vnde & libram duodecim vnciis constare fecerunt. Duodecim quoque signa principalia in

astris

A astris extulerunt. Ter enim quaterni duodecim faciunt, & ter quaterni ad prædicandum sunt missi Apostoli, vt per vniuersas quadrati orbis plagas, baptisarent gentes. *In nomine patris & filij & Spir. S.*] In quo etiam sacramento filij Israël sic visi sunt castramentari, vt ex omni parte tres tribus essent. Et Hierusalem cælestis duodecim portas habere describitur, tres ab oriente, tres ab occidente, tres à meridie, & tres ab aquilone. In quo figuraliter ostenditur quomodo de omnibus gentibus egressora est Ecclesia, & iam ordinatio Apostolorũ in duodecimo loco signorum, quibus dedit potestatem vt curarent languores & infirmitates corporum. Sed magna distantia est inter dantem & accipientem. Quia Dominus qui dabat dicebat: *tibi dico surge*: illi dicebant. *In nomine* IESV *surge*. Duodecim Apostolorum nomina hæc sunt. Catalogus Apostolorum describitur vt nullus sub nomine eorum posset aliquem decipere, vt dignitas & auctoritas commendetur. Primus Simon qui dicitur Petrus & Andræas B frater eius. Simon autem ante vocationem vocatus est, quod interpretatur obediens. Cum à fratre Andræa adductus est ad Dominum, Petrus ei nomen impositum est à Domino, à firmitate fidei, idem est Cephas. Sed Petrus Græce & Latine, Cephas Syriace, Græce etiam Cephas caput dicitur, eo quod caput Ecclesiæ sit constitutus. Nostis autem & locum natiuitatis, & virtutes eius quæ in Euangelio & actibus Apostolorũ narrantur. Primum in Capadocia prædicauit: deinde sub Claudio Italiam venit, & vigintiquinque annis pontificatum in Roma tenuit, non tamen vel quinque pedes de terra ibi in potestate habuit. Trigesimo sexto anno post passionem Domini deorsum crucifixus migrauit ad Dominum. Sepultus est ad orientalem plagam secus viam triumphalem, quæ alio nomine dicitur catacumbas de quo loco cum à Græcis corpora tollerent nocte, succurrit omnis populus Romanus & comprehenderunt eos: sepelieruntque in alio loco citra partem Tyberim in loco qui Lauigana dicitur: & Paulum in via Hostensi. Andræas C Græcum nomen est, & interpretatur virilis est, id est a virilitate, apo tu andros, ἀπὸ τοῦ ἀνδρὸς. Vir Græce & andros & anir dicitur quo rectissime vocatus est Andræas. Qui post discipulatum S. Ioannis Domini vestigia viriliter est secutus, & viriliter crucem ascendit sicut liber passionis eius ostendit. Prædicauit in Achaia, occisus in patras, vbi & sepultus fuit, sed Constantino deferente, in Constantinopoli iacet. Hebraice vero decorus dicitur Andræas, siue respondens.

Iacobus Zebedæi & Ioannes frater eius, à patre cognominatus, interpretatur supplantator: quia cum ad Latinitatem venit eius nomen, additum est in fine sicut solet fieri in Barbaris nominibus cum in nostram linguam veniunt. Misit epistolam, quæ Canonica dicitur, ad dispersos pro Christi nomine. Ab Herode Tetrarcha occisus: sepultus est in Achaia Marmarica. Ioannes interpretatur gratia Dei quæ requieuit in eo plusquam in cæteris Apostolis. Prædicauit in Græcia, vt sicut ipse sapientior cæteris fuit, sic mitteretur ad sa- D pientiorem gentem. Sub Traiano requieuit in Ephæso, sed nunc corpus eius non inuenitur in terra, & apertum est sarcofagum in quo iacuit, sed vacuum est. Ignorant autem quid de eo sit factum: quia ab homine non fuit ablatum. Vocati sunt denique ambo isti fratres Boanarges, id est filij tonitrui. Quia illam vocem in monte vtrique audierunt, hic est filius meus.

Philippus & Bartholomæus. Philippus *os lampadis* interpretatur, & recte quia statim vt Dominum agnouit, suo fratri adnuntiare curauit dicens. *Quem scripsit Moyses inuenimus Messiam.* In Galicia prædicauit, in Gerapoli vrbe lapidatus & crucifixus, ibi & sepultus est. Fuit autem & alius Philippus *Diaconus*, qui prædicauit in Samaria, vbi postea venit B. Petrus & Ioannes ad confirmandos eos, qui crediderant. Si enim Philippus Apostolus fuisset, potuisset tradere Spir. S. Quod quia non potuit, apparet quia non fuit Apostolus. Bartholomæus interpretatur filius suspendentis aquas, pro eo quia ad prædicationem suam corda audientium ad superna as- E cendit. Indis prædicauit, in Albana vrbe à Barbaris viuus excoriatus est & ibi sepultus.

Thomas abyssus dicitur: cognomento Didimus, quod Græce geminus dicitur. Quidam volunt dicere similis, quod similis Christo fuerit, non est tamen verum, sed qui geminus nascitur, semper similis est illi, cum quo nascitur. Prædicauit Persis: in Calamina cum lanceis occisus, & ibi sepultus est. Matthæus Publicanus.

Matthæus in Hebræo *donatus* dicitur. Digne, qui datus fuit ad conscribendum Euangelium. Alij Euangelistæ Matthæum primum ante Thomam posuerunt, & Publicani nomen siluerunt, ipse quidem se præposterauit, & publicanum se fuisse confessus est iuxta illud sapientis, iustus in primordio accusator est sui: fuit autem de tribu Leui, vnde Leui cognomen sortitus est. Primum in Iudæa Euangelium suum Hebraice scripsit: post in Macedonia prædicaui, in Persida interfectus, ibi requiescit.

Iacobus Alphæi. Alphæus dicitur à patre, & à patre F hoc nomen sortitus est. Est autem is qui frater Domini dictus est, qui cognominatus est iustus: ortus de tribu Iuda dictus frater Domini, quia nepos fuit sanctæ Mariæ ex sorore sua: De templo præcipitatus, & conto percussus mortuus est, ibique sepultus.

Iudas istius Iacobi frater confessor interpretatur, & fuit trinomius, Thadæos & Lebeus vocatus: ipse est quem ad Abgarum regem missum Ecclesiastica narrat historia: in Nirata vrbe occisus & sepultus iacet.

Simon Cananæus à loco sic vocatus, qui alio nomine Zelotes dicitur, qui Cana zelus interpretatur, vbi Dominus de aqua vinum fecit.

Iudas Scarioth de tribu Isachar, à loco Scarioth vocatus: vel ab ipsa tribu ex qua ortus est, futuro vaticinio sic vocatur qui mercedem erat accepturus pro perditione magistri. Scarioth & Isachar merces interpretantur. [*Hos duodecim misit* IESVS *præcipiens eis & dicens.*] Hos duodecim ordinauit Apostolos, & misit Dominus ante faciem suam in omnem locum in quo erat ipse ventu- G tus. [*Misit vero cum eis & septuaginta alios, non tamen ordinauit in aliquo gradu, nisi tantum potestatem eis dedit curandi infirmos, & eiiciendi dæmones quamdiu discipuli illius essent. Tamen postea dereliquerunt eum, etiam cum illo non ambulabant.*] Et Iudas Apostolus fuit, & virtutes in nomine eius fecit, quia sic dixerunt quando reuersi sunt. Domine, etiam in nomine tuo dæmonia subiiciuntur nobis. Ob hoc qui recipit iustum in nomine iusti, mercedem iusti accipiet. Quicunque alicui bene facit, quia seruum Dei illum æstimat talem mercedem à Domino recipiet, quasi ille talis fuerit qualem credidit, quia pro nomine Dei fecit. [*Et dixit eis. In viam gentium ne abieritis.*] Ne scandalizentur Iudæi si gentibus prædicaretur ante ipsos: præcepit vt ante offerrent eis verbum diuinum, & hoc ante resurrectionem. Post denique cum repulerunt & crucifixerunt eum dixit: [*Ite docete omnes gentes, & in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis.*] Samaritani videbantur nec Iudæi esse, nec gentes. Iudæi non erat, quia de progenie Abraham non erant. Gen- H tes videbantur non esse, quia circumcisi erant, & Iudaicam legem habebant ob hoc specialiter præcepit de eis [*Ite potius ad oues perditas domus Israel.*] Oues appellantur secundum Psalmistam, qui regis Israel intende, qui deducis tanquam oues Ioseph. Perditas eas oues dicit, subauditur a Diabolo pro peccatis. [*Euntes autem prædicate dicẽtes, quod appropinquabit regnum cælorũ*] Hoc ipse primitus prædicauit, & hoc ante omnia & super omnia prædicandum est, quia aditus qui nobis interclusus fuerat per Adam, apertus est: festinent omnes ingredi in vitam æternam per bona opera. [*Et vt vobis credatur, infirmos curate.*] Infirmus & corpore & animo [*& Mortuos suscitate,*] & mortuos in anima, quia cum peccat anima moritur. Et corpore mortuos, vt per vnum mortuũ corpore, reuiuiscant in anima multi. [*Leprosos mundate,*] Sicut sunt leprosi corpore, sic sunt & anima leprosi variis peccatis inuoluti. Et simili modo horridi, in conspectu Dei: sicut iste in conspectu hominum. [*Dæmones eijcite.*] Et de eis in quibus aperte nominantur & quibus occulta

snimo

animo præſident. Dæmones dicti Græcè quaſi *denna*, id eſt periti ac rerum ſcij. Præſciunt enim futura multa partim ſubtilioris ſenſus acumine, partim experientia longiſſimæ vitæ, partim per Dei iuſſum, Angelica reuelatione, corporum aëreorum natura vigente. [*Gratis accepiſtis, gratis date.*] Sine pretio à me accepiſtis, ſine pretio terreno impendite ipſam doctrinam, ne pro ſola cupiditate putent vos prædicare. [*Nolite poſſidere aurum, neque argentum.*] In fine dicit quare non ſit neceſſarium dicens. [*Dignus eſt operarius cibo ſuo.*] videlicet ab his accipere quibus prædicat victum & veſtitum. [*Neque pecuniam in Zonis veſtris.*]; Quod duobus modis intelligi debet, vt neque pro ornamento aurum & gemmas in zonis ſuis ponerent, neque ſacellos cum denariis ad zonas alligarent. Pecunia, denarios de ære dicit, vnde tunc negotiabatur. Vnde Petrus cum Ioanne dixit ad claudum: Argentum & aurum non eſt mecum *Non peram in via.*] Pera paſtoralis eſt ſacculus ad portandum panem. Vnde de Dauid dicitur. Tulit peram paſtoralem, quam ſemper ſecum habere conſueuerat. [*Neque duas tunicas.*] Vnam tunicam dicit ſicut incedebat veſtitus, ne ex aliis veſtiti, alia ſibi futuro metu ſeruarent: cum ex illa poteſtate poſſent accipere. [*Neque calceamenta.*] Et Marcus dicit, quod calceari eos ſandaliis præcepetit. In calceamentis ſpiritualium eſt intelligendum vt verbum Euangelicum non occultarent: nec etiam in terrenis commodis inniterentur, vel fuſcarent pro terrenis rebus prædicationem Euangelicam. [*Neque virgam.*] Et Marcus dicit virgam portandam. Sed Matthæus dicit de virga Silueſtri & corporea. Marcus per virgam poteſtatem Euangelicæ prædicationis vult intelligi. In virga poteſtas prædicationis intelligitur, vt qui voluerit viuere de Euangello quia illum adnuntiat, faciat, qui noluerit, ſit in eius poteſtate. Vnde & Paulus. *Nunquid non habemus poteſtatem de Euangelio viuere ſed non ſumus vſi hac poteſtate.* Sunt enim quædam quæ Deus præcepit, quæ qui dimiſerit, reatus pœnam exſoluet: quædam vero quæ conceſſit, quæ & dimittere poſſumus & facere licet. [*Dignus eſt operarius cibo ſuo.*] Hoc in loco Paulus accipit, quod dixit. *Sic Dominus ordinauit, vt qui Euangelium adnuntiant, de Euangelio viuant.* [*In quamcunque autem ciuitatem aut in caſtellum intraueritis, interrogate quis in ea dignus ſit, & ibi manete.*] Mundus Dominus, mundos vult habere diſcipulos, quia cum S.S. effici poteſt & cum peruerſo peruerſus. Nec vult de domo in domum hoſpitari prædicatorem, ne corrumpant bonos mores colloquia mala. [*Intrantes autem in domum, ſalutate eam dicentes.*] Per domum habitatores debemus intelligere, quod non ſolum hoſpiti qui fama bona à nobis eligitur, benedicere debeamus: vnde retro dixerat, quis in ea dignus ſit, id eſt, benedictionem accipere vel verba vitæ vberius audire, ſed etiam omnibus hominibus pacem debemus imprecari. Et ipſe inſinuat quid dicere debeamus, inquit. [*Pax huic domui.*] Et ex iſto præcepto Domini & ex Romanorum præcepto ſalutare debemus Chriſtianos, quia ſic fuit conſuetudo apud antiquos noſtros. Quod Hebraïce & Siriace Salamalech dicitur: Græcè chere, Latine aue. Sed ex mala conſuetudine & doctrina adoleuit apud Palatinos, vt nullus comparem ſuum obuiantem imprecetur. Legant librum regum, ibi inuenient Hebræos reges ita feciſſe. Et Romani ſimiliter, ita vt non ſolum homines inter ſe, ſed per aues etiam imperatores ſalutaros. Vnde eſt illud pſittaci, à vobis aliorum nomina diſcam, hoc didici per me Chere Cæſar, quid noceret homini quando obuiant forſitan electo Dei, ſi diceret ille illi ſaluet te Dominus Heliſæus enim Propheta vnum verbum iratus dixit pueris, & quadraginta duo ex eis perierunt, Si bonum verbum dixiſſet, ſimiliter foret. [*Et ſi quidem fuerit domus digna veniet pax veſtra ſuper eam.*] Hoc eſt ſi habitatores qui in domino habitant digni fuerint. Per continentem hic quod continetur oſtendens. Veniet ſuper eos quod imprecatum fuerat, (*Si autem non fuerit digna, pax veſtra ad vos reuertetur.*) Quia ſi is cui imprecatur bonum aut pro quo operatur, non fuerit dignus accipere, dicenti vel facienti bonum merces manebit. (*Et quicunque non receperint vos: neque audierint ſermones veſtros, exeuntes excutite puluerem de pedibus veſtris in teſtimonium illis.*) Puluis excutitur in teſtimonium laboris ſui, quod prædicatio Apoſtolica ad eos peruenerit: & nec ad victum quidem neceſſaria acceperint, & Euangelium ſpreuerint. (*Amen dico vobis, tolerabilius erit terræ Sodomorum in die iudicij: quam illi ciuitati.*) Ob hoc quia illi non habuerunt ad ſe miſſos prædicatores. Hic apparet quod diuerſa tormenta ſunt inter peccatores in inferno.

CAP. XXVII.

De perſecutionibus Apoſtolorum.

ECce ego mitto vos ſicut oues in medio luporum.) Lupos appellat ſcribas & Phariſæos in medio non loco ſed odio quia cum incipietis apparere ſapientes & boni odient vos ſicuti me faciunt. (*Eſtote ergo prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ.*) Per prudentiam veſtram deuitate doctrinam eorum malam: per ſimplicitatem columbæ deuitate eorum mala opera. Habet ſerpens hanc aſtutiam, vt omne ſuum corpus obiiciat percuſſionibus, vt caput ſaluum faciat. Ita & nos facere debemus. Caput noſtrum Chriſtus eſt. Totum corpus dare pro Chriſto debemus, vt non eum negemus. Per ſimplicitatem columbæ, ſiue Spir. S qui per eam ſignificatus eſt ſtudeamus cum omnibus hominibus pacem habere. (*Cauete autem ab hominibus.*) Cauete, obſeruate, cuſtodite. (*Tradent enim vos in conciliis.*) Tradent, id eſt ad occidendum prodent, quia in me creditis. (*Et in ſynagogis ſuis flagellabunt vos.*) Hoc ita fuiſſe liber actus Apoſtolorum teſtatur, vbi ſcriptum eſt, quod cæſis Apoſtolis denuntiauerunt ne vltra loquerentur in nomine IESV, (*Et ad reges & præſides ducemini.*) Præſides vocabantur à præſidendo. Conſules, qui prouidebant prouinciis, quod fuit Pilatus, & Albinus in Iudæa. Reges Herodes ambo, & alij quos libri paſſionum eorum commemorant. Ante quos Apoſtoli ducti ſunt, aliqui flagellati, aliqui occiſi. Quod autem præſides ante reges poſuit, ſciendum quod conſules qui prouinciis præſidebant excellentiores erant multis regibus & habebant in miniſterio quatuor aut quinque prouincias cum regibus, vt Cyrinus habuit Syriam. (*In teſtimonium illis & gentibus.*) Quod in tantum ingeſſiſtis eis prædicationem Euangelicam, vt non ſolū non audirent. (*Cum autem tradent vos nolite cogitare quomodo aut quid loquamini. Sola voluntas veſtra recta ſit, & ipſam offerte Deo: Spir. S. loquetur pro vobis, qui in vobis habitabis. Dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. Nouit enim Spir. S. quid cuique neceſſarium vel oportunum ſit ad loquendum. Non enim vos eſtis qui loquimini, ſed ſpiritus patris veſtri qui loquitur in vobis.*) Quamuis per fiſtulā cordis veſtri vox audiatur: tamen ſpiritus erit in vobis fons bonitatis, qui dabit incrementum & audaciam locutionis. (*Tradet autem frater fratrem in mortem.*) Hoc frequenter factum eſt in perſecutionibus quod frater paganus Chriſtianum fratrem prodidit ad mortem. (*Et pater filium.*) Non ſolum tradidit ad mortem, ſed etiam multi occiderunt. (*Et inſurgent filij in parentes, & morte eos afficient.*) De hoc nulla quæſtio eſt qui ſatis habemus exempla. (*Et eritis omnibus odio propter nomen meum.*) Beatum odium quod pro ſaluatore infertur, hoc omnes Chriſtiani debent optare. Quod autem dicit *eritis odio omnibus*, ſubauditur malis. Nam boni non ſolum non odient, ſed etiam amabunt vt fratres (*Qui autem perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit.*) Nihil prodeſt bene incipere, ſi non vſque in finem perſeuerauerit in recta fide: vel in bono opere quia lignum in quam partem ceciderit ibi manebit. Hic pronomen eſt in iſto loco, non aduerbium & habet ſenſum quaſi ille. (*Cum autem perſequentur vos in ciuitate iſta fugite in aliam.*)

Digitized by Google

A De præsentl missione loquebatur, vt si eos persequerentur, reuerterentur ad eum, quia nolebar occidi donec ipse primus pro omnibus moreretur. Et tamen generale est Domini præceptum. Qui noluerit consummari vitam suam per martyrium, det locum persecutori, & eat vbi possit quietius Deo seruire. Verumtamen quanto crudeliora sustinuerit pro Deo, tanto beatior erit in æterno regno. [*Amen dico vobis, non consummabitis ciuitates Israel donec filius hominis veniat.*] De hoc dicit, quia ipse erat venturus ad prædicandum, quo eos tunc mittebat. [*Non est discipulus super magistrum.*] Hoc est, nolite quærere grandia. Me persequuntur, qui magister vester & Dominus sum: quanto magis vos qui discipuli estis & creatura mea. [*Sufficit discipulo, vt sit sicut magister eius. Tunc erit perfectus discipulus si magistrum potuerit æquiparare. Si patrem familias Beelzebub vocauerunt: quanto magis domesticos suos. Si mihi qui quasi pater familias vobis præsum, dixerunt: in Beelzebub eiicit dæmonia quanto magis vobis peiora dicent.*] B Pater familias autem antiquus genitiuus est descendens à Græco, & pater familias ille vocatur, qui suæ familiæ sic præest sicut pater. Quo nomine Dominus recte vocatur, qui discipulis dixit vos amici mei fecistis. Et præcepit vt patrem ipsum inuocarent. Domesticos Apostolos appellat, quia ei per fidem & operationem domestici erant. [*Nihil opertum quod non reuelabitur, & occultum quod non scietur.*] De futuro iudicio Dominus dicit, quod in vltimo examine vniuscuiusque voluntas & opus manifestum debeat esse. Ac si dixisset. Veniet tempus in quo & vestra virtus, & eorum nequitia demonstrabitur, & recipietis vos bona pro benefactis, & ipsi mala pro malis. Opertum autem coopertum dicitur. [*Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine. Quod audistis in mysterio, apertius prædicate: quod vos erudio in paruulo loco Iudææ, in toto mundo dicite. Quod in aure audistis prædicate super tecta.*] In morem prouinciæ loquitur, vbi soliti erant supra domos stantes prædicare & desuper templo quia plana erant eorum tecta. C Quod Iacobus faciebat, quando inde præcipitatus est. [*Et nolite timere eos, qui corpus occidunt: animam autem non possunt occidere.*] Nolite timere corpus tradere pro Christo: quia quamuis possint dissipare corpus: tamen nec animæ possunt auferre suam gloriam: nec de corpore possunt facere, vt non resurgat in gloria, quocunque modo eum incenderint vel in quamcunque aquam proiecerint. [*Sed potius eum timete, qui potest & animam & corpus perdere in gehennam.*] Ille timendus est, qui in hoc seculo potest agere quæ voluerit de anima & corpore, & modo animã immittere in pœnas æternas, & post diem iudicij mittere corpus cum anima in eisdem tormentis. Per gehennam infernum volens intelligi. Fuit denique vallis iuxta Hierusalem, quæ dicta fuit gehennon, id est vallis ennon, quia Hebraico sermone vallis dicitur: ennon, proprium nomen possessoris. Fuit vero irrigua de Siloa torrente, & nemorosa. Quandocunque autem populus Israel reuertebatur à cultura Dei, ibi idola immolabant & diuinabant. Et tunc D cominatus est Dominus locum ipsum impleturum cadaueribus mortuorum, vt non vocetur tophet, id est pulchra, sed poliandrum, id est tumulus mortuorum. Hoc per Hieremiam est Dominus comminatus, & temporibus Chaldæorum completum est. Futura igitur supplicia huius loci vocabulo denotantur. Duplicem autem esse gehennam, in quibus peccatores cruciandi sunt, videlicet nimium frigorem, & nimium calorem Iob designat, qui dicit. Ad nimium calorem transeunt ab aquis niuium. [*Nonne duo passeres asse veneunt.*] Passerum multa sunt genera: alij gaudent ad foramina parietum, alij valles roscidas requirunt, nonnulli montes appetunt squalentes. Dictus est autem passer à paruitate. Iubebantur vero frequenter in veteri lege offerri propter quasdam obseruationes siue purgationes. Dat ergo similitudinem per metaphoram de re inferiori ad superiorem, & est species parabolæ rerum genere dissimiliũ hortantis & demõstrantis, quam prouidentiam diuina pietas erga genus humanum habeat. Ac si dicat aperte. Si parua animalia & vilia, quæ hic videtis vendere cum vno asse, absque Dei voluntate in laqueos hominum non decidunt, quanto magis vos qui ad imaginem Dei facti estis, Dei prouidentia & tutamine custodimini? De asse namque quod est genus ponderis, id est scrupulus vnus, vel nomen numeri, diuerso modo exponunt auctores. Dicunt enim arithmetici quando numerant, asse duo, tres, & ibi habet sensum vnum. Iterum in notis arithmeticorum esse, duodecim vnciæ dicuntur. Potest ergo esse, vt aliquando chari essent nimium propter illas purgationes diuersas, quæ fiebant cum ipsis in templo Domini, & aliquando viles. Secundum vero illum sensum potest fieri cum asse, hoc est cum vno denario, vel vno scrupulo de ære. Secundum alium vero intellectum potest fieri, vt emerentur duo cum vna libra quod est asse. Quia & Lucas concordat ad istum dicens. *Nonne quinque passeres veneunt dipondio?* quod sunt duæ libræ, vel scrupuli duo. Et sensus Euangelicus ad F hoc magis concordare videtur, quasi dicat. Illa parua animalia tam cara sunt, vt duo vna libra vendantur, quia nullus ea potest capere, nisi permittente Deo. Quid dubitatis de vobis, quod aliquis possit nocere nisi quantum à Deo permissum est? Veneunt autem passiuam habet significationem, & pro venduntur accipitur, cuius actiuum est venundo. Quod autem dicit *non cadet super terram*, h. e. in laqueum siue aucupium alicuius sine patris voluntate. [*Vestri autem capilli capitis numerati sunt.*] Tanta est cura vestri coram Deo, vt etiam numerum capillorum vestrorum nouerit. Scientia numeri demonstratur non eiusdem numeri conseruatio. [*Nolite ergo timere, multis passeribus meliores estis vos.*] h. e. plus valetis, & plus chari estis Deo. Melioris enim ad taxationem pertinet: meliores vero ad comparationem. [*Omnis ergo qui confitebitur me coram hominibus confitebor & ego eum coram Patre meo qui in cælis est.*] Confessio hic non solum voce sed etiam opere intelligitur, quia *qui dicit se nosse Deum, & mandata eius non custodit, mendax est.* [*Qui autem negauerit me coram hominibus negabo & ego eum coram patre meo.*] G Et hic negatio & per vocem & per opera intelligitur: & non solum negator Dei non agnoscetur à Deo in alia vita, sed etiam ignorans Deum ignorabitur à Deo.

CAP. XXVIII.

Quod Dominus non venit pacem mittere, sed gladium.

NOlite arbitrari quod venerim pacem mittere, sed gladium.] Arbitrari pro æstimare vel putare ponitur. Quomodo est hoc, cum in alio loco Dominus dicatur. *pacem relinquo vobis*, & hic dicit, *non veni pacem mittere?* Sed sciendum quod est pax bona, & est pax mala Quando Dominus in hunc mundum venit, pacem malam mundus habebat in malo. Misit Dominus Euangelium suum, & cæperunt cognoscere, quia non bene concordabant adinuicem: Et missum est bellum bonum, vt H rumperetur pax mala. Tali modo fecisse legitur Deus, cum omnis mundus qui tunc erant, congregauerunt se vt facerent turrim, per quam possint explorare, quid esset in cælo, & etiam se defendere à diluuio si iterum foret: aut ab igne qui mundum habet delere. Immisit in vna nocte diuersitatem linguarum, & cæperunt pro hac caussa discordare, & dimiserunt quod faciebant. Hoc tempore cum mundus concordans esset in adorandis idolis, immisit verbum Euangelij, & cæperunt tunc discordare bene, qui ante vnanimes in malo erant. Gladium autem, dicit separationem verbi, quia sicut gladius separat quod non potest teneri, sic verbum Dei separauit fratrem à fratre, patrem à filio, & nurum aduersus socrum suã. Socrus est mater viri: nurus quæ filiũ eius habet. [*Et inimici hominis, domestici eius.*] Ad doctrinam pertinet hoc totũ, quod postea euenit, vt pater esset paganus, filius Christianus, vt fuit sancti Celsi vel S. Martini pater, de quo scriptũ est, *felices eius actus inuidebat.* Similiter de omnibus parẽtibus

ribus legimus quod alij crediderunt, alij non, & in hoc fuit separatio. Domesticus autē à domo deriuatur, scilicet qui domo sunt assueti. [*Qui amat patrē aut matrē plus quā me, non est me dignus.*] Ecce gladius separationis de quo dixerat. Pro isto gladio, separata sunt multa milia sanctorum à parentibus suis, & sic debent adhuc facere omnes qui volunt esse boni, & beate viuere in alia vita. Hic debens ordinem amoris discere, quod sponsa in Cantico Canticorum postulat in se ordinari inquiens. Ordinate in me charitatem. Ecce ordo: nec patrem nec matrem super Deum, sed primitus Deum: deinde parentes, post omnes Christianos. Si autem euenerit vt pater & mater nolint fieri Christiani, vel boni, & non potest vtrumque in simul diligere: ama creatorem totis visceribus & dimitte malos parentes. Vnde & suo dixit discipulo. [*Dimitte mortuos sepelire mortuum.*] Super me, id est, qui alicuius amorem meo amori præfert. *Non est me dignus*: subauditur *discipulus*. [*Et qui non accipit crucem suam & sequitur me.*] Allegoria est hic, per crucem, mortificationem vitiorum volens intelligi: ac si dicat. Qui non mortificat se huic seculo & concupiscentiis eius & facit mandata mea (quia hoc est sequi eum) non est meus dignus discipulus. [*Qui inuenit animam suam, perdet illam.*] Per Animam vita hominis intelligitur. Qui inuenit vitam suam omnibus voluptatibus suis, perdet illam in alia vita. Siue alio modo. Si amas animam tuam perde illam pro Christo. [*Et qui perdiderit animam suam propter me, inueniet eam.*] Hoc apparet in martyribus. Quia non dubitauerunt in præsenti perdere animas pro Christo, vt modo haberent in gloria cum ipso Deo. [*Qui recipit vos, me recipit.*] Quia præceperat si necessitas eueniret, vt omnes cognatos pro eo dimitterent, austeritatem præceptorum, auctoritate temperat concessorum. *Qui vos recipit in honore & in abundatione, & fide me quem vident parum videtur, sciat qui me recipit, recipit eum qui me misit, id est patrem, & me in diuinitate, & Spiritum sanctum. Qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ mercedem Prophetæ accipiet.*] Dat exemplum, quod sicut illi qui recipiebant Prophetas, quando circuibant terram Iudæorum docendo (vt legimus *in lib. Reg.*) quod & cellas illorum & vtensilia eis habebant parata: receperunt à Deo mercedem, quia in nomine Domini fecerunt eis obsequia. Vnde illa mulier recepit filium suum resuscitatum ab Helia, & alia meruit habere filium cum esset sterilis. Et Michæas quia abscondit centum Prophetas & pauit eos tempore persecutionis, meruit Prophetiæ spiritum & ipse est duodecimus Prophetarum. Non dicit autem quod debeat recipere mercedem de Propheta vel de iusto: sed mercedem Prophetæ & iusti Talem videlicet mercedem, qualem Propheta & iustus accepturi sunt, etiam si homo non est Propheta neque iustus, & venit in nomine Domini ad nos, & nos credimus quod ita sit, & damus ei necessaria propter nomen Domini: ille mendacij pœnas exsoluet, nos vero non frustrabimur mercede, quam in nomine Domini largiti sumus, quia quicunque Iudam traditorem in nomine Domini susceperunt eo tempore quo Dominum sequebatur, eandem mercedem habuerunt apud Deum, quam & illi qui Petrum & Ioannem susceperunt, quia vnus erat tunc Iudas de illis, ad quos hæc Dominus loquebatur. Non enim debet considerari persona missi, sed mittentis Domini. [*Et quicunque potum dederit vni ex minimis istis, calicem aquæ frigidæ tantum in nomine discipuli, amen dico vobis, non perdet mercedem suam.*] Pro certo debemus credere quod quicquid boni facimus in nomine Domini, recipiemus aut in hoc seculo, aut in futuro, siue in verbo siue in facto mercedem. Veruntamen si nos illum contrarium viæ Domini non cognoscimus, cæterum si in aliquo crimine mortali detentum illum nouimus, & publice hoc exequitur, & non vult emendari castigationibus bonorum hominum habendus est à nobis sicut ethnicus & Publicanus, quia sic præcepit Dominus, & Paulus dicens: *Si quis frater nominatur auarus, aut rapax, aut aliquid huiusmodi, & est, cum huiusmodi nec cibum sumere.* Attendendum quod non dixit solum si nominatur, sed addidit, si est, quia multi dicuntur, & non sunt, sed de his dixit, qui & dicuntur publice, & sunt. Attendendum quod dixit, *ex minimis istis*, h. e. meis, qui minimi sunt, qui sunt humiles spiritu. Nam Marcus dicit, *in nomine meo quia Christi estis.* [*Et factum est cum consummasset* IESVS, *præcipiens* 12. *discipulis suis.*] Cum consummasset, ad perfectionem perduxisset, aliud denique est quando dicimus consummatus est ignis vel cibus, aliud cum dicimus consummatus est sermo docentis. Ibi finis accipitur, hic perfectio demonstratur. Præcipiens duodecim: aliud separatim præcepit duodecim & aliud duodecim & septuaginta duobus simul: duodecim secretiora, septuaginta duobus communia. [*Cum habuit perfectam ordinationem & doctrinam duodecim: transiit inde, vt doceret in ciuitatibus eorum.*] Inde quod dicit, de monte Tabor vult intelligi, in quo superiora docuit. Perspiciendum vero mente sedula, quod Dominus postquam prædicare cæpit, non cessauit per tres annos & dimidium, nisi quando somnum cæpit: dans exemplum, vt quicunque bonum opus incipit, instanter illud exerceat. Quia qui remissus & dissolutus est in opere suo frater est sua opera dissipantis, *& si tepidus fuerit, neque frigidus neque calidus, euometur ex ore Dei.*

CAP. XXIX.

Quod Ioannes de carcere mittit ad Dominum.

IOannes autem cum audisset in vinculis opera Christi.] Parum antequam Ioannes comprehensus esset ab Herode tetrarcha, cæpit Dominus prædicare, ne deesset Israëli verbum diuinum post Ioannem. Ioannes autem comprehensus est ab Herode tetrarcha filio Herodis, & missus est in carcerem & in vinculis: quia Herodes acceperat vxorem fratris sui, non tamen ei ipse Herodes tulerat, sed pater vxoris tulerat eam à Philippo pro quibusdam simultatibus exortis inter eos, & dederat eam Herodi quia ipse Herodes maioris potestatis erat. Ioannes autem quamuis Herodes ex vna parte esset Iudæus, ex alia non esset, erat enim ex vna parte de Simonis genere, & Ioannis filiis eius, quia Aristoboli sacerdotis filia fuerat Marianna vxor Herodis maioris quam ipse occidit. Fuit autem Aristobolus nepos Ioannis filij Simonis, *qui in lib. Machabæorum legitur.* Igitur non cessauit Ioannes adnuntiare ei quia iniuste fecerat (quamuis pater ei dedisset) quod vxorem fratris sui retineret. Mulier vero cum amaret secundum maritum magis quam primum, suasit ei vt mitteret eum in carcerem. In hoc ergo carcere & in his vinculis cum esset audiuit opera Christi.

Quæ sunt opera Christi quæ audiuit? quæ superius auditis facta quod videlicet sanaret omnes infirmitates in populo. [*Mittens duos de discipulis suis, ait illi.*] Sciebat Ioannes quia ipse erat verus homo, & verus Rex gloriæ Dei, & quia ideo incarnatus fuerat, vt per suam mortem redimeret mundum. Cum audiuit autem illum tantas virtutes facere, tunc cœpit cogitare dicens. Si ipse tantas virtutes facit, quis occidet illum. Modo innotescet mundo: modo nullus audebit eum occidere, sed omnes venerabuntur eum. Ego credebam quod ipse deberet mori pro nobis, sed modo vnum est è duobus aut ipse non facit tantas virtutes quantas audio, aut si facit, nullus eum occidet, sed diligent & extollent eum & pro tali dubitatione misit duos de discipulis, & ait illi. [*Tu es qui venturus es, an alium expectamus.*] Tu es qui venturus es: sicut credebam per mortem tuam ad liberationem hominum qui tanta facis: an alium debes mittere qui debeat mori pro nobis? Iste est verior sensus sicut conicere possumus ex factis Domini & dictis, quæ in sequentibus aperiemus. Nam non ignoramus quod alij etiam in hoc loco senserunt, quod Ioannes

idcirco

A ideirco misit discipulos ad Dominum, vt inuitaret eos ad discipulatum Domini: sicut iam aliqui erant & aliqui odibant, & detrahebant factis ipsius cum Pharisæis. [*Et respondens* IESVS, *ait illis.*] Alius Euangelista refert, quod iusserit venire coram se cæcos & claudos & leprosos, & curauit eos, & inde dixit. *Renuntiate Ioanni quæ audistis & vidistis. Virtutes quas vidistis de me fieri* ac si mandaret, vt ille sciat, quia sic est sicut audiuit facio coram vobis, vt ex visu vestro renuntiare possitis, & ex auditu & miranda facio, & tamen sicut ipse credidit moriar, quia venit hora quando satis beatus & tutus erit, qui non habet scandalum erga me. [*Cæci vident: claudi ambulant: leprosi mundantur: surdi audiunt: mortui resurgunt: pauperes Euangelizantur.* Quoties istas virtutes superius audiuimus factas à Domino & filiam archisynagogi resuscitatam. Quare autem dicit pauperes Euangelizantur? Quia hoc specialiter Esaias de illo prophetauerat futurum, inquiens: *Ad adnuntiandum mansuetis terræ misit me.* B Et de ipsis dixerat Dominus. *Beati pauperes spiritu.* [*Et beatus est qui non fuerit scandalisatus in me.*] Ac si aperte dicat. Iam sunt electi & perpauci, qui non debeãt scandalum aduersum me sumere, & qui nolint mortificare me. Ponit autem præsens tempus pro futuro, beatus erit quoniam in conspectu Dei omnia futura præsentia sunt. [*Illis autem abeuntibus, cœpit* IESVS *dicere ad turbas de Ioanne.*] Deus conscius humanæ fragilitatis, quia Ioannes homo erat, & poterat ei subripere elatio: ob hoc noluit coram discipulis suis illum laudare, sed abeuntibus illis propter exemplum aliorum & ædificationem, dixit de illo quæ innitenda forent. Exemplo ipsius nullus debet laudare quempiam in oculis eius, iuxta præceptum sapientis: ne laudaueris hominem in vita sua. [*Quid existis videre in desertum, Arundinem vento agitatam.*] Arundo dicta quod cito arescat. Hæc & canna vocatur Hebraice & Latine, & abundat in illa patria sicut & in Italia, ita vt sepes ex eis fiant, & alia necessaria, & crescunt in paludibus locis in modum herbæ, quæ apud nos ros vocatur. Est autem C allegoria in hoc loco aliud dicens, & aliud volens intelligi. Per arundinem instabiles homines volens intelligi. Ac si aperte dicat. Quando fuistis ad audiendam prædicationem Ioannis in deserto, nunquid vidistis illum instabilem & mutabilem, vt arundo contra ventum? Vt enim arundo vertitur in aliam partem cum ventus eam tetigerit: ita carnalis homo siue pro cupiditate, siue pro timore flectitur in aliam partem. Sed Ioannes arundo non erat, sed Cedrus, & de illo aliisque electis dicitur. *Iustus vt palma florebit*, &c. Malus etenim ille homo est qui propter donum siue propter aliquem timorem Dei præceptum dimittit, vel alius est in prosperitate, & alius est in aduersitate erga dominum, vel erga proximum. Inde dicit Scriptura. *Stultus vt Luna mutatur.* Ioannes autem fixus fuit in præceptis Dei, & peccatoribus non est adulatus, sed firmo corde dixit Pharisæis. *Genimina viperarum.* Et Herodi regi. *Non licet tibi habere vxorem fratris tui.* Et vsque ad mortem nec pro muneribus nec pro terroribus est immutatus, & ideo a Domi- D no laudatus. [*Sed quid existis videre in desertum? hominem mollibus vestitum.* Iterum de hac re Dominus Ioannem laudat, quod austeram vitam tam in cibo quam in potu tenuerit. Licet enim nobiliter natus, delicate nutritus: tamen in ipsis feruidis iuuentutis suæ annis in Heremum ingressus (sicut audistis) & austere vixit, & austerioribus vestimentis contectus est, quia de pilis camelorum vestimentum habuit, de qua re nunc dicitur à Domino quando fuistis ad consulendum Ioannem, nunquid vidistis eum mollibus vestimentis vestitum? Ac si aperte dicat non cœlesti, sed terreno regi militant, qui aspera pro Deo perpeti refugiunt. Potest & aliter accipi quod Ioannes non mollibus vestimentis vestitus esse dictus, quia vitam peccantium non blandimentis fouit, sed aspera increptione increpauit dicens: *genimina viperarum.* Sic etenim sapientium verba esse debent malis, sicut stimuli & claui in altum defixi, vt intelligant & meminerint peccatum suum, vt Salomon ait. *Responde stulto iuxta stultitiam suam, ne sibi sapiens videatur.* Attendere

E tamen debemus quod Dominus Ioannem de vestimenti sui asperitate collaudat. Si virtus non esset vilibus vestimentis indui: nequaquam Dominus illum de hac re laudasset: nequaquam etiam. B. Petrus si culpa non esset vestimenta pretiosa quærere fæminas prohiberet dicens. Non in veste pretiosa. [*Sed quid existis videre? Prophetam? etiam dico vobis & plusquam Prophetam.*] Adhuc perseuerat Dominus in laudibus Ioannis, dicit quod Ioannes non solum fuit Propheta, sed etiam plusquam Propheta. Prophetæ namque ministerium est ventura prædicere, non etiam demonstrare. Ioannes vero non solum prædixit saluatorem, sed etiam digito demonstrauit dicens: *Ecce Agnus Dei.* Quid Ioannes dici debebat merito, subsequenter ostendit. Sequitur enim. [*Hic est de quo scriptum est. Ecce mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparauit viam tuam ante te.*] Qui causam debet dicere, & aliquem laudibus extollere, hoc modo debet agere, vt prius repleat quod non est, & post consequenter exponat quod est. Ecce primo Dominus dixit, quod Ioannes arun- F do vento agitata non erat: neque mollibus vestitus, post paulatim, quia non solum Propheta, sed etiam plusquam Propheta: ad vltimum Angelum illum dicit. Angelus enim *nuncius* dicitur. Et rectè Angelus nuncupatur, qui certus nuntius & præco saluatoris factus, manifeste ab ipso oculis & digito demonstratus est, & vnusquisque fidelis qui sacerdotis nomine censetur, Zacharia attestante, si ministerij sui iura exequitur, Angeli nomine vocatur. Ait enim. *Labia sacerdotis custodient scientiam, & legem requirunt ex ore eius: quia Angelus Domini est.* Studeat ergo quisquis illo numine decoratur, vita & operibus Angelus esse, vt & in opere & sermone Deum videntibus & audientibus adnuntiet. Sequitur. [*Qui præparabit vitam tuam ante te.*] Ioannes enim viam Domino præparauit, quia multis non solum prædicauit, sed & vt in eum crederent (etiam in testimonium) baptismo baptisauit. Et vnusquisque nostrum viam Domino præparat, si expulsis de corde suo vitiorum spinis virtutes ibi G inserit. [*Amen dico vobis, non surrexit inter natos mulierũ maior Ioanne Baptista.*] Digno laudationis præconio Dominus Ioannẽ extulit, quando meritis æqualem omnibus sanctis esse dixit. Non est putandum Domino IESV CHRISTO illum esse comparatum, quia Dominus noster non de muliere, sed de Virgine natus est. Sequitur. [*Qui autem minor est in regno cælorum, maior est illo.*] Regnum cœlorum hic Ecclesia intelligitur: in qua Christus tunc minoris famæ habebatur, sed maior erat illo diuinitate, vel alio modo. Omnis sanctus, qui iam corruptione carnis transierat, maior erat illo, quia adhuc in prælio stabat, & corruptibili carne indutus erat, propterea potest recte intelligi de illo, qui quamuis meritis paruus esset: inde tamen quia iam corruptionem carnis transcensam habebat, maior Ioanne erat, qui in carne positus peccare poterat, & amittere gratiam Dei, propterea maior ille illo erat. [*A diebus autem Ioannis vsque nunc regnum cælorũ vim patitur.*] Quia ipse primus prædicauit, quia appropinquabit regnum cœlorum, & qui vellent pœnitentiam agere, pateret eis aditus. Exinde cœperunt Publi- H cani & peccatores, qui digni erant morte pro suis fraudibus agere pœnitentiam & aspirare in regno Dei. [*Et violenti rapiunt illud.*] Per pœnitentiam efficiuntur digni cœlo, qui fuerant digni inferno. Vel etiam grandis violentia est, vt homo qui in terra natus est, cœlum velit possidere. Sed tamen hæc est misericordia Dei. Omnes enim Prophetæ & lex vsque ad Ioannem prophetauerunt. Quia quicquid lex & Prophetæ de Christo prophetauerunt, postquam ipse venit completa sunt: propterea non habuerunt vltra officium. Quia postquam Rex venit præcones silent. Sequitur. [*Et si vultis recipere, est Helias qui venturus est.*] In alio loco interrogatus Ioannes si ipse esset Helias, respondit se non esse, & nunc Dominus dicit, quia ipse est. Nunquid sibi contrarij sunt? Non Ioannes turbis stolidis de corpore suo dixit, quod non esset Helias: Dominus autem noster de spiritu & similitudine Ioannis discipuli suis spiritalibus spiritaliter locutus est, quod Ioannes in spiritu & operatione

A Helias esset, quia sicut Helias secundum Domini aduentum præueniet: ita iste præuenit primum, sicut ille austetam vitam docens & in victu & in tegumentis, persecutionem passus est ab Achab Rege & Gezabel regina pro cœlo cultus Dei: ita iste eo mure viuens sustinuit persecutionem Herodis & Herodiadis cœlo legis diuinæ vsque. [*Qui habet aures audiendi audiat.*] Vbicunque Dominus hanc clausulam subiungit intentos auditores ad spiritalem intellectum prouocat. Omnes enim aures corporis qui eum audiebant habebant, sed aures cordis requirebat, quibus ista dicebat, vt videlicet & superiora & sequentia spiritaliter intelligerent. Sequitur. [*Cui autem similem æstimabo generationem istam.*] Adhuc in Ioannis laude perseuerat. Ostendit enim quod exemplum Ioannis generationi illi prætulerit, si imitari voluissent. [*Similis est pueris sedentibus in foro, qui clamantes coæqualibus suis dicunt.*] Pueris assimilantur Iudæi
B propter suas insipientias & prauitates, quia sicut puer propter iuuentutem frequenter perperam agit: similiter Iudæi quia pueri erant sensibus erga legem Dei frequenter oberrabant. [*Cecinimus vobis & non saltastis, lamentauimus & non planxistis.*] Isti ergo pueri Prophetæ sunt, de quibus vnus dicit: *Ecce ego & pueri mei quos mihi dedit Deus* Et Psalmos, *ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem.* Clamauerunt Iudæis sedentibus in foro, quia vbi ipsi erant propter mercimonias illorum, forum potest appellari. Cecinimus vobis, id est, prouocauimus vt ad nostrum canticum bona opera faceretis, & saltaretis ad nostram melodiam, sicut saltauit Dauid ante arcam Domini, & noluistis. Vnde vnus ex eis dicebat. *Cantabo dilecto meo Canticum patruelis mei vineæ suæ.* [*Lamentauimus vobis, vt vos ad pœnitentiam prouocaremus, & nec hoc facere voluistis spernentes vtrumque, & exhortationem, & pœnitentiam de peccatis vestris.*] Vnde & Hieremias dicebat deducant oculi mei lachrymas per diem & noctem, & non taceant: quoniam contritione magna contrita est virgo filia populi mei, plaga
C pessima vehementer. [*Simili modo nunc Venit enim Ioannes neque manducans neque bibens, & dicunt dæmonium habet exemplum vobis præbens abstinentiæ: nec illum imitare voluistis. Veni ergo manducans & bibens vobiscum, vt lucri vos facerem, non solum non me obaudistis, sed etiam detraxistis dicentes. Ecce homo vorax & potator vini, publicanorum & peccatorum amicus. Quia ego cum Publicanis & peccatoribus ideo manducabam, vt dum ab eis acciperem corporeum cibum, ipsi a me acciperent spiritalem.*] Grece melius sonat Oinopotlos οἰνοπότης quam Latine, quia Græce Vinipotens sonat Latine bibitor vini. Nec improperabant ei, quod vinum biberet, quod non est vitium si moderate potetur? sed improperabant ei, quod potens esset ad bibendum vinum. Quod tamen in Domino mendaciter reprehendebant & improperabant, sicut & reliqua, quia absque dubio & in cibo & in potu, ac in reliquis necessatiis humanæ carnis modum non excessit. [*Et iustificata est sapientia a filiis suis.*] id est ego qui sum sapientia Dei patris in hoc
D iustificatus sum à filiis meis, id est ab Apostolis discipulis meis, quod omne genus curationis & conuersionis vobis adhibuerim & omnia repuleritis.

[*Tunc cæpit exprobrare ciuitatibus, in quibus factæ sunt plurimæ virtutes eius, quod non egissent pœnitentiam.*] Exprobrat Dominus ciuitatibus, quæ erant in Galilæa, per ciuitates homines qui habitant in ipsis ciuitatibus volens intelligi, quia ipsi qui viderant eum ab infantia inste conuersarum inter eos, non sunt imitati: neque exemplum conuersationis eius neque verba prædicationis eius; cum alij multi statim vt eum audierunt prædicantem, conuersi sunt à malis suis. [*Væ tibi Corozaim, væ tibi Bethsaida, quia si in Tyro & Sydone factæ fuissent virtutes quæ in te factæ sunt, olim in cinere & cilicio pœnitentiam egissent.*] Præferuntur ergo Tyrus & Sydon vrbibus Galilææ, quia ipse Tyrus & Sydon naturalem legem calcauerunt. Istæ autem & legem naturalem, & legem litteræ transgressæ sunt, & prædicationem Domini despectui habuerunt. Legimus enim supra, quod circumierit Dominus omnes ciuitates, & vicos, curans omnem infirmi- E
tatem etiam & inter eos nutritus est. Corozaim fuit oppidum Galilææ, in secundo lapide Capharnaum. Est vero nunc desertum, & interpretatur *ministerium meum.* Conueniens itaque interpretatio Domino Christo, quod ministerium eius fuerit à patre sibi commissum, etiam illos conuertere qui ibi habitabant. Bethsaidæ duæ sunt in nomine, vna Bethsaida piscina quæ probatica cognominabatur, vbi languidi iacebant. Alia Bethsaida in Galilæa ciuitas Andreæ & Petri & Philippi, quæ interpretata dicitur *domus venatorum.* Et venatores possunt & in bono & in malo accipi, sicut & piscatores. Propter illos ergo discipulos Domini, qui ex ipsa secuti sunt Dominum potest in bonam partem accipi, quod ipsi venati sunt aliquos ex gentibus, sicut & piscati. Nam & alias venatores semper in malo accipiuntur. Sodoma interpretatur pecus propter peccata sua, quæ insipienter vt pecus egit, & ob hoc à præsenti incendio in perpetuum, quę nunc præfertur vrbibus Galilææ. Tamen vtræque F
pessimæ, quia & hoc quod Dominus in prælatione eius, forte, aduerbium dubitantis posuit, perfidiam habitatorum quæ in ea fuerunt designauit. Tamen per hæc verba ostenduntur diuersa tormenta esse in inferno vt qui plus peccauit crucietur: & qui minus leuiora sentiat tormenta. Non est vero necesse scribere, quæ Sodoma fuerit vel quem exitum habuerit, quia omnibus nota est historia. Et adhuc videntibus terror tremendi examinis ostenditur: ideoque ab omnibus est cauenda actio eius.

CAP. XXX.

Confessio Domini ad patrem, & iugum eius leue.

IN illo tempore respondens IESVS. In illo tempore quod dicit ad hoc respicit quod dixerat. Tunc cæpit IESVS exprobrare quia in illa exprobratione illarum ciuitatum, perfidia Iudæorum prætendit, qua Christum erant re- G
pulsuri: in prælatione gentium ciuitatum, gentes credituræ designantur. Et interest illa confessio quod nunc est glorificaturus patrem. Quod dicit respondens, subauditur ad patrem. [*Confiteor tibi Domine Pater cæli & terræ.* Confessionum genera duo sunt: vnum qua peccator confitetur peccata sua, alia confessio, quæ ad laudem gratiarum actione pertinet quam in hoc Euangelio frequenter legimus Dominum Christum ad Patrem fecisse, de qua nunc sequitur. [*Quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus & reuelasti ea paruulis.*] Sapientibus Scribis & Pharisæis dicit non quod ipsi vere essent sapiẽtes, sed quia sibi videbantur esse sapientes, & prudentes.] *Et reuelasti ea paruulis.*] Id est humilibus, Apostolis videlicet meis.

Faciunt autem Philosophi differentiam inter sapientiam & prudentiam dicentes, sapientiam esse diuinarum cognitionem, prudentiam autem diuinarum humanarumque agnitionem. Potest etiam sapientum & prudentum nomine gens Iudæorum intelligi, quæ sibi sapiens esse visa est, propter legem & Prophetarum doctrinam H
quam accepit, sed quia male eam interpretata est & intellexit: propterea incertam & occultam Dei sapientiam in ea intelligere non potuit. Gentiles vero humiles appellantur & paruuli, quia agnoscentes ignorantiam suam. Domini prædicationem statim vt audiere suscepere. [*Ita pater quia sic fuit placitum ante te.*] Subauditur gratias ago. Ista confessio Græce hexomologesis dicitur cuius nominis duplex significatio est, quia vt pertinet ad confessionem peccatorum quo delicta nostra confitemur Domino, non quasi ignaro cui nihil occultum, sed confessio fit erroris professio, vt sit finis peccati quod in conspectu eius detestamur. Alia autem confessio est quæ ad laudem & gratiarum actionem pertinet in hoc loco. *Confiteor tibi Pater cæli & terræ.* [*Omnia mihi tradita sunt à Patre meo.*] Secundum eam formam qua homo factus est hæc loquitur, de electis scilicet qui credituri sunt in eum, & inde dicit omnia, subauditur *electa.* Nam secundum diuinitatem tunc tradita sunt, quando de patre genitus

est.

A est. Si quid quæstionis in hoc verbo videtur habere melius silere puto quam cursim nunc exponere, donec latiorem expositionem opportunum tempus inueniat: quia sicut canones præcipiunt, obscuræ quæstiones in populis reticendæ sunt.] *Et nemo nouit filium nisi pater: neque patrem quis nouit nisi filius.*] Ista noticia secundum diuinitatis naturam intelligitur, qua pater & filius vnus Deus: & quia filius de patre processerit: vel quia æternus pater, æternus filius, æternus & spiritus sanctus: & quia semper inenarrabilis illa scientia humanis sermonibus est: quod & Propheta dicit. Generationẽ eius quis enarrabit. Quid autem sequitur. [*& cui voluerit filius reuelare.*] manifeste credimus, quod neque docentis hominis exterius est virtus, nisi ipsius Domini interius incrementum dantis. Nam in aliu loco in hoc eodẽ Euangelio legimus: *Nemo venit ad me nisi pater meus traxerit eum.* Ex quibus verbis vnam operationem patris & filij & S.S. B intelligimus: & firma fide credimus. Quia nisi tangente S.S. qui vnus est Deus, qui vnus est: neque credere quis potest, neque intelligere quis diuinitatem potest. [*Et cui reuelat pater, reuelat filius: reuelat S.S.*] Quia vna est operatio indiuiduæ Trinitatis. [*Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos.*] Hoc in loco & gentes ad pœnitentiam vocat, & omnes qui sub pondere peccatorum graui iugo tenebantur oppressi. Iudæi qui cœlum Dei habebant suam quærebant iustitiam: Deo nõ erant subiecti, gentes vero ignorantes creatorem, & colentes creaturam pro creatore sub onere dæmonum seruiebant, facti lapides & ligna quos colebant, secundum psalmistam qui dicit: *Similes illis fiant qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in eis.* Sequitur: [*Et ego reficiam vos.*] Videlicet auferendo peccata a vobis per baptismum requiescere faciam. Grauem autem esse sarcinam peccatorum Psalmista ostendit, qui ait: *Quomodo iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum: & sicut onus graue grauatæ sunt super me.* [*Tollite iugum meum super vos.*] Hoc est C sponte venite & credite in me, & submittite colla vestra sub iugo meo leui: quia vsque modo grauata sunt colla vestra, & attrita sunt sub iugo legis. Vnde postea Petrus causabatur dicens: *Vt quid vultis imponere iugum super ceruices nostras: quod neque patres nostri, neque nos portare potuimus aliquando?* Non enim inuitus aliquis credere potest, nisi voluntarius: propterea tollite iugum meum super vos quia iugum credulitas est, qua quisque Deum elegit credere & sequi. [*Et discite à me quia mitis sum & humilis corde.*] Ipsum est iugum quod super nos tollere debemus, & collum submittere, vt mites simus & humiles corde. Mites & mansueti cum omnibus bonis, quia & ipsa simplicitas est quam in columbæ specie imitari iubemur.

Quia quantum ex nobis est pacem debemus habere cũ omnibus hominibus. Quæ sunt virtutes quas Dominus discendas esse præmonuit. Non dixit, discite à me mortuos suscitare dæmones effugare, super mare siccis pedibus ambulare, sed hoc quod possumus imitari, scilicet D vt mites simus & humiles corde. In alio etiam loco dicit: *In hoc cognoscent omnes quia mei estis discipuli, si dilectionem habueritis adinuicem.* Ista sunt tria signa per quæ Christi discipuli dinoscuntur. Qui ista tria non habere deprehenditur, non esse Christi discipulus conuincitur, quamuis nomine tenus dicatur Christianus. Non est de his de quibus sequitur. [*Et inuenietis requiẽ animabus vestris.*] Non promittit temporalia sed spiritualia, quia quæ videntur, corruptilia sunt, & cito transeunt: quæ autem post mortem iustis dantur, æterna & immarcessibilia sunt. (*Iugum enim meum suaue est, & onus meum leue.*) Quomodo potest esse hoc quod Dominus dicit, iugum suum esse leuius quam iugũ legis fuit? Sed si subtiliter perpendimus, inueniemus leuiora esse præcepta Euangelij quam legis. In lege enim multa præcepta sunt, quæ Apostoli testantur non posse compleri: quia in lege opera requiruntur: quæ qui fecerit viuet in eis. In Euangelio voluntas quæritur, quæ si etiam effectum non habuerit, præmium tamen non amittit: & ea nobis præcipiuntur, quæ possumus obseruare, videlicet ne concupiscamus. In veteri lege si opus affuerit, & voluntas defuerit, E punitur qui fecerit in Euangelio ex voluntate quilibet iudicatur. Verbi gratia, si mulier oppressa fuerit & contaminata per vim; quamuis voluntas defuerit in veteri lege propter opus punitur. In Euangelio autem quia voluntas defuit, & violentiam perpessa est apud Deum virgo iudicatur.

CAP. XXXI.

De eo quod discipuli spicas vellunt.

I*N illo tempore abiit* IESVS *Sabbatho per sata: discipuli autem eius esurientes cœperunt vellere spicas & mãducare.*) Sata dicuntur seminata. Erat consuetudo in illa gente & lex, vt qui vellet ingredi in messem proximi sui, & comedere de granis faceret quantum vellet, tantummodo F falce ne meteret. Similiter in vineam ingrediens comederet racemos quantum sufficeret foras ne efferret. Pro hac ergo lege, discipuli esurientes, (*Cum ambularet* IESVS *per viam, discipuli pregrediebantur, & vellebant spicas, & fricabant manibus & manducabant.* (Legimus enim in hoc Euangelio, quod erant qui veniebant, & redibant multi, & non habebant spacium manducandi, & ideo quasi homines esuriebant, & inediam consolabantur, vel etiam indicat vitam austeram quia non haberent epulas præparatas, sed simplici cibo contenti essent. (*Pharisæi autem videntes dixerunt ei, Ecce discipuli tui faciunt, quod non licet facere Sabbathis.*) Hic apparet quod ob nullam aliam causam sequebantur Dominum, nisi reprehensionis obtentu. Quod vero nihil dicunt de damno alterius messis, nisi solummodo de violatione Sabbathi: pro illa causa dimittent quam superius dixit. Nam & Longobardi eandem legem habent de ipsa causa, & plurimæ aliæ gentes, vt quando aliquis in messem, siue in vineam introierit, manducet quantum voluerit, foras ne efferat. G Habebant vero Iudæi in consuetudine, vt in die ante Sabbathum pararent sibi cibos quos comederent in crastino, & inde vocatur ipse dies sexta feria parasceue. Hoc est præparatio. In Sabbatho vero neque cibos pararent neque ignem accenderent. Hac de causa reprehendebant Christi discipulos, quare ipsi hoc facerent. Dominus ostendit quia spiritaliter obseruandum est Sabbathum & etiam quia ipse esset Dominus Sabbathi & quia propter hominem fuisset præceptum Sabbathum. (*Dixit eis* IESVS. *Non legistis quid fecerit Dauid quando esuriit, & qui cum eo erant, quomodo intrauit in domum Domini, & panes propositionis comedit, quos non licebat ei edere neque his qui cum eo erant, nisi solis Sacerdotibus?*) Ad confutandam Iudæorum reprehensionem veteris recordatur historiæ quæ in libro regum refertur scilicet quod Dauid fugiens à Saule, venit ad Achimelech Sacerdotem, & dixit ei (sicut scitis) quod rex eum mitteret, & postulauerit ab eo panes ad manducandum, vel alios cibos & ille non habens alios panes, dederit ei illos qui erant H in mensa propositionis, quibus non licebat vesci nisi à Sacerdotibus aut leuitis, & nihil aliud interrogauerit nisi si mundi essent à mulieribus. (*Intellexit ille summus Sacerdos etiam, quod secundum Prophetiæ dictum magis placeret Domino, facere misericordiam in aliquo suo proximo, quam offerre holocaustum:*) quia Dominus non ob aliã causam præcepit sibi offerri hostias nisi ne idolis immolarentur, sicut ipse dicit in Psalmo: *Nunquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo?* Ac si dicat Dominus ad Pharisæos. Si ille beatus Sacerdos non reprehẽditur, imo laudatur, qui misericordiã prætulit sacrificio, quare non eandem causam consideratis in discipulis meis? quamquã inter istos & Dauid magna differẽtia sit, quia & ille fugiebat in diebus neomeniarũ: quibus nõ licebat incedere nisi vno miliario, & etiã panes cõsecratos quos nõ licebat laicos homines edere comedit. Quod vero dicit: *his qui cum eo erant*, non legimus quod ibi aliquis cũ illo fuerit, sed ex eo quod dixerit ad Sacerdotẽ. Pueris cõdixit in illũ & illũ locũ: credimus quod aut secuti eũ fuerint

aut per aliam viam obuiam ei venerint. Ex illa consuetudine qua beatus ille vir interrogauit si mundi essent pueri à mulieribus prceceptum est in canonibus, etiam his qui legitime coniuges habent, & communicare corpus & sanguinem Domini debent: & sexta feria abstinentes ab eis, abluti corpore & vestimentis, in die tertia communicent. [*Aut non legistis in lege quod Sabbathis Sacerdotes in templo Sabbathum violant, & sine crimine sunt.*] Sabbatho enim Sacerdotes victimas immolabant, iugulantes arietes & tauros: & cremantes super struem lignorum. Et secundum alium Euangelistam hoc addidit, quod quando eueniret vt infans die Sabbatho nascatur, alio die Sabbathi vt lex impleatur quæ præcipit circumcidi, octaua die circumciditur. Et Iosue muros Hiericho septem diebus cum exercitu circumiuit: quod Machabæi intelligentes & considerantes, statuerunt postea, vt si quis eis pugnam inferret Sabbatho, bellarent aduersum eos: & fecerunt & habuerunt victorias & probauerunt quod non displiceret Deo. Sed similiter conuincit eos alia vice quando reprehendebant eum de muliere sanata, quod ipsi pecora sua in Sabbatho adaquarent: & si deciderent in puteum, eruere festinarent. [*Dico autem vobis, quod templo maior est hic.*] Non est in isto loco hic pronomen: sed aduerbium est loci: quia videlicet qui ibi loquebatur Dominus erat Sabbathi: quia ipse erat qui præceperat obseruari Sabbathum: ac si diceret. Si Dauid panem illicitum edens & Sacerdotes hostias pro populo immolantes sine crimine sunt & apud Deum & apud vos quanto magis eo qui rex & Sacerdos verus sum, & templi Dominus & Sabbathi, non possim absque culpa discipulos meos reddere: cum pro hominum salute non licuerit ante eis edere. [*Si autem sciretis quid est, misericordiam volo & non sacrificium, nunquam condemnassetis innocentes. Melius intellexit Abimelech illud verbum quam vos, qui non habebat exemplum ante factum: & tamen non dubitauit facere, firmiter sciens quod quæ in mundo sunt facta, nisi de adorando & laudando Deo, propter hominem creata & præcepta sunt.*] Talis est consideratio adhibenda in omnibus necessariis humanæ fragilitatis: aut in ieiuniis indictis circa infirmos: siue in abstinentiis à cibis: quia carnis cura in desideriis fieri prohibetur: non in necessitatibus. Omnes præpositi, Episcopi, Abbates, aut reliqui discere debent istum versiculum Domini, Misericordiam volo, & scientiam Dei, plusquam holocaustum. [*Dominus est enim filius hominis, etiam Sabbathi.*] Hyperbaton est in hoc loco, verborum ordo turbatus. Est autem ordo talis, *Filius hominis, est Dominus etiam Sabbathi*: quia creator omnium erat qui cum eis loquebatur, & præceptor Sabbathi. Mystice discipuli per sata transeunt: Apostoli vel Doctores cum considerant quomodo vnumquemque possint ad salutem, & illam famem patiuntur iuxta exemplum Domini qui dixit: *Ego cibum habeo manducare, & meus cibus est vt faciam voluntatem patris mei.* Cum autem transeunt, vellunt spicas: quia vellunt eos à terrenis delectationibus, in quibus confixi erant. Fricare vero manibus est, per exempla sanctarum scripturarum, à concupiscentia carnis quasi à folliculis exuere. Grana vero comedere est, vnumquemque membris Ecclesiæ incorporari, & discipuli ante Dominum incedentes hoc faciunt, quia ante doctores prædicant, & sic tangit Dominus cor vt credant.

CAP. XXXII.

De sanata manu Arida.

E*T cum inde transiret, venit in synagogam eorum & ecce homo manum habens aridam. Cum ergo Dominus ipsa die peruenisset in synagogam eorum, venit homo ante ipsum & precabatur dicens:* [*Domine adiuua me, quia opere manuum mearum viuebam, & modo mendicabo, nisi tu adiuueris.*] Fuerat enim cementarius. Et Pharisæi antequam ipse aliquid diceret: interrogabant eum dicentes. [*Licet Sabbathis curare?* vt accusarent eum, id est si fa- E ceret, quasi transgressorem, & si non faceret potuisset adiuuare, & nollet. [*Dominus autem sic respondit eis.*] Vt etiam propter auaritiam eorum ostenderet ipsos violare Sabbathum quod in eum reprehendebant, qui pro misericordia faceret totum quod faceret. Pharisæi enim omni die manus ad os extendebant ad manducandum & bibendum. Homo iste, spiritaliter genus humanum designat, qui postquam manum extendit ad cibum vetitum condemnatum habuit brachium, donec venit Christus: & extendit in cruce immaculatas manus pro manibus incontinenter extensis: & sic postea genus humanum docuit, & exemplo illius ad eleemosynam, & ad bona opera manus extendere.

CAP. XXXIII.

De ira Pharisæorum erga Dominum & Prophetia Esaiæ. F

E*Xeuntes autem Pharisæi consilium fecerunt aduersus eum, quomodo perderent eum.*] Vnde meliores debuerunt fieri, inde deteriores effecti sunt. Ipsi enim centies in die manus extendebant ad os suum, & inuidia stimulante pro vna extendebant infirmi hominis, necem Saluatori machinabantur. [*Hic autem sciens, recessit inde.*] Recessit vt homo quia nondum venerat hora qua mori vellet nec erat locus extra Hierusalem vbi pati deberet. [*Et secuti sunt eũ, & curauit eos omnes.*] Qui pia fide quærunt Dominum inueniunt eum: quia iuxta Psalmistam prope est Dominus omnibus inuocantibus eum in veritate. [*Et curauit eos omnes bonos, ab infirmitatibus animæ & corporis. Et præcepit eis, ne manifestum facerent.*] Secundum historiam fecit sicut homo: occultauit se ab his qui male quærebant vt eum perderent. [*Vt adimpleretur quod dictum est per Esaiam Prophetam dicentem.*] Quod dicit vt impleretur, ad hoc respicit quod dicit & G curauit eos omnes: quia hoc fuerat prophetatum & per Esaiam & per alios, quod ipse curaturus esset infirmitates animarum & corporum. [*Ecce puer meus.*] Ex persona Dei patris hoc dicit Propheta.

Pueri quatuor modis dicuntur. Puer ab ætate & propter infantiam: puer septem annorum. Puer pro obedientia, vt pueri Dauid: puer pro stultitia, vt puer centum annorum morietur, puer per innocentiam hic ecce puer meus. Puer enim à puritate dicitur: quia ipse purus fuit à peccato. [*Quem elegi ad redemptionem mundi incarnari. Dilectus meus præ cæteris sicut vnigenitus: in quo complacuit animæ meæ, quia ipse faciet voluntatem meam irreprehensibiliter.*] Hæc omnia secundum humanitatem accipienda sunt qua homo fieri dignatus est. Cæterum in diuinitate vnus est Deus cum ipso qui hæc loquitur in Propheta. [*Ponam spiritum meum super eum.*] Non ad mensuram sicut sanctos meos: sed quantum corpus capere potuit. [*Iudicium gentibus nunciabit,*] quo iudicandi sunt boni & mali, & discernendi, sicut H ipse postea facturum se esse testatur dicens. Cum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, &c. (*Non contendet, neque clamabit.* (Non contendet cum aliquo, quia pacem portabit ore & opere. (*Neque clamabit.*) Clamor hic ad contemptionem pertinet. Sequitur enim. (*Neque aliquis in plateis audiet.*) Hoc est in lata via quæ ducit ad mortem in qua multi intereunt, quia non audiunt vocem Saluatoris. (*Calamum quassatum non conteret.*) Calamus quassatus, est peccator iacens sub onere peccatorũ contritus à diabolo vt non possit erigere caput quẽ Dominus non solũ non contriuit: sed etiam manũ auxilij sui porrexit dicens. Confide fili: remittuntur tibi peccata tua. (*Et linum fumigans non extinguet.*) Allegoria est, & in calamo & in lino. Per linum corpus hominis: per fumum paruula noticia fidei. Linum fumigans non extinxit: sed & perfecte erudiuit dicens. *Tu credis in filium Dei? Et ille dixit quis est, vt credã in eum?* Et ait: *Et vidisti eũ, & qui loquitur tecũ ipse est. Et procidens adorauit eũ.* (*Donec eiiciat*

ad

A *ad victoriam iudicium.*] Sicut fecit cum vicit diabolum resurgendo & ascendendo. [*Et in nomine eius gentes sperabunt.*] Hoc luce clarius patet, quia vt omnes prope credunt in eum; hæc verba Esaiæ. Ipse legit in synagoga Iudæorum cum surrexit ad legendum, & fideles & infideles in ipsa synagoga cognouerunt, quod de eo fuerant ista Prophetata.

CAP. XXXIV.

De dæmoniaco curato cæco & muto.

T*Vnc oblatus est vnus dæmonium habens & cæcus & mutus, & curauit eum ita vt loqueretur & videret.*] Audistis superius de illo qui mutus fuerat & surdus & dæmoniacus quod curatus fuerit à Deo: iste fuit cæcus in reliquis similis illi. Tria generalia signa in isto facta B sunt: à dæmonio liberatus est: visum & loquelam recepit. Tunc ita iuxta historiam factum est: & spiritualiter genus humanum significat, quod cæcum erat de oculis spiritualibus & non loquebatur quæ Dei erant: quia dæmones illum obsidebant. Similiter sunt omnes pagani, & quando veniunt ad crudelitatem expelluntur de eis dæmonia: aperiuntur oculi cordis eorum vt possint Deum videre: id est intelligere & laudare: quod est loquelam recipere. [*Et stupebant turbæ & dicebant, Nunquid est filius Dauid.*] Turbæ mirabantur, & volebant illum dicere de progenie Dauid esse & de Bethleem vnde sciebant Christum debere nasci: sed Pharisæi contradicebant, quasi neque de Dauid progenie, neque de Bethlehem esset, neque virtutes ex Deo faceret: sed quia aperte virtutes fiebant, & negare non poterant, in malam partem conuertere nitebantur, quasi per incantationes sicut magi in Ægypto facerent virtutes. Sed illi maiora signa facere non poterant: sed propter peccatum Pharaonis permissa sunt eis aliqua facere. [*Hic non eiicit C dæmones nisi in Beelzebub principe dæmoniorum.*] Beelzebub sicut scitis, fuit idolum Accaron qui interpretatur *vir muscarum.* Zebub enim *musca* dicitur. Iudæi enim ob sordes immolaticij cruoris, seu pro immundicia, hoc nomine Acharon vocabant, & ipsum etiam principem dæmoniorum. Et sicut beatus Beda dicit, non debemus in fine nominis aliam litteram legere, quam b.

Dæmones autem dicti Græcè, quasi *dæmas*, id est *periti.* Inest enim illis cognitio rerum plus quam hominibus partim subtilioris sensus acumine, partim experientia longæ vitæ, quia angeli boni creati per superbiam mali effecti sunt. [*Iesus autem sciens cogitationes eorum dixit eis.*] Non ipsi verbis dixerunt, sed in cordibus suis ad cogitationes eorũ respondit vt sic cõpellerentur credere scientes secũdũ dictum Salomonis, nullum aliũ scire cogitationes hominũ, nisi solum Deum. [*Omne regnum in seipsum diuisum desolabitur, & omnis ciuitas vel domus diuisa contra se non stabit.*] Sicut regnũ si intra se diuisum fuerit cito destrui- D tur & deperit, sic etiam regnum diaboli si diuisum est cito decidet, quia discordia multa regna deiecit & adnihilauit: concordia vero de paruis magna fecit, & exaltauit, sic adhuc hodie videmus. O Iudæi scitis regnum diuisum diaboli: quare vos in regno eius vultis esse, faciendo voluntatem eius. [*Et si ego in Beelzebub eiicio dæmonia filij vestri in quo eiiciunt.*] Filios Iudæorum duobus modis possumus intelligere. Apostolos qui eiiciebant dæmones per potestatem à Domino sibi datã, sicut legimus in hoc Euangelio, quia reuersi Apostoli dixerũt Domino: *Domine in nomine tuo etiam dæmonia nobis subiecta sunt*, vel filios Iudæorum adiuratores gentis illius dicit. Docuerat enim illos Salomõ rex quasdã adiurationes per nomẽ Dei & eo modo eiiciebant dæmones. Hoc Iosephus narrat, quod coram Vespasiano hoc fecerint. [*Si expulsionem in filiis vestris Deo tribuitis, quare ipsum factum in me non eandem laudem habet. Et si expulsionem dæmonum Deo reputatis: corporũ sanitates cui deputatis. Ideo iudices vestri ipsi erunt.*] Si, ad exorcistas comparationẽ dicit non pote- E statem, si ad Apostolos refertis, quia ipsi sedebunt super sedes duodecim, & iudicabunt duodecim tribus Israël. [*Si autem ego in spiritu Dei eiicio dæmonia: igitur peruenit in vos regnum Dei.*] Ironicus est in hoc loco tropus, qui per contrarium intelligitur, sicut est in Psalmo: *Si introibunt in requiem meam:* hoc est non introibũt. Similiter in hoc loco talis est sensus. [*Quia ergo in digito Dei ego eiicio dæmonia, pro certo non peruenit in vos regnum Dei.*] Quia scientiam Dei habetis qua bonum cognoscere potestis, & à malo discernere, sed per inuidiam contradicitis bono meo operi: ideo non peruenit in vos regnum Dei. Video vestram perfidiam, quã vos in malo elegistis durare: ideo hæc certissime dico. Regnum Dei vel vita æterna, vel ipse Dominus: vel etiã scriptura sancta. Vnde Dominus dixit: *Auferetur à vobis regnum Dei.* [*Aut quomodo potest quisquam intrare in domũ fortis, & vasa eius diripere, nisi prius alligauerit fortem, & tunc domum eius diripiet.*] *Nisi prius alligauerit fortem, & tunc domum eius diripiet.* Dat in alio F Euangelista similitudinem, quod vt fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt omnia quæ possidet. *Si autẽ fortior illo superueniens vicerit eum vniuersa arma eius aufert in quibus confidebat, & spolia eius distribuet.* De se & diabolo ipsam parabolam dicens, quia antequam Dominus in hunc mundum veniret corporaliter, diabolo seruiebat iste mundus. Venit Dominus & abstulit arma eius, infideles potentes, per quos operabatur quicquid volebat siue arma eius in quibus habitabat. Spolia eius innocentes, & ab eo decepti: vel vasa eius, illos de quibus expellebat dæmones & sicut iste de quo ratio est, vel alij multi de quibus superius audistis. [*Qui non est mecum, contra me est.*] Et de diabolo intelligendum est eo quod diabolus semper contraria opera facit Saluatori. Ille cupit animas hominum tenere captiuas, Dominus liberare: ille prædicat idola hic vnius Dei notitiam. Dominus amat virtutes diabolus vitia. [*Ideoque dico vobis. Omne peccatum & blasphemia remittetur hominibus, spiritus autem blasphemia non remittetur. Et quicunque dixerit verbum contra filium G hominis remittetur ei: qui autem dixerit contra spiritum sanctum, non remittetur ei: neque in hoc seculo, neque in futuro.*] Et quomodo hoc potest esse, cum multi Arriani qui blasphemauerunt in Spiritum sanctum, quando minorem patre & filio dixerunt: & tamen reuertentes ad pœnitentiam suscepti & salui facti sunt? Sed tamen de his dicitur: *Qui cum sciant veritatem, aperte seipsos blasphemiæ tradunt propter inuidiam.* Nam & qui dixerit in patrem vel filium non sic leuiter remittetur (maxime si baptisatus & Catholicus fuerit) nisi dignius pœnituerit per lachrymarum & orationum assiduitatem, ac crebra ieiunia. Etenim quia per Spiritum sanctum fit remissio peccatorum, quia quisque in similitudinem diaboli & Angelorum eius contra scientiam suam maiestatem deitatis oppugnare non trepidat, non habet remissionem in æternum, sed reus erit æterni delicti, siue ille dicit blasphemiam in Spiritum sanctum qui non credit remissionem peccatorum, & in hoc perseuerat. Nec non & hoc dicere possumus, quod Dominus præuidebat illos H ad quos hæc loquebatur non esse credituros, & de illis specialiter hoc dicebat. Quod vero dicit non remittendum neque in hoc seculo neque in futuro datur intelligi esse de quibusdam peccatis in alia vita remissionem quia quod de vno negatur, consequens est vt de aliquibus possit intelligi. Sicut est de ocioso sermone, de concupiscentiis, & de leuibus peccatis. Cæterũ, de grauioribus non audemus aliud dicere quam quod Ioannes dicit: *Peccatum vsque ad mortem non dico vt quis roget pro eo.* Et Paulus inquit: *Nolite errare: neque fornicarij, neque idolis seruientes, neque adulteri, neque molles neque masculorum cõcubitores neque fures, neque auari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnũ Dei possidebunt.* Et de his tamen si in fine tales inuẽti fuerint, vel in hoc tinuerint [*Aut facite arborẽ bonam, & fructus eius bonos: aut arborẽ malã & fructus eius malos.*] De seipso dicit: Quod quia bona opera sint, scilicet sanitates hominũ, & verba quę de ipso procedebãt. *Si ipsa bona erãt quo modo poterant esse aliqua mala? Neque enim potest fieri vt ex malo oriatur bonũ aut ex bono malum.*

malum. Siquidem ex fructu arbor agnoscitur, quia sicut ramus vnus non potest diuersum fructum facere, bonum & malum, nec de vno foramine potest exire dulcis & amara aqua: sic vnus homo non potest esse bonus & malus. Hæc omnia de illo verbo quod dixerant in Beelzebub eiicit dæmonia, dicta sunt.

[*Progenies viperarum quomodo potestis bona loqui, cum sitis mali.*] Ostendit de ipsis quod sicut mali erant in operibus, erant etiam in corde quod membra regere debet: quia interior est conscientia, quæ exterius membra regit. Quare progenies viperarum vocentur, superius dictum est. [*Ex habundantia enim cordis os loquitur.*] Sicut riuus decurrens eundem habet saporem quem & fons de quo oritur similiter & homo de hoc quod habundat interius, profert exterius in opere & locutione. Et inde sequitur: *Bonus ergo Dominus Christus de bono thesauro profert bona: & malus homo diabolus qui homo appellatur propter inuidiam, & Pharisæi de malo thesauro proferebant mala.* [*Dico autem vobis, quod omne ociosum verbum quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicij.*] Ad illud quod superius dixerat blasphemiæ Spiritus sancti, ista adiunguntur: quasi dicat non solum de blasphemia erunt cruciandi in inferno qui faciunt, sed & de detractionibus: verumetiam de omni ocioso verbo. Ociosum verbum est, quod aliqua vtilitate caret. Cæterum, malignum quod ad vicium trahit aut ad ebrietatem sectandam, aut ad luxuriam illiciendam, asperius iudicabitur. Detractio enim mortale est crimen: quia qui detrahit eradicabitur de terra viuentium: hoc est non habebit ibi radicem, si in hoc finierit. [*Ex verbis tuis iustificaberis: & ex verbis tuis condemnaberis.*] Qui dicit Dominus IESVS in Spiritu sancto: quod præcepit Apostolus dicendum, quando dicit, nemo potest dicere Dominus IESVS nisi in Spiritu sancto: potest iustificari ex verbis suis. Quique considerat quod Iacobus Apostolus ait: *Linguam*, subauditur malam *nullus hominum potest domare:* & quod Salomon dixit, mors & vita in manibus linguæ. Intellexit quomodo potest homo condemnari per linguam. Quicquid enim Arrius maxime peccauit, per linguam deliquit. Per linguam committitur illud peccatum quod superius dixit: quod non remittitur neque in hoc seculo neque in futuro. [*Tunc responderunt ei quidam de scribis & Pharisæis dicentes. Magister volumus à te signum videre.*] Alius Euangelista apertius dicit, qualia signa postularent: videlicet vel in morem Heliæ ignem de sublimi venire cupiebant, vt aliquos incenderet: sicut fecit Helias, quando duos quinquagenarios cum quinquagenis suis iunioribus occidit: vel in morem Samuelis contra morem prouinciæ tempore æstiuo tonare & fulgurare.

Apud nos enim ideo tonat æstate, quia in occidente sumus & alleuiatæ sunt nubes, propterea possunt currere. Apud orientales autem in hiberno tonat: quia in æstate ita puræ sunt nubes, vnde non habeant vnde pluant: quia sol qui super eos non permittit nubes tantum imbrem colligere vnde tonitruum possint facere.

Non est enim verum quod homines credunt, quod nullus sciat quid sit tonitruum: sed illud vnde Ioannes dicit quod Spiritus sanctus in cordibus credentium: quia sicut per istud tonitruum conteruntur mortales, ita per illud terrentur mentes mortalium, & decidunt à cogitationibus & operibus suis. Nam illud quod sonat in nubibus, nubes faciunt illud, cum habuerint aquam & aliqui non habuerint, illæ quæ habuerint currunt: & tunc sonat sicut auditis, & excitant ipsum ignem quem videtis: quia omnis collisio ignem creat: vt vides in collisione fieri cum alio ferro: vel petra cum alia petra. Quomodo enim potest esse de isto tonitruo quod Iohannes dicit: *locuta sunt septem tonitrua voce sua* Et iterum: *De throno procedunt fulgura & tonitrua.* Sed de tonitruo Spiritus sancti qui sepiusonniter fit inde dicit Iohannes non de alio: quia illud est inenarrabile, quomodo & quibus modis corda mortalium concutiat.

CAP. XXXV.

De petitione signorum.

G*Eneratio mala & adultera signum quærit.*] Mala generatio dicitur non conditione sed opere. Adultera ideo: quia frequenter Deum reliquit & idola adorauit, vt per Ezechielem Dominus ei improperat, vel etiam tunc cum alias creaturas plus amabat. Nam dicit beatus Augustinus assumens auctoritatem ex illo loco Apostoli, & auaritia quæ est idolorum seruitus: quod est omnis homo qui relinquit iustitiam Dei propter aurum aut pro alia creatura. Tunc fornicatur anima eius à Deo, & quasi adorat tunc ipsum aurum & veneratur pro quo mandatum Dei derelinquit. [*Et signum non dabitur ei nisi signum Ionæ Prophetæ.*] Recordamini historiam Ionæ, quod quando missus est ad Niniuitas prædicandum voluerit effugere Dei præceptum: & postea sicut scitis sorte deprehensus quod mare illum quæreret, in ipsum proiectus ceto absorptus triduo ibi iacuit. Simili modo dicit Dominus de Iudæis signum daturum. Ionas figuram Domini prætulit, sicut ipse ad conuertendos Niniuitas missus, qui de gentibus erant: sic Dominus IESVS in hunc mundum ad prædicandum gentes missus. Mare significat istud seculum, & illud turbatum est propter Ionam, ita & istud turbatum est propter prædicationem ipsius: quia ipse dicit: *Non veni pacem mittere, sed gladium separationis.* Cœtus significat *terram*, siue *infernum*, quia terra habuit corpus, infernus animam. Quod vero quatuor dies ponuntur eum non per omnia toti tres fuerint, per Synecdochen à toto pars intelligitur: quia ipse hora vndecima sexta feria in sepulchro collocatur, viginti septem horis ibi iacuit. Et sicut Ionas nolebat ante absorbitionem ire ad gentes: similiter dicit ad Apostolos: in viam gentium ne abieritis: sed post resurrectionem præcepit eis dicens: *euntes docete omnes gentes.* [*Viri Niniuitæ surgent in iudicio cum generatione ista, & condemnabunt eam,*] non potestate, sed comparatione: quia nullis videntibus signis ab Iona: nec multo tempore prædicatum est, nisi per tres dies: & illi peregrino crediderunt gentes. [*Nunc excelsior cunctis ego commendatus ab Iohanne, & qui multas virtutes in vobis feci & non solum non auditus, sed Beelzebub vocatus. Et ecce plusquam Iona hic.*] Quia creator ego Ionæ. *Hic* isto loco aduerbium est loci, non pronomen.

Iona *columba* vel *dolens* interpretatur: Dominumque figurauit.

Niniuæ ciuitas quam ædificauit Assur filius Sem & decorauit eam primus Rex Assyriorum, & vocauit eam Niniuen ex nomine suo id est speciosam, fuitque sedes Assyriorum semper. [*Regina Austri surget in iudicio cum generatione ista, & condemnabit eam.*] Regina Austri non audiuit de Salomone, quod virtutes faceret, mortuos suscitaret aut regnum cœlorum prædicaret, literas sine doctore sciret, & tamen venit, de oriente audire Salomonem. Ideirco condemnata erit ista generatio plusquam illa: quia habens illum secum qui sapientiam dedit, noluit illum audire. Spiritaliter Salomon significat Dominum Christum: quia Salomon *pacificus* dicitur. Et ista regina significat Ecclesiam de gentibus ad verum pacificum nostrum conuertendam. Et ecce plusquam Salomon hic: quia ille loquebatur de quo Salomon dixerat. *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quicquam faceret à principio.* [*Cum immundus spiritus exierit de homine, ambulat per loca arida.*] Et de homine liberato à dæmonio potest intelligi: quia si se non custodiret à malis operibus, iterum traderetur cui fuerat traditus, & de Iudæis qui sic peruerse Domino contradicebant, qui peiores futuri erant post contemptam legem literæ & prædicationem Domini, quam ante acceptam legem fuissent. Cum enim legem acceperunt exiit ab eis diabolus & ambulauit ad gentes: sed modo habet dimissas gentes, & est reuersus ad Iudæos.

Per

A Per scopas vode domus mundat doctrina Iudæorum intelligiuut vacans: quia Deum non habebat, qui dixit, *Transeamus ex his sedibus*, vt Iosephus refert, propter septem spiritus, septẽ vicia principalia. [*Adhuc eo loquente ecce mater eius & fratres eius.*] Fratres eius non sanctæ Mariæ, sed nepotes vel alij consobrini, qui in scriptura sancta fratres appellantur vt Loth dictus est frater Abraham cum esset nepos eius. Iste qui ei hoc nunciauit temptando faciebat, vt videret si terrenis cœlestia præponeret: & desereret prædicationem propter Carnalem cognationem. Sed ipse ostendit: quia melior est spiritalis fraternitas quam Carnalis. Si vero vtræque simul sunt, duplex bonum est sicut erat in sancta Maria: quia mater efficitur quia, cum aliquis per verbum eius in Christo renascitur: sicut Paulus dicit: *per Euangelium ego vos genui.* [*In illo die exiens* IESVS *de domo sedebat secus mare, & congregata sunt ad eum turba multæ, &c.*] **B** Non solum dicta Domini, sed & facta plena sunt mysteriis. Quod Dominus de domo illa egressus esse dicitur, vbi Iudæi nefanda verba in eum iactabant, ad mare venit: ostendebat relicturum se Iudæam ob meritum facinorum & verborum nefandorum: & ad gentes transiturum quæ significantur per mare tumidum atque fluctuosum: quia sicut illud omni vento mouebatur, similiter & gentes omni doctrinæ agitatione mutabantur. Nam notum est omnibus de quo mari dicat, scilicet de lacu Genesar: vbi solitus erat introire, & de naui docere turbas. Erat autem in Galilæa Iudæorum habens in longitudine centum quadraginta stadia, & in latitudine quadraginta, habens in se omnia genera piscium qui extra mare inueniuntur. Habens quoque super se ciuitates ædificatas, & pro diuersitate adiacentium prouinciarum vel ciuitatum, diuersa nomina sortiebatur, vt mare Galilææ à prouincia, & mare Tyberias à ciuitate vocabatur. Genesar autem Græco vocabulo dicebatur: quasi generans sibi aurum, de seipso ferebatur excitare tempestates. Haustus eius purior, & **C** ad potandum dulcis & habilis. Littus dicitur, eo quod ibi illi datur aqua, id est percutiatur veniendo. [*Erat autem conueniens locus ad docendum: quia poterat videri & audiri ab omnibus: & non poterat comprimi à turba: & locutus est eis multa in parabolis.*] Consuetudo erat incolis illis cum similitudinibus loqui frequentius: idcirco Dominus morem quem audire soliti erant sequitur. [*Ecce qui seminat exiit.*] Dat similitudinem de terrena seminatione, quod simili modo etiam spiritalis agitur. *Exiit qui seminat:* Dominus IESVS. *Exiit à patre*, descendit de cœlo. [*Seminare semen suum.*] Verbum Euangelij. [*Et dum seminat aliud cecidit secus viam.*] Id est in illos cecidit quos diabolus solet frequenter visitare & quasi inhabitare. Et ideo conculcat semen verbi quia aufert & superinducit alias curas. Quod dæmones volucres vocantur, quia discurrunt per aëra in morem volucrum. [*Et aliud cecidit super Petram.*] Petram Dominus duritiam cordis exposuit, terram fidem stabilem solem seruorem persecutionis quæ dum surgit aduersi- **D** tas negant Dominum vel deserunt iustitiam. [*Alia autem ceciderunt in spinas & creuerunt spina, & suffocauerunt ea.*] Spinas diuitias Dominus esse exposuit, quando his prædicatur verbum qui diuites sunt, tunc cum gaudio suscipiunt verbum. Sed cum hora illa transierit, & ipsi reuersi fuerint ad ipsas diuitias, pungunt ex homine partæ ipsæ suggestiones, & quia subest illis posse quod voluerint faciunt quod delectationes suggerunt, & dimittunt quæ in Ecclesia audierunt. *Aliud cecidit in terram bonam & dabit fructum, aliud centesimum, aliud sexagesimum, aliud trigesimum.*] Secundum agriculturæ rationem inuenitur terra transmarina, quæ multiplicatur in semine centies vel sexagies, seu tricies In nostra terra hoc non inuenitur quia nostra terra in comparatione illius terræ, in qua Dominus hæc loquebatur, sterilis est, quasi siluestris. De spiritali vero semine ille profert centesimum qui cum aliis virtutibus virgo corpore & animo perseuerat: sicut sancta Maria, & multæ virgines. Sexagesimum fructum refert qui multo tempore in viduitate iustam ac bonam vitam ducit vt Anna fecit, quæ in hoc Euangelio collaudatur. **E** Trigesimum quoque fructum profert qui sociatur coniugio & legitimo tempore fuerit vsus: cæteris quoque virtutibus ornatur: non obliuiscitur præcepta sui creatoris, vt Zacharias. Hi sunt ergo tres ordines electorum per quos Ecclesia constat. Quæ restant simul cum Domini expositione prosequemur. [*Et accedentes discipuli dixerunt.*] Quærendum est quomodo accesserint discipuli ad Dominum, cum in naui esset: videlicet cum ipso erant in naui. [*Quia vobis datum est nosse mysterium regni cœlorum: illis autem non est datum.*] Vobis propter fidem rectam & charitatem quæ in vobis sunt, digni estis scire & intelligere secreta Dei, illi vero propter inuidiam quam habent non sunt digni scire secreta Dei, quia in maliuolam animam non introibit sapientia. Erant enim inter eos multi boni, & multi mali: eos qui boni erant tangebat Dominus in cordibus vt aut reuerterentur aut perseuerarent, vsquequo intelligerent **F** quod parumper audierant. (*Qui enim habet dabitur ei & abundabit.*) Quia qui habuerit fidem siue charitatem, accipiet & reliquas virtutes. (*Qui autem non habet subauditur charitatem & quod habet, id est videtur vt habeat auferetur, ab eo. Ideo in parabolis loquor eis: quia videntes non vident.*) Hoc est oculis corporis vident, & oculos cordis habere nolunt propter inuidiam & incredulitatem. (*Similiter audientes auribus corporis, auribus cordis nolunt audire vt intelligant. Et hoc Prophetatum fuit ab Esaia: quia ipsi repulsuri essent prædicationem meam. Incrassatum est cor populi huius de peccatis.*) Quia sicut saginatur anima per verba Dei: similiter impia anima incrassatur de malo. Et quia auribus grauiter audierunt de Domini prædicatione, reprehendere studuerunt. Et quare eis hoc venerit, Propheta sequitur dicens: *Oculos suos clauserunt, præcessit duritia, & cor impœnitens: quæ eos non permisit conuerti vt sanarentur.* (*Vestri autem beati oculi qui vident, & aures vestræ quæ audiunt.*) Ipsos oculos quos in Iudæis blasphemauit **G** ipsos laudat in Apostolis, & aures similiter spiritales, quibus videbant & audiebant Saluatorem quia oculus carnis cum videre & non cordis, sicut cum vidit Herodes & Pilatus, magis est condemnatio quam saluatio. (*Amen quippe dico vobis: quod multi Prophetæ & iusti cupierunt videre quæ videtis, & non viderunt.*) Scilicet cum viderunt in spiritu, sicut Abraham & Dauid desiderauerunt etiam verisque oculis videre, sicut Apostoli corporalibus & spiritalibus: quia cum scirent appropinquare liberationem suam vt non tamdiu in potestate tenebrarum detinerentur sicuti longo tempore detenti sunt vsque tunc. Vnde & dolens Iob dicebat: *Si sustinuero infernus domus mea est, in tenebris straui lectum meum.* (*Vos ergo audite parabolam seminantis.*) Audite obscura dicta cum reseratione similitudinis. Nunc exponit Apostolus quod aliqui in turba non fuerunt digni audire. (*Omnis qui audit verbum regni.*) Subauditur Dei, illa parabola illis speciatim attinet qui tunc eam **H** audierunt, sed fit similis ratio adhuc in Ecclesia eius. *Omnis qui audit verbum regni non intelligit, venit diabolus & tollit quod seminatum est in corde eius.* Ob hoc debet omnis homo qui audit in Ecclesia verbum inquirere, quousque intelligat, & in opus mittat, (*Hic est qui secus viam seminatus est.*) Iuxta viam dæmonum quam habent maligni in corde illius factam, mala assidue cogitando. De illis nihil dicitur hic, qui nec audire dignantur corporis ante qui plus istia rei habentur. (*Qui autem super petram seminatus est, hic est qui verbum audit & continuo cum gaudio suscipit: illud non habet autem radicem, sed est temporalis.*) Dominus exponit propterea non est necesse exponere: sed similes sunt modo tepidi Christiani, qui propter iram alicuius potentis siue donum deserunt veritatem, & conuertuntur ad iniustitiam. Et est aliqua differentia inter illum qui in tribulatione deserit veritatem; & qui absque tribulatione sponte relinquit iustitiam Vnde & sequitur. (*Facta autem tribulatione propter verbum cõtinuo scandalizatur.*) Qui enim absque tribulatione

Digitized by Google

veritatem deserit, peior est quam paganus. [*Qui autem seminatus est in spinis hic est qui audit & sollicitudo saculi istius ist fallacia diuitiarum suffocat verbum.*] Sicut enim spinæ pungunt, sic etiam frequenter tangunt sollicitudines diuites quomodo possint acquirere: qui quo plus habent, plus desiderant: quia *crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit*, Tangit enim cura mentem, quomodo acquisitioné custodiat: tangit cura à quo his vorando incumbat: sicut ille qui dicebat, habes reposita multa bona in annos plurimos, requiesce, comede, bibe, epulare.

Fallaces vero dicuntur, quia fallunt & decipiunt confidétes, vt illi responsum est: *Hac nocte animam tuam repetent à te, quæ ante parasti cuius erunt: Qui vero in bonam terram seminatus est qui audit verbum & intelligit, & facit: aliud centesimum, aliud sexagesimum, & aliud trigesimum.*] Per centesimum virginitatis siue omnis perfectio virtutum, quia centenarius perfectus est numerus & sicut computando centenarius de leua transit in dexteram: sic is qui virginitatem & perfectionem virtutum immaculate custodit, de præsenti sæculo in vitam æternam transiet. Per sexagesimum continentum vita perfecta opere & ratione, quia in sexta die Deus opera sua perfecit: & de sexto sexaginta consurgit. Vnde in computi ratione sexagita per coartatum articulum exprimitur: qui sine vxore est, debet cogitare quæ Domini sunt & non esse in delitiis, neque vir neque mulier, ne mortuus in conspectu Dei diiudicatur. Vt Paulus de vidua, viuens in delitiis mortua est. Triginta quoque in expositione sua quasi marem ac fœminam prætendit, cum ipsi articuli quasi osculando se coniungant.

Aliam parabolam proposuit illis dicens: [*Simile est regnum cælorum homini patri, qui seminauit bonum semen in agro suo.*] Et istam prabolam Dominus expositurus est, sed tamen sumamus ea quæ ipse dixit: *Qui seminat bonum semen, filius hominis: ager iste mundus.* [*Cum autem dormirent homines*] videlicet cum magistri Ecclesiarum non essent studiosi ad meditandum diuina eloquia. Quod cauere debent Episcopi & præpositi Ecclesiarum ne de eis similiter dicatur, sed debent instare & per se suosque quantum possunt vt adnuncient populo peccata eorum, vt sciant quæ cauere debeant: & qualiter à venienti gladio custodire. *Bonum semen*, filius Dei: *inimicus* eius diabolus, qui inimicus Dei & hominum est, ex quo in Paradiso illum positum vidit. *Zizania*, filij diaboli per opera, herba & fructus, opera. Accedentes aut serui patris familias, angeli Domini *Inimicus homo*, diabolus, de quo dicitur: *Exurge Domine, non confortetur homo.* [*Ne forte colligentes Zizania.*] Zizania quæ alio nomine lolium dicitur, iuxta agriculturam est semen nequam, quod nascitur inter speltam, de qua quis tunc quando colligitur comederit, non habet plenum sensum ad horam inhia quicunque à Deo dissentit, non est plenæ mentis. Hic autem mali homines, Domino exponente intelliguntur. [*Serui autem dixerunt. Vis imus & colligimus ea? Et ait, non: ne forte colligentes Zizania eradicetis cum eis & triticum. Sinite vtraque crescere vsque ad messem.*] Hic debent omnes reges Episcopi & præpositi exemplum capere, ne de incertis causis iudicium promant: ante quam veraciter crimen agnoscant. Herba enim inperfectam ætatem significat, vel occulta opera: Quæ omnia sustinenda sunt, vsque ad perfectam cognitionem. Nam quod beatus Paulus præcepit. *Auferte malum ex vobis:* de apertis & manifestis præuaricatoribus præcipit. Quod dicit *ne forte colligentes Zizania, eradicetis & triticum:* vtrumque in hoc dicto, & Dei patientia monstratur: quia ipse patienter malos expectat: vt conuertantur, non conuersos durius damnat: & quia hic qui hodie Zizania videtur fore, cras potest esse triticum Dei. [*In tempore Messis dicam Messoribus: Colligite primum Zizania: & alligate ea fasciculos ad comburendum.*] Quia videlicet tunc mittentur auari cum auaris, luxuriosi cum luxuriosis: & vnusquisque cui similis fuit in moribus, illi sociabitur in pœnis. Triticum, iusti: horreum, vita æterna. [*Mittet filius hominis angelos suos: & colligent de regno eius.*] De Ecclesia omnia scandala, qui scandalizauerit electos suos, & eos qui faciunt iniquitatem. Non E dicit qui fecerunt, sed qui adhuc in hoc erant. [*Ibi erit fletus, & stridor dentium.*] Per fletum & stridorem dentium & nimia tormenta & vera resurrectio corporum designatur. [*Tunc iusti fulgebunt sicut sol in regno patris.*] Dominus lux cœlestis, & sol in ea erit, & sancti participando claritatem eius quasi sol fulgebunt. [*Simile est regnum cælorum grano synapis,*] in præsenti Ecclesia vnusquisque fidelis accipiat verbum Euangelij, & recondat in agro suo. Hoc est in pectore & in corde suo. [*Quod minimum est omnibus seminibus. Cum autem creuerit, maior est omnibus oleribus.*] Sicut est doctrina Euangelij, in facie minima apparet, & in auditione, sed in virtute flagrantior atque excellentior cunctis doctrinis. [*Iudæis scandalum, gentibus stultitia visum fuit*, Deum mortuum fuisse pro seruis suis, & resurrexisse tertia die. Sed tamen nulla doctrina Philosophorum sic impleuit mundum sicut ista, nec vlla doctrina præmium fuit vitæ æternæ F nisi in hac, ita vt volucres cœli veniant & habitent in ramis eius. Volucres prædicatores seculi. Rami huius exempla scripturarum, per quæ animæ fideles ad cœlestia volare, & neglectis temporalium cupiditatibus rerum, sursum habere cor consueuerunt. [*Simile est regnum cælorum fermento, quod acceptum mulier abscondit in farina satis tribus.*] Fermentum à feruendo dicitur, id est calefaciendo & fit de fece vini, aut ceruisiæ. Satum genus mensuræ est habens modium vnum, & dimidium. In satis tribus modia quatuor, & dimidium, & dictum apud Hebræos quod qui metitur eandem mensuram leuet. Primam parabolam de se & auditoribus suis dicit: aliam de his quæ diabolus immiscuit post Domini semen. Inde laudauit ipsum semen suum quod simile esset synapi: modo dicit quod omnes Ecclesiastici facere debeant de verbo Euangelij: per mulierem volens intelligi Ecclesiam, in qua vnusquisque qui de ea est debet abscondere in fide sanctæ Trinitatis, donec omnia quæ G facit omnia in nomine sanctæ Trinitatis faciat. Vel alio modo. Tres passiones sunt in nobis, ira, cupiditas, ratio: inter istas passiones mittamus verbum Euangelij: & omnes illas passiones ex verbo Euangelij condamus vt non irascamur, non concupiscamus sicut in Euangelio præcepit: & rationem nostram de Euangelio componamus.

[*Hæc omnia in parabolis locutus est* IESVS *ad turbas: & sine parabolis non loquebatur eis.*] Qui non vult esse discipulus audit verba in turba & in parabolis. Qui est discipulus dignus Christi meretur audire expositiones parabolarum: quia dat illi Deus sensum vt intelligat scripturas. [*Vt impleretur quod dictum est per prophetam dicentem. Aperiam in parabolis os meum.*] Per Prophetam quippe Dauid in septuagesimo Psalmo: *eructabo abscondita a constitutione mundi*. Non omnia, sed aliqua, & per speciem quæ appellatur Synecdoche, à toto pars intelligenda. [*Simile est regnum cælorum thesauro abscondito in agro.*] Regnum cœlorum quatuor modis dicitur in H hoc Euangelio: Dominus IESVS CHRISTVS, vita æterna, præsens Ecclesia, & latitudo scripturarum diuinarum: & pro diuersis locis diuerse accipitur. Nunc in hac parabola præsens Ecclesiæ, regnum cœlorum intelligitur. Ager autem latitudo diuinarum scripturarum. In quo agro inuenitur thesaurus, id est Dominus noster IESVS CHRISTVS, quia per scripturas nobis adnunciatus est, à Prophetis & Apostolis. [*Quem qui inuenit, debet omnia postponere: & vilia in amore eius computare, vt illum possit ante omnia & super omnia diligere.*] Quem qui inuenit, abscondit in pectoris sui absconso: non in auaritiæ studio, ibi amor seruare volentis exprimitur. [*Et præ gaudio illius.*] Magnum gaudium esse potest inuenire se, & scire illum per quem de inferno liberari possit & vita beata perfrui. [*Vendit vniuersa quæ habet & emit agrum illum,*] Quia in vniuersis suis actionibus: & possessionibus Dei voluntatem debet sequi. Talis negotiator fuit Zachæus: qui cum esset in siccomoro vt videret thesaurum quem emere posset, suscepit eum in domum suam.

Digitized by Google

A suam & dixit. Pro hoc thesauro, si cui aliquid abstuli, in quadruplum reddo & reliquum do pauperibus. [*Iterum simile est regnum cælorum homini negociatori quærenti bonas margaritas.*] Et Ecclesis hoc in loco intelligitur regnum, in qua Ecclesia omnes Christiani negociatores tales esse debent, vt quærant margaritas bonas: optimas intelligentias in lege & Prophetis. Cum autem inuenerint optimam margaritam Dominum Christum: omnes voluptates huius sæculi contemnant vt Christum lucrifaciant. Talis negociator fuit ille eunuchus, qui venerat adorare in Hierusalem & reuertebatur sedens super currum suum, & quærens in libro Esaiæ margaritas. Venit Philippus & ostendit ei ipsam margaritam: & misit eam in pectore, & super omnia quæ habebat dilexit. Talis Nicodemus & Ioseph, qui petiit capsulam vbi ipsa margarita fuerat à Pilato: quia iam habebat & ipse eandem margaritam, & omnes Apostoli huius negociatores fuerunt. [*Iterum simile est regnum cælorum sagenæ missæ in mare.*] Omnia hic per allegoriam dicuntur: & B est species allegoriæ parabolæ rerum genere dissimilium quia & thesaurus & margarita comparatione Dei vilia sunt, & sagena spiritualis sagenæ inferior regnum cælorum Ecclesis, vt supra. Per sagenam prædicationem Domini. Missa in mare, in isto sæculo, quia vt in mari piscis piscem persequitur & aut occidit, aut offert ab eo quod potest. Est aliquando serenum, aliquando turbatum: & in sæculo aliquando pax, aliquando persecutionea. [*Ex omni genere piscium congregati.*] Quia ex omnibus gentibus conuertuntur ad Deum. Dominus quando ista dicebat, sagenam in mare mittebat, & duodecim piscatores quomodo piscarent docebat. Cœpit sagenis Domini & discipulorum eius multos, & adhuc hodie mittitur: capit bonos & malos. [*Et cum veniunt.*] Id est terminum vniuscuiusque: veniunt Angeli bonos pisces mittunt in piscinam in vitam æternam, malos autem in ignem æternum, vt amplius non deuorent bonos pisces, neque faciant filios similes sibi, sed ardeant qoia comederint bonos pisces.

C Talis piscis fuit Iulianus, qui rupta sagena exiit foras, & quia multos Domini pisces comedit, & persecutus est, separatus à bonis adhuc coquitur, vindictas exoluens pro eis, [*Sic eris in consummatione seculi. Exibunt Angeli, & separabunt malos de medio iustorum.*] Quamuis in fine mundi de pluribus fiat, quotidie tamen fit ista separatio: & mali Christiani & pagani separantur à bonis, & mittuntur in caminum ignis.

Littus terminus sæculi: *Fornax ignis qui non extinguetur.* [*Intellexistis hæc omnia? Dicunt ei. Etiam.*] Aduerbium etiam est affirmantis, hoc est fecimus. Apostolos solos interrogat, & perfectus magister quia & ipsos magistros Ecclesiæ erudiebat, & sicut sagenam de multis maculis, sic de multis exemplis scripturarum prædicatione ordinare docebat. Vnde & sequitur:] *Ideo omnis scriba doctus in regno cælorum similis est homini patrifamilias.*] Ideo, subauditur volo, vt intelligatis qua dico: vt sitis similes mei qui sum paterfamilias, & vos mei D scribæ, vt sicut ego profetam noua ex meo & vetera de veteribus libris: ita & vos cum cœperitis prædicare. Scriba à scribendo dicitur, is videlicet qui se in scripturis exercet.] *Et factum est cum consummasset Iesus parabolas istas*] consommate sapientum est: stolidorum cœpta imperfecta dimittere & hoc quasi proprium ipsius, quia iam de ipso præmissum fuerat cum compleuit Deus opus suum, & perfecti sunt cœli & terra. [*Transiit inde, & veniens in terram suam, & docebat eos in synagogis eorum.*] Iuxta historiam auditis quod per diuersa loca Dominus docuit, & si tales erant qui nollent venire ad audiendam eius doctrinam ipse veniret, vt nullam excusationem haberent de ignorantia. [*Reuersus est in Galilæam in ciuitatem Nazareth.*] Quæ dicta est patria eius & ciuitas eius, non quod de ea esset, sed quia ibi nutritus fuerat. Nostis quid est synagoga. [*Ita vt mirarentur & dicerent.*] Propterea mirabantur quia viderant eum iuxta se nutritum, nunquam tamen viderant eum litteras disceotem. Audirbant vero eum testimonia legis proferentem, quæ non posset proferre nisi legisset. Verum E tamen non mirarentur si eum cognouissent, quia ipse erat qui Adam docuerat omnem Physicam: Abraham Astrologiam: Moysen Grammaticam: Salomonem sapientiam. Si Salomonis sapientiam mirati sunt plurimi, quid mirum si magister Salomonis miranda loquebatur. [*Nonne mater eiusdem dicitur Maria.*] Quamuis apud vos pauper, ipsa est de domo Dauid, genuit eum qui ditauit vestrum ditissimum regem Salomonem: Octauianum regnare permisit. Si voluisset, & istam vt Lybiam ditasset: sed qui voluit vt Petrus & Iohannes primores discipuli eius dicerent, aurum & argentum non est nobiscum. Ipse ante dixit: *filius hominis non habet vbi caput suum reclinet.*

Fabri filius autem fuit, sed non istius. Pater eius Cameram cœli sic lucidam & curuam fabricatus est per hunc quem despicitis. [*Et frater eius Iacobus & Ioseph: & simon & Iudas.*] Scitis etiam quod Iacobus & Iudas F Apostolus & Ioseph & Simon fratres ipsius sint dicti quia nepotes fuerunt sanctæ Mariæ de sororibus suis. Dixi vobis superius quare ad tempus placuerit Deo à quibusdam Ioseph dici patrem suum, cum pro certo non fuerit.

Maria *illuminatrix* dicitur, quia genuit lumen verum. [*Vnde ergo huic omnia ista*, id est sapientia in doctrina, virtutes in sanitate hominum. [*Et scandalizabantur in eo.*] In scandalum & iram accipiebant Deum hominem, sicut Paul. dicit: *nos prædicamus Christum, Iudæis scandalum, & gentibus stultitiam.* [*Iesus autem dixit eis. Non est Propheta sine honore, nisi in patria sua & in domo sua.*] Sicut Dominus dixit, sic fuit & apud Iudæos, & apud alias gentes semper: sicut beatus Hieron. dixit: *Inuident ciues ciuibus suis.* Nam & Eliam in Sarepta Sydoniæ mulier gentilis pauit tempore famis. Ionas in suis nec nomen habuit: apud Niniuitas valde tremendus fuit. Eliseum sui occidere voluerunt: ne Aman Syrus puero ipsius centum libras argenti, & duplicia vestimenta daret. Esaiā suus nepus Manasses rex occidit Danielem alienigenæ G super centum viginti prouincias principem fecerunt. Ieremiam sui in cisternam miserunt: Nabuchodonosor in magno honore eum habuit, & Nabuzardan cōmendauit. Ipse Dominus à suis multa mala perpessus & opprobris; Abgarus cum illo regnum partiri voluit: Et non fecit ibi multas virtutes, propter incredulitatem illorum. Potuit quidem quantum voluit vt Deus facere, sed non fecit, propter illorum condemnationem dimisit: quia quanto quisque plus videt de bono exemplo si non sequitur: tanto plus condemnatur. Si vero refugit vt non videat: tunc etiam iniquissimus & apostata iudicatur, & est similis diabolo.

[*In illo tempore, audiuit Herodes tetrarcha famam* IESV *& ait pueris suis.*] Herodes iste filius fuit Herodis, frater Archelai: & ipse est qui in passione Dominum remisit ad Pilatum. Iste ergo Herodes, frater fuit Philippi: postea duxit Philippus filiam regis Arethæ Herodiadem nomine. Postea vero socerum eius exortis quibusdam contra generum simultatibus, tulisse filiam H suam à Philippo & Herodi dedisse: quia Herodes maioris potentiæ erat. Erat autem ipsa mulier propinqua ambobus istis regibus: quia ex filia Herodis qui infantes occiderat nata erat. Sed tamen consuetudo erat apud Iudæos, propinquas suas vxores accipere: non tamen sorores: neque filias auunculi, vel materteræ. Sed quia isti ex auo erant gentiles & aua Iudæi: auum Herodem qui gloriosus Rex fuerat apud Romanos, ipsum imitabantur & aliqua tenebant de lege veteri, aliqua respuebant: etenim Deum cœli adorabant: & circumcisi erant. [*Audiuit Herodes Tetrarcha famam* IESV.] Tetrarcha Græcum nomen est compositum ex *quatuor*, quæ dicuntur Græcè *tetra*: Archon *principatum*: & Tetrarcha ex quatuor Princeps. [*Famam,*] id est opinionem de miraculis eius quæ faciebat. [*Et ait pueris suis,*] id est obsequentibus sibi. [*Hic est Ioannes baptista quem ego decollauī: ipse surrexit à mortuis: & ideo virtutes operantur in eo.*] Quia Herodes non cognouerat ante Dominum Christum:

A ſtum: propterea talia dicebat. Vſus enim fuerat apud Iudæos, vt qui Propheta futurus eſſet pro alio, Prophetam ſequeretur priorem, & imitaretur eum ſuis actibus, vt fecit Ioſue Moyſen, Heliſeus Heliam; Baruch Hieremiam, Heliſeum Iezi. Quia hoc non audierat Herodes de Domino quod fuiſſet diſcipolus Iohannis: propterea æſtimabat quod ipſe eſſet Iohannes. Bene autem de reſurrectione ſenſerunt quando dixerunt: quia ſurrexit Ioannes: propterea facit virtutes quas ante non fecit quaſi dixiſſent. Ideo modo Iohannes facit virtutes quia immortalis eſt, & maioris virtutis poſt reſurrectionem: idcirco poteſt virtutes facere quas ante non fecit. Omnia enim corpora ſanctorum maiorem virtutem habent poſt reſurrectionem quam ante. [*Herodes enim tenuit Iohannem: Adduxit eum de deſerto vbi fuerat, & religauit Macheronte in carcere, propter Herodiadem vxorem fratris ſui.*] Iam fuerat fratris ſui, ſed tunc non erat. [*Dicebat enim illi Ioannes. Non licet tibi habere eam.*] ſcilicet viuente fratre.

B [*Et noluit occidere eum, ſed timuit populum.*] Legerat autem in Paralipomenon quod Ioas Rex Iſrael occiderat Zachariam filium Ioiadæ Sacerdotis: & pro hoc poſtea ipſe rex occiſus fuerat, & timebat ſimiliter de ſe: quia Ioannes filius ſummi Pontificis fuerat. Addit etiam. *Quia ſicut Prophetam eum habebant,*] id eſt venerabantur eum vt Prophetam. [*die autem natalis Herodis quando ipſe natus fuerat,*] merito illum celebrabat eum in hoc ſeculo tantum bona habiturus eſſet. Sanctorum ideo finis eorum natalis celebratur: quia tunc in illam vitam renaſcuntur vbi ſine fine viuent in gaudio, ſicut Marcus ait: [*Ipſa die cænam fecit principibus & primis Galilææ.*] Legimus multos reges frequenter conuiuia feciſſe ſibi ſubditis: quia abundabant eis omnia bona: vt Aſuerus, Balthaſar & Herodes, & multi alij. Et Romanorum reges multi: De quibus Titus in dedicatione theatri quinque milia ferarum legitur occidiſſe. Soli vero mortalium Pharao & Herodes leguntur diem natiuitatis ſuæ celebraſſe, & vtrique homicidio polluiſſe: Sed iſte He-

C rodes tanto nequius quanto de Propheta, & quanto poſt prohibitum lege homicidium. [*Saltauit filia ipſius Herodiadis.*] Quia & Herodes & mulier de progenie Herodis maioris deſcendebant: idcirco de ipſo nomen habebant. Filia autem ipſius dicitur non Herodis: quæ de alio marito erat generata. Saltare in conuiuiis multæ gentes pro honore habent: quaſi appareat quis nobilior ſit. Nam Vaſcones & Hiſpaniarum populi adhuc retinent: apud Francos autem improperium eſt. Saltatores autem nominati ſunt ab Archade Salio quem Æneas in Italiam ſecum duxit: quique docuit Romanos adoleſcentes nobiles ſaltare. Legimus vero quod Sybilla decem eglogas Virgilij in ſenatu ſaltauit. [*Placuit Herodi,*] non ſolum ſaltatio illi placuit: ſed etiam cantatio quam cantauit: Græcè compoſitum metrum quod ſaltauit. [*Vnde pollicitus eſt ei dare cum iuramento, quodcumque poſtularet ab eo.*] Ipſe Herodes cum vxore ſua inuenit tali modo occidere Iohannem ſine ſeditione. Nam propterea habebat eum recluſum, vt quando iuraret quaſi pro ve-

D neratione nominis Domini: ne peierare videretur nomen Domini: propterea occideret eum. [*At illa præmonita à matre ſua.*] Timebat enim ne ſe reconciliaret Herodes cum fratre: vt audiret monita Ioannis, & dimitteret eam. [*Da mihi inquit hic in diſco caput Ioannis baptiſtæ.*] Diſcus antea iſcus à ſpecie ſcuri dicebatur: vnde & ſcutella poſtea diſcus vocatur, quod dereſcas. [*Et contriſtatus eſt rex.*] Conſuetudo hiſtoriographorum eſt ſic cauſam ſcribere ſicut eo tempore à præſentibus putata eſt. Vnde & Ioſeph dictus eſt ab Euangeliſtis pater Domini: cum veraciter ſcirent non fuiſſe. Similiter hic dicitur rex contriſtatus, cum ſimulauerit ſe triſtem, & animo lætus fuerit. [*Propter iuramentum autem: & eos qui pariter recumbebant iuſſit dari.*] Quia ipſe rex vna parte Iudæus erat non tamen in vno vaſculo manducabant: ſicut Ioſeph cum fratribus ſuis, & cum Ægyptiis. [*Miſitque & decollauit Ioannem in carcere,*] habemus ſcriptum [*quod orauit ſtans in medio carceris dicens Domine Deus meus ad te commendo ſpiritum meum.*] Carcer eſt à quo prohibetur exire, & dicitur carcer à cohibendo ſiue coercendo. [*Et accedentes diſcipuli, tulerunt corpus & ſepelierunt illud, & venientes nunciauerunt Ieſu.*] Non excuſatur Herodes quod inuitus fecerit: quia ſi matris vel ſororis poſtulaſſet interitum, repudiaturus eſſet. Quod pro Carnali repudiaturus erat, debuit conſeruare in Propheta. Legimus in Romana hiſtoria Flaminium ducem Romanorum quod ad petitionem meretricis apud quam cubabat hominem decollatum, reum capitalis criminis in conuiuio caput deferri feciſſet, & ob hoc poſtea pulſum curia quod homicidium conuiuio miſcuerit: quanto magis ſceleratior fuit Herodes, & Herodias atque puella: quæ ſaltationis precium caput Prophetæ petiit, vt haberet in poteſtate linguam ne argueret nuptias illicite perpetratas. Spiritaliter decollatio Ioannis minorationem famæ illius, qua Chriſtus credebatur, inſinuat, ſicut exaltatio Chriſti in cruce perfectionem fidei deſignauit: quia ipſe qui prius Propheta putabatur, Chriſtus eſt agnitus: quia ſicut Ioannes dixit, Chriſtum oportere creſcere, ſe autem minui. Quod ipſa quoque diſtinctio temporis ſignauit: quia Ioannes eo tempore natus eſt quo lux diurna incipit minui: & Chriſtus eo tempore quo lux ipſa incipit creſcere. Narrat Ioſephus vinctum Ioannem in caſtellum Macherontum adductum, ibique truncatum: & Eccleſiaſtica dicit hiſtoria ſepultum eum in Sebaſte id eſt Samaria. Tempore autem Iuliani imperatoris videntes pagani ſepulchrum eius frequentari à Chriſtianis, effodiſſe eum & per campos oſſa eius ſparſiſſe. Contigit autem tunc id temporis fuiſſe ibi monachos de Hieroſolymis. Cumque colligerent oſſa eius cum aliis Chriſtianis: rurſum ipſi pagani cœperunt recolligere, & igni concremare. Monachi vero quæ collegerant Hieroſolymam detulerunt ſuo Abbati Philippo. Ille vero miſit ea Athanaſio Epiſcopo Alexandriæ: & ibi fuerunt ſeruata vſque ad tempora Theodoſij Imperatoris: & tunc mundato templo Serapis ibi poſita ſunt: & dedicauit ipſum in nomine eius. Caput vero non fuit tunc inuentum: ſed tempore Martiani Imperatoris reuelatum eſt duobus monachis: & inuenerunt illud iuxta palacium Herodis, vbi infœlices fœminæ abſconderant illud. Herodes vero qui eum occidit: & in Domini cum Pilato paſſione conſenſit: inſtigante vxore ſua vt regnum quod frater eius habebat Agrippa impetraret, Romam abiret: conſecutuſque eum Agrippa, accuſauit apud Cæſarem quod rebellare contra eum diſponeret, & arma fabricata haberet. Quod quia de armis negare non potuit, Lugdunum quæ Burgundiæ eſt ciuitas perpetuo exilio deportatus eſt, & regnum eius Agrippæ datum eſt. Vxor vero eius venit ad imperatorem deprecatura pro marito: imperator autem pro fratre eius Agrippa voluit eam ſecum retinere. Sed illa dixit ad imperatorem, Pro nihilo omnia bona tua duco: nec ea volo recipere, niſi maritum reddideris. Cui imperator dixit. Iam quia ſic loqueris neque maritum videbis: neque patriam tuam. Et ipſa perpetuo exilio deſtinata eſt. Tali vindicta punitum eſt ſcelus quod in Domino & in præcurſore commiſerunt nunc etiam inenarrabilibus cruciantur tormentis. [*Et accedentes diſcipuli eius tulerunt corpus eius.*] Diſcipuli qui aliquando illius fuerant tunc, Domini. [*Nunciauerunt Domino,*] id eſt ipſi quos Ioannes ad Dominum miſerat, quomodo Ioannes curſum vitæ ſuæ conſummatum haberet: & quia adnunciando legem mortuus eſſet. Nam & Dominus pro ipſa cauſa occiſus eſt à Iudæis, quia legem Dei adnunciaret eis, & quicunque, zelando legem Domini, aut adnunciando mortuus fuerit, ſi odium contra aliquem non habuerit, ſed charitatem: ſimilis Ioanni & martiribus in alia vita erit. Quærunt aliqui: quare Ioannes virtutes non fecerit in vita ſua, in cuius ortu tanta facta ſunt. Quia Ioannis pater tantæ potentiæ fuit: & tantos parentes habuit, vt Herodes timuerit ab ipſis ſe occidendum. Quanto magis ſi Iohannes virtutes feciſſet, nullo modo eum aliquis occidiſſet. [*Quod cũ audiſſet Ieſus, ſeceſſit inde.*] Siue quia digni non erant audire prædicationem eius, illi qui conſueue-

A rant Iohannem occidi principes Galilææ, qui fuerunt ad illud conuiuium: sed fecit sicut homo: noluit locum dare, ne vellent homicidium homicidio iungere. Quod dicit in desertum: vltra Iordanem significat. [*Et secutæ sunt eum turbæ pedestres de ciuitatibus.*] Amorem prædicationis demonstrant qui absque iumentis & vehiculis & sine cibo secuti sunt: & quia Dominus vidit eorum ardorem, idcirco fecit sicut hic sequitur. [*Exiens vidit turbam multam & misertus est eius.*] Et obuiam eis exiit & misertus est & in sanatione languidorum eorum, & in saturatione rerum corporalium. Recessus autem Domini à Iudæis significat: quod postquam perdiderunt Prophetas, & legem Dei male faciendo & intelligendo Iudæi: Christus transit ad desertas gentes vt ipsæ susciperent verbum quod Iudæi reiecerunt, & ipsis qui relinquunt proprias conuersationes propter Deum, occurrit & miseretur Dominus [*Vespere autem facto, accesserunt discipuli ad Iesum.*] Vespertinum tempus finem seB culorum ostendit: in quo aduenit Saluator saluare genus humanum: vel tempus quando in cruce verus sol occubuit, tunc misertus gentium per Apostolos suos. [*Desertus est locus, & hora iam præteriit.*] Siquidem non habebant mercatum, neque villas vbi potuissent inuenire cibum. [*Iesus autem dixit eis.*] Non habent necesse ire: videlicet habent illum hic, qui pauit populum manna per quadraginta annos & Moysen & Eliam verbo suo, habet panem verum qui de cœlo descendit. [*Date illis vos manducare.*] Prouocat Dominus discipulos suos ad largitatem, vt faciant omnibus: & vt velut vltra vires succurrere proximis. Et mauult vt indigentia panis à pluribus cognita, abundantia facta per ipsum: maior gratiarum actio fiat. [*Responderunt ei. Non habemus nisi quinque panes, & duos pisces.*] Iuxta historicam fidem sic credimus factum in monte Thabor, iuxta altiorem intellectum, quinque panes quinque libros Moysi significant. Ille puer qui eos habebat secundum alium Euangelistam Moyses: iuxta alium significat Iudaicam C gentem, quæ acceperat ipsam legem à Deo per Mosen. Duo pisces intelliguntur libri Prophetarum & Psalmorum, quia & in his tribus ordinibus vetus scriptura constabat ante aduentum Domini: sicut ipse ait: oportet impleri omnia quæ scripta sunt in lege & Prophetis & Psalmis de me. Illi quinque panes hordeacei secundum Iohannem fuisse referuntur: quia tantummodo sola historia in his sequebatur: videlicet Dei cognitio, creatio mundi, cursusque seculi labentis, antequam à Domino benedicerentur, & quasi bruta animalia de asperiori cibo pascebantur. Per duos pisces non inconuenienter Prophetarum oracula, & psalmorum dicta figurantur, per quæ pastum populum de lege addidit delitias: quia ibi iam spiritalis sensus & aduentus Domini inuenitur & sicut pisces in aquis latent, sic obscurus est sensus in Prophetis. [*Afferte illos mihi huc.*] Quasi dixisset, de me intelligite in lege & Prophetis. Et paulatim crescendo, intellectum Dominus & scientiam populis monstrauit. Primo naturalem legem: secundo D legem litteræ: tertio Prophetarum: ad vltimum Euangelij gratiam, quod & in cibo terreno signauit. Primo de quinque panibus hordeaceis: post de septem qui non dicuntur fuisse hordeacei, per quos Euangelica & sancti Spiritus doctrina signatur: ad vltimum de pane & vino sui corporis & sanguinis eis mysterium credens. [*Et iussit eos discumbere supra fœnum.*] Abunde solet crescere fœnum in his excelsis montibus in æstate: sicut viderunt qui in nostris alpibus conuersati sunt. Et quia longe erat à ciuitatibus & villis propterea à nullo secabatur. Per fœnum voluptas carnis quam calcare debent qui in cibi pascantur sicut in Euangelio alio refertur. [*Discubuerunt quinquageni seu centeni,*] quia licet sint Christiani per omnem mundum, & per diuersas regiones vno tamen pane aluntur: quia vnum omnes amplecti debent Euangelium & omnes fratres esse debent, & amare se inuicem. Si hoc non faciunt non sunt Catholici, & non sunt de Ecclesia: quia in nostra fide profitemur nos Catholicam Ecclesiam credere id est vniuersalem. Per quinquagesimum & centesimum numerum requies vitæ E æternæ figuratur: quæ his dabitur qui Christi in hoc sæculi deserto fuerint & eius cibo spiritali pasci studuerint. [*Acceptis quinque panibus & duobus piscibus.*] Quia Dominus non de nouis escis, sed de his quas Apostoli habebant turbas satiat: ostendit quia ipse est qui legem dedit & in Prophetis locutus est, & propterea eadem & docet, & quam sint grauida mysteriis insinuat, & quæ deerant adimplet. [*Aspiciens in cælum.*] In cœlum aspicit, vt animo cœlum intendere nos doceat, & scientiæ lucem illic esse quærendam. [*Benedixit.*] Quia omnis vetus scriptura ab ipso benedicta, & hominibus data. [*Fregit.*] hoc est aperuit Apostolis sensum vt intelligerent scripturas. Seu exposuit quomodo intelligerent. [*Fregit.*] Quia de vno præcepto duo nobis fecit, cum dixit: *Audistis quia dictum est antiquis: non occides.* Ego autem dico vobis ne irascamini. Similiter de aliis. [*Dedit discipulis suis panes: discipuli autem turbis.*] Quia ipse F per se eos erudiuit & per Apostolos gentes. [*At manducauerunt & saturati sunt.*] Ostendit assiduitatem Apostolorum & perfectionem in doctrina sua. [*Et sustulerunt reliquias, duodecim cophinos.*] Per reliquias fragmentorum, sacratiora mysteria quæ turbæ intelligere nequibant, quia sicut canones præcipiunt, profundæ quæstiones non sunt mouendæ in turbis, nec à perfectis negligendæ: sed inquirendæ à perfectis. Per duodecim cophinos, corpora duodecim Apostolorum quæ vilia à foris fuerunt: sed intus magnis Sacramentis repleta fuerunt. Cophinus vasculum rusticorum est de virgulis factum, ad terram deportandum. Vnde in Psalmo de Ioseph: *Manus eius in cophino seruierunt.* Requirunt vnde in tam vasto heremo, cum panes non fuerint inuenti nisi quinque & duo pisces: vnde tanti cophini? Sed sciendum quod cum infirmis venerunt & sanatis. Infirmis, sicut dixit superius, curauit languidos eorum, cophini vacui, remanserunt. [*Manducantium autem fuit numerus quinque millia virorum exceptis paruulis & mulieribus.*] Per quinque G millia illi figurantur, qui quinque sensibus corporis bene vti nouerunt: adhuc exterioribus operibus implicati. Qui recte quinq; panibus aluntur: quia necesse est eos regalibus institui præceptis. Nam non tenent adhuc illam perfectionem, quam tenent qui quatuor & de septem panib. saciati sunt. Mulieres autem & paruuli non sunt digni numero: quia instabilis sexus & mutabilis est. Infantes vero in imperfecta ætate sunt; propterea nec numero digni. [*Et statim iussit discipulos suos ascendere in nauiculam, & præcedere eum trans fretum donec dimitteret turbas.*] Quare discipulos iussit ire trans fretum post saturationem panum, Ioannes Euangelista narrat, quia videlicet venturi erant populi, vt vellent eum regem facere: propterea tulit se de loco ne eum inuenirent: quia ipse erat conditor mundi nolebat secularem potentiam: quia hi qui habebant ipso dante vel promittente habebant. Ipse namque erat de quo Salomon ait: *Per me reges regnant.* Fretum Genesar: a feruendo fretum nominauit. [*Vespere solus erat ibi. Ipse ascendit solus verticem montis orare: & discipuli* H *laborauerunt in mari in remigando tota nocte.*] Non enim erant discipuli adhuc perfecti: idcirco permisit eis agnoscere quid possent sine ipso, vt amplius eum diligerent: & Deum elementorum pro certo crederent. Quod orauit, formam nobis dedit quid debeamus facere qui puri homines sumus cum peccatis: si ipse absque peccato frequenter vacabat orationi, etiam quando aliquid boni quis facit, aut excellens, Domino debet referre gratias a quo ea cepit vt faceret: & oratione ne aliqua elatio illi pro hoc facto subripiat. Quod refugit habere terrenam potestatem, quid electi eius facere debeant ostendit, quia nullus potest habere potestatem sine multis peccatis. Propterea qui vult sublimiter cum Christo regnare, non curet habere potestatem in hoc seculo: quia si esset appetenda, aut ipse habuisset, aut matri dedisset, aut Apostolis suis. Neq; reges de regno certare debent. Quia pro certo Dominus habet ordinatum quicumque reges esse debent in hoc seculo: sicut de illis erat quos ostēdit Deus Danieli: *Qui bene vult regnare, expectet vt à Domino accipiat:* sicut Dauid fecit:

Quum

A Quum cum sciret quod rex inunctus esset non quæsiuit illud cum sanguine: vt occideret regem: cum locum haberet frequenter: neque filium eius post mortem eius: neque bellum intulit suæ genti: sed fugit per alienas terras, & patrem & matrem coactus est educere in terram alienam: extraneam sibi hæreditatem & parentum suorum præstolatus est quousque Deo placuit. Et idcirco non solum ipsum regnum adeptus est: sed & alia multa. Qui autem aliter introiuit in regnum nisi per voluntatē Dei, permisit ei Deus vel propter ipsius peccatum vel propter subiectorum flagellum vt dominatetur peruerse sicut Zambri qui occidit Elam, & accepit regnum eius & regnauit septem diebus: similiter Phaceæ occidit Phaceiam, & accepit regnum: sed ipse occisus est ab Osea: & iste captus cum toto Israël ab Assyriis.

Similiter de Episcopis credo quod Deus ordinatos habeat: qui esse debeant in hoc seculo Episcopi: sed non propter ipsos, verum propter subiectos, in quibus multi sancti habentur. Propterea non erit necesse cuiquam
B laborare inaniter pro Episcopatu & cum peccato introire: quia si ordinatus est à Deo, erit: si autem sine voluntate Dei introierit, cito decidet: & si mors eum ibi inuenerit, sine fine in inferno erit, quia in rapina vitam finiuit. Vnde Ioannes ait: *Peccatum vsque ad mortem, non dico vt quis roget pro eo.* [*Nauicula autem in medio mari iactabatur fluctibus.*] Nauicula quæ iactabatur significat Ecclesiam concutiendam inter turbines persecutionū. Ventus, ipse persecutiones ab infidelibus sunt. [*Quarta autem vigilia noctis venit ad eos ambulans supra mare.*] Romani custodias militum obseruandas cum imperatoribus & exercitibus, diuiserunt noctem in quatuor partes: in vnaquaque vigilia deputantes tres horas. Et quod dicit quarta vigilia, scilicet cū tres præcessissent & quarta esset. Et hoc spiritaliter demonstratur: quia cum verus Lucifer appropinquauit: Ecclesiæ suæ facta est tranquillitas: quia & ipsi imperatores crediderunt qui Ecclesiam quassabant. [*Et viderunt eum supra mare ambulantem, & putauerunt esse phantasma.*] Et quod tunc putauerunt discipuli
C postea putabant hæretici qui dixerunt quod habuerit Christus non corpus carneum, quod super aquis siccis plantis potuit ambulare. Sed tamen sicut isti cognouerūt errorem suum, sic nos agnouimus errorem illorum: quia non solum verum corpus super aquas ambulauit, sed etiā Petri corpus quousque dubitauit. Sed sicut non possumus enarrare qualiter incorporatus est in vtero virginis, sic nec qualiter librauit corpus carneum super aquis liquidis: sed tamen vtrumque credimus. [*Et videntes eum supra mare ambulantem putauerunt phantasma esse.* Æstimauerūt quod eis aliqua ludificatio fieret à diabolo, quæ solet fieri his qui non recte credunt: maxime his qui credunt errorem Paganorum, quod Neptunus aliquam potestatem habeat in aquis qui tenetur in inferno vt alij iniqui. [*Et præ timore clamauerunt.*] Solet enim dæmon timere vocem iusti viri: propterea clamauerunt. [*Statimque locutus est eis dicens. Habete fiduciam.*] Primo aufert timorem de se quam recognoscerent: secundo sedat minas
D tempestatum. Duas virtutes precipuas ibi viderunt, & ambulare illum super aquas quod ante inauditum fuit, & tempestates verbo sedare.

Ventus est aër commotus: & pro diuersis partibus nomen sortitur, vt subsolanus, quia sub sole est: & alij similiter. Sunt autem duodecim. Ventus dictus est, eo quod sit vehemens: ita vt saxa & arbores euellat, terram commoueat, turbet mare. [*Respondens Petrus.*] Petrus adhuc non credebat, quod corpus carneum super aquas maris ambularet, nisi in suo hoc disceret: sed sicut fecit in fide sua, sic & in gressibus suis. Credidit aliquid quando de naui exiit, sed dubitauit quando ventum validum vidit: & ideo mergi cœpit. [*Domine si tu es iube me venire ad te super aquas.*] Inter spem & dubitationem erat positus beatus Petrus, & recognoscebat vocem: & tamen dubitauit vtrum ipse esset. [*Ait ergo Dominus. Veni: Et descendens Petrus de nauicula, ambulabat super aquam.*] Mira beati Petri actio, & ambulabat super aquas, & timebat. Tamen ex eo quod ambulauit agnouit Dominum, & quæsiuit potentiam illius contra valitudinem venti. Nauis in mari Ecclesia in hoc seculo ventis agebatur: quia persecutionibus fatigabatur. Et hoc tunc factum est quando Dominus corporaliter ab ea recessit, in tantum vt ipse dixerit: vt quid Domine recessisti longe, despicis in oportunitatibus? Venit ad eam Dominus quarta vigilia noctis, videlicet cum verus Lucifer oriebatur per auxilium quo liberauit Ecclesiam à persecutionibus potentum. Petrus venit ad eum in persona Ecclesiæ: quia nec aliquis potest ad eum venire nisi ipso donante. Sed sicut Petrus cum diffidit mergitur: sic vnusquisque fidelis cum diffidit à Domino mergitur: quia qui à Deo postulat bonum, non debet diffidere sicut Iacobus inquit, postulet autem in fide nihil hæsitans. [*Apprehendit eum.*] Quia prope est omnibus inuocantibus in veritate, id est occurrere adiutorio suo misericordiæ. Increpatur quod modicæ fidei fuerit: qui præsente creatore dubitauerit, seu modica fides dicitur: quia modica in hoc seculo putatur esse dum non videtur: sed magnam habet flagrantiam & remunerationem post triumphatum mundum. [*Cum autem descendisset Dominus in nauim cessauit ventus.*] Vt Domino placuit dedit pacem Ecclesiæ suæ. [*Qui autem in nauicula erant & Apostoli & nautæ venerunt & adorauerūt eum dicentes. Vere Dei filius es.*] Cognouerunt enim quod nullus alius creator esset maris & ventorum, nisi qui verbo dicit & fit quicquid imperat. [*Et cum transfretassent hoc est transnauigassent, venerunt in terram Genesar.*] Ab ipso lacu Genesar illa in Cyrum regio, ex vna parte Genesar regio nominatur: & apparet quia bonæ voluntatis homines fuerint, vt non solum ipsi venerint: sed & ad alia loca miserint, & venerunt ad Deum. Sic debet facere vnusquisque homo, & ipse debet bona facere & proximum suum hortari vt similiter faciat. [*Cognoscebant autem Dominum de frequenti visione.*] Quia Dominus ibi frequenter conuersatus est: vel ex signorum fama quæ præcurrebat de illo. (*Et obtulerunt omnes male habentes: & rogabant eum: vt vel fimbriam vestimenti eius tangerent.*) Quia audierant quod mulier matrosa sine verbo ipsius salutem ab ipsis fimbriis acceperat: propterea desiderabant fimbrias attingere. Prius autem dixi vobis quod ipsæ fimbriæ ob discretionem aliarum gentium Iudæis præceptæ sunt fieri. (*Et quotquot tangebant, salui facti sunt.*) Quia dilectionem Dei isti habuerunt & proximi, impetrauerunt quod petierunt: dilectionem Dei quia auide susceperunt & gestierunt vt Dei laus longe lateque crebresceret: dilectionem proximi, quando voluerunt vt alij salui fierent. (*Tunc accesserunt ad eum ab Hierosolymis scribæ & Pharisæi dicentes.*) Alij veniebant ad audiendam prædicationem & salutem animarum suarum ab Hierosolymis vbi religio maior esse debebat & scientia. Ob reprehensionem scribæ & Pharisæi veniebant & hoc totum propter inuidiam. (*Quare discipuli tui transgrediuntur traditionem seniorum. Non enim lauant manus suas cum panem manducant.*) Legimus in Euangelistis aliis quod diuersa baptismata, id est lauationes dici habebant: & illas ex traditione Carnali & suorum inuentione magistorum plus obseruabant, quàm ea quæ Deus omnipotens in lege præceperat. Et inde Dominus frequenter arguebat quod dimitterent dilectionem Dei & proximi quæ Deus magnopere commendauerat. Et reprehendebant eos qui hoc obseruabant, & super traditiones quæ neque nocent, neque adiuuant si illas non obseruent. Quando namque in placito sedebant cum Romanis, qui ipsam terram tenebant, non manducabant nisi ante se balnearent: & non manducabant nisi crebro lauarent manus. (*Ipse autem respondens illis & ait, Quare & vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram: Nam Deus dixit. Honora patrem & matrem, & qui maledixerit patri vel matri morte moriatur.*) Honor hic & in verbo & in omni dono accipiendus est: sicut & illo loco vbi Paulus dicit: *Presbyteri duplici honore digni sunt: maxime qui laborant in verbo.* Honor ibi pro dono accipitur. Et in alio loco: *Honora viduas: quæ vere viduæ sunt.* Quando ergo Deus

A illa dixit, voluit vt in cibo & in potu & dono honorarent parentes.

Posteaquam patres senescebant, & filij potestatem accipiebant in domo, & onus erat filiis quod pater vel mater viuerent, affligebant eos filij in cibo & potu & vestimentis per traditionem Pharisæorum qui eis dicebant: verior pater est Deus, non inhonoras patrem vel matrem si ista donas Deo. Et per talem occasionem faciebant patres & matres egentes omnibus bonis, cum Deus illa non manducaret: sed accipientes conderent sibi thesauros inutiles. Vel alio modo. Cum dabant patri vel matri manducate & bibere dicebant ad illos. Quod tu manducas, ego iam ad templum Domini habebam deuotum Et tunc illi expauescebant, & dicebant. Amabilius est mihi fame mori, quam ista comedere, quod autem dicunt: donum quodcunque est ex me, tibi proderit: quasi diceret, quod ego do ad templum similiter offero pro te B sicuti pro me. [*Et irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram.*] *Non Deus tali modo dixit honorandos vt vos inuenistis ob lucrum vestrum, & reprehenditis discipulos meos qui nulli nocent si non lauant manus. Hypocritæ, bene prophetauit de vobis* Esaias dicens. *Quod de vobis Esaias prophetauit facitis labiis vos profitemini Dei præcepta adimplere: corde autem & opere iniqua monstratis. Sic dixerunt patres vestri, omnia quæ præcepit Dominus faciemus. Sine causa autem colunt me, doctrinas hominum docentes.*] Sine causa Deum colit, qui labiis profitetur se Christianum esse, & opere contradicit. Qui dicit se nosse Deum, & mandata eius non custodit mendax est. *Non quod intrat in os coinquinat hominem: sed quod procedit ex ore hoc coinquinat hominem.*] Simplex præceptum est: quia apud Deum nihil noceat quod manducemus, nisi iuxta creaturam aliquid fiat. [*Omnis enim creatura bona: & nihil reiiciendum quod cum gratiarũ actione percipitur.*] In alio Euangelio scriptum est, communicant. Quod verbũ propriè apud Hebræos erat. Siquidem illi communes cibos dicebant, quos gentes edebant de quibus illi non gustaC bant, vt sunt lepores, sues, hostreæ, anguillæ: & quæ non ruminant nec findunt vngulam, aut squamas non habent: quicunque comedebant, communem illum appellabant. Et inde dicit communicant hominem hoc est communem faciunt.

In totis libris nostris nec ad Deum, nec ad imperatorem inuenietis plurali numero dici quamuis in communi nostra lingua vsus sit. Sed tamen est causa, pro qua in nostra terra hic vsus inoleuit, ad vnum hominem quasi ad duos loqui. [*Tunc accedentes discipuli dixerunt ei: Scis quia Pharisæi audito hoc verbo scandalizati sunt.*] Scandalum Græcum nomen est, & Latinè potest dici offensio vel impeditio. Inde tractum est ad offensionem animi, quia sicut homo offendit in via sua ad aliquem lapidem siue laqueum: similiter offendit quando aliquod verbum contrarium in animo eius vel ratione opponitur. Et inde dicebant Domino discipuli quod in illa traditione quam Iudæi pro lege tenebant, contradictionem haberet immissam: & quam semper obseruabant. In quo eum repreD henderet æstimabant se habere inuentum per quod potuissent conuincere contra legem eum locutum fuisse. Sed tamen requisierunt & inuenerunt quod Patriarchæ ante legem manducauerunt multa quæ isti non comedebant, & intellexerunt quod Deus non propter se præceperat obseruare Iudæos à talibus cibis, sed propterea si permitteret manducare dicerent quod non esset bonum: quia ipsi habebant in consuetudine sic: vel etiam imitarentur easdẽ bestias vel aues in suis consuetudinibus de quibusdam actis quæ bestiis non nocent, hominibus autem nocerent, si fierent: sicut Paulus astipulatur de eisdem. *Propterea tradidit illos in passiones volucrum, & quadrupedum & serpentium.* Propterea quia Pharisæi sic habebant acceptum ipsum verbum venerunt ad Dominum discipuli sicut fideles & deuoti, & renunciauerunt quæ andierunt Respondens IESVS ait illis: *Omnis plantatio quã non plantauit pater meus cælestis, eradicabitur.* Si omnis alterius plantatio eradicabitur quid erit quod Paulus dicit *ego plantaui?* Sed ista Dei est quia sequitur Deus incrementum E dedit. Nam & iterum dicit. Dei cultora estis, Dei ædificatio estis: Si homo cum bona voluntate fuerit, nemo potest illum de cultura Dei eradicare: ipse vero potest: quia Hieremias dicit: *ego te plantaui vineam meam electam quomodo conuersa es in amaritudinem vitis alienæ?* Nullus enim eam posset eradicare nisi ipsa tribuisset assensum. [*Sinite illos: cæci sunt duces cæcorum.*] Sinite illos, dimittite in suis erroribus: & vos nolite adhærere. Hoc de illis qui frequenter castigati à fratribus & ab Ecclesia: & nolunt reuerti: sicut ipse alias: *Sit tibi sicut ethnicus & publicanus.* Et Paul. dicit: *Hæreticum hominem post primam & secundã correptionem deuita.* Cœci sunt de spiritalibus oculis, & ipsi cœci qui ad cotũ doctrinam attendunt. [*Cæcus autem si cæco ducatum præstet, ambo in foueam cadunt.* Si cœcus cœcum ducere voluerit, ambo in foueam cadunt: similiter insipiens si insipientem voluerit docere, sicut ipse in errore versatur, similiter & ille in errore erit: quousque in infernum decidant. [*Respondens Petrus* F *dixit. Edissere nobis parabolam istam.*] Putabat Petrus parabolam esse qood Dominus per simplex verbum dixerat. [*Iterum dixit eis. Non intelligitis quia quod in os intrat in ventrem vadit, & in secessum emittitur? Omnis creatura bona, & nihil reiiciendum quod cum gratiarũ actione percipitur.*] Reprehenderunt hæretici aliqui hoc dictum, quasi non sit naturaliter dictum, quia per poros vadit succus cibi per membra corporis. Sicut cibus digeritur in secessu, similiter etiam ipsi humores ibi deponuntur: propterea sic locutus est ipse, sicut creator corporis. [*Ea quæ procedunt de ore de corde exeunt, id est, homicidia, adulteria, & cætera.*] Homicidium compositum est ex homine & cœde. Qui enim in homine cœdem fecerit homicida dicitur. Adulterium est illusio coniugis: & dictum quasi adulterum subauditur, quando aut mulier aut vir deserto legitimo, alterius thorum quærit, & est maius peccatum quam fornicatio: quia in tribus peccatur. Fornicatio vero multis modis committitur: & etiam in propria vxore potest homo fornicari, si non legitime ea vtitur. Et omnis pollutio nisi cum vxore legitima, fornicatio & criminale vitium est. Furta. Furtum est rei alienæ clandestina contractio, & dictum est à furuo, id est nigro: quia in obscuro fit. Est autem sacrilegium furtum. Falsa testimonia sunt, cum quis aut per se aut cum aliis fratrem accusat ad aliquam condemnationem: quando autem plures sunt, tanto peius peccatum. Sunt autem similes Iudæ, qui Dominum tradidit ad mortem. Blasphemiæ. Blasphemiæ sunt detractiones & malæ locutiones, cum quis Deum & proximum malis suis verbis infamare nititur. Omnia ista vitia & spiritaliter fiunt. Qui enim ad peccatum illicit aliquem, occidit se & illum. Adulterium animæ committit, qui propter aurum aut pro alia re: Deum aut iustitiam Dei deserit. Fornicationem animæ committit, quando concupiscit rem proximi sui. Furtum facit animæ, qui veritatem tacendo reticet, detrahenti proximo aurem accommodat. Ista & similia maculant hominem ante Deum, & abominabilem Deo reddunt. In hoc Domini verbo H quod dicit: de corde exeunt, apparet quia sedes animæ in corde est, & non in cerebro. Cor à Græco venit quod est cardia, & dicitur à cora, huius duæ arteriæ sunt, è quibus sinistra pars plus habet sanguinis, & dextera plus spiritus. Vnde cui paralysis in dexteram partem venit plus viuit, quam cui in sinistram. Ostenditur quoque quod diabolus adiutor & incentor cogitationum nostrarum potest esse: auctor esse non potest: nec cordis oculta scire, nisi quantum ex motibus nostris potest agnoscere. [*Et egressus inde* IESVS, *secessit in partes Tyri & Sidonis.*] Reliquit scribas & Pharisæos qui semper reprehendere volebant & pergit ad partes Tyri & Sidonis. Tyrus vrbs Phenicum condita à Phenicibus fuit: Sydon ab ipsis similiter condita. Fuerunt vero in mari constructæ: sed iugi obsidione & aggeris aggregatione quando Dominus in mundum venit, contiguæ terræ erant. Nam Nabuchodonosor obsedit eas: & aggregauit multum aggerem cum nauibus: ita vt à foris muro stare posset, quod ante non poterat. Et cœpit Sidonem in primis post captam

A Iudæam, Tyrum autem per tres annos obsedit, & interim eduxerunt habitatores omnia præcipua de ciuitate, sicut Ezechiel dicit: describit & ipse gloriam eius. Post Nabuchodonosor Alexander obsedit eas: & coniunxit terræ. Tyrus dicitur Augustia, quia mari erat cincta: Sidon piscosa, eo quod pisces ibi abundarent. Fuerunt vero filiis Israel promissæ à Domino & in sortem datæ: sed non potuerunt eas capere filij Israel. [*Et ecce mulier à finibus illius egressa.*] Non intrauit Dominus finem Tyriorum, sed ibi prope gradiebatur. [*Clamauit dicens ei.*] Mulier ista Chananæa dicitur: quia de Chananæis erat eorum origo, & terra eorum Iudæis promissa fuit sed propter peccata non potuerunt illos eiicere. Tres virtutes mulier hæc habuit, habuit fidē, quia credidit Dominū ista posse facere: habuit humilitatē, qua se non canibus confessa est esse parem, sed catulis: habuit patientiam quotiens repulsa perseuerauit. Simplex historia auditorē ædificat: vt fidem rectam in Deum habeamus: credenter impe-

B trare quæcunque poscimus: si ad salutem animæ poscimus. Hoc quoque cum humilitate agamus, quia cor contritum & humiliatum Deus non spernit. Patientiam nihilominus habeamus cum perseuerantia. Iuxta allegoriam mulier ista Ecclesiam significat ex gentibus ad Dominum conuertendam, quæ a finibus suis egressa est: videlicet à pristina conuersatione & à pristinis viciis separata, in Ecclesiam Christi ingressa. Filia eius: anima est vniuscuiusque ex ipsius populis: quæ à dæmonio vexabatur, antequam in Deum crederent. [*Qui non respondit ei verbum.*] Non de superbia hoc fecit: sed ne occasionem Iudæis daret respuendi verbū, & prædicationem suam, quia ipse dixerat In viam gentium ne abieritis: & vt patientiam ipsius mulieris & perseuerantiam ad instructionem videntium & audientium monstraret. [*Et accedentes discipuli, rogabant eum dicentes: Dimitte eam quia clamat post nos.*] Importunitate eius carere cupientes commonebant. [*Non sum missus nisi ad oues quæ perierant domus Israel.*] Non quod ad gentes non sit missus: sed primo ad Israel propter ele-

C ctionem patrum & priuilegium, quod ille populus semper habuit apud Deum & cum ille repulisset, tunc ad gentes mitteret. [*At illa venit, & adorauit eum dicens. Domine adiuua me.*] Sic debemus esse importuni in orationibus & perseuerantes. Primo dixit filium Dauid, & nunc Dominum dicit, & adorat vt Dominum. [*Non est bonum sumere panē filiorū, & mittere canibus.*] Nunc Dominus mystice ad eam loquitur, & ille panis diuini verbi per Moysen & Prophetas. Mensa namque est scriptura sacra, quæ Iudæis panem vitæ ministrare debebat, sed micæ cadebant quia spiritalem intellectum Iudæi negligebant Micæ enim puerorum, interna mysteria sunt scripturarum quibus humilium solent corda refici. Non ergo quærebat ista mulier crustas, sed micas de pane puerorum spiritalium, medullam sensum quam Iudęi non curabant, Inde dicit Dominus non est iustum tollere doctrinam filiis Iudæis, & dare vobis canibus: qui propter idololatriam & sanguinem ac cadauera mortuorū, quibus dediti estis: canes estis. [*At illa dixit etiam Domine.*] Di-

D xit Dominus non est bonum. Illa respondit, quia bonum est & dat exemplum de hominibus quod sicut illi quando manducant decidunt micæ de mensa canibus: sic & iustum sit vt sint Iudæi Domini propter patres & propter te qui ex illis natus es & nos simus non etiam canes magni cum primitiuo, sed cum diminutiuo catelli & non quærimus integram gratiam doctrinam & secretiora mysteria, quia non sumus digni, sed apertiora & simpliciora præcepta. [*Tunc respondens* IESVS, *dicit illi ò mulier magna est fides tua, fiat tibi sicut vis.*] O mulier laudanda quæ à Domino laudata es. Apostoli arguti sunt frequenter, modicæ esse fidei: & tu dicta es habere magnam fidem. Qui potest imitetur eam & veniet ei sicut illi dictum est, fiat tibi sicut vis. Vtinam omnes digne peteremus, & sic impetremus. [*Et sanata filia eius est, ex illa hora.*] Ecclesia de gentibus orans pro suis exauditur sananturque animæ cotidie à morbis diabolicis: cū & pagani in baptismo renouātur: & peccatores per confessionem & eleemosynarum largitionem: ac precum assiduitatem: ad innocentiam reuertuntur. [*Et cum transisset inde* IESVS: *venit secus mare Galilææ.*] Vnde ante fugerat Dominus ne rex fieret, iterum reuertitur: intelligens immutata esse corda eorū: qui de panibus saturati fuerāt: & sicut aquila vel gallina prouocat ad volandum pullos suos, non cessat prædicare hac, & illac: & verbi pabulum subministrare. [*Et ascendens in montem erat ibi.*] Amabilis locus iste mons erat Domino: quia remotus erat à frequentia ciuitatū: & secretus & ad docendum & ad orandum. [*Et accesserunt ad eum turba multa.*] Non erat in toto mundo, neque qui sic doceret, neque qui talia faceret: propterea ita ardenter concurrebant ad eum, habentes secum mutos, cæcos & claudos, debiles & alios multos. O syllaba communionē habet cum *au* diphtongo: vt est lotus pro lautus similiter *clo* diphtongus pro clauditur. Videndum est nobis quare debiles dicit, & postea dicit alios multos? Quia sicut Beatus Hieronymus dicit, in Latina lingua non habet vna infirmitas speciale nomen, sicut apud Græcos: & in nostra rustica lingua idcirco posuit debiles. Qui enim nostra lingua

F luscus dicitur, Græcè dicitur *killos*: vt cum interpres hoc inuenit in Græco, non habuit aliud in Latino, dixit debiles: & in replicatione sanitatum enumerauit mutos loquentes, cæcos videntes, claudos ambulantes. De illo verbo siluit, quod in proprietate linguæ Latinæ, vt diceret non inuenit. [IESVS *autem conuocatis discipulis, dixit. Misereor turbæ, quia triduo sustinent me.*] Vtraque natura Domini in hoc facto monstratur: & diuina qua miraculum facit, & humana qua turbæ miseretur. [*Et dimittere eos Ieiunos nolo, ne deficiant in via.*] Quod de septem panibus quatuor milia satiauit, sua est clementia, misericors & miserator escam dedit timentibus se. Mysticè ostēdit, quod viam istius seculi aliter nequimus incolumes transire, nisi verbo redemptoris nostri satiemur. Per illam quam superius audistis de quinque panibus satiatis, spiritalis refectio quam suis fidelibus de veteribus exhibuit. Ista autem significat eam satietatem quam de Euangeliis suis in se credentibus facit, in illa littera veteris Testamēti spiritalis gratia credentibus reuelatur. Vtraque refectio

G in vno monte celebratur, quia & vnus est dator: & vtraque refectio ad vnam cænā inuitat, quam idem nobis præparauit, qui istam dedit. Quod dicit triduo sustinent me: siue propter prædicationem siue propter suos infirmos sanandos. Spiritaliter vero turba triduo sustinet, cum omnes credentes in Sanctam Trinitatem, remissionem peccatorum ab ipso spectant, vel triduo Dominum sustinent, cum in cogitatione, locutione, & opere obseruant ne Deum offendant. Dimittere eos non vult ne deficiant in via, quia licet credant in eum populi inter tot aduersa titubant in via, nisi frequenter consolentur & recreentur verbi diuini admonitione. [*Quot panes habetis.*] Interrogāt quod eum non latet, vt alij cognito miraculo ædificentur. Qui miracula fecit ordinauit, vt tunc essent quinque, nunc septem, propter septem dona Spiritus sancti, de quibus credentes replentur. Non dicuntur autem fuisse hordeacei: quia Euangelij reuelatam gloriam Domini quā vetus Testamentum texuerat adnuncia-

H uit. [*Et paucos pisciculos.*] Per quos alij libri noui Testamenti figurantur, vt Epistolæ Pauli, Apostolorum Actus, eorundem Apocalypsis, & reliqui: vel sancti qui in illo tempore fuere, quorum ipsa Scriptura vitam & & passionem continet. Qui quasi de profundo huius seculi electi & eleuati, à cælesti benedictione consecrari reficiunt, cum exēplo nobis sunt ad bene agēdum. [*Et præcepit turbæ discumbere super terram.*] In alia refectione super fenum discubuerunt, quia illis antiquis populis solummodo voluptates Carnales præceptum est calcare, in Euangelio perfectis omnia terrena cum voluptatibus præceptum est abdicare. [*Et accipiens septem panes gratias agens, fregit & dedit discipulis: & discipuli dederunt populis.*] Quia Dominus erudiens Apostolos suos & per eos voluit erudiri turbas. Quod gratias agit, ostendit quantum congaudiat de salute generis humani, & vt nos gratias agere de omnibus collatis vitæ muneribus doceat. Et ex hoc loco siue ex aliis cōsuetudo seruatur à fidelibus cibum benedicere: & versum Psalmi decantare licet & illa

A gens iam haberet in consuetudine. Quod dicitur fregisse, apertionem significat Sacramentorum quibus ad perpetuam salutem instituendus erat populus. [*Et comederunt & saturati sunt.*] Comedunt & saturantur de panibus ac piscibus Domini qui audiunt eloquia Domini & intuentes præcedentes sanctos seipsos ad superna excitant desideria. [*Et quod superfuit de fragmentis, tulerunt septem sportas.*] Per hæc fragmenta intelliguntur altiora perfectionis præcepta, quæ multitudo populi nequit intelligere vel seruare: vt sunt multa de diuinitate atque de virginitate seruanda, seu derelinquendo omnia quæ perfectis & volentibus non præcepta sed in exemplo monstrata sunt. Quod vero septem sunt sportæ, propter Spiritus S. gratiã quæ septenario numero à Propheta prædicatur. Per septẽ sportas, electi prædicatores ostenduntur: quia sicut sportę de iunco & palmis sunt: ita fortiter & indefesse memoriam sui conditoris in corde seruant: & quasi florent
B cum de die in diem nouo desiderio ad amorem conditoris anhelant: de quibus dicitur. *Iustus vt palma florebit.* Fiunt autem & ipse sportæ & paruæ, quas videmus in Basilicis cum oblationibus ferri: etiam magnæ, vt tria vel quatuor modia annonæ capiant: etiam vt infirmi cũ ipsis possint portari: sicut & ibi factum est.] *Erant autem qui manducauerunt quasi quatuor milia.*] Vt ipso numero ostẽderent de Euangelij se pastos esse cibariis. Similiter nec isto signo mulieres & paruuli mittuntur in numerum, propter mutabilitatem & imperfectionem. [*Ascendit in nauiculam, & venit in terram Magedan.*] Et Marcus dicit *dal manutha*. Dicunt autem doctores aut vnus locus est duo nomina habens aut vitium scriptoris factũ est in Marco. [*Et accesserunt Pharisæi, & temptantes rogauerunt eum vt signum de cælo ostenderet eis.* Iohannes narrat quale signum quærebant: sicut iam superius dictum est quia & post saturationem quinque panum, similia postulauerunt vt pasceret de manna populum, vel faceret tonare. Sed neutrum de illis duobus signis de alio cœlo
C venit, nisi de isto vbi volucres volant vnde volucres cœli dicimus.

Tonitruum autem ventus & aqua faciunt: quia cum ventus in nube se incluserit quærit aditum vt erumpat: & cum rescidit in nubem, sonum facit, & ignem creat, & simul oriuntur, sed lux ante videtur quia clarius est lumẽ & acutior est sensus visus quam auditus. Quia lõgius videmus quam audiamus. Ideo autem ignis fulminis maiorẽ vim habet ad penetrandum quia subtilior est quam noster, id est qui nobis in vsu est. Fit autem per eum aliquãdo castigatio in hominibus, sicut per alia elementa. De ipsis etiam elementis signa viderant, quando Dominus mare & ventos compescuerat. Sed qui Dominum temptando aliquid petunt, non merentur accipere, sicut nec illi fecerunt [*Facto autem vespere dicitis, serenum erit, rubicundum est enim cælum.*] Sicut solet euenire. Si sol in nube vespertina aquam circa non habuerit, sed rubicundam nubem: sequenti die pluuia non erit. [*Et mane (subauditur dicitis) hodie tempestas (subauditur erit) rutilat enim triste cælum*] Quando nubes orientales rubicundæ
D sunt pluuia ipsa die erit. In die dicit Dominus ad Iudæos. [*Faciem cæli diiudicare nostis, signa autem temporum non potestis scire, & consuetudinem habetis notatas pluuias vel serenitates, & signa aduentus filij Dei ex Prophetarum oraculis non potestis scire. Generatio mala & adultera signum quærit, & signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ prophetæ*] Iam de hoc superius dictum est: & hoc nunc dixisse sufficiat, qui in signo mortis Domini, & de cœlo signum datũ cum sol cœlum atra nube texit, & de terra signum datum est corpus terrenum surrexit & de inferno claustra ipsius fracta, & multa milia sanctorum exierunt. [*Et relictis illis abiit.*] Et tunc Dominus incredulos deserebat, & adhuc inuisibiliter hodie eadem facit. Deserit incredulos & superbos, & requiescit in tremẽtibus sermones suos. [*Et cũ venissent discipuli eius trans fretum, obliti sunt panes accipere*] Iterum post saturationem populorũ aufert se de ipso loco, ne forte populus eandem voluntatem haberet, quã superius habuerat. Quod vero dicit quia obliti sunt discipuli panes tollere, ostenditur quia, nec Dominus nec

E discipuli magnopere de cibo terreno cogitabant. Siue ideo: quia abundantia panis erat in ipsa terra: & quod ad victum pertinebat, ministrabat populus Domino & discipulis eius. Quomodo obliti sunt cum dictum sit, quod sustulerunt septem sportas? Sed ipsum ad pauperes dimiserunt: solummodo vnum panem habebant, quando ipsum lacum transierunt, habebant vnum, & alium spiritalem qui dixerat, ego sum panis viuus qui de cœlo descendit, propterea non erat eis necesse terrenum quærere. Qui dixit eis. [*Intuemini & cauete a fermento Pharisæorum & Saducæorum.*] Dominus sicut semper docebat discipulos, ne aut ipsi ociosi, aut vacui à bono opere cessarent, præcipiebat vt custodirent se à doctrina Pharisæorum, per fermentum, doctrinam volens intelligi. Doctrina Pharisæorum, decreta diuinæ legis traditionibus hominum postponere, vel verbo Domini mandata prædicare: factis impugnare. In alio Euangelio etiam à fermento Herodis cauendum iubet. Fermentum
F Herodis, & adulterium homicidium, simulatio religionis.

Fermentum à feruore nuncupatur quod plus quam vna hora non potest cõtineri: crescendo enim excedit. [*At illi cogitabant inter se dicentes: quia panes non accepimus.*] Dominus spiritaliter loquebatur: discipuli carnaliter accipiebant. Cogitabant enim scire eos panes non habere vt cum farinam inuenirent, non fermentarent de fermento Pharisæorum. [*Sciens autem* IESVS *dixit eis. Quid cogitatis inter vos modicæ fidei, quod panes non habetis? Non dico nec de illo fermento, nec de illo pane vnde vos cogitatis. Nondum intelligitis, neque recordamini quinque panum & quinque milia hominum.*] Quando dicit: nondum intelligitis, spiritaliter intelligentiam requirit, quia miraculum omnes qui viderunt intellexerunt. Vult vt illas saturationes, & panem, & pisces, & fermentum intelligant spiritaliter: quia si fermentum farinæ mixtum fuerit quod paruum videbatur in maius creuit: ita & doctrina mala plus crescit, quam bona: sicut Apostolus dicit: *Mo-*
G *dicum fermentum totam massam corrumpit.* Similiter & hæretica doctrina, si ad modicum in alicuius pectore serpserit, cito peruertit illum. Omnis enim homo ad malũ citius informatur quam ad bonum. [*Venit* IESVS *in partes Cæsareæ Philippi.* Iste est Philippus frater Herodis cuius vxorem Herodes habebat: in cuius partes sui regni venit IESVS in loco nuncupante Cæsaræa. Siquidem ipse Philippus reædificauit ciuitatem quandam in honorem Tyberij Cæsaris & vocauit eam Cæsaream Philippi, in honorem Tyberij pariterque sui, sub quo regnabat: quia alia iam ibi erat ex proprio nomine eius, Tyberiadis ædificata. Est autem prouincia Phœnicis ad radices Libani, qui habet cedros magnos: vbi sunt duo fontes, Ior, & Dan: qui inde longe in simul veniunt, & Iordanem faciunt fluuium. Vocatur vero nunc ipsa ciuitas Paneas. Est autem alia Cæsarea, quam Herodes reædificauit in honorem Octauiani: & vocauit eam Cæsariam: quoniam primus turris Stratonis dicebatur. Cum ergo ad hunc locum veniret & sicut Lucas dicit *cum sine turbis esset:*
H & duodecim cum eo in via fuissent discipuli: interrogabat eos dicens. [*Quem dicunt homines esse filium hominis.*] Dixi superius quare filius hominis vocetur: quia videlicet consuetudo fuerit in ipsa gente Prophetam aut præclarum virum aut hominem Dei, aut Prophetam aut filium Adam id est hominis appellari. Vnde Ezechiel filius hominis appellatur frequenter. Idcirco dicit quem dicunt filium Adam esse: & non dicit, quem me dicunt: ne iactanter de se quærere videretur. Homines illos appellat qui mentiuntur de filio Dei: quia omnis homo mendax, Qui autem veritatem de filio Dei sentiunt, quasi super homines sunt. [*At illi dixerunt* in hoc loco primitus nomen Christi, Domino Christo impositum est à beato Petro, & cæteris Apostolis per reuelationem Spiritus sancti. Et sicut Ioseph præceptum est ex persona Dei vocare eum Iesum, sic ex persona Spiritus S. ordinatum est vocare eum Christum per beatum Petrum & cæteros Apostolos. Notandum vero: quod non eo more Dominum appellat quo secularis doctrina apud

A nos docet: sed tu es: sicut in antiquis libris inuenitur vsos fuisse maiores. Siquidem Romulus & Remus duo fratres tanta concordia fuisse dicuntur vt nihil vnus sine alio vellet habere: & omnia communia dicerent & haberent: sicuti modo monachi faciunt. Ex hac re inoleuit consuetudo in hac Gallia, vt Dominus plurali numero appellent. [*Alij Ioannem Baptistam.*] Scilicet quasi ipse deberet resurgere, eo quod modico tempore prædicasset. [*Alij Heliam.*] Quia habetur in libro Prophetiæ eius, quia Prophetam in gentibus dedi te. Et quia mors eius in scriptura non legitur, dicebant eum venturum gentibus prædicare. Falsa erit denique eorum opinio de Hieremia, quia in suo libro inuenitur quomodo prophetauerit ad gentes, ad Moab, ad Idumeos & ad Babylonios: propterea completum est quod ad ipsum dictum fuerat: Prophetam in gentibus dedi te. Habemus quoque scriptum quod Iudæi lapidauerunt eum in Ægypto quia prophetabat Nabuchodonosor illuc esse venturum

B post Iudæos, quia pro illius timore illuc fugerent. [*Aut vnum ex Prophetis,*] quilibet de prioribus. [*Dixit autem illis. Vos autem quem me esse dicitis:*] Ac si aperte dicat. [*Sequestrans eos ab hominibus filios Dei per adoptionem factos insinuans dicit. Vos qui dij estis, quem me esse dicitis?*] Recte dij vocabantur, in quibus Deus habitabat, & qui omni die verbum Dei audiebant. Illos enim ad quos sermo Dei factus est, Deos Psalmista appellat dicens: *ego dixi, dij estis.* Considetanda vero distinctio: quomodo Dominus de sua humilitate discipulis dicit. Filium hominis, non dicit filium Dei. Multo enim sæpius in Euangelio se filium hominis, quam filium Dei dicit. Et hæc omnia vt nos ad humilitatem informet. [*Respondens Petrus dixit ei*] Petrus respondet pro omnibus quia ipse iam in caput Apostolorum erat constitutus. Et quod ipse respondit, omnium Apostolorum responsio est, quia & ipsis fuerat interrogatus. Vos quem me esse dicitis? Et quod Dominus Petro dixit, omnibus dicit Apostolis. [*Tu es Christus filius Dei viui.*] Tu es

C Christus. Si alij dicti sunt Christi nuncupatiue, quia ad tempus populum regere debuerunt, tu veracius es Christus, quia tu es Rex omnis terræ. Tu es filius Dei viui qui essentialiter Deus es, & non vt isti alij qui dicuntur dij & non sunt, quia opera manuum sunt, non vident neque audiunt. Tu es autem illius Dei filius, qui à Iudæis adoratur & colitur. De quo dictum est. *Notus in Iudæa Deus, in Israel magnum nomen eius.* Quid ipsi homines erant de te, cum ipsis quid de te sentio dico. Christus Dei es, & filius Dei es, illius Dei, ante cuius arcam Dagon iacebat truncatis manibus & pedibus. [*Respondens Iesvs dixit ei beatus es Simon Bar-Iona.*] Bar Syriacè *filius*, Iona *columba*. Et in hoc Beatus, quia filius Spiritus sancti simplex vt columba, astutus vt serpens. Et in hoc Beatus. [*Quia tibi non reuelauit caro & sanguis.*] Hoc est viuens homo qui de carne & sanguine constat, sed pater meus, ille ipse quem tu confessus es. Pater viuens incomparabiliter, pater meus qui in cœlis est, & ego etiam cum ipso, & Spiritus sanctus, cuius filius spiritualis es. Nouerat quidem Dominus Iesvs quid Apostoli de eo crederent, quidve sentirent, & quid responsuri essent. Sed ad insinuan-

D dam humilitatem nobis, placuit inuisibiliter cum patre Spiritu sancto reuelari Apostolis in corde & per illorum confessionem in mundo audiri, & dignam confessionem digna mercede remunerari: vt omnes certi sint quicunque fuerint confessionis huius vsque in finem seculi consonantes & eusdentes, erunt & remunerationis consortes. [*Et ego dico tibi, quia tu es Petrus.*] Dixisti, *tu es Christus & ego dico tibi, quod tu es Petrus.* Quia ego sum Christus inunctus oleo inuisibili à patre, Rex Christianorum, & tu fundamentum eorum. *Beatus es Simon,* id est obediens, quia filius columbæ, & quia Petrus, id est *firmus.* [*Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.*] Super hanc firmitatem fidei quâ confessus es, ædificabo Ecclesiam meã, & super me ædificabo te cum omni Ecclesia mea. [*Et portæ inferi non præualebunt aduersus eam.*] Quicunque de Ecclesia mea studuerit esse, & de his qui ita confessi fuerint, portæ inferi non præualebunt

E aduersus eos, vt possint eos trahere ad se, vt ipse alias dixit. Nemo potest rapere oues meas de manu mea. Vel portæ inferi: peccata atque viria seu doctrina hæreticorum, per quam illecti homines ducuntur ad tartarum. Multæ sunt portæ inferi, sed nullæ Ecclesiæ præualent, quia qui fidem Christi in corde tenuerit perfecte, omne quicquid exterius accidit temptationis facillime deuincet Deo protectore. Quicunque ab Ecclesia recesserit fide vel opere, iste non super terram, sed super arenam fundamentum posuisse credendum est. [*Et tibi dabo claues regni cælorum.*] Claues regni cælorum scientia discernendi, potentiaque qua dignos recipere in regnum, indignos excludere debeat intelligitur. [*Et quodcunque ligaueris super terram erit ligatum & in cælis, & quodcunque solueris super terram erit solutum & in cælis.*] Hoc tam Petro quam omnibus Apostolis & successoribus eorum qui in Ecclesia eundem locum tenent recte creditnus concessum, quia ipse post Passionem apparens eis,

F dixit. *Accipite Spir. S. quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt,* vt videlicet cum agnouerint causas peccantium quos cognouerint vere pœnitentiam agere, & nolle vltra reuerti ad vomitum peccati, illos absolutione dignos iudicent, & à timore mortis perpetuæ consolentur. Quos vero in peccatis criminalibus vitam finire viderint, illos perpetuis supplicijs tradendos insinuent: sicut ipse Dominus insinuat dicens. *Si Ecclesiã non audieris, sit tibi sicut ethnicus & Publicanus.* Similitudo datur de leprosis in Leuitico, quod sicut Sacerdos iubebatur considerare leprosum, vt ad arbitrium eius decerneretur qui esset leprosus, & qui non esset, sic & Episcopi & Sacerdotes in Ecclesia illos debent ligare quos viderint leprosos in anima de peccatis criminalibus. Cum vero viderint aut audierint ablatam lepram, id est peccata per digna opera pœnitentiæ & confessionis, tunc debent illus absoluere. Quod iam sub exemplo Lazari diximus, vt illum fuscat absoluere quem Dominus in anima resuscitauit, quia si discipuli ante soluissent Lazarum quam Dominus illum resuscitasset, fætorem potius ostenderent quam virtutem. Quod

G autem quasi soli Petro hæc legatio dici videtur: ideo fit quia ipse locutus est pro omnibus, & in ipso omnibus responsum est, & ipse vera fide confessus est, & vero amore fuerat secutus, etiam & ob hoc vt omnes credentes pro certo sciant, quod quicunque se ab vnitate fidei segregauerint, nec veniam peccatorum consequentur, nec aditum regni cælorum intrare poterunt. Imitemur ergo Beatũ Petrum in confessione veræ fidei, vt sic & corde credamus, & ore confiteamur. Imitemur illum de sua simplicitate, quia filius columbæ appellatur. Constantia quoque ad vincendas voluptates sæculi par illi esse satagamus, vt ad illum cum quo ipse est peruenire mereamur

[*Tunc præcepit discipulis suis vt nemini dicerent quia ipse esset Christus.*] Legimus supra quia misit discipulos suos ad prædicandum, & iussit adnuntiare, adnuntium suum ad eos, nunc præcepit ne cum dicant Christum, sed discretio est intelligi. Supra iussit vt adnuntiarent venisse, qui verbum salutis eis adnuntiaret, & infirmos eorum curaret, vt venirent ad eum. Et post cum videret

H qui dignos se facerent ad noscenda secretiora sacramenta, panderentur eis cum Apostolis, qui vero facerent se indignos recederent vacui cum Pharisæis, sicut ipse dixit. [*Ne mittatis margaritas vestras.*] Simili modo in hoc loco præcipit ne passim eum Christum adnuntiarent, ne differretur vtilitas crucis, & mundus non redimeretur. Seu alia causa Christus magnum nomen erat in ipsa gente, sicut apud nos est Cæsar & Augustus. Non vult ergo publice illud nomen de se prædicari ne scandalum Iudæis fieret, quod arrogaret sibi regiam potestatem. Vnde postea Iudæi eum accusauerunt apud Pilatum, & tamen Pilatus inuitus scribendo confirmauit quod Rex esset Iudæorum. Quod intelligitur, quia sic reges vocabantur videlicet Christi, & exemplum dedit suis, ne quærant magni dici in populis. Non est autem saluatoris proprium nomen Christus, sed commune dignitatis nomen

&

A & potestatis. Iesvs Christvs proprium vocabulum saluatoris est. [*Exinde capit* Iesvs *ostendere discipulis suis quod oporteret eum ire Hierosolymam, & multa pati a senioribus & scribis & principibus sacerdotum.*] Nunc quare praeceperit non se manifestaturum Christum in populis declarat. Ac si aperte dicat. [*Cum me videritis post passionem resurgentem à mortuis, quia nihil prodest praedicare nunc paululum videri, derisui haberi, & opprobrio crucifigi & flagellari.*] Praedicit etiam passionem suam, vt minus dubitent in eius resurrectione. Et notandum quod ille qui haec passurus Dei filius, hominis sit, quia diuinitas impassibilis extitit in Passione. Ille qui de sancta Maria natus est, ille passus est. *Et assumens eum Petrus, capit increpare illum dicens.*]. Beatus Petrus pro nimia fide & amore quae habebat erga Deum nostrum cum audisset opprobria & mortem quam Dominus praedicebat se passurum Hierosolymis, apprehendit Dominum secreto, ne coram aliis videretur magistrum redarguere, & caepit ei de affectu felicitatis dicere. [*Absit à te Domine: non*

B *erit tibi hoc.*] Id est hoc quod dicis longe sit à te. Vel sicut in Graeco habet *ilasó sitisói*, ἵλεώς σοι. *Quod est, propitius esto tibi.* Nolebat enim destruere confessionem suam, & putabat perdere praemium saluatoris quod audierat: beatus es Simon Barjona, & reliqua quae audierat. Nec putabat posse fieri vt filius Dei occideretur. [*Non erit tibi hoc.*] Non possunt aures meae ista percipere, nec cor meum credere. [*Qui conuersus dixit Petro. Vade post me Sathanas.* Sathanas dicitur contrarius: vade post me, meam sequere voluntatem & noli esse de his contrarius quae à me ordinata sunt cum patre. Discipulus es, propterea debes, sequi, non docere. Non est similis ista sententia illi quam ad Diabolum Dominus dixit, quia illi dictum est vade Sathanas, subauditur in abyssum. Isti autem vade retro post me, id est me imitare, vt eadem velis quae ego. Non est autem mirum si Dominus Petro talia dixit: post tantam beatitudinem quam supra dixerat, quia B. Petrus adhuc non erat perfe-

C ctus, adhoc enim erat negaturus, & omnia illa à Deo non ad praesens concessa fuerant, sed in futuro promissa, id est tibi dabo, non do: & reliqua. Non enim sapis quae Dei sunt, ignoras Dei ordinationem quia dispositum habeo per meam mortem redimere mundum: ea quae hominum sunt mihi suades, quando mortem refugere suades, quia ipsam solent puri homines timere. [*Tunc* Iesvs *dixit discipulis suis.*] Nec ista nec superius comprehensa dixit turbis, sed discipulis suis, quia non erant ista in perfectionibus praedicanda: verum perfectis. [*Si quis vult post me venire.*] Si quis vult me imitari: sicut discipuli facere debent magistrum. Postquam praedixit de suis contumeliis & morte, armat suos, vt praeparent se ad eadem perferenda. [*Abneget semetipsum.*] Desinat esse quod hactenus fuit per malam conuersationem super Pharisaeorum traditionem, & incipiat esse nouus per meam admonitionem. Denegет in suis actibus vetus homo esse qui corrumpitur secundum desideria sua, & incipiat nouus Adam fore, qui renouatur de die in diem

D in agnitione Dei. [*Et tollat crucem suam, & sequatur me.*] Crux à cruciatu dicitur, & per crucem mortificatio vitiorum intelligitur. Et sicut is qui crucifigitur huic mundo moritur, sic is qui Christum sequi vult debet mortificare passiones membrorum suorum. Duobus autem modis crux tollitur: cum aut per abstinentiam corpus afficitur: aut per compassionem proximi animus affligitur. Quod Paulus aliis verbis id ipsum clamat inquiens: *Mortificate membra vestra: quae sunt super terram, iram, fornicationem, auaritiam, & reliqua.* In seipso nobis exemplum monstrauit, qui ait: *Castigo corpus meum & in seruitutem redigo, ne forte cum aliis praedicauerim ipse reprobus efficiar.* Ecce audiuimus de cruce corporis sui: requiramus de compassione proximi. Ait namque. *Quis infirmatur & ego non infirmor? quis scandalizatur & ego non uror?* [*Qui enim voluerint animam suam saluam facere, perdet eam.*] Qui sic voluerit animam saluam facere, vt nolit eam dare pro Christo, perdet quando melius habere debet.

E [*Qui autem perdiderit animam suam propter me, saluam faciet eam.*] Qui tradere non timuerit propter me animam suam in hoc seculo, saluam faciet eam in futuro. Quasi Agricolae dicatur. Si vis saluum facere frumentum, perde illud in terra, quia si seruaueris in horreo, peribit: *Si in terram ieceris, recipies duplo.* Hoc illis tunc dictum est, qui inter persecutiones versati sunt paganorum. Nos similes esse martyribus si volumus, debemus insidias proximorum & persecutiones malorum Christianorum aequanimiter ferre, quia non erimus consortes martyrum, si non erimus passionum vel in aliquo participes. *Qui autem perdiderit animam suam propter me*, vel (sicut in alio Euangelio habetur) *propter Euangelium meum, inueniet eam*, vel sensu quem superius diximus, vel per animam nostram voluptates huius seculi. Quicunque pro Dei amore delitias & voluptates huius seculi abnegauerit sibi, in aeterno seculo recipiet quales *nec oculus vidit, nec in cor hominis ascendit, quae praeparauit Dominus diligentibus se.* [*Quid enim prodest homini si mundum*

F *vniuersum lucretur, anima vero sua detrimentum faciat?* Quid profuit illis imperatoribus, qui istum mundum habuerunt per viginti annos, vt Octauianus per quinquaginta tres annos, cum iam per Octingentos iaceat in inferno? Nunquid non fuerat ei melius esse socium Lazari pauperis, quam modo esse socium diaboli? Transierunt omnes honores illius tanquam vmbrae, & tanquam somnium. Frequenter cum aureis curribus & aureis scutis suscepti sunt à consulibus: & postea nudi & Rei excepti à nigerrimis daemonibus, & in aeterno igne religati. Quod peius est multi Christiani ibunt cum ipsis qui viam veritatis scire debent. [*Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua.*] Nullam commutationem deberet homo dare pro anima sua, sed quod peius est multi sunt qui praeponunt corpus animae, & temporalia aeternis, & non cogitant de anima nec de vita perpetua, sed honoribus terrenis, & de caducis, & venundant se vt faciant malum sicut de Achab dicitur.

G Qui venundatus est vt faceret malum. Quibus frequenter euenit vt Balaam. Qui cum prohibitus esset à Deo ne iret ad maledicendum populum ductus cupiditate muneris & iterum atque iterum interrogauit Deum, cum non esset vt homo qui mentiri posset. Sed quia sic importune petiit, & accepit quod Deus noluit & illi non profuit. Sic multi cum intrant in Ecclesiam lingua alterius verba cantant, & animo de honoribus cogitant, sic per multos dies. Deus autem respicit ad cor, & videt quae cor precatur: verba quae lingua dicit alterius verba sunt. Nisi verecundia illi esset, quod corde tegit lingua caneret. Cum videt igitur Deus saepius ea magis nos optare in corde & opere, iratus concedit quod contra voluntatem ipsius & contra salutem nostram est: atque tali modo dat quis commutationem pro anima sua, cum eligit terrena & negligit aeterna.] *Filius enim hominis venturus est in gloria patris cum Angelis suis.*] Quia praedixerat de se & de sequacibus suis oppido aspera, nunc temperat, & pro qua causa talia sustinere debeant

H ostendit, scilicet quia venturus sit, id est ipse hominis in gloria patris ad iudicandum viuos & mortuos, quia pater omne iudicium dedit filio. [*Et tunc reddet vnicuique secundum opera sua.*] Et tunc vos si fortiter & patienter sustinueritis, aeternam remunerationem, & hi qui vos tribulant aeterna recipient tormenta. [*Amen dico vobis, sunt quidam de hic stantibus qui non gustabunt mortem donec videant filium hominis: venientem in regno suo.*] Poterat Apostolorum esse tacita cogitatio vt dicerent, in fine mundi ista erunt quae nobis promittit, & tali modo deficerent à spe. Nunc proxima promittit videlicet quod aliqui non sint ex his mortem gustaturi, quam paruo tempore quasi praelibando gustabunt. Donec videant filium hominis venientem in regno suo, hoc est in regia claritate, qualis post iudicium videndus est ab omnibus electis. Nam in iudicio videbitur in forma serui sicut dictum est quando ascendit, sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem, vt videant eum & boni & mali quem contempserunt, sicut scriptum est: *videbit*

A *eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt.* Videbunt autem eum iniusti terribilem, iusti mitem vna eademque forma. Vel regnum eius præsens Ecclesia intelligitur, quam multi viderunt fundatam in carne antequam mortem gustassent, sicut Ioannes qui ad septem Ecclesias scribit, vt esset eis consolatio videre iam ex parte, in eum mundum crediturum. Rudes enim erant discipuli adhuc, & necessarium erat in præsenti aliqua promittere, vnde in præsenti roborarentur, & in futuro robustius consolarentur. Vel de transfiguratione eius potest intelligi, in qua eum illi tres viderunt quasi in regno suo, hoc est in regia dignitate qua ad iudicium videbitur.

CAP. XXXVI.

De transfiguratione Domini.

B Et *post dies sex assumpsit* IESVS *Petrum & Iacobum & Ioannem fratrem eius.* Post dies sex, videlicet postquam ista quæ superius audistis locutus est, quod essent qui non essent gustaturi mortem. Lucas dicit vere dies octo, sed Lucas primum & vltimum comprehendit diem, isti duo illos qui in medio fuerunt. Vt enim isti tres alios confortarent tempore passionis eius, eliguntur à Domino. Non enim illi alij adhuc perfecti erant vt possent ea videre. Nam etiam isti ceciderunt & timuerunt valde. Secernuntur autem isti tres à cæteris certis pro causis. Petrus, quia futurus erat pastor Ecclesiæ & ad Romanos mittendus, qui rectores orbis erant. Ioannes, quia altius erat locuturus mundo diuinitatem eius, & apud Græcos sapientiores omnibus gentibus erat directurus. Iacobus, quia ipse primus de Apostolis martyrium erat pro ipso subiturus, & ob hoc vocati sunt filij tonitrui: quia ipsi hanc vocem erant audituri de qua nunc dicit, Typice ostenditur *quod multi vocati, pauci electi.* [*Ducit illos in montem.*] Id est Tabor in Galilæa, qui interpretatur *veniens lumen.* Conueniens interpretatio quia ibi

C frequenter de vero lumine illuminati sunt, vt etiam nunc. [*Excelsum.*] Pro valde celsum sicut nostri alpes sunt in Burgundia, in quibus calor non multum potest nocere etiam in æstate, quando transfiguratio ista celebrata est. [*Seorsum.*] Ab aliis discipulis. Est enim aduerbium separandi. [*Et transfiguratus est ante eos.*] Transfiguratus in alia figura. Nam substantiam non amisit, neque spiritalem aut aërium corpus assumpsit, sed ipsam substantiam gloriosam reddidit, sicut hic sequitur. [*Et resplenduit facies eius sicut sol.*] In ea forma apparuit Apostolis, quam soli oculi mundi sanctorum visuri sunt post iudicium peractum. Quando dixit sicut Sol non potuit altius ascendere comparādo quod homo oculis corporalibus noscit. [*Vestimenta autem eius facta sunt alba sicut nix.*] In hoc possumus scire quod corpus idem ipsum fuit, quia vestimenta eadem fuerunt. De quibus dicitur quia facta sunt alba sicut nix, vel sicut in alio loco scriptum est, qualia nullus fullo potest parare super

D terram. Apparet quia non substantiam amiserunt, sed claritate desuper inductæ sunt. Vestimenta Christi, typice sancti eius sunt de quibus Paulus ait. *Qui enim in Christo baptizati estis, Christum induistis.* Qui fulgent nunc in præsenti, sed in futuro clarius, quia *cum apparuerit similes ei erimus.* [*De quibus dicitur, qualia fullo non potest parare super terram.* Fullo ille, de quo Psalmista, *lauabis me & super niuem dealbabor*, quia non potest dare in sanctis, quod dandum promisit in cœlis. *Ecce apparuit Moyses & Helias.* Per Moysen & Heliam Legislatorem & eximium Prophetarum ostendit, quia & lex ab ipso data est, & ipsum præfigurauit: & Prophetæ ipso inspirante prophetauerunt, & omnia quæ de illo erant futura cecinerunt. Typice per Moysen sancti qui iam gustata morte cum Domino regnabant. Per Heliam qui adhuc viuere dicitur, illi electi qui in carne reperiendi sunt figurantur: quoniam sicut Paulus ait. *Mortui qui in Christo sunt resurgent primi, deinde qui viui inuenti fuerint simul rapiuntur in nubibus obuiam Christo in aëra & sic semper*

E *cum Domino erimus.* [*Cum eo loquentes.*] Scilicet excessum eius quem acturus erat in Hierusalem prænuntiantes. Origenes dicit. Quod Moyses cum tabulis quæ scriptam legem habuerunt apparuerit, & Helias cum curru igneo aduenerit, & inde Apostoli eos cognouerunt, & dignum erat vt in charitate cum Domino apparentes, terribiles & præclari apparerent, quasi dicerent. Non videatur vobis durum pati pro Christo, quia ego per legem, & iste per prophetiam ipso iubente sic prænuntiauimus futurum. [*Domine bonum est nos hic esse, si vis faciamus hic tria tabernacula.*] Quia viderat ad punctum delectabilia Petrus, volebat ibi semper immorari ne ad terram descenderet, vbi pro certo cognouerat eum crucifigendum. Nesciebat quid diceret, & fuerat oblitus sanctis promissum à Domino in cœlis regnum, non in terra, neque posse quemquam mortali circumdatum carne immortalitate frui, nisi prius morte gustata. [*Faciamus hic*

F *tria tabernacula.*] Non sunt tria tabernacula facienda, sed vnum quia Trinitas licet credenda, vnus tamen Deus in substantia, & vnum habet ouile Christus quod est vna Ecclesia Catholica. [*Adhuc eo loquente, ecce nubes lucida obumbrauit eos.*] Quia Petrus tabernacula ædificare volebat, ostendit ei Dominus quod posset eundem vmbraculum habere, quem præbuit Moysi cum populo suo per quadraginta annos. Seu etiam vsitatissimum genus locutionis Dei per nubem ad electos suos, vt ad Iob & ad ipsum Moysen, quia per nubem designatur lene blandimentum. [*Et ecce vox de nube dicens.*] Quia Petrus nihil rationis dixerat, non meretur responsionem, sed pater respondet pro filio, & docet & ipsos Apostolos & per illos reliquos, quia is sit filius eius non adoptiuus, sed proprius. Et illi soli figendum est tabernaculum, illi obtemperandū & ab Apostolis & à Moyse & ab Helia. [*Hic est filius meus dilectus in quo mihi cōplacui, ipsum audite.*] Et hoc retinendum quod sicut in baptismo Trinitas, sic etiam in monte ostensa est. [*Et audientes discipuli ceciderunt in faciem suam, & timuerunt val-*

G *de.*] Non est mirum si discipuli timent valde, quia vident Dominum glorificatum supra humanam formam & quia Dei Patris audierunt vocem per subiectam creaturam, & quia nubes tetigerant eos etiam tunc errasse se cognouerant. [*Et accessit* IESVS, *& tetigit eos.*] Vsus humanæ conditionis est, cum aliquid super se videri, timore affici, sed iterum per vocem & tactum recreari. Quod & in Daniele legimus, & in Hiezechiele. Igitur, quia pro superna voce & actione deiecti iacebant, recreantur à consueta voce & tactu humano.

[*Nolite timere.*] Ad nostram instructionem ista omnia facta sunt, & non ad defectionem. Electorum est in faciem cadere, & reproborum in dorsum, vt in Passione de persecutoribus Domini. [*Leuantes autem oculos suos neminem viderunt, nisi solum* IESVM.] Cum Patris vox cæpit filium commendare, serui discesserunt. Et cum surgunt non vident alium nisi Dominum, ne vox quæ sonuerat ad alium putaretur facta, nisi ad ipsum. Typice, postquam Christus apparuit, non fuit necessitas legis

H vmbra, vel vaticinatio Prophetalis. [*Et descendentibus illis de monte precepit* IESVS *dicens. Nemini dixeritis visionem.*] Non vult vt prædicentur quæ in monte videntur in populis, ne pro rei magnitudine non crederetur: seu propter opprobrium crucis scandalum generaret, & vile haberetur, donec cum resurrectionis triumpho, gloria regnantis vna adnuntiaretur. [*Et interrogauerunt eum discipuli dicentes: Quid ergo Scribæ dicunt quod Heliam oportet primum venire.* Requirendum nobis est, vnde quæstio orta fuerit inter discipulos Domini quia Dominus dixerat supra quod aliqui non essent gustaturi mortem donec viderent filium hominis venientem in regno suo. Æstimauerunt quod ipsa regni glorificatio statim fore deberet: inde dixerunt: Quid est quod Scribæ dicunt & Pharisæi, quia Helias debeat præcedere tuum aduentum? Habebant enim Pharisæi secundum Malachiæ scriptum quod Helias præcedet Domini aduentum, sed de secundo, non de primo hoc debet intelligi. Viderant enim Heliam recessisse, & ideo turbabantur. [*At*

ille

ille respondens ait eis : Helias quidem veniens restituet omnia.] Vtique quæ idem Propheta prædixit Malachias. Sicut audistis venit Helias in secundo Domini aduentu iuxta corporis fidem.] *Dico autem vobis quod Helias iam venit, videlicet in spiritu & actione Ioannis, & non cognouerunt eum.* Scilicet sanctitatem eius. [*Sed fecerunt in eo quæcunque voluerunt. Spreuerunt atque decollauerunt eum sic & filius hominis passurus est ab eis.*] Quæritur quare dicantur Pharisæi occidisse Ioannem, cum Herodes eum occiderit ; Sed ex hoc quia non contradixerunt dicuntur consensisse. Perituro enim qui potest subuenire & non facit, occidit. Similiter Herodes dicitur Dominum occidisse, quia cum potuit, noluit liberare, sed consensit cum Pilato, & remisit eum ad illum.

CAP. XXXVII.

De lunatico.

ET *cum venisset ad turbam accessit ad eum homo genibus prouolutus.* Notandæ sunt semper Domini actiones quibus non cessat à salute hominum. In monte discipulis arcana suæ maiestatis reserauit, descendens de eo exceptus est à turba. In monte sanauit dubias mentes Apostolorum, in plano sanauit corpora & mentes turbarum. [*Domine miserere mei fily, quia lunaticus est.*] Sic illi homines putabant, quod ex lunæ defectione homo malum pateretur, sed non erat. Sed diabolus vt posset homines lædere in anima, obseruat tempus Lunæ & corripiebat hominem vt infamaretur creator per creaturam, & blasphemaretur creator qui talem creaturam creasset, ex qua homo mala pateretur. Hunc autem hominem Marcus surdum & mutum fuisse narrat. Iuxta fidem historiæ, ita factum est : Alio vero intellectu significat eos de quibus scriptum est. *Stultus vt luna mutatur.* Quod dicit sæpe cadit in ignem, subauditur auaritiæ, quia quasi ardet auaritia dum crescunt pecuniæ, *quia amor nummi crescit, quantum ipsa pecunia crescit*, siue per ignem iracundia exprimitur. Et crebro in aquam. In fluxu luxuriæ, quæ dissoluere mentem solet per delitias. [*Et obtulit eum discipulis suis, & non potuerunt curare eum.*] Frequenter precibus petentium resistunt opera pro quibus petunt, quando is pro quo petunt à malo non conuertitur Vnde frequenter Dominus dicit. Secundum fidem tuam fiat tibi. Quicumque autem dæmonio traditur, aut pro suo aut pro parentum peccato traditur, sicut in omnibus locis Euangeliorũ inuenimus.

[*Respondit Iesus & ait. O generatio incredula & peruersa, quousque ero vobiscum, quousque vos patiar.*] Non ideo hæc loquitur quasi tædio affectus, aut in iram conuersus, de quo scriptum est, *quod sicut agnus non aperuit os suum.* Sed quia per Salomonem dicitur. *Verba sapientium quasi stimuli & quasi claui in altum defixi.* Volebat quod diceret, in mentibus fixa remanerent, veluti si medicus ad ægrotum diceret : quousque accedam ad domum tuam quousque perdam artis peritiam ? Ego aliud iubeo, & aliud facis tu. Vel per illum arguit Iudæos in infidelitate. Nam quia irato animo hoc non dixerit, sequentia demonstrant. Sequitur. [*Afferte illum ad me. Et increpauit illum Iesus.*] Non hominem sed diabolum increpauit, qui ausus fuit illum elidere præsente creatore. Nam dicit Euangelista, *quia in ipsa hora conturbauit eum & elisit in terram.* Si autem & hominem intelligimus increpatum, ostenditur quod propter sua peccata à dæmonio dominabatur. Quod autem in ipsa hora amplius eum cruciabat, ob hoc faciebat, vt expulsionis suæ iram vindicaret, seu vt odium virtutis incuteret. [*Et exiuit ab eo dæmonium.*] Alius Euangelista dicit quod præceperit ei vt non amplius in eum introiret, quia solet diabolus voluntatiæ locum habitationis suæ repetere, nisi is qui liberatus est se à peccatis custodiat, quod Dominus ostendit de alio curato dicens. *Cum immundus spiritus exierit ab homine, & reliqua.* [*Tunc accesserunt discipuli ad Iesum secreto & dixerunt. Quare nos non potuimus eiicere illum.*] Hic apparet quod Apostoli frequenter virtutes faciebant, & dæmones expellebant, cum de isto solummodo interrogant, quare non potuerint eiicere. [*Dicit illis. Propter incredulitatem vestram.*] Hoc est quod alibi eis dixit. *Quæcumque petieritis in nomine meo credentes accipietis*, quotiens non accipimus non præstantis est, sed petentis. Siue vt Iacobus ait. *Postulet quis in fide nihil hæsitans*, seu incredulitas fuit, quia crediderunt per Lunæ defectum affligi hominem. [*Amen, amen dico vobis si habueritis fidem vt granum synapis.*] Non ideo fides grano synapis comparatur quod paruus sit, sed quia flagrans est & magna cum in opere parere cœperit. [*Dicetis monti huic : transi inde, & transibit.*] Mons hic, ipse diabolus intelligitur, quia eiectus fuit tunc de ipso homine & inde dicit monti huic. Vnde & in Apocalypsi dicitur. *Diabolus tanquam mons magnus missus est in mare* Et in alio loco. *Mons pestifer, qui corrumpit omnem terram :* Requirunt aliqui qui ad litteram de monte terreno volunt intelligi, si aliquis sanctorum aliquem montem de loco ad locum transtulerit. Sed tamen sciendum quod Dominus omnipotens conuenientibus locis montes omnes instituit : & non est necesse transferre à loco ad locum, licet legamus Gregorium Nazianzenum hoc fecisse, & de Alexandro Rege legimus quod ad conclusionem gentium Goc & Magoc quæ Gazates nunc vocatur, gentes quondam Hunorum cum non posset eos bello delere ad Deum conuersus petierit & Deus ad conclusionem eorum montem adauxerit, & quod remansit ipse cum populo suo concluset, & portas æreas subter ipsum montem posuerit. [*Hoc autem genus non eiicietur nisi per orationem & ieiunium.*] Oratio est non solum verbis, sed etiam opera iusta quæ pro nobis orant sicut Apostolus præcepit. *Sine intermissione orate.* Quomodo sine intermissione orare possumus cum sine somno & cibo viuere non possumus ? Sed sine intermissione orare est ea opera facere, quæ nobis dormientibus pro nobis exorent, quia nihil prodest abe scis ventrem abstrahere & luxuriæ vel aliis vitiis indulgere. Per tales orationes & ieiunia nouerimus vel immundorum spirituum, vel hominum aduersantium temptamenta esse superandi. Iram quoque Domini tali modo posse sedari, & veniam peccatorum promereri. Hoc munere filij Israel Samuele orante & ieiunante cum eis liberati sunt à Dominatione Philistinorum. Niniuitæ quoque de imminenti timore erecti sunt, Iudæi cum Hester & Mardochæo super Amman victoriam obtinuerunt. Machabæi etiam hostibus suis fortiores effecti sunt. [*Conuersantibus autem eis in Galilæa, dixit illis Iesus. Filius hominis tradendus est in manus hominum, & occident eum, & tertia die resurget.*] Frequenter Dominus ista prædicit, quia istud quasi naufragium debuit esse Apostolorum, & quasi totam spem amittere debuerunt, & quomodo non credebant ea nec intelligebant, prædicit vt leuius tolerarent si præsciantur. Miscet tamen super aduersis prospera, id est mortui resurrectionem. Quod dicit in manus hominum, subauditur peccatorum vel militum : quia cum ipsis tradebatur : certum erat occidendum. [*Et contristati sunt vehementer.*] Pro dilectione magistri contristabantur, quem nolebant quicquam aduersi pati, cum scirent illum iolte viuere.

CAP. XXXVIII.

De statere dato.

ET *cum venissent Capharnaum.*] Capharnaum constat villam magnam esse ibi in Galilæa, quæ pro magnitudine sua ciuitas aliquando vocatur. Vbi sedebant Romani, qui magistri erant in ipsa terra. [*Cum ergo illuc venisset Dominus, accesserunt qui didragma accipiebant ad Petrum.*] Nostis quia totus orbis factus est tributarius sub Octauiano, nisi aliqui qui excellenti amicitia hoc meruerunt, vt Romani dicerentur. Pro hac professione Ioseph cum Maria venit in Bethleem profiteri numisma,

& cenſum de capitibus ſuis. Pro reuerentia igitur quam ipſe habebat cum omnibus hominibus, maxime apud Romanos vt Centurio oſtendit, non fuit auſus publicanus ille, illum compellare de tributo. Spetabant vero quod ipſe ex natiuitate de Nazareth eſſet: propterea poſtulabant iuniores Herodis cenſum ab eo. Nam ipſe de poteſtate erat Pilati de Bethleem. Didragma, duo dragma ſunt, id eſt denarij ſex. Non negauit Petrus cenſum non eſſe ſolutum, quamuis ad opus pagani eſſent [*Et cum intraſſet in domum præuenit eum Ieſus dicens.*] Præuenit dictum Petri, qui ſcit omnia antequam fiant ne diſcipuli ſcandalizarentur audientes à magiſtro exigere tributum. [*Quid tibi videtur? Reges terræ à quibus accipiunt tributum, à filiis ſuis an ab alienis? Et ille dixit. Ab alienis.*] Oſtendit Dominus noſter quia ſpontanea voluntate cenſum tribueret, quia ſi nollet non daret, quia ipſe ſecundum carnem ex progenie Dauid erat, & ſecundum diuinitatem filius ſummi patris & conditor mundi. Attamen ad dandum exemplum vt ſubditi ſimus poteſtatibus ſublimioribus fecit quod à nobis fieri voluit. [*Vade ad mare & mitte hamum,*] id eſt lacum Geneſar. Per omnia miranda Domini virtus, quod & piſcem nouerat habere in ore ſtaterem, & etiam quia ipſe primus eſſet capiendus. Sed qui prædixit ipſe & creauit, & piſcem & aurum, quod in ore habebat. Neque enim putandum eſt alicui decidiſſe in ipſum lacum, vt de alterius damno ſe liberaret Dominus. Sed & hoc creatum eſt ipſum aurum, & in ore adhuc piſcis habebat, non in ventre. Simpliciter conſiderandum quod tantæ paupertatis fuerit, vt non habuerit quod pro ſe daret.

Stater, duo didragma ſunt. Alij homines de ære ſoluebant cenſum, ſolummodo de capite ſuo quatuor denarios. Dominus autem vt oſtenderet quia pretioſius ſupra cæteros homines haberet in corpore ſuo, id eſt diuinitatem latentem, aurum pro ſe dedit. Miſtice piſcis ipſum ſignificabat Dominum, corpus videlicet dominicum quod de Maria ſumpſit, qui aurum portabat in ore ſcilicet ſapientiam de qua Salomon. Theſaurus deſiderabilis in ore ſapientis. Quod pro illo datum eſt, quia vt haberet fratres adoptiuos, per verbum Euangelij ſui factum eſt. Et non ſolum aurum, ſed etiam piſcis occiſus: quia caro eius pro nobis mortua eſt. Per Petrum, omnis eius Eccleſia quæ eidem Petro commiſſa eſt, pro qua Dominus ſanguinem dedit.

CAP. XXXIX.

De exemplo pueri.

I[*N illa hora acceſſerunt diſcipuli dicentes ad Ieſum. Quis putas maior eſt in regno cælorum?*] Quod dicit Euangeliſta in illa hora videlicet cum viderunt redditum tributum à Petro, ſimul cum Domino, & quia viderant eum ante ſeparatum à cæteris in monte, & audierant ei dictum Petro, tibi dabo claues regni cœlorum, & nunc viderant eum Domino comparatum in datione tributi, orta eſt inter eos contentio, quis eorum videretur eſſe maior, in tantum vt Deum interrogarent. Et Dominus ſicut pius magiſter curauit animoſitatem eorum humilitate placare. Quaſi dicerent quem æſtimas meliorem in regno cœlorum faciendum. [*Et aduocans paruulum ſtatuit eum in medio eorum.*] Paruulum quendam de turba infantem ætate. Qui neſciret concupiſcere neque locum, neque aurum, neque inuidere, neque mentiri. [*Et dixit eis. Amen dico vobis niſi conuerſi fueritis & efficiamini ſicut paruuli, non intrabitis in regnum cælorum.*] Niſi per meam doctrinam & ex voluntate veſtra fiatis tales qualis iſte eſt per ætatem, vt non concupiſcamini rem alterius, non audiatis aliquem, non quæratis honorem in iſto ſeculo, nec mentiamini, neque decipiatis proximos veſtros, in vitam æternam non intrabitis. Dicit Origenes, quia quando infans eſt quis, tunc eſt verus Adam, & talis qualis Deus Adam eſſe voluit, vſquequo inter homines initiatur, non curat niſi de victu & de E
frigore, non curat de delitiis, neque de pretioſis veſtimentis, neſcit quid eſt aurum, æqualiter diligit petras & gemmas, amabilius eſt ei ouum quam aurum, neſcit aliquem fallere, omnia bono animo facit, nihil in occulto. Hæc eſt ſimplicitas columbarum, quam nos imitari per innocentiam debemus. Poſtquam vero cœperit creſcere infans, videlicet illos quos diligit amplecti aurum, delitias & reliqua mala, & tunc efficitur nobis ſimilis. Poteſt & de ipſo Domino accipi quod de ſe dixerit, *qui talis erat per innocentiam.* Sed tamen multo rectio habebat eis ſeipſum datum ad imitandum, & propterea eum ſequebantur, vt imitarentur eum. [*Quicunque ergo humiliauerit, e ſicut paruulus iſte, hic maior eſt in regno cælorum.*] Vt quod iſte per naturam, ille ſit per doctrinam, hic maior eſt in regno cœlorũ. [*Et qui ſuſceperit vnũ paruulum talem.*] Subauditur qualem modo eſſe præcepi, in nomine meo. [*Me ſuſcepit.*] Pro certo qui- F
cumque talis efficitur pro Dei præcepto, Deus habitat in eo, videant autem qui ſuſcipiuntur vt tales ſint, quales Dominus præcepit. Nam qui eos ſuſceperint licet illi indigni ſint, ſi in nomine Domini eos ſuſceperint, talem mercedem à Deo accipient, qualem acciperent ſi ipſi ſancti eſſent, ſi tamen ipſi publice mali non ſint, quia in veſtimentis ouium Chriſti veniunt ad eos, & pro Chriſto eis impenditur quicquid datur. Sic enim dicit ipſe. [*Me ſuſcipit, qui in nomine meo illum ſuſcipit. Qui autem ſcandalizauerit vnum de puſillis iſtis qui in me credunt, expedit ei vt ſuſpendatur mola aſinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris.*] Secundum morem prouinciæ loquitur, in qua hi qui maiora crimina committebant, tali modo puniebantur: videlicet religato ſaxo ingenti ad collum eius demergebantur in aquam. Mola aſinaria, id eſt quam aſinus apportabat. Quod dicit expedit, id eſt conuenit. Siue melius eſt ei vt temporaliter pereat, quam augendo peccata ſua deputetur pœnis æter- G
nis. Ex hoc loco colligere poſſumus quod omnes qui pro homicidiis & furtis puniuntur, ſi cognouerint peccatũ ſuum, & eaſdem digne ſuper ſe cognouerint venire & confiteantur peccata ſua & deprecentur Deum vt pro iſtis pœnis fiat eis remiſſio peccatorum, ſaluabuntur in alia vita. Dicant ſicut dixit latro. Nos quidem digne ita punimur, quia peccauimus in Deo & in Chriſtianos. [*Væ mundo ab ſcandalis.*] Væ erat mundo, quia pacem habebant in malo & nulla contradictio eis erat in adorandis idolis. [*Neceſſe eſt enim vt veniant ſcandala.*] Quia nolunt pagani cognoſcere Deum qui eos creauit, venient eis aduerſitates & tunc requirent Deum qui eos adiuuet in aduerſitatibus, quia hi quos colunt mortui, non poſſunt adiuuare eos. Sic fecit Conſtantinus cum habere debuit bellum cum Maxentio: requiſiuit quem Deum potuiſſet adiutorem, quia ſui opera manuum erant. [*Veruntamen væ homini per quem ſcandalum venit.*] Quicquid mali eſt in hoc mundo per diabolum eſt, & ſuos ipſos qui voluntatem eius faciunt diabolus flagellat: quia H
omnis Dei caſtigatio & in hoc ſæculo & in futuro per diabolos fit; quia *Deus intemptator malorum eſt*, ſed immiſſiones malæ per Angelos malos fiunt. Exemplum poſſumus capere de Nabuchodonoſor, cui cum præceptum eſſet & populo eius, vt caſtigaret populum Domini, quia crudeliter ſuper eos egerunt ipſe & populus eius, poſtea traditi ſunt ſimili pœnæ. Propterea debent ſe cuſtodire omnes homines ne ſint aliquibus ſcandalum [*Si autem manus tua vel pes tuus ſcandalizat te, abſcinde eum & proiice abs te.*] Per manum vel pedem amici intelliguntur: quorum ope atque conſilio cottidie indigemus. Si tales nos in via Dei obſiſtere voluerint, relinquendi ſunt, vt amor Dei firmus in corde cuſtodiatur, ne ſi cum perditis in hac vita partem habere voluerimus, in futuro pariter cum ipſis pereamus. [*Et ſi oculus tuus ſcandalizat te.*] In oculo quoque amici carnales intelliguntur, qui ſi ſcandalum in via Dei nobis ſunt, & ipſi relinquendi ſunt. Ille enim ſcandalizat fratrem, qui ei cauſa ruinæ eſt in dicto vel in factu.

Scandalum

A Scandalum quippe Græcum nomen est, & potest Latine dici *offensio* siue *ruina*. [*Videte ne contemnatis vnum ex his pusillis.* Nunc superius omnes affectus carnales abstulit per quos oberrare possumus à via Dei, quia melius est in præsenti sæculo tribulationem sustinere, quam æternam vitam perdere. Nunc quoque præcipit, vt omni conatu vnusquisque caueat scandalum inferre eis qui propter Deum pauperes & humiles esse in hoc sæculo delegerunt.] *Dico enim vobis quod Angeli eorum in cœlis semper vident faciem patris mei.*] Ex hoc loco & ex aliis inuenimus quod vnusquisque homo duos Angelos habet sibi deputatos à die ortus vsque ad diem mortis suæ, bonum & malum. Legimus enim in Apocalypsi Angelo Ephesi, & reliquis, scribe hæc vel illa. Et Apostolus præcipit velari capita mulieribus in Ecclesiis propter Angelos. Idcirco studendum est vnicuique ne iniuste alicui malum inferat quia & Deum aduersum se irritat, & An-
B gelos bonos, suum & illius contristet. [*Venit enim filius hominis saluare quod perierat.* Verum est hoc, quia Deus omnipotens omnes homines vult saluos fieri, & vt pacem inter se haberent prædicauit.

CAP. XL.

De parabola ouium.

Q*Vid vobis videtur, si fuerint alicui centum oues.*] Deus omnipotens centum habuit oues, qui perfectum decem ordinum Angelorum numerum, & hominem ad laudationem suam creauit. Per centenarium enim numerum perfectio designatur. Vna ouis aberrauit cum homo in Paradiso peccauit. Reliquit nouem ordines Angelorum non mutando locum, sed seipsum monstrando incarnatum. [*In montibus hoc est in cœlestibus.*] Venit quærere hominem, qui peccando à Deo recesserat, non corpore sed actione. [*Contigit vt inueniret.*] Quia in-
C uenit gentilem populum, qui voluntarie emendauit quod deliquerat. [*Amen dico vobis quod gaudium est super eam magis, quam supra nonaginta nouem quæ non errauerunt.*] Magis gaudium fit in cœlo de conuersis peccatoribus, quam de stantibus iustis. Quia reparato homine & ascenso Domino in cœlis gaudium impletum est Angelorum, & is qui reparauit, super Angelos eleuatus, est Deus Archangelorum. Siue quia sunt iusti, qui ita semetipsos in conspectu Dei cottidie affligunt, quasi opera egerint impiorum, tales, & peccatores possunt appellari. De talibus cottidie gaudium fit in cœlo. [*Sic non est voluntas ante patrem vestrum, vt pereat vnum de pusillis istis*, quod Deus omnipotens noluerit hominem perdere, redemptio & amara mors quam pro nobis sustinuit indicauit.

CAP. XLI.

D

De remittendo fratre.

S*I autem peccauerit in te frater tuus.*] Superius docuit, non contemnendos humiles qui Christiani nobiscum adhuc perseuerant, vt si in nobis peccauerint, non propterea alienemus nos ab ipsis vsque quo sciamus si possimus conuerti & emendare de violatione charitatis. Nam in alio Euangelista dicit. *Si peccauerit in te frater tuus, increpa illum, & si pœnitentiam egerit dimitte illi.* Attendere autem debemus quod dicit in te, quia aliud est peccare in nobis, aliud in Deum. Si in nobis peccauerit aliquis: habemus potestatem dimittere. Si autem in Deum peccauerit aliquis, secundum quod definitum est ab antiquis in Canonibus emendandum est, sicut in libro regum dicitur. Si peccauerit vir in virum, placare ei potest Deus. Si autem in Deum peccauerit vir quis orabit pro eo? [*Vade & corripe eum inter te & ipsum solum*] Solus cum solo debet corripi: ne si pudorem amiserit, peior fiat. [*Si te audierit. Lucratus eris fratrem tuum.* Quia
E qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, saluabit animam eius à morte, & operit multitudinem peccatorum suorum. [*Si autem non te audierit adhibe tecum adhuc vnum aut duos.*] Adhibentur duo vel tres, vel corrigendi studio, vel conueniendi sub testibus [*Si autem illos non audieris, dic Ecclesiæ.*] Vt qui noluit conuerti cum pudore conuertatur multorum improperationibus. [*Si autem Ecclesiam non audieris, sit tibi sicut ethnicus & publicanus.*] Ethnicus Græcè: Latine gentilis dicitur. Publicanus quoque est, qui exigit publica lucra per negationes ac per furta, & periuria qui publicæ rei deseruit. Qui enim Christianus est & fraternam pacem impugnat, vel publice Christiano scandalum est, peior est quam paganus, qui necdum suscepit Christianitatem. [*Amen dico vobis, quacunque alligaueritis super terram, erunt ligata & in cælis, & quæcunque solueritis super terrā erunt soluta & in cælo.*] Quia dixerat, sit tibi sicut ethnicus & publicanus, ne illi
F vile hoc ducerent qui scandalum infectionibus faciunt ostendit quod is qui in malo perseuerat sub Ecclesia anathematizatur. Eorum sententiam diuina pietas sequitur, si regulariter & secundum proximi dilectionem hoc faciunt. [*Iterum dico vobis. Quod si duo ex vobis consenserint super terram: de omni re quamcumque petierint fiet vobis.*] Si ita petierint, vt alio loco dixit, hoc est in nomine Iesu, ad salutem animæ pertinens. Habemus hoc ad exemplum de B. Petro & Paulo, qui petierunt de Simone qui aliis laqueus mortis erat, & acceperunt vt caderet & periret, ne alius scandalum esset. [*Vbi duo vel tres congregati sunt in nomine meo, ibi sum in medio eorum.*] Iosephus dicit de secta Iudæorum, quos tamen Iessæos nominat, quod quicquid centum in simul congregati instituissent, pro lege habebatur. Dominus autem de tribus dicit fidelibus suis, quod quicquid faciant in nomine ipsius, ipse faciat. Pro qua re constitutum est, vt Episcopus non ordinetur minus quam à tribus. [*Tunc accedens ad eum dixit.*] Quia supra miserat Petro & omnibus suis sequacibus, vt peccantes in se dimitterent & castigarent. Inter-
G rogat Petrus quotiens hoc facere debeat, si vel vsque septies. Sacratus & visitatus numerus erat apud eos septimus numerus propter sabbatum. [*Non dico tibi septies, sed vsque septuagies septies.* Siue computes septem per septuaginta, siue septuaginta per septem, ad vnum peruenit, id est quadringentos nonaginta [*Quantis nullus erga alium potest peccare.*] Id est quamdiu petit, dimittamus illi. Et in omni numero ita est ratio fixa, vt siue minorem per maiorem transeamus, siue per maiorem minorem ducamus ad vnum sensum reuertantur. Consuetudo erat in ipsa terra ad omnes sermones parabolas iungere & ideo Dominus semper cum parabolis loquebatur. [*Ideo assimilatum est regnum cælorum.*] Ideo, id est vt dimittamus in nobis peccantibus, & veniam nobis petentibus. Semper regnum cœlorum, hi qui sunt in regno cœlorum in Ecclesia Christi, in qua ipse regnat intelliguntur. [*Homini regi.*] Deo omnipotenti. [*Qui voluit rationem ponere cum seruis.*] Qui sunt in Ecclesia Christiani. Cottidie istæ rationes ponuntur In Eccle-
H sia quando petimus à Deo vt dimittat debita nostra, & ille habet nobiscum pactum factum, vt dimittamus debitoribus nostris, tunc nobis dimittet debita nostra. Nos autem sumus illi debitores decem milium talentorū grauiora peccata quæ vnusquisque in se recognoscit, quia nullus potest narrare in quantis omni die peccamus erga Deum in cogitationibus in locutionibus otiosis, noxiis, mortiferis scilicet detractionibus, operibus similiter otiosis, nociuis mortiferis per omnia membra nostra. Per aures audiendo otiosa, nociua, mortifera, per oculos, per nares, per pedes, per manus, & per omnes affectus corporis. [*Cum autem non haberet vnde redderet, iussit eum Dominus venundari, & vxorem eius & filios, & omnia quæ habebat & reddi.*] Iubebat lex vt qui ad soluenda multa esset inops: esset seruus eorū quibus erat condemnatus, vsque quo se redimi posset. Herodes autem addiderat vt venundaretur cui vellet, & tali modo agebatur in ipsa terra. Inde hoc Dominus dicit. Quia si Dominus iuxta opera nostra condemnare nos voluerit, nullus

potest

A potest esse mundus in conspectu eius. Iubet nos Dominus venundari, & vxorem & filios, cum propter cogitationes, locutiones, operationes iubet nos tradi æternis cruciatibus, cum infirmamur & audimus per verba suorum, qui bona fecerunt ibunt in vitam æternam, & qui mala in ignem æternum. Cum ista audimus timemus, & oramus nobis dimitti: & Dominus dimittit nobis si à malo cessamus, & iterum conualescimus. Sequitur. [*Egressus autem seruus ille inuenit vnum de conseruis suis.*] Id est aliquem similiter Christianum debitorem sibi centum denariis, id est centum generibus offensionum & scandalorum. Nam censum quod aliquis alicui iuste debet, non est peccatum repetere. Sed si videt quod non possit soluere propter paupertatem, debet erga illum agere vt ipse vellet agi circa se, aut expectare vsque quo melius possit soluere. [*Et tenens suffocabat eum dicens: Redde quod debes.*] Quia cum aliqui fortiores sunt aliquibus si aliquid offenderint minores, absque
B misericordia grassantur super eos: quia vident se aliquid maius posse. Et non solum suffocant eos, sed etiam occidunt, aut adnihilant eos non recogitantes, quod ex dono Dei possunt quod possunt. Et ideo irremediabiliter cruciabuntur in alia vita, quia ita agunt, nisi hic digne pænituerint & emendauerint quod egerunt. [*Videntes autem conserui eius quæ fiebant contristati sunt valde.*] Vel Angeli Domini qui opera nostra Deo nuntiant, vel sacerdotes quos habemus inter nos & Deum. Cum nolumus auscultare illos vt dimittamus qui in nobis peccauerunt, non resoluunt peccata nostra, nec orant pro nobis. Quia si quis in discordia moritur, nullus Christianus pro eo debet orare, neque commemorationem pro eo ad altare Domini facere. [*Tunc vocauit illum Dominus suus, & ait illi.*] Præcipit egredi illum è corpore & venit ante tribunal Christi: & quia noluit misereri conseruis suis, traditur dæmonibus tortoribus, quousque soluat omnia peccata quæ commisit coram Deo. [*Sic & pater meus cælestis faciet vobis.*] Confirmat sen-
C tentiam suam, & omnem simulationem fictæ pacis auertit dicens [*Si non remiseritis de cordibus vestris.*] Quia nihil prodest ore dimittere, si in corde cum odio habeamus: ideirco dicit, de cordibus vestris.

CAP. LXII.

De vxore non dimittenda.

ET *factum est cum consummasset* IESVS *sermones istos.*] Notandum quod verbum consummationis in perfectorum opere semper ponitur. [*Migrat Dominus de Galilæa in Iudæam.*] Quamuis illa omnis Palæstina prouincia generaliter Iudæa diceretur, ad differentiam aliarum regionum (eo quod Iudæi eam incolerent) specialiter tamen inter eos illa pars Iudæa vocabatur, vbi Hierusalem constructa erat. Venit igitur de Capharnaum in Iudæam, & turbæ quæ pauperes erant sequebantur eum
D propter doctrinam & curationem.) Potentes autem de Iudæa & qui sapientiores seipsos putabant, sequebantur ob reprehensionem, quia in facto & in dictis quærebant quomodo aut secundum legem eum adiudicarent morti, aut secundum terrenam potestatem præparatent inimicos populos, vel Romanus, vt per ipsos occideretur. (*Si licet homini dimittere vxorem suam quacumque ex causa.*) Audierunt eum prædicare castitatem & pudicitiam, & viderunt eum virginem viuere, & inde dixerunt intra se. Ecce aliter viuit quam nos: in hoc possumus eum comprehendere. Interrogemus istam quæstionem si dixerit dimittendam mulierem, contraria suis dictis & factis loquitur, etiam & mulieres odient eum. Si autem dixerit non dimittendam nos comprehendimus eum, quia contraria Moysi locutus est. Sed Dominus sicut fons sapientiæ semper transiebat eorum laqueos irreprehensibiliter. (*Respondens ait eis. Non legistis quod qui fecit ab initio masculum & feminam fecit eos.*) De ipso Domino de quo putabant intendere ei calumniam,

E ostendit & affirmat suam doctrinam, quasi diceret. Ipse Deus qui per Moysen legem nobis dedit, Ipse narrante eodem Moyse, non fecit cum vno Masculo nisi vnam fœminam. Non duas, vt cum vnam eiecisset, aliam sortiretur. (*Et etiam Deus per Adam Prophetauit, quod relinquet homo patrem & matrem suam, & adhærebit vxori suæ.*) Et hic non dixit vxoribus, quasi de pluribus, sed de vna. (*Et erant duo.*) Non dicit tres,) *in carne vna.*) Non est Deus vt homo, vt necessarium sit ei immutare sententiam suam, quia semel loquitur Deus, & secundo idipsum non repetit. Idcirco non potest aliter tunc constituisse, & per Moysen aliter præcepisse. (*Quod Deus coniunxit, homo non separet. Si vna caro est effecta per amorem, vel etiam in filios quomodo potest separari.* Quod Deus coniunxit per amorem, qui permisit dominare in cordibus hominum amorem homo non debet separare. (*Dicunt illi. Quid ergo? Moyses mandauit dari libellum repudij, & dimittere.*) Ecce laqueus quem occultabant
F dicentes. Quid erit hoc, quod Moyses præcepit mulieribus dare chartam separationis. Foderunt foueam, sed ipsi incident in eam, sicut semper. (*Ecce neque Deus mendax neque Moyses malus, sed vos duricordes & desides, & pro vestra duritia non iussit, sed concessit vobis Moyses. Qui si non concessisset, vos occideretis priores vxores, vt possetis iuniores ac pulchriores, aut ditiores accipere. Ab initio autem non fuit sic.* (Legimus quod Noe & filij eius singulas vxores in arca habuerunt, non amplius. Et quia cum Abraham sterilem vxorem Saram habuerit, non dimisit illam, & nullus de Patriarchis suam vxorem dimisit, nisi in morte.) *Dico autem vobis, quod quicunque dimiserit vxorem suam nisi ob fornicationem, & aliam duxerit mœchatur.* Ex hoc loco Paulus accepit quod dixit, *quod mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir. Similiter & vir sui corporis potestatem non habet sed mulier.* Hoc est non possunt se separare nisi ambo communi consilio voluerint. (*Et qui dimissam duxerit, mœchatur.*) In tribus est adulterium. In illo qui
G dimittit, qui causa est fornicationis vxoris, in vxore quæ se non continet, & si non potest continere, ad priorem debet reuerti, & in illo qui viuente alio eius vxorem sortitur. Propterea qui seculum gestiunt relinquere, debent expectare, vt & coniuges earum se queant continere, quia non debet vnus in monasterium abire, & alius foris parem sortiri. (*Dicunt ei discipuli eius. Si ita est causa hominis cum vxore, non expedit nubere.*) Discipuli præsentes cum Domino intellexerunt quod postquam accepta fuerit, siue sit gulosa: siue sit rixosa, siue infirma tenenda est vsque ad diem mortis, nisi ex consensu amborum relinquant seculum. Quapropter antequam accipiat vxorem homo, debet eam cognoscere in moribus & in sanitate, & non debet subito facere quod diu habet dolere. Sed si omnia facienda sunt cum consilio, istud amplius, quia seipsum traditurus est vt fiant duo in carne vna. Quamuis multi septem causas considerent in accipiendis vxoribus id est generositatem, diuitias, formam, sanitatem, sapientiam, mores. Ta-
H men duo amplius quærenda sunt, sapientia & mores. Quia si ista duo defuerint, possunt alia deperire. Vidimus enim quasdam & nobiliter natas, & ditatas ad tantam inopiam peruenisse propter incontinentiam morum, vt mendicando vitam finirent. Multas vero audiuimus ob fornicationis malum occisas. Et contrario alias ignobilium natas de paupertate ad diuitias peruenisse propter suam sapientiam, & morum continentiam. (*Qui dixit illis. Non omnes capiunt verbum istud,*) Quia discipuli dixerunt, non expedit nubere. Ad hoc respondit Dominus, quod non omnes capiunt verbum istud, vt impleant abstinendo se à mulieribus (*Sed quibus datum est.*) Hoc est à Deo abstinere cum virginitate. (*Sunt enim eunuchi qui de matris vtero sic nati sunt.*) Sicut de omnibus membris nascuntur homines debiles, sic etiam de ipsis membris debiles nati sunt quia vena de qua semen descendere debuit, aperta non fuit, vt his solent clausæ esse venæ, per quas auditus in interioribus penetrat, qui surdi nascuntur. (*Et sunt eunuchi qui ab*

hominibus

A *hominibus facti sunt.*] Ex antiquo vsu gentilium adhuc permanet in multis gentibus atterere testiculos infantium in tenera ætate, siue macerare, vel etiam penitus auferre pro multis causis: siue vt assiduæ in seruitio dominorum, seu vt creditam sibi substantiam non dispergant in mulieribus. Nam ante Christianitatem ad turpe ministerium à quibusdam fiebant. Nunc vero in Beneuento quoscunque clericos facere disponunt, pater & mater in infantia atterunt testiculos, & videntur semper iuuenes esse, vsquequo canescere incipiunt. Nam in perfecta ætate si factum fuerit debilitantur statim, & vires amittunt. [*Et sunt eunuchi, qui seipsos castrauerunt propter regnum cælorum.*] Illi alia duo corporaliter sunt, isti vero qui propter regnum cælorum fieri debent, mente non corpore fiunt, quia nulli licet abscindere sibi membra sua, pro vlla incontinentia. Et si fecerit, gradus Ecclesiasticos habere non poterit, & si habet, amittet ipsos. Si autem ab aliis iniuste factum fuerit, non amittit suos honores.

B [*Qui potest capere, capiat.*] Capere, implere. Qui potest implere vt virgo permaneat faciat. Ac si aperte dicat: Nulli inuitus præcipio, sed qui voluerit me imitari habebit condignam retributionem. [*Qui vero non potuerit non amittet pro hoc vitam æternam.* Quia tres sunt gradus de quibus fundata est Ecclesia. Coniugatorum, continentiũ, & virginum. Et vt vtrosque Dominus sanctificaret, ad nuptias venire dignatus est, & miraculum ibidem facere. A Propheta Anna benedicti voluit, & à sene Simeone. Et vt ostenderet virginitatem matrem fore, & reginam omnium virtutum sociamque Angelorum, de virgine natus est & nasci dignatus, placuit virgo permanere. Vnde & Apostolos suos quosdam elegit coniugatos, quosdam continentes: quosdam virgines. Tamen B. Petrum coniugatum præposuit omnibus ordinibus, ne virgines superbirent aut coniugati desperarent non posse peruenire ad illam perfectionem, quam virgines assequebantur Simile huic dicto B. Paulus præcipit dicens. *De virginibus autem præceptum Domini non habeo, consilium autem do.*

C Videlicet vt aliquis virgo permaneat, non est præceptum, sed exhortatum. Vnde & subiungit. [*Volo omnes omnes homines esse sicut meipsum.* Id est absque vxore. Si autem dicit aliquis quare presbyteri & diaconi non habeant vxores. Respondebimus; quod gratius Deo multi sequentes Dei exemplum, quod optimum est tenent. Et ideo non est necesse per coniugatos ministeria Domini administrare. Sed & hi qui transgrediuntur vota quæ vouerunt Domino, videlicet cum virginitate ministrare, tanquam apostatas præcipiunt canones damnare, & à ministerio separare. [*Tunc oblati sunt paruuli, vt manus eis imponeret.*] Quia imperfectior ætas erat infantum, solebat pati phantasmata dæmonum. Et quanto minor, tanto magis infestius, vt dicunt obstetrices. Quia quando ante nouem dies solus inuentus fuerit à dæmone occidebatur. Pro hac re erat consuetudo à Prophetis benedici paruulos. Simili modo ergo adduxerunt & attulerunt qui adhuc nequibant venire, vt benedicerentur à Domino. [*Et oraret.*] Subauditur, super eos, sicut Iacob benedixit Effraim &

D Manasse, impositis manibus super caput eorum. [*Discipuli autem increpabant eos.* Non pro inuidia, sed timebant ne sicut cæteri homines tædio afficeretur ex multitudine eorum. [*Iesus vero ait eis: Sinite paruulos, & nolite eos prohibere ad me venire.*] Et tunc illos ita suscepit vt auditis, & benedixit. Et semper quicumque vult accedere ad eum cum paruulo spiritu, id est humilis factus malitia paruulus suscipit illum, vt Psalmus, inquit. Suscipies mansuetos Dominus. [*Talium est enim regnum cælorum*] Hoc ast, qui tales sunt per innocentiam, quales isti sunt per ætatem. Et non dixit, istorum est regnum cœlorum, sed talium, requirens innocentiam mentis, non ætatis. Sic & Apostol. præcipit dicens. *Malitia paruuli estote sensibus perfecti.* De innocentia infantum superius diximus, ideo non est hic necessarium repetere. [*Et cum imposuisset eis manus abiit inde.*] Quia videbat quod scribæ potius gestirent reprehendere quam credere, cito reliquit incredulos, quia quam non inuenit humilem, fugit mentem. Et venit ad humiles & trementes sermones eius.

E

CAP. XLIII.

De diuite temptante.

ET *ecce vnus accedens, ait illi.*] Forte audierat iste de imitanda innocentia paruulorum, & ideo per singula verba vult sibi exponi, quæ sit ipsa vera innocentia. [*Magister bone, quid boni faciam vt vitam æternam habeam.*] Alius Euangelista dicit. *Quid me dicis bonum?* Quia ipse solummodo hominem Dominum credebat, quia & magistrum vocabat non Christum neque Deum, propterea redarguitur, cur eum bonum dicat, cum Deum eum non esse credat. Non igitur Dominus bonum se esse denegat, sed Deum se esse demonstrat. Et voluit vt ille qui eum bonum dicebat, quomodo bonus esset disceret

F Omnis enim homo licet sanctus, & omnis creatura comparatione Dei non est bona. Per se autem bonos & homo & omnis creatura, si sic est sicut creata fuit. Nam quia hoc voluerit Dominus istum intelligere, ipse se alio loco bonum dixit, vbi ait: *Ego sum pastor bonus.* Et de Spiritu sancto. *Pater vester dabit spiritum bonum petentibus eum.* [*Quid me interrogas de bono? vnus est bonus Deus.*] Cum bonus absolute in scriptura ponitur. Deus intelligitur, quia ipse est naturaliter, & non ex accidenti dono bonus, & non solum bonus, sed & bonitas & fons bonitatis. Et quicunque est bonus, ipso participante & dante bonus est. Omnis creatura in quantum bona est, ex Deo est, ex Deo est, inquantum mala, ex se & vitio suo est mala. Ecce testimonium Domini non solum de patre, sed de se quoque & Spiritu sancto, qui est vnus Deus incompatabiliter & ineffabiliter summe bonus. [*Si autem vis ad vitam ingredi, serua mandata.* [Ex hoc loco intelligimus, quod quicunque legem veterem custodierunt incontaminate, vitam habeant æternam.

G [*Dixit ille. Qua? Iesus autem dixit illi. Non homicidium facias.*] Duobus modis fit Homicidium. Homicidium est cum quis habitaculum animæ ante tempus constitutum dissipat, & quasi sine Dei iussione de exilio animam abire compellit, vel seipsum vel alium. Sed malum est in quolibet homine pessimum esse in seipso, & non solum apud Deum eiusque Christianos execrabile malum est sibi inicere manus: verum & apud antiquos paganos ita exosum, vt manus quæ hoc perpetrasset communi sepultura cum corpore careret. Sed quod dici dolor est, adhuc hodie nomine tenus Christiani hoc faciunt: cuius periculi malum ad Episcopos respicit, qui eis non adnuntiant, quia non finiunt tristitias & tribulationes, sed multiplicant; dum de istis tormentis ad atrociora transeunt. Aliud homicidium est spirituale, cum quis peccat ad mortem, aut fratrem facit peccare, aut videt & non reuocat, & moriuntur ambo in anima. Ille quia Deum dereliquit peccando, iste quia vidit, & non reuocauit cũ potuit. *Anima enim quæ peccauerit, ipsa morietur.* Et non solum

H qui faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus, digni sunt morte. Reminiscamur factum Heli, quod non corripuit filios suos vt dignum fuit, & ipse pro eis periit, & illi de præsenti interitu ad æternum transierunt. Sequitur. [*Non adulterabis.*] Adulterare est, alterius thorum transire. Et quamuis omnis fornicatio criminale peccatum sit, tamen istud est grauius fornicationis vitium, quia in tribus peccatum committitur. Et istud etiam spiritaliter committitur: cum alicuius anima quæ debet Deum virum habere, cui adhærere in baptismo spopondit. Derelinquit illum pro auro vel gemmis aut pro aliqua voluptate carnali, & adhæret diabolo suadenti. Quam fornicationem Hiezechiel plenius exequitur sub duarum mulierum persona, id est Hierusalem & Samariæ, & per ipsas habitatores eorum volens intelligi. [*Non facies furtum.*] Similiter & istud duobus modis admittitur: videlicet cum quis a proximo suo quocumque malo ingenio aliquid aufert. Furari est enim in furtiuo, id est in absconso auferre. Est autem discretio inter furtum & sacrilegium,

quia

A quia quamuis sacrilegium & furtum sit, tamen tanto maius, quanto de sacris rebus, & sicut est furtum de re temporali, sic est furtum spiritale, verbum diuinum nescienti subtrahere.

[*Non falsum testimonium dices.*] Falsum testimonium quis dicit, cum alio sensu dicit, quam ille qui primus dixit. Ille quoque qui alteri mendacium dicenti consensit & veritatem quam scit tacet, hæc est innocentia quam iubemur imitari in paruulis, per quam & Deo placere, & ad æternam vitam possumus peruenire.

[*Honora patrem & matrem.*] Honor hic non solum in verbis, sed & in omnibus donis & honoribus accipiendus est. Est quoque verus pater creator noster Dominus quem ante omnia & super omnia honorare debemus. Matrem etiam Ecclesiam quæ genuit nos amare & honorare iubemur.

[*Diliges proximum tuum sicut teipsum.*] Proximus noster **B** est omnis homo, sicut ipse ostendit in parabola vulnerati, vel proximus qui eundem Deum colit quem & nos: quem & fratrem iubemur vocare, vt Dominus in oratione dominica ostendit. [*Dicit illi adolescens: Omnia hæc custodiui.*] Non temptantis studio iste Dominum interrogauit, sicut alius Euangelista ostendit: qui dicit quod intuitus Dominus dilexerit eum, sed sollicitus de seipso confessus est simpliciter vitam suam. Si enim duplici corde ad eum venisset, qui cordis videbat arcana, nequaquam ab eo dilectus fuisset. Quia Dominus eos qui mandata eius quamuis minima custodiunt diligit, & ostendit quid perfectionis eis desit. Vnde & huic dicitur.

[*Si vis perfectus esse, vade vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis Thesaurum in cœlo.*] Quicumque vult perfectus esse, debet vendere, non ex parte sicut Ananias & Saphira, & dare pauperibus, & sequi saluatorem, id est relinquere mala & facere bona. Non omnibus istud præcipitur nec dicitur. Non potest intrare in regnum cœlorum nisi ista fecerit, sed tantum his **C** qui voluerint, sicut virginitas non præcipitur, sed qui voluerint, & quibus placuerit. Etenim illa quæ superius dixit, omnibus in vitam cupientibus æternam intrare dicitur. Ista autem virginitas perfectioribus. Nam habuit ipse duodecim Apostolos qui ista exemplo Domini fecerunt. Habuit & alios discipulos qui ita nequaquam fecerunt, vt Nicodemus, Gamaliel & Ioseph, de quibus scriptum est, *quod discipuli illius erant*, occulti autem, propter metum Iudæorum, quia nolebant omnia dimittere, sed cum iustitia & bonitate possidere. [*Cum audiuisset autem adolescens verbum, abiit tristis.*] Hæc est tristitia quæ mortem operatur, quia tristitia secundum Deum, pœnitentiam in salutem operatur. Et tristitia huius seculi, mortem operatur, & redditur causa iustitiæ, inquit. [*Erat enim habens multas possessiones.*] Ecce vbi spinæ suffocauerunt semen Dei, id est, diuitiæ obstiterunt ne germinaret in salutem illius. Non fuerat necesse tristari: tenuisset sua & vixisset cum iustitia & sanctitate, potuisset habere vitam æternam. Et credi**D** mus quod sic fecerit, quia scriptum est de Domino. *Lignum fumigans non extinguet.*

[*Iesus autem dixit discipulis suis. Amen dico vobis, quod diues difficile intrabit in regnum.*] Quatuor genera diuitum sunt. Est diues qui habet diuitias, & tamen diuitiæ eius non ei damnantur, sed ipse eis vtitur vt Dominus. Iste pauper deputatur, vt fuit Dauid qui dicebat. *Egenus & pauper ego sum.* Et tamen centum Talenta auri, & mille milia argenti ad templum Domini obtulit. Qui & alios hortabatur dicens. Diuitiæ si affluant, nolite cor apponere. Est alius diues qui non habet diuitias, sed tamen potuisset habere si vellet, & monstrantur ei & tamen nullo modo cor apponit, sed si affluxerint, distribuit eas, vt possit semper esse pauper, vt fuit Iulianus Monachus & multi alij quibus quamuis diuitiæ affluerent, semper pauperes elegerunt esse, & iste pauper in conspectu Dei reputatur. Est quoque tertius diues qui nihil habet sed habere desiderat, & inde cogitat semper quomodo eas possit adipisci, & aliquando cogitat qualiter **E** dispensaret aut multiplicaret si adeptus esset, vt fuit Simon Magus, & de quibus plenus est mundus. Est quartus diues qui habet diuitias & patitur famem vt plus habeat. Qui non cogitat aliud, nisi vt possit agere quæ seculi sunt, & in potentia seculari exaltari de die in diē, quocumque ingenio opprimit vicinos & subditos sibi quoscumque potest calumniatur, vt augeat diuitias suas. Quos non potest opprimere inuidet, & vult superior fieri & semper in angustiis est, quamuis diues sit. De isto scriptū est. *Crescit amor nummi quantū ipsa pecunia crescit.* Multa milia de istis habentur in isto sæculo. De istis hic dicitur.

[*Facilius est Chamelum per foramen acus transire, quam diuitem intrare in regnum cœlorum.*] Chamelus est bestia onerifera, vt asinus, maior tamen, & dicitur Græce à curuitate. Græci enim curuum, camon dicunt, vnde & camus. Siue quia curuum collum habet, siue quia curuatur quando oneratur, habet gybbum in dorso. Mittit autem **F** Arabia meliores, bina tubera habentes in dorso & nunquam pedes atterentes. Huic ergo assimilatur diues tumens opima fertilitate, qui non consolatur egentes, non visitat infirmos, non suscipit hospites: nec exequitur cætera religionis officia. Hos ergo posteriores studeant omnes Christiani vitare, quia de his dixit Dominus: Quamdiu tales fuerint, & pauperes Christi esse contempserint non possunt intrare in regnum cœlorum. *Auditis his discipuli mirabantur valde dicentes: Quis ergo poterit saluus esse?* Cum audissent discipuli quod Dominus dixit difficile intrabit; & non dixit quod esset impossibile, sed difficile. Mirabantur quia simul intellexerunt illos non intraturos, qui cum non habebant, tamen habere volunt. Et intellexerunt quia pauci erant tunc in mundo, quia non erant alij, nisi soli discipuli Domini. Nunc vero multa milia sunt Christianorum, qui nolunt habere etiam si possent. [*Verumtamen eos consolatur Dominus & dixit illis Apud homines hoc impossibile est: apud Deum autem omnia possibilia sunt.*] Dominus omnipotens qui creauit Cha**G** melum potest illum facere transire per foramen acus, vt sicut mundum creauit ex nihilo, & locum creauit qui non erat in quo mundus esset: quique fecit asinam loqui & petram ambulare cum exercitu ad ministrandam aquam, potest facere & animali corporeo, & de illo qui signatur pro animali videlicet diuite tortuoso in suis ingeniis vel voluptatibus rectum hominem reddere & mundum, vt possit transire per arctam & angustam viam quæ ducit ad vitam per quam pauci diuitum gradiuntur, sicut fecit de Zachæo. Non autem putandum quod diuites cum suis iniquitatibus intraturi sint in regnum cœlorum, sed commutandi in melius adhuc dum viuunt, vt possint cum pauperibus collocari. Ideo enim omnipotens dicitur, quia potest facere quæ voluerit. Potest quoque Chameli nomen redemptor noster intelligi qui humiliatus est ad suscipienda onera peccatorum nostrorum. Qui eum transiuit per foramen acus, id est per angustias passionum, per quas quasi per acum resarcire scissa nostræ dignatus est vestimenta naturæ, id est recu**H** perare: quatinus melius reformati audiremus ab Apostolo, quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis. [*Tūc respondens Petrus dixit. Ecce nos reliquimus omnia.*] Cum audisset Petrus perfectionem à Domino iuueni propositam & laudatam voluit scire quæ esset merces studentibus eam; dixitque ad Dominū. Ecce nos reliquimus omnia. Quomodo dicit omnia cum non habuit nisi rete & nauim, & ipsa quando necessarium fuit repetiit? Nam inuenimus eum piscatum fuisse post resurrectionem Sed omnia intelligenda sunt quæ concupisci poterant, quia etiam voluntatem habendi reliquerunt. Et si voluisset aliquis rex eis dare multa prædia & honores, non essent accepturi. [*Reliquimus omnia, & secuti sumus te.*] Hoc est si reliquimus vt tu habes derelicta, qui non vis quicquam in hoc seculo possidere. Secuti sumus te non tantum gressibus corporis, sed & imitatione actionis. Simili modo debent relinquere omnes Monachi & Canonici, sicut & Apostoli. A quo enim debent Episcopi & presbyteri ac diaconi exemplum accipere nisi à quo & gradus

A dus accipiunt. Sicut enim in veteri lege sacerdotes exemplum Moysi & Aaron, qui primi sacerdotes fuerunt, tenuerunt, sic in nouo omnes Apostolici & Episcopi ac Presbyteri & reliqui ordines debent exemplum capere à Christo & ab Apostolis. Vnde & Paulus dicit. *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi.* Nam & Monachi quamuis aliquid plus videantur facere quam in Euangelio scriptū est: tamen eandem normam & ipsi tenere debent. Et si aliquid eis plus præceptum est ad nihil aliud præceptum est, nisi vt Domini regula possit custodiri. Etenim si præceptum est nobis post completam non loqui, pro nulla alia re præceptum est, ne refectis cibo colloquentibus simul aliqualis exurgeret & nimium vigilantibus congrua hora ad Dei laudes surgere nequirent. Si præceptum est nobis à carne absque necessitate carnis abstinere, ideo factum est, vt possit castitas custodiri. Nam in necessitate non est prohibitum. Credimus tamen pro certo quod in cibo & potu eandem regulam tenuit Dominus, quam B & in exteris causis tantummodo ad sustentandum corpus. Nec tamen nobis prohibetur pro necessitate corporea sicut & Paulus dicit. *Carnis curam ne feceritis in desideriis, dicit,* non in necessitatibus quia quod necessarium est corpori propter subsidium nec Deus prohibet nec alius quilibet doctor. Non enim B. Benedictus alterius imitator fuit nec plusquam Dominus facere voluit, quia sufficit discipulo, vt sit sicut magister eius, & erit tūc perfectus. Nam & qui vocantur Monachi, quia sub regula degunt regulares dicuntur, & hoc est Canonici Græco nomine. Omnes tamen habent Christum in exemplum, & Apostolos eius quos imitari debent. Laici autem habēt Nicodemum, Gamalihel Ioseph, & si potentiores sunt possunt in scripturis diuinis inuenire quem imitentur & in potentia seculari, & in mansuetudine, & humilitate Christi. Ecce proponam vobis diuitem & pauperem Dei: ab ipso capite exemplum & facite sicut ipse fecit. Videamus Iob quomodo iustus fuerit, qui legem litteræ nunquam audierat, & tamen potentiam seculi tenebat, & C Euangelij documenta postea multo tēpore prolata opere custodiebat. Audiamus verba ipsius quæ inuitos protulit, sed tamen non ex cenodoxia. Ait ergo: Videbant me iuuenes & abscondebantur & senes assurgentes stabant. Principes cessabant loqui & digitum superponebant ori suo. Vocem suam cohibebant duces, & lingua eorum gutturi suo adhærebat. Ecce potestas & honor regalis, videamus iuxta paupertatem, à Domino postea permulgatam. Auris audiens beatificabat me quod liberassem pauperem vociferantem, & pupillum cui non esset adiutor benedictio perituri super me veniebat, & cor viduæ consolatus sum. Oculus fui cæco, & pes claudo, pater eram pauperum. Conterebam molas iniqui, & dentibus illius auferebam prædam. Ecce quod Deus dixit: *Esuriui & dedistis mihi manducare, & reliqua misericordiæ opera.* Adhuc videamus excellentiam & humilitatem. Sequitur. Cumque sederem quasi rex, circumstante exercitu Ecce excellentia. Eram tamen merentium consolator. Item: Si D contempsi iudiciū subire cum seruo meo & ancilla mea, cum disceptarent aduersum me, si negaui quod volebam pauperibus & oculos viduæ expectare feci. Si comedi buccellam meam solus & non comedit pupillus ex ea. Si animam agricolarum meorum afflixi, quia ab initio creuit mecum miseratio, & de ventre matris meæ egressa est mecum. Ecce, quod Dominus dixit, *Beati misericordes, & reliqua.* Vultis scire. Qualis fuit erga subditos? Ait. *Si Leuaui manum meam super pupillum etiam cum viderem me in porta superiori. Foris non mansit peregrinus ostium, meum viatori patuit.* Vultis cognoscere quam castus? Ait: *Pepigi fœdus cum oculis meis ne cogitarē de virgine.* Et itē. *Si deceptum est cor meum super muliere, scortu sit alterius vxor mea.* Ecce potētia & diuitiæ in vno homine, Qui nolunt per omnia potentias dimittere, teneant eas, sicut iste qui ditior fuit quolibet regi nostro, & tamen absque lege Moysi & Euangelij extitit. Inueniat qui vult talem diuitem in vtroque adhibere. Si prolixitatem libri non vererer, ostenderem qualem custodiam erga filios, quem vigorem super mulierem habuit, & quā fortis in prosperis

E & in aduersis, quem nec prospera extulerunt nec aduersa deiecerunt: licet Diabolus totis viribus adiuncto familiari vasculo fœmina ipsius bella aduersus eum venerint. Sequitur. [IESVS *autem dixit illis.*] Quia Petrus pro omnibus Apostolis locutus fuerat, & Dominus omnibus respondet dicens, [*Amen dico vobis, quod vos qui secuti estis me.*] Non dicit, qui reliquistis omnia, quia hoc multi pagani fecerunt & Philosophi, & Socrates & Crysodemus qui venditis patrimoniis gemmas pretiosissimas emerant & ipsas ob fauorem vulgi confringebant. Etiam Diocletianus totum imperium mundi sponte dimisit. Sed de hoc dicit, quod perfectius erat, qui secuti estis me imitādo. In regeneratione, id est in renouatione, quia sicut renouatur anima per fidem, sic renouabuntur corpora nostra in die iudicij per incorruptionē. [*Cū sederit filius hominis in sede maiestatis suæ.*] Sedere iudicantis est, hoc est cum venerit ad iudiciū. In sede, in aëre, vbi iudicium fiet maiestatis, id est terroris. [*Sedebitis super sedes duodecim.*] Per duode- F natium numerum, omnis perfectus sanctorum numerus exprimitur, qui iudicabunt iniquos comparatione sui, quare illi cum similiter carnei fuerint & à Deo creati, nō custodierunt mandata Dei sicut isti, & propterea condēnabunt eos dignos esse gehennæ, qui noluerunt similia illis agere. [*Iudicantes duodecim tribus Israël.*] Sicut per duodecim Apostolos omnis electorum numerus exprimitur, ita per duodecim tribus omnes gentes & Iudæi intelliguntur propter duodenarium numerum, qui perfectus & apud paganos & consecratus in diuinis scripturis inuenitur. [*Et omnis qui reliquit domum vel fratres aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorem, aut filios: aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet & vitā æternam possidebit.*] Id est qui propter Deum terrena reliquit, spiritualia bona recipiet, quæ comparatione & merito sui ita erūt, tanquam si centenarius numerus paruo comparetur numero. Sine voluerimus de hoc dicere quod in alio loco scribitur centuplum accipiet in hoc seculo. Possimus considerare quantam gloriam Beatus Petrus accepit in hoc seculo, qui poterat postquam ad Dominum G venit viuos verbo occidere; viuificare mortuos, erigere claudos etiam vt canitur, cælum claudere & aperire. Quanti boni est ad comparationem, quod ante tenebat. Nunc quoque magnum regnum habet de villis & seruis per omnem mundum, & ipsi & omnes sancti propter amorem Dei. [*Multi autem erunt primi nouissimi, & nouissimi primi.*] Et de Iudæis & gentibus potest intelligi, & de Iuda & latrone, & de desidioso fratre & studioso accipi potest, quod frequenter tardus frater, sed tamen studiosus assequatur, quod acris ingenij per desidiam perdit.

CAP. XLIV.

De operariis conductis in vineam.

Simile est regnum cælorum homini patrifamilias.] Ista parabola de versu superiori dicitur: multi erūt enim primi H nouissimi: Regnum cælorum præsens Ecclesia intelligitur. Paterfamilias, Deus omnipotens, qui habet vniuersalem vineam, scilicet Ecclesiam quæ ab Abel iusto vsque ad vltimum qui in fine mundi nasciturus est, quod sanctos protulit, quasi tot palmites misit. [*Qui exiit primo mane conducere operarios in vineam suam.*] Quia Deus omnipotens in initio mundi misit Patriarchas, Adam, Abel, Enoch, & reliquos.

[*Conuentione autē facta cum operariis ex denario diurno.*] Tunc Dominus conuentionem fecit cum homine, quando pro custodia mandatorum perpetuitatem & immortalitatem dari promisit. Siue conuentio æterna vita intelligitur. Hora prima ab Adam fuit vsque ad Noe, hora tertia à Noe vsque ad Abraham. Sexta ab Abraham vsque ad Dauid. Nona à Dauid vsque ad Ioannem. Vndecima in qua Apostoli missi sunt: qui tarde venientes mercedem plenam acceperunt. Quibus alio loco Dominus dicit. Alij laborauerunt & vos in labores eorum introistis:

A In qua gentiles vocantur, quibus & dicitur. Quid hic statis tota die otiosi? Quasi enim tota die otiosi stabant, qui transacto tam longo tempore quatoor milia annorũ Deum cęli non adorabãt. [*Dicunt ei: Quia nemo nos cõduxit.*] Scilicet vias vitæ nullus nobis prædicauit. [*Ite & vos in vineam meam.*] Ac si aperte dicat. *Estote & vinea mea*, quia vsque modo Iudæi soli dicti sunt vinea Domini. Possumus quoque eadem horarum spatia in vnoquoque homine intelligere. Ille enim in vinea Domini ab hora prima vsque ad vesperum laborat, qoi ab infantia in Ecclesia Domioi innocenter viuens, instruit alios bono exemplo vitæ suæ, aut & exemplo & verbo. Ille hora tertia, qui à prauitate post pueritiam mutatur. Sexta quoque quis conuertitur, cum in iuuentute à prauis operibus per Dei visitationem reuocatur. Hora nona, cum quis à iuuentute resipiscens per iuuenilea annos in Dei seruitium mutatur. Hora vndecima conuertitur peccator, cum iam vicinum se morti senserit: tunc per
B Dei misericordiam & visitationem incipit cogitare, quid fecit tam longo tempore, & quasi Deus in corde eius loquitur, inquit. Tanto tempore in meis voluptatibus vixi, iam prope est vt ad infernum trahar, qui nihil pro animæ meæ salute vnquam laboraui, & tunc mœrore afficitur in seruitio Dei: quanto tardius, tanto feruentius inardescit, & plerumque ante remuneratur quam is qui ab infantia in Dei seruitio desudauit. [*Cum sero autem factum esset, dicit Dominus, vineæ procuratori suo.*] Sero, dies retributionis, vel dies iudicij. Procuratores vineæ, Angeli Domini vel vnumquemque hominem. [*Voca operarios.*] Cottidie vocamur, quia cottidie morimur. Et reddidit vnicuique secundum quod in Ecclesia laborauit, siue bonum siue malum. Incipit autem à nouissimis quia ante latronem intromisit in Paradisum, quam Petrum. [*Cum venissent ergo qui circa vndecimam horam venerant acceperunt singulos denarios. Venientes autem & primi, arbitrati sunt quod plus essent accepturi. Acceperunt autem & ipsi singulos denarios.*] Quia eandem vitam æter-
C nam accipiunt, qui de gentibus per Apostolos crediderunt, quam acceperunt Patriarchæ & Prophetæ, qui de genere Abraham fuerunt. Dicuntur autem murmurasse non quod vere qui ad vitam introducebantur murmurauerint, sed quod viuentes Iudæi quibus Dominus loquebatur indigne ferebant & etiam in cordibus murmorabãt cum audiebant quod Deus facturus esset de gentibus filios Abraham, & coæquaturos eos Iudæis. Et ipse sensus est in ista parabola, qui apud Lucam de duobus filiis, quando vnus nolebat introire, quia pater prodigum filium receperat. (*Hi nouissimi vna hora fecerunt, & pares illos nobis fecisti qui portauimus pondus diei & æstus.*) Hoc est quod in passione S. Petri legimus quod dicebant Iudæi. Nos ex semine Patriarcharum sumus, quibus locutus est Deus, vt ostendat mirabilia sua. Vos semper idola adorastis, non est iustũ vt nobis nunc coæquamini. Pondus diei & æstus portasse est ab initio seculi pro Dei legibus tribulationis sustinuisse, vt fecere sub Antiocho, & aliis regibus. [*At ille respondens vni eorum dixit, amice non facio tibi iniuriã.*]
D Amicum vocat ipsum populum Iudæorum pro prærogatiua patrum, qui etiam frequenter filij vocati sunt Dei. (*Nonne ex denario conuenisti mecum.*) Nihil inde minuitur Iudæis, si omnipotens Deus gentes colligit, & ad vitam introducit. (*Tolle quod tuum est & vade.* Hoc est acipiat de vobis qui vult per digna opera vitam æternam quam illis præparaui ab initio seculi. (*Volo autem & huic nouissimo dare sicut & tibi.*) Sua immensa clementia, qoia similiter dat dignis de gentibus qui aliquando cauda dicebamur, sicut Iudæis qui dicebantur caput & populus Dei. (*An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum.*) Per oculum inuidia exprimitur, quam Iudæi semper habuerunt aduersus gentes, & maxime post prædicationem Apostolorum. Vnde & Petro dixerunt. Quare introisti ad viros præputium habentes & manducasti cum eis: Quia Deus sua gratuita pietate gentes collegit: Iudæi inuidiam assumpserunt. (*Sic erũt nouissimi primi, & primi nouissimi.*) Immensas gratias solius Dei clementiæ referimus, quia cognoscimus eum quem ante ignorabamus. Et potest de nobis dici, qood de Iudæis dicebatur. Notus in gentibus
E Deus. (*Multi enim sunt vocati.*) Videlicet & de Iudæis & de gentibus (*Pauci autem electi.*) Timenda sententia, quod pauci sunt qui Deo incontaminate seruiant, & in multis offendimus Deum quæ non perspicimus. Quandocunque enim aliquid boni facimus, si Xenodoxia se immisceat, mercede apud Deum frustramur. Verbi gratia. Si oramus, ieiunamus, eleemosynam damus, &c. bonorum opera facimus & quærimus aliqoam laudẽ, aut vt aliqois pro hoc nos videat, totum quod facimus perdimus. Vbicumque proximo si possumus in necessitatibus noo adiuuamus, Dei prætetimus præceptum, & charitatem amittimus. Potest quoque hoc quod dicit, multi vocati, de Christianis solummodo intelligi, qui vocati sunt per prædicationem sed tamen per opera non sequuntur. De quibus maior pars viam latam ambulat. Vnde Ioannes dicit: Qui dicit se nosse Deum & mandata eius noo custodit, mendax est.
F

CAP. XLV.

De filiis Zebedei.

ET *ascendens* IESVS *Hierosolymam.*] Quia præuidebat Dominus discipulorum animos de sua passiooe perturbandos, idcirco frequentius eis prædixit vt & memoriæ retinerent, & tunc constantiores essent. (*Assumpsit 12. discipulos suos secreto, & ait illis.* De turba segregauit eos, quia non erat in populis prædicandum mysterium crucis, donec perfectum esset. (*Ecce ascendimus Hierosolymam.*) Ecce aduerbium est demonstrantis, quia in via erat cum ascendebat ad passionem. Ascendere autem dicitur de Hiericho ad Hierusalem, de oriente ad meridiem, qoia Hierusalem qoasi altior cæteris ciuitatibus erat, quia caput regni illius erat, in vmbilico terræ illios: diues variarum opum, frugibus fertilis, aquis illustris. Quam Sem filius Noe qui dictus est Melchisedech ædificauit, & in ea
G regnauit, Sed eam postea Iebusæi tenueruot, & Iebus vocauerunt quæ vsque tunc Salem vocata fuerat. Ex quibus duobus nominibus Hierusalem dicta est, quæ à Dauid postea comprehensa, à Salomone reparata, Hierosolyma qoasi Iebos Salomonis dicta est Ab Ælio Adriano, vltimo Ælia dicta est. (*Et filius hominis tradetur.*) Filius hominis, quia secundum quod filius S. Mariæ fuit, ista sustinuit. (*Principibus sacerdotum.*) Ab Iuda, qui cum illo tunc erat. (*Et condemnabunt eum morte.*) Id est adiudicabunt eũ dignum morti, quamuis falsè.

(*Et tradent eum gentibus.*) Pilato & militibus, qui Romani erant. (*Ad deludendum*) Qood fecerunt quando velauerũt caput eius, & percutiebant eum, & dicebant. Prophetiza. (*Et flagellandum*) Quia flagellatus est ad columnam. (*Et crucifigendum, extra portam.*) (*Et tertia die resurget.*) Hoc ad consolationem discipulorum adiungit. Sed sicut Lucas dicit nihil intellexerunt Apostoli, quia non potuerunt credere quod ipse qui sic erat
H exaltatus in populis, potuisset ad tantum improperium peruenire. (*Tunc accessit ad eum mater filiorum Zebedai.*) Sicut sequentia ostendunt, matrem istã filij hortati sunt ad hæc petenda. Audierant Dominum dicentem qoia resurgeret tertia die, & putabant statim regnum Domini futurum, qood erit post diem iudicij, & ideo ista per matrem petebant. Ioannes & Iacobus. (*Qui dixit ei quid vis.*) Non ideo interrogat quod nesciat, sed vt ad dicta eius congruentios respondeat, & dat etiam poris hominibus exemplum ne ante respondeant quam audiant, quomodo Salomon dicit. Qui ante respondet quam audiat: stultum se esse demonstrat, & confusione dignum. (*Ait illi, Dic vt sedeant hi duo filij mei, vnus ad dexteram tuam, & vnus ad sinistram tuam in regno tuo.*) De sessione quoque superius audierant Dominum dicentem; sedebitis super sedes duodecim tribus Israël. Et volebant ipsi esse primi de ipsa sessione, quia non erant adhuc perfecti. (*Respondit Dominus. Nescitis quid petatis.*) In hoc quod Dominus mulieri petẽti filiis dicit, nescitis quid petatis, ostẽdit

petitiooem

petitionem matris ex filiorum suggestione descendere. Et sicut alius Euangelista dicit, antequam causam dicerent petierunt vt concederet quodcunque postularent. Sed Dominus vt daret exemplum hominibus, nec concessit nec negauit donec audiret. Quis enim debeat concedere, antequam sciat quid concedat? Nam si malum fuerit, aut erit reus mali si concesserit, aut mendax. Qui enim sine vita & opere locum superiorem quærebant, adhuc insipientes secundum Deum erant, & in vitam æternam non per viam nec per ostium, sed aliunde volebant ascendere. Sed tales custodes non habet illa dignitas, vt possit aliquis malo ingenio adipisci, vt fit in isto seculo. [*Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum.*] Per calicem passio intelligitur: vnde & Dominus vicinus passioni orabat, pater si possibile est transfer calicem istum à me. Et Psalmista dicit. *Calicem salutaris.* [*Dicunt ei possumus.*] Et in responsione dicunt confidenter, sicut dixerat Petrus. Etiam si oportuerit me mori tecum non te negabo.] *Ait illis. Calicem quidem bibetis*,] hoc est passiones meas sustinebitis. Quæritur quomodo calicem Domini isti duo biberint. Nam de Iacobo certum est quomodo per martyrij palmam vitam finierit, ab Herode nepote decollatus. Ioannes autem sub Traiano principe in pace vitam finiuit. Sed si recolamus scripturas: inueniemus multum passum illum pro Christo. In synagoga enim Iudæorum cum reliquis Apostolis flagellatus est ac post voluntarie pro Domino in Græcia exulauit, & deinde etiam longe in Pathmos relegatus: ad vltimum in feruentis olei dolium demissus, talia multa pro Christo sustinuit: in quibus retribuit Domino quod ab ipso primum acceperat, bibendo calicem eius. [*Sedere autem ad dexteram meam & sinistram non est meum dare vobis.*] Hoc est non est personarum acceptio apud Deum: non est dantis sed accipientis: illius qui se talem præparat, vt dignus sit acceptione. [*Nec qui dicit sed qui facit, accipit ipsum locum.*] Non est meum dare superbis, quales vos estis, sed humilibus. Si vultis habere, mutate mentẽ. Estote humiliores omnibus & certate vt vincatis Diabolum, & tunc dabitur vobis a patre meo & à me. Non solum ab isto nomine quem putastis flectere iniuste per mulieris supplicationem, sine nõ est meum dare vobis tali modo quo vos petitis, sed victoribus paratum est à patre meo ab initio seculi. [*Et audientes decem indignati sunt de duobus fratribus.*] Non mulieri indignati sunt, sed filiis, quia intellexerunt quod illa præmonita à filiis hæc petierit, qui ignorabãt adhoc mẽsuram suam, & ideo exasperant in modicam cupiditatem [IESVS *autem vocauit ad se & ait.*] Ad se vocauit, de turbis propinquare fecit volens eos omnes secrete castigare illos de ea petitione non sibi conuenienti, istos de indignatione contra fratres. Fecit vt pius magister, mansuete retulit quomodo deberent se omnes humiliari: & seruire fratribus non principari in potestatibus, aut cum malo ingenio potestatem acquirere, sicut multi faciunt Christiani. [*Scitis quia principes gentium dominantur eis: & qui maiores sunt potestatem exercent in eos.*] Dat exemplum per contrarium, scilicet cauendum non imitandum, vt illud scientes, aliter studerent facere. Qui maiores sunt in isto seculo, per tyrannidem sunt: & per potestatem sunt super eos maiores, quia omnis diues aut iniquus, aut iniqui hæres. Hæc figura apud seculares à contrariis dicitur, veluti cum quis alicui viam vult monstrare rectam: dicit ad sinistram est fouea, non vt illam incidat, sed vt caueat dicit, Simili modo Dominus inquit. [*Non ita erit inter vos.*] Scilicet quia sapientia huius seculi, stultitia est apud Deum. *Sed quicunque voluerit inter vos maior fieri, sit vester minister.* Hoc est quod alibi dixit. *Qui se humiliat in hoc seculo: exaltabitur a Deo in alio.* Nec illi appetant per vana verba, nec vos indignemini si alij volunt habere, sed & vos & illi qui voluerint inter vos primi esse, sint vestri serui. [*Vnus est sensus, & in ministro & in seruo. Et vt artius eorum in corde defigatur, suum adhibet exemplũ dicens.*] *Sicut filius hominis non venit ministrari, sed ministrare.* Omnia acta Domini quæ in primo aduentu egit, in exemplũ nobis ostensa sunt humilitatis. Ipsi enim cũ esset conditor terrarum non placuit principari in hoc seculo sed pauper fieri, pedibus ad prædicandum pergere, infirmos visitare, turbas satiare, discipulorum pedes lauare, & reliqua pietatis officia per semetipsum agere, & ad vltimum dare animam suam pro multis. Non dicit pro omnibus, sed multis his qui credere voluerint. Similiter & in Canone missæ canitur de sanguine Domini, qui pro vobis & pro multis effunderetur in remissionem peccatorum.

CAP. XLVI.

De duobus cæcis illuminatis.

ET *egredientibus illis ab Hiericho secuta est eum turba multa.*] Apparet quod Dominus de Galilæa veniens, transiens Iordanem non recto itinere Hierosolymã abiit, sed iuxta Iordanem ab Hiericho venit, & inde per viã publicam quæ de trans Iordanem ad Hierusalem ascendit, viam tenuit in qua inter Iericho & Hierusalem multæ deprædationes fiebant, vsquequo Romani ædificauerunt ibi castellum & miserunt custodiam militum. In hac ergo quia publica via erat, ob petendam stipem manebant cæci, & vnus ex illis ita notus erat, vt alius Euangelista & nomen eius, & nomen patris eius posuerit. Veruntamen alij Euangelistæ solummodo vnum nominant, qui gentium populum signat, quia ipsi gentibus scripserunt. Matthæus vero qui Hebræis credentibus scribebat, duos commemorabat vt intelligantur Iudæi & gentes per illos duos. Veritas historiæ aperta est, & virtus Domini. Typice vero Hiericho interpretatur Luna, & per Lunam defectus & mutabilitas nostræ carnis exprimitur. Et cum Dominus Hiericho appropinquauit, cæcum vnum illuminauit. Cum vero cœpit elongare & Hierusalem ascendere, duos, quia cum mortalitatem nostræ corruptionis induit sanauit multos, ex populo Iudæorum à cæcitate spiritali. Cum vero factus immortalis post resurrectionẽ, illuminauit vtrumque populum ex maxima parte per Apostolos suos. Et bene dicuntur iuxta viam sedisse, quia non erant in via qui dixit: *Ego sum via*, sed iuxta quia & Iudæi aliquid per legem sciebant de creatore, & gentium Philosophi per naturalem scientiam creatorem cæli cognouerunt. Quod & plato in suis reliquit scriptũ libris. [*Audierunt, quia* IESVS *transiret.*] Iudæi audierunt per Prophetas, gentes quoque non per omnia ignorauerunt: sed sophistæ eorum similiter denuntiauerunt. Vnde est illud Maronis. Iam noua progenies cælo dimittitur alto. Et Sybilla inquit: *E cælo rex adueniet Christus per sæcla futurus.* Scilicet in carne præsens vt iudicet orbem, vnde Deũ cernent incredulus atque fidelis. Alius quoque cum venisset ad mortem vocauit discipulos suos, & dixit eis. Ego modo moriar: scribite somnium meum quod vidi & habebam absconsum in mente mea, & modo scio quod non videbo ipsum somnium rebus expleri, sed beati erũt qui videbunt. Vidi in somnis vinum de cœlo pluere, & surgebat nebula de terra, & de aquis, & miscebatur cum ipso. Et scio quod diuinitas veniet de cœlo, & miscebitur cum carne. Nonne quasi diceret veritas de terra orietur, & iustitia de cœlo procedet? Tali ergo modo iuxta viam sedebant, & Iudæi & gentiles, & damnauerunt dicentes. [*Domine miserere nostri Fili Dauid.*] Iam olim est quod gentium populus hoc clamabat Osanna fili Dauid, miserere nostri. [*Turba autem increpabat eos vt tacerent.*] Vel Iudæi, vt in Actibus Apostolorum legimus, vel turba ista, pars populi intelligitur quæ non credit, quæ obsistere populo fideli voluit, ne crederet in suum Deum. Vnde & multos per tormenta martyres reddidit. Seu turba tumultus vitiorum sunt, qui obsistunt, ne ad Deum conuertantur. [*At illi magis clamabãt dicentes*] Quia ex persecutionibus magis creuit Ecclesia. [*Et stetit Iesus, & vocauit eos.*] Trãsiit nobis quãdo natus & passus est, & resurrexit. Stetit, quãdo post ascẽsũ incõmutabilis factus est in cœlo, ad dexterã patris: vel stetisse dicitur, propter adiutoriũ quod ministrat fidelibus suis. (*Quid vultis vt faciã vobis.*)

A Peti vult quod nobis petentibus concedere prænoscit. Prope est Dominus omnibus inuocantibus eum. [*Dicunt illi : Vt aperiantur oculi nostri.*] Hoc pro certo orat electorum populus, vt mereatur videre oculis spiritalibus sine fine regem seculorum in decore suo. Siue orat vt reliquo populo adaperiat aures præcordiorũ ad intelligenda mysterij arcana. Et nos quæramus lucem quam cum solis Angelis videre possimus. [*Misertus autem eorum* IESVS *tetigit oculos eorum,*] Quia si qui credunt Ipso dante incrementum, credunt. [*& confestim viderunt & secuti sunt eum.*] Quicunque enim oculis mentis videt IESVM, sequitur eum imitando eius actiones. Videt & sequitur, qui bonum quod intelligit operatur. Videt & non sequitur, qui bonum quidem intelligit, sed operari contemnit, IESVM enim sequitur, qui imitatur. Vnde dicitur. *Si quis mihi ministrat me sequatur : id est, me imitetur :* possumus per istos cæcos Iudæos siue Pharisæos intelligere.

B

CAP. XLVII.

De susceptione Domini ab Hierosolymis.

E*T cũ appropinquassent Hierosolymis, & venissent Bethphage ad montem Oliueti.* Dominus noster IESVS CHRISTVS cuncta ordinate & sapienter dispensauit, sicut sapientia Dei quod ipse veraciter fecit quædam miracula ad excitanda corda electorum & reproborum & vnde boni profecerunt mali deteriorauerunt, quousque de morte eius inuicem conspirauerunt, & quando eum ante placitum voluntatis eius occidere gestierunt, tangere eum nequiuerunt. Cum vero dies voluntatis eius appropinquauerunt, licentiam acceperunt, & de mirificis gestis amplius insanierunt. Vt autem ostenderet se Dominus filium illius esse, qui quondam à Samuelis tempore allophylos cum diis suis percusserat, & arcam suam per C vaccas fetas referri ad locum debitum fecerat, adhibuit sibi aliud pecus ad hoc demonstrandum. Sicut enim illę vaccæ quæ nec dum iugum traxerant, quamuis vitulos recentes haberent : tamen accepta arca Domini abierunt viam quam ignorauerunt, pergentes & mugientes, quasi dicerent & vitulos non obliuiscimur, sed tamen creatorem cuius arcam ducimus plus timemus. Similiter & hic asellus qui nunquam antea à matre separatus fuerat, & nunquam sessorem habuerat, accepto Domini corpore fecit. [*Cum venisset Bethphage, misit duos discipulos dicens.*] Bethphage, est villa parua in monte Oliueti iuxta Bethaniam & erat sacerdotum viculus, & interpretatur *domus bucca*, siue *maxillarum* propter capita arietum & hircorum quæ ibi iacebant. Cum ergo ibi venisset Dominus prima feria qui Dominicus apud nos vocatur, misit duos discipulos suos, & ipse peruenit ad Bethaniam, & mansit ibi ipsa nocte in domo Simonis leprosi. Et venit ibi Maria soror Lazari, & effudit vnguentum super caput eius. Et discipuli interim adduxerunt asi- D nam & pullum, & audierunt in Hierusalem quis ibi esset ipse. Non enim viderant eum postquam Lazarum suscitauerat. Frequenter quidem Dominus Hierusalem venerat, sed nunquam cum tanta gloria in eam ingressus est sicut tunc, vt hi qui ante eum voluerant occidere, tunc haberent locum, quia tunc ei placuit mori, quasi in factis suis dixisset eis. Vos pro beneficiis à me vobis impensis deterioramini, & occidere ne vultis : modo si vultis do vobis locum. Facio tamen mirabiliora, quam ante feci. Suscitaui vobis mortuos, ipso die modo resuscitaui quadriduanum. Et vt cognoscatis me illius Dei filium, quem vos dicitis adorare : sicut legitis oblitas fuisse bucculas naturam suam, & amorem vitulorum suorum pro arca Domini quæ super eos erat, sic videte asellum oblitum amorem matris suæ, & sine freno & capistro ire viam meam. Quasi vobis dicat ipsum brutum animal. Amo matrem, sed plus timeo creatorem quem habeo sessorem. [*Tunc Iesus misit duos discipulos suo dicens : Ite in castellum quod contra vos est.*] Castellum E modo apellatur Hierusalem, quæ quondam ciuitas regis magni, id est Dei dicta est, quia conspiratum habebant ciues eius occidendi saluatorem suum. [*Quod contra vos est.*] quia videre iam poterant de ipso monte Oliueti. Tamen quindecim stadiis erat Bethania ab Hierusalem, sed sic erat constructum templum, vt de ipso possent videri Olieta in monte eodem, & de ipso monte ardens oleum in templo Domini. [*Et statim inuenietis asinam alligatam, & pullum cum ea.* Asina ista ad templum Domini data fuerat & in commune sacerdotum erat : & quisquis de eis volebat accipiebat.

Pullus dicitur asellus, id est paruus, quia diminutiuum est eius. Et vniuscuiusque bestiæ, aut nauis natus pullus potest dici dum tener est : vt pulli columbarum & passerum. [*Soluite*,] id est absoluite à vinculo. [*Adducite in manu,*] quia virtutem debeo cum eis facere. Vt separentur ab inuicem. [*Et si quis vobis aliquid dixerit, dicite quod Dominus his opus habet & confestim dimittet eos.*] F Quia multos Dominos habebant; propterea præcepit vt absolute Dominum dicerent & non designarent aliquem. Et placuit Domino hanc virtutem facere de asello sacerdotum vt ipsi scirent quod nunquam sessorem super se habuerit, quia sacerdotes magis eius operibus contradicebant. *Hoc autem totum factum est.*] Quid totum factum est? vt adducerentur vt sederetur ab ipso. [*Quia sic prædictum fuerat à Propheta Zacharia.*] Quæcumque Deus acturus fuit in hoc seculo corporaliter, prædicta fuerunt omnia à Prophetis, & istud etiam prænuntiatum est ipsum acturum. Placuitque Domino concordari dicta Prophetarum cum factis suis, vt in Prophetarum dictis & in factis suis verax haberetur, quia veritas est, mentiri non potest. Vt Psalmus inquit : *Iustus Dominus in omnibus viis suis, & sanctus in omnibus operibus suis :* nam hoc quod legimus in libro Regum quod dixit spiritus : *egrediar, & ero spiritus mendax in ore omnium Prophetarum eius* non Spir. S. sed Diabolus ibi intelligitur, qui ad tẽpus propter peccatum regis corda Prophetarum eius decepit. [*Dicite filia Sion.* Exultando & gaudendo dicite. G Erat consuetudo apud Romanos post triumphatos hostes cum triumpho ingredi Romam : ita vt venirent ei obuiam omnis senatus & omnis dignitas cum omni populo, & haberent metrice laudes & decantarent ei, & ille proiiceret super eos vna vice de aureis denariis, alia vice de argenteis. Sed nullus sic gloriose ingressus est, sicut hic Dominus noster, quia illis mendacia cantabãtur : isti autem supplicabant, saluum fac in excelsis. [*Ecce.*] Admirantia est. [*Rex.*] Non Tyrannus, quia regis ministerium est regere & gubernare populum, oppressos liberare, opprimentes debellare. Qui non facit hoc, non est rex sed Tyrannus, qui locum occupat, & forsitan & ipse eos vastat & alios depredare sinit. [*Tuus.*] Ad Israël spiritalis sermo Propheticus fit dicens. Tuus erit, vt saluet te, & tegat si volueris. Si autem nolueris, non disperdet te, sed sinet disperdere, quia Deus tẽptator est malorum. [*Venit tibi.*] Ad tuum profectum inquit. [*Mansuetus.*] Vt postea ipse dixit. *Mitis sum & humilis corde.* [*Sedens super asinam,*] Potuit Dominus equum H vel elephantem habere ad sedendum qui potuit habere Leones & Griphes ad domandum Ægyptios, sed sicut illic per parua animalia domuit superbos, sic hic per vile animal & brutum voluit confundere sapientes seculi. Ac si dicat Propheta. Non scilicet super currum aureum, neque super feruidum equum litis & discordiæ amatorem, qui habet pectus de superbia repletum & cum audierit sonitum buccinæ & viderit bellum : percutit vngula terram & dicit in corde suo vah. [*Sedet super pullum, super quem nullus hominum sedit.*] Qui non solum non mandit ferrum, nec maculat aurum saliua, nec capistrum habet, & viam suam incedit, & est subiugalis, quia amicus pacis. [*Euntes discipuli fecerunt sicut constituit* IESVS.] dixerunt sicut præcepit. Ducite (vt alij Euangelistæ narrant.) Et adduxerunt & non sederunt sed in manu adduxerunt. *Et imposuerunt super eos vestimenta sua.*] Non sellam auro redimitam vel argento : quia solummodo ad mysterium ista requirebat. [*Plurima autem turba, strauerũt vestimẽta sua in via.*]

Ne asellus in foueam decideret. [*Alij vestimenta sua, alij ramos de arboribus sternebant. Turba autem qua praecedebant, & qua sequebantur clamabant dicentes.*] Turbae praecedebant, quae de ciuitate venerunt obuiam ei: Sequebantur, quae de Hiericho & de aliis ciuitatibus eum secutae sunt venientes ad diem festum Paschae. [*Osanna filio Dauid: benedictus qui venit in nomine Domini.*] Osanna verbum Hebraeum est, compositum ex integro corrupto. Saluum fac apud Hebraeos dicitur osanna interiectio deprecantis. Et cum iunguntur in simul, aufertur I, per Synalypham ita vt nec scribatur & fit osanna. O separatum, & s, coniunctum cum a, & n, Denique & in Psalmo centesimo septimo decimo vbi scriptum est apud nos: *O Domine saluum fac:* & in Hebraeo osanna habet; benedictus qui venis in nomine Domini. Ideo benedictus quia in nomine patris venit. Alius venit in nomine suo, & ideo erit maledictus. Quia ex parte aliquid diximus, nunc spiritaliter percurramus. Dominus venit ad montem oliueti, hoc est ad Ecclesiam suam, non quod tunc esset. Sed quam quaerendo suam fecit in qua est laborum & dolorum solamen. Et mansit in Bethania videlicet in domo obedientiae: quia ante passionem suam & fundamenta Ecclesiae suae iacta erant, & in ea erant de quibus dici poterat. *Super quem requiescam nisi super humilem & quietum: & trementem sermones meos.* Misit duos discipulos propter duos populos: seu propter duo mandata, dilectionẽ Dei & proximi, praecepit sibi exhiberi asinam & pullum, Iudaeos & gentes: quia secundum Deum Iudaea mater est gentium. Inuenietis asinam alligatam & pullum cum ea. Quia quando Dominus aduenit, omnis mundus sub peccatis originalibus astrictus tenebatur. Soluite per ministerium vestrum. Adduxerunt Apostoli ad ipsum. Et imposuerunt vestimenta. Doctrinas sacras. Et Christum desuper sedere fecerunt: vt qui habebant ante sessorem diabolũ, haberent deinceps Deum. Nam alij Euangelistae qui de gentibus scripserunt, pullum solummodo commemorant adductum. Matthaeus vero qui Iudaeis credentibus scribebat, etiam asinae mentionem facit, vt Iudaeos ostendat fidem Christi suscepturos. Quomodo vero ex toto colligenda gentilitas, Iudaea in fine differenda, super pullum sedisse dicitur. Et bene dicitur. Super quem nullus hominem sedit. Quia nullus Doctorum ad eos missus fuerat, qui eos à locutione, vel ab opere malo refrenare doceret. plurima autem turba strauerunt vestimenta sua in via. Quia multi gentibus dederũt corpora sua pro Domino in martyrium: vt darent aliis exemplum qualiter Deum amare deberent. Alij caedebant ramos de arboribus: Doctores exempla sanctorum eis proponebant, ad cohortandum eos. Et qui praecedebant & qui sequebantur. Patriarchae & Prophetae praecesserunt, & nos sequimur vnum Deum adorantes vnumque supplicantes. Quamuis Iudaei vnum Dominum nostrum Iesum Christum recipiant: nos tamen in eundem credimus: Deum Hebraeorum nos credimus adorare firmissima fide, cui dicimus quod dixit Dauid: *O Domine saluum nos fac & in terra: & perduc ad caelestem Hierusalem possidendam & habitandam.* Iuxta anagogen si mandata Domini custodimus: habitat & praesidet Christus in corpore nostro. Et vestimenta prosternimus: si corpora per abstinentiam castigamus, vt semper ei viam paremus, & aliis bonum exemplum actionis praebeamus. Frondea auellimus, si in doctrina veritatis sententias patrum excerpimus. Et benedictum in nomine Domini confitemur: quia vna spes nostra & fides praecedentium & sequentium populorum. [*Et cum intrasset Hierosolymam commota est vniuersa ciuitas.*] Introitus in Hierusalem quinta die ante Pascha, feria secunda: qua die & agnus qui immolandus erat in Pascha iubebatur domum introduci & seruari vsque ad quartádecimam lunam: & vt ostenderet quod non inuitus, sed sponte ad passionem veniret, locum passionis adiit, & expectauit per ipsos dies quousque comprehenderetur. [*Commota est vniuersa ciuitas.*] Alij pro voluntate bona: alij pro mala. [*Et illi qui dicebant quis est hic, principes erant.*] Qui quasi dedignabantur eum agnoscere quem vulgus venerabatur. [*Populi autem dicebant.*] Pauperes praedicabant Dominum Prophetam: quia ad ipsos principes non audebant dicere, hic est Christus aut Deus, sed tantum propheta. Et tamen nec mentiebantur quia & Deus seipsum dixit Prophetam. [*Hic est Iesus Nazarenus Galilaea.*] Est Nazareth villa in Galilaea, vbi Angelus Gabriel locutus est ad sanctam Mariam de Domini incarnatione. Est Nazareth ciuitas vbi nutritus fuit: à qua Nazarenus dictus est. [*Et intrauit* IESVS *in templum Dei.*] Exemplũ dedit omnibus, quandocunque in ciuitatem aut in villam veniunt, statim ad templum Domini Deum quaerant, & postea faciant pro quibus venerunt. [*Et eiiciebat omnes vendentes & ementes in templo.*] Quia Sacerdotes fenerare pecuniam non audebant: quia prohibitum erat in lege: excogitauerunt quomodo possent illud damnum recompensare: quia veniebant multi de longinquis locis, qui non habebant quae offerrent. Accipiebant ipsas aues vel caetera quae iam data fuerant in templo, & dabant ad vendendum & tali modo habebant ipsas res & argentum pro eis: & qui non habebant precium, accipiebant mutuo: & tali modo depredabant pauperes: & non considerabant quod dixit Deus, misericordiam se magis velle quam sacrificium. Istam depraedationem intelligens Dominus: fecit flagellum ex funiculis: & omnem multitudinem eiecit de templo, in duobus magnum principibus scandalum concitans: siue quia ipsorum venditores eiiceret, seu quia de templo curaret, quod ad illos pertinere videbatur. [*Et mensas nummulariorum.*] Monetarij habebant mensas & denarios desuper ad commutandum si quis vellet, [*Et cathedras vendentium columbas euertit.*] Quia aues istae frequenter iubebãtur offerri, & in multis purificationibus carae illic erant: sicut & de passeribus legimus. Ideirco honorati viri erant, qui ipsas columbas vendebant: qui & cathedras ad sedendum habebant. Spiritaliter vero nummularij sunt, qui verba diuina adnunciare debent in populis: quia eloquia Domini eloquia casta, argentum igne examinatum. Qui ergo speculatores sunt facti in populis & non adnunciant eis iniquitates eorum quae faciunt, sed placentia & fauorabilia, dicentes impio, bonus es, isti sunt qui nummularij commutant argentum. Per columbas vero spiritus siue donum Spiritus sancti. Qui ergo gratiam Spiritus S. quam dare debent gratis, venundant vt baptisma, impositiones manus gradus Ecclesiasticos: columbarum venditores esse dicuntur. Si ergo Christus in Ecclesia sua tales inuenerit, qui per praemia verbum diuinum mysteria sacra, id est Episcopatus, Presbyteratus, Diaconatus, vendant vel emant: eiiciuntur de Ecclesia Dei, & Cathedrae eorum, id est magisterium euertetur. [*Et dixit eis. Scriptum est, domus mea domus orationis vocabitur, Vos autem fecistis illam speluncam latronum.*] Domum Domini conuertit in speluncam latronum, qui lucra sectatur de religione, vel mysterium diuinum, non pro vitae merito & sapientia: neque per electionem electi & populi, sed per lucrum assequitur: & quamdiu vixerit apud Deum non pastor, sed mercenarius habebitur & negociator, quia quod dedit quaerit recipere id est terrena quaesiuit, non lucrum animarum. Et haec est symoniaca haeresis. Vnusquisque nostrum templum Domini esse debet, vt Paulus dicit: *Templum Dei sanctum est, quod estis vos.* Videamus ne in templo nostro inueniat Dominus aliud nisi quod ei placeat, dilectionem Dei & proximi: & reliqua his conuenientia. [*Et accesserunt ad eum caeci & claudi in templo: & sanauit eos.*] Excelsus & humilis Dominus humilia respicit, & alta à longe cognoscit. Apparuit in hoc enim facto iam terribilis principibus vt nullo modo ei resistere auderent, neque intueri eum. Bonis vero mitis, ita: vt cum mali ante eum fugerent de templo, caeci & claudi accederent & sanarentur. Dicit beatus Hieronymus. Inter omnia quae Dominus noster in hoc mundo fecit, nihil sic admirabile egit, vt istud quod vnus homo & illo tempore contemptibilis (ita vt postea crucifigeretur) scribis & Pharisaeis cõtra saeuientibus & videntibus lucra sua destrui potuerit cũ vno flagello tantam multitudinem eiicere, mensas subuertere,

A Cathedras confringere, & alia facere quæ infinitus non fecisset exercitus. Nam magnum bellum Tytus habuit in templo post captam Hierusalem. Sed sicut idem Hieronymus ait, Igneum quiddam atque sidereum radiabat ex oculis eius & diuinitatis maiestas lucebat in facie: pro quibus non erant ausi manum iniicere, neque potestatem suam euindicare: nec erant ausi dicere quæ postera dixerunt. In qua potestate hæc facis, sed tantummodo audis quid isti dicunt: quasi dixissent ista de Deo dicta sunt quæ de te dicuntur. Dominus autem sic temperauit suam responsionem, & vt ostenderet de se hoc dictum: & dictum eius non pateret reprehensioni. Non dixit, ego sum Deus de quo dicta sunt ista, cum hoc verum esset: sed dixit: Propheta hoc prænunciauit ex ore infantium perfecturam Deo laudem: vt illi requirerent de quo esset intelligendum. Nam alij Euangelistæ dicunt. Ait illis. Si isti tacuerint: lapides clamabunt. Puerorum factum, ex Psalmo centesimo septimo decimo confirmatur. [*Et relictis illis abiit foras extra ciuitatem in Bethaniam mansitque ibi.*] B Dicit Marcus quod vsque ad vesperam steterit, & circumspexerit in Gyro & exierit. Vnde datur intelligi quod tantæ paupertatis fuit: vt in ciuitate tam grandi nec hospitium inuenerit. Tamen credimus quod principes qui maxime & operibus eius inuidebant in hac vrbe manebant: & propter iram illorum metuebant eum recipere boni, qui adhuc diligebant gloriam Dei magis quam hominum.

CAP. XLVIII.

Da ficu arefacta.

MAne autem reuertens in ciuitatem esuriit.] Sicut omnia quæ loquebatur plena erant mysteriis, sic quæcunque faciebat non vacabant à Sacramentis. Cum enim reuerteretur ad perfidam ciuitatem Hierusalem de C Bethania vbi ipsa nocte manserat, esuriit: vel pro veritate humanæ fragilitatis: quia non fuerat præterita nocte crapulatus. Seu esuriit salutem perfidæ ciuitatis, quia & ob hoc mane reuertebatur ad eam vt posset aliquem conuertere. [*Et videns fici arborem vnam,*] Ficus à fœcunditate dicitur: quia fenerationem omnibus arboribus & in prole & in fructu exhibet. Ter enim in anno fructum fert. Sed duo primi meliores: tertius iam despectus. Carices fructus eius dicuntur, à copia nominatæ. In libro regum dicitur: *massas caricarum.* [*Venit ergo ad ficulneam.*] Non quod ignoraret, quod fructum non haberet: quia non erat tempus: ante pascha enim erat, sed vt ostenderet quid euenturum esset synagogæ vel ciuitati, quam præterita die fleuerat. Sicut enim venit ad ipsam arborem folia habentem fructum minime inuenit, sic venit ad synagogam habentem eloquia legis & Prophetarum, & fructum operum non inuenit. Vnaquæque enim arbor nó de floribus & foliis, sed de fructu agnoscitur. Et vnusquisque homo non de æstimatione vel pompa locu- D tionis, sed de vera actione operum bonus iudicatur. Prodest enim bona dicere: sed plus prodest cum dicto facta concordare. Et sicut ficus non habens fructum damnata est, sic Iudæa habens verba scripturarum sine perfectione operum damnata est & punita. Non autem omnis Iudæa sine fructu fuit, quia de ipsa fuerunt Apostoli, & primitiua Ecclesia: sed maxima eius in incredulitate perdurauit. Similiter sub persona ficulneæ in alia loquitur Dominus de synagoga, de ficulnea plantata in vinea. Ista autem ficulnea iuxta viam stabat: quia habebat legem & Prophetas, sed eum qui dixit ego sum via, in eis non intelligebat: & videbat eum & non agnoscebat. Venit ad eam per incarnationem suam & nihil in ea inuenit nisi folia tantum. [*Et ait illi, Nunquam ex te fructus nascatur in sempiternum.*] Nihil arbor peccauit, sed quia ad vsus hominum creata fuerat, voluit per arborem terrere homines ne quis habendo verba iustitiæ, absque operibus prætendendo mereretur excidi & in ignem proiici. Quod dicit in sempiternum, non perpetualiter significat, sed

aliquod tempus. Æonon enim Græcum, & seculum & E sempiternum significat. Quando vero dicitur æonas, ton æonon, infinitum significat, id est secula seculorum: quia de arbore potest intelligi, quod & folia aruerint, truncus saluus remanserit, quia Iudæa in fine per Enoch & Eliam conuersa, fructus placidos fructificatura est Deo. Si autem ex toto volumus intelligere de præsenti plebe, dicemus quod ipsa est quæ clamauit, *Sanguis eius super nos & super filios nostros.* Denique si simpliciter volumus intelligere, Dominus quia proxime passurus est volebat firmare discipulorum animos: vt sicut fecit ficulneam arescere, potuisset si voluisset suis inimicis similia facere. Vnde & dicitur, quia mirabantur quod continuo aruit. [*Respondens autem* IESVS, *ait illis. Amen dico vobis si habueritis fidem & non hæsitaueritis, non solum de ficulnea facietis, sed si monti huic dixeritis, tolle te & iacta te in mare, fiet,*] Et secundum litteram fieri potuit de monte terreno, sicut legimus de Beato Gregorio Nazianzeno, quia cum F vellet Basilicam ædificare, & esset ex vna parte rupis, ex alia mons qua angustaret locum, orauit ad Dominum vt montem recedere longius faceret. Reuersus mane, inuenit sicut precatus fuerat. Similiter de sancto Benedicto legimus, quod similia fecerit. Similiter potuissent alij imperare, si voluissent. Aliter quoque mons diabolus intelligitur, aliquando in scriptura. Hoc non solum tunc fecerunt Apost. sed & cottidie faciunt sancti viri, cum repellunt de cordibus bonorum & permittunt eum morari in cordibus perfidorum & vesaniæ suæ mentis in amaris & in turbulentis exercere. De quo in Apocalypsi dicitur: *Et secundus angelus tuba cecinit: & tanquam mons magnus missus est in mare, igne ardens.* Angelo canente mons in mare mittitur: cum prædicantibus doctoribus electorum corda deserit diabolus, & ad reprobos iratus conuertitur. Montem Paulus de loco suo extulit quando de phitonissa in Philippæis spiritum malignum eiecit. [*Et omnia quæcunque petieritis in oratione, credentes accipietis. Ita pro certo: vt tamen suum nomen Dominus non amittat,*] id est IESVS. Quia IESVS Saluator dici- G tur. Si contra salutem concesserit, iam non erit nobis Saluator: quod minime potest fieri. Permittit nobis Saluator frequenter contra salutem nostram, sed non concedit.

CAP. XLIX.

Interrogatus à Sacerdotibus Dominus.

ET cum venisset in templum accesserunt ad eum principes Sacerdotum, & seniores populi dicentes] Sicut semper Dei acta in malam partem conuertere soliti erant, sic etiam nunc. Quando enim dicunt *in qua potestate hæc facis*, de Dei dubitant potestate: & subintelligi volunt diaboli esse quod faciat. Et quod addunt; *quis tibi dedit hanc potestatem*, filium Dei illum negãtque quem putant non suis viribus, sed alienis signa facere. Tamen ipsa die non fuerunt ausi ista interrogare. [IESVS *autem respondens ait.* H *Interrogabo vos vnum sermonem, quem si dixeritis mihi: & ego vobis dicam in qua potestate hæc facio. Baptismum Ioannis vnde erat, de cœlo, an ex hominibus?*] Potuit Dominus per simplicem doctrinam suos inimicos confutare, sed cõueniens erat vt ad interrogationem responderet, vt aut suo silentio, aut sua sententia condemnarentur, sicut & factum est. [*At illi cogitabant. Si dixerimus de cœlo, dicet nobis, quare non credidistis ei? Ille enim mihi testimoniũ perhibuit: quando misistis ad eum & ab illo audistis, in qua potestate hæc facio. Si dixerimus ex hominibus, hoc est humana adinuentione cõpositum: timemus turbã.*] Omnes enim habebant Ioan. sicut Prophetam: quia in ortu eius viderunt miracula facta: [*Et responderunt dicentes. Nescimus.*] Modo ob veritatem celandam ad humiliatis viam conuersi sunt vt diceret se nescire. [*Ait illis. Nec ego dico vobis in qua potestate hæc facio.*] Non vultis fateri quod scitis, nec ego dico quod scio. Vos mentiemini: ego veritas sum mentiri non possum: scio, sed non vobis dico. Ob duas

autem

A autem causas : veritas est reticenda : cum is qui audit non potest capere : vt Dominus ad discipulos dixit. Adhuc multa habeo vobis dicere : sed non potestis portare modo. Aut cum prænidemus quia is cui dicere debemus deterior ex nostra prædicatione futurus est. Et de hoc Dominus inquit. Videte ne mittatis margaritas vestras ante porcos.

CAP. L.

De duobus filiis in vineam missis.

QVid autem vobis videtur. Homo quidam habuit duos filios.] Quia Pharisæi noluerunt Ioanni date bonum testimonium, Dominus ipse laudat Ioannem & eos qui eum audierunt, & vituperat qui præsentem non audierunt, nec mortuo date testimonium voluerunt. Ho- B mo iste Deus intelligitur : qui habuit & bonos & malos filios per conditionem de Iudæis : quibus præcepit per Moysen vt operarentur in vinea sua seipsos, in via Dei custodiendo & alios instruendo. Fuerunt qui in initio vitæ suæ ad malam partem se conuerterunt vt publicani & meretrices. Et alij fuerunt qui dixerunt quod deberent legem Dei custodire, vt isti Pharisæi. Sed tamen cum venit Ioann. & annunciauit eis peccatum eorum conuersi sunt de via sua mala, & cœperunt bona ardenter facere. Isti autem Pharisæi qui dicebant se iustos noluerunt obedire ei : sed etiam consenserunt vt occiderent : & etiam Domino machinabantur. Et inde Dominus proponit ipsam parabolam dicens. [*Venit ad vos Ioannes in via iustitiæ, in abstinentia, in castitate, & reliquis bonis. Publicani qui primo per malas artes dixerunt, non se facturos, pænituerunt. Vos nec tunc fecistis, nec adhuc bona eius prædicare vultis.*] Potest & de duobus populis intelligi, gentili Iudaico : quia gentilis primitus in initio mundi C recessit à cultura Dei, sed postea pœnituit & mutauit vitam Iudæus qui dixit. *Omnia quæ præcepit Dominus faciemus*, nec tunc fecit nec modo, sed peior est quam gentilis fuit quando idola adorauit.

CAP. LI.

De vinitoribus parabola.

ALiam parabolam audite.] Quia cito erat transiturus ab eis per mortem, verba vitæ amplius eis ingerebat, & quæ ipsi cogitabant & faciebant, in suis parabolis inditabat. [*Homo pater familias.*] Dixi superius quod pater familias compositum nomen est ex nominatiuo & genitiuo antiquo : quia vsus fuit apud antiquos genitiuum primæ declinationis more Græcorum etiam in as finire. Et ille vocatur pater familias, qui omni familiæ suæ sic præest vt pater. Deus autem omnem mundum sicut pijssimus pater gubernat, omnibus bona tribuit, D nulli malum. Si autem aliquis malum aliquid patitur, hoc facit diabolus, qui est paratus ad nocendum, & cum videt quod Deus aliquem deserit propter scelera sua, statim ille apprehendit : & nisi angelus esset bonus qui obsistat ne tantum noceat quantum vult statim disperdit illum. Paterfamilias iste Deus est, qui plantauit vineam de qua Esaias loquitur, & in fine dicit : *Vinea enim Domini Sabaoth : domus Israel est.* Et in Psalmo : *Vineam de Ægypto transtulisti.* [*Et sepem circumdedit ei*] Vel murum vrbis, vel Angelorum auxilia, [*Et fodit in ea torcular.*] Altare Domini. [*Et ædificauit turrim.*] Haud dubium templum, de quo per Micheam. *Et tu turris nebulosa filia Sion.* [*Et locauit eam agricolis.*] Quos alibi vineæ operarios appellat] *Qui conducti fuerunt pro denario diurno, hora prima, tertia, sexta, & nona, peregre profectus est.*] Non loci mutatione, quia Deus totum mundum implet : sed agricolas dimittendo in proprio arbitrio. [*Cum autem fructuum appropinquasset.*] Bene tempus fructum dicit non profectum, quia nullum perfe-

E ctum fructum synagoga protulit, quamuis sollicite exculta fuerit. [*Et agricolæ apprehensis seruis eius, alium ceciderunt.* [Vt Mosen & Aaron, quos irritauerunt in castris. [*Alium occiderunt.*] Vt Achimelech cum quinquaginta Sacerdotibus. [*Alium lapidauerunt.*] Vt Naboth. *Iterum misit alios plures prioribus, & fecerunt illis similiter.*] Esaiam, Hieremiam, Zachariam.] *Nouissime autem misit ad eos filium suum dicens : Verebuntur filium meum.*] Quod ait quia verebuntur filium meum, non de ignorantia loquitur : quia nihil est quod Deus pater nesciat. Semper ambigere dicitur Deus : vt libera voluntas homini reseruetur. [*Agricolæ autem videntes filium dixerunt. Hic est hæres, venite occidamus eum.*] Quæ illi consiliabantur in suis latibulis, de quo Dominus palam loquebatur, vt ostenderet se omnia scire. Manifeste enim modo dicit : quod principes per inuidiam non per ignorantiam Dominum crucifixissent. Dicebant enim : *Si dimittimus eum, sic omnes credent in eum.* Hereditas filij, Ecclesia est : quam acquisiuit sanguine suo. Hanc moliebantur Iudæi hæreditare cum crucifigentes eum, & fidem quam in eo Eccle- F sia sua habebat quærebant extinguere pariter cum Ecclesia vt potuissent suam iustitiam ex lege firmare cum sua synagoga. [*Et apprehensum eum eiecerunt extra vineã, & occiderunt.*] Hoc erant tertia die facturi quo hæc loquebatur. Et sic futura quasi præterita loquitur, quia certissime nouerat futura, & si voluisset potuisset declinare passionem. Eiecerunt extra vineam, quia extra portam Hierusalem duxerunt ad crucifigendum.] *Cum ergo venerit Dominus vineæ, quid faciet agricolis illis? Aiunt illi. Malos male perdet, & vineam suam locabit aliis agricolis.*] Quamuis mali essent, de progenie tamen Sacerdotum prophetarum veritatem. Perdidit illos male, quia fame qua nihil durius : quæ etiam obsessos compulit humanis carnibus vesci. Illos perdidit, & commendauit Christianis Doctoribus Ecclesiam suam. Caueant ergo Reges & Episcopi istam damnationem agricolarum, ne forte & ipsi similia patiantur, si bene non excoluerint vineam G Domini, omnem turbam Christianorum. [*Dicit illis* IESVS. *Nunquam legistis in scripturis. Lapidem quem reprobauerunt ædificantes.*] Adhuc perseuerat prædicendo passionem suam, & actionem Iudæorum per metaphoram, de inanimali lapide ad animalem Christum factam comparationem, hyperbole Hoc in Psalmo centesimo septimodecimo scriptum est, qui totus de Domini aduentu canitur, & non habemus iuxta literam quicquam, sed totum allegoria est. Iudæi enim ædificantes erant, suas doctrinas prædicantes reprobauerunt Dominum in sua fide fundamentum ponere. [*Hic factus est in caput anguli.*] Quia sicut lapis in angulo duos parietes ex diuerso venientes suscipit, sic suscipit Iudæos Christus, & gentes in se credere volentes : vnaque domus construitur de lapidibus : sic Ecclesia Christi de dignis hominibus. Et sicut lapis lapidem portat : sic hi qui præcesserunt portauerunt nos : & nos æquo iure portare debemus post nos venientes. Et de vinea & de ædificatione sanctæ Ecclesiæ dicit Paulus : *Dei cultura Dei ædificatio estis.* Quæ H vinea, ipsi lapides, & vnus preciosus in fundamento fundatus Christus, velint nolint Iudæi, & qui agricolæ mali, id est & cementarij, à Domino factum est istud. Nisi denique à Domino hoc factum esset, fides Christi & Ecclesia eius non impleisset totum mundum quam omnes principes extinguere voluerunt. Et mirabile in oculis nostris : *Omnis Domini Incarnatio, mirabilis facta est.* Sed & hoc satis mirabile quod omnes gentes super ipsum habent fundamentum collocatum, & fidem, spem firmam in ipso tenere gestiunt. [*Ideo dico vobis, auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius.*] Ambæ istæ parabolæ, & de vinea & de lapide, in hoc versu aperiuntur : quia agricolæ vineam Domini vt dignum fuit non excoluerunt & lapidem angularem reprobauerunt. Ideo ablatum est ab eis regnum Dei, scientia scilicet scripturarum : & datum est gentibus : qui volunt exercere quod legunt. [*Et qui ceciderit super lapidem istum confringetur, Super quem vero ceciderit, conteret eum.*] Cadit super Dominum qui peccat : tamen habet spem per

A pœnitentiam resurgendi: quia septies cadit iustus & resurgit. Cadit vero Dominus super incredulos, qui nolunt cognoscere creatorem. *Qui peccat cadit, sed potest resurgere. Qui non credit, iam iudicatus est, & veniet super eum æterna perditio, quæ eum funditus opprimet.*] Et cum audissent principes Sacerdotum & Pharisæi parabolas eius, cognouerunt quod de ipsis diceret. Quia sciebant quod ipsi meditabantur: propterea intelligebant similitudines de se dictas. Vnde quidam sapiens. Conscius ipse sibi, de se putat omnia dici. Et quærentes eum tenere, timuerunt turbas, quia sicut Prophetam eum habebant. Turba semper in motu est: & sicut ad conuertendum facilis: sic ad desperandum proclinis. Quem enim vna die dabitis laudibus vt Deum extulerunt, sexta die vt homicidam crucifigi petierunt.

B

CAP. LII.

De filij regis nuptijs.

ET *respondens Iesus dixit iterum in parabolis eis loquens.*] Quod dicitur respondens, ad cogitationes eorum dicitur respondisse: quia ipsi cogitabant non solum eum disperdere, sed & omnes qui in eum credebant, ideo retulit eis parabolam dicens. [*Simile factum est regnum cœlorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo.*] Christo Domino. Et Ecclesia, quæ tam ex Iudæis quam ex gentibus congregata est. Congregatio iustorum, regnum cœlorum dicitur. Regnum vero cœlorum, Ecclesia est iustorum. In hoc patet rex filio nuptias fecit quoei per incarnationis mysterium sanctam Ecclesiam sociauit. [*Misit seruos suos vocare inuitatos ad nuptias, & nolebant venire.*] Serui isti Prophetæ intelliguntur, Dauid cum cæteris, licet enim & lex data fuerit & per Prophetas Deus nunciatus fuerit; tamen neglexit prope omnis C mundus mandata Dei. [*Iterum misit alios seruos dicens. Dicite inuitatis, ecce prandium meum paraui.*] Isti alij serui Apostoli intelliguntur qui nobis adnunciauerunt delitias præparatas diligentibus Deum: *quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit.* E quibus vnus ex persona Domini dixit: *Venite benedicti patris mei percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi.* Vel prandium scriptura diuina in Ecclesia Domini. [*Tauri mei & altilia occisa.*] Per metaphoram opes regiæ describuntur, & est species metaphoræ allegoria. Per tauros veteris testamenti martyres intelliguntur: vt Eleazar & Machabæi, quibus concessum fuit quasi cornu defendere, & odire inimicos. Per altilia, aues pastæ intelliguntur. Altilia enim, quasi altilia vocamus ab alendo, pastæque vulgo vocantur: Prophetæ intelliguntur qui pasti affluenter Spiritu sancto & verbo Dei aliqui eleuati sunt à terra. [*Et omnia parata, venite ad nuptias.*] Et similiter quod Petrus dicebat: *Cum videritis exultabitis lætitia inenarrabili & glorificata.* [*illi autem neglexerunt & abierunt, alius in* D *villam suam, alius ad negotiationem suam.*] In villam suam quis pergit, & ad conuiuium æternum venire contemnit cum habens possessiones terrenas sufficienter, in promptu habet implere voluptates suas: facit quod eum delectat, & amplectitur quod in præsenti arridet & negligit intendere quo vocatus est. Alius ad negociationem pergit, cum habens ministerium aliquod in quo potest aggregare argentum vel alias mundi diuitias: vel per negociationem diuitias acquirere, de his magis cogitat quam de his quæ spondet in baptismo. Recogitet vnusquisque in quo Deum offendit & pro quibus Dei præcepta negligit: & intelliget de quorum numero censebitur & cum quibus in alia vita computabitur. [*Reliqui vero tenuerunt seruos eius: & contumelia affectos occiderunt.*] Differentia est inter eos qui pro voluptatibus suis ad conuiuium æternum venire noluerunt siue in Ecclesia Christiani perfecti, & eos qui seruos ad se missos contumeliis affecerunt, quia isti duplo rei habentur, qui non solum non venerunt: sed & seruos regis aut contume-

E liauerunt, aut occiderunt. Quæ omnia Iudæi ad quos hæc loquebatur, perpetrauerunt. Videant quoque omnes Christiani, ne similia illis faciant, ne si nolint venire ad prandium, vel volentibus ire non fiat offensio, quia dicitur eis. *Quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.* [*Rex autem cum audisset iratus est.*] In initio & homo & rex vocatus est, quia clementia eius ibi narratur: qua ad conuiuium suum omnes venire volentes inuitauit: Hic vero nomen hominis siletur, & rex tantum nominatur, vbi vindictas facturus dicitur. [*Missis exercitibus suis, perdidit homicidas illos, & ciuitatem illam succendit.*] Ad litteram de Iudæis factum est. Nam quia occiderunt seruos Dei ad se missos vel occidentibus suggesserunt, tunc Prophetas & nunc Apostolos, Ioannem, Iacobum, alium Iacobum, Stephanum, & innumeros alios. Missus est Dei exercitus. Et iuste Dei, quia vindictam Dei exercuit Vespasianus & Titus, & deleuit homicidas, & templum quod angustius erat incendit, ac postea ab ipsis Romanis ciuitas destructa, & sal in eadem dispersum. [*Tunc* F *ait seruis suis. Nuptiæ quidem paratæ sunt.*] Nuptiæ tunc fuissent si adiunxissent se ad illud conuiuium. Non fuerunt digni. Non præparauerunt se dignos. [*Ite ergo ad exitus viarum.*] Euntes docete omnes gentes. In exitibus autem viarum erant gentes, quia nec legem habebant, per quam potuissent peruenire ad eum qui dixit, ego sum via. [*Et quoscunque inueneritis, vocate ad nuptias.*] Ita fit cottidie, diuites & pauperes, humiles & superbi, Domini & serui, publicani & meretrices, vocantur in commune, & dicitur. *Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cælorum.* [*Et egressi serui eius in vias.*] In vias, non in via. Quæ in bonam partem accipitur numero singulari, plurali voluptates, vel sectæ diuersæ sentiuntur. [*Congregauerunt bonos & malos.*] Requirendum quomodo boni inuenti fuerint inter gentes. Sed sciendum bonos dici ad comparationem malorum tamen multi boni inuenti sunt inter gentes, vt fuit Iob, Ietbro, Achior, & etiam inter ipsos paganos erat multa G discretio, quia multi erant qui vitia detestabantur, & diuitias respuebant, & Deum cœli adorabant. [*Et impleta sunt nuptiæ discumbentium.*] Nuptiæ hic sunt in præsenti Ecclesia. Et scimus quia Ecclesia mixta est de bonis & malis. In cœlo soli boni, in inferno soli mali. Boni & mali in præsenti Ecclesia. [*Intrauit rex vt videret discumbentes, & vidit ibi hominem non vestitum veste nuptiali.*] Vestis nuptialis charitas est, quia per dilectionem, Deus Ecclesiam sibi sociauit. Potest quoque vestis nuptialis, vestis innocentiæ quam in baptismo accipimus intelligi. Intrabit & rex videre vestes, cum in die iudicij merita exquiret singulorum. Sed & cottidie cum aliquis migrat de corpore hoc, iudicium cum illo agitur. [*Vt videret discumbentes.*] Hoc est in sua fide cognoscentes. [*Vnum non vestitum.*] Per istum omnes mali intelliguntur quia sicut omnes boni de vna generatione esse dicuntur, sic omnes mali vnus populus appellatur, quia vnus Dominus spiritalis Deus, aut diabolus, aut estis Dei, aut diaboli. [*Amice quomodo huc intrasti non habens vestem nu-* H *ptialem.*] Ecce & amicum vocat, & vitam eius reprobat quasi dicat. Amice per fidem, sed non per operationē. [*At ille obmutuit.*] In tempore illo non erit vlli excusatio verborum, quia iudex qui foris increpabit, & interius & exterius videbit, & testis nostra conscientia aliud dicere nō audebit. Sicut Paulus Apost. dicit: *Cogitationibus inter se accusantibus in die cum iudicabit Deus occulta hominum.* [*Tunc dicit rex ministris. Ligatis manibus eius & pedibus.*] Ligabuntur manus & pedes quia tunc omnis nostra actio cessabit. [*Mittite eum in tenebras exteriores.*] Interiores tenebræ sunt, cecitas mentis, exteriores tenebræ æternales, vbi lux deerit. Qui ergo hic non curauit pati interiores tenebras, illic etiam patietur exteriores [*Ibi erit fletus & stridor dentium.*] Per fletum oculorum & stridorem dentiū & resurrectio corporum & magnitudo tormentorum exprimitur, vt illic oculi defleant, quia hic per diuersa oberrabant, dentes strideant, quia hic de edacitate gaudebant, quatinus singula membra quæque supplicium subiaceant quæ hic, singulis quibusque vitiis subiecta

seruiebant

A seruiebant. [*Multi enim sunt vocati, pauci vero electi.*]De
Christianis dictum est, qui per fidem & baptismum vo-
cati sunt: quia intra Ecclesiam habentur, sed operibus
diabolus fidem seruantes mentiti Christo per Christiani-
tatem noscuntur. Ideo necesse vt vnusquisque nostrum
in humilitate se deprimat: quia si est electus ignorat.

CAP. LIII.

De reddendo quæ Dei sunt.

TVnc abeuntes Pharisæi consilium inierunt, vt caperent
eum in sermone.] Tunc, aduerbium temporis est, &
dicitur tunc, id est in ipso tempore, cum audierunt de se-
ipsis graues causas per parabolas prophetare. Adeuntes
in consilium consiliauerunt vt caperent eum in sermone
suo, vt quicquid diceret, pateret calumniæ, sicut audistia
B per Lucæ Euangelium,' cum in diuerso orbe terrarum &
Iudæa descripta est ad dandum tributum Romanis & sti-
pendia sub Octauiano. Proinde erat magna turbatio in
populo, quia alij dicebant non esse æquum, vt popu-
lus qui dabat decimas, primitias, & reliqua lege sancita
daret Romanis tributum & stipendia. Et alij dicebant
quod nullo modo possent dimittere: vt non darent Ro-
manis tributum: qui & totum mundum tenerent: etiam
& milites eorum sicubi necessarium erat pro eisdem Iu-
dæis pugnabant. *Mittunt igitur suos missos cum missis He-
rodis Regis Tetrarchæ vt interrogarent eum.*] Et si quidem
ipse diceret non debere Romanis tributa solui, appre-
henderent eum milites Herodis. Si autem diceret Roma-
nis dãdum & non Deo confestim illi tenerent quasi con-
tradictorem legis. Verumtamen fecit sicut solebat, transiit
laqueum paratum. [*Magister, scimus quia verax es, &
viam Dei in veritate doces, & non est tibi cura de aliquo.
Non enim respicis personam hominum.*] Omnia ista vera
C sunt. Sed bona, mala voluntate prolata. Hæc Ideo inge-
rebantur: vt non curaret de Imperio Tiberij, & diceret
non dandum tributum, quia haberet perspectum quod
plus amaret Dei cultum quam Imperatorem, & statim,
apprehenderent eum milites Herodis, quasi contradicto-
rem Cæsaris. *Licet censum dari Cæsari an non?*]Cognita
autem IESVS nequitia eorum ait. [*Quando consiliastis
quamuis à vobis longe ibi fuit* IESVS, *etiam quando cogita-
stis. Quid me temptatis hypocritæ?*] Quem non decipia-
tis per astutiam vestram? Prima virtus est, intentionem
interrogantis cognoscere: tunc iuxta consequentiam re-
spondere: vt Salomon. *Responde stulto iuxta stultitiam
suam ne sibi sapiens esse videatur.* [*Ostendite mihi numis-
ma census.*] Nummus vnus denarius argenteus vel æreus
dicitur & à nomine vocatur: quia nomina regum in eo
imprimuntur. Siue vt alij volunt à Numa principe
Romano: qui hoc apud eos primus præcepit fieri. Ali-
quando inuenitur nummus pro solido poni. Numisma
Græcè, Latinè dicitur inflexio. Et hoc ostenditur: quia
D cum Dominus præcepit sibi exhiberi numisma, illi intel-
ligentes obtulerunt denarium. Denarius est genus num-
mi, quod pro decem nummis æreis imputabatur, & habe-
bant de argento & de ære imaginem Cæsaris. Valuit si-
ne ostensione nummi dicere quod volebat: conuenientius
tamẽ per ipsum eos cõuinci. [*Cuius est imago hæc & super-
scriptio?*] Similiter sicut nunc inscribuntur de nomini-
bus imperatorum: & figura eius exprimebatur vt nul-
lus mixturam metalli auderet miscere, neque aliquis des-
picere vbi videret imaginem Cæsaris: in nullo vnquam
loco expressam imaginem Cæsaris audebant despicere.
[*Dicunt ei: Cæsaris.*] Tiberij scilicet quia ab illo primo
Iulio ita vocatus est, omnes postea Imperatores Roma-
norum Cæsares sunt appellati. [*Tunc ait illis, Reddite
quæ sunt Cæsaris Cæsari.*] Si imago eius est in denario:
constat quia suum erat qui suam imaginem ibi præcepit
fieri. Quod vos iam per triginta annos soluitis: vultis vt
ego præcipiam dimittere: cum ego qui nihil telluris ha-
beo, pro me & Petro soluerim tributum: & Deo red-
diderim quæ Dei erant patris faciens voluntatem? Magis
præcepturus sum vobis vt sitis regi subditi, quasi præ- E
cellenti. [*Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari.*] Tributum
scilicet, nummum & reliqua quæ spopondistis quando
professi fuistis in diebus professionis. [*Et reddite Deo
quæ Dei sunt.*] Decimas primitias: & quæ in lege præce-
pta sunt. Sicut Cæsar à vobis exigit imaginem suam,
sic vult Deus habere suam incontaminatam, quam in vo-
bis condidit. [*Et audientes mirati sunt.*] Qui credere de-
buere mirati sunt: quia contra calliditatem eorum con-
silium reperit. [*Et relicto eo abierunt.*] Recesserunt in-
creduli à pio: quia diuersi mores nolunt vnitatem: quia
cum essent peruersi nolebant ad illius rectitudinem con-
uerti: propterea sine fructu abierunt.

CAP. LIV.

De muliere quæ VII. *nupta est.*

F
IN illo tempore accesserunt ad eum Saducæi: qui dicunt
non esse resurrectionem.]Duæ sectæ erant in Iudæa Pha-
risæorum & Saducæorum: & tamen omnes erant Iudæi:
diuerso tamen more viuebant & credebant. Pharisæi vi-
uebant communiter: sicut Apostoli postea vixerunt: &
recipiebant septuaginta duos libros: & dicebantur Pha-
risæi, à Phares filio Iudæ: & interpretantur diuisi. Sadu-
cæi viuebant sicut Prophetæ vixerant: non tamen reci-
piebant Prophetas neque credebant, nec alios libros ni-
si penthateucum, & non credebant resurrectionem fu-
turam, neque angelum, neque spiritum: nisi solum
Deum & sicut inter nos sunt monachi & canonici: & ta-
men de vna gente Francorum sunt, similiter erant apud
ipsos. [*Erant autem inter se discordantes.*] Sed tunc in
Domini temptatione concordarunt: sicut Herodes &
Pilatus in Domini passione amici facti sunt. Vsque tunc
interrogauerunt Pharisæi (quia ipsi fortiores erant &
plures) Dominum, putauerunt se comprehendere eum,
non potuerunt. [*Accesserunt Saducæi qui interpretantur* G
*iusti, à quodam Iudæo qui Saducæus dictus est, qui auctor
huius sectæ fuerat, qui dicunt non esse resurrectionem.* Di-
cebant enim: *Quare debemus credere resurrectionem, cum
dominus per Mosen nihil indixerit: cum alia omnia bona
per ipsum mandauerit?*] Magister Moyses dixit. *Si quis
mortuus fuerit non habens filium, ducat frater eius vxo-
rem illius, & suscitet semen fratri suo.* Hæc idcirco præce-
pit Deus, vt multiplicaretur populus ipse, quem ipse
propter Patriarchas amabat, vt impleret terram, quia
tunc ex maxima parte sine hominibus erat. [*Erant apud
nos septem fratres: & primus vxore ducta defunctus est.*]
Potuit ita esse in gente eorum. Nam legimus aliquos in
gente eorum duodecim mulieres habuisse: & quasdam
decem viros habuisse, qui resurrectionem corporum non
credebant. Recte istiusmodi fabulam confingunt quà de-
liramenti arguant eos qui resurrectionem asserunt corpo-
rum. [*Similiter duo & tres vsque ad septem: nouissime
omnium & mulier defuncta est.*] Turpitudinem fabulæ op-
ponunt vt resurrectionis denegent veritatem. [*Respondens* H
autem IESVS *ait illis. Erratis nescientes scripturas, neque
virtutem Dei.*] Nunquam tam grauiter respondit Phari-
sæis: quia illi rationis aliquid habebant, isti autem nihil.
Erratis in secta vestra, nescientes scripturas, neque vir-
tutem Dei: quia respuistis Prophetas & non intelligitis
penthateucum neque virtutem Dei, id est me qui sum
virtus patris, & sapientia patris. Ideo erratis, quia scri-
pturas ignoratis: ideoque etiam virtutem Dei id est
Christum non agnoscitis. Non solum enim de Deo non
potest esse sapiens qui scripturas nescit: sed nec de mun-
danà sapiens esse potest perfecte absque notitia scriptura-
rum. [*In resurrectione etenim neque nubent neque nubentur:
sed sunt sicut angeli Dei in cælo.*] Interpres huius Euan
gelij inuenit in Græco verbum actiuum & passiuum cum
neutrale verbum sit & ad solas fœminas pertineat. Est
autem rectus sermo locutionis neque nubent, neque du-
cent vxores. Fœminarum est enim nubere, id est caput
velare. Hic autem nubere dictum est, nubi de fœminis.

A Apparet autem in hoc dicto: neque nubent neque nubentur, quod resurgent corpora quæ nubere possunt: sed est alia causa pro qua non faciant. [*Sed sunt sicut Angeli in cælo.*] Videlicet post quam resurrexerint non subiacebunt his passionibus corporeis: non manducabunt neque bibent, neque nubent, & tamen habebunt corpora sicut Dominus habuit corpus quod potuit manducare, sed non indiguit neque delectauit: sed propter veritatem resurrectionis demonstrandæ manducauit. Erunt sicut angeli Dei in cœlo cum gloria resurrectionis innouati: absque vlla labe corruptionis perpetua visione Dei fruentur. [*De resurrectione autem mortuorum non legistis quod dictum est à Deo dicente vobis: ego sum Deus Abraham & Deus Isaac, & Deus Iacob?*] Legerant Domine: sed non intellexissent, nisi exposuisses. Potuit namque Dominus satis manifestiora testimonia proferre de resurrectione, de Prophetis: è quibus vnum est: Suscitabuntur mortui, & resurgent mortui de sepulchris. Et illud: multi
B dormientium de terræ puluere consurgent, alij in vitam æternam, alij in opprobrium & confusionem æternam. Veruntamen sicut dixi, non curabunt de dictis Prophetarum nisi in Moysi dicto eis demonstretur. Proinde de illo libro quem ipsi recipiebant, inde dandum erat testimoniũ. Non est Deus mortuorum sed viuentium. Quando Deus ista loquebatur iam erant trecenti anni quod Abraham, Isaac & Iacob obierant. Et si anima interiisset cum carne, non diceret Dominus ego sum. Si non essent adhuc in anima viuentes: sed diceret, ego fui illorum Deus quando illi fuerunt. Nemo enim dicit de illo qui non est, ego Dominus illius: quia illi animam esse post mortem corporis denegabant, ostendit eis Dominus viuere illos, de quibus dicebat: *Ego sum Deus illorum.* Et quia animæ eorum viuebant constat quod & corpora resurgent, & recipient bona siue mala quæ gesserunt simul cum viuerent. [*Et audientes turbæ: mirabantur in doctrina eius.*] Mirabantur turbæ: quia multi anni fluxerunt: quod ibi non intellexerant nec Pharisæi nec Saducæi
C quicquam de resurrectione: nec poterant per multos annos illos conuincere Pharisæi per illos quinque libros, quod anima post mortem viueret. Sed ille sciebat qui locutus Moysi fuerat, quo sensu ipsum verbum dixisset.

CAP. LV.

Quomodo Pharisæi interrogant Deum de primo mandato.

PHarisæi autẽ audientes quod silentium imposuisset IESVS *Saducæis conuenerunt in vnum.* Et iterum conuenerunt in vnum: & elegerunt sapientissimum de suis. [*Et interrogauit eum vnus ex eis legis Doctor tentans eum & dicens. Magister, quod est mandatum magnum in lege.*] Quia discere volebat, ob hoc magistrum, vocabat: quia
D sic est consuetudo discipulorum. *Quod est mandatum magnum in lege.*

Dicam vnde & iste hoc voluerit interrogare. Erat autem inter Iudæos quæstio: quia Sacerdotes qui volebant holocausta recipere frequenter dicebant quod nulla actio tam grata esset Deo quam sacrificium ei offerre. Illi vero qui sapientes erant considerabant quod siue oblationibus hostiarum multi Patriarchæ placuerunt Deo: & à Prophetа edocti, malle Deum scientiam sui vnumquemque habere, quam holocausta. Nemo autem vnquam absque fide & dilectione per holocausta sola Deo placuisse inuenitur. In qua sententia se fuisse declarauit. Hac de re iste interrogat quod sit maximum & præcipuum mandatum, quod Deus plus delectetur. [*Ait illi* IESVS. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua.*] Primum ergo omnino & maximum mandatum est cognitio atque confessio diuinæ vnitatis, cum executione bonæ operationis. Nec nobis ponitur modus aut mensura in Dei dilectione, sed ex toto corde quantum capere po-
E test anima & quantum cogitare cor, atque mens suggerere, in cogitatione, in locutione, opere absque vllius comparatione Deum diligamus. *Hoc est maximum & primum mandatum.* Nunc apertius ostendit, quid ille interrogauerit, hoc est ante omnia & super omnia mandata, istud collocandum fundamentum pietatis. [*Secundum autem simile est huic. Diliges proximum tuum sicut teipsum. In his duobus mandatis tota lex pendet & Prophetæ.*] Adiungit Dominus ad hoc quod interrogatus fuerat, quia illud priorum non potest fieri sine isto, quia ipse Deus præcepit diligere proximum sicut seipsum. Illud maximum & præcipuum est, istud tamen prius, quia qui non diligit proximum quem videt, Deum quem non videt quomodo potest diligere? Per dilectionem proximi peruenitur ad dilectionem Dei. Et qui ista duo præcepta adimplet omnia quæ lex & Prophetæ mandauerunt adimplet. Qui enim diligit Deum, non adorat Deos, non assumit nomen Domini in vanum & reliqua quæ ad cultum Dei perti-
F nent. Qui diligit proximum, non occidit nec mœchatur non furatur, non dicit falsum testimonium, non concupiscit rem proximi sui, quia omnia ista in proximis committuntur, & tali modo, seruatur charitas. Et de hoc dictum est per Prophetam. *Verbum breuiatum faciet Dominus super terram.*

CAP. LVI.

Dominus interrogat Pharisæos.

COngregatis autem Pharisæis interrogauit eos IESVS *dicens. Quid vobis videtur de Christo, cuius filius est?*] Quia Pharisæi semper parati erant ad commouendas quæstiones, cognouerunt aliquando quod & soluere omnia poterat: & etiam proponere quæ ipsi soluere nequirent. Interrogat ipsos Dominus de illo quem dicebant venturum (quia præsentem nolebant credere) cuius filius
G esse debeat. Si potuissent scire sequentia, dixissent sicut dixerunt de Ioanne, quod nescirent. [*Dicunt ei Dauid.*] Quia habent scriptum dictum Domini ad eum. De fructu ventris tui, ponam super sedem meã: idcirco nouerant. [*Quomodo ergo Dauid in spiritu vocat eum Dominum.* In Spiritu sancto, non erroris in certo nec propria voluntate: sed in Spiritu sancto prophetando vocat eum Dominum suum dicens. [*Dixit Dominus Domino meo sede à dextris meis.*] Prophetauit Dauid de Ascensione Domini Christi quod is qui de sancta Maria natus est supra Angelos & omnem creaturam eleuatus ad dexteram Patris collocatus est & deitatis honorem quam ante habuit per diuinitatem habere cœpit per humanitatem. Et quia Iudæi dedignabantur credere Christum Deum & hominem, propterea intelligere nequibant. Quod autem à Patre inimici subiiciuntur, non infirmitas filij ostenditur, sed vnitas naturæ demonstratur. Nam & filius subiicit Patri inimicos, qui patrem clarificat super terram. [*Sede à dextris meis.*] Gloriam & stabilitatem debemus accipere in ista
H sessione. Quia enim filius assumptus de sancta Maria Patris fecit voluntatem, recte ei in Ascensione à Patre dicitur. *Sede à dextris meis.* Victor in gloria. *A dextris* non locum significat sed æqualitatem. *Donec*, hic pro semper ponitur, vt illud. *Donec senescatis ego sum Deus.* Quasi diceret. Sede quia subiiciuntur inimici sub pedibus tuis. Pedes enim Domini vel Incarnatio, vel Apostoli intelliguntur. [*Et nemo poterat respondere ei verbum.*] Tunc oequiter confusi suor, quia nec Psalmi verbum dissoluere quiuerunt. Post Domini vero ascensum cum similiter alij de ipso verbo confutarentur, inuenerunt, quod Melchisedech dixisset hoc ad Abrahã reuerso de bello. Quod non potest ita intelligi, quia sequens versiculus cõtradicit. *Tecum principium in die virtutis tuæ & reliqua.* [*Neque ausus fuit quisquam ex illa die amplius eum interrogare.*] Nunc pro certo agnouerunt Iudæi, quod verbis nullus posset eum capere, quia sicut fons sapientiæ loquebatur, & comprehendebat sapientes in astutia eorum. Iam in reliquo corruperunt discipulum illius pecunia, vt proderet

A deret eum sine turbis. Et comprehendentes eum cum vi traderent Romanæ potestati. Ex quo intelligitur venena inuidiæ posse superari, sed difficile conquiescere. Reprehendit Dominus multa in Pharisæis. [*Tunc Iesus locutus est ad turbas, & ad discipulos suos dicens, Super Cathedram Moysi sederunt scribæ & Pharisæi.*] Cathedram hic magisterium & doctrinam appellat. Hoc est illum locum & illud magisterium sibi vendicant, quod Moses quondam habuit super populum in deserto. Similiter possumus & ibi doctrinam accipere vbi dicit, & in Cathedra pestilentiæ. Et cathedras vendentium columbas euertit. [*Omnia ergo quæcunque dixerint vobis facite & seruate.*] Mira patientia Dei, quia illi agebant erga eum vt nequius poterant, & tamen ille propter Sacerdotij dignitatem hortabatur populum vt bona quæ ab eis audiebant tenerent: à malis vero eorum actibus se custodirent. Omnia, subauditur bona: quia cum legebantur scri-
B pturæ, non audebant aliud dicere quam bona, propter populum, quia omnes litteris eruditi erant. Multis itaque prosunt dicendo quod non faciunt, sed multo melius prodessent, si facerent quæ dicunt. [*Alligant autem onera grauia & importabilia, imponunt in humeros hominum, digito autē suo nolunt ea mouere.*] Onera, hic præcepta & cōsuetudines eorum quæ & doctrina sua extrahebant dicuntur. Ob hoc debemus illam subauditionem superius dictam seruare: omnia bona quæ dicunt sicut & illo verbo Apostoli. *Omnia probate, si inueneritis bona esse, tenete.* Ecce hic dicitur. *Alligant onera grauia & importabilia,* quia importabilia omnia facienda sunt, si ipsi alligantur *Alligant* dicitur. Alligate vnumquemque iubent. Per metaphoram & allegoriam, & onera & alligatio, & humeri & digiti dicuntur, more oneris. Quod sicut illud alligatur & imponitur in humero ad portandum, & solet is qui unus imponit adiuuare imponenti, ita isti vt crudeles inueniunt ex sua inuentione præcepta quæ ipsi nec ore nec momento custodiunt, sed aliis præcipiunt obseruanda de oblationibus & obseruationibus suis. Qui rector
C est in Ecclesia: primum debet implere quæ implenda præcipit. *Omnia vero opera sua faciunt, vt videantur ab hominibus. Non quærunt a Deo retributionem, sed ab hominibus laudationem. Quicunque ita aliquid boni facit vt isti: totum perdit. Dilatant enim philacteria sua.* [Cum Deus legem per Mosen dedit, dixit ad patres eorum. *Erunt hæc in manu tua & ante oculos tuos* videlicet in memoria & operatione. Et illi hoc male intelligentes fecerunt sibi in membranis decem verba legis & circumdabant capita sua de eis, & vocabant ea Græco nomine Phylacteria, id est custodias: quia *phylaxe* Græcè, Latinè *custodire* dicitur. Et tunc qui plus gestiebat laudari, maius faciebat ipsum phylacterium: vnde dicit Dominus. [*Dilatant enim phylacteria sua & magnificant fimbrias.*] Similiter iusserat Dominus fieri fimbrias iacinctinas in quatuor palliorum angulis: vt esset discretio inter populos Israel, & alienigenas, & in corporibus circumcisio: & in vestimentis fimbriæ: vt si quando in bellum
D venirent, videntes fimbrias se cognoscerent: & scirent quem debellare deberent. Mortuos autem ex circumcisione scirent, quem spoliare deberent quia in bello frequenter amittit caput mortuus, illud membrum nunquam. Fuerunt ergo illæ fimbriæ conuenientes in bello: quia & leuiter homo eas inuenire poterat & non decidebant sicut ramusculi, quos solent portare in bello quod ob signum de nostris faciunt. Ergo Iudæi adinuenerunt sibi in illis fimbriis vt mitterent ibi spinas, quasi cum compungerentur rememorarent custodiam legis Dei. Verumtamen mulier quæ tetigit fimbrias Domini, non inuenit ibi spinas. Similiter faciebant illas maiores, qui magis laudari cupiebant. [*Amant autem primos recubitus in cœnis.*] Recubitus fiebat apud antiquos principes in cœnis in tribus partibus dextera & sinistra & retro, vt cum saturatus esset accumberet in qua parte ipse vellet: & triclinium vocabatur. [*Redarguuntur, qui amant & quærunt per hypocrisin ipsas Cathedras, & salutationes in foro.*] Id est in publico. Non dixit qui habent istos honores iniste, sed voluntas & hypocrisis condemnatur. [*Vos autem*

E *nolite vocari rabbi.*] Eo modo quo superiora prohibentur Tamen debemus agnoscere, & summum magistrum omnis doctrinæ, & patrem nostræ auctoritatis, per quem creati sumus illum qui in cœlis est: quia & ista tunc præcipiebant. Non enim prohibuit isto modo patrem vocare: quo præcepit patrem & matrem honorare, sed volebat vt verum magistrum patrem auctorem generis humani vnusquisque agnosceret & ad animum dirigeret. Nam si vocamus nos aliquem patrem, honorem ætati deferimus: non tamen auctorem vitæ nostræ deputamus, sed Deum. Similiter de magistro vel de filio appellantur abusiue, Deus autem naturaliter. [*Qui maior est vestrum, erit minister vester.*] Vel ipse Dominus qui maior erat, quia Deus non venerat ministrari, sed ministrare. Seu ipsius præcepto vt qui vult maior fieri, seruiat cæteris. [*Qui autem se exaltauerit in hoc sæculo, humiliabitur in futuro. Et quod se humiliauerit propter Deum in hoc seculo, exaltabitur in futuro.*] Quos Deus omnipotens amat,
F si viderit eos exaltari irrationabiliter per superbiam, humiliat eos per aliquam tribulationem, vt fecit Dauid: quem de regno expelli permisit, & humiliato, in regno residere fecit. Et Ezechiam quoque: cui elato regem Assyriorum dominari permisit, in tantum vt valuas templi Domini & laminas argenteas, quas ipse affixerat regi Assyriorum daret: & clausis in ciuitate nuncius eius, dura respondere non auderet: & tamen ibi erat S. Esaias Propheta. Iterum humiliato centum octoginta quinque pro eo occidit de exercitu eius: & cum decem hominibus fugit de terra eius, & in sua terra occisus est à filiis suis. Sic multos alios dilectos Deus castigauit. Quosdam videt ex toto terrena diligere, & præponere æternis: permittit exaltari, vt post sine fine crucientur: vt fuerunt multi reges & Tyranni Assyriorum & Græcorum & Romanorum. Quosdam vero nimia superbia incedentes in hoc seculo humiliat & in futuro: vt Nabuchodonozor, Sennacherib, Valerianum Imperatorem quem Sapor rex Persarum ita humiliauit, vt quandocunque in equum
G suum ascendere vellet, ipse acclinis fieret, & de dorso eius equum ascenderet. Herodes quoque quia permisit se Dominum vocari à populis, comestus per quinque dies à vermibus expirauit. Quam superbiam timentes antiqui Imperatores Romani: licet pagani essent, constituerunt vt Imperator cum ornatus esset regalibus ornamentis ad sinistram manum apprehenderent in folliculo puluerem mortui hominis: vt memoraret se cinerem post paululum futurum: & non super cæteros se extolleret. [*Eligat qui voluerit vnum ex istis tribus. Eligo ego humiliari cum mitibus modo, quam diuidere spolia cum superbis. Væ autem vobis scribæ & Pharisæi Hypocritæ: qui clauditis regnum cælorum ante homines.*] Væ interiectio est dolentis: & significat ploratum æternum. In hoc loco in quo ipsi sunt quibus ista prophetauit. In scribis intelliguntur & Saducæi, & Sacerdotes, & Pharisæi, & principes popoli: quoniam à Phares filio Iudæ Pharisæi dicebantur: quia propter tribum Iudam vocabantur Pharisæi: quamuis omnis qui eandem sectam tenebant Pharisæi vocabantur: vt
H Paulus dicit. Viri fratres, ego Pharisæus sum: cum esset de tribu Beniamin. Hypocritæ vocantur, id est simulatores, pro causis superius exprobratis, male interpretando. [*Qui clauditis regnum cælorum.*] Id est scripturam diuinam clauditis: vel celando quod eos debetis docere: & pro inuidia celatis nolentes vt in me credant. Et omnis magister qui cum doctrina bona malum exemplum discipulo præbet regnum cœlorum ei claudit. Scriptura enim diuina regnum cœlorum dicitur: quia ibi inuenitur vnde rex cœlorum regni cognoscitur: & vita æterna Vnde superius Dominus dixit: *Auferetur a vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius.* [*Vos enim non intratis.*] Ecce de vobismet ipsis tei: quia scitis bonum & non facitis, nec introeuntes sinitis introire. Ostendit Dominus quia multi volebant illum agnoscere per scripturas, sed ipsi dicebant. A Galilæa non exurget Christus: & tamen audiebant multos inuocantes illum filium Dauid: qui non fuerat de Galilæa sed de Bethlehem: vnde & S. Maria. [*Væ vobis.*] Subauditur imminet. [*Qui*

circumitis

circumitis mare & arida, vt faciatis vnum proselitum. Proselitus dicebatur Græcè aduena: quia de alia gente ad legem ipsorum conuertebatur, vt fuit Iethro & Achior & multa milia virorum fuerunt, qui de gentibus circumcisi fuerunt, & Deum cœli crediderunt. Iudæi quoque abibant per alienas terras prædicare nomen Domini: sicut multi Christianorum fecerunt post aduentum Domini. Isti autem iden culpantur quia lucri causa hoc faciebant non amore Domini: & quia post destruebant factum suum per malum exemplum. Quod dicit mare, insulasque dicit quæ in mari sunt. [*Et cum factus fuerit, facitis eum filium gehennæ duplo quam vos.*] Quia qui ante semel errabat, cum videbat malum exemplum eorum reuertebatur ad vomitum suum: & erat dignus tunc plagis vapulare multis: quia seruus sciens voluntatem Domini sui, & non faciens digna, vapulabit plagis multis. Filij autem gehennæ dicuntur, sicut & filij seculi: quia cuius opera facit quis, eius filius & vocabitur. [*Væ vobis.*] Subauditur imminet. [*Duces cæci.*] Secundum terrenam & corpoream cæcitatem nullus non habens lumen oculorum, vult alium ducere. Multi autem cæci in animo, id est insipientes volunt duces fieri: qui nesciunt ipsam viam ambulare nec aliis demonstrare. Et sunt qui sciunt, sed ipsi non ambulant; nec aliis ostendunt vt ambulent. [*Qui dicitis, quicumque iurauerit per templum est, nihil & qui iurauerit in auro templi, debet.*] Etiam in hoc loco habebant Iudæi inuentum, vt quicunque iuraret contra proximum suum pro aliqua pacificatione per templum: etiam si mendacium iuraret, nullius criminis tenebatur. Si autem in auro iurasset templi, mendacium cogebatur persoluere. Similiter si in altari iurasset, nihil debebat. Si vero in dono quod super altare erat periurasset, tantum cogebatur exoluere Sacerdotibus quantum ipsum donum erat. Propterea quia illud ipsi recipiebant, dicebant quoniam peccatum periurij esset. De templo autem & altaris periurio: quod ad templi restaurationem pertinebat, dicebant non esse periurium. Quod approbat Dominus, quia per templum & altare sanctificantur omnia quæ intra sunt. Per cœlum iurare iam supra prohibuit. [*Væ vobis Pharisæi & scribæ, qui decimatis mentam & anetum & ciminum: & reliquistis quæ maiora sunt legis.*] Apparet quia Deus Hypocritas satis odit, quod toties Iudæis improperet. Quod dicit: quia decimatis mentam & anetum ciminum: ostendit per istas viliores herbas in hortis quod expresse decimas accipiebant de omnibus laborantibus: iudicium & misericordiam & fidem negligebant. Non autem ideo eis væ minabatur quod decimabant & tam minora: sed ideo quia relinquebant quæ Dei erant propter quæ decimas accipiebant, id est iudicium facere oppressis, aut exigere ab his quæ facere debeant. Misericordiam similiter negligebant sicut ipse in parabola vulnerati ostendit, quod transierit Sacerdos & leuita, & viderunt vulneratum, & non solum non misericordia moti sunt, sed grauius illum reliquerunt, quia noti erant & non adiuuerunt, & idcirco similes latronibus extiterunt, quia qui periuro non subuenit si potest, occidit. De fide culpat illos: quod his quibus fidem debebant seruare, non custodirent: Primo Dominum vt Deum & creatorem: deinde patri & matri: postmodum omnibus Deum colentibus: quoniam ipsi appellantur proximi. Veruntamen non culpantur si accipiunt decimas sicut in consequenti dicit: sed quia dimiserunt ea quæ Dei sunt & proximi iudicium & misericordiam & fidem, & quæ grauiora sunt legis hoc est præcipua. Sacerdotum est enim & legem Domini in populis adnunciare, & eos qui errant ad legem reducere. Hoc oportuit facere, id est iudicium & misericordiam & fidem, & ea quæ ad hoc pertinent, & illa non omittere, decimas accipere. Videant magistri Ecclesiarum qui habent simile ministerium in populis, & tenent prædia Ecclesiarum ne similes illis fiant si tacuerint populis vitia sua. [*Duces cæci excolantes culicem, camelum autem glutientes.* [Per culicem quæ est musca aculeo minuta (habent enim in ore fistulam in modum stimuli, qua carnem terebrant vt sanguinem bibant) minora mandata intelliguntur. Per camelum animal tortuosum & deforme, maiora mandata. Excolare humano more, est ita ad liquidum deducere vt per setas transire possit. Excolare culicem, de minoribus mandatis diligenter tractare, id est de decimis vel de malis verbis. Camelum glutire maius mandatum, iudicium & misericordiam & fidem in tractatum vel in obliuionem dimittere, seu spiritaliter culicem liquantes, camelum glutientes: Barrabam eligentes, Christum autem occidentes. [*Væ vobis scribæ & Pharisæi Hypocritæ, quia mundatis quod de foris est calicis & paropsidis.*] Calix vas poculi dictus: eo quod in eo calida dabatur portio, vel ἀπὸ τοῦ κύλικος calino, id est à ligno. Paropsis vas poculi quadrilaterum, hoc est paribus absidis. Et per ista vascula ipsorum Pharisæorum corpora intelliguntur, quod ipsa corpora à foris nitida reddebant, & intus pleni erant vitiis. Vnde dicit: [*Intus autem pleni sunt rapina & immunditia.* [Rapina est quocumque malo ingenio à proximo rem suam auferre. Immunditia, qua quisque vitio cor babet maculatum. Qui contrarij sunt his, de quibus dicitur: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Et immunditia omnis fornicatio accipitur. O cæce Pharisæe, munda prius quod intus est calicis & paropsidis, vt stat quod de foris est mundum. Ipse ostendit superius quæ maculent hominem de corde procedentes. Cogitationes malæ, homicidia, periurium, & reliqua his similia. Nam si ista defuerint mundus erit homo in conspectu Domini. [*Væ vobis scribæ & Pharisæi Hypocritæ: quia similes estis sepulchris dealbatis*] Sepulchrum à sepulto dictum. Prius enim vnusquisque in domo sua sepeliebatur: postea vetitum est legibus: quia fœtore ipso corpora viuentium interficiebantur. Pro quare in ciuitatibus similiter prohibitum est sepeliri. Diuersis verbis arguit Pharisæos per Hypocrisin. Quos ante per vascula, nunc per sepulchra redarguit, & dicit quod similes sint sepulchris quæ erant a foris dealbata de calce & marmoribus ornata, & picta coloribus: intus autem plena erant omni sputcitia, id est immunditia. Apud antiquos aliarum gentium grande studium fuit monumenta patrum ornare: quod & in monumentis Romanorum adhuc apparet: & in Machabæorum libro legimus. Sed occidentalis paupertas, orientalibus diuitiis comparata nihil est. [*Væ vobis scribæ & Pharisæi qui ædificatis sepulchra Prophetarum.*] Et istis væ futurum Dominus denunciat, non quia sepulchra & monumenta ædificant iustorum & Prophetarum: sed quia sic certi sunt male fecisse patres suos, occidisse: bonos in tantum sciant illos bonos fuisse vt ipsi monumenta eorum ædificant. Et cum hoc pro certo sciant eadem voluntate tenentur, & filij sunt homicidarum: non solum carne, sed imitatione. Potest & alio modo intelligi, quod idcirco ædificabant monumenta iustorum vt notum fieret aliis qui illos occidere potuerint & potentes fuerint: quia & ipsi quod dicebant, si fuissemus in diebus patrum nostrorum non essemus consentientes operibus eorum, iactando & subsannando dicebant. [*Et vos implete mensuram patrum vestrorum.*] Ipsam mensuram quam illi non compleuerunt, sed incœperunt: vos implete. Illi occiderunt seruos, vos occidetis Dominum: illi Prophetas, vos Dominum Prophetarum vel Apostolos eius. [*Serpentes genimina viperarum.*] Sicut vipera parentes suos occidit, similiter illi fecerunt, & vos facietis. [*Quomodo fugietis a iudicio gehennæ*] Quomodo fugietis, id est quia talia operamini: à iudicio gehennæ? Hoc est quod Ioan dixit: *Ab ira ventura,* scilicet ab inferno: vbi omnes mittendi sunt qui talia operantur. [*Ideo ecce ego mitto ad vos sapientes & scribas, & ex illis occidetis.*] Ideo, subauditur dico vobis Quia vos ita estis facturi. Mittam ad vos sapientes & scribas, doctos in lege veteri & in noua. Et ex illis occidetis: vt Iacobum fratrem Domini & Stephanum. [*Et crucifigetis:*] vt Simonem filium Cleophæ Hierosolymorum Episcopum. [*Et ex eis flagellabitis in synagogis vestris.*] Vt omnes Apostolos fecistis: quando ibant à conspectu concilij gaudentes. [*Et persequemini de ciuitate in ciuitatem, vt veniat super vos omnis sanguis iu-*

stus

A *stus, qui effusus est super terram.*] Non omnes iostos Iudæi interfecerunt: quia nec erant quando Abel occisus est. Sed sicut iam dixi, omnes mali de vna generatione esse dicuntur, sicut & omnes iusti de alia. Denique cum Psalmista multos de diuersis gentibus describeret qui montem Domini ascensuri essent dicens. Innocens manibus & mundo corde : & reliqua. Hæc est generatio quærentium Dominum. Similiter ergo Iudæi quia occiderunt parenter suos Prophetas, de Cain progenie esse dicuntur: & cum ipso pœnas subibunt æternas qui fratrem suum interfecit. [*A sanguine Abel iusti, vsque ad sanguinem Zacharia.*] De Abel nota est historia omnibus. Zacharias fuit filius Ioiadæ Sacerdotis. Qui Ioiada accepit Ioas paruulum infantem, cum interficeret Athalia regina semen regium, vt regnaret ipsa. Quia mortuus erat vir eius & filius eius & abscōdit ipsum Ioas per annos septem. In septimo anno eleuauit eum regem, & iussit occidere reginam. Igitur quando Ioiada vixit, fecit Ioas quæ Deo erant placita: Cum autem Ioiada defunctus esset accepit Rex malos consiliarios & dereliquit Deum, & misit ad eum Dominus Prophetas & non audiuit eos. Tunc venit ad eum filius Ioiadæ iste Zacharias: & dixit ad eum sicut scriptum est in libro Paralypomenon: inquit. *Hæc dicis Dominus. Quare transgredimini præceptum Domini quod vobis non proderit : & dereliquistis Dominum, vt derelinqueret vos?* Qui congregati aduersus eum, miserunt lapides iuxta regis impetum, in atriis domus Domini. Et non est recordatus Ioas Rex misericordiæ quam fecerat Ioiada pater suus secum, sed interfecit filium eius. Qui cum moreretur ait: *Videat Deus & requirat.* Cumque reuolutus esset annus ascendit contra eum exercitus Syriæ: venitque in Iudæam & Hierusalem, & interfecit cunctos principes populi. Et cum peruenisset modicus numerus Syrorum tradidit Dominus in manus eorum infinitam multitudinem, eo quod reliquissent Dominum. In Ioas quoque ignominiosa exercuere iudicia, & abeuntes dimiserunt eum in languoribus multis. Surrexerunt autem contra eum serui sui, in vltionem sanguinis filij Ioiadæ Sacerdotis, & occiderunt eum in lecto suo. Tali modo occisus fuit iste Zacharias inter templum & altare, id est in vna exedra thesaurorum, siue iuxta Gazophylatium. Quod autem Dominus filium Barachiæ eum nominat pro laude ipsius Sacerdotis facit, qui per omnia Barachias studuit esse, id est benedictus Domini: hoc enim interpretatur. Notandum autem quod iste Ioiadas cum esset summus pontifex reginā iussit occidi. [*Amen dico vobis venient hæc omnia super generationem istam.*] Ac si dicat. Venient hæc omnia quæ digna sunt venire super talibus qui talia fecerunt. [*Ierusalem : qua occidis Prophetas, & lapidas eos qui ad te missi sunt.*] Ierusalem, Ierusalem vocatiui casus sunt, quamuis indeclinabiles. Et non debet habere aspirationem in capite, quia non potest aspirari quod in loco consonantis est, nec apud Græcos habet aspirationem. Quasi dicat: *ô Ierusalem qua occidis Prophetas ad te missos, & lapidas:* quia ego volui frequenter congregare filios tuos sub alas meæ defensionis: vt Gallina congregat filios suos, & noluisti. [*Cessasti à malis operibus : etiam ipsi qui videbantur congregati dispergentur. Et relinquetur domus vestra : in qua vos habetis fiduciam, deserta.*] Per Ierusalem habitatores alloquitur: & est species metonomia, per hæc quod continetur ostendens. Quotiens, multotiens, frequenter ostendit quod Prophetas ipse miserit. Quemadmodum Gallina. Magnam pietatem ostendit se operatum erga populum Iudæorum qui Gallinæ infirmanti erga pulos suos se assimilat quia nulla auis sic infirmatur erga filios sicut Gallina: ita vt si pullus non videas, matrem tamen intelligas. Et nullus est qui possit Dei pietati comparari. Ipse enim in sola pietate sua seipsum exinaniuit formam serui accipiens, in. similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo. [*Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta.*] Ecce aduerbium demonstrantis: quia iam instabat tempus: quo erant ipsum occisuri, & Dei custodia ab eis recessura & illud templum in proximo contempturum: & non post multum incensurum & ciuitas deleturа. Quod factum est quadragesimo secundo anno post eius ascensionem in cœlum. Et ante per Ieremiam ex persona Domini dictum fuerat. Reliqui domum meam: dimisi hæreditatem meam: facta est mihi hæreditas mea quasi spelunca Hienæ. Hiena bestia est quæ semper in sepulcbris mortuorum habitare solet. Et huic bestiæ comparantur recte Iudæi: qui frequenter Dominum derelinquebant & ad idola conuertebantur. De quibus scriptum est. Quia non est spes in ore eorum similes illis fiant qui faciunt ea. [*Dico enim vobis, non me videbitis amodo, donec dicatis. Benedictus qui venit in nomine Domini.*] *Ad hoc quod dixerat, quotiens volui congregare filios tuos.* Ad hoc respicit, non me videbitis erga vos in tali voluntate, vt velim congregare filios vestros, donec agatis pœnitentiam: & cognoscatis quia ego sum de quo dictum est in Psalmo. Benedictus qui venit: Adhuc sunt in tali tenore. Veniet Enoch & Elias, & cognoscent: & tunc congregabuntur sub alis, & sub protectione Domini. Nam aliter non potest bene intelligi iste versiculus: quia corporali specie ad eos reuersus est: quando Pascha celebrauit: & iterum quando ligatus adductus est ad crucifigendum. [*Et egressus de templo ibat.*] Ibat iterum ad hospitium suum, sicut solitus erat in Bethaniam. [*Et accesserunt discipuli eius, vt ostenderent ei ædificationes templi.*] Quæ causa fuit vt discipuli ostenderent ædificationes templi, quas ipse iam per triginta tres annos videbat? Ab eo loco acceperant occasionem quo ipse dixerat, ecce relinquetur vobis domus vestra deserta: & volebant scire quo sensu illud Dominus dixerit: si potuisset fore: vt talis ædificatio deserta foret. (*Ait illis: Videtis hæc omnia.*) Id est miramini ista. (*Amen dico vobis, non relinquetur lapis super lapidem, qui non destruatur*) Non solum de templo ita factum est, sed & de ciuitate: quia in alium locum ab Ælio Adriano Imperatore omnia reædificata sunt: & in illum locum vbi illa fuerat sal seminatum est, ne quis deinceps manere vellet. Si spiritaliter etiam velis aduertere: habitatio Dei recessit à Iudæis, & venit ad gentes. Et capite sublato, omnia membra inter se compugnant. [*Sedente autem eo super montem Oliueti, accesserunt ad eum discipuli eius secreto dicentes.*] Quia secretiora erant interrogaturi mysteria, recte accesserunt & corpore & mente: ne quis infidelium audiret & Iudæis nunciaret, & esset occasio occidendi eum: qui pro minoribus dictis Esaiam & Ieremiam Prophetas occiderunt. Primitus cum non intellexerunt quod dixerat: relinquetur domus vestra deserta, non fuerunt ausi interrogare quo animo dixerit, sed ostenderunt ei lapides & structurao: volentes ei præbere occasionem dicendi quod ante dixerat. Cum vero ipse manifestius eadem replicauit: iam audent interrogare secretiora aduentus sui, & finis seculi.] *Dic nobis, quando hæc erunt: & quod signum aduentus sui, & consummationis seculi.*] In quibus & de aduentu suo & de consummatione seculi scire volunt. Et Dominus in subsequentibus de istis omnibus respondit, & dixit eis: [*Videte, ne quis vos seducat.*] Pius Dominus in principio ipsos castigat vt se custodiant, ne seducantur ab aliquo Pseudopropheta. [*Multi veniunt in nomine meo dicentes, ego sum Christus, & multos seducent.*] E quibus fuit vnus Simon qui dixit: quod ipse esset Christus: etiam in conspectu Neronis. Reliquit etiam scriptum in suis libris ita. Ego sum Dei sermo: ego sum speciosus: ego sum paraclytus: ego omnipotens: ego omnia Di. [*Audituri enim estis prælia & opiniones prœliorum, videte ne turbemini.*] Multa prælia audierunt & inter Romanos & inter alias gentes, & opiniones, id est famas præliorum. Præcepit tamen ne turbentur, sed teneant fortitudinem animi, inter aduersa & prospera, qui non haberent vnde dolerent, seu quiperderēt, qui omnia habebāt relicta pro Deo iuxta illius Philosophi consilium. Qui cum de Athenis è schola Romam venisset nauigio, negociatores cum quibus veneraт naufragium passi in mari amiserunt substantias suas. Ille vero qui nihil habebat præter simplex indumentum nō habuit quod perderet extra se. Cumque negociatores Romam venissent, ille venit corā Imperatore, & probaro E F G H

A rex quod sapiens esset, dedit, multa prædia & honores.
Cumque negociatores post multos dies mutuatis preciis
vnde redirent in patriam dicebant ad eum, quid vellet
mandare parentibus & amicis. Ait: *Dicite eis*, quando iter
arripiunt portent thesaurum quod mare & fures non
possint auferre, sicut ego feci qui nihil perdidi, & modo
ditior sum quam illi cum quibus veni: qui diuites exie-
runt & pauperes redeunt. [*Oportet enim hæc primum fieri,
sed nondum est finis.*] Qui legit verba quæ Orosius de bel-
lis collegit per historias expauescere poterit pro tantis
tribulationibus. Ob hoc muniebat Dominus suos, ne
turbarentur & ne putarent instare finem mundi. [*Surget
gens in gentem, & regnum aduersus regnum.*] Et Iudæi
hoc fecerunt tempore Pilati: & Romani etiam ipso die
quo beatus Petrus introiuit Romam erant inter se parati
in bello, sed ob reuerentiam sancti Petri nullus potuit
compari suo nocere: quia obriguerunt eorum brachia,
& sani domum redierunt. Ignorauerunt tamen ob cuius
B meritum saluati essent. [*Et pestilentia, & fames.*] Pe-
stilentia est infirmitas in populo, quæ cum vnum ap-
prehenderit celeriter ad plures transit, sicut factum legi-
mus in tempore S. Gregorij, & tempore Dauid, quando
dicitur Angelus percussisse populum, qui diabolus in-
telligitur. Fit vero ipsa pestis frequenter & in Palæstina
& in Italia. Vnde & bene sanctus Gregorius dicit: *Pe-
stilentias sine cessatione patimur.* Fames multæ tunc
fuerunt, sed vna fuit per totum orbem decimo anno
Claudij Imperatoris, de qua in actibus Apostolorum
legitur. Terræmotus ionumeri illic, & fiebant & fiunt.
Aliquando autem & fiunt Dei iussu pro aliquo signo,
sicut quando Apostoli orauerunt & terræmotus factus
est, vt ostenderet Dominus, quia terreret incredulos,
& defenderet pios. Aliquando fiunt ex euentu,
quod ventus inueniens aditum ingrediens sub terra, &
quia violentus est quærit aditum exeundi: & tali modo
submouet terram. [*Hæc autem omnia initia sunt dolorum.*]
Hæc omnia in Palæstina fuisse legimus, ante subuersam
C prouinciam. Hæc initia dolorum fuerunt quia acerbiora
post venere tormenta. [*Tunc tradent vos in tribulationem,
& occident vos.*] Et de Apostolis, & de Apostolorum
successoribus intelligendum, quoniam quando prouin-
cia Palæstina deleta est, perpauci viuebant de Aposto-
lis. Nullus autem ex illis exierat in Iudæam: Christiani
tamen erant in Iudæa, etiam infra ciuitatem multi fue-
runt non tamen legimus quod ibi mortui fuerint: quia
Romani non prohibuerunt vllum exire: nisi illi ipsi qui
intra ciuitatem erant. (*Et eritis odio omnibus propter no-
men meum.*) Gaudendum odium quod pro Deo suscipi-
tur. Ex qua autem re ipsæ tribulationes venient, osten-
ditur, cum post occisionem Domini, etiam discipulo-
rum prædicitur futura. (*Et tunc scandalizabuntur multi.*)
Siue sument scandalum contra proximos qui Christiani
fiant, siue irascentur Iudæi cum viderint omnes gentes in
Christum credere, quia Iudæis scandalum est, Deum in-
carnatum audire. (*Et inuicem tradent, & odio habebunt
inuicē pagani Christianos. Et multi Pseudoprophetæ surgent.*)
D Pseudo Græcū est & Latinè dicitur *falsus*, vt Theodas &
Iudas Galilæus qui eduxerunt populum post se, dicentes
se esse Prophetas, sed & ipsi perierunt & quotquot eis
consenserunt. (*Et quoniam abundauit iniquitas, refrigescet
charitas multorum.*) Ad Antichristi tempora iste versi-
culus pertinet, quando refrigescet dilectio Christia-
norum & multi dimittent Christianitatem, & conuer-
tentur ad ipsius voluntatem. (*Qui autem perseuerauerit
vsque in finem.*) Subauditur in fide & dilectione Dei. (*Hic
saluus erit.*) *Hic* pronomen est in isto loco. Ille enim sal-
uus in alia vita erit, qui in fide permanserit. (*Et prædica-
bitur hoc Euangelium in vniuerso orbe*) Vnum est signum
de fine seculi, quod tunc esse debet finis seculi: cum
omnes gentes audierint Euangelium regni. (*In testimo-
nium omnibus gentibus.*) Nulla gens est sub cælo quæ
non habeat auditum, & Domini facta, & quod ipse Deus à
pluribus credatur, si nō per prædicatores, tamē per vicinas
gentes. (*Et tunc erit consummatio.*) Nescimus iam gentem
sub cælo in qua Christiani non habeātur. Nā & in Gog
& in Magog, quæ sunt gentes Hunorum. Quæ ab eis Ga- E
zari vocantur. Iam vna gens quæ fortior erat ex his quas
Alexander conduxerat, circumcisa est, & omnem Iudais-
mum obseruat. Bulgarij quoque qui & ipsi ex ipsis gen-
tibus sunt: cottidie baptisantur. [*Cum ergo videritis abbo-
minationem desolationis, quæ dicta est à Daniele Propheta
stante in loco sancto.*] Abbominatio desolationis idolum
vocatur in Danielis libro de qua ipse prophetauit, sicut
& nunc Deus: cum ipsam vidisset in templo cognosce-
rent prope esse desolationem templi & prouinciæ. Quæ &
de imagine Cæsaris potest intelligi, quam Pilatus posuit
in templo ante viginti quinque annos subuersionis vrbis,
siue de equestri statua de Adriani, quā Romani ei fecerāt,
quia ad bellum pergens in via reclamante quadam vidua
stetit cum equo, donec ei iustitiam de oppressore faceret.
Quam cōsules pro pio facto per vniuersas ciuitates poni
iusserunt & ipsa stetit in templo Hierosolymorū ante de-
structionis ciuitatis, quam ipse Adrianus fecit qui secun-
do rebelles Iudæos vltima cæde perdomuit, & in alio
loco ipsam ciuitatem ædificari præcepit, & Eliam voca-
uit, & prohibuit ibi Iudæos ingredi. Et ad Antichristi
tempora potest referri: quia iubebit se adorari pro Deo
omnipotente, etiam mundo: sicut ait Apost. *Sedebit in
templo ostendens tanquam ipse sit Deus quem Dominus*
IESVS *interficiet spiritu oris sui & destruet illustratione ad-
uentus eius.* (*Tunc qui in Iudæa sunt fugiant ad montes.*)
Tunc ad hoc respicit, cum venerint ea quæ prædico. Quis
sic Lucas narrat. *Cum videritis ab exercitu circumdari
Hierosolymam: tunc qui in Iudæa sunt fugiant ad montes:*
videlicet ne includantur in illa obsidione. Nam si illi
qui inclusi fuerint scire pro certo potuissent exitum rei,
nullo modo se inibi clausissent. Hoc vero Euangelio
multi Christianorum edocti: cum viderunt appropin-
quare hostem Romanorum decesserunt trans Iordanem
in regnum Agrippæ & nihil læsionis habuerunt. Etiam
Apostoli iam prope adhuc viuebant. Si spiritaliter velis
scire, potes omnia illa ad hæreses referre & peccata. Quæ
cum videris regnare super eos, qui magistri Ecclesiæ esse G
debent. *Tunc qui in Iudæa sunt.*) Hoc est in confessione
veræ fidei festinent ascendere ad montes virtutum. (*Et illi
qui supra tectum.*) Id est qui transierunt animo Carnalia,
non descendant ad pristinos actus mundanæ conuersa-
tionis. (*Et qui operatur in agro.*) Qui intelligitur Eccle-
sia. (*Non respiciat in retro.*) Ad ea quæ propter Deum re-
liquit, sed tendat semper ad propositam fidem. (*Væ autem
prægnantibus & nutrientibus.*) Quia fugere non valebunt:
sicut legimus de nutrice Miphiboseth. Quæ cum audisset
quod mortuus esset Saul & Ionathas, festinabat fugere
cum infante: cecidit que cum ipso & claudus effectus est.
Legimus etiam quia in ipsa obsidione Maria nobilis &
prædiues quondā fæmina, quæ ante vix valebat incedere
super terram præ nimia teneritudine, in ipsa obsidione fi-
lium suū quinque dies habentē comederit. (*Orate autē ne
fuga vestra in hieme vel in Sabbatho fiat.* Quia in hieme
fugere malū esset, ob frigus. In Sabbatho si fugeret, trans-
grederetur legē. Si staret moreretur, vt Machabæi fecerūt.
Tamen quando Vespasianus in prouinciā venit, æstas ine-
rat, quia ipso die Paschæ Titus ad Hierusalem accessit. H
Sed obsidio Hierusalem per duos annos continua fuit.
(*Erit enim tunc tribulatio magna qualis non fuit ab initio
in mundo vsque modo: neque fiet.*) Et de obsidione Iudæorū
potest intelligi: quia nunquam apud illos tribulatio fuit;
sicut apud ipsos qui in ipsa obsidione fuerunt Non enim
remansit canis, neque pars corij in ostio, aut in aliquo ia-
cens loco. Viui abibant homines in sepulchris & ibi ex-
pectabant mortem. Troia decem annis obsessa est, sed
non ibi tanta mala sustinuere. Et ad Antichristi tempus
recte potest aptari in quo tribulatio inenarrabilis erit
quia non solum tormenta ingeret acerbiora sanctis, sed
& signa multa faciet: & dona plurima dabit, ad sedu-
cendos Christianos. (*Et nisi abbreuiati essent dies illi,
non fieret salua omnis caro.*) Abbreuiatos, dicitur, non
mensura sed numero. Hæc enim tribulatio quanto
cæteris grauior, tanto temporis breuitate moderatior
est futura: Quantum namque ex Propheta Danielis

&

A & Apocalypſi intelligi datur (tribus annis & dimidio) ipſa ſic graſſabitur. Nam dies æquali menſura ſemper erunt, vt Pſalmiſta dicit: *Ordinatione tua perſeuerant dies.* [*Sed in numero pauci conſtituti ſunt, in quibus electi probabuntur & mali manifeſtabuntur. Tunc ſi quis dixerit: ecce illic Chriſtus, aut illic nolite credere.*] Chriſtus non ſolum Dominus noſter hic intelligendus, ſed & Rex Iudæorum: quia Iudæi ſic appellabant Reges. Et fuerunt multi tunc qui ſe Cheiſtos dixerunt: qui voluerunt eſſe Reges, ſi tunc potuiſſent victuriam capere. Et in ipſa ciuitate Hieruſalem tres erant, qui ſe eeges dicebant. *Surgent enim Pſeudo-propheta, & Pſeudo-Chriſti, & dabunt ſigna magna & prodigia, ita vt in errorem inducantur, ſi fitri poteſt etiam electi.*] De vtriſque temporibus poſſunt hæc dicta accipi: ſed melius ad Antichriſti tempus referimus in quo non ſolum ipſe faciet multa ſigna: ſed & miniſtri eius. Cuius enim fides tunc non titubabit, quando videbit crudelem perſecutorem ſigna facere? [*Ita, vt in*
B *errorem inducantur, ſi fieri poteſt etiam electi?*] Dubitantis affectu loquitur Dominus: vt & tribulatioois magnitudinem deſigner, ...ocrum ineſſe homini monſtret affectum. Nam fide ... ſi ad horam ſeductus fuerit, tamen cito reſurget, ... Beatus Petrus: Ecce prædixi vobis, tribus vicibus in iſta maledictione replicatum habet: vt non auſculrent malorum ſuaſionem. [*Si ergo dixerint vobis: ecce in deſerto eſt, nolite exire.*] Ibi abduxit Theodas populum, ille Pſeudo-propheta. [*Ecce in penetralibus, id eſt in ſecretis aliquibus: nolite credere.*] Spiritaliter Eccleſia Catholica, id eſt vniuerſalis, non ſolummodo in Africa, aut in alio ſpeciali loco, vel in penertalibus hæreticorum, ſed per vniuerſum mundum: quia ideo Catholica, id eſt vniuerſalis, dicitur. [*Sicut enim fulgur exit ab oriente, & apparet vſque ad occidentem, ita erit aduentus filij hominis.*] Non enim venit abſcóſus, qui in prima maieſtate celata nube carnis apparuit. Per figuram quæ idea dicitur, deſcribit ſuum aduentum. Non erit neceſſe in ſe-
C creto quærere, qui manifeſtus omnibus & terribilis vt fulgur appacebit. Fulgur neutri generi nomen eſt, nec habet o, in nominatiuo: ſed correptum u. Eſt autem aliud nomen quod dicitur fulgor fulgoris: per o, productum: & accipitur pro ſplendore. [*Vbicunque fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquila.*] Dat exemplum de re inferiori ad inferiorem per ſpeciem parabolæ: quod ſicut aquilæ trans mare dicuntur ſentire cadauera: & illuc ſe congregare: ſimiliter in illa die omnes electos eum Domino eſſe coadunandos, ſignificans ſe caſurum pro ſuis in mortem: quia cadauer à caſu nomen accipit, ſeipſum corpus, ſiue cadauer volens intelligi. Aquilam ſanctos ſuos, quorum iuuentus renouabitur vt aquilæ: & qui aſſument pennas vt aduolent ad Dominum. [*Statim autem poſt tribulationem dierum illorum ſol obſcurabitur, & luna non dabit lumen ſuum.*] Vel in comparatione claritatis Dei videbuntur obſcurari vel veracitee obſcurabuntor, ſicut obſcurata fuerũt tempore mortis eius. Nam necdum impletum eſt quod Ioel dicit. Sol conuertetur in tenebras & luna in ſanguinẽ, antequã veniat dies Domi-
D ni magnus & manifeſtus. [*Cum vero pactum fuerit iudicium, & fuerit cœlum nouum & terra noua, erit quod Eſaias loquitur. Erit lux luna ſicut lux ſolis: & lux ſolis erit ſeptẽpliciter, ſicut lux ſeptem dierum. Et virtutes cœlorũ mouebuntur.*] Quid nos miſeri faciemus, ſi virtutes cœlorum in illo tremendo die tremiſcent? Virtutes cœlorum, Angelos, Archangelos, & nouem ordines Angelorum. [*Et tunc apparebit ſignum filij hominis in cœlo.*] Ipſe videbitur & a iuſtis, & ab impiis ſic in Apocalypſi Ioannes dicit: *Videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt.* Et ſicut in Actibus Apoſtolorum legimus dictum quando aſcendit: *Quemadmodum vidiſtis eum euntẽ, ita veniet.* Vel ſignũ filij hominis, crucis vexillum poſſumus intelligere, vexillum victoriæ triumphantis. [*Et tunc plangent ſe omnes tribus terra.*] Omnes tribus terræ, omnes gentes dicit. [*Plangentes antẽ dicent. Beata ſteriles qua non genuerunt, & vbera qua non lactauerũt. Dicent montibus, cadite ſuper nos, & collibus operite nos. Et videbunt filium hominis venientem in nubibus cœli cum virtute multa & maieſtate.*] Cum virtute & maieſtate viſuri ſunt, quem in humilitate poſitum audire noluerunt, Cum virtute & maieſtate: quia omnes Angeli, & ſancti cum illo. [*Ignis in conſpectu eius, & in circuitu eius tempeſtas valida.*] Si ſolummodo figuram

E viſionis eius populus Iſrael à monte Synai qui audiuit timore perterritus ſuſtinere non potuit, quid putamus tunc erit. [*Et mittet Angelos ſuos cum tuba, & voce magna.*] De hac tuba Apoſtolus Paulus dicit: *Canit enim tuba, & mortui qui in Chriſto ſunt primi reſurgent.* [*Et congregabunt electos eius a quatuor ventis.*] A quatuor climatibus cœli dicit: oriente, occidente, aquilone, & auſtro. Et ne putatet aliquis à quatuor plagis terræ: & non potius à cunctis finibus eius ſimol: & mediterraneis regionibus electos eſſe congregandos, ſubiunxit. *A ſummis cœlorum vſque ad terminos eorum.* Quia nullus in die illa electus remanebit, qui non occurrat Domino. Venient in aëre ad iudicium ſiue viui inuenti, guſtabunt tamen mortem, ſiue mortui reſuſcitandi. [*In momento, in*
F *ictu oculi.*] Momentum eſt quadrageſima pars horæ. Ictus oculi, cum clauditur & aperitur. Quicunque beſtiis comeſti ſunt, vel incenſi, nulla erit mora neque differentia. Venient autem & reprobi ad iudicium: ſiue viui inuenti, morituri & reſuſcitandi cum aliis mortuis. Interpoſita tamen differentia, quod iuſti cum gaudio in Domino: impij vt videant quem beatum amittent Dominum: vt peracto iudicio diſpereant cum diabolo: & decidant in infernum cum corporibus & animabus: ſicut deſcendit Dathan & Abiron in infernum. [*Ab arbore autem fici diſcite parabolam. Cum iam ramus eius tener fuerit & folia nata, ſcitis quoniam prope eſt æſtas.*] Quomodo inquit cum teneri fuerint erumpentes ramuſculi, iam prope adeſt æſtas: quia non poteſt erumpere antequam ſol appropinquet. [*Ita & vos, cum videritis hac fieri.*] Id eſt hæc ſigna præcedere quæ prædixi cognoſcite appropinquaſſe & meum aduentum & conſummationem ſeculi, & futuri regni iocunditatem: quia talis erit comparatio ad delectationem delectatio-
G nis huius ſeculi, qualis eſt æſtas ad comparationem hiemis: quia tunc mœroris noſtri nubilæ tranſibunt: & vitæ dies æterni ſolis claritate fulgeſcent. [*Ita & vos cum videritis hac fieri, ſcitote quia prope eſt in ianuis.*] Sicut iſti ſeculares ſciunt cognoſcere per erumpentes ramuſculos arborum venientia deſiderata tempora, ita & vos ſcitote per prædicta ſigna prope eſſe deſiderata veſtra gaudia. Et in ianuis in terminis nouiſſimis. Sicut enim ianua finis eſt domus: & qui extra ianuam exit apparet multis, ſic & ego dieſque iudicij in ianuis erit tunc: quia tunc exinde incipiã apparere multis. Poteſt etiam ſpiritaliter intelligi ſynagoga, cum ipſa per Enoch credere in Deum cœperit & Eliam: quaſi folia & fructus facere per bona opera, prope erit finis: quia cum plenitudo gentium introierit, tunc omnis Iſraël ſaluus erit. [*Amen dico vobis prateribit generatio hac donec omnia fiant.*] Amen, ſi dici fas eſt: quaſi iuramentum Domini eſt. Et multum commendat vbicunque hoc adiungit. Generationem hanc, & Iudæorum
H genus & omnium genus hominum poſſumus ſentire. [*Cœlum & terra tranſibunt.*] Cœlum hoc in loco aërium ſpacium appellat, vbi aues volant. Vnde & volucres cœli dicuntur. Tantum enim ſpacium ignis aſſumet & ad delendum, quantũ aqua tenuit in diluuio. Nam cœlum in quo ſidera ſunt, innouabitur in meliorem figuram vt Ioan. dicit: *Erit cœlum nouum & terra noua.* De terra quoque tantum ardebit, quantum maculatum fuit ab humanis laboribus: reliqua mutabitur in meliorem figuram. [*Verba autem mea non prateribunt.*] Subauditur, vt non ſint ſicut dixi. Vel alio modo in hac terra nihil cœlo & terra durabilius, ac ſi diceret. Ante poteſt cœlum & terra tranſire: vt non ſint: quam non fiat quod dixi, quia veritas ſum: & impoſſibile eſt veritatẽ poſſe mentiri. Siue cœlum & terra tranſibunt id eſt ab ea ſpecie quã nunc habent, in aliam. *De die autem illa & hora nemo ſcit, neque Angeli cœlorũ, niſi pater ſolus.* Filius per quẽ factus eſt omnis dies: & qui eſt ſapientia Dei Patris, non poteſt ignorare: ſed *in ipſo ſunt omnes theſauri ſapientia abſcondisi.*

A In hoc quod ipse vnus Deus est cum Patre nouit ipse omnia quæ nouit pater. Sed ad hoc nescit, quia nescientes facit: sicut cæca fossa dicitur, non quod ipsa cæca sit, sed quod nescientes se facit cæcos. Nam interrogatus post Resurrectionem de die iudicij ab Apostolis ait. *Non est vestrum nosse tempora vel momenta, quæ pater posuit in sua potestate.* Quando dicit: non est vestrum scire: ostendit quod ipse sciat, sed non expediat Apostolis scire: vt semper de aduentu Domini suspecti sic viuant: quasi die altero iudicandi. [*Sicut in diebus Noë: ita erit aduentus filij hominis.*] Sicut autem in diebus. Noë nihil aduersi suspicabantur, sed faciebat vnusquisque quod sibi ei placitum erat: sic erit in aduentu Domini: quia illa bella & illæ perturbationes quæ superius narrauit ante erunt. [*Tunc autem erit pax.*] Sicut nos scimus modo prædictum de Antichristo: sic sciuerunt Iudæi de Christo prædictum per Prophetas, & tamen præsentem non cognouerunt. Sic timendum nobis est, ne nobis inscijs ve- B niat Dominus. Ideoque secundum Domini præceptũ conuenit esse semper paratos. [*Quia cum dixerint pax & securitas, tunc repentinus superueniet interitus, sicut dolor parturientis & non effugient. Tunc duo erunt in agro vnus assumetur, & alter relinquetur.*] Isti duo populus Iudaicus, & gentilis. Seu duo populi boni & mali in agro, in scriptura sancta debent exercere bona opera vnde in æternum viuant. [*Vnus assumetur & alter relinquetur,*] Quia sunt multi infra sanctam Ecclesiã: qui scripturas legunt & non audiunt, & Christianos se esse profitentur, qui non assumentur. [*Duæ molentes in mola.*] Duæ istæ synagoga est & Ecclesia, in lege siue in scriptura debent molere farinam Verbi Dei ad suorum aliorumque pabulum. Sed vna assumetur, altera relinquetur videlicet Ecclesia electorum assumitur, reproborũ relinquitur. [*Vigilate ergo.*] Vigilare est bona opera exercere. Quæ si fecerit, etiamsi corpore dormiat: ipsa pro eo vigilabunt & orabunt. Vigilat qui exercet operando quod credit. Vnde Paul. Euigilate iusti, nolite peccare. *Quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit.*] Notandum quod non dicit nescimus, sed ne- C scitis. Pro hac enim causa noluit Apostolis patefacere, vt semper incerti credant eum omni die futurum: & tales se præparent vt digni sint ad suscipiendũ eum. Idcirco enim Dominus vltimam nobis horam voluit esse incognitã: vt semper possit esse suspecta: vt dum illam præuidere non possumus ad illam sine intermissione præparemur. Habemus enim ex traditione maiorum quod in Pascha paulo ante mediam noctem, sicut percussor per domos Ægyptiorum transiit percutiendo sic debeat venire, sicut scriptum est. Dum medium silentium tenerent omnia, & nox in suo cursu medium iter haberet: omnipotens sermo tuus Domine de cœlis à regalibus sedibus venit. Sic deniq; nobis scriptum reliquere quod octaua Cal. Aprilis fuit mundus factus. Dominus conceptus est & passus: & simili modo erit destructus. Et statuerũt vt in ipsa nocte nullus ante medium noctis dormiret, sed vigilarẽt in Dei laudibus secundum istam Domini admonitionẽ. Et tunc celebratur octaua Kal. Aprilis Pascha. Postea institutum D est in Nicæna synodo: vt expectemus post æquinoctium vernalem diem dominicum & in decem & nouem annis non euenit sic Pascha, nisi vna vice: & tali modo occultus erit nobis ipsa dies. Quanto ergo nobis incertus, tanto magis parati esse debemus omni tempore. Etenim vnicuique nostrum venit Dominus, cum dies nostri finis appropinquat. Pulsat, cum per ægritudinis molestiam, mortem vicinam esse denunciat. Cui vigilantes confestim aperimus: si exercentes semper bona opera cum amore suscipimus. Aperire enim Iudici pulsanti non vult, qui exire de corpore trepidat: & videre eum quem se contempsisse iudicem formidat. Ad excutiendam autem mentis nostræ desidiam, etiam exteriora damna per similitudinem adducuntur: vt animus noster ad vigilandum excitetur. Dicit enim: [*Illud autem scitote quia si sciret paterfamilias qua hora fur veniret, vigilaret vtique & non sineret perfodi domũ suam.*] Fur enim domum perfodit, cum diabolus habitaculum animæ infirmat, vt habitator discedat. Omnes enim infirmitates

E hominum & pecorum à diabolo infliguntur: vt fecerunt in Iob & filiis eius, Tobia, Paulo: Deo tamen permittente, & Angelo bono præsidente, ne diabolus iuxta malignam suam voluntatem peragat. Vnde & Dominus ad ipsum de Iob dixit, cum corpus ei dimisit. *Veruntamen animam illius serua.* Duobus enim modis intelligitur hoc ipsum Domini dictum: vt neque in animam eius aliquam læsionem faceret & ad mentem, aut aliud mali: neque habitaculum animæ ita dissiparet, vt anima stare non posset. Nam mors quomodo potest fur intelligi, quæ substantia caret? Nihil denique est aliud, nisi absentia vitæ: sicut tenebræ non sunt aliud nisi absentia lucis. Paterfamilias homo vocatur: quia principari debet super membra sua, quemadmodum paterfamilias in domo. [*Non sinit perfodi domum suam.*] Cum sentiens & cum gaudens dies exitus, lætus egreditur: & corpus obdormiscit, vt de Iohanne & Stephano scriptum est, quod obdormierunt in Domino. [*Ideo & vos estote parati quia nescitis* F *qua hora filius hominis venturus est.*] Nesciente paterfamilias fur domum perfodit, dum à bonis operibus ociosus est. Quilibet missus Dei veniens habitaculum nostræ carnis dissipat, & habitatorem egredi compellit quia cum ventura damna spiritus non præuidet, hunc mors ad suppliciũ rapit. Furi vero resisteret, si per bona opera vigilaret, ne impœnitens periret. [*Quis putas est fidelis seruus & prudens quem constituit Dominus super familiam suam, vt det illis cibũ in tempore.*] Modo Dominus ipsos suos discipulos, & per eos magistros Ecclesiæ admonet: vt & ipsi vigilent & cæteris verbum diuinum adnuncient per quod vigilare & obseruare illam horam sciant. Illi ipsi tamen tunc erunt prudentes & fideles, si in tempore sciant dare conseruis dapes verbi. Hoc est vt tempore congruo non abscondant, neque profunda & alta ignaris turbis ingerant: sed exemplo Domini perfectioribus secretiora, vulgaribus ordei pabulum ministrent. *Beatus ille seruus, quem cum venerit Dominus, inuenerit sic facientem.*] Beatus dicitur bene auctus. Felix & beatus erit qui primo sei- G psum verbo diuino repleuerit, vt ipsi primo faciat: postmodum aliis ore & opere verbi pabulum suggerat: quia sic de eodem Domino scriptum est: *Quæ cœpit* IESVS *facere & docere.* Ante fecit, postea docuit. Et ipse supra de doctoribus ait: Qui autem fecerit & docuerit, magnus vocabitur in regno cœlorum. [*Amen dico vobis quod super omnia bona sua constituet eum.*] Magna distantia est inter bonos factores & prædicatores. Bonos enim auditores si vigilantes inuenerit, facit discumbere: hoc est quiescumbere in vita æterna. Et transiens ministrabit, quæ præparata sunt diligentibus Deum. Bonis autem prædicatoribus si prudenter dispensauerint vt ipsi sapiant, & aliis sufficienter ministrauerint, supra omnia bona sua constituet, id est supra omnia cœlestis regni gaudia, non vt ipsi soli habeant, sed vt abundantius cæteris cum sanctis & æternaliter perfruantur. [*Si autem dixerit malus seruus in corde suo, moram facit Dominus meus venire, & cœperit percutere conseruos suos, manducat autem & bibit cum ebriosis.*] Hoc de vnoquoque Christia- H no potest intelligi: maxime de magistris Ecclesiarum, regibus, Episcopis, comitibus: qui proponunt sibi longa tempora viuendi, & percutiunt, vel alias iniustitias faciũt Christianis: vacãt comessationibus & ebrietatibus, & aliis vitiis. Veniet illis Dominus. Hoc est missus Domini: qui separabit animam de corpore eorum in tempore quãdo non sperant: partemque eorum ponet cum Hypocritis, quibus superius dixit: *Væ vobis hypocritæ:* vel cum illis de quibus dixit: *Vna assumetur, & vna relinquetur.* Hoc est cum his qui descendunt in infernum ibi erit fletus, & stridor dentium: per quæ in durissima tormenta perducantur. [*Tunc simile erit regnum cœlorum decem virginibus.*] Nunc superiorem parabolam de Apostolis & Doctoribus sub persona boni serui malique præmisit: ostendit quid ille habiturus qui bene ministrauerit verbum diuinum; & quid ille qui negligenter. Nunc generaliter de omni Ecclesia & auditoribus eiusdem Verbi diuini parabolam ponit. More tamen prophetali, quo & Apostoli omnesque illi auditores fuerunt eruditi. Habebant

enim

A enim in vsu illas animas dici virgines, quæ Deum alienum non adorauerunt, responsum vniuscuiusque animæ Deum, sponsam animam Deum colentium. Quia sicut mulier omnia quæ facit cum voluntate viri debet facere, & omnia ad opus ipsius & ad laudem eius, siue ad profectum eius dare quicquid dat: & non debet alium æstimare sapientiorem, speciosiurem, fortiorem quam virum suum, Sic anima vniuscuiusque colentis Deum, quicquid facit cum Dei voluntate & in nomine Domini debet facere. Non debet amare, neque patrem neque matrem, gēmas, aurum, argentum, prædia vel aliquam creaturam sub cœlo plus quam Deum. Tunc aotem amat Deum, si facit quæ ipse præcepit. Si autem iustitiam deserit pro alia re, tunc amat plus illam rem quam Deum, & ibi fornicatur anima eius. Hoc modo debet esse virgo omnis Ecclesia Christi, videlicet omnes Christiani. De talibus virginibus dicit Dominus, *Simile est regnum cœlorū*: hoc est pręsens Ecclesia quæ frequenter appellatur regnum cœlorū, B Recte per denarium numerum omne genus humanū exprimitur: quia denarius numerus perfectus & absolutus est, & vltra ipsum nullus numerus nisi de ipso multiplicatus. Et in hac parabola nullus est qui hic non designetur. In quinque autē sensibus corporis vnusquisque subsistit homo. Geminatus autē quinarius, denarium perficit. Et quia ex vtroque sexu fidelium multitudo colligitur, sancta Ecclesia similis decē virginibus denūciatur. Virgo enim nomen est communis generis, & eodem modo dicitur virgo sancta Maria, & vigo sanctus Ioannes. [*Quæ accipientes lampades suas, exierūt obuiam sponso & sponsæ.*] Lampades autem corpora intelliguntur. Tunc exierunt obuiam sponso & sponsæ, quando per baptismū introierunt Ecclesiam eius. [*Quinque autem ex eis erant fatuæ, & quinque prudentes.*] Illæ sunt fatuæ secundum Deum quæ mundum aut ea quæ in mundo sunt plus diligunt quam Deum. Et tunc fornicatur anima alicuius erga C Deum, quando aliquod precium ei plus placet quā Dei, id est retributio vitæ æternæ pro factis suis. [*Sed quinque fatuæ acceptis lampadibus, non sumpserunt oleum secum.*] Quia nō habuere opera quæ Deo essent accepta, siue quia male fecerunt, seu qui si quid boni fecerunt pro humana laude fecerunt. [*Prudentes vere acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus.*] Quia egerunt pro solo Dei amore & retributionis æternæ. Vasa, corda sunt electorum. [*Moram autem faciente sponso.* [Hæc mora adhuc agitur: quia adhuc non venit iudicium. [*Dormitauerunt omnes.*] Infirmati sunt. [*Et dormierunt.*] Mortui sunt. Hoc cottidie fit de fidelibus & infidelibus, sed generaliter in die iudicij fit. [*Media autem nocte clamor factus est.*] Quia sicut diximus, media nocte finem mundi credimus fore, & insperate. Clamor factus est Angelorum cum tubis hominum, fulgurum & tonitruorum. [*Ecce sponsus venit.*] Veniet manifestius & non silebit. [*Exite obuiam ei.*] Aduocauit cælum desursum, & terram deorsum hoc est & qui in cælo sunt & in terra. *Tunc surrexerunt omnes virgines illæ.*] Quia boni & mali resurgent cum corporibus. [*Ornauerūt lampades suas.*] Habuerunt corpora resuscitata. D [*Fatuæ autem sapientibus dixerūt. Date nobis de oleo vestro, quia lampades nostræ extinguuntur.*] Hoc est, adiuuate nos apud Deum. [*Responderunt prudentes dicentes. Ne forte non sufficiat nobis & vobis.*] Non dicunt hoc pro auaritia, sed pro timore, quia vix poterunt sua opera vnumquemque liberare. Vnusquisque enim pro operibus suis recipiet mercedem, neque poterunt in illa die aliorum virtutes aliorum vitia subleuare. Sicut enim tempore captiuitatis Babyloniæ Hieremias & Ezechiel & Abacuc, Daniel, Ananias, Misahel non potuerunt alios liberare: sic & sancti in illa die non poterunt adiuuare alios, nisi quos bona sua opera adiuuerint. Cum operibus bonis poterunt adiuuare preces sanctorum. [*Ite potius ad vendentes, & emite vobis,*] Non consilium dederunt, sed crimen improbauerunt. Ac si dicant. Ite ad adulatores, pro quorum vanis laudationibus opera vestra exercuistis. Venditores namque olei adulatores intelliguntur. Qui enim alicuius opus pro aliquo dono laudat, quasi oleum vendit. De quo Psalmista: *Oleum autem peccatoris non* E *impinguet caput meum.* [*Dum autem irent emere, venit sponsus.*] Quia cum non potuerunt esse cum Domino & electis, erunt cum diabolis quos auscultarunt. [*Venit sponsus.*] Peragetur iudicium. (*Et quæ paratæ erant, intrauerunt cum eo ad nuptias.*) Illi qui habuerunt perfecta opera, recepti sunt, vt sint cum Deo & angelis suis, hoc est in illa cœlesti beatitudine. (*Et clausa est ianua.*) Aditus misericordiæ interclusus, Non enim post iudicium patet precum aut meritorum locus. Tunc erit clausa ianua omnibus malis exclusis, quæ modo cottidie omnibus ex corde pęnitentibus aperitur. Quod similiter Beatus Beda in quodam rithmi versiculo ingemiscit dicens. Nulla erit suspicio salutis vel remedij, ianua clausa thalami completis sponsi nuptiis. [*Nouissime veniunt & reliquæ virgines dicentes. Domine, Domine aperi nobis.*] Frustra tunc clamabunt qui illum hic clamantem per sua Euangelia & suos prædicatores audire noluerunt. Ingeminant *Domine Do-* F *mine*, sed frustra, quia pœnitentię tempus erit, nūc quia *pœnitentia* dicitur quasi *punientia*. Puniendi tempus erit, sed spes veniæ iam vltra non erit, quia nequaquam tunc veniam inueniet qui modo non vult pœnitentiam agere, vt Dauid dicit: *Quoniam non est in morte qui memor sit tui.* Magna erit seueritas post iudicium, quia ante iudicium ineffabilem misericordiam prærogauit. [*At ille respondens ait. Amen dico vobis, nescio vos,*] Nescio vos, subauditur per operationem meos fuisse. Nescire enim Dei, reprobare est. Væ superbis quibus Deus ista dicturus est. [*Vigilate itaque, quia nescitis diem neque horam.*]

Quia multoriens ipse per se clamauit in hoc seculo vigilare, & audire dedignati sunt, clamabunt multipliciter, & non exaudietur. De quo væ præfatus Beda in iam dicto rithmo prosequitur dicens: O quam infelix anima priuata hoc conuiuio, quæ vltra in memoriam non reuertetur Domini. Semper enim debemus vltimum diem metuere, quem nunquam possumus præuidere. Quem Dauid metuens dicebat. Notum fac mihi Domine finē meum, & G numerum dierum meorum, vt sciam quid desit mihi, Quia si quis iter pergere debet, vult accipere viæ sumptus sufficienter. Vt sciam quid desit mihi. Timebat ne extingueretur lampas eius, idcirco dicebat, vt sciam quid desit mihi. Præparemus incessanter sumptus in via, ne in illa die excludamur clausa ianua. [*Sicut homo qui peregre proficiscens.*] Quia Dominus cito erat transiturus de seculo corporaliter. Et discipuli de die iudicij interrogauerunt, ipse autem noluerat certum tempus ostendere. Quantum timenda & præcauenda esset ipsa dies, multis parabolis propositis ostendit. Dixit superius de vigilanti & prudēti seruo, atque de negligenti. Iterum generaliter de omni Ecclesia sua, quæ Deum se adorare profitetur sub specie decem virginum. Nunc iterum principaliter de Apostolis & doctoribus, & cum illis de omnibus hominibus. Homo iste, Dominus noster IESVS CHRISTVS qui pro nobis sua gratuita pietate homo fieri dignatus est cum Deus esset. [*Peregre proficiscens.*] Peregre id est lōge, venit à nomine quod est perger, inde & peregrinus, i.e. pergēs H longius. Proficiscens à verbo proficiscor deponens verbū venit participium. Ipse Dominus Christus peregre profectus est quando in cœlum ascendit, quia licet in cœlo diuinitas fuerit: tamen homo ille quem de S. Maria assumpsit in cœlo antea non fuit. [*Vocauit seruos suos.*] Apost. ad quos hæc loquebatur, tradidit illis doctrinā Euangelicā. (*Et vni dedit quinque talenta, alij autē duo, alij vero vnū.*) Nam omnes Apost. æqualiter docti recesserūt à Domino sed alij plus alij minus. Minus enim erat sapiēs Thom. qui dixit: *Domine nescimus quo vadis*, quā Petrus. Item minus Philippus cui dictum est: *tanto tempore vobiscū sum & non cognouistis me Philippe*, quam Iohannes dixit: *In principio erat verbum.* Ideo in quinque talentis diuersas gratias intelligere debemus, vel in quinque talentis donū quinque sensuum id est exteriorum scientia exprimitur, videlicet visus, auditus, gustus, odoratus, & tactus. Quia satis abundeque honoratur, qui in his quinque sensibus vigere permittitur. In duobus talentis intellectus & operatio designatur. In vno talento intellectus tantummodo

A designatur. Credimus tamen: quia Apostoli electi & quinque & duo talenta habuerint & adhuc in Ecclesia Christi multi habent similiter. [*Vnicuique secundum propriam virtutem.*] Non pro largitate aut parcitate, alteri plus & alteri minus tribuens, sed pro accipientium viribus. Quia & in heremo quamuis septuaginta duo seniores eodem spiritu fuerint repleti quo & Moses non tamen sic profuse vt Moses. [*Et profectus est statim.*] Quia tamdiu conuersatus est cum discipulis quousq; vidit eos non indigere præsentia corporalis institutionis, & post recessit ab eis corporaliter, quos tamen spiritaliter nunquam deseruit. [*Abijt autem qui quinque talenta acceperat, & operatus est in eis, & lucratus est alia quinque. Similiter & qui duo acceperat, lucratus est alia duo.*] De Apost. non dubitandum, quod talenta quæ à Deo acceperunt, iuxta Dei voluntatem duplicauerint. Vnde & sequax eorum Paul. habens & quinque & duo talenta, dicebat: *Væ mihi est, si non Euangelizauero quia dispensatio mihi credita*

B *est.* Item de exterioribus talentis. Ad ea quæ mihi opus erant & his qui mecum sunt, ministrauerunt manus istæ. Et item. *Omnia ostendi vobis, quia sic oportet laborare, & suscipere infirmos.* Ille exteriora Talenta duplicat, qui de terrenis officiis vitam æternam sibi cõparat. De vnoquoque homine ista intelligere possumus, maxime tamen de his qui locum Apostolorũ in Ecclesia tenent, prædicatoribus videlicet diuini Verbi. Potest quoque in duobus talentis, intellectus & charitas intelligi, quia operatio in hominis arbitrio est dimissa. Si enim operationem ibi intellexerimus, poterit surripi vt dicat quis: ideo non posse operari bonum, quia non acceperit talentum operationis. Scimus autem quia Deus hominem in libero arbitrio habet dimissum, vtrum velit facere mandata Dei, an non. [*Qui autem vnum acceperat, abiens fodit in terram, & abscondit pecuniam Domini sui.*] Pecuniam in terra abscondere, est acceptum ingenium in terrenis actibus implicare. Lucrum spiritale non quærere, cor à terrenis desideriis nunquam leuare. Vnum talentum Iudas intelligentiæ ac-

C cepit, quia similiter eruditus fuit à Domino vt cæteri, sed in terreno auaritiæ lucro cuncta conuertit, qui loculos magistri habens quæ potuit furatus est, quousque & Dominum vendidit. Videat se vnusquisq; quia nullus est qui omnes sensus corporis sanos habeat, qui possit quæri non accepisse aut accipere potuisse talentum. Potuit enim quia sanitate vigebat discere qua viueret: & sibi & aliis prodesse. Nam nullus se poterit excusare de ignorantia, quia non licet ignorare, quia repleta est terra Domini scientia, imo de pigritia condemnabitur, & deiectione talẽti. Alius Euangelista dicit, *quod talentum in sudario ligauerit.* Ille doctrinam patrisfamiliæ in sudario ligat, qui donum intelligentiæ in luxuriis, aut comessationibus, aut ebrietatibus vel aliis huius seculi voluptatibus conuertit. [*Post multum vero temporis venit Dominus seruorum illorum, & posuit rationem cum eis.*] Generalis examinatio omnium hominum operum in die iudicij erit. Sed & cottidie agitur: dum electi & reprobi de hoc seculo rapiuntur. *Et accedens qui quinque talenta acceperat obtulit alia quinq; ta-*

D *lenta dicens.*] Non verbis dicent, sed opera perfecta monstrabuntur, quia in illa die vniuscuiusque opus manifestum erit. Etiam in hoc seculo hoc fit, cum quis quinque sensus corporis in bono opere implicat, & alios suo exẽplo instruit & Deus eam intentionem rectam perspicit. Largitus ei scientiam etiam ampliorem, quam ei qui naturali ingenio pollebat: [*Ait illi Dominus eius. Euge serue bone & fidelis.*] Euge Græcũ nomen est, & dicitur Latine bene, subauditur gaude bone serue. Seruus non semper conditione dicitur timoris, sed etiam dilectionis. De illo alio loco Dominus dicit. *Iam non dicam vos seruos.* De isto & hic, *serue bone.* Et in alio loco. *Dicite serui inutiles sumus, quod debuimus facere fecimus.* De isto ergo quod ad dilectionem pertinet dicitur seruo, non timoris sed amoris Deo placendi. [*Fidelis.*] Quia Dei dona & custodiuit in se, & in aliis ampliauit. [*Super pauca fuisti fidelis.*] Super pauca, super terrena, quia quamlibet in hoc seculo terrenæ res cœlestibus comparatæ, pauca & vilia sunt. [*Intra in gaudium Domini tui.*] Suscipe *quæ oculus non vidit, nec*

E *auris audiuit, nec in cor hominis ascendit.* [*Accessit autem & qui duo talenta acceperat.*] Si hic operationem pro talentis acceperimus dicent multi. *Non accepi à Domino talentum vt possim operari quæ intelligo, & propterea non possum perficere opera Dei.* Sed scimus quia omnes homines liberum habemus arbitrium vt operemur aut opera Dei aut opera diaboli. Propterea melius est intelligere intellectum atque charitatem. [*Ait illi Dominus eius. Euge serue bone.*] Vterque seruus simile gaudium recepit, & qui de quinque decem & qui de duobus quatuor fecit, non considerans lucri magnitudinem, sed studij voluntatem, quia Deus intentionem in vnoquoque homine considerat, vt dixit ipse de vidua quæ duo minuta in Gazophilacium misit inquit. Dico vobis, quæ vidua plus omnibus diuitibus misit. Quid autem maius dari potest fideli seruo, quam esse cum Deo, & videre gaudium Domini sui. [*Accedens autem & qui vnum talentum acceperat, ait: Domine, scio quia homo durus es: metis vbi*

F *non seminasti & congregas vbi non sparsisti.* Per seruum istum, omnes mali intelliguntur. Siue singulariter vnusquisque malus, quia nullus prope potest inueniri qui non à Deo acceperit talentum: quoniam vnicuique res de qua viuit, pro talenti acceptione deputabitur. Etiam & qui locum apud diuitem obtinet, si non intercedit pro pauperibus, pro talenti retentione reputabitur. [*Homo durus es.*] Iustitiam Dei multi seculares duritiam putant. Sed sicut veritas naturaliter est, sic etiam iustus & iustitia naturaliter, & iniuste non potest agere qui essentialiter bonus est. [*Metis vbi non seminasti.*] Quia etiam in gentilium populo quicunque bona studuit operari, Deo accepta fuerunt eorum opera, vt in Magis, quibus non fuerat prædicatum, ac reliquis quorum actus non habemus conscriptos. [*Et colligis vbi non sparsisti.*] Scilicet prædicationis verbum. Vnde datur intelligi. Quia qui bene operati sunt inter gentes, non habebunt in Tartaro tam dira tormenta vt illi qui vt nequius potuerunt operati sunt. Seu alio sensu. Quia non solum illos punis

G qui cognouerunt quid debuissent facere, sed & illos qui te ignorauerunt, & qui te non audierunt. [*Et timens abij, & abscondi talentum in terram.*] Ac si dicat. Cum considerauit quia & illos punis per ignorantiam, & illos qui per infirmitatem fragilitatis, & quos recipis sine macula recipis, desperaui me posse ad tuam gratiam vel ad tuum regnum peruenire, & idcirco totum meum studium in terrenis collocaui, vt si amitterem vitam beatam in futuro, vel præsentem dilectionem non amitterem. Etiam in præsenti potest accipi, quia cum quilibet acumen ingenij quod à Deo accepit non sequitur, perdit per suam desidiam quod scire poterat, & assequitur plerumque is qui hebes acumen habere videbatur, per assiduitatem & per suam bonam voluntatem. [*Ecce habes quod tuum est.*] Ex quo primus parens noster in Paradiso peccans, ipsas suas culpas in Dominum suum voluit reputare dicens: *Mulier quam dedisti mihi dedit mihi, & comedi ex eo.* Omnium hominum genus culpas suas in alios gestiunt retorquere. Vnde & hic seruus di-

H cit. *Ecce habes quod tuum est.* Quasi diceret. Et si alios non instruxi, meipsum custodiui, & in me habes saluum talentum. Qui enim debuit simpliciter inertiam suam & peccatum confiteri, dicit se prudenti consilio egisse ne pecuniam perderet, qui hoc solum timere debuit ne sine lucro ad Deum reportaret. [*Respondens autem Dominus eius, dixitque ei. Serue male & piger.*] Seruus malus appellatur, quia calumniam fecit Domino, & peccatum suum in eum voluit retorquere. Piger, quia noluit talentum dare ad erogationem. [*Sciebas quod meto vbi non semino, & congrego vbi non sparsi. Si & illud iuxta tuam sententiam exquiro, quod ad erogandum non dedi, quare tu sciens voluntatem meam non dedisti pecuniam meã ad mensam?*] Nummularij à nummo dicuntur, quia ipsi eos percutiunt. Et solent monetarij accipere argentum ab aliquibus & solent denarios formare & post annum integrum reddere quod acceperunt, & medietatem de ingenio suo super acceptum. Quod diuina lex de terrenis pecuniis prohibet fieri: quoniam initium est cupiditatis, exigere

velle quæ te nescias commodasse. Vnde Psalm. dicit de iusto viro. *Pecuniam suam non dedit ad vsuram.* De spiritali vero, id est, prædicatione diuina, quæ non studuerit multiplicari, exoluet debitas pœnas. [*Tollite ab eo talentum, & date ei qui habet decem talenta.*]Conueniens videbatur, vt cum talentum ab illo tollebatur ei daretur qui duo quam qui quinque. Sed si vim dicti perpendimus, plus ille habuit qui duo, id est, intelligentiam & charitatem: quam ille qui quinque sensus corporis accepit, quia scientia Dei & charitas omnes apud Deum præcellunt virtutes. Frequenter ergo videmus illum qui bene exterioribus administrat (licet simplex frater) habeat maiora dona à Deo quam ille qui de sua scientia se iactans alios dedignauit. Et iste vnus malus seruus, Iudæorum populus potest intelligi, qui doctrinam legis quam accepit noluit multiplicari in gentili populo. Cui talentum ablatum est, sicut ipse alio loco dicit. Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius. [*Omni habenti dabitur.*] Habenti fidem vel bonam voluntatem, dabuntur reliqua bona. [*Ei autem qui non habet fidem vel bonam voluntatem, & quod videtur habere per hypocrisin, auferetur ab eo.*] Siue terrenæ res quas magis amauit quam vitam æternam.

[*Auferetur ab eo, & tunc neutrum habebit. Et inutilem seruum eiicite in tenebras exteriores.*] Superius dixi quia tenebras interiores cæcitas mentis appellatur: exteriores tenebræ erunt in inferno: vbi neque Deus, neque Sol ei lucebit. Deus lux est, qui ab illo elongatur, in tenebris constituitur. [*Ibi erit fletus & stridor dentium.*] Per fletum & stridorem dentium dira tormenta prædicuntur & vera resurrectio corporum demonstratur. Talentum genus ponderum est maximum. Sunt autem tria genera: minimum quinquaginta librarum: medium, septuaginta duarum: summum centum viginti. [*Cum autem venerit filius hominis in sede maiestatis suæ, & omnes Angeli cum eo.*] Multa Dominus dixit quæ ad diem iudicij fienda sunt, sed quando ipse dies aut hora esse debeat, non dicit. Sed constat profecto, quia qui alia scit secretiora mysteria quod & ipsum sciat. Dixit superius admonitiones ad omnes: nunc autem ostendit quid in nouissima hora ipse facturus sit. Scimus quia iudiciũ dedit pater filio, & qui in primo aduentu venit iudicãdus, in secundo veniet iudicaturus viuos & mortuos.

Nulla autem lingua potest enarrare quanti terrores ibi erunt, cum cœlum & terra ardebit, sonus tonitruorum & fulgurum audietur, Angeli resonantes tubas mortalium turbam concutient. Cur enim non credamus quod illi Angeli qui corpora de aëre assumunt, vt frequenter visi à patribus leguntur, sono æreo debeant insonare, vt fecerunt quando Dominus per subiectam creaturam locutus est turbis. Ad hunc iudicij diem omnes nouem ordines Angelorum venient: omnes homines boni & mali. [*Tunc sedebit in sede maiestatis suæ.*] Per sessionem auctoritas iudicandi, maiestas pro potestate. Multi autem putauerunt in valle Iosaphat, qui est locus in Iudæa futurum esse iudicium, sed nequaquam verum est, quamuis sonet Iosaphat iudicium sed in aëre erit vt Paulus dicit, rapiemur in aëre, & sic semper cum Domino erimus. [*Et congregabuntur ante eum omnes gentes.*] Quicumque spiritum vitæ habuerunt immortalem, sicut Angeli & homines ibi aderunt. [*Et separabit eos ab inuicem sicut pastor separat oues ab hædis.*] Quia iam dixerat, ego sum pastor bonus, perseuerat in ipsa parabola, quod sicut pastor ad vesperam oues ab hædis segregat, vt hos mittat in vnam mansionem, illos in alia. Similiter Deus tunc ad vesperam huius mundi collecturus suas oues in ouile hædos in herebum retrusurus. [*Et statuet quidem oues à dextris.*] Id est in bonam partem. [*Hædos autem à sinistris.*] Id est in malam partem. Videant nunc qui adhuc viuunt, vt festinent esse oues Christi: vestiant nudos, & alant indigentes: viuant simpliciter non de rapina, neque noceant alieni: quia qui hædos in hac vita imitatus fuerit, socius, tunc impiorum erit. Hædis compatantnr quod lascinum est animal, & luxuriosum, quorum similes sunt dissoluti in voluptatibus suis, luxuriosi & auari erga proximos suos. [*Tunc dicet rex his qui à dextris eius erunt. Venite benedicti patris mei,* hoc est meum venite, cum quo hæredes esse debetis vitæ æternæ. Benedicit, quia ad imaginem Dei facti, ideo benedicti. [*Possidete* hoc est absque vlla contradictione. [*Paratum vobis regnum,*] per præsentiam Dei. Regnum, latam mansionem, quæ non angustabitur vobis sed dilatabitur spatiose. [*A constitutione mundi.*] Quam vnam beatam in principio à Deo credimus esse creatam, vbi fieret receptaculum iustorum. [*Esuriui enim in membris meis.*] Quod est Ecclesia mea. [*Et dedistis mihi manducare.*] Siue cibo terreno, siue spirituali. [*Sitiui & dedistis mihi potum.*] Sicut cibus spiritalis, sic est & potus. Vnde & B. Paulus dicebat. Bibebant de spiritali. [*Hospes eram, & collegistis me.*] Hospes dicitur & qui suscipit & qui suscipitur. Hospes eram, hospitio indigebã & suscepistis me, quia hospes non solum suscipiendus, sed & trahendus & quærẽdus. Vnde & B. Tobias cum sederet ad mensam misit filiũ quærere qui cũ eo ederet. [*Nudus, & cooperuistis me.*] Est nuditas corporalis, & spiritalis. Vnde dictum est. *Beatus qui custodit vestimenta sua ne nudus ambulet.* [*Infirmus, & visitastis me.*] Et in infirmitate corporis & in infirmitate animæ visitandi sunt qui Deum patrem inuocant. Cum enim aliquis in tribulationibus huius seculi tristari incipit, tunc infirmatur. Quem si quis visitauerit, & verbo suo confortauerit: mercede non carebit. [*In carcere eram, & venistis ad me.*] Carcer à cohercendo dicitur, eo quod rei ibi cohercean tur. Hoc est constringantur. Carcer etiam angustia & pusillanimitas animi intelligi potest. Et hæc omnia pietatis opera & carnaliter & spiritaliter exerceri, possunt intelligi, & ad actualem vitam pertinent. Quæ qui studiose adimpleuerit in hoc post ad theoricam Dei cõtemplationem peruenit, in qua sine fine oculi eius videbunt regem in decore suo. [*Amen dico vobis, quod vni de his fratribus meis minimis fecistis, mihi fecistis.*] Attendendum quod dixit, de his minimis fratribus suis, hoc est, qui Deum patrẽ credunt, & ipsum inuocant, & non sunt elati, sed humiles spiritu. [*Tunc dicet his qui à sinistris erunt.*] Notandum quod non habet, eius, sed tantum à sinistris: quia Deus sinistrum nihil habet. Vnde scriptum est. *Vias quæ à dextris sunt, nouit Dominus.* Peruersæ vero sunt, quæ à sinistris sunt. [*Discedite à me.*] Ecce terribilis & timenda vox, etiam si nihil addidisset, quia qui à Deo recedit, Diabolo traditur. Et nihil aliud extra Deum, nisi malum inenarrabile. [*Maledicti.*] Maledictus non potest esse, vbi est benedictus. A Deo creati benedicti, operibus vestris maledicti. [*In ignem æternum, qui paratus est diabolo & Angelis eius.*] In ignem æternum discedere, id est inordinate cadere præcipiuntur, quia iam ab illa die crudeliter tractandi sunt. Æternus erit eis ignis, quia licet ipsi finem peccandi habuissent, tamen voluntatem habuerunt, & semper viuere, & semper peccare, & ideo ex voluntate sine fine damnabuntur. [*Qui paratus est diabolo & Angelis eius.*] Hic apparet quod pœnæ inferorum non pro hominibus, sed pro Angelis malis paratæ sunt Quicunque in consortium eorum per mala opera seipsum iungit, sustinebit quæ ille habet sustinere. (*Esuriui enim, & non dedistis mihi manducare.*) Et cætera. De omnibus quibus iusti coronantur impij condemnantur, quia contraria eius egerunt. (*Et ibunt hi in supplicium æternum.*) Duabus vicib. in hoc loco Dominus affirmat, quod supplicia æterna erunt impiis. Sic dicuntur impij in æternis suppliciis esse, sicut dicuntur iusti in vita æterna. Et si impij non essent semper cruciandi, nec iusti semper glorificandi, sicut dicunt Græci. Origenes eorum doctor eximius errauit, putans diem iudicij spacium mille annorum obtinendum, vt hoc spacio venirent omnes impij acta pœnitentia ad veniam, & ipse diabolus. Et per multos annos ita docuit. Cum autem audisset ista duo verba, ignem æternum, & supplicium æternum, recognouit errorem suum, & venit in Synodum & publice confessus est se recognouisse errasse, quod impij æterna-

A liter debuissent cruciari, sicut & iusti in vita æterna æternaliter lætari, & accepit pœnitentiam, & abstinuit à missæ officio vsque ad diem mortis suæ. Et hoc retinendum quod is qui iudicaturus dicitur, filius hominis vocatur, vt sciamus quia qui iudicatus est, ipse idem erit iudicaturus. [*Et factum est cum consummasset Iesus sermones hos omnes.*] Consummatio ad perfectionem pertinet. Bonorum enim est consummare, id est ad perfectionem deducere. Consummauit, qui quantum voluit dixit & quod necessarium esse sciuit.

Sequitur expositio Christiani in Passionem dominicam.

DIxit discipulis suis. Scitis quia post biduum pascha fiet.] Pascha Hebræum est non Græcum, nec dicitur à passione, sed à transitu, eo quod percussor Ægyptiorum, qui diabolus intelligitur, percussis Ægyptiis B non fuerit ausus introire in domos Hebræorum propter sanguinem agni, quem in postibus videbat. Vel alio modo à transitu dicitur pascha, quoniam Dominus per domos Hebræorum transiuit ipsa nocte, quando Ægyptij percutiebantur vt saluaret populum suum. Hoc autem distat inter pascha & azima, quia pascha ipsa prima dies erat quando agnum comedebant. Azima autem septem dies qui sequebantur in quibus non audebant panem comedere de fecibus infectum, & ideo azimi dicebantur ipsi dies. [*Et filius hominis tradetur vt crucifigatur.*] Biduum compositum nomen est ex aduerbio *bis* & Græco *dio*, id est duo. Post biduum post duos subauditur dies. Et ad hoc respicit quod dixit filius hominis tradetur post biduum. Nam pascha in crastinum celebratum fuit, quia quarta feria hæc loquebatur, in quinta feria pascha celebrauit, h. e. agnum comedit. Sexta feria quod est biduum traditus est. [*Et filius hominis tradetur.*] recte filius hominis quia diuinitas impassibilis & sola caro passa est. Tradetur à Iudæis, quia quemC cunque occidere volebant, adiudicabant eum morti & tunc dabant potestati Romanæ, quia ipsis non licebat nec arma portare nec quemquam occidere. [*Tunc congregati sunt principes sacerdotum in atrium principis sacerdotum, qui dicebatur Caiphas.*] Quia iam conspirauerant vt eum occiderent. Nunc iterum congregantur agentes concilium quo illum comprehēdant sine turbis. Credebant namque eum inuitum pati & timebant si vna vice de manibus eorum quocumque modo euaderet, quod vlterius eum non comprehenderent. Congregantes se ad summum sacerdotem, quia de sua gente maiorem non habebant. Post transmigrationem denique semper sacerdotes eis præfuerant in honore regio vsque ad Herodem. Congregantur ergo non timentes seditionem populi, sed cauentes, ne auxilio populi de manibus eorum tolleretur. Caiphas interpretatur inuentor malorum [*Consilium fecerunt vt Iesum dolo tenerent & occiderent.*] Dolus est mentis calliditas ab eo quod deludat, seu dolus cum quis aliud dicit & aliud cogitat. Sciebant enim D quia ipse non erat dignus morte: licet lingua hoc dicerent. [*Cum autem esset Iesus in Bethania in domo Simonis leprosi.*] Hoc antequam Dominus Hierusalem sedens super asinam veniret, factum est. Sed Matthæus propterea repetit quia ad mortem eius præfigurandam factum est. Et significat Maria Ecclesiam Christi, quæ spiritaliter, cum bonum odorem notitiæ Domino dedit & cottidie facit adnuntiando de die in diem salutare eius Maria autem est soror Lazari, quæ iam lauerat pedes eius & extersetat capillis capitis sui, sicut Ioannes Euangelista affirmat, & bonis operibus inhærendo & amando & seruiendo saluatori, hoc promeruit vt digna fieret manus super caput saluatoris mittere, cunctis pœnitentibus spem veniæ prætendens, si ex corde potuerint remissionem perfectam consecuturos. [*Simonis Leprosi.*] Non quod tunc leprosus fuerit, quia nullus leprosus in ciuitate vel in villa cum aliis hominibus manebat, sed quia ante leprosus fuerat, & à Domino curatus, vt virtus Domini memoretur nomine pristino inscribitur.

E Simon interpretatur *obediens*. Bethania *domus obedientiæ*. Alabastrum genus est marmoris candidi variis coloribus intertincti, de quo solent vascula cauare medici & in eo ponere, quia ibi melius conseruatur, & ab ipso marmore ipsum vnguentum vocatur, eo quod frequentius ibi conseruetur, & per speciem metonomiam, per continentem id quod continetur ostendens. Pretiosum dicitur, quia sicut medici Græcorum dicunt, omnia alia vnguenta antecellit. Marcus ipsam herbam aromaticam ponit, vnde ipsum vnguentum conficitur. Nardus enim aromatica frutex est habens nigram & crassam radicem & fragilem, sed pinguem. Odor eius cum cypresso proximus, sapore aspero, folia parua & densa cuius cacumina in aristas excrescunt quæ & spicæ nominantur. Et inde dicit Marcus. Nardi spicati, id est de nardo spicas habentem, quia autem pretiosus esset, & de radicibus & de spicis & de foliis, factum fuerat. Ioannes autem *nardi pistici* posuit. Pistis fides Græce dicitur, & à pisti pisticus deriuatur. F Et dicitur Nardus fidelis, eo quod cum veritate factus, nullam impositutam aut mixturam malæ rei habuerit. Quæritur autem, quare ista mulier tunc hoc voluerit facere Domino quod ante non fecerat, vel quare permiserit sibi fieri hoc pretiosum opus. Postquam Dominus Lazarum suscitauerat in Bethaniam non venerat nisi tunc primum, & illa non potuit amplius obsequium facere pro suscitato fratre. [*Emit hoc vnguentum & vnxit caput eius.* Quia erat consuetudo Iudæorum caput vngere de confectis vnguentis: quoniam inerat eis copia de balsamo, quod in eorum terra nascebatur, & pro hac consoetudine diuites & pauperes post lauationem faciei, vngebant caput. Vnde & Dominus dicit: *Tu autem cū ieiunas vnge caput tuum, & faciem tuam laua.* Ex hac ergo consuetudine Dominus caput vngebat, & ideo sibi permisit fieri. Typice autem Eccl. Christi caput vngit, cū misteria assumptæ humanitatis digna reuerentia suscipit. [*Videntes autem discipuli, indignati sunt dicentes*] Per speciem synecdoche multi pro vno indignari fuisse dicūtur, G cum Ioan. solum Iudam dicat fuisse indignatum. [*Potuit enim istud venundari multo, & dari pauperibus.*] De ista causa Iudas scandalum sumpsit contra Dominum, cū ante semper incredulus fuerat. Et iratus est quoniā nō licuit ei vēdere ipsum vnguentū, & putauit non esse Deum, quoniā qui semper despecte vixerat, & gloriam huius seculi pro nihilo duxerat, & tunc permittebat se vngi tam pretioso vnguento. Erat namque cunsuetudo in ipsa terra, & in multis terris, in quibus non possunt viuere pro abundantia serpentium, nisi habeant medicinas, vt medici facerent & vnguenta & Tyriacas, quia abundant eis herbæ & pigmenta & vendant his qui hoc non habent. Vnde & vestrates scamouiam comparant, quod illi qui vendunt de vili herba conficiunt. [*Dixit autem Iudas. Vt quid perditio hæc? potuit enim istud venūdari multo, & dari pauperibus.*] Venundari multo, quia trecentis denariis, id est viginti quinque solidis venundari potuisset. Tamen Ioannes dicit, quia libra vnguenti fuit. Hoc est quod cum vna libra poterat comparari. Non dare volebat pauperibus, sed auaH ritiam suam aggregare. [*Sciens autem Iesus ait illis, quid molesti estis huic mulieri.*] Molestus dicitur durus, iratus. [*Opus bonum operata est in me.*] Alij Euangelistæ dicunt quare Deo placuerit opus hoc pretiosum fieri. [*Præuenit inquit vngere caput meum, in sepulturam meam.*] Quoniam ipse non erat in monumento tamdiu vt necessarium foret condire corpus eius de aromatibus. Permisit isti mulieri hoc sibi facere, vt & mortem suam per hoc factum ostenderet, & deuotione mulieris adimpleret quæ ob hoc ipsum vnguentum emerat. (*Pauperes enim semper habetis vobiscum, me autem non semper habebitis.*) De præsentia corporis loquebatur, quia recessurus erat ab eis. Nam præsentia diuinitatis semper adest omnibus electis sois, sicut ipse post resurrectionem suis discipulis dixit. *Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationē seculi.* (*Mittens enim hoc subauditur mulier, vnguentū hoc in corpus meum, ad sepeliendum me fecit.*) Hoc est officiū quod post mortem meam mihi faciendum erit: præuenit facere me inspirante: quod præ celeri resurrectione facere non poterit.

poterit. [*Amen dico vobis: vbicumque prædicatum fuerit hoc Euangelium in toto mundo.*] Ac si dicat. Cum prædicatur Euangelium meum dicetur, & quod hæc fecit in memoriam eius. Per omnem mundum & ipsa laudabitur & exemplum ab ipsa capietur domino seruiendi, & spiritaliter de Ecclesia potest accipi. [*Et contristati, cœperunt singuli dicere. Nunquid ego sum Domine.*] Quamuis conscij sibi essent nihil tale erga magistrum cogitasse, tamen plus credunt magistro quam sibi. Et contristantur eo quod talis sit inter eos qui hoc cogitauit. [*At ipse respondens ait, Qui intingit mecum manum in paropside, hic me tradet.*] Paulatim & per inditia sicut pius Dominus & magister eum volebat castigare, sed ipse irreuerens factus, non solum contristatus non erat vt cæteri, sed etiam manum cum magistro in vasculum mittebat. Peccatum enim auaritiæ quod in mente habebat, etiam à cætero inuerecundum reddebat. Paropsis autem est vas quadrangulum & quadrilaterum, i. paribus absidibus. [*Tunc abiit vnus de duodecim.*] Quod Euangelistæ dicunt Iudas post vnctionem capitis Domini ad Pharisæos ierit & iterum referunt quod post buccellam abierit. Sciendum quod ex illa hora animo deliberauerit se iturum. Auditum enim habebat, quia principes sacerdotum decretum habebant, vt si quis eum nosset proderet. [*Qui dicitur Iudas Scariothes.*] Scariothes, à vico in quo ortus est, sic vocatur. [*Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam.*] Inde etiam pessimus Iudas, quia ipse prior abiit ad Pharisæos, & pretium Domini in potestate illorum dimisit. Et quicumque Christianus veritatem cælat pro munere, vel membrum Christi propter munera iniuste opprimit, similis Iudæ est, quia ipse dixit. *Ego sum veritas. Quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.* Similis & ille, qui concordiam fraternæ pacis dissipat, quia Deus charitas est. [*At illi constituerunt ei 30. argenteos.*] Non est inconueniens eodem pretio credere Ioseph venditum: quamuis auctores de hoc varient, quoniam Ioseph in figuram Domini præcessit, & Ioseph venditus est in seruitio perpetuo, Dominus autem solum modo manifestatus est sine turbis esse. Constituerunt ei se daturos, non tamen dederunt, nisi post perditionem. [*Exinde quærebat opportunitatem, vt eum traderet.*] Subauditur Sine turbis traderet & aliis, & ipse non haberet. [*Prima a. azymorum.*] Hoc est prima die quo fermentatos panes abiiciebant ipsa dies paschæ, quoniam tunc etiam azymos comedebant. Mane quinta feria interrogauerunt & vespere venit ipse post eos in ciuitatem comedere agnũ. [*Accesserunt discipuli eius, Petrus & Andreas qui Seniores, & ætate & sapientia erant.*] Nam Ioannes Iunior illic erat: inter eos fuit Iudas, qui pecuniam Domini custodiebat. [*Vbi vis paremus tibi comedere pascha.*] Præceptum & vsus erat in illa terra, ad festa præclara ad templum Domini venire, agnum tamen comedere eum quo voluisset tantum si minor esset familia in domo, assumeret vicinum domus suæ. Ideirco interrogabant vbi vellit agnum manducare, quia Iudæ ministerium erat ipsum agnum & alia necessaria comparare. [*At IESVS dixit, Ite in ciuitatem ad quendam & dicit ei.*] Quid necesse erat nomen dicere cum ipse ducem suum eis ostenderet dicens.

[*Introeuntibus vobis in ciuitatem, occurret vobis homo amphoram aquæ portans, sequimini eum in domum in quam intrat, & dicetis patrifamilias domus.*] Quod Matthæus intendens ad alia, alteri dicendum reliquit Marcus similiter de lagena dicit. Sed amphora & lagena pro vno ponuntur & a Græco vtraque nomina oriuntur. Significant autem vasculum fictile ansas duas habens, quæ rustici ad conseruandam aquam solent habere. Mistice per aquam lauacrum pro ablutione mundi ostenditur, pascha spiritale volentibus celebrare. Per amphoram & lagenam fragilitas nostra, quæ erat abluenda per baptismum. [*Magister dicit tempus meũ prope est, apud te facio pascha.*] Quod dicit tempus meum prope est, subauditur, ad celebrandũ pascha. Neque enim ille sic fidelis erat, vt ei de sua vicina morte indicare debuisset, quia si fidelis fuisset discipuli domum nossent: & frequentius Dominum suscepisset.

[*Et fecerunt discipuli sicut constituit illis* IESVS, *& parauerunt pascha.*] Videlicet parauerunt quæ necessaria erant, & ornauerunt domum. [*Vespere autem facto discumbebat cum duodecim discipulis suis.*] Agnus ad vesperam iussus est immolari, ipsa nocte quãdo percussor debebat trãsire, siue quia nocte Luna mutatur, quãdo fit in quartadecima quia potestas Lunæ in nocte est, siue quia populus Israël in ipsa nocte fugit de terra Ægyptiorum. [*Et edentibus illis dixit. Amen dico vobis, quia vnus vestrum me traditurus est.*] Qui de passione prædixerat prædicit de traditione, vt agat conscius pœnitentiam & non designat eum specialiter, ne imprudens factus peior fieret. [*Filius quidem hominis vadit sicut scriptum est de illo.*] Vadit id est ad mortem, sicut scriptum est. In multis scripturæ locis hoc dictum est, vt in Esaia. Propter scelus populi mei percussi eum. [*Væ autem homini illi per quem traditur.*] Hoc est perpetuum. Væ autem homini illi imminet in inferno, quia pro auaritia sua illum tradet. Nam & pater tradidit illum & filius tradidit seipsum. Sed pater & filius pro charitate, Iudas pro auaritia. [*Bonum erat ei si natus non fuisset.*] Non quod aliquod bonum habiturus quis sit nisi nascatur, sed simpliciter loquitur quod melius fuerit ei non esse: quam male esse. [*Respondens autem Iudas dixit: Nunquid ego sum Rabbi?*] Superbia apparet in voce ipsius & incredulitas, cum alij maiores illo dixerint Domine, & iste quasi non esset Deus dicit, Magister. Expectauit enim & non cum aliis se excusauit, quia volebat vt Deus illum proderet manifeste, vt haberet occasionẽ vt diceret, iam quia tu ista improperas quæ non feci, debeo te derelinquere, & alium magistrũ quærere. Sed Deus præscius cogitationum non inueniet in illo occasionem [*Ait illi tu dixisti.*] Ac si dicat, Non ego dico, sed tu Non inuenies in me occasionem vt me derelinquas. [*Cœnantibus autem eis accepit* IESVS *panem: & benedixit ac fregit.*] Postquam veteris paschæ, quod præceptum fuerat consummauit, & finem fecit vmbrarum veterum, incepit initiare initium nouæ gratiæ nouique sacrificij. Accepit panem qui confortat cor hominis, & quod corpora humana plus continet, & ponit in eo sacramentum sui amoris. Sed multo magis ille panis spiritalis plene cõfortat omnem hominem & creaturam, quia in ipso mouemur & sumus. *Benedixit* primum, quia in ipso homine hominum genus benedixit, & post, quẽ de S. Maria assumpsit benedictionem diuinæ immortalitatis, & potentiam veraciter inesse monstrauit. *Fregit*, seipsum panem, quia ipse se voluntarios obtulit ad passionem, vbi pro satietate nostra fregit habitaculum animæ suæ: sicut ipse dixit. Potestatẽ habeo ponendi animam meam, & potestatem habeo iterum assumendi eam. [*Deditque discipulis suis & ait: Accipite & comedite, hoc est corpus meum.*] Dedit discipulis suis sacramentum corporis sui in remissionem peccatorũ, & conseruationẽ charitatis, vt memores illius facti, semper hoc in figura facerent, quod pro eis acturus erat, non obliuiscerentur. *Hoc est corpus meum:* *id est in sacramẽto. [*Et accipiens calicẽ: gratias egit, & dedit illis dicens.*] Quia inter omnes vitæ alimonias cibus panis & vinum valent ad confirmandam & recreandam nostram infirmitatem, recte per hæc duo ministerium sui sacramenti confirmare placuit. Vinum namque & lætificat & sanguinem auget. Et ideirco non inconuenienter sanguis Christi per hoc figuratur: quoniam quicquid nobis ab ipso venit, lætificat lætitia vera, & auget omne bonum nostrum. Sicut denique si aliquis peregre proficiscens dilectoribus suis quoddam vinculum dilectionis relinquit, eo tenore, vt omni die hæc agant, vt illius non obliuiscantur: ita Deus præcepit agi à nobis transferens spiritaliter * corpus in panem, vinum in sanguinem, vt per hæc duo memoremus quæ fecit pro nobis de corpore & sanguine suo & non simus ingrati tam amantissimæ charitati. Quia autem aqua miscetur in sacramento sanguinis eius, per aquam populus suus ostenditur pro quo mori voluit. Et neque vinum sine aqua, neque aqua sine vino quia ipse pro nobis mortuus est, ita nos pro ipso vel pro fratribus nostris quod est Ecclesia, mori debemus. Vnde & de corpore suo sanguis & aqua exiit. Quod autẽ dicit:

** al. hoc est, verè in sacramento subsistens, vide Sixt. Senens. lib. 6. Bibl. Sanct. annot. 112.*

** al. Panem in corpus & vinũ in sanguinem. Vide Sixt. Sen. eodem loco.*

A *hic est sanguis meus noui Testamenti*, ad distinctionem veteris testamenti dicit, quod sanguine Hircorum peccatum non potuit emundare seruientibus peccatis. [*Dico autem vobis, non bibam amodo de hoc genimine vitis, vsque in diem cum illud bibam vobiscum nouum in regno patris mei.* Vitis Iudæa, vinum Patriarcharum & Prophetarum ac reliquorum electorum. Vsque tunc fecit Iudæa racemos vnde viuum flueret, id est opera per fidem. Ab occisione. Domini labruscas, vsquequo Enoch & Helias educant in regnum, in Ecclesiam Christi in fine seculi. Siue simpliciter ab illa hora cœnæ non bibit vinum: quousque immortalis factus & incorruptibilis post resurrectionem. Quod vero sacramentum corporis & sanguinis sui post cœnam dare voluit discipulis suis, & nos ieiuni capere illud iubemur, hæc ratio est; Dominus ostendit figurale testamentum à septæceptum donec veniret verum, imposuit illi terminum & dedit initium noui Testamenti. Hac de causa nouum ante verus celebra- B uit. Fecerunt autem multo Apostoli tempore similiter post alium cibum dominicum sumentes. Post verò cùm venerunt Hebræi ad communicandum: tunc præceptum est in synodo vt vnusquisque homo (si etiam de aliis peccatis purificatus fuerit) prius reficiatur de cibo spiritali, & postmodum de temporali. [*Et hymno dicto, exierunt in montem Oliueti.*] Vel ex consuetudine Iudæorum ipsa die ante cænam cantauit centesimum duodecimum Psalmum, id est. *Laudate pueri Dominum*, vsque medium centesimum tertium decimum, *Non nobis Domine non nobis*, & post cibum, reliquum quod restat, vsque centesimum octauum decimum Psalmum. Seu orationem illam quam Ioannes refert eum orasse ante comprehensionem. *Exiit vero iterum de ciuitate, & pergit in montem Oliueti, vt det locum traditori & comprehensoribus.* [*Tunc dicit eis Iesus: Omnes vos scandalum patiemini in me in ista nocte.*] prædicit quod passuri sint, vt cum venerit hora patiendi lenius ferant. Et notandum quod dixit: in ista nocte, quia sicut qui ebrij sunt, nocte ebrij sunt, C sic qui scandalum patiuntur in nocte adhuc sunt, hoc est in Ignorantia. Si enim perfecti essent in scientia, non posset terrena temptatio eis scandalum efficere, quia perfectorum est æquo animo inter aduersa & prospera stare. [*Scriptum est enim: Percutiam pastorem, & dispergentur oues gregis.*] Deus omnipotens ex persona sua hoc locutus est per Zachariam, quod ipse daturus esset vnicum pro nobis morti, & Apostoli præ timore relicturi. Sed Dominus fecit sicut bonus pastor cum vidit leones & lupos venientes, iuit obuiam & opposuit seipsum morti pro ouibus suis. Et interim fugere oues cum viderunt mori pastorem. Dixit enim. *Si me quæritis sinite hos abire.* [*Postquam autem surrexero præcedam vos in Galilæam.*] Cum duris miscet læta, vt recreet animos eorum. Ouium dixit, quia ipsi dispergendi erant pro illius morte, subiungit quia resurget, & videbunt eum in Galilæa. Viderunt enim eum post resurrectionem aliqui discipulorum, sed pleniter in Galilæa. De qua apparitione B. Paulus. Deinde visus est Apostolis omnibus. D [*Respondens autem Petrus dixit. Et si omnes scandalizati fuerint in te: ego nunquam scandalizabor.*] Non de leuitate Petrus hoc loquitur: sed de ardentissima voluntate. Verum is qui sciebat omnia, nouerat quid homo faceret: non adhuc repletus Spiritu sancto. [*Ait illi Iesus. Amen dico tibi, quia in hac nocte antequam Gallus cantet, ter me negabis.*] Ecce & Petrus in nocte negat Dominum tertio, quia omne peccatum facilius in nocte surripit quam in die. Et omnis qui peccat in nocte est. [*Tunc venit Iesus in vallem quæ dicitur Gethsemani.*] Descendit de monte Oliueti in vallem Gethsemani, vbi est nunc Ecclesia, in loco quo ipse orauit. Gethsemani vallis pinguium dicitur, exemplo nos instruens, vt qui adorare desiderat in montem luminis ascendat. Habeat quoque vallem pinguium, id est humilitatem. [*Et assumpto Petro. Et duobus filiis Zebedæi, cœpit contristari & mæstus esse.*] Quia enim carnem assumpserat etiam passiones carnis habere necesse erat, præter illam solam quæ cum carne creata non fuerat, id est peccatum, quoniam contristari cœperat ne tristitia noxia cum bona E se misceret, accepit quos solitus erat in secretis, vt cum eis semper diuina colloqueretur. Sic nos omnes facere debemus tempore tristitiæ, cum bonis & amicis loqui, vt non habeat in nobis locum tristitia, quæ mortem operatur, & tali modo vitabitur à nobis. [*Tunc ait illis, Tristis est anima mea vsque ad mortem.*] Secundum quod caro erat illud dicebat, non secundum impassibilem diuinitatem. Tristabatur autem, siue pro Iudaico populo, qui fuerat pars & populus Dei, siue pro Apostolorum tribulatione, seu etiam pro perfido Iuda, non autem pro morte sua quam voluntarie subibat: ordinatam cum patre ante multa curricula annorum. Nam & si dicamus secundum hominem contristatum, nihil obstat intelligi, quia caro erat & tristitia carnis passio est nisi Dei virtute tolleretur. [*Et progressus pusillum.*] Lucas dicit. *Auulsus est ab eis, quantum iactus est lapidis.* Et qui veraciter se vult exaudiri, orationes secretas debet quærere, quæ remotæ F sunt ab omni strepitu & tumultu vitiorum. Præmonens etiam in omni tribulatione nostra refugium & mutum nostrum Dominum assiduè flagitemus, vt ab imminenti periculo iuxta illius placitum liberemur. [*Mi pater, si possibile est transeat a me calix iste.*] *Mi*, vocatiuus possessiui est, à meo veniens. Dicit ergo pro Iudæis. Si possibile est saluari gentes sine abiectione Iudæorum, vt non ipsi mihi inferant mortem, fiat. Verumtamen, non quod humano affectu loquor sed magis quod tecum in diuinitate disposui, fiat. Et hic exemplum capere debemus orandi, vt quandocunque pro temporali nostra aliqua re Deo supplicamus: semper in fine illius placitam voluntatem amplius postulemus, vt si forsitan nos contra salutem nostram petimus, ille qui Saluator est noster, secundum suum consilium nos gubernet & exaudiat. [*Et venit ad discipulos suos & inuenit eos dormientes*] Et tristitia pro Domino eos deprimebat, etiam & tempus erat quo soliti erant dormire. Solet enim post lacrhymas & tristitiam somnus accedere: maxime cibo indultis. [*Et dicit Petro sic. Non potuisti vna hora vigilare mecum.*] Vt Petrus præparet se ad sustinendam temptationem, pro G tristitia redarguitur: Ac si dicat. Si tristitia futura iam te oppressum habet, quid facies cum iam venerit. Apparet quia negabis qui iam vigilare mecum non potes. [*Vigilate & orate.*] Et corpore vigilate & animo. (*Et orate, vt non intretis in temptationem.*) Non dixit, non temptemini quod nō potest esse, quia nullus fuit qui non fuerit temptatus. Et qui non est temptatus, non est probatus Non debemus orare vt non temptemur, sed ne inducamur in temptationem. Ideo dicit vt non intreris in temptationem quam ferre non potestis. (*Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma.*) Spiritus, id est anima, parata est ad danda membra pro salute hominum, sed caro expauescit, sicut terrena res, terrena tormenta. Quid dicent qui puri homines sunt, si sic plenus diuinitate Dominus noster loquebatur. (*Iterum secundo abiit & orauit dicens. Pater mi, si non potest transire hic calix nisi bibam illum, fiat voluntas tua.*) Non quod humano affectu loquor, fiat, H sed propter quod ad terras tua voluntate descendi. Si potest fieri, vt sine interitu Iudæorum gentium multitudo credat, passionem recuso. Si autem illi excæcandi sunt vt omnes gentes videant, non mea pater, sed tua voluntas fiat. (*Iterum tertio abiit, & orauit.*) Sicut temptatio tribus modis perficitur, ita arma contra temptationem ter expetenda sunt. (*Tunc venit ad discipulos suos & inuenit eos dormientes.*) Causæ superius comprehensæ opprimebant oculos eorum.

(*Dormite iam & requiescite.*) Per contrarium intelligitur. Ac si dicat. Non est tempus dormiendi, quia appropinquabit, qui me tradet. Et est Ironiæ species. Si autem secundum Marcum qui dicit. *Dormite*, & postea infert, sufficit, intelligimus eos aliquid spacij dormisse, & tunc dixisse Dominum satis haberis sopotatum. (*Surgite eamus.*) Ac si diceret, Non nos inueniant quasi timentes & retractantes, vltro pergamus ad mortem, vt sciant quia non deuitamus neque fugimus. (*Adhuc ipso loquente, ecce Iudas vnus de duodecim venit, & cum eo turba*

multa

A *multa cum gladiis & fustibus exierunt, missi à principibus sacerdotum & senioribus populi.*] Sacerdotes petierunt Pilatum, & Pilatus dedit vnam cohortem, id est, quingentos milites, & cum his sacerdotes miserunt suos seruos cum cōtis & sudibus, de quibus & Malchus fuit. [*Qui autem tradidit eum, dedit eis signum dicens. Quemcunque osculatus fuero ipse est, tenete eum.*] Timuit Iudas, ne ipse seipsum absconderet, sicut fecit quando volebant eum præcipitare & lapidare. Et ideo tale eis signum dedit, vt postquam eum osculatum habuisset, si ipse euanesceret, Iudas non perderet pretium. Apparet autem quia pius Dominus hanc consuetudinem habuit, vt quando à foris suus reuerteretur discipulus, oscularetur eum. Quod nunc apud nos non fit, nisi post plures dies. Hoc signum & Cain habuit vt omnes oscularetur præ timore similis in facto, similis in scelere, licet iste peior. [*Et confestim accedens ad Iesum, dixit, Aue Rabbi.*] *Aue* Latine dicitur, Græcè *Kere*: Hebraicè sicut ipse Iudas dixit, *Salamelech*:
B verbum salutatorium, per quod totus mundus ex præcepto Romanorum se salutabat.

[*Dixitque illi Iesus. Amice, ad quid venisti.*] Per antiphrasin intelligitur, id est per contrarietatem: quasi non amicus qui tales hostes adducit. Vel amicus per cognitionem non amicus per operationem. Ad quid venisti subauditur perfice. Siue vt alius Euangelista dicit. Osculo filium hominis tradis. Quod signum pacis apud cunctas gentes est in discordiam conuersis. Constituerunt autem antiqui hoc signum pacis esse, vt iungerentur illi quos homines solent facere concordare, aut discordare. Et esset hoc signum sicut nos duo membra iungimus, sic omnia membra erunt vnum. [*Tunc accesserunt, & manus iniecerunt in Iesum.*] Ante factum est quod Ioannes refert, quia cum dixit eis ego sum, abierunt retro sicut inuiti solent ruere, & ceciderunt in terram. Et cum habuerunt diuisos discipulos, tunc ligauerunt eum. O miseri, qui debueratis osculari pedes eius, manus ligastis. [*Et ecce vnus ex his qui erant cum Iesu, extendens manum eximit gladium.*] Petrus
C hoc fecit eodem ardore fidei quo & cætera. Placuit autem Domino ita fieri, vt omnes cognoscerent quod ipse nollet se defendere, & vt facta virtute, dimitterentur discipuli.

[*Et percutiens seruum principis sacerdotum, amputauit auriculam eius.*] Quid cogitasti princeps sacerdotum, quando vidisti seruum tuum sanum, & illum qui hoc fecit morti adiudicasti. Tipice, Malchus interpretatur rex. Et populus Iudæorum qui rex debuit esse se regendo, seruus peccati factus est. [*Et perdidit auriculam eius dextram.*] Per quam Dei audire præcepta debuit, sed eis Dominus restituit, qui credere voluerunt ex eis. [*Ait illis Iesus. Omnes enim qui acceperint gladium, subauditur ad malefaciendum, gladio peribunt.*] Si non materiali gladio, gladio inuisibili, siue verbi Dei gladio. Sed & frequenter videmus, quod is qui iniuste aliquem occidit nisi pœnitentiam agat frequenter & ipse in præsenti moritur. Ipsa videtur esse sententia, quam ipse ad Noe locutus est dicens. *Quicunque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius.*
D

[*An putas quia non possum rogare patrem meum, & exhibebit mihi modo plus quam duodecim legiones Angelorum.*] Non est mihi necessarium auxilium duodecim Apostolorum, qui possum habere si volo duodecim legiones Angelorum. Nec debet habere duodecim, sed duodecim legiones. Vna legio apud antiquos sex milibus complebatur, quod sunt septuaginta duo Angelorum, in quot genter linguæ diuisæ sunt. Contra vnamquamque gentem possum habere vnam legionem Angelorum. Frustra Prophetæ prophetauerunt: nisi sicut ipsi prophetauerunt, ego faciam. [*In illa hora dixit Iesus turbis. Tanquam ad latronem existis cum gladiis & fustibus.*] Venerant ad resistendum, si aliquis eum vellet liberare de turbis. Nam discipuli non habebant gladios, nisi illos duos quos emerant, quia nullus Iudæ arma ad bellandum portabat. Apparet & istos Romanos ad prædicationem Domi retro venisse, quibus ista loquebatur. Nam de principibus Iudæorum nullus ibi erat nisi serui

E eorum, qui venerant vt renunciarent Dominis suis, si Romani voluntatem habuissent comprehendere illum. Non enim certi erant, si comprehenderetur. [*Hæc est hora vestra.*] *Omnis qui male agit, odit lucem, & omnes malefactores, plus amant noctem quam diem.* [*Hoc autem totum factum est.*] Traditio, hoc est comprehensio. De traditione dicit. Psalmi. Qui edebat panes meos, magnificauit aduersum me supplantationem. De comprehensione. Sicut ouis ad occisionem ducetur.

[*Tunc discipuli omnes relicto eo fugerunt.*] Impleta sunt verba Domini dicentis. *Scandalum patiemini in me in ista nocte.* Permisit eos fugere sicut pius magister, & dedit se ad discrimina. [*At illi tenentes Iesum, duxerunt eum ad Caipham principem sacerdotum, vbi scribæ & Pharisæi conuenerant.*] Matthæus summatim narrat, sed Ioannes dicit, quia adductus est primum ad Annam, quia in via erat venientibus & fuerat præterito anno summus Sacerdos. Deinde adductus est ad domum Caiphæ, qui erat ipso
F anno summus Sacerdos. Dominus enim præceperat, vt summus Sacerdos quamdiu viueret, locum summi sacerdotij obtineret. Sed Herodes vt munera caperet adinuenit, vt nihil amplius haberet potestatem nisi vno anno, nisi iterum redimeret. Et Romani postea ita fecerunt, quamdiu ipse locus stetit. Ad istum ergo quis princeps sacerdotum erat per redemptionem conuenerunt alij primores, & ibi falso iudicatus est morti, & de isto ductus est in prætorium.

Ob hoc non debet haberi in Euangelio Ioannis, adducunt Iesum ad Caipham: per d, sed à Caipha, vt sit ablatiua præpositio, & ablatiuus casus Caipha, quia si ministri noluerunt introire in prætorium, quanto magis Caiphas qui princeps sacerdotum erat? Qui putabant se contaminari inter paganos qui habebant iam ipsos septem dies azimos. In Græco quoque ἀπὸ τοῦ Caipha, ablatiuo casu [*Petrus autem sequebatur a longe.*] A longe sequebatur, quia erat cito negaturus. Adhoc tamen non videbat tormenta præparari: propterea sequebatur. Sed in atrium
G principis Ioannes illum introduxit, sicut ille refert, quia notus erat pontifici.

Sicut dicunt quia Caiphas habebat sororem Ioannis in matrimonio, & Anna sororem Caiphæ. [*Vt videret finem,*] videlicet quid iudicarent de eo sacerdotes. [*Principes autem sacerdotum & omne concilium quærebant falsum testimonium contra Iesum, vt eum morti traderent*] Sciebant quod Romani non illum occiderent nisi causam dicerent. Et non inuenerunt, cum multi falsi testes accessissent. Dicunt alia Euangelia, quod imputauerunt quod commouerit populum, & sequi se fecerit per suam prædicationem, & prohibuerit tributa dare Cæsari, & dixerit se Christum regē esse. Quæ omnia falsa erant. (*Nouissime venerunt duo falsi testes.*) Quia Dominus præceperat, vt ad vnius testimonium nullus condemnaretur: propterea duos ordinabant ipsi principes. (*Hic dixit Possum destruere templum Dei, & post triduum reædificare illud*) Nec verba, nec censum ita dixit Dominus. *Vos soluite templum hoc*, hoc est templum habitationis animæ meæ, &
H ego resuscitabo. Soluite, id est dissoluite, & resuscitabo. Plus pertinent ad corpus, quam destruere & reædificare, quæ ad petrinam domum pertinent. Hic apparet quod omnis homo qui alio sensu dicit quam ille qui primus dixit falsus testis est, quia non eo sensu dicit quo ille dixit. Et quid eis nocebant, si ille etiam sic dixisset; vel quod pertinebat ad eius damnationem. [*Et surgens princeps sacerdotum, ait illi.*] Quia Sacerdos non audiebat, neque Christum, neque falsos testes dicentes, vnde inueniret locum condemnandi illum, surgit de solio suo & adiurat, vt inueniat aliquam occasionem calumniandi. Iesus autem tacebat. Ipse enim sciebat quia magis ad calumniam vellent retorquere quam credere: propterea tacebat. (*Et princeps sacerdotum ait illi. adiuro te per Deum viuum, vt dicas nobis si tu es Christus filius Dei.*) Intellexit iste iniquissimus pontifex quia adiuratus per nomen Dei, non duceret in vanum, sed responderet veritatem. Sed Dominus ita responsum suum temperauit, vt nomen suum videretur contemnere, ne-

A que etiam pateretur vllam calumniam. [*Tu dixisti. Verum tamen dico vobis, amodo videbitis filium hominis sedentem à dextris Dei.*]Id est illum qui filius hominis appellatur, videbunt boni oculis cordis habere eandem virtutem quam Deum,cum ascenderit in cœlum, & data fuerit ei omnis potestas in cœlo & in terra, & venientem in nubibus ad iudicandum totum mundum, qui à vobis iudicatus est. Quid facerent sui martyres si ipsi sic tacuisset.Iam quia dispositum habebat quia mori pro populo adnuntiauit veritatem, vt daret exemplum martyribus suis, quod constanter debeant adnuntiare vsque ad mortem.[*Tunc princeps sacerdotum scidit vestimenta sua.*] Consuetudo Iudæorum erat quando aliquid quasi blasphemiæ audirent,scinderent vestimenta sua. Quod Paulum & Barnabam in Lycaonia quando Deorum cultu honorabantur fecisse legimus. Herodes autem quia non dedit honorem Deo,vt nomen Dei quod sibi imponebatur falso respueret,ab Angelo percussus est. Intellexit B ille Sacerdos quod Dominus dixit, quod ipse ad dexteram patris sessurus & mundum esset iudicaturus, quod nulli alij conuenit nisi Deo. Sed quod ille putauit blasphemiam,nostra firma fides est. [*Respondentes dixerunt, Reus est mortis.* Proprium hoc Romanorum est verbum eis assiduum, & dicitur reus culpabilis. [*Tunc expuere in faciem eius.*] Vsus etiam erat Iudæi, vt quos pro nihilo ducebant,in faciem spuerent. Vnde,& Dominus de Maria sorore Aaron. Si pater illius spuisset in faciem eius, debuisset septem diebus rubore perfundi.[*Et colaphis eum ceciderunt.*]Colaphus Græce pugnus dicitur. [*Alij autem palmis in faciem ei dedere.*] Sicut alij Euangelistæ referunt *cooperuerunt faciem eius*, vt quia Prophetam se dixerat,& irridendo dicebant.*Si Propheta es,dic per Prophetiam quis est qui te percussit.* De illa Prophetia debueratis plorare,quod iam vobis habuit prophetatum,quod circumdaretur ab exercitu Hierusalem.[*Petrus vero sedebat foris atrio.*]Erat domus excellentior vbi sedebant illi sacerdotes, & stabat ante eos Dominus.Excepto illa,erat C alia iuxta ipsam.Quod hic atrium dicitur,vbi serui principis sacerdotum focum habebant, & poterant de ipsa videre sedentes in concilio, ibi erat Petrus introducente Ioanne: vnde Dominus videre potuit Petrum, & Petrus ipsum.Non autem audebat appropinquare illi, ne agnosceretur. Nam illi qui adduxerunt,in domum Pilati intrauerũt, & Dominum sacerdotibus dimiserunt. Atrium autem dicitur quasi atrum,videlicet ex fumo. Nam in templo Domini atria domus quæ ante principale tectum tẽpli erant dicuntur.In illa ergo alia domo expectabat Petrus.Volens scire vtrum dimitterent eum sacerdotes, an adiudicarent morti.[*Et accessit ad eum vna ancilla dicens. Et tu cum Iesu Galilæo eras.*]Curiosum animal est fœmina, & ardens nouitate. Audierat ista fœmina à seruis pontificis qui illic fuerant, quod ille fuerat ibi quando comprehensus est Dominus, & nolebant dicere: siue ne audiretur virtus per hoc quod ibi fecerat, siue quia non audebant manum leuare super eum: quia lex Romanorum est,vt qui in conuentu alium percussisset manũ amitD teret. Et ista vel illa alia fœmina non potuerunt tacere, sed statim cœperunt ei improperare quia cum Domino in comprehensione fuerit.Et quod peius est,& iste sexus non defuit à persecutione Domini, sed tamen redimitur, & prima viris nuntiat resurrectionem.[*Et pusillum, accesserunt qui stabant Serui sacerdotis,& cognatus Malchi,ipse dixit. Et te vidi cum illo. Alij dixerunt. Loquela tua manifestum te facit.*] Non quod alterius linguæ esset Petrus, quam illi arguebant,sed vnaquæque prouincia proprietates & sonos habet, quod habent aliæ in quibus cognoscuntur homines. Vnde in actibus Apostolorum dicunt. Nonne omnes isti qui loquuntur Galilæi sunt. Et quomodo nos audiuimus linguam nostram in qua nati sumus Et Petrus prædicans dicit ita, vt appellaretur lingua eorum *Acheldemach*. Apparet in hoc dicto,quod aliter Hierosolymitæ, aliter Galilæi ipsum locum appellabant. [*Tunc cœpit detestari & iurare,quia nõ nouisset hominem.*] Melius fuerat B.Petro fugere cum reliquis quam stare & detestari,& negare Dominum, quia cum Dominum

E negauit,discipulum se illius esse negauit.Et hoc est quod modo faciunt qui tormentis cedunt, & negant se esse Christianos. [*Et continuo Gallus cantauit.* Ante respexit Dominus Petrum,& tunc Petrus recordatus verbi Domini.[*Et egressus foras fleuit amare.*] Fragilis erat adhuc. B. Petrus,qui nec plorare ausus est in atrio sacerdotis. Spiritaliter designat quia non possumus inter malos perfectè agere pœnitentiam, & multum nocent consortia malorum.Inter discipulos positus Christum filium Dei confessus est,in atrio sacerdotis,eundẽ se negauit nosse.[*Mane autem facto consilium inierunt omnes principes sacerdotũ & Seniores populi aduersus Iesum,vt eum morti traderent.*] Vide instantiam mali.Tota nocte vigilauerunt,vt homicidium perpetrarent. Inuidia & odium non permittebat cogitare ipsos quid faciebant,quinimo innocentem & facientem etiam virtutes mortificabant.[*Et vinctum adduxerunt,& tradiderunt eum Pontio Pilato præsidi.* Habebãt denique in consuetudine,vt quem adiudicabant morti,li- F gatum traderent potestati Romanæ,quia ipsi potestatem occidendi non habebant. Pontius dicebatur Pilatus in prænomine suo,à prouincia quæ est prope Constantinopolim,quia ibi natus fuerat,de qua Ponticum mare dicitur.Vnde dictum est mare Ponticum dulcius, quam cætera maria. Pilatus,proprium est illi. Pontius, interpretatur *declinans* consilium,quia dixit se declinaturum consilium Iudæorum. Sed si perfectè fecisset, hodie illi placuisset. Pilatus *os malleatoris* dicitur, pro principatu in quo inique gessit super Dominũ. [*Tunc videns Iudas qui eum tradidit quod damnatus esset,pœnitentia ductus retulit triginta argenteos principibus sacerdotum, & senioribus dicens.*]Iudas cupiditatis magnitudine non cogitauit exitũ rei,& propterea tam immani præcipitio se tradidit. Sic multi faciunt,quando persuadet amor peccati,tũ obliuiscuntur pœnas inferni,& omnia Dei magnalia. Et cũ perpetratum fuerit,tum sciunt quia concupiscentia vulnerauit,& transiit, occidit,& abiit. Vnde & de senibus in Susannæ fabula dicitur.Et auerterunt sensum suum,& decli- G nauerunt oculos suos,vt non viderent cœlum, neque recordarentur iudiciorum iustorum.O detestande Iuda,pro triginta denariis Dominum & magistrum tradidisti: oblitus doctrinæ & beneficiorum eius,etiam si Deus nõ esset. Cum ergo vidit quod potestati Romanæ traditus esset, tunc credidit quod ab ipso audierat, quod crucifigendus esset.Nam ante semper credidit, quod propitius sibi esse deberet & elapsurus de manibus Iudæorum, & veniam à Domino impetrasset nisi se præoccupasset occidere.[*Peccaui tradens sanguinem iustũ.*]Ecce miser Iudas testis Domini est,quod iuste semper vixerit, & nihil mali in illo viderit. Dicit B.Ieronymus, quia cum quis ita peccat vt possit opus malum destruere,tunc potest agere pœnitentiam.Si autem non destruit opus malum non potest agere pœnitentiam. Ait enim.*Si quãdo sic peccat frater in fratrem,vt valeat emendare quod peccauit,potest ei dimitti. Si autẽ permanent opera,frustra voce assumitur pœnitentia.* Ista non cogitant qui aliis cõtra iustitiam libertatẽ auferunt aut alodem.Ecce vnum inseruit,aut aufert alodem,& nas- H cuntur filij illi, & in fine seculi mille erunt qui contra ipsum clamabunt,quia sicut crescunt progenies,sic crescit peccatum illius & eum venit ad malum confessorẽ,iubet abstinere ei à vino,aut à carne quadraginta dies. O perditio animarum,oblitus es quod Deus dixit,si offers munus tuum ante altare,& ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduersum te:relinque ibi munus tuum & vade reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum.Nunc etiam dicitur quia in vanum agit pœnitentiam, quamdiu peccatum vegetauit & crescit. [*At illi dixerunt. Quid ad nos.* Multum ad vos pertinet,quia si ille peccauit qui magistrum tradidit, vos qui principes populi eratis, non solum non prohibuistis mala facere, sed offerendo pecuniam discipulum ad hoc prouocastis, & per mendacia ad iudicandum morti tradidistis.[*Tu videris.*]Videris in hoc loco non est præsentis temporis indicatiui modi,sed coniunctiui præteriti temporis. Quasi dicant. Præuidere antequam pretium acciperes debuisti, ne tale opus ageres: vnde pœniteres.Iudas autem iã tunc

A non potuit destruere, sed principes potuissent si maluissent, quia Pilatus inuitus faciebat, etiam optionem dedit si voluissent dimittere. [*Et proiectis argenteis in templo recessit.*] Noluerunt principes recipere argentum, timentes si ipsi argentum reciperent, & non redderent Dominum. Abiret ad præsidem: & cognosceret præses eorũ malitiam. Ille vero sciens quod de templo ei data fuerant in templum proiecit. [*Et abiens laqueo se suspendit.*] Sicut enim Achitophel cum vidit non factum suum consilium statim intellexit quia Dauid reuerteretur in regnũ & non potuit portare improperium quod futurum super eum erat, & ob hoc suspendio interiit. Sic & iste cum vidit impleri quæ Dominus dixerat de seipso, videlicet tradetur gentibus: certus factus est reliqua secutura, i. occident eũ, & die tertia resurget, & non ferens verecundiam suam laqueo vitam sibi extorsit. Veruntamẽ cæli terræque perosus, in aëre periit. Per triginta denarios quos accepit Iudas, triginta maledictiones sunt super eum in Psalterio

B inter quas dicitur, & Episcopatũ eius accipiat alter. Vnde pro certo cognoscitur, & ipsum cum aliis Apostolum ordinatum. [*Principes autem sacerdotum acceptis argenteis dixerunt. Non licet mittere eos in corbanan.* Corbanan Hebraice nominatur: Græce Gazophylacium, Latine diuitiarum custodia [*Quia pretium sanguinis est.*] O miseri, pretium non licet mittere cum denariis, & vos immundos fecistis de homicidio. Quomodo audetis in templo Domini aut sacrificium Dei, aut vasa eius attingere? Ideo dixit vobis Dominus, *quia similes estis sepulchris dealbatis.* Argentum nihil fecit, & vos commaculastis vosipsos, discipulum & argentũ, & modo de immunditia argenti cogitastis de vobis nihil. [*Consilio autem inito, emerunt ex illis agrum figuli in sepulturam peregrinorum.*] Tunc fuit in sepulturam peregrinorum, & modo idem ipse locus hospitale dicitur Francorum, vbi tempore Caroli villas habuit, concedente illo rege pro amore Caroli. Modo solũmodo de eleemosyna Christianorum viuunt, & ipsi Monachi & aduenientes. [*Propter hoc vocatus est ager ille Acheldemach, hoc est ager sanguinis.* Non solum Christianorum scripta, verum paganorum ac locorum nomina, sacrilegium Iudæorum testantur vsque hodie quamuis Basilica ibi in vna parte habeatur. Et videtur quasi à Latino quod est ager, & Græco quod est emath, i. sanguis compositum nomen. [*Tunc adimpletum est quod dictu est per Hieremiam Prophetam dicentẽ.*] Quia omnia acta Domini prædicta sunt à Prophetis, minus possumus ambigere. Et dignum erat vt omnes boni qui veniebãt de illo adnuntiarent, & hoc etiam quia triginta denariis venundandus, & quia ager de ipsis comparandus erat. [IESVS *autem stetit ante præsidem.*] Præses dictus est, eo quod præsideat ad tutelam loci. Vt enim minueret Imperator vel Romani potentiam Iudæorum, primo misit alienigenam Herodem. Post mortem eius diuisit in *triarchas*: inde in *tetrarchas*, ad vltimum in præsides & præfectos. Et si ita non egissent, non deleuissent eos quando voluissent. Paulatim & per partes hoc egerunt, vt sapientes. Idcirco totum domuerunt, & in potestatem suam redegerunt. [*Et*

D *interrogauit eum præses dicens. Tu es rex Iudæorum.*] Pilatus nihil aliud interrogat, nisi de rege Iudæorum, quia timebat ne aliquis sibi tyrannidem assumeret, sicut Theodas: quoniam ob hoc præsidebat ipse prouinciæ, vt hoc custodiret. [*Dicit illi* IESVS. *Tu dicis.*] Quando eis locutus est, semper vt veritas veritatem locutus & moderate, vt nullus posset reprehendere nec loquacitatem, nec taciturnitatẽ eius. [*Et cum accusaretur à principibus sacerdotum & senioribus populi, nihil respondit.*] Si enim voluisset per omnia respondere vt posset, dimitteretur, & nõ fieret necessaria redẽptio. [*Tunc dicit illi Pilatus. Non audis quãta aduersum te dicunt testimonia.*] Suadebat ei Pilatus se defendere, quia volebat eum liberare. [*Et nõ respõdit ei verbum: ita, vt miraretur præses vehementer.*] Mirabatur, quia nolebat se excusare sicut reliqui homines, qui ad mortẽ imputantur. Quis enim nisi pro Deo moreretur, non quanta instantia posset ageret ne moreretur? [*Per diem autem festum consueuerat præses dimittere populo vnum vinctum quem voluissent.*] Ob reuerentiam scilicet festi

E concedebatur vita vni reo. [*Habebat autem insignem vinctum, hoc est nominatũ pro malitiis suis, qui dicebatur Barrabas.*] Bar, *filius* dicitur, Rabbi *magistri*: subauditur eorum, i. Iudæorum. Ab illo enim die à Diabolo qui tanquam latro insidiatur caulis Domini tecti sunt & tegentur, vsquequo conuertantur. [*Congregatis ergo illis, dixit Pilatus. Quẽ vultis dimittã vobis, barraban: an* IESVM *qui dicitur Christus. Sciebat enim quod per inuidiã tradidissent eum.*] Quanta agit inuidia inter homines. Ecce Dominus nihil habebat in hoc seculo nisi victum & vestitum; & seruiebat omnibus prædicando, infirmos sanando, & tamen factione priorum oderunt illum, & occiderunt & elegerunt qui nunquam aliud nisi male fecerat. Tales sunt populi. Qui habet potentiam facile conuertit inferiores ad voluntatem suam, licet multum sit. Non recogitant quis iustior sit, sed quod principem suum intelligunt, velle ad hoc conuertuntur. Et hæc propter dona fiunt, quia scriptum est, *Diuitiæ addunt amicos plurimos,*

F *a paupere autem, & hi quos habuit separantur.* [*Sedente autem eo pro tribunali.*] Pro conditione, pro his quæ ad tribus pertinebant. [*Misit ad eum vxor eius.*] Antequam in palatium veniret, laborauit multum Pilatus, vt Dominus dimitteretur. Sed cum vxor mandauit quia in somnis post quã dies factus fuerat multa de illo vidisset, tũc amplius satagebat. [*Nihil tibi, & iusto illi.*] Hoc est nihil tibi nocuit, nihil illi noceas. [*Multa enim (subauditur somnia) passa sum hodie per visũ propter eũ.*] Ab Angelis videlicet; Diabolus enim cum suis satagebat vt Dominus crucifigeretur, æstimans verum hominem esse. Nec mirum si ad istam fœminam Angeli venerint: cum & Balaam Deus locutus sit, & Cornelio Angelus apparuerit. [*Principes autem sacerdotum & seniores persuaserunt populis vt peterent Barrabam,* IESVM *vero perderent.*] Non est peccatum peius quam inuidia. Ecce vxor Pilati & Pilatus iustum pronuntiant Dominum, & ipse traditor & principes seducunt populum, vt eligant Barrabam qui multa mala eis fecerat & de homicidio & de latrocinio, & tradant

G Dominum morti, qui multa bona opera operatus est eis. Sed adhuc talis est consuetudo apud plures, vt quicquid viderint vel audierint principes suos laudare, laudent absque examinatione, vt vituperent omne quod viderint eos vituperare. Sed vnusquisque cum audit aliquẽ vituperare aut laudare, debet se custodire ne aut bonum dicat malum, aut malum dicat bonum, quia væ veniet ei qui hoc facit. [*Respondens autem præses ait illis. Quem vultis vobis de duobus dimitti.*] Quia principibus persuadere non potuit, vt Dominum dimitterent, retulit hoc ad generalitatem, vt si principes propter inuidiam volebant illum perdere, populus qui expertus fuerat eius multiplicia beneficia, peteret eum viuere, quia si vulgaris populus eum petiisset, contra principum voluntatem seruaret eum vitæ Pilatus. Vel quia hoc sacerdotes cognouerunt ante persuaserunt turbis, vt Barrabam eligerent. [*At illi dixerunt Barrabam.*] Sic est consuetudo hodie vt pro vno verbo principis, veritatem deserant.

H [*Dicit illis Pilatus. Quid igitur faciam de* IESV *qui dicitur Christus.*] Hæc omnia dicebat Pilatus vt liberaret eum. [*Dicũt omnes Crucifigatur.*] Ante sexties clamauerãt. Benedictus qui venit in nomine Domini, & modo clamãt crucifigatur. In istis sex diebus nihil aliud feci nisi vobis prædicaui vsque ad vesperam, & quomodo commisit illa peccata pro quibus clamatis, crucifige. [*Ait illis præses. Quid enim mali fecit.*] Plures anni erant, quo Pilatus ipsum habebat ministerium: malum ipsius non audierat, neque viderat, neque vos. [*At illi magis ac magis clamabãt Crucifigatur.*] Crimen non dicebant, quia nesciebant, sed vt seducti clamabant Crucifigatur. [*Videns autem Pilatus quia nihil proficeret s. in liberatione eius, sed magis tumultus fieret.* Cum perspexerunt sacerdotes quia Pilatus volebat eum liberare, intulerunt dicentes. [*Si hunc dimittis nõ es amicus Cæsaris.*] Timens & ista verba, & ne seditio in plebe fieret, quia satis prona erat gens ad excitandam seditionem monstrauit omnibus quã inique illi agerent, lauans manus suas coram populo. Ac si verbis dixisset,

A Ecce isti qui legem Dei habent,& præcepta eius se dicunt custodire, faciunt de quo ego volo esse immunis, qui alienus à lege eorum sum. [*Innocens ego sum à sanguine Iusti huius.*] Quia ego scio quod ipse iustus est,& vos innocentem vultis occidere,vos sitis rei, non ego, vos videritis.[*Et respondens vniuersus populus dixit,Sanguis eius super nos,& super filios nostros.*] Quia Pilatus innocentem se pronunciauit, ad hoc responderunt isti dicentes. Nus simus rei, vt requiratur sanguis huius à nobis & à filiis nostris. Exauditi fuerunt Iudæi. Requisiuit Dominus sanguinem eius cum ipsa die Paschæ quo ipsi piaculum in saluatore commiserint, à Vespasiano & Tito in Hierusalem quasi in carcere & illic ipsi homicidæ pessima morte perierunt. [*Tunc dimisit illis Barrabam :* IESVM *autem flagellatum tradidit eis vt crucifigeretur.*] Quod Pilatus eum flagellauit inuitus hoc fecit, quia Romana lex præcipiebat, vt qui crucifigendus erat, ante flagellaretur. Traditus est itaque Dominus militibus verberandus, B & illud sacratissimum corpus pectusque Dei capax flagella secuerunt. Est adhuc columna in Hierusalem, ad quam ligatus fuit interim. O quis tunc posset credere, quod creator omnium in illo tempore haberetur, & multùm miseri qui ibi interfuerunt. Iam frequenter habent dictum beati ventres, qui non genuerunt & vbera quæ non lactauerunt, & adhuc habent dicere. Attendendum autem quod dicit tradidit eis, id est ad eorum voluntatem. Quamuis milites illum suscepissent, tamen illis traditus est, & ipsi eum susceperunt. Milites manus præbuerunt & ligna: sed Iudæi occiderunt, quia & Pilatus & milites inuiti egerunt quod egerunt. Nec tamen Pilatus immunis fuit, quia potuit eum liberare si vellet. Perituro enim si non subuenit qui potest occidit. [*Tunc milites suscipientes Iesum in prætorio.*] De loco vbi Pilatus sedebat, qui *Lythostratos* dicebatur.. [*Duxerunt in domum Pilati.*] *Lithos* Græce, Latinè *lapis* dicitur. Lythostratos lapide stratos. A prætore, prætorium deriuatur. [*Congregauerunt vniuersam cohortem.*] Ipsa cohors C quæ illum comprehenderat expectabat ibi ne forte aliquis tumultus oriretur. (*Congregauerunt ergo populum quia nullus sine populo rex potest esse. Et exuerunt eum suis vestimentis, & circumdederunt ei chlamidem coccineam.*] Chlamis illa coccinea, pro purpura qua reges soliti erant indui, circumdata est ei. Est quoque purpura quædam Rubea cocco simillima. (*Et plectentes coronam de spinis, posuerunt super caput eius.*) Pro diademate aureo, spineam coronam, & pro sceptro quod reges solent ferre imposuerunt ei harundinem. Omnia ista ad illusionem fecerũt eo quod accusatus fuerit quia regem se dixerit. Corona spinea, Ramus præcisus de spinis fuit, & plicatus sicut circulus, & impositus super caput eius. Calamus autem ei datus, qui abundat in ipsa terra, & leuitate eius omnes propter hoc ferunt in mano. Typice per spinas peccata nostra significantur, quæ accepit ipse in corpore suo vt moreretur in cruce pro peccatis nostris, qui peccatum non fecerat vllum. Calamum habebat in manu, vt omnia venenata se deleturum ostenderet. Siue calamum tenebat D vt sacrilegium scriberet Iudæorum, quia eum calamo Græci & aliæ gentes scribunt. (*Et genu flexo ante eum.*) Sic erat consuetudo adorare regem, vel principes eius. Quod quia Mardochæus noluit agere obuiam Aman, deleri eum voluit cum progenie sua. (*Aue, Rex Iudæorum.*) Aue, Latinum verbum est, & non habet amplius nisi aue & auete, & est verbum salutatorium, sicut apud Græcos χαῖρε, χαίρετε. Nam Hebraice *Salamelech* dicitur. (*Et expuentes in eum acceperunt harundinem, & percutiebant caput eius.*) Qui pro bono non fecerant quod faciebant, ostenderunt in spuitione & percussione capitis eius. (*Exeuntes autem inuenerunt hominem Cireneum nomine Simonem.*) Ioannes dicit, quia primus ipse portauerit crucem, & post obuiam habuerint Simonem quendam. Spiritaliter innuit quia Dominus crucem suam portauit, videlicet mortificationem in corpore suo, quia omnia peccata mortua fuerunt in illo.

Et post portauit & portat gentilis populus; sequens vestigia eius, Cyrenen Lybiæ ciuitas est & interpretatur *hæres:* & Simon obediens. Quia enim obediens fuit E gentilis populus prædicatoribus, factus est hæres de illa hereditate. Vnde Iudæus populus glorificabatur de adoptione filiorum. Et rectè de villa veniebat. Villa, Græce *pages* & inde pagani dicuntur. Et hoc congruit gentili populo quia de paganitate veniens, cæpit sequi Christum, & eum imitari. (*Hunc angariauerunt.*) Id est imposuerunt portare crucem post IESVM. (*Et venerunt in locum qui dicitur Golgatha.*) Euangelista exposuit, quod est *Golgatha*, id est Caluariæ, subauditur locus. Syrum est, non Hebræum, tamen Hebræi sic appellabant ipsum locum. Quia ibi Caluariæ auferebantur reis hominibus: locus extra ciuitatem. Placuit Deo ibi mori vbi rei puniebantur, vt erigeretur vexillum virtutum, vt quomodo crucem & reliqua improperia, sic etiam hoc pro nobis subiret: Qualiter autem in cruce fuerit, Sedulius pulchre comprehendit dicens:

Neue quis ignoret speciem crucis esse colendam
F *Qua Dominum portauit ouans ratione potenti*
Quattuor inde plagas quadrati colligit orbis.
Splendidus auctoris de vertice fulget eous
Occiduo: sacra lambuntur sidera planta.
Arcton dextra tenet: medium læua erigit axem,
Cunctaque de membris viuit natura creantis.
Et cruce complexum Christus regit vndique mundum.

(*Et dederunt ei vinum bibere cum felle mixtum.*) De ipso malo vino vnde postea dederunt, inde & modo dederunt, siue æstimantes eum sitire pro baiulatione crucis; siue quia latrones hoc petierunt. Et cum dedissent illis, dederunt etiam Domino, siue vt Lucas dicit: *illudebant illum milites, acetum offerentes.* Tipice vinea Domini Iudæa, conuersa erat in amaritudinem vt faceret vinum amarum. Quod autem dicit: & cum gustasset noluit bibere, ostendit quia gustauit paulolum, & ab ore remouit.

(*Postquam autem crucifixerunt eum, diuiserunt vestimenta eius sortem mittentes.*) Ioannes apertius hoc ex- G ponit, quod alia vestimenta quatuor milites inter se partiti sunt. Tunicam autem, quia inconsutilis erat, sortem miserunt cuius esse deberet. Hoc significabatur quia Euangelium disseminandum per quatuor Angulos terræ. Ecclesia autem eius vna esset futura per totum mundum. Quia licet terrarum spacia separentur, electi tamen vnum corpus Christi sunt, & vna est Ecclesia Catholica, id est, vniuersalis. (*Et sedentes seruabant eum.*) Expectantes vt morerentur, & ne aliquis deponeret, vsquequo præses iuberet. (*Et imposuerunt super caput eius causam ipsius scriptam. Hic est* IESVS *Rex Iudæorum.*) Consuetudo erat apud Romanos, vt quando aliquis morti adiudicabatur, post omnium iudicium scribebatur causa pro qua occidebatur, & in loco vbi plectendus erat legebatur. Ex hac consuetudine Pilatus iussit scribi, & quia iratus est Iudæis, quia crucifigebant eum, sic dictauit ipsum titulum. Et cum Iudæi petierunt aliter scribi dixit. Quod scripsi, scripsi. Deo autem placuit vt sic scriberetur, vt cognoscant licet inuiti Iudæi H quia ipse est rex vniuersæ terræ, & ipsorum. Spiritalibus quoque Iudæis, hoc est confessoribus benignus rex. Fuit autem in tribus linguis scriptum in Hebræo propter Iudæos, in Græco, quia nobiles Romanorum Græcè loquebantur: in Latino, propter Romanos. Et istæ tres linguæ excellentiores in toto mundo sunt, & propter perfectionem sui, & propter eas quæ eas loquebantur. Hebraica quia ipsa erat mater linguarũ. Græca propter sapientiam. Quia sapientiores sunt omnibus gentibus & ipsa sonorior aliis linguis. Latina propter Romanos qui tunc orbi terræ dominabantur. (*Tunc crucifixerunt cum eo duos latrones vnum à dextris, & vnũ à sinistris.*) Velint nolint Iudæi, omnia mystice aguntur. Licet ipsi putẽt turpe supplicium. Ecce Dominus medius crucifigitur, vt ostendatur, quia ipse est iudex populi boni & mali. Et sicut in iudicio boni ponentur ad dexteram, mali ad finistram, ita & modo bonus ad dexteram mali ad finistram. (*Prætereũtes autem blasphemabant eum, mouentes capita sua.*) Qui ante nõ

poterant

A poterant eum videra præ inuidia, quando virtutes faciebat, tunc ambulabant coram ipso quia tunc eum videbant sicut ipsi semper optauerant. Mouebant capita, sicut solent facere hi qui superiores se arbitrantur, contra eos quos despiciunt. [*Vah, qui destruis templum Dei.*] *Vah*, interiectio est lætantis, quia lætabantur videntes quod semper cupierant. Fuit autem apud antiquos integra interiectio, *vah*: sed tamen multis gentibus est illa communis Ob gratiam captandam de principibus vulgares populi ista loquebantur: & principes vt illi amplius hoc iterarēt postea eadem loquebantur demonstrātes se sibi placere quæ dixerant. [*Similiter & principes sacerdotum dicebant. Alios saluos fecit, seipsum non potest saluum facere.*] Nolētes Pharisæi & inuiti testimonium perbibent Christo, quod alios saluos fecerit, & in hoc apparet, quia si vellet, posset seipsum de præsenti periculo liberare. [*Si rex Israël est, descendat de cruce & credimus ei.*] Scandalum Iudæorum in hoc maximum erat, quia Dominus filium

B Dei sese dixerit, & regem Iudæorum, & hoc semper replicant & improperant. Quod autē dicunt descendat nūc de cruce, vel pro inpossibilitate dicūt quasi nō posset hoc facere, vel dęmones suadebāt eis dicere hoc, quia iā sentiebat virtutem Christi, videntes omnia elementa conturbari, & intelligentes creatorem mundi esse: pœnitentes quod crucifixissent eum: sicut Paulos Apostolus dicit. Si enim intellexissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent. [*Idipsum autem & latrones qui crucifixi erant cum eo, improperabant ei.*] Per tropum qui appellatur silepsis, vterique latrones introducuntur blasphemasse eum: cum iuxta Lucam vno blasphemante, alter confessus sit eum. Et potest fieri, vt primo ambo blasphemassent, postea vnus, cum vero vidit elementa turbari, conuersus est & credidit eum Dominum. Habuit vero idem latro tres virtutes in ipsa cruce, pro quibus Domini gratiam assecutus est, i. fidem, spem, & charitatem. Fidem habuit. Quia Dominum credidit regnaturum, quem secum videbat mori. Habuit spem, quia illa præmia quæ nos spetabamus, &

C ipse postulauit dicens. [*Memento mei Domine cū veneris in regnum tuu*] Habuit charitatem, qui sonom suum inter tormenta castigare studuit dicens. [*Neque tu times Deum quia in eadem damnatione es.*] Propterea meruit audire. [*Hodie mecum eris in Paradiso.*] Hoc est in illo loco vbi diues Lazarum vidit cum Abraham. Qui Paradisus recte vocatur ad comparationem aliorum locorum infernalium. Vbi etiam depositos credimus illos, quos de pœnis inferni Dominus liberauit, vsque quo in cælum ascendens secum illos omnes in æternam Hierusalem duxit. Nam sicut Dominus primogenitos fuit ex mortuis, sic etiam primum suum corpus & animam in Paradisom cælestem introduxit, & post alios, quod non fuit antequam in cœlum ascenderet post 40. dies [*A sexta autem hora tenebræ factæ sunt super vniuersam terram, vsque ad horam nonam.*] Quia dominus sexta hora crucem ascendit:

D Sol abscōdit radios suos tribus horis in quibus Dominus in cruce fuit, & sicut ipse tribus horis in patibulo pependit, sic tribus diebus in sepulchro iacuit. Et sicut non omnes tres horæ completæ fuot in passione eius, sic nec per omnes dies iacuit in sepulchro, sed à toto pars intelligitur. Iudæi suspicati sunt quod Eclypsis Solis Lunæ fuerit ipso tempore sed non fuit, quia Eclypsis solis non potest esse nisi in orta Lunæ neque Eclypsis Lunæ nisi in veteri Luna. Ea hora Dominus pepēdit in cruce qua Adam peccauit in Paradiso. Nam scriptum est, *quod audierit Adam vocem Dei ambulantis in Paradiso post meridiem.* Eadem hora qua Adam mortem induxit, eadem hora secundus & verus Adā mortē vicit. Et sicut Dominus tribus horis pependit in cruce, sic Adā tribus horis fuit in Paradiso. [*Et circa horā nonā clamauit Iesus voce magna dicens. Eli Eli Lamasabathani.*] Hebraica lingua ponitur idem versiculus, propter reuerentiā Domini, quia oratio eius est ideo non est interpretatū. Non autē habet in Hebræo respice in me, sicut in nostris Psalteriis, neque meus, nisi vna vice, nec etiā in Græco. Nam Græce dicitur, ὁ Θεὸς ὁ Θεός μου ἵνα τί ἐγκατέλιπές με, ex persona hominis qui patiebatur hæc loquitur quia quasi omnia habebant Iudæi secundū suam

E voluntatem implera, cum illū viderent mori in cruce. Nō autem debet coniugi *l* cum *i*, sed separatim, nec debet habere in capite aspirationem. El enim primū nomen est de decem nominibus quibus Deus appellatur apud Iudæos, & inuenitur in nominibus Hebræorū in fine, vt Michaël: Gabriel: Raphaël. Dicitur autē Græce ἰσχυρός, id est fortis. [*Quidam autem illic stantes & audientes dicebant. Heliam vocat iste.*] Milites hoc dicebāt, quia ignari erant Hebrææ linguæ, Sed & si Iudæi hoc dicebant irridendo, & commutando in malā partē, vt reliqua. Nam & Heli Prophetę nomē Deus meus interpretatur. [*Et cōtinuo currēs vnus ex eis, accepit spongiā impleuit aceto, & imposuit harundini & dabat ei bibere.*] Sicut Lucas refert: milites illudentes hoc fecerunt, quia & hoc Prophetatum fuerat, & Dominus dixerat, quia sciebat Prophetatum de se, & nec dum completum dixit. (*Sitio.*) Hoc est scio de me prophetatū, & nec completū impleatur. Et tunc erunt omnia impleta quæ de mea passione fuerunt prophetata. Bene hinc potū

F fuit conueniens dari Christo, quia sicut acetum de bono vino sit, ita Iudæi de bona progenie mali erāt facti. (*Iesus autē iterum clamans voce magna.*) Id est circūstantibus & audiētibus. Quid clamauerit Ioannes scribens inquit. (*Pater, in manus tuas commendo spiritum meum.*) Ipse homo qui quærebatur se derelictum à patre, ipse animā suā illi tradidit, & illi cōmendat à quo creatum corpus & anima eius fuerat, Id est à diuinitate. Quod Græce dicitur *ischiras su paratisso, meto pneuma mu* εἰς χεῖράς σου παρατίθεμαι τὸ πνεῦμά μου. Quod bonū est homini Christiano dicere quādo de corpore exire debuerit, exemplo Domini qui hoc ita dixit. *Emisit spiritum i. animam.* Quia vnde supra dixerat, potestatem habeo ponendi animā meam: inde dicunt modo emisit spiritum. Quid enim emittere spiritum, nisi & animam ponere? Sed anima dicta propter quod viuit spiritus autē vel pro spiritali natura, vel pro eo quod spiret in corpore Similiter animus pars animæ est, id est volūtas animæ: Mens autē & ipsa pars animæ h. e. memoria Ita autē hæc omnia adiuncta sunt animæ, vt vna res sit, &

G pro efficiētiis, diuersis diuersa nomina sortiatur anima. (*Et ecce velū templi scissum est in duas partes.*) Ante sancta sanctorū pendebat cortina satis pretiosa vltra quā nullus introibat nisi sūmus Sacerdos, & hoc semel in anno & hoc quod intra erat dicebatur sancta sanctorum, quia non habebant Iudæi sanctius aliquid. Ibi fuerat archa, antequam Hieremias illam absconderet, & ibi erat propitiatorium tamen ex vno fronte apparebant, ex altera parte reliquū erat absconsum, & illud appellatur velū quia in illa velabat, h. e. celabat. Aliud velū pēdebat exterius inter primū altare & populū. De isto dicunt Iudæi quod scissum fuerit, & non primū scinditur velum tēpli, vt ostendat omnia sacra transeunda ad populum gentilium. Ante enim dicebatur. Notus in Iudęa Deus: modo dicitur, *A solis ortu vsque ad occasum laudabile nomen Domini.* (*Et terra mota est, & Petræ scissæ sunt.*) Refert Iosephos, superliminare quod infinitæ magnitudinis erat, fractum esse atque diuisum, etiam angelicas virtutes tunc in ipso tempore clamasse. Transeamus ex his sedibus. In omnibus his signis

H elemētorum creator debet agnosci, pro cuius morte elementa commouentur. Typice commouenda corda gentilium & aperienda in Dei confessiune. Aperta quidē tunc, fuerunt, sed mortui ex eis non resurrexerunt nisi post Dominum resurgentem vt sit primogenitus ex mortuis, quia nullus ante ipsum immortalis resurrexerunt, sed omnes iterum mortui sunt, vt Lazarus. Isti autem immortales resurrexerunt, & cum Domino ascendente ascenderunt. Dormientes dicuntur mortui in omnibus scripturis diuinis, & locus vbi quiescunt κοιμητήριον, Hoc est dormitorium dicitur Græca lingua, vt veraciter ostēstantur omnes resurgendi in fine mundi. (*Et exeuntes de monumentis, post resurrectionem eius.*) Quod dicit resurrectionem eius, & ad hoc, respicit quod dicit surrexerunt, & ad hoc exeuntes de monumentis. (*Venerunt in sanctam ciuitatem.*) Adhuc vocatur Hierusalem sancta propter templum Domini, & vasa quæ ibi fuerant sanctificata, & multos sanctos qui ibi erant viuentes: licet nos nō per omnia habeamus de eis. Nam post inuenimus

A Apostolos ibi orasse : & omnem cultum religionis obseruasse, vsque ad subuersionem eius : anno quadragesimo secundo ascensionis eius. Quod tempus datum est eis ad pœnitentiam agendam. Et quia noluerunt agere pœnitentiam egressi duo vesi sunt Vespasianus & Titus de saltu gentilium : & occiderunt ex eis vndecies centena milia, & eduxerunt centum milia. Quod dicit apparuerunt multis, ostenditur non fuisse generalis resurrectio, sed specialis, vt & hi resurgerent, quos Deus chariores habuit, & illis apparerent qui electi erant ad cognoscendum arcanum Dei. [*Centurio autem & qui cum eo erant custodientes* IESVM, *viso terremotu & his quæ fiebant, vel valde timuerunt.*] Centurio iste sicut habemus scriptũ, ipse fuit Longinus, qui iussu Pilati aperuit latus Domini. Noluit enim Pilatus, vt eius crura cum latronibus frangerentur, quod crudele satis erat & inhonestum & ne Iudæi dicerent, non eum fuisse mortuum, sed quasi spasmum fuisse passum. Nulla autẽ causa sic miratus est Centurio, B quomodo quando voluit & quando dixit in manus tuas commendo spiritum meum : tunc mortuus est. Alij enim homines nec quando volunt nascuntur, nec qua volunt hora moriuntur. Et in hoc maxime cognouit Deum esse, & propterea credidit, & baptizatus est: etiã pro Christo postea occisus est ab Octauio præfecto. Non solum autem ipse, sed milites glorificauerunt Deum. [*Erant autẽ ibi mulieres multæ a longe, quæ secutæ erãt* IESVM *à Galilea, ministrantes ei.*]Fuit consuetudo inter Iudæos quod Prophetis & prædicatoribus legis mulieres ministrabant de substantiis suis victum atque vestitũ. Et non erat inter eos vlla reprehensio in gentibus, quia scandalum poterit generare, noluit agere B. Paulus. Vnde dicit. *Nunquid non habemus potestatem mulierẽ circumducendi, sicut Cephas.* & reliqui. Ministrantes autem de substantiis suis Domino vt mererent eiũs spiritalia verba: nõ quod Dominus indigeret eorũ carnalia, sed vt ostenderet prædicatoribus hæc sibi iure debere. Sed & Dominus quamuis Deus esset, tales comites & ministros elegit, de quibus nec querela esse C potuisset. [*Inter quas erat Maria Magdalena, & Maria Iacobi & Ioseph mater, & mater filiorum Zebedai.* Maria à qua septem dæmonia eiecerat, & Maria Iacobi, & Ioseph mater quæ erat matertera Domini, quia soror erat S. Mariæ Matertera dicitur quasi mater altera, & mater filiorum Zebedæi quæ filiis suis ibi seruiebat cum Domino. [*Cum autẽ sero factum esset.*]Præcipiebat lex, vt qui suspensus fuisset in patibulo ad vesperã deponeretur, vt quod ei de quinque regibus Iosuæ præcépit fieri, & idcirco crura fracta sunt vt morerentur & deponerentur. [*Venit quidam homo diues.*]Non propter aliquam iactantiam dicit Euangelista quod iste diues fuerit, sed vt ostendatur idcirco potuisse impetrare Corpus Domini quod diues fuerit & decuriæ ordine : virus videlicet de consiliariis. Pauperes enim non erant ausi accedere ad tam potentem præfectũ, quia non curabat de hoc quod Salomon dixit. *Qui despicit pauperem, peccat.* Nostri enim de quibus præceptũ est pauperes colligere, ipsi despiciunt eos: quanto magis ille paganus. [*Venit quidam homo ab Arimathia.*] Ab Arima- D thia : ipsa est Ramathaim, ciuitas Samuelis Prophetæ in regione Samnitica iuxta Diospolim. [*Nomine Ioseph.*] Non fuit iste nutritius Domini: quia ille pauper erat: non in alio loco Euangelij de hoc dicitur, nisi hic. Vnde ostenditur multos discipulos Dominum habuisse, de quibus non habemus scriptum, & qui non sequebantur, sed in domo sua faciebant quæ Dei erant. [*Hic accessit ad Pilatum, & petyt corpus* IESV.] Potentia ipsius monstratur, quod ipse per se accessit, & non per alium mandauit, sed etiam ipse quod illum quasi damnatum ausus est sepelire.

Et tradunt de eo, quod Iudæi pro hac causa miserunt illum in custodiam, & ipsa nocte Resurrectionis Domini eleuata sit in aëre domus in qua clausus habebatur, & venerit, & eduxerit eum Dominus. Et post cum Iudæi requirebant corpus Domini à militibus dicebant milites. Reddite vos Ioseph & nos reddemus corpus. [*Tunc Pilatus iussit reddi corpus.*] Magnæ dignitatis fuit iste Ioseph secundum seculum, & secundum Deum, qui & po- E tens fuit impetrare, & dignus ministerium sepulturæ peragere. De isto Ioseph primus accipitur Psalmus cantatus. Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum, & reliqua. [*Et accepto corpore Ioseph, inuoluit illud in sindone munda.*] Sindone, linteum dicitur, quod mercatus est nouum ; de quo nihil nullius operis factum fuit. Et inuoluit ibi cum aromatibus corpus Domini.

Erat iam proximum obseruatio sabbati, & idcirco non potuit aliud facere nisi in gyro corporis posuit aromata, & inuoluit in sindone : & posuit in monumento sine coopercuło, vt post sabbatum reuerteretur cum aliis aromatibus & tunc diligenter aromatizaret Dominum. Sed quia Ioseph conclusus fuit in custodia à Iudæis, & mulieres pauperes non poterant in crastino præparati : tertia die volebant hoc perficere, si corpus inuenissent. Ex hac consuetudine mos obtinuit in Ecclesia, vt corpus Domini in altari quando consecratur non in serico : neque in panno tincto, sed in lineo consecratur. Iuxta quod à B. Siluestro constitutum in gestis pontifi- F cum legimus. Et ex ista sepultura Domini simplici ambitio diuitum condemnatur, qui nec in sepulchro volunt carere diuitiis. [*Et posuit illud in monumento suo nouo, quod exciderat in petra.*] In nouo monumento ponitur, ne si alius antea positus fuisset, dubiũ esset quis resurrexisset. Et sicut in vtéro S. Mariæ, nec alius ante eum, nec post eum iacuit. Et in excisa petra positus est, ne si ex minutis lapidibus fuisset ædificatum : suffossis tumuli fundamentis furto ablatus crederetur. Omnia ista propter nostram credulitatem facta sunt. Ante homines in domibus sepeliebantur. Sed cum fætor inhabitãtes necaret: præceperunt Romani publico edicto, ne in domo sepelirentur homines neque in ciuitate. Tunc quia graue videbatur sub dio puro sepelire cognatos & amicos reuersi sunt ad antiquam sepulturam, vt exciderent in Petris, siue sub terra criptas, & ibi sepelirent. Vnde pleraque adhuc inueniuntur & iuxta Romam, & in aliis terris, vt est cimiterium Calixti, vbi iacuit S. Cecilia, & S. Vrbanus cum G multis militibus. Referunt de ipso monumento, quia mons est super naturalem petram : vbi stare terra perhibetur, & in ipsa petra excisa cripta, & in ipsa cripta excisum sarcophagum in latere aquiloni: habet pedes septem in longitudine, trium Palmorum in altitudine: cætero pauimento ipsa cripta tantę altitudinis est, vt intro stans homo extensa manu vix possit attingere culmen, & rotunda in gyro. Quam similitudinem & ex nostris quæ in hac terra excisa inueniuntur possumus colligere. Habet autem colorem album cum rubicundo ipsa petra, & patens erat à meridie, vnde corpus dominicum est illatum, & super petram erat hortus. Nunc vero est conclusus locus, & in ipsa cripta Basilica consecrata. [*Et aduoluit saxum magnum ad ostium monumenti & abyt.*] Idcirco aduoluit Ioseph lapidem ne bestia aliqua intraret, & corpus dominicum tangeret. Licet in gyro clausuram habuerit pro horti cura. [*Erat autem ibi Maria Magdalena, & altera Maria.*] Istæ sunt Mariæ de quibus supra dictum est : *soror Lazari, & mater Iacobi & Ioseph.* Nam H Maria pro nimio dolore quod viderat in cruce, non potuit ad monumentum abire. Sed ista Lazari soror optime recognouit liberationem suam, quæ viros & mulieres de obsequendo Domino vicit. Aliis remeantibus ad sua, istæ aspiciebant quomodo poneretur corpus, vt ei tempore congruo possent munus deuotionis impendere.

[*Altera autem die quæ est post parasceuen.*] Parasceuen Græco nomine, *præparatio* Latine dicitur quam nos sextam feriam vocamus, in qua Dominus crucifixus est. Quæ ideo præparatio dicitur, eo quod tunc Iudæi sibi parabant quod edere in sabbato solebant. In sexto die Domino placuit crucifigi, quia Adam in sexto peccauit, & in ipsa eiectus est de Paradiso. Similes sunt illæ animæ quæ parant Domino de bonis operibus requietionis locum in cordibus suis.

[*Dicunt in sabbato ad Pilatum. Domine recordati sumus quia seductor ille dixit adhuc viuẽs, post tres dies resurgam.*] Ecce Iudæi nostræ saluti & profectui in hoc loco seruie-

rant

A runt, quia non solum Euangelistas, sed & custodes habuimus resurrectionis Domini. Sic faciunt qui contra Deum pugnant. Vnde ipsi satagunt, ne fiat quod ipsi nolunt: vnde ipsi præparant quod Deus habet dispositum. Optime fecerunt quando lapidem signauerunt, & custodes adhibuerunt: certiores nos reddiderunt de Domini resurrectione. Sed tamen perspiciendum quod adhuc vigeat in Iudæa in mentibus eorum quem nec nominare queunt præ inuidia, sed seductorem eum appellant. Si sciretis qualia custodes nuntiaturi essent: nunquam eos ad custodiendum deputassetis. [*Ait illis Pilatus. Habetis custodiam: ite custodite sicut scitis.*] Non quod ipsi Iudæi milites habuissent in potestate, sed quasi dixisset. Ecce custodiam do vobis: ordinate quomodo custodiatur, vt non habeatis quid dicatis.

[*Illi autem abeuntes munierunt sepulchrum.*] Id est de custodia & sigillatione. Nam sabbatum erat, propterea nihil aliud operati sunt, nisi per verbum. Apparet autem B quia prope erat monumentum quod in sabbato ausi sunt ambulare. Et hoc videndum quia Ioseph cum esset de Ramathaim prope Hierusalem, volebat se sepelire, vt illic resurgeret cum multis sanctis qui ibi iacebant. Persecutores vero Domini talem legimus exitum habuisse. Primus Herodes qui illum voluit occidere, & pro ipso innocẽtes occidit: iussitque omnes scripturas diuinas aduri, vt putarent progenies eius de regali semine Dauid esse, & accepit Mariamnam Aristoboli filiam, vt in perpetuum haberet eius progenies regnum. Sed quia iniuste & contra Dei voluit voluntatem, cito decidit. Ipse enim non plusquam tribus annis regnauit post innocentes iugulatos; vrebatur autem à foris igne sacro seu lento, corpus eius totum putridum erat de intus. Anhelitus eius tetrum odorem reddebat, pedum inflatio, & verendarum, & pro his omnibus maxima febris. Iam habebat occisam vxorem suam. Mariamnam & tres filios suos de ea. Aristobolum, Hircanum, & Antipatrem, & alios tres E tamen in his doloribus præcepit omnium C nobilium filios recludi in vno loco, & vocauit ad se sororem suum, & ait illi. Ego noui quod Iudæi lætabuntur de morte mea, sed si tu voluisses, ego habuissem lugentes exequias, vt cum mortuus fuissem, interfecisses nobilium filios, & tunc haberem lugentes exequias. Ille promisit se ita facturum, sed nihil fecit, sed cum mortuus fuit, præcepit ille omnes dimitti. Postquam vero mala conualuerunt in eum, accepit ille cultellum, quasi ad purgandum pomum, & occidit seipsum, & sic obiit. Archelaus vero filius eius, in Vienna exilio relegatus obiit. Herodes quoque tetrarcha Herodis filius qui Ioannem decollauit & Pilato in passione consensit, Lugduno exiliatus est Herodes alius, nepos Herodis, Aristoboli filius, qui Iacobum fratrem sancti Ioannis decollauit per quinque dies à vermibus in ventre commestus obiit. Pilatus vero, propria se manu interfecit.

[*Vespera autem sabbati quæ lucescit in prima sabbathi.*] Vespera à stella dicitur, quæ solet oriri prima aduesperascente die. Vespere autem sabbathi, hoc est in sabbati D vespere quæ incipit lucescere pertinet tamen ad primam sabbati. Nam aduentum Domini dies præcedebat vesperã, & quicumque integram diem volebat celebrare, ante celebrabat diem, & post vesperam & noctem, vt significaretur quia Adam de Paradiso venit in mundum: quasi de luce ad tenebras, de innocentia ad peccatum. Post resurrectionem vero, vespera & nox præcesserunt, vt ostenderetur quia de peccato iterum venimus ad innocentiam per Christum. Quod diuersa mulierum tempora describuntur in Euangeliis, non mendacij est, sed frequentia mulierum. [*Venerunt ad vesperam sabbati.*] Post ipsius diei vesperam venerunt cum adhuc tenebræ essent, id est venerunt primo mane. Hoc ergo dicit vespere sabbati. Ac si diceret, nocte quæ sequitur sabbatũ. Ipso die quando passus est reuertentes parauerunt aromata & vnguenta, & sabbato quidem siluerunt secundum mandatum legis, vt à vespera vsque ad aliam vesperã obseruarent sabbatũ. Ideoque sepulto Domino quãdiu licuit operari, i. vsque ad solis occasum, in vnguentis præparandis fuerunt occupatæ, & quod tunc non valuerunt, transacto sabbato emerunt aromata: vt venientes vngerent E Iesvm. Vespere, & masculini & fæminini generis inuenitur, iam apud Græcos quam apud Latinos. Sed tamen illi dicunt hespera per aspirationem: nos per v, vespere, quod in multis nominibus agimus, cum in nostram linguam transeunt, aut s, aut v, ponentes pro aspiratione illorum, vt illi hex: nos sex. Quadraginta horas iacuit Dominus in sepulchro, & propterea per quadraginta dies apparuit eis [*Et ecce terræmotus factus est magnus.*] Terræmotus factus est propter custodes vt terrerentur, vt non auderent prohibere venientes, & tamen videntes veritatemque adnuntiarent. Nihil enim sic terret mortalium pectora, quam tonitruum & terræmotus. Spiritaliter istæ duæ fæminæ, duæ plebes sunt Iudaica & gentilis. Terræmotus, concussio Dei ex prædicatione Spir. S. [*Angelus Domini.*] Obsequia Angelorum per quos illud ministerium perfectum est. [*Reuoluit lapidem.*] Non vt Domino viam panderet, F sed vt mulieribus monstrasset iam abiisse Dominum, & vt claustra inferni deiecta, & superata doceret. [*Sedebat super eum.*] Ideirco sedebat vt ostenderet omnia Christum habuisse deuicta, & mortem & corruptionem. Nam quãdo natus est stantes apparuerunt Angeli, vt monstraretur quia haberet pugnare cum Diabolo: [*Erat autem aspectus eius sicut fulgur.*] Et hoc ad terrorem custodum. Debet autem habere v, in nominatiuo quia propter timorem custodum in fulgure apparuit. [*Et vestimentum eius sicut nix.*] Ad blanditiem mulierum factum est, vt in vnius specie appareret. Præ timore autem eius exterriti sunt custodes. Et propter custodes talis apparuit, & vt signaret quia is quem nuntiabat, & terribilis reprobis, & blandus futurus esset iustis. In fulgure enim terror timoris, in niue blandimentum amoris. [*Respondens autem Angelus, dixit mulieribus.*] Ad hoc alius Euangelista dicit, quia dicebant mulieres, quis reuoluet nobis lapidem. Ad hoc dicitur respondisse. Primo pellit timorem, quia sic est consuetudo & ratio vt primo pel- G latur timor, cum quo non potest homo bene intelligere. Post vero audiant de quo loquebantur ipsæ mulieres. [*Nolite timere vos.*] Ac si aperte dicat. Illi timeant qui Iesvm non amant quia propter illos hæc terribilia facta sunt. Vos autem quæ Iesvm quæritis nolite timere, quia ad illius obsequium veni, ad cuius & vos venitis, & vnũ Deum habemus, & vnam voluntatem. [*Scio enim quod* Iesvm *qui crucifixus est quæritis.*] Quoniam ego scio quod propter obsequium crucifixi venitis, nolo vt vos timeatis, vel me vel terræmotum. [*Non est hic.*] Corpus ipsius quæritis, non est hic. Nam per diuinitatem vbique est. [*Surrexit enim.*] Per se resurrexit, nullius indigens auxilio, quia quantum voluit iacuit, & quando voluit surrexit. [*Sicut dixit.*] Quando de morte prædixit. [*Venite & videte locum.*] Vt si verbis meis non creditis, vel oculis vestris credatis, cum vacuum sepulchrum videritis. Sicut Dominus eius bonus, sic etiam missus eius. Si aliquis superbus alicui aliquid dixisset: nollet vt post eius dicta fidem cum oculis quæreret. Sanctus autem Angelus H etiam nihil requirentibus fœminis post sua verba explorare oculis iubet. [*Vbi posuerunt eum.*] Ioseph sc. & Gamalihel, & Nicodemus. [*Et cito euntes dicite discipulis eius, quia surrexit.*] Quia discipuli fugerunt & vos semper stetistis, & hic enim frequentes requisistis, vos estote nuntij illorum, vt per vos discant, quæ fragilis sexus estis illi qui viri fuerunt & amplius vobis timuerunt. [*Dicite etiam Petro.*] Vt quia eum fœmina fecit negare, fœmina faciat confiteri, & qui per fœminam elongatus est de discipulis, iterũ per fœminam aggregetur. [*Et ecce præcedet vos in Galilæam.*] Id est antecedet vos in Galilæam. Et quamuis alio loco videatis, tamen generali visione discipulorum, ibi eum videbitis, ibi non sunt homicidæ qui eũ occiderunt. Typice Galilæa transmigratio facta, vel reuelatio interpretatur. Et recte Dominus in Galilæa videtur, vt ipso situ, corporis mysterium suæ resurrectionis discipulis loqueretur. In Galilæa videtur, qui iam de morte ad vitam, de corruptione ad incorruptionem, de pœna transmigrauerat ad gloriam. Et nos exemplo discipu-

lorum transmigremus de peccatis ad virtutes. Tunc videbimus Dominum in hoc seculo mente, in futuro facie ad faciem.[*Exierunt cito de monumento, cum timore & gaudio magno.*] Duplex mulierum mentes metus inuaserat timoris & gaudij, & vnus ex miraculi magnitudine alter ex desiderio resurgentis. Et tamen vterque fœmineo more, concite actus nuntiantes discipulis, quia mulier viro mortem adnuntiauerat, & ad malum incitauerat: nunc mulier viris vitam denuntiat. [*Et ecce* IESVS *occurrens illis, dixit: Auete.*] Quia magnam curam habebant veniendi ad monumentum, & nunc iterum concito gradu de Domino pergunt adnunciare. Recte merentur obuium habere Dominum, vt maledictum Euæ mulieris in mulieribus solueretur. [*Illæ autem accesserunt & tenuerunt pedes eius.*]Istæ accedunt & tenuerunt pedes eius, & osculantur, & adorant, quia credebant eum Deum. Illi vero quæ eum Deum esse dubitabat, dicitur, *Noli me tangere.* Dicunt autem multi, quia ipsa vna eademque fuerit Maria Magdalena, & primo dubitauerit: post vero ad vocem Domini correcta, meruerit osculari pedes Domini, & adorare eum. [*Tunc ait illis. Nolite timere.*]Naturale est hominum, cum aliquid supra naturam suam viderint, timere: maxime fœminarum. Quia ergo videbant corpus incorruptibile & glorificatum vltra humanam naturam, pauebant. Quibus primo timor pellitur, vt æqua mente possint intelligere quæ dicuntur. [*Ite nuntiate fratribus meis.*] Propterea Apostoli fratres Domini dicuntur, quia eis sua clementia concesserat, vt inuocarent patrem Dominum dicentes. Pater noster, & reliqua. Et præceperat ne alium patrem auctoritatis nostræ inuocaremus, nisi patrem ipsius: etiam primogenitus ipse frater ex resurrectione factus est. [*Vadant in Galilæam, ibi me videbunt.*] Visus est Dominus ab aliquibus discipulis antequam in Galilæam pergerent sed tamen generalis visio discipulorum ibi fuit: vbi non erant homicidæ qui illum occiderant. Et verbis & rebus Dominus discipulis se suaque facta commendat. Quia enim ipse de corruptione ad incorruptionem de mortali ad immortalitatem transferat, quasi in Galilæa videbatur. Galilæa namque transmigratio facta interpretatur, siue reuelatio. Legi in quodam, libro quod Galilæa illa pars ciuitatis vocaretur Hierusalem: pars quam Galilæi ædificauerant. [*Ibi me videbunt.*] Hoc est me videbunt qui occisus fui, non solum spiritum. Sedulius scribit quia Dominus resurgens primo Mariæ matri visus fuerit. Sic enim dicit:

> ---*Hoc luminis ortu*
> *Virgo parens aliæque simul, cum munere matres,*
> *Messis aromaticæ notum venere gementes*
> *Ad tumulum.*---

Quæ cum abissent ecce quidam de custodibus venerunt in ciuitatem. Permissum est militibus videre ex parte resurrectionem Domini, sed sub terrore, vt non auderent prohibere. Attamen non est præceptum adnuntiare, quia pro mala voluntate venerant: ideo non merentur fieri nuntij Domini, sed tormentorum suorum. [*Nuntiauerunt omnia quæ facta fuerant.* Quia non erant Iudæi non celabant veritatem, nec in malam partem conuertebant donec Iudæi eos corrumpebant. [*Et congregati cum senioribus consilio accepto, pecuniam copiosam dederunt militibus.*] Pecunia argentum dicitur. Vnde & in Græco *argiron* dicitur. Ecce Iudæi qui dixerunt Domino, descende de cruce, & credimus tibi: surrexit de sepulchro quod maius est, & non solum non crediderunt, sed & argentum de templo Domini tulerunt, & pro mendacio dederunt dicentes. *Dicite quia discipuli eius venerunt, & furati sunt eum nobis dormientibus.* Sapiens cito deprehendit veritatem & mendacium quod apparet in ambobus. Nunc suadent Iudæi apertum mendacium. Si dormierunt, quomodo scierunt qui furarentur. Si vero vigilauerunt, quare non prohibuerunt. [*Et diuulgatum est verbum istud apud Iudæos.*] Videlicet quod milites dixerant. Nam & Pilatus audiuit de ipsa pecunia, sic in Epistola ad Tyberium in passione S. Petri inuenimus. [*Vndecim discipuli abierunt in Galilæam.*] Vndecim abierunt quia duodecimus occisus est. Et de Apostolis propter dignitatem solummodo Euangelista dicit. [*Nam & alij discipuli & fœminæ abierunt in montem vbi constituerat eis* IESVS.] In montem id est Thabor, quem & ad secreta loquenda elegerat & ad adorandum. Constituerat autem ante resurrectionem, quando prædixerat de sua passione & post resurrectionem per fœminas. [*Et videntes eum adorauerunt, quidam autem dubitauerunt.*] Vnde dubitauerunt Lucas ostendit dicens: *Existimantes se spiritum videre.*] Putabant enim quod solummodo spiritum eius viderint, quia corpus quod viderant subtilius aliis corporibus erat, quod iam immortale & impassibile erat. Existimabant se spiritum videre. [*Quidam autem dubitauerunt.*] Dubitatio eorum nostram auxit fidem dum manifestius latus ostensum est Thomæ & loca clauorum in manibus ac pedibus. [*Et accedens* IESVS, *locutus est eis dicens.*] Et accedendo propius & loquendo dubitationem aufert, quod & corpus esset qui videretur, & qui loqueretur. [*Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra.*]Et data est potestas, qui Paulo crucifixus & mortuus erat, & qui resurrexerat. Nam secundum diuinitatem semper habuit, quia, hoc est ei habere quod esse, qui ante minoratus paulo minus ab Angelis fuerat, supra Angelos eleuatus est. Per cœlum & terram, vniuersa creatura intelligitur Typice vt ante regnabat in cœlo, per fidem credentium regnet in terris. [*Euntes ergo docete omnes gentes.*] Ordo pulcherrimus, vt primo doceantur qui sit Deus pater, & filius, & Spiritus sanctus per quem fit remissio peccatorum, & quia nisi quis corde crediderit & ore confessus fuerit, non habet remissionem peccatorum. Cum hæc homo intellexerit, tunc debet baptizari. Nam si ætatem & hæc non crediderit, in vanum baptizatur, sicut pecus aut metallum. Infantibus vero paruis pro eorum fide qui pro eis respondent fit remissio, sicut de paralytico dicitur. [*Videns* IESVS *fidem illorum qui offerebant, dixit paralytico. Confide fili, dimittuntur tibi peccata tua.*] [*Baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti.*] Sicut est æqualitas in Trinitate, sic in vocatione & immersione æqualitas, cum vnoquoque nomine & mersio celebrari debet baptizantes, id est lauantes, quia sicut à foris ita interius mentem lauat. Et ideo cum tali elemento res agitur, vt quod videt fieri, à foris, credat similiter intus fieri, quia peccata quasi quædam sordes animarum. [*Docentes eos seruare omnia quæcunque mandaui vobis.*] Superius præcepit docere de credulitate Dei, & de remissione peccatorum quæ fit in baptismo his qui credunt & confitentur, & credulitatem etiam habent, nunc præcepit vt doceantur baptizati, quid seruare debeant, vt vestem quam acceperunt in baptismo, immaculatam perferant ante tribunal Christi, & quia baptismum vnum est, & non potest iterari. [*Omnia inquit quæcunque mandaui vobis.*] Omnia subauditur præcepta quæ mandaui, id est commendaui custodienda vobis, vt qui in Trinitate fuerint baptizati, omnia faciant quæ præcepta sunt, (*Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi.*) Quod est quod dicit, *Ecce ego vobiscum sum*: cum alibi dicat. Hæc sunt verba quæ locutus sum ad vos cum adhuc essem mortalis, sicut & vos. Quod autem promittit: ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi, de præsentia diuinitatis, & adiutorio quo prope est Dominus omnibus inuocantibus eum in veritate. Quamdiu viuentes fuerunt fuit cum eis omnibus inuocationibus eorū, & modo vident faciē eius in contēplatione claritatis, quia corpore recedebat, diuinitatis præsentiam pollicebatur, ne diffiderent, licet corpus non viderent. Est Deus vbique, & est etiam cum reprobis præsentia diuinitatis, quia cuncta videt & penetrat. Sed aliter est cum electis, vt faciat eorum voluntatem & secundum suum placitum eos dirigat: vt Psalmista ait. Voluntatem timentium se faciet & deprecationem eorum exaudiet, & saluos faciet eos. Quod autem dicit vsque in finem seculi debeat esse cum discipulis: ostendit se scire diem iudicij, & demonstrat quod post mortem discipuli esse debeant.

E F G H

A Ecce ostendit duas sibi inesse naturas, vnam quæ recedebat corporis, alteram quam pollicebatur diuinitatis. Vnde conticescat Eurices Abba & Monachus, qui Christum post humanam assumptionem negauit assistere de duabus naturis sed solam in eo diuinam asseruit esse naturam. Cum enim hæc prædicaret, & non posset conuinci ab aliquo, Martianus Imperator congregauit Synodum sexcentorum triginta Episcoporum in Cidonia vrbe aduersus eum, & per quadraginta dies disputatum est, ab Episcopis contra eum & sex Monachos eius, & non potuerunt eos conuincere. Tunc in angustia Imperator constitutus dixit ad omnem cœtum: Ecce nos reliquimus idola & voluptates nostras quibus pagani delectabamur, & modo abdicatis delectationibus pro fide nostra patiemur infernum. Sed scitote quia nisi cognouero verissime quid debeam credere, conuertam me ad seculi voluptates cum omni orbe terrarum, vt si vitam æternam perdidero fruar delectatione seculi: & non doleam in illa vita vtrunque
B perdidisse. Ecce vos omnes Episcopi non potestis conuincere istos septem, qui dicunt verbi Dei & carnis naturam vnam esse: & dicunt quia vos hæretici estis & vos hæreticos econtra eos putastis: sed in disputationibus contraire non potestis & ideo ignoro quibus potissimum credere debeam. Vos qui columnæ & rectores Ecclesiarum esse debetis, inuenite consilium quo non pereat mundus, qui vobis à Domino est commendatus. Tunc respondentes Episcopi dixerunt: Oremus omnes Dominum vt ostendat populis suis, qui verum, qui ve falsum dicat. Tunc extitit quidam qui diceret quendam esse reclusum in petra, in similitudinem sancti Simeonis, Achatium nomine per triginta annos: qui virtutes faceret: & alium heremitam super Iordanem eiusdem famæ virum. Tunc consilio Episcoporum præcepit illuc ire, & adducere illos. Cumque venissent ad specum Achatij duo Episcopi, dixerunt ei mandatum Imperatoris & Episcoporum. At ille respondit: *Ego non egrediar de hoc specu viuus: quia nec ambulare possum, nec disputare.* Erat
C namque ad mensuram corpusculi eius excisa petra: ita, vt neque hac neque illac se posset conuertere: sed quasi orans iacebat inclusus in petra. Panis autem dabatur ei per fenestram & potus. Quod de corpore eius iuxta purgationem humanam exibat, per foramen ad terram decidebat. Igitur cum Episcopi quod nollet exire, præceperunt destrui specum, & expelli eum. Tunc cœpit ille adiurare, ne viuentem eum expellerent: sed Episcopi pro salute populi non eum audierunt. Cumque eductus esset, fuit sic rigidus sicut in specu steterat: & non valuit se erigere aut ambulare, cum equo tamen deportauerunt eum ad Imperatorem, simul cum illo alio heremita. Dixitque ad eos Imperator. Quod vobis impedimentum fecimus, pro salute totius mundi fecimus. Quia ecce sunt septem monachi, qui dicunt quod vna natura filij fuerit in filio Dei post assumptionem carnis. Quod omnes Episcopi aliique cum eis denegant: sed in disputando non possunt conuincere illos, & nisi subueneritis, omnes iterum ad paganitatem reuertemur: quia nescimus quid
D credere debeamus. Respondens Achatius dixit: *Ego non possum verbis contendere: quia diu est, ex quo disputare, vel syllogismos legere desiui.* Isti autem ab infantia vsque nunc hoc studuerunt. Et magister gentium præcepit discipulo, dicens. *Noli verbis contendere: ad nihil enim vtile est, nisi ad subuersionem audientium.* Propterea necesse est conuerti ad Deum, vt ipse ostendat quis rectius credat: & si vult saluam fieri Ecclesiam suam. Tunc interrogauit si esset in vicino aliquis locus, vbi Deus virtutem ac signa per aliquem demonstraret. Dixeruntque ei, quod S. Eufemia virgo miracula demonstraret frequenter in his qui per eius suffragium Deum peterent: quasi miliaria duo à ciuitate. Abiit Imperator cum omni synodo. Cumque peruenissent illuc, præcepit ille Achatius aperire sepulchrum eius. Quod cũ aperuissent visa est iacere quasi dormiens in lecto. Venitque Rex, & osculatus est eam in pectore & Episcopi, atque omnis populus. Hoc facto, præcepit præfatus vir Episcopis & monachis: vt scriberet vnusquisque fidem suam & sigillaret. Quod cum fecis-

E sent, posuit eas prædictus vir supra pectus eius vidente Rege & Episcopis ac hæreticis. Quo facto, exierunt omnes de basilica, & clausæ sunt omnes in gyro: & sigillatæ de anulo Regis, & Episcoporum atque hæreticorum. Dixitque Achatius ad omnem cœtum. Ieiunate & & orate per tres dies in circumitu Basilicæ, vt ostēdat nobis Dominus quorum fides beneplacita habeatur. Fecerũt ita vt præceperat. Die autē tertia, dixit Achatius Episcopis & hæreticis. Videte diligenter sigilla vestra si salua sunt, ne postea aliqua dubitatio habeatur. Responderunt Episcopi & hæretici. Salua sunt signacula nostra: quia per vices tam nostri quam illorum in die ac nocte vigilauerunt. Quodcunque nobis Deus ostenderit, absque dubitatione credemus nec contradicemus. Tunc aperuerunt ianuas, & peruenerunt ad sepulchrum virginis: & viderunt quod vnam chartam haberet de pectore suo eleuatam, & super os suum missam, ac compressis manibus deoscularetur: aliam autem quasi corrosam à soricibus minutam sub pedibus calcabat. Non tamen cognouerunt F
quæ vna esset & quæ altera. Dixitq; Achatius ad cœtum. Videtis quia vnam fidem osculatur per quam ipsa salua facta est, aliam calcat sub pedibus? Quid vobis videtur? Responderunt omnes, illi fidei omnes nos subiiciemus, quam ipsa osculatur. Eleuatisque manibus eius desuper charta apparuit esse charta Episcoporum, & illa hæreticorum corrosa. Quod videntes omnes glorificauerunt Deum, & corroborati sunt in fide sua. Hæretici quoque hæc videntes, proiecerunt se ad pedes Achatij, & crediderunt sicut in charta integra inuenerunt: & egerunt pœnitentiam ab errore suo. Postea vero reduxerunt illos bonos homines ad loca sua: & illum primum recluserunt in Ergastulo suo, sicut fuerat: & illum alterum dimiserunt in solitudine sua & saluauit Dominus Ecclesiam suam ab errore perfidorum. Quod & nos filij Ecclesiarum orare debemus vt Deus omnipotens eam custodiat vsque in finem seculi inconcussam & incontaminatam vt absque macula & ruga occurrat in die iudicij. G
Quod annuere dignetur, qui pro ea effudit sanguinem suum Dominus noster Iesus Christus, qui viuit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

Explicit expositio super Matthæum.

EXPOSITIO BREVIS super Lucam.

Lucas ipse consurgens causa scribendi Euangelium, ne Pseudo Euangelistis esset facultas prædicandi falsa, sub nomine XII. Apostolorum falso fuisse Euangelia conscripta, quod Dauid in XXIV. sortes diuisit Sacerdotes cum Leuitis, & familias, & octaua sors Abia, vt præco Noui Testamenti monstraretur. [*Iusti ante Dominum.*] Non est iustus ante Dominum, si iustitia non ex mentis simplicitate formetur. Prius mandatum, posterius iustificatio. Cum iudicamus congrue, cauere Domini iustificationes videmur. Laus à genere, à moribus, ab æquitate, ab officio, à mandato, à iustificatione. [*Et sorte exijt.*] Non tunc incensum erat ponendum: sed prisca sorte cum inuicem Abia succederet in ipso anno. Incensum autem defert decimo die septimi mensis expiationis, siue propitiationis, qui aliquando in Septembri, aliquando in H
Octobri occurrit, propter varium cursum lunæ. Corda patrum conuertit in filios. Prudentia iustorum est, non de legis operibus iustitiam præsumere. Taciturnitas, & signum & pœna incredulitatis fuit. Angeli cum ad nos mittũtur sic exterius implent ministerium, vt tamen nunquam desint interius per contemplationem: quia circumscriptus non est. [*Post hos dies.*] Videlicet officij Zachariæ. Post diem expiationis, mutatio fiebat Sacerdotij. Aliter per Zachariam Sacerdotium Iudæorum per Elizabeth legis sterilitas, quia nihil ad perfectum adduxit. Et licet Moysi temporibus & deinceps effloruerit, id aduentum tamẽ Domini quasi senectute confecta erat.

Sacerdotium Dei, secreta cognoscit Hebetes foris stăr, & quinq; mensibus occultant: quia legifer per quinq: libros mysteria Christi per ænigmata adnuntiat: vel lex Christi dispensationem in quinque ætatibus præfigurat. [*Erat pater eius Ioseph.*] Opinionem vulgi expressit. Et multi adoptant: quos filios vocant. [*In signum cui contradicetur.*] Nam de secta hoc notum est: quia vbique ei contradicetur. [*Lapis offensionis: vt reuelentur ex multis.*] Incertum erat, qui Iudæorum gratiam Christi recipere qui respuere vellent. Anna venerandæ conuersationis dignæ ætatis dicitur fuisse Christo testimonium dare: & Ecclesiam significat. Numerus annorum viduitatis quo peregrinatur in sæculo, septies per septem duodecim duodeni: octoginta quatuor fiunt: quatuor ad huius sæculi cursum: duodecim ad perfectionem Apostolicæ doctrinæ pertinent, quisquis totum vitæ suæ tempus Apostolicis mancipatet institutis, octoginta quatuor annis Domino seruit. Per septem quos cum viro suo manserat, dominicæ incarnationis tempus signatue: qoia per septem *perfectio* significatur. Anna, *gratia Dei.* Phanuel, *facies Dei*: Aser, *beatus*: & octauus in ordine nascendi. [*Reuersi sunt in Nazareth.*] Prætermisit Lucas quod dixit Matthæus, Dominum ex Ægypto deportatum. [*Sapientia & gratia Dei.*] Sapientia secundum carnem: quia in eo habitat plenitudo diuinitatis corporaliter. Gratia vt dicit Ioannes: plenum gratia & veritate: quod Lucas sapientiam dicit: [*Et ibat in Pascha.*] Lucas recte vitulo assimilatur, qui de Zacharia narrat. Maria ad templum mittit Dominum cum hostia: Iohannem similiter non cum parentibus & post laodantes Deum discipulos in templo. [*Sed cum esset annorum duodecim Christus.*] Vbi tempus affuit, vitamque suam natutam cœpit aperire, ne paruuli erubescant discere à senioribus. Deus asculrare voloit homines, ne infirmi docere audeant, non docuit vsque ad triginta annos. [*Stupebant super prudentia.*] Quia ætatem paruam videbant. Quasi homo interrogabat seniores: quasi Deus respondit, quod seniores & docti mirareotur. [*Iesus sapientia atate, & gratia proficiebat.*] Ætas carnem, sapientiam ad animam grana ad intelligentiam naturalem: quæ concessa est causa rationis. Herodes & fratres eius: filij alterius Herodis: inter quos & ipsum Herodem, Archelaus frater eorum decem annos regnauit. Anna ante: Cayphas ipso anno quo Dominus crucifixus est. [*De lapidibus filios Abraha.*] De quibus Paulus: Si autem vos Christi, ergo semen Abrahæ estis. Securis Christus qui retinetur ex manubrio: incidit, ex diuinitate. Arbor, genus humanum. Videtur quod circa tempus natiuitatis Domini pax per duodecim annus fuerit, vt completetur quod Propheta dixit: Conflabunt gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces: vt Apostoli per orbem ire possent: Prima descriptio quæ orbem terræ totum descripserit: vel certe primo cœpisse, quando Cyrinus Syriam venit. Augustus, Christum: consules, prædicatores. Denarius pro decem nummis de ære soluebatur quod significat Decalogum. Securis ad radices, quando tota simul progenies tollitur. [*Qui habet duas tunicas.*] Per hæc quod tunica plus est necessaria quam pallium, præcipitur vt etiam valde necessaria cum proximis partiamur. [*In igni.*] hoc est in purgatione sanctificationis & probatione tribulationis. Etiam Spiritus sanctus ignis nomine. Vnde dicitur: *Baptizabimini Spiritu sancto.* Per paleam, iusti examinis discretio. Per aream Ecclesia. Paleæ, isti qoi mysteriis imbuuntur diuinis Zizania, qui non dignantur audire diuina mandata. Ioannes Baptista figuram legis tenet. Cœlum apertum propter nos: & propter nos Spiritus sanctus, & reliqoa. [*In te placitum meum constitui.*] hoc est per te gerere quod mihi placet: quia hinc non creasse pænituit. Tricennalis, & à fide sanctæ Trinitatis & operatione decalogi, triginta cubitorum funiculus erat, qui mare ambigebat, & VI. metretas capiebat. Ioseph trigesimo anno de carcere educitur. Dauid trigesimo anno rex constituitur. Ezechiel trigesimo anno apertos cœlos vidit. Tabernaculum longitudine triginta cubitos habuit.

Iacob & Heli fratres fuerunt, mortuo Heli, Iacob in vxore generauit Ioseph. Matthæus per quadraginta duas generationes præsentis sæculi significat laborem Ecclesiæ. Lucas autem per septuaginta septem à Christo vsque ad Deum ascendens, significat ascensuram Ecclesiam post baptismum & remissionem peccatorum ad cœlum. In generationibus Matthæi nostrorum susceptio, peccatorum à Christo. In luce generationibus: obliuio peccatorum à Christo. Et ille descendens iste ascendens. Et Lucas de septuaginta editione sumpsit hanc generationem, Enoch in septuagesimo loco: vt significet qui spiritaliter decalogum impleuerint transferendos in requiem. [*Non tentabis.*] Suggerebatur enim tanquam homini, vt signo aliquo exploraret ipse quantum esset: id est quod multum apud Deum potest: quod viriose fit com fit. [*Vsque ad tempus.*] Postea enim accessit non tentaturus, tribus fraudibus expositis, omnem temptationem dicit esse consummatam, quia videlicet his omnium vitiorum origines amplectentur: vt Ioann. ait: *Omne quod in mundo est concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vita.* Et in Euangeliis, tribus solum negociis ab æterna vita excluduntur. Primus pro villa: secundus pro bobus, tertius pro vxore. Vxoris appetitus, sicut & gula ad concupiscentiam carnis pertinet. Villæ emptio pro auaritia ad superbiam vitæ respicit. probatio ad curiositatem, quæ est vanagloria. Ad quod Dominus triplici telo armari iussit: vt ieiunio contra concupiscentiam carnis: eleemosynam contra auaritiam: precibus iactantia pellatur. In secundo libro Iosephus repetit ea, quæ ante Dominus ante traditionem fecit, scilicet primo anno: alij de secundo. [*Virtute spiritus.*] Signa miraculorum dicit. Primo Dominus virtutum signa monstrauit per sapientiam. Præceptum Iudæis fecerat vacate & videte. Et domus synagoga dicebatur. Vnctus est in Iordane præ participibus suis, oleo spiritali & virtute cœlesti. Diem retributionis: quo filius hominis venturus est in gloria. Aperuit Dominus librum, qui aperuit scripturam: reddit ministro, Apostolis. Stetit, quando incarnatus est, sed quando in cœlum ascendit plicatum reddidit, quia non omnibus omnia sunt dicenda. Ideo impleta: quia sicut prædixerat ipsa & magna faciebat: & maiora Euangelizabat. Testimonium illi dabant eum esse, de quo Prophetæ prædixerant. [*Fabri filius.*] quia pater Christi igne operatur & spiritu. [*Seipsum curare,*] hoc est virtutes in sua patria iubet facere. Noluit Dominus alia morte mori, nisi in cruce. In potestate fit sermo Doctoris, cum ea quæ docet operatur. [*Sine.*] Quiesce à me torquendo. Non voluntatis est illa confessio, quæ præmium non sequitur, quoniam diabolus primus peccauit: ideo primo lingua eius obclusa est. [*Et nihil ei nocuit.*] Non debilitauit in membris. Homines expellunt dæmones Dei verbo: Christus propria potestate. Vir liberatus, animus hominis intelligitur, fœmina caro intelligitur à concupiscentia refrenata. Non putauit se diabolus morte Domini esse damnandum. Mare Galilææ & Tyberiadis & Genesar, vnum est: & reria, quasi retinentia dicuntur: non mersæ, sed periclitatæ sunt. Nondum cœperat sacrificium sui corporis: quia non oportebat auferri vetus, donec veniret nouum. In monte orat: in ciuitate prædicat: & satis contemplatiuè & actiuè vitæ exempla donat. Capharnaum etiam dicta est ciuitas Christi: quam illustrando virtutibus fecerat suam. Quatuor virtutes, sobrietas, sapientia, iustitia, & virtus. Paralyticus: homo peccator, turba, consuetudo peccandi, domus, scriptura sacra est, sub tegulis, quia sub conceptibili velamine. Cum lecto: hoc est cum carne debet Christum cognoscere: & lectum tollere, ipsam carnem refrenare per continentiam. Ad domum, & ad paradisum ire: vel interna custodia. Sanos, qui suam iustitiam nolentes constituere. Quicunque ieiunant nisi in membris Christi incorporentur, frustra faciunt. Ioannes ieiunauit vt meritum augeret Christus absque peccatu, peccata donauit. [*Nemo bibens vetus.*] Iudæos dicit. [*In secundo sabbatho primo.*] Hoc est secundo Sabbatho, prima incarnatione:

vide

Digitized by Google

A videlicet secundum: quia per legem præceptum primum: quia ante legem à iustis obseruatus est. Pauce ante Sabbathum coquebantur, & in Sabbatho ponebantur in duabus cum thure patenis anteis, vsque ad illud Sabbathum. P. Hebræi non sonant. Alphæus Cleopas dictus est, & Alphæus *doctus* dicitur. Iudas Tathæus Scarioth, *memoria mortis*. Maritima à mari, in quo Tyrus erat. Raro infirmum in monte inuenies curatum. Et si generaliter Christus loquitur, specialius tamen in discipulos oculos leuat. Matthæus propter resurrectionem, quinque ponit beatitudines. Lucas virtutes amplectitur: In paupertate temperantiam: in esurie iustitiam: in luctu prudentiam: nascentes pro quibus debeant flere, in perfectione fortitudinem: vt valeant tolerare. Omnia ista Dominus habuit. Prophetas, Pseudoprophetas, dicit. Peccatum vsque ad mortem. Impugnatio charitatis fraternitatis, pro quo Paulus non orat pro Alexandro. [*Omni petenti.*]
B Id est honeste & iuste. Fructus malus, operatio carnis: fornicatio, &c. Fructus spiritus, bonitas, charitas. Spinas, sæculi curas: fundamentum singulariter Christus: fundamenta pluraliter, Doctores. Fossio, intentio quæ de cordibus fidelium omnia terrena eruit moraliter. Fundamenta, vniuscuiusque cogitationes vel intentiones bonæ. Fluminis inundatio: portæ inferi, vel temperantia carnis. Domus diaboli mundus. Sine fundamento: quia omne peccatum non habet substantiam vel discrimen extremi iudicij. [*Erat moriturus.*] Quare dicitur moriturus cum non fuerit? Quia reuera erat moriturus, si Domini precibus non vixisset. Centurio fide accessit ad Deum. Dominus & humilitatem ostendit in eundo: & potentiam absens sanando. Ad reguli filium ire noluit, ne diuitias honorare putarent: hic, ne conditionem spreuisse viderentur. Iste gentium populum figurat. Seniores quos misit: Ecclesiæ sunt boni viri centum viris [illegible] Quod significat perfectionem virtutum. Centum annis ædificatur archa. Abraham centenus filium accepit. Hæc centuplum inuenit: de Ieua centum [illegible] in [illegible]
C centesimus Psalmus misericordiam canit. Misit Ioannes discipulos ad Dominum, vt crederent in eum: & ideo Dominus fecit virtutes, & dixit: *beatus est, qui non fuerit scandalizatus in me.* Qui minor est in regno Dei, vel Dominus vel Angelus. Iustificatum Deus per baptismum, dum se omnes peccata propria confitendo iustificant. [*Spreuerunt in semetipsis, contra semetipsos.*] Hoc aliqui ex persona Domini aliqui ex persona Euang. [illegible] dictum putant & per hæc exponens de Pharisæo. Generatio Iudæorum de ipsis cantauimus vobis Prophetæ. Qui autem dixerunt ad eos: *Saltatio religiosa, agilitas membrorum, [illegible] exultatio lamentum, conuertimini ad me in ieiunio.* Discipuli, filij sapientiæ.

MAria primo in Galilæa, secundo in Bethania vnguento Dominum vnxit: Ecclesia vel anima in præsenti carnis eius mysteria celebrando, in futuro gloriam æternitatis, quod ibi turpiter exhibuit, hoc totum in Domino replicauit. Pharisæus, Iudaicum populum
D significant Domus Pharisæi, custodia legis est, discubuit in carne appruit.

Duo debitores duo populi vel Pharisæus & mulier. Fenerator, [illegible]. Chorozaim, [illegible] Bethania, *Domini gratia.* vel *Domus* [illegible]. [illegible] Maria, hic [illegible] magis [illegible] non fuit perseuerantiæ amor: nec in [illegible] perfectionis. Actiua & contemplatiua [illegible] In actiua, dilectio proximi: in contemplatiua dilectio Dei. Lucerna, verbum Dei: vas electum carne, vel vas [illegible], terrenas voluptates, quæ sunt lectum, candelabrum corpus. Qui eum habet [illegible], sensus intelligendi. Naioth, hic crucem significat, [illegible] colonum [illegible] significat. Vrbs insignis trans Iordanem [illegible] Galaath. Per virgam quæ secundum Marcum portanda, potestas accipiendi in subiectis designatur. Et ne induerentur duabus tunicis, præcepit non duplicitet, sed simpliciter incedere. Diuersi conuiuantium discubitus, diuersas Ecclesias per

vrbem. Quinquaginta, quia quinquagesimus Psalmus E
pœnitentiæ. Dies assumptionis, tempus passionis dicit. [*Videbam Sathanam,*] non modo, sed prius videbam quando corruit. Scripta sunt nomina vestra, quasi litteris adnotata apud Dei memoriam fixa æternaliter. [*Reuelasti paruulis,*] aduentus sui Sacramenta Apostolis apperuit. Timore, damnat acumen [*Omnia mihi tradita sunt.*] Id est omnia electa vt ad me veniunt. [*Nemo scit qui sit filius nisi pater: & cui voluerit filius reuelare.*] Quia ad vtrunque respicit, & ad filium & ad patrem. [*Quis vestrum.*] Amicus Dominus intelligitur. In media nocte, in tribulatione. In parte sui, intelligentia trinitatis. Amicus qui venit de via, noster est animus qui de terrenis ad Deum reuertitur. Ostium intelligentia diuini sermonis. Pueri patrisfamilias, prædicatores veritatis in requie. Et fide intelligentia datur: est homo. Panis charitas: lapis, duritia: piscis, fides propter baptismum. Serpens, infidelitas: in ouo spes. Scorpio, desperatio: F
Malos dilectores sæculi, terrena bona quæ nobis bona videntur data à Deo. Confessio hæc ad laudem: quia Martha & Maria, & discipuli studiosi fuerunt ad audienda Domini secreta.

Lucerna humanitas: testa, lumen: diuinitas, candelabrum: Ecclesia, lucerna: sub modio, sub mensura legis: vel intra terminos Iudææ gentis. Corporis nostri lucerna interiori, corpus opera nostra. Mortificate membra vestra quæ sunt super terram.

Qui decimatis has noui eleemosynas vestras: nec de his admoneo. Vno digito, hoc est nec in minimis perficitis. Non monumenta Prophetarum ædificare: sed interfectorem amare, peccatum est. Consentitis operibus eorum, Dominum qui eis de Prophetis pronunciatus est mortis agendo. Sapientia Dei, ipse videlicet. Per Abel & Zachariam: vtriusque gradus martyres & laici, scilicet altaris officio mancipati. Clauis scientiæ, humilitatis Christi est. Intrare, est non esse contentum superficie litteræ, sed vsque ad intelligentiæ secretioris arcana penetrare. Doctor, qui exemplo docuit. *Nec intrat nec per-* G
mittit intrare. [illegible] Pharisæorum, Hypocrisis. Attendite ne [illegible] : quia veniet tempus in quo eorum Hypocrisis reuelabitur. In templum Domini [illegible] tabulatum quinque cubitis super laquearia. Assis, si declinatur, masculini generis. Dipondius: genus est ponderis leuissimi, ex duabus assibus compositus. Quod de vobis non est cura Deo: cum de passeribus, subauditur dicit? Sed aliud scientia, aliud cura: [*Nonne vos pluris estis.*] Hoc est maioris precij. Est legendum quod ad comparationem numeri pertinet: Sed pluris estis, hoc est maioris apud Deum meriti & dignitatis, & æstimationis, quam innumera passerum vel corpora vel genera composita mihi. Non remittetur qui manifeste intelligens opera Dei, eadem stimulat omnis inuidia. Calumniatur & Christum, & opera sancti Spiritus dicit Beelzebub, tales non dimittetur. [*Anima plus est quam corpus.*] Anima hic pro ipsa vita posita est, vt est illud. Qui amat [illegible] [*Pluris estis illis.*] [illegible] H
[illegible] valetis. [*Q* [illegible]] Id est adducere ad staturam suam. [illegible] Transite [illegible] ad regnum [illegible]. Quis [illegible] potest [illegible] est [illegible]. Aliud [illegible], id est nullus. [illegible] omnia cælestis regni gaudia. Non vt soli docti Domini [illegible], sed vt abundantius cæteris sanctis æterna possessione fruantur. *Q* [illegible] In vno malo [illegible] populus malorum designatur. Aliud est nescire aliud scire noluisse. Igitur feruorum, Spiritus S. gratiam [illegible]. Singulis [illegible] intinctione ponitur & [illegible] corda inflammare. Et quid [illegible] angebatur & contristabatur æternitatis tempore passionis: ex mora nostræ redemptionis non ex [illegible].

Quinque in vna domo pater & mater, filius & filia [illegible] vel socrus. Synagoga, Christus: filia, Ecclesia. Nubibus, caro Christi resurgens, ex quo imber prædicationis, auster, æstus tribulationis, subauditur procedit. [*Quid*

autem

A *autem & à vobisipsis non indicatis quod iustum est.*] Hoc est quod homo est, nec mala quæ caueat, nec bona potest ignorare quæ appetit. Minutum siue quadrans, quarta pars unciæ videtur: & quinta pars in atrio templi. Sacrificia deferebantur à laicis in interiora ad Pilarum. Os malleatoris, diabolus, miscuit bona opera cum viciis, & perdidit multos sicut & illi decem & octo, supra quos cecidit turris in Siloam, id est primo Caim. Significant eos qui nomen Domini iniqua specie imitantur, quia iisdem litteris nomen Domini scribitur. Turris Siloa quod interpretatur missus, & significat Dominum. Super quem ceciderit, conteret eum. Vel nos ædificare debemus turrim virtutum. Vinea, domus Israel. Ficulnea, synagoga. Cultor vineæ, ordo Doctorum. [*Succide eam per ramos*,] prædicatio Apostolorum. [*Fodiam*] prædicem stercora malorum. Quæ fecit, commemorem. Si fecerit, non subiunxit, qui procliuiorem videbat ad
B malum. [*Mulier inclinata*] pars synagogæ quia credidit. Per quatuordecim id est sex per ætates & sex tempora Domini visitationis in terrenis intenta. Vidit prædestinando, vocauit, per doctrinam, imposuit manus, spiritalia dona. Homo, Christus, ortus, Ecclesia, granum sinapis, verbum Euangelij, accepit à diuinitate homo Christus. Rami, dogmatum diuersitates, vel ipse Christus quem Ioseph sepeliuit in ortu. Fermentum, dilectio Dei & proximi: donec perficiamus omnia mandata. Quærunt intrare salutis amore, & non poterunt itineris asperitate. Claudet ostium, locum pœnitentiæ auferet. Manducauimus in obscurioribus locis scripturarum, bibimus apertiora. Fletus de ardore: stridor dentium de frigore: duplex gehenna ostenditur.

Eiicio dæmonia & sanitates perficio, hodie & cras: tertia consumor. Referatur ad corpus eius quod est Ecclesia. Expelluntur dæmonia, cum relictis paternis superstitionibus credunt in eum omnes gentes, & perficiuntur sanitates, cum secundum eius præcepta viuitur.
C Posteaquam fuerit diabolo & huic sæculo renunciatum, vsque in finem resurrectionis, quia tanquam tertia consummabitur, hoc est ad plenitudinem Euangelicam. Per corporis etiam immortalitatem perficietur Ecclesia, vel hodie & cras præsens, & in futurum, quo ipse prædicauit tertia die cú resurrexit: omnia scripta de se consummauit. Non prohibuit fratres vel cæteros imitare, sed discreuit illam imitationem ab eleemosyna. Ideo non ait, ne fiat tibi peccatum, sed retributio. Sunt autem quædam conuiua: quæ comessationes vocantur. Comessationes sunt luxuria, conuiuia. Si quis simpliciter exemplo facit filiorum Iob, sicut cætera fraterna officia, Deus remunerator erit. Panem in regno Dei manducat, si quis Christum in incarnationis Sacramento frui meruerit, sed multius ore non corde. Ideo narrat parabolam de illis: cum duplo exercitu contra simplum venit: qui nos vix in solo opere præparatos, simul de corpore & cogitatione discutiunt. Stola prima vestis innocentiæ: serui, prædi-
D catores, anulum, fidei signaculú in manibus: vt per opera fides clarescat: calciamenta in pedes, officium Euangelizandi. Vitulus Christus. Hœdos apud ipsos Christus. Vnus de seruis, Propheta aliquis de Spiritu sancto. [*Omnia quæ habet pater mea sunt.*] De his dixit: quæ ad patris pertinent diuinitatem. Ista parabola & ad duos, pœnitentem, & iustum potest referri. [*Deridebant eum.*] quia lex & Prophetæ non præcipiebant, ita omnibus bonis imo abundaturos, si legem obseruarent. [*Væ homini per quem scandalum venit.*] Id est Pharisæi irridebant doctrinam Domini, & auertebant alios ne in eum crederent. Vtilius est innoxium pœna atrocissima vitam finire corpoream, quam fratri nocenti mortem animæ mereri perpetuam, id est pusillus est qui scandalizatur contra iustitiam: non est curandum de scandalo fratris. Septuagies septies quadringentis nonaginta vicibus. [*Auge nobis fidem.*] Quia Dominus dixerat supra. Si in alieno fideles non fuistis: ideirco hæc docuit. Granum sinapis gargarizatum, purgat caput: per pistillum: persecutio, per morum arborem omnes arbores, vel verbum

E Euangelij in gentibus missum designatur. Seruus arans aut pascens: quilibet Doctor intelligitur. Regreditur de agro, cum intermisso opere prædicationis ad conscientiam reuertitur. Cui non dixit statim transi de hac vita in æternam, sed stude virtutibus: cui præcingi, est mentem ab omnibus malis cogitationibus coostringere. Si homo ab homine multa seruitia quærit quanto magis creator noster. [*Inutiles serui.*] quia Dominus vester bono vestro non indiget. [*Qui fuerit in tecto*] in celsitudine virtutum. [*Vasa eius:*] Concupiscentiæ Carnales [*in agro*] in Ecclesia Vxor: illos qui in tribulatione, retro aspiciunt absq; spe diuinitatis. [*In illa nocte*] in illa tribulatione, [*in lecto*] in quieto, id est in ocio. Neq; negociis secularibus: neque Ecclesiasticis curis occupari, [*Vnus assumetur.*] Ec qui propter Deum faciunt. Qui aliter relinquetur. [*Duæ molentes.*] Qui in plebibus constituti reguntur à docto-
F ribus fœminarum: omine quia peritorum regi eis expedit. Et molentes, propter temporalium negociorum orbem atque circuitum designantur. [*Vna assumetur.*] Ea pars quæ connubia propter amorem tantum generis exercuerit, terrenamque substantiam propter Deum dispensauerunt. [*Duo in agro*] in Ecclesia prædicatores. (*Vnus assumetur:* qui verbum Dei propter Dominum adnunciat Tres ordines prædicatorum, continentes atque coniugati. (*Vbi fuerit corpus, congregabuntur & aquilæ,*) vbi Dominus, & electi cum illo: qui eius passione tanquam carne saturantur. Aquila altius volat per lapidem: à serpentibus se defendit, baptizatur in Iordane. Semper orare: ea agere semper quæ iusta sunt. (*Iudex quidam erat in ciuitate.*) Parabolæ aut ex similitudine, aut dissimilitudine ponuntur. Hic iudex non ex similitudine, sed dissimilitudine adhibetur scilicet ostendens quantum Deus curæ de deprecantibus & se. (*Putas inueniet.*) Charitatem bonorum ostendit Dominus futuram in die iudicij. Non autem dubitat sed arguit: sicut Paulus. Puto, & ego spiritum Dei habeo. Pro duobus modis iusti dicuntur vindictam precari de malis. Quatuor sunt species, quibus homo superbus cum bonum se habere putat, sibi datum pro suis meritis putat: aut iactat se habere quod habet à singularitate, vult habere quod habet. Nolite effici sensibus, sed malitia: vel sicut pueri in discendo,
G non contradicendo. Neque rationes opponit, sed fideliter suscipit, sicut & oues. Verbum audierat iste princeps de introitu regni cœlorum de pueris, propterea interrogat quibus operum meritis intrare possit. Non se magistrum bonum non esse, sed magistrum absque Deo nullum bonum esse testatur. Foramen acus, angustias passionum: qua scissa natura nostra resarcire dignatus est: possibile est apud Deum videlicet vt diues efficiatur pauper Christi, & sit humilis & reliqua: in hoc tempore, hoc est societate omnium Christianorum. Zachæus iustificatus dicitur: significat gentilem populum. Sicomorus crucem significat: quia à multis irridetur. Ascendere, in crucifixum credere: descendere, quia si noueramus Christum secundum carnem iam nouimus. (*Homo nobilis.*) Christus (*Regio longinqua,*) Ecclesia est: vel quia à finibus terræ ad
H eum clamat Ecclesia: vel quia longe est à peccatoribus salus. (*Decẽ mnas.*) Denarius numerus ad legem pertinet Elegit discipulos per legem imbutos: dedit decem mnas. Quia legis dicta spiritaliter intelligere fecit. Mina quam Græci mna dicunt, à dragmis appenditur. Ciues, Iudæi, rediet, ad iudicium, sciret, scire faceret. Primus seruus, ordo doctorum: qui in circumcisione mnam vnam: hoc est vnum Deum, vnam fidem prædicare iussus est. Decem mnas acquisiuit populum Iudæorum. In modico in verbo diuino. Decem ciuitates, animæ per legis verbum ad gratiam Euangelij venientes. Alius seruus: cæcus qui prædicauit præputio, quinque mnas, gentilitas quinque sensibus dedita. (*Esto super quinque ciuitates.*) Hoc est super eos quos imbuisti: esto magnus & sublimis. Pecunia verbum Euangelij. Bethphage, domus buccæ: viculus Sacerdotum. Bethania ibi iuxta: ciuitas, Ecclesia super monumentum Lazari: quia multos ante passionem suam docendo donis piæ confessionis & obedientiæ spiritalis impleuit. (*In monte.*) hoc est in ipso Domino

que

A qui vnctiunes spiritalium charismatum luce resouet. Duo mittuntur, vel propter geminā charitatem: vel propter locutionem & operationem, qui contradicebant, magistri errorum. Dimidius annus erat quo Dominus non fuit reuersus in Galilæam quando venit ad passionem. Si isti tacuerunt quando ipse tacuerit, petræ scissione clamauerint. Monumēta aperta sunt: spiritaliter gentiles qui lapides dicti sunt. Ciuitas vel iste mundua, vel mens vniuscuiusque hominis. Quando à Iudæis susceptus est, decimus dies mensis fuit: Deo agnus iussus est accipi. Oh duas causas veritas celanda est, eamque indignus qui quærit: & qui inique quærit, à qua non est capax. Primus seruus ad vineam, Moses quem exacerbauerit. Alter Dauid de quo dixerit: qui nobis pars Dauid, tertius, Prophetarum chorus: ambigendu dicimr: forsitan vt libera voluntas homini relinquatur. Lapidem: huc est fidem Christi subtrahere: qui peccator est, & cecidit in Deum. Conquassatur quando peccat. Super quoa venier illis desuper in iudicio

B cum pœna perditionis. Moraliter vnusquisque vinea Domini per baptismum efficitur. Serui, Lex, Psalmi Prophetæ vel alia scriptura Domini, occidit: à se Spiritum S. effugat. Gazophylacium erat arca foramen habens desuper posita, iuxta altare ad dexteram. Ingredientibus domum Domini duo erant. Spiritaliter dicitur dilectio Dei & proximi. Vidua, Ecclesia, diuites Iudæi de iustitia præsumentes. [*Terror, qua de cælo.*] Stella gladio similis per annum totum supra Ierusalem pependit. [*Signa magna.*] Currus & equites armati per aërem discurrere visi sunt. Vitula ad sacrificium educta, enixa est agnam. [*Tunc qui in Iuda sunt fugiant in montes.*] Ecclesiastica historia narrat quia fugerunt omnes Christiani trans Iordanem in ciuitatem nomine Pellam, donec desolatio compleretur. [*Donec impleantur tempora nationum,*] hoc est donce credat multitudo eorum. [*Sonitus maris & fluctuum.*] quia delendum mare motus sui præmittet iudicia. Et Matthæus ipsam iudicij præsentiam narrat. Lucas præcendentia. Arescent qui in hoc mundo florere videantur, generationem

C autem, hominum genus: aut specialiter Iudæorum. Cœlū quod transibit non æthereum aut sidereum, sed aërium in quo aues cœli volant, ipsa quæ in aquis perierunt. Pascha primos dies quando agnus occidebatur: Azima, in crastinum: quando egressi sunt de Ægypto, per septem dies, qui significant totum vitæ nostræ tempus, in quibus fugere debemus de Ægypto. [*Cœperunt autem accusare.*] Petrus cucurrit: qood Ioan. se narrat fecisse: Petros autem fecerat: & quia Lucas dixit, Ioann. tacuit. Stadium, octaua pars miliarij: Id est sexaginta stadia octo passuum i. v. significant: id est VIII. & semis. Quod congruit bis, qui de morte ac sepultura certi, de resurrectione autem erant dubij. Resurrectio post septimam Sabbathi facta est. Octauus numerus resurrectioni congruit. Discipuli illi incedebant, dolentes illum esse mortuum. Sextum Sabbathi compleuerunt & septimum: quia hunc in sepulchro quicuisse non dubitabant. De octaua dimidium tantom egeruot, quia resurrectiooem non perfecte crediderunt. Qui falsum testimonium dicit contra Deum, pecu-

D niam vendit, & qui fraternam concordiam dissipat. [*Non bibam de genimine vitis.*] Vel simpliciter vel mystice: potest intelligi. In pane aqua: in vino aqua, designatur, vt ostendit per aquam populum super mensam. Mensa hæc cœlestis gloria. [*Ecce Sathanas expetiuit vos, vt cribraret.*] Expetere Sathanæ, est ad afflictionem electorum anhelare. Quando misi vos sine sacculo, &c. Sunt virtutes quæ semper tenendæ sunt: sunt aliæ quæ non sunt, vt fames, sitis, vigilias, nuditatem, lectionem. Similiter de isto in persecutionem præcipit habere pecuniam, victui necessaria, etiam & gladium. Gladij vero duo, sufficiunt ad testimonium sponte passi Saluatoris. Vnus ad audaciam Apostolorum, alius non exemptus patientiam eius. [*Quantum iactus est lapidis.*] Vt in eum dirigerent lapidem, id est intentionem legis quæ in lapide scripta est. Agonia, alaetitas vel confidentia. [*Sicut gutta sanguinis decurrentis.*] Significat terram irrigatam sanguine & per preces eius obtentutas, vt fidem discipulorum per sanguinem suum purgaret, & orbem terræ sua morte resuscitaret ad vitam. [*Sinite vsque huc.*] Id est non vos E moueat quod futurum est: permittite vt me comprehendant. Dum interrogauerit, Petrus percussit. Seruus, populum Iudæorum significat: Sacerdotum, ex quo eorum suggestu Barrabam elegerunt. Petrus ostendit diuino iudicio auditum legis ab eis ablatum esse. In eo quod sanata auris est, eos designat qui crediderunt de Iudæis. Nun per principes & Sacerdotes venerunt corpore, sed mente, quia Herodes natura & religione Iudæus erat, ideo mittit Pilatus ad eum Iesum. Alba vestis, quod Ecclesia dicit in cantico canticorum. Dilectus meus candidus & rubicundus. Columna in Ecclesia montis Sion posita: Domini cruotis vestigia demonstrat. Barrabas Antichristum significat. Cyrene Lybiæ ciuitas est: & interpretatur hæres. Maria Magdalena soror Lazari. Iohanna vxor Chuzi procuratoris Herodis: Maria Iacobi, soror sanctæ Mariæ.

F

EIVSDEM CHRISTIANI IN Iohannem per modum Epithomatis expositiuncula.

GRatiam pro gratia, id est, primo fidem, deinde remissionem peccatorum, & vitam æternam. De plenitudine eius misericordiæ accepimus. Lex per Mosen data est, ostensa peccata: hoc est remissio peccatorum. Veritas, cognitio ipsius & vitæ æternæ datio. Trinitas vnus Deus misit Iohannem baptizare, & Iohannes aliqua nouerat de Domino: aliqua esse doctus in baptismo, videlicet quia ipse per omnes suos seruos esset baptizaturus, & ipsius baptismus diceretur, non alicuius. Dolus est cum aliud agitur & aliud fingitur. In Nathanabele confessionem peccati laudauit folia ficulneæ intelliguntur peccata Nathanael, populus qui de Iudæis credidit designatur, Philippus prædicatores. Angeli, prædicatores, ascendentes supra filium hominis, supra Ecclesiam suam. Ascendentem vnumquemque vt Paulus. *Qui audiuit* (ait) *verba in paradiso, quæ non licet homini loqui.* Descen- G dentem, eum dicit: *Non potui loqui vobis tanquam spiritalibus, sed quasi carnalibus.* [*Stabat Ioannes,*] id est in persecutione virtutum, vnde merebatur celsitudinem considerare diuinitatis. Stabant discipuli, quia magistrom eius sequebantur in bonis. [*Videns Iesum ambulantem.*] Hoc est in terra cum hominibus conuersantem, & profectum vitæ demonstrantem. [*Agnus:*] quia immolaturum erat pro nobis, & lanis sui velleris largiturus exempla virtutum. Bene duo discipuli: quia Dominum sequitur geminæ charitatis munere ornatus debet incedere. Vidit illos, quia qui intentionem bonam habent, Dominus & approbat & adiuuat. Quod mansionem eius inquisierunt, docent vt omnes qui Dominum opere sequentur, pro vita æterna hoc agant. Hora erat decima: quia qui ad Domini mansionem vult venire, legem quæ in decem verbis comprehenditur debet habere consumma- H tam. Die vno manserunt: quia melior est dies vna in atriis tuis, super milia. Sicut Andreas fratrem suum ad Dominum adduxit, sic vnusquisque proximum suum debet ad Dominum docere. Intuitus eum IESVS interioribus oculis cordis: & nomen quod à parentibus acceperat, dicit: & nomen quod Ecclesiæ congrue vel fundamento imposuit. Dico CHRISTVM IESVM ministrum fuisse circumcisionis, id est executorem. Nathanahel, domus Dei vel Deus meus. Die tertia, tertia ætate sæculi. Primo ante legem, Patriarcharum exemplo, secundo sub lege, scriptis Prophetarum: tertia, sub gratia Euangelij. Mater Domini, synagoga, mulier, Eua appellata est: statim vt facta, inquit: *Formauit eam in mulierem.* Vasa sex, lapidea corda sunt sanctorum, quæ posita sunt ad exemplum credentibus, per sex sæculi ætates. Secundum purificationem Iudæorum. Quia illis data solis est lex. Metretas binas, dilectionem Dei & proximi Ternas, propter mysterium trinitatis, ministri, Apostoli

Implendo,

A Implendo, id est intelligendo. Prima hydria sub Abel: secunda sub Noë: tertia sub Abraham, quarta sub Dauid, quinta sub IESV, populus de captiuitate reductus: per septuaginta annos plenitudinem bonorum operum, per dona Spiritus sancti vita intelligitur. Sexta ætate Dominus apparuit qui ipsam aquam in vinum mutauit. Triclinium est, tres ordines in Ecclesia, coniugatorum, continentium, Doctorum. Per columbam Spiritus sanctus accipitur, per boues prædicatores, per oues, plebs. Quadraginta sex annis, quia Christus de Adam erat: Et Adam interpretatur ibi quadraginta sex. Boues, doctrina cœlestis: oues, opera munditiæ & pietatis, columbæ, spiritus intelligitur. Vendunt boues, qui doctrinam Dei pro terreno quæstu impendunt, vendunt oues, qui pro humano fauore opera pietatis exercent, vendunt columbas, qui gratiam Spiritus sancti pro precio ac pro vulgi opinione tradunt: nummos vendunt, qui aperte terrenis rebus inseruiunt. Funiculi, multitudo peccato-B rum, effudit æs, qui aufert figuras rerum quas dilexerunt. Prima ædificatio templi, sub Salomone septem annorum. Sub Zorobabel, quadraginta sex annorum. Et conceptio hominis in vtero, sex diebus lactis similitudinem habet: nouem, sanguinis, in duodecimo solidatur, in octauo decimo firmatur, sex & nouem & duodecimo & decem & octo quadraginta quinque sunt. Adde vnum quo in membra diuiditur, quadraginta sex fiunt. Nicodemum, interpretatur. [*Si terrena dixi vobis.*] Hoc est soluite templum hoc. [*Cœlestia.*] Spiritus vbi vult spirat. [*Et nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit.*] De purificatione, id est per baptismum, vtrum Ioannes an Christus esset melior. Non enim ad mensuram dat Deus spiritum id est filio. Hominibus vero aliis datur per spiritum in sermone sapientiæ, & reliqua. Pater diligit filium, & omnia dedit ei in manum: vt sit æqualis patri subauditur. Enon dedicatio, & eche: salim: siehar, conclusio: Sichem humerus. Fatigatur ex itinere. Carnis assumptio, iter ipsius: hora sexta, sextam ætatem secu-C li significat, ad puteum, ad profundum nostræ habitationis, mulier, Ecclesia de gentibus: Hydria, cupiditas, aqua voluptas seculi. Donum Dei, Spiritus sanctus: aqua fons vitæ: quinque viri, quinque sensus corporis. Messores, prophetæ, & Patriarchæ designant deorsum semine nati, Apostoli surrexerunt, simul gaudeat qui seminat, & qui metet: Apostoli & Prophetæ: adnunciant Christiani paganis: biduo mansit, geminum charitatis præceptum dedit: hoc est filio audire quod esse, & hoc videre quod esse. [*De morte ad vitam.*] A morte infidelitatis ad vitam fidei. [*Qui audierint viuent.*] Id est qui obaudierint vel obedierint. Dedit filio vitam, id est genuit filium: qui esset vita in semetipso: gignendo dedit. De ista resurrectione animarum dicebant hæretici iam factam. [*Pater non iudicat quemquam.*] Quia forma serui quæ iudicata est, iudicabit in fine, & non ibi videbitur diuinitas. Non facio voluntatem meam, hoc est solum meam. Omnia demonstrat filio non faciendo, D demonstrat filio, sed demonstrando facit per filium pater, vnum est facere & demonstrare maiora demonstrabit ei. Assumpto omnia, id est resurrectionem corporum. [*Sicut pater suscitat mortuos sic & filius quos vult viuificat.*] i. e. similis de resurrectione animarum in resurrectione corporum. [*Pater non iudicat quemquam.*] Stadiis viginti quinque legem significat: quia quinquies quini, viginti quinque faciunt. Sed huic legi antequam Euangelium veniret, deerat perfectio. Perfectio autem in senario numero comprehenditur quia Deus sex diebus mundum perfecit. Et quinque per sex multiplicentur vt lex per Euangelium impleatur: quia sexies quinque xxx. faciunt. [*Venit Christus.*] Primo summatim dicit, postea recapitulat quomodo venerit, & ostendit: quia pedibus ipsum mare transiit, non per nauim. [*Deus pater signauit.*] Signum ponere, consignare. Dixerunt Iudæi. Moyses dedit manna, tu hordeum. [*Omne quod dat mihi pater, non eyciam foras.*] De illa vita æterna vnde dictum est: intra in gaudium Domini. [*Qui manducat carnem meam & bibit sanguinem meum.*] Hoc est qui manet in

E me, & ego in eo. [*Cum videritis filium hominis ascendentem vbi erat.*] Tunc intelligitis non de carne corporis dixisse, quia caro hominis ad manducadū nihil prodest. Manet quis in Deo, cuius membrum est, manet ipse in nobis, cum sumus templum eius. Qui perseuerauerit, hic saluus erit. [*Nolebat ambulare in Iudæam:*] Exemplum præbebat suis. [*Tempus meum nondum aduenit.*] Tempus exultationis, quod erit in die iudicij vel tempus passionis. [*Ad diem festum hunc.*] Vbi gloriam humanam quæratis. Scenofegia est in isto mundo tanquam in deserto: & Christus latet. [*Vbi sum vos non potestis venire.*] Non dixit vbi ero: sed vbi sum per diuinitatem. [*Si quis sitit fluenta aquæ viuæ.*] Charismatum, dona vel charitas intelligitur. Nondum spiritus datus sic profuse, sicut post resurrectionem suam, quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Quare post resurrectionem? quia perfectiores erant Apostoli ad custodiendum spiritum: vt in resurrectione nostra F flagret. [*Oues meæ vocem meam audiunt.*] Hoc est qui perseuerauerit: & reliqua. [*Ego veni vt vitam habeant æternam.*] Ingredientes in Ecclesiam: vt abundantius habeant in vita æterna. Ingrediuntur per fidem in Ecclesiam: egredietur, ad vitam æternam. [*Sicut nouit me pater, & ego agnosco patrem.*] In hoc constat qui cognosco patrem & cognoscor à patre. [*Quia animam meam pono pro ouibus meis.*] Id est ea charitate qua pro ouibus meis morior, quantum patrem diligam ostendo. [*Facta sunt encænia.* [Per tres vices celebrabant Iudæi encœniorum diem. Vnum, quando Salomon dedicauit templum in mense Octobri, decimo die eiusdem mensis. Secundo, quando ab his dedicatum est qui de Babylone venerant. Tertio, quando à Iuda Machabæo iterum dedicatum est: id est in Decembri vigesima quinta die eiusdem mensis. [*Pater clarifica filium tuum.*] Similitudine dedit nobis: in temptatione quid agere & dicere debeamus. [*Et clarificaui.*] Hoc est ante secula, & est quando stellam magi ad eum demonstrandum viderunt: & cum G spiritus in specie columbæ super eum apparuit: & cum in monte transfiguratus est. [*Clarificabo.*] Cum resurget & ascendet in cœlum. [*Nunc iudicium est mundi.*] Iudicium hic discretionis accipitur: vt Psalmista. [*Nunc princeps huius mundi.*] Id est diabolus. [*Eycietur foras.*] Videlicet de cordibus electorum multorum. (*Omnia traham ad meipsum.*) Id est omnia de quibus diabolus erit eiectus. Non dixit omnes. Si omnia, corpus & animam, & reliqua omnia prædestinata, vel electa. (*Si exaltatus fuero.*) Si, pro cum. (*Quis est iste filius hominis.*) Superius dixit, venit hora vt glorificetur filius hominis: & dixit. (*Adhuc modicum lumen in vobis est.*) Quasi dixerit Christus in domo manet in æternum. (*Ne tenebræ vos comprehendant.*) Hoc est si negaueritis eius humanitatem. Propterea non poterant credere. Vbi intelligendum est, quia nolebant: quemadmodum dictum est Domino, si non credimus illi, ille fidelis est, negare seipsum non potest, non quia mutari homines, sed quod vitalia sapiunt, non possunt credere. (*Ego non iudico quemquam.*) Hoc est H modo. (*Verbum quod loquutus sum.*) Id est meipsum. (*Dedit filio vitam,*) id est gignendo. (*Nunc clarificatus est filius hominis.*) Quia exeunte immundo, omnes mundi remanserunt. (*Et continuo clarificabit eum.*) Scilicet Passione & Resurrectione sua. (*Quæritis me, & sicut dixit Iudæis, quo ego vado, vos non potestis venire, & vobis dico modo.*) Iudæis autem non dixit, modo subauditur. (*Si quominus dixissem.*) Hoc est si alicubi nisi in domo patris mei fuissent multæ mansiones paratæ: dixissem vobis. Parauit nobis dum pro nobis mortuus est. (*Si abiero.*) Hoc est per carnis absentiam. (*Philippe qui videt me.*) Tanquam melior esse pater: cupiebat videre subauditur. (*Maiora faciet.*) Etiam in salute gentium quod facerent dixit. (*Quia ad patrem vado & quod petieritis, hoc faciam. Et alium paraclytum.*) Hoc est vt plus habeant. (*Rogabo patrem.*) Per humanitatem: dabo per diuinitatem. (*Ego viuo.*) Mox per resurrectionem immortalis. (*Et vos viuetis.*) In fine immortales. (*Qui habet mandata mea.*] Id est in memoria. [*Et seruat.*] Id est

A in opere. [*Diligam eum.*] Hoc est vt perueniat ad visionem veritatis. [*Et manifestabo ei meipsum.*] Subauditur per eandem charitatem [*Et sermo qui ipse est.*] [*Pacem*] In prima nō dixit meā, sed in secunda: & ista est mūdana: illa, perpetua.

[*Propter verbum quod locutus sum vobis,*] hoc est credulitatis: quia sine verbo, nihil est baptismus. Manere nos in & Christo Christū in nobis, hoc est nobis prodest, non illi. [*Præcepta patris seruaui.*] Hoc est vt morerer pro hominibus. [*Gaudium vestrum impleatur.*] Hoc est habere consortium cum ipso. Aliud est esse seruum timoris: aliud amoris. [*Omnia nota feci vobis.*] Significat quod se sciebat esse facturum.

Eatis volendo: fructum afferatis operando. [*Si non venissem peccatum non haberent.*] Hoc est peccatum incredulitatis quo despexerunt credere in eum: videlicet homicidij, quo eum occiderunt. [*A patre procedit & ego mittam.*] Vnum est: quia procedit à patre & filio, & venit sua sponte. [*Perhibebis de me.*] Hoc est vt faciat B eos credere in me. [*Hæc ab initio non dixi.*] Hoc est de promissione sancti Spiritus, vel de expulsione synagogæ: videlicet de occisione: & reliqua. [*Ille arguet mundum.*] Arguet ille spiritus veritatis de his mundum: sed solummodo Iudæam: tanquam si diceret, ille infundet in vestris cordibus charitatem. [*Natus est homo in mundum.*] Subaudiendum est, vel Christus surrexit, vel Ecclesia parturiet filios in vitam æternam. [*Me non rogabitis.*] Id est non interrogabitis. [*Non petistis quicquam.*] Hoc est quia in nomine IESV non petierunt. [*Non rogabitis.*] Hoc de futuro dixit qui sufficienter habebunt. [*Quia vos me amastis.*] Subauditur. Pater prius amauit gratuitu: & effecit vt crederent in filium: & amarent eum. [*Exiui à patre.*] Subaudiendum est: quia in ea forma qua æqualis est patri: & in assumpta creatura minor apparuit. [*Et venit in mundum.*] hoc est in forma serui: huius mundi amatoribus præbuit. [*Reliqui mundum.*] Id est humanitatem ad patris maiestatem adduxit. *Ecce nunc palam loqueris.*] Putabant Apostoli adhuc rudes palam C fuisse: quia profunditatem datorum capere non valebant. [*Nunc scimus.*] Dominus sciens cogitationes eorum, locutus est de his quæ ipsi interrogare volebant. [*Modo creditis inquit* IESVS *: ecce venit hora, & iam venit, vt dispergamini vnusquisque in propria.*] Hoc subaudiendum, in infidelitatis timorem. [*In me pacem habeatis.*] i. e. fidem non desideratis: vel etiam inter suos pacem habeant, & se ament. [*Claritatem quam dedisti mihi dedi eis.*] Hoc est cognitionem omnipotentis patris in filio [*Trans torrentem Cedron.*] Cedron, genitiuus Græcus pluralis est: quod potest dici cedrorum. [*Aut ad sequentes dies vos ascendite, ego non ascendam.*] videlicet ad istum primum ascendit. [*Veni vt qui non vident videant.*] Et qui videbant, i. e. videre putabant, noluerunt in eum credere: & ideo cœci permanserunt. Monumentum Dei dicitur ab Euangelistis locus rotundus: ad cuius ostium aduolutus fuit lapis. Sepulchrum vero dicitur locus in ipso tugurio, in aquilonari parte monumenti, in quo Dominicum corpus quieuit. Lapis reuolutus diuisus est, D & duo altaria desuper facta sunt.

Sepulchrum sanctæ Mariæ est in valle Iosaphat: in basilica in qua aliquando sepulta fuit. Sed de eodem sepulchro quomodo vel quo tempore, an à quibus personis sanctum corpusculum eius sit ablatum, nullus potest referre pro certo.

Corpus Simeonis, & Ioseph Baioli Domini in ipsa valle, in alia Basilica sepulta sunt inter montem Syon & montem Oliueti, in valle Iosaphat.

Sal terræ dicitur: qui in terra inuenitur, & non fit de aqua. Vnde Dominus. Vos estis sal terræ.

In Draconirida regione est fons cui nomen Fiala: vnde oriuntur fontes subterranei, centum viginti stadij vsque ad Cæsaream Philippi: quæ & Paneas dicta est à Paniomonte: vbi diuisi oriuntur Ior, & Dan. Et post paululum iunguntur & fit fluuius centum viginti stadiis vsque ad vrbem Iuliam: & tunc facit lacum Genesat, qui & chenneteth vocatur. De locustis: & mel siluestre. Locustæ sunt in ipsa terra minimum genus: quarum corpuscula in modum digiti manus exilia & breuia sunt. E Et quia earum breuis est volatus, similes sunt saltibus leuium ranarum: & facile in herbis rapiuntur, & coctæ in oleo victum præbent pauperum. De melle vero siluestri. Sunt arbores paruæ, lata & rotunda habentes folia, lacteum colorem, & saporem mellei: quorum foliorum natura fragilis valde est: & qui volunt comedere, ea primum manibus confricant, deinde comedunt: & hoc est mel siluestre in siluis repertum. Locus vbi dominus quinque millia hominum pauit, citra mare Galileæ est: & post aratum habens fontem: de quo bibunt ipsi qui sunt capharnaum, secus lacum chenneteth. Mons Thabor triginta stadiis sublimatur: super, latus viginti quatuor subauditur stadiis.

Explicit super Iohannem.

F

VVALAFRIDI STRABONIS de Exordiis & Incrementis rerum Ecclesiasticarum, Liber vnus.

Ex Bellarm. de script. Eccles.

VValafridus Strabo à vitio oculorū sic appellatus, Abbas Angiæ scripsit de rebus Ecclesiasticis librum satis vtilem, *qui extat. Scripsit etiam* duos libros de sanctis Gallo Abbate, & Othmaro, *qui extant apud Surium die 16. Octobris & die 16. Nouembris. Claruit tempore Ludouici Pij Imper. & obiisse dicitur anno Dom* 849.

De VValafrido plura ex probatis auctoribus pete ab Arnoldo de VVion in ligno vitæ, & ex Apparatu sacro Possenini.

PRÆFATIO AVCTORIS AD REGINBERTVM.

G IN nomine Dei Patris & Filij & Spiritus S. De ministris Ecclesiæ & ministeriis ipsorum, necnon & de multiplicibus Sacramentorum, officiorū, & obseruationū tationibus multi multa dixerunt: ita vt pauca vel pene nulla remanserint, quæ non iam per illuminationem Spiritus sancti sint demonstrata: non solum qualiter debeant fieri, verum etiam quomodo singula mystice debeant vel possint intelligi, diligenti examinatione excussa. Quorum omnium copiam, cum secundum solertissimum in rebus Ecclesiasticis studium tuum, & libris habeas & memoria comprehensam ô venerande in Christo pater Reginberte, salubri curiositate ardens, quædam non à prioribus penitus omissa, sed breuius quam volueras tacta, à me addi desideras: quasi aliquid illos aufugerit, quod nos possimus inspicere: cum potius vere fateri debeamus, omnia quæ illi inuenta, nobis scriptis suis reliquerunt, nec ipsa discendi instantia nos assequi posse. Sed est quod huiuscemodi inceptis sensus sui viuacitate videbantur perspicua. Scribam igitur, in quantum Dominus dederit facultatem, sicut ex authenticorum dictis, quæ adhuc attigimus, addiscere potui, de quarundam Ecclesiarum exordiis & H causis rerum, & vnde hoc vel illud in consuetudinem venerit, & quomodo processu temporis sit, indicabo: habiturus & si non pro scientia laudem, tamen pro obedientia certam mercedem Et primum de sacris ædibus, in quibus ipsa celebrantur sacra, dicendum videtur.

Spiritus humilitatis in auctore. Argumentum libri.

Carmen auctoris, ad lectorem.

Hoc opus exiguum VValafridus pauper hebesque,
Collegit, Patrum dogmata lata sequens.
Sed non sponte sua tam magnos venit in ausus,
Dura Reginberti iussio adegit eum.
Si quid in hoc Lector placet, assignare memento
Id Domino: Quicquid displicet, hocce mihi.

Elenchus Capitulorum.

1 De Exordiis templorum & altarium.

2 Qualiter religiones diuersæ se inuicem imitatæ sint, & quid commune babuetint, quid diuersum.
3 De profectu Religionis Christianæ.
4 In quas plagas cæli, orationes vertantur.
5 De vasis quæ simpliciter signa dicuntur.
6 Expositio nominum quorundam, sacris rebus adiacentium.
7 Quomodo Theotisce domus Dei dicatur.
8 De imaginibus & picturis.
9 De templis & altaribus dedicandis.
10 Quid fieri debeat in locis Deo consecratis.
11 Quid item fieri non debeat.
12 De orandi modis ac distantia vocum.
13 Quibus prosit cultus diuinus, & quibus non.
14 Iustas oblationes, & magis virtutes, quam corporalia munera Deum desiderare.
15 De oblationibus veterum.
16 De sacrificiis Noui testamentl, & cur mutata sint per Christum sacrificia.
17 De virtute saeramentorum, & cur ab eis crimioosi suspendantur.
18 Quid offerendum sit in altari.
19 Non ab aliis quam ieiunis communicandum.
20 Quod alij ratius, alij crebrius, alij quotidie communicandum dicant.
21 Vtrum semel vel sæpius io die offerre cooueniat & communicate.
22 De ordine Missæ & offerendi ratione.
23 De tempore Missæ.
24 De vasis & vestibus sactis.
25 De hotis canonicis & genuum flexione, De hymois item & Cantilenis, & incrementis eorum.
26 De Baptisini incremento, & mersione & causis Baptizandorum.
27 De decimis dandis.
28 De litaniis agendis.
29 De aqua sparsionis.
30 De benedictione cerei.
31 Comparatio Ecclesiasticorum ordinum & seculatium.

CAP. I.

De exordiis templorum & altarium.

ALtaria quidem, Noe, Abraham, Isaac, & Iacob, Domioo, (vt legitur) extruxerunt. Moyses vero primus tabernaculum, iuxta exemplar diuinitus sibi demonstratum, in deserto Sinai, filiis Israël de seruitute Ægyptia liberatis erexit. Salomon quoque longo iam tempore eodem populo in terra repromissionis degente, & regiæ dignitatis apice, gentibus circumpositis præminente, templum illud mirificum in Hierusalem (quam Dauid Pater caput eius regni instituit) magnis ædificauit sumptibus; & diuersis dotauit ornatibus. In quorum vtroque tabernaculo videlicet ac templo, & arca testamenti, & altaria cum vtensilibus suis, aliæque species religiooi illius temporis congruæ fuisse leguntur tam multiplices & tam consulta ratione prouisæ, vt quicquid modo spiritualibus Ecclesiæ celebratur in studiis, totum in illis constructionum figuris pleniter & (vt ita dicam) consignanter delineatum atque constructum videatur. Paganos etiam templa fecisse diis suis, vel potius demonibus, seductoribus suis, non solum ex ipsorum libris, sed etiam ex diuinæ scripturæ testimoniis agnoscimus: Quia & templum Dagon in Samuele legimus & regem Sennacherib in templo Neserach trucidatum: Danielem quoque in templo Belis, sacerdotum eius strophas deprehendisse: Et Antiochum reliquiarum populi Dei persecutorem grauissimum, & templi, quod post reuersionem de captiuitate reædificatum est, violatorem: in templo Naneæ corruisse cognoscimus. Et multa alia quibus approbatur quod dicimus. Nolumus autem de libris Paganorum eiusdē rei testes adsciscere, ne inter Ecclesiasticæ ædificationis eloquia, lectoris animum inutilibus fabulis occupemos

CAP. II.

Qualiter religiones diuersæ, se inuicem imitatæ sin[t] & quid commune habuerunt, quid diuersum.

ET primus quidem temporibus, tam veros Dei cult[o]res, quam etiam dæmonum veneratores, in locis co[n]gruis, suæ religionis cultum, sub diuo celebrasse crede[n]dum est. Sed quia dæmones homibus persuaserunt, contumeliam creatoris, imaginem incorruptibilis De[i] in similitudinem corruptibilis hominis & volucrum quadrupedum, & serpentum commutare, & seruire cre[a]turæ, potius quam creatori consequenter etiam ædifica[]tionem templorum, & sanguinis non solum animali[um] sed etiam humani immolationem ad maiorem persu[asi] erroris vindictam, sibi fieri exposcebant. Ideoque omn[i]potens & patiens creator, facturæ suæ volens vtdecu[m]que consulere, quia vero propter fragilitatem carnaliu[m] omnes consuetudines pariter tolli non posse sciebat) pe[r]misit & iussit quædam sibi obedienter à piis exhibe[ri] quæ dæmonibus damnabiliter ab impiis soluebantur: cuti sunt ædium constructiones, & diuersorum gene[ra] sacrificiorum. Et factum est, vt quæ prioribus prop[ter] infirmitatem concessa sunt, ad exclusionem erroris: n[o]bis sequentibus per Christi passionem patefacta, pro[fi]cerent ad causam perfectionis, dum & in illis material[i]bus structuris ædificium Ecclesiæ spiritale, & in carn[a]libus victimis ac solemnitatibus, passionem Christi virtutum documenta sentimus. Sicut autem quædam pr[æ]cepta moralia nobis & veteribus voluit Deus esse com[]munia: vt sunt ea quæ ad morum honestatem, & ad i[us] inter homines pertinent conseruandum: ita quædam fl[a]gitiosa, quoe dæmonum voluptate instituta, & illis nobis statuit ommimodis fugienda, malesicia videlicet: mendacia, stupra, & superstitiosos errores, & similia. H[æ] cum ita sint dicta, sciendum est, quædam esse omni rel[i]gioni commonia, vt est: *Quod tibi non vis fieri, alij [ne] feceris:* & quicquid ex naturali lege, diuinis congruom i[n]uenitur mandatis. Hoc tamen in illis distat, quod quida[m] illa propter honestatem, vt philosophi: quidam pr[o]pter timorem, vt Iudæi: alij propter dilectionem, [vt] Christiani, obseruant. Vt autem ad proposita reuertam[ur] sicut Deus, vt destrueret opera diaboli, quædam sibi exh[i]beri voluit à cultoribus suis, quæ dæmones prius pe[r]suaserunt errantibus: ita cultum à Deo institutum, m[a]xime in sacrificiorum & cærimoniarum multiplicitat[e] sibi deinceps dæmones exposcebant, sicut scriptum e[st] de libris legis Dei: de quibus scrutabantur gentes, sim[i]litudinem simolacrorum suorum, vt scilicet, quomod[o] lex Domino seruire, præcepit eiusdem ritibus, deceptor[es] suos dæmones, deceptæ gentes venerarentur. Nam [et] temporibus Tiberij & Caii Cæsarum. Idola in templ[o] Domini legimus collocata. Et Iulianus Apostata totu[m] Ecclesiastici ordinem titus, ad diabolorum honorem d[e]torquere conatus est. Et ipse diabolus, à Christo se pr[o] Deo voluit adorati.

CAP. III.

De profectu religionis Christianæ.

POstquam itaque venit tempus, quando veri adorato[res] tes in spiritu & veritate, non in Hierusalem tantū ve[l] monte Samariæ, id est, non localiter, sed spiritualiter cœ[]perunt adorare patrem, & in omnes gentes secundum Do[]mini iussionem doctrina salutaris emissa est: cœperun[t] fideles loca munda quærere, & à tumultibus ac negoti[is] carnaliter conuersantium semota in quibus oratione[s] mundas, & sacrosancta mysteria, & mutuæ ædificationi

solati:

A solaria celebrarent. Quamuis enim secundum Euangelistam, erant discipuli cum credentibus semper in templo vel cœnaculo laudantes Deum, & orationi ac ieiunio insistentes: tamen post aduentum Spiritus sancti, legimus eos circa domos orationes & fractiones panis celebrasse. Et non solum inter vrbium ædificia, verum & extra in locis secretis conuenisse. Nam & Paulus processisse legitur in Philippis extra portam, iuxta flumen, vbi videbatur oratio esse, & ipse cum Ephesiis orauit in littore. Cum autem multiplicaretur numerus credentium, cœperunt domos suas facere Ecclesias, vt in gestis sanctorum creberrime legitur: & priuatas habitationes, ad publicas fidelium contulerunt vtilitates. Sæpe etiam persecutorum rabiem declinantes, in cryptis & in cœmeteriis, & speluncis, atque desertis montibus & vallibus conuenticula faciebant. Deinde magis magisque proficiente Christianæ religionis miraculo, & per lucra Christi, damno succedente diaboli: non solum nouæ ad orandum domus constructæ sunt, sed etiam templa deorum, B abiectis & exterminatis idolis cum spurcissimis cultibus suis, in Dei mutabantur Ecclesias.

(Luca vlt. Act. 1. & 2. — Act. 16. 20. — Diuersa olim loca orandi.)

CAP. IV.

In quas plagas cæli, Orantes vertantur.

ET quia diuersitas idololatriæ, diuersis modis templa construxerat, non magnopere curabant illius temporis iusti, quam in partem orationis loca conuerterent, dum tantum videretur, vbi eliminatæ sunt dæmonum sordes, ibi Deum creatorem omnium, qui vbique est, coli & adorari. Quanquam itaque sapiens dicat, nos ad Orientem lucis adorare Deum, & reuera congruum est, & salubri more institutum, vt Orientem versus, facies orando vertamus: quia sicut ab Oriente lucis aduentum suspicimus corporeæ, sic in orationibus illuminari super C nos vultum illius deposcimus, de quo scriptum est: *Ecce vir Oriens nomen eius*: Et, *Visitauit nos Oriens ex alto*. Tamen quia & templi tabernaculi introitus ab Oriente fuit, vbi altare & labrum erat, & omnes victimarum & sacrificiorum ritus fiebant: certum est in vtroque, ab Oriente multos orasse contra Occidentem. Siquidem & Salomon dedicans templum, stetit ante altare & extendit manus in cælum, & fudit orationem tam deuotione, quam prolixitate mirabilem. Priora autem & anteriora templi vel altaris, Orientem respiciebant. Vnde & apud veteres, Orientales templorum * *antica*: Occidentales, *postica*: Aquilonares: *sinistra* Meridianæ, *dextra* dicebantur. Quod & de templi Domini latere meridiano sic scribitur: *Ostium lateris medij, erat in parte domus dextræ*. Quia ergo portæ trium atriorum vna contra alteram positæ, recta linea ad Orientem patebant, ita sol æquinoctialis exoriens, radios suos per illas æqualiter contra medietatem templi emitteret, eodemque modo per ostia porticus & ipsius templi, in ostia sancti sanctorum D altrinsecus posita, pertenderet: sicut traditur a Maioribus, illi qui in exterioribus atriis positi, ab intratu interioris, quibusdam quasi rationabilibus causis prohibebantur: per portarum contra se positarum, patulum prospectum, oculos vsque ad introitum templi dirigentes: quo pedibus non audebant precibus & votis & salutationibus accedebant. Sed & ipse Salomon, in illa celebri oratione de populo, in peregrinationem propter peccata sua venturo, dixit ad Deum: *Si orauerit contra ciuitatem quam elegisti, & templi quod ædificaui nomini tuo*, & reliqua: Quod Daniel quoque Propheta, & talis in quo suspicio nulla potuit reperiri, legitur fecisse. Apertis enim fenestris cœnaculi sui contra Hierusalem, tribus vicibus orauit per singulos dies. His & aliis exemplis edocti cognoscimus, non errasse illos vel errare, qui templis vel nouiter Deo constructis, vel ab idolorum squalore mundatis, propter aliquam locorum opportunitatem, in diuersas plagas altaria statuerunt: Quia non est locus, vbi non sit Deus. Verissima enim relatione didicimus, in Ecclesia

(Orare versus Orient. Zach. 6. Luca 1. — Iudæi orauerūt versus occidentem. 3. Reg. 8. — * for. partes, Antica & postica templi. 3. Reg. 6. — Orare versus templū. 2. Par. 6. Dan. 6. Altaria in diuersas plagas respicientia. Ælia ab Ælio Hadria-)

E quam apud Æliam Constantinus Imperator cum matre Helena, super sepulchrum Domini miræ magnitudinis in rotunditate constituit: Idemque Romæ in templo, quod ab antiquis *Pantheon* dictum, à B. Bonifacio Papa, permittente Foca Imperatore, in honorem omnium Sanctorum consecratum est, in Ecclesia quoque B. Petri principis Apostolorum, altaria non tantum ad Orientem, sed etiam in alias partes esse distributa. Hæc cum secundum voluntatem vel necessitatem fuerint ita disposita, improbare non audemus. Sed tamen vsus frequentior (secundum quod & supra memorauimus) & rationi vicinior habet, in orientem orantes conuerti, & pluralitatem animā Ecclesiarum eo tenore constitui. *Vnusquisque in sensu suo abundet. Prope est Dominus omnibus inuocantibus eum in veritate, & longe à peccatoribus salus: appropinquemus Domino, & appropinquabit nobis.* Alioquin peccator, etiam si fugerit, eum qui vbique est, euitare non poterit. Quia neque ab Oriente, nec ab Occidente, neque à desertis montibus, subaudi, patet locus fugiendi, quoniam Deus iu-F dex est, hunc humiliat, & hunc exaltat. Cui etiam Propheta dicit. *Quo ibo à spiritu tuo? & quo à facie tua fugiā? Si ascendero in cælum, tu ibi es: si descendero in infernū, ades.*

(no Imp. dicta fuit Hierusalem reædificata. — Pantheō Romæ. Ecclesia S. Petri templū. — Deus vbique est. Psal. 144. Psal. 118. Iac. 4. Psal. 74. Psal. 138.)

CAP. V.

De Vasis quæ simpliciter signa dicuntur.

DE vasis vero fusilibus vel etiam productilibus, quæ simpliciter signa vocantur, quia eorum sonoritate quibusdam pulsibus excitata, significantur horæ, quibus in domo Dei statuta celebrantur officia: de his, inquam, hic dicendum videtur, quod eorum vsus non adeo apud antiquos habitus proditur: quia nec tam multiplex apud eos conuentuum assiduitas, vt modo est, habebatur. Apud alios enim deuotio sola cogebat ad statutas horas concurrere. Alij pronunciationibus publicis G inuitabantur, & in vna solemnitate proxime futuras discebant. Apud quosdam tabulis, apud nonnullos cornibus horæ prodebantur. Vasorum autem, de quibus sermo ortus est, vsum primo apud Italos affirmant inuentum. Vnde & à Campania, quæ est Italiæ prouincia, eadem vasa maiora quidem *campanæ* dicuntur: Minora vero, quæ & à sono tintinnabula vocantur, *nolas* appellant, à Nola eiusdem ciuitate Campaniæ, vbi eadem vasa primo sunt commentata. Quia vero tubas æreas & argenteas in lege habemus, & Propheta quasi tuba vocem prædicationis exultare iubet: congrue his vasis vtimur in conuocatione fidelium, vt prædicatio nostra in Ecclesia, pura in argento, in ære significetur durabilis & sonora, id est, vt nec hæretica fœdetur rubigine, nec negligentiæ lassetur pigritudine, nec humana supprimatur formidine.

(Varia olim signa conuocandi ad Ecclesiam. — Campanæ & nolæ. Num. 10. Esa. 8. Quid significet tuba ærea & argentea.)

CAP. VI.

Expositio nominum quorumdam, sacris rebus adiacentium.

H HÆc à nobis, vt potuimus, dicta sunt: Nunc de nominibus, quæ ipsis sacris locis vel ædificiis, non fortuito: sed rationabiliter imposita sunt pauca dicamus vt lector dum causas ædificiorum & exordia didicerit, cur etiam ita vel ita dicta sint possit aduertere. Ecclesia quidem Græcum nomen est, & interpretatur conuocatio vel conuentus: cum sit vel generalis sanctorum vnitas, in vna fide & dilectione coniuncta, vnde vna & Catholica dicitur Ecclesia: vel singulorum societas sancta locorum, vnde & multæ dicuntur Ecclesiæ. Tamen etiam ipsa domus, in qua ad diuina vel discenda vel celebranda, conuenit multitudo fidelium, Ecclesia vocatur: à re quæ ibi geritur, illud vocabulum mutuamus. Horū exēpla Apostolus insinuat, dicens: *Vt exhiberet sibi gloriosā Ecclesiam, non habentem maculam neque rugā*: Et, *Sicut in omnibus Ecclesiis sanctorum doceo*. Et, *Mulieres in Ecclesia*

(Ecclesia variè accipitur. — Ephe. 5. 1. Cor. 4. 1. Tim. 2.)

A

*tacean*t, & multa his similia. Vnusquisque etiam electorum, *Domus & Templum Dei* dicitur, sicut Apostolus & in suo, & Prophetico confirmat exemplo: *Templum*, inquiens, *Dei sanctum est, quod estis vos: sicut dicit Dominus, quia inhabitabo & inambulabo in vobis*, & reliqua. Et Petrus, *Vos tanquam lapides viui, superædificamini domus spiritales*, & reliqua. Sicut ergo in Ecclesia, sic multæ domus & templa in domo Dei & templo conueniunt: *Domus* autem dicta est à domate, quod Græce tectum vocatur. Dicitur etiam domus, familiæ totius sub vno tecto commorantis consortium, sicut vrbs totius populi, & orbis totius generis humani est domicilium.

Cor. 3. Cor. 6. Pet. 2.

Domus.

Templum.

Templum est dictum quasi tectum amplum. Vnde & excellentioribus ædificiis, hoc congruit nomen: Sicut Rex Salomon sapientissimus in regia vrbe, templum: Moyses vero in itinere dicitur tabernaculum condidisse. Dictum est autem *tabernaculum*, à tabulis & cortinis, co quod interstantibus tabulis, cortinæ desuper tenderentur. Vnde & militum tentoria, quibus in itinere Solis ardores tempestates imbrium frigorisque iniurias vitant, tabernacula dicuntur. *Ædes* & ædificia, ab edendo putant dicta, quasi primitus ad edendum facta. Vnde Plautus dicit: *Si vo. assem vos in ædem ad prandium*. Potest enim fieri; vt ædes ad edendum in eis, sicut cœnacula ad cœnandum, primo fiot facta, & postea longo vsu in aliud verterentur. Sicut *taberna* primitus plebeiorum domunculæ, quod sex tabulis ligneis fierent, dicebantur: vnde & tabernaculum deriuari quidam volunt. Nunc autem cauponum Ecclesiç sic vocantur.

Tabernaculum. B *Ædes.*

Basilica Græce, Latine regalis vel *regia* dicitur à Basileo, id est, rege. Nam & carnalium regum palatia ita dicuntur, sicut scriptum est de Hester: *Stetit in atrio domus regia, quod erat interius contra Basilicam regis*: Nostra autem domus orationis ideo *regia* dicitur, quia regi regũ in ea seruitur, vel quia reges & sacerdotes, id est, sũmi regis & sacerdotis membra, qui motibus corporis imperant, & spirituales hostias immolant Deo: ibi regenerantur ex aqua & spiritu, & salutari nutriuntur doctrina. *Absida* Græcè, Latine *lucida* dicitur, quia lumen acceptum per arcum introsmittit. *Exedra*, est absida quædá, separata modicũ quidem à tẽplo vel palatio. Et dicta inde, quod extra hæreat? Græcè autem *cyclon* vocatur. *Aram* quidam vocatá dixerunt, quod ibi incensæ victimæ arderẽt: Alij à precationibus, quas Græci aras vocãt. Vnde & imprecationes *antara dicuntur. *Altare* autem, quasi alta ara nominatur. Porticus à porta, vt vel quod sit aperta dicitur. Ad hoc maxime fit, vt per eam intretur & transeatur. *Cœmeterium* recubitoriũ vel dormitorium est mortuorum, qui & ideo ab Ecclesia dormientes dicuntur, quia resurrecturi non dubitantur. *Crypta*, sunt specus subterranei, dictæ à profunditate abrupta, sicut & crepidines dicimus abruptas summitates quorumlibet corporum. *Martyria* vocabantur Ecclesiæ, quæ in honore aliquorum martyrum fiebant. Quorum sepulcris & Ecclesiis, honor congruus exhibendus in Canonibus decernitur. Qui & loca, quæ sub incertis nominibus & reliquiis, vel tantum mortuorum appellatione constituuntur nullo honore colenda constituunt. Quod Beatus Martinus & Germanus Parisiensis suis leguntur confirmasse exemplis. *Sacrarium* dicitur, quia ibi sacra reponuntur & seruantur. *Analogium*, quod in eo verbum Dei legatur & annuncietur. Logos enim Græce, verbum vel ratio dicitur. *Pulpitum*, quod fit in publico stantium, vt qui ibi stant, ab omnibus videantur. *Ambo*, ab ambiendo dicitur, quia intrantem ambit & cingit. *Cancelli* videntur dici, quia minoribus columnis fiunt. Cancri enim vocantur maiores columnæ, & * maximæ quadræ: vel Cancelli dicuntur à cubito, qui Græce Ancos dicitur. Solent enim plurimi non altius construi, quam vt stantes desuper, inniti cubitis possint. *Ianuæ* à Iano quodam dictæ, cui gentiles omnem introitum & exitum consecrarunt. *Ostia* ab obstando extra positis, vel ostendendo aditum vocantur. *Valuæ* a voluendo: *Fores*, quod forinsecus sint positæ. *Porta*, quia per eas portantur quæque & feruntur. Sunt autem ianuæ propriè, primi ingressus in domum ostia intra ianuam aditus ad loca quælibet:

Basilica. *Hester. 5.* C *Absida.* *Exedra.* *Ara.* *Altare.* *Porticus.* *Cœmeterium.* *Crypta.* *Martyria.* D *Sacrarium* *Analogium.* *Pulpitum* *Ambo.* *Cancelli.* * *maxime.* *Ianua.* *Ostia.* *Valuæ.* *Fores.* *Porta.*

E

Valuæ, quæ intro voluuntur, i. vertuntur & complicantur sicut fores quæ foras vertuntur. Portæ autẽ propriè sunt murorũ & atriorum. *Camera* dicitur à curuitate, quæ solet in his ædificiis fieri, quæ cœmentitio opere desuper concluduntur. Hæc etiam à concauitate superiori, ad similitudinem eiusdem animalis, testudo nominatur. Græce enim * *camyron* curuum dicitur. *Lacunaria* vel *laquearia*, pendentia sunt templorum ornamenta, inde dicta, quod luceant in aëre. Quia vero longum est, singulas fabricatarum ædium partes exponendo percurrere, multiplex est in eis, æque vt in cæteris structuris, nominum & specierum diuersitas: sufficiant hæc de eminentioribus earũ partibus dicta. Ad cætera quæ restant, per hæc signa ingressuum, facilior studiosis patebit introitus.

Camera. *Laquearia.*

CAP. VII.

Quomodo Theotisce domus Dei dicatur.

F

DIcam tamen etiam secundum nostram barbariem quæ est *Theotisca*, quo nomine eadem domus Dei appellatur: ridiculo futurus Latinis, si qui forte hæc legerint, qui velint simiarum informes natos, inter augustorum liberos computare. Scimus tamen & Salomoni (qui in multis typum gessit Domini saluatoris) inter pauones, simias fuisse delatas. Et Dominus qui pascit columbas, dat escam pullis coruorum inuocantibus eum. Legant ergo nostri, & sicut religione, sic quoque rationabili locutione, nos in multis vtram imitari Græcorum & Romanorum intelligant philosophiam. Multæ res sunt apud singulas gentes quarum nomina, ante cognitioné ipsarum rerum, apud alias incognita sunt. Sicque fit sæpissime, vt rerum intellectus, alij ab aliis addiscentes, nomina quoque & appellationes earum vel integre, vel corrupte, cum nona intelligentia in suam proprietatem trahant, vt ab Hebræis Græci, Latini, & Barbari. *Amen Alleluia*, & *Osanna* mutuati sunt. A Græcis, Latini, & omnes qui libris Latinorum & lingua vtuntur, *Ecclesiam Baptismum, Chrisma*, & omnium pene radices dictorum acceperunt. A Latinis autem Theodisci multa & in communi locutione, vt *schamel fenster kellar*: in rebus autem diuino seruitio adiacẽtibus pene omnia: Item à Græcis sequentes Latinos, vt *Kylch* calicem *vatter* Pater, mater *Mutter*, gentz à gynæceo; quæ Græce dicuntur *κύλιξ, πατὴρ, μήτηρ*, & *γυναικεῖον*. Cum in quibusdam horum non solum Latini, vt genitor & genitrix, sed etiam Theotisci proprias habeant voces, vt *atto* & *amatodo* & *todu*. Ab ipsis autem Græcis *Kyrch* à Kyrios, & *Papst* à Papa, quod cuiusdam paternitatis nomen est, & Clericorum congruit dignitati: & *herr* ab eo quod est heros, & *monn* & *monath*, à & *μήνη* & alia multa accepimus. Sicut itaque domus Dei, *Basilica*, id est, *Regia*, à Rege: sic etiam * *Kyrica*, id est, *Dominica*, à Domino nuncupatur; quia Domino dominantium, & Regi regum in illa seruitur. Si autem quæritur, qua occasione ad nos, vestigia hac Græcitatis aduenerint, dicendum & Barbaros in Romana Republica militasse, & multos prædicaturũ Græcè & Latinæ locutionis peritos, inter has bestias cum erroribus pugnaturos venisse: & eis pro causis, multa nostros quæ prius non nouerãt vtilia didicisse, præcipueque à Gothis, qui & Getæ, cum eo tẽpore, quo ad fidé Christi, licet nõ recto itinere perducti sunt, in Græcorum prouinciis commorantes nostrum, id est, Theotiscum sermonem habuerint. Et (vt historiæ testantur) postmodum studiosi illius gẽtis, diuinos libros in suæ locutionis proprietatem transtulerint, quorum adhuc monumenta apud nonnullos habentur. Et fidelium fratrum relatione didicimus, apud quasdam Scytharum gẽtes maxime Tomitanos eadé locutione, diuina hactenus celebrari officia. Hæ autem permixtiones & translationes verborum, in omnibus linguis tam multiplices sunt, vt propria singularum iam non sint pene plura, quam cum aliis communia, vel ab aliis translata.

Theotisca, id est, Teutonica. *3. Reg. 10.* *1. Psal. 146.* G *Nomina aliarum linguarum mutuata.* * *Kyrica.* H *Translationes sacrarũ literarum.*

Digitized by Google

A

CAP. VIII.

De Imaginibus & picturis.

Quæ hic VValafridus Strabo disserit de cultu imaginum, cautè legenda, nam vnus fuit ex illis Galliæ Theologis, qui errore præpostero retinendas Imagines censebant ad ornatum templorum, & instructionem historicam, nullo tamen pacto adorandas. Consule quæ notauimus ad initium librorum Ionæ Aurelianensis.

Cultus imaginū.

NVnc iam de Imaginibus & picturis, quibus decus Ecclesiarum augetur dicenda sunt aliqua. Quia & earum varietas nec quodam cultu, immoderato colenda est, vt quibusdam stultis videtur: nec iterum speciositas ita est quodam despectu calcanda, vt quidam vanitatis assertores existimant. Quis enim sanum sapiens, contra id quod scriptum est: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies.* Et iterum, *Non facies tibi omnem similitudinem eorum, quæ in cœlo, vel in terra, vel in aquis sub terra sunt*: putabit in tabernaculi vel templi constructione, fecisse Moysem & Salomonem? Cum & ille secundum diuinam iussionem cortinarum varietatem & indumentum sacerdotale, diuersis ornauerit figuris: & iste secundum sapientiam diuinitus sibi attributam, picturis & sculpturis non tantum animalium, sed etiam arborum & herbarum, pene omne opus templi distinxerit? Vterque insuper Cherubin similitudinem super Arcam & Propiciatorium statuerit? Cum certum sit & illos ita sensisse, & nos ita sentire debere, quod videlicet non sint Deo debitis cultibus & honoribus colenda, quæ ab illis vel nobis facta sint vel fuerint, aut significandi alicuius mysterij causa vt tabernaculi & templi structura omnis. Ob commemorationem rerum gestarum, vt picturæ historiarum: aut ob amorem eorum, quorum similitudines sunt animis videntium arctius imprimendæ, vt imagines Domini & Sanctorum eius. Neque enim frustra superiori sententiæ subiunctum est, Non adorabis, neque coles ea. Vnde videlicet intelligamus, in his faciendis deuotionem & vtilitatem quam commoueri vel instrui appetimus, nō esse culpandum: sed in his colendis, superstitionem & hebetudinem, qua spiritalem cultum ad corporalia traducere erronei nituntur, esse damnandam. Sane, si cui videtur ars pictorum vel fabrorum ob hoc culpanda, quasi ea quæ ab ipsis fiunt, propter artis decorem & conuenientiam, ad cultum sui illiciant insipientes: poterit consequenter & Dei obtrectare facturis, quare ipse vel luminaria cæli tanti splendoris, vel herbas & olera tantę creauerit venustatis & odoris: cum ipsa sicut & aliæ creaturæ, à quibusdam errantibus, diuinis honoribus adorata sint & culta, qui error non auctori bonorum ascribendus est, sed dæmonum persuasioni, & hominum consensui iniquo qui bonis in malum abuti didicerunt. Notandum vero, quod sicut quidam easdem imagines vltra quam satis est, venerantur: ita alij, dum volunt cautiores cæteris in religione videri, illas vt quasdam idololatriæ species respuunt, & præsumptionis fastu, simplicium corda scandalizant. Huius rei quæstio apud Græcos sæpe tantas contentiones excitauit, vt sub Gregorio Papa iuniore Constantinus Imp. apud Constantinopolim omnes imagines deposuerit: & sub Gregorio tertio Romæ Synodus sit facta contra supradictam (vt dixerunt) hæresim in qua firmatum est, vt Sanctorum imagines, secundum priscum Catholicæ Ecclesiæ ritum, restituerentur. Ipsa denique querela Græcorum: temporibus bonæ memoriæ Ludouici Imperatoris, in Franciam perlata, eiusdem Principis prouidentia scriptis Synodalibus est confutata. Quam etiam Claudius quidam, Taurinensis Episcopus, sed in veritatis itinere, nominis sui similitudine nutabundus, inter cæteras vanitatum suarum ineptias, cupiens renouare, antequam diuersorum contra eum scribentium iaculis perfoderetur, suo iudicio damnatus interiit: & fortasse qui Imperatoris, fidelium veluti in numero conscripsit imaginem, ante tribunal ipsius, proteruitatis suæ pariter & inquietudinis pœnas exoluit. Non enim leuem iniuriam seculi potentes sibi putabant illatam, si imaginem suam vel nomen in quolibet numismate à subiectis despici cognouerint & calcari. Non autem (quia populus Israël in deserto, vel Ieroboam Rex vitulorum fabricatione Deum offenderant) serpens æneus, quem ex iussu Domini Moyses fecit, contemnendus erat: quippe cum percussi à veris serpentibus, imaginarij serpentis contemplatione sanarentur: Quem quia populus, semper ad idololatriam procliuis, postmodum quadam superstitiosa veneratus est religione, Ezechias Rex Iuda religiosissimus legitur fregisse. Ergo cum Christianus populus tanta sit in diuinis rebus docilitate in interiora sapientiæ spiritalis inductus cellaria, vt non dicam picturam & imagines, sed ne ipsos quidem sanctos homines viuos vel mortuos, diuinis credat colendos honoribus, vel adorandos: Rogamus enim Sanctos, non vt ipsi præstent per se, quæ saluti nostræ necessaria sunt: sed vt ab auctore bonorum, à quo *est omne datum optimum, & omne donum perfectum*, vtpote illi proximiores meritis, & ideo certius audiendi, impetrent quæ saluti petentium opportuna non nesciunt. Deum autem oramus, vt sua bonitate gratuita meritis & intercessionibus sanctorum, quæ nobis iudicat commoda, largiatur. Et huic quidem, vt Deo Domino, iudici, creatori, omnipotenti, & saluatori, supplicamus: Illos vero, vt Dei amicos, Domini famulos, patronos, vere honoratos, & pleniter saluatos, in adiutorium vocamus. Tales esse preces fidelium, qui publicas Ecclesiæ orationes considerare norunt, dubitare non poterunt. Cum itaque talis sit Christiani perfectio sensus, non sunt omnimodis honesti & moderati imaginum honores abiiciendi. Si enim ideo, quia nominus non adorandas nec colendas iconas, conculcandæ sunt delendæ picturæ, quasi non necessariæ vel nociuæ: Ergo & quia credimus, quod creator omnium, qui vbique est, & cælum & terram implet non habitat in manufactis, destruenda sunt templa, ne videamur parietibus & tectis inclusum credere creatorem: Sicque poterit euenire, vt dum cauemus, ne vspiam sit aliquid, vbi insipientium mens possit errare, nihil pene habeamus, quo vel deuotionem nostram exerceamus, vel simplices & ignaros ad amorem inuisibilium trahere valeamus. Quantum autem vtilitatis ex picturæ ratione proueniat, multipliciter patet. Primum quidem, quia pictura est quædam litteratura illiterato, adeo vt quidam priorum legatur ex picturis didicisse antiquorū historias. Deinde (vt breuitatis causa prætermittam plurima) in gestis Syluestri Papæ legitur, Constantinum Imperatorem, per *thoracidas Apostolorum, quod ipsos in visione viderit, cognouisse. Et videmus aliquando simplices & idiotas qui verbis vix ad fidem gestorum possunt perduci, ex pictura passionis Dominicę, vel aliorum mirabilium ita cōpungi, vt lacrymis testentur, exteriores figuras cordi suo quasi,* lituris impressas. Ergo sicut *omnia munda mundis*, coinquinatis autem & infidelibus nihil mundum quia inquinatæ sunt eorum & mens & conscientia: ita malis, omnes viæ offensionis plenæ sunt. Et sicut boni etiam malis bene, sic mali etiam bonis male vtuntur. Sic itaque imagines & picturæ habendæ sunt & amandæ vt nec despectu vtilitas adnulletur, & hæc irreuerentia in ipsorum, quorum similitudines sunt, redundet iniuriam: Nec cultu immoderato fidei sanitas vulneretur, & corporalibus rebus honor nimie impensus arguat nos minus spiritualia contemplari.

*Margin notes: B — Deut. 6. — Exod. 20. — Exod. 26. 3. Reg. 6. Ad quid valeat vsus imaginū. — C — Abusus culpandus est non res ipsa. — Dissensio de imaginibus. Greg. II. Greg. III. — D — Claudius Episcopus Taurinēsis hæreticus. — B — Exod. 32. 3. Reg. 12. Num. 21. — 4. Reg. 18. — F — Iac. 1. — Non sunt imagines delendæ. — G — Vtilitas ex picturis. — *litteris. — Tit. 1. — H — Conclusio de imaginibus.*

CAP. IX.

De Templis & Altaribus dedicandis.

Antiquissima exempla dedicādi Ecclesias. Gen. 28.

QVod templa Dei, dedicatione solenni consecranda sint, exemplis antiquorum & congrua ratione docemur: Quia & Iacob Patriarcha erexisse lapidem legitur & oleo desuper fuso vnxisse eum, & vocasse domum Dei: Idemque super altare erectum inuocasse fortissimum

Deum Israel. Tabernaculum autem Moyses & Salomon templum, celeberrimis dedicationibus consecrasse leguntur. Vnde in testimonium diuinæ ostensionis & visitationis, ignis de cœlo descendens, oblata consumpsit, & supra vtramque domum fumus ac nebula diuinæ protectionis apparuit.

Notandum vero, quod non tantum in prima constructione templi dedicatio est celebrata, sed etiam secundo vel tertio, post euersionem & profanationem eiusdem templi propter peccata populi perpetratam à Gentibus, cum reædificatum sub Zorobabel, siue sub Machabæis fuisset purificatum iterata dedicatione subsecuta. Vnde ea quæ nouissime facta est hyemis tempore, vsque ad tempora passionis Christi obseruata cognoscitur, sicut scriptum est in Euangelio Ioannis: *Facta sunt Encania in Hierosolymis, & hyems erat*, & reliqua. Nam cæteræ duæ aliis anni temporibus factæ, septimo videlicet & primo mense, narrantur. Inuenitur etiam Concilio Agathensi statutum, vt altare vngatur & benedicatur. Hæc quidem & alia exempla dedicandorum habemos templorum & altariũ, non minus ad hanc obseruantiam probabili ratione perducti. Si enim Pagani templa & statuas, erroris sui testimonia, dæmoniis deceptoribus suis, per quædam execramenta magis, quam Sacramenta deuouere & dedicare noscuntur, vt & suam deuotionem diis, quibus placere desiderant arctius insinuent, & ad se inuisendos dæmonum gratiam hac familiaritate sibi concilient: sicut legitur Nabuchodonosor Rex Babyloniis fecisse dedicationem statuæ quam erexerat in campo Duran. Quare non potius nos templa & altaria, nostræ religiositatis indicia, Deo saluatori nostro per illibata & vestra Sacraméta dedicare curemus, vt & cum nostræ deuotionis officiis diuinæ maiestati placeamus: & ipse nos semper inuisere, & mansionem sibi in nobis facere dignetur, qui per Prophetam dicit: *Pauete ad sanctuarium meum*, & reliqua.

CAP. X.

Quid fieri debeat in locis Deo consecratis.

QVid autem fieri debeat in locis Deo consecratis, Dominus per Prophetam & per seipsum manifestat dicens: *Domus mea, domus orationis vocabitur cunctis gentibus.* Et Psalmista: *Introibo in domum tuam, adorabo ad templum sanctum tuum*, & multa his similia. Angelorum etiã præsentiam in locis talibus haberi, & Iacob agnouit, quando scala in Betheleem recta, vidit Angelos ascendentes & descendentes. Et Dauid testatur, dicens: *in conspectu Angelorum psallam tibi*, & *adorabo ad templum sanctum tuum.* Vota etiam & sacrificia in his Deo offerri debere, & lex Moysis pleniter docet, & psalmista commemorat: *Vota mea* (inquiens) *Domino reddam in conspectu omnis populi eius*, &c. Doctrinæ quoque verbum populo in Ecclesia dispensari, & Moyses ostendit, cum ad ostium tabernaculi mandata Domini populo exposuit: & ipse Dominus in templo duodennis inuentus est in medio doctorum sedens: Et crebertime in Euangelio reperitur, in templo sermonem fecisse, sicut & in passione sua fatetur, se palam in Synagogis docuisse & in templo, quo omnes Iudæi conueniunt. Sed & Petrus cum Ioanne in templo orault & Paulus vota persoluit, & omnes Apostoli docuerunt. Vnde cum eadem domus Dei, Oratorium dicatur, potest & à deprecationibus in ea faciendis, & à locutione doctrinæ, ita dicta putari, quia oratio, id est, oris ratio, & non tantum humilis postulatio, verum & rationabilis intelligitur hoc nomine locutio. Inde est quod primi ordines in Ecclesiæ vtũtur oratoriis, quia ad ipsos pertinet docendi officium. Et publici declamatores, ac sapientes dictionum compositores, Oratores vocantur. Baptismum quoque ibi conuenientissime celebratur, quia ante tabernaculum labrum, & ante templum mare ac decem lateres positos legimos, in quibos & oblaturi sacerdotes, & victimarum carnes lauarentur. Et dignum profecto est, vt in Cristi templo Christiani regenerentur.

E

CAP. XI.

Quid item fieri non debeat.

ALia vero negociotum carnalium, in Deo consecratis ædificiis opera, fieri non debere, vt non dicam, quæ nusquam licent: sed & quædam alia, quæ alibi interdum venialiter exercentur, inde esse mouenda, Dominus ipse ostendit, cum zelo domus Dei ductus, vendentes & ementes eiecit de templo. Et per Prophetam quodam loco queritur, dicens: *Dilectus meus in domo mea fecit scelera multa.* Apostolus quoque Corinthios in Ecclesia dissensiones habentes, itemque conuiuantes increpat, dicens: *Primum quidem cõuenientibus vobis audio scissuras esse*, & reliqua, & in consequentibus, *Conuenientibus vobis in vnum, iam non est Dominicam cœnam manducare. Vnusquisque enim suam cœnam præsumit ad manducandum. Et alius quidem esurit, alius autem ebrius est. Nunquid domos non habetis ad manducandum & bibendum? aut Ecclesiam Dei contemnitis, & confunditis eos, qui non habent?* Et post multa subiungit: *Itaque fratres mei, cum conuenitis ad manducandum, inuicem expectate. Si quis esurit, domi manducet, vt non in iudiciũ conueniatis.* Et superius de inordinatis orantium gestibus præmittit: *Hoc autem præcipio, non laudans, quod non in melius, sed in deterius, conuenitis.* Vnde beatus pater Benedictus in regula Monachorum præcipit, vt Oratorium hoc sit quod dicitur, nec ibi quicquam aliud geratur aut condatur. Vbi ostenditur, eos culpabiles esse, qui nulla necessitate coacti, indigna ibi committunt, vel loca sancta in horrea & apothecas conuertunt: Cum in Canonibus quoque sæpius sit interdictum, ne in Ecclesiis conuiuia vel prandia fiant nisi quis itineris necessitate cogatur.

Abusus in templis.

Ioan. 2. Hier. 11.

1. Cor. 11.

F

Regula S. Bened. de Oratorio.

G

CAP. XII.

De orandi modis ac distantia vocum.

QValiter autem orandum sit idem pater breuibus verbis, & maxime istis concludit, dicens: *Breuis & pura debet esse oratio: & non in multiloquio sed in puritate cordis, & compunctione lachrymarum*, nos exaudiri sciamus, & non in clamosa voce, sed in lachrymis & intentione cordis. Et item: Consideremus, qualiter in conspectu Diuinitatis & sanctorum Angelorum esse oporteat, & sic stemus ad psallendum, vt mens nostra concordet voci nostræ. Intelligamus ergo his exemplis, quid Dominus in templis suis fieri velit, vel quid prohibeat. Qui & filios Heli, propter scelera circa tabernaculum commissa, puniuit, & Annam matrem beati Samuelis, in secreto cordis, motu tantum labiorum sine strepitu vocis orantem, in filij petitione exaudiuit, ipsumque Samuelem, quia fideliter in domo Domini ministrauit, reprobato sene, in Prophetam, sacerdotem, & ducem elegit. De cuius matre modestissima, & in oratione discenda est instantia humilis, & post orationem perseuerantia salutaris. Legitur siquidem de illa quia vultus illius non sunt amplius in diuersa mutati. Qui enim aut in oratione aliud, quam debet, petit: aut alio modo, quam magister humilitatis insinuat, deprecatur: vel orare nescit vel minus quam potuit proficit. Qui vero peracta oratione, vel ad malam consuetudinem, vel ad noua facinora, sine respectu mox prosilit, fructum orationis perdit. Nam quidam in oratione pectus pugnis pauimentant, caput contundunt, voces muliebri gracilitate submittunt: & in proximo vel verbis vel factis alios conturbare, & semetipsos non metuunt culpabiles exhibere. Hi nimirum cõtra iudicem, quem orando honorant, moribus pugnant. De vocum autem differentia dicendum illam esse diuinis laudibus aptam, quæ qualitercunque sonuerit, ex bono thesauro cordis profecta, internæ intentioni concordat. Nã & in bono legitur vox alta, dũ dicitur in dedicatione

Qualis debet esse oratio.

H

Qualis fuit oratio Annæ.

Vox apud Deum valida.

templi

A

3.Reg.8. Apoc.6. *Quomodo clamatur ad Deū.* Exo.14.

templi Salomonis, *vox Sacerdotum & Leuitarum in turbis,& hymnis exclamantium*, longius sonuisse, & sancti martyres sub ara Dei,voce magna clamasse leguntur.Vbi quamuis intelligi possit, sicut & in aliis multis locis, illam esse magnam vocem,quæ quamuis sit sono humilis, ex bona deuotione procedit,sicut ad Moysen dicit Deus, *Quid clamas ad me*,cum non legatur ibi aliqnid clamasse Tamen bonum est,& omni quiete præferendum,in laudem Dei decenter & simpliciter laborare.Cumque omne genus laudationis diuinæ,secundum rationem exhibitæ, sit laudandum:illud probabilius est dicendum,quod habuerit vanitatis & iactantiæ minimum. Lege libros confessionum S.Augustini,& moenies,quantū ille iudicauerit esse periculi in cantilenarum cum melodia dulcedine.

CAP. XIII.

B

Quibus prosit cultus diuinus, & quibus non.

Quorum cultus Deo gratus est.

SCiendum sane, Ita demum templorum & officiorum sacrorum Deo vniuersorum creatori, cultos esse acceptos,si hominum pectora,quorum ob causam hæc sibi exhiberi permittit vel iubet,ipsius inhabitatione fuerint digna.In vanum enim ligna & lapides poliunt,qui mores non componunt. Frustra dona & pecunias comportant, qui interius diuinæ subtilitatis oculum non placant. Nā quia Iudæi Dominus interius non audierunt,exteriora eorum contempsit & abiecit,per prophetam dicens:

Hier.12. Matt.23. 1.Reg 4. *Loca sacra propter peccata deseruntur à Deo.*

Reliqui domum meam,dimisi hæreditatem meam Et per seipsū: *Relinquetur vobis domus vestra deserta.*Ergo propter peccata hominum loca sacra à Deo negligi, testis est arca ab Allophylis capta templum toties euersum vel profanatum,& multæ Christianorum Ecclesiæ nunc à barbaris vastatæ vel subuersæ,nunc ignibus vel fulminibus desolatæ,nunc terræmotibus vel turbinibus dirutæ. Vnde & Dominus per Hieremiam peccatori populo confidentiam vel maximam aufert,dicens:

C

Hiere.7.

Nolite confidere in verbis mendacy:dicentes:Templum Domini, templum Domini, &c.Non solum autem Dei protectionem,sed etiam angelorum custodiam,& sanctorum curam à locis quondam sanctia discedere, cum prius habitatores vel cultores locorum à Deo discesserint:ex eo certum est, quod omnis militia sanctorum solio Dei assistit:& vbi Deus non fuerit, ibi esse non possunt. Secundum gratiæ ostensionem dico,non secundum diuinæ potentiæ immensitatem:quia neque infernalibus deest, qui cœlum implet ac terram.

Iosephus de bello Iuda. l.7 c.17.

Scribit enim Iosephus,imminente propter peccata vrbis excidio,auditam fuisse custodum inuisibilium vocem de interioribus templi, Transeamus ex his sedibus. Neque vero sacra loca illis prosunt, qui sanctitatem proiiciunt: sicut nec loca horrida obsunt his,qui Domini gratia proteguntur. Nam & in prædicta Hierusalem subuersione, omnibus malis attriti, suffusos lachrymis oculos retorquentes ad templum, liberari non meruerunt sicut scriptum est:

Ps.17.

D

Percussi in loco sancto.

Leui 10. Num 16. 1.Reg.4. 1.Reg.6. 2.Reg.2. 2.Para. 26. Gen.37. &.41. Exod.2. Iob.42. Hier.38. Dan.5. & 3. Act.12. Act.27. Apoc.12.

*Clamauerunt,nec erat qui saluos faceret, ad Dominum:nec audiuit eos.*Subiungitur enim in eodem Psalmo,quo merito: *Fily alieni mentiti sunt mihi*,& reliqua. Præsumptores enim & negligentes in locis sanctis mulctantur,vt Nadab & † Abiud,offerentes ignem alienum. Item Core cum sediriosis, ante tabernaculum igne Dei deuoratur.Heli sacerdos in loco sancto,fractis ceruicibus expirauit. Bethsamitæ in conspectu Arcæ damnantur. Iuxta aram perimitur Iacob,iuxta altare trucidatur. Ozias sacerdutium indigne vsurpans, lepra perfunditur. Econtra humiles & Deum timentes, in locis infirmis & exitialibus,iustitia tuente, saluantur. Ioseph in cisterna non perit,in carcere non dimittitur.Moyses in fluuio non necatur,Iob de sterquilinio erigitur, Hieremias de lacu cœnoso sustollitur.Daniel inter leones, Tres pueri inter ignem illæsi seruantur.Petrus liberatur de carcere,Paulus euadit de mari.Et quid amplius dicam?Iniquitas de cœlo Angelos deiecit.Iustitia de inferno homines liberauit.

CAP. XIV.

E

Iustas oblationes & magis virtutes quam corporalia munera Deum desiderare.

Esa.61. Ezech. 34. Prou.21. Prou 3. 2.Reg. vlt.

POstremo admonendi sacrarum structores ædium vel ornatores,vt suæ deuotionis affectum rebus iuste acquisitis ostendant:Quia Dominus per Prophetam testatur,*se odio habere rapinam in holocausto.*Et alibi scriptum est:*Qui offert victimam de rapina pauperis, quasi qui mactet filium ante patrem.* Et in prouerbiis:*Hostia impiorum abominabiles,quia offeruntur a scelere.*Itemq; *Honora Dominum de tuis iustis laboribus*,& reliqua,Meminerit etiam Dauid Regem noluisse accipere aream Areuna Iebusæi,ad ædificandum altare Domino,ipso gratis dare volente nisi primum iusti precij rependeret quantitatem, & reuera non est remedium peccati, si contempto salutis præcepto,ipsius signa contemptus obiicias præceptori.

F

Deinde qui iuste quidem offert, sed maiora & vtiliora legis mandata postponit:audit cum Cain:

Gen 4.

Nonne si recte offeras recte autem non diuidas,peccasti? quiesce Qualibus Saluator dicit:

Matt.13. *Eleemosyna præferenda templorū ornatui.* Matt.6. Matt.25.

*Væ vobis qui decimatis mentham & rutam,& omne olus:& quæ grauiora sunt legis,præteritis misericordiam, iudicium,& veritatem.*Hæc autem dicimus,non quo ædificantium & ornantium loca sancta deuotionem culpemus,sed quo doceamus,eleemosynam in pauperes, huic præferendam.Quia vt beatus Hieronymous ait,*Superstitiosum est,parietes auro fulgere,Christumque ante ianuas fame & nuditate torqueri.* Ipse enim ibi nos iubet *thesaurizare vbi neque erugo,nec tinea demolitur:vbi fures non effodiunt, nec furantur.* Et in iudicio veniens, non vtrum Ecclesias ædificassemus,sed vtrum membris eius minimis profuissemus,inquisiturus est.

Hebr.9.

G

Hæc quidem ornamenta, sanctum seculare Apostolus nominat:quia sunt alia quasi sancta cœlestia: sicuti sunt ornamenta animarum. Quæ quo minus apud homines habent splendoris, tantu plus apud Dominum habent meriti & mercedis.

Gregor. pauperū studiosior quam templorum.

Legitur enim de B. Gregorio Papa, quod,non sicut alij in extructione Ecclesiarum laborauerit,sed in doctrina & eleemosynarum largitate:qoam non solum apud suos, verumetiam apud longe & in exteris prouinciis positos,exercere curauit.Si ergo in condendis vel ornandis sacris ædificiis, summa sanctitas esset,debuerunt earundem studiosissimi rerum,aliis qui minus his faciendis institerunt, meritorum præminere distantia.

Num.20. 3 Reg. 11.

Sed quia legimus Moysen tabernaculi structorem,ad aquam contradictionis Dominum offendisse, & idcirco ad terram repromissionis non peruenisse: Salomonem quoque post singularem templi mirabilis extructionem, mulierum seductum amore Domini incurrisse offensam.Vnde & regni eatenus vniti potentia, à semine eius discissa,in aliam tribum perniciosa diuisione partim concessit.Intelligimus,& omni postposita dubietate fatemur, ita constructionem sacrarum ædium ex religiosa deuotione laudandam,vt tamen virtutes,quæ sunt spiritales structura,& animarum in quibus Deus habitat ornamenta perennia, his multum prælatas.

H

Quia terrena ornamenta quaotalibet formositate fingantur, sine virtutibus Deo vilescunt. Virtutes vero quas & in Angelis suis diligit,etiam sine materiali compositione semper sibi placere demonstrat, dicens per Michæam Prophetam:

Mich.6.

Indicabo tibi ò homo quid sit bonum,& quid Dominus quærat à te: Vtique facere iudicium,& diligere misericordiam & solicitum ambulare cum Deo tuo. Vnde multos sanctorum & ante vsum templorum sacrorum placuisse Deo. Alios vero, postquam Deo per loca diuersa sanctuaria sunt constituta:in desertis & squalentibus locis commorantes, scimus Omnipotenti Domino solis virtutibus militasse.

A

CAP. XV.

De Oblationibus veterum.

HÆc de sacrorum fabricis & vsibus locorum, noa pro modulo tarditatis & ignauiæ nostræ commemorasse sufficit. Nũc de sacrificiis & oblationibus, quæ in eis Deo exibentur, quod ipse dederit, adiungamus. Abel & Cain, primi Domino munera obtulisse leguntur: Ille quidem de naturalibus ouium, quas pascebat, fœtibus: de terrenis, iste, quas arte & labore acquisiuit, frugibus. Sed dona amborum non vna dignatione suscepta, quia dispari fuerant ratione oblata, testis est diuini censura respectus, & inuidentis fraternæ; felicitati Cain vsque ad homicidij reatum prolapsa dementia. Noë quoque post diluuium de mundis animantibus obtulit Domino in odorem suauitatis.

Gen. 4. *Gen. 8.*

B

Abraham etiam & Iacob, & patientiæ Iob exemplar, sacrificia & holocausta Domino immolasse leguntur. Iam vero in lege quam multiplicia sint oblationum præcepta, ex ipsis libris discendum est. Vbi quadrupedum & volucrum carnes & sanguis, terræ fruges, & fructus arborum, diuersis modis offerri iubentur. Quæ omnia, cum legalium obseruationum vmbris, licet Euangelij veritatem sua præfigurauerint exhibitione: tamen infirmo, & quasi carnem & sanguinem sapienti populo, imposita sunt eatenus obseruanda, donec veniret Dominus legis & Prophetarum, & omnia quæ de se fuerant apertis vel mysticis dictis prænunciata, vel imaginariis victimarum, sacrificiorum, & solemnitatum ritibus præsignata, compleret: ita sane, vt illucescente Euangelij veritate: nec credentes ex Iudæis ab illis obseruandis, quasi rebus sacrilegis & prophanis prohiberentur: nec de gentibus ad fidem venientes, ad ea suscipienda, quasi saluti Christianorum necessaria, cogerentur.

Legalia ante aduentum Christi figura fuerunt.

C

CAP. XVI.

De sacrificiis Noui testamenti, & cur mutata sint per Christum sacrificia.

Noui Testam. sacrificium in cœna ab Christo institutum.

ITaque Christus, qui credentibus finis est legis, carnis dispensationem subiens, legis statura vtpote à Deo non respuit quin potius in se, vt terminaret, expleuit. Noui vero testamenti, noua mysteria ad instruendum nouum hominem tradidit: Et morte sua vetera perficiens, resurrectione sua, noua firmauit. In cœna siquidem, quam ante traditionem suam vltimam cum discipulis habuit, post Paschæ veteris solemnia, corporis & sanguinis sui Sacramenta in panis & vini substantia eisdem discipulis tradidit, & ea in commemorationem sanctissimæ suæ passionis celebrare perdocuit. Nihil ergo congruentius his speciebus, ad significandam capitis atque membrorum vnitatem, potuit inueniri: Quia videlicet, sicut panis de multis granis aquæ coagulo in vnum corpus redigitur, & vinum ex multis acinis exprimitur: sic & corpus Christi ex multitudine Sanctorum coadunata, completur.

D

Vnde consulte à prioribus statutum est, ne vinum in sacrificio sine aquæ admiatione offeratur, vt videlicet per hoc indicetur, populos, qui secundum Ioannem *aqua* sunt à Christo, cuius sanguis in calice est, diuidi non debere. Ergo nec vinum sine aqua, nec aqua sine vino offertur: quia nec Christus aliter, quam pro populo suo passus est nec aliter popolus, quam per passionem Christi potest saluari. Quia vero Christus *sacerdos* esse dicitur secundum ordinem Melchisedech, quod Apostolus Paulus copiosissime adstruit, salua multiplicium ratione figurarum quibus idem sacerdos Dei summi Iesus Christus filius Dei, qui semetipsum patri pro nobis obtulit pronuntiasse cognoscitur: congruum genus sacrificij Dominus noster, sacerdos verus, in corporis & sanguinis sui mysterium prouidere dignatus est, vt videlicet sicut Melchisedech ante circumcisionem & legis cæremonias, viuens ex fide, panem & vinum legitur obtulisse: ita ipse Dominus, Pontifex factus secundum ordinem, non Aaron, sed Melchisedech, iustus, & iustificans eum, qui ex fide est, post expletionem legis easdem species sacrificij fidelibus suis tradidit. Nec dubitemus, nos sine operibus legis, iustificare per fidem: dum illos imitamur libertate fidei & deuotionis, quos sine seruiture legis coactiua Deo cognoscimus placuisse per fidem. Ergo dum notus esset in Iudæa Deus, dumque in vno tabernaculi vel templi loco sacrificia deberent offerri, præceptum est, vel potius permissum carnalibus, varias & sumptuosas oblationes exhibere, vt seruilis religio grauibus desudaret obsequiis. At vero postquam super omnem terram laudabile nomen Domini illuxit, dumque in omnibus locis & gentibus, nõ speciale, sed generale sacerdotium geritur, tota fidelium vnitate non in vnum corporaliter locum, sed in vnam spiritaliter fidem concurrente, statutum est fidelibus, oblationes simplices Domino consecrare, quæ & veritatem mysterij continerent, & filios adoptionis nulla sumptuum difficultate comprimerent.

Aqua admixtio. *Apoc. 17.* *Heb. 7.*

E

Grauiora & sumptuosiora fuerunt legis sacrificia quam nostra.

F

Non est autem discutiendum ratione mortalium, cur hæc vel illa, isto vel illo tempore, quasi diuersa & discrepantia, ille, qui semper idem est, & mutari non potest, statuerit vel iusserit: cum ipsorum conditor & ordinator temporum quicquid in tempore fit, non temporali sapientiæ suæ ratione, sed æterna, iuste, conuenienter & vtilites, quamuis sæpius occulte, disponat. Notandum tamen, quod non de maioribus, fortioribus, sanctioribus, vtilioribus, ad minora, infirmiora, viliora, inutiliora genus humanum vocauerit: sed sicut persona filij seruis præmissis, vel Angelis videlicet vel hominibus, naturæ suæ præminet maiestate: sic ipse in carne adueniens, illis maiora instituit, & à carnalibus ad spiritalia, à terrenis ad cœlestia, à temporalibus ad æterna, ab imperfectis ad perfecta, ab vmbra ad corpus, ab imaginibus ad veritatem docuit transeundum.

Nõ scrutandum curiose de factis Dei. *Ps. 101.* *Ad minora vocari sumus sacrificia.*

G

CAP. XVII.

De virtute Sacramentorum, & cur ab eis criminosi suspendantur.

IGitur cum ipse filius Dei dicat, *Caro mea vere est cibus & sanguis meus vere est potus:* ita intelligendum est, eadem redemptionis nostræ mysteria, & vere esse corpus & sanguinem Domini, vt illius vnitatis perfectæ, quam cum capite nostro, iam spe, postea re, tenebimus, pignora credere debemus. Inde & Sacramenta, à sanctificatione vel secreta virtute, dicuntur. Vnde etiam criminum fœditate capitalium à membris Christi deuiantes, ab ipsis sacramentis Ecclesiastico suspenduntur iudicio. Qui enim corpus & sanguinem Domini digne manducat & bibit, designat se esse in Deo & Deum in eo: Qui vero medicinam vel non habet, vel ea indigne vtitur longe se à medico esse, languendo testatur. Non enim mentitur qui dicit. *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis*, & reliqua. Sciendum enim à sanctis patribus ob hoc vel maxime constitutum, vt mortaliter peccantes, à Sacramentis Dominicis arceantur, ne indigne ea percipientes, vel maiori reato inuoluantur, vt Iudas, quem post panem temere à Magistro susceptum, diabolus dicitur plenius inuasisse: vt crimen quod prius scelerata præmeditatione conceperat iam sceleratissimo consummaret effectu. Vel ne (quod Apostolus de Corinthiis dicit) infirmitatem corporis & imbecillitatem, ipsamque mortem præsumptores incurrant. Et vt à communione suspensi, terrore eius exclusionis, & quodam condemnationis anathemate compellantur, studiosius pœnitentiæ medicamentum appetere, & audius recuperandæ salutis desideriis inhiare.

Ioan. 6. *Vnio nostra ad Christũ per Sacramentum.* *Criminosi non debent communicare.*

H

Ne quis communicet indigne. *Excommunicatio medicinalis.*

A

CAP. XVIII.

Quid offerendum sit in altari.

QVamuis autem eorumdem Sacramentorum vsus ab ipso Domino traditus, & ab Apostolis, Apostolicisque viris in totam Ecclesiæ Catholicæ latitudinem sit transmissus: tamen primis temporibus, quosdam alia quædam genera oblationum offerre solitos, intelligimus ex Canonibus, & maxime Apostolorum, in quorum tertio capitulo ita scribitur: *Si quis Episcopus aut presbyter, præter ordinationem Domini alia quadam in sacrificio offerat super altare id est, aut mel, aut lac aut pro vino siceram, confectaque quadam, aut volatilia, aut animalia aliqua, aut legumina, contra constitutionem Domini faciens, congruo tempore deponatur.* Et in quarto, *Offerri non liceat aliquid ad altare, præter nouas spicas & vuas, & oleum ad luminarias & thymiama, id est, incensum, tempore quo sancta celebratur oblatio.*

Canones Apostolo.

B

Dum ergo quædam prohibentur offerri ostenditur ea à quibusdam (licet extraordinarie) oblationibus adhibita. Vnde Eutychianus XXVIII. sedis Romanæ præsul constituit, fruges super altare tantum fabæ & vuæ benedici. Et hæc idcirco fortasse, quia vino, sanguinis Dominici mysterium celebratur: faba vero, abstinentium cibus est: Alias autem diuersarum species rerum statutum est vbilibet benedici à sacerdotibus, vel si ad altare benedicenda quælibet deferantur, speciali benedictione à consecratione Dominicorum Sacramentorum omnimodis discernenda: vt sicut pro innumeris legis mandatis, breuiatum Euangelij verbum Dominus fecit super terram, ita pro diuersis sacrificiorum ritibus, simplex oblatio panis & vini fidelibus sufficiat, qui non in multitudine vmbrarum apparituram quærunt veritatem, sed eam in manifestatione factorum tenent perspicuam. Vnde quorundam simplicium error de Iudaicarum superstitionum seminario natus, & ad nostra vsque tempora quædam vetustatis extendens vestigia, iam ex magna parte sapientium studio compressus est. Et sicubi adhuc perniciosum huius pestis germen reuirescere fuerit comprobatum, mucrone spiritali radicitus est amputandum: Illum dico errorem, quo quidam agni carnes in Pascha, iuxta vel sub altari eas ponentes, benedictione propria consecrabant, & in ipsa resurrectionis die, ante cæteros corporales cibos de ipsis carnibus percipiebant. Cuius benedictionis series adhuc à multis habetur. Quod quam sit superuacuum, & à Sacramentis Christianæ perfectionis abhorrens, facile perspicit, qui veraciter intelligit, quod *Pascha nostrum immolatus est Christus*, & vult epulari non in fermento veteri, sed in azymis synceritatis & veritatis.

Benedictiones verò corporaliũ.

Esa. 10.

C

Error de agno Paschali superstitiosus.

1. Cor. 5.

CAP. XIX.

D

Non ab aliis, quam à ieiunis, communicandum.

Olim à non ieiunis communicatio celebrata.

HOc quoque commemorandum videtur, quod ipsa sacramenta quidam interdum ieiuni, interdum pransi percepisse leguntur, vt legitur in Canonibus Concilij Africani capitulo octauo his verbis: *Vt Sacramenta altaris non nisi a ieiunis hominibus celebrentur, excepto vno die Anniuersario, quo cœna Domini celebratur*, & reliqua. Isti quidem eo die post prandium communicandum esse censebant, quia Dominus post legalis paschæ cœnam, noui testamenti Sacramenta legitur discipulis tradidisse.

Alij vero, secta quadam singulari, non semel in anno sicut superiores, sed crebrius ante Sacramentorum perceptionem cibis corporalibus refici debere iudicantes: post prandia & plenitudinem stomachi, quasi confirmati, sacris rebus necessitate corporea communicabant, vt testantur Socrates in historia sua Ecclesiastica, vbi de diuersis Ecclesiarum consuetudinibus faciens mentionem, post multas ieiuniorum & solennitatum varietates, hæc inter cætera ponit: *Sed etiam circa celebritatem collectarum, quadam diuersitas inuenitur. Nam dum per Ecclesias in vniuerso terrarum orbe constitutas, die sabbathorum per singulas hebdomadas sacrificia celebrentur, hoc in Alexandria & Roma quidem prisca traditione non faciunt. Ægypty vero Alexandriæ vicini, & Thebaidis habitatores sabbatho quidem collectas agunt, sed non, sicut moris est, Sacramenta percipiunt. Nam postquam fuerint epulati, & cibis omnibus adimpleti, circa vesperam oblatione facta communicant.*

E

Histor. Trip. l. 9. c. 3.

Et paulo inferius: *In Antiochia vero Syria, altare non ad Orientem Ecclesia, sed magis ad Occidentem habent.* De qua re etiam nos quidem superius disseruimus. *Et hi quidem*, inquit, *singulis sabbathis, isti post prandium vel cœnam communicabant: Qua auctoritate id facere voluerint, non adeo liquet. Illud vero, quòd superiores in Anniuersario cœna Dominica pransi, communicare permissi sunt, ex occasione supra exposita, emersisse videtur.*

Supra c. 4.

F

Sed à sequentibus honesta & rationabili deliberatione statutum esse cognoscitur, vt omni tempore à ieiunis sacrosancta celebrentur mysteria. Non enim ideo prius prandere, & postea communicare debemus, quia Dominus completor legis auctor gratiæ prius legale Pascha perfecit, deinde Sacramenta Euangelica instituit: Sicut nec prius corporaliter cogimur circũcidi & postmodum baptizari, cum sciamus Dominum nostrum factum ex muliere, factum sub lege, primo secundum legis statuta circumcisum, ac deinceps ad expletionem omnis iustitiæ, lauacri salutaris subisse, nobisque consecrasse primordia.

Non licet amplius celebrari mysteria à non ieiunis.

Ergo à ieiunis semper celebrari debere eadem Sacramenta, & generalis totius iam comprobat vsus Ecclesiæ, & dicta Synodi Bracarensis ostendunt. Vbi etiam supra memorata in die cœnæ Dominicæ communicatio, post solutum ieiunium, anathematis interpositione abscinditur. Si itaque illo die, post prandium communicare non licet, cui & exemplum Domini, & quorundam assensus suffragari videbatur: multo minus aliis temporibus licet, quibus horum neutrum cognoscitur attributum. Hoc autem ita fieri, non solum honestas sobrietatis, per quam receptacula pectorum tantæ sanctitati percipiendæ præparari conuenit, ne si indigne sumatur, in iudicium transeat medicina: sed etiam ratio necessitatis magna poscebat, quia videlicet prandentes ante communicationem proficiente (vt adsolet) in peius mala consuetudine, de paruis refectionibus, vsque ad ebrietatis ingluuiem, interdum prolapsos credibile est. Et quid tam absurdum, quam tunc spiritalem atque vitalem percipere victum, cum ex nimietate ingestorum, nec corporalia alimenta potest crapulatus honeste tractare? Apostolus autem præcepit, dicens: *Omnia vestra honeste & secundum ordinem fiant.* Quæ moderationes, quamuis in singulis sanctorum operibus necessariæ sint, tamen etiam atque etiam in sanctissimi sanguinis & corporis Domini veneratione debent seruari, vt videlicet honeste, hoc est, humiliter pacem & charitatem in corde tenentes, ieiuni & sobrij, cum munditia corporis & cordis, quantum fieri potest, ipsa sacramenta contingamus. Secundum ordinem autem, vt sanctificationem eorum à cibis cæteris, vtpote animæ vitam significantium, longe distare sciamus. Et primo horum consolatione refecti, deinde corporis sostentacula capiamus. Quod autem neque ante, neque post communicationem in Ecclesiis sit conuiuandum: & Canones diserte & manifeste loquuntur. & nos superius commemorauimus.

G

Rationabile, decretum.

Omnia honeste & secundum ordinem fiant in nobis. 1. Cor. 14.

H

Supr. c. 11.

* * *

CAP. XX.

Quod alij rarius, alij crebrius, alij quotidie communicandum dicant.

QVia vero de ratione Sacramentorum pauca perstrinximus, videtur subnectendum, qualiter ad quotidianam celebrationem eorundem mysteriorum vsus peruenerit. Et quoniam multiplex est eius rei apud doctores relatio, colligamus summarium, quæ possumus, ita vt nomina singulorum auctorum propter prolixitatem non ponamus. Nihil vero conemur adstruere, quod non vel ita legimus, vel ex lectione coniectauimus, vel veracium verbis percepimus, vel vsu insinuante cognouimus. Alij vt ex patrum collationibus discimus, semel in anno communicandum censebant, vt videlicet diuturna præparatione corpus & animam purificantes, tandem ad communionem mensæ cœlestis digne pertingerent. Et quidem horum alij ipsam celebrationem annuam, in die cœnæ Dominicæ faciebant, vt ibi solum Sacramentorum gratia iteraretur illorum, vbi primitus est ostensa.

Vnde & ipsa die soluebant ieiunium, sicut in festis actitare solemus: & ante meridiem collectas explebant. Quod in Canonibus partim ostenditur, & penitus prohibetur. Sed aliis cautioribus visum est, istos eo indigniores, ad annuam suæ obseruationis celebritatem peruenire, quo se putabant longa dilatione defæcatos, quandoque ad sacrorum perceptionem satis dignos accedere: meliusque credebant, quamuis animus indignus sit, crebrius iterari quæ sancta sunt: Quia talis est illa spiritalis medicina, vt & sanos adiuuet ad perseuerantiam sanitatis & vulneratis subueniat ad redintegrationem virtutis. Et eo dignius percipitur, quo percipientes per humilitatis custodiam substrati, nunquam se ad eius perceptionem satis dignos arbitrantur. Qui autem tardius secundum iudicium spiritalium medicorum ipsi admittuntur medelæ, ideo ad tempus abstinere debent, ne præpropere congrua suis valetudinibus ingerentes medicamina, grauius ægrotent: & quod aliis est reparatio, illis fiat damnatio. Alij omni Dominica vel omni sabbatho apud Orientem & Hispanias Missas facientes, commemorationem passionis Dominicæ omni septimana si facerent, sufficere credebant. Vnde etiam orationem Dominicam, quæ ab ipsis (vt credimus) Apostolis, vel Apostolorum temporibus, ante communicationem & panis fractionem dicebatur: quidam illo tantum tempore recitandam crediderunt, quo sacrificia celebrabant. Quia panem illum, qui in eadem oratione petitur, supersubstantialem intelligi, non quotidianum, voluerunt. Et sic fiebat, vt qui semel per hebdomadam communicabant, semel etiam orationem Dominicam recenserent. Cyprianus autem quotidie dicendam esse ostendit, dicens: *Itaque in oratione Dominica panem nostrum, id est, Christum dari nobis quotidie petimus vt qui in Christo manemus & viuimus, a sanctificatione & corpore eius non recedamus.* Itē Hilarius: *Et quia quotidiana oratio est, quotidie quoque panis vita, vt detur, oratur.* S. August. dicit: *De quotidianis paruisque peccatis, sine quibus vita hac non ducitur, quotidiana oratio fidelium, satisfacit errori.* Superioribus quidem, ita vt prædictum est, complacuit: Aliis vero non solum in Dominicis & festis generalibus, vt sunt Natiuitas, Epiphania, Pascha Ascensio Domini, & Pentecoste: verum etiam in Natalitiis Sanctorum, diuinorum munerum celebranda esse mysteria. Legitur enim Felix XXVII. Papa constituisse, vt super memorias Martyrum Missæ celebrarentur Sed B. Gregor. Papa in ordine LXVI. præcepit, super corpus B. Petri Apostoli fieri Missas. His ita obseruatis, cœperunt iuniores tempore sequenti ferias ieiuniorum augere, veraciter intelligentes, panem illum quotidianum & quotidie petendum, & quotidie ab illis, quibus competit, offerendum & accipiendum. Quia vero Melchiades XXXIII. ordine, Romæ præsulatum agens, statuit, vt ratione Dominico aut v. feria iejunium quis fidelium ageret. Pagani enim his diebus quasi ieiunia frequentabant, ideo B. Gregor. supradictus, in dispositione officiorum anni, infra Quadragesimam, v. feriam vacantem dimisit, vt quia festiua erat veluti Dominica, etiam officio diei Dominicæ celebris haberetur. Quæ v. feria, quoniam postmodum cœpit vt cæteræ ieiuniis applicari, Gregorius Iunior statuit, eam Missis & orationibus esse solennem, & vndecunque colligens, eiusdem diei augmentauit officia. Cum ergo Hebræi carnales suas oblationes quotidie ex iussione Domini celebrasse legantur, quare non Christiani hostias suas spiritales quotidie offerant, & in monimentum suæ salutis frequentent? Legimus etenim, B. Gregorio (cuius supra fecimus mentionem) testante, Cassium Narnien. Episcopum, post ordinationem suam, omni die sacræ oblationis hostiam Domino immolasse, & diuina dignatione, vt solitis instaret operibus, commonitum, ac magna promissionis gratia ad perseuerantiam confortatum.

E

Diuinorum offic. dispositio à Greg. facta.

Quotidie celebrare Missam.

F

Gennadius autem Massilien. Presbyter, in dogmate Ecclesiastico, quasi inter veteres & iuniores medius existens, id est, cum adhuc alij Dominicis tantum; iam quoque nonnulli quotidianis communicarent diebus huiusmodi libramine sententiam suam temperat, vt quotidianam Eucharistiæ perceptionem nec laudare, nec vituperare se dicat: Omni vero Dominica communicare, si capitalia peccata non prohibeant, & mens in delectatione peccandi posita non sit, hortatur. Apud Græcos quoque, illi qui duas Dominicas vel tres sine communione transierint, excommunicari dicuntur. Quia vero venerabilis Papa Siluester XXXIV. à Beato Petro, ferias Clerum habere docuit, vt sicut apud Paganos feriæ tantum dies aliquibus festis insigniti dicebantur: (sic enim per Moysen dicitur. *Hæ sunt feriæ Domini*) ita Christianis & maxime clericis, omnes dies in ferias deputentur: videtur ratione plenissimum, vt per singulos dies, sacris occupemur officiis.

Syluester ferias instituit. Leu. 23.

G

Et † quantum *mentis vel corporis grauiores maculæ non obsistunt, panem & sanguinem Dominicum, quibus sine viuere non possumus, iugiter ambiamus & desiderio illius tuitionis potius, quam præsumptione nostræ puritatis, sumamus, imitantes primitiuæ Ecclesiæ studium salutare, de quo in Actibus Apostolorum ita scriptum est, *Erant autem perseuerantes in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis, & operationibus.* Et infra: *Quotidie quoque perdurantes vnanimiter in templo, & frangentes circa domos panem, sumebant, cibum cum exultatione & simplicitate cordis laudantes Deum.* Et iterum: *Omni autem die in templo & circa domos non cessabant, docentes & Euangelizantes Christum Iesum.* Nota quod dicit, prius eos fregisse panem, ac deinde sumpsisse cibum.

* *quadam* *Communio quotidiana in primitiua Eccl.* Act. 2. Ibid. Act. 5.

CAP. XXI.

Vtrum semel vel sæpius in die offerre conueniat, & communicare.

H

DIuersitas autem quædam inter sacerdotes oboriri solet. Quia est talis, qui semel tantum in die Missam celebrare velit, nimirum credentes, idem mysterium passionis Christi, cunctarum necessitatum esse generale subsidium: quia vnus, qui dominator & iudex est viuorum ac mortuorum semel pro peccatis nostris mortuus est, ad multorum exhaurienda peccata. Alius vero bis, ter, vel quotiestibet, eadem mysteria in die iterare congruum putat, credentes tanto amplius Deum & misericordiam flecti, quanto crebrius passio Christi commemoratur. Et fortasse consuetudinem suam inde confirmandam existimat, quia Romanorum vsus habet, duas vel tres interdum vnius solemnitatis facere Missas: vt in Natiuitate Domini Saluatoris, & aliquorū festis Sanctorum. Siquidem Telesphorus nonus in ordine Romanæ sedis Episcopus, in Natali Domini noctu tres Missas celebrari consti-

Semel in die celebrare Missam. *† suo solitum fieri olim exemplo, quo Vualafridus adducit, apparet, vt vnus Sacerdos plures in die Missas celebraret: at iam eo consuetudo ob graues ratio-*

tuit-

A

nes merito abrogata est, in Natale Domini tres tantum Missas dicere licitum.

tuit. † Et tenera non esse absurdum crediderim, si dum plures in vna die faciendæ sunt Missæ, vnus sacerdos duas vel tres necessitate, vel voluntate persuadente, celebret potius quam quasdam dimittat. Ad hoc accedit, quod totius vsus Ecclesiæ habet sæpius missas agere pro viuis, pro defunctis, pro eleemosynis, & aliis diuersis causis, quod etiam officia his attributa testantur. In diebus itaque publica celebritate conspicuis aut illæ diuersarum rerum necessitates sunt intermittendæ aut concurrentibus sibimet, publica obseruatione & priuata necessitate, vtriusque expletio suis est discernenda officiis, vel (quod superius commemorauimus) vna oblatione diuersæ causæ sunt explendæ, Fidelium relatione vitorum in nostram vsque peruenit notitiam. Leonem Papam (sicut ipse fatebatur) vna die VII. vel IX. Missarum solemnia sæpius celebrasse. Bonifacium vero Archiepiscopum & martyrem, semel tantum per diem Missas fecisse: Qui & non longe ante nostra fuerunt tempora & ambo tam scientia quam gradu præcipui. Itaque *vnusquisque in suo sensu abundet*, dum fides concordet, vt nec sæpius offerentes æstiment Deum aliter petitiones non posse discernere, nec semel hostias per diem immolantes putent suæ fidei subtilitatem potius quam superiorum deuotionem diuinis acceptam.

Plures vno die celebrauit Missas. Leo Pap. sæpius. Bonifacius semel in die celebrauit.

B

Rom. 4.

CAP. XXII.

De ordine Missæ, & offerendi ratione.

Quid fuit Missæ tempore Apostolorum.

QVoniam igitur, qualiter ad celebrationem quotidianam Missarum solemnia peruenerint, qualitercumque monstrauimus, hinc de officio Missæ, quid quando, & à quibus statutum sit quantum inuenire potuimus, exponamus. Quod nunc agimus multiplici orationum, lectionum, cantilenarum, & consecrationum officio totum hoc Apostoli, & post ipsos proximus, (vt creditur) orationibus, & commemoratione passionis Dominicæ, sicut ipse præcepit, agebant simpliciter.

C

Vnde circa domos, secundum superius commemorata testimonia frangebant panem. Quod etiam alia sententia Lucas declarat, dicens: *Vna autem Sabbathi, cum conuenissemus ad frangendum panem:* & reliqua. Et relatio Maiorum est ita primis temporibus Missas fieri solitas, sicut modo in Parasceue Paschæ (in quo die apud Romanos Missæ non aguntur) communicationem facere solemus id est præmissa oratione Dominica, & sicut ipse Dominus noster præcepit, commemoratione passionis eius adhibita eos corpori Dominico communicasse & sanguini, quos ratio permittebat. Proficiente dehinc religione amplius aucta sunt à Christi cultorib. officia Missarum, quod vel pax præstita latius terminos propagauit Eccles. vel Sanctorum copia, vsu facta est conualescente frequentior. Quod & in sacrarum ædium constructione vel ornatibus ita prouenisse, iam diximus non quod aliqui sequentium Apostolis fuerint scientia vel religiositate maiores: sed quia illi maxime curabant, ab infidelitate ad fidem, à tenebris homines ad lucē vocare, & in veritate stabiles reddere, ipsa facilitate religionis, melius quod volebant rudibus persuadere potuerunt Vnde etiam (sicut legitur) credentes primi de gentibus, legalium ponderemandatorum deprimi voluerunt. Multi itaque apud Græcos & Latinos Missæ ordinem vt sibi visum est statuerunt. Et Romani quidem vsum obseruationum à beato Petro principe Apostolorum accipientes, suis, quinque temporibus; quæ congrua iudicata sunt addiderunt. Quorum morem ideo in sacris rebus tam multæ gentes mirantur, quia & tanti magisterij ex apice Apostolico primordiis clarent & nulla per orbem Ecclesia, æque vt Romana ab omni fæce hæreseon cunctis retro temporibus pura permansit. Ambrosius quoque Mediolanensis Episcopus tam Missæ quam cæterorum dispositionem officiorum, suæ Ecclesiæ † & aliis Liguribus ordinauit. Quæ & vsque hodie in Mediolanensi tenentur

Act. 20.

Aucta est tempore Missarum officia.

D

Act. 15.

Romani à Petro receperūt ordinem Missæ.

† aliis legibus.

Ecclesia. Igitur ordinem Missæ Romanæ, vt possumus, exequamur. Antiphonas ad introitum dicere, Cælestinus Papa XLV. instituit: sicut legitur in gestis Pontificum Romanorum, cum ad eius vsque tempora, ante sacrificium lectio vna Apostoli tantum, & Euangelium: legeretur. Litaniæ autem quæ sequuntur, id est, *Kirie eleeson Christe eleeson*, à Græcorum vsu sumptæ creduntur quia & Græca sunt verba, & ea ipsi Græci sæpius in suis iterant Missis. Hymnum autem Angelicum in quo paucis verbis quædam ab Angelis circa Natiuitatem Dominicam in laudem Dei sunt prolata sequentes sancti patres ad communem sanctæ & indiuiduæ Trinitatis laudationem dulcissimas & congruentissimas dictiones addiderunt, vt sicut eius principium à cælestibus est ordinatum ministris, ita etiam tota eius series diuinis esset plena mysteriis.

E

Introitus Missæ à Cælestino.

Hymnus Angelicus à Telesphoro.

Illum inquam, hymnum ante sacrificium dici. Telesphorus IX. Romanorum præsul constituit, vt ad tantæ sanctitatis celebrationem, congregatorum animi Angelicæ modulationis dulcedine mulcerentur. Sed in hoc loco quæri potest. Si idem hymnus huius Papæ temporibus ante sacrificium cœpit dici, cur longo tempore post sub Cœlestino legatur tātum ante sacrificium lectionem Apostoli & Euangelium præcessisse vt ille necessario de Psalmis Dauid Antiphonas, quæ ante ipsas lectiones cantarentur, præposuisse videatur? Vbi respondendum est vel constitutum quidem fuisse à Telesphoro, vt idem Hymnus in capite Missæ diceretur, sed apud posteros ipsam eius constitutionem intermissam, donec à sequentibus plenius totus ordo Missæ componeretur: vel ita statutum ab eo, vt ipse hymnus in summis festiuitatibus & à solis Episcopis vsurparetur, quod etiam in capite libri Sacramentorum designatum videtur, & ideo scriptum esse vsque ad tempora Cœlestini ante sacrificium lectiones tantum habitas: vt subintelligatur, quamuis ille hymnus interdum ante Missas diceretur, vt prædiximus non fuisse tamen, quod iugiter in omnibus Missis ab omnibus sacerdotibus ante lectiones poneretur, antequam idem Cælestinus antiphonas ad introitum dicendas instituit: vel ita potuit euenire, vt idem Cælestinus, Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus, & reliqua ante sacrificium docuerit dicere, quod nihilominus hymnus Angelicus dici potest, quia principium eius Esaias Propheta Seraphim pronunciasse commemorat: sed ab imperitis quibuslibet in eodem loco, vbi Thelesphorus dicitur hymnum Angelicum ante sacrificium posuisse, additum sit, *Gloria in excelsis Deo*, putantibus nullum alium intelligi hymnum Angelicum, nisi quem Angeli nato Domino cecinerunt. Quæ verba id est, *Gloria in excelsis Deo*, si non essent posita in capitulo Telesphori, non nasceretur quæstio supra scripta, & intelligeretur hymnus Angelicus ille, qui ante actionem cantatur. Huic assertioni videtur illud suffragari, quod legitur, Symmachum alij Romanorum præsulem constituisse, vt omni Dominica, vel Natalitiis Sanctorum, *Gloria in excelsis Deo*, diceretur. Aut enim (sicut prædiximus) illum hymnum Thelesphorus non apposuit, aut si fecit, statutum illius longo tempore imperfectum remansit. Orationes, quas Collectas dicimus, quia necessarias earum petitiones compendiosa breuitate colligimus, id est, concludimus, diuersi auctores vtcumque videbatur congruum confecerunt. Solebant enim non solum inter officia Missæ, verum etiam in aliis orationibus conuenientibus, & collocutionibus, quo cæteris aderant eminentiores, breui oratione opus concludere. Quod & in Sanctorum patrum exemplis agnoscimus, dum alij alios honorificentiæ causa orationes colligere postulabant.

F

G

Alius hymnus Angelicus.

Esa. 6.

Gloria in excelsis à Symmacho.

H

Collectæ, à diuersis.

Et venerabilis doctor Augustinus in quibusdam sermonibus suis ad populum, ita terminauit locutionem, vt diceret extremo, Conuersi ad Dominum. Vbi intelligitur oratione subdita, communem petitionem ad Dominum direxisse: Sicut etiamnunc solent sacerdotes in conclusionibus nocturnæ vel diurnæ sinaxeos, orationes breues, id est, Collectas subiungere: Sunt enim tales,

Diuersitas Collectarum.

vt

Digitized by Google

vt non alibi quam circa sacrificij celebrationem, sint dicendæ. Sunt vero aliæ, quibus & in officio Missæ, & non minus in aliis locis possumus vti. Crescente autem (sicut prædiximus) religionis cultu diuinæ, crescebat etiam paulatim orationum & officiorum Ecclesiæ compositio, multis & ex summa scientia & ex mediocri & ex minima addentibus, quæ congrua rebus explicandis videbantur. Ideoque credimus Conciliis, Carthaginensi & Mileuitano statutum, vt preces & orationes à quibuslibet compositæ, nisi probatæ fuissent in Concilio, non dicerentur. Nam & Gelasius Papa in ordine LI. ita tam à se quam ab aliis compositas preces, dicitur ordinasse.

Et Galliarum Ecclesiæ suis orationibus vtebantur, quæ adhuc à multis habentur. Et quia tam incertis auctoribus multa videbantur † incerta, & sensus integritatem non habentia curauit beatus Gregorius rationabilia quæque coadunare, & seclusis his, quæ vel nimia vel inconcinna videbantur, composuit librum qui dicitur Sacramentorum, sicut ex titulo eius manifestissime declaratur: In quo si aliqua inueniuntur ad hunc sensum claudicantia, non ab illo inserta, sed ab aliis minus diligentibus postea credenda sunt superaddita. Lectiones Apostolicas, vel Euangelicas, quis ante celebrationem sacrificij primum statuerit, non adeo certum est. Creditur tamen à primis successoribus Apostolorum eandem dispensationem factam ea præcipue causa, quia in Euangeliis eadem sacrificia celebrari iubentur: & in Apostolo, qualiter celebrari debeant, docetur: Et vt ante sanctissimæ † actionis mysterium, ex Euangelio salutis, & fidei suæ recognoscerent fundamentum: & ex Apostolo, eiusdem fidei & morum Deo placentium caperent instrumentum. Anteponitur autem in ordine, quod inferius est dignitate, vt ex minoribus animus audientium ad maiora sentienda proficiat, & gradatim ab imis ad summa conscendat. Statim autem Anastasius xlj. Papa, vt quotiescunque sanctum Euangelium recitaretur, sacerdotes non recti, sed curui starent, vt videlicet humilitatem, quæ à Domino docetur, etiam corpore demonstrarent. Videtur autem, non alias lectiones ante Euangelium fuisse tunc positas, nisi tantum Apostoli Pauli quas solum nominauit qui gesta Pontificum scripsit cum Antiphonarum mentionem subiunxit. Quod ante non fiebat, nisi tantum Epistola B. Pauli Apost. legebatur, & sanctum Euangelium. Quod etiam sanctus Damasus Papa ad Hieronymum scribens, pene eisdem verbis ostendit. Et fortasse imprimis solius Pauli lectiones eo loco legebantur. Postea autem omnibus latius augmentatis, aliæ lectiones, non tantum de nouo, verum etiam de veteri (prout festorum ratio poscebat) intermixtæ sunt Testamento.

Nec mirum videri debet, quod paulatim aucta narrantur officia, dum adhuc multa in rebus necessariis defuissent. Cum videamus vsque hodie, & lectiones & collectas, & diuersas laudum species, iam pene abundantibus omnibus, superaddi, vt & in hoc illud Propheticum videatur impleri: *Pertransibunt plurimi, & multiplex erit scientia.* Sed videndum est (sicut beatus Augustinus ait) vt ea cantentur, quæ scripta sunt vt cantentur: Responsoria, & Alleluia, quæ ante Euangelium cantantur, deinde adiuncta videntur, postquam antiphonæ ad ingressum dici exspirarunt, quæ & videntur prohibita Canonibus Hispanorum, qui longo post tempore sunt constituti. In illis enim iubetur, ne aliquis hymnus inter lectionem Apostolicam, & Euangelium in ordine Missæ ponatur. Ex quo intelligitur, id aliquos tentasse tunc temporis sed propter nouitatem rei studium eorum nondum fuisse à quibusdam receptum. Quod tamen postea vsu Romano commendatum ad omnes Latinorum peruenit Ecclesias.

Symbolum quoque fidei Catholicæ rectè in Missarum solemniis Euangelium recensetur, vt per sanctum Euangelium corde credatur ad iustitiam: per Symbolum autem, ore confessio fiat ad salutem. Et notandum, Græcos illud Symbolum quod nos ad imitationem eorum intra Missas adsumimus, potius quam alia, in cantilenæ dulcedinem ideo transtulisse, quia Constantinopolitani Concilij proprium est & fortasse aptius videbatur modulis sonorum, quam Nicænum, quod tempore prius est. Et vt contra hæreticorum venena, in ipsis etiam Sacramentorum celebrationibus, medicamenta apud regiæ suæ vrbis sedem confecta fidelium deuotio replicaret. Ab ipsis ergo ad Romanos ille vsus creditur peruenisse. Sed apud Gallos & Germanos, post deiectionem Felicis hæretici sub gloriosissimo Carolo Francorum Rectore damnati, idem Symbolum latius & crebrius in Missarum cœpit officiis iterari. Concilio quoque Toletano statutum est, omni Dominica idem Symbolum secundum morem Orientalium Ecclesiarum recitari: vt priusquam Dominica dicatur oratio, fides vera manifestius testimonium habeat, & ad corpus Christi ac sanguinem prælibandum, pectora populorum purificata accedant. In eiusdem loci Concilio statutum est, vt etiam hymnus trium puerorum, ad Missam omni Dominica in pulpito cantaretur. Quod Romani, propter multiplicitatem officiorum, non faciunt, nisi quatuor per annum diebus, quibus lectionum XII. numerus adimpletur.

Offertorium quod inter offerendum cantatur, quamuis à prioris populi consuetudine in vsum Christianorũ venisse dicatur: tamen quis specialiter addiderit officiis nostris aperte non legimus, sicut & de antiphona, quæ ad communionem dicitur, possumus fateri; cum vere credamus, priscis temporibus patres sanctos silentio obtulisse vel communicasse, quod etiam hactenus in sabbatho sancto Paschæ obseruamus. Sed sicut supradictum est, diuersis modis & partibus per tempora decus processit Ecclesiæ, & vsque in finem augeri non desinet. Traditur denique B. Gregorium, sicut ordinationem Missarum & Consecrationum, ita etiam cantilenæ disciplinam, maxima ex parte in eam, quæ hactenus quasi decentissima obseruatur, dispositionem perduxisse, sicut & in capite Antiphonarij commemoratur.

Sciendum autem, quosdam inordinate offerre, qui attendentes numerum oblationum potius, quam virtutem Sacramentorum, sæpe in illis transeunter offerunt Missis ad quas persistere nolunt. Rationabilius siquidem est ibi offerre, vbi velis persistere, vt qui munus Domino obtulisti, offeras pariter pro eodem munere suscipiendo postulationem deuotam. Non enim frustra in actione dicitur, *Qui tibi offerunt:* non dicit, *Qui obtulerunt*, vt intelligamus eos persistere debere in offerendo, donec oblata ad hoc perueniant, ad quod oblata sunt. Sed & in hoc error non modicus videtur, quod quidam se non posse aliter plenam commemorationem eorum facere, pro quibus offerunt, nisi singulas oblationes pro singulis offerant, vel pro viuis & defunctis non simul æstimant immolandam; cum vere sciamus vnum pro omnibus mortuum, & vnum panem esse & sanguinem quem vniuersalis Ecclesia offert. Quod si cui placet, pro singulis singulatim offerre: pro solius deuotionis amplitudine, & orationum augendarum delectatione id faciat, non autem pro stulta opinatione, qua putet vnum Dei Sacramentum non esse generale medicamentum. Quodammodo enim in fide imperfectus est, qui putat Dominum non discernere, quando vna petitione pro multis rogatur, quid cui sit necesse: vel fastidire eum æstimat, cum eadem oblatio nunc pro vno nunc pro alio exhibetur. Præfationem actionis, qua populi affectus ad gratiarum actiones incitatur, ac deinde humanæ vocis supplicatio, cœlestium virtutum laudibus admisceri deposcitur, vel ipsam actionem, qua conficitur sacrosanctum corporis & sanguinis Dominici mysterium, (quam quoque Romani Canonem, vt in Pontificalibus sæpius inuenitur, appellant) quis primus ordinauerit, nobis ignotum est: Auctam tamen fuisse, non semel, sed sæpius, ex partibus additis intelligimus: quia & præfatio in quibusdam festis aliter, quam diebus quotidianis dicitur: Et interdum non ipsa mutatur, sed inseruntur in

medio speciales quarumdam rerum commemorationes. Actio vero siue Canō ex eo cognoscitur maxime per partes compositus, quod nomina sanctorum, quorum ibi communio & societas flagitatur, duobus in locis posita reperiuntur. Non enim verum est, quod quidam dicunt, Ideo duos ordines nominum ibi factos, quia posterius positi nondum coronati fuissent, cum priores in illo Canone ponerentur, cum sciamus Ioannem Baptistam, ipsis Apost. non tantum parem tempore, verum & priorem: Stephanum vero parem, & vtrumque ante Apostolos coronatum. Cæteros quoque, qui in sequenti ordine numerantur, eisdem fuisse temporibus, quibus fuere, qui prius sunt positi. Vnde constat, sequentes Eccl. Doctores, antiquis patrum statutis, quæ congrua visa sunt, addidisse, vt sicut religiosorum aucta est multitudo, ita & religionis crescerent instituta: primam vero partem Canonis prædicti, ex eo vel maxime antiquam esse cognoscimus, quia in eo ordo Apostolorum non ita est positus, sicut in emendatioribus Euangeliis inuenitur. Quod ideo fortasse euenit, quia pars illa prius composita est, quam Euangelia ad eam veritatem, quæ nunc habetur apud Latinos, corrigerentur. In prioribus enim editionibus (vt Hieronymus testis est) non solum Euangelistarum mutatus est ordo, sed etiam verborum & sententiarum erat confusa commixtio. Alexander, septimus Papa in numero, miscuit passionem Domini in precatione sacerdotum, quando Missæ celebrantur. Quod cum ita de eo in Pontificalibus scriptum sit, dubium videtur, vtrum ille eam tantum partem actionis qua passio Domini commemoratur, ordinauerit, vel totam à capite vsque ad ipsum locum. Sed huic secundæ æstimationi videtur contrarium, quod in ea parte sancti nominantur, qui & ante illum, & qui post illius tempora longe fuerunt: nisi dicamus, ab illo eos tantum, qui ante illum fuerunt, commemoratos: Cæterorum vero nomina, suis quæque temporibus, ab aliis superimmissa. Vnde & ipsius nomen Alexandri in sequenti ordine reperitur. Gregorius vero (de quo superius sæpius fecimus mentionem) augmentauit in precatione Canonis, Diesque nostros in tua pace disponas: Vbi quidam volunt intelligi, totam ab eo loco canonia consequentiam, vsq; in finem, per illum fuisse compositam. Cui sensui repugnare videtur, quod passio Domini, quam Alexander eidem precationi inseruit, post hos versus habetur. Vnde nonnulli credunt, non amplius Gregorium, quam illas tres petitiones, id est, pro pace temporum, & ereptione ab æternis suppliciis, & consortio sanctorum obtinendo, prioribus superaddidisse statutis. Leo quoque xlvij. loco apud Romanos Pontificatum agens, constituit, vt intra Actionem sacrificij diceretur, sanctum Sacrificium, & reliqua. De hoc etiam quæri potest, vtrum ab eo loco, quæ sequuntur addiderit, vel ipsa tantum verba, id est, Sanctum Sacrificium, immaculatam hostiam, eo loco intermiscuerit. Quod quia manifeste non legimus, nolumus diffinire. Ex hoc tamen apparet, Gregorium, qui longe post Leonem fuit, non totum Canonem, ab eo loco quo sua inseruit, vsque in finem composuisse. Gregorius deinde iij. eiusdem nominis Papa, faciens oratorium in Basilica Beati Petri in honorem omnium Sanctorum, & quotidiana ibidem officia, ac Missas in eorum venerationem constituens celebrari, pariter instituit in Canone a sacerdote dicendum: Quorum solemnitas hodie in conspectu tuæ maiestatis celebratur, Domine Deus noster, toto in orbe terrarum: quod quia specialiter ad illam pertinet celebritatem, non est Canoni, qui generaliter dicitur, adnotatum. Actio dicitur ipse Canon, quia in eo sacramenta conficiuntur Dominica, Canon vero eadem actio nominatur, quia in ea est legitima & regularis Sacramentorum confectio. Sequitur oratio Dominica, cum appositionibus congruis. Vna enim præcedens, eam fiduciam prædicat, qua Dominum creatorem, patrem dicere præsumamus: altera subsequens explicat, quomodo, & à quibus malis, per Dominum nos liberari petamus. Quæ oratio Dominica, quia prius quam cætera, in consecratione sacrificiorum assumpta est, in expletione eiusdem sacratissimæ actionis digne ponitur: vt per hanc purificati, qui communicaturi sunt, quæ sancte confecta sunt digne ad salutem veram percipiant. Pacem ante communionem dari Innocentius Papa decretis suis instituit, scilicet, vt quod in oratione sancta sub sponsione remissionis permittimus, paccatos nos ipso opere demonstremus. Agnus Dei in confractione corporis Domini, à clero & populo decantari Sergius lxxxvj. Romanorum Antistes constituit, vt dum præparatur ad dispensandum corpus Dominicum rogent accepturi, quatenus ille, qui pro eis oblatus est innocens, faciat eos salubriter pignora salutis æternæ percipere. Porro quod Canones præcipiunt, eum ad pacem non accedere, qui non cōmunicat, quidā sic intelligunt: Quod non debeat pacem accipere quis in aliis Missis, nisi in quibus communicat. Alij vero volunt, illum tantum à pace prohiberi, qui iudicio sacerdotali à communione suspensus est. Illum autem, qui quadam ratione † illo tempore differt communicationem, cum tamen non sit extra communionem, non debere à pacis gratia separari, ne humilitas eius, grauiorum criminum suspicione notetur. Et quia de communicandi varietate quædam præmisimus, hoc addendum videtur: Esse quosdam, qui semel in die communicare, etiam si pluribus interfuerint Missis, pro dignitate Sacramentorum, sufficere credāt: Esse vero alios qui sicut in vna, sic in omnibus quibus affuerint Missis, in die comunicare velint. Quorum neutros culpandos existimo, quia sicut Augustinus ait de his, qui quotidie communicant, & illis qui rarius, *istos reuerentia sanctarum retrahit rerum, illos vero amor salubrium inuitat sacramentorum.* Nam & ipse sacerdos, quoties in die Missas facit, communicare non omittit. Quod si non faciat, Canonico est feriendus iudicio. Et hoc non est mirum, ita de sacerdote intelligi, cum Conciliis, Cæsaraugustano & Toletano, commoniret sit statutum de omnibus vt qui acceperit Eucharistiam, & non sumpserit, quasi sacrilegus repellatur. Est autem legitimum tempus communicandi, ante vltimam orationem, quæ dicitur ad complendum: Quia eius peritio maxime pro eis est, qui communicant. Vnde etiam eorum, qui per singulas Missas communicare volunt, accendi videtur voluntas. Quia per totam Missam pro eis quam maxime, & quasi nominatim oratur, qui ibi offerunt atque communicant. Possumus autem & debemus (vt eadem sancta Missarum celebratio, non paucis, sed multis prodesse credatur) dicere: cæteros in fide & in deuotione offerentium & communicantium persistentes, eiusdem oblationis & communionis dici & esse participes. Quamuis autem, cum soli sacerdotes Missas celebrant intelligi possit, illos eiusdem actionis esse cooperatores, pro quibus tunc ipsa celebrantur officia, & quorum personam in quibusdam Respōsionibus sacerdos, exequitur, tamen fatendum est, illam esse legitimam Missam, cui intersunt sacerdus, respondens, offerens, atque cōmunicans, sicut ipsa compositio precum, euidenti ratione demonstrat. Statutum est autem Aurelianensi Concilio, vt populus ante benedictionem sacerdoris non egrediatur de Missa. Quæ benedictio intelligitur illa vltima sacerdotis oratio.

Actio seu canon Missæ. — Duo ordines sanctorum nominū in canone. — Antiquitas sacri Canonis. — Additio Alexandri Papæ I. — Additio Greg. I. — Additio Leonis I. — Additio Greg. II. — Oratio Dominica in Canone. — Osculum pacis. Innoc 1. — Agnus Dei. — Pacem accipere possunt etiam y, qui non communicant nisi fuerint excommunicati. † temporum. — An vna die sæpius cōmunicare liceat. Supra c. 9. — De cons. d. 2. c. Relatū. — Quando in Missa communicari solet. — Si non omnes cōmunicāt. — Si solus sacerdos communicat.

CAP. XXIII.

De tempore Missæ.

TEmpus autem Missæ faciendæ, secundum rationem solēnitatum, diuersum est. Interdum enim ante Meridiem, interdum circa nonam: aliquando ad vesperam, interdum nocti celebratur. Nam Telesphorus Papa constituit, vt nullo tempore ante horæ tertiæ cursum, vllus præsumeret Missam celebrare: qua hora Dominus noster secundum Marci Euangelium crucifixus asseritur. Inter hæc notandum, neque terminandum in Dominicis & festis maioribus, vti non cogit necessitas, sicut & canones ostēdunt: nec in diebus ieiuniorum, vel vnquam post meridiē, Hymnum Angelicum, id est, *Gloria in excelsis Deo* † vel *Alleluia* dicendum nisi in duobus sabbathis Paschæ & Pentecostes, quæ specialibus mysteriis adornantur.

Quo tempore celebranda est Missa. — Marc. 15. — Alia est observatio in diebus festis, quā est in diebus ieiunij. † &

Digitized by Google

A

CAP. XXIV.

De vasis & vestibus sacris.

Calix & patena.

VAsa quoque, quibus præcipue nostra Sacramenta imponuntur & consecrantur. Calices sunt & Patenæ. Calix dicitur à Græco nomine κύλιξ Patena à patendo, quod patula sit. Ampulla, quasi parum ampla Zepherinos Rom. Pontifex xxvj. patenis vitreis Missis celebrare constituit. Tum deinde Vrbanus xviij. Papa, omnia ministris sacrata, fecit argentea, & patenas † 25. In hoc sicut & in reliquis cultibus, magis & magis per incrementa temporum decus succreuit Eccles. Bonifacius martyr & Episcopus interrogatus. Si liceret in vasis ligneis sacramenta conficere, respondit: Quondam sacerdotes aurei, ligneis calicibus vtebantur: Nunc è contra, lignei sacerdotes aureis vtuntur calicibus. Syluester Papa constituit, Sacrificium altaris non in serico, non in panno tincto celebrari, nisi tantum lineo è terra procreato: sicut corpus Domini IESV CHRISTI in syndone munda sepultum est. Vestes etiam sacerdotales per incrementa ad eum, qui nunc habetur, auctæ sunt ornatum. Nam primis temporibus communi indumento vestiti, Missas agebant, sicut, & hactenus quidam Orientalium facere perhibentur. Stephanus autem xxiv. constituit, sacerdotes & Leuitas vestibus sacratis in vsu quotidiano non vti, nisi in Ecclesia tantum. Et Syluester ordinauit, vt diaconi Dalmaticis in Ecclesia vterentur, & pallio linostimo eorum læua tegeretur. Et primo quidem sacerdotes Dalmaticis ante casularum vsum induebantur: postea vero cum Casulis, vti cœpissent, Dalmaticas diaconibus concesserunt. Ipsos tamen Pontifices eis vti debere, ex eo clarum est, quod Gregorius vel alij Romanorum præsules, aliis Episcopis earum vsum permiserunt, aliis interdixerunt. Vbi intelligitur non omnibus tunc fuisse concessum, quod nunc pene omnes Episcopi, & nonnulli Presbyterorum sibi licere existimant, id est, vt sub Casula, Dalmatica vestiantur.

† for. 4. ✠

Dictū celebre Bonifacij mart.

B

Sacrarū vestium vsus.

Dalmatica.

C

Additio in vestibus sacris.

Statutum est autem Concilio Bracarensi, Ne sacerdos sine orario celebret Missam. Addiderunt in vestibus sacris alij alia, vel ad imitationem eorum, quibus veteres vtebantur sacerdotes, vel ad mysticæ significationis expressionem. Quid enim singula designent, quibus vtimur nunc, à prioribus nostris satis expositum est. Numero autem suo antiquis respondent: Quia sicut ibi tunica, superhumeralis linea, superhumerale, rationale, balteus, fœminalia, tiara, & lamina, sic hic dalmatica, alba, mappula, orarium, cingulum, sandalia, casula, & pallium Vnde sicut illorum extremo soli Pontifices, sic horum vltimo summi tantum pastores vtuntur.

Numerus vestium veteris & noui Testamenti.

D

CAP. XXV.

De horis Canonicis, & genuum flexione, De Hymnis item & Cantilenis, & incrementis eorum.

PRæmissis his, quæ de ordine Missæ videbantur dicenda, de Canonicorum statutis horarum, quæ Dominus dederit, adiungamus. Sciendum est, multa post reuelationem Euangelij, tempora transisse, antequam ita ordinarentur quarumdam per diem & noctem horarum solemnia, sicuti nunc habentur. In veteri autem testamento legimus, quasdam certas orationis horas, vt tempus matutini & vespertini sacrificij. Et quod Daniel legitur ter in die genu in oratione flexisse, non absque ratione fecisse credendum est. In nouo quoque, non tantum orandi, sed etiam genua flectendi, copiosa reperiuntur exempla. Nam Dominus IESVS CHRISTVS ante passionem suam, procidens in faciem suam, adorauit Patrem. Et Stephanus, positis genibus, pro lapidantibus exorauit. De Bartholomæo etiam legitur Apostolo, quod centies in die, centies in nocte flexerit genua. Quamuis autem geniculationis morem tota seruet Ecclesia, tamen præcipue huic operi Scotorum insistit Natio: quorum multi pluribus, multi paucioribus, sed tamen certis vicibus, & dinumeratis per diem vel noctem ingenuflectentes, non solum pro peccatis deplorandis, sed etiam pro quotidianæ deuotionis expletione, studium istud frequentare videntur. Quibus autem horis vel temporibus inter publica officia sine genuum flexione orandum sit, Canones loquuntur, id est, in Dominicis & festis maioribus & quinquagesima, iuxta quos Canones, publice pœnitentes, semper genua flectere debent. Horæ igitur Canonicæ, quamuis omnes rationali auctoritate celebrentur, & nihil in eis obseruetur, quod non exempla vel dicta sanctorum patrum confirment, tamen quædam manifestioribus sunt dedicatæ documentis, vt ipsum Dominum nostrum, in oratione legimus pernoctasse: Paulum quoque & Silam noctis medio orasse carcere, terræmotus ostendit. Circa tertiam in Apostolos orantes Spiritus sanctus descendit. *Hora sexta Petrus ascendit in cœnaculum, vt oraret*: itemque cum Ioanne in templum ad horam orationis nonam, in qua etiam oranti Cornelio Angelus apparuit. Testis enim etiam Philo, primitiuam apud Alexandrinos Ecclesiam inter alia bona, hymnos ante Galli cantus lucanos celebrasse. Ex his itaque & similibus intelligimus, apud multos horas, quæ & nunc celeberrimæ sunt, obseruatas: sed non ea distributione Psalmorum vel orationum, qua nunc vtimur. Quam & circa tempora Theodosij senioris inchoatam, ac deinceps expletam multis animaduertimus causis. Ambrosius enim Mediolanensis (vt in libris confessionum suarum, beatus Augustinus, testatur) hymnos diuinæ laudationis populo componens, persecutionem Iustinæ Augustæ, rerum nouitate leniuit. Quo in tempore (sicut etiam in vita ipsius Ambrosij scribitur) Antiphonæ, Hymni & vigiliæ, in Ecclesia Mediolanensi celebrari cœperunt. Hilarius quoque Pictauiensis hymnos composuit. Et de Gelasio Papa scribitur, quod tractatus & hymnos in morem B. Ambrosij composuerit. Damasus vero constituit, vt psalmi die, noctuque canerentur per omnes Ecclesias vel monasteria: & præcepit hoc Episcopis & presbyteris. Deinde Ioannes Constantinopolitanus primus auxit in nocturnis hymnis orationes, ob hanc vel maxime causam: Arriani extra ciuitatem collectas agebant. Sabbatho autem atque Dominica iuxta portas & porticus congregari, hymnos & antiphonas ex Arriano dogmate compositas, decantabant: Et hoc maxima noctis parte facientes diluculo cum ipsis Antiphonis, per mediam ciuitatem egressi portam, ad suam Ecclesiam concurrebant. Cumque hoc crebro, quasi ad vituperationem Orthodoxorum, facere non cessarent, (Frequenter enim etiam hoc cantabant: vbi sunt, qui dicunt tria virtute vnum?) tunc Ioannes, ne simplices huiusmodi cantibus traherentur, instituit suum populum vt & ipsi nocturnis occuparentur hymnis: quatenus & illorum obscuraretur opus, & fidelium professio firmaretur. Studium ergo Ioannis nimis vtile, cum turba periculisque finitum est. Hæc in decimo libro Historiæ Ecclesiasticæ, quæ Tripartita dicitur, ita inseruntur: in quibus & hoc subnectitur paulo inferius: Dicendum tamen est, vnde sumpsit initium, vt in Ecclesia Antiphonæ decantentur. Ignatius Antiochiæ Syriæ, tertius post Apostolum Petrum Episcopus, qui etiam cum ipsis degebat Apostolis, vidit Angelorum visionem quomodo Antiphonas sanctæ Trinitati dicebant & Hymnus. Isque modum visionis Antiochenæ tradidisse probatur Ecclesiæ, & ex hoc ad cunctas transiuit Ecclesias. Notandum, Hymnos dici non tantum qui metris, vel rythmis decurrunt, quales composuerunt Ambrosius, Hilarius & Beda Anglorum pater, & Prudentius Hispaniarum Scholasticus & alij multi: verum etiam cæteras laudationes, quæ verbis conuenientibus & sonis dulcibus proferuntur. Vnde & liber Psalmorum apud Hebræos liber hym-

Institutio horarum Canonicarum
Exo. 29.
Dan. 6.
Luc. 22.

E
Act. 7.
Natio Scotorum in geniculationib. præcellit.

Quibus dieb. geniculari non licet.

Exempla Christi & sanctorum.
Luc. 6.
F
Act. 16.
Act. 2.
10. & 3.

Vide Euseb. lib. c. 17. in hist. Ecc.

Hymni S. Ambros.

G
Hilarij. Gelasij Damasi.

Io. Chry.

Hymni Arrianorum.

H

Antiphona ab Ignatio instituta.

Compositores hymnorū metricorum.

norum

A

norum vocatur. Et quamuis in quibusdam Ecclesiis hymni metrici non cantentur tamen in omnibus generales Hymni, id est laudes dicuntur. Cantandos etiam illos qui legitime componuntur, Toletani auctoritas Concilij ostendit, inter alia sic dicens: Et quia à nonnullis magno studio, in laudem Dei atque Apostolorum, & martyrum triumphos, compositi esse noscuntur sicut sunt hi, quos beatissimi Doctores Hilarius atq; Ambrosius ediderunt. Quos tamen quidam specialiter reprobant, eo quod de scripturis sanctorum Canonum vel Apostolica traditione non existunt. Respuant ergo & illum Hymnum ab omnibus † compositum, quem quotidie publico priuatoque officio, in fine omnium Psalmorum dicimus? Gloria & honor Patri & Filio & Spiritui sancto in sæcula sæculorum, Amen. Sed & ille Hymnus quem nato in carne Christo, Angeli cecinerunt, Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis: reliqua quæ ibi sequuntur Ecclesiastici Doctores composuerunt. Ergo nec ipsi in Ecclesiis canendi sunt, quia in sanctarum scripturarum libris non inueniuntur. Componuntur Missæ siue preces vel orationes, siue commendationes, seu manus impositiones, ex quibus, si nulla decantantur in Ecclesia, vacant omnia officia Ecclesiastica. His verbis ostenditur, multa in Ecclesia nouiter componi, quæ non sint (si à fide veritatis non abhorreant) abiicienda. Porro hymni metrici ac rhythmici, in Ambrosianis officiis dicuntur, quos etiam aliqui in Missarum solemniis, propter compunctionis gratiam, quæ ex dulcedine concinna augetur, interdum assumere consueuerunt. Traditur siquidem, Paulinum Foroiuliensem Patriarcham, sæpius & maxime in priuatis Missis circa immolationem Sacramentorum, hymnos vel ab aliis vel à se compositos, celebrasse. Ego vero crediderim tantum tantæque scientiæ virum hoc nec sine auctoritate, nec sine rationis ponderatione fecisse. In officiis quoque quæ beatus Benedictus Abbas, omni sanctitate præcipuus, ordinauit hymni dicuntur per horas Canonicas quos Ambrosianos ipse nominans, vel illos vult intelligi quos confecit Ambrosios, vel alios ad imitationem Ambrosianorum compositos. Sciendum tamen multos putari ab Ambrosio factos, qui nequaquam ab illo sunt editi. Incredibile enim videtur, illum tales aliquos fecisse, quales multi inueniuntur, id est, qui nullam sensus consequentiam habentes, insolitam Ambrosio in ipsis dictionibus rusticitatem demonstrant. Dicendum vero de hymno, qui ob honorem sanctæ & vnicæ Trinitatis officiis omnibus interseritur eum à sanctis patribus aliter atque aliter ordinatum. Nam Hispani (sicut superius commemorauimus) ita eum dici omnimodis voluerunt. Græci autem, *Gloria Patri & Filio & Spiritui sancto, & nunc & semper, & in sæcula sæculorum*, Amen, Latini vero, eodem ordine & eisdem verbis hunc hymnum decantant, addentes tantum in medio, Sicut erat in principio. Pro quibus etiam particulis quidam Græci minus sapientes, Latinos proximis ante nos temporibus, calumniis impetere conati sunt. Intelligimus tamen nos in hoc non errare, credita consempiternitate gloriæ Patris & Filij & S. sancti: paritetque scientes, quod Romani firmissimi fidei seruatores, remotis exteris compositionibus hunc huius hymni tenorem non aliter suscepissent, nisi eum putum ab omni errore cognouerint Affirmant siquidem multi, hymnum istum Niceni concilij sacratissima sanctione prolatum, vt omnibus officiis & orationibus intermixtus, & fidem coæternæ Trinitatis inculcet, & in singulis petitionibus ipsi confessio melius fauorem diuinæ exauditionis obtineat. Hunc itaque hymnum nonulli omnibus pene Psalmis, & interdum incisionibus Psalmorum coaptant: Responsoriis vero paucioribus, vt illi qui statuta patris Benedicti in horis sequuntur Canonicis. Romani eum in Psalmis rarius, in responsoriis crebrius iterant. Sane versum, qui in capite omnium (præter Missa:) officiorum quæ horis Canonicis exhibentur, dici solet, id est Deus in adiutorium meum intende, & rel. Patres antiqui suis collationibus inueniuntur statuisse omnibus, non tantum officiis, sed etiam operibus præmittendum, vt inuocatio diuinæ opitulationis initio cuiuslibet actionis assumpta faciliorem faciat & postulandi constantiam & obtinenti virtutem. In Agendis autem mortuorum, & circa passionis Dominicæ solemnitatem inchoationes & expletiones officiorum, non vt in cæteris fiunt: tristitiæ videlicet significandæ causa, nisi aliquo grauiori decreto. Quia vero tanta est in ipsis diuersitas officiis, non solum pro varietate gentium ac linguarum, verum etiam in vna gente vel lingua, pro temporum mutatione, vel magistrorum studiosa institutione: vt si velim cuncta replicare, quæ de hac multiplicitate iam legimus, magis onerosus, quam profructuosus videar audituris: Omittam igitur quæ infinita sunt, hoc tantum affirmans, quod plenarius officiorum ordo, qui nunc per Romanum orbem seruatur, post antiquitatem multis temporibus euolutam institutis & ad omnem eminentiam sanctæ religionis est dilatatus. Crescente enim fidelium numero, & hæresim pestilentia multiplicius pacem maculante Catholicam, necesse erat augeri cultum veræ obseruationis: vt & clarior religio accedentium ad fidem animos inuitaret, & auctior cultus veritatis constantiam Catholicorum aduersus inimicos ostenderet. Intantum denique vel cantilenæ, vel Psalmodiæ memoriter exercendæ vsus erat rarus apud priores, vt de nouissimis pene Romanorum Præsulibus, & qui nec ducentis annis nostra tempora præcesserunt, quasi memorabile quiddam & singulare scribatur, si qui eorum in rebus prædictis eminentiores cæteris viderentur. Hormisda enim in ordine L IV. Clerum composuit, & Psalmis erudiuit. Leo LXXXII. & Benedictus post eum proximus, itemque Sergius LXXXVI. Psalmodia & cantilenæ scientiæ floruisse dicuntur. De Gregorio autem III. velut inauditum quiddam & nouum refertur, quod omnes Psalmos memoriter tenuerit. Vbi intelligi datur paucos priorum ita Psalterium didicisse. Solebant enim Psalmos: æque vt cæteras scripturas, partim etiam lectitando, suis officiis inserere. Quod si diligenter aduertas, multis scripturarum documentis apparet. Ordinem autem cantilenæ, diurnis seu nocturnis horis dicendæ, B. Gregorius plenaria creditur ordinatione distribuisse; sicut & supra de Sacramentorum diximus libro: cum multi ante, siue post eum Orationes Antiphonas vel Responsoria composuerint. Nam & de Antiphonarum inchoate superius diximus. Et Responsoria ab Italis primum inuenta traduntur, vel Ambrosio videlicet vel alij noua diuinarum laudum augmentatione gaudenti. Et quia Gallicana Ecclesia, viris non minus peritissimis instructa, sacrorum officiorum instrumenta habebat non minima, ex eis aliqua Romanorum officiis immixta dicuntur, quæ plerique & verbis & sono se à cæteris cantibus discernere posse fateantur. Sed priuilegio Romanæ sedis obseruato, & congruentia rationabili dispositionum apud eam factarum persuadente, factum est, vt in omnibus pene Latinorum Ecclesiis, consuetudo & magisterium eiusdem Sedis præualeret: Quia non est alia traditio æque sequenda, vel in fidei regula vel in obseruationum doctrina. Est etiam ille ordo officiorum laudabilis, quem beatus Pater Benedictus monachis constituit obseruandum, scilicet, vt qui proposito à cæteris discernuntur, etiam continuæ seruitutis penso, aliquid amplius cæteris persoluere studeant. Quam dispositionem ideo à pastoribus Ecclesiarum non interdici putamus quia & vicina est auctoritati Romanæ: Et quia B. Gregorius vitam egregie patris Benedicti describens, regulam ab eo conscriptam, in qua idem officiorum ordo habetur collaudans sua auctoritate, statutis eius fauere videtur. Sunt tamen, qui nescio qua præsumptione non ea velint constitutione vti, volentes pigritiam vel proteruitatem suam illo excusare permissu, quod sanctissimus vir per humilitatis suæ magnitudinem videtur concedere vt si cui displicuerit distributio eius quam fecit Psalmorum ordinet si aliter melius iudicauerit, quasi quiddam melius possint, suoque ordini cōgruentius inuenire quam ille, qui spiritu omnium Sanctorum dicitur

Marginal notes (left): *Multa in Ecclesiis cantantur quæ non sunt de sacra scriptura.* — *† comprehensum.* — B — *Hymni à S. Benedicto instituti in regula.* — C — *Hymnus, Gloria Patri, &c.* — *Calumnia Græcorum de Sicut erat.* — D — *Vsus huius hymni in Psalmis & Responsor.* — *Deus in adiutorium meum. &c.*

Marginal notes (right): E — *Magna in diuinis officiis diuersitas.* — *Ordo officiorum Romanæ Ecclesiæ cæteris præferendus.* — *Cultus Dei in Psalmis* — F — *& aliis Canticis auctus.* — *Hic est Leo II.* — *Greg. III.* — G — *Ordo cantandi à Greg. I. Sap. c. 22.* — *Ritus Eccles. Gallicanæ.* — H — *Ordo officiorum diuini cultus à S. Benedicto datus.* — *Præsumptio contra S. Benedictum.*

A *Psalterii Gallicanum.*

plenus fuisse. Psalmos autem, cum secundum LXX. Interpretes Romani adhuc habeant, Galli & Germanorum aliqui secundum emendationem quam Hieronymus pater de LXX. editione composuit, Psalterium cantant. Quam Gregorius Turonensis Episcopus à partibus Romanis mutuatam, in Galliarum dicitur Ecclesias transtulisse. Cantilenæ vero perfectiorem scientiam, quam pene iam tota Francia diligit, Stephanus Papa, cum ad Pipinum patrem Caroli-Magni (in primis in Franciam) pro iustitia sancti Petri à Longobardis expetenda, venisset, per suos clericos, petente eodem Pipino, inuexit, indeque vsus eius longe lateque conualuit.

CAP. XXVI.

De baptismi incremento & mersione, & causis baptizandorum.

B *Exo. 14. Cor. 1. Baptismus Ioannis. Ioan. 1.*

De Baptismo etiam dicenda sunt aliqua, quod præfiguratum in transitu maris rubri vel Iordanis manifeste, secretius autem aliis multis figuris præfiguratum cognoscitur. Hoc Ioannes primus initio nouæ gratiæ ad fidem Christi conuersis ostendit, non sua adinuentione sed diuina constitutione prouisum; sicut ipse testatur, dicens: *Qui misit me baptizare in aqua*, & reliqua. Baptizauit autem non in remissionem peccatorum, quod Christi baptismo agi consueuit: sed in pœnitentiam, dicens in eum, qui venturus erat, vt crederent, hoc est, in IESVM. De quo etiam testimonium perhibuit, dicens: *Ego quidem vos baptizo in aqua in pœnitentiam. Qui autem post me venturus est, fortior me est: cuius non sum dignus calceamenta portare, ipse vos baptizabit in Spiritu sancto & igne.* Et plane dignum erit, vt in noua generis humani per aduentum filij Dei in carne saluatione, nouum panderetur purificationis mysterium: quatenus sicut sacerdotes Leuitici generis, lauari consueuerant ante

C *Sacerdotii regeneratione. 1. Pet. 2. Simplex primum baptismus.* *Matt. 3.*

oblationem carnalium hostiarum: ita omnes Christiani nominis hæredes, (qui dicuntur *regale sacerdotium*) lauacro spiritali à peccatorum labe mundati, offerant Deo hostias spiritales in odorem suauitatis. Sciendum autem, primo simpliciter in fluuiis vel fontibus baptizatos credentes. Ipse enim Dominus noster IESVS CHRISTVS, vt in nobis idem consecraret lauacrum, in Iordane baptizatus est à Ioanne, & sicut alibi legitur: Erat Ioannes baptizans in Ænon iuxta Salim, quia aquæ multæ erant ibi. Et Philippus Euangelista Eunuchum baptizauit in

Ioan. 3. Act. 8.

fonte, quem reperit in via. Sicut autem supra ostendimus, crescente processu temporum, religionis honore institutionum Ecclesiasticarum vsque ad plenitudinem decus creuisse: ita & huius mystici lauacri, gradatim per temporum augmenta, in maius celebratio creuit. Addiderunt alij chrismatis vnctionem, quam ex veteri sumptam consuetudine, nemo qui dubitet: cum primis temporibus impositione manuum baptismum confirmari soleret, quod in Samaria fecisse Petrum legitur & Ioannem.

Chrisma-tu-

D *Act. 8.*

Quæ confirmatio & tunc ad primos Ecclesiæ pastores pertinuit, & nunc pertinere non dubitatur: Vnde in Canonibus sæpe interdicitur Presbyteris, ne Chrisma conficiant, neque baptizatos in fronte consignent: quod solis debetur Episcopis. Testantur hoc decreta Innocentij Papæ & statuta Syluestri: quia & ipse instituit, vt presbyter baptizatum Chrismate liniat, propter occasionem transitus mortis. Quod si a Diacono, vel quolibet alio homine baptizatus, cum ante confirmationem transierit, credendum non est perire propter hoc quia sub fide qua credidit poterit esse saluus, si eum post commissa peccata non perimant. Lege Concilij Eliberitani decreta. Alij addiderunt in Baptismatis Sacramento Exorcismus, alij consecrationem fontis, alij salis vel salis infusionem, alij Catechumenorum ordinabilem instructionem, alij serotina diligentissime ad tantum mysterium præparationis statuerunt. Sed & multa alia, quæ & exemplis diuinorum actuum, vel dictorum inuenta sunt, & congruentissimis spiritalium profectuum significationibus

... baptismo ... addita.

E

plena noscuntur: sicut copiosa priorum de eisdem rebus documenta demonstrant. Celebratur autem ipsum baptisma verum, non nisi in nomine summæ Trinitatis, quod & Dominus ipse ostendit, & Canones Apostolorum docent. Vnde quicumque vel ab hæreticis in Trinitate baptizantibus, vel ab alio quolibet homine sub appellatione legitima eiusdem sanctæ Trinitatis fuerit baptizatus, rebaptizari non debet, ne inuocatio summæ diuinitatis adnullari videatur: sed Chrismate & manus impositione, quod imperfectum erat, perfici debet. Hoc in Canonibus & decretis patrum frequens habetur. Legitur quoque in vltimo Ecclesiasticæ historiæ libro, quod Athanasius adhuc puer, inter coæuos baptismatis similitudinem per ludum exercuerit. Alexandrum etiam Alexandriæ præsulem, cognita interrogatione Baptistæ & responsione baptizatorum, & cæteris, quæ quamuis per ludum, tandem iuxta nostram religionem gesta sunt, non rebaptizandos iudicasse, sed vsitatis Ecclesiæ confirmandos mysteriis.

Baptizati in nomine Trinitatis, non rebaptizantur. Athanasij baptismus per lusum puerorum.

F

Concilio quoque Eliberitano fidelibus plenum baptisma habentibus, in necessitate baptizare permittitur. Victor etiam XV. Romanorum Pontifex constituit, vt necessitate faciente, liceat vbi inuentum fuisset, siue in flumine, siue in mari, siue in fontibus, Christianæ credulitatis confessione clarificata, quicumque ex gentilitate veniens, baptizaretur. In hoc tamen & similibus non tribuitur quibuscumque baptizandi indiscreta licentia, cum Concilio Carthaginen. mulieres prohibeantur baptizare: sed demonstratur per hæc vbi ineuitabilis necessitas poscit, melius baptizari vbicumque & à quocumque in nomine Trinitatis, quam periclitantem, sine remedio deperire. Vnde etiam tempora baptizandi legitima in talibus necessitatibus obseruanda non sunt: sed iuxta decreta Leonis, ægritudine, persecutione, obsidione & naufragio periclitantibus, semper est succurrendum: Et Concilio Gerundensi, vnius diei infans, si in discrimine sit, baptizari iubetur. Eos autem, de quibus incertum est, id est, qui nullo testimonio probare possunt, se esse baptizatos, ex Concilio Carthaginen. & decretis Leonis discimus, baptizari debere.

G *Licentia baptizandi in necessitate.*

Illos vero, qui baptizatos se quidem nouerunt, sed in qua professione ignorant eiusdem Leonis Papæ decreta, sub manus impositione suscipiendos constituunt. Tempora autem baptizandi legitima, Pascha & Pentecoste præfiguntur, secundum decreta Siricij, Leonis vel Gelasij Episcoporum, quamuis Concilio Gerundensi Natalis Domini & Pascha ponantur. Alij quoque in Epiphania Domini baptizare voluerunt, quia eo tempore Dominum nostrum traditur baptizatum, quod & ipsum ab aliis prohibetur. Quia vero secundum Apostolum in morte Saluatoris baptizamur, & ipse Dominus intraturos regnum cælorum, ex aqua & Spiritu renasci debere præmonstrat, congrue a præsulibus Romanorum, hæc duo tempora sola ad celebrationem præfixa sunt baptizatis, id est, Pascha & Pentecoste: quorum vno, Passio Domini & resurrectio: altero, Aduentus celebratur Spiritus sancti. Alij trinam immersionem volunt, in similitudinem triduanæ sepulturæ, vt in Canonibus Apostolorum statutum habetur, & Romanorum consuetudo obseruat.

Legitima tempora baptizandi Pascha & Pentecoste. Rom. 6. Ioan. 3.

H *Trina immersio.*

Alij vnam propter diuinitatis vnitatem contendunt, vt in Concilio Toletano plenissime habetur: vbi etiam commemoratur, quod B. Gregorius interroganti super hoc Leandro inter cætera ita respondetit, quia in vna fide nihil officit Ecclesiæ consuetudo diuersa. Nos autem quod tertio mergimus, triduanæ sepulturæ Sacramenta signamus, vt dum tertio ab aquis infans educitur, resurrectio triduani temporis exprimatur. Quod si quis forte etiam pro summæ Trinitatis veneratione existimet fieri neque ob hoc aliquid obsistit, baptizandum semel in aquis mergere: quia dum in tribus subsistentiis vna substantia est, reprehensibile esse nullatenus poterit, infantem baptismate ter, vel semel mergere, quando & in tribus mersionibus personarum Trinitas: & in vna potest diuinitatis singularitas designari. Quæ singularis mersio quamuis tunc ita Hispanis complacuit, dicentibus, Trinam mersionem ideo vitandā, quia hæretici

quidam

A *Mergere aut superfundere. Cathechumenorum olim instructio † Non est dubium quin primis Ecclesiæ temporibus multi id adulti & grandes interdum baptizarentur, imo non nulli pro more baptismum vsque ad finem vitæ differebant, at esse Apost. traditionem ab ipsis Ecclesiæ primordiis semper vsurpatū de baptizandis infantibus ante vsum rationis communis est*

quidam dissimiles in Trinitate substantias dogmatizare ausi sint, ad consubstantialitatem S. Trinitatis negandam; tamen antiquior vsus præualuit, & ratio supradicta. Si enim omnia deserimus, quæ hæretici in suam peruersitatem traxerunt, nihil nobis restabit: cum illi in ipso Deo errantes, omnia quæ ad eius cultum pertinere visa sunt suis erroribus quasi propria applicarint. Notandum autem, non solum mergendo, verum etiam desuper fundendo, multos baptizatos fuisse, & adhuc posse ita baptizari si necessitas sit, sicut in passione B. Laurentij quendam vrceo allato legimus baptizatum. Hoc etiam solet euenire, cum perfectiorum granditas corporum in minoribus vasis hominem tingi non patitur. †

B

Notandum quod primis temporibus illis solummodo baptismi gratiam dari solitam qui & corporis & mentis integritate iam ad hoc peruenerant, vt scire & intelligere possent quid emolumenti in baptismo consequendum, quid confitendum atque credendum: quid postremo renatis in Christo esset seruandum. Refert siquidem venerabilis pater Augustinus de seipso in libris confessionum suarum, quod pene vsque ad XXV. annorum ætatem cathecumenus perdurarit: & ea videlicet intentione, vt per hanc temporis moram, de singulis edoctus, ad eligendum quodlibet libero duceretur arbitrio: & deferuescentibus lubricæ ætatis incendiis, melius quod sequendum erat, seruare potuisset. Sed augescente diuinæ religionis diligentia, intelligentes Christiani dogmatis amatores, peccatum Adæ originale non solos eos tenere obnoxios, qui suis operibus præuaricationem auxerunt, sed etiam eos qui sine suis commissis: quia secundum Psalmistam, *In iniquitatibus cõcepti & nati sunt*, immunes à peccato esse non possunt, dum de polluta radice procedunt: vt merito de omnibus dicatur per Apostolum, *Omnes peccauerunt, & egent gloria Dei iustificati gratis per gratiam ipsius. Et de Adam. In quo omnes peccauerunt.* Hoc ergo sentientes sanæ fidei sectatores, ne perirent paruuli, si sine remedio regenerationis gratiæ defungerentur, eos baptizari in remissionem peccatorum.

C *orthodoxorum assertio. Vide post alios Bellar. lib. 7. de baptismo cap. 8. Catechumenorum olim instructio. Baptismus paruulorum. Ps. 50. Rom. 3. Error Pelagianorum. Patrini & matrina.* D *Luc. 5.*

Non sicut hæretici quidam gratiæ Dei repugnantes, contendebant nulla necessitate paruulos baptizari, quia nõdum peccassent. Quod si verum esset, vel non baptizandi erant, vel si extra necessitatem baptizarentur, imperfectum & non verum in eis erat baptismi sacramentum quod in Symbolo confitemur dari in remissionem peccatorum. Ergo quia omnes quos gratia Dei non liberat pereunt in originali delicto, etiam qui sui sceleris non adiecerunt augmenta, necessario paruuli baptizantur. Quod & S. Augustinus in libro de Baptismo paruulorum ostendit, & Africana restantur Concilia, & aliorum patrum documenta quam plurima. Ex hac igitur occasione inuentum est, vt Patrini vel Matrinæ adhibeantur, suscepturi paruulos de lauacro: & pro eis respondeant omnia, quæ ipsi per ætatis infirmitatem confiteri non possunt: Pariterque debet spiritalis pater vel mater ei, quem de fonte regenerationis suscepit cum, ad intelligibilem peruenerit ætatem insinuare confessionem, quam pro eo fecit vt qui aliena confessione, sicut paralyticus fide portantium meruit à peccatorum solui languore, studeat saluti præstitæ viuere non indigne, & sua impleat executione quod illorum confessus est ore, si non vult saluatione carere, quam illorum meruit fide.

Ne pater aut mater suum baptizet filium.

Non autem Pater debet vel Mater de fronte, suam suscipere sobolem, vt sit discretio inter spiritalem generationem, atque carnalem. Quod si casu euenerit, non habebunt carnalis copulæ deinceps adinuicem consortium qui in communi filio, compaternitatis spiritale vinculum susceperunt. Baptizandi sunt itaque non solum per ætatem loquentes, & intelligentes quæ aguntur, sed etiam nondum per se vel pro se loquentes. Sicut etiam Synodus Carthaginensis baptizandos statuit ægrotos, qui iam loqui non possunt cum voluntatis eorum testimonium, sui dixerint, aut ipsi aliquibus signis comprobare potuerint.

Ne quis pro mortuis baptizetur.

Mortuis vero Baptisma vel Eucharistiam dari, supradicti loci prohibetur Concilium quamuis primis prædicationis Euangelicæ temporibus, tanti feruoris quidam in diuina credulitate referuntur fuisse, vt pro quibusdam charissimis, ante annunciationem veritatis, vel baptismi perceptionem defunctis, baptizari studerent. Quod Apostolus Paulus ad adstruendam resurrectionis fidem commemorat: Quia nisi crederentur resurrecturi, stultum erat pro eis qui iam non existerent laborare. *1. Cor. 15.*

E

CAP. XXVII.

De Decimis dandis.

Gen. 14. & 28. Leu. 27. Num. 18.

DEcimas Deo & sacerdotibus Dei dandas, Abraham factis, Iacob promissis insinuat, deinde lex statuit, & omnes doctores sancti commemorant. Et profecto dignum erat vt Israëlitæ decimas pecorum & frugum, & omnium pecuniarum Domino darent: qui vt eos liberaret, decem plagis percussit Ægyptios, & in nouissima plaga primogenita cunctorum disperdidit, gratiamque suis præstitit, vt impetratis pecuniis spoliarent Ægyptū. De quibus decimis Augustinus Doctor mirabilis dicit: *Decimæ ex debito requiruntur. Quid si diceret Deus, nempe, Meus es ô homo, mea est terra quam colis, mea sunt semina quæ spargis, mea animalia quæ fatigas, meus est calor solis, & cum omnia mea sint, tu qui minus accommodas, solā decimam merebaris: Sed reserua tibi nouē, da mihi decimā, Si non dederis decimam mihi, auferā nouem. Si dederis mihi decimam, multiplicabo nouem.* Cum itaque Iudaicus populus, præceptum decimarum tanta diligentia obseruaret, vt de minimis quibusque osculis, ruta videlicet, mentha & cymino (vt ipse Dominus testatur) decimas daret: cur non maiori studio plebs Euangelica eandem impleat iussionem? cui & maior est numerus sacerdotum, & syncerior cultus sacramentorum? Ideo ergo dandæ sunt decimæ, vt hac deuotione Deus placatus, largius præstet quæ necessaria sunt, sicut superius ostendimus. Ac vt sacerdotes & ministri Ecclesiæ cura, & sollicitudine necessitatum corporalium, quibus sine hæc vita transigi non potest releuati, liberiores fiant ad meditationem diuinæ legis, & doctrinæ administrationem atque spiritalis seruitij voluntariam expletionem; & vt munus populi, in quotidianam oblationem Domino immoletur necnon secundum statuta Canonica in sustentationem pauperum & restaurationem Ecclesiarum proficiat. Quatuor enim partes iuxta canones fieri, de fidelium oblationibus debent: vt vna sit Episcopi, altera clericorum, tertia pauperum, quarta restaurationi Ecclesiarum seruetur.

F *Rationes cur danda sint decimæ. Verba Aug.* *Matt. 23.* G *Cur sacerdotibus debitur decima.* *Quatuor partes ex oblationibus.*

CAP. XXVIII.

De Litaniis agendis.

Litania maior. H *Septena processio. Paulus Diaconus in Mauritio. Imp.*

LItanias, id est, Rogationes publicas (quas maiores vocamus) Romani vna die denominata, id est, VII. Cal. Maii annuatim facere solent: Quas Gregorius Papa initio ordinationis suæ instituit, dum post aquarum inundationem insolitam, inguinaria & insolita lues, primo Pelagio Papa extincto populum vastaret Romanum. Quia tunc eo modo septenam ordinauit Litaniam, sicut Paulus in gestis Longobardorum commemorat, vt precantes Dominum in septem turmas distribueret: quo pietatē Domini multiplicius implorarent. In primo choro fuit Clerus. In secundo Abbates omnes cum Monachis suis: In tertio omnes Abbatissæ cum congregationibus suis: In quarto omnes pueri In quinto omnes Laici: In sexto omnes Viduæ: In septimo omnes Mulieres coniugatæ. Triduanæ autem Litaniæ, qui proximis diebus ante Ascensionem Domini, annue per omnes Galliarum vel Germaniæ Ecclesias celebrantur, in Gallis sunt constitutæ. Temporibus siquidem Clodouei Regis Francorum, qui cum gente sua primus Christianus effectus est, dum ciuitas Viennensium crebro terremotu subrueretur, & bestiarum desolaretur incursu, Sanctus Mamertus eius-

Litania minor 3. diebus Rogationum.

dem cinitatis Episcopus, eas legimt pro malis,quæ præmisimus, ordinasse. Quas Aurelianensis Synodus & eo tempore iubet fieri,& ab opere seruili, vt plenius celebrentur omnes vacare. Hispani autem, ptopter hoc quod scriptum est,*Non possunt filij sponsi lugere, quum diu cum illis est sponsus*,infra Quinquagesimam Paschæ recusantes ieiunare, Litanias suas post Pentecosten posuerunt,quinta,sexta,& septima feriis einsdem hebdomadis, eas facientes. Alij corum Idibus Decembribus triduanum statuerunt ieiunium.Alij Calendis Decembribus Notandum autem, Litanias non tantum dici illam recitationem nominum, qua Sancti in adiutorium vocantur infirmitatis humanæ, sed etiam cuncta quæ supplicationibus fiunt,† orationes appellari. Litania autem sanctorum nominum, postea creditur in vsum assumpta, quam Hieronymus Martyrologium, secutus Eusebium Cæsareensem, per anni circulum conscripsit, ea occasione ab Episcopis Chromatio & Eliodoro, illud opus rogatus componere. Quia Theodosius religiosus Imperator in Concilio Episcoporum laudauit Gregorium Cordubensem Episcopum,quod omni die Missas explicans eorum martyrum, quorum natalitia essent, nomina plurima commemotaret.

CAP. XXIX.

De aqua sparsionis.

AQuam sparsionis cum sale benedici,& in habitaculis fidelium spatgi,Alexander Papa constituit.Sicut enim populus prior legalibus institutis deseruiens, sanguine lusttabatur,ita nouus Christianorum populus,Baptismi Sactamento renatus, digne aqua benedicta adspergitur, vt sicut sanguis agni in postibus ad repellendum percussotem ponebatur, ita mysterium aquæ, corpora & loca muniat renatorum.

CAP. XXX.

De benedictione Cerei.

CEreum autem benedici,non solum in principalibus Ecclesiis,sed etiam in parochiis Zosimus Papa constituit.Quod Ipsum Concilio Toletano ostenditur,quosdam Hispanotum obseruasse,quosdam neglexisse.

CAP. XXXI.

Comparatio Ecclesiasticor. ordinum & secularium

CIrca harum calcem rerum placet, inserere quandam secularium atque Ecclesiasticarum comparationem dignitatum: quamuis non nesciam, ordinationes potestatum & officiorum,tanta diuersitate pro varietate gentium,locorum & temporum perplexas, vt de eis vix aliquid certi possit exponi. Quotus enim quisque est, qui se scire fateatur,quibus,(non dico Assyriorum, Medorum & Macedonum, sed vel Romanorum, quod notius & proximius nobis est) Imperium distributum fuerit & ordinatum administrationibus & officiis: cum per longitudinem temporum, aliæ potestates, aliis mutatæ sint, aliæ subditæ, aliæ abditæ, vt ipsa instabilitate rerum, humanum esse & temporarium comprobetur, quod quadam inconstantia, & in maius extenditur, & in minus contrahitur? Omissis ergo incertis, quæ notiora sunt, inuicem comparemus: vt ostendamus ordinationes mundanæ sapientiæ,in spiritualem Ecclesiæ vniuersalis rempublicam sacris distinctionibus commutatas, in similitudinem antiquæ historiæ, qua vel pecuniæ Ægyptiorum, in vsum tabernaculi,vel Cedri de Libano cæsi,in templi ædificationem profecisse. Raab quoque & Ruth & Achior, in numerum populi Dei translati narrantur. Sicut autem gens Romanorum totius orbis monarchiam tenuisse fertur: ita summus Pontifex in sede Romana,vicem beati Petri gerens, totius Ecclesiæ apice sublimatur.De quo Sardicensi Concilio statuimt, cunctorum statuta ad eum referri debere,idque obseruandum quod ipse statuerit: Sicut vero summus sæculi principatus,non tantum apud Romanos,verum etiam apud aliarum partium gentes interdum fuit: ita & aliæ Ecclesiæ dignitati sedis Romanæ consociantur,id est,Antiochensis in Asia,Alexandrina in Africa.In Concilio enim Niceno, harum trium priuilegium Ecclesiarum, cæteris omnibus anteferendum ostenditur:sed potest trium locorum eminentia, ad vnam dignitatem referri: Quia in duobus horum ipse Petrus sedit: Tertium nihilominus, id est, Alexandriam, per Marcum filium suum & Euangelium, quod ex ore eius ipse Marcus descripserat, suam effecerat sedem. Similiter intelligendum de Principibus sæculi, quod quamuis in diuersis orbis partibus, per tempora sua fulserint, tamen ad ius Romanum quasi vnum apicem postremo omnes pene relati sunt. Comparetur ergo Papa Romanus Augustis & Cæsaribus. Patriarchæ vero Patriciis, qui primi post Cæsares, in Imperiis fuisse videntur: Ita & isti, qui satis pauci sunt,primi post trium sedium præsules habentur. Deinde Archiepiscopos,qui ipsis Metropolitanis præeminent Regibus conferamus. Metropolitanos autem ducibus comparemus. Quia sicut duces singularum sunt prouinciarum, ita & illi in singulis prouinciis singuli ponuntur.Vnde in Calcedonensi Concilio iubetur.Ne vna prouincia in duos Metropolitanos diuidatur.Quod Comites vel perfecti in seculo,hoc Episcopi cæteri in Ecclesia explent. Fertur enim in Orientis partibus, per singulas vrbes & præfectutas,singolas esse Episcoporum gubernationes. Sicut tribuni militibus præerant, ita Abbates Monachis, athletis spiritalibus præesse noscũtur.Quemadmodum sunt in palatiis præceptores vel comites palatij, qui secularium causas ventilant, ita sunt & illi, quos summos Capellanos Franci appellant, Clericorum causis prælati. Capellani minores ita sunt, sicut hi, quos Vassos Dominicos Gallica consuetudine nominamus. Dicti sunt autem primitus Capellani, à cappa beati Martini,quam Reges Francorum, ob adiutorium victoriæ,in prœliis solebant secum habere, quam ferentes & custodientes, cum cæteris Sanctorum reliquiis Clerici,capellani cœperunt vocari.Porro sicut Comites quidam missos suos præponunt popolaribus, qui minores causas determinent, ipsis maiora reseruent: ita quidam Episcopi coepiscopos habent, qui in rebus sibi congruentibus, quæ iniunguntur, efficiunt. Centenatij,qui & centenariones, vel vicarij,qui per pagos statuti sunt Presbyteris plebium, qui baptismales Ecclesias tenent, & minoribus Presbyteris præsunt,conferri queunt.Decuriones vel Decani, qui sub ipsis vicariis quædam minora exercent minoribus Presbyteris titulorum possunt comparari. Sub ipsis ministris centenariorum, sunt adhuc minores, qui Collectarij quaterniones, vel duumuiri possunt appellari: quia colligunt populum, & ipso numero ostendunt se Decanis minores. Sunt autem ipsa vocabula, ab antiqua consuetudine mutuata, in qua officia prælatorum, dicebantur ex numero subiectorum: Vt sunt Chiliarchi Græcè, Latinè millenarij, centenarij vel centuriones. Pentacontarchi, vel quinquagenarij: Decani, vel decuriones, Quaterniones duumuiri. Ad horum similitudinem sunt Diaconi & subdiaconi,Presbyterorum adiutores in verbo,Baptismo & quotidiano officio. Sunt etiam archipresbyteri, in Episcopiis Canonicorum curam gerentes. Habent & potestates seculi consiliarios in domesticis,& liberorum Pædagogos suorum habent ipsi procuratores rei familiaris: Similiter in quibusdam Ecclesiis Archidiaconos, quos familiæ respicit gubernatio. Sunt in secularibus quæstionarij,id est, qui reos examinãt, Sunt in Ecclesia Exorcistæ,dæmonum exclusores. Habent aulæ potentium ianitores, habet & domos Dei ostiarios:Habet mundus vetedarios, commentarienses, ludorum exhibitores, carminum pompaticos relatores,

E

F

Comparatio inter seculares & Ecclesiasticas potestates.

G

Capellani vnde dicti.

Coepiscopi.

Presbyteri titulorum.

H

Græcarũ potestatũ nomina.

Archipresbyteri.

Variæ vtriusq. potestatis membra in vnum

habet

A *Ecclesia corpus eõiunctã.* habet Ecclesia acolytos, lectores, cantores, atque Psalmistas. Cæterum ex vtriusque ordinis coniunctione & dilectione, vna domus Dei construitur, vnum corpus Christi efficitur, cunctis membris officiorum suorum fructus mutuæ vtilitati conferentibus, dum oculus est in sapientibus, qui veram lucem percipiunt & insinuant: os in doctoribus, auris in beneuolis auditoribus, nasus in discretionis amatoribus, manus in operatoribus, pedes in proficientibus, venter in compatientibus, humeri in laborum toleratoribus, cuncta in cæteris: vt non sit schisma in corpore, sed si gloriatur vnum membrum, cõgaudeant omnia membra: si contristatur vnum, cuncta condoleant. Ista conuenientia eousque tenenda est, donec occurramus omnes in virum perfectum, vt sit Deus omnia in omnibus.

1. Cor. 11. *Auctoris Modestia.*

CONCLVSIO LIBELLI.

B GRaui pondere tandem solutus, & vtinam tam profectuoso quam magno, in fine conclusionis lectores obtestor, ne quod obedientia subij, isti tribuant temerariæ præsumptioni. Fateor enim, me nec reperisse cuncta, quæ dilucidare cupiui, nec cuncta posuisse, quæ reperi: cum & rerum magnitudo sciendi cupiditatem succederet, & diuersitatum confusio fastidij nimietatem præberet. Habebis tamen in his lectoris mei curiosa vestigatio & si non copiam satietatis qua delectetur, qualemcunque tamen causam inquisitionis, qua melius exerceatur.

Explicit Vualafridi Strabonis liber de Ecclesiasticarum rerum exordiis & incrementis.

VVALAFREDI ABBATIS

C Sermo seu Tractatus, de subuersione Hierusalem.

In Cap. XIX. Euangelij S. Lucæ.

Ex Membranis celeberrimi Monasterij S. Galli nunc primum in lucem erutus, ab Henr. Canisio.

LECTORI.

CODEX *calamo exaratus auctorem istum* Vualefredum Abbatem: *quem non dubito fuisse Vualafridum celebrem illum scriptorem, de quo Trithemius in libro de illustrib. viris Germaniæ, & in catalogo scriptorum Ecclesiasticorum, nam & Indice eiusdem Codicis, vbi singillatim percensetur, quæ monumenta in eo contineantur, diserte scriptum est:* Vualafridi Abbatis. *Cuius exstant aliquot insignia monumenta, exstabuntque vt spero, & nostra, & aliorum ope & opera, propediem* D *plura.*

De Subuersione Hierusalem VValafredi Abbatis.

QVantum Dominus omnipotens de profectu hominum gaudeat, quantumve de illorum ruina condoleat, ex multis locis Scripturæ sacræ, præcipue tamen ex præsenti lectione cognoscere possumus. Denique cum Iudæi vellent Filium interficere, & de eius interitu tractarent, ipse vt pius pater eorum perditionem flebat. Nam cum Dominus Iudæos se quærentes interficere deflet, patulo ostendit, quantum de profectu humani generis gaudeat, qui tunc de futura longe post nece Iudæorum dolebat. Narrat superius Euangelij textus quomodo Dei filius miserit discipulos pro pullo asinæ cui insidens Hierusalem, venerit, quando cœperunt omnes turbæ descendentium gaudentes laudare Dominum voce magna, super omnibus quas viderant virtutibus dicentes: *Benedictus qui venit Rex in nomine Domini, pax in cælo, & gloria in excelsis.* Et quidam Pharisæorum dixerunt ad illum: *Magister increpa discipulos tuos:* Quibus ipse ait: *Dico vobis, quia si hi tacuerint, lapides clamabunt.* Iuxta hæc verba, subiungit Lucas Euãgelista: *Et vt appropinquauit* IESVS *Hierusalem, videns ciuitatem fleuit super illam, dicẽs: Quia si cognouisses & tu,* condolebat Dominus interitum perfidæ ciuitatis, quem nesciebat ipsa sibi esse venturum. Non existimandum est, quod fleuerit Dominus pulchra mœnia ciuitatis, aut ædificia murorum, aut altitudinis turrium, sed per metaphoram habitatores flere ciuitatis. Est autem metaphora tropus, vt Græcorum ac Latinorum docet peritia, per quem Scriptura plerumque loqui videtur; scilicet per* inhabitantem ad habitantem, per irrationalem, ad rationalem, per inanimalem ad animalem. Omittamus cætera dicendo de præsentibus, Per * inhabitantem ad habitantem, sicut hoc in loco: & sicut alibi Dominus dicit: *Hierusalem quæ occidis Prophetas, & lapidas eos, qui ad te missi sunt.* Sicut enim ibi, ita & hic, non super Hierusalem fleuit, sed super habitatores eiusdem ciuitatis, quibus à flente Domino dicitur: *Quia si cognouisses & tu,* subaudiens, *fleres. Et quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi, nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis.* In die enim sua peruersa ciuitas, ea, quæ ad pacem sibi erant, habebat, quia extollebatur in honoribus, gloriabatur, in facultatibus, lætabatur in diuitiis, in abundantia rerum, in fœcunditate prolis, & in sanitate corporum. Et quia, quæ ad pacem præsentem pertinebant, habebat futuram rixam non prouidebat. Vnde & recte subditur: *Nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis,* Præsens quippe gaudium futuram tribulationem afferebat. De qua tribulatione recte subinfertur: *Quia venient dies in te, & circumdabunt te inimici, tui vallo, & circumdabunt te, & coangustabunt te vndique, & ad terram prosternent te, & filios tuos qui in te sunt: Et non relinquent in te lapidem super lapidem eo quod non cognoueris tempus visitationis tuæ.*

E *Luc. 19.*

Ibidem. *Ibidem.*

in habitatum. F *habitatum.* *Matt. 23.*

Ibidem *Ibidem.* G

Qualiter autem hæc verba iuxta litteram impleta, sint in subuersione eiusdem ciuitatis, & populi Iudaici, Iosephus Historiographus plenius narrat, qui inter cætera quoque commemorat, qualiter venerunt duo Principes Romanorum, Vespasianus, & Titus, pater, & filius cum manu bellica ad subuersionem eiusdem ciuitatis, quadragesimo secundo anno post Domini resurrectionem atque eius gloriosissimam ascensionem. Et recte ac merito, vt qui Patrem Deum, & Filium denegauerant, à patre & filio necarentur. Expectauit enim Dominus populum Iudæorum, post passionem suam quadraginta & duobus annis ad pœnitentiam, sed magna ex parte noluerunt conuerti, & proinde tam diros incurrerunt hostes. Nam cum populus Romanor. omnem circa regionem igne combureret, & omnis populus cum mulieribus & paruulis, quasi vir vnus ciuitatem ingrederetur in die solenni Paschæ ad celebrandum Pascha, repente vrbs obsidione circumdata est, ita vt nullus ingredi, vel egredi posset. Quod nutu Dei actum est, vt qui in solenni die Paschæ Filium Dei cruci crudeliter affixerant, in eadem die ab hostibus oppressi affligerentur: in tantum, vt ita dira fames interius viscera eorum torqueret, excepto, quod gladius eos exterius affligebat, vt nonnulli nec ab ipsis calceamentis se abstinerent, sicut idem Iosephus dicit. Alij reliquias fœni veteris, & purgamenta frumenti & paleas ruminabant: nonnulli vero indumenta portatum detrahentes, dentibus ea conficienda, trahebant. In hac necessitate, & omnis pudor & verecundia ab eis recesserat, quia totum sibi valida fames vendicauerat. Nam & mulieres à virorum manibus & pueri à parentibus & quod infelicius est, ipsæ matres à filiorum dentibus cibum incomestum abstrahebant, mulieres sparsis crinibus trahebantur, vt cibos absconditos detegerent, erga caniciem senum nulla reuerentia, nulla erga paruulos miseratio seruabatur. Super hæc omnia prædones inter H

A eos surrexerat, qui prauius eos inter ius affligebant, quam ab hostibus exterius affligerentur. Nam si cuiuslibet fores clausas vidissent, indicium erat, quod intus positi ederent, & continuo confractis foribus cibum de ipsorum manibus abstrahebant. Mensam igitur iuxta morem nullus ponere audebat, sed proptia quasi furtiua edebant: Frumentum in ciuitate deerat, & si quis pro colligendis herbis egredi voluisset statim ab eis, qui intus erant, detinebatur quasi cum Romano exercitu pacem facere vellet. Iacebant igitur corpora Iuuenum per plateas ciuitatis, magis, fame, quam ætate defecta. Nullus iuxta morem sepeliebatur, quia nec multitudo morientium, nec virium debilitas hoc sinebat. Nonnulli corpora carorum suorum sepelire curantes, super ipsorum tumulos spiritum emittebant. Cumque tabo magnus & intolerabilis fœtor esset in ciuitate, cœperunt corpora mortuorum extra muros proiicere: intantum vt corpora ipsis muris coæquari viderentur.

B Quadam autem die Titus ciuitatem cum foris gyraret, (nam Vespasianus pater iam, propter imperium Romam perrexerat) videnſque omnes vallos ciuitatis, cadaueribus mortuorum plenos, & morientium corpora pene ipsis muris coæquari, testem Deum inuocabat hoc opus suum non esse: eleuansque oculos in cœlum, cum ingenti gemitu fertur dixisse: O ciues Romani, non cunctabor referre, quod sentio; arbitror, quod si ab hac pestilentissima vrbe exercitus Romanorum paulisper abscederet, habitatores eius aut hiatu terræ absorberentur, aut ignibus Sodomitanis exurerentur, aut aquis diluuij necarentur. Hæc dicens, cum fortassis in crastino repausaturos esset exercitum, ilico milites armat custodias ponit, & cœpit iterum ciuitatem possidere. Merito ergo atroci fame torquebantur, qui panem vitæ necauerant.

Narrat etiam idem Iosephus facinus inauditum in ea perpetratum, videlicet quod esset quædam mulier nomine Maria filia Eleazar prædiues valde, nobili genere exorta, quæ cum cætera multitudine ad ciuitatem conuenerat, cuius substantia, quam circa in regione habe-
C bat, cum ab hostibus esset vastata, & igni combusta, nec non & ea quæ in ciuitate secum detulerat, consumpta, in hac necessitate, vel tribulatione contra ipsam se fertur armasse naturam. Denique erat ei sub vberibus paruulus filius quem ante oculos statuens talia fertur dixisse: tangam enim sensum, quamuis verba ipsa dimittam. O infelix mater, & ô infelicior fili, in fame, & bello, & vastatione prædonum cui te reseruabo? Nam etsi vita sperari possit, iugo seruitutis vrgemur. O care nate, esto cibus matri tuæ! & esto prædonum furor! seculis fabula, & recordatio pessimæ famis. Hæc dicens, statim filium iugulat, & partem illius igni torret, partemque alteram in posterum sibi reseruat, cumque ad odorem exustæ carnis iuxta mortem prædones adessent, morte miseræ minari cœperunt, nisi cibos, quos absconderat, detegeret. Tum illa truculento vultu, & ipsis prædonibus truculentior, optimam, inquit, partem reseruaui vobis, & tunc cætera membra infantis detexit, dicens, meus,
D inquit, partus est, & meus filius est, & facinus meum est. Edite: Nam & ego prior comedi, quem genui: nolite matre esse religiosiores, neque fœminis molliores. Quod si vos pietas vincit, & execramini meos cibos, ego quæ talibus pasta sum his iterum pascar. Tum obstupefacti prædones, & tantum facinus abhorrentes nunciauerunt vrbi, & hoc vnusquisque ante oculos statuens tanquam proprium nefas deflebat, & cum magno eiulatu, & fletu, & clamore statim porta ciuitatis aperta est, & ingressus Titus cum omni Romanorum exercitu alios gladio peremit, alios igne exussit, & iuuenes quos corpulentiores reperit, in captiuitatem destinauit. Colligens autem historiographus numerum eorum, qui fame, & ferro interempti sunt, inuenit vndecies centena millia: illorum vero qui in captiuitatem dispersi fuerunt, nonaginta millia: latronum vero illorum, qui postquam ciuitas capta est, diuersis modis mortui sunt, incertus est numerus: ciuitas autem ita à fundamentis destructa est, vt non relinqueretur in ea lapis super lapidem.

E Hæc ex Iosepho commemorauimus, vt veridicam Domini sententiã fuisse approbemus, quia dixit: *Quia venient dies, & circumdabunt te inimici tui vallo, & circumdabunt te, & coangustabunt te vndique, & ad terram prosternent te, & filios tuos, qui in te sunt, & non relinquent in te lapidem super lapidem, eo quod non cognoueris tempus visitationis tuæ.* Inde etiam alio in loco dicit Dominus discipulis: *videtis hæc omnia? Amen dico vobis non relinquetur in ea lapis super lapidem, qui non destruatur.* Et alibi. *Cum videritis Hierusalem ab hostibus circumdari, scitote quia prope est desolatio eius.* Monstratur locus vsque in hodiernum diem, quia in eodem loco, vbi tunc sita erat, lapis super lapidem non remansit. Sed postea foris portam ciuitatis, vbi Dominus crucifixus fuit, ab Helio Hadriano reædificata est, & nunc Helia vocatur. Tanta autem vilitas fuit in emptione mancipiorum Iudaicorum, vt dantes vnum argenteum triginta sibi emerent Iudæos. Et dignum sic fuit, vt qui vili pretio Dominum emerant, vili mercimonio venderentur. F

Luc. 19.

Matt. 24.

Luc. 24.

Tunc etiam adimpletum est vaticinium Ezechielis Prophetæ, quod ei à Domino dictum fuerat; *Et tu fili hominis sume tibi gladium acutum radentem pilos, & ducas eum per caput tuum, & barbam, & facias inde quatuor partes: vnam partem disperge in ventum: alteram proiice in ignem, tertiam incide ferro, & reliquias liga in summitate pallij tui.* Quod totum tunc adimpletum est, quando alia pars populi gladio interempta est; alia igne combusta, atque alia in captiuitatem destinata, quæ captiuitas vsque hodie in miseros Iudæos per totum Mundum perdurat. Per ipsam namque partem, quam Propheta in ignem proiecit, intelligere debemus eos, qui de populo Iudæorum igne perierunt, siue combustam etiam ab imis ciuitatem. Per eam partem, quam incidit ferro, ostendit eos, qui interfecti sunt gladio. Per partem, quam dispersit in ventum, demonstrat eos, qui dispersi sunt in captiuitatem, per diuersa spacia orbis. Per gladium, quem euaginare iussit, post ista, generalis percussio Do-
G mini intelligitur in eodem populo. Per reliquias quas in summitate pallij ligare iussit, significat eos, qui de eadem gente in fine seculi credituri sunt. Quare vero tam dura eis acciderint, subinferunt, *eo quod non cognoueris tempus visitationis tuæ.* Tunc quippe eos visitauit, quando inter eos incarnari voluit, quam visitationem optabat Psalmista dicens: *Visita nos Domine in Salutari tuo.* De qua etiam & Zacharias: *Visitauit, & fecit redemptionem plebis suæ*, Et, *Visitauit nos oriens ex alto.* Sed hoc tempus visitationis perfida ciuitas non cognouit, quia Christo in carne apparente, populus Iudæorum in eum credere contempsit. Vnde & ad duritiam cordis eorum, aues cœli in testimonio deducuntur, cum dicitur: *Miluus in cœlo cognouit tempus suum, turtur, & hirundo & ciconia custodierunt tempus aduentus sui: Israël autem me non cognouit, & populus meus me non intellexit.*

Ezech 5.

Luc. 19.

Ps. 105.

Luc. 1.

Ib. idem.

Hierem. 8.

Nec solum per semetipsum eos Dominus visitare dig-
H natus est, sed etiam post suam ascensionem per quadraginta & duos annos variis signis & prodigiis ac portentis non solum eos visitauit, sed etiam terruit. Etenim sicut idem Iosephus narrat, quadam die admota in sacrificio vitula enixa est agnam. Sera etiam Templi, quæ tanti ponderis erat, vt vix à viginti viris moueri posset, per semetipsam est reserata. Media autem nocte ita lux in Templo clara refulsit, vt à nonnullis media dies putaretur esse. Quod ignari cernentes, æstimabant prospera sibi esse ventura, sed sapientes minime latuit, interitum ciuitatis significari. Strepitus quoque & voces auditæ sunt in templo dicentium: *Transeamus ab his sedibus:* Currus quoque & equites ignei visi sunt in aere deferri: interitum miseræ ciuitatis minantes: Ante duos etiam annos obsessionis eorum, stella gladio per omnia similis in cœlo per totum annum apparuit super ciuitatem. Sed & ante vnum annum subuersionis eorum, quidam vir nomine I E S V S, plebeius, & rusticus, in die solenni Paschæ inter medios populos cœpit

clamare,

A clamare, & dicere: *Vox ab Oriente, vox ab Occidente, vox à quatuor plagis cœli, vox super sponsos, & sponsas, vox super Hierusalem, & Templum.* Cumque à populis nimium cæderetur, nullatenus tacebat, & cum inter flagella spiritum emitteret, aiebat: *Væ, væ Hierosolymis.* Cumque tot, ac tantis miraculis, & signis non solum visitati, sed etiam territi fuissent, non est mollitum cor eorum ad pœnitentiam, sed in suis malitiis, & peccatis perseuerauerunt.

Neque dignum erat, vt sine vltione remanerent, qui tantis sceleribus fuerant auctores, quorũ vltio in actibus Helisæi Prophetæ præfigurata est, quando descendens de
4. Reg. Galgalis pueri insultabãt ei dicentes: *Adscende calue, Adscende calue.* At ille maledixit eis in nomine Domini, & egressi duo vrsi de saltu deuorauerunt ex eis quadraginta & duos pueros. Per Hælisæum intelligimus Dominum Christum, qui ductus à Iudæis in locum qui dicitur Caluariæ locus, ad crucifigendum;
B Sicut Helisæus est à pueris irrisus, ita & Dei Filius à Iudæis est delusus, quando
Matt. 27. Ibidem. Matt. 2. flectentes genua dicebant: *Aue Rex Iudæorum.* Et item. *Si Filius Dei est, descendat de cruce, & credimus ei.* Et percutientes eum dicebant. *Prophetiza nobis Christe, quis est, qui te percussit* Per quadraginta, & duos pueros, quadraginta, & duo anni figurantur, quibus eos Dominus ad pœnitentiam expectabit, sed illis pœnitere nolentibus egressi duo vrsi de saltu, id est, duo magni Principes Romanorum, de syluis gentilium aduentantes, Vespasianus scilicet & Titus, & interfecerunt eos.

Luc. 19. Isai. 56. 3. Reg. 8. *Et ingressus in Templum cœpit eiicere vendentes in illo & ementes, dicens illis: Scriptum est domus mea domus orationis est, vos autem fecistis illam speluncam latronum.* Ædificauit Rex Salomon domum Domini vt esset domus orationis, sed à Sacerdotibus qui debuerant esse obseruatores legis, & fabricatores, spelunca latronum
Exod. 23. facta fuerat, eo quod ibi mercimonia præpararentur. Dictum fuerat filiis Israël, vt ter in anno se congregarent ad festa celebranda in Hierusalem. Itemque lex
C Ibidem. præcipiebat, non apparebit in conspectu meo vacuus. Venientes ergo de longinquis regionibus, non valentes secum deferre dona, quæ offerrent, cogebant eos ministri Templi, vt emerent ab eis. Dante populo dona fraudabant Sacerdotes, & non sicut præceptum erat Domino immolabant, sed ad hoc sibi reseruabant, vt aliis iterum venderent, & ex hoc precium muneris sibi
Matt. 21. Marci. 11. multiplicarent. Vnde iuxta alios Euangelistas oues & boues, turtures, & columbæ in Templo vendebantur. Et ne aliquam excusationem emendi haberent, nummularij in Templo residebant. Domum vero orationis speluncam latronum fecerant, quia quod male emptum erat, iterum male vendebant. Et ad hoc in Templo residebant, vt si qui munera offerrent, eos magnis laudibus Sacerdotes extollerent, si vero non essent, qui munera offerrent, flagellis percuterent.

* fort. doceamus. Itaque vt qui hæc minus intelligerent, * mulceamus, hæc historialiter perstrinximus, nunc vero breui ser-
D mone repetendum immorabitur. Quod diximus pertinere ad materialis Templi destructionem, potest quoque & ad vnamquamque peccatricem animam referri. Fleuit tunc piissimus Dominus per semetipsum perditam ciuitatem, flet quotidie per Doctores sanctos in Ecclesia animas pereuntium. Illi nempe à Doctoribus flendi sunt in Ecclesia, qui semetipsos flere nesciunt, qui ignorant, cur plangantur, qui lætantur, cum malefecerint, &
2. Cor. 12. Gal. 4. exultant in rebus pessimis. Taliter Apostolus Paulus vice Christi lapsum discipulorum flebat, dicens: *Lugeam multos ex his, qui ante peccauerunt.* Et item *Filioli mei, quos iterum parturio, donec Christus formetur in vobis.*

Quod ergo à Domino flenẽ perituræ ciuitati dictum est, pereunti etiam animæ conuenit. Ait enim Dominus
Luc. 19. Isai. 66. perituræ ciuitati; *Quia si cognouisses, & tu*, subaudi, fleres, si peccatrix anima, tribulationem, & augustiam quæ ei in futuro crescunt, agnosceret, vbi vermes sunt, qui non moriuntur, & ignis, qui non extinguetur? magis eligeret cum electis in hoc sæculo ad tempus lugere, quam cum reprobis gaudere. *Et quidem in hac die* E Luc. 19.
tua, quæ ad pacem tibi. Suam diem peccatrix animæ habet, cum transitorio & cito finiendo gaudet in sæculo, cum inflatur honoribus, extollitur in diuitiis; gloriatur in facultatibus, sed quæ in die sua habet, quam scandalum in die aliena patiatur, non præuidet, neque futuram tribulationem prospicit. Vnde rectè subditur: *Nunc* Ibidem.
autem abscondita sunt ab oculis tuis; Excæcat quippe oculos cordis, priuatus amor, & sicut puluis oculos corporeos excæcat, ne clare videre possint; ita amor huius sæculi, & præsentes diuitiæ oculum mentis excæcant, ne futurum Iudicium prouidere possint De cuius tribulatione rectè subiungitur: *Quia venient dies in te: & cir-* Ibidem.
cumdabunt te inimici tui vallo. Quia venient dies in te, id est, tempora mortis, dies tribulationis, dies anguriæ, dies calamitatis, & miseriæ, quando incipiet infelix anima cum semetipsa rixari, & quasi dicere: Quare in malis operibus memetipsam dilataui? quare ex prætéritis peccatis pænitentiam non egi? cur in bonis operi- F
bus meipsam non exercui? Et tunc incipiet pœnitere, cum nullus fructus pœnitentiæ remanebit, sed sola districtio vindictæ. *Et circumdabunt te, & coangustabunt* Ibidem.
te vndique. Infelici animæ non sunt peiores inimici quam immundi Spiritus. De quibus se cupiebat eripi Psal. 58.
Psalmista, cum diceret: *Eripe me de inimicis meis Deus* Ibidem.
meus. Et item. *Eripe me de operantibus iniquitatem.* Ergo inimici miseræ animæ vallo eam circumdant, quando immundi Spiritus circa diem mortis omnia peccata ei replicant, valdeque eam coangustant, quando ipsi qui primi ei fuerant persuasores ad crimina, fiant exactores ad tormenta.

Et ad terram prosternent te. Ad terram quippe infelix Luc. 19.
anima prosternitur, quando virtutes, quas se habere putabat amittit, siue etiam caro, quæ de terra sumpta est, Gen. 3.
ad terram reuertitur, Sicut scriptum est; *Terra es, & in* Luc. 19.
terram ibis, & filios tuos, qui in te sunt. Filij quoque in Psal.
scripturis sanctis vel filiæ opera significant; aliquando 127.
bona, aliquando mala. Bona, sicut in Psalmista, *Et* G
videas filios filiorum tuorum pacem super Israël. Mala au- Luc. 19.
tem, sicut in hoc loco cum dicitur: *Et filios tuos qui in te sunt.* Ad terram quippe filij peccatricis animæ prosternuntur, quia non solum de malo opere, verum etiam & de ipsa cogitatione; & non solum de mendacio, & periurio, atque murmuratione, sed etiam & de ipso otioso sermone reddituri sumus rationem, Domino dicente:
De omni verbo otioso, quod locuti fuerint homines reddent Matt. 12.
de eo rationem in die iudicij. Et non relinquent in te lapi- Luc. 19.
dem super lapidem eo quod non cognoueris tempus visitationis tuæ. Sicut enim ciuitatis in ædificio lapis super lapidem ponitur, vt crescat constructio: ita quoque cogitatio pessima super malam cogitationem ponitur, & malis operibus mala consuetudo iungitur, vt quoddam ædificium diabolicum construatur. In destructione ciuitatis lapis super lapidem non relinquitur, quia in die Iudicij non solum mala opera, sed etiam iniqua cogitatio ces- Psal.
sabit, & periet. Sicut Psalmista, *in illa die*, inquit, *pe-* 145.
ribunt omnes cogitationes eorum. Et ideo necesse est, vt H
dum in hoc sæculo sumus, & nobis vacat, non solum à malis abstineamus, sed etiam bonum in omnibus operari studeamus. Ante omnia diem mortis ante oculos ponamus, quia facile contemnit omnia, qui se semper cogitat moriturum. Vnde Salomon nos hortatur di-
cens: *In omnibus operibus tuis, memorare nouissima tua.* Eccl. 7.
Et item. *In die bonorum, ne immemor sis malorum, & in* Eccl. 11.
die malorum, ne immemor sis bonorum.

Pius Dominus, qui nos patienter expectat, acriter in die iudicij iudicabit, si conuersi non fuerimus. Vnde & nos admonet in Euangelio: *Currite dum lucem habetis,* Ioan. 12.
ne tenebræ mortis vos comprehendant. Et item. *Esto consen-* Matt. 5.
tiens aduersario tuo, cito, dum es in via cum eo; ne forte te tradat aduersarius iudici, & iudex te tradat ministro, & in carcerem mittaris: Amen dico, tibi; non exies inde donec Gal. 6.
reddas nouissimum quadrantem. Et Paulus Apostolus; 2. Cor. 6.
Dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes. Et Eccl. 9.
item. *Ecce nunc tempus acceptabile; Ecce nunc dies salutis.*

Et

Et Salomon: *Quodcunque potest manus tua facere instanter operare.*

Eo quod non cognoueris tempus visitationis tuæ. Multis namque modis in præsenti vita peccatricem animam Deus visitat. Visitauit prius per aduentum Filij sui, & per eius miracula, quotidie visitat prædicationibus Doctorum, visitat per prospera, & aduersa, visitat per flagella, visitat per persecutionem, sed anima peruersa non cognoscit, quo clausis oculis ad ignem vadit. Non enim in prosperitate se humiliat, nec in aduersitate se recognoscit.

O miseram supra, quia Hierusalem terrestris quatuor modis intelligenda est; Historialiter primo, ciuitas, quæ in monte Moria sita est, ædificata à Sem Noe filio & vocata Salem: Secundo possessa à Iebusæo, ex qua sortita est vocabulum Iebus. Tertia à Salomone, & inde vocata est Hierosolyma, ex Iebusæo & Salomone quasi Iebusolyma: postea destructa à Romanis, reædificata ab Helio Adriano, à quo nunc Helia vocatur. Ecce ad litteram. Allegorice autem Hierusalem interpretatur *Visio pacis*, quæ significat sanctam Ecclesiam. Nam supernam Hierusalem non potest continere, nisi pacificos in fide Christi. Per Anagogem vero animam significat sanctam, quæ Dominum per contemplationē mentis semper meretur videre. *Et ingressus in Templum cœpit eiicere vendentes, & ementes in illo dicens, Scriptum est, domus mea domus orationis est: vos autem fecistis illam speluncam latronum.* Quod tunc Dominus per semetipsum egit corporaliter, quotidie agit in Ecclesia spiritualiter Templum Dei spiritualiter Ecclesia est quia domus orationis recte dici potest, vbi Ecclesia quotidie Deo mundas preces offerre non cessat, dicens cum Psalmista. *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo.* In quo Templo, videl. Ecclesia, vendentes, & ementes sunt, qui honorem Ecclesiasticum non propter lucrum animarum, sed propter lucrum terrenum requirunt, vel propter fauores hominum. Vnde bene iuxta alios Euangelistas, oues, boues, turtures, & columbæ in templo vendebantur. Bouis quippe nomine in Scripturis sacris, aliquando prædicatores designantur: sicut ait Dominus ad Moysen: *Non arabis in boue simul, & asino*, hoc est, noli coniungere in prædicatione, siue doctrina prudentem cum stulto: Per ouem innocentia designatur, vel simplicitas. Ouis quippe simplicissimum est animal. Qui ergo sanctitatem, aut innocentiam Deo aliis ostendit vt laudem ab hominibus requirat, ouem venalem in Templo portat. De quibus Dominus in Euangelio dicit: *Omnia opera sua faciunt, vt videantur ab hominibus.* Et item, *Amen dico vobis receperunt mercedem suam.* Per columbam vero Spiritus sanctus designatur. Vnde & idē Spiritus sanctus in specie columbæ super Dominum baptizatum apparuit. Qui ergo gratiam Spiritus sancti per impositionem manuum: quæ gratis dare debuerant Domino dicente: *Gratis accepistis, gratis date*, non propter Deum, sed propter munera, vel lucrum terrenum aliis tribuunt quasi columbas in Templo vendunt. De quibus scriptum est. *Ignis deuorabit tabernacula eorum qui munera libenter accipiunt*, Et item: *non accipies in iudicio personam pauperis, quia munera excæcant oculos sapientum, & verba rectorum subuertunt.* Tales Dominus à Templo eiicit, qui quamuis in præsenti sæculo Ecclesiæ coniuncti corpore videantur: tamen in die iudicij ab Ecclesia separabuntur, quando dicet illis: *Discedite a me maledicti in ignem æternum, qui præparatus est Diabolo, & Angelis eius.*

Et erat quotidie docens in Templo.

Dominus quotidie docet in Templo per sanctos prædicatores, quotiens sanctum Euangelium legitur. Apostolus recitatur, Doctores prædicant. Semper Dominus in Ecclesia docet, sicut ipse ait: *Sine me nihil potestis facere.* Hoc ideo ait, vt nullus in die Iudicij aliquam possit excusationem habere peccati. Cum enim Doctor in Ecclesia verbum Dei annunciat Christus in Templo docet, & qui Prædicatoris verbum contemnit, Christum audire renuit ipso dicente: *Qui vos audit, me audit, Et qui vos spernit, me spernit.* Hanc destructionem ciuitatis ad destructionem animæ nostræ expauescamus. Precemur itaque Dominum, vt qui Hierusalem terrenam destrui permisit, & postea Hierusalem cœlestem permanere disposuit, destruat peccata corporis, & animæ nostræ: quatenus nos introducat in cubiculis sponsæ suæ, vt cum eo videamus indeficienter bona quæ sunt in Hierusalem. E

POEMATA VVALAFRIDI Strabi.

Nunc primum luce donata, Ex Bibliotheca S. Galli, ab Henric. Canisio. F

PRÆFATIO HENRICI CANISII.

Trithemius lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis.

VVALAFRIDVS Abbas S. Galli, vt dicitur, natione Germanus, vir in diuinis scripturis studiosus & in secularibus litteris omnium suo tempore doctissimus, ingenio & eloquio clarus, carmine valens & prosa, Monarcha disciplinæ regularis, & multorum pater Monachorum. Scripsit ad ædificationem omnium fidelium deuote legentium vitam S. Galli prosaice lib. 1. Eandem postea metrice lib. 1. De officiis diuinis lib. 1. Epistolas plures ad diuersos. Et alia nonnulla scripsisse dicitur, quæ ad manus nostras non venerunt, inquit Trithemius.

Inter quæ numeranda sunt pnëmara quæ nunc primo vulgamus ex manuscripto Cod. S. Galli. Vtinam addere licuisset vitam S. Galli carmine ab eodem VValafrido scriptam: sed absterruit nos Codex tam vitiose scriptus, vt eo solo editionem moliri temeritatis potius, quam diligentiæ conatus visus fuerit. Interea accipe, quæ offerimus, rogatu & studio R.P. Iodoci Mezleri, cui id vnum in optatis erat, vt typis VValafridus excuderetur. Cuius desiderio libenter obtemperauimus: sed vt VValafridum magis cognoscas, adscribere licet, quæ Mezlerus eximius pater in suo libello de illustribus viris S Galli litteris mandauit. Ait enim, VValafridum, quem appellant Strabonem ex Decano Monasterij Sancti Galli fuisse creatum Abbatem Lugiæ diuitis annotauit manu sua (si tamen manum be.e noui) reuerendissimus dominus *Ioachimus* Abbas noster, in margine ad VValafridi nomen, in exemplari quodam vitæ S. Galli, quod apud nos est. Et videtur idipsum innuere liber ille Epitaphiorum Patrum S. Galli, qui auctoritate & iussu reuerendissimi quoque Abbatis nostri *Francisci* editus illique oblatus in quo quidem præfatus etiam VValafridus celebratur, atque illi in suo & reliquorum sancti Galli patrum persona confitetur Auctor: *Obseruatores tuæ legis quondam eramus quasi modo geniti infantes*: Simile quid colligi posset ex eo, quod Gosberto Abbati nostro in prologo vitæ Sancti Galli ait VValafridus, se obedienti (Gosberto nimirum Abbati, & patribus) cupiditate suscepisse onus scribendi, & nolle se pro inobedientia condemnari, & quæ sequuntur. Et (vt scribit) ad necessitatem obediendi se constringi præceptis patrum S. Galli; vbi vigilanter aduerte in toto proœmio, nil nisi obedientiam ingeminare VValafridum, cuius ordinem diligenter describit, quem paulo post citabo. Et demum ex eo quod ait: *Confessoris Christi Galli patroni nostri vitam*, & cætera: vbi nisi VValafridus sub Abbate Sancti Galli aliquando ante prælaturam suam fuit, necessitate obediendi constringebatur nulla, neque pro inobedientia condēnari potuit, neque etiam *S. Gallum patronum nostrum* dixerit, qui patrimonij eius portio nulla vnquam fuit.

His

Digitized by Google

His omnibus accedit antiqua & spectata auctoritas Anonymi cuiusdam Monachi sancti Galli, qui in Metricam à VValafrido decantatam, annotationes non indoctas scripsit. vbi quidē ille in prolegomenis sic ait: Idē quoque Abbas (Gosbertus videlicet, vt ibidem clatum est) iniunxit cuidā Cœnobitæ & Monacho eiusdē Monasterij (sancti Galli scilicet) vt vitā & gesta B. Galli lumine rectæ locutionis ornatam Capitulorum limitibus distingueret. Quod sane VValafridus sibi fatetur Gosbertum iniunxisse, vt habes in prologo eiusdem vitæ, vbi & iisdem pene verbis præfatus VValafridus ipsum hoc commemorat apud Surium Tom. V. ad diem decimumsextum Octobris. Et post multa deinde idem commentator & hæc ait: Causa autem efficiens & mouens & mota simul fuit præmemoratus cœnobita Monasterij sancti Galli; qui ad instantiam & mandatum Gosberti abbatis sui, repromissione ei facta præsentem librum metrice composuit. Hæc ille ad verbum. Est autem VValafridi operis vna cum præfato commentario liber vetustus manuscriptus in quarto folij regalis, quem ego nuper ex Bibliotheca veteri transportaui in nouam. Cum eo ligatus est alius de miraculis beatæ Virginis heroico carmine, qui fuit descriptus anno domini millesimo trecentesimo nonagesimo per Ioannem de Hochingeo; Atque etiam hinc videtur esse natus error ille (quod quidem etiam pro hac sententia dixerim) quo Trithemius & alij quidam, sicut & tituli quorundam VValafridi impressorum operum, appellant eundem VValafridum Abbatem sancti Galli. has igitur & similes ab causas, ego VValafridum sæpe nominatum, Abbatibus quoque postulatis seu extraneis adscripsi, non quidem vt statuerem opinionem nouam, sed vel vt resuscitarem antiquam, vel certe vt pro memoria mea annotarem quæ legeram. Creatus est VValafridus, Poeta, Geographus, & Theologus toto orbe celebris, Augiæ Abbas duodecimus, anno Dom. octingentesimo quadragesimo secundo. Et scripsit de vita sancti Galli libros duos, qui sunt apud Surium. Eundem metrice cecinit, vt dixi, & testantur alij, vt Trithemius, Arnoldus VVion libro vno, cuius initium: *Promissi memor ecce mei Gosberte quod olim, &c*, De vita sancti Othmari scripsit librum vnum, qui itidem est apud Surium Tomo sexto ad diem decimum sextum Nouembris. De officiis diuinis librum vnum, qui etiam habetur impressus. De comparatione mundanarum & Ecclesiasticarum dignitatum librum vnum. Epistolarum librum vnum. Extat etiam in Bibliotheca nostra opus integrum vitæ sancti Mammetis, visionis VVettini & epigrammatum, quæ ab anno ætatis suæ decimo quinto scripsit, vbi quoque de sancto Gallo vnum est, & Epitaphium VVendonis, Abbatis nostri, vbi ait: *Huius namque loci fuerat Patronus & abbas, nomine VVendo, &c.* Ex quibus, sicut & quod VVettinum nostrum, Regi scribit mortuum, collige VValafridum fuisse Monachum S. Galli. Idem quoque edidit glossam in Leuiticum & Numerum, lib. 1. & in septem epistolas Canonicas. Et in Epistolam S. Hieron. ad Marcellam de Hebraicis nominibus. Item eclogas tractatorum in Psalterio, volumen vnum. Quæ pene omnia apud nos sunt MS. sicut & alia quædam, quæ ipsius esse videntur, forte vix vspiam alias reperienda. Ex quibus etiam nota, maxime vero ex Epigrammatis, etsi certum est VValafridum anno ætatis suæ decimooctauo fuisse in Augia, & VVettini Monachi Augiæ visionem ibi scripsisse, non tamen sequitur, eum non fuisse, vel tunc vel postea Monachum S. Galli: nam fuit etiam Fuldæ sub Rabani Mauri magisterio, vt ibidem patet, nemo tamen dicit fuisse eum Monachum Fuldensem. Nostros certe patres Helpericum, & VVerenbertum fuisse discipulos eiusdem quoque Rabani scimus, sed vt nemo est qui propterea dicet eos fuisse Monachos Fuldenses, ita etiam nemo dixerit VValafridum fuisse Monachum vel Fuldensem propterea quod Fuldæ Rabanum; vel Augiensem, quod in Augia Tattonem audiuit. Hæc de illo. Obiit Strabo anno Domini 849. in Augia, regiminis sui octauo.

INDEX POEMATVM VVALFRIDI STRABONIS.

Præfatio Strabi vel Strabonis.
Oratio eiusdem.
Versus Strabonis de vita & fine Mammæ martyris.
In Natalem S. Mammetis hymnus eiusdem Strabonis.
Versus de beati Blaithmaic vita & fine.
Epistola VVettini.
Ad Grimaldum de morte VVettini.
De singulis festiuitatibus anni.
In natiuitate Christi.
In octaua Domini.
In Epiphania.
In hipapanti.
In Septuagesima.
In Quadragesima.
In palmis.
De passione.
De Resurrectione.
In Ascensione.
In Pentecoste.
In natalem S. Ioannis Baptistæ.
In natalem S. Bonifacij Archiepiscopi.
In assumptione sanctæ Mariæ.
De Apostolis.
De Confessoribus.
De Martyribus.
De Virginibus.
In natal. S. Martini Episcopi.
Hymnus de natal. Domini.
Hymnus de Agaunensibus martyribus.
De B. Maria virgine.
Versus in Aquisgrani palatio editi, Anno Hludouici Imperat. XVI. Interlocutio Strabi, & Scintillæ.
De libro Machabæorum priore.
De S. Gallo. Ibidem carmen venerab. Bedæ Presbyteri de Psalmo XXII.
De Hlothario Imperatore.
De Hludouico Rege.
De Pipino Rege.
De Iudith Imparatrice, & Carolo Augustorum filio.
De Hilduuino Archicapellano.
De Einharto Magno.
De Grimaldo Magistro.
Ad Iudith Imperatricem.
Ad eandem de quodam somnio.
Hludouico Imperatori.
Iudith Augustæ.
De osse Damulæ per qood arbuscula creuit. Ad Imperatorem Hludouicum.
Ad Carolum Iuuenem.
Hiltuuino Seniori.
Herebaldo Episcopo in persona Caroli.
Ad Liutgerum Clericum.
Item ad ipsum.
Ad Hludouicum Clericum.
Ad Bodonem Hypodiaconum.
Ad Gotabertum Italicum.
Ad Thomam præceptorem palatij.
Ad Chonradum Comitem.
AD BRYAOBERNVM LAICVM.
Ad Adelheidam.
Fabula admonitoria ad quendam.
Similitudo impossibilium.
In Ecclesia Monasterij quod *Rura* vocatur.
Super vnum altare eiusdem Ecclesiæ.
Super aliud. De hymno trium puerorum.
Versus in quodam Mantili.
ad VVerdtichum.
Versus in baculo.
Versus in flagello.

A In capulo cultelli.
Item in alio.
In manicis.
In tabula.
In cereo.
In conuiuio.
Ad Episcopum Ferend.
Ad amicum.
Versus VValaheridi, quos post annum ætatis XV. edidit de rebus diuersis. Ad Hebonem Archiepiscopum Remensem in persona Tattonis.
Ad Deganehor, Episc. Treuirensem in persona Tattonis.
Item ad eundem.
Ænigma.
Drogno Episcopo Mettensi.
Ad Mutuuinum Episcopum.
Item ad quendam.
Ad Agobardum Episcopum Lugdunensem.
B Ad Maurum Hrabanum Abbatem Fuldensem, magistrum suum.
Ad eundem pro calciamentis.
Ad eundem pro seruitore dando.
De quinque partibus Rhetoricæ.
Ad VVembertum Abbatem.
Ad Sigimarum modo Abbatem.
Ad Magistrum Tattonem.
De catnis petulantia.
Ad Lipharium Monachum.
Ad Altgerum Monachum.
In persona cuiusdam Monachi ad Abbatem suum.
Gottesscalcho, qui & Fulgentius.
De quodam somnio ad Erlumum.
Carmen de Michaele Archangelo.
De S. Maria virgine.
De S. Petro principe Apostolorum.
De S. Paulo Apostolo.
De S. Andrea.
C De S. Iacobo fratre Ioannis.
De Ioanne Apostolo & Euangelista.
De Thoma qui dicitur Didymus.
De Iacobo filio Alphei.
Item de Philippo Apostolo Christi.
De Bartholomæo Apostolo.
De Matthæo Apostolo & Euangelista.
De Simone Zelote Apostolo.
De Iuda Apostolo, qui & Lebbæus, cui nomẽ Tathæus.
Hic Fortunatus XII. Apostolo, quem Dominus elegit sorte pro Iuda.
Incipit Psalmus.
Oratio Dominica.
ΔΙΚΤΙΧΟΙ ΠΡΟΣ ΤΟΝ ΑΡΧΟΝ ΤΩΝ ΑΓΑΘΩΝ.
Versus Thaliæ ad eundem.

INCIPIT PRÆFATIO STRABI, vel Strabonis.

D Legistis meminit vestra sagacitas
Antiquos propriis carminibus viros
Horum subsidiis credere sæpius,
Quorum facta stylo dona vel explicant.
Vt paucis valeas cætera discere,
Martem bella canens orat & Herculem,
Nymphas ruticolæ panaque præferunt.
Extra hæc sunt varia, vana sed omnia,
At nobis Dominus ore vocandus est
Laudandusque pio corde vel actibus,
Cuius pandit opus quisquis honoribus
Sanctorum celebrat nomina congruis,
Anshelme inuigila, chare precatibus
Vulfing ne sileas poscere indicem
Importunos ei Lantuuine clamita,
Quem qui plus petiit, plus meruit boni,
Hos iam versiculos, quos volo subdere
Pro me continuis promere solibus
Donec perficiam quod modo poscitis, E
Perfectis etiam sensibus arduum,
At multis egomet sordibus obsitus,
Sanctorum precibus, quos colo carmine
Donari veniam credo fideliter
Magnis & nimiis quas veho classibus.

ORATIO EIVSDEM.

O Rerum sator omnium tremende,
Qui mirabiliter genus creasti
Humanum recreans, idem'potenter,
Dum pœnas crucis innocens luisti,
Audi me miserum malis grauatum,
In quo nil nisi repperis ruinam,
Tu solus vitiis potes mederi,
Te solum medicum requiro, sana,
Indignus quoque te rogare quicquam
Nil possum meritis meis mereri.
In quo deficiunt opes precandi F
Mammæ subueniat tui precatus,
Cuius facta libet metro referre
Ad laudem tibi gloriamque factor,
A quo sanctus habet beatitatem
Et peccator habet reuersionem.
Iamnunc ordiar, ô beate Mammes
Assis obsecro Spiritusque sancti
Munus concilies meo labori
Trino, vt digna Deo loquar; sed & te.

INCIPIVNT CAPITVLA OPERIS.

1 *Patria & pueritia viri sancti.*
2 *Qualiter tempore persecutionis solitudinem duodecennis cum pecoribus petierit, & quid ibi fecerit.*
3 *Quomodo in campum à Domino vocatus virgam & Euangelium inuenerit.* G
4 *Quemadmodum ex præcepto domum in monte construxerit, & a syluicolis sit gregibus honoratus.*
5 *Vt agrestia cum mitibus mulgens, & caseos pauperibus tribuens apud præsidem sit delatus.*
6 *Qua Missos præsidis humanitate susceperit.*
7 *Qualiter ipsos concursu agrestium territos de se sit consolatus, in quo de nominis eius diuersitate.*
8 *Quomodo admonente Dei spiritu leonem, qui se sequeretur, vocauerit.*
9 *Quemadmodum Cæsaream veniens præsidi innotuerit.*
10 *Quibus responsis præsidi confessionem magicarum artium quærenti obuiauerit.*
11 *Quibus itidem blanditias præsidis obliuiationibus confutauerit.*
12 *Vt suspensus equuleo verbera se non sensisse confessus sit.*
13 *Qualiter acrius tortus cœlesti allocutione sit confortatus.*
14 *Quomodo præses caminum instrui præceperit, sanctumque carceri manciparit.* H
15 *Quemadmodum ingressus carcerem, pauerit ibi reclusos.*
16 *Vt vincti effugerint, præsesque cum Mammete pro immolando sermonem habuerit.*
17 *Qualiter in camino Deo gratias retulerit, se ab igne lædi non posse*
18 *Quomodo præses incendium reuocauerit, intactumque audiens ipsum arcessiuerit.*
19 *Quemadmodum educto præses, & magica neganti feras promiserit.*
20 *Qualiter vrsa vel pardus non pœnas ei sed honorem intulerint.*
21 *Quomodo capto ad interficiendum cum leone, ille quem prius vocauerat veniens, vocem sit imitatus humanam.*
22 *Qua seueritate ianuis clausis Iudæos gentilesque prostrauerit.*

23 *Quemad*

A 23 *Quemadmodum sanctus Mammes leonem miræ superaverit crudelitatis.*
24 *Qualiter à populo lapidatus inlæsus permanserit.*
25 *Quomodo voce vocatus superna pro inimicis deprecatus in pace quieuerit.*
26 *Quod cæteros sanctos non solum vita, sed & virtutibus æquiparauerit.*

VERSVS STRABI VEL STRABONIS de vita & fine Mammæ Monachi.

I.

VRbem Cappadoces habitant, quos ille eefertur
Progenuisse Mosoch, veniens de semine Iaphet,
Quos Asiæ versus occasum rura minoris,
B Atmeniæque latus per fines tangit Eoos
Campus Amazonidum septem de parte rtionis
Nubifer opponit calidum iuga taurus ad Austrum.
Quam virtute potens construxit Perseus olim,
Post Romana suis rebus læta potestas,
Cæsaream vocitare dedit, peregrinus & hospes
Corporis ac mundi felix hanc incola Mammes
Incoluit partim, cœlum nam mente petebat,
Vtque fides sobolis multo pretiosior esset
Perfectam tenuere fidem pietate parentes
Et natum docuere sui seruare timendo
Lucida iussa Dei, non segnior ille repertus,
Moribus ætatem sensu tener extulit annos,
Carne puer sed corde senex; qui deinde parentum
Post mortem custos vitæ cautissimus almæ
Obseruans mandata Dei dedit ocius artæ
Exemplum normamque viæ latitare nequibat
Vrbs in monte sedens, modio neque tecta lucernæ
Flamma perit sed lumen agens in domate cunctis
C Cunctorum in sese purum conuertit amorem.

II.

Et iam bis senos puerilis flosculus annos
Attigerat, cum sæua mali lex Aureliani
Ecclesiæ mactaret oues, vastaret ouile
Lictoresque pium sequerentur vbique tyranno
Præcipiente genus, variis vt corpora pœnis,
Afficiant, variis nolentum soluere diuis
Liba precesque partum; mox ergo vt vidit in ipsa
Cæsarea puer ista geri, famisque profanis
Seductos seruire choros, non passus inetri
Tantum animo tolerare nefas, quascumque parentum
Cura parauit opes spreuit, montemque petiuit
Mentem carne sequens, mansit quæ semper in alto
Contemplata Deum, reginque a quabat opimas
Delicias in lacte gregis, has denique solum
Ad montem perduxit opes, pascebat ouillum
D Ipse pecus victumque sibi quærebat ab illo.
Sæpius insistens precibus, librisque legendis
Otia longa trahens vitam sine crimine duxit,
Quod montem petiit monitis consensit IESV,
Excidij qui signa canens, hoc addit agendum.
Tunc qui plana colunt, ad summa cacumina tendant,
Maturentque fugam, mores imitatus auitos
Pauit oues simplex magni sectator Iacob,
Alter Abel Patriarcharum sanctissima proles.

III.

Hæc inter campum Domini petat ore monetur,
Et pergens quo Christe vocas, quo te sequar? inquit,
Fulgida continuo pee cœli virga serenum
Vorque simul cecidit, tibi mittitur accipe Mammes,
Et quodcumque tibi suadet mens sancta petendum,
Hac dabitur: Faciem tum lætus ad æthera tollens,
Fert grates domino, mox virga vt contigit occas
Campi, Euangelium miro datur ordine sanctam E
Quod postquam sumpsit supplex & legit apertum
Credo sciens virga pastorem, codice magnum
Doctorem institui, Dominum veneranter adorans
Et quis, ait, dictis; ostende, monebitur istis?
Donasti iam velle loqui, da credere verbis
Corda aliena meis, dixit, vocemque loquentis
Audiit, accelera Mammes, montemque reuisens
Mox paruam compinge domum, dabo deinde iubendo
Hæc sacra dicta, quibus doctor capienda ministres.

IV.

Ille pij præcepta patris veneranda secutus
Montem conscendit, præcisisque vndique solers
Arboribus struit intra magis quam dædala celsis
Tecta tholis, simul ædificans altare Tonanti,
Postque laboris onus, sancto sudore fluentes
Artus composuit sessum librumque reuoluit, F
Dumque sacros versus depromeret ore beato
Syluestres venere greges, animalia iussu
Acta Dei, fixoque genu patientee adorant.
Quo recitante tacent, & acutis auribus astant,
Post verbum, eum lustra mates siluestria cuncti
Expeterent, quasi carnalem doctoris ad vsum
Femineos liquere choros, quis lacte tumebant
Vbera tota nouo, domitis sine lite cohæret,
Quæ sancti sociauit honor; si dicere dignum est,
Sic edocta suo seruit Macedonia Paulo
Dat carnale bonum per quem cœlestia sumpsit.
Miremur virtutis opus, doleamus iniqua.
Brutaque corda hominum; verbum faciente magistro,
Intentæ stupuere feræ: at ratione vigentes
Auditum strepitu sensum sermone retundant,
Dat fera mercedem, nos impia probra docenti,
Hinc fera non meritum, sed habet dura reatum.

V. G

Vir Domini agnoscens Ideo remanere libenter
Vt grege cum proprio fætus mulgeret agrestes,
Accedens niueo sinum de fonte repleuit,
Caseus efficitur paulatim lacte coacto
Pinguis & immissis ditescit fiscina formis
Cernit abundantes lactis de munere fructus
Et rogat vt Dominus quidquid velit inde futurum
Ostendat; tum sancta virum mox iussio portas
Cæsareæ properare iubet, tandemque repertis
Pauperibus, viduis, orbatis luce parentum
Quod Dominus tribuit, largis contradere palmis,
Non secus ac iussum est, prompto perfecit amore.
Sæpius hæc passim ciues miranda videntes
Inuidiæ pulsante malo conspectibus assunt.
Fortis Alexandri qui dudum Præses ab illo
Missus erat, nouam qui mouit in orbe procellam
Christicolis, cuius sanctum lex horrida Mammem H
Propulit in montem; clemens, ô Præses, obaudi
Accusator ait, quendam de stirpe Magorum
Vidimus inlicitis leges mutare ferarum
Carminibus, sollers ortas compesce quærelas.

VI.

His commota super furibundi Præsidis Ira,
Hic duos equites, sanctumque adducere iussit.
Obuius his Mammes montis scandentibus alta
Quo properatis ait? Mammetem quærimus, aiunt.
Si nosti monstrato viam, qua mansit & ipse,
Vel qua pascat oues; non huius nominis, inquit,
Hic cognosco virum, nec huius mansio nota est;
Non trepidans hoc dixit enim, sed verba monentis
Impleuit Domini, sanctos, qui iussit apertas
Declinate minas, vt seruet iussa peregit
In solo sermone fugam. Nam cætera fortis
Temptamenta tulit, pro Christo ponere malens

Quam seruare animam, verbisque sequentibus ipsum
Non timuisse docet; Mammes cur quæritur, inquit,
Declarate mihi & vobis monstrabo videndum.
Proditione, aiunt, pulsantur Præsidis aures,
Audit & hunc poetum magicis confidere rebus
Et domitare feras & agrestibus imperitare.
Ille Dei donn monitus, respondit, eamus,
Gustemusque prius, tum iussa facessere tempus,
Adductisque domum conuiuia larga parauit,
Panis, aquæ niueique apponens munera lactis,
Non tantum propriis precibus dilexerat hustes,
Verum quod sancti monuit solertia Pauli
Esuriemve sitimve pati non pertulit ipsos.
Hinc videas mentem prunas tetigisse calentes,
Dum velut affines Mammem venerantur amicum
Et redeunt sanctæ testes virtutis opimi.

VII.

Ergo illis pariter prandentibus intrat agrestis
Turba cateruatim, legeret dum dogmata sanctus
Verbi, Euangelici, turbantur nescia visu
Corda virum, supplex alius complectitur aram,
Ille sacris genibus Mammæ timefactus inhæret.
Attoniti terrore nouo, summamque salutis
Iam dubio sub corde tenent; cernensque timentes,
Ne timeatis, ait, Mammetem cernitis, ecce
Quæritis, hunc ipsum vos inuenisse sciatis,
Confortate animos, nihil hic nisi mite videtis.
At mihi restat adhuc, dubitatio nominis huius:
Nam *Mammas Mamma* & *Mammes Mammetis* habetur,
Et *Mammes Mammus* scriptum liquere priores.
Sic quodcunque tamen cœlestis scriptio seruat
Quodcumque exprimimus sanctum signamus eundem.
His actis timuere viri sanctumque precantur,
Si vis sponte veni, si non, permitte teneri.
Pergite, ait, nil vestra timor iam pectora turbet,
Nam quocumque Dei me spiritus egerit, ibo.
Continuo redeunt gaudentes atque timentes.
Quam facile Omnipotens hominum mutare repente
Corda potest, laudemque suis concedere sanctis.
Non modo vt hus homines timeant, sed cuncta creata.

VIII.

Spiritus egregium docuit sublimia Mammem,
Surge aiens, iam iamque voca de monte leonem
Qui multum virtutis habens, & corpore præstans
Iudæos gentesque vocet, cum stirpe maligna.
Lætus ad æthereum Mammes suspexit Olympum.
O Deus alme patrum, mundi pie conditor, inquit.
Iam miserere, tuumque pater, ne desere seruum
Respice Mammetis, quid corda fidesque volutent.
Passurumque tuo pro nomine multa tuere.
Dixit, cum veniens heremi de parte tugitus
Dat leo terribiles horrendus colla iubasque
Cui Mammes, quo Christus ait, vocat, impiger ibo.
Tu quoque diuino venias ad scammata iussu
Dumque cauo fuerint spectacula in amphitheatro
Impia turba suum moriens te sentiat hostem.
Ac velut hoc dicens, miles vexilla sequeris.
Stetnere disce ducis strictis mucronibus hostes.

IX

Cæsaream post ista puer venerandus adiuit,
Reperit & portas iuxta residere patentes
Quos dudum Præses capiendum misit ad ipsum
Qui sancto veniente stupent, humilique salutant
Alloquio, saluum temet gaudemus adesse.
Amplexique pedes, verbis venerantur amicis
Surgentes ad celsa viri prætoria currunt
Dicentes, ô Præses, adest, quem quæris vt hostem,
Non Magus vt stulti confinxit opinio vulgi. E
Nec reus illorum, quæ garrula fama ferebat,
Sed seruus milesque Dei sine crimine summi.
Iudex hæc contra; pretio cognoscitur iste
Corrupisse meos, fererent vt falsa volentes.
Nos autem non falsa tibi, sed visa locuti,
Haud cupimus pretio verum mutare saporem.
Vidimus ad vocem Christum de more vocantis,
Siluicolas astare greges, quasi mitis quædam.
Orantemque satis humili circumdare gestu.
Nescimus hunc esse magum; si credere nobis
Duxeris indignum, præstu est, nam venerat vltro.
Iudiciis inquire tuis nos vera locutos.
His simul auditis multa de parte piorum.
Ad Mammem venere, sacri consortia verbi
Quærentes, animos per gaudia sancta refecti.

X.

F

Inter Præses Mammem iubet ante tribunal
Constitui, & verbis adductum pulsat amaris.
Tu Mammes, quem fama magum fecit, ille vocatis?
Seruus ait, Christi, *Mammes* vocor. Incola montis.
Dic, inquit, magica compescere qualiter arte,
Et domitare feras, debes nam pandere, possis.
Seruio ait sanctus Christo, qui cuncta gubernat,
Cuius ad imperium substantia flectitur orbis,
Illum terra timet, cælum, mare, spiritus omnis.
Hæc scio & hæc fateor, noui nam cætera numquam.
Dixit Alexander, magicas si pandere fraudes
Dissimulando fugis, tormentis fortibus actus,
Nudabis quæ tecta tenes; dic ergo quod opto.
Non, inquit, didici mysteria fœda magorum
Inuoco sed Christum, cuius venerabile nomen,
Omnia sancta facit, corpnem tibi cedo terendam
Quam cruciare potes, liber sed spiritus iste,
In Domini virtute manet, quem cuncta tremiscunt, G
Præses ait magicis pœnas contemnere factis
Te video; ne crede tamen me flectere posse
Nequitiæ commenta tuæ, vel cantiõe ludi,
Dixit, & è contra sanctus fert talio Mammes.
Odit quippe Deus vitamque genusque magorum
Et magus esse nequit Domini qui flagrat amore,
Non tua scito metuet timen tormenta minasve;
Saluatoris habens scutum, qui sidera seruat
Qui me téque suo iudex sub iure retentat,
Quem colo, quem solum per legem doctus adoro.
Præses ait, diuersa studes opponere veris
Hactenus artifici lieuit lusisse loquela
Ium montana mihi citius secreta patescant.
Et quid ait tibimet iudex scelerusc fatebor?
Hinc aliam tentare viam dementia cœpit
Iudicis inuictissima per Cæsaris, inquit
Fortunam * nomenque Deum, nihil esse nefandæ * f. numenque.
Attis apud Mammem, & citius secutus abibis.
Per numen confiteor Dei patris omnia Mammes H
Lætus ait natique simul cum numine flatus,
Ast hominum figmenta sequi sæuisque redempta
Dæmonibus damnare animam nullo ordine possum:
Præsidis ira videns sibi fortia tela remitti
Increpat, & dictis ardens pro talibus intus
Nomen ait contemne Dei iamque ipsa negato
Iura tui nostrisque ferens libamina diuis
Aureliana iubet cunctis quod sanctio complet?
Vir domini solita fretus virtute Tonantis
Quod didici sectabor, ait, qui cuncta gubernat,
Huic libare volo, quem solum semper adoro,
Dæmones ille colat Dominum qui nescit Olympi.
Vane puer nimium Præses seduceris inquit
Et doleo, nam pulchra tibi nunc suppetit ætas,
Et primos teneris ostentat floribus annos
Nec poteris pœnas penitus perferre paratas,
Feruet enim crudo virtus in pectore magna,
Feruida sed languet bellis audacia cœptis,

Flectere,

Digitized by Google

A Flectere, frange fidem, facilis fuga, fotre furoris
Supplicium nostri; Dominumque Deumque negando
Offer sacra Diis incensa porentibus, hoc est,
Quod iubet Augustus, quo facto liber abibis,
Fulrus amicitia: reddit cui talia Mammes
Iam cessa sperare miser mea vota reflecti,
Et pro te potius tandem doluisse memento.
Atque annoa deflere tuos, me desine flere,
Cui Dominus protector adest: volo protinus, inquit
Præses vt ipse negea, quem dicis iure colendum.
Non nego, sanctua ait, Dominum, tormenta parari
Cuncta iube, tolerabo libens pro nomine Christi,
Inflammar magnis vehemens feruoribus ira
Pectua Alexandri miserum, iubet alrius ergo
Sanctum suspendi, tormentisque actibus amens
Pulsat vtrumque latus; dum carpltur vnguibus vocis.

B
XII.

Nullum dat Mammes vocem de more dolentum,
Nondum Præses ait, sensisti saxee plagas?
Dure nec humanos iuuenili in corpore sensus
Error habere sinit; Mammes ad sidera lætus
Intuitum vertens, grates persoluimus, inquit,
Terrarum cœlique Deo, quia non magis ipse
Intus adhue sensi, mentis securus in arce
Crudeles quam te pœnæ retigere sedentem.
O pia Sanctorum miris patientia, vincena
Aspera cuncta modis, cœlestia mente petentes
Contemnunt carnem memori vel cernere visu
Sic perdunt vitam, vita sine fine reperta.
Est leue momentoque volans, fugit ocius omne
Quod tolerant, acuit spes muneris ardor amoris
Immensumque suia cœlestis gloria pondus
Mercedis tribuit, quid pœnum in prælia semper
Tyronem miraris, haber sua præmia victor,
C Pro regno pugnat, regnana post bella quiescit.

XIII.

Præses vt inuictum sensit per vulnera Mammem
Obnixis durare animis, nec velle reflecti
Ad mundi ridentis opem, iam funditus, inquit
Interiora viri manibus pulsentur obuncis
Vt tandem cesset magicis confidere vanis,
Et saltem nolens, vestigia nostra sequatur.
Mammes sidereo figens sua lumina cœlo
Spe meliore metum pœnatum liber abegit.
Credo tenens quod Christus ait non esse timendos
Corpora qui perimunt, communi obnoxia morti.
Victuras sine fine animas, quia perdere nullis
Suppliciia possunt, Ergo dum talia Mammes
Perpetitur, tractu cœli vox missa cucurrit.
Nunc opus, ô Mammes, animis, nunc pectore forti,
Confortare, prope est victoria, plena corona
D Vrere duritia miles inuicte virili.
Hanc vocem quidam sanctis e fratribus almo
Auditu excipiunt, & pleno pectore gaudent,
Ast alios qui nulla sacri solamina dicti
Percepere, metus pariter mœrorque premebant.

XIV,

Postquam illa Iudex animatum voce furentes
Carnificum tolerare manus & spernere Mammem
Vidit, ab incepto mutatus, iussit ab alto
Deponi totaque strui virtute caminum.
Vt quem non flexit ferus vnguibua igne perurat.
Demens, qui magnam regnare in pectore flammam
Sanctorum ignorans ignes adhibere caducos
Non timuit, cum restingui non ignis ab igne,
Sed magis augeri soleat; nec fortibus vndis
Sanctorum flammas, superari posse beatas,
Testis adest scriptura sacro quæ prædicat ore
Quod multis non possit aquis pius ardor amoris
Extingui. Tormenta parat dum talia miles. E
Præses ab inferno pulsatua iudice iussis
Obuia iussa ferens Mammem iubet inde beatum
Carceris extremi gremio, tenebrisque ligari,
Ipse magis tenebris, cæca & caligine pressus
Qui Domino ductore catena petit exteriores,
Quis flens stridorque manent, sine luce tenebras,
At sanctia mundus carcer, quo soluitt ot:r
Se Psalmista, domum paradisi lætus vt intret.

XV.

Sanctus in angusti perductus carceris antrum,
Repperit inclusos vario pro crimine duta
Sorte quater denos, mox primo in limine fixis
Ad Dominum genibus, fundebat talia Mammes,
Omnipotens immense Deus, quem denique nostrl
Dilexere patres, quia tu miseratus amasti,
Exaudi quas fundo preces, nec linquere memet. F
Auxiliis qui viuo tuis, dignare creator
Protinus inclusi pecepto nomine Mammia
Ad plantas voluere sacras sua corpora passim,
A quibus vt Mammes quid vellent voce reposcit.
Audiit esuriem, langnentum cuncta per ossa
Iam rabiem traxisse suam, nutare subactis
Viribus incessum, linguæque retundier vsum.
Hæc inter patulam penetrare columba fenestram
Visa serena mellis, niuei quoque munera lactis
Vox simul increpuit, tibi mittitur, accipe Mammes
Dulcius hoc donum preciosis sumito cunctis.
Accipiens Mammea manibus sacra dona supinis
Mandit, & adiunctam satiat benedictio turbam,
Vt panes, quos forte puer portanerat vnus,
Quamque dedit Dominus quondam per millia quinque.
Sic quod portat auis, Mammæ sub honore beati,
Hanc turbam satiate valet, hæc munera sanctum
Trina decent, qui felle catens, dulcedine vitæ
Cælestis iucundus erat, cui trina potestas,
Vira, fides, virtua, dilectio, spes, via, palma. G

XVI.

Iam mediæ cum noctis iter labentia cælo
Sidera signarent, subito sublata ferarum
Claustra, viam tribuunt cunctia, quos carcer habebat,
Iamque fugam celerant miseri, solumque relinquunt
Conuiuam sub nocte suum, timor indicat ergo
Hos tolerasse reos, illum sub crimine nullo,
Sed tantum virtute animi, per prælia regem
Velle sequi proprium, palmamque subire quieris.
Præsea vt explosas audiuit carceris vmbras,
Effugisse reos, solumque residere Mammem,
Custodi iubet accito sibi sistere sanctum;
Adductumque affatur ira; hæc datur optio Mammes,
Sola tibi, veniam cunctorum præsto malorum
Si tantum puro Dominus sermone negetur,
Quem verbo vitaque Deum colis, asseris, oras. H
Sanctus ait, prolata semel sententia stabit.
Præses, ait, libate Diis tibi vane necesse est.
Mammes, cesset, ait, Christum colo, iussio vana.
Iudex, vincet, ait feruens tua dicta caminus.
Eia age quæque placet tandem tormenta parato;
Mammes lætus ait; Iudex cui talia reddit,
Artibus vt semper magicis contemnis & ignes,
Sacrifica, fer dona Diis, da munera templis,
Dic, inquit, Mammes, censes quibus esse litandum
Ita licet dare verba veret, tamen hæc quoque Præses.
Alcides votis, magnusque colatur Apollo,
Proles sancta Iouis. Tum Mammes protinus infit;
Conueniunt tua dicta tuis erroribus ergo,
Perditio quod Apollo sonat, vastate colendum,
Non saluare animas, sæuo solet igne tenendas
His simul auditis irato pectore Iudex
Triste Dionysio, Satanæ, Zosimoque ministris
Mandat opus sanctumque iubet cruciare camini

Ignibus, vt totas confundat flamma fauillas.

XVII.

Cumque Dei miles perductus ad ora camini
Cerneret officium pœnas sudare parando
Visibus æthereum totis suspexit Olympum.
Hæc sacra dicta pio supplex de pectore fundens,
O patrum nosterque timor, tua iussa tenendo,
Te propter parior furibundi iudicis iras,
Exaudi quas fundo preces, patientia nostram
Dirigat alma viam, virtus simul ignis hebescat,
Integer & Mammes vincat tormenta Tyranni
Lucis vt ignavi capiant manifesta patenter
Virtutis documenta tuæ, te vincere solum
Posseque cuncta sciant sancto tuum nomine Christi,
Munitus, signoque crucis per singula facto,
Haud trepidat flammæ medios intrare per æstus
Protinus ingresso cessit vis tota caloris,
Ignis, & extinctis cœpit rarescere prunis.
Conspecta nouitate, pio fert talia Mammes
Ore, pater rerum tibi reddimos optime grates,
Nos quia non aliter dignatus visere saluas,
Quam quondam pueros Babylonia sacra fideli.
Pectore temnentes, medio fornacis honorem
Concelebrare tuum, saluator tore dedisti.
Mammes namque tuus, non sentiris ignibus ignes,

XVIII.

Tertia prætetea dum cælum aorora teneret,
Solis & impigri conscenderet ardua currus
Ne qua sepulturæ cineris superesse vel ossum
Igne minuta queant, reparato multa * fauore
Ligna iubet præses, consumptis addere flammis
Arida terrificis crepitant incendia tectis
Murmure de magno, fumus volat ater ad auras.
Nec mora pulchra cito dimissa columba natata
De cœlo venit, flammas secreuit, & omne
Ignis onus, cameræ curuati more peregit,
Nec longum restincta rogi violentia cessit
At post quinque dies Iudex si corporis vllæ
Scire volens tanto restarent igne fauillæ
Fornacem reserare iubet, tum plurima turba
Militibus permixta volat, mirabile dictu,
Auribus appositis, intos sensere loquentem
Psallentemque Deo laudes gratesque ferentem
Forsitan hæc sanctis Mammes permiscuit odis,
Fecisti nos magne Deus transire per ignes
Eluminaque, & reddis post omnia dura quietem
Attoniti, properata premunt vestigia retro
Iudicis hæc rabido portantes dicta furori.
Hic homo non Magus est, Præses crede optime nobis,
Sed potius virtute Dei, non carmine vincens
Sæuitiæ tormenta tuæ, quem sedulus orat
Sub Christo saluante valet. Sed præses, vt audit
Non ignes tetigisse virum; nunc arbitror, inquit,
Nos magicos superare dolos, miles tamen ibis
Adducesque virum: non me viuente receder
Sanus & incolumis, pœnis vincetur amaris.

XIX.

Miles vt iogentis reserauerat ora camini
Angelicos astare choros, & cingere Mammem,
Suauiter in media vidit fornace sedentem,
Virtutemque humili trinam prece rite vocantem
Laudibus intentum Domini, sancto agmine septum,
Christolæ pariter testes virtutis habendi
Hoc etiam speculantur opus, procede, vocat te,
Miles ait. Mamma, præses, te cernere quærit;
Quo iussam carpenre viam petiere supernas
Fulgida continuo sanctorum milia sedes.
Quis dubitabit enim ciues pro ciue beatos
Aduenisse suo solatia sancta ferentes.
Hunc ad certa suæ properantem præmia palmæ E
Non linquunt, sed stare monent occultius ipsum,
Victorem sancti ducant vt * ardua ciues.
Præses vt astantem sæua ad prætoria Mammem
Conspicit, his mentem pulsat sermonibus almam,
Quid magicæ tantum artis opus per singula posse
Cernitur; vt flammæ vires hac fraude perirent,
Sic ignes, sic nostra tibi tormenta videntur
Contemnenda? feras ouper quibus artibus, edic,
Legibus à propriis aliena ad fata vocasses,
Idem hæc error agit, fraudesque videntur eædem,
Te tantus fragilem quicquam ne læderet ignis,
Has arte dic sponte tua, tum liber abibis.
Nomen ait, Christi, Mammes, mihi talia magnæ
Virtutis documenta dedit; neque vana docebat
Vlla superstitio, paui syluestria iussu
Quæ venere Dei, meme que secuta tonantem
Vocibus in propriis mecum laudare solebant.
Hæc Mammem fecisse scias. Iam plurima cesset F
Verborum iactura velim, veracia tandem,
Præses ait, proferre stude, si fidere vanis
Indubitanter habes, habeo quoque vincere pœnis
Conatus decepte tuos, iam detege demens
Qua ratione feras, qua tantum viceris ignem.
Non, inquit, magicas didici, vel profero fraudes,
Sed natum coluisse Dei, de nomine cuius
Nomen habens vitam tali pro rege paciscar.
Præsidis ita feras, inquit, promitto paratas
Humano gaudere solent quæ sanguine semper,
His dulcem te ferre volo velociter escam.
Nun terremur, ait Mammes, immitte, feremus.

XX.

Hæc vbi dicta vocat iudex de more ministros
Venandi quos cura ligat, perniciter, aiens,
Ite, parate feras, quas nostis habere cruentos
Atrocesque animos, perimant ne corpora tantum, G
De Præda sed habere cibos videantur amatos:
Qui dum deinde cauo consideret amphitheatro
Adducunt Mammem, dimittitur vrsa nouellæ
Sæuitiæ mentita minas, quæ carcere postquam
Processit caueæ, cælique nitore potita est,
Mammam læta quidem, prædæque petebat amore
Sæuitiæ memor antiquæ, tamen inscia rerum.
Iam metas emensa viæ stupet ora beati
Conspectumque viri. Nam quod temeraria venit
Excusat prostrata solo, veneranter adorans
Bestia, quem tantis hominum dementia damnat.
Post pardum laxare iubet, fera concita Mammem
Obsequium latura petit, collumque beati
Martyris amplectens, vlnis præmollibus ambit,
Sudoremque sacri detergit corporis, ergo
Seruitio deuota fouet, quem sternere iussa est.
Possumos hinc etiam meritum perpendere sancti,
Nam dum primus homo domino plasmante, creatus
Staret imago Dei, peccati & criminis expers, H
Illa potestatis gaudens insignia primæ
Percepit donante Deo, quo cuncta creata
Orbis in obsequio solus subiecta teneret.
Postquam colla animo subrexit dura superbo
Deseruitque Deum, Domini noo seruus haberi
Sed magis ipse volens dominatum indigous adire,
Hinc conlata prius cœpit fugitare potestas
Cunctorum, qui nuper erat sublimis honore
A cunctis patitur iam factus apostata pœnas
Hanc sancti pestem primi fugere parentis
Atque humili virtute animi, medicamine Christi
Suscepto, primi meruere insignia Iuris.

XXI.

Vt Mammem nullo violari vulnere Iudex
Conspicit. Ite viri totis conatibus, inquit,
Lustrentur montes, siluis sint retia totis

A Vallibus insidiæ, cunctas peragrate latebras,
Egregium donec fistaris in vrbe leonem
Qui vires animis acuat, qui viribus iras,
Qui primo Mammis commisceat ora furore,
Et ne præceptis angustia temporis obsit
En vobis spatium bis denum cedo dierum.
Mox iussis famulantur, eunt, mitique repertum
Robotis alta citi ducunt ad tecta leonem.
Præses adesse feram dictis vt pluribus audit
Inclusam caueis, omne iubet amphitheatrum,
Tertia deinde dies certo dum tempore surgit,
Procedit, monstrumque iubet dimittere sancto.
Dum timefacta manus, dissoluere vincula tardat
Nam leo sæuus erat, descendit montibus altis,
Cui martyr pridem dederat præcepta vocato
Vrbem adiens, omnium læsit sub mœnibus vrbis
Per patulas festiua fores spectacula luctum
Non risum laturus adit, mox ora beati
B Intuitus Mammæ, voce, mirabile dictu,
Induit humanam, primumque his vocibus vsus.
Salue cultor ait summi venerande Tonantis;
O natura hominis sancto spiramine plena
Plena simul meritis vitæ, tibi denique iussu
Cogimur angelico, naturæ munera contra
Humanos proferre sonos, seruitur honori
O pastor dilecte tuo: nam quod minus ipsa
Dat natura, fides iisdem tua magna meretur.
Tu pastor, tibi nos æquum seruire libenter.
Miremur virtutis opus, doleamus iniqua
Facta hominum, laudat brutus benefacta magistri
Concesso sermone leo, meritisque fatetur
Hunc sancti venisse viri, doctoris amore
Non turbas, non arma timet, seruire paratus
Exitium tolerare cupit: nos omnia contra
Vltro doctorum miseri benefacta silemus,
Fingere falsa libet, ferimus vel facta libenter
Scire quidem volumus, sed plus nimisse laborem
C Quam doctoris opem, probris lacerare magistros
Iam pauci metuunt, multi non frangere partas
Sed struere insidias, polluto pectore gaudent,
Hos canibus poteisque pares sententia Christi
Sancta vocans, iubet his fraudare nitela. *

XXII.

* Versus omissus. Postquam verba leo volitantia fine peregit
Ostia cuncta loci claudunrur, cœlitus arta
Obice, ne facilis miseros fuga demere posset
Quin omnes vnum paterentur sæuius hostem.
Protinus horribili prosternere cuncta furore
Ingreditur, tinguitque hominum rabida ora cruore
Dentibus hos lacerat, sæuis secat vnguibus illos,
Impulit hos currens, casuque peremit amato.
Illos morte timor subita prosternit inertes
Casibus & variis, pariter gentilibus instat,
Iudæosque premit, prostratis omnibus ergo
D Solus ab exitio Præses, paucique ministri
Mammetis iussu, dilata morte feruntur
Immunes, optata viro ne passio desit,
Ipse parat vitam tormenta parantibus, ipse
Palmam morte petit, Iudex, vt crimina nondum
Finem habeant, viuit, numerum quis scite cadentum
Milia vel valeat passim cum frustra per omnes
Sunt dispersa gradus? longe ceruice reuulsum
Rore caput rubeo commixta strage natabat.
Abscissas aliena manus ad corpora iungi
Cernere erat, truncos gemino sine poplite ferri,
Cunctàque membra loco vel cæsa carere priori,
Saucia vel remanere suo, tantusque repente
Sanguis ad indicium facti terroris ab oris
Cædis iit plenis, vt flumen abire putares
Litoribus, veluti, summis cum montibus ingens
Grando cadit, mixtisque simul tonat imbribus æther,
Tum collecta imas descendunt flumina valles
Saxa trahunt, syluasque ferunt, totàque vagantur.

Planicie agrorum, gemitus dat rusticus imo E
Pectore, non aliter cæsorum membra feruntur
Sanguine rapta suo, plebis spectacula, talem
Finem habuere malæ. Mammes vocat inde leonem,
Et mandat propriis, celerem se condere lustris.

XXIII.

Præsidiis ita tamen, tali nec vulnere plebis
Tacta capit requiem, verum ne euadere possit,
Induratur adhuc, Mammemque furore vocatum
Alloquitur prisco, Mammes libamina diuis
Aut deuota dabis, pœna aut moriere cruenta.
Respondet Martyr, miror te dæmoniorum
Participem, tentare Dei post talia seruum.
Nam Dominum cognosco meum, qui linquere memet
Nunquam credo volet, vos contra vindice flamma
Quos facit impietas Dominum sceleros negare F
Quique Deos colitis, ligni lapidisue metallo
Quos manus artificum vano compegit honore,
Damnabit, stringetque reos sententia mortis.
Præses vt irato percepit talia sensu
Noris, ait, nostro retineri iure leonem
Sæuior ille tuas discindet frustole carnes,
Si mea iussa animo ducas temnenda superbo.
Ne dubita, vinceris enim; tum talia Mammes,
Quæ facienda putas, tandem fecisse licebit.
Si modo quod memoras celeri compleueris actu,
Continuo stadium Præses petit, & iubet illum
Qui mitæ virtutis erat, laxare leonem
Quem dudum spatio iussit quæsisse dierum
Viginti, captumque sibi iam credidit esse
Vincendi auspicium. Mammes fera iussa vomentem
Increpat, & dictis miserum mordacibus vrget,
Im[illegible], saue, miser, maledicte, insane, profane.
Iussi patris satanæ sequens, quæ mente maligna
Sunt facienda tibi, tenet vincemus & illum. G
H[illegible] dicit s[illegible] magno mittum clamore leonem,
Prot[illegible] adueniens sanctum fera, vt alta tuentem
D[illegible]enique Deo laudes meditamine forti
P[illegible], pedibus supplex prostrata, beatis
L[illegible] plantas, veniam pro crimine poscens,
V[illegible] referr, contra præcepta Tonantis.
C[illegible], ratio, sapientia, nulla voluntas
Pr[illegible] potest, frustra tormenta parantur
Præses, vbi Mammem Domini pia dextera texit.

XXIV.

Ista videns populus fremitu [illegible]
M[illegible] H
H[illegible]tur, pœnas inimico a sanguine sumant,
E[illegible] toll[illegible].
C[illegible] ad lapid[illegible]
Oppositas impete moras, ac grando sine imbre
S[illegible] volant, [illegible] facto.
Gaudentes abeunt, sese vicisse putantes
Sed potius victos rerum docet exitus ipsius.
Nil nocuere quidem tanto sub turbine Mammem,
Se vero æternis damnarant crimine pœnis.
Post modicum Mammes, vt facta silentia circum
Sensit, ab aggesto surgens illæsus aceruo,
Discedit, laudes Domino, gratesque frequentans,

XXV.

Pergentí, [illegible] demissa per aera venit
Vo[illegible], ascende virum sanctissime Mammes.
I[illegible] paradisi & cl[illegible] patenti
F[illegible] gremio, gaudet te Christus adire,
Qui[illegible] tandem meruisse coronam.
Iam propera, sanctus quem flatus vbique gubernat.
Ang[illegible] cernes multo certamine ciues.
Hic [illegible] laudans, orat mox talia Mammes.
Hæc illis dimitte precor, nec reddere Iudex,

A Quæ fecere mihi, districto examine quætas,
Talia qui mandas, exaudi talia clemens
Atque animam permitte meam cum pace reuetti,
Ad requiem quandoque suam, post prælia mundi,
Dixit & ætheriam conscendit spiritus aulam
Liber in æterno semper mansurus honore.
At somnus sanctæ conclosit lumina carnis.
Semina quæ lacrimis Mammes infusa ferebat
Messuit hic fructu gaudens, qui flebat eundo
Fert veniens plenos lætus mercede manipios.
Iam quia Mammetis vitam finemque beati,
Deformi sermone licet, tameo ordine quodaio
Clausimus, ad laudis cumulum licet addere quædam
Dona quibus Domini, serui quoque facta fidelis
Narrentur, mercesque humili sit plena Poetæ
Munera de proprio sacræ superaddere laudis
Quem non sanctorum Mammes pietate fideque
moribus & signis, nec non certamine forti
B Æquiparet? sanctos cuius tibi vita priores
Sancta repræsentat, cunctorum facta resignans.
Simplicitas primi semper pastoris in illo
Longeui pia vita Enoch, perfectio Noe
Loth facta sedulitas, Abraham credula virtus
Isaac cautela patris benedictio Iacob,
Cunsilium Ioseph, sancti sapientia Moysi,
Gratia tum Samuel, patientia fertilis Iob,
Pax Idida magni, dilectio mutua Dauid.
Ardor Apostolicus, feruorque Propheticus æque
Quodque suum tenuere locum; miracula vero
Tam manifesta dedit, quam sunt duo lumina mundi,
Ex quibus ad tanti laudem famamque patroni
Quædam pauca libet, * verum componere gestis,
Vt liquido agnoscas cunctorum dote piorum
Hunc nituisse virum; prior in deserta vocatus
Est populus, legemque Deo donante receptans
Pellibus & tabulis tentoria sacra parauit.
Sic Mammes deserta petens, dum construit ædem,
C Domum Euangelici meruit venerabile libri.
Huic instar Salomonis amet quodcumque petendum
Cælitus annuitur; Mammem sacra dicta legentem.
Attonitæ stupuere feræ, mirabile dantes
Doctori obsequium; Samsoni ex ore leonis
Vt dulcedo data est; propriis in mœnibus hostes
Helisei sectator alit; quod agrestia parent
Tam tritum est sanctis, vt non sit ferre necesse,
Nec mirum quod stulta magum sententia dixit,
Belzebub Dominum si gens Iudæa vocauit,
Cumque tribus pueris, mundi simul idola temnens,
Clauditur ignicremis flamma feruente caminis.
Verbera cum Paulo tolerat; sectatur vtrosque
In pœnis, itidem vincens sectatur vtrosque
Vnguibus hic fossus, serris est tortus Esaias.
Heliam corui, Mammem pauere columbæ,
Vt Ionas cæto viuus sorbente repertus,
Sic Mammem seruare feræ, non lædere possunt,
Opprobrium Helisei geminis deletur ab vrsis
D Et leo Mammetis strauit sæuissimus hostes.
Vt bruti Dominus linguam reserauit aselli.
Ne populi exitium vates tractaret iniquus,
Humana sic voce leo Mammetis honorem
Prædicat, vt tali saltem Doctore eruentus
Resipiat index lapidum quoque grandine pressus,
Cum Paulo, Stephanoque Deum pro talibus orat.
Exemplum morientis habens, in corpore Iesv.
His aliisque Dei clarissima dona ministrans,
Ad regnum cæli, sanctis per sæcla paratum
Omnibus, æterna tandem pietate vocatus,
Pace Dei fruitur summa, sine fine beatus
Illic sancte tui Mammes memor esto Poëtæ
Augia quem fœlix Strabonem nomine nutrit.

Explicit passio sancti Mamma Martyris.

IN NATALEM S. MAMMETIS
Hymnus eiusdem Strabonis.

E Laudem Beati Martyris
Ad Trinitatis gloriam
Sanctæ canamus supplices
Quæ dat coronam testibus.
Aduersa mundi pertulit, (:)
Calcauit eius prospera.
Mammes Tonanti reddidit
Quod pro reis hic passus est.
Virtute, vita, moribus,
Sermone iucundissimus
In charitatis gratia
Semper manens ditissimus.
F Spernens opes cum casibus
Mundi, supernis institit.
Liber caducis exiit, (:)
Nil ambiens ex infimis,
Miris domans immitia
Illisque promens mystica.
Viuebat inter bestias
Quo ciue gaudent Angeli.
Adiutus armis spiritus
Vicit furores Principum
Sæui draconis conterens
Sacris caput conatibus.
Magoi fauor præconij
Debetur isti Martyti,
Cui Christus esset viuere,
Lucrum resolui maximum.
Mansit fides in pectore (:)
Spes mente felix, integra
His maior illum charitas
Intus foris possederat.
G Exultet omnis supplicum
Cætus sereno gaudio
Huius patris suffragia
Pronis rogando cordibus.
Te Martyr ergo quæsumus.
Mammes fave poscentibus
Sacro precatu protege,
Quos instruis certamine.
Impende curam dapsilis (:)
Aufer malum placabilis,
Confer boni solatia
Vitæ parando præmio.
Sit Trinitati gloria,
Virtus, honor, per sæcula
Quæ nos Beatis Martyrum
Semper iuuet suffragiis, Amen.

VERSVS D.E BEATI BLAITMAIC
vita & fine.

H SI tantam meruere suo pro carmine famam
Qui sceleratorum mores & facta tulerunt.
Laudibua in cælum perfusi dæmonis arte,
Friuola nectentes hominum monimenta malorum:
Cur non liberius sanctorum facta canamus,
Quos placuisse Deo nobis miracula produnt.
Quæ fidei virtute gerunt per munera Christi.
Nam scriptura canit, Domino spondente, pusillis,
Os aperite tuum studeas, ego verba ministro
Qua propter venerande pater, charissime Felix
Præceptis parere tuis ex corde paratus
Strabus ego, misit quem terra Alamannica natu,
Scribere disposui de vita & fine beati
Blaithmaic, genuit quem diues Hibernia mundo,
Martyriique sequens misit perfectio cœlo.
Ipsius vt meriris veniam per sæcla capessam.
Regali de stirpe satus summumque decorem

A Nobilitatis habens, florebat regius hæres
Iste Dei sanctus, vitam ducendo pudicam,
Quodque solet raro factum & non sæpe videri;
Quanto maior erat, tanto deiectior ibat
Spes patriæ, fortuna patris, Rex ille futurus,
Iudicio iustus, prudens & corpore castus,
Sobrius, ornatus, iocundus, cautus, honestus,
Nobilis in genere egregio, generosior actu,
Obsequio locuples, melius virtutibus auctus.
Tractabat laicus, quod Clericos efficiebat.
Cuius honorandum nomen sermone Latino
Pulcher natus adest, meritoque probabilis illo
Nomine dignus erat, patrem qui cunctipotentem
Elegit pulchroque Deum quæsiuit amore
Sordebant terrena animo diuina petenti,
Secretumque latens in solo pectore mansit,
Donec ad effectum processit sancta voluntas.
Cœnobium furtim quoddam sine teste petebat,
B Quique fuit pridem patriæ per regmina Princeps,
Nomine pro Christi est factus tunc verna minoris,
Fascibus in mediis qui quondam terruit omnes
Omnibus admissis sibimet sine milite seruit.
Fama vt forte volans patris peruenit ad aures,
Hinc stupor atque dolor mentem cinxere parentis
Subtractum dolet hæredem mittitque senatum
Agmina, Prætores, populum, præcepta, maniplos,
Duxque Comesque ibant, properanter Episcopus astat,
Abbatumque cohors, vicini carne propinqui
Hoc solum nitente manu, si qualibet arte
Efficerent reducem vitata pericula mentem
Corde subire alio, ô talis, quam cæca voluntas,
Ille procellarum se vix de gurgite dempsit
Quæsitoque diu titubans stetit anchora portu
Nondum curatum potuit laxasse rudentes,
Nec terra fixisse pedem, cum concita ventis
Aura pharetratis impegit ab æquore puppim,
Vique sua tremulam dissolueret vnda carinam;
C Ni regeret proram, qui sæcula cuncta gubernat,
Mox miro à cunctis semper complexus amore,
Cunctorum studuit fieri dicique minister.
Mente humilis, linguæ custos, & norma bonorum,
Verba Dei capiens sitienti corde libenter
Discendi studiosa gerens præcordia libris.
Perdidicit diuina animo documenta sagaci
Sicque vigens doctrinarum morumque nitore
Agmina multorum rexit veneranda virorum.
Exemplis sua dicta probans, vanosque fauores
Pro nihilo ducens, cui laus & gloria solum
Christus erat, Christus sermo, Christus documentum;
Pax, clypeus, lorica, preces, patientia, bellum,
Mucro Dei Verbum, spes & dilectio totum,
Nulli detraxit, nulli conuitia struxit,
Singula quid fari per singula verba necesse est?
Cum quidquid legitur virtutum rite teneret.
Et quidquid vitij monstrat scriptura caueret,
Omnibus existens feliciter omnia factus,
D Vt cunctos faceret Christo sua lucra referre,
Vtilis & prudens seruus per ouilia Christi,
Tempore qui certo mensuram farris opimi
Conseruis tribuens radiauit vbique fidelis:
Vtque nihil meriti nihil & probitatis abesset,
Martyrij palmam quæsiuit mente benigna,
Sæpius hac causa peregrinas visere terras
Nisus, ab incepto populo retrahente quieuit,
Vnde animo sedit fugitiuo calle parumper
Optatam iterare viam cum discipulorum
Agmine non multo preciosa monilia secum
Virtutum sub mole gerens, ruptisque tenebris
Nocte fugam capiens properanter abire parabat,
Ecce superueniens fugitiuus turba sequentum,
Ad caulas capto retrahit pastore bidentes.
Hoc quoque non taceam sanctus quod spiritus illi
More Prophetarum rerum secreta ferebat;
Nam dum fama patrem longe lateque beati
Ipsius ad superos vita fugiente volasse
Proderet, exposuit non esse sed esse futurum. E
Post modicum tempus sancto Spiramine doctus.
Insula pictorum quædam monstratur in oris
Fluctiuago suspensa salo, cognominis Eo
Qua sanctus Domini requiescit carne Columba;
Hanc petiit voto patiendi stigmata Christi
Illic namque frequens pagana caterua Danorum
Aduentare solet furiis armata malignis.
Sed sanctus Domini tales tentare leones
Disponens animo vana formidine mentem
Exuit & clypeo fidei galeaque salutis
Munitus, hominum non horruit arma malorum.
Qui cum doctiloquo potuit cecinisse propheta
Est Deus adiutor mihimet, timor improbus absit.
Iam quoque doctus erat per publica bella ministros
Temnere dæmonicos, ipsum qui rite Tyrannum
Strauerat & cunctis solus superauit in armis.
Tempus erat quo magna Dei clementia seruum
Consociare suum nitidis super astra maniplia F
Disposuit, certamque bono conferre coronam
Victori, cum sancta viri mens præscia rerum
Venturos properare lupos, vt membra piarum
Diuiderent ouium, sensu prænosceret alto.
Vos, ait, ô socij vobiscum mente sagaci
Quærite, si pœnas Christi pro nomine vobis
Sit tolerare animus mecum quicumque potestis
Exspectare, precor sensus armare viriles,
At quibus infirmi pauitant penetralia cordis
Ecce fugam celerent, vt parta pericula vitent,
Ad meliora suos armantes vota lacertos,
Proxima stat nobis certæ tentatio mortis
Firma fides vigilet rebus suspensa futuris
Cauta minus fortes seruet tutela fugatum.
His dictis compuncta cohors, quod posse videbat
Hoc animo statuit, quidam sub pectore firmo,
Sacrilegas spectare manus gladio * furenti
Supposuisse caput gaudebant mente serena,
Ast alij quibus hoc nondum fiducia mentis G
Persuasit per nota fugam loca calle capescunt.
Aurea discutiens tenebras aurora madentes
Claruit & nitidus pulchro Sol orbe refulsit.
Cum sacer hic doctor Missarum sancta celebrans
Officia ante sacram vitulus stetit integer aram,
Hostia grata Deo mucrone litanda minaci
Cætera turba iacet, lacrimis precibusque Tonanti
Commendans animas de pondere carnis ituras.
Ecce furens maledicta cohors per aperta ruebat
Tecta viris minitando pericula sæua beatis
& reliquis rabida sociis feritate peremptis,
Ad sanctum venere patrem, preriosa metalla
Reddere cogentes, queis sancti sancta Columbæ
Ossa iacent, quam quippe suis de sedibus arcam
Tollentes tumulo terra posuere cauato,
Cespite sub denso gnaris iam pestis iniquæ.
Hanc quædam cupiere Dani, sed sanctus inermi
*Restitit manu firmo conamine mentis * loc. corrup.
Contra stare aciem pugnamque lacessere doctus H
Cedere dissuetus tibi talia barbare dicta
Ingerit ignoro penitus quod quæritis aurum
Quo sit humi positum, tectum quibus atque latebris,
Quod si scire mihi, Christo admittente liceret,
Nunquam nostra tuis hoc auribus ora referrent.
Barbare due gladios, capulum cape, iamque trucida
Auxilio Deus alme humilem commendo tuo me.
Hinc pia truncatis discerpitur hostia membris,
Quodque ferox miles censu pensare nequibat
Rimari in gelidis cœpit per vulnera fibris.
Nec mirum nam semper erant, semperque resurgunt,
Quos furor in famulos Domini malus excitet omnes
Vt quod pro cunctis Christi censura peregit,
Cuncti hoc pro Christo faciant, licet impare facto.
Ille igitur Christi factus pro nomine Martyr,
Testis, fert vt fama, loco requiescit eodem,
Multa vbi pro meritis dantur miracula sanctis,
Quo colitur Dominus digno veneranter honore,

A Cum ſanctis, quorum meritis mea crimina ſolui
Credo quibus laudum ſupplex donaria miſi,
Nil negat his Chriſtus, cui maxima lucra tulerunt.
Qui cum Patre pio, ſanctoque in ſæcula Flatu,
Regnat & æterno pollet ſine fine decore.

DOMINO PATRI, VEREQVE Felici, & puriſſima Sinceritate venerando Grimaldo Cappellano, Strabus VValafridus æternæ beatitudinis in Saluatore mundi ſalutem.

EX quo, pater beatiſſime, familiari quadam pietate exiguitatem meam dignati eſtis agnoſcere, ſedulo te-
B *naci memoria amplexabar, cuius præſentiam ſummo*
ardore ſitiebam, ſicut & hactenus ago. Licet enim longa in-
tericcta telluris ſpatia ſequeſtrent, vaſti montium & ſaltuum
diriment anfractus, animo tamen ſpiritali igne æſtuans
quatenus abſens aſſidue veſtros quaſi quoddam ſpeculum in-
tueor obtutus. Denique iuſſu Adalgiſi venerandi patris in
Domino, viſionem V Vetini propinqui veſtri, quam beatus
pater Hetto vrbana facundia, melliflluis floribus adornans,
proſaicis verbis doctiſſime compoſuit, verſibus hexametris
ſortim exemplare coactus ſum. Ideo nulli hoc, vt placeat,
exhibeo, tantum illius voluntati ſatisfeci, & maior erat
obedientia quam facultas. Sciebam etenim quia qui ſpiri-
talibus viris obtemperat, numquam errat. Et ſi in pedum
menſuris & ſynalœpharum poſitione feſelli, contra nullum
† *f. ramuſculos, vt paulo inferius.* *luctamen inibo quia ad † ramuſculos ſpargendos non egi ſed*
potius ob propoſiti mei conſeruationem. Quippe cui nec ætas
ad talia competit, nec ſcientia ſuppetit. Scintilla quadam
ineſt, & eget fomite.

In hoc autem primitiuo carmine, nec tempus moroſum
C *ad cautelam conceſſum eſt, nec proprij ſermonis habui pote-*
ſtatem. Arbitror autem quod ſi per campos darentur vagan-
di induciæ, quæſiſſem fortaſſe ramuſculos aliquot decerpere
quibus mea ruſticitas aliquantiſper tegeretur. Vnam ita-
que ob cauſam impoſſibilitatem ſuperauit voluntas. Compe-
rimus etenim quoſdã eſſe, qui hoc nil amplius vanis ſomniis
diiudicantes, nec habere aut credere aut audire dignantur.
Hanc autem præſumptionem vt audierint, turgentes aſſu-
ment in manus, auidique vitia, quibus redundat rimantes,
velint nolint, ipſum quod oderunt inuenient, dum quod ſi-
tiunt, quæſierint. Compulſum tamen me ſciant in hoc prorn-
piſſe, & quaſi ſtimulis plerumque impulſum ſcripſiſſe. Sed
propter amorem eius qui hæc vidit, & iſta fieri deſiderauit
& me hac fiducia animauit.

Quapropter beatiſſime pater, quæſo ſanctitatem veſtram,
† *pittacio.* *vt emendare dignemini, quidquid in hoc † pittatio cenſura*
veſtra apptum correctioni, vel a vero diſcordans delibera-
uerit. Neceſſe enim eſt, vt Erlebaldum dominum, & Tatto-
nem præceptorem meum hæc res non pateat quia fas non eſt
D *Monacho ſuum quicquam celare Abbatem. Si itaque conſi-*
derantes nimis nacti fuerint ſordere mendaciis, ſtatim
pungent, non palpabunt. Et vt vereor, qui pene octauum
decimum iam annum tranſegi, dignus verberibus vapula-
bo. Optime enim hac arte, ſicut & in aliis imbuti ſunt.
Sed minus diligunt. Ideo defendere dignemini vilitatem
meam, & huius ſedulæ infirma tueri. Quædam etiam nomi-
na in contextu occultata, qui diligenter inueſtigauerit, iſtis
verſibus impreſſa reperiet. Bene valentem, & Strabi memo-
rem te Deus omnipotens in æterna felicitate conſeruare di-
gnetur ſanctiſſime Pater, Amen.

CHriſte nouum qui Paſcha mihi concedis agendum;
Suſcipe dona precum, laudiſque ſalubria noſtræ
Vota, voluntatem potius quam dona requirens.
Quantum poſſe dabis, tantum ſum velle paratus
Cum tua maieſtas velle atque valere miniſtret.
Te precor alme Deus, pueriles diſiice ludos,
Et fermenta tui placida inſere dogmatis, vt ſit
Blanda mihi dulciſque patris ſententia, cuius E
Iuſſa ſequor: ne, dorſa fero lacerare flagello
Incipiat, carmenque animo reprobare citato.
Non aliunde quidem primum componere carmen
Diſpoſui, quam ſancta ſequens præcepta priorum,
Primitias deferre Deo, cui cordis in ara
Fertur adeps ſanctæ cum laudis odore litatus.
IESV CHRISTE crucis rogo per merita alma ſacratæ
Atque reſurgentis per maxima feſta leonis,
Cuius adeſt hodie feſtum venerabile cunctis.
Vt me digneris vitiis mundare nefandis,
Ne quod voce probo, hoc noſtro damnetur in actu.
Quid loquar vlterius? mundi miſerere redemptor,
Perque poteſtatis numen ſuccurre triformis.

RHenus ab Auſoniis quo ducitur Alpibus, æquor
Miſcet, in occiduis diffuſus partibus, ingens
Illius in medio ſuſpenditur inſula fluctu,
Augia nomen habens, iacet hanc germania circa. F
Hæc ſolet egregias monachorum gignere turmas.
Primus in hac Sanctus conſtruxit mœnia præſul.
Pirminius, terniſque gregem protexerat annis.
Huius quiſque velit ſanctam cognoſcere vitam,
Ipſa ſepulchra petat, ſatis ipſe probabit in Horubach.
Poſtea ſeptenis præſedit curſibus Eto.
Tum ſequitur binis laudandus Geba ſacerdos,
Bina Ermenfredus tum luſtra peregerat Abba,
Sydonius ternis deniſque ibi præfuit annis.
Vicenos binoſque receperat inde Ioannes.
Quinque Petrus ſortitur item venerabilis annos,
Quatuor inde tulit VValdonis luſtra poteſtas.
Tempore ſub quorum iuuenis velut aurea ſurgit
Stella, tenebroſum citius vulganda per orbem
Cœnobium quinquennis enim Inſulanenſe petiuit.
Nec latet vrbs homines in vertice ſtructa leuato
Sed neque ſeſta ſubit modium peregrina volando/
Tanti fama viri regales verberat aures.
Poſt rapitur non ſponte foras de carcere charo G
Et qui liber erat fit libertate ſoluta
Paſtor ouile tuens, cuius pars magna profanis
Actibus inſiſtens Chriſti de valle viauit.
Prouida quippe Dei talem ſapientia patrem
Conſtituit, qui cuncta ſacris ſub legibus arcens
Rure tenus deſtructa nouat, geminamque ruinam
Eleuat, inque Dei varium tranſmutat honorem
Interiora medens, atque exteriora reformans.
Cuius ad ingenium nullus mihi ſermo redundat
Narrandum, quando ſpecialis in orbe refulſit
Doctus in inculis iaciens ſacra ſemina ſulcis,
Largus in auxilio, vita probus, aptus amori
Iuſtus in arbitrio, arte ſagax, perfectior actu,
Quid moror iſta canens, cum poſſim iure fateri
Me neſcire alium, qui compenſetur ad iſtum?
Cogitur interea Monachorum paſtor haberi
Diſcipulus dudum, diſponitur ipſe magiſter
Carceris ipſe fuit cuſtos, quo ſæpe cupiuit
Finitimum expectare diem, tum morte reuicta H
Perpetuaque frui Chriſto donante corona.
vocibus in ſeptem, ſi promat verba palatus
Non erit vlla tamen narrandi cuncta facultas,
In quibus immenſum perfecerit ille laborem,
Quidquid erat Chriſti per ouile, iure regendum,
Fecit, & aſſidua conſtanter pace ſalutem
Chriſticolis ſtatuit, regali munere fultus
Dirigiturque maris trans æquora vaſta profundi
Græcorum ad proceres, ſcopuliſque illiſa carina
Fudit onus, cunctumque virum, ſed Præſul ab vndis
Seque ſuoſque manum Domino præbente recepit.
Nulla maris poſt hæc rabidi diſcrimina paſſus
Sed potius recto curſu ſatiſque ſecundis
Argiuum reſponſa rato tulit ordine Francis
Denique longa tulit poſtquam faſtidia, cœpit
Mente ſubobſcura refugus tractare receſſum
Ordine de tanto, ne captus amore tenendi
Linqueret æternum cui ſemper munus inhæſit.

A Anno igitur decimo Hludouici Cæsaris, atque
Bis cessere nouem illius tunc ordinis anni,
Sexaginta quoque ætatis iam tempora clausit
Morbus in exitium traxit lethale patronum.
Ille dolor dilectus erat, charissima febris,
Mors contempta, fugæ hæc occasio prima patebat,
Venit adoptiuum redeundi in carceris antrum
Tempus vt altetius contemplans ota iubentis,
Quod prius iniunxit, iam tunc seruaret agendo,
Soluitur ex onere, atque sibi subiecta refutar,
Perfruiturque quiete silens feliciter exin.
Fare precor, quicunque velis quæsitor honoris
Quod tibi munus erit, cuius mala fama cerebrum
Turbat & hanc famam durissima pœna sequetur?
Conspicis ecce meum dulci rumore refertum
† Nihilo. Pro † nihil duxisse volans & inane fauoris
Molle decus, multumque viris miserabile iustis
B O ne magna dies damnans inhonoret, honores
Spernite, per normamque sacri resipiscite patris.
Versibus in paucis Hettonis gesta parumper
Depinxi, breuitate tamen maiora potestis
Nosse sub inuidia si mens non vestra grauarat.
Musa soror maiora refert celerique volatu
Pange melos, laudisque facem, generisque latebras
Cuius ab exortu Hettoni traditur hæres,
Est famosa tribus quæ legum docta per artes
Promeruit primo populi sedisse senatu
Iudicioque bonas iusto discernere leges.
Illius è medio surgit generamine proles
Dicitur Erbaldus verso sermone *vir audax*
Post septem denosque petit venerabilis annos
Insulanense solum, sociatur fratribus illis
Atque magisterio Hettonis traditur almi,
Quo monstrante sacris non parua ex parte libellis
Imbuitur, variæque vetant ne traderet artes
Septenas curæ, antiqui quas auribus indunt
Nobilium, namque illa refert scriptura Ioannis
Ante retroque animalia sancta oculata fuisse,
Sensus adest, sic doctus homo ex ratione biformi,
C Ante superna videt, retro terrena, caueatque
Hac ex parte foret ne clauso lumine cæcus.
Mittitur ad quendam socio comitatus ab inde
Cuius multa viret sapientia dogmate Scotum
Quem dixi socium, carmen perquirit abundans
Nam vitam meta & vires in morte triumphat.
Nunc incepta sequar, post pauca parabor ad illud.
Denique post reditum luxit perfectior actus.
Moribus ardor inest, sermone fidelia amor stat,
Fulget in ingenio verax, probus, aptus, honestus,
Norma boni, æqua fides, dilectio sancta sub illo
Innumerisque bonis ortuit, quæ cuncta sub ista
Non possum breuitate sequi, ne audire recuses.
Hæc Hettonis erant postquam iactata per aures
Approbat ipse suo passim moderamine vera
Esse satis, secumque vehit per terga liquentum
Camporum, fluctusque secant, Argosque penetrant,
Diximus vt supra redeuntque Augense sub antrum.
Ergo vbi Hettonis silet argumenta potestas
D Per multa, vlteriusque licet dum ista leuare
Iam precis arte patet, curritque per ora vicissim
Erbaldo debere dari his in mœnibus arcem.
Annuit ipse Deus cunctos qui mente sub vna
Hoc voluisse dedit, pastori mandat alendas
In tellure ferax quæ gaudet fruge bibentes.
Tum perfecta magis Domino seruire voluntas
Incubat, insignemque virum vota optima produnt.
Mentis in occulto quantum prius esse benignus
Vellet in adiecta poteris bonitate probare
Dicam equidem quid in antiquis donasse figuris
Hinc agnosco Deum veteres recolendo Prophetas.
Heliæ successit enim venerabilis ille
Heliseus, vectumque leues affatur in auras;
Spiritus oro tuus mecum duplicetur, at ille.
Grandia nate petis, fiat tamen ipsa voluntas.
Maxima Hettonis niruerunt facta per orbem

Si quid adesse potest, tamen exsuperatur ab isto, E
Qui solita virtute potens pariterque benignus
Virtutum custos, vitiis sæuissimus hostis
Ex ætate fuit puerili ipsam vsque senectam.
Quam pulchre & digne multumque insigniter hæres
Vernat, vterque pater vtraque graduque beatus,
Hic pater ante fuit, modo filius, astat, obaudit
Per natumque regi proprium vult corde paterno.
Filius iste prius ductor patris esse iubetur,
Et tamen intendit, qua se sententia docti
In senioris agat, sequiturque per omnia pacis
Congeries, iungitque gregem concordia præpes
Pastorum, nullumque dolus, nullum ira lacessit,
Res laudanda quidem pacis innata magistria.
Omnipotens vitæ pacis lucisque repertor
Ambobus vitam per sæcula multa ministret.
Spiritus alme veni, nostræque adiungere Musæ
Vnius vt vitam præstanti fine capellam
Perge camœna, virum quem supra, tolle reliqui, F
Nam VVettinus erat celebri rumore magister,
Artibus instructus septem de more priorum
Cui fortuna dedit scholis adnectier illis.
Qui gaudere solet nitida & lasciua iuuentus.
Sed tamen exterius quantum discernere nostrum est
Moribus in castis vitam mediocriter egit,
Laudibus ex hominum multas vulgatus ad auras.
Hic igitur postquam Dominus descendit ab alto
Carnis in hospitium, sexto quater atque peracto,
Octingentesimo rapidis discursibus anno
Vndecimoque pij Ludouici Cæsaris, & dum
Sexies † Octimber declinat quinque diebus † Octo-ber.
Adfuit illa dies quæ septima in ordine constat,
Vt sibi motis erat quendam pro corporis haustum
Prosperitate tulit, quod tunc non solus agebat,
Adduntur socij reliquisque salubriter actis,
ipse noua ingentes patitur grauitate dolores,
Indigesta vomens, dapibusque in corporis vsus
Sumendis fastidit ali, iam venit ab ortu
Prima dies, multusque parum discesserat angor,
Tum reficit non cepta tamen fastidia linquens, G
Nec tractauit in hoc vllum se ferre periclum
Mortis, ad hanc vitam quando cibus ille animauit.
Tertia lux oritur noctisque totam Hesperus adfert,
Colligitur mixtura, virum residetur ad escas
Tum fratri non mensa placet, non pabula prosunt
† Cædo locum, compellor enim feritate doloris † f. Cedo.
Strata videre mea, hæc aliam potiare sub vmbram.
Tolluntur stramenta, aliamque feruntur in ædem
Contiguam cellæ, quam cœnatum ante petiuit.
Ergo vbi membra suo componit languida lecto
Conclusis oculis penitus dormire nequibat,
Spiritus ecce doli foribus processit apertis,
Clericus in specie, frontis lateret fenestræ,
Vt nec signa quidem parui videantur ocelli,
Iam manibus tormenta gerens, capitique propinquaos
Magna sub ardenti complectens gaudia corde,
Cras torqueris ait, meritumque rependitor omne.
O mens orba hominem, quo te deducere cæcum
Experts, & cuius terinentur sidera septem H
In palma, hunc inimicitia auersaris amata
Et cum luce carea tenebris circundaris atris
Ille feroxque, rapaxque, minax, mendaxque, sagaxque
Finibus insidians fundo te tinguit auerni,
At Dominus si ductor erit, transmittit Olympo.
Ille igitur dum tanta minans promittit inermi
Turba cateruatim piceum comitata magistrum
Affluxit totumque locum tetro agmine supplet
Armati velut in bellum curruntque per aulam,
Structuri angustum pœnalis carceris antrum
Nulla relinquentes fugiendi dona pauorem.
Hic locus insinuat Solymæ quod dixit IESVS,
Ecce dies venient, & tu circundata vallo
Laberis vsque solum, gladio mactabitur infans,
Et lapis esse super lapidem hæc strage vetatur.
Vrbs animam; lapides tractatus nempe figurant,

A Vallus in angorem positus dinoscitur esse.
Destructor, nam dæmon erit, destructio finis,
Euenit hoc illi, qui notum spernit IESVM.
His actis timor ora premit, pauor occupat artus,
Spes iam nulla fugit nigram vitare cateruam,
Sed diuina cito aduenit clementia cursu,
Viderat in cella Monachos sedisse nitentes
Forma qoibus radians, habitusque ignotus in armis,
Vnus ait, media quem sors in sede locauit,
Res iniusta patet, fugite his sedibus hostes,
Hic homo sumet adhuc huius compendia vitæ,
His dictis velut in vallem cum lympha minatur
Fertur ab aspectu subitis discessibus agmen
Cessit & anxietas, tandemque decorus in aulam
Angelus ingreditur fulgens in veste rubenti
Gressibus insistens, sermone acclamat amico.
Te dilecta anima hoc momento visere veni.
Talia dicenti recubans sermone Latino
B Subdidit, omnipotens nostris si ignoscere culpis
Dignatur pietatis opus perfectius auget,
Sin alias, pugno concludimur illius omnes,
Impendat quodcumque placet, sequimurque libenter.
Nam prima sancti Patriarchæ fronte statuti,
Inde Prophetarum collectio sancta priorum
Sanctus Apostolici demum globus ordinis omnes,
Hi genus humanum multo vexere labore,
Nunc etiam maiora petit solamina præsens,
Colloquio in medio rumpuntur visa duorum
Nondum verborum, sed visus finis habetur,
Euigilat si quisque sibi quæsiuit, adesset,
Vidit adesse duos, cunctis qui ad strata reuersis,
Forte domum intrabant, quorum tunc vnus in ipso
Cœnobio præpostus erat, meus ipse magister,
Præcipua bonitate vigens & moribus omnes
Præcellens, latitare volens, sed notus vbique,
Reperit hunc aliumque domo consistere fratrem,
Accitisque cauas virtum iaculauit in aures,
C Quidquid in angusto cognouit temporis actu.
Palluit ac timuit, carnisque dolore remoto,
Surgit ab excubitu pronos tellure recumbens,
In patulæque crucis distendens membra figuram,
Iam tota virtute viri, prece posco frequenti,
Inquit adorantes, veniam deposcite nobis,
Intentas formate preces, clementia magna est.
Conspiciunt igitur tanto terrore gementem,
Cantibus insistunt, palmasque in sidera tendunt.
Cantantur septem lacrimarum carmina, nec non
Plurima Psalmorum modulamina firmiter addunt,
Quæ tanta anxietas sibi continuare requirit,
Tunc surrexit humo, lectoque resedit anhelus
Exposcitque legi sibi verba nouissima sancti
Gregorij in scripto quod noscitur illius esse.
Dialogus, quo multa bonis documenta ministris,
Construxit, mortisque situs per multa ferebat,
Grandis in hoc libro perlecta est lectio fratri.
Tunc ait, oro patres componite corpora terræ,
D Atque quiete grauem placida releuate laborem.
Et mihi quod restat spatium concedite noctis
Corpus vt inualidum somno pascatur inani.
Postquam lassa suo prosternunt membra papyro,
Ipseque tam diros animæ carnisque labores
Dum recreare cupit, cœlorum è culmine missus,
Angelus albato vestitu venit amictus,
Assistens capiti, qui visum in veste priorem
Purpureo ostendit, iuxta vestigia stando,
Blandaque dictorum præmittit verba suorum,
Laudat & hoc studium, quod confugisse ad almum,
In precibus Dominum, quod lectio sancta placebat,
Tempore quo grauiter terrens angustia pressit,
Hoc seruabis, ait, nec prætermiseris exhinc
In multa quoque est Psalmus perfectior vnus,
Cui virtus moralis inest, post carmina constant,
Septena atque decem centumque, hunc sæpe reflectes,
Lectio quo legitur, psalmique canuntur aperta
Veracique fide, iucundum munus habetur,
Talis & ad Dominum vtiliter deuotio fumat, E
Atque serenatum hoc placat certamine Christum.
His igitur dictis assumens Angelus idem
Infirmum, duxitque via præcessor amœna.
Dum vadunt, montana vident, quæ sidera tangunt,
Marmoris in specie pulchro commixta colore,
Quæque in circuitu præcingens igneus amnis,
Ambit, inexhaustos tribuens iuttantibus ignes.
In quo multa nimis monstrata est turba reorum,
Inque locis aliis diuersas facta sequentes
Agnouit pœnas, multosque recumbere dudum,
Quos habuit notos, ibi maior & alter in vndis
Ordo Sacerdotum præfixo stipite vinctus,
Terga dedit vinclis, quæ curis carne superbis
Contra quemque sterit, mulier pro crimine stupri
Fomes adulterij est consors pœnalis auerni.
Tertia cum radios semper produxerit aura
Dicuntur cædis genitalibus artubus ambo.
Equibus ille aliquos sese cognosse ferebat. F
Magna Sacerdotum numero pars, Angelus inquit,
Lucra petunt terrena quibusque inhiantur adhærent,
Atque Palatinis pecunia præmis quærunt
Obsequiis, ornantque magis se veste polita
Quam radiis vitæ pomposis fercula mensis
Glorificare parant, animarum lucra relinquunt,
Deliciis ducti per scorta ruendo volutant,
Hac ratione alios, neque se defendere possunt,
Peste fameque inopem possent solarier orbem
Si tota virtute Deo sua lucra referrent
Hanc summam mercedis habent, qui talibus instant.
Rebus, vt æternam capiant in finibus iram.
O patres, si pauca addam, ne spernite, quæso,
Quid facit Antistes? in ouile lupus ruit vllo
Non claudentes fores, iacet ebrietate sepultus
Pastor adulterium in Domini committere sponsam
Qualiter audebis, thalamum vsque inducere debes,
Regis & ipse thorum prior inuasisse nec horres?
Miror auaritiam sacratum pectus habere, G
Cui seruas? resipisce, precor, non nascitur hæres,
Quid cumulas? non quippe tuo sub iure tulisti,
Sed sic dona Dei quæ dispensare iuberis.
Nemo bono obsistit, si rectum velle tenebis.
Quid rapis & vendis Solymorum more columbas?
Valde caue expulsum, Dominus ne torqueat atris
Verberibus, pompasque truci condemnet auerno,
Cur tibi magnus eris, numerum si forte bidentum
Te recolis debere Deo signare potenti
Crebra sub occultum claudis suspiria pectus,
Si non damna doles, verecundia ducat ab igne.
Cumque videbis oues dextra tui, parte sinistra
Esse tuas nuper ductor, nec terga sequeris,
Pro cunctisque lues patiens incendia pœnas,
Nolo tibi ille canat, præsul sacrate, Propheta
Plebis erit similis stultæ peccando Sacerdos,
Laus gregis esse stude, & cœlestia Regna mereris.
Vidit & horrendum, ligni lapidisque opus illic
Materia extructum, castelli more locatum H
Ordine confuso, summo atque vapore repletum.
Tertius his frater quærens quis mansor inesset,
Audiit inclusam Monachum pro sorte cateruam
Purgandi variis patriisque locisque manentum.
Hos inter speciale tenet discrimen, & vnus
Frater in illicitum cecidit qui crimen habendi,
Secretas cumulans iniusto pondere gazas,
Roboream ille habuit, quem plumbea possidet arca,
Iudicij vsque diem dubio sub fine vomendum,
Hac se fraude duo primo armauere iugales
Saphira & Ananias communis vasa pericli.
De quo fratre prius cuidam dum peste laborat,
Annos ante decem similis sententia visa est,
Dum raperetur in excessu, iamque illa vetustas
Diluit, donec memores reuocentur ab isto.
Ille etiam cui nunc patuit, non audiit ante,
Indicat iste locus vitium, quod sæpe notatur
Sæpius hoc Monachis magis ac magis esse cauendum.

A Succidique iuuat; quod tantum pondus adauget.
O Monache esse cupis, quod te iam velle negasti,
Diues opum cui nulla pattum hoc documenta dederunt,
Sed paupertatem cuius pars Christus habetur,
Si vendit Christum, maneat quæ, cerne gehenna,
Liquisti commune bonum, furtumque peculi
Eligis, haud capies communi sorte coronam.
Tu tamen omnipotens proprios rege ductor alumnos.
His visus celsum cœlo montemque propinquum
Aspiciunt, dum ductor ait hac arce tenetur
Abbas ante decem corpus qui liquerat annos.
Ventorum incursus tempestatumque furores
* Vim pluuiæ multumque discrimen ibidem
Abluit incauto quidquid neglexerat actu,
Lætus vt æterni ducatur regis in aulam,
Deliciasque sacras sanctorum sedis in æuum
Obtineat, pœnaque carens vbi vita sequatur.
Angelus hæc addit, quidam quod Præsul eumdem
B Deberet precibus factisque iuuare benignis,
Ante dies multos ceu demandauerat ipsi
Legato ostensus, quem tunc per somnia ferre,
Hortatur sibi dicta Patri, sed Episcopus ille
Esse ratus soliti mendacia inania somni,
Ludendo excepit, dispecto fratris amore,
Mente piger, nec corde sagax, succurrere tardus,
Vt tormentorum iam nunc succumbit amare
Sortiturque suas proprio pro crimine pœnas.
Ad quem frater vbi quem dicis clauditur inquit:
Dixerat ex alia montis male parte tenetur,
At nos quæ paucis dedimus iam somnia verbis
Monstramus per verba viri, qui hæc ipse videbit.
Orsus ait dormire casa squalente videbam
Disposito sedisse loco, quem diximus ante
Abbatem, surasque & crura cruore fluentes,
Labitur in vocem, fili fer dicta patrono,
Respicis hanc ædem; bini coluisse inmemor
Infontem socij, duo namque lauare suescunt,
His comites sese nantes in gurgite thermis
C Resperguntque domum hanc lethalis pestis odore
Vt miseri istius pellantur ab æde coloni,
Ad loca sanctorum pete, mittat vt ille virorum
Deposcens quod gratis agunt solatia ferre,
Reprimere vt possit paries vbi nullus habetur
Immensum fœtoris onus, releuetque dolores.
Hæc minate precor non obliuisceris hæc tu.
Post hæc Antistes dum cuncta ex ore ferentis
Audiit, hæc inquit, Phantasmata credo fuisse,
Idcircoque fidem verbis non commodo fictis,
Credere quæ tenuit, hæc Angelus iste resignat
Quippe quod admonitus functis incredulus extans.
Auxilium conferre precis tardaret egenti.
Atque ideo propriis fruitur fine munere pœnis.
Denique quod paucis visum percurrimus odis
Ante nec audiuit qui nunc renouata reuexit,
Et velut ad superos imo deuexit abysso,
Agnoit iste locus multum pia vota mereri.
D Fidere sed noli, post vitæ tempora solui
Alterius per verba, focos quos colligit ipse
Actibus ax prauis, licet intercessio purget
Crimina multorum, tamen hac securus haberi
Nemo potest, quia quo nescit sua pondere facta
Pensentur, quapropter ego esse mihi vtile dico
Quod gessi purgare prius, sua quemque sequuntur.
Contemplatur item quendam lustrante pupilla
Ausoniæ quondam qui regna tenebet, & altæ
Romanæ gentis, fixo consistere gressu
Oppositumque animal lacerare virilia stantis
Lætaque per reliquum corpus lue membra carebant.
Viderat hæc, magnoque stupens terrore profatur,
Sortibus hic hominum, dum vitam in corpore gessit
Iustitiæ nutritor erat sæcloque moderno
Maxima pro Domino fecit documenta vigere
Protexitque pio sacram tutamine plebem.
Et velut in mundo sumpsit speciale cacumen
Recta volens dulcique volans per regna fauore.

E Ast hic quam sæua sub conditione tenetur,
Tam tristique notam sustentat peste seueram
Ore tacet. Tum ductor in his cruciatibus, inquit,
Restat ob hoc quando bona facta libidine turpi
Fœdauit, ratus inlecebras sub mole bonorum
Absumi, & vitam voluit finire sueris
Sordibus, ipse tamen vitam captabit opimam,
Dispositum à Domino gaudens inuadet honorem.
Admonet hic hominem qui dignis moribus horas
Has seruare cupit, ne quodam crimine cuncta
Perdat, & omne probum fuodat vastante ruina.
Talis aquas haurit pertuso vase receptans.
Quodque diu immisit sorbente foramine linquit.
Est labor iste grauis, malus atque misertimus, ex quo
Semper habet damnum, nunquam mercedis honorem,
Omnibus in rebus vitam moderetur in aruis,
Qui cupit in cælis regnum retinere perenne.
Illic magnificis conspexit munera pompis
F Dæmonis in manibus iam præsentanda parari
Pallia, & in vasis auri argentique metallum
Et lini obsequitur candentia fila caballus,
Plurimus hunc ornat species fulgentis habenæ.
Tum rogat hæc cuius hominum de parte venirent,
Quidque figurarent tali sermone rependit
Angelus, hæc comitum sunt per diuersa manentum
Regna soli iniuste legalia iura regentum
Quatenus huc ducti inspiciant, quod cuncta rapiois
Collegere auidoque minores ore vorabant.
Nomina quorundam manifeste protulit, ex his
Dixit, & hæc nunquam finiri dona, priusquam
Quisque sinum in proprium præuentus morte receptet
Quidquid ad hospitium æternæ transmiserat aulæ.
Quam vero horrendo comitum sermone profanam
Intulerit vitam, nullus narrare redundat,
Non scelerum vltores Satanæ, sed habentur amici,
Illorum quidam multis stringendo periclis
Afficiunt homines iustos damnare, reosque
G Iustificare viros contempta lege solentes,
Furibus adnexi vitiumque per omne sodales
Muneribus capti qui pro mercede futura
Nil faciunt, sed cum quædam sub lege coercent
Debita iustitiæ, furiunt pietate carentes,
Ardor auaritiæ nescit concedere quicquam
Sed totum extorquet, totumque ad Tartara mittit,
Accumulans iram cum venerit hora furoris
Iustitiam nunquam vitam quærendo beatam
Impendunt, & quam gratis præbere videntur
Venalem portant animam pro pignore dantes
Iudicio quosdam iam nunc succumbere dixit.
Dixerat vt Dominus de non credentibus olim
Iudicium sumpsit quicumque incredulus extat.
Iam satis est dictum, felix qui corde reseruat,
Ne sit amor nummi maior, quam mansio cœli,
Grandi abundantes subito comprendet egestas,
O comites, cuius comites perpendite sitis,
Christus ait, quicumque polum conscendere quærit
H Debet in angusto gressum configere calle.
Seruus item mortis vestigia lata sequendo
Vergit in æternum miseris plorantibus ignem.
Omnia mittantur, nunc tristes multa læta tenebunt,
Quos gaudere libet, tristes trudentur in vmbras.
Quod placet ingredere, est melius tunc læta tenere
Vidit & innumeras diuersa sorte phalanges
De monachis, gradibusque aliis, populique senatu
De variisque locis longe patriisque remotis
Hos gaudere hilares, illos frendere gementes,
Hos Paradisus habet discindit tartarus illos.
His visis multisque aliis, quæ scribere longum est,
Quæque stylus currens, stricta breuitate relinquit,
Ducitur ad quædam præpulchræ mœnia sedis
Quæ naturali consistere mole ferebar.
Hoc opus immenso nituit splendore coruscans
Arcubus effulgens, variisque ornatibus aureis
Argentique gerens multum structura metallum
Præbuit arte oculis anaglifa pascere mentem

A Mœnia quæ tantum latam longamque tenebant
Mensuram, pulchrumque statum, mirabile factum
Altaque per volucres pandebant culmina ventos
† f. in visum Quantum nulla potest intentio mentis † in visum
Claudere tractandi, nec quis sermone fateri
Aut operi tanto veracem optare staturam
Aut decus excellens veris disponere verbis.
Hæc cernont fratrique sacer tunc Angelus illi
Cras migrabis, ait, vitæ confinia linquens
Terrenæ, tamen interea certabimus ambo
Pro pietate preces sanctis prosternere Christi
Vt vel parua tuis fiat concessio factis.
Inde beatorum parili venere volatu
Sedes vsque Sacerdotum, quis fulgidus ordo
Captat vnus meriti, iugique potitur honore,
Angelos, hos, inquit, secum dominator opimis
Ditauit meritis, ideo enarrare coronam
Nemo potest, qua quisque nitet, cui Christus obumbrat.
B Et quibus officia ornatas præbetis ad aras
Hos rogitemus apud Dominum intercedere pro te.
Tunc pedibus venerandorum subnixus vterque
Vnius illecebras precibus releuare precatur,
Nec mora sanctorum pariter consortia surgunt.
Aggressaque thronum Christum petiere tacentes
Vt potius laxare velit quam digna referre.
Tum reboat de sancta vox testudine dicens,
Debuit exemplis multos incendere fratres
Sed torpore madens desiuit ferre laborem.
Hinc responsa silent, vocemque emittere cessant.
Angelus hæc inter, fraterque in parte steterunt
Eminus, & sancti sedes, cum pace reuisunt.
Ipse Dionysium, Hilarium, sanctosque ferebat
Martinum Anianumque suas cognosse fenestras
Qualiter agnouit, quos nunquam corpora vidit?
Sed sperare damr, quod vel sermone beati
Hæc ducis audiret, vel quæ sibi gratia iuncta
Monstrarat, quosdam faceret cognosse silentes.
C Tunc hortante iterum gressum ductore retorquent
† fresh. plam. Ad sedesque viam nitidas pressere † resuptam,
Gloria Martyribus qua pollet opima beatis.
Credere non poteris speciem numerumque quot essent,
Hos ait, inuictus tulit hæc in regna triumphus.
Hos etenim terris cœlesti lauda tenetis.
Hos precibus commissa suis tua soluere sanctis
Poscamus, statimque sacra ad vestigia sesa
Proiiciunt, eiriusque facet confessus ab inde
Surgit, & ante Dei auratam prosternitur aulam,
Dimitti peccata rogans, vox sede recurrit.
Si quos praua docens peccati felle fefellit
† illex. Deque via in præceps † inlex commisit abire
† reuocet Hos iterum † reuocat, soluentur debita gratis,
Inquirantque modum, quo crimina soluere possit.
Qualiter ex aliis prauæ miserabile virus
Doctrinæ eximeret, tum vox processit ad illos,
Conuocet hos omnes quorum per inania mentes
Dogmata peruertit, nocuit vel in actibus vnquam.
D Aut quibus exemplum dicti, vel præbuit actus.
Quo vitam moresque suos corrumpere possent,
Et sa sternat humo dicatque per omnia sesa
Esse reum, gessisse male, & docuisse pudenter.
Sic veniam exposcat, statimque astantibus addat.
Vos precor ô nati Domini per numina summi,
Per sanctosque viros, addens, animasque beatas
Cælicolasque omnes repetat, ne crimina quisquam
Hæc vestrum tradatque alii faciensve docensve
En patet alterius quantum qui polluit actus
Desipiat vel in exemplo seu dogmate prauo.
Qui malus est, multos secum inuitare suescit,
Et tamen è cunctis scelerum commercia sumet
Infelix sua ferre nequit maiora requirens.
Interea à longe bini de parte steterunt,
Ecce Sebastianum magno splendore micantem
Atque Valentinum specie cognouit aperta.
* vers. mutilus. * Inde etiam auerso ducente, cateruas
Virgineas adeunt, vbi splendor luce coruscа

E Summus adornauit nitidis consessibus ipsas,
Sunt, ait, hæ Sanctæ, quarum sub honore Tonantis
Nomina diuinis colitis famulatibus, ipsas
Pro longa ad Dominum vita præmittere præsta.
Sic ait, & pedibus sese prosternere certant,
Protinus assurgunt, citiusque ad limina pergunt
Celsa throni longam fratri deposcere vitam,
Sed prius orantes quam se prosternere possent,
Obuia maiestas Christique immensa potestas
Eleuat inclines miro splendore nitescens,
Qualis ab humanis cerni agnoscique figuris
Nunquam posse datur, certant vt bella fidei
Mitis ad astantes Christus dat verba puellas.
Iusta docens si recta gerat, dignumque ministret
Omnibus exemplum reuocans ad mœnia vitæ,
Quos aduersa docens æterno prodidit igni,
Tunc vester præstabit honor quod cuncta remittam.
O meritum sublime tuum sanctissima mater
F Virginitas, quæ casta poli terræque supremum
Imperium retines, Domino quæ proxima Christo
Æternam super astra domum inuiolata locasti
Sola quidem celebs tantum cognomen habebit,
Et corrupta tamen si se post crimina saltem
Conuertens anima ad Dominum summissa recurrit,
Præmia certa manent, si nomine in æua carebit,
His igitur gestis facili discedere gressu
Incipiunt, itinerque suum sacer Angelus istis
Prosequitur dictis, quantis humana volutet
Progenies vitiis, ô quis narrare valebit?
Nam licet à Domino numerosa peste laborans
Abscedat genos humanum factore relicto,
Atque iugo Satanæ sua colla grauare suesest.
Nulla tamen tanto peccata furore creator
Vindicat offensus, quam quæ contraria constant
Naturæ quod quisque nefas vitare laboret.
Quapropter cunctos nimium certare necesse est,
Ne subeat mater scelerum Sodomita libido,
G Et Templum Domini mutetur in horrida nigri
Serpentis delubra, quibus se degere gaudet.
Sordida non tantum hic morbus contagia præbent
Inficit alternas maribus dum turpiter instat,
Commaculatque animas ardente cupidine stupri.
Verum multiplici thalamum violare iugalem
Adsolet illuuie, rabiem dum quisque sequentes
Luxuriæ instinctu violenti dæmonis acti
Naturæ concessa suis stimulante relinquunt
Coniugibus luxu, licitumque in stupra calorem
Vertentes satanæ incedunt hostile lupanar,
Vnde tibi iubeo auctoris de nomine nostri
Istam palam referens, vt clara voce reuoluas,
Nec celare velis, quantum discrimen adhæret
Esse sub inductas mulieres pluribus aptas
Tempore nam quanto tam fœdis sordibus instant
Non capiunt aditus cœli vitamque beatam.
O quicumque malis cupimus nos subdere tantis,
Incidat in mentem tormenti pœna futuri,
H Dulcis enim est animo, carnique insana voluptas,
Durior heu miseri grauibus plangoribus ignis
Tunc veniet, cum finis erit, qui quemque sequetur.
Quæso probare velis digitum si ferre per ignem
Hunc facilem possis, certe sufferre recusas,
Qualiter æternum tota cum mole calorem
Corporis incedis, quo vermis & ignis in æuum
Consistant viriisque vicem dant omnibus atram.
Tunc VVettinus ait, Domine hæc proferre pauesco,
Vilis enim persona mihi est, nec congruit isti
Iudicio, quod ad humanas transmittimus aures,
Angelus è contra magnam promotus in iram
Incusat, quod summa Dei sententia iussit.
Non audes proferre pigro torpore retentus,
Tum satis ammonuit proprios componere mores,
Atque suam radiis vitam inlustrare beatis,
Adiungens, ego sum, qui ta seruare iubebar
Angelus & custos rerum persisto tuarum.
Quem scriptura vetus Sarsonem vulgat in orbem,

Digitized by Google

A Huius in auxilio semper mansisse solebam
Et miranda fauente Deo compleuimus ambo
Quem mandante Deo primo comitabar ab ortu
Donec per Dalilam in Domini procurreret iram
Venderet & scortn auctoris sacra munera Christi,
Quo scelere infectus Dominumque Deum reliquit
Tunc ego discessi vitiis offensus ab illo.
Ergo puer bene castus eras, mihi quippe placebas,
Sed postquam propriis cœpisti viuere votis
Displicuit tua vita mihi; nam prauus abisti.
Nunc iterum placido remet complector amore
Mærentem lacrimis, & toto corde reuersum.
Cœlicolas hominum custodes esse sacrata
Scripta ferunt Dominusque docens ostendit IESVS,
Ante Patris faciem stantes seruare fideles
Atque libet Pastoris opem demonstrat eandem,
Cænobiis etiam Monachorum valde monendum est
Angelus adiunxit, vitij vt radicibus omnia
B Abscissis, vireantq; virtutum germina pulchra
Maior enim numerus mundanis rebus inhæret
Quam qui se stimulante Deo monitisque supernia
Hæc ad castra ferant, vitamque fideliter ornent.
Nescit enim carnalis homo, quod Spiritus almi est.
Viribus idcirco totiæ certare necesse est
Carnalis ne turba premat sacra dogmata vitæ,
Pondere neu scelerum frigescat pignus amoris,
Æterni qui plura tenet spe pectora sancta,
Vulnua auaritiæ medicamina sancta repellant,
Qua dominante humilis fit nemo in nomine Christi
Vnde polum penetrare potest, cui cura subintrat
Ingluuiem vitate cibi potusque monemus
*f. pensio. Sufficiens & parua quidem sit * pensius victus,
Optimus vsus aquæ dedit hanc natura bibendam,
Tegminis ornatus mutetur vt algida tantum
Frigore depellat, nudosque vt contegat artus,
Mens humilis vigeat studiis non perdita fictis,
Deserat & totam peruersa superbia mentem,
C Nam quidam flexa placidi ceruice videntur,
Erecto sed corde tument, falsique probantur,
Pulcher Apostolicæ vitæ peruertitur ordo.
Cum vitiis variia virtutum iura premuntur,
Et dum sub specie pietatis culpa subintrans
Assidue crescens, proprio retinetur in vsu.
Iam velut ex lege ad iustoa describitur actus,
Idcirco occiduis homines in partibus huius
Ordinia instruimus, quos Gallica rura tenere
Nouimus, & cunctos, quos hæc Germania gignit,
Pauperiem vt veram deuota mente sequantur.
Ianua ne cæli contra claudatur iisdem
Indeque depulsi pereant sub faucibus ignis,
Qualiter omnipotens hominum sator atque redemptor
Per me terribili cunctis sermone remandat.
Hæc satis esse videns illis nihil addere possum,
Qui vitæ meritis debent præcellere cunctos,
Qui mundum fixisse sibi, mundoque refixi
Famantur, quod quippe Deo promisimus omnes.
D Scimus enim documenta patrum, finesque viasque,
Quotidie crepitant librorum verba per aurea.
Impugnat mundus, felix qui fugerit illum
Et post terga oculum qui mittere vitat in æuum,
Quantaque fæmineis nascantur damna cateruis
quo *Quo seruire Deo Monachorum more suescunt.
Angelus exponens, quam plurima dæmonis, inquit,
Lucra virent, lucrumque Dei tepor occupat iugens
Ordine confuso, mulier dum mortua viuis
Præfertur, quia delitiis viduata marito
Sufficiens, functa est, prohibent quam viuere gazæ
Subiectæ, & viuæ mortis confinia sumunt
Dum factis peruersa suis exempla sequuntur,
Sic perduntur opes, quas congessere fideles.
Ad conseruandum tus virginitatis honestæ
Accipit has sitiens labentia gaudia mundi
Inque voluptatem fert sobria dona nefandam.
Viuit enim virgo, mortem scelerosa subibit.
Denique iam viduæ capiunt dum iura regendi

Subuertunt prauam iusto molimine vitam, E
Sordibus è solitis paucæ se demere possunt.
Sed neque concubitu quædam cessare probantur.
Sic seducta cohors sequitur per cuncta magistram
O Princepa qui tale malum iunxisse videris,
Da castis castas aliud viduata receptet,
Non equidem prodest multorum perdere mores,
Creditur en, mulier melior quam masculus esse,
Accipit illa gradum, raro est lex ista virorum,
Vt nupto citiua dentur loca sancta regenda,
Confusum natura modum discernere poscit.
Frater item quærit vbi dogmatis illa moderno
Staret Apostolici perfecta in tempore norma?
Partibus ex aliis salsi maria, inquit babetue
Ille rigor veterumque viger, constantia Patrum.
Qui paupertatem variia sine rebus adepti
Terreni nihil inquirunt, quod vota retardet.
Sicque penetrantes cœlorum regna capessunt.
Felices patriæ, quarum de cespite surgunt F
Optima gemmarum cœlo ornamenta nitentum,
Auxilium Patriæ, meriti decua, orbis honestas.
His dictis iterum verbum sacer Angelua infert.
Crimine de veteri Sodomæ, quod tura necauit,
Cætera namque semel vitia execranda monebat,
Hunc autem morbum mores animasque nocentem
Dæmonis instinctu, naturam perdere promptum,
Quinquies admonuit aut amplius esse cauendum.
Tum frater rogitat, numerus cur tantus obiret,
Pestis in exitin, plebis populique fidelia.
Hæc, ait, ex factis homines commercia prauis
Accipiunt damnatque reos sententia grassans,
Significatque diem mundo properare futurum,
Terminus vt tandem ponatur in ordine secli,
Ecce dies veniet, nostrum sit quisque paratua
Ecce venit Dominus, nostros vt congreget actus,
Iam vigilare decet, veniens vt quemque coronet.
Præcipue admonuit diuinis laudibus omnes
Constu seruire bono, studioque sagaci G
Præcipiens, vt nemo graui torpore subactua,
Negligat assiduas Domino persoluere laudes.
Ecclesiæque decus celebretur vt ordine sancto,
Sollicitus propriam quærit quicumque salutem,
Hæc agat, & sese poterit subducere flammis,
Non eget hia Dominua, sed nos vt agamus, egemus.
Quin etiam quondam comitem sacer ille Geroldum
Angelus asseruit, requiem captasse beatam,
Martiribusque parem, quo gloria summa beatis
Ciuibus æternæ reddit dulcedinis haustum,
Et quando zelum Domini conceperat, inquit,
Gentibus infidis Christi defendere plebem,
Congrediens, huius sumpsit dispendia vitæ,
Æternis ideo meruit fulgere tropbæis,
Munera perpetuæ capiens ingentia vitæ
Hic vir io hac patria summa bonitate nitebat,
Moribua egregiua, verax, mansuetus, honestus,
Cui regina soror Ludouici cara genetrix
Hildegardia erat, parili bonitate venusta, H
Viribus ille potens, sanctoque potentior actu,
Defuerat soboles, pariterque & defuit hæres,
His igitur verbis sese compescere cœpit,
Denegat hæredem Dominus manet ipse superstes.
Quod dedit, accipiet, Mariæ commendo beatæ.
Sic votum factis sequitur; magis omnibus isti
Profuit ille loco, cuius nitet Augia donis.
Bella mouet Carolua, duros tum Cæsar in Hunos
Hoc cecidit bello, populo certante, Geroldus
Tunc Dominum famuli lacrymis sumpsere referti
Hucque reportatum tam longa per auia corpus
Insulanensia humus contexit in æde Mariæ.
* Hæc & plura videns numerum pene recusant. *vers. mutilus.
Quæ festina manus currens intacta reliquit,
Expertectus item iam cæca silentia noctia
Nuncius excussit lucis resonando per ædes,
Fratribus accitis, quos pernoctasse videbat
Excubiis secum, trepidans multoque timore,

A Permotos,cecinit narrans ex ordine visum,
Secretumque latens auidas effudit io aures,
Poscit & vt veniens sermones protinus ipsos
Abbas excipere , & scripto mandare iuberet.
Talibus astantes compescunt verba loquentis,
Nunc solito fratres meditantur in ordine noctis ,
Incumbuntque preci,nunc claustra silere necesse est,
Non audemus enim nos hæc turbare, vel illi.
Vos ait interea molli depingere cera,
Vt fulgente die citius manifesta parescant ,
Ne lingua torpente palam depromere visa
Non possim,quæ tam grandi sub mole minatum
Sunt iniuncta mihi manifesta voce canenda,
Et cunctis liquido citius dicenda boatu.
Vt timeam si forte tacens dimisero quicquam
Me veniam nec habere,graui stringente reatu.
Vltima virgineæ turbæ intercessio,memet
Liquit in ancipiti positum, nam nescio qualem
B Implorasse Deo vitam præstante putemus,
Vtrum perpetuam,vel temporis huius amatam,
Si mihi defuerint præsentis commoda vitæ,
Ecce procul dubio,mortem ctas corpus habebit ,
Dux meus hæc dixit,cuius mihi sponsio certa est.
His igitur verbis fratres hortatus eosdem ,
Expediens iterum iam dicta retexere cœpit ,
Illi continuo tabulæ impressere liquenti.
Laudibus interea Domini iam rite peractis
Abbas adueniens aliis comitantibus intrat ,
Nam solitus compellit amor refouere iacentem ,
Assistunt propius, secretum infirmus adoptat.
Discedunt reliqui,remanent ibi quinque sedentes
Primus erat Hetto,Erbaldus fuit inde secundus,
De quibus in primis modicas contexímus odas,
Tertius ipse tacens sapienti corde magister ,
Quartus erat senior multis prouectus in annis.
Theganmar Domini famulus, cui longa senectus ,
Contulit æterno venerandos munere canos ,
C Grandis honor capitis,maior sapientia mentis ,
Confessor fratrum,gnaros conferre medelam ,
Moribus antiquos sequitur sine crimine partes.
Quintus adest Tatto,cui gratia magna benigno
Contulit eximios vitæ perducere mores,
Nempe palatinas puer est translatus ad aulas
Sed Christi feruore calens,mercede sodales
Seruitij gaudere suos dimisit,& istud
Cœnobium ingrediens,Monachum se lege ligauit ,
Hoc recolens,quod prima inibi documenta recepit.
Est hodieque probus,felix,spectabilis,aptus,
Gaudeo quod tali merear parere magistro
Cuius ob auxilium,præsens me continet ætas.
His etenim quinis , visa atque audita parenter
In verbis scriptoque simul quod nocte notauit
Veloci currente manu , narrando resignat.
Et surgens prostratus humi , commissa remitti
Poscit,& orantes Dominum placare tonantem.
Commendans arcana Dei, si morte fuisset
D Raptus,vt in lucem verbo scriptoque tulissent ,
Sin alias prodenda sibi dimittere puscens ,
† Nam cupit patulis totum famare per orbem
Faucibus,& cunctas hominum vulgare per aures.
Denique vita manens,si corpore frater in isto,
Vlterius voluit strictam perducere vitam ,
Vt potaret aquam mergentia pocula nunquam ,
Pluribus adiectis quæ nunc exponere longum est.
Inspiciunt voltus,nec pallida forma videtur,
Non macies fœdat,nec membra dolore rigescunt,
Attrectant venas , viuo quæ sanguine gaudent,
Nec signum lethale vident,mortisve periclum
Fidentesque animo , vitæ compendia spondent
Præsentis,mortemque procul discedere dicunt.
Ille quibus responsa dedit , quæ protulit ante,
Crastina namque dies animam de corpore pellet.
Taliter ergo diem frater consumpserat illam ,
Instantemque totam noctis dieique sequentis
Exponendo metum,grauida de carne recessus

†f. Namque.

Suspirans,gemitusque imo de pectore fundens, E
Fratribus,& cunctis sese committere certans
Ad multosque Breues rogitans direxit amicos,
Vt sanctis precibus veniam implorare studerent.
Has ego conscripsi manibus quibus ista notaui.
Denique cum primum radios produxerat aura.
Me vocitare iubet,residensque infigere ceræ
Præcipit,atque Breues bis quinas dictat,eisdem
Sensibus adnectens,quas hic signare studemus,
Vt perfecta fides cunctis lucescere possit,
Nempe decem fuerant,quarum conscriptio talis.

Venerabilissimo in Christo patri ILL. VVettinus iam deuotus vester æternam in Domino salutem. Scripsi vobis in mortis periculo , & quia iuuentus adhuc floruit , de alio sæculo meam infirmitatem consolare dignemini,vt huius corruptionis mole deposita , ibi quoque grauitate pœnarum non constringar, si ad vsque centum Missas , centumque Psalteria peruenerit oratio,erit merces certa. Vale, quem iam non mereor videre. F

HVnc finemque Breues iussit firmare per omnes ,
Quod dum commutans aliter conscribere vellem :
Dixit,vt haud dubiis possem sic dicere verbis.
Nescius hoc scripsi, penitusque stupore mouebar,
Quippe diem totum soli transegimus illum
Nunc legimus,nunc membra iuuat componere lecto ,
Me sopor oppressit vigilem,non contigit illum,
Orat in excubitu,surgit graditurque valenter,
Vesper adit,tandemque mihi est sic ore locutus ,
Vade puer,corpusque cibo releuare memento ,
Proque labore tuo,grates dignetis habere.
Discessi noctemque minans Sol vergit in æquor ,
Iamque poli pingunt fulgentia sidera centrum,
Adueniunt fratres, sistuntque in domate multi. G
En ait incumbit metam finire supremam ,
Carnis in exilio terram terræque recondi
Omnimodis petimus sacras protendite palmas,
Instantesque preci,nostrum defendite finem ,
Res inuisa quidem,psalmos prior omnibus ille
Antiphonasque,velut quidam præcentor adorsus ,
Principium cuiusque suo depromit ab ore.
Finitis igitur concentibus, ille parumper
Respirat pauidus, fratresque ad strata recurrunt.
Surgit & huc illucque viam deflectere tentat ,
Æstuat agnoscens velox quod transitus instet,
Decidit in lectum Christi mysteria sumens ,
Clausit & extremam vitæ mutabilis horam.

En venerande pater calcem compulsos adiui
Cuius principium horror adire fuit.
Non ignoto quidem vitiis sordere camænam
Extortos apices protege si valeas.
Ales enim quæcumque suas præcurrere pennas H
Cogitur,ex superis corruit ima petens.
Nil prodesse scio,tamen est parere necesse ,
Hoc potius Dominus quam sacra thura cupit.
Vestra sequens humilis famulus mandata peregi
Ætate & sensu , impar ad istud opus.
Ne reputes non posse meum,sed velle videto.
Atque bono vigeas longa per æua statu. Amen.

Ad Grimaldum Capellanum de morte VVetini.

SCribere nolla iuuat,scriptor quia oofter obiuit ,
Quia nous pectoribus monstrauit dogmata nostris,
Ædificare volens,longum stabilita per æuum
Tecta,sed indomita præuentus morte,nequiuit,
Culmen in aërios templi sustollere cursus ,
Forsitan indigni fuimus sapiente Magistro,
Sed licet hunc cœlestia non dubitemus adisse ,
Abscessisse tamen, nosmet deflere necesse est ,
Primus hic incultis mandauit semina sulcis,

Vt

A Vt collecta seges geferetur ad horrea Christi.
Mercedem & propriam præclarus haberet arator,
Hoc studium fuit, hoc votum, boc etiam ipsa voluntas,
Plangimus interno compuncti corda dolore,
Flemus agrum, subito tanto cultore carere.
Et specialis ego, ingeminans connecto lacertos
More orbatorum, placidum deflendo patronum,
Sæpe quod adiungo alterius ploratibus, vnum est,
Quod nullus magni profertur dogmatis hæres.
Prædia tanta vacant, nullo vineta colente,
Deperit absconsæ sapientia mentis ab vsu,
Dicitur, heu misero, qui dum cadit, ipse leuantem
Non habet, ille iacet cuncto miserabilis orbi,
Tu fratris deserta tui iam semina profer,
Non torpore vacat, sancta quod lege iubetur,
Est sed fructiferum, si quis sub lege potitur,
Decidit jlle mihi, vicibus nemo illius astat.
Pocula pulchra dedit, victum quis porrigit artum?
B Vestibus ornauit, præbet quis regmina grossa;
Innumerisque bona, meritum superauerat omne,
Quis mihi nunc misero verbum demonstrat adhortans?
Annales memorare dies, mortemque notare
Quis cogit? nisi sollicita sub mente retractet,
Proximus esse sibi iussum de nomine Christi,
Ne fraterna suo tollatur ab ordine proles.
Hæc iam dicta legas pater optime, corde receptans,
Ex hinc esse mihi dignate affabilis, atque
Rebus in occultis nostrum solare dolorem,
Scintillam portamus enim, quam si quis adauget
Multiplicabit opem veniatum sine futuro,
Adueniens sua dona Deus cum pace requirat,
Multorum quod sancta ferant tutamina nobis,
Inter conuiuia residens * ducesque cateruas
Audiui cupidus prisci conuiuia cœtus,
Qui pascente Deo meruit saturarier ipso
Panibus ex quinis, tum piscibus ordine binis.
Quæ cum re facta pandunt mysteria certa,
C Assunt & nobis per suauia dona creantis,
Panes, pisciculi, blandi quoque copia musti,
Semper vbique suis quia dat solatia seruis,
Omnia qui condens renouat pereuntia clemens.
Interea dulcis fertur mihi normula piscis,
Asconis calidi, sequitur vas denique musti,
Optatum & calidum large de principe missum,
Abbas quod . . . . . . transmisit laude colendus.
Quem quam laudarem, si tantum tempus haberem.
Quod mox vt cepi, subierunt organa signi,
Quod Christi solitum monuit persoluere votum,
Quem dum tempus erit, gaudens mea Musa sonabit,
Centuplicatque modos, spatij quos deserit exsors,
Interea valeat, felixque per omnia surgat,
Lætus & in terris, superis lætetur in oris,

* f. dulcesque.

DE SINGVLIS FESTIVITATIBVS anni ad quendam.

D

IN Natiuitate Christi.

NAtus enim est hodie mundi sator atque redemptor,
Christus de Maria Virgine factus, homo:
Vt nos consortes sanctæ deitatis baberet
Mundatos vitiis, & placitos meritis.

In Octaua Domini.

ACcipit & nomen i in circumcisus IESVS,
Vt mundatus homo sit soboles Domini.

In Epiphania.

MVnera suscipiens dignis apparuit ipse,
Sic pius adueniens munera nostra videt.

E *In * Yppapanti.*

* Hypapanti.

QVis sine peccato in templo est oblatus ad aram,
Nos peccatores ad sua tecta vocat.
Cuius mater adest, mater sed virgo perennis
Permanet à nato glorificata suo.

In Septuagesima.

ECce paramur enim ventura ad festa colenda,
Motibus in sanctis corda parare iuuat.

In quadragesima.

EXemplo Domini ieiunia corporis extra
Incipimus, mentes abstineant vitiis.

In Palmis.

OBuia turba pio strauit sua tegmina Christo,
Nos vt in bis sedeat; corpora nostra damus.

F *De Passione.*

ILle crucem, plagas, alapas, sputa aspera passus,
Ostendit quanta te tolerare decet.

De Resurrectione.

TArtara despolians, deuicta morte resurgens,
Vt te viuificet, quem iacuisse videt,
Mortuus est vt peccatis moriamur ademptis
Surgit vt in vitæ limine constituat.

In Ascensione.

AScendit cœlo sumpto per sæcla triumpho,
Vt nos victores sidera ad alta vocet.

In Pentecoste.

SPiritus ad terras Domini descendit in igne,
Qui dat Apostolicis ignea corda viris.
Illos quippe suo refouet tutamine præsens,
G Quorum ardere videt, casto in amore animos.

In Natale sancti Ioannis Baptistæ.

ESt hodie natus sanctus Baptista Ioannes,
Cuius nos precibus dextra iuuet Domini.

In Natali S. Bonifacij Archiepiscopi.

GAudia præsentis Bonifaci sancte diei
Nos saluent Domino dante tuis meritis.

In Assumptione sanctæ Mariæ.

VIrgo Dei genitrix de corpore ducta pudico
In requiem Domini transiit ecce sui.
Ad quam nos precibus transire iuuantibus eius
Æternæ proles virginis alma velit.

De Apostolis.

HI sunt quos toto diuina electio mundo
H Elegit primos prætulit atque gradu.
Quorum non fidei semper præcepta sequentes
Illorum precibus regna poli accipiant.

De Confessoribus.

HOs perfecta suo seruans confessio Regi
Fecit in ætheria consocios requie.
Exemplis quorum dictisque in pace manentes,
Instruimur summæ pacis amare viam.

De Martyribus.

SAnguine qui proprio cœlestis præmia adepti
Quæ sibi retribuit retribuente Deo.
Nos tolerando monent, facile pretiosa subire,
Pro Christo opprobria, quæ sacra regna parent.

De Virginibus.

FOrtis in infirmo viguit constantia sexu
Quæ sibi virgineum copulat officium.

Nosque monemur in hoc mundi si incursio desit,
Salrem cum vitiis mens pia bella gerat.

In Natale sancti Martini Episcopi.

I Sic Deus sancti Doctor venerabilis orbi
Vitæ exempla dedit, adiuuat & precibus.
Hæc quicumque legas, veniam deposcere Srrabo
Sis memor, & cunctos hos voca in auxilium.

Hymnus de Natali Domini.

GLoriam nato cecinere Christo,
Angeli, & famam tetulere, clara
Voce pastores, noua concrepabant
Gaudia mundo.
Laus in excelsis, pia pax in aruis.
Dicitur magnis celebranda votis,
Omnis aduentu Domini mouetur
Machina rerum.
Virgo conceptu grauidatur almo.
Coniugum mutæ sterilesque fibræ
Iam vigent donis veteri, propheta
Carcere vates.
Splendidam cœli faculam dedere,
Mouit ardorem, sacra lux magorum
Territant sæuam noua Iudæorum
Nuntia plebem.
Sera longæuus Simæon videndo (:)
Vota iam longe prius expetitam
Prædicat cunctis Domini salutem,
Patris adesse.
Anna iam natu grauior repente
Lucis attactu penetrata sanctæ
Quod diu traxit toleranter æuum
Læta peregit.
Martyrum flores ferna interemptor.
Milibus multis, auide cruorem
Quæritans Christi eruciat malignæ
Frigore mentis.
Ergo quam nostræ caput optionis
Nouimus lucem celebrare plenis
Gaudiis, omni studeamus almæ
Pacis amore.
Editus sacro Patris ore semper
Virginis casta voluit sub aluo
Arta naturæ tolerare factor,
Munia nostræ (:)
Virgo portantem veneranda portat,
Lactat altorem, vehit & parentem,
Spiritu prægnans operantis in se
Mater opusque
Veritas terra pietasque nata est,
Soluit & primæ maledictionis
Damna, pro spinis tribulisque fructum
Terra ministrat.
Fructus hic terræ prius à Propheta
Valde sublimis fuit indicatus,
Qui greges sancto, saturare viuo
Pane valeret.
Hic sub humana specie coruscans,
Vile præsepis voluit cubile
Ferre, quo sese dare nuntiaret
Pascua pastor.
Gaudeat cœli chorus, vt creator (·)
Eius antiquum numerum nouaret,
Ipse descendit, simul & superbum
Sterneret hostem.
Terra lætetur, radiata tanti
Luminis tractu, genus & redemptum
Vota gratanti voueat feratque
Debita mente.
Christe regnorum dominator auge
Principi nostro decus & triumphos,
Eius & prolem bene cum pudica E
Coniuge salua.
Sponsa quo felix tua sub patronis
Polleat tantis merito locoque
Præminens mundo, maneatque longa
Pace fidelis.
Christe da nobis tua iussa vero
Corde sectari, simul & beatis
Actibus, vitæ nitidum mereri
Stemma perennis.
Præstet hæc nobis deitas beata
Patris & nati, pariterque sancti
Spiritus summa pietate regnans
Omne per æuum.

Hymnus de Agaunensibus Martyribus.

FElix Gallia fortibus trophæis F
Vbertate soli, virum nitore,
Regni nomine purpurata magno
Romanæ soror vrbis atque consors:
Hæc inquam melius dicata Christi
Signis illita Martyrum cruore
Excellentius has rogas frequentat,
Quas non impius inquietat hostis.
Thesauros Rhodani quidem fluento
Vallatos colit Alpibus sub ipsis,
Sed non sola tenet decus sacratum
Quod toto liquet eminere mundo,
Magni Mauritium loquor rigoris
Cum quo *Candidus, Exsuperiusque*,
Armorum comitis fidem secuti
Iuuerunt ducis optimi calorem.
Thebææ legio beata gentis
His concredita lege militari
Veri militiam secuta Regis
Vexillo crucis impediuit hostem.
Nullas sontibus intulere cædes, G
Quin ipsi gladiis Deo immolari
Quam terris Orientis imbiberunt
Castris occiduis fidem recludunt.
Auget criminasæuus Imperator
Quem nec carmine nominare dignum
Dum sanctos iubet idolis litare.
Nolentesque necem subire mandat.
Dux primus socios simul coactus.
Hortatur stabilem tenere mentem,
Nullus deficiat timore. Nemo
Perturbetur, ait, demum sequamur.
Armis iam satis hactenus caducis
Hostes strauimus æmulante dextra,
Nunc virtute animi domandus hostis
Maior, maior enim corona testat.
Nec dilata diu fatigat ergo
Merces stemmatis, ecce laurearum
Pugnantes hodie trophæa vosmet
Si vincatis apud dæmon manebunt. H
Perstant intrepidi, loquuntur ore
Vno, præcipe Cæsar expeditos
Pro tutamine publicisque rebus
De pugnare viros obediemus.
At si forte Deo cupis relicto
Nos seruire tuis prophane diuis,
Te contemnimus & seueritatis
Tentamenta tuæ, minasque viles.
Iam nunc rumpe moras, abi satelles,
Hæc conamina nuntia tyranno,
Exurat, perimat licet necetque
Limpha fluminis, aut secet lapillis.
Stant inflexibiles, manentque fixi,
Non dant liba diis, genuve ponunt,
Rex & conditor est quibus per æuum
Christus viuere, commorique lucrum.
Hæc postquam ferus impiusque lictor
Crudeli domino relata perfert,

A Commorum ſcelus ardet intuentis
Statim pectoribus, magiſque totum.
Hanc inquirgrauibus notam querelis
Mecum vix tulerim quod ordo noſtri
Tales officij temandat auſus,
Exemplum dabo iam per hos futuris.
Miles perge, neca viros proteruos,
Et primo decimum recide quemque
Sic ſaltim mea iuſſa pertimeſcent.
His actis calor inuenitur idem.
Inſtaurat reus integratque cædem
In totumque mouet gregem machæram,
Certat ſe pia præuenire turba,
Serum quiſque ſibi putat, quod ioſtar.
Cæduntur gladiis, teplentur ipſæ (:)
Valles corporibus fluuntque riui
Sacri ſanguinis, ipſe per cruorem
Sanctorum, Rhodanus ſacratus exit.
B Hinc iam nobilior, ſuoque maior
Excurſu, mare cum decore magnum
Maior petit, omne Galliarum
Regnum de nece Martyrum coronans.
O quam nobilis vnda, quæ beatas
Soluens exequias, lauare plagas
Et ſecum metuit ſacrata ferre (:)
Et ſe corpora poſſidere circa.
Quæ pridem leue nomen indicabant
Felicis loca iam placeſir Agauni,
Anguſtos aditus refulget inter
Quod miratur amans quadratus orbis
Poſtquam carnifices ſcelus peractum
Clauſerunt, epulis dedere ſeſe,
Inter funera pro dolore luctus
Auſi lætitiam ſequi iocoſam.
Ad conuiuia mente ſaniori
Peruenit ſtupidis ſenex medullis
Victor, cur geris inquiens, maligna
C Miles gaudia, ſtragis in cruore?
Iuſſit prouidus Imperator aiunt
Omnem militiam Deos colendo
Complacare ſibi, quod hæc rebellis
Nolens turba luit furore pœnas.
Suſpirans ſenior, quid, ioquit, iſtam (:)
Ætatis ſeriem miſer peregi?
Quam vellem, optio ſi daretur, inter
Hos finire pios grauem ſenectam.
Dicentem rapiunt, ſenem trucidant,
Fit Martyr ſociuſque candidati
Cœtus, & quibus ante concupiuit
Iungi, & protinus additur manipliS.
O ſummis pia laudibus colenda
Sanctorum legio, cruore lota
Quam perfectior omnibus figuris,
Hoc ſenarius ordinat decore.
Nam ſex millia ſexieſque centum
Seni tum decies ſemelque ſeni (:)
D Dicuntur, numero fuiſſe pleno,
Nil ſanctos melius poteſt decere.
Tanto munere gaudeamus omnes
Qui cœli ſuper aſtra nos patronos
Tot confidimus inclytos habere
Quorum oratio quod petit meretur.
His ſi ſeruitium fidele cures
O *Chonrade* patet mihi colende,
Totis viribus exhibere, iugis
Te per grandia facta pax ſequetur.
Nam quamuis miſer atque criminoſus,
Sim, credo tamen hoc labore paruo (:)
Sanctorum meritis dio petitam
Sitsbonem veniam à Deo mereri.
Sanctæ gloria magna Trinitati
Sit per ſæcula cuncta, laus, poteſtas,
Virtus vna, ſalus perennis ipſa,
Semper nos prece Martyrum coronet, Amen.

E

DE MARIA VIRGINE.

SIt Dominus tecum, ſemper tua gratia mecum,
Pacis & indicium, porrige daque manum.
Ad te clamantes lacrimis & voce precantes
Auxilio tutos, vndique redde tuos,
Exhilara triſtes, ſolare piiſſima flentes,
Noſtraque turbata tergito pace tua.

VERSVS IN AQVISGRANI PALATIO Editi. Anno Ludouici Imperatoris XVI. De Imagine Tetrici.

Strabus.

F CVr non dulce decus quando ſe contulit hora
Et ver floriferis lætum ſe ſubrigit Auſtris,
Magnus & ardentem gradibus legit æthetea Phœbus.
Iam ſpatiis creuere dies, dulceſcit & vmbra,
In flores partuſque nouos, & gaudia fructus
Herba recens arbos datur, & genus omne animantum;
Quod mare, quod ſiluas quod rura, quod aëra tranat,
Quærere me pateris, te reſpondere petitis?
Diſcere namque mihi votum, tibi dicere promptum.

Scintilla.

NEc te credo latet veteres quo more poëtæ
Digna diis terriſque canebant carmina magnis,
Aut etenim abrupti montis iugs ſola ſequentes,
Aut ſpecubus, poſſis aut ſaltus valle remoti,
† O magnum pharetrata econem voce ciebant.
Hitra ſuis hederis circum bene tempora † cincta,
Teſte nemus, teſteſque feræ, timidæque volucres,
Mens ſecura, procul furibundæ crapula curæ.

> † vers. corrupt. † cincti.

G At nos pro ſyluis, hederis, cebone, coturno;
Immanes omni ferimus de parte tumultus,
Et vix ipſa luto ſubducit pupula ſeſe,
Stercoribuſque nouiſſima pro pudor omnis inhorret;
Hinc detractorum ſonat, illinc clamor egentem
Nudaque tergoribus ſordeſcunt crura nigellis,
Has vnquam Muſæ ſi dilexere nigellas,
Stercora; clamores, cœnoſa fluenta, tumultus;
Reſpondere tibi nequaquam differo, ſed ſi
Pauca loquar, quia deeſt locus, argue lenius oro.

Strabus.

PRimum noſſe velim, iuxta quam ſæpe viamus
Cur ſit imago, ſuis ſic effigiata figuris.

Scintilla.

TEtricus Italicis quondam regnator in oris
Multis ex opibus tantum ſibi ſeruat auarus,
At ſecum infelix, piceo ſpaciatur auerno.
H Cui nihil in mundo, niſi vix fama arida reſtat.
Quamquam thermarum vulgus vada præparat olli,
Hoc ſine nec cauſa, nam omni maledicitur ore,
Blaſphemumque Dei ipſius ſententia mundi
Ignibus æternis, magnæque addicit abyſſo.
Quam ſtatuam viuo artifices ſi forte dederunt;
Credito blanditos inſano hac arte leoni,
Aut etiam quod credo magis, miſer ipſe iubebat
Hæc ſimulacra dari, quod ſæpe ſuperbia dictat,
Infelix nam nullus, erit niſi deſerit ipſe
Scire quod eſt, audens ſeſe quod credere non eſt,
Curribus atque in equis notis ſi ſtare ſuperbos
Non quod ſedit equo, recum mirabetis vnquam.

Strabus.

CErnimus aërias ſimul aduentare columbas
Terque die, exorta, media; & vergente venire,
Talia non vanis addam ſpectacula rebus.

Scintilla.

NOnne vides humiles sæuos quasi amare tyrannnos?
Non es corde tamen, sed enim pro temporis huius
Pace petunt pastum,non nidificando quiescunt.

Strabus.

CVt dextra de parte,nolam gestare videtur
Nudus ob hoc solum,puto vt atra pelle fruatur.

Scintilla.

ETsi non caneret,nequaquam pelle careret,
Quam semel induerat,sed erit quod dicere possis.
Flagitiosorum certe præconia,summis
Laudibus accelebrant,omnis virtutis egentes,
Verius vt dicam,dat nudo opprobria nudus.

Strabus.

SI quid in his aliud nobis edicito,nosti.

Scintilla.

FVlget auaritia,exornatis aurea membris,
Spicula fert quæ sepe latus pulsare pigrescens
Sufficiant,solidisque accendant corda rapinis,
Aurea quod regnat stipata satellite nigro,
Non aliud portendit enim,quam quod mala tantum.
Luxuries quosdam,sensu distendit auaro:
Tantum pauperies alios denastat adurens,
Quam subter labuntur,aquæ quia teste Poëta,
Semper auarus eget,quod desint frena notabis,
Quodque super lapides plumbumque & inane metallum
Curru equo,signat se pectore belua duro,
Corde pigro,sensuque cauo regnare superbam.
O pestis sine fine nocens, non sufficit omnem
Peruolitasse orbem bellis, & cæde potentum,
Quin etiam faciem præclara palatia contra
Christicolasque greges,videas posuisse nefandam,
Ante pedes ternos patentibus vndique neruis,
Ille tuus sonipes,vacuum super aera nando.
Tollet, & albentes monstrabitur inter olores,
Quam pia corda tuis † macules vis pessima telis,
Iam tamen ipsa pede in vanis conatibus vnum,
Optima nequaquam contra consulta leuasti,
Nam quotiens procerum tibimet coniungere quemquã
Es conata,tibi totiens aut obuia motus.
Ex insperatu venere repagula nigr,
Aut cautela patrum,quos arx sanctissima semper
Sustinuit pestem monitis compescuit atram.
Deliciat quorum sceptrum de semine nunquam,
Donec in igniuoma veniet Rex nube coruscans,

Strabus.

DIgnum est,vt video,præmissis tristibus ergo
Debita principibus laudem persoluere vota.

Scintilla.

NOni equidem,sed felici nunquam obfuit vlli
Aduersis firmare animum,neque contigit vllum
Ante bonum non esse malum,sic numina norint
Aurea quæ prisci dixerunt sæcula vates.
Tempora magne tuo *Cæsar* venisse videmus,
Tu pietate reples,quidquid minus esse potestur,
Thelmnis alij,metuis tu comptior esto,
Tu bonitate places,aliique tyrannide gaudent,
Solus ad omnigenos transis *Rex magne* triumpho,
Quem te namque vocem,nisi magnum in plebe Moysen,
Qui populos tenebris per lumen ducis ademptis
Qui morum noua templa struis,qui munera Christi
Quæ consua tibi cunctis communia præstas.
Ille vmbram,tu corpus habes,heremo ille remota,
Arte tabernaculum & serpentes vinxit aënos.
De silice hausit aquam,sumens de manna pruinis,
Tu vero in populis paradisi ad amœna vocatis
Templa regis,fundata sacris Rex magne lapillis,
Quorum pensa pater quodam tibi magnus adauxit E
Aurea cui ludunt summis simulacra columnis
Cuius ad ingenium non confero dogma Platonis
Lacte fluis & melle simul,petræque sequentis
Largiris latices,vndis Pharaone necato,
Laudibus altithronum celebras per sæcula patrem,
Digna loco cui semper erunt spectacula amœno.
Hinc magnum Salomonis opus,hinc templa supremis
Structuris æquanda micant,specularia subter
Dant insigne nemus,viridique volantia prato,
Murmura riuorum,ludunt pecudesque feræque
Vri cum ceruis,timidis cum caprea damis,
Si quoque deinde velis,saltabunt rite leones,
Vrsus,aper panthera, lupus,lynces, elephanti,
Rhinoceros,tigres venient, domitique dracones
Sortiti commune boumque ouiumque virectum,
Omnia pacatis animalia fitibus assunt,
Aëriæ summo quercus de vertice lætis
Commodulantur aues rostris,& suaue susurrant. F
Ast alia de parte nitens fulgore caruseo
Autarus discurrit eques, comitante pedestri
Agmine,tintinnom quidam,quidam organa pulsant.
Dulce melos tantum vanas deludere mentes
Cœpit,vt vna suis decedens sensibus ipsam
Fœmina perdiderit vocum dulcedine vitam.
Cedant magna tui superest figmenta colossi
Roma velit *Cæsar magnus* migrabit ad arces,
Francorum quocumque miser conflauerit orbis
En queis præcipue iactabat Græcia sese,
Organa Rex magnus non inter masima ponit.
Quæ tamen inceptos seruent si intacta canores,
Deses erit qui sæpe suo quatit æra plectro.
Ante tamen sprera iactabit pelle lacernam,
Et ferri rapta bacchatus mole sonoros
Comminuet truncos,& iniquas voce cicutas,
Nec frustra,quia nulla suo pro carmine dona
Emeruit,saltim vt fului pars extima nigros
Auri † conlatus meritis depingeret artos. G †
Interea magnis crepitant tabulata cateruis,
Quæ clarum sequitur pulcherrima turba Moysen.
Obstupui fateor gemmis auroque decorum,
Et vidi & mecum voluens,tum singula volui,
An Salomona pium,an magnum Dauida viderem,
Herudem non esse sciens, nec talis honoris
Participem,faciat cœli Rex optimus illum.
Percepi tandem, postquam rigor ossa reliquit,
Ossa sacri corrupta patris,splendore corusco,
Hunc cui fulgorem diui consortia verbi
Ediderant, qui in terrigenis mirissimus extat.

De libro Machabæorum priore.

MAchabæo minitante suis
Hostibus,armaque terribili,
Bellica consociante manu,
Fulsit in aureolis, rapidus
Sol clypeis, fulgente chao
Obtinuit legio numerum. H
Israel exsuperans cuneis
Quem validis inimica cohors
Instituit prius agminibus
Vt populum quateret Domini.
Res manet hæc imitanda piis
Quos furor exagitare feri
Dæmonis inuidus, haud terrahit.
Quosque pericla sæua mouent
Matris adhuc terebrare minas,
Agmina dum tua iura velis
Quæ tibi nutrit alendo animus,
Sternere subsidio Domini
Castra volatilis exitij.
Hostica prouidus arma nota.
Luminis accipe rite ducem
Et loca plana quiete pete
Campus amœne iuuet patulus
Ne maneas piger insolitis

Digitized by Google

A Nocte teraris vbi vitiis.
Iustitiæ tibi Sol oritur.
In clypeisque tuis rutilat
Quæ tata sunt documenta patrum,
Quis tua vita regenda tibi est
Ne sopereris ab hoste tuo. (:)
Efficis hoc duce Machabæo
Qui vocitatur & ipse Iudas
Dum tua facta pio Domino
Pandere non trepidas & opus
Semper agis tibi proficuum.
Respice magne parens hominum
Meque tuere, licet fragilem
Brachia ne mea forte queant (:)
Prælia coridiana dolo
Frangere, quæso faue omnipotens.

De S. Gallo.

B VErpibus offensus requies ait hæc mea sanctus,
Dum Leuita studens veller sustollere lapsum,
Mox cruce defixa sanctum cecinere poëma
Auxilioque sibi, quærunt solatia Christi
En vrsi Gallo famulatur pane recepto
Dum simulat somnum Leuita cubando per aruum,
Sancti ductorem pisces captare volentem
Feminea io specie terrebant dæmonis iræ,
Henrico Regi sit præsto gratia Christi,
Quæ finget omne malum, iungat & omne bonum.

Carmen venerabilis Bedæ Presbyteri de Psalmo 112.

LAudate altithronum pueri laudate Tonantem
Sit magnum Domini benedictum in sæcula numen,
Solis ab exortu Dominum laudate potentem,
Solis ad occasum in hymnis persistite laudum.
C Excelsus gentes Dominus supereminet omnes,
Eius & astriferos transcendet gloria cœlos,
Quis Domino est similis sedes cui perpes in altis,
Respicit ast humiles cœlo terraque benignus?
Mærentes inopesque à rudere tollit, eosque
Primates inter populi, sublimat opimus,
In sterili habitare domo, miseratur & amplo.
Lætari tribuit natorum germine matrem.

Non circundantis timeo me milia plebis
Quem metuant fines terrarum funditus omnes,
(* vers. interpr.) * Gaudebunt in ea cum tibi decantauero labra.

De Hlotario Imperatore.

AT latere è dextro sancti spes optima regni
Procedit Iosiæ præsagi nominis hæres,
Cui nil defuerit morum virtutis, honoris
Qui si sospes erit, postquam te regna polorum
Sustulerint, visoque Dei lætabere vultu,
D Principe sub Christo, terra cœloque canetur
Perficietque bonus primordia talia finis.

De Hludouico Rege.

INde tuos Ionathas læti dulcissime vultus
Contemplamur, adest tibimet par gratia pacis
Par morum probitas, semper victoria compar,
Digna equidem referes nomen virtute paternum,
Quamquam cura minor, tamen est tibi gloria consors
Nec doleas, quod gaza negat, concordia præstat.

De Pippino Rege.

TErtia gemma suos vnquam non perdit honores,
De cuius meritis quod non mihi visus inussit
Haurio florigena lætæ dulcedine famæ,

De Iudith Imperatrice, & Karolo Augustorum filio.

OCcurrit trepidæ pelagi vastissima proræ
Inluuies. via quam suadet modo cœpta secandam,
E Sed moles absterret aquæ, atque volubilis obex.
Vidi equidem cum pulchra Rachel solamen auorum
Benjamin dextro produceret ordine, cuius
Larga salus sanctam refouet per sæcla senectam,
Quem pars quinta super quam lætus percipit alter
Credo manet, namque ipse suo splendebit honore
Ipse tribumque genusque pia virtute creabit,
In quo mater ouans, quamuis quid passa doleret,
Gaudia totius prompsit felicia mundi.
Gratia quæ teneram vestit miranda iuuentam,
Maturos iam format honesto in pectore sensus,
Felix progenies, tali mansura nepote,
Nomine, quem sequitur, factis da Christe sequatur,
Moribus, ingenio, vita, virtute, triumphis.
Pace fide, pietate animo, sermonibus, ausis,
Dogmate, consiliis, successu, & prole fideli.
Etsi perspicitis non frustra nomine Iudith,
At Iudith virtute refert & relligione,
F Assyrius cui prædo caput submisit acerbum,
Illa gulam mortis, fidei mucrone trucidans,
Libertatis opem saluatis ciuibus auget.
Tympana raucisona pulsauit pelle Maria,
Organa dulcisono percurrit pectine Iudith.
O si Sappho loquax, vel nos inuiseret Holda,
Ludere iam pedibus, vel ferre futura valeres,
Quicquid enim tibimet sexus subtraxit egestas,
Reddidit ingeniis, culta atque exercita vita,
In qua multa simul nobis miranda videmus,
Semine stat locuples, apparet dogmate diues.
Est ratione potens, est cum pietate pudica,
Dulcis amore, valens animo, sermone faceta,
Læta cubans, sit læta sedens, sit læta resurgens,
Læteturque poli felix in sede locata.

De Hildunino Archicapellano.

PRotinus in magno magnus procedit Aaron
Ordine mirifico, vestis redimitus honore.
Punica tintinnis respondent mala sonoris,
G Mala fidem, tintinna sonant documenta salutis,
Quis virisque piis, vario pater ordine fulget,
Et diuina sacro, celebrat celer orgia cultu.
Ante ubi contingit aquis, Thetis vda carere,
Idula quam tantus coquat execranda Sacerdos.
Idola quæ plebem strauere securibus almam,
Idola auarus habet, ut dicis Apostule Christi.
I Deus, I mundi melioribus vtere * factis. (* facta.)
Viue Deo felix, felici fine potitur.

De Einhardo Magno.

NEc minor est magni reuerentia patris habenda,
Beseleel fabri primum qui percipit omne
Artificum præcautus opus, sic denique summus,
Ipse legens infirma Deus, sic fortia temnit.
Magnorum quis enim maiora receptat vnquam
Quam radiare breui nimium miramur homullo.

De Grimaldo Magistro

H QVamuis subtei agas Regum tabularia vitam,
Non te prætereo, speculusne latebis Homere,
Non namque Sicana tibi spelæa placere,
Solius vberrentis Musarum & amore finaris,
Sæpe tamen magnis victoribus optima crudis
Carmina, tempus erit titulo te Sole carere.
Corporis at nostri si singula membra loquaces
In linguis vario rerum verterentur ab vsu,
Argutæ aut setis possint crevisse cicutæ
Omnibus impar ero magnorum promere laudes,
Vt dignum est procerum melius miranda tacemus,
Quam tam magnum humili pondus sermone leuemus,
Cum mihi fuerat tales cognoscere fasces.
Rimabarque sagax tantarum mania rerum,
Dumque sitim iam pene sacro restinximus haustu,
Et sitis est ingens tam feruida cura videndi,
Quæritur vnde essem, & missu cuiatis adessem;

Obſtupui & totam pauitans rem ex ordine pando,
Sufficiat vidiſſe ſemel, laudare perennis
Inſtat amor, diuinamanum clementia veſtram
Omnibus in populis faciat retinere trophæa,
Felicemque patrum famam cum prole togatam,
Et fieri in magno allectos per ſæcla ſenatu
Vtque timent veſtros lætis in ſaltibus arcus
Vrſus, aper timiduſque lepus, ceruique fugaces,
Damna, lupus, immane bonumque examen agreſtum.
Sic * Vulgar, farræque Cynos malus hoſpes Hyberis
Brutus Britto; Danus verſutus, & horridus Afer.
Subdat honorandis ſua colla exterrita dextris
Nunc tandem creuit felix reſpublica, cum fat
Et reges ſapiunt, ſimul & regnant ſapientes.
Tetrice ſtultè vale, quia te ſuadente canebam,
Non mirum eſt vitiis noſtram ſordere camænam,
Nec mihi materiem, nec verba oſtendere noſti,
Hæc tibi ſi qua ferat ratio tum Muſa nitebis
Hic calamum placuit veſper iam figere ſurgit.

Edidit hæc Strabus, paruiſſima portio fratrum,
Augia quos veſtris inſula alit precibus.
Strabonem quanquam dicendum regula clamet,
Strabum me ipſe volo dicere, Strabus ero.
Quod factor vitiauit opus, ſi dicere fas eſt,
Hoc vitiato eadem nomine, parce Deus

Ad Iudith Imperatricem.

OMnia qui ſolus rerum ſecreta tuetur,
Præmia qui fidei deuotis mentibus offert;
Illius arbitrio factum, nutuque fatebor
Vt qui corde humili vobis fidiſſimus eſſe,
Iam pridem ſtatui, tandem quo neſcio caſu,
Seruitio attrahere veſtro, proliſque beatæ,
Quam veſtris regnique ſimul profectibus huius,
Alma Dei pietas conceſſit ſurgere magni,
Vos veſtroſque Dei ſemper miſerata poteſtas
Protegat, exaltet, firmet, regat, armet, adornet
Auguſtæ hæc humilis mittit munuſcula Strabus
Pignora multorum domino tranſmiſſa ſequeſtro,
Pacis amatrix, lucis amica, quæ bona cuncta,
Mente tueris, hæc mea clemens, percipe ſcripta.

Ad eandem de quodam ſomnio.

TEmporis infauſta ſub * poteſtate dolendi
Dum fraudis commenta pios populumque patremque,
Opprimerent ſanctamque fidem delere pararent
Præſcripta, exiliis, odio, vi, carcere, ferro,
Tunc, iacuere boni nebula mœroris opaci,
Solaque per gremium regni nutantis ineptos
* Perfida exeruit terrore tyrannidis auſus,
Dum mihi ſollicito, & recti pro parte gementi
Sæpius ingentes fluxere in pectora curæ,
Nec requies præſaga mihi per ſomnia, donec
Haud dubia virtute Deus, priſci atra timoris
Nubila decutiens, nitidum ſperare ſerenum
Edocuit, tenebris dum nox includeret altis
Pallida, quod terram & longum quod inane vocamus,
Dum ſopor internis animalia feſſa medullis
Soluit, & angores longi curaſque diei,
Munere, diuino moderamine temperat æquo
Viſa libri ſeries coram pulcherrima longi
Ante meos vultus, metricis qui verſibus, omnem
Rite ſuperficiem, geſtabat in ordine plenam,
Dumque auidus rerum, cautus per ſingula lector
Item, animaduerti ſeriem de caſibus ipſam,
Et regni & Regis, textu reſonare pedeſtri,
Cæſaris hic nomen quadam ſub imagine verſum,
Proque ſacro ſemper Ludouici Equitatius illic
Nomine ſcriptus erat, neque me cognominis huius;
Turbabat nouitas, cum cauſa videlicet ipſa
Perſonam exprimeret, notis notiſſima geſtis
Namque legebatur, geminæ diſceſſio fraudis
Impietas, raptuſque duplex, patientia victrix,
Rectoris rerumque decus reparabile ſemper.
Cumque oculi ſenſus, aures, atque intima cordis
Antra ſibi arderent relegendo ſiue legendo
Frater ab aſpectu librum, miracula cuius
Præbuit eripiens, memori ſuperaddidit ore:
* Triſtior ex oculis humeros quam tota decebat.
Pectora non longe paſſuri damna ruinæ.
Euigilans pariterque volens retinere quod hauſi,
Vix verſus in fine duos, & nomen adauctum
Mente recordabar, reliquorum obliuia paſſus
Nominis auſpicio paucis ſpem protinus auxi
Veloces virtutis opes Equitatius ille
Portendebat, Idemque ſequens aſſertio firmat
Triſtari nimium, tolerantem pondera dura
Non debere, citos facturum in læta recurſus.
Hæc ego cum videam factis impleta, quid vltra
Occulerem, placuit vobis efferre probanda
Quæ nobis longi nutribant gaudia voti.
Auguſtæ, pauper decies dat munera quina
Strabo, petens veniam, ſignat quam calculus idem.

**vidETur ſenſus imperf.*

HLudouico Imperatori.

VIlia pro meritis ſunt hæc munuſcula veſtris
Sed tamen ex pleno quæ dat amore fides.
Quam vobis ſeruare diu, totumque per æuum
Hanc animam veluti nitar ad vſque obitum.
Quid mihi quid poſſit conſiſtere clarius vmquam,
Gloria quam Domini continuata pij?
Hanc ſacer aduentus Chriſti virtute potenti,
Auxit in affectum lætitiamque nouam.
Paruulus ille quidem carnis de parte vocatus
Grandia nominibus ſex & opima tenet.
Fortis & ipſe Deus, mirabilis & pater æui eſt
Alterius, pacis, conſiliique potens.
Ipſe pio vires diuinaque munera Regi
Et clarum æterno tempore det columen.
Pacem conſilio faciat retinere ſalubri
Quem paci æternæ muneribuſque parat.
Hic vos cum veſtris repetitis ſæpius annis
Hæc ad feſta Deus prouehat incolumes.

**in margine Cod. annotatur, hic ponendũ eſſe Hymnum Sapphicum in Natalem Domini ſupra iam poſitum.*

Iudith Auguſtæ.

MVlta quidem veniunt meritis non debita noſtris
Quæ probitate ſua nos hilarare queant.
Pauca ſiniſterius torquent tamen obuia flatum
Queis aliquot vobis me reticente patent.
Non horum extremum eſt, quod nullis iuſſio memet
Veſtra ligat cauſis, * ni quod adeſſe datur.
Non faciem video, non hautio verba, ſed inter
Spem dubito atque metum, diſpliceam an placeam?
Conſcia corda tamen fidei, votique fidelis
Non deſperare me meliora docent.
Sufficiat præfixa, fides, orabo quod ipſe
Hactenus orabam, quæque petenda reor.
Vita, præſidio, pace & ſolamine Chriſti,
Vos veſtroſque ſimul tempus in omne frui.
Proxima ſanctorum quod nos per feſta dierum
Plenius acturos credimus & volumus.

** in.*

*De Offe * Dammula per quod arbuſcula creuit, ad Imperatorem HLudouicum.*

**damule.*

ARboris eſt altrix quondam vagina, medullæ
Tibia germen habet, nempe bonum omen erit,
Quod cortex humore caret, quod durior ipſo eſt
Robore miramur, talis in oſſe vigor.
Nil Cæſar tibi magne vacat venabere Dammas *
Oſſibus ex quarum ſilua orietur, aue.

**Dammas.*

A *Ad Carolum Iuuenem.*

NAtus & egregie, & cultu nutritus herili
Disce quid auctori retribuas Domino.
Iustitiæ virtus primis adolescat ab annis,
Tecumque hoc sana mente senescat opus.
De pietate patris potius, quam stemmate regni
Degenerare vlla conditione time.
Si recolamus auos atauosque & magna priorum
Nomina, tum solum prodetit hæc series.
Si sacra nobilitas pulchro spectamine morum
Fulgeat exclusis inscitiæ nebulis.
Gaudeat ergo sequax famulorum turba tuorum
Quos tantæ reficit indolis auspicium.
Nam nihil est quod adhuc felicibus anocet annis,
Omnia quæque geris spem faciunt animis.
Forma decore nitens, animusque capacior æuo
Et quod præcipuum est, zelus amorque Dei.
B Incipe quod tandem maturior expleat ætas
Quod primo imbiberint vasa, diu sapiunt.
Maiestas tibi cuncta Dei det prospera semper
Et vitæ æternæ dulcia dona ferat.

Hiltuuino seniori.

SI condire meos mellis dulcedine versus
Sancte pater possem, vel decorare rosis.
Non hæc pompa tamen condigna nitoribus esset,
Quos morum & sensus cum probitate geris.
Et tanto me vestra quidem clementia cultu
Suscepit, quantum promeruisse velim.
Nil seruiui, nil merui, tamen ecce repente
Immerito assumptus pauper, honore fruor.
Et fruar, ac vestra iucunder pace per æuum
Et vita & meritis, atque salute sacra.
Compensare tibi nulla pro parte quod actum est
Sufficio, Dominus sed retributor erit,
C Cuius ob intuitum, nec nos, nec nostra videris
Despicere, affectu sed tolerare pio.
Sum quapropter, eroque ex toto corde fidelis
Vobis & vestris tempus in omne satis.
Obsecro, posco, precor, Domini protectio vosmet
Vt tegat, atque regat, firmet, inaltet, amet.

Heribaldo Episcopo in persona Karoli.

NOn minimas grates non parua rependere tantis
Præmia nos meritis velle Heribalde putes.
Quod tremebundus ad hoc non segnis honori
Litterulas pleno mittis amore tuas.
Iam completa quidem testantis verba Prophetæ
Nouimus, effectu sed repetita nono.
Et venit ad Dominum laudatio plena timoris,
Aurum fert Aquilo frigore sæpe rigens.
Pectore quippe tuo, flammas ardere priores
Indicat iginiculus, quem tua scripta gerunt.
D Et quia scis nostrum iusto moderamine morem.
Parcere subiectis, & tolerare malos.
His tibi pro donis, reddentur munera plura
Quam tibi perfidiæ lucra tulisset amor.
Si quam dulcis inis, tam dulcis in extima tendes
Mi dulcedo tua, dulcior vsque manet.
Disce gradus stabilire tuos, ne pendula rursus
Semita, saxosum digrediatur iter
Faustus in antiquo iam disce senescere nido
Donec vile regat candida pluma caput
Tum febre tussimque, grauem, turpemque podagram
Perpetiens, laribus immoriere tuis.
Hæc optasse tibi signum est redamantis amici.
Vel mitis domini, vel patientis heri.
Sis felix nostrisque scias tua cordibus apte
Seria permixtis complacuisse iocis.
Sæpius hocce gerens, animos perpende fideles,
Atque voluntatis mutua disce meæ.
Indigeas quotiens, toties per secla valeto
Sed nunquam nostri immemor esse velis.

E *Ad Luitgerum Clericum.*

DVlcibus officiis & amica mente colendo
Luitgero Strabus, paucula verba dedit.
Parua licet fuerit nostræ dilectio partis,
Credo tamen memorem te satis esse mei.
Quidquid habes dextrum, gaudens volo. Porro sinistrum
Si quid adest doleo, cordis in oppidulo.
Vnicus vt matri, terris vt lumina Phœbi
Vt ros graminibus, piscibus vnda freti:
Aer vti oscinibus, riuorum vt murmura pratis,
Sic tua pusiole, chara mihi facies
Si fieri possit, fieri quod posse putamus,
Ingere te nostris visibus, oro, celer.
Nam quia te propius didici consistere nobis
Non requiesco, nisi videro te citius.
Excedat numeros astrorum, roris, harenæ,
Gloria, vita, salus, atque valere tuum.

F *Item ad ipsum.*

CAre venis subito, subito quoque care recedis
Audio non video, video tamen intus, & intus
Amplector fugientem & corpore non pietate.
Certus enim vt fueram, sum semper, eroque foueri
Corde tuo me, corde meo te. Nec mihi tempus
Suadeat vllum, aliud tibi nec persuadeat vllum
Visere si poteris, sat erit, si videro gratum,
Sin alias, rescribe aliquid, tua tristia noui
Atque dolens recolo, dolor est possessio mundi,
Quæque serena putas, magis hæc in nubila tristes
Et tenebras fugiunt, volucri qui pendet in orbe
Nunc scandit, nunc descendit, rota sic trahit orbis.

Ad Hludouicum Clericum.

CVi Hludonice tui donasti munus amoris
Hæc tibi dat Strabo verba salutis, aue.
Vestra licet vilem fecit promissio memet
Versibus audere vos monuisse meis.
G Nam quamuis magnos mundi teneatis honores,
Non vos credo tamen spernere nos minimos.
Diuitias non dico hominum, dum spesque fidesque
Aruerint, solus tum superabit amor.
Non vestis, non vlla fero tibi dona metalli
Solo seruire quæro in amore tibi.
Totus enim sensu, verbo, factisque studebo
Promissum tibimet redderet amoris opus.
Esto memor memoris, Dominoque fauente valeto
Tot bona percipiens, quod meruisse sat est.

Ad Bodonem † Yppodiaconum. † hypodiaconum.

HÆc tibi dat Strabo charissime pusio Bodo
Paucula parua licet verba legenda tuus.
Quem feruore pari dudum desiximus aruis,
Surculus, ad superos prodeat ille Notos.
Pura per assiduos surgat dilectio motus,
H Donec firma polos, astraque adire queat.
Sis memor in precibus, reddis dum vota Tonanti
Strabonis, memor est semper & ipse tui.
Quod Domino sectate placet, quod iussit, amato,
Quod spondet, speres, quod prohibet, fugias.
Dilige virtutes, vitiis procul omnibus esto.
Præmia certa bonis, pœna datur miseris.
Ad meliora tuos ducat Deus omnia sensus
Et tibi perpetuo munera magna ferat.
Candide, care vale, charissime semper vbique
Pusio candidule, candide pusiole.

Ad Gotabertum Italicum.

NOn magis est nato lætata Verona Catullo
Mantua nec tantum ipsa Marone suo,
Lætior aut † Helles magnum fundebat Homerum † Hellas.
Corduba vel Senecas misit & ipsa duos.
Qu .n te, si valeas, crescet doctore Ticinum,
Fortunate puer, Tullius alter eris.

A Sis quicumque vale, vel sis quicumque futurus
nosler eris, valeas poscimus in Domino.

Ad Thomam Praeceptorem Palatij.

CVlmen Apostoliei cœpisti nominis hæres
Actibus & verbis, promeruisse tibi,
Qui bis sena suo prælegit pectora dono
Nonit Straboœm te retinere animo.
Gaudeo non tantum mundi quod prospera rident,
Quantum quod cunctis pro bonitate placas.
Hoc commune malis fieri quia sæpe videmus
Illud habent soli, qui placuere Deo.
Non dat honor meritum, meritis sed redditur ipse,
Nec peritura ligant pectora plena Deo.
Vt sale, rore, ducum facie, cato, gramina, bella,
Non sine labe carent, sic ego te alme pater,
In Domino sine fine vale, nostrique memento
B Vnius siquidem membra sumus capitis.

Ad Chonradum Comitem

EX quo percipiens vestræ præconia famæ
Et crebra & vera, banc ratione bibi,
Obscurus licet ingenio, natalibus atque,
Congaudere animo, laudibus his studui.
Egimus hoc, agimus nunc ipsum semper agemus,
Dum vitalis alet pectora nostra calor.
Quicquid enim possum facto, prece, corde, fideque
Hoc totum vestro mancipo seruitio.
Et si non fuerit vacuum, præsentia quo me
Vestra hilaret, mente vos tamen intueor.
Vilibus expetiar dictis, liceat ne volenti
Hinc mihi plura sacris credere dicta volis.
Nam data si fuerit tandem fiducia fandi
Vos penes haud apto tempore mutus ero.
Nobilitatis apex, hominum pater vnus & vna
Pauperibus procetes conditione ligans,
C Virtutem, vitam, pacemque in sæcula vestram
Amplificet, firmet, multiplicet, foueat.

Ad Ruadbernum Laicum.

EX quo fama tui celebrem mihi nominis auram
Attulit, & fides robur, rerumque tuarum
Cognoui seriem, magno te pronus amore
Amplectens iugi mecum venerabar honore.
Et quia quæsitum merui cognoscere tandem
Creuit amor, quanto propius pia notio creuit.
Quis numerabit enim, quantus persæpe labores
Sustuleris, quantisque tuam *Rodberne* periclis
Credideris vitam dominorum damna gemendo,
Dum fraus sæua pium premeret sibi noxia Regem
Reginamque humilem, Ligurum clausisset in vrbem.
In manibus posuisti animam, nec grande putabas
Exitium casusque mi discrimina, si quem
Moliri posses iuris pro parte vigorem.
D Quando horum cauta mecum sub mente recordor
Miror, & in lacrymas commoto pectore saluor,
Et quantum accipio, Domini solatia vires
Has tribuisse tibi, certo pro munere credo.
Heu quibus insidiis, artissima septa viarum
Alpibus in mediis, sollers custodia cinxit?
Quanta per ingentes fluuiorum angustia cursus
Terruit, & quotiens trepidum tenuere latebræ,
Pauperies pressit, præsens metus, omnia dura,
Nullum tempus erat securo munere plenum,
Nox obscura diem, noctem lux ipsa timebat
Nulla domo campove quies, timor vndique pulsans.
Sola fides rectique sibi mens conscia tantam
Suasit opus, docuitque aliquam sperare salutem.
Cætera sed nimio terrore pericla furenti
Sæuitiæ cessere hominum, qua sæpe coactus
Commutasti habitum famulique vice apta per artem
Seruitia explesti supplex, & mille gerebas
Ingeniis quod præcipua virtute nequires

E Sed mens plena fide nullo defessa labore
Non ante assumptum, quia vim formidinis vnus
Deseruit, requiemve habuit, quam prima potentum
Corda per Hesperiam scriptis verboque coëgit
Sacrilegum genuisse nefas, his deinde peractum est
Consiliis, vt fessa diu & compressa malorum
Ponderibus Regina, feris educta tenebris
Non sine honore foret, tandemque occultus, & arte
Visus adumbrata, venisti & dulcia coram
Suscipiens mandata piæ celer ipse libensque
Cæsari, & adiunctis portasti primus amicis.
Nec minus illud iter recidiuo horrore molestum
Insidiisque dolisque tibi fuit vndique, plenum
Cumanum quando arta lacum custodia nisa est
Præclusisse tibi, Domini sed dextra secundos
Immittens ventos inimico à litore vexit.
Rursus in aëreis, niuium vis alpibus altas
Fecit habere moras, requiei in amabile tempus,
F Has quoque decutiens studiis iniuncta benignis
Nuntia sollicito retulisti ex ordine Regi,
His tibi pro causis & iam felicibus inquam,
Ausibus ille redux Rex & Regina soluta,
Et cuncti pariter plena pietate fideles;
Altius ascribent laudes & nomen honestum,
Insuper omnipotens statuit qui iura fidemque
Qui Dominos famulosque vna radice creatos
Non æqua ditione facit, sed amore & honore
Concordare sibi, reddet tibi præmia vera
Haud dubiæ fidei, quæ non cum laude volantis
Temporis intercant, sed in omnia sæcla redundent,
Hæc ætate quidem inualida dum tempora nondum
Pube sua teneris florerent tincta sub annis
Æmula pauperies, dum grandia facta vetaret
In probitate sua, temet potuisse volentem
Miramur, quæ posse dedit Deus ordine certo.
Ergo quis in reliquum de te dubitare sinetur
Quantum pro Dominis, quantum pro iure fideque
G Si locus affuerit melior, maiorque facultas
Desudare velis? qui prima Incommoda forti
Sustinuisti animo, rebus non victus amaris,
Spemque metumque inter dubio discrimine pendens
Ante oculus duro versabas pondere mortem.
Ergo age, fer Domino grates, & munera laudum
Iustitiamque simul dominorum attende merentum,
Tristitia deserere, & rursus in læta redire,
Nam quid erat mæsto tam desperabile regno,
Quam sua depositis iterato posse venire
Sceptra, statumque illos adipisci posse priorem?
Sed Deus occulti iudex, atque arbiter æquus,
Hos illosque sua iuuit virtute fideles,
Lætare, exulta mecum, Nam gaudeo tecum,
Hoc quia compleri & completum parte videmus,
Ipse quod optaui, saltimque audire cupiui.
Quodque per ingentem quæsisti rite laborem.
Felix participem qui se cognoscit honesti
Et consortem operis, quantum sibi conscius ille.
H Perfidiæ confusa globis per pectora tabet?
Tantum, vel potius multo magis, omnia secum
Lætitiæ fomenta habeant, qui fida reseruant
Corda suis Dominis, casusque inuicta per omnes:
Iam videor nimium fortasse loquacibus vsus
Exametris, dum magna meos extendit amores
Materies, breuiterque pudet dixisse quod alte
Sit dignum ingenio, dignumque poëmate longo.
Dat decies denos vilis tibi denique versus
Strabo, rogans solito vt tecum mediteris amore
Iussa Dei, valeasque simul per sæcula cuncta.

Ad Adalheidam.

SI quod mille sonat relationum
Assertoribus estque veritatis
Vbertate ratum, tacere nitar,
Fortasse inuidiæ notam subibo.
Non hoc ergo meæ placere menti

Contingit

A Contingat, potius velim benignè
Audire, & sine fraude publicare.
Quidquid nam bene de bonis refertur,
De vestra fateor * probitate, tantus
Nosmet rumor alit, rapitque mentes,
Vt si dissimilem fauere laudi
Contra quod gero, conscientiam sit.
Miramur conscientiæ decorem
Quo vos præcipue nitere notum est,
Miramur meritum, probosque mores
Quis vos non dubium est placere cunctis,
Qui vos laudat, honore se coronat,
Qui vos laudat, amat, colitque verum,
Qui vos laudat, habebitur benignus,
Qui vos laudat, agit: quod est agendum.
Non isthæc adulantis ore promo,
Nec desidero complacere falsis,
Sed veris potius viam loquendi
B Verbis institui parare rectam.
Nam si compereto † lucere nobis
Et si cunctipotens hoc annuendo
Clementer dederit, legetis exin,
Nostri pectoris indices figuras,
Nunc & semper, & hic & in futuro?
Saluete in Domino, valete, auete
Vos sanctus pater, & patris beata
Proles, spiritus & iuuet per æuum.

† *licere*

Fabula admonitoria ad quendam.

COgito quid faciam nuper mihi contigit vno
Iam cecidisse loco, canibus lacerabar ibidem.
Calcibus hic populi cœno demersus in imo,
Si mihi consilium dederis, vitabo per æuum
Hanc calcare viam, probra quæ mihi tanta ministrat.
Nam vereor ne forte freti me subruat æstus,
Cuius ab incursu vix in tellure receptus
C Effugi patulas furibundi gurgitis iras:

Similitudo impossibilium.

ALbentes capiat coruos, cignosque nigrantes,
Limaces, quoque multiloquos, mutasque cicadas
Cornutos adquirat equos: mutilosque iuuencos,
Pisces nare vetet, constanter auesque volare.
Fontes stare citos faciat: tum currere montes,
Ferri cogat aquas sursum, flammasque deorsum,
Limus ad humorem, cera vt durescat ad ignem,
Ossaque sanguinibus tumeant, neruique medullis,
Lumbrici saliant, reptentque in puluere cerui,
Gallinæ fundant hædos, atque oua capellæ.

Epitaphium VVerdonis.

POstquam primo homini sæuæ sententia mortis
Iuste vlciscentis venit ab ore Dei.
Fama licet quosdam lato celebrauerit orbe
Nominis atque auram ferret ad vsque polos:
Iustitia censente tamen, moribunda statutum est
D Membra sepulturis posse capi breuibus,
Hæc magni tam pauca viri tenet area corpus
Cuius in ætheria spiritus arce manet.
Huius namque loci fuerat Patronus & Abba
Nomine *VVerdo* Dei plenus amore sui.
Egregius sensu, nitidi sermonis abundans,
Dogmata commendans moribus eximiis.
Sedulitate placens, cunctis affabilis, atque
Deuota Dominum religione colens.
Hunc rexisse gregem pie per quinquennia septem
Scitur, & omnigenis accumulasse bonis.
Martius apriles ter deno sole Kalendas.
Dum visit, *VVerdo*, mortem obiit, astra subit.
Huius pro requie titulum quicumque recenses,
Pectore de placido funde preces Domino.

In Ecclesia Monasterij, quod Rura vocatur

HOc templum Stephani celebratur honore dicatum
Cum Iacobo nostri fratre simul Domini.
Quorum sub precibus, Christi pietate recepti E
Summi adipiscimur munera larga boni.
Hildigrim struxit, Hadabaldus Episcopus archi
Sanctificauit, honor certus vtrumque manet.

Super vnum altare eiusdem Ecclesiæ.

IStam Lambertus retinet Martinus & aram.
Quorum nos precibus Christe tuere piis.

Super aliud.

HIc matri Domini socíaris sancte Gregori,
Cum qua pro nobis, poscito sceptra Dei.

Aliud Epigramma.

HAnc sancti sub honore Petri renouauit & auxit,
Abbas Grimaldus lucis amore domum.
Hic ex corde petens diuino munere sumet
Quod cupit, & votis congrua dona suis.

Aliud. F

HOc quoque virgo Dei genitrix veneranda sacellum
Grimaldus humilis, compsit honore tuo.
Ipsi mercedem, cunctisque precantibus istic,
Quod pie præsumunt, dedere posce Deum.

Aliud.

VErsibus atque metris par est donare poëtam
Vt mecatori carius est quod amat.
Bellica sordenti si portes arma colono
Despicit, & munus grande ligonis habet.
Miles item fortis, capiat si vomeris vsquam
Dona, magis lituos deligit atque sparum.
Sic quod quisque colit, quærit magis. Hinc tibi paucos,
Credere versiculos, alme pater volui.
Quantum delectet tua me dilectio, ne dum
Emanere queam, vix scio & ipse satis,
Disciplina tibi natiuum & tristior vsus
Abrasit Scottum substituitque probum. G
Esto iocum reputas quod dixi, sed mihi Chronmal
More abiens vestro, tradidit ista loqui.
En Fortunati oratus tibi mitto libellos
Mensoremque orbis, perlege, scribe, reduc.
Sum tuus, esto meus quod vterque habet alterius sit.
Sic ego tu sim alter tuque mihi alter ego.
Per nasum coniuro tuum, mi care valeto,
Et Dominum pro me, quæso precare libens.

De Hymno trium Puerorum.

OMnipotentem Semper adorent
Et benedicant Omne per æuum.
Astra polorum Cuncta, chorique
Solque sororque Lumina cæli
Omnipotentem.

Sic quoque Lymphæ Quæque supernæ
Ros pluuiæque Spiritus omnis
Omnipotentem.

Ignis & æstas, Cauma geluque
Frigus & ardor, Atque pruinæ H
Omnipotentem.

Nix glaciesque, Noxque diesque,
Lux tenebræque Fulgura nubes
Omnipotentem.

Arida montes, Germina colles,
Flumina fontes, Pontus & vndæ
Omnipotentem.

Omnia viua, Quæ vehit æquor
Quæ vehit aër, Terraque nutrit,
Omnipotentem.

Cuncta hominum gens Israël ipse
Omnipotentem.

Versus in quodam Mantili.

PInxit imaginibus rerum studiosa coruscis.
Hanc ita pallam arte manuque sagax.
Dogmata commendans moribus eximiis.

Si tam multa vnam fabre finxere figuram
 Quam pulchre binos colligit vnus amor.
Orbe voluta suo nitidæ petulantia carnis
 Vento flante perit, stat tamen aptus amor.

Ad VVerdrichum Monachum.

NVlla fides tecum, retinent mendacia totum,
 Vulpibus assimulis esse videris enim.

Versus in baculo.

SI mihi pes lapset, teleuans vice tu pedis asta.

Versus in flagello.

POstquam nulla meis creuerant germina ramis
 Ferre minas cereri, fructumque refundere cœpi.

In capulo cultelli.

PEr ferrum officio, per me qood non facit vllus,
 Sic tibi sit ferrum vtile, me terine.

Item in alio.

QVid natura mihi simulata, quid indat imago,
 Dic prudens vno nomine si sapiens.

In Manicis.

ECce sumus geminæ socia paritate sorores
 Sic tamen vna vice vitet vt alterius.
Dic cate quid faciat, quod nil perfecerat vmquam?
 Vel quem dent liquido, muta labella sonum.

In tabula.

PAndo quod ignoro, nec contradico petenti.

In Cereo.

HVius Christe manus factrices dirige cerei.

In Conuiuio.

SAl, panis, pottum, pisces, vinum, cibus assunt,
 Delicias regum nolo videre modo.

Ad Episcopum Ferend.

APparet ecce nouum regali stemmate donum.
 Vrbs, persona, locus regio, tribus, Insula, mundus,
Vndique congestis numero sine lanceque lucris.
Conciliare tuum, voto certante fauorem.
India mittit ebur, croceos dat Tmolus odores,
Aurum turbidulus, solito plus egerit Hermus
Te propter geminis fraudatur opima Canopus
Pontus & ostrifeti fauces vacuantur Abydi,
Engaddi lacrimam fundit tibi cortice lætam,
Docta minus sibi visa Tyros incusat hebentes
Muricis, haud dignos se iudice fassa rubores,
Epirus palmas simul, atque Mosella nouellas
Ceu pennatorum certant tibi gignere equorum,
*ΑΡΓΙΡΙΟΥ albentes depromit Sueuia montes.
a *Crisea te viuente diu fore sæcula spondens,
Hæc inter gemmam nec rura valle repertam
b Gemmam lucidulam, raram, caram, pretiosam
Transmittit proprius prompto tibi pectore* dulus.
Oohab sculpsit, qua Beseleelque notauit,
Voce quidem Græca gemmam restante probatam,
Quippe Agathes, agathos, bonus est lapis, ipse fateris,
Baltica non ebeni radiat sic forma nigelli,
Nec sic augustum decorant* Ameristina collum.
Vel Iaspis fuluo cum clausus fulgurat auro.
Illic si Dauidis resideret vertice Regis.
Omnigenas proprio superasset lumine flammas.
Denique si varis Moysi sub pectore fratris.
Cogeret vndenas sibi ius concederet gemmas,
Hæc tibi si gratus fuerit, licet ore nigratus,
Sueuia fors vllum si profert amhe lapillum,
Lacteolum, niueum, parium, seo scilicet album, E
Hunc tibi larga tui præbebit dextera serui,
Nec parcum dices dum fert Alemannia cautes
Nec tibi Saxonia satios dant saxea dona,
Sed vice tu nostra obsequio lapis acriter insta,
Dum veniens præsto valeam supplere quod opto.

Ad alium Episcopum.

EHeu mœrentem renuit dictario mentem,
 Aufugiens tristis confusa cubilla cordis.
Cuncti creans genitor, mihimet succurre misello,
Filius atque pius, qui sæcula cuncta gubernas,
Spiritus alme veni, confer tu verba precanti,
Sancta Dei genitrix nostri miseresce rogamus.
Asinata digna viro sunt nunc dicenda sereno,
 Nomine ...... perspicuo Domino.
Germine virtutum polles, & dogmate fulges,
 Doctiloquosque sophos arte tua superas.
Vos laudant omnes, quos Francia gignit amœna,
 Norica regna simul vos decorare student,
Sueuia fida parens, iam comptis exilit odis
 Gaudia magna canens, & super astra sonans.
Exultant iuuenes lætantes ac seniores
 Pontificem egregium, Sueuia quem genuit.
Regis honor populis solatia larga ministrans,
 Cunctis es mitis, dapsilis & miseris.
Si mihi centenas linguas natura pararet,
 Oribus & totidem mille sui hereor.
Carmina laude tui non possem dicere digna
 Nec sonitus vocis prendere cuncta valet.
Nobilitas generis cognoscitur omnibus horis.
 Progenies clara vos generauit ouans,
Corpore sat pulcher, mentis virtutibus almis,
 Omnibus in rebus comptus es atque bonus.
Tu clarus constas, tu locidus optimus † Archos † Prin-
 Nobilis in verbis, nobilior veritis. G
Tu Phœbum superas, errantia sidera septem, ceps.
 Hesperus ac pulcher te superare nequit.
Moribus ornatus fidei, firmissimus auctor,
 Tu speciosus enim totus ad vsque pedes.
Tu resoues inopes, quoque das bonus optima quæque,
 Accipiasque simul gaudia perpetua.
Nunc precor vt valeas felix per climata † Cusmi † Mundi.
 Ac memor esse mei, ne dubites famoli.

Aliud Epigramma.

SI deens argenti precium mihi, seu foret auri,
 Aut etiam pulchros habuissem fore lapillos,
Hæc tibi tanta patet tribuissem dona libenter.
Hæc quia non habeo, qua possum largior vltro.

Aliud.

VT gaudere solet fessus iam nauta labore
 Desiderata diu littora nota videns.
Haud aliter scriptor optato fine libelli H
 Exultat viso, lassus & ipse quidem.

Ad Amicam.

CVm splendor Lunæ fulgescat ab æthere puræ
 Tu sta sub diuo, cernens speculamine miro.
Qualiter ex Luna splendescat lampade pura.
Et splendore suo charos, amplectitur vno,
Corpore diuisos, sed mentis amore ligatos,
Si facies faciem spectare nequiuit amantem,
Huc saltem nobis lumen sit pignus amoris.
Hos tibi versiculos fidus transmisit amicus,
Si de parte tua fidei stat fixa catena,
Nunc precor vt valeas fœlix per sæcula cuncta.

A

VERSUS STRABI VVALAFRIDI, quos post annum ætatis XV. edidit de rebus diuersis, ad Hemonem Archiepiscopum Remensem in persona Tattonis.

HAc licet indigna liceat vos voce monere
Pontificum sublime caput, sanctissime Præsul,
Viribus vt totis cœlestia iura struatis.
Pars quia magna boni vobis facientibus omni
Apparere potest mundo, quia se locus vltro
Obtulit, vt vobis obtemperet aulicus vltro,
Et Dominus speciale dedit pro tempore lumen
Ingenij, quo summa domum sapientia fixit,
Nec minor hoc retinet totum veneranda voluntas.
Omnibus his cum vos magnus daret arbiter omnis
Iustitiæ, propriis locupletes crescere donis,
B Non erit indignum tota si mente beatæ
Ecclesiæ pia membra sua in compage medullis
Confortata suis foueatis dogmata sacro,
Et primum vigeant oculi, pro luce diurna
Qua totum instruitur, recta ad vestigia corpus,
Vos sal, vos lumen, Domini vocat vnica proles,
Soluere sacra vetans factis præcepta in sinistris,
Vobis soluendi vobis dedit atque ligandi
Cuncta potestatem cœlo terraque manentem
Conseruis alimenta iubens in tempore poni,
Vos igitur si vita decens ornauerit apte
Subiectos exempla trahent ad compita vitæ,
Et non subiectos series pulcherrima morum
Illiciet priscæ vitare eriamina vitæ
Et ceruice humili, faciet iuga ferre Tonantis,
Primum namque decet totoque & corde studendum est;
Vt pia Catholicis firmetur regula factis,
Post aliena sacris temptentur corda loquelis.
C Cogere quid prodest ad ouilia morbida, sanos
Quos cupis esse greges, primum vitia omnia sacris
Pellantur stabulis, sic turba nouella vocetur.
Nonne eadem quoque cura fuit Doctoribus almis,
Vt sine labe suæ graderentur ad omnia vitæ,
Blasphemis ne forte locum vis sancta dedisset,
Paulus præco Dei, sese cupit omnibus esse
Omnia, vt ex multis caperet felicia lucra,
Scandala non demus Iudæo & gentibus, inquit,
Ecclesiæve Dei, quæ rugas aufugit omnes,
Et capiti per membra suo se sedula nectit.
Quanto namque caput fuerat pro corpore toto
Olfactu, auditu, gustu, speculamine, tactu,
Tanto vos potior legeio strictura coërcet,
Hocque magis summæ debetis imaginis arcem,
Intrepido lustrate gradu; non hæc tamen istis,
Quod vobis aliquam virtutem deesse putemus
Prosequimur, sed magnus amor dicenda ministrat.
Nam cupimus vestra, ad sanctum molimina finem
D Ducier, at summum tractandi digna patenter
Nouimus esse locum, ni desit sola voluntas,
Iamque etiam nostrum vosmet cognoscere votum
Non dubitamus erit Christi perfectio donum.
Trina Dei vobis per sæcula cuncta potestas,
Æternæ tribuat, vitæ sine fine coronam,
Vt vos cum Domino, vobiscum & læta sequentum
Turba, metat stabiles magna cum pace maniplos.

Ad Degan Chorepiscopum Treuirensem, in persona. Tattonis.

HIs tibi versiculis Doctor sanctissime Degan
Tatto humilis mittit verba salutis ouans.
Attot in ambiguis vario moderamine rebus,
Vtrum pauca loquar, an potius sileam.
Scribere cogit enim, dilectio mutua mentet,
Sed vereor ne non dem tibi digna pater.
Tullius inferno quamnis repedauerit imo
Exerat aut magnus ora faceta Placeto. E
Liuius aut Titus secum ferat ipse Catonem.
Vel linguam teretem Sapho loquax terebret.
Non potuerunt vnquam laudum miranda tuarum
Digne proferri, sunt quia multa satis.
Miramur merito sapientis munera mentis,
Doctrinam, mores, carmina, dicta, animum.
Nec minus exterius miramur sancta staturæ.
Incrementa tuæ, membra, manus, faciem.
Nos paruos humiles, mutem sibi forma subegit.
Vosque gigantem esse gloria molis habet:
His sed sepositis tota virtute precamur
Ne laceres versus, Præsul amate datos.
Sed potius scriptis recinentia scripta ministres,
Quis nos correptos admoneas perimus.
Quin etiam dabimus puerorum pauca legenda
Hinc ioca nostrorum, vt vitiosa feces.
Verum de reliquo si quid mandare velitis,
Mente simus parti, sic tua iussa sequi. F
Quæsumus obnixe, nos ne frauderis auatis
Vestræ doctrinæ mellifluis modulis.
Sic equidem vobis, verbis audebimus ipsi
Dona salutis item mittere suppliciter.
Maiestas diuina tibi bona cuncta ministret,
Et faciat lætum regna poli capere.
Nunc valeas, vigeas meritis per sæcula pollens,
Sisque memor nostri, nosque tui in precibus.

Idem ad eundem.

SVscipe parua tui Præsul sanctissime Degan
Munera Strabonis quæ tibi mittit ouans.
Sis memor in precibus, reddis dum vota Tonanti
Strabonis, memor est semper & ipse tui.
Carmina Pygmei mittam, simul atque gigantis
Dum vacuum fuerit, semper vbique vale. Amen.

Ænigma.

ESt monitor quidam, plures qui commonet ipse
Non tamen vlla canit siue dicta monente vicissim, G
Quæ dum carmina coquit, penitus tacet atque refutat
Carmina, sed medio melius de frigore clangit.

Drogoni Episcopo Mettensi.

IVdicij decreta Dei dum Paulus acuto
Scrutans sensu, tanti non posset honoris
Non dico effari, sed nec contingere molem
Attonitus mirisque stupens affectibus. O quam
Sunt, inquit, diuina homini penetralia longe
Occultis abstrusa viis, quæ corpore clausi
Per speculum tetrisque vident ex parte signis.
Quis dinoscet enim, quæ sit sapientia mundi?
Quæ via? quæ rerum latebrosa scientia? quodue
Iudicium quo cuncta Deus regit, ordinat, vt sint?
Quo vasa interitus flagris & pace finiuntur
Teodere calle suo, per quod pietatis aguntur
Vasa per aduersos successus perque secundos
Lucis amare viam, quo factum sancte fatebor H
Prouisumque pater, primis vt casus ab annis
Sæpius asperior quateret, nec frangeret vnquam.
Quem lætis censura Dei laudanda diebus
Perpetuæque bonis voluit seruare salutis,
Ne si securis riderent otia rebus,
Libertas grauior generaret lenta periclum,
Gignit enim diuturna quies somenta laborum,
Iuge exercitium pacem parit, addit honorem.
Qui vaga diluuio seruauit semina mundi,
Et genus humanum parua de stirpe refecit,
Qui Ioseph regnare dedit post carceris vmbras,
Quique domum Israel duris Dux ipse catenis
Exuit, & pariter promissa ad rura vocauit
Post latebras, odiique dolos, & prælia Dauid,
Qui dedit imperium, natique immania gesta
Vertit in auctorem, rursusque in regna recepit,
Cui pax ipse fuit, vatem qui fauce leonum
Ignibus & pueros mediis subduxit, & alto

Fornacis gremio rorem pro caumate sparsit,
Qui Christum post flagra, crucem maledicta, sepulchrũ,
Surgere & ad dextram fecit residere paternam,
Qui furuæ tenebras, & cæca silentia noctis,
Mutat luce noua clari per lumina Solis,
Qui nebulas pluuiumque diem redeunte sereno
Purificat, terrisque suum post frigora brumæ
Ver reparans pomis, foliis, & floribus arua,
Quæ fuerant pridem canis turbata pruinis,
Instruit & pelagi feruentia murmura sedat,
Ipse per immensum pietatis munus amicæ
Vos mutare dedit, fuerant quæ tristia lætis,
Vt quia de Domini didicistis fidere donis;
Salutis hærete bonis, non deinde velitis.
Nempe beatus erit Domino qui sperat in ipso,
Est maledictus item qui carnis brachia credit
Sufficere, & Domini demens solatia temnit.
In Domino confisus enim, velut Inclyta Sion,
Non metuet pulsata malis per sæcla moueri.
Nam qui verba Dei studiosis auribus haurit,
Et complere studet deuotis agnita factis;
Hunc æterna viro similem sapientia dicit,
Qui mansura domus fulcit fundamina, sacræ
Mole petræ, quæ Christus adest, vbi templa bonorum,
Sunt figenda operum, subito si venerit vnda
Fraudis, & errorum, aut pressuræ flumina fortis
Ventus & à Scythico ducens Aquilone fragorem
Sibilat * illecebras antiqua fraude latentes,
Vel forte ingenti, si tempestate fatigat,
Stat structor, stat structa domus, quia firma beatæ
Fundamenta petræ, super imposuisse probatur,
Hac de mole petræ, vero stat nomine Petrus,
In quo percepit soluendi siue ligandi
Ordo potestatem, merito qui in nomine vestro
Dicitur, hunc quando factis & dogmate recto
Vosmet habere liquet, quem quo mage quisque meretur
Hoc & habere magis bene creditur, ergo teneri
Non dat honor meritum, meritis sed deditur ipse.
Hæc sunt præcipue quibus insignita refulget
Virtutis persona tuæ, sapientia radix,
Ordo, astabilitas; bonitas patientia, virtus,
Vita gradus doctrina, locus, moderatio, victus,
Zelus amorque Dei, fidei insuperabile robur,
Religio, officium, censura, modestia, gestus.
Hilce Dei virtus vosmet per tempora multa
Crescere concedat, propéque his æterna rependat
Præmia quæ seruis tribuenda fidelibus auctor
Insinuat, vitæ Dominus, via, vita, redemptor,
Nominis altamei si non obliuio memet
Prestiterit, haud vnquam vestri memor esse vetabor,
Et quæ præcinui votis optare benignis
Pastorum eximio peccator Strabo, pigerque
Quindecies & bis qui nos fert munere vertus.

*Ad * Mutuuinum Episcopum.*

SI qua viam faceret nostris fiducia votis
  Optabam dudum scribere sæpe tibi.
Suscipe nunc tandem Præsul charissime nobis
  Quæ simplex humili fert ratione animus.
Non aspernari tantum mea parua magistrum
  Crediderim lati quem colit orbis amor.
Diues heu locuples capit aurea vasa supellex,
  Argenti species adnumerans varias.
Hæc eadem non ficta luto, non lignea spernit
  Vascula, sed propriis mancipat officiis.
Qui dat * erithreo sitimas de littore gemmas,
  Finibus Europæ succina quæritur hians,
Oceani solitus balenis vellere fundo
  Vulgares tineas ad sua lima vocat.
Aurificis studium pretiosa monilia fingens
  Interdum gracilem corpore cudit acum.
Balsama narcissum mundi per climata quærens
  Camporum violas, & coriandra legit,
Tu quoque summorum pastus virtute ciborum
  Dignare exigui muneris esse dapes.
Ac veluti post mella, grauis cape pocula mirræ
  Quæ sit sæua licet, pluribus auxilio est.
Gloria quæ vestris inoleuit magna camænis.
  Ne laceret nostros cernuus oro trochos:
Carmina maturæ cupio pretiosa senectæ,
  Dicta iuuentutis, qui lego multotiens.
Quamuis multa canas secli celebranda cateruis
  Nos apud es mutus, fama quibus minor est.
Ne pater alme sinas cunctis quod sponte ministras
  Expertem memet muneris esse diu,
Sperarem vestræ nunc iam solatia Musæ,
  Ni mala per regnum tanta voluta forent.
Nunc doctor, miles, Præsul, bellator habetur,
  Pessundant propria quique aliena gerunt.
Eheu quam clare Satanæ seruitur honori,
  Et pax pacis abest, orbe repulsa procul,
O protetta pio studium dispone labori
  Ne fluctus mergat quisfurit in breuibus.
Sit Dominus tecum, semper tua gratia mecum,
  In Domino vates, ô Modoine vale.

Item ad quendam.

SI tibi frumenti superarit copia, siue
Condonare queas nobis, seu vendere quidquam
Extat opus, quia pascendi mihi denique quidam
Sunt prodesse quibus nolenter siue volenter
Debeo, care vale, Sodes Dominum ipse saluta
Prona voce tuum, scribam si suaseris exin,
Scribitur vt vilis properanter epistola, sic has
Crede mihi nugas, sine cera hac pelle notaui.

Ad Agobardum Episcopum Lugdunensem.

DVm vix ter senos habuissem temporis annos,
  Ad vos nomen iit, ô pater alme meum.
Peruenisse scio, quando rescripta recepi,
  Quæ magni nobis instar amoris erant
Si meministis enim, quia nam meminisse potestis,
  Gaudeo, & vt memores sitis vbique rogo.
Ipse amor ardet adhuc animis, viget ipsa voluntas
  Visendi teme, atque tuo ore frui,
Æthiopum si regna * calens si tura Sabæa
  Liqui regina, vt Salomona petat.
Cur nos non potius quibus altera regna parantur,
  In solo auctoris semper amore sumus?
Nam fateor si certa mihi nunc optio detur,
  Vt capiam mundi dona vel ingenij.
Otia libertus verum secura sciendi
  Aurea quam secla, sed peritura, sequar.
At de flore nouo, qui vos penes ortus, odorem
  Prodit vbique sui; hac loca rumor alit.
Flora venit quondam, dum singula quæque Deorum
  Sunt affata, iugis para thymumque gerens
Hunc floro melius sententia Christicolarum
  Attribuit: quidquid dogmate & ore viret.
Nam hic florus florem sequitur de germine Iesse,
  Et tradit quod amans attulit ille homini.
Quæ iam segnis erit donis ingrata supernis
  Quæ se hoc non sponte nectare pascat apes?
Floreat haud flaccens hic flos, & florea fragrans
  Spiramenta serat semper vbique Deo.
Donec in astriferas porrecta cacumina sedes
  Erigat, & fructum iam sine fine habeat.
Cedant ambrosiæ, rosa, lilia, spica crocusque,
  Suauia cuncta simul, huius amor placeat.
Hoc fruar, hoc vtar, foueat, delectet, abundem,
  Auditu & visu huius, alat, doceat.
Det quandoque Deus, nos mutua dona vicissim.
  Impertiri, aliquid pars vtriusque metet.
Munere diuino precor ô sine fine valeto,
  Mittens vestræ dulcia scripta vicis.

A

Ad Maurum Hrabanum Abbatem Fuldensem, Magistrum suum.

SVscipe seruorum pater optime verba tuorum
Annuat vt vestris omnipotens precibus,
Fac supplere moras torpentem pectore Strabum
Plurima ne dominis probra legat propriis.
Suscipe * putticolum elementi corde libellum (* f. patriolam.)
Emendata tuo viscera vt ote ferat.
Vix reparata tuis concedere dogmata seruis
Dignare, vt norint quam bene amote cales.
Cresce valens, augere vigens, firmate beate
In Domino semper inclyte quæso pater.

Ad eundem pro calciamentis.

HRabano patri per verba precantia Strabus,
Ante aliquot menses spondebat Epistola nobis,
B Huc autumnali venturos tempore missos
Vsibus vt nostris ferrent, quæ nostra poposcit
Paupertas, sed spes miserum me vana fefellit,
Quo sic suspensum improuisa perurget egestas,
Sed licet innumeri pulsent mea pectora questus
Plus tamen impugnat, quod nudi pedalia cogar
Ecce pati, ni vestra prius solatia nostros
Respiciant casus, verbis vt pauca monenti
Occurrat, quæ fit cunctis largissima mater.
Vestra manus, valeas per sæcula cuncta precamur.

Ad eundem pro seruitore dando.

QVæsumus exigui temet pater optime serui,
Sit nostri vt clemens vestra memor bonitas.
Ædis enim nostra est nobis angusta duobus,
Si terni essemus, lata satis fieret
Vnde expectamus vestri promissa fauoris,
Tu nos vt clemens teque iuuet Dominus, Amen.

De quinque partibus Rhetoricæ.

C PArs est Rhetoricæ solers inuentio prima,
Dicendi constat bene conditus ordo secunda:
Tertia condignis sequitur pars * angusta duobus, (* locus corrupt.)
Quarta rogat memorem, collecta tenere magistrum,
Explet & ornatum dicentis formula quintum.

Ad VVenibertum Abbatem.

SVscipe sancte pater pauper quæ munera Strabus
Mittit, & ex animo missa reuolue libens,
Nam quod apud gnaros, gaza pretiosius omni est,
Hoc tibi porrigere viscera nostra volunt.
Non aurum, non vlla malis obnoxia curis
Munera quæ incautos sternere sæpe solent.
Xenia sed mundas tantum pascentia mentes,
Quæ tibi quando fero centuplicata gero.
Hæc igitur si dicta pias dimittis in aures
Plura dabo, vitam si Deus addiderit.
Viue vale, rescribe doce, VVeniberte benigne,
D Esto memor memoris, & memor esto tui.

Ad Sigimarum modo Abbatem.

SAncte pater dignare breuem percurrere chartam.
Quam Strabus tenui edidit ingenio.
Sunt mihi namque partes celeberrima iura tenentes,
Talia curantes non recitare metra.
En ideo ignotis commendo probanda labellis,
Vt saltim inueniam qui pia verba ferat.
Respice quem torto spectare videbis ocello.
Iste puer mittit hæc tibi verba pater.
Æternam cupiens tibi namque manere salutem,
Sis memor vt famuli mutua dando tui.

Ad Magistrum Tattonem.

LItterulas lacrimæ nostras comitantur amaræ,
Optantes faciem ecce videre tuam,
Tu videas vitæ cælesti in sede datorem
Mercedisque feras præmia multa bonæ.

De carnis petulantia.

E QVisquis tramite pendulo
Decliuique * Spheram loco (* Sphera corrup. primam more illius seculi.)
Plana ponit in area,
Ni prensum teneat manu
Statim cernit ad infima (:)
Cursu nare volubili.
Qui plumam leuibus manu
Aut credit folium notis
Dum ventis quatitur polus;
Ni prenser manibus, fugam
Molitur vaga concitam
Res, & fertur in aërea.
Cum puppim fluuio leuem,
Et sæuis dare fluctibus
Cogit dura necessitas (:)
Ni certo pigra robora,
F Et remis subigat celer,
Te secum rapit alueus.
Ignis per stipulas volans,
Aut summas fruticum comas,
Quas vis Solis obusserat,
Ni fons fortior occupet,
Statim materiem vagam
Consumit simul, & perit.
Agrestem caueis feram
Captam, profuit aut auem
Sub custode teneriet,
Ni sic assiduus domes,
Pergit lustra per auia
Morem quærere pristinum.
Annis forte recentibus,
Si pullum patre nobili (:)
Campis crediderit satum,
Ni frenis bene presseris
Confisus petulantia
G Te deponit, & auolat.
Noui flumina promptius
Primus currere callibus,
Quæ si forte coegeris,
Noto linquere tramites,
Ni consepseris vndique,
Rumpunt fœdera protinus.
Hæc carnem stolidissime
Nostram respiciant homo,
Consuetam male viuere:
Puppis, pluma, focus sphera,
Pullus, flumen, auis, fera, (:
Hæc attende sagaciter.
Quam ni sollicitus malis
Exarmaueris insitis,
Et conatibus intimis,
Ad veram retrahas viam,
Nigros tendit ad inferos,
Et tu perpetuo gemis.
O qui munere perditas
Sanasti vitiis tuo
Terras, per genitum tuum,
H Fac ne dæmonis horrida
Vis mentes sibi vindicet,
Quas baptismate laueras.

Ad Liphanium Monachum.

STrabus ab interno tibi mittit amore salutem,
In Domino vt valeas Doctor amande tuo,
Sis memor & Strabi rescribens mutua pacis
Munera, si dicta vixero plura dabo.
Portitor accelerat, sensua in pectore tardant.
Sensus si melior venerit, instat amor.

Ad Altgerum Monachum Elavvang.

STrabus opem Domini veteri optat adesse sagittæ;
Ipsa nimis valeat Strabus vt ipse rogat.

Plango tuos fareor faurot dilecte recessus,
Oraque largissimis, irrigo nunc lacrimis.
Sum memor auxilij, mihi quod conferre solebas,
Er munus tecolo pacis amoris opus.
Oscula dulcisono libare precamur ab ore
Litterulis ego quas pollice & ore dedi,
Iam secura tua residere sagitta pharetra
Cerneris, & placidis pasciet ecce bonis.
Nec de mente cadat, fueris quis, quisque modo sis,
Perfecta in te&p sunt documenta opere.
Marcuuardum Coranen dignum precor omnia *Bertum*
Dona saluris ego Strabus habere diu.
Iam valeant cuncti frattes, veleat bonus Abba,
Seruulus hoc vester, oro pusillus enim.
Tu memor esto mei sanctis sermonibus Altger,
Strabus vbique tui est memor in Domino.

In persona cuiusdam Monachi ad Abbatem suum.

SVscipe clementer paucos pater optime versus,
Suscipe vota precum, conspice mœstum animum,
Qui geris ecce vicem Christi pictare magistra,
Te credo esse pium de pietate Dei.
Numquam me similis strauit, terigitque procella,
Cuius ad incursum tam cito deficerem.
Quam me vestra quarit fictis suspicio rebus,
Quamiser vt timeo, nec fuga nantis erit.
Si tamen ad ventum licuisset flectere remum,
Securo eximerem pectore me pelago.
Idque rogo summe rogitans per numina summi
Iam me mundari, vel patere esse reum.
Mitius expelli serrem de sorte meorum,
Itam quam vestiam hoc metuisse modo.
Da veniam dictis, solito potioribus istis,
Ecce necesse mihi sic pater alme fuit.

Gotescalcho Monacho, qui & Fulgentius.

VElox Calliope viam frequenta,
Qua Fulgentius inuenitur, illum
Post cunabula longius meantem
Quæsisti, dubiam secuta famam,
Interdum vaga perstrepebat illum
Romana positum fereus in vrbe,
Deuoto extera cogitare corde.
Gratis exiliis adire tura.
Tandem quære suo loco reductum,
Et dic semper aue, valeque multum,
Cui quondam dederas honore nomen
Ductum, dirigit hic tibi salutem.

Dulcia cum nostros sancti natalis amores
Iam propins tractis complerent gaudia votis,
Addita sunt fasti fulgentia dona secundi,
Quod tua suspensis ingessit Epistola nubis,
Vt requies lasso, sitienti vt dulcis aquæ fons.
Lac maternum agnis, pluuia vt squalentibus aruis;
Carcere constrictis vt lucis vena diurnæ:
Sic optata palatinas mihi metra tuapte
Scripta manu nebulas vero pepulere nitore
Sed quia lucifluo succedunt sæpe sereno
Nubila, non aliter turbant mea gaudia * Chauri,
Dum tua scripta sonant, bene me te posse carere,
Ad faciem quantum, cum sit mihi testis in imo
Pectore, spes ardens à te me plurima velle
Lucrari lucisque tuæ consortia ferre.
Te quoque sit certum multis testantibus, & me
Atque alios exemplorum verbique lucerna
Instruere, & sapidis infundere posse saliuis.
Est aliud maiore mihi mœrore gemendum,
Quod cum vita tibi potior sit lege Lycurgi
Solus in accepto recubes non prodigus auro,
Commissumque premant sudaria nexta talentum,
At qui in pauperie passa est quam nostra iuuentus,
Non talem te care habui, minus atque benignum
Expertus non sum, fuerat quam cura petentum,
Cur modo * diutius mordax testetur in amplis
Fama tuam miror celare peculia dextram,
Quæ pater vsuris clemens augenda reliquit,
Sol radios nec Luna suos cæco inuidet orbi.
Imber in arua cadit subiecta, fluuntque volentes
More suo fluuij, partum trahit aerea mundus,
Gramina fert, tellus, foliis & fructibus arbor
Sponte reuestitur, lac manat ab vbere matrum,
Ipse Deus sine dat cunctis discrimine lucem,
Et pluuias operisque tu: iubet ire sequaces.
Quis mihi persuasit sacra munera corde tenaci,
Obstruere, auctori nisi qui contraria sentit?
Quin potius monuit sancti quod pagina Pauli,
Seruemus, bona, quæ subsunt, operemur ad omnes,
Sed magis in sanctos, quos vita domestica nutrit.
Ergo pater fraterque meæ pars vnica mentis,
Noluerim mea dicta putes lacerare volentis
Sed tua nolentis reticere pericula, si quid
Mens mea scit, poteritque fidem seruare fideli,
Non tibi talis ero, qualem meminere Philippum
Fraude in amicitiæ per prisca volumina fasti,
Sis mihi quam metui longe rogo maior amicus.
Quantus sum tibi tantus ero, rescribe per istum
Pacis amatorem nostræ, fidumque sequestrum,
Proque rogante ora, ne turbine raptus iniquo
Non meminisse tui queat, hinc in sæcla valeto.

De quodam somnio ad Erluinum.

NOx erat & magni alternis per climata cœli
Ignibus auxerunt astra remota iubar,
Pollachar infusum * Lœtheo munere somnum
Emotis curis, noctis amabat opes.
Cum subito tenebras fama est Iouis armiger altas
Decutiens, oculis visus adesse viri.
Perge ait, & terræ nebulas transcende prementes
Ducam etenim, quo te præmia magna manent,
Lætus ad hæc grates cernenti cuncta quod ægram
Quæsitu longo vult saciare animam.
Ales ad alta volat, timidumque per aëra portat,
Donec terrorem purior æthra dedit,
Dædalus ille nouus, partim suadente timore
Partim præproperum, quod terit hôrret iter,
Sordibus his ne, inquit, qui turgent membra grauatum
Lucida stelligeri me feret aula poli?
Quin patere excurrat distenti egestio ventris,
Terra suum seruet pondus abibo leuis.
Vnguitapus ventura sciens caudam ore tenero,
Dixit, & expurga fætida quæque celer.
Tum vero vt longum mundus duraret in æuum,
Ilia pro toris usibus euacuat.
Hic aquila, absurdum est, diuinis sedibus, inquit,
Inserere, aspergat qui loca celsa lue.
Ergo redi & strati sordes intende relapsus
Nec rursus speres sordibus estra sequi.
Euigilans quidquid supero sibi visus ab axe
Fundere, per lecturam repperit ire suum.
Pro pudor atque nefas visis deceptus iniquis.

Carmen de Michaele Archangelo incipit.

AD te confugio Michaël, tua numina posco,
Eximium lumen mundi, qui vota precantum
Suscipis, & placido perducis ad astra volatu,
Præsidium cœleste ferens mortalibus ægris.
Principio veniam tribuas peccata remittens
Actibus aut verbis, aut solo noxia sensu,
Mox animum corpusque tuo medicamine cures,
Vulnera restringens penitus variosque dolores
Atque in pace domum foueas, mentemque per æuum
Lædifices, cedant meliori tristia sorti.
Tu generis, tu coniugij fiducia nostri.

E F G H

* Lethe

Videntur hic aliqua pagella ex Cod. MS. excisa, nescio cum fraude.

A Torqueat inde ruens nullus mea pectora casus,
Auertas morbos, proprium aut consume periclum,
Impendens artere velis, viresque potentum
Disiicias, rabido qui me liuore fatigant,
Non humilis pergam, nec vero inglorius æuum,
Sed liqueat, quantum pro me tua dextera possit,
Quæ quondam victumque dedit, famamque togato,
Ipse gubernator rerum, mihi prouidus assis,
Impauidumque tegas, fortunatisque fouendum
* Conciliis, maiore gradu contingat honorum
Illustrem iustis *operibus, sensuque beatum
Efficias, ne dura fames, aut turpis egestas
Dedecus immergat, natis quos ipse dedisti,
Perpetuum dones * cibum, firmamque salutem,
Sim gratus, carusque meo semperque probandus
Mattiano, quem tu incolumem summo renitentem
Fastigio, grauibus tutum defende periclis,
Nunc egu nunc tristem cernam * relinquere cogar,

* f. consiliis.
* f. operis.
Carmen hoc non videtur Strabi, aut à Strabo nomine B alterius scriptum est.
* f. relinquere d finn-ilium.

De sancta Maria Virgine.

HAnc aulam Domini seruat tutela Mariæ,
Cui veneranda rudis sacrantur culmina templi,
Et noua consurgunt sacris vexilla triumphis,
Hac celebratur honor sacræ genitricis in aula,
Quæ verum genuit lumen de lumine patris,
Quem clamant Titan almo spiramine vates,
Fœmina præpollens, & sacra puerpera virgo
Audi clementer populorum vota precantum,
Marcida qui riguis humectant imbribus ora,
Ac genibus tundunt curuato poplite terram,
Dum veniam fuso lacrimarum fonte merentur,
Et crebris precibus delent peccamina vitæ.
Hæc inquam virgo cœlesti pignore fœta,
Edidit ex aluo saluantem sæcula regem,
Imperium mundi, solus qui iure gubernat,
Vt dudum Angelico discit virguneuls satu,
C Cum pater altithronus Gabriel misisset ab astris.
Hic fuit egregius quem promit carmine vates,
Qui Solymis quondam diuis regnabat in aruis.
Hortus conclusus, florenti vertice vernans,
Fons quoque signatus, cœlesti gurgite pollens,
Nec non & turtur tremulus, cui præscius infit
Angelus, en sobolem generabis virgo perennem.
Atque puerperium parturis puerpera gignis,
Filius altithroni faustus vocitetur in æuum,
Spiritus è cœlo veniet sanctissimus in te.
Virtus ecce tuo confert vmbracula cordi;
Patris obumbrabit te virgo celsa potestas.
Quo dictu matris turgescunt viscera fœtu,
Qui genitus mundum miseranda labe resoluit,
Atque crucifixus polluta piacula tersit.

De sancto Petro Principe Apostolorum.

D HAnc Petrus absidam Sanctorum sorte coronat,
Clauiger æthereus qui portam pandit in æthra,
Ianitor æternæ recludens * gemina vitæ,
Omnibus hic geminum digessit dogma per orbem,
Quod binis constat descriptum rite libellis,
Pectore qui patulo Christi præcepta capessunt,
Vt prius æquoreas captabat rete cateruas,
Linea squamigeris extendens vincula turmis,
Sic hominum cuneos mundi de gurgite raptos
Ducit ad æternum cœlesti remige regnum,
Vt tibi Saluator vera cum voce spopondit,
Quando piscantem pands de puppe vocanit,
Qui ponti pedibus calcauit cærula Glauci,
Sed mare mergentem tumidis non sorbuit vndis,
Dextera dum Christi turgentia marmora pressit,
Cuius præstabat defunctis vmbra medelam,
Tum sani rursus redeunt ad lumina vitæ,
Quamuis iam nigræ lustrassent limina mortis.
Hic quoque poplitibus nec non & crure gemello
Claudum restaurat, fretus virtute Tonantis,

Et cito sanaris præcepit pergere plantis, E
Quem prius ad templum gestabant forte propinqui.
Hic etiam binos mulctauit morte malignos,
Qui pretium fundi celarant fraude nefandum,
Insuper & magicum falsi phantasma Simonis,
Funditus euacuans, tetras detrusit in vmbras,
Rumanum vulgus soluens errore vetusto,
Qui præcelsa rudis scandit fastigia turris,
Atque coronatus lauri de fronde volauit,
Sed mox ætherias dimittens furcifer auras,
Cernuus ad terras confractis ossibus * ambro
Corruit, & Petro cessit victoris bello,
Qui cruce confixus gaudens tormenta luebat,
Horrida crudelis passurus vulnera ferri,
Quem Deus æternis ornatum iure triumphis
Arbiter omnipotens ad cæli culmina vexit.

De sancto Paulo Apostolo.

SAulus qui sanctas mulcauit carcere turbas F
Credulus efficitur mutato nomine Paulus,
Plurima frugiferis dispergens semina verbis,
De quo sacra seges mundi succrescit in orbe,
Quem Deus infidum cœli clamauit ab arce,
Quid me persequeris dura cum calce restagans?
Ergo diem ac noctem ponti sub gurgite mersus,
Magna supernarum meruit spectacula rerum,
Tertia cœlorum raptus fastigia scandit,
Atque poli proceres vidit cum mente manipla,
Quem Pythonissæ procax clamauit voce proterua,
Spiritus abscessit Paulo purgante puellam,
In vacuasque procul fugiens euanuit auras,
* Effœbum puerum lustrantem tartara mortis
Suscitat, in proprias anima penetrante medullas,
* Non magnum merito geminis fraudauit ocellis,
Cerneret vt nunquam splendentem lumine Phœbum,
Cruribus atque suris claudum restaurat egenum, G
Quem fortuna prius gressu priuauit amœna.
Sicque patrem Publi, quem febris torsit anhela,
Torridus vt pellat brumosis frigora nimbis,
Vipera dira manum læthali dente momordit,
Sed Paulus gelidum non sensit vulnere virus.
Lædere nec sanctum valuit crudele venenum,
Denique squamosa contectum pelle chelydrum
Protinus in flammas torrendum tradidit atras.
Postquam compleuit labentis tempora vitæ,
Martyrium rubro quæsiuit sanguine sacrum,
Purpureusque cruor venarum fonte cucurrit,
Ossa tegat tellus quamuis modo mole sepulchri,
Ast tamen hinc proceres conscendit spiritus arces,
Cœtibus Angelicis nimbosa per æthera ducit.

* Ephebum.
* voce magis. Sic erat in margine.

De sancto Andrea.

HIc simul Andreas templi tutabitur aram H
Petri Germanus, qui quondam funere * læti
Horrida perpessus sancta cum carne pependit.
Quem Deus Oceani lustrante frustra phaselo
Cœlitus adsciuit, gradiens per littora ponti,
Protinus Andreas compunctus voce Tonantis
Credidit æternum saluantem sæcula regem,
Pendula capturæ contemnens retia spretæ,
Et dicto citius Christi præcepta facessit,
Quis numerare valet populosis oppida turmis,
Illius eloquio, quæ fana profana fricabant?
Credula pandentes tegi præcordia Christo,
Nempe vicem Domino soluebat calce cruenta
Dum crucis in patulo suspensus stipite Martyr,
Vltima mortalis clausit spiracula vitæ,
Purpureas sumens Christo regnante coronas.

* Letho.

De sancto Iacobo fratre Ioannis.

HIc quoque Iacobus cretus genitore vetusto
Delubrum sancto defendit tegmine celsum

Qui clamante pio ponti de margine Christo
Linquebat proprium panda cum puppe parentem,
Primitus Hispanas conuerti dogmate gentes,
Barbara diuinis conuertens agmina dictis,
Qui priscos dudum ritus, & lurida fana
Dæmonis horrendi decepta fraude colebant.
Plurima hic Præsul patrauit signa stupenda,
Quæ nunc in chartis scribuntur rite quadratis.
Hunc trux Herodes regni Tetrarcha Tyrannus,
Percussum * machera crudeli morte necauit,
Quem pater excelsus qui sanctos iure triumphat,
Vexit in ætherias meritis fulgentibus arces.

De sancto Ioanne Apostolo & Euangelista.

NEc minus interea glomeretur virgo Ioannes,
Quem germana simul iunxit concordia Christo,
Dum pandam vetulo liquit cum patre carinam,
Retibus æquoreas claudentem marmore prædas,
Qui post algosis verrebat cærula remis,
Piscibus insidias nectens sub gurgite ponti,
Sed clamante Deo lactantes littore lymphas,
Retiferamque ratem caro cum fratre reliquit,
Et Dominum sequitur cœli qui regnat in arce,
Hic fuit egregius Christi regnantis alumnus
Omnibus anterior magno dilectus amore,
Quem Rex extorrem, Romæ qui regna regebat.
Trusit in exilium, cymba per cærula vectum,
Exsul, qua positus rerum spectacula plura,
Creuit in extasi cœlesti munere fretus,
Quæ modo membranis per mundum scripta leguntur,
Pausat in * Ephesо præfatus corpore Præsul,
Præmia sumpturus cum clangit classica * salpix,
Vltima dum priscis labuntur tempora sæclis.

De Thoma qui dicitur Didymus.

HIc Thomas Didymus nomen sortitus Archiuûm
Seruat sacratum fatta testudine templi.
Vulnera qui tangens crudeli cuspide gesta
Credidit extemplo saluantem sæcla monarcham,
Quamuis ante foret sociis * is credulus almis,
Atque fidem dubio gestaret corde sinistram,
Dum chaos inferni surgens de morte redemptor
Linqueret abstrusum vasta comitante caterua,
Sed mox ambiguum conuertit robra cicatrix
Discipulo palpante crucis vulnuscula ferri,
Dum foribus clausis, trepidans qua turba latebat,
Pacifer intrauit Christus Saluator in aulam,
Hunc igitur Soboles misit veneranda Tonantis
Eoas gentes almis conuertere biblis.
Plurima magnificis patrantem signa triumphis.
India dum sacris coluit simulacra nefandis,
Doctrinis veterum stolidis instructa parentum;
Sed confessa fidem Thoma lucrante salutem,
Credidit in Christum cœli qui sceptra gubernat,
Denique transacto præsentis tempore vitæ
Protinus ætherium Thomas lustrauit Olympum,
Quem faoi flamen veteris cultorque sacelli
Sanguine rorantem rigido transuerberat ense
Præmia sumpturum cum tellus sponte dehiscet
Omnia de priscis & surgent corpora tumbis.

De Iacobo filio Alphai.

NEc non Iacobus Christi matertera cretus
Et consobrini felici nomine fretus,
Hanc ædem Domini de summo seruat Olympo,
Quem plebs Iudæa, sæuo bachante tumultu
Passim de pinna fullonis fuste necauit,
Quod Christum populis scandens fastigia templi,
Continuaretur crebro sermone Sacerdos,
In cuius genibus pellis callosa refertur,
Dum vicibus crebris oraret voce Tonantem,
Poplitibus flexis tundens pauimenta sacelli,
Lanea villosi spreuit velamina pepli, E
Linea brumosis fumeos mantilia flabris,
Sic quoque fragrantem contemnens corpore nardum
Thermarum penitus, neglexit pectore pompas,
Non cirros capitis ferrata forfice dempsit,
* Nec aliter malas vestes lanugine rasit, *Nec.
Cuius virtutum tanta præconia constant,
Vt vindicta necis, quam dira morte luebat,
Interitus fieret Solymæ, populique ruina,
Dum Titus Cæsar densa comitante caterua,
Vrbem ferriferis vallaret militibus amplam,
Cum genitore simul Romanis arcibus orto,
Donec dira fames consumpsit strage cateruas
Mœnibus obstructas, & muri carcere septas,
Tempore quo tenerum mactauit femina natum,
Insuper assandum verubus transfixit acutis,
Quem coctum latibus crudelis mater edebat,
Humanæ penitus naturæ iura resoluens,
Horresco referens * Ephœbi funus acerbum. F *Ephebi.
Sic vindicta crucis multauit clade nefandos,
Sic quoque Iacobi multauit passio sontes,
Vndecies centena simul cecidisse leguntur
Milia per miseram moribundis ciuibus vrbem,
Insuper & centum venduntur milia passim,
Quos rigidus ferri neglectus mucro reliquit
Et famis exigua perierunt funera stirpe.

Item de Philippo Apostolo Christi.

HIc quoque commemorat metrorum comma Philippum,
Quem pius æthrali ditauit gratia Christus,
Barbara quod docuit doctrinis agmina sacris,
Credere per Scythiam saluantem sæcula Christum,
Qui dudum terra torpebant mortis in vmbra:
Auctorem lucis tenebroso corde negantes
Atque creaturæ famulantes ordine verso,
Donec Apostolicam hauserunt ore loquelam, G
Limpida perpetui cernentes lumina Phœbi,
Omnes certatim merguntur gurgite sacro,
Flagitium sceleris purgantes fonte lauacri,
Inde Asiam properat sanctis conuertere biblis,
Idola quæ dudum decepta fraude colebat,
Credula sed potius pandit præcordia Christus,
Splendida discipuli dum fantis verba capessit,
Sic felix Asiæ conuertit dogmate regnum,
In qua post obitum fatali sorte quiescit,
Cuius hoc templum sacrata tuebitur arca.

De Bartholomæo Apostolo.

VLtima terrarum præpollens India constat
Quam tres in partes librorum scripta sequestrant,
Idola quæ coluit paganis dedita sacris,
Sed Bartholomeus destruxit lurida fana,
Effigies veterum confringens iure Deorum.
Hebrea quem clamat peregrinis lingua loquelis, H
Proles suspendentis aquas in nubibus atris,
Humida nimbosis dum stillant æthera guttis,
Quem signat procerum cœlestis dogma profundi,
Vt quondam cecinit psalmorum carmine vates
Ecce latex rorat, tenebrosis nubibus aeris.
Post hæc Martyrij mercatur serta cruenta,
Et sequitur Dominum pictus in stigmate Christi,
Cuius hoc templum veneranda tuebitur * ara. *s. area.

De Matthæo Apostolo & Euangelista.

MAttheus egregium describens dogma salutis,
Hebrea per simplum digessit dicta libellum,
Plurima mirificis narrans miracula * scedis. *scholis.
Quem modo per mundum diuulgant scripta triquadrum,
Quem Fison fluuios, Paradysi fonte redundans
Tropica portendit pandens mysteria rerum,

Digitized by Google

A Fontis designa saluator iure figuram,
De quo quadrifluis decurrunt flumina riuis,
Quatuor vt quondam nascentis origine † sæclis,
Limpida per latum fluxerunt flumina mundum,
Quæ rubros flores & prata virentia glebis,
Gurgitibus puris, & glauco rore rigabant,
Sic doctrina Dei fluxit de fonte quaterno,
Arida diuinis irrorans corda scatebris,
Hanc scriptor verax expressit Matthæus olim,
Quemque Propheta Dei sacro spiramine plenus,
Humana specie vidit signatier olim
Quod Christi patres & auos numeraret auorum
E queis saluator nostræ cunabula † satis,
Sumpserat in mundo scelerata piacula clemens.

De Simone Zelote, Apostolo.

SImon Zelotes, nec non Chananeus idem
Inter Apostolicos Petri cognomine fretus,
B Cretus qui docuit gentiles dogma supernum,
Vt celsum peterent, cœlesti tramite regnum,
Cuius in hac aula sacra seruabitur ara,
Cum polus & tellus ac ponti flustra fatiscant,
Donec supremis scintillent sæcla fauillis,
Et mundi moles montes collesque liquescant,
Atque creaturæ rerum fluxus adinstar
Machina succumbat flamma crepitante per orbem.

De Iuda Apostolo, qui & Lebbeus, cui nomen est Tatheus.

SVpremus numerum concludat Tatheus almum
Cui cognomen erat præclarum Libbeus olim,
Quem duxisse ferunt Christi cum grammate scedam
Abagato quondam, qui regni sceptra regebat,
Postquam tartareum damnauit morte tyrannum,
Et tetris heredi gaudens emersit ab antris
Exin sidereum Christus conscendit Olympum,
Dicitur hic etiam vulgato nomine Iudas,
C Cuius præsenti laudes celebrantur in aula,
Qui nobis binum facundo famine biblum
Edidit, antiquas promulgans ore loquelas,
Quas Enoch prisco descripsit tempore vates,
Ante rapax mundum quam pontus flecteret vndis,
Dicens, ecce venit Dominus cum millibus almis,
Ponere iudicium cunctis habitantibus orbem,
Quos nubes appellat aqua stilante carentes
Frigida quas rapidis dispergunt flamina ventis
Nec non arboribus sterili de stipite natis
Comparat autumni, quem fructum tempore perdunt,
Sicque spumiferis vndarum fluctibus æquat.
Errabunda vocans cœlorum sidera fontes,
Quis seruata restat tenebrosis pœna procellis,
Nymphiferas gentes, & ponti barbara regna,
Iudas ad Dominum doctrinis flexerat almis
Cuius in Armenia sopitum morte cadauer,
Exresurrectutus fatali fine quiescit.
Sed tamen æthereas lustrat nunc Spiritus arces.

D *Hic Fortunatus XII. Apostolos pro peccatis suis orat.*

IAm iam bis sena digessi nomina patrum,
E quibus altithrono conuersus credidit orbis,
Hos precibus verna crebris & pectore pulso
Vt mihi clementer noxarum pondera laxent,
Et veniam dantes commissa piacula soluant,
Quatenus in requiem diuino munere fretus,
Vitimus ingrediar Christo regnante per æthra.

Item de Matthia Apostolo quem Deus elegit sorte pro Iuda.

HOc sacer obseruat delubrum Matthias almum,
Vnus qui fertur de septuaginta fuisse
Discipulis Domini, sacrum qui dogma docebat.
Quem Deus electum signauit sorte superna
Dum Iudas Scarioth stropha deceptus iniqua
Culmen Apostolici celsum perdebat honoris,
Atque fibras olidas terro cum viscere fudit, E
Dum crepuit medius laqueo suspensus ab alto.
Qui Dominum lucis redimentem sanguine sæcla
Vendidit, vt cupidus fuluum nomisma capessat,
Matthias idcirco spreto latrone nefando,
In Domino fretus numerum suppleuit eundem
Iunctis Apostolicis gratatur iure triumphis.

Incipit Psalmus.

QVam bonum ecce simul fratres concorditer omnes
Est habitare pios, capitis ceu vertice quondam,
Limpida fomenti fundunt velamina pepli,
Vdaque rorislui veluti cacumina collis,
Hermon & Syon, humescunt roscida rura,
Illic perpetuo pollebunt munera patris,
Vitaque fine carens durat per sæcula sospes.

Oratio Dominica.

OMnipotens auctor cæli regnator in aula. F
Sanctificetur honore tuum laudabile nomen,
Longe repulso hoste qui nos liuore fatigat,
In terrisque fiat nostris tua clara voluntas,
Sic veneranda poli qualis in culmine constat.
Summe pater, nobis panem concede diurnum
Donec nostra fides meritum succrescat in almum.
Plura quæ facimus nobis delicta remitte,
Vt veniam dantes laxemus debita fratrum
Naturam nostram mala non tentatio frangat,
Nos superet laqueos ne inducas hostis iniqui,
Ergo mali magnis tu nos defende periclis.
Vt mereamus inire tui alta ad præmia regni.
Ista quidem lector qui sim cognosce loquela.

Aliud.

HAttperto superi septo diademate regni
Virtutum vitam gradibus qui scandis honestam,
Seruitio Domini nunquam marcescis in omni
Pectore sub fido deuotus nuntiat, N. G
Omnia quæ fieri possunt famulaminis vlli,
Cum precibus fidis simul omnia tota salutis,
Responsum vestri iam iam venisse cupitur,
Tale quod ex vobis referat solamina nobis
Vos ego vos vere dubito qui velle replere,
Auribus vt vestri dixere notamina nostri,
Vel melius fari, vel prorsus pusco negari,
Cordis vt ambigui cito possint vincula solui.
Sicut gaudet auis lætantur garrula ramis,
Corpore sic vestro gratulabor sospite viso,
Hæc rogo verus amor iungat non diuidat error.

ΔΙΚΤΙΧΟΙ ΠΡΟΣ ΤΟΝ ΑΡΧΟΝ ΤΩΝ ΑΓΑΘΩΝ.

PAtri dilecto virtutum flore sereno
† Mathytes fidus optat vbique decus. † μαθητής.
Si mihi millenis fluerent modulamina bombis H
Non possent tanti digna sonare tibi.
Quem tamen vt potero deuoto pectore laudo,
Laudandum merito vociferante sono.
Te cum symphoniis modulentur lymmata ternis.
Armoniæque decens consonet omne tibi.
Tessita cum modulis consentur in organa trinis
Nunc tibi dyplacium, nunc diapente sonet.
Te per grandisonas laudet moderator hydraulas
Colchica formetur ex adamante tibi.
Laudent concordes sueto te more sorores.
Est quorum numerus bis quater atque semel.
Quæ testante mytho volitantes alite multo
Auricomo cumites intonuere polis.
Viribus vna meis tantum restabat in aruis,
Quam vexit cygnus tardus ad istud opus.
Quæ mecum luteas internersando paludes
Edocet in laude euigilare tua.
Denique veridicus vatios felixque misellus,
Amnes astriuagi prodiderat numeri.

Digitized by Google

A Qnorum iam reliquis quadam de parte remotis
Extima nos duti, afficit vnda vadi.
Gurgite quo geminis rantum circumdata cygnis
Nostra thalia feder frigoribusque riget.
Denique candidulas nigro sub gurgite pennas
Obsordere dolet, cum dolor alter abest.
His vsura soter cum flumen lactis adesset
Hinc alios comites postulat hicce sibi.
Cornicem alpinam si quis transmitrat ad illam
Strimoniamve gruem, munera grata dabit.
Illi cum crotalis, rinnitibus atque lyrarum
† Treicium superans, clangeret ipsa vacans.

† Threicium.

Artibus omnigenis rutilans ô nomine dulcia
Hoc opere vt ibimet obsecro care vacet.
Nomen namque tnum recolit plus omnibus vnum
Perdia quod memorat, nocteque connumerat.
Attamen indubitans istæ vt tu mihi credas.
Aspice quæ scripsit ipsa magistra tibi.

B *Versus Thaliæ ad eundem.*

COmpar amande vale, nostri decus inclyte salue,
Quem nobis aptum facit experientia rerum,
Artibus in nostris qui non æquandus haberis.
Namque tuum nomen mihi semper amabile lumen,
Noctes atque dies mecum versabitur omnes
Quod stringens numeris cœlestis ad instar honoris,
Compono certis manifestans cognita rythmis,
Cuius frons quinis, deciesque recognita quinis,
Dat lateri triadem decadem ter denique signa.
Denique bis binis ipso de nomine sumptis
Litterulis quadrum signo per climata mundum
Mox totidem reliquis ductis exinde elementis
Quatuor in mundum spargentes dogmata latum,
Signantur proceres, Christi documenta notantes,
At tu si cautus hæc bina quadrangula cernis,
C Bis centum numeros adiectis quinque notabis,
Quos per septenos sollers si diuidis orbes:
Sunt duo quæ restant geminam signantia pacem,
Eptas, nam totidem designat dona superna,
Sed si pentagonum cernis per grammata primum
Quodam cum phthongo resonat ceu nuntius alti,
Ternæ litterulæ restant de nominis arce,
Quas fidei sanctæ ternarius offerat ipse,
Aspice nunc clarum frater nomenque serenum
Gaudens cum Domino felix, nostrique memento.

Finis Carminum Strabi, quæ erant in manuscripto Codice S. Galli.

HORTVLVS EIVSDEM VValafridi Strabi.

D

AD LECTOREM.

ETSI *Hortulus iste Strabi iam olim fuit euulgatus, hic tamen denuo publicare libuit, vt Poëmata Strabi, quo ad fieri potest, tandem vnum in corpus colligantur, vtinam S. Galli vitam ab eodem carmine scriptam addere licuisset. Sed, vt initio professi sumus, absterruit nos codex vitiosissime exaratus, ex quo te non magis expedias, quam ex turbatis vento foliis Sibilla. Vt autem noueris quis sit iste Grimaldus, cui Hortulum hunc Strabus consecrat, placet adscribere, quæ de illo notauit R. P. Iodocus Metzlerus Monastery S. Galli professus. Ait ergo: Grimaldum Archicapellanum suum, Clericum sacularem, Ludouicus Austrasiæ Rex in locum Engelberdi defuncti Abbatis substituit anno Domini* 841. *vt habet M. S. Chronicon, vel, vt aly,* 842. *Hic Abbas admodum bene Monasterio præfuit: non tam in temporalium, quam regularium, diuinarumque rerum cura, &c. Excitauit Grimaldus Oratorium S. Othmari, & eo corpus illius de Ecclesia S. Galli per Salamonem Episcopum Constantiensem transtulit Anno Domini* 867. *die VIII. Kalend. Octob. Indict.* 2. *Ab hoc Abbate in Monasterium receptus est S. Notkerus paruulus sub eodemque empti sunt & scripti multi optimi libri magnis sumptibus. Erant item interior Monachorum, & exterior sæcularium in Monasterio celeberrima Schola, in quibus & Principum & Nobilium fily accurate instituebantur, Obiit Anno* 872. *cum præfuisset annis* 31. *Et sepultus est, vt colligo ex sequenti Epitaphio in templo S. Othmari, aliud enim condidisse non legitur. Epitaphium hoc est.* E

Hic manet interius diuinæ legis amator
Grimualdus humilis, templum hoc qui condere iussit.

HORTVLVS VVALAFRIDI STRABI ad Grimaldum Cœnobij S. Galli Abbatem. F

PRÆFATIO.

PLVRIMA tranquillæ cum sint insignia vitæ.
Non minimum est, si quis Pestanæ deditus arti,
Nouerit obscœni curas tractare Priapi.
Ruris enim quæcunque datur possessio, seu sit
Putris, harenoso qua torpet glarea tractu:
Seu pingui molita graues vligine fœtus,
Collibus erectis alte sita siue iacenti
Planicie facilis cliuo, seu vallibus horrens.
Non negat ingenuos olerum progignere fructus:
Si modo non tua cura graui compressa veterno,
Multiplices olitoris opes contemnere stultis
Ausibus assuescit, callosasque ære diurno
Detrectat fuscare manus, & stercora plenis
Vitat in arenti disponere puluere quallis.
Hæc non sola mihi patefecit opinio famæ G
Vulgaris, quæsita libris nec lectio priscis,
Sed labor & studium, quibus ocia longa dierum
Postposui, expertum rebus docuere probatis.

Culturæ initium. II.

BRuma senectutis vernacula totius anni
Venter, & amplissimi consumptrix sæua laboris:
Veris vbi aduentu terrarum pulsa sub imas
Delituit latebras, vestigiaque horrida auaræ
Ve hyemis reduci rerum delere pararet
Stemmate, & antiquo languentia rura nitori
Reddere, ver orbis primum caput & decus anni.
Purior aura diem cum iam reserare serenum
Inciperet, zephyro quæ herbæ floresque sequuti
Tenuia porrigerent radicis acumina, cæco
Tecta diu gremio, canasque exosa pruinas.
Cum syluæ foliis, montes quoque gramine pingui,
Prataque conspicuis vernarent læta virectis
Atriolum, quod pro foribus mihi parua patenti H
Area vestibulo Solis conuertit ad ortum,
Vrticæ impleruut, campique per æquora parui
Illita feruenti creuerunt tela veneno.
Quid facerem? tam spissus erat radicibus infra
Ordo catenatis, virides vt texere lentis
Viminibus crates stabuli solet arte magister:
Vngula cornipedum si (quando humore nocetur
Collecto) putres imitatur marcida fungos.
Ergo moras rumpens Saturni dente, latentes
Aggredior glebas: torpentiaque arua, reuulsis
Sponte renascentum complexibus vrticarum
Erigo & vmbriculis habitata cubilia talpis
dituo, lumbricos reuocans in luminis ora,
Inde noti coquitur flabris Solisque calore
Areola, & liguis ne difflnat obsita quadris
Altius à plano modicum resupina leuatur,
Tota minuratim rastris contunditur vncis,
Et pinguis fermenta fimi superinsinuatur.
Seminibus quædam tentamus oluscula, quædam
Stirpibus antiquis priscæ reuocare iuuentæ.

Denique

A Denique vernali interdum conspergitur imbre
Patua seges tenuesque fouet præblanda vicissim
Luna comas, rursus si quando sicca negabant
Tempora roris opem, cultutæ impulsus amore
(Quippe siti metuens graciles torpescere fibras)
Flumina puta cadis inferre capacibus acri
Curani studio,& propriis infundere palmis
Guttatim,ne forte velocior impetus vndas
Ingereret nimias, & semina iacta moueret.
Nec mora germinibus vestitur tota tenellis
Areola, & quanquam illius pars ista sub alto
Arescat recto, pluuiarum & muneris expers
Squalleat aërei : pars illa perennibus vmbris
Diffugiat solem: pars hæc quia celsior, ignei
Sydetis accessum lateris neget obice duri:
Non tamen vlla sibi fuerant quæ credita pridem
Spe sine crementi pigro sub cespite clausit.
Quin potius quæ sicca fere, translata subactis
B Suscepit scrobibus rediuiuo plena vigore
Restituit, reparans numeroso semina fructu.
Nunc opus ingeniis, docili nunc pectore & ore,
Nomina quo possim viresque attingere tantæ
Messis, vt ingenti res paruæ ornentur honore.

Saluia III.

ELelisfagus prima præfulget honore locorum,
Dulcis odore, grauis virtute, atque vtilis haustu.
Pluribus hæc hominum morbis prodesse reperta,
Perpetuo viridi meruit gaudere iuuenta.
Sed tolerat ciuile malum : nam sæua parentem
Progenies florum, fuerit ni dempta, perimit,
Et facit antiquos defungier inuida ramos.

Ruta IV.

HOc nemus vmbriferum pingit viridissima rutæ
Siluula cæruleæ, foliis quæ prædita paruis
Vmbellas iaculata breues, spiramina venti,
C Et radios Phœbi,caules transmittit ad imos,
Attactuque graues leni dispergit odores.
Hæc cum multiplici vigeat virtute medelæ,
Dicitur occultis adprime obstare venenis,
Toxicaque inuasis incommoda pellere fibris.

Abrotonum. V.

NEc minus abrotoni promptum est mirarier alte
Pubentis frutices & quas inspicat aristas
Ramorum vbertas, tenues imitata capillos.
Huius odoratum lento cum vimine crinem
Præoniis captum prodest miscere medelis.
Febribus obstat enim, telum fugat, adiuuat artus
Quos incerta premit furtiuæ iniuria guttæ.
Præterea tot habet vires, quot fila comarum.

Cucurbita. VI.

HAud secus altipetax, semente cucurbita vili
Assurgens, patulis foliorum suscitat vmbras
D Ingentes, crebrisque iacit retinacula ramis.
Ac velut vlmum hedera implicuit cum frontibus altam
Rutis abusque sinu tori sua brachia circum
Laxa dedit ligno, summumque secuta cacumen
Corticis occuluit viridi tutamine rugas:
Aut arbustiuum vitis genus, arbore cum se
Explicuit quauis, ramorumque altâ corymbis
Vestiit, & propria sursum se sponte leuauit.
Visitur ergo rubens aliena in sede racemus
Dependere, premit tabulata virentia Bacchus,
Pampinus & frondes discernit latior altas.
Sic mea sic fragili de stirpe cucurbita surgens
Diligit appositas sua sustentacula furcas,
Atque amplexa suas vncis tenet vnguibus alnos.
Ne vero insano diuelli turbine possit,
Quot generat nodos,tot iam retinacula trudit.
Et quoniam duplicem producunt singula funem.
Vndique fulturam dextra læuaque prehendunt.
Et velut infusum nentes cum pensa puellæ
Mollia traiiciunt, spirisque ingentibus omnem E
Filorum seriem pulchros metantur in orbes,
Sic vaga tortilibus stringunt armenta catheuis
Scalatum, teretes inuoluuntque illico virgas,
Viribus & discunt,alienis,recta cauatum
Ardua porticuum voluci superare natatu.
Iam quis poma queat ramis pendentia passim
Mirari digne ? quæ non minus vndique certis
Sunt formata viis, quam si tornatile lignum
Inspicias medio rasum, quod nymphure constat.
Illa quidem gracili primum demissa flagello
Oblongo,tenuique ferunt ingentia collo
Corpora tum vastum laxatur in ilia pondus,
Totum venter habet, totum aluus, & intus aluntur
Multa cauernoso seiunctim carcere grana,
Quæ tibi consimilem possunt promittere messem.
Ipsis quinetiam teneri sub tempore fructus
Ante humor quam clausa latens per viscera sero
Autumni aduentu rarescat,& arida circum F
Restiterit cutis,inter opes transire ciborum
Sæpe videmus, & ardenti sartagine pinguem
Cumbibere aruinam,& placidum segmenta saporem
Ebria moltoties mensis præstare secundis.
Si vero æstiui finitur spiramina Solis
Cum genitrice pati,& matura falce recidi,
Idem fœtus in assiduos formarier vsus
Vasorum poterit,vasto dum viscera ventre
Egerimus, facili radentes ilia torno.
Nonnunquam hac Ingens sextarius abditur aluo,
Clauditur aut potior mensuræ portio plenæ
Amphora, quæ piceo linitur dum glutine,seruat
Incorrupta diu generosi dona Lyei,

Pepones. VII.

HOc simul in spatio, campo quo figitur imis
Hæc tam læta seges,vili quam carmine pinxi,
Visitur alterius vitis genus aere per æquor,
Sterpere pulouteum,& fructus nutrire rotundos G
Pomorum : hæc species terræ super arida vulgo
Tecta iacens, crementa capit pulcherrima, donec
Solibus æstiuis flauos intincta colores
Messoris calathos matura fruge tepenit.
Tum videas aliis oblongo stemmate ventrem
Demissum, nucis aut oui versatilis instar:
Vel qualis manibus quondam suspensa supinis
Lucet, agens circum lomenti bulla saliuam
Ante recens maceratur aquis quam spuma refusis,
Dum lentescit adhuc digitis luctantibus,& se
Alternis vicibus,studioque fricantibus vno
Inter vtramque manum, paruu fit paruus hiatu
Exitus : huc stricto lenis meat ore Noti vis,
Distenditque cauum vitrea sub imagine pondus
Et centrum medio confingit labile fundu.
Vndique conueniat cameri quo inflexio tecti.
Ergo calybs huius penetrat dum viscera pomi,
Elicit humoris largos cum semine riuos
Multiplici tum deinde cauum per plurima tergus H
Frustra manu spargens hortorum lætus opimas
Delicias conuiua capit, candorque saporque
Oblectant fauces:nec durus illa molares
Esca stupere facit, facili sed mansa voratu
Vi naturali frigus per viscera nutrit.

Absynthium. VIII.

PRoximus absynti frutices locus erigit acris,
Herbarum matrem simulantes vimine lento.
In foliis color est alius, ramisque odor alter
Puberibus.longeque saporis amarior haustus.
Feruentem domuisse sitim, depellere febres
Hoc solet auxillum clara virtute probatum.
Si tibi præterea caput acri forte dolore
Pulsetur subito, vel si vertigo fatiget,
Huius opem rimare, coquens frondentis amaram
Absynthi syluam, tum iuta lebere capaci
Effunde, & capitis perfunde cacumina summi.

Quo postquam abluetis graciles humore capillos,
Deuinctos frondes, superimposuisse memento.
Tum mollis fotos constringat fascia crines,
Et post non multas elapsi temporis horas
Hoe inter reliquas eius mirabere vires.

Marrubium. IX.

QVid referam iuxta positi, nimiúmque potentis
Marrubij non vile genus, licet acrius ora.
Mordeat & longe gustum disiungat odore.
Dulce enim olet, non dulce sapit, sed pectoris ægros
Comprimit angores, tristi dum sumitur haustu,
Præcipue talis caleat si potus ab igni,
Et cœnam cyathis cogatur claudere crebris,
Si quando infensæ quæsita venena nouercæ
Potibus immiscent, dapibusve aconita dolosis
Tristia confundunt, extemplo sumpta salubris
Potio marrubij, suspecta pericula pressat.

Fœniculum X.

NEc marathri taceatur honor, quod stipite forti
Tollitur, & late ramorum brachia tendit,
Dulce satis gustu, dulcem satis addit odorem,
Hoc oculis quos vmbra premit prodesse loquuntur.
Huius item semen, fœtæ cum lacte capellæ
Absumptum, ventris fertur mollire tumorem,
Cunctantisque moras dissoluere protinus alui.
Præterea radix marathri commixta liquori
Lenæo, tussim percepta repellit anhelam.

Gladiola. XI.

TE neque transierim Latiæ cui libera linguæ
Nomine digladij nomen facundia finxit.
Tu mihi purpurei progignis floris honorem,
Prima æstate gerens violæ iucunda nigellæ
Munera, vel qualis mensa sub Apollinis alta
Inuestis pueri pro morte recens Hyacinthus
Exiit, & regis signauit vertice nomen.
Radicis ramenta tuæ siccata fluenti
Diluimus contusa mero, sæuumque dolorem
Vesicæ premimus tali, non secius, arte.
Pignore fullo, tuo lini candentia testa
Efficit vt rigeant, dulcesque imitentur odores.

Lybisticum XII.

INter odoratam memorare lybistica sylnam
Fortia, suadet amor parui diffusior horti.
Hoc germen succo quamuis & odore gemellis
Orbibus officere, & tenebras inferre putetur,
Semina sæpe tamen quæsitis addere curis
Parua solent, famamque aliena laude mereri.

Carefolium XIII.

QVæ tot bellorum, tot famosissima rerum
Magnarum monumenta sacro pia conficis ore,
Exiles Erat non dedignare meorum
Diuitias olerum versu præstringere mecum.
Infirmis diuisa licet Macedonia ramis
Spargitur, & crebris ignobile semen aristis
Sufficit, illa tamen toto reparabilis anno
Pauperiem largo solatur munere plebis
Indignæ, nec non restringere sanguinis vndas
Corpore diffusas, facili solet obuia gustu.
Illa quoque infesto venter dum forte dolore
Turbatur, fomenta super non irrita ducit,
Puleium sibimet frondesque papaueris addens.

Lilium XIV.

LIlia quo versu candentia, carmine quove
Ieiunæ macie satis effetat arida musæ?
Quorum candor habet niuei simulachra nitoris.
Dulcis odor, syluas imitatur flore Sabeas.
Non parius candore lapis, non nardus odore
Lilia nostra premit: nec non si perfidus anguis.
Ingenitis collecta dolis ferit ore venena E
Pestifero, cæcum per vulnus ad intima mortem
Corde feram mittens, pistillo lilia præstat
Commacerare graui, siccosque haurire falerno:
Si quod contusum est summo liuentis in ore
Ponatur punctim, tum iam dinoscere vires
Magnificas huiusce datur medicaminis vltro.
Hæc & iam laxis prodest contusio membris.

Papauer XV.

ET cereale quidem nugarum in parte papauer
Hac memorare placet, quod captæ mœsta puellæ
Mater vt immensis optata obliuia mentem
Exuerent curis, fertur Latona vorasse.
Hoc simul auxilio carbunculus, ater ab imo
Pectore qui ructus nimium conuoluit amaros
Oris adusque fores, reprimi persæpe videtur.
Huius ad alta caput, granorum semine fœtum
Protento fragilique solet se tollere collo, F
Inque modum mali regio cui Punica nomen
Indidit, vnius patulo sub pellis amictu
Grana celebrandæ virtutis plurima claudit,
Deque sono mandentis habet formabile nomen.

Sclarea XVI.

HIc vmbrosa nouos inter Sclarea virores,
Stipite prævalido assurgens, ramosque, comasque
Altius extollit: quæ quamuis rarius vlli
Quæsita auxilio, medicorum pene putetur
Effugisse manus, dulci tamen indita caldæ
Et vires & odorati fermenta saporis
Præstat, eam iuxta hortensis non extima costi
Sylua latet, stomachique moras ventremque salubri
Prouocat auxilio, radicis munere coctæ.

Mentha. XVII.

NEc mihi defuerit vulgaris copia menthæ
Multa per & genera & species diuersa coloresque G
Et vires: huius quoddam genus vtile vocem
Raucinosam claro tursus redhibere canori
Posse putant, eius succos si fauce voratir
Ieiuna, quem crebra premens raucedo fatigat.
Est aliud præpingue genus huiusce frutecti,
Quod iam non parui diffundat germinis vmbras,
Celsa ebuli sed more petens, à stipite forti
Vndique maiores foliorum porrigat alas,
Quis odor alter inest, pauloque immitior haustus,
Sed si qui vires, species, & nomina menthæ
Ad plenum memorare potest, sciat ille necesse est
Aut quot Erythreo voluentur in gurgite pisces,
Lemnius aut altum quot in aëra Mulcibes ire
Scintillas vastis videat fornacibus Ætnæ,

Puleium XVII.

NOn patitur cunctas angustia carminis huius
Pulei virtutes celeri comprendere versu.
Hoc apud Indorum tanti constare peritos H
Fertur, apud Gallos quanti valet Indica nigri
Congeries piperis, quis iam dubitare sinetur
Hac herba plures leniri posse labores?
Quam pretiis inhianter emit ditissima tantis
Gens, hebenoque auroque fluens, & mira volenti
Quæque ferens mundo, ô magni laudanda tonantis
Virtus & ratio, nullis quæ munera terris
Larga suæ non pandit opis, quæ rara sub isto
Axe videre soles, aliis in partibus horum
Copia tanta iacet, quantam vilissima tecum
Efficiunt: rursus quædam quæ spreta videntur
Forte tibi, magno mercantur ditia regna,
Altera vt alterius potiatur fœnore tellus,
Orbis & in toto per partes vna domus fit.
Puleium quam decoctum curabit amice
Et potu & fotu stomachum (mihi crede) morantem,
Dum canimus quæ certa graui ratione tenemus,
Quædam audita, & iam vero miscere cothurno

Digitized by Google

A Fas vsusque sinit: ramum coniungito pulei
Auriculæ, ne forte caput turbauerit æstus
Solis in aërio si te perflarit aperto.
Quod nisi me currens deponere vela Thalia
Cogeret, ac tandem portus intrare moneret,
Hinc tibi multiplices poteram decerpere flores.

Apium. XIX.

QVamuis in nostris apium vilesceret hortis,
Et solito id multi prodesse sapore notarent,
Plura tamen propriis medicamina viribus, aëri
Exhibet auxilio, cuius si trita capessas
Semina, torquentes vrinæ frangere tricas
Dicitur, ipsum etiam tenero cum germine mansum
Concoquit errantes stomachi penetralibus escas.
Corporis hunc regem turbans si nausea vexet,
Mox apium lympha tristique bibatur aceto,
B Passio tum celeri cedet deuicta medelæ.

Bettonica. XX.

MOntibus & syluis, pratis & vallibus imis
Bettonicæ pretiosa licet collectio cunctis
Pene locis superet passim, tamen hanc quoque noster
Hortus habet, cultaque docet mansuescere terra.
Hæc tantum meruit generali nomine laudis,
Vt si quid mea Musa velit superaddere, tandem
Mole operis deuicta sui, iam sentiat, illa
Vtilitate minus quicquid deprompserit esse.
Hanc viridem si forte tuos conuertis in vsus
Carpere, siccatamve hyemi deponere pigræ,
Turbida sine tuas oblectant pocula fauces,
Seu potius longo tibi defecata labore
Dona placent, huius virtus mirabilis herbæ
Omnia sufficiet, quam quosdam pendere tanti
Nouimus, vt contra, totum si iniuria corpus
Impetit interius, muniri viribus eius
C Sese posse rati, soleant haurire diebus
Continuis hoc acre genus medicaminis almi.
Præterea caput infesto si vulnere fractum
Tabuerit, tum crebra terens imponito sacræ
Tegmina bettonicæ statim mirabere vires
Illius, in solidum fuerit dum clausa cicatrix.

Agrimonia. XXI.

HIc quoque Sarcocolam, campos quæ plurima passim
Vestit, & effœtis syluarum inuenta sub vmbris
Nascitur, ordinibus facile est discernere pulchris.
Hæc præter varium latæ virtutis honorem,
Trita domat ventris præditum & pota dolorem.
Si quæ forte chalybs infensus vulnera membris
Indiderit nostris, huius tentare iubemur
Auxilium, partique imponere tonsa patenti
Germina, maturum nacturi hac arte vigorem,
Si tamen addatur mordens cataplasmati acetum.

Ambrosia. XXII.

D HAud procul Ambrosiam vulgo quam dicere mos est
Erigitur, laudata quidem, sed an ista sit illa
Cuius in antiquis creberrima mentio libris
Fit, dubium est multis. Medici tamen arte suapte
Hanc vtcumque colunt, tantū qui hæc sanguinis hausta
Absumit, quantum potus ingesserit aluo.

Nepta. XXIII.

HErbarum in numero, quas hortulus ille recenti
Semper prole creat, nepetæ non segnior exit
Surculus, vrticam foliis simulantibus, alto
Vertice pergratum late largitus odorem.
Hæc variis olim morborum accommoda curis,
Non extrema alias inter decernitur herbas.
Huius enim succus, roseo commixtus oliuo,
Efficit vnguentum, læsæ quod vulnera carnis
Atque cicatricum deformia signa nouatum
Posse abolere aiunt, prisco reparare nitori,
Et reuocare pilos plagæ quos forte recentis
Pestis hiulca tulit, sanie taboque perosos. E

Raphanus. XXIV.

HInc raphanum radice potens, latoque comatum
Tegmine sublatum, extremus facit ordo videri.
Cuius amara satis, quatienti viscera tussim,
Mansa premit radix: triti quoque seminis haustus
Eiusdem vitio pestis persæpe medetur.

Rosa. XXV.

IAm nisi me fessum via longior indupediret,
Scrupeus atque noui tereretur carminis ordo,
Debueram viburna rosæ pretiosa metallo
Pactoli & niueis Arabum circumdare gemmis.
Hæc, quia non Tyrio germania tingitur ostro,
Lata nec ardenti se Gallia murice iactat,
Lutea purpureis reparat crementa quotannis,
Vbertim floris, tantum qui protinus omnes
Herbarum vicisse comas, virtute & odore F
Dicitur, vt merito florum flos esse feratur.
Inficit hic oleum proprio de nomine dictum,
Quod quam sæpe fiat mortalibus vtile curis,
Nec meminisse potest hominum, nec dicere quisquam.
Huic famosa suos opponunt lilia flores,
Longius horum & iam spirans odor imbuit auras.
Sed si quis niuei candentia germina fructus
Triuerit, asperso mirabitur illicet omnem
Nectaris ille fidem celeri periisse meatu.
Hoc quia virginitas fama subnixa beata
Flore nitet, quam si nullus labor exagitarit
Sordis, & illiciti non fregerit ardor amoris,
Flagrat odore suo. Porro si gloria pessum
Integritatis eat, fateor, mutabit odorem.
Hæc duo namque probabilium genera inclyta florum
Ecclesiæ summas signant per sæcula palmas
Sanguine martyrij carpunt quæ dona rosarum,
Liliaque in fidei gestant candore nitentis.
O mater virgo, fœcundo germine mater, G
Virga fide intacta, sponsi de nomine sponsa,
Sponsa, columba, domus, regina, fidelis amica,
Bello carpe rosas, læta arripe lilia pace,
Flos tibi sceptrigero venit generamine Iesse,
Vnicus antiquæ reparator stirpis & auctor.
Lilia qui verbis vitaque dicauit amœna,
Morte rosas tingens, pacemque & prælia membris
Liquit in orbe suis, virtutem amplexus vtramque,
Præmiaque ambobus seruans æterna triumphis.

Dicatio Opusculi.

HÆc tibi seruitij munuscula vilia parui
Strabo tuus, Grimalde pater doctissime, seruus
Pectore deuoto, nullius ponderis offert.
Vt cum conspectu viridis consederis horti
Super apocatas frondenti germine malos,
Persicus imparibus crines vbi diuidit vmbris,
Dum tibi cana legunt tenera lanugine poma
Ludentes pueri, schola lætabunda tuorum,
Atque volis ingentia mala capacibus indunt, H
Grandia conantes includere corpora palmis:
Quo moneare habeas nostri pater alme laboris
Dum relegis quæ dedo volens, interque legendum
Vt vitiosa feces deposco, placentia firmes.
Te Deus æterna faciat virtute virentem,
Immarcessibilis palmam contingere vitæ,
Hoc pater, hoc natus, hoc spiritus annuat almus.

HIPPOLYTI THEBANI, Chronicon,

NVNC PRIMVM EX CODICE M. S. Bibliothecæ serenissimi Maximiliani Principis Bauariæ, &c. editum

AB HENRICO CANISIO SS. Canonum Professore Ingolstadij.

Ex Hippolyti Thebani, Chronico commentario.

Sic titulus erat in codice.

A Christi natiuitate vsque ad Magorum præsentiam, anni sunt duo. Et à fuga in Ægyptum, vsque ad mortem Herodis filij Antipatri, anni tres, dies quinque. Habitarunt autem in Ægypto Heliopoli, quæ ad Memphin, Ioseph & Maria cum Iesu, annis tribus, dies 20. Post ipsorum vero regressum, vt in Galilæa habitarent; vsque ad mortem Archelai, anni sunt 9. dies 17. vna cum Archelao Augustus quoque moritur. Vixit vero annis 88. & imperauit annis 56. Ab Archelai porro morte, vsque Christi baptismum, quem à Ioanne in Iordane accepit, anni sunt 36. dies 30. A baptismo, vsque ad Zachariæ lapidationem annus 1. Interea enim, dum sacris ipse operaretur de more lapidibus iactis, & in caput contortis, eum trucidarunt: corporeque raptato, in valle Iosaphat suspenderunt. A Zachariæ autem lapidatione, vsque ad Ioannis filij ipsius mortem, sub Herode minore, Archelai F. in carcere paratam, annus vnus. A morte Ioannis, vsque ad salutificam passionem, menses 6. Triginta enim & sex annos Ioan. Baptista vixit. Triginta quidem annis versatus est in deserto: alijs vero 6. in Iordane baptismum administrabat, prædicans pœnitentiam, Sic Dominus Iesus Christus, trigesimum ætatis suæ annum agebat. Post baptismum vero receptum, adsciuit sibi, delegitque discipulos, cum illis in finum regnum promulgans vsque ad salutiferam passione, annis tribus. Idcirco Nicænæ Synodi trecentorum duodeuiginti diuorum patrum Canones, iubent, decernuntque, vt ante annum 30. nullus in presbyterorum allegeretur ordinem, iustic enim, aiunt, discipulo, vt sit sicut Magister ipsius: & seruo, vt sit sicut eius Dominus.

A salutifica vero passione, & ascensione Christi, vsque ad S. Stephani primi Martyris lapidationem, † vsque ad lucem, quæ Saulo visa est, eique apparuit, menses sunt 6. atque a luce, quæ ipsi Saulo apparuit, & ab eiusdem Baptismo, & prædicatione, vsque ad S. Mariæ V. assumptionem, anni 5. dies 44. Vixit autem in terris sanctissima Deipara & Virgo, annis 59. Et hoc quidem pacto. In templo annis 14. in domo Ioseph, mensibus 4. statimque salutata est, & diuini partus internuntium a Gabriele Archang. accepit: & cum concepisset Dominum nostrum Iesum Christum peperit eundem 25. Decemb. die annos nata 15. Vixit vero Domino nostro Iesu Christo, in humana natura hic viuente, annis 31. Post Domini autem assumptionem, & ascensionem, cum ipsius Discipulis, in domo Ioannis Euangelistæ, vixit annis 11. dies .... sunt vero anni omnes vitæ ipsius Virg. & matris vndesexaginta. Hic porro ipse est Ioannes, quem diligebat Dominus, qui Virgo fuit: qui & Euangelium conscripsit, quique perstitit Hierosolymis in S. æde Sionis dicta, templorum omnium matre, huc ipsius erat domicilium. Illuc igitur Apostoli, propter metum Iudæorum confugerunt. Illic foribus clausis, discipulis suis apparuit Dominus posteaquam à mortuis exstitit: & S. sanctum, & pacem eisdem dedit. Illic die octauo Thomam nutantem certum reddidit Dominus, lateris sui plaga, & clauorum forma & effigie demonstrata. Illic Domino Seruatori nostro Paschalis agnus, quem cum suis ederet Discipulis, fuit apparatus. Etiam inde hymno dicto, in oliuarum montem, in locum Getsemani dictum, egressi sunt. Ibidem primo S. Eucharistiæ mysterium confecit Christus, suisque Discipulis tradidit, mysticumque cultum edocuit, & tonsura data in clerum asciuit, benedictionis beneficium impendit, sacris Ordinibus initiauit; totam omnium arcanorum quæ in mandatis dabat, & maiestatis suæ seriem exposuit gloriamque diuinæ suæ formæ, Beatorumque, à quibus spectatur, spectaculum exhibuit, vt & magnificentiam, ornatum splẽdoremque Eccl. suæ: Eosdem diuina corporis & sanguinis sui communione dignatus est, vt & Nicodemum sibi & ante & post Resurrectionem fidum addictumque. Ibi primarium inter omnia Christi mysteria, mysterium Apostoli peregerant. Illic Iacobum fratrem Domini, primum Episcolam Dominus & Apostoli delegere; non quidem Zebedæi filium, sed fratrem Domini nostri. Iacobus enim Discipulus Domini, filius quidem erat Zebedæi, Ioannis autem Euangelistæ germanus, Zebedæus autem ipsorum pater, ἰδιοκάτωρ id est, propriam nauim habens, appellatur. Ex illustribus vero Galilææ viris primas Ioannes tenebat. Post sui patris Zebedæi mortem, vendidit distraxitque facultates ex hæreditate Zebedæi, & Hierosolymis aliam domum sibi comparauit. Sic igitur recepit Deiparam in domum suam: verbum veritatis Christi Ephesi in Asia prædicans: qui tandem ibidem obdormiuit in Domino, eiusdem nomen & magnalia debitis laudibus prosequens.

Iacobus autem à Domino & ab Apostolis ordinatus Episcopus, frater quidem Domini secundum carnem esse dicitur, filius vero Ioseph fabri, ex vxore ipsius, quæ domesticæ vitæ curis, & administrationi vacabat: Simonis autem, & Iudæ, & Ioseph frater germanus. Quatuor enim liberos habuit Ioseph, & duas filias: Esther & Martham: ex vxore sua Salomone, quæ fuit filia Aggæi fratris Zachariæ, qui fuerat pater Ioan. Baptistæ, Christi prodromi, filij Barachiæ, filij Abia sacerdotis. Et tunc quidem viduus erat Ioseph, vt Salome, & Ioan. Baptista fratrum germanorum sint liberi. Etenim Aggæus, Barachiæ filius, patruus erat Ioannis. Zacharias item, frater Aggæi, patruus erat Salomes, quam Ioseph in matrimonio habebat. Salomem autem dico, non obstetricem illam, sed Iosephi coniugem. Obstetrix enim è Bethleem erat oriunda, & ipsa consobrina Elisabeth, & sacrosanctæ Virginis Mariæ. Id quod S. Lucæ declarat Euangelium.

Tres enim sorores erant Bethleemiticæ, sacerdotis Matthan filiæ, & vxoris illius Mariæ regnante Cleopatra Regina, & Sopatore Persa, idque antequam Herodes filius Antipatri regnum Iudaicum obtineret: Nomen primæ erat Maria: nomen secũdæ, Sobe: tertia dicebatur Anna. Prima nupsit in Bethleem, & Salomen obstetricem genuit. Altera ibidem nuptum fuit tradita, & Elisabetham peperit. Tertia in Galilæa nupsit, & Mariam Deiparam genuit: vt Salome, & Elisabeth, & S. Maria Deipara trium sororum sint filiæ. Atque hinc Ioan. Baptista, & Christus Dominus noster, consobrini esse dicuntur: filius vero Ioseph esse scribitur. Quoniam filiorum ipsius frater est, non ex eo solum, quod vna fuerit nutritus, & educatus, verũ etiam ex Aggæi fratris Zach. sacerdotis cognatione.

Nascitur itaque Dominus noster Iesus Christus ex tribu Iudæ, & a semine Dauid, secundum humanam naturam, diebus postremis, ... a creatione mundi anno, 42. Augusti Imp. anno mense Dec. 25. noctis hora 10. die 1.

Sciendum vero etiam illud, vt à primordio, secundum hebræam computationem, mundi demonstres originem, tolle, atque aufer, à protoplasto Adam, ad vsque Noe, (sub quo diluuium exstitit, suntque generationes decem) annos 2142. simili pacto à diluuio vsque ad Abraham, generationes totidem, anni sunt 1270. Abraham porro annorum erat 75. quando ex Mesopotamia in Chananæam terram commigrauit: ibique annis 25. demoratus, Isaac filium progenuit. Sexagesimum annum Isaac natus duos liberos, Esau & Iacob, obtinet. Hic Ægyptum eum 12. suis filiis, & nepotibus num. 75 subit. Habitauit an-

tem

Digitized by Google

rem ipsius Gens in terra Chanaan, annis 215. deinde Ægyptum cum annis totidem incoluisset, & incremento capto, in 12. tribus esset relata, capita autem computata, mille Chiliades expleuerunt. Leui quidem posteri, Moses, & Aaron fuere. Et hic quidem sacerdotio dignus est habitus Ille autem ad imperium est destinatus. Qui quidem 80. vitæ anno Erithræum mare ingressus, calcat, populumque Hebræum Ægypto educit. Ille ipse Moyses tempore Inachi in Græcia primo omnium imperantis, floruit. Græcis omnibus antiquiores sunt Iudæi & leges: Græci, posteriores: Etenim, vnum Deum colere, ab iis qui ætate ipsos præierit acceperunt, Legum porro constitutio, seu latio, post tres, emigrationis ex Ægypto, menses per Mosen transigitur: Vox vero Dei mortalibus patuit. Morati sunt in deserto annis 40. Sub Iehu. Naue F. fuere annis 25. sub iudicibus, annis 454. vsque ad regnum Saulis, primi eorum Regis, Sub quo, primoque illius regni anno, Dauid nascitur. Pari ratione etiam ab Abraham, ad Dauidem vsque, generationes sunt 14. anni 1024. Atque à Dauide, ad vsque Babylonis transmigrationem, totidem sunt generationes, anni 609. A transmigratione in Babylonem, vsque ad Darium, anni 25. Et a Dario ad Iesum filium Iosedec, anni 60. Atque ab Iesu Iosedec F. vsque ad Iesum, qui dicitur Christus, anni 509. Hanc rationem sequentes, calculatione annorum omnium facta, ab ipso protoplasto Adam, ad Christum vsque annorum quinque millia quingenta reperiemus.

Hoc igitur pacto nascitur Dominus noster Iesus Christus, imperij Augusti 42. mense Decemb. 25. die prima, noctis hora 10.

A Christi autem assumptione, seu in cœlos ascensu, ad vsque Constantinum magnum Imp. virum pium, Deique cultorem anni sunt 297. Quibus aberrarunt nonnulli Christiani Pascha cum Iudæis celebrantes. Diuinissimus autem Imp. 12. Imperij sui anno, condita suoque nomine donata vrbe Byzantij, primaque, contra stultæ sapientiæ Arium, facta atque instituta Synodo, cum 318. diuinos patres, vel potius Patriarchas collegisset; Romanum scilicet, Alexandrinum, Hierosolymorum, & Constantinopoleos Metrophanem Episcopos: qui quidem in Bithyniæ prouincia, Arium, & vna cum eodem sentientes, sententiis suis, & anathemate perculerunt, fidemque Catholicam liquide, piæque proclamarunt. Tunc sane, tunc cum sanctos Patres & Patriarchas acciuisset, vt in vrbem regiam ingrederentur, & orationem supra vrbem à se conditam funderent: Postmodo requisiuit, quo pacto Pascha celebrandum; & quæ posteris generationibus tradenda methodus, ne in manifestum, notabilemque lapsum deueniretur. At illi disputatione, disquisitioneque facta, multaque, temporeque non modico illic commorati, à Deo per Angelum vix eiuscemodi obtinere potuerunt oraculum Id autem constat tredecim periodis siue reuolutionibus, ortis à primi sæculi primordio, & in ipso sexmillesimo, decimo sexto anno desinentibus. Enumerando igitur has periodos, decima completa est anno 532. De incepta autem vndecima periodo, 186. anni abierunt, & humanam naturam induit Dominus noster Iesus Christus, vt liber Nicomediensis & Metaphrastes habent Magnus vero Basilius dicit: Ipso quinquies millesimo, quingentesimo anno Dominus noster Iesus Christus nascitur. Itaque ex supradicta vndecima periodo supersunt anni sex. Reliqui Scriptores, vt Eusebius Pamphil, Eutychius Georgius Chronologi, & alij 180. dumtaxat annos putant & statuunt. Alij, annos † . . Triginta tres annos in mundo & hac vita versatus, & commoratus, & propter salutem nostram mortem passus, 23. Martij fuit crucifixus. Die 24. sepultus: & 25 resurrexit, die prima, nimirum Dominica: Velut Metaphrastes declarat, & Nicomediensis seu vt exteri, Aprilis 21. die a mortuis exiit. Equidem fidem habeo sententiæ Domini Simeonis: quippe mundi huius molitio ab 22. Martij mensis initium accepit: lux item (solis) qua metimur omnia, eiusdem mensis 25. quarto die fuit condita diuinitus. Hinc enim quater decem & septies decem, tum quinquagesimus numerus sunt in honore. Et attente considerandum est; Quoniam Deus diuina sua sapientia in 7. sæculis mundum fundauit: septemque diebus est fabricatus, & de Cain dedit vltionem septies, de Lamech autem septuagies septies. Enoch septimum transtulit, velut eum, qui Deo placeret: Abraham etiam à mundi constitutione, multarum gentium patrem declarauit: sed & ipse Dominus septuagesimus septimus ab Adam numeratur. Etiam Pentecoste, seu Quinquagesima iubilæi (*anni*) (remissionem dixeris) idcirco est in honore. Septimo quoque mense solemnia illa sacrificia peragebantur.

† . . . Lacuna est vel obsoleta antiquitate: vel negligentia librarij.

Quod si voles & circa solis, lunæque cursum, reperire dimensionem, cape periodum, & subduc per septies decẽ, perque quater decem, per Solis & Lunæ dimensionem; idque tuto, citraque lapsum probabis. In gyrum autem, & orbem volue, quæ intus scripta, & notata sunt, & inuenies orbis conditi annos, ad Christi vsque aduentum: Et posthæc rursum, Christi pro nobis hominis facti genealogiã & Solis, ac Lunæ periodos, paschalesque incipientes, & instantes terminos prout sub Constantino descripti sunt.

NOTÆ AD CRONICVM Hippolyti.

Hippulyti Thebani, quem nunc luce donamus, meminit Epitome Gesnerianæ Bibliothecæ his verbis: *Hippolyti Thebani de cognatione Christi lucubratiuncula ex opere eius Chronico decerpta. Græce exstat Romæ in Bibliotheca Vaticana.* Ibidem eadem Epitome. *Hippolytus Thebanus conscripsit Chronicon, ex quo Ioannes Sambucus desumpsit & tractauit libellum de ortu & cognatione Virginis Mariæ.* Prior inscriptio non multum abit à titulo codicis Bauarici, quo nos vsi, suspicionemque mouet, non tã esse opus integrum, quam integri operis fragmentum & ἀποσπασμάτιον, quod & ipsa breuitas credere suadet, & Turrianus, qui, vt dicemus. Hippolytum vidit, fragmentum appellat. Citatur Hippulytus a Glyca 3. part. Annalium, & à Francisco Turriano in Apologia pro domo Lauretana aduersus Calumnias Vergerij. Recitat ex eodem nonnulla Nicephorus Callistus, lib. 2. Histor. Ecclesiast. c. 3. Sed falluntur, vt & recentiores cum illo, quando quæ sunt Hippolyti Thebani, tribuunt Hippolyto Portuensi Episc. scriptori valde vetusto; (de quo vide Trithemium de scriptoribus Ecclesiast. & Baron. in Martyrolog.) cum Hippolytus noster vixerit post tempora Simeonis Metaphrastæ, qui Sanctorum historias aliquot voluminibus collegit. Hunc enim Simeonem citat ille Hippolytus. Quocirca recte necesse est suspicionem Epitomes Gesnerianæ, suspicantis hunc nostrum Hippolytum esse illum, cuius S. Hieron. in libro de viris illustribus meminit.

Porro de veritate Chronologiæ, quam Hippolytus statuit, nolim cum quoquam contendere, id enim consilium fuit Hippolytum ex Bauarico codice bona fide exscriptum pari fide vulgare; Chronologiam autem illius aliis examinandam relinquere.

Pag. 240 locus mutilus est. Citatur à Glyca 3. part. Annal. cuius verba Interpres sic reddidit: neque enim iam ad manum est græcus codex Glycæ. *De nonnullorum quidem historicorum sententia, præsertim Hippolyti Thebani post Domini ex mortuis Resurrectionem anni septem præterierant, cum testium veritatis princeps ille Steph. beatum vitæ finem est consecutus. Ab eius autem morte mensibus prope sex elapsis, Pauli vocatio facta est.* Refellit hanc sententiam illustriss. Baronius Annal. primo, docetque Stephanum passum anno Christi 34. septimo ab Ascensione Domini mense: conuersionem vero S. Pauli secundo ab Ascensione Domini anno contigisse: nempe anno Domini 36. tempore a martyrio S. Steph. multo longiore, quam statuit Hippol. qui tantum sex menses assignare videtur, sed locus, vt dixi, corruptus. Similia Niceph. lib 2. c. 3

Pag. eade, habet quidem cod. græc. [illegible], sed leg. est vna voce [illegible]. vt docet Franciscus Turrianus lib contra Vergerium, pro domo Lauretana, qui ista, quæ refert hic Hippolytus, recitat ferme ad verbum ex scholiis quibusdam græcis S. Chrysostomi super Euan-

gelia Ioannis & marci. Legatur Turrian. qui Hippolyto multum lucis adferet. Exscripsit eadem Nicephorus ex antiquioribus loco paulo ante citato: apud quem interpres transfert ἰδιοναύκληρον, *nauis propriæ rectorem.* Sed condonemus eum lapsum vna cum cæteris viro de Nicephoro bene merito.

Pag. 240. Iacobus autem, & à Domino, &c. vt hæc tã intricata intelligantur, profuerit legere, quæ Nicephorus de his memoriæ mandauit lib. 2. cap. 3. Etsi enim ipse dicit, se hæc referre ex Hippolyto Episc. Portuensis Romæ facile tamen homonymia nominis Nicephoro imponere potuit, vt pro Thebano Portuensem, & veterem illum Hippolytum substitueret. Adscribamus verba Nicephoti, vt tenebris Hippolyti lucem accendamus, Hippolyti, inquam, Thebani, nam priscum illum talia scripsisse, nunquam mihi persuaserim. *Non importunum equidem, vt puto, fuerit,* ait Nicephorus, *præsenti inserere historiæ, quæ dominus Hippolytus Portuensis Romæ Episc.* (τῆς τῶν ἀποστόλων ...) *de Iacobo fratre Domini memeriæ mandata reliquit: Ioseph, inquiens, faber, ex vxore sua Salome (quæ quidem filia fuit aggæi, fratris Zachariæ Prophetæ eiusdemque Ioan. Bapt. patris, Zacharias vero & Aggæus filij erant Barachiæ sacerdotis) quatuor suscepit liberos, Iacobum & Simeonem, Iudam & Iosen, & item filias duas Esther & Thamar, ita vt Salome ipsa, & Ioan. Bapt. duorum fratrum liberi fuerint. Etenim Aggæus filius quidem est Barachiæ, Patruus autem Ioannis. Similiter & Zachar. frater quidem Aggæi, patruus autem Salomæ, Iosephi coniugis. Salomen vero dico, non illam in Bethleem obstetricẽ, (illa enim Bethleemitica consobrina Elisabethæ erat, & item sacræ Virg. Mariæ, vt hoc sacrum Euangelium Lucæ indicat) siquidem tres fuere sorores Bethleemiticæ filiæ Matham sacerdotis, & Mariæ coniugis eius sub Cleopatra & Casaporis Persarегно ante Herodis Antipatri filij regnum; Prima Mariæ, secunda Sobæ, tertia Annæ nomen erat. Nupsit prima in Bethleem Maria, & peperit Salomen obstetricem. Nupsit quoque secunda in Bethleem Soba, & genuit Elisabetham. Nupsit postremo & tertia Anna in terra Galilæa, & protulit Mariam Dei Genitricem, ex qua nobis ortus est Christus ipsa veritas: ita vt Salome ista obstetrix, & Elisabeth & Dei mater trium sororum reperiantur filiæ: proinde Ioan. Bapt. & Iesus verus Deus noster consobrini esse dicuntur. Iosephi vero filius Christus esse dicitur, quod filiorum eius frater esset, propter conseruationem familiarem & cognationem Aggæi fratris Zach. sacerdotis.* Hæc Niceph. ex Hippolyto Portuensi, vt ipse putat, re vera autem ex isto Hipp. Theb.

Pag. 241. Vt clariora fiant, quæ hoc loco de periodis Hippolytus scribit; adscribere placet, quæ ad hunc locum Hippolyti annotauit nobilis & amplissimus dominus Ioan. Georgius Hervvardus, Bauariæ Cancellarius, vir omnis Chronologiæ peritissimus. Anni, inquit, 532. reddunt periodum (scilicet lunarem) Decem tales periodi reddunt annos 5320. His annis ex vndecima periodo alij addunt solos annos 180. Sicque illis natus est Dominus noster Iesus Christus 5500. anno mundi: quippe 6. annis citius. Nam alij prædictis decem periodis seu annis 5320. addunt annos 186. ita vt illis natus sit Dominus noster, Anno Mundi 5506. sex annis tardius. Hæc Dominus Hervvardus. Prioris opinionis est S. Basilius, Eusebius, Eustathius, & Georgius Syncellus, vt ait Hippolytus: Posterioris autem Metaphrastes & Nicomediensis, διὰ ... Aprilis est 21. dies Aprilis. Quod vero ait, Christum crucifixum 23. die Martij sepultum 24. id ea de causa facere videtur, quod initium diei 24. ducat more Hebræorum à vespera diei 23.

Locum de ætate Præsbyterorum, secundum Nicænam Synodum, citat ex Hippolyto Turrianus, in Scholiis ad secundum librum Constitutionum Clementis Romani.

***

S. EVLOGII CORDVBENSIS, Martyris Doctoris, & Electi Archiepiscopi Toletani opera, E

STVDIO ET DILIGENTIA Illustrissimi ac Reuerendissimi Domini Petri Poncij Leonis à Corduba Episcopi Placentini; summique fidei Christianæ per regna & ditiones Philippi II. Regis Catholici Inquisitoris reperta: & per D. Ambrosium Morales, Commentariis illustrata. F

NOTA.

Acta hæc habentur apud Baronium 11. Martij.

DIGNE hoc loco attexuerimus nobile de S. Eulogio encomium, quod vir clarissimus Baronius Cardinalis hisce verbis expressit in notis ad Romanum Martyrologium 11. Martij. *Acta Eulogij scripsit Aluarus Cordubensis eius sodalis: sed felicius, mea sententia, sua ipsius scripta viuam ipsius imaginem reddunt, Hac ille præclarus Christus athleta, qui cedentibus cæteris, vexillum confessionis aduersus Arabum impietates erexit, ac plurimos ad martyrij coronam perduxit, quorum triumphos ipse in carcere positus scripsit. Extant hac nostra ætate è latebris antiquitatis eruta, præclarissima scriptorum ipsius monumenta, quæ Apostolicum spiritum redolent, & purissimam pristinam illam seueritatem præseferunt.* Et in notis ad 24. Nouembris de eisdem Eulogij scriptis hæc addit, *Omninoque eiusmodi ita scripta sunt, vt in pixide Spiritus sancti sancti calamum intinxisse S. Eulogius videatur.* Extat natalis eius dies inscriptus Romano Martyrologio 11. Mart. G

Index Operum S. Eulogij.

DIui Eulogij libri tres de martyribus Cordubensibus, Memoriale martyrum ab authore nuncupati.

Apologeticum eiusdem pro gestis sanctorum martyrum Cordubensium.

Exhortatio eiusdem ad martyrium, duabus virginibus Floræ & Mariæ, iam in carcere pro Christi confessione comprehensis scripta.

Eiusdem epistola ad VVilienfindum Pompelonensem Episcopum: in qua peregrinationem suam in Galliam commemorat.

Item Epistola aliquot eiusdem martyris.

DE VOCABVLIS FICTIS ET NOVATIS. H
In toto Diui Eulogij sermone.

DIui Eulogij ingenium quantum fuerit, quanta doctrina excultum, ipsius opera plene satis edocebunt. Insignem præterea sacrarum litterarum peritiam cum multis indiciis possis in sancto martyre deprehendere, felix tamen in explicandis & ex professo exponendis testimoniis, quæ adducit, dexteritas illam in primis declarabit. Stylus etsi pius semper & sæpe suauis, longe inferior est tanta ingenij & natiua etiam eloquentiæ magnitudine, eãque sentias multoties hac ope destitui. Degenerauerat nimirum iam vbique Latini sermonis præstantia & puritas, eiusq; claritatem multa obscurauerant & nostræ clades apud nos magis obruerant. Vt potius in tã dira captiuitate & miseria, quã per centũ ac quinquaginta ferme iã annos, tempore diui Eulogij perpetiebamur, laude dignũ sit, quod vir sanctus præstare in hoc genere potuit, quã culpæ imputandũ quod non est

A *affectus. Quendam etiam proprium & peculiarem stylum iam diu sibi illa tempora effecerant, in quo laudis & gloriæ fuit eminere. Argutam subtilitatem vehementia nonnihil, atque aliquem in rebus magnis sublimitatis impetum non possis non suspicere. Sed verborum & totius sermonis neglectu egregios conatus doleas retundi & obscurari. Nos religione quadã reuerenter tacti, nihil emendare voluimus tantum fictorum & nouatorum verborum & phraseon catalogum hic apponere duximus necessarium.*

Vna atque alia vice. Dico vobis in veritate. *Hispanismi*, Monachorum vitam oblectans; *pro*, oblectari vita monachorum. In ante. In amplius. Consultum gerens, *pro*, consulens; *aut*, prospiciens. Libri series, has causas innotesceet, *vt sit actiuum*. Præconabile. Præconari. Paruipendulus. Gloriositer. Deicola. Decisus; *pro*, occisus; *aut*, obtruncatus. Itus, pro itinere seu via. Et itum, *neutro genere, pro incessu, in Nonio Marcello reperitur*. Prophetisimus; *vt*, Christianismus. Incultio; B *pro ruditate seu barbarie sermones*. Adepsit; *pro*, adeptus est. Medie; *pro*, mediocriter. Epistolatim, *per Epistolas*. Lunatim; *per singulos menses*. Metabulum; *pro spatio*. Victoriare. Pausare verbum; *nam*, pausam; *pro quiete, antiqui dixere*. Eremititas; *pro eremo seu solitudine*. Officiositas; *pro munere*. Oramen, *pro prece*. *Victimare, tanquam victimam offerre*. Sospitare, *salutare*. Deliquium, *pro, peccato*. Optio, *pro occasione; item, pro petitione*. Vindicium, *pro vindicta*. Grassedo; *pro crassitudine*. Sol, *pro die*. Multiplicus; *pro* multiplex. Versibilitas; *pro mutabilitate & inconstantia*. Inconuulsibiliter. Combinatus; *pro imbutus*. Iugitas, *pro perpetuitate*. Dibellio, *pro rebellio*. Potestatiue. Præsentialiter Dulcoratus. Repriorans. Anticeps. Fulcimen. Noxietas. Taxatum; *pro*, imitatum. Compactare; *pro*, *formare, & veluti fabrefacere*. Pusillitas, *pro paruitate*. Mundialis Discertitudo. *Et quædam alia ad hunc modum*.

Genera confusa, casus peruersi, numeri in omnibus & verbis neglecti: & tota inde Latini sermonis structura dissipata, describentium, non authoris fuisse vitia, est manifestum. Idcirco nos omnia eiusmodi emendauimus cum in reliquis nihil nobis permiserimus.

C

DIVI EVLOGII MARTYRIS Cordubensis doctoris & electi Archiepiscopi Toletani, Liber Memoriale Sanctorum ab ipso inscriptus.

PRÆFATIO.

1 2 EGo quidem volumen hoc Memoriale Sanctorum appellans, illis tantummodo asceteras comment meram, è quibus prior ille monachorum globus ad resistendum mendacissimo vati processerat. D Sed postquam ex vrbibus, vicullis, oppidiculis, & castellis certatim prorumpere ad hoc certamen viros, ac mulieres cognoui, neque quenquam veteri prælidis tribunal compeci, sed omnes pro testamento, & legibus Dei nostri mortem incunctanter elegisse conspexi: vniuersis illud Ecclesiis supra solidissimam petram fundatis dicaui, vt tantum haberent cuncti de triumpho eorum suæ consolationis, & gloriæ exemplum, & gaudium, quantum sint illos ex diuersis locis venisse, & 3 4 in exemplum totius Ecclesiæ discrimina passionum subiisse. Sed reor, quod inter ipsos haud dubie principatum obtinet sanctus Isaac Monachus. Qui prior è Tabanensi cœnobio in forum descendens, iudicem adiit, atque his verbis eum aggreditur: Vellem (inquit) iudex cultor fidei strenuus fieri, si modo tu non differres ordinem, rationemque eius mihi exponere. Cui cum libenter, quasi iam tyrunculo fidei suæ credituro inueni inflatis buccis, turgenti gutture, crepitantia infra caua palati verba institutionis lingua fallax proferret, sectæ

Isaac Tabanensis monachus martyr. Tabanense monasterium.

E huius auctorem Mahomad fore prædixit, qui Angeli Gabrielis magisterio illustratus, verbum Prophetismi ab Altissimo nationibus relaturus accepit, legem instituit, paradisum disseruit regnumque cœlorum plenum epulis & fluxibus fœminarum edocuit. Sed & alia plura, quæ hic disponi prolongum est, ex ritu pro vano arbitrio prosequente, protinus ephebus ille venerabilis Monachus vt erat apprime litteris Arabicis imbutus, Arabice dans 5 illi responsum: Mentitus, ait, est vobis, ita maledi- 6 ctionibus tabescat diuinis qui tanto scelere implicatus, tantorum agmina perditorum inuasit, secumque inferorum barathro mancipauit. Ille enim dæmonio plenus; dæmonicis fauens præstigiis lethale morbidis propinans poculum, æternæ perditionis luet interitum. Quare vos scientia præditi à talibus non abdicatis periculis? Quare non renuntiantes vlcus pestiferi dogmatis perennem fidei Christianæ Euangelicam sospitatem optatis? Hæc & his similia ore pudico, summis reuerentiæ ausibus viribusque lingua peracuta beato disserente Isaac, stupore nimio F iudex turbatus, ac veluti amens effectus, vbertim lachrymasse perhibetur: & quandam mentis hebetudine occupatus vix potuisse fertur, exprobranti se monacho respondere: sicque manu extensa faciem eius verberanti, confestim monachus dixit: Consimila imagini Dei vultũ audes ferire? vide qualem propter hoc redditurus sis rationem. Idcirco a consedentibus secum sapientibus deprehensus, arguitur, quod grauitatis Censoris oblitus leuiter per semetipsum ad cædendum martyrem egerit, & præsertim quia secundum legum suarum sententiam, is qui pro crimine dignus est mori, nullius pœnæ conuitiis lacerari debet. Tunc iudex ad sanctum Isaac conuersus ait: Forte madidus vino, aut frenesi captus ad ista, quæ profers, non facile potes aduertere. Nam ipsius vatis nostri, quem tu temere conuiciis impetis sententia manet irrefragabilis, animaduerti debere in eos qui talia de ipso non verentur profiteri. Ad quem venerabilis Isaac intrepida responsione ait: Ego quidem iudex, nec vino madidus, nec quolibet morbo taneus sum, sed zelo iustitiæ conflagrãs G qua vatem vestrum, vosque expertes existere comperi, veritatem vobis exposui: propter quam si mors furibũda occurrerit libens excipiam: placidus subeam, nec ab eius ictibus ceruices meas auertam. Noui enim dominum dixisse: Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnũ cælorum. Tunc iudex carceri illum tradens, protinus regi causa eius innotuit, qui tantæ acceptationis euentu perterritus, illico ferocioribus animis ferox promsit edictum, dicens morti vsquequaque fieri debere obnoxium, talem in auctorem fidei suæ frequentem conuitium. Hinc Dei seruus ad necem damnatus vertice plectitur: hinc in stipite eleuatus capite deorsum appenditur, atque vltra amnem in spectaculum vrbis locatur, tertio Nonas Iunias, Feria quarta, Era octingentesima, octuagesima nona. Cuius corpus aliquot dies cum cæteris, qui eum imitando perempti sunt, igne crematũ, & in fauillam comminutum, deinceps in amnem proiectum est. Sed necesse est exponere, quibus indiciis vel H prodigiis hic B. Isaac existens in infantia denotatus, vt ex eo diuinitus ad coronam martyrij illum fuisse credamus electum, ex quo in matris vtero positus terribilem valde parentibus stuporem intulerit. Tribus namque vicibus vna die, paulo antequam nasceretur, visus est loqui cuius rei nouitate perterrita mulier pene mortua vim verborum nequaquam potuit intelligere. Alio etiam tempore cum adhuc septennis existeret, virgo quædam cernit per visionem globum luminis è cœlo descendere, & inter omnium præstolantium turbam solus hic vlnas extendens manibus lumen excepit totamque eius claritatem ori suo iniectum, ebibit, felicem tunc, & vere beatum, omnibus tali cond gnũ munere nũcupantibus. Hæc sunt infantiæ eius prodigia & signa, quæ illum dignum martyrio longe antea portenderũt. Nã quidã sacerdos ex cœnobio Tabanensi, ex quo idẽ B. ad agonem processerat, peractis missarum Dominico die solemniis septimo scil. Iduum Iuniarũ, qui post quintum martyrij sui diem eue- 7 nerat, in quodam lectulo fratrum recumbens, obdormire 8

Matt. 10.

Anno domini 851.

Præsagia de Beato Isaac martyre.

Tabanense cœnobium. Dies Iuniy.

A paulum cepit, & ecce subito per somnium vidit puerum decoris pulcherrimi à partibus Orientis venire, schedamque Mariæ pulchritudinis manibus gestantem sibi adsistere. Quam ab eo accipiens, scripturam eius legere cæpit: erat enim his exarata sermonibus. Sicut pater noster Abraham Isaac filium Deo in sacrificium obtulit, ita & nunc sanctus Isaac in conspectu Domini sacrificium pro fratribus immolauit. Et continuo quidam è ciuitate venientes, dixerunt B. Hieremiam martyrio enim aliis fuisse coronatum per Dominum nostrum Iesum Christum, cuius exemplo nonnulli ad publicum sub eadem possessione perempti sunt. Sed dudum antiquitus illis beatæ memoriæ Perfectus presbyter extitit, qui ob eiusmodi professionem, qua & isti, occubuit: sed non eo modo, quo ipsi deciderunt. Prædictus namque presbyter, coacte ad passionem tractus, viriliter consummauit sancti certaminis cursum. Hi vero sponte sua venientes, acrius hosti resistunt, & quadam violentia per effusionem cruoris regnum cœli capessunt.

9 *Hieremias martyr.*

Sanctus Perfectus martyr.

B *Cap. 1.* Quo autem ordine idem venerabilis Perfectus presbyter passionis brauium emeruerit, principium libri secundi exponet: ac deinceps cæterorum nomina, ætates, ortus, temporaque allisionum edit. Quapropter hanc præfationem in capite voluminis posui vt inter laudes, vituperationesque sanctorum me discurrente, interdum etiam auctori profano obuiam venientem lectores mei facilius intelligerent, precibus expiarent, orationibus adiuuarent, & tam de illis, quam de me ipsis fauente, iudicium proprium, & nunc & ante Dominum ferrent.

INCIPIT LIBER I.

1 C *Ecc commodis inuigilandum.* PEritissimorum virorum prouidum semper esse debet consultum, commoda Ecclesiæ Catholicæ non paruipendere: nec ab obtentu perfectionis eius desistere, vel si qua vitio cuius hebetudinis sese interserunt commenta piæ religiositati adultera, nullatenus improbo neglectu silentij in maiorem perniciem sinendum accrescere. Quia quantum meritis præclaræ conuersationis, seu sanctæ doctrinæ gradibus sancta Ecclesia in superna euehitur, in sublime eleuatur, vbique incremento fidei dilatatur: tantum etiam, aut eo amplius incuria negligentium deiicitur, impulsibus horum misere concutitur, & quorundam socordia ad ima

Luc. 12. proiicitur. Hinc prouenit, vt auctæ vires peruersorum, detrimentum semper fidelibus ingerant, dispendiumque gregi pusillo, cui complacuit patri dare re-

Psal 7. gnum, exaggerent: dum aliquando torpenti silentio omnibus contentis, seu proniori lapsu vltimo vitio-

Ezech. 13. rum abyssu immersis, nullus adsit, qui redimat, neque qui saluum faciat, dicente Propheta: Non ascendistis ex aduerso, neque opposuistis murum pro domo Israel,

D *Ezech. 34.* vt staretis in prælio in die Domini. Illius etiam quam maxime vaticinium Prophetæ formidans, quo socordiam inutilium pastorum Dominus contestatur. Ecce inquiens, Vos lac comedistis, & lanis operiebamini: oues autem meas lupi inuaserunt: & dum non procuratis pascua salubria, ab inimicis eis sunt herbæ morbidæ procuratæ.

Isa. 56. Quapropter ne canis mutus, & non valens latrare appellarer à Domino: siue vt euaderem in futurum negligentium iudicium, conatus sum ex pauperrimo nostræ scientiæ scrinio depromere aliqua, & ex olerum ferculis, tamen catholico studio apparatis, fidelium saturare esuriem. Eorum scilicet, qui veritatem fidei Christianæ sicut à sanctis patribus acceperunt, sana credulitate retentant: ne desistente procurationis nostræ salutari edulio, lethiferum ab inimicis sumerent cibum. Ideoque vrgente me diuinæ charitatis stimulo, & consultum ge-

Martyrū detractores. rens Catholicæ plebis, quam nutantem in certaminibus militum Christi cognoui, seu obuius istis studens oc-

E currere ense verbi Dei accinctus, qui non solum eos recipere inter martyres nolunt, verum etiam ore sacrilego conuitiis, atque blasphemiis impetentes, rediuiuum si possibile est, quietis sanctorum implaudunt supplicium: seu dignis beatorum satisfacere memoriis anhelans, qui cœlo regnantes exemplaria victoriarum suarum mortalibus reliquerunt: libuit mihi pro modulo exigui ingenij talibus rebus insistere, nostroque licet rusticano sermone paruipendulos informare: æmulis contraire, & cœlo tenus acta sanctorum extollere.

Sed nescio quo tendere rea mens poterit, cui legalis 1 *Ps 40.*
auctoritas ex voce Domini occurrit, dicens: Peccatori au- *D. Eulogij humilitas.*
tem dixit Deus: Quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? Hinc silere decreueram, hinc melius ab huiusmodi intentione abducere me iudicaueram: quoniam nefas esse putabam, os nulla sanctitatis ope subnixum, temere acta elucubrare sanctorum, siue quod maiestati rei gestæ nostrum imbecille ingenium considerani posse succumbere, Quia sic diuina res F
humanum supergreditur conatum: sic lingua terrenis incumbens, ætherea non potest mysteria loqui. Sic prædicare libere nescit, qui minus peccatis liber existit. Sic abnuendum creditur dogma eiusdem cuius vitiis infecta est vita. Sed nunquid mercedem suam coram Domino perdet mens talibus oblectata studiis? aut æternorum vacuabitur gratia munerum? Qui init quod Deo est placitum, etsi non effectum, certe vel pium geret affectum. Aut non erit coram Domino compensandum, quod hi, qui zelo Dei armati contra hostem, publicum apertumque gesserint bellum, in eos ineffabilium attollat lætitia gaudiorum. Sicut enim mihimet nescius non sum peccatis obnoxium, sceleribus implicatum me ipsum esse: ita quoque de clementia redemptoris mei nullatenus sum diffisus, qui reprobans peccatores ab officio prædicandi, quia non licet committere cani sancta Domini, non refutat peccatorum vilem voluntatem, in id quod sibi placet Denique execranda sunt opera reproborum, non *Matt. 7.*
contemnenda vota probabilia peccatorum. Quia sicut G
opus sinistrum vsquequaque nos deiicit, ita pium affectum in nobis Dominus non spernit. Quapropter illico *Ps. 10.*
mens deiecta erigitur, Christumque instituentem ac *Ps. 67.*
promittentem recolens, spe quodammodo possibilitatis *Nem. 11.*
animatur, qui ait: aperi os tuum, & ego adimplebo illud: & alibi, Dominus dabit verbum euangelizantibus in virtutibus multis. Inde voti compos effectus credo, quod idem magister verus dignabitur nobis conferre præconabile verbum ad instructionem Catholicorum honestam, ad laudem sanctorum dignissimam, & ad expugnationem aduersariorum efficacissimam: qui præstitit animali irrationali eloqui ritu hominum. Et sicut me indignum tanto opere fateor, ita quoque sui perfectione non solum erui culpis confido, verumetiam pœnis abstractus, præstantiorem gratiam interuentu eius apud Dominum inuenire spero: vt est illud philosophicum; Hoc opus, hoc olim me, forsan me subtrahet igni. *Ouidius.*

Igitur de memoriis martyrum quidpiam me locuturo, principium orationis nostræ ad vos dirigatur, ô sancti H
fratres nostri, & sorores in Christo beatæ: ex quorum *Lectorum fauor excitat.*
collegiis sacratissimo Deo libata est hostia, non verens pudorem inculti eloquij: non venustatem, leporemque affectans liberalis stud:j, quod nullius instituentis magisterio traditum habui: præsertim cū & in huiuscemodi rebus magis nouerim simplicem veritatem esse obseruandā quam tonantem musarum turgidam pompam. Loquar etiā tibi, ô vniuersalis Eccl. sanctæ conuentus, vt verbum veritatis, quod ore nostro edicitur, placidis mentium vlnis, amplectens, nullatenus prædicationis nostræ arcendam velis doctrinam, quæ Apostolica assit manre auctoritate, libera ad instructionem omnium redditur: cū vnius fidei auditores vario discretos talento diuerso præceptorum accendit oraculo: & ibi acriorē spiritu patientiæ virtutē demulcet, vbi mitem viuido iubentis imperio peramanit; vni dicens: Argue, obsecra, increpa in omni patiētia 2 *Tim. 4.*
& doctrina: alteri vero præcipiens: Argue cum omni im- *Ad Tit. 2.*
perio, nemo te cōtēnat. Vnde parati estote omni homini

A

reddere rationem, petere à vobis volenti, de illa, quæ in eo manet spe ne (quod absit) stupido auditu sanæ doctrinæ dogmata respuentes illius quondam Apostolicæ imputationis sententiæ obnoxij iudicemini, qua dicitur:

1. Tim. 4.

Erit enim tempus, cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coacervabūt sibi magistros prurientes auribus, & à veritate quidem auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur. Quia sicut nobis incumbit officiositas prædicandi, ita vobis subest necessitas audiendi. Nec propter hoc, quod nos inordinate degimus, turpique conuersatione deiicimur, respuendum verbi Dei documentum arbitremini: quoniam plerumque in magna domo patris familias nonnimus haud ambigue conuersari asseclas deploratæ vitæ quorum ministerio familiares dominorum interdum expediuntur necessitates.

Comparatio.

Nam & Imperatoribus mundi plumbeis adducitur cuniculis vnda: & inter sacra domini vasa auro, argentove conflata pretiosorum lapidum ornamentis perecompta, etiam non abiicienda habentur testacea. Solet enim peccator forti Dei immixtus quotidie in aures populi hæc

B

dicere: Dominus ait, proclama de transgressionibus præceptorum Dei plebem argue de seueritate iudicij, quæ peccatorum debetur excessibus contestare: de reditu veniæ, & spe promerendæ clementiæ admone: eū tamen ille ipse nec modum sibimet in criminibus ponat, nec terrorem futuri examinis metuat, & quod aliis prædicat moribus ipse impugnat: verbo autem eius nonnulli intenti, ab illicitis abstineant, & perfectioribus adhæreant. De quibus

Lat. 13.

in Euangelio dicitur: Omnia quæcumque dixerint vobis, obseruate & facite: secundum opera vero illorum nolite facere: dicunt enim & non faciunt: alligant onera grauia & importabilia, & imponunt ea humeris hominum, digito autem suo nolunt ea mouere. Vnde congruit vt cum Eccl. possidet rectorem vitæ moribus deiectum non contemnendam eius prædicationem existimet, quāuis hanc ipse prauis actibus impugnet. Officium itaque vulgi est intendere ad concionantem, & audire dicentem

C

& doctoris prædicationem operando exequi; & non proprium iudicium de propositorum meritis ferre: quos suo Dominus distringendos examini reseruauit, dicens, Propheta namque & sacerdos polluti sunt & in domo mea

Ier. 23. ad Ro. 12.

inueni malum eorum, ait Dominus. Iccirco via eorum erit, quasi lubricum in tenebris; impellentur enim, & corruent in ea. Afferam enim super eos mala, annum visitationis eorum. Et iterum: Mihi vindictam & ego retribuam, dicit Dominus. Et licet hæc, quam dudum digessi auctoritas, meriti mei defensionem inquinat, & quibus modis iustorum legem euadere non possim, ostendat; plus tamen simplicem religiosorum conuentum accendere anhelat, ne sancta sanctorum quamuis ore improbo edita, respuat.

Martyrum laus.

In horum igitur certaminibus confessorum tanto alacrioribus animis est exultandum, tantaque libertate cordis, & vocis gloriosum consummatæ victoriæ cursum ferendum, quanto his diuina vox indulgentissimæ sponsionis verum salutis confert solatium, dicens: Qui perse-

D

uerauerit vsque in finem hic saluus erit. Quoniam veraciter cognouimus non inchoantibus deberi præmium,

Matt. 10.

sed perseuerantibus. Adeo illa primordialis abrenunciatio rerum mundique contemptus præcipuis vocis, & studio ardentiori ab eis exercitatus est; vt contuendi velocius Deum, & beatorum fruendi consortio desiderium haberent, vt etiam labentis vitæ obnixe occasum appeterent: melius putantes sub vnius puncti spatio ferre sententiam hominum quæ illico, nulla intercedente dilatione, eos ferret ad cœlum, quam per varia & longa discrimina temporum, cum graui molestia sustinere versutias

Matt. 28.

dæmonum. Et dominus quidem ad officium prædicandæ veritatis discipulos imbuens, impauida eos audacia iubet esse contentos, dicens: Euntes per vniuersum mundum prædicate euangelium omni creaturæ, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti: qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit, qui vero non crediderit,

Matt. 10.

condemnabitur. Et iterum, Nolite timere eos, qui occidunt corpus, quia non habent quid amplius faciant, sed

E

Matt. 5.

potius eum timete qui potest corpus & animam perdere, & mittere in gehennam. Vos estis lux mundi, non potest ciuitas abscondi super montem posita: neque accendunt lucernam, & ponunt eam sub modio. Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine: & quæ in aure audistis, prædicate super tecta: quod in mysterio cognouistis, apertius enarrate: quod didicistis abscondite, publice loquimini: quod vos erudiui in paruo Iudææ loco, in vniuersis vrbibus, & in toto mundo audacter dicite. Docet fiduciam prædicandi, ne Apostoli abscondantur ob metum, & sint similes lucernæ sub modio: quoniam hi qui libertatem faciendi verbum in populis diuinitus acceperunt, nequaquam resilire à prædicatione veritatis, etiam periculis imminentibus debent vt non lucernis sub modio, sed supra candelabrum

Fugere persequutionē quo pacto liceat.

positis comparentur. Et licet formidolosis facultas collata sit declinandi rabiem persequutionis; non tamen passim hoc obseruandum est à perfectis: qui iam

F

præscia Redemptoris potentia denotati, & conscripti quasi ab immensis legionibus ad exercitium præliorum Dei electi sunt. Vt si propter veritatem mors cruenta eis

Matt. 16.

occurrat, non curandum est de iactura membrorum, vbi sine dubio solatium vitæ perennis acquiritur animarum dicente Domino. Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam & sequatur me: qui enim perdiderit animam suam propter me, in vitam æternam inueniet eam: Inde sancti viri placidis auditibus veritatem Euangelicam capientes eam totis nisibus adimplere contendunt, scilicet viam sanctæ confessionis virtutem huius præconij esse solummodo arbitrantes.

Heb. 11.

Qui illico relictis vrbibus, & his quæ mundanis hærent affectibus, auida rapiendi regnum Dei cupidine conflagrantes, circuierunt in melotis, & in pellibus caprinis egentes, angustiis afflicti, quibus dignus non erat mundus: in solitudinibus errantes in montibus & in speluncis & in cauernis terræ: expectantes Dominum, qui saluaret eos a pusillanimitate animi, & tempestate. Sed ista

Ps. 54.

G

pro nihilo computantes, imo vero contra spiritalis nequitiæ hostem dubium quotidie agonem gerentes, nutu Dei mortificatione subita temporalis vitæ accenduntur,

Phil. 1.

& secundum Apostolum dissolui cupiunt, & esse cum Christo: viam compendij requirentes, qua de corpore mortis huius erutti, propere ad cœlestem patriam peruenirent, & pia violentia regnum Dei arriperent. Sic quoque armati lorica iustitiæ in forum prosiliunt, prædicantes Euangelium Dei principibus, & nationibus mundi.

Ps. 39.

Super Christum montem excelsum contemplatione mentium eleuati, didicerunt confessores beati ex psalmistæ oraculis qui iustitiam Domini in Eccl. magna fore annuntiandam: & ideo perfecto odio contra aduersarios Ecclesiæ insurgentes, arguunt impios de falsidica vatis iniqui doctrina, præstigiis, sacrilegiis, & vanitatibus sæculi plena detestantur quoque, & maledictionibus antem tantæ peruersitatis impugnant, eundemque cœnum talibus inferentem culturis perenni anathemate damnant: & ita interriti contra hostem publicum apertum

H

Tribunal in arce fuit.

veritatis erigentes vexillum, vtpote ante fores Prætorij, & ipso accessu palatij proferentes testimonium in ducem perditionis, confusionis, & ignominiæ: non verentes, quod suppliciorum pro eadem veritate subirent tormentum: aut qualibus periculis vitæ huius haberent occasum. Quippe quos immensus vrgebat ardor migrandi ad cœlum, festinantes videre faciem eius, cui seruierunt. Stimulatur zelo vltionis cohors iniqua gentilium, celerisque animaduersionis exerit vindictam in obtrectatores sectæ suæ. Nescientes quia illic, vt hunc præconem obitum exciperent liberis vocibus inimico iustitiæ & aduersario Eccl. Dei progressu vltroneo restituerunt: loquentes de testimoniis Domini in conspectu regum, & nihil verentes: quia nihil aliud mortem suam quam vitam perpetuam existimantes, sponte interitum carnis exoptant, vo-

Ps. 118.

luntariū Deo animarum suarum sacrificium offerentes. Quibus recte prophetica voce cantatur: Qui sponte obtu-

Iudic. c. 5.

Galat. 1.

listis de Israël animas vestras periculo benedicite Dominum. Ac per hoc veri imitatores Pauli Apostoli mihi esse

A videntur, qui ait: Si quis vobis euangelizauerit, præter quod accepistis, anathema sit. Cuius testimonij informati oraculis, prosiliunt contra angelum satanæ, & præuium Antichristi, patule ea quæ sancta sunt confitentes, quæ nunc etiam omnis Ecclesia Hispaniæ, quanquam clandestinis, vt oppressa, prædicat vocibus. Nam idem peruersi dogmatis actor, & multarum animarum perniciosus euersor, inter cæteros post Ascensionem Domini hæresum institutores, solus nouæ superstitionis sectam instinctu diaboli condens, procul ab vnione Catholicæ Ecclesiæ separatur. Prophetarum vaticinia respuens, & Apostolorum doctrinam infamãs: sancti quoque Euangelij veritatem conculcans, piorumque doctorum dogmata abnegans, & ridiculum potius quiddam, quam rerum necessariarum causas per eandem sectam suam insinuans, docuit Christum Dei verbum esse, & Prophetam quidem magnum, nulla tamẽ potentia diuinitatis subnixum, cæteris hominibus similem, sed non Deo Patri æqualem. Comessationes quoq; in paradiso, & carnis proposuit voluptates. Quam quæstionem vir disertissimus, magnũ temporibus nostris Ecclesiæ lumen, Speraindeo Abbas, cum contra nugas huius nefandi stylum admoueret, & vno opusculo ex eius detrimentis nonnulla niteretur arguere in sexto ipsius libelli capitulo, quasi ex voce cultorum eius obiectionem inducens: ac deinceps suam proponens sententiam, ita disseruit, dicens. Futuro aiunt in sæculo cuncti ouãtes asportabimur in paradisum: ibi namq; nobis à Deo erunt mulieres concessæ pulchræ, & supra hominum naturam speciosissimæ, atque nobis in voluptatem præparatæ. R. Nequaquam ergo vestri in paradiso beatitudinis obtinebunt statum, si eorum vterq; sexus vacauerit exercitio fluxæ libidinis. Hoc non erit enim paradisus, sed lupanar, & locus obscœnissimus: cum Dominus suscitantibus Pharisæis, cuius in Resurrectione illa mulier coniux existeret, quę septem fratres secundũ legem Moysi acceperat ad suscitandum proximi semen, responderit: Erratis, nescientes scripturas, nec virtutẽ Dei. Filij huius sæculi nubent, & tradentur ad nuptias in resurrectione autem nec nubent, nec tradentur, sed erunt sicut Angeli Dei in cœlo. Taceam sacrilegium illud, & totis Catholicorum auditibus, immane facinus respuendum, quod de Beatissima Virgine, mundi Regina, sancta & venerabili Domini, & Saluatoris nostri genitrice Maria, canis impurus dicere ausus est. Protestatus enim est (salua loquor reuerentia tantæ Virginis) quod eius foret in sæculo venturo ab se violanda virginitas. O vacuum cerebro caput, & priuilegio satanæ occupata præcordia! O vas perditum, & habitaculum spirituum immũdorum. O frustatim præscindendã ense bicipiti linguam. O organum dæmoniorũ, & symphoniã zabuli. Quis furor, quæve dementia tantis te blasphemiis inquinari compulerunt? Quis te, ô sordium cloaca, laqueus perditionum gurges iniquitatum, & omnium vitiorum sentina sensibus priuauit humanis? vt non modo tibi sat fuerit tot nationibus inferre interitũ, quibus præstigiosum documentũ suasisti, & totis nisibus nunc, & in futuro luxuriatum obscœnitatibus inseruire: sed etiam in Creatore scelus operari aggressus es: impius temerator, asserens cæleste hospitium, & receptaculum Spiritus sancti incontaminatum, incoinquinatum, purum, sanctum, & mundum sacrilegiis immunditiæ tuæ in futuro sæculo contaminandum. Quæ nutu superno verbum deitatis vtero suo excipiens, carne sua creatorem vestiuit, saluoq; pudore ipsum verbum ad redimendam in morte creaturam præcipitem edidit. Quæ omnis tactus aspectusque expers virilis expauit salutationem Angelicam: & licet sine viro nullam fœtari posse cognosceret, tamen superno credula numini, se ad huiusmodi inusitatum conceptum electam Deo reuelante sciens consentit, & dicit: Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. De cuius gloriosa parturitione olim Dominus per Ezechielem prædicare dignatus est dicẽs: Conuerti me ad viam portæ sanctuarij, quæ respiciebat ad Orientem, & erat clausa & dixit Dominus ad me: Porta hæc, quam vides clausam, non aperitur, & vir non transit per eam, quoniam Dominus Deus Israël egredietur per eam, & erit clausa.

[illegible]

E Multa denique alia inaudita vanitatis figmenta scelerosus idem instinctu maligni spiritus, à quo obsidebatur, transfigurando se illi in angelum lucis Gabrielem componens, delubra in quibus pessimum dogma coleretur exstruxit. Cuius quidem erroris insaniam, prædicationis deliramenta, & impiæ nouitatis præcepta nonnulli nostrorum philosophorum zelo Dei armati, commentariis & voluminibus exponentes, iustitiæ arietibus illiserunt. At vero confessores beati non leuiter, spurcitiam eius ferentes, præstantius illum eiusque sectam paruulis assertionum congressibus expugnarunt. Quia nimirum nouerant, quod propter eandem veritatem, quam de ipso cæcorum duce proferrent, gladio vindice protinus erant ruituri.

Ezech. 3.

Et licet primo sanctus Perfectus presbyter exemplar detestanti fidei hostem omnibus exhibuerit, metumque moriendi pro veritate robur confessionis eius à multis excluserit: de quo in libro secundo nos plenius loquuturos, propitio Deo, spondemus: non tamen paruipendenda est inuictissimi illius Ioannis constantia præconabilis: qui inter sæua ac dira flagella forti animo durans, plurimos documento suo ad martyrium incitauerit. Super quem inimici Dei viuentis falsum coram iudice testimonium proferentes, huiusmodi contra eum crimen deponunt. Nouimus hunc ô iudex, in subsannationem doctoris nostri semper insistere: eumque maledicis verbis irreuerenter impetere. Ita vt cum forte negotium mercimonij sui in nundinis velit exercere, non alias illicere potest ementes, nisi cum Sacramentum nostrũ dictis paruipendulis subtilissimus irrisor proposuerit. Cuius rei nos testes sumus, & in veritate dignum hunc morte confitemur. Verum quia minus idoneorum accusatione testium impetebatur, nec poterat reis mortem inferre obiectio testationis eorum, damnatur Dei seruus acrioribus flagris: & crudeli verbere laceratus cogebatur Christum negare. Ille vero non se talibus obnoxium criminationibus solummodo confitebatur, sed etiam neque vsque ad mortem religionem Crucifixi deserturum clamabat. Cuius obstinatione iudex vehementi furore commotus, quingentis, & eo amplius hunc macerandum tradens flagellis, tandiu verberibus iussit insistere, quousque exanimis inter cædentium manus in solium proruerct. Sicque semiuiuum vix palpitantem, retrorsus asello impositum, totã circuire vrbẽ, ac plateam fecit, præcedente sacrilega præconis voce, dicẽtis: Hæc merebitur exprobrator vatis nostri, cultusque irrisor perferre. Postquam vero ad vindictam sui doctoris talia exercuerunt, ad vltimum grauissimo ferri onere coarctatum ergastulo deputarunt. Quem nos ibidem religatum, adhuc dorso eius vigentibus plagis, inuenimus: nostroque contubernio per idem tempus, quo detrusi sumus, acciuimus. Nam beatissimus Perfectus Presbyter, cui Ioannes (de quo supra meminimus) ad vincula, & cædes successit, violenter ad passionem tractus, postea quam carcerem adiit, diuinitus illustratus, ad præliandum armatus est. Ita vt necessitatem conuertens, vim illam cælesti quodam respectu esse considerans, quo martyrio dignus haberetur, totus in superna erigitur, alienatur præsentibus, futurorum commoda præstolatur, & totius mundani expers affectus, ad ea quæ diligentibus Deum promissa sunt, futurus martyr aptatur. Hinc seculo mortuus, & Deo viuens, quod primo dixisse negauerat, postmodum vltroneus confessor, & athleta fortissimus coram iudice asserebat, magis eligens mori pro virtute occasione inde sumpta proferendi iustitiam Dei gentibus, ac detestandi aduersarium fidei quam negando veritatem tanto se præmio abstrahere.

Perfectus Presbyter. Ioannes confessor.

F

G

Perfectus Martyr.

H

Horum igitur duorum, & spontaneus, & violentus ad passionem cursus, cæteros in vnum eundemque consensum dimicandi vltro venire coegit. Quia non erat de corona ambigui, qui nouerant etiam vi protractos regni perpetui coronam percepisse. Quapropter ordine, quo in præfatione voluminis huius, digestum est, omnis turba sanctorum ad palæstram certaminis currens, dat repudium aduersario, Dei, & inimico iustitiæ, Omnes summo ore Christũ laudãtes, cuius tanta virtute subuixi in certamine

Martyrũ Cordubensium turba.

A

mine claruerunt vt in nullo penitus terrenum formidarent supplicium, qui summi redemptoris gratia illustrati, plus nouerant æternum metuere tormentum. Quod ideo in principio libri exposui, vt non deesset cognitionibus posterorum quæ res confessoribus nostris obtulerit obitum: & cuius rei odio in molestissimam iracundiam excitata gentilitas totum immanitatis furorem ad perniciem talia profitentium admouerit. Inde etiam prudentissimi lectores facile poterunt aduertere, quam merito hoc opusculum in beatorum laudibus laboret, repagula opponens diffidentibus & dubitantibus, qui eos loco martyrum renuunt coli debere.

Crudelitas in martyrū cadauera. Dies 12.

Cæterum eorundem sanctorum corpora, qui primo conflictu occisi sunt, equuleis versis vestigiis affigentes gentiles post sextum diem allisionis eorum, id est pridie Idus Iunias, inopinato scelere crudelitatis; cuncta iam putredine resoluta atrocibus incendiis deputant. Quin etiam ne virtutum emolumenta præstarent Christicolis deformes cineres, quos legere è camino quiuerāt, minaciis aluei vltimo conduntur abysso.

B

Sarraceni vnde martyres contemnerent.

Instabat quoque vniuersitas ethnicorum resultando, pietatis exprobrans cultum, quod in suorum vltione nullum aduersariis daret opprobrium. Lætabatur namque, quod in vindictam sui doctoris tot contemptorum corpora prostrauisset nulla nouitate prodigiorum obstante quæ horrorem posset sceleratis incutere. Dicebatque: Si vere Deus est, in cuius nomine tantæ vos calamitati submittitis, & verum hoc esse martyrium creditis vel si nulla veritate prophetica hic noster vates succinctus est: (qui, vt idem docuit, Angelo instituente Gabriele gentibus totique orbi verbum Dei prædicare permissus est, lex quam cultores eius meditarent, documento ipsius Angeli promulgata est. Cuius vocabulum rudis protoplastus, cum adhuc olim paradisum incoleret, adnotatum in supernis, globoque micantis claritatis immixtum contemplatus, quæ esset illa lux cæteris præstantior in centro micans, quæ fulgoribus dominium expiaret, fertur creatorem Adæ interrogasse, illumque respondisse: Hic verus propheta est venturus in mundo, qui ex semine tuo oriens, ipso quem radiare nomine obstupescis, Mahomad appellabitur, (cuius quoque meritis tu creatus subsistere meruisti) quare non satellitibus qualemcumque prodigiorum infertis terrorem, vel quibuslibet astanti vulgo signaculi coruscatis? qui dum vos importunæ morti ob quandam assertionem superfluam destinatis, neque vlla virtute miraculorum, quæ sententiam nostram in vestrum latam excidium infringere possit, præcellitis: eum partem vestram minime adiuuetis, nullum etiam cætui nostro infertis dispendium.

C

Christianorum aduersus martyres retractatio. Gregorius.

Et ob hoc ipsum plerisque nostrorum parui pendulis verum non esse videbatur martyrium, quod non ad confusionem incredulorum, vel roborationem fidelium aliquod ostentaret miraculum. Nescientes quia in fine seculi, vt sanctus Gregorius refert lib. Moral. Auferunt de Ecclesia signa virtutum terribili quippe, ait, ordine dispositionis occultæ prius quam Leuiatan in illo damnato homine, quem assumet, appareat, à sancta Ecclesia virtutum signa subtrahentur. Nam prophetia absconditur, curationum gratia aufertur, prolixiores abstinentiæ virtus imminuitur, doctrinæ verba conticescunt, miraculorum prodigia tolluntur. Quæ quidem nequaquam superna dispensatio funditus subtrahit, sed non hæc sicut prioribus temporibus aperte ac multipliciter ostenduntur. Quod tamen ita dispensatione agitur, vt vna ex re diuina simul pietas & iustitia compleantur. Dum enim subtractis signorum virtutibus sancta Ecclesia, velut abiectior apparet, & bonorum præmium crescit, qui illam pro spe cælestium, & non propter præsentia signa venerantur, & malorum mens contra illam citius ostenditur. Qui sequi inuisibilia, quæ promittit, negligunt, dum signis visibilibus non tenentur. Signa namque virtutum nec omnibus data, nec passim quocunque tempore sunt exercenda. Quia & hi, qui hoc munus diuinitus acceperunt, nisi spe, & fide probatis, nequeunt

D

Miracula non mirum si cessant.

erogare, Euangelista narrante: & non poterat IESVS inter eos facere virtutes propter incredulitatem illorum. *Matt. 13.* Et veritas per semetipsum, multi, inquit, leprosi erant in Israël sub Eliseo Propheta, & nemo eorum mundatus est, nisi Naaman Syrus. *Luc. 4.* Desistente enim fide quærentium, largitas erogantium quassatur. Nam cum idem dominus ardentissimis persæpe multorum votis consolator occurrat dicens: Ite in pace, fides vestra vos saluos fecit: *Matth. 9.* tamen deficiente fide, virtus nihil proficit. Quam plerunque, exigente fide languentium, etiam homines reprobi, & mente corrupti impertiuntur. Sicuti de illis in Euangelio legitur, qui in futuro ante fores domini questuri sunt, dicentes: Domine, domine, nonne in tuo nomine prophetauimus? *Matt. 7.* & in tuo nomine dæmonia eiecimus? & in tuo nomine virtutes multas fecimus? Quibus vtique dicturus est dominus: Non noui vos, discedite à me operarij iniquitatis. Et iterum: Exurgent pseudo-Christi, & pseudo-Prophetæ, & dabunt signa magna, & prodigia: ita vt in errorem inducant, si fieri potest, electos. *Matt. 24.* Et in Exodo, Fecerunt & malefici per incantationes sicut & Moyses. *Exod. 7.* Miraculorum vero signa ideo olim per seruos suos dominus congruenti tempore præstabat mundo, quoniam præscia diuinitate proficere nihilominus præstolantibus ea sciebat, nec in vanum currere operarios virtutum cognouerat. Vt saltem prodigiorum nouitatibus cederent, qui sacræ legis præcepta salutaria respuebant. Erat que temporibus illis satis congruum Dei martyres signis coruscare virtutum; quoniam rudem diffusum Christianismum nunc instructione verborum, nunc exhortatione scripturarum, nunc ostensione signorum, nunc etiam trophæis inclytis passionum conabantur solidis radicibus fieri firmum in cordibus credentiū populorum. Nam quia non noui tempore (vt supra relatum est) signorum exercitium congruat, neque omnes cælestium contemplatione virtutum digni existunt, facile aduerti potest, ex comparatione eorum quæ gesta sunt ab Apostolis. Qui cum vellent bonum nuntium Asianis prædicare, prohibiti sunt a Spiritu sancto: *Act. 16.* & qui pridem admonitione Euangelium omni creaturæ præceperat, *Marc. vlt.* sciens in Asia nullum existere dignum percipiendi Euangelicam veritatem: præsaga diuinitatis auctoritate discipulos ab eorum salute inhibuit. Vtpote qui verbum vitæ arroganti spiritu erant reiecturi, neque audirent, quoniam spernerent. Miracula denique dum aut propter fidem credentium, aut propter futuram credulitatem astantium Dei prouidentia operantur, non tam nos in eorum admiratione debemus stupere, quam prouida compensatione mirari, si eorundem effectores signorum exquisitis vitiis morum honestate præcellant: si sæculo mortui Deo viuant, si propter illam veram charitatem, quæ cuncta charismatum dona exuperat omnes affectiones mundi pro nihilo pensant: si acceptam virtutem non ad suam gloriam, sed ad beneficium referunt collatoris, si attentis auribus cordi veri magistri admonitione percepta, non quia dæmonia eis subiiciantur, tripudiant, sed quia nomina sua scripta sunt in cælis exultant. *Luc. 10.* Et iccirco hæc dinumeratio virtutum in illis prodigiorum auctoribus, potius quam ipse signorum effectus, est admirandus, & quod sit magis præuium specimen eundi ad regnum quærendum, non vero quod signiferos ac notabiles nos vulgo ostentet. Quia sanctitas & timor domini, cultusque regni cælestis non nisi ab idoneis, & perfectis procedunt. Signa vero atque prodigia & sancti & reprobi faciunt. Quæ nihil aliud quam notitiam vanam etiam aliquando hominum conferunt. Hinc prouenit, vt qui fuerit hominibus notus, nisi fuerit iustus, ad æterna supplicia perueniat condemnandus. Ille autem qui cælesti gratia illustratus, sub notitia sui creatoris vixerit sanctus, etsi mortalibus sit ignotus, in futuris tamen sanctorum gaudiis erit annumerandus.

E F G H

Miracula ñ præstantia.

Nec nos ita prosequentes miraculorum penitus abdicamus insignia, cælesti dono quibusdam collata, & congruenti tempore Dei per dispensationem nationibus or-

dinata: sed latratibus rabidorum canum obuiam venimus, qui Martyrum mortuorum intentionem exinanire attentant, dum eos de miraculis redarguere sperant. Quid potius generaliter sequendum sit, cunctis ex auctoritate diuinorum librorum, vel dictis Sanctorum Patrum ostendimus. Non (quod absit) funditus charismata cælestium munerum extirpamus. Radix itaque ad fundamentum omnium virtutum, signumque victoriæ fides est per quam iusti viuunt, per quam sancti omnes regna vicerunt, operati sunt iustitiam, adepti sunt repromissiones, obturauerunt ora leonum, extinxerunt impetum ignis, effugauerunt aciem gladij, conualuerunt de infirmitate, fortes facti sunt in bello. Quod vestigia hi sancti veraciter prosequentes intrepida confessione Deum, & Dominum IESVM CHRISTVM in Concilio principum profitentes. Omnem quoque, quam Euangelica auctoritas non recipit, prophetiam, vt furum & latronum detestantes, ac maledicentes obiiciunt. Ob quam causam inauditis sæuitiæ furoribus illa frendens turba Gentilium cunctos animaduersione gladij præmittit ad cœlum, Presbyteros, Leuitas, Confessores, virginesque beatas. Et quoscunque confessio talis haberet, vt publice eorum subsannando Prophetam, cultum eius deciderent, mox amputatis ceruicibus ruerent. Ac ne sibi quidpiam inesse humanitatis ostenderent, nonnullos quos gladio vindice huius vitæ lumen sub testimonio veritatis excedere coëgerant, præ foribus palatij inhumatos relinquentes, canibus iusserunt exponi, adhibitis simul custodiis, ne quis Catholicorum intuitu pietatis carnibus etiam spoliata cadauera sepeliret. Quasi sentiret prosequutoris supplicium, quorum animæ paradisi requie fruebantur: aut obesset animabus cælo regnantibus temporalium pœna tormentorum illata corporibus. Vel de inhumatis curare, poterant membris hi, qui vere sciebant, quod sicut nihil commodius foret impiis sepultura, anctis reuerentiæ studiis solenniter præparata: ita beatis & sanctis nequaquam officere posset vilem, aut nullam sepulturam adipisci. Licuit etiam de hoc poëtis plausibiliter ludere, cælo tegitur qui non habet vrnam.

Sunt autem plerique fidelium, & (heu proh dolor) etiam sacerdotum, temere horum confessorum gloriam adimere non verentes, qui iubent eos non recipi in catalogo Sanctorum, inusitatum scilicet, atque prophanum asserentes huiusmodi martyrium. Quippe quos nulla violentia præsidialis fidem suam negare compulit, nec à cultu sanctæ piæque religionis amouit, sed propria se voluntate discrimini offerentes, ob superbiam suam (ita dicunt) quæ initium est omnis peccati, interempti, suarum parricidæ effecti sunt animarum. Præceptis etiam Euangelicis eos arguendos esse credunt, quibus dicitur: Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos, & orate pro persequentibus & calumniantibus vobis, vt sitis filij Patris vestri, qui in cælis est. Et iterum; Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis. Et Dominus quidem cum malediceretur non maledicebat: cum pateretur, non comminabatur, tradebat autem se iudici iniuste iudicanti. Illud præterea obiiciunt de Apostolo; Neque maledici regnum Dei possidebunt.

Hæc, & his similia ore pestifero contra Dei milites proferentes multorum corda peruertunt; quia verba hæreticorum vt cancer, serpunt in mentes humilium, & modico fermento sceleris facilius ingens massa panis corrumpitur, exturbatque quam propere filios Dei lethalis assertio zabuli. De quibus beatus Apostolus dicit: Quidam enim aberrantes conuersi sunt in vaniloquium, volentes esse legis doctores, nescientes quæ loquuntur, neque de quibus affirmant. Et iterum; Docuerunt linguam suam loqui mendacium, vt, inique agerent laborauerunt, non verentes derogare gloriæ fortium, qui iam coram rege suo haud dubie extollunt victoriæ suæ vexillum. Nec contenti sunt scripturas sano sensu intelligere, sed eas pro suo libitu exponentes, dum in superficie litterarum quasi concordãtia suæ vesaniæ reperecint testimonia, non modo Christiano more simpliciter eis vtuntur, vel ab eruditioribus virtutem sensus earum explorant, sed quasi inauditæ rei nuntij, & alicuius nouitatis scioli per forum, per plateas, per vulgus, per nundinas obdurata fronte easdem in summitate linguarum promendo, recensendo, atq; cantando vehunt sentẽtias Et vt facilius agnoscantur cuius partis sint defensores, per deuios intelligentiæ suæ calles veritatem scripturæ torquentes, lineam sanæ doctrinæ proprio electionis iudicio derelinquunt. Vt quandoque illis ad interitum animarum suarũ proueniat, quod non sine grauissima indignatione Propheta infert, dicens: Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum, ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras: ponentes amarum dulce, & dulce amarum, id est claritatẽ sacræ legis prauo errore nescientiæ interpolantes: eiusque suauitatem non rectæ coniiciendo, in fellis amaritudinem conuertentes. Quod bonum, & pium est malinolis coniecturis inficiunt: expertes nos arbitrantes ab illorum intelligentia testimoniorum quibus victoriosissimam extenuare intentionem sanctorum martyrum arbitrantur, vel nostram de eis sententiam (quæ semper in laude ipsorũ exultanit) eneruare conantur. Quippe qui iam nos euidentioribus indiciis eorum passionibus communicare credamus, dum causa professionis eorum & carceres, & vincula insuper & damna rerum perpessi, & ad vltimum gratia intercessionis eorum propitio Deo euaserimus. F

Ipsi denique sancti, qui hanc corporis cladem cælitus compuncti propter veritatis professionem aggressi sunt, in nullo à prædictorum custodia mandatorum se auerterunt. Quia & propter Deum inimicos diligentes, de salute eorum valde sollicititi, ne diutius labyrintho impietatis detinerentur, arguere non destiterunt. Et benefacientes his qui oderant Christum, melius visi sunt per effusionem sanguinis vecordiam eorum, quam per doctrinæ verba instruere, vt relicta vanitate superstitionis, non solum Christum credere, verum etiam vsque ad mortem propter illum decertare contenderent. Sine dubio precibus & obsecrationibus etiam apud dominum animarum impetrantes salutem illorum, qui sæpe, & incessanter Ecclesiæ membra calumniantur. Quapropter exemplo veri magistri educati, cum ad passionem traherentur, maledicti non remaledicebant, flagellati non murmurabant, comminati silentium obseruabant: hoc solummodo exprobrantes quod Deo conuitium infert, & quod maiestatem tremendam impugnat: sacrilegum scilicet illius vanissimi ac perditi homunculi prophetismum, qui non veritus est spiritu diabolico peramatus se loco prophetarum inserere: sanctisquẽ prædicatoribus vt Deificus euangelizator adiicere. Et cum toto pene orbe euangelica præcelleret veritas, nec deesset lux fidei Christianæ à notitia gentium, quia in omnem terram sonus eius exiuit, patentibus iam domui Dauid, & habitantibus, Ierusalem tinctionis gurgitibus in ablutionem peccatoris & menstruatæ, maxime in Oriente, quo misterium incarnationis Christi speciali effectu quodammodo operatum est. Vbi quoque, & hic sceleratissimus ac peruersus vates exortus, & enutritus, est, nescio qua præreptus insania, clarentibus iam in mundo lucernis, tantu se perditionis laqueo dare præcipitem non extimuit, tantarumque animarum irreuerenter parricidam sefieri non expauit. Cum scriptum, sit; Os quod mentitur, occidit animam. De quo olim Zacharias propheta loquutus est, dicens in die illa dicit dominus exercituum: disperdam nomina idolorum de terra, & non memorabuntur vltra: & Pseudoprophetas, & spiritum immundum auferam de terra, & erit cum prophetauerit quispiam vltra, dicent ei pater eius, & mater eius, qui genuerunt eum, Non viues, quia mendacium loqutus es in nomine domini, & confriingent eum genitores eius, cum prophetauerit. Iccirco huic perdito, atque spurcissimo vati resistere, virtus mactæ coronæ est, summumque trophæum tanti derisoris cultum euertere; adeo vt si illum ætas nostra superstitem haberet, nequaquam ab eius esset interitu Christicolis resiliendum, quanto magis non sit dignum eius hodie dogma venenosum infringere, maledicere sectam, detestari sententiam, qui tantæ multitudinis perditionem inducens, perenni eam dedicaret barathro. Fueritque (vt

reor)

Responsio obiectis.

Matt. 5.

1. Petr. 2.

G

Mahumeti impostura.

Psal. 18.

H

Sap. 1.

Zach. 13.

A

reor) tunc melius pœnitudinem vnius occisi homunculi gerere, quam tot nationum luere perniciem: congrue vniuerso gregi consulendum arbitrantes, dum vnius pecudis è medio conati fuissent auellere contagium. Quoniam quemadmodum sine culpa non est, maledicere iustos, pios persequi, aduersitatem parare electis: ita magni meriti esse credo, subuertere impios, Ecclesiæ hostibus contraire, bellum parare incredulis & framea verbi Dei concidere aduersarios fidei, vt secundum Psalmistam,

Psal. 118.

contra Deo inuidentes perfecto armati odio exurgentes non curemus de inimicitia eorum, quibus est amica impietas. Neque enim sine culpa patitur fieri patrum doctrina eos, qui improbo silentio erga dogmata torpent hæreticorum: & è regione hostibus fidei non occurrunt aut zelo creatoris vindictam in hæreticos non exercent.

Arnob.

Quod bene Arnubius Rhetor, dum centesimum trecentesimum nonum psalmum interpretatur, dicit: Qui pepercerit hæresiarchis, aut prædicatoribus falsitatis, & non eos gladio fidei suæ iugulauerit, hoc ei euenire,

B

quod euenit Sauli, quis ambigat? aut qui misericordiam suam putauerit se in hæresi permanentibus exhibere, quis neget similiter à regno Dei excludi, sicut Saul à regno humano probatur exclusus? qui vana miseratione Amalecitis parcens, subito semetipsum Dei benedictione & regni sceptro priuatum ingemuit: Et si hoc iis qui contradictoribus veritatis non resistunt, promittitur, quod, vel quale erit vltionis discrimen iis qui derogant electis? quia non solum expugnare hæreticos nolunt, verum etiam expugnantibus maledictionum armis accincti occurrunt. Aiunt præterea non debere esse martyres, aut haberi, qui non violenter tracti sunt ad martyrium: sed sponte sua venientes his conuitium intulerunt qui eos in nullo molestia affecerint. Nullum opinantes esse molestiam diruptiones basilicarum, opprobria sacerdotum, tum & quod lunariter soluimus cum graui mœrore tributum: adeo vt expedibilius nobis sit compendium mortis, quam egenæ ... vitæ laboriosum discrimen.

Tertia aduersus martyres electio. Christianorū sub Saracenis miseria.

11

C

Si ergo exosum Deo est maledicere diabolo & eius ministro, frustra vtique Ecclesia contra omnem diabolicum incursum vtitur exorcismis. An quia domesticis fidei maledicere inhibitum est, nullumque oportet pusillanimem de membris Ecclesiæ scandalizare idcirco hospitem diaboli, & habitaculum Sathanæ non necesse est maledicere? & vbi est quod scriptum est?

Tob. 13

Maledicti omnes qui spernunt te Ierusalem, & omnes qui blasphemant te: maledicti omnes qui oderunt te, & omnes qui dixerunt in te verbum durum, &c. quod dictum esse pro Ecclesia nullus ambigit. Et quis inter cunctos persequutores fidelium crudelius quam hic infandus, Ecclesiam insequutus est? Quis tanta in euersionem Catholicorum, quanta idem exaggerauit infaustus quia (vt ita dixerim) nemo nostrum inter eos securus ingreditur nemo quietus permaneat, nemo ... contum nisi dehonestans pertransit.

13

Etenim cum nos cuiuslibet rei familiaris necessitas ire in publicum coegerit & instante domestica necessitate, ex angulo tugurij nostri in forum prosilire contigerit: mox vt stigmata in

D

nobis ordinis sacri aduerterunt, acclamatione derisionis vt amentes & fatuos impetunt, præter illud puerorum quotidiana ludibria: quibus non satis est inferre linguæ conuitium, turpia exaggerare similitudinum: verum etiam tergo nos lapidibus infectari non desinunt. Quid illud memorem, quod in commune vel tam signi venerabilis proferunt, quod cum forte competens tempus psallendi signum fidelibus dare compulerit, & imminens hora obsecrationis indicium populis facere consuetum prouocauerit: mox vt intellectum superstitione mendaci vulgus clangorem tinnientis metalli aure captauerit, in omnem maledictionem & spurcitiam linguam admouere non differt.

Templorū sacrorum cymbala.

Ergo non incongrue maledicuntur, qui tanto odio aduersus Dei sortem sequipedas suos informant. Sæpe ab eis, & incessanter calumniamur: causaque religionis eorum sæuitiam vbique perpetimur. Adeo vt multi ex eis tactu indumentorum suorum nos indignos diiudicent, propinquique nobis accedere execrentur:

Saracenis tactum Christiani abhorrebant vitabant.

Magnam scilicet coinquinationem existimantes, si in aliquo rerum suarum admisceantur. Cum vtique milites Dei veritatem coram eis magis confessi fuerint, quam maledicta iniecerint, veri magistri præcepta seruantes,

E

quibus olim discipulos informauerat, dicens: Qui enim me confessus fuerit, & verba mea in generatione ista adultera, & peccatrice, hunc & filius hominis confitebitur, cum venerit in gloria patris sui, & sanctorum Angelorum: Quis ille tam vecors est, qui laudibus deroget beatorum obuiantium pro defensione iustitiæ cultoribus impietatis? Dictum sane fuerat eis: Ecce ego mitto vos sicut oues in medio luporum: estote ergo prudentes sicut serpentes & simplices sicut columbæ.

Matt. 10.

Matt. 10.

Cuius præcepti sensum hunc esse arbitror, quod immixta gentibus caterua fidelis, quasi innocentia prædita ouium, truculentiam ferre cogeretur luporum. Ac ne segnitiei dediti facilius versutiis succumberent inimici, congrue diuinitus admonentur. Vt essent cum aduersariis fidei opportuna semper cautela subnixi, & contra astutias hostium

F

erecti vbique & prouidi. Ne prauæ doctrinæ verbis illecti promptius corrumperentur sensus eorum, & discederent ab æquitate. Porro etiam Christiani admonentur. Confratribus vestris & domesticis fidei exhibete vosmetipsos, vt Dei ministros in multa patientia, in longanimitate, in benignitate, in Spiritu sancto, in charitate non ficta, in verbo veritatis, in virtute Dei: per arma iustitiæ a dextris & sinistris, per gloriam & ignobilitatem: per infamiam & bonam famam: vt seductores & veraces sicut ignorati, & cogniti: tanquam morientes, & ecce viuimus. Et iterum, Estote autem inuicem benigni, misericordes, donantes inuicem, sicut & Deus in Christo donauit nobis: vt vere columbarum sectantes simplicitatem, eodem nihilominus vestram, proximorum quoque affectetis salutem.

2. Cor. 6.
Eph. 4.

De quorum constantia, simplicitate & fortitudine, discretione, & prudentia Eusebius Cæsariensis Episcopus rerum Ecclesiasticarum historiam, texens, ait. Erant ergo martyres Christi inter ... humiles, inter persequutores clari, suis mites, a ... terribiles, Christo subiecti, diabolo erecti.

Euseb.

G

Sed & Arnobius (de quo supra memorauimus) aliquid huic simile in eodem psalmo disserit, dicens: Age ergo, & cum pugnantibus pugna: & si auxilium poscis à rege, repugnantem te ostende. Linguæ contra te pugnant, quas acuunt hæretici, sicut serpentes: his & tu esto sicut serpens astutus, & te simplicem vt columbam esse ciuibus tuis, id est, Catholicis solis ostende: cæteris hæreticis: & cunctis contra veritatem venientibus, ipsis serpentibus esto astutior: noli timere: iussum tibi est a domino tuo. Tam bona est astutia contra malitiam, quam benigna simplicitas circa iustitiam. Occide hæreticos, Domini tui spirituali gladio interfice inimicos.

Arnob.

Sic nimirum beati Martyres Emeterius, & Celedonius, cum tradere pro domino animas anhelarent, ... sese inuicem ad passionem astantes hortatu impellunt. Erat vbique hostem nutibus suis vibrata confessio, & latentem fidei inimicum: vbicunque fuerit, inquiramus.

14
Emeterius, & Celedonius.

H

O incomparabilis magnanimitas, & fortitudo admiranda, laudanda atque imitanda sanctorum. Quia etiam si torpeat inimicus, ac persequi Ecclesiam Dei sinat, irrumpere tamen latebram eius, & incitare ipsum ad bellum iubentur. Vt hostem frigidum strenuus agonotheta accendat, proferat latentem, erigatque ad conferenda certamina desidem. Et quanquam effuso cruore consternatis membris succumbit, feret tamen ad sedem patris captum ex hoste triumphum spiritus belliger victoriæ laurea potiturus. Quia in eo vires militis comprobantur egregiæ, quo non tepiditas vltro se obtulerit palæstræ martyrij, sancta Scriptura testante: Qui propria voluntate obtulistis vos discrimini benedicite dominum. Si ergo qui zelo charitatis nostræ aduersariis nostris fidelis expugnator occurreret, arma sumeret, ensibus desæuiret, animam ponere contenderet, nequaquam eum immunem condignis pateremur donatis, eiusque liberalitatem largo munificandam beneficio censeremus:

Iudic 5.

quanto

A quanto potiotis glotiæ honore ferendi sunt, qui obrentu capessendi gratiam Regis æterni', vigore aucti iustitiæ, ad obitum quoque resistentes infensis, crudeli morte perempti sunt: Ille denique Aogelus veritatis, & præco iustitiæ, Redemptoris præcursor, & nuntius pacis Bapt. Ioan. eum Regem iniquum de stupro Herodiadis commoneret; cumque adulterino incesto thorum violare fraternum inhiberet, ergastulo propter veritatis professionem detruditur, ibique absque vlla fidei persequutione truncator. Nec tali succumbere recusauit dispendio, qui sine dubio nouerat, diuino reuelante spiritu, tantundem, esse propter iustitiam mori, quam pro fidei confessione prosterni. Vnde & Dominos vitalia discipulis doctrinæ ministrans præcepta, sic eos de monte alloquitur: Beati qui persequutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorom est regnum cœlorum. Et quid aliod ad omnia beatitudinis præmia, quam cælorum affectandum est regnum?

Matth. 12.

Matth. 5.

B Quarta aduersus martyres obiectio.

15 Septem fratres Martyres, qui cum Iuliano, & Basilissa passi sunt.

Calumniantur etiam inimici vltroneum ad mortem eorum progressum, quos passim liberalitas Regia suum incoli iusserat Christianismum. Sed præcessit hoc reor exemplum in illis septem fratribus, quos gesta B. Iuliani cõmemorant. Qui ideo quod Augustalibus præpollebant natalibus, ex decreto principum libere exercebant religionis Catholicæ cultum. Sed tamen in agone sudantem B. Iulianum cernentes, illico ad bellum prosiliunt, & amore Martyrij voluntarium obitum. Legitur quoque de Domino in Euangeliis: Obfirmauit faciem suam, vt iret in Ierusalẽ. Quod ita sanctus exponit Hieronymus: Obfirmatione enim & fortitudine opus est ad passionẽ sponte properanti. Vnde & Ezechiel, cui dixerat Deus: Fili hominis in medio scorpiunum tu habitas, ne timeas; obfirma (inquit) faciem tuam: & dedi faciem tuam æneam, & frontem tuam ferream. Vt si forte surrexissent contra eum malleus vniuersæ terræ, quasi iocude durissima resisteret, malleumque contereret. De quo scriptum est: Quod confractus est, & contritus est mallena vniuersæ terræ? Idem quoque Doctor in supradicto opere quandam Euangelij sententiam exponens ait: Non est delicata in Deum, & secura confessio: qui in me credit, debet suum sanguinem fundere. Qui enim perdiderit animam suam in præsenti, lucrifaciet eam in futuro, Denique Agabus Propheta eum venisset ad Apostolos, tollens zonam Pauli, alligauit sibi pedes & manus, & ait: Hæc dicit Spiritus sanctus: virum cuius est zona hæc, sic alligabunt in Ierusalem Iudæi, & tradent in manus gentilium. Quod cum audissent Apostoli, & qui loci illius erant, ne ascenderet Hierosolymam, cum lachrymis precabantur. Tunc respondens Paulus, dixit: Quid facitis flentes, & affligentes cor meum? ego enim non solum alligari, sed & mori io Ierusalem paratus sum propter nomen Domini IESV CHRISTI Et cum ei suadere non possent quieuerunt, dicentes Domini voluntas fuit, fiat.

Luc. 9. D. Hieronymus. Ezech. 2.

Hier. 50. C Hieronymus.

Act. 21.

16 Felix Martyr Gerundensis.

Sic namque & felicissimus Felix cum fideli relatu persequutionem Catholicorum, quæ apud Gerundam Hispaniæ vrbem confinem Galliæ gerebatur, comperiret, D crudeliterque Ecclesiam Dei ibidem à paganis infestari cognosceret: ex templo literaturæ liberalis studium derelinquens, quod in Cæsarea Mauritaniæ positus excolebat, præpeti nauigatione æquore transmisso, prædictum oppidum adiit: ibique martyrium, quod patriæ suæ deerat, deuotus miles Christi triumphabiliter consummauit. Sic Sanctus Sebastianus, sic beatissimus Thyrsus, sic electus Adrianus, sic Iustus & Pastor, sic Eulalia virgo Barchinonensis, sic Babilas pontifex, multique alii sponte se obtulerunt, & coronati sunt. Et iccirco, vt quidam sapientium meminit, inter primas dignitates regnorum cœlestium sunt ponendi, qui ad passionem venerunt non quæsiti: & excellentis voti est, inter tormenta prosilire, vbi non est criminis latuisse.

Cæsarea Mauritania vrbs. Sebastianus.

17 Thyrsus. Adrianus.

18 Iustus & Pastor.

19 Eulalia Barchinonensis. Babilas Presbyter.

20 Sed in veritate etiam esse fatendum est, latitare, si virtus excellentis meriti est vltro procedere: quando fidei nostræ confessio prædicationem exigit, & testimonium postulat. Nam si audito verbo veritatis, fidem incredulus non accommodet, magisque exprobret euangelizanti, quam credat cum sit ante cognitam veritatem inculpabilis, sit postmodũ sanctæ prædicationi obnoxius. Quia non poterit de ignorantia se excusare, vbi veritas elucubrata responderit, domino & magistro testante. Mementote sermonis mei, quem ego dixi vobis, non est seruus maior domino suo, si me persequuti sunt, & vos persequentur: si sermonem meum seruauerunt, & vestrum seruabunt. Sed hæc omnia facient vobis propter nomen meum, quia nesciunt eum, qui misit me. Si non venissem, & loquutus eis non fuissem, peccatum non haberent: nunc autem excusationem non habent de peccato suo. E

Ioan. 15.

Quinta, quod Martyribus obiicitur.

Obiiciunt etiam aduersarij corporum eorundem corruptionem. Sed quæso respondeant quid obest cælesti iam præmio coronatis, quasi illi carnis affectarint honorem, qui vere nouerant perlatam olim mortalibus legem qua dictum est Adæ: Puluis es, & in puluerem redigeris, aut per supplicia tyrannorum, quibus datum est corpus occidere, quandoque finem accipere: Quia omnis caro fœnum, & omnis gloria eius quasi flos agri: & cum omnem dicit nullius carnem ex humano semine orientem reliquit (& licet audenter, dicam tamen) non Patriarcharum, non Prophetarum, non Apostolorum, non martyrum. Legant Apostolorum actus, qui ista somniant, & inuenient testante Petro, Dauid illum à Deo electum, & secundum cor suum fidelissimum seruum, sepulturæ corruptionem esse perpessum, iis verbis Apostolo disserente; Viri fratres, licet audenter dicam de Patriarcha Dauid, quia & defunctus est, & sepultus est: & sepulchrum eius est apud nos vsque in hodiernum diem: & caro eius vidit corruptionem. Considerent Patriarcham Iob vermibus scatentem: & Lazarum Euangelicum vlcerosum præ foribus purpurati diuitis mendicantem. Percurrant cæterorum sanctorum ad instar syderum cæli diuersarum victoriarum fulgentia gesta (& insultet si audet sacrilegus) eorum putrida membra doloribus tormentorum, pœnisque consumpta. Sed temporalis corruptio corporum in nullo detrimentum infert animabus sanctorum, quæ tamen incolumis materies carnis prodesse non poterit in futuro iniquis. Nam cur vana sollicitudine de corporum integritate distenderentur, qui vere nouerant omnem temporalem salutem etiam cum ipso mundo perire: & illam protoplasto Adæ sententiam mortis collatam, generaliter cunctis mortalibus congruere: Puluis es, & in puluerem reuerteris? Sancti etenim, qui expertes eius legis non sunt, quod in terra sua, id est Ierusalem cælesti, duplicia nacturi sunt præmia, non magnopere corporalem pensant iacturam. Quam veraciter in illa generali hominum resurrectione de quibuscunque labefactationibus, locis, antris, & speluncis, seu ex aliorum elementorum abditissimo sinu, quo dilapsa cadauera perierint, in temporis puncto reddenda, & reintegranda ex legali auctoritate cognoscunt, & credunt: vt ipsi quidem sancti duplici præmio congaudentes, bina confusione conterant impios, ac peccatores.

F Esai. 40.

Act. 2.

G

H

Vnde obsecro vos, ô sancti fratres nostri, & sorores in Christo beatæ, ne stultorum assertionibus exturbemini, aut coniecturis creduli nescientium aliquo saltem scrupulo (quod absit) contra Dei milites moueamini. Hi sunt enim qui piæ religionis ardore non compunguntur, & iccirco non solum veritati fauere non possunt, verum etiam fidem sanctam, quam leuiter, & non alto credulitatis fundamento cordibus gerunt, defendere nequeunt, magis derogantes, si propter illam quis vltroneus moriatur: quam dolentes, si ab ea plures recedendo laqueum præuaricationis incurrant. Et hinc ad sacrilegium impietatis facile prolabuntur, dum quod à Deo iustificatum est, isti condemnare non verentur. Plebs sine disciplina, de quibus scriptum est: Et impie agent impij neque intelligent omnes impij, qui vt sal infatuatus à cœtu Catholicorum foris proiiciendi, & ab omnibus conculcandi, ac velut nemus infructuosum securi Euangelica præscindendi: igni perpetuo deputandi sunt.

Dan. 12.

Pensandum

A Pensandum est, fratres, cui dispendio subiacebit, qui
tantæ victoriæ laudem infamare non metuit: qui tot vi-
rorum triumphis obuius venit. Illi quidem prædicationis
Apostulicæ non immemores, non erobuerunt testimo-
nium Domini nostri IESV CHRISTI, & veritatem sancti
Euangelij ad confusionem impij doctoris, & cultorum
eius palam proferre. Quem vnum, & magnum ex pseu-
Matt. 24. Mar. 13. doprophetis, ore Dominico olim per Euangelium de-
nutatis, esse cognouerant, dum cauta circũspectione Apo-
stolos intentos fore iuberet, dicens: Videte, ne quis vos
seducat, multi enim pseudo-prophetæ venient in nomine
meo, & seducent multos: & nos formidine amittendi
temporalem honorem quos martyres non colimus, hæ-
reticos protestamur: Væ illis qui ista sectantur: væ eis
qui bonum sectantes malum, & lucem conuertentes in
tenebras, quod patulis refutarunt blasphemiis, occultis
etiam conuitiis insequuntur, ne inter martyres habeantur
ne debita eis reuerentia exhibeatur: qui contumaciori spi-
B ritu contra inimicum fidei ore blasphemo venientes, di-
21 gna vltione consumpti sunt. Ac ne cæteri ad huiusmodi
palæstram discutiant, schedulis anathematum per loca
varia damnari iubentur. Si ergo ab iis dominus abstrahit
præmium eo quod apertum, & spontaneum aduersus ho-
stem religionis gesserint bellum, quanto longius aberunt
ab æterni Regis consortio, qui id occultis murmuratio-
nibus timore carnis depressi quotidie agunt? nunquid ori
nostro hæc prædicatio deest? nunquid vacua est Catho-
licorum professio tali præconio.

Resistendum est igitur omnino iustitiæ aduersariis, &
nullatenus pro defensione veritatis corporis interitus
differendus. Merito namque hoc ab illis exercitatur, qui
aucta virtute magnanimitatis diuinitus illustrati sunt,
vberioremque pensant certaminis fructum, quam securæ
confessionis profectum. Non interim penitus imbecillia
contemnentes Ecclesiæ membra. Quia scriptum est, Spi-
22 Matt. 19. Dan. 11. ritus quidem promptus, caro autem infirma. Nec violen-
ter ad hoc statim pertrahendi sunt qui cœlitus non com-
C puncti sunt: scriptum est enim: Qui potest capere, capiat.
Et iterum: Eligentur, & dealbabuntur, & quasi igne pro-
babuntur multi, non omnes. Quamobrem terminis do-
norum, quæ Deo dispensante vnusquisque sibi inesse
cognoscit, contentus sit, nec supra mensuram collati
muneris quisquam temere conatum extendat. Hinc con-
gruit, vt qui se destitutum viribus ad præliandum non
ignorat, & minus posse proprio iudicio considerans,
aciem hosti non paret: è regione sponte præparantibus
non resistat. Vt quem non habent certamina expeditum,
pauorque bellandi efficit timidum, hunc iusta non inue-
Matt. 12. niat detractionis vltio puniendum. Quoniam scriptũ est,
omne verbum ociosum quod loquuti fuerint homines,
reddent de eo rationem in die iudicij. Quod si omnis va-
niloquus condemnandos venier in iudicium, qua sen-
tentia punietur infamator sanctorum? Qui enim sui non
imperitus grandia non exequitur gradientibus ad celsio-
ra non adhæret: hæreatque imis, & solo procliuibus,
qui nequit meditari sublimia. Vt est illud apud Salomo-
D nem; Altiora te non inuestigaueris, & profundiora ne ex-
Eccl. 3. quisieris. Et consequenter Caro infert Philosophus:
Quod potes id tenta operis, ne pondere, pressus succum-
23 bat labor, & frustra tentata relinquas.

Certe si quosdam palam quæ sancta sunt profitentes
infernus tenet, multo magis qui in abscondito veritatem
prædicant, claustra possident inferorum. Quia si obe-
rit palestricum luctamen iustitiæ assertoribus, profecto
nihil proderit clam veritatem fatentibus. Et quæ mens
religiosa hanc insaniam credat, vt ex eo in opprobrium
veniat veritas reprobans malum, ex quo non violenter
trahimur ad gentilitium malum? & inde ipsa iustitia mar-
tyriale non habeat præmium, quæ in auctorem sceleris
patulum infert conuitium? Vnde libenter à cultoribus
eiusdem vatis inter regni eorum priuilegia fidei Christia-
næ finimor gestare vexillum. Quasi eorum patientiæ sit
deputãdum, quod inter ipsos sine molestia fidei degimus,
& non potius diuinæ dispensationi sit referendum: quæ
Patriarchas, Prophetas & Apostolos suos inter feritates
gentium conseruauit, honoribus extulit, dignitatibus E
sublimauit. Qui etiam pia promissionum spe discipulos Matt. 28.
consolans ait: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus
vsque ad consummationem sæculi. Quapropter non hu-
ius impiæ gentis beneficio, in cuius ditione nostro com-
pellente facinore sceptrum Hispaniæ post excidium, &
euulsionem regni Gothorum translatum est, (quod fe-
licissimo fidei Christianæ pridem cultu pollebat, venera-
bilium sacerdotum dignitate florebat, & admirabili ba-
silicarum constructione fulgebat) sed gratia redemptoris
sui, & eius assiduo comitatu Ecclesia custodiri meretur,
qui dixit: Sicut lilia inter spinas, sic amica mea inter filias.
Et iterũ; In medio nationis prauæ, & peruersæ inter quos Ad Phil. 2.
lucetis, sicut luminaria in mundo.

Sed nouerint, ipsi qui hæc obstinata mente de marty- *Martyres sui erunt vltores.*
ribus Dei sentiunt, impurisque linguis gloriam sancto-
rum mutilare non verentur, quod cum eisdem sanctis cau-
sas in futuro examine sunt acturi, & nisi fructuosa præ-
cesserit satisfactio rationem ante tribunal domini reddi- F
turi. Nam qua fronte clarificatum gloria passionis tunc
vultum eorum aspicient, in contubernio Regis æterni ob
meritum constantiæ glomeratorum, quos hic tantis im-
petiit blasphemiis, tantis lacerauit opprobriis, tantisque
affecit iniuriis? Tunc vtique cum iustitia in magna con- Sap. 5.
stantia aduersum eos adstiterint, qui se angustiauerunt, &
gloriam martyrij eorum non coluerunt, & qui abstule-
runt labores eorum: reor, videntes turbabuntur terrore
horribili, & mirabuntur in subitatione insperatæ salutis,
dicentque inter se, pœnitentiam agentes & præ angustia
spiritus gementes: Hi sunt quos habuimus aliquando in
derisum & similitudinem improperij. Nos insensati vitam
illorum æstimabamus insaniam, & finem illorum sine
honore. Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei,
& inter sanctos sors illorum inuenta est.

Vellem responderent mihi Christi militum derisores, 24 *Martyrũ votum, est finis.*
vtrum amor mortis eos ad mortem perduxerit, an non
magis oblectatio paradisi, vt æternæ mortis euaderent
incendia, ad supplicium ire coegerit? Quantum reor, G
nullus responderet, quod intuitu moriendi obitum expe-
tierint sancti: sed vt per temporalem interitum ignes eui-
tarent perpetui lethi. Quapropter eos incunctanter eadẽ
remuneratio nihilominus consequetur, quæ fuit causa
moriendi, non quæ extitit voluntas moriendi. Vnusquis-
que ergo eorum quod vult credat, dicat, vel sentiat: me
tamen ea pars firmum obtinet defensorem, quæ cum
summa reuerentia eorum cultum veneratur, & extollit
honorem. Ibique fidelem sub testimonio Domini nostri
IESV CHRISTI donat ascẽsum, vbi eorum præcipuis titu-
lis sublimatur trophæum. Quapropter in posterorum
notitiam hunc decreui manere tractatum, vt qualem de
dominorum meorum tulerim agone iudicium, & ætatis
nostræ vulgus nouerit, & futurum.

Vos autem viri fratres credite mecum, immo cum om-
nibus, pie, religioseque beatorum certamina veneranti-
bus, credite beatos esse martyres talia exequentes, & fe-
liciores animas sub eorum testimonio morientes. Armate
credulitate fidei pectora vestra, soluite diuinis laudibus H
ora summique redemptoris beneficia extollentes, præco-
nate & dicite: Moriantur animæ nostræ morte istorum,
& fiant nouissima nostra horum similia. Qui dat lassis
virtutem, & iis quibus nullæ suppetunt vires potentiam
potenti dextera roborat in certamine: det mihi, vt vsque
ad mortem pro eo fortiori animo cum his militem, qui
perfecto desiderio in eius amorem exæstuant. Quia non
erit immunis coram domino intentio, quæ pro verita-
te exeritur: neque vllatenus repudianda mors, quæ pro
iustitia irrogatur. In tali igitur conflictu laudatur Chri-
stus detestatus remanet hostis iniquus; atque sub ea-
dem professione necem excipit furibundam miles stre-
nuus.

Ideoque non solum ij, qui talia confitendo sub ictu *Sanctos venerantium præmiũ.*
gladij ceciderunt, digno præconio celebrandi sunt, ve-
rumetiam illi digna laude efferendi, qui talium laudibus
oblectantur. Quia cum martyrum gloriæ passionibus ac-
quisitæ recoluntur, & beatorũ certamina edita referũtur,

debitus

A debitus honor Martyribus redditur: ac piæ mentes exemplorum incentiuis armantur. Et si martyrium nequeant adipisci, ad participium tamen merebuntur honorandorum præmiorum promoueri. Vt quorum ascribi triumphis cupiunt conscientiæ voluntate, non imparem sumant ex deuotione mercedem. Nam si pessimis factis animum accommodare peruersitatis est, quomodo optimis communicare, non est virtutis. Et cum Deus omnipotens iudicem se non solum factorum, sed etiam votorum insinuet, cur pissimum in Martyribus semper votum
Ps. 138. Matth. 10. incentum non conciliet gaudia Beatorum? sancto Dauid approbante: Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui Deus. Et iterum; Qui vos diligit, me diligit: & qui vos recipit, me recipit.

Ipsi denique sancti corpora sua gladiis offerentes perennem animarum incolumitatem capessunt: & acquirentes sibi in regno Christi electorum consortium, relinquunt nihilominus persequutoribus æternæ pœnalitatis incendium.
B *Ps. 78.* Quia licet scriptum sit, posuerunt mortalia seruorum tuorum escam volantibus cæli, carnes Sanctorum tuorum bestiis terræ: effuderunt sanguinem eorum velut aquam in circuitu Ierusalem, & non erat
Locus corruptissimus. qui sepeliret: tamen ad puniendum sæuitiam eorum occurrent, qui ista fecerunt, non ad derogationem virtutum proueniet eorum qui talia sustinuerunt, vt ea ipsa crudelitas cumulum perditionis lictoribus augeat; Martyribus vero sanctis præmiū sempiternæ felicitatis acquirat.
Ps. 115. Nam quamuis hæc obtutibus hominum dira & aspera videantur, tamen pretiosa est in conspectu Domini mors Sanctorum eius.

Vos autem, fratres & sanctæ in Domino IESV CHRISTO sorores, gaudete, & exultate, quod manipulos messis vestræ in horreum Domini recondendos iam præmisistis. Iam fructus seminis vestri Sion illa beata ciuitas habet illa pacis visio Ierusalem cœlestis domesticos cognationis vestræ in pace suscepit. Pergite securi: properate exultantes. Itui vestro nullus aduersari quibit, nullus
C contradictor assistet, peruenientesque ad patriam procedet in occursum vestrum, non solum illa cohors Sanctorum, qui nuper coronati sunt, verum etiam cætera turba electorum, quorum consortio isti nouitij Martyres adnumerati sunt.

Ergo libet mihi, fratres, paululum iucundantis more loqui vobiscum: & pro charitate sufferre verbosum, quem ex dilectione Christi cernitis in laudibus versari Sanctorum. Quoniam vt meritorum meorum euaderem debitum, & Beatorum adipiscerer intercessionis suffragium, hoc opus victoriis dedicans Martyrum, decreui
Tituli ratio. Ps. 138. appellare Memoriale Sanctorum, vt ex quo vinctis compatimur, & Dei amicos veneramur, saltim eorum patrocinis adiuuemur. Dicitur enim in Psalmo; Mihi autem honorificati sunt amici tui Deus, quia valde confortatus est principatus eorum. Quamobrem, fratres charissimi, & sorores beatæ, iubete me vestris admitti tripudiis, quem non finit abesse talibus gaudiis huius confessio operis. Nec inuida affectatione vobismet solummodo vindicetis
D Sanctorum patrocinia Martyrum: quos nostis pro totius Ecclesiæ membris subiisse discrimina passionum. Sed quare ego diutius his gaudiis immorari delector? quasi vestrum sit nostro satisfacere optatui. Certe vt saltim non sine consultu vestro adsint nobis Dei testes in tribulatione quæsiti, qui generaliter pro grege Catholico coram patre, & Angelis eius manent solliciti. Itaque & vestri & nostri sunt. Ex vobis carne prodierunt, sed nobiscum vno baptismatis fonte renati sunt. Nihil est quod de eorum gloria vobis priuatim vindicetis, quia omnes in Christo vnum sumus. Nam & nos quosdam ex illis ad prælium incitauimus: & si ipsi pugnare desiuimus, arma tamen quibus militarent, suggessimus. Quosdam
15 *Paulus Martyr. Sanctius Martyr. Isaac Martyr.* vero ex consanguineis inter ipsos Martyres in cælum præmisimus Paulum: loquor leuitam egregium carne nobis connexum, & Sanctium auditorem nostrum qui secundo conflictu post beatum Isaac perrexit ad Christum. Sed nunquid solide perfectione eorum gloriabimur? quia quos informauimus, quos fratres habuimus,

E vicisse videmus. Sit commune omnibus gaudium: sint cunctis indiscrete fruenda felicium monumenta virorum. Misceamus vtrique vota, & paribus studiis laudum Deo persoluamus libamina, cuius dono reddita sunt nobis insoliti temporis felicia sæcula. Quibus olim tempestatibus persequutionum crebrissimis Christiana Ecclesia lapides in illius cælestis Ierusalem coaptabat digniter structuram ad Dei gloriam, cuius munere pugnant sancti, & vincunt: oppetunt mortem, & viuunt. Cuius gratia roboratur constantia Martyrum: cuius virtute quicquid sæuitia protulit impiorum, virili animo prægrediuntur. *Ad Roman. 8.* Quia non sunt condignæ passiones huius temporis ad superuenturam gloriam, quæ reuelabitur in eis. Nec pendunt, quo mortis genere hanc vitam amittant, quandoquidem per huius defectum perennis regni felicitatem expectant.

Verum quia semper laudabilis est mediocritas, faciliusque lectorem oblectat succincta breuitas, quam fastidiosa prolixitas: ideo finali claudendus est limite liber. F Ne præter vitam, & summam incultionis suæ absurditatem, alium parturiat mediantibus ex longa verbositate laborem. *D. Eulogius ad Martyres.* Hinc vos instanti iam voluminis termino, ô corona sanctorum, ego ipse licet indignus vestri laudator Eulogius postulo, vt hoc opus vobismetipsis probatum efficiatis, ac receptum sanctificetis: sanctificatum, Deo liberis, neque inordinatam narrationis eius seriem pensetis. Sed velle meum potius, quam posse considerantes, voluntatis votum, non impossibilitatis remunerenini defectum. 16
Quia ideo primitias huius commentarij præ omnibus Philosophis patriæ nostræ vobis offerre curaui, vt eius obtentu vestrum habeam patrocinium: vestroque interuentu omni caream vitio. Quod dominum contra me pro peccatis offensum merear, & nunc 17
& in æternum inuenire propitium. Et licet inde grauioris culpæ me obnoxium conscientia mea remordeat, quia res præconabili stylo ad posterorum notitiam ordinandas temere infecerit eloquij mei inculta barbaries: tamen ex G
eo tanti deliquij remedium adipisci spero, ex quo omnem vim suam breuitas ingenij nostri in laudem vestram expenderit. Sed & susurrationibus maledicorum obuius veniens, acies perfidorum prostrauit: fundamenta subuerrit, vires confregit. *Comparatio.* Ac veluti canes, qui ardentissimo zelo pro dominis suis sæpe rixare non desinunt, eo amplius in importunis latratibus exacerbantur, quo forte impugnatoris fuerint verbere lacerati: Ita nos licet asperrimi temporis angustia coarctemur, & imminentibus periculis obteramur: nullatenus tamen linguam de vestris laudibus abstraximus, aut de perfidorum insectatione cessauimus. Hæc nos quadam spe cogunt lætos existere, & de clementia boni parentis confisos manere. Et idcirco non me desperare faciet oratio inculta, & vilis oblatio muneris huius de obtentu gratiæ redemptoris. Quia plus coram ipso votiuum noui valere affectum, quam segnem affluentiam munerum. Quapropter iterata supplicatione vos quæso, milites Dei, bellatores egregij, testes idonei, martyres Christi, consortes regni perpetuis vt H
me hic fideli seruitute Deo iugatis, & post debitam pro sceleribus in futuro examine vltionis sententiam à me auferatis. Vt qui liber Memoriale Sanctorum à nobis appellatus, vestrorum actuum gloriosam memoriam præconatur; memoriam meam coram tribunali futuri iudicis fauore suæ acceptionis in sortem omnium præscribas, Quo à læua in partem dexteram demutatus, pij redemptoris aspectibus sine confusione merear perfrui: nulloque præpediente reatu, illi cœtui connumerari promerear, cui idem redemptor pia voce dicturus est: Venite benedicti patris mei, percipite paratum vobis regnum à *Matth. 25.*
constitutione mundi.

SCHOLIA IN OPERIS PRÆFATIONEM.

1. EGo quidem.] Instituti sui reddit rationem: & gustum, quantum credi potest, futuri operis in ipso

vestibulo

A vestibulo prebiturus, Isaac martyris vitam & interitum memorat.

2. *Ascysterils.*] Græcum verbum, vnde hoc nomen deriuatur, mentem in rerum diuinarum contemplatione exercere significat. Inde ascysteria monasteria dicuntur. Vsus est eo vocabulo Imperator Iustinianus *in l. omnia 33. C. de Episc. & Cleric.* Iterum etiam id ipsum D. Eulogius vsurpat, & D. Basilius, D. Gregorius Nazianzenus eo frequenter vtuntur.

3. *Qui prior.*] Præcesserunt haud dubie multis annis Adulphus & Ioannes, vt *lib. 2. cap.* 8. apparebit. Sed enim de his tantum nunc loquitur, qui per tres hos aut quatuor annos martyrio coronati sunt, Et quamuis nunc etiam Perfectus presbyter præcessisset, ipse tamen Eulogius paulopost rationem est redditurus, cur ipso priorem Isaac referat.

4. *Et Tabanensi cœnobio.*] Monasterij huius crebra mentio deinceps occurret. Eo autem potissimum sese
B receperat sanctus Isaac quia patruelem Hieremiam, mox martyrem, inibi habeat, qui cum vxore Elizabet monasterium ipsum construxerat: in quo ipse etiam monachus factus, vt suo loco apparebit, degebat.

5. *Ephebus ille.*] Viginti septem annorum fuisse in Vsuardi martyrologio memoratur. Eulogius in secundo libro hoc ipsum eius martyrium repetens, eum primæuos adolescentiæ annos ingrederetur, monachum factum, & post trienni um martyrium subiisse scribit.

6. *Ita maledictionibus tabescat.*] Imprecatio est, Hispanis nostris quam Latinis inter loquendum hac forma vsitatior. Diuersa enim sunt illa:

Virgil. *Dy talem terris auertite pestem.*

Item illud eiusdem.

Quod Dy prius omen in ipsum conuertant.

7. *Feria quarta.*] Annus Domini octingentesimus quinquagesimus primus, dies Iunij tertius notatur. Et recte prorsus: incidit enim is eius mensis dies illo anno
C in feriam quartam. Habuit enim litteram, vt vocant dominacalem D.

Et porro ipso die Vsuardi martyrologio festum eius apponitur: quod etiam Romanum nuper locupletatum, & Venetiis apud Iunthas excusum, inde transtulisse videtur. Cordubensis Ecclesia eundem diem eidem sancto, Martyri dicatum celebrat.

8. *Qui post quintum.*] Inclusiue, vti aiunt, computat.

9. *Hieremiam martyrio.*] De his libris secundi capite quarto. Item de Perfecto Presbytero *cap.* 1. Cuius ideo hic mentionem inseruit, vt qua ratione eidem tempore Isaac anteferret, demonstraret.

SCHOLIA IN LIBRVM I.

1. *Peritissimorum virorum.*] Sancta ecclesia vt fuit, eritque semper (quemadmodum ab eius auctore Iesv Christo domino nostro prædictum est) sagena, bonis & malis promiscue piscibus oppleta: ita in ipsis etiam Christianis prauos quosdam habere nunquam destitit
D qui ipsam importune conturbarent: & zelo quodam improuido instigati affligerent. Quod etiam diui Eulogij tempore contigit. Non satis erat Hispanam Ecclesiam captiuam in misera & truculenta seruitute versari, & ab immanissimis tyrannia infanda mala assidue perpeti: quod vnum Christianis in tot calamitatibus insigne solatium esse poterat: omitum non deesse qui fortiter mortem pro Christo oppeterent: & constantia sua alios instimulantes, Dei Ecclesiam exhilararent: hoc ipsum tot malorum leuamen, impij quidam, & insipienter prouidi eripere illi nitebantur, Martyres criminabantur eo nomine indignos iudicabant, & obesse potius in commune Ecclesiæ Hispanæ, quam prodesse affirmabant. Eis respondere *hoc.* 1. *lib.* D. Eulogius voluit, vt Martyrum, de quibus deinceps esset acturus, famæ consuleret, contra calumniantes defenderet, veramque & solidam illorum gloriam initio astrueret. Nihilo secius tamen destinato in hoc ipsum opere Apologetico, idem postea argumentum plenius tractauit. Nec solus tamen Martyres ita defendit. Quisquis enim fuit auctor Indiculi Luminosi (de quo
in D. Eulogij vita, de Aluaro loquentes, diximus) totum E
illud opus ad eorundem martyrum defensionem conscripsit: vt Apologeticum prorsus posset iure optimo appellare. Et neque hoc D. Eulogij seculo solum Martyrum fuere detractores, sed priscis etiam Ecclesiæ temporibus. Concilium enim Carthaginense primum sub Syluestro primo, huiusmodi Martyrum obtrectatores canone secundo grauiter compescuit.

2. *Sed nescio quo tendere.*] Insignis vbique apparet in Diuo Eulogio modestia, atque profecto magis conspicua, quo homo, vt illa tempora ferebant, doctissimus, nullam habet de ingenio & litteris, nullam probatissimus de virtute fiduciam.

3. *Ecclesia Hispania.*] Corruperant iam hæc sæcula multa in proprijs præsertim nominibus vocabula: vt in hunc, quem nunc habemus, Hispanum sermonem paulatim transformarint. Inde Spaniam non Hispaniam: Cor-
dobam, non Cordubam: Eglesiam, non Ecclesiam, profe- F
rebant. Neque recens post Arabum in Hispaniam ingressum ea fuit corruptela, sed retro ab Gothorum temporibus deriuata, quod ex nummis iam in D. Eulogij vita ostendimus: Scribebant autem, quemadmodum & pronunciandum. Itaque Eglesia, non Ecclesia, fuit semper in veteri scriptum. Nos tamen in excludendo latini sermonis proprietatem in Hispaniæ, & Ecclesiæ, quemadmodum in Cordubæ nomine retinuimus.

4. *Commessationes quoque.*] Late in hoc loco D. Eulogius quæ pessime de Christo Saluatore, & sacratissima eius matre Mahometus tradidit, ex nefando Alcorano prosequebatur. Verum nos lineas aliquot iustis de causis dempsimus. Nam quæ illo tempore ad detegendum sectæ abominandæ turpitudinem erant necessaria, nunc piorū aures poterant offendere. Et prouidentissimis sanctæ Inquisitionis decretis cautum est, ne Alcorani nefaria dogmata passim legantur. Neque nos tamen pro libito quippiam de sancti Martyris opere, quod digne suspicimus, & reuerenter attingimus, adimere voluimus: quin potius idipsum de sapientissimorū virorum consilio fecimus. Hæc
ideo hic annotare voluimus, vt si quis in D. Eulogij exem- G
plar inciderit, cur hic pauculæ quædam desint, intelligat. Et quantū ego existimo, Speraindeo Abbatis verba sunt, vsque ad illa, & erit clausa. Hic enim vehementioris orationis impetus, nescio quid commotius, & ab cæteris in hoc opere diuersū dignumq; facundiori artifice molitur.

5. *Nonnulli nostrorum Philosophorum.*] Christianos, qui doctrina præstarent, quive Doctores in Ecclesia essent, Philosophos vocat. Habetque catacrisis nonnullam ex similitudine rationem.

4. *Inuictissimi illius Ioannis.*] Auctor Indiculi Luminosi Ioannis huius supplicium late descripsit. Et quoniam liber nondum est typis excusus, operæpretium fuerit, ipsa eius verba hic apponere. Post martyrium igitur Perfecti Presbyteri Ita inquit. Pergamus secundi iterum exponere casum. Post anni reuolutionem, aut aliquid amplius, Ille liuoris gentilium oculus non quieuit: sed vt solitum est
illis Christianismum irridere, & nobis omnibus Christi- H
colis insultare: hunc Ioannem, quem multo tempore carceris retinuere claustra, negotiationem & mercimonia nundinandi exaggerare conati sunt, & ipsum vexare: & ob gratiam mercimonij liuore vsti, multa exprobrando ingerere, dicentes. Paruipendens nostrū Prophetam, semper eius nomen in derisione frequentas, & mendacium tuum per iuramenta, vt tibi videtur, nostræ religionis falsa auribus te ignorantium Christianum esse, sæpe confirmas. Ad quos ille confidenter, & nihil erga se doli, suspicans, cum se immunem ab ipsis, quæ contra eum opponebantur, vellet ostendere: furor strepitans, & præceps ira, eadem repetens, inculcans, & replicans crebrius, sæpe dixerat, intentauit. Tunc ille non ferens, ex hac generationum talium nube stomachabundus, & faceta satis vrbanitate accinctus, eleganti mente respondit elatus: Maledictus sit à Deo, qui Prophetam vestrum nominare desiderat. Illico clamor ingens factus, & perditorum cuneus constipatus, iniquitatis ex ore conuentus, velut apes in vnum perfidiæ

aggerem congregari, vnius massæ cumulo malitiæ conspiratione respersi semiuiuum ad iudicem perduxerunt. Et testibus minus idoneis, ab ipsa perfidorũ massa surgentibus, præsentatis, potiora & maiora contra ipsũ testatione propria inuentarũt. Quæ ille tota negauit, & æmulatione inuidiæ ipsorum aperto in se sermone retexuit. Sed iudex iniquitatis quadringentis eum actibus verberat flagellorum, & per omnium ædes Sanctorum sub voce præconia fecit discurrere: Talia pati debere, qui Prophetæ derogant Dei. Ac deinde carcerali mancipat arcta custodiã, minitando illi inferre maiora. De hoc Ioanne iterum etiam D. Eulogius *lib. 2. cap. 10.* In vetusto vero Michaëlis Ruizij Acagræ codice, epigrammata etiam Cypriani Cordubensis Ecclesiæ Archipresbyteri fuerunt: & inter cætera hoc quoque distichon cum hoc titulo.

Item super tumulum sancti Ioannis Confessoris.

Carceres & dira Ioannes ferrea vincula
Christi amore tulit. Hac functus in aula quiescit.

Hunc eundem Ioannem esse credo, quem D. Eulogius commemorat. Quanquam pauciora epitaphium, quam potuit, ac debuit, retulit. Sed eiusmodi erant tempora, vt versum quoquomodo clausisse, magnum etiam haberetur. Vixit autem & scripsit Cyprianus hic, quod ex aliis eius Epigrammatis apparet, quadraginta aut paulo amplius post D. Eulogij mortem annis.

7. *Qui vt idem docuit.*] Longa admodum est parēthesis & traiectione etiam (quod Fabius damnat) plusquam tarda. Sed nos nihil immutare hic ausi sumus.

8. *Et quoscunque confessio.*] Iam hinc est animaduertendum Christianos per totam Hispaniam, & Cordubæ præsertim, ea lege, quemadmodum initio scripsimus, fuisse relictos & toleratos, vt Mahometi sectæ non detraherent. De hoc ipso in Indiculo Luminoso legimus ad hunc modum: Ecce lex publica pendet, & legalia iussa per omne regnum eorum discurrunt, vt qui blasphemauerit flagelletur, & qui percusserit occidatur. Et ecce quotidie horis diurnis & nocturnis in turribus suis & montibus caliginosis dominum maledicunt, dum vatem impudicum ? pe...tum, tabidum & iniquum, vna cum Domino testimonij voce extollunt. De cæteris vero quæ ab Saracenis paterentur Christiani hic ab Eulogio commemoratis: auctor ille in hunc modum. Quotidie opprobriis, & mille contumeliarum fascibus obruti, persequtionem nos dicimus non habere: Nam vt alia taceam, certe dum defunctorũ corpora à sacerdotibus vident, vt mos est Ecclesiasticus, humanda portare, nonne apertis vocibus, & impurissimis gemitibus dicunt; Deus non misereatis illis; & lapidibus sacerdotes Domini impetētes, ignominiosis verbis populum Domini denotantes, spurcitiarũ fimo Christicolas transeuntes pędore infando aspergunt, maiora minitando ringentes. Et paulo post. Sic iidem, & cum sacerdotes Dei casu quopiam cuiquam obuiauerint per viam, lapides coram ipsis cumulantes, testasque aridissimas ante vestigia eorum reuoluentes, ac improperioso & infami nomine derogantes, vulgari prouerbio & cantico inhonesto sugillant, & fidei signum opprobrioso elogio detruncant. Sed cum Basilicæ signum, hoc est, tinnientis æris sonitum, qui pro conuentu Ecclesia adunando horis omnibus canonicis percutitur, audiunt: derisione & contemptu inhiantes, mouentes capita, infanda iterando congeminant, & omnem sexum, omnemque ætatem, totiusque Christi domini gregem non vniformi subsannio, sed milleno contumeliarum infamio impetūt, & deridunt. Nunquid non isti sunt, qui Ierusalem maledicunt, & muros sanctæ Sion destruunt, & succendunt? De quibus dicitur: Maledicti omnes, qui spernunt te, & omnes qui blasphemant te. Maledicti omnes qui destruunt muros tuos, & omnes qui subuertunt turres tuas, & omnes qui succendunt habitationes tuas. Et licet hæc omnia ab illis per contemptum vel derisionem, vel odium, vt diximus impleantur: tamen etiam carnaliter inhabitationes domini, & in sanctuarij ædes quotidie perpetrantur: dum Ecclesiæ Dei destruuntur, antiqua soliditate templa firmata terra tenus coæquantur.

9. *Carnibus etiam spoliata.*] Hic paulisper oportet immorari, vt melius quid hic lege cautum dicat S. Martyr intelligamus. Viuebat Cordubæ, hocque ipso tempore Presbyter, Abbas postea sancti Zoyli fuit, Samson nomine, vir doctus & subtili ingenio, in Philosophiæ & sacrarum literarum studiis versatus. Id abunde declaratur eius Apologeticum opus, quod tribus libris distinctum scripsit contra Hostigesium Malacitanum Episcopum, qui ipsum in concilio Cordubensi hæreticum cum conuitio dixerat: quemadmodum ipse in præfatione libri secundi late commemorat. Ibi se abbatem Ecclesiæ sancti Zoyli martyris Era nongentesima prima, hoc est anno Domini octingentesimo sexagesimo tertio factum ostendit. Is autem annus est post Eulogij martyrium tertius aut quartus. Me etiam iuuene in montibus Cordubensibus, decimo ab vrbe milliario, non admodum longe ab oppido, quod Trassierra vocant, in eo agro, qui Comitatus de Espiel dicitur dum vetustum puteum rustici repurgant: cimbalum æreum paruum, pedis ferme altitudine, extraxerunt. Id nunc etiam in D. Hieron. cœnobio asseruatur. Forma est ab cæteris quibus nunc vtimur, longe diuersa. Literas sequentes non fusiles, sed celte excauatas in orbem habet: sed tot nexibus inter se colligatas, sed aliis alias inclusas, vt typis eorum species exprimi nequeat.

OFFERT HOC MVNVS SAMSON ABBATIS IN DOMVM SANCTI SEBASTIANI MARTYRIS CHRISTI, ERA DCCCC. ET XIII.

Est autem hic annus Domini octingentesimus septuagesimus quintus. Obiit autem idem Samson anno postea octingentesimo nonagesimo. Quod ex eius epitaphio constat, ab Cypriano Archipresbytero composito, & inter reliqua eiusdem epigrammata in eodem illo Acagræ codice reperto, cum hoc titulo:

Epitaphium, quod idem in sepulchro Domini Samsonis edidit, metro heroico.

Quis, quantusve fuit Samson clarissimus Abbas,
Cuius in vrna manent hæc sacra membra sub aula:
Personat Hesperia, illius famine fota.
Flecte Deum precibus, Lector, nunc flecte peroro,
Æthera vti culpis valeat conscendere tersis;
Desiit esse longe notus, plenusque dierum.
Sextilis namque mensis die vicesima prima.
Sextilis namque mensis primi & vicesimo sole.

Era DCCCCXXVIII.

Era ad hunc modum fuit infra scripta. Illud autem eius opus Apologeticum Toleti in sanctæ Ecclesiæ Bibliotheca, Gothicis literis descriptum, in peruetusto codice habetur. Hæc omnia satis indicant Samsonem hunc D. Eulogij temporibus floruisse. Quod nos exquisitius astruere voluimus, quia de hoc ipso periculo, quod Martyres sanctos sepeliendo imminebat, in præfatione libri secundi de Seruando Comite Christiano, sed nefario homine, ita inquit; Postquam multa mala, quæ Christianis viuentibus intulerat recensuit. Deinde viuorum mortibus non contentus, quiescentium, quorum animabus impedire requiem non potuit, ne vel ipsis parcere videretur: corpora, vel fuerant sub areis Dei posita, è suis loculis insignis vespilo traxit, & fidelibus regis, vt fuerant ancipiti ense truncata, monstrauit: vt hoc facto animos regios in nostrorum perniciem excitaret. Quatenus probarentur apud eum, debito mortis, obnoxij, qui ausi essent humare illius prostratos pugione. Huc vsque Samson. Nec dubium credo alicui esse posse, quin de sanctis Martyribus, superioribus annis interemptis, loquatur.

10. Quippe

A

10. *Quippe iam nos.*] De se ipso loquitur Eulogius. qui vt Aluarus scripsit, ipseque meci postea non semel narrauit, in carcerem missus fuerat. Inde autem sanctarũ virginum & martyrum Floræ & Mariæ precibus, vt ipse cõtestatæ ante martyriũ fuerant, cum cæteris Christianis est eductus. Hoc innuit. Attende autem scripsisse diuum Eulogium hunc librum, post suam illam liberationem.

11. *Vbi quoque & hic.*] Nemo nescit Mahometum infelici Arabia genitum.

Leouigildus Presbyter Cordubensis.

12. *Lunariter soluimus.*] Lunariter, quemadmodum & lunatim aduerbia sunt illis temporibus nonata. Significant autem per singulos menses. Huius menstrui tributi meminit etiam Leouigildus Presbyter Cordubensis, qui hoc ipso etiam seculo vixit, & de habitu clericorum opusculum scripsit. Causas autem cur scriberet reddens, ita inquit: Vt qui ex nobis ad remanentes doctores imbecillitate corporis præpediente dirigere gressus nequiuerit, aut quem inquisitio vel census, vel vectigalis, quod omni lunari mense pro Christi nomine soluere cogimur retinuerit: saltem nocturno tempore inter Ecclesiastica munia, qui necessarium duxerit legat. Meminit huius Leouigildi Samson Abbas. Et autem peracerbum & lachrymis dignum miseriam Christianorum, qui tot, tantaque ludibria & detrimenta paterentur, reminisci.

B

13. *Stigmata in nobis.*] Sacram tonsuram intelligit. Stigmatum autem vocabulum, quod alioqui in seruis solummodo erat proprium D. Paulus eo vsus, fecit Christianis etiam venerabile.

14. *Emeterius & Celedonius.*] Prudentius Poeta in horum sanctorum hymno, spontaneam eorum ad oppetendam mortem satis indicat voluntatem, cum ita loquentes inducit:

Sit satis quod capta primo
Vita sub chyrographo
Debitum persoluit omne,
Functa rebus Cæsaris.
Tempus est Deo rependi
Quicquid est proprium Dei
Ite signorum magistri,
Et vos Tribuni absistite:
Aureos auferte torques,
Sauciorum præmia,
Clara nos hinc angelorum
Iam vocant stipendia,
Christus illic candidatis
Præsides cohortibus.
Et throno regnans ab alto.
Damnat infames Deos.
Vosque, qui ridenda nobis
Monstra diuos fingitis.

C

Ad Gal. Codex sanctoralis Tolet.

Cæterum sancta Toletana Ecclesia peruetustum codicẽ habet, quo vita nostratium martyrum continentur. Ibi in Emeterij & Celednnei historia, hæc ipsa verba, quæ paulopost adducit Eulogius habentur. Sunt autem Celedonij, Emeterio adhortanti, vt ad iudicẽ procederent, respondentis. Et olim profecto sancta Toletana Ecclesia hanc ipsam historiam in matutinis legere consueuerat, & nonnullæ hodie per Hispaniam legunt. Et magnopere est animaduertendum; quam sit antiqua illa historia, quæ tempore etiam Eulogij fuerat conscripta.

D

15. *In illis septem fratribus.*] Hoc ipsum iisdem verbis in vulgato sanctorum Iuliani & Basilissæ historia legimus in Episcopo Equilino, in sanctoralibus vetustissimis, & vbicũque plene est descripta. Ecclesiæ enim ferme omnes in matutinis breuitatis auidæ indidem multa præcidere. Quod in omnibus etiam fere sanctorum historiis accidisse dolemus. Hinc autẽ præstiterit intelligere, quãta sit in multis sanctorum historiis auctoritas, quanta esse debeat ex antiquitate veneratio. Quis crederet has sanctorum Iuliani & Basilissæ, Emeterij & Celedonij historias, ante octingentos annos fuisse scriptas: nisi hic cerneret ab diuo Eulogio citari? Nos vero passim multa eiuscemodi contemnimus, & tanquam noua inuenta superbe fastidimus.

E

Gerunda urbs.

16. *Felicissimus Felix.*] Hæc omnia in huius martyris qui sancti Cucufatis fuit frater, in matutinis per omnes fere Hispaniæ Ecclesias leguntur. Est autem Gerunda in extremis Hispaniæ finibus, qua per Pyrenæos cum Narbonensi Gallia coniungitur, in Ausetanis sita. Non omnino deleto nomine Gironam nunc vulgo nuncupamus. Paruam eam vrbem Prudentius appellauit, cum in hymno Cæsar Augustanorum Martyrum Felicis etiam meminisset. Mauritaniæ vero Cæsarea eadem esse putatur, cuius nunc ruinæ ingentes cum nomine perseuerant.

17. *Sic sanctus Sebastianus.*] Exempla sanctorum martyrum sunt, sunt qui se sua sponte, non quæsiti, martyrio tradiderunt. Longum esset persequi singula. Satis sunt nota horum omnium sanctorum gesta, vt quiuis, vel quid Eulogius innuat, intelligat vel eorum legere possit historias.

18. *Sic Eulalia virgo Barchinonensis.*] Iam hinc facile intelligas, Emeretensem Eulaliam non sponte sua ad confessionem fidei Christianæ processisse, sed iudicis imperio fuisse abductam. Alioqui & eius etiam exemplum Eulogius protulisset. Sunt porro quialiter narrent Et qui vnam eandemque esse volunt vtramque Eulaliam. Iam hinc diui Eulogij testimonio refelluntur. Barchinonensis vero vrbis tanta est celebritas, vt de ipsa hic plura dicere non sit necessarium.

F

19. *Vt quidam sapientium meminit.*] Verba sunt ex eadem illa historia Emeterij & Celedonij desumpta.

20. *Sed in veritate.*] Acute satis testimonium quod adduxerat, expendit, & quo pacto sit intelligendum demonstrat. Quod est frequenter in Dino Eulogio eximiũ, ingeniique & iudicij ipsius egregium iudicium. Est autem Hispanismus, eadem phrasi ad hæc vsque tempora conseruatus. Frequenter enim quippiam asseuerantes incipimus: En verdad.

21. *Ac ne cæteri.*] Zelus ille quorundam Episcoporum insipiens huc usque processerat. Nam Episcopos etiã ad hunc modum commotos fuisse, in Apologetico postea ostendit.

G

22. *Nec violenter.*] Prudentissime & cum ingenti circunspectione omnia sanctus martyr pertractat. Ideo quod in commune statuerat, adhibito necessario temperamento comprimit, & veluti coercet.

23. *Cato infert Philosophus.*] In tanta Hispaniæ Ecclesiæ calamitate & misera seruitute, magna etiam doctores Christiani librorum penuria laborabant. Inde cogitur Eulogius non admodum nobilis auctoris carmina grauia alioqui & veræ sapientiæ plena præceptis, interserere.

24. *Sors illorum inuenta est.*] Quanquam in vetusto codice vacuæ membranæ hic aliquantulum fuit relictum quod octo decemve lineas posset recipere: veruntamen nihil prorsus defuit. Nam totum illud, folium laxe admodum exaratum, & multo paucioribus quam cætera lineis destributum aperte demonstrat, de scriptoris, occupare totum folium satagentis, anxietatẽ. Quod cum assequi plene non posset, & sequentia nouum haberẽt initiũ dignaque folij principio viderentur: satis habuit, oppleta vna pagina, alteram occœpisse & aliquot lineis continuasse.

H

25. *Paulum loquor.*] De his *li. 2. c. 3. & 6.* scribit.

26. *Præ omnibus philosophis patriæ nostræ.*] Iterum Philnsophos doctos viros nominat eadẽ, quam supra docuimus, catacrisi. Et cum anno Domini octingentesimo quinquagesimo primo scriberet, tribus annis ante auctorem Indiculi Luminosi scribebat. Quod ipsum argumẽto esse possit, illud opus Aluari non esse qui post Eulogium profecto non fuit scripturus.

27. *Et licet inde.* Iterum ad insignem suam modestiã redit Eulogius. Humilitatis suæ seipsum diutius non finit obliuisci. In sanctorum martyrum laudibus tripudianti, & sanctissimis gaudiis seque & pios omnes cælitus exhilaranti, humilitatis subit cogitatio, memoria occursat, cælestique fruentẽ lætitia sistit, & quasi indignum eo iubileo reuocat. Omnia pectus spirant vere Deo dicatum, omnia futurum martyrem iam redolent.

DIVI EVLOGII CORDVBENSIS, Martyris, Doctoris, & Electi Archiepiscopi Toletani memorialis Sanctorum.

LIBER II.

PRÆFATIO.

CONTIGVA huius secundi operis breuitas, Martyrum tantummodo Beatorum gesta exponens, nomina, ætates, ortus diesque allisionum fideli proferet relatione: quo prudens Lector per paululum prioris libelli seriem protelatam compensans, quos præconio suo extulerit, siue contra quos zelo Dei armatus incesserit, facilius possit conijcere. Nam quod ille vario disputationis ambitu obuolure disponit, iste enucleatim compendiosa disseret breuitate. Quem per capitula ideo digessimus, vt vniuscuiusque Martyrum agonis principia liberius se meditantibus exhiberent.

CAP. I.

De Perfecto Presbytero Cordubensi Martyre.

IN nomine Domini. Regnante in perpetuum Domino nostro IESV CHRISTO anno Incarnationis eius octingentesimo quinquagesimo. Era octingentesima octuagesima octaua: consulatus autem Habdarragman 29. Cuius temporibus rebus & dignitate gens Arabum in Hispaniis aucta, totam pene Hiberiam diro priuilegio occupauit: Cordubam vero, quæ olim Patritia dicebatur, nunc sessione sua vrbem regiam appellatam, summo apice extulit honoribus sublimauit, gloria dilatauit, diuitiis cumulauit, cunctarumque deliciarum mundi affluentia (vltra quam credi, vel dici fas est) vehementius ampliauit: ita vt in omni pompa sæculari prædecessores generis sui reges excederet, superaret, & vinceret. Dumque sub eius grauissimo iugo Ecclesia Orthodoxorum gemens, vsque ad interitum vapularet: venerabilis memoriæ Perfectus Presbyter, Cordubæ natus, & sub pædagogis Basilicæ S. Aciscli clara eruditione nutritus, plenissime Ecclesiasticis disciplinis imbutus, & viuaci educatione literaria captus, necnon ex parte linguæ Arabicæ cognitus, totam pene iuuentutem in prædicto transegit cœnubio.

Quodam vero die dum ob rei familiaris necessitatem iter perageret, & rerum domesticarum commodis consulens, per vrbem ingrederetur, quorumdam gentilium sciscitationibus de fide Catholica exploratur: suumque coram eis de Christo, & Propheta Mahomat testimonium proferre iubetur. Qui continuo diffuso ore diuinitatis Christi potentiam profitens & esse Deum super omnia benedictum in sæcula præconans: Vatem (inquit) vestrum qualiter apud Catholicos habeatur exponere non audeo, quia graui molestia propter hoc vos vulnerari non ambigo. Verum si fœdus intercesserit amicabile & pacificam fidei pactionem accommodatis, dicam quo Euangelij testimonio denotetur, vel qua veneratione à christicolis excolatur. Illico fraudulenter fidem spondent, & quicquid de illo apud religiosos teneatur, omni pulsa formidine enarrare compellunt. Ad hæc prudens Sacerdos Arabice illos reciprocans, Pseudoprophetam illum, & falsissimum dogmatistam, quia plures seduxerit, ex Euangelio protulit, dicens: Multi Pseudoprophetæ venient in nomine meo, & multos seducent, & dabunt signa magna, & prodigia, ita vt in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi. E quibus inter cæteros summus hic Propheta vester hostis antiqui præstigiis occupatus; dæmoniorum figmentis illectus, maleficiorum sacrilegiis deditus, multorum paruipendentium corda lethali veneno corrumpens, æternæ perditionis laqueis mancipauit. Sic nulla spiritali discretus prudentia, principi Sathanæ eorum fidem accommodat, cum quo ipse asperrima inferorum luiturus tormenta vos quoque sequipedas secum arsuros inextinguibilis camini deputauit incēdiis. Nam quo pacto inter Prophetas reputabitur, aut quare non maledictione cælesti plectetur, qui Zeinab vxorem vernaculi sui Zaid specie decoris eius obcæcatus, iure barbarico auferens, sicut equus & mulus, in quibus non est intellectus, adulterina sibi copula nexuit, seseque ex iussu Angeli hoc egisse prædixit. Multa deinde beatus Perfectus de fœditatibus, & libidinibus, quæ lege Mahometica præcipiuntur, superaddidit, & tandem finem his verbis fecit: Sic fautor immunditiæ, & libidinum voluptatibus seruiēns, omnes vos perennis luxuriæ impuritatibus dedicauit. Alia etiam plura, prout nouerat, de ipsius nefandissima doctrina eis exponens, multaque auditui exosa coram omnibus denuntians, licet non tunc illum superbo oculo impetierint, accensum tamen vltionis furorē in corde ad perniciē eius reponunt.

Perficit Dei famulus sibi hinc necessariæ rei vtilitatem, & expleto sui itineris cursu, propriæ quietis cellulam repetens securus aliquamdiu permansit. Cæterum post non longam digressionem temporis, dum occasio familiaris necessitatis eum aliquo ire compelleret: casu per eosdem cum quibus dudum conflictum gesserat, habuit commeatum. Quem æmuli venientem ab eminus contuentes, æternum aduersus eum sub pectore vulnus seruatum, in apertum produnt incendium, & in vindictam sui vatis circumastantium hoc modo hortantur conuentum. Ecce quidem temeraria pridem impellente insania tanta coram nobis aduersus vatem (psallat Deus super eum, & saluet eum) maledictionis verba protulit, quanta nullus vestrorum auditus potest perferre. Hoc autem genere benedictionis semper ad honorem eius vtuntur, Zalla, Allah Halla, Anabi. V. A. Zallen. Quod Latine dicitur, Psallat Deus super Prophetam, & saluet eum. Et ita quasi apes stimulatæ, tota illa cohors perditionis in eum furibunda consurgens, apprehensum sub omni celeritate iudicij, vix plantis solum tangentem, offerunt, atque huiusmodi de eo testimonium proferunt: Hunc, quem tuis reuerendissimis tribunalibus, iudex, attraximus, maledixisse Prophetam nostrum, eiusque cultoribus exprobrasse comperimus. Quæ vero sententia tales ausus compescat, furiamque retundat, melius tua nouit prudentia cogitare. Tunc iudex iniquitatis ergastulis famulum Dei martyrem tradit: ferroque vinctum importabili pondere vinculorum coarctans, victimandum in eo die differt, quo profanis ritibus festiuum paschæ gaudium apud eos excolitur. Vadit miles Christi exultantibus animis abdita carceris petens, lætusque illum teorum specum, quasi ad epulas inuitatus, ingreditur. Vbi summa timoris, & sanctimoniæ reuerentia præditus, vigiliis, orationibus, atque ieiuniis inseruiens, fertur suam sententiam, quam dudum ante iudicem formidine mortis negauerat, fortiori mente in virtute sancti Spiritus confirmasse. Et priusquam foro plectendus educeretur, tradunt Prophetico vegetatum spiritu de quodam eunucho vocabulo Nazar Clauiculario pro consule (qui eo tempore totius reipub. in Hispaniis administrationem gerebat) dixisse: Hunc quem hodie super omnes Hiberiæ primates fastus principatus extollit, & cælo tenus gloriosa potestas in hac parte occidua sublimauit, reuoluto venturi anni curriculo ipsum, quo me prosterni die decreuerit, non attinget. Quod ita diuina virtus, vt confessori suo iam quidem per squallores carceris elimato reuelauerat, implere non distulit.

Exactis igitur non multis in carcere mensibus & post expleta ieiuniorum suorum tricena diecula, in quibus gastrimargiæ crapulis, & fluxu libidinis, sicuti in primo libro digestum est, propensius solito insistunt: illucescit martyri cæteris temporibus gloriosior dies. Ille scilicet, quem solenni ueneratione summoque tripudio ritu vanæ legis gerunt dicatum, in quo se magnum Deo suo præstaturos arbitrātes obsequiū, eductum ex atrio gladio

vindice

A
D. Perfectus Martyris commemoratur.
vindice trucidarunt confitentem Christum in gloria Dei-
taris manentem, & Ecclesiæ Catholicæ inimicum liberis
vocibus exprobrantem atque dicentem : Prophetam ve-
strum & maledixi, & maledico, virum dæmoniorum,
magum, adulterum, & mendacem : sicuti professus sum,
& profiteor. Profanationes sectæ vestræ commenta dia-
boli esse denuntio. Vos quoque cum ipso duce tenebra-
rũ, æterna luituros tormenta protestor. Turba vero genti-
lium, quæ intuitu tantæ festiuitatis in campũ vltra pôtem
9 fluminis, in parte ab vrbe Australi situm, latissima planı-
cie ad exurandum processerat, ouans præperi regressu ad
necem martyris contemplandam se se diuertit. Quæ iam
prostratum ante fores prætorij, suoque se volutantem
sanguine cernens, inlitis quoque & ipso extincti sacer-
dotis cruore vestigiis aucta iucunditate, ad exoluendum
sacrilegium voti compos regreditur. Nihilominus com-
moda se facilius potitura confidens, quæ tanti hostis san-
guine combinatis gressibus incedebat. Sed ad propositum
B redeamus, & quod ad laudem sui martyris ipso die, quo
decidit, diuina pietas fuerit operata, sicut plurimorum
fideli relatione comperimus, referamus. Nam celerem ad
vindictam sui militis vltionem effundens nonnullos de
pessimorum caterua gurgite fluuiali immersit. Regredien-
ti namque vulgo à loco orationis, quo ritu sacrilegio ir-
rita vota persoluerat, plerique accensis nauibus dorso
50 vectantur æquoreo : sectoque carinis & præperi nauigio
amne, domum reuertunt. Inter quos vna fluctuatione
vndarum euersa naucula, quæ octonis homunculis ve-
hiculum inter fluctus præstabat, gremio interioris abyssi
conditur. Vix inde nando sex euadentibus, bini naufra-
Arabes duo submersi. Esa. 53.
gio perierunt. Vt non esset vacua scriptura, quæ dicit :
Ego Dominus dabo impios pro morte tua, & diuites
pro sepultura tua. Vnum enim in cælum credulitas perse-
quentis præmisit, & duos inferis sæua tempestas fluminis
dedicauit. Corpus autem sancti Martyris piis religioso-
rum officiis, dignoque præsulis & sacerdotum obsequio
in basilica Beati Aciscli, in eo titulo, quo felicia eius mẽ-
C bra quiescunt, humatur. Illudque Prophetismum diuini-
11 tus ore eius prolatum de proconsule eunucho clauicula-
Sancti Aciscli corpus.
rio Nazar, ita (Deo dispensante) impletum est, vt carcere
adhuc religatus commictis prædixerat. Nam priusquam
12 in anno alteru profanæ solemnitatis paschale gaudium pe-
Nazaris mosor incarceratum.
rituris occurreret, multis ante diebus eunuchus idem oc-
cubuit. Ignita namque febre intrinsecus viscera eius adu-
sta, & (vt nonnulli ferunt) toxica potione corrupta; an-
te obitum dum vrgente corporali necessitate, ad purgan-
dum aluum secretius cubiculum peteret, disco effusa sunt,
& interiit. Sicuti quidam Poeta christicola Arij finem de-
scribens, heroice lusit, dicens ; Visceribus fusis vacuus
quoque ventre remansit. Sic namque Dominus vtroque
miraculo militem suum glorificans, magnæ spei solatiis
fidelitatem vota corroborat, impiumque sacrilegam va-
nitatem stupore vehementi exturbat. Hæc nos per pauca
Autor barotomi.
ex gestis beati martyris dixisse sufficiat, quæ viris catho-
licis referentibus, qui eius contubernio à principio in
vinculis adhæserunt, sed & ipsorum ethnicorum relatio-
13 ne vera esse cognouimus, dum nos in tempore compedi-
D tionis nostræ omnes, cum quibus ille martyr finitus mo-
D. Eulogius in carcere. mysus.
rabatur, vix paucos solitos reperimus. Consummauit
autem vir Dei cursum agonis sui in pace quarto decimo
Calendarij Maias, die sexta feria, Era qua supra adnota-
14 tum est.
Annus Dom. 850. dies April. 18.
Res vero tanti facinoris in sacerdote commissi, mul-
tos ocio secretæ confessionis per deserta montium, &
nemora solitudinum in Dei contemplatione fruentes,
ad sponte & publice detestandum, & maledicendum
sceleratum vatem exilire coëgit : maiorisque ardoris fo-
mitem moriendi pro iustitia cunctis inuiscerauit. Et quod
ab isto vno infida persequutorum executio primitus
violenter exorsit, & quod in hunc calida eicu men-
tione suadendo vlciscitur, postmodum in plurimos vltro
se tali discrimini offerentes exhorruit. Adeo namque ter-
rore nimio ethnicorum vniuersitas in horum progressu
concussa est, vt perditionem reip. regniq; sui excidium iam
imminere arbitraretur, ac nostros athletas ab huiusmodi
intentionibus inhiberi suppliciter exoraret. Sed nos, si-
E
Sarracenorũ perturbatio.
cut huius voluminis præfatio continet, nostrorum ago-
nistarum ætates, ortus, temporaque decisionis fide pro-
sequamur stylo, vt quod diuino munere nostræque ætati
11 coniunctum est propriis scilicet obtutibus Sanctorum
contemplari agonem, venturis etiam sæculis puta libelli
series innotescat. Vt nostri quoque gaudij futura genera-
tio particeps fiat, dum mente credula vera esse non ab-
nuat, quæ si Catholicorum mandasse industria lectitat.

CAP. II.

De Isaac Monacho Martyre.

Beatus itaque Isaac ex ciuibus Cordubensium nobili-
bus & locupletioribus parentibus ortus, dum pri-
mæuos adolescentiæ annos ingrederetur, atque inter opes
bonaque genitorum tenerrime degeret, adeo vt peritus 1
& doctus lingua Arabica exceptoris reipub. officio fun- F
gereretur, ex improuiso spiritali flagrans ardore, Monacho- 2
rum vitam optans, Tabsnos vinculum petiit, qui in par-
Tabanos oppidum, Tabanẽse Monasterium.
tibus Aquilonis inter prærupta montium, & condensa
siluarum septenis ab vrbe milliaribus distans, formo-
sissimis in exercitatione vitæ monasticæ virorum, atque
Hieremias Monachus Martyr, Isaac. Martyris patruelis.
ancillarum Dei rumoribus decoratur. Siquidem in
eodem cœnobio virum summa timoris Dei reuerentia
præditum Hieremiam patruelem habebat, qui etiam in-
clytus opibus, rebusque abundans, & coniunx eius vene-
rabilis Elisabeth, ac liberi, totaque pene cognatio sum-
ptu proprio fundamenta ipsius cœnobij iacientes, diuina-
rum legum perenni anhæsuri obsequio, pridem sese eo
contulerant. Ibi per triennium Beatus Isaac sub regulari-
Elizabeth Hieremiæ quõdã vxor.
bus disciplinis, seu Reuerendissimo Abbate Martino
prædictæ fœminæ fratre, in sancto proposito militans, ex
Abbas Martinus.
templo diuinitus illustratus, forum adiens iudicem, pe-
tiit, & ordine quo in præfatione libri disposui, felici
obiit sub testimonio Domini N. Iesv Christi in eadem G
regia vrbe, tertio nonas Iunias, feria quarta, Era octin- 3
gentesima octuagesima nona occubuit. Cuius corpus 4
equuleo suspensum, post aliquot dierum cum cæteris qui
Annus Domini 850. dies Iunij 3.
eum imitando decisi sunt, rapacissimo igni commissum,
vsque ad vltimam fauillam minutum est, ac deinceps am-
Albense oppidũ.
ni perdendum immersum est.

CAP. III.

De Sancto Martyr.

Sanctus vero Sanctius adiutor noster, laicus, adole- 1
scens ex Albensi oppido Galliæ comatæ olim capti- 2
uatus, nunc autem inter militares regis pueros liber 3
præscriptus, & regalibus annonis nutritus, in eadem vr-
Annus Domini 850. dies Iunij 5.
be regia sub eadem professione, nonas Iunias, Era qua su-
pra, feria sexta, prostratus est, & afflixus.

CAP IV.

H

De Petro, Vualabonso, Sabiniano, Vuistremundo, Habentio, & Hieremia Martyribus.

Veniamus nunc ad illum mysterij senatus sacratissi- 1
mum Martyrum globum, qui vno die vnaque hora
Petrus Astigitanus Martyr.
sub ictu lamentis mucronis ob testimonium veritatis oc-
cisi sunt. 2
Vualabonsus Martyr.
E quibus Petrus Sacerdos vrbe Astigitana progenitus
& sanctus Vualabonsus Diaconus ab Elepleñsi ciuitate
exortus, vterque prioribus coæui martyribus, Cordu- 3
bam studio meditandi adeuntes, liberalibus disciplinis
Elepleñsi ciuitas Frugellus Abbas Cuteclara cœnobium.
traditi sunt. Sed Deo fautore scientia, & doctrina scriptu-
rarum pollentes sub Frugello Abbate, Monasterio sanctæ
& gloriosæ Virginis Mariæ præficiuntur. Quod in vico
Cuteclara, non longe ab vrbe in parte Occidentali,
præclaro ancillarum Dei proposito enitescit. Sanctus

quoque Sabinianus vico Froniano montanæ Cordubensis, iam plenæ iuuentutis Monachus, ortus. Et Vuistremundus ex Astigia adoleſcens ſtrenuus, è cœnobio ſancti Zoili Armilatenſi, quo dudum ſub regula, vel Abbate ſe dederunt, vnus à tempore longo in caſtris Domini militans. Vuiſtremundus vero nuper ſe in idem cœnobium conferens ad martyrium ambo diſcurrunt. Qui locus pene à Corduba in parte Septentrionis triginta & amplius miliaribus diſtans, vaſtiſſimam horret inter deſerta montium ſolitudinem, ad cuius collis radices, quo idem ſitum eſt, flumen Armilata diſcurrens, magno piſciculorum ſolatio inediam refouet monachorum. Ex quo etiam Armilatenſe cœnobium appellatur. Beatiſſimus vero Habentius virili iam ætate perfectus è ciuibus Cordubenſibus monachorum vitam oblectans, ſancti Chriſtophori monaſterium incoluit, quod ſitum eſt in ſpectaculum vrbis in parte Auſtrali ſuper crepidinem vlteriorem Bætis. Ibique ſeculo mortuus Chriſto ſub arctiſſima regula degens vtpote ſpontaneo carceri ſe tradēs altis maceriarum ſepibus circunclusus ferreiſque laminis intus ad carnem obſeptus, per feneſtras ſe aduentantibus exhibebat viſendum. Iſte talis ac tantus cum beato ſene Hieremia, de quo ſupra affati ſumus, quique etiam inter cæteros Dei ſeruos, acrioribus tumulatus flagris occubuit. Hi ſex viri fortiſſimi, & præclariſſimi ſimul ad expugnandum hoſtē improbum deſcendentes omnes quaſi ex vno ore clamauerunt, dicentes: Et nos ſub eadem profeſſione, ô iudex, manemus, qua pridem confratres noſtri ſanctiſſimi Iſaac, & Sanctius deciderunt, exerce ſententiā, crudelitatem exaggera, & in vltionem tui vatis totis exardeſce furoribus. Quoniam Chriſtum Deum veraciter cōfitentes, præuium Antichriſti, & authorem profani dogmatis vatem veſtrum eſſe profitemur, Voſque lethali ſucco propheriſmi eius infectos, & virulento prædicamine Zabuli propinatos, æterna poſtmodum luituros tormenta ſcientes dolemus: veſtramque orbitatem, & ignorantiam ſatis deflemus. Hæc cum animoſo ſpiritu ſancti Dei profeſſi ſunt, ſtatim decollari iubentur. Prius tamen beatum ſenem Hieremiam neſcio ob quam aſſertionem flagellis grauiter cæſum, & inter ipſa verbera (vt ferunt) emortuum, vix hærentem greſſibus foras traxerunt. Qui martyres dum ad locum mactationis accederēt, inuicē ſeſe quaſi ad epulas inuitarunt. Et primo quidē venerendiſſimi Dei miniſtri Petrus, & Valabonſus ruentes, cæteri deinceps ſub eodem iugulantur momento ſeptimo ſcilicet idus Iunias, feria prima, Era qua ſupra. Quorum corpora ſtipitibus defigentes: poſt aliquot dierum vaſtiſſimo conſummarunt incendio, eorumque cineres perdendos flumini tradiderunt.

CAP. V.

De Siſenando leuita martyre.

Denique leuita ſanctiſſimus Siſenandus ex Pacenſi oppido ortus, Cordubam intuitu diſcendi aduectus eſt ibique apud beatiſſimi Aciſcli baſilicam, qua corpus eiuſdem Martyris requieſcit, digniter enutritus, vt ipſe familiaribus retulit, inuitantibus ſe beatiſſimis Petro & Vualabonſo iam cœlo martyribus collocatis, martyrium quoque & ipſe aggreſſus eſt. Qui dum in carcere religatus maneret tradunt quod prophetico illuſtratus ſpiritu patibuli ſui horam præſcius nuntiauerit. Nā quodam die cum reſponſum cuidam amico ſe interroganti aptaret, eique reciprocationis ſchedam ſcriberet, tribus aut quatuor iam digeſtis verſiculis, ſubito nimia hilaritate perfuſus, cœleſti quodammodo gaudio vegetatus, è loco ſeſſionis ſuæ conſurgens; aſtanti puero ſchedulæ portitori, cui miles Chriſti reciprocari intendebat, ſemiſcriptam vt erat accommodans, multis audientibus air: Recede modo fili, ne impetu ſatellitum opprimaris, quoniam iam poteſtas tenebrarum vinculis me extrahere præcipiens, nunc decollandum ſibimet exhibebit. Poſt hanc propheriā immobili ſemper greſſu ipſo perſiſtente, eodem momento vociferantes lictores adueniunt; eumque præcipiti furore ad locum, quo martyrium erat conſummaturus pugnis, alapiſque cædentes perducunt. Pergit Dei famulus lætantibus animis de corona victoriæ certus, qui ad cœleſte conuiuium exhortantibus ſanctis fuerat inuitatus. Sic namque iudici præſentatus, eadem qua prius conſtantia in ſancta confeſſione perdurans, delicatus ephebus glorioſa morte peremptus eſt, atque humatus præ foribus palatij derelictus eſt ſeptimo decimo Kal. Auguſt. feria quinta, Era qua ſupra. Cuius oſſa poſt multos dies donante Deo à quibuſdam mulieribus inuenta inter lapillos aluei prædicti martyris Aciſcli aulam deportata reconduntur. *Anno 851. Iulij dies 16.*

CAP. VI.

Pauli diaconi Cordubenſis, & Theodemiri Monachi Martyrium.

Sanctus vero Paulus contribulis noſter, & hic leuita digniſſimis, cum primo adoleſcentiæ flore venuſtaretur è ciuibus Cordubenſibus progenitus, ſimplex affatim, obediens, & humanus, ſemper carceratis opem miſerationis impendens, apud baſilicam quæ corporis beati martyris Zoili præſentia illuſtratur, ſpiritalibus enutritus eſt diſciplinis. Qui exemplo ſancti Siſenandi, verboque inſtructus principibus & conſulibus adſiſtere non extimuit, eoſque de vanitate culturæ ſuæ & ſceleroſi vatis inſania arguens Chriſtum quoque Deum veraciter confitendo, peremptus eſt. Fertur tamen, cum adhuc carcere detineretur, imploratus à Tiberino Pacenſi Preſbytero qui ei ita dicebat: Obtine ſolutionem meam coram Domino, beate miniſter & digno interuentu tuo dum coronatus Chriſto perueneris, longæuum à me carceris ſqualorem amoue. Erat enim idem ſacerdos pene viginti annos ergaſtulo mācipatus, neſcio ob quod crimen accuſatus ab inimicis coram rege. Qui Preſbyter florentiſſima adhuc iuuentute præpollens ac virili præditus venuſtate, illi ſubterraneo ſpecui deputatus, pene decrepitus & ſenio confectus inde eductus, publicis demum carceribus mancipatur. In his martyres Chriſti vſque in horam mortis degebant. In his parricidarum, homicidarum, latronum, & ſcortatum improbi auſus & execranda temeritas, ac diuerſorum criminum rei ſub arctiſſima macerabuntur cuſtodia. In his poſitus prædictus ſacerdos cauſam ſui carceris beato Paulo commiſit. Cui martyr ſanctus de corona victoriæ confiſus ſatisfacere optioni eius promittens, non poſt multos dies martyrij ſui fidelis ſponſor eum carcere abſolutum Deo fauore, propriæ vrbi reſtituit. Conſummauit autem Dei ſeruus martyrium ſuum in pace tertiodecimo Kalend. Aug. feria ſecunda, Era qua ſupra. *Anno 1351. dies Iul. 20.*

Cuius cadauer inhumatum, & ante fores palatij derelictum, poſt nonnullos dies quorundam fidelium curioſitate clam ſublatum, cum beati Theodemiri Carmonēſis monachi corpore, apud ſanctuarium prædicti martyris Zoili conditum eſt, qui & ipſe iuuenis poſt ſexta die, qua ſanctus decidit Paulus; id eſt octauo Calendas Aug. feria ſeptima, Era qua ſupra occubuit, regnante Domino noſtro Iesv Christo, qui ſanctos ſuos adiuuit & coronauit in pace in ſæcula ſæculorum Amen.

4 Theodemirus Carmonenſis mar.

5 Anno 1351. Iul. dies 25.

CAP. VII.

Nunilo & Alodia virgines & martyres.

Hvcuſque finem libri ſecundi eſſe decreueram, hucuſque terminum ſanctorum ad huiuſmodi paleſtrā currentium eſſe putaueram. Nec quemquam poſt tot diſcrimina Eccleſiarum noſtrumque carcerem talia certamina opinatus ſum aggreſſurum. Verum quia ſanctorum numerum præſaga diuinitas ad huc diſponebat augeri talium profeſſione, ideo poſtmodum quorundam

mentes

3 Sancti Zoili Baſilica & eius corpus.

Tiberinus Pacenſis.

A mentes multiplici ardore inflammans plures prioribus ad illud destinauit certamen. Et simili quidem voto ac magnanimitate cæteros imbuens viros, mulieres, & paruulos ad exercitium præliorum suorum armauit. Nec quisquam ad talem, tantamque præscriptos militiam resilire à certamine poterat. Cuius vocabulum cœlestis liber notatum a principio sæculi retinebat, suasque vires ad huiusmodi palæstram diuinis ausibus crescere cernebat. Quorum nomina, ætates, gestaque bellorum suo lo-
1 co ac tempore disponenda sunt. Prius autem illa sanctorum trophæa elucubranda sunt, quæ ratio & cursus mensium ordinatim vt acta fuerunt adducit, licet in aliis regionibus gesta extiterint. Sed quia vna est confessio quæ vtrosque coronauit, idemque tempus quod vtrosque per fecalem impietatem in cœlum præmisit: reor absurdum non esse, quod competens annotatio nostra sanctorum agminibus eos inseruit, & coelectorum cœtui adunauit. Vt pari magnificentia laudis à nobis attollerentur in ter-
B ris, qui vno sunt adnotati codice in superis. Hac de re actum est, vt breuitas succincta huius opusculi modum promissæ contiguitatis excederet. Et liber qui dudum parcius se locuturum sperabat, aliis supercrescentibus ex improuiso rebus, in longam deuolueretur seriem scripturæ.

2 Igitur referente viro sanctissimo, ac venerandæ paternitatis Venerio Complutensi Episcopo didicimus, in vrbe Bosca, apud oppidum Barbitanum duas sorores virgines fuisse (quarum vna Nunilo, altera vocabatur Alodia) patre quidem Gentili, matre vero Christiana progenitas. Quæ, dum post mortem impij parentis, mater earum se-
3 cundum, & gentilium inter connubium nec nubere
4 possent fidem Christi tenere, obstante ceruicoso victrici paganismo (iam enim animum puellarum à pio Christi fonte irrigabantur) spreto materno cubili nutritione materteræ suæ fidelissime refouentur. Ilico earum sancta infantia Christo Domino cœpit fideliter adhærere, & paterni oblitæ ritus, crucifixi religionem tenerrimis, & sanctificatis mentibus reponentes, illibate custodire. Et quoniam natalium infulis præpollebant, summisque dignitatum fascibus enitescebant, non potuit delitescere vbi illarum propositum, redolente, ac relucente conuersatione sanctæ fidei quam gerebant. Siquidem primæuum adolescentiæ florem iam attigerant, & totam pene prouinciam rumor sanctitatis earum impleuerat. Cunctique stupebant geminum rosarum protulisse decorem ex vepribus. Hinc Zelotypus hostis antiquus suorum membrorum dolens iacturam, dum per terrores præsidum mundo arbitratur posse immutari iam præsignatas ad thalamum sponsi æterni contidit dilatum præmium per mortes asperas accelerando, virginibus sacris adducit. Ideoque sanctarum virginum causam instantia satellitum suorum præfecto vrbi insinuat: qui ilico suis eas assistere obtutibus iubet. Quas vana promissione munerum allicere tentans, ac perinde diuitiarum copiis, & clarissimorum maritorum connubiis adhortatur, si ab hac religione Christi
D animos auocassent, propriis vtique natalibus redditæ, insuper multarum diuitiarum affluentia ditarentur. Si vero pertinaciori spiritu consultum præsidis conculcassent, in vltimo die excruciatione tormentorum addictæ, ad vltimum gladio vindice interirent. Cui beatæ virgines sancto Spiritu animatæ, constantes & intrepidæ, sub vna confessione dixerunt: Quomodo nos poteris a pietate Dei nobis auertere, quas pietas sancta suo lumine perlustrando, fecit cognoscere, nihil esse Christo diuitius: nihil fide Christiana felicius: per quam nihil viuunt: per quam sancti regna vicerunt. Sine quo vita nulla est: sine quo mors perpetua viget. Cum quo manere, & in quo viuere solatium verum est. A quo recedere æterna perditio est, a cuius consortio iam nos in hac vita nullatenus discedemus. Quia ipsi integritatem nostram credentes, eius quandoque thalamis speramus admittendas. Nam rerum labentium commoda, quibus nos illicere autumas, pro nihilo reputantes, eo intuitu spernimus, quia cognouimus omnia vana esse sub sole. Nec de pœnarum comminatione turbamur, quam ad modicum valere cognoscimus, quinimo ipsam mortem quã vltimo terrore proponis, eo
E gratissimo exoptamus affectu, quo credimus nos per illam incunctanter ad cœlum ascendere, Christum adire, eiusque inconuulsibiliter inhærere amplexibus. Quarum constantiam fidei præses, virtutemque professionis aduertens, quibusdam mulierculis profani ritus peritia præditis, sigillatim eas instruendas commendat, & terroribus quibus potest ne alternis, aut cuiuslibet fidelium fulciantur colloquiis, admonet. Mulierculæ vero suscipientes virgines Christi, sacrilegi cultus quotidie venenosũ dogma eis exponunt, ac petulis extra cœlesti iam manna refectis cloacæ putrientis poculum propinantes, casso consummuntur labore. Sed hanc illarũ pertinaciam præsidi referentibus mulierculis, post nonnullos dies virgines in forum eductæ, in spectaculum publicum constituuntur & Christum confitentes & hostem fidei detestantes, sub ictu gladij corruerunt vndecimo Calendas Nouemb. Era qua supra. Quarum corpora loco, quo deciderant, derelicta, summo militum obseruantur studio ne Christiani ad emolumentum patrocinationis furtim eas surriperent, & reconderent; ferunt tamen, quod illa virginalia cadauera in loco, quo ab ethnicis altis scrobibus magis abscondita, quam humata sunt, signis & miraculis coruscant, & gloriam emeritæ consolationis virtutum efficientiam tam fidelibus quam Gentilibus ostentant, per Dominum nostrum Iesum Christum; qui viuit cum Patre & S. sancto vnus Deus in sæcula sæculorum. Amen.

F

Venerius Complutensis episcopus. Bosca vrbs.

Barbitanum oppidum.

Annus 851. dies Octobris xxii.

CAP. VIII.

Vita & passio sanctarum virginum Floræ & Mariæ.

CVm ad laudem Christi pertineat cultus reuerentiæ, qui martyribus exibetur, respondet tamen fidelibus in remedium animarum, quicquid religiosius in festiuitatibus agitur beatorum, præsertim cum per hoc, & per
G ipsorum patrocinia, martyrum & summi Redemptoris acquiratur præmium meritis honorum virtutem recolunt sanctorum. Ergo nostrarum virginum Floræ & Mariæ trophæa digestum insignia, non facundiæ lepori, non tonantibus euphoniis verborum seruauimus, sed quod fidelibus simpliciter rei gestæ veritatem intimet, obseruemus: quia sufficere nostris credimus veritatem pura simplicitate digestam, quam vano infulatam cultu falsa ... Et sat nobis est fideliter referre quod fuit, quia non congruit sub venustate sermonis rem, quæ non extiterit, adhibere. Illibata namque veritas quoquomodo profertur, humani gestus continet, & omnissime fictum mendacium paululum pertexerat. Nec patitur Christus assertorem iustitiæ immunem esse benedictionis præmio, cum tamen reatu homicidij attingatur prolator mendacij.

Harum igitur vocationem virginum, quæ dispari solo progenitæ, & pari mortis occasu cœlestibus adunatæ sunt,
H sigillatim exponi necesse est: & quibus modis vnaquæque earum prædestinatæ sanctificationis culmen attigerit Deo fautore falum exhibigeramus stylo.

Primum igitur specie decoris, & venustate corporis nimium florens virgo sanctissima Flora, sed interiori habitu florentissima, matrem Christianam habens ex vico Ausiniano, qui ex parte Occidentali milliaribus octo a Corduba distat, purissimis & nobilibus (vt ita dixerim) perfusa etiam natalibus, patrem vero gentilem ex oppido habuit Hispalensi. Hi nescio qua occasione propriis locis exules, Cordubam degendi gratia accesserunt. Qui ex vltimo partu suo hanc infantulam procrearunt, & sublato per mortem genitore, fidelissimæ genitricis tutela sponsa Christi nutritur. Quam pia mater sacræ religionis legibus imbuens, docuit fideli credulitate colere Christum Deum, qui per vterum virginis Mariæ ad nos vltimo tempore veniens, & per assumptam humanitatem hominibus proximus factus, per ineffabilem quoque Deitatem suam inuisibilis, incomprehensi-

Ausiniano pedum, & Hispalensis ...

A bilis, & inextimabilis semper extitit. Venerabilis namquè puella tenerrimus annis fidei pietatem ebibens, cœpit intra mentis recessum altare sanctum construere, quo placita operum bonorum holocaustomata Christo semper offerret. Quæ ab ipsis rudimentis infantiæ cunctis se vanitatibus sæculi priuans, totum quod illa ætas (vtpote plenitudine scientiæ expers) pueriliter affectat, superno iam delibuta rore conculcat. Nam quodam tempore a cum genitricem eius adirem causa dignoscendi principium huius puellæ conuersationis, ipsa genitrix inquit: In veritate vobis loquor, quod ab ineuntibus annis Christi amorem pectore suo recondens filia mea secularium oblectationum cultum vsquequaque spreuit, ac semper quæ Dei, sunt, corde meditari studuit: semper opera sancta adimplere non distulit. Adeo vt in infantia sua cũ diebus quadragesimæ paruitati eius consulens, siue vt illa ætas contigua robustius conualesceret esu quotidiano: competenti prandij hora cibum ei porrigerem: illa in vir-

Flora mater ad virum Eulogiũ.

B tute domini positum habens cor, egentibus eum ministrans, furtim beatum exercebat ieiunium. Sicque diebus singulis ipsa agente, pene maximum abstinentiæ tempus elapsum erat, cum clandestina infantis deuotio vix quibusdam reuelatur indiciis. Quam talibus inhibere votis ipsa obnitens; ne priusquam illud tenerrimum corpus adolesceret, marcore abstinentiæ quassaretur, conata sum iam ad epulum suadere diurnum. Eam tamen non potui prouocare ad vescendum, nisi sero, & comminatione continua: perfecit tamen votum suum electa Christi sponsa.

Ex eo tempore mater solerti vigilantia sobolis mores procurans, eamque in omnibus rebus Christo assignatam esse considerans, nullatenus deinceps contraire piis puellæ affectibus audet. Venerabilis vero puella Deo dumtaxat placare studens, prouida obseruatrix Euangelij attendebat Christo monenti, & dicenti: Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud

Ioan. 14

C eum faciemus. Ita purissimum cœlestis executione præcepti introrsus præparans habitaculum, nihilominus sanctæ & indiuiduæ Trinitatis quotidiano frui meretur aduentu.

Verum dum exercitio sanctitatis id quod clam meditabatur, vberius in amorem Christi proficeret, lætareturque se Christo per eandem religionem perennius esse ascitam: nec tamen passim fidelium interesse conuentibus auderet, eo quod fratrem pestiferi dogmatis perfidum haberet cultorem, qui eius assidua conuersationem exploraret: vt ipsa erat natura prudens, calleos ingenio: didicit à sapientibus nihil proficere obscuratam credulitatem, & celatam confessionem Trinitatis, præsertim cum scriptum sit; Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Et iterum in Euangelio; Omnis qui confitetur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo qui est in cœlis: & qui negauerit me coram hominibus, negabo & ego eum coram patre meo, qui est in cœlis. Igitur instructa vtiliter quomodo se in confessione nominis Christi haberet

Flora frater impius.

Ad Ro. 10. Matt. 10.

D sereosque non leua esse discrimen latenter credere Christum, & publice existere vexillo Satanæ denotatam, matre hinc inconsulta domum relinquens, clam cum sorore sua fugam iniit. Seseque tutioribus locis inter christicolas collocantibus, sæuissima insectatione frater earum (quem supra meminimus) propter illas Dei lacerat Ecclesiam: adeo vt nonnullos clericorum carcere tradens, conuentum vbique religiosarum fœminarum persequeretur. Et cum agnoscerent infestationem, quæ erga sortem Domini grassabatur, indignum diiudicantes sa esse tutas & Ecclesiam Dei vapulare: illico facta Flora, quæ se nouerat ad tale prælium diuinitus fuisse allectam, publico regressu in domum reuertens, ait: En ego, quam quæ-

Flora de domo fugit.

Domum reuertitur.

3 ritis, adsum in medio vestri pro qua Dei sorta insectamini, adsisto intrepida, Christo credula, religioni fauens catholicæ stigmata crucis gerens, & omnium, quæ cultum pietatis insinuant, affectatrix. Vos modo (si potestis) hanc eneruate confessionem, satagite crudelioribus tormentis fidem meam euincere: & (quod fieri E omnino dubito) Christo me separari contendite: pro cuius amore quicquid ad supplicium meum sæuus imploderit arbiter, gratissimis decreui animis supportare. Credo probabitis me inter pœnas fortiori pertinacia, quam nunc in prima congressione, Christum Iesum confiteri.

Frater autem eius ille peruersus hæc audiens cædibus ac minis interdum, & blandis eam nitebatur reuocare sermonibus. Sed cum cerneret, nihil conatum suum proficere, quinimo se quassa aspiciens labore consomi ad iudicem eam pertrahit, dicens: Hanc mihi sororem ó iudex, vltimus partus matris eiecit, quæ simul mecum ceremonias legis venerabiliter excolens, debitum semper erga cultum fidei nostræ obsequium exhibebat: sed Christiani crebro eam vrgentes instinctu, vatem nostrum abnegare, ritumque detestari fecerunt, & quadam lenocinatione Christum esse Deum, credere illexerunt.

Frater impius Floram accusat.

F Quam iudex, vtrum se sic haberet illa delatoris germani quæstio sciscitatur. Extemplo ipsa fratrem impium abnegat, cultumque Mahometanum se nullatenus nouisse testatur, & adiungit: Christum ab infantia mea noui: ipsius documentis instructa sum: ipsumque habere Deum decreui, ipsique integritatem corporis mei eius olim thalamis oblectanda, promisi. Hæc vbi virgo sanctissima protulit, mox sacrilegum pectus iudicis furor immanis exagitat, & in cædem martyris iram admouens, inter vtrumque satellitem apprehensis manibus eam extendi præcepit, diroque verbere caput eius perrodens, tandiu flagris insistit, quousque decisa cum cæsarie cute, os verticis nudum pareret. Pardurat nihilominus adolescens martyr & virgo in sua confessione. Tunc iudex semiuiuam, & pene exanimem impio fratri eam delegans, admonet, vt consota medicamine, & verbo legis instructa sibi demum, se conuerterit, præsentetur.

Flora in capite pro Christi confessione percutitur.

G Perductam deinde in domum suam Christi virginem hostis, non frater ille iniquus, domesticis eam fœminis demulcendam fomento, & verbo committit, magnis solummodo trabibus catenarum seras mansionis obtrudens. Qua ingenti maceria, totius prædioli ambitus præmunitus; omnino de nulla euadendi sollicitudine quemquam arguebat. Ideoque non post multos dies vulneribus expiata fortis Flora, cum se sospitem esse sentiret: quadam nocte, per contiguum infra cortem domui hærens tugurium celsum parietem iuuante Domino scandens, inde se foris plateali solo proiecit. Quæ nullo stimulata dolore, cœpit per tenebras noctis angelico comitanta ducatu, quo Dominus vellet ingredi, sicque cuiusdam fidelis inter illud chaos nocturnum hospitio recreata, cum aliquamdiu ibidem commaneret deinceps præclarum Tuccitanæ vrbis viculum Ossariam intuitu latendi petens, ibi cum sorore sua vsque ad tempus, quo martyrium consummauit, delituit. Et ego, ego ille peccator, ego diues iniquitatum, qui à principio martyrij sui amicitia eius fruitus sum, combinatis manibus meis cicatrices reuerendissimi & delicati illius verticis attrectaui, quum ictibus flagellorum virginalis coma elapsa fuisset.

Tuccitana vrbs. Ossaria viculus. 6 7

H Verum quia Deo fautore beatæ virginis Floræ auspicium conuersationis ac martyrij adnotatum est, operæ pretium reor, si itidem sanctæ virginis Mariæ & martyris processum natiuitatis, primordiaque religionis edisseram. Vt quibus par fuit consensio præliandi idemque assensus pro iustitia moriendi, consimilis extet in relatu vocationis etiam huius virginis intentio calami. Huius pater ex opido Eleplensi non infimus prosapia, Christianus tamen huc aduentasse perhibetur. Qui ex genere Arabum coniugem ducens, totius impietatis errore eam emundans, Christi fidei consignauit. Quapropter cum eadem coniuge proprium incolere aruum non valens, per diuersa profugus agitur, quousque diuino gubernaculo ad opidum Froniano peruenit, qui in montana Cordubensi in parte occidentali duodecim ab vrbe milliaribus distat, vtrâque pignore comitante, quod ex ea susceperat,

Maria martyr.

Eleplense oppidũ.

A

VValabonsus postea martyr.

rat, VValabonso scilicet, & Maria. ibi vitam suam pro viribus sustentarunt. ibi mulier illa luporum erepta faucibus, in fide Christi perseuerans, post nonnullum tempus in Domino requieuit. Ibi superstes vir gradu Confessionis potitus, arctissimum vitæ perennis callem gaudiis oblectandos cælestibus ingreditur. Sed puerum Ecclesiasticis regulis educandum, fortique Domini admiscendum piæ memoriæ saluatori presbytero tradidit, qui tunc præclaro regimine sancti Felicis Monasterium, quod in eo loco fundatum est, gubernabat. Sanctam vero hanc virginem Deo deuouens Cuteclarensi cœnobio, quod gloriosæ & semper virginis sanctæ Mariæ genitricis Domini fulget memoria consignauit, constituens eam apud quandam summæ sanctimoniæ fœminam Artemiam nomine. Quæ & ipsa geminum pignus per martyrialem obitum olim cœlo præmiserat, Adulphum scilicet, & Ioannem, qui in primordio regni principis huius viriliter de hoste triumpharunt. Quorum instar syderum cœli gesta micantia ad emolumentum Ecclesiæ sanctæ, & exemplum debilium, senex & magister noster atque illustrissimus doctor (de quo in libro primo meminimus) beatæ recordationis & memoriæ, Spera in Deo abbas stylo latiori composuit. Artemia igitur gratia sanctitatis, prouectæque ætatis, seu obtenta martyrum filiorum, cæteris in eodem cœnobio commouentibus fœminis antecellens totius monasterij virginalis conuentus iussu authoritatis eius intendebatur. Docuit autem puellam sicut ipsa nouerat Deo seruire, in omni humilitate, castitate, & obedientia, & timore Domini animum eius exercens. At non post multum tempus prædicto sacerdote Saluatore mundo recedente, puerum etiam ad se nutriendum pater reduxit. Qui duo futuri martyres gratia Spiritus sancti in Dei timore magnopere proficiunt. Tandem vero per gradus Ecclesiasticos adolescens ille VValabonsus succrescens, honore diaconij fungitur; pollente nihilominus in omni honestate religionis sanctimoniali puella: cum se nimia charitate diligerent & alternanti germanitatis dulcedine in omni dilectione spiritali sibimet inuicem obedirent. Quia vero præcedebat ætate virgo sanctissima adolescentem germanum; loco genetricis soror ab eo excolitur, & in prolis affectum commutauit fraternum amorem.

Saluator presbyter. S. Felicis monasterium.

Cuteclarense cœnobium.

Artemia Adulphi & Ioan. martyrũ mater.

B

Sperain-deo abbas.

Saluator presbyter moritur.

VValabõsus diaconus factus.

C

VValabõsus martyr.

Igitur dum inter eos hæc assidue gererentur, dispensante Deo, leuita dignissimus VValabonsus cum beato Petro presbytero, seu cum cæteris confessoribus (sicut superius comprehensum est) martyrio coronatur. Et qui æuo vltimus erat sorori, fit primus electione martyrij. Denique remanet destituta præsentali solatio fratris Christi ancilla, quæ ante mundi constitutionem ad martyrium prædestinata, intus extraque semper tuebatur intercessione fraterna.

Et (vt se habet conditio fragilis) cum crebrius fraternum suspiraret obitum, cuius in proximo fruitura erat consortio, & per quietem quandam sanctus martyr, quandam admonet religiosam, vt iam soror Maria pro se plorare desisteret, quoniam vicino tempore ad eum in supernis esset ventura. Ex eo die vritur cor virginis amore martyrij, & quæ fratris obitum impatienter lugebat, subito diuinitus illustrata, impatienti ardore ad martyrium anhelat, quodam igitur die, inuitante (vt credo) Christo monasterium derelinquens forum petitura descendit, quo sicut cæteri martyres, qui iam cœlesti præmio oblectabantur, hæc quoque virgo Christum confitendo, & fidei sanctæ aduersarium repellendo, corona martyrij potiretur. Quæ dum Ecclesiam beati Aciscli martyris, in ipso adhuc itinere posita, intuitu Dominum obsecrandi intrasset, Dei nutu ibidem sanctam Floram in suffragio suo preces martyrum aduocantem inuenit. Quæ & ipsa Christo dicenti sibi; iterũ venio crucifigi, redinuito præliandi studio calens, olim cœpti martyrij palmam è loco latibuli sui alacris inuentura descenderat. Tunc se inuicem datis osculis salutantes, alterno consultu explorant se. Et cum vnum idemque votum suum existere mutua proderet confessio, dimidiante Christo qui dixerat: Vbicumque fuerint duo, vel tres, in nomine meo congre-

D

S. Aciscli Ecclesia.

Matt. 18.

E

gati, ibi sum in medio eorum illico indissolubili fœdere charitatis nectuntur, nulla ab inuicem occasione diuellendæ, nulla intercedente fortuna desciscendæ, nullisque ab alterutro, quamuis sæuissimis imminentibus casibus disparandæ qui ad interitum earum professione veritatis exaggerarentur quousque & ista Christum, & illa in cœlestibus fratrem adiret VValabonsum. Sicque in ipso impetu iudicibus assistentes, ita fortiori alloquutione prima (vt reor) sanctissima Flora eos aggreditur, dicẽs: En ego illa sum, quæ pro eo quæ gentilitio semine procreata Christo adhæserim, dudũ a vobis, vt eum abnegarem, dito verbere lacerata sum. Quæ hactenus infirmitate carnis huc illucque profuga delitescens, nunc iam in virtute Dei mei subnixa, vestris adstare non vereor prætoriis, eadem, qua primum constantia, Christum Deum veritate profiteor: sceleratumque dogmatistam vestrum pseudoprophetam, adulterum magum, & maleficum esse protestor. Tunc deinde virgo venerabilis Maria diffusione cælestium gratiarum sanctificato protulit ore: Et ego iudex olim inter illos confessores magnificos habens germanum, qui non leui subsannatione vatem vestrum infamantes occubuerunt; similique audacia Christum esse in veritate Deum asserens, ritum vestrum legisque cæremonia dæmoniorum figmenta esse profiteor. Extemplo sæuissimus arbiter vesano concitatus furore, sub voce illa terribili frendens, virginale propositum asperrimo deterret boatu: minis exprobrat; clamoribus arguit, adiiciens carceris squalorem, & contubernium scortorum.

Flora & Maria iudicibus sponte offerunt.

F

Suscipiunt denique abdita carceris sponsarum Christi membra tuenda magis, quam eliminanda quæ semper pudico honestata decore ab ipsis cunabulis actu sanctimoniæ præpollentes, præcipua virtutum gratia reluxerunt. In quibus aliquandiu sanctæ virgines permanentes insistunt ieiunio, orationi incumbunt, totumque illum horrorem ergastuli cœlestium meditatione hymnorum expediunt. Tunc nos etiam ex antro deducti, cum isti carceri deputarentur, Deo fauente ad instructionem illarum librum documentum martyrij, condimus. Eisque iam pene à proposito, suasione quorundam labentibus, in solatium meditandi & consummandi prælia inchoata, dicauimus. Connectentes in fidem opusculi orationem suo certamini, omnique Ecclesiæ congruentem.

D. Eulogius in carcere positus

G

scribit ad sanctas virgines

Igitur permanentes in laudibus Dei, & sacratissimæ virginis; post tertiam admonitionem prosternendæ in forum eductæ sunt. Taceam iudicis sciscitationem vicibus allata eis, vel vna, vel sigillatim ad beatissimam Floram, sicut iam alibi digessimus. Et intuitu mediocritatis aliquid silentes, ne fastidium protractus sermo legentibus generet, mors virginum pretiosa stylum competenti fine coarctat. Inde præcipiti ducatu ad locum decollationis ductæ, sacra signacula vultibus imprimunt. Et sic extensis collis, post beatam Floram, sancta Maria prosternitur. Quorum corpora canibus deuoranda, ac volucribus discerpenda ibidem relinquentes, alio die in flumen proiecerunt. E quibus cadauer sanctæ Mariæ virginis & martyris, cœnobio Cutecłarensi, à quo ad martyrium descenderat, donante Deo reponitur. Cum tamen corpus beatissimæ virginis & martyris Floræ, quo situ Dominus reposuerit, penitus ignoretur. Capita vero illarum in basilica sancti Aciscli martyris reconduntur, quo præsentiali corporis sui fauore populos Christianos tuetur.

II

Cuteclarense cœnobium.

H

Basilica S. Aciscli & eius corpus.

Vltimo tantummodo historiæ loco insinuare curamus, quod priusquam virgines beatæ deciderent, quibusdam consororibus promiserunt, quod eo ipso, quo Christo coronatori suo assisterent, obtemptu adeptæ gratiæ sponsum precantes, nos vinculis liberarent: quod ita Deo fauore peractum est: nam illæ octauo calendarum Decembris martyrium consummantes, nos tertio earundem calendarum compedibus resolutos, ab squalore carceris eruerunt, Era qua supra per Christum Dominum nostrum, qui viuit cum patre & Spiritu sancto in sæcula sæculorum Amen.

Dies nou. xxiv. D. Eulogius carcere eductus. Annus Domini 1551. Nouemb. dies xxix.

CAP. IX.

Gumesindus Toletanus, & seruus Dei, Cordubæ passi.

SAnctus Gumesindus presbyter ex oppido Toletano olim cum vtroque parente puer adhuc paruulus Cordubam veniens, votiuo genitorum affectu per sacrum clericatus ordinem cœlesti ascriptus militiæ apud basilicam sanctorum trium, qua Faustus, Ianuarius, & Martialis martyres præsentialibus corporum suorum fauillis quiescunt, pædagogorum educatione in Dei timore clarescit. Vbi post aliquod tempus in sancto diaconij ministerio consecratus, demum cuiusdam Campaniæ Cordubensis Ecclesiæ sacerdos adolescens præficitur. Inde ad vrbem descendens cum beato Seruo Dei monacho, qui tunc in supradicto sanctuario adhuc iuuenis cum Paulo presbytero reclusus manebat principibus, & iudicibus ambo assistentes, sub confessione cæterorum occubuere, idibus Ianuarij, Era octingentesima nonagesima. Quorum corpora furtim à Christianis sublata, in basilica sancti Christophori martyris, quæ est vltra amnem in parte meridiana, religioso cultu extant recondita.

CAP. X.

De sanctis martyribus Aurelio, Felice Georgio, Sabigothone, & Liliosa.

FVit præterea quidam iuuenis nomine Aurelius, natalibus, & rebus plurimis antecellens. Hic in infantia matre Christiana, & patre gentili orbatus, tutela amitæ suæ fidelissime vsque in annos adolescentiæ fouebatur, docebaturque Christum veraciter credere Deum: nec præter Ecclesiam salutis viam, & iter regni cœlestis alibi posse reperiri, imbuitur. Quod documentum venerabilis puer apprime ebibit, ita vt licet Arabica erudiendus litteratura traderetur cogentibus affinibus: insontibus tamen præfixam cælitus animis fidei sanctæ notitiam nulla vanitatis figmenta immutare quiuerunt: sed corde semper Christianismum suum retorans, cum ad solam derisionem meditationi periturarum insisteret litterarum eo amplius in amorem Christianæ fidei exardescebat, quo liquidus deliramenta peruersi dogmatis probans, subtilem dæmoniosi illius fallaciam aduertebat. Et cum non posset publice cultum fidei gerere, vbique tamen Dei sacerdotibus sese commendans, pro se efficacius exorari poscebat.

Interea prouehitur in annis iuuenilibus strenuus adolescens & florentibus genis virili facies exornatur decore. Hinc adhortatione affinium condignum suæ nobilitati connubium appetere cogitur. Hinc vnusquisque suorum, prout nouerat, illius, vel illius optimam esse sobolem asserebat: ipse autem interius aliter ruminans, Christos sui connubij negotium committebat, crebris interuenientibus precum cæleste numen exorans, vt talibus præpollens votis coniux sibi daretur, quæ secretum suum in melius proficere contenderet, faueretque mente & corpore cultori latenti. Cuius fauore tandem adiutus reperit honesto germine virginem constipatam, rebus inclitam, moribus comptam, specieque pulcherrimam. Quæ cum præcipuo venustatis habitu extrinsecus decoraretur, præstantius tamen introrsus spiritali enitebat decore. Quia omnis gloria filiæ regis ab intus, id est in penetralibus mentis. Ibi enim sanctitate, in fimbriis aureis varietate scilicet amicta virtutum, Christo regi placitum exhibebat famulatum. Hæc namque puella parentibus paganis progenita, adhuc cunabulis incubans, patre orbata est cuius genitrix alium virum ducens, qui fidem Christi occulte retinebat, coniugem, impietatis errore extirpans E
priuignam, Christo assignare studuit eamque ex sacramento baptismatis Sabigotho appellans: licet publice *Sabigotho Aurelij uxor.*
paganis admiscerentur, gestabant vero animo firmiori vtrique pietatis religionem. Hanc sibi puellam venerabilis iuuenis iure coniugalitatis asciscens, completis sponsalium titulis, arrarumque pignore alternanti in inuicem exhibitione contradita legitima, ad vltimum ministerio sacerdotum ex more sacrantur, sicque pari commercio aliquo tempore clancule fidem Christi gerentes, non omnibus arcanum suæ fidei reuelabant carnis infirmitate depressi, non diminutione vtique voti.

Fuit autem beato Aurelio proximus genere vir quidam nomine Felix, sancta insuper eidem dilectione connexus qui occasione diaboli in fide vacillans, cum postea *Felix Aurelij propinquus.* lapsum præuaricationis suæ altius suspiraret, vltra non potuit patulo congressu religionem Christi exercere. Qui & ipse filiam occultorum Christianorum nomine *Liliosa* F
Liliosam in coniugem ducens, Christum in abditis tectius excolebat. Quapropter inconuulsibiliter inuicem *Felicis uxor.* adhærentes, semper vnam habuere familiaritatem eandem gesserunt dulcedinem, nec prosperis, nec aduersis casibus se disparentes, idem illis extitit affectibus, tantaque illi pietatis necessitas in vtroque fratre perfectionem contulit charitatis, vt nec vita, nec morte diuiderentur, quos par religionis occasio glomerauerat, de quibus merito enarrandum est: Sancti, amabiles, & decori quomodo in vita sua dilexerunt se inuicem, ita & in morte non sunt diuisi.

Exactis igitur non plurimis annis, accidit vt eo die in forū proficisceretur Aurelius venerabilis, quo Iohannes *Iohannes confessor.*
ille (cuius in priori libro meminimus) odio nominis Christi vsque ad necem verberibus cruentatus, retrorsum à sello euectus, immensoque iaculorum pondere coarctatus, vt in parte stramentorum reclinaretur iumenti, quum eius crura pendebant: præcedentibus illusorum præconibus, totam circumeundo vrbem satellitum ministerio, ad spectaculum vulgi pertractus est. Et cum hinc inde voces G
exprobrantium resultarent, dicentes, nullatenus dignam sui sceleris pœnam eundem adhuc persoluisse; quippe quem tantæ reuerentiæ vatem subsannatione impetere non verentem, plectendum potius morte turpissima congruebat: extemplo futurus belliger amore compunctus martyrij cælesti quodammodo flamine aspiratur, vt illud pro se fieri spectaculum crederet, causaque admonitionis sibi fuisse ostensum, scilicet formidare deberet eos, qui corpora trucidant, cum nihil anxietatis animabus possint inferre; sed illum potius pertimesceret qui potest corpus & animam perdere & mittere in gehennam. Cu- *Matt. 10.*
ius fidei stabilitatem admirans: vere, inquit super Angeli- *Aurelius de Iohanne confessore*
cam petram tabernaculum credulitatis huius viri fundatum est, quod tanta vis tormentorum non impulit, nec labilium pœnarum aura concussit. Quod si qui vexillum Christi reuelatis gerit aspectibus, tot seria cruciamenta zelo Redemptoris sustinuit: cum vtique eladem illius supplicij præuaricando posset euadere, & melius carnis suæ iacturam, quam perniciem animæ iudicans, non se H
passus est sub vnius vocis articulo à Christi religione abstrahere: quibus me ego dignum connitiis credam erudiendum, vel quo me arguendum supplicio debeo tradere, vt vigorem illius damnati, quem hodie intuitus sum, capiam, fruarque constantia?

Hæc dum crescentibus supernis iam vocationis suspiriis, ruminare animo cœpisset, regressus domum retulit *Aurelius ad uxorem.*
piæ sodali cuncta, quæ viderat, lætoque spiritu addit: Tu semper dulcissima coniux, cum ego mihimet viuerem & Deo mortuus essem, sedulo me adhortata ad confessionē trahebas & instabas quotidie me sæculi voluptatibus nitens auellere, tenebrosis mundi affectibus felicitatem æterni regni præferebas, labētia cūcta, & omne quod fine arctatur suadebas relinquere: prædicabas monachos, mūdum renunciantes laudabas, religiosorumque conuersationem oblectans, vitam sæpius suspirabas sanctorum. Sed ego nec de supernæ gratiæ compunctione lustratus, omnino salutaribus non poteram acquiescere hortamen-

tis,

A tis aut forte correctionis meæ præfiniram à Deo patre nondum insistens admonitionem, differebam operibus exequi: quod licet tenuiter, animo meditabar. Ecce iam nunc, charissima, tempus acceptabile venit adsunt dies salutis, in quibus à retroactis & exterioribus resilientes, in id quod in ante est nos extendamus. Et primo omnium munditiæ & continentiæ perfectius studentes, vacemus orationi, quo facilius ad reliqua sanctitatis industria properemus. Fiat nunc soror, quæ extitit coniux: in affectu germanitatis thorus nostræ coniunctionis pertranseat: proficiant soboles animarum: subcrescat spiritualium generatio, & spreta glutinatione membrorum cœnosa, noverit mens præstantius (adempta carnis delectatione) perpetuæ incolumitatis producere germina. Vt quoquomodo condigni martyrij præmio habeamur talium meditatione laborum. *1.Cor.6.*

Suscipit lætantibus animis venerabilis mulier pium viri consultum, gaudensque multipliciter in subitatione insperatæ salutis, hæc est (ait) immutatio dexteræ altissimi, hæc sunt iam nostræ vocationis auspicia: hæc sunt, quæ semper optabam, æterni regis commercia: vt carne morientes, viuamus spiritu, quo illi facilius vniamur, de quo scriptum est: Spiritus est Deus, & eos qui adorant eum in spiritu & veritate oportet adorare. Quamobrem, Domine mi, quia hoc tibi non humanitus reuelatum est, sed pater cælestis te olim ad æternum præscriptum militiam, concitis vult iam gressibus properare: cuncti nos vinculis absoluamur, excutiamur à puluere desiderio vitæ perennis surgamus. *Sap.5.* B

Fit itaque vtrorumque communis in Dei seruitute assensus. Diuiduntur cubilibus, votis conciliantur. Præfulgent lectuli fulcra vestium, colorumque varietate qua suam conuersationem vulgo celarent. Illi autem in interioribus angulis tabernaculi super structum crudo latere thorum hispidis tantummodo instructum ciliciis dispares incubabant. Icinnabant sæpe, sine intermissione orabant, & quoscunque nouerant psalmos, noctu meditabantur. C Vincebant tenebrarum chaos interiecto vigiliarum labore, omnemque dæmoniorum fraudem talibus euincebant studiis. Ministrabant egenis: curam pauperum omnino gerebant. Et quoniam adhuc iam dictus Ioannes carcere detinebatur, nos quoq; ex antro eductis his vinculis detinebamur: vtraque etiam virgo, Maria scilicet & Flora, tunc fœminarum latibulis causa fidei incolebant: aderat frequens eorum erga compeditos discursus, ex eo videlicet tempore quo beatus Isaac monachus, seu cæteri sancti qui præditam veritatis præconio linguam, principibus, & iudicibus confessuri, quæ vera sunt, astiterant & propter eandem veritatem occubuerant. Quorum constantia perdurabili, multiplici virtutum robore horum auctæ sunt vires. Nam ille viros perlustrans; illa suis retentas claustris fœminas requirebat. *Ioannes confessor. Maria & Flora. Isaac martyr.*

Ibi ego eum agnoui: ibi amicitiam eius adeptus sum, ibique se à nobis instirui deprecatur, quid agi deberet tam de rebus, quam de gemino pignore, quod Deo donante acceperat. Si liceret tales destitui, quas vtique post necem D suam profano tradendas ritui altius condolebat: vel si illam diuitiarum copiam protinus fisco agglomerādam, inordinatam relinquere congruebat. Cui cum omnia intuitu regni cælestis, & causa retributionis æternæ non solum relinquenda verum etiam fugienda fore censerem, potissimumque suarum potius animarum, quam liberorum esse commodis consulendum, quibus vtique Christus vindex pater, & tutor est, nihilque prorsus rerum temporalium præponi debere desiderio Redemptoris, seu fruendi sanctorum consortio docerem, consellim subiunxi: Si prouida facilitas suppetit, qua hæc omnia magistra intercedente discretione, ordinentur: vtile primo iudicamus sobolem tutiori loco transponi, vbi Christo liberius assignetur rebus quoque iuxta mandatum Domini vendiris pauperibus erogari, quo expeditior vobis pateat deinceps post Christum ingressus. Sic denique veritas sancta sciscitanti se iuueni quatenus vitam æternam possideret: si vis (inquit) perfectus esse, vade vende omnia quæ habes, & da pauperibus: & veni sequere me, & habebis *Eulogius Aurelij doctr.* *Matt.19.*

E thesaurum in cœlis. Sed etsi pars aliqua in stipendium relinquatur infantium, culpabile esse non poterit, quod multa patrum insinuant documenta ideoque si ad hanc dispēsationem potestis attingere, optimates; & perfectius opus est: quod vos omnibus expeditis negotiis securius ad militiam cœli ire compeller. Sin vero quorundam difficultatū repagulis oblatrantibus hæc dispensatio reuelli-tur, & nulla intereft libertas, qua hæc indulgentissime suppleantur, præsertim cum magis ex aliquo perturbationes emergere formidatis, quæ vestræ intentioni obsistant non cunctandum est spernere patrimonium, quod multo melius & latius in cœlo, quo vos nitimini proficisci, reperitur. Non filiarum affectus societati sanctorum est præponendus, cum & illas potest Deus in sæculo enutrire, qui compactauit in vtero, siquidem ei prouida de omnibus cura est. Non omnes paruuli parentum industria F fouentur, nec cunctæ proles nutritio educantur labore. Nascitur homo, orbatur in cunabulis solatio genitoris non tamen creatoris gubernaculo destituitur, qui est pater orphanorum, & iudex viduarum. O quam multi paruuli nutricum cura delicatius educati, in deteriora deueniūt, quam plures pupilli ab horribili egestate in magnarum affluentiam opum excrescunt, & fiunt multatū Domini rerum, qui vix paupertimo pane profecti sunt. Multi ex Christianis progeniti, præpediente deliquio Ecclesiæ membro priuantur. Et nonnulli filij paganorum, praeueniente gratia Domini, ad redemptionem fidei salutaris recurrunt. Nec istis sacrilegium obest parentum, nec illis prodest religiositas genitorum. Cum & hi à fide recedentes, Deo alienantur, & illi credentes in Christum (per quē iusti viuunt) eripiuntur diabolo, perenni Deo cohærentes. Cuius rei testis est Dominus, qui in Euangelio proteruam Iudæorum arguens vanitatem ait, Genimina viperarum, quis ostendit vobis fugere a futura ira: facite ergo fructus dignos pœnitentiæ, & ne velitis dicere intra vos, Patrem habemus Abraham: dico enim vobis, quia potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ Et iterum: Multi ab Oriente & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, Isaac, & Iacob in regno cœlorum: filij autem regni proiicientur in tenebras exteriores; illic erit fletus, & stridor dentium. *Matt.3.* G *Matt.8.*

Instructus igitur venerabilis iuuenis quomodo processum martyrialis prælij meditaretur, vinctorum se precibus solatiandum implorans, animo læriori in pace discessit. Et cum nos sæpius idem, quandiu illa horribilium claustra carcerum haberet non desisteret visitare: frequenter tamen prudentissima Sabigotho latibulum illud fœminarum, quo sacratissimæ virgines Flora & Maria detinebantur, noctu quasi vna è compeditis incolebat vt vel consolaretur certantes, vel se affectui commendaret certantium. Imo potius vt pugnandi pro Christo rege viribus imbueretur, haberetque consuetudinem præliandi. Instabat precibus, & obsecrationibus laborabat, vt memores sui existerent, adepto post triumphum sponsi consortio, quo saltim effuso cruore cœlum ingredi mererentur. Dant illico fiduciam hoc præstandi beneficium sanctæ virgines, quæ suas nouerant in nullo repugnari post victoriam preces, nec poterant commilitonibus quicquam negare, quæ se non dubitabant audiri. *Sabigothonis pietas Flora & Maria.* H

Dum ergo ancilla Domini Sabigotho proxime post martyrium virginum infra domesticos parietes Christo seruitutem minus suspecta persolueret, fessoque exercitatione vigiliarum corpori consulens, paululum quieuisset: ferunt vtramque virginem, Mariam scilicet & Floram, niueis amictas cicladibus diuersarum ligustrium manibus gestantes manipulos, cum choro sanctorum phialas palmis gerentium (quibus, vt puto orationes eorum, qui ad prælium venerant informari, in conspectum Domini ferrent) omnes cælestium luminariorum claritate fulgentes, eidem per somnium astitisse. Quas cum illa, vt arbitrabatur, sediliis se reclinari humillima supplicatione optaret territa maiestate cælicolum, vix tenui alloquutione aggreditur, dicens: Quam fiduciā olim præmissæ obsecrationis vobis in carcere, ô sacratissimæ virgines, *Flora & Maria Sabigothoni in somnis apparet.* *Sabigotho ad martyres.*

A virgines, me habere iuberis? Et ſi votorum meorum commodis potitura ſum, gratiſſimis deflorate reſponſis: ne fruſtra currentes, in vacuum decidamus: ne vires noſtri conatus vano conſummantur labore, dum aliud intentio quærat, aliud merita ſpectant. Quia cum Deus plus meritis, quam precibus faueat, nouit tamen idem abdicare congeminationem precaminum, quam non iuuat dignitas meritorum. Idcirco dominæ meæ ſponſæ Chriſti, ſi hactenus ſuſtinendi præmium ſponſionis veſtræ ſpes nobis fida ſubſiſtit, enarrare iubet: quo promptius ad ſuperna tendamus, quo validius in certamine roboremur. Tunc eam ſanctæ virgines cœleſtium diffuſione gratiarum affatibus præditis demulcentes commoda (inquiunt) veſtri laboris in æthereis repoſita, tempore neceſſario vobis metienda ſeruata ſunt. Nec labetur præſcriptorum merces ad prælium, quod cogit athletas inuictiſſimos ire ad regnum. Martyrium denique vobis à conſtitutione mundi diuinitus præfixum, & prædeſtinatum eſt. Quod vos poſt paululum impleturos congruit felicioribus ſolito ſanctitatis ſtudiis inſiſtere.

Sanctæ martyres ad Sabigotham.

B Quapropter libamina ſacerdotum laboribus veſtris adſciſcite: ſuffragia implorate ſanctorum, vbique vos precibus ſeruientium Chriſto committite: votiuo veneranda Dei ſanctuaria diſcurſu incolite, & omnium religioſorum inquirite obſecrationes. Quia quamlibet præſcripta vobis quandoque futura ſint præmia: per hanc tamen induſtriā veluti quibuſdam innitentes, tantæ bonitatis arcem vos verum eſt poſſe contingere: noſtrumque ſermonem huiuſcemodi certum eſſe indicio conteſtantes, inſtanti vobis certamine, adhæſurum contuberniis veſtris cœnobitam noſtrum mittemus, qui vobiſcum palma potiturus martyrij cœlitus ordinatus eſt.

Poſt hanc viſionem oculis intuentis abductam, vehementius tantæ rei miraculo beata Sabigotho ad perficienda bella Domini concitatur. Quæ mox hilarior è ſomno exurgens, auget opera ſanctitatis, fragilem

C ad pugnam erigit ſexum, ſupernoque munere vires ad certandum corroborat. Hinc iam fiduciata ſpe firmiori virum informans, omnino terrenis exui, edocet, quoniam à principio mundi cæleſtibus dedicati militiis, continuo poſt victoriam cœlicolis admiſcerentur.

Hinc magis, magiſque fruendi Redemptore, & collegis ſanctis ignito deſiderio conflagrati natorum poſtponentes affectum ſpernunt quicquid mundialis peritura ſpecies continet. Omnia diſtrahunt, venditant vniuerſa quo liberiores in aſſequendo Chriſtum exiſterent. Ex quo pretio quicquam infantulis relinquentes, totum aliud ſtipendiis applicant egenorum. Virorum ac mulierum viſitant monaſteria, præcipue tamen Tabanenſe cœnobium, quod ſæpius memorauimus quia ſummis monaſticæ regulis diſciplinæ cunctum honeſtæ famæ rumoribus illuſtrabat Occiduum. Inde athletæ fortiſſimi hauriunt documentum: inde inſtituta percipiunt, ibi ſe poculo vitæ perennis ingurgitant. Ibi ſanctiſſima Sabigotho frequenter cum ancillis Dei moratur: diſcit ibi totius ſancti timoris induſtriam. Ibi geminum pignus ſub

Tabanēſe cœnobiū.

D beatarum tutela conſtituunt.

O ſtupenda mundi renunciatio, & admirabilis ardor diuinus, quo filiorum affectus reſpuitur: quo opum affluentiæ repugnatur: quo proximorum dulcedo refellitur: quo mors pro vita eligitur: quo labentia cuncta contemnuntur? quo intuitu æternæ felicitatis vincla, cædes, cruces, carceres, verbera, & tormenta pro ſummis habentur deliciis. Vna ſiquidem filiarum octennio, luſtro altera ducebatur. E quibus ego poſt necem parentum minorem reperiens, vix tenerrimo ore facundiam exprimens, me infantiſſime adhortatur, vt genitorum geſta ſcriberem, proderem actus, elucubrarem trophæa. Et cum propter hoc quid ab ea beneficij præſtolarer, exquirerem (mirā dicturus ſum tantillam ætatem talia quiuiſſe in promptu aduertere, niſi forte credēdum ſit: quod ab illo imbuebatur interius qui ex ore infantium & lactentium perficit laudem ſuam) impetrabo (inquit) pater tibi à Domino paradiſum.

Aurelij filiæ infantes.

E Verum quia competenti occaſione gratia differendi paruitatem infantularum, paululum ab ordine directo receſſimus, quo rem ſcilicet poſt nonenum martyrij eorum menſem patratam ſubiungeremus: nunc ærumnoſæ & ſub mundanis adhuc moleſtiis laboranti inſeruimus hiſtoriæ. Non nos obinde fraterna infamare debet reſponſio, vnde culpabiles argui non veremur à Domino. Nec obſtat vltimo an priori mediove loco veritas diſſeratur, quandoquidem veritatis aſſertor nullatenus benedictione priuatur. Idcirco è veſtigio repedantes, ad reliqua beatorum ſtudioſus geſta referenda curramus.

Cum ergo intenti cœleſtibus, omni tempore vigiliis, orationibus, eleemoſynis, & ieiuniis incumberent: frequenter tamen ſuperno ſydere in cubiculo ſuo, quo iſta meditabantur, reſperſi ſunt (adeo vt illapſum iubar æthereum omnē præſentis ſpeciem luminariis interpellans horridum eſſe chaos ſui comparatione autumari compelleret) diuinis ſæpe reuelationibus erigūtur: fruuntur colloquiis angelorum: lætitia cælicolis mente & ſpi-

F ritu adunati, non ſine graui moleſtia corporale onus ferebant: Quodam namque die cum atrium ſereniſſimi præceptoris noſtri Aluari toto ſcripturarum ſcientia Occiduo laudati, gratia collationis mutuæ, noſtraque alternanti propoſitione mentem erudiendi in ſcripturarum problematibus, petiiſſem: reperi coram eo militem Chriſti Aurelium, conſultum agonizandi quærentem, & quarenus arriperet martyriale auſpicium implorantem. Quem idem doctor egregius & temporis noſtri fons ſapientiæ profluus patrum exemplis inſtituens, iubet primo conſtantiæ vires perpendere ſecretum tuum aduertere: conſiderare arcanum: & verum imminentia magis noſſet ferre, quam declinare ſupplicia, vltimo excepturus delicatis ceruicibus gladium. Et ſi magis merita martyrum adipiſci, quam vocari martyr contenderet. Et ſi magis terris ignotus florentibus cœlo meritis cathalogo electorum ſeſe affectaret deſcribi, quam in ſupernis diminuto præmio famoſum temporalis martyrij anhelaret nomen habere. Tunc ille ſe vſque ad mortem

Aluarus adit Aurelius.

G dimicaturum ſpondens, nulla prorſus vi tormentorum intentionem ſuam ſperandam eſſe fatetur. Mihi, mihi, inquit maximum vitæ ſolatium Chriſtus eſt, & mori lucrum. Cui terrena conuerſatio teterrimæ noctis caligo eſt, & memoria tranſitus mundialis perpetuæ lucis odorem aſpirat. Fit commune deinceps gaudium cauſa noſtri aduentus: de alterno admodum intuitu lætamur. Credimus intereſſe concilio noſtro verbum patris altiſſimi, qui vbique nomini ſuo dicato collegio ſe illabi teſtatus eſt, dicens: Vbicumque fuerint duo vel tres in nomine meo congregati, ibi ſum in medio eorum. Et cum plura ſui agoni competentia referremus, idemque gratiſſimis animis noſtrum exciperet documentū: ſatis vt reor, collatione noſtra iuuatus, continuo bella Domini initurus, ad propria regreditur.

Ad Phil. 1o.

Matt. 18.

H Beata vero Sabigotho nonnullis ante paſſionem diebus dum ſola domo reſideret, Chriſtumque ob perfectionem martyrij ſui; quibus poſſet quæſtibus obſecraretur ſubitò aſtare ſibi miræ pulchritudinis virginem cernit, angelico vegetatam decore, primum, vt putabatur, adoleſcentiæ florem gerentem. Cui cum illa diceret: Tu quis es filia? etſi è vicino accedis, cauſas tui aduentus ediſſere. Protinus ſpectabilis virgo, ſoboles, inquit, amici veſtri Monteſis ſum quam tu mundialibus ærumnis ſcis olim exemptam, quamque eadem hora, qua ſupremis vexabatur anguſtiis, priuſquam propius viſitares reperiſti exanimem. Et cum te ego ſæculo pene eliminata non nouiſſem, ipſo tamen obitus mei momento quis eſſes Domino reuelante agnoui: & nunc eo mittente præuia nunciatrix palmæ tuæ acceſſi. Inſtat namque iam vobis tempus exequendæ victoriæ: adſunt dies publice profitendi fidem Catholicam, hoſtemque repellendi teterrimum. Quibus ſedatis litibus cœlorum penetralia vos coronandos adſument, perpetua deinceps pace fundatos. Igitur ſcrutans cor ſuum venerabilis fœmina, ſecumque meditans eloquium adſiſtentis:

Monteſis filia Sabigothæ apparuit.

, confeſtim

confestim reuoluta memoria, rem gestam agnoscit, & priusquam grates Euangelizanti sibi puellæ referret, labitur à conspectu eius illa virginalis species ætheris nuncia, & præco sui martyrij. Fit læta tali præconio: animatur cælesti oraculo, & tantò spe firmiori ad prælium excitatur, quantò sese patratæ actionis veritate cernit informari.

Verum vt magis, magisque scopo prædestinationis suæ Intenderent, essentque non dubij de mercede reposita siue vt sanctarum virginum impleretur edictum: octonis ante suam captionem diebus dudum promissus ille confessor contubernis eorum adsciscitur, & inconuulsibiliter his quodammodo alligatus, felici martyrio omnes sub vno momento pariter coronantur. Idcirco congruum iudicauimus, eiusdem monachi rationem, quia optio intercessit, exponere, & quod vehementi admiratione ætatem nostram eius causa concussit, succiduis quoque generationibus opere dignum relegenda mandari: vt in eo catholicorum religiositas incremento fidei augeatur in quo sui Redemptoris oraculum speciali quodammodo cernit esse veritate impletum. Prædixerat quippe magister noster & Dominus, quod multi ab Oriente & Occidẽte venientes, recumberent cum Abraham, Isaac & Iacob in regno cœlorum. *Matt. 8.* Quod testimonium reuelaris cõtuemur effectibus iu ipso monacho, atque leuita Georgio omnino perfectum.

Georgius monachus. Huic rus Bethleemiticum ortum, & incolatum æthereum peregrina littora contulerunt: hic inquam, vir vltra maria procreatus, ab adolescentia seruiture Dei oblectatur. Viginti & septem annus apud monasterium sancti Sabbæ, *Sancti Sabbæ monasterium.* quod ab Hierosulyma in Australi octo milliaribus distat cum quingentis, vt ipse nobis ore suo professus est, (qui eodem cœnobio morabantur) fratribus adunatus, sub regulari magisterio deguit. Quem venerabilis abbas Dauid, *David Abbas.* eius ascisterij tunc procurator ob stipendium monachorum Africam mittens, is nullo modo tot interiacentia terrenarum, marinmque distulit subire discrimina, quibus vtique incunctanter commodum summæ virtutis obedientiæ nouerat promereri. Sed cum ibidem vapulare asperius Dei ecclesiam incursatione tyrannorum reperisset, Hispaniam quoque eorum, quibus missus fuerat consultu, aggreditur. Erat enim, vt ipsi de eo certissime approbauimus, summæ humilitatis, magnæque abstinentiæ vir. In omni eloquio suo, dicto, atque responso timor Domini resonabat, ocios semper de puro cordis fonte charitatem exhauriens, fauum dilectionis promebat. Prædicabat cœlestis desiderij requirendam esse compunctionem: mortificare cum vitiis, & concupiscentiis membra iubebat: vt in aduentum Domini reciduo virtutum animata vigore, gloriosiora cum ipso apparerent. Ita sobria præditus sanctitate iustus videri, vel dici nimium recusabat, iucundus admodum, hilaris, modestus, & abstinens, sic vtebatur mundo tanquam non vteretur. Et cum forte, fraterna impetrante charitate, cibum sumere cogeretur, epulabatur parcius: bibebat sobrie, vt magis abstinentem indicarẽt, quam vescẽtem. Merum aqua tamdiu temperabat, vsque dum color inficeretur, sapor abesset, Insipidus namque ille gustus (ita referebat) nec bibere nimium, nec temulari conniuam patitur, Crebrius ad exorandum currebat: vigilabat strenuus: sæpius corde diuinum carmen meditabatur, *Ps. 33.* dicebatque: Benedicam Domino in omni tempore, semper laus eius in ore meo. Et cum variis linguis peritus existeret: Græca scilicet, Latina, atque Arabica nec qualemcumque saltem propter has gloriam affectauit, A die qua monasterium periit, & cohortibus monachorum ascitus est vsque ad coronã martyrij sui (vt ipse quibusdam secretius retulit) nec lotus aqua, nec balneis vsus est. Quamdiu nobiscum conuersatus est nulli omnino ordinem suum reuelauit, nisi cum iam carcere detineretur.

Georgius de seipso scripsit. 6 Commentatus est fratribus, ac propinquis suis, cunctisque patriæ suæ ciuibus martyrij sui breuiarium: quod mihi causa expoliẽdi transmisit: ne incultior sermo fidẽ rei gestę, quibus mittebatur, adimeret. Ibi in principio dictionis suæ monachum se, atque leuitã fore testatus est. Verum quid opus est sermonem in longum protrahere? Quasi non summam reuerentiam vitę hominis Dei martyrialis cruor adhibeat, præsertim cum quantus, & qualia extiterit effusus propter iustitiam Dei ipse eius martyrialis cruor insinuet, & quod peregrinus mundo peregrinam non renuens sepulturam, omnem penitus genitalis soli, affiniumque affectionem repulerit. Aut quæ potius laus militem Christi extollet, quam pro Domino mortem, pro vita animam, pro crucifixo cruorem dedisse: vt ipsum esset redhibitio famuli, quod extitit victoria crucifixi. Quomodo autẽ beatus minister cœtui sanctorũ agglomeratus fuerit, melius ore ipsius sancti Georgij credimus posse innotescere, quo vel nostræ dictionis series, interposito martyris eloquio, quasi desuper benedictionis sale condiatur: vel præstantius commercium suæ connexionis cũ cæteris sanctis eodẽ narrante addiscatur. Nam & ipsis diebus, quibus vna cum sanctis habuit conuersationẽ, sua ac prædictorũ martyrum gesta breui satis stylo exponens vltimo nobis cõprobanda direxit. Ex cuius dictis ea huic operi inserenda curauimus, quæ, ad insinuandã eorũ coniunctionem satis esse præuidimus. Cætera vero, quæ post defectum sermonũ serui Dei sequuntur nos obtentu, quo cœpimus, indagauimus. Inquit autem hoc modo.

Georgij monachi Epistola. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Vniuersæ Catholicæ Ecclesiæ à me indigno & peccatore Georgio monacho, necnon & diacono fratre, & collega seruorum Dei filiorum sancti Sabbæ quingentorum virorum, perfectam in Domino Iesv Christo salutem, Cognoscite, 7
fratres charissimi, introitum meum in Hispaniam nihil aliud fuisse, nisi gratia stipendij vestri requirendi, qui sub arctissima regula, & regimine sancti Patris Dauid Hierosolymis degitis. A quibus Africam missus, deinceps in Hispanias commigraui. Sed hanc ipsam insulam nimis afflictam reperiens, cœpi cogitationibus variis æstuare, vt aut proprium solum reuiserem aut regna Christianorum, id est, Franciam peterem. Et cum proximos, & charissimos super hac re consulerem, nonnulli peragrare iubebant plerique ad cœnobium meum reuertere cogebant. Hinc velut dubius diuerso præpeditus tractu, cui me primo cogitationi submitterem, nesciebam. Pergens autem de Corduba ad Tabanẽse cœnobium *Tabanẽse monasterium.* quo fratrum & sororum benedictio iter meum comitaretur: dixit mihi Abbas illa Martinus, & soror eius domino Elisabeth: Veni frater, & accipe benedictionem ancillæ Dei Sabigothonis, quæ mox vt me intuita est: promissus (inquit) nostri certaminis comes, & collega, hic monachus erit. Ego vero agnita causa eius, & ratione comperta illico pedibus eius aduolutus, pro me Dominũ exorare rogaui, vt forsitan Spiritus sancti respectu illustratus, ad ea, quæ illa præstolabatur peruenire meruissem. Et illa: Vnde hoc nobis (inquit) pater, vt cum peccatoribus pergas? Cumque eadem nocte ibidem mansissem, apparuit mihi in visione noctis ipsa venerabilis mulier Sabigotho, & nescio quod genus odoramenti pretiosissimi ligni accommodas, reserabat. Ditior ex hoc mihi thesaurus est. Mane autem facto descendimus ambo in ciuitatem ad virum suum Aureliũ prostrauique me pedibus eius, petens ab eo, vt oraret pro me quod illis in martyrio socius essem. Qui statim præbens assensum, exarsit in me ignis cœlestis per orationes eorum, & factus sum vnus ex illis, & ex tunc non sum ab eis separatus, sed omnes pariter in domo S. Aurelij cõgregati, reddimus Domino cum iocunditate vota laudationis. Ibi apud illos reperi beatum Felicem cum coniuge Sanctissima Liliosa, qui & ipsi iã omnia sua vendiderant, & locis sanctis, seu pauperibus erogauerant, parati omne genus tormentorum propter filium Dei; & dilectionem eius suscipere. Eadem hora exiuit ab eis; & causas, quibus præpediebar, in omni festinatione cõposui. Et sic demum valde iam roboratus, ad eos reuerti. Qui læti & exultãtes de redito nostro, gratias Deo referunt, dicẽtes: Scimus frater charissime, quia Dominus te misit ad nos. Post hæc
omnes in communi cœpimus cogitare, quomodo ad desi- 8
deratã perueniremus coronã, & ita Domino dispẽsante vi- 9
sũ est nobis, vt pergerẽt sorores nostrę reuelatis vultibus

ad Ecclesiam, si forte nos alligandi daretur occasio, & ita factum est; nam reuertentibus de Ecclesia mulieribus, quidam præpositus obuius adstans, cum causam religionis agnosceret in fœminis, illico viros interrogat: quid sibi vellet ille recursus fœminarum ad sanctuaria Christianorum? Qui responderunt: fidelium mos est Ecclesias visitare, & atria venerabilium martyrum pio deuotionis affectu requirere. Vnde quia Christiani sumus, ideo nos ipsius fidei gestare vexillum profitemur. Statimque iudici delator accedens, omnem rationem nostram coram eo dolosis linguis proponit. Post hæc vadit Dominus Aurelius filias visitare, quibus pacis osculo, vale dicens, cælesti virtute armatus ad prælium festinauit. Sed hic iam sanctus Georgius stylum compescens, nos quæ restant, vt cœpimus, prosequamur.

Aurelius ante martyriũ Eulogium uisit.

Ipso postea die, quo se B. Aurelius nouerat comprehendi, priusquam auroræ crepusculum respiraret; domo nos gratia valedicendi reuisens, precatur pro se Dominum exorare, suique agonis fautorem per nos fraternam fieri charitatem expostulat. Ibi nos illi commendauimus. Ibi patrocinium suum pro nobis, & pro omni Ecclesia fieri, osculatis manibus eius, impetrauimus. Post hæc datis inuicem osculis, separamur in pace.

Antiquum Hispanorũ osculandi manibus mos.

Igitur cum prolatam aduersum Dei sanctos iudex quæstionem intenderet, sciretque autorem huius rei esse Aurelium: grauiter ex hoc interius vulneratus præcepit eos quam propere suis conspectibus exhiberi. Tunc milites rapido cursu domum B. Aurelij occupantes qua omnes sancti collecti manebāt, præ foribus clamare cœperunt. Exite miseri: exite cominus morituri: quibus vita præsens tædium est, & mors, pro gloria computatur. En iudex vocat, instat decretum vltionis effundere: conterere vult recedentes à cultu, rebellia paratus colla præscindere: pergite vos modo iam debitum mortis exoluere, & commissæ præuaricationis pendentem sententiam. Exhinc viri cum mulieribus suis quasi ad epulas inuitati procedunt: vadunt ouantes: læti prosiliunt: putantes eos iam apud iudicem sua inuenturos donaria, qui nihil aliud habere poterant, quam tormenta. Et cum se Georgius Sanctus a militibus cerneret non teneri, illico sancta fretus audacia in exprobrationem lictorum conuersus: Quare (inquit) priuilegium hoc fidelibus irrogatis, & vanum colere violenter cogitis numen, quos sancta fides proprios hactenus vendicauit? Vt quid alieni à Deo vero perditioni vestræ agglomerare nitimini prædestinatos ad vitam: An non poteritis vos infernalia claustra adire, nisi nos comites habeatis? Nunquid sine nobis æterna vos cruciamina non adurent? Vos habite, vos illuc pergite perituri, quo simul cum duce vestro inferorum delicijs perfruamini; Nam quid nobis cum tartaro, quem Christus Deus noster penetrauit, absorpsit, expoliauit, & vicit: vt non iam auderet fideles addicere, qui pridem consueuerat priuilegio suo sanctos diripere? Vix ille sermonem compleuerat, & iam furens dextera satellitum in iniuriam monachi laborabat. Quem diuersis laceratum stimulis solo allidentes, calcibus etiam, pugnisque acerrime tundunt. Cui cum sancta Sabigotho (iam emortuum putans) surge, frater, eamus, clamaret: ille, quasi nihil mali esset perpessus, respondit. Hæc omnia soror, meritorum commodis prosunt, augentque coronam. Et ita semineciem à terra leuantes, pari cum sanctis ducatu iudici astare fecerunt. Quibus oblatis, cum primum ab eis blando affatu requireret, cuius rei causa a cultu suo recederent? viuere recusarent? niterenturque perdere temporalium commodum multiplici deliciarum flore vernans quos vsque postmodum in futuro non solum muliebris oblectatio admirabilis, verumetiam dignitatum, & ferculorum copia demulcendos expectaret; protinus quasi ex vno ore Nulla (inquiunt) ô arbiter temporis, affluentia lucris comparatur æternis, quorum gratia hanc vitam despicientes per fidem Iesu Christi, qua omnis sanctitatis operator iustificatur, eius denique in futurum benedictionis requie, quæ sanctis promissa est nos potituros confidimus. Omnem vero cultum, qui à Christi diuinitate dissentit, nec profitetur sanctæ Trinitatis essentiam: refutat baptismum infamat christicolas, sacerdotio derogat: omnino reprobum iudicamus. Pro nihilo rerum labentia computantes, quæ non diu subsistunt, quæ autem diligentibus se Christus promisit, cum sint ineffabilia semper tamen indefessa iugitate perdurant: & nec oculis contemplantur, nec aure captantur, nec corde perpenduntur. Verum, vt credo, quiddam etiam aliud religiosius diffuso ore sanctis ante iudicem asserentibus sectamque impiorum fortiter expugnantibus, in furore maximo concitatur iudex, rapido tractu eos carceri applicandos insimulans improbabilium vinculorum onere aggrauari decreuit.

Sancti in carcerem missi.

Continuo exultantibus animis beati martyres ergastulum adeuntes, gaudent auspicio passionis, paruipendunt supplicium, perstrepunt hymnos, insonant laudes, psalmos persoluunt, insistunt orationi, qua fauente Domino victoriam adipisci præualeant. Visitantur ab Angelis, miraculis illustrantur, desiliunt vincla, & non audent restringere. Quos Christus absoluerat, ibi etiam quam cœlis sortem haberent, reuelante Deo agnoscunt. Hinc de palma securi manentes, & Christum, cui fideliter seruierunt, cernere festinius anhelantes, dilatant vsque in quintum diem mortem suam, serumque putant se diutius elongari ab illa suauitate regni cœlorum, quam crebris iam corporeis visibus ferme intuebantur.

At cum iam in forum prosternendi educerentur, venerabilis Sabigotho armare virum sanctis alloquiis cœpit, confortat, instruit, & confirmat. Introducuntur palatio, consulibus adsistunt, adhibentur opes, exhibentur fasces quibus, si crederent fruerentur. Sed his oppido in professione sua demorantibus lictoribus perimendos instituunt consules: sospitem abire sanctum Georgium decernentes, pro eo quod iisdem ipsi optimates, & primores palatij nihil conuiciorum proferentem eum aduersus vatem suum audiisset. Ille vero minister egregius protinus vt se comperit derelinqui, nec sub vno cum sociis ictu mucronis perimendum institui: cur ait, ô principes de professione mea, quam coram vobis non protuli dubitatis? an putatis me de discipulo Satanæ quicquam prosperum cogitare? Ego enim vt verius agnoscatis illum angelum præceptori vestro, transfigurando se in spiritum lucis, apparuit: dæmonem credo fuisse, & hunc cunctis abiectiorem hominibus adiudico, vtpote diaboli credulum Antichristi ministrum, & vitiorum omnium labyrinthum: qui non solum se voragini barathri immerserit, verum & vos sequipedas sua per inania instituta æternis dedicarit incendiis. Tunc in insaniam proceres concitati conualidam, vna simul cum cæteris sententia necandum præcipiunt. Ac sic primo beatum Felicem, deinde sanctum Georgium trucidantes, post venerabilem Liliosam, vltimo egregios agonistas Aurelium & Sabigothonem interimunt, vi Kalendas Augustas, Era dccclxxxix.

12. Anno Domini 851. Die Iulij xxvij.

Quorum corpora nostri Christiani furantes diuersis locis recondunt: Georgius namque cum sancto Aurelio Pilemelariensi cœnobio seruantur. Beatus Felix sancti Christiphori, quæ vltra flumen est, aula tuetur. Sancta Sabigotho sanctorum trium cineribus adornata est. Requiescit apud Genesium martyrium venerabilis Liliosa. Capita vero Georgij & Sabigothonis incolunt.

Pilemelariense monasterium. S. Christophori monasterium. Basilica sanctorũ Fausti, Faustini & [illegible] Genesij basilica.

Hi sunt qui propter testimonium Dei, & fidem Iesu Christi, vsque ad mortem certantes nihil amori eius præposuerunt, non filios, non parentes, non affines, non proximos, non amicos, non res, non vicos, non possessiones, non prædia. Sed omnia post tergum abiicientes, mortificatis cum vitiis, & concupiscentiis corporibus, ad æternam immortalitatem producti sunt. Regnante Domino nostro Iesu Christo in sæcula sæculorum. Amen.

CAP.

A

CAP. XI.

Christophorus, & Leouigildus monachi martyres,

1 DEinde Christophorus monachus contribulis noster
ephebus adolescens, Cordubæ natos, & à pueritia
nostri auditor, qui post nostrum magisterium cœnobium
3 Martini monasterium Roiana. sancti Martini, quod est in montana Cordubensi, loco
qui appellatur Roiana, ingressus: magnum pie volenti-
bus conuersari specimen sanctitatis ostendit. Hic agnita
2 præcedentium nece sanctorum, concito gressu in vr-
bem descendens, mox obuiare iudici non extimuit: &
reddens coram eo testimonium veritatis adnuntiat Euan-
gelium, sancta Domini prædicat, profanationibus dedi-
tum vulgus exhortatur, arguit male credulos, luituros
cum authore falsario æternum profert incendium.
B Quem contino iudex sæuo commotus furore carce-
ri deputat: arctioribus macerandum vinculis com-
mendat.
3 Tunc etiam Leouigildus Monachus Eliberi progeni-
Eliberi Vrbs, Sanctorũ Iusti & Pastoris monasterium. Fraga. Leiulensis vicus. tus, plenæ iuuentutis, vir sanctus, iustus, & timoratus
ex cœnobio sanctorum Iusti & Pastoris, quod est in in-
teriori montana Cordubensi, loco qui dicitur Fraga in-
ter clinosa muntium, & condensa syluarum, confini vi-
culi Leiulensis, qui à Corduba distat quinque milliarios
lustros, quo se nuper moraturus contulerat, martyrio
potiturus aduenit. Et priusquam forum intraret, insti-
tuendi se gratia nos inquirens, obsecratur, precatur, exo-
4 psat, vt conatus suos nos precibus iuuaremus, eique be-
Leouigildus Eulogium adit. nedictionem consumandi agonem traderemos, pro-
mittens se nostri curam gerere ante Dominum. Cumque
à nobis firmatus in pace discederet, mox coram iudice
suam relaturus professionem adsistens, dat testimonium
fidei secundum cæterorum constantiam: qui cæsus alapis
conuitiisque distentus illico apud sæuus carceres tradi-
C tur alligandus. Ibi se famuli Dei alterno fouent consul-
tu, roborantur in inuicem sicque pari voto connexi, cum
iam mactationis hora instaret, præire sanctus Christo-
5 phorus beatum Leouigildum reuerentia ætatis exuptat,
Annus Domini 852. dies Augusti xx. S. Zoili basilica. postmodum ipse ruiturus. Et ita hoc ordine vterque in-
teriit, XIII. Kalendas Septembris, Era qua supra. Quo-
rum corpora suppositis adusta incendiis, antequam peni-
tus vrerentur, fidelium cura erepta apud basilicam sancti
Zoyli sepulta sunt.

CAP. XII.

Emilia, & Hieremias martyres.

POst non longo iterum interuallo, duo adolescentes
illustres ex ciuibus Cordubensibus nobili familia,
1 procreati, ad palæstram martyrij cucurrerunt. Emilia sci-
Basilica S.Cypr. licet, & Hieremias, qui ab infantia sua apud basilicam
D S. Cypriani litteras edocentex, vnus ad ministerium
diaconij consecratus, alter in habitu laicali degebat sim-
pliciter. Et quoniam vterque Arabico insigniter præ-
pollebat eloquio, ferunt tanta per eandem linguam in
eorum vatem volubilitate egregium Emiliam exagge-
rasse opprobria, vt præcedentium martyrum conuitia
obliuiscerentur, cernentes horum prosequutiones con-
aracenorum ... tio. tra suum dogmatistam acrius inualere. Et iccirco non
iam solummodo de mortibus resistentium sibi excogita-
re cœperunt, verumetiam totam extirpare Ecclesiam
ruminarunt. Quoniam nimio terrore tot hominum re-
currentium ad martyrium concussa gentilitas, regni sui
arbitrabatur excidium imminere: cum tali etiam virtu-
te præcinctos paruulos præuideret, Quos per carcerem
maceratos, postremum gladio vindice peremerunt. Et
cum totus ille dies clara esset serenitate lustratus, subito
eadem hora qua decollati sunt, vehemens tonitruorum
fragor exurgens mundo incutitur: spargit radiantia lam-
padum fulgura æther superos auelli cardines existima-
res. Armatur nube grandinum axis: fuscatur dies: tur- E
binibusque inficitur aër: pios cecidisse athletas ele- *2 Annus Domini 852. dies Sept. xv.*
menta fatentur. Quorum corpora equuleis suspenden-
tes, vltra amnem statuunt, XVII. Kalendas Octob. Era
qua supra.

CAP. XIII.

De Rogellio, & Seruio Deo martyribus.

CVm adhuc præfatos martyres ergastula haberent, *1*
eccealij duo superuenerunt eandẽ quam cæteri pro- *Eliberi vrbs.*
fessionem tenentex, eodemque voto hostem fidei expu- *2*
gnantes. Quorum vnus Eliberi progenitus, ex vico qui *Parapanda vicus.*
dicitur Parapanda, Monachus & eunuchus iam senex
prouectæq; ætatis nomine Rogellius aduenit. Alter Ser-
uio Deo vocatus, spado adhuc iuuenis ante paucos annos
ab Orientis partibus vltra maria in prædictam vrbem F
habitaturus peregrinus accessit. Hi vero pari se fœ-
dere colligantes, vnum propter iustitiam Dei, vsque
ad mortem certandi votum gesserunt, nullo casu ab in-
uicem recessuri, quousque cœlestia sanguine mercaren-
tur. Ideoque fanum illud sacrilegorum petentex, in *Templum Saracenorum Cordubæ.*
quo exceptum vulgus abominabiles ritus sæpius redde- *3*
re conuenit, transcendunt limina, turmis se ingerunt,
prædicant Euangelium sectam impietatis subsannant ar-
guunt cœtum appropinquasse regnum cœlorum fideli-
bus, infidelibus autem gehennæ proponunt interitum,
quem proculdubio ipsi incurrerent, nisi ad vitam re-
currerent. His & huiuscemodi verbis populum exhor-
tantes, necdum ab ore eorum sermo recesserat, & ecce
quasi crepitans in sentibus rogus cohors malignantium
aduersus Dei famulos exardescens exit, lacerat percu-
tit, obruit, nititurque perimere sanctos, qui delubrum
suum intrare præsumpserant (quod apud illos quoque
grande facinus reputant) & nisi iudex adesset, qui quo-
dam priuilegio potestatis insanientis populi murmur G
compescuit, tunc iam vitæ spiraminibus priuarentur.
Quos ereptos cædentium manibus carceri deputans
astringi ferro grauius iubet furibusque admiscet. Ibi
etiam adhuc prædicant, prophetizant, instare mortem
tyranno annuntiant, laudant religionem, vanitatem
refellunt. Et cum penitus vigor membris deesset, qui
ferret supplicium: non tamen destitit lingua vsque ac
mortem a præconando veritatis oraculo. At vero pro eo
quod templum suum Euangelizando intrassent, decer-
nunt eos tyranni & consules, prius manibus pedibus-
que abscissis, decollari postremo. Gaudent tali decreto
famuli Christi: exhilarantur oppido huiusce mortis sen-
tentiam excepturi. Instat ferocissimus carnifex, cla-
mat, frendet, minatur, festinare ad pœnam iubet ele-
ctos, quos vtique cernebat maiorem migrandi habere
affectum, quam idem inferendi interitum gerebat. Quis
illius horæ fratres charissimi, crudelitatem exponat,
quis referat clades, quis cruces adnuntiet, quis denique
admirabilem sanctorum enarret constantiam? Cum & H
ipsa gentilitas tali spectaculo stupefacta, nescio quid de
Christianismo indulgentius sentiebat. Igitur statui in *Martyres ante obtruncationem discerpti.*
loco decollationis martyres sancti, antequam lictor ad-
moneret, palmas extendunt, lacertos parant: iniectumque
iugulum vlnis excipientes, in diuersa manus dissiliunt.
Deinde cruribus amputatis, nulla compuncti tristitia
abscissis denuo collis corruerunt. Quorum cadauera
vt erant truncata, patibulis affigentes, vltra
fluuium crucibus cæterorum adsciscunt,
XVI. Kalendas Octobris, Era
qua supra. *4 Annus Domini 852 dies Sept. xv.*

***

A

CAP. XIV.

Consilium Christianos disperdendi, quod Rex cum proceribus iniit.

PRæterea martyrum causa ethnici conturbati, ipseque Rex in furorem maximum concitatus: varia corde præmeditatur, qoibus posset intentionem sanctorum reprimere. Sciscitatur etiam sapientes, explotat philosophos, tegniquo sui consules soper hac te percontatur. Qui omnes vnaoimiter in perniciem conspirantes fidelium, comprehendi Christianos, & vinculari sub arctissimos carceres decreuerunt. Tunc iam proculdubio enecandi eos difficultas fuit, adempta, si quisquam vatis sui temerarius exptobrator vltra occurreret. Hac nos miseri opinione comperta, diffugimus, abimus, euagamur, delitescimos timidoque discursu & habitu demutato nocturna silentia carpimus. Decidente folio exturbamur, crebro mansiones mutamus, tutiora loca requirimos, ac tremebundi vndiquaque dilabimur, mori formidantes per gladium, quandoque morituri per debitum. Qui ideo forte martyrium fugimus: non quia timemus mortem, quæ quandoque ventura est: sed quia indigni sumus martyrio, quod quibusdam, & non omnibus datum est. Qui enim nunc martyrizantur, & martyrizandi sunt, ab initio mundi præscripti sunt, dicente Apostolo: Quos præsciuit, & prædestinauit conformes fieri imagini filij sui, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus. Quos autem prædestinauit, hos & vocauit: & quos vocauit, illos & glorificauit.

B *Christianorum dispersio.*

Martyrium Dei est donum. Ad Ro. 8.

CAP. XV.

Christianorum perturbatio, & eorundem variæ sententiæ in Concilio Episcoporum Cordubæ congregato.

C

Matt. 13.

MVlti igitur hotteo inutiles Dominico, eiecti foras de reie Apostolica, ab eo, qui non vt bonos vasis recondere, sed potius vt stipula, inextinguibili meruerunt incendio deputati, nobiscum vel fugere, vel compati, vel etiam delitescere recusantes, pietatem relinquunt, fidem præuaricantur, abdicant religionem, crucifixum detestantur. Sese (proh dolor) impietati tradentes, submittunt colla dæmonibus, blasphemant, detrahunt, subuertuntque Christicolas. Plurimi etiam, qui pridem nobiscum sano sensu victorias martyrum prædicabant, constantiam efferebant, laudabant trophæa, extollebant agonem: iam ex sacerdotibus, quam ex laicis, sententias mutant, aliter sentiunt, iudicant indiscretos, quos hactenus felicissimos asserebant, pro eo quod ipsi sancti infirmioribus nolentes compari, suæ potius tranquillitatis, & pacis commoda, quæ in cælestibus sanguine mercari fidebant quam nutanti Ecclesiæ inter scopulos perfidorum consulere studuerunt: quibusdam ex lege sententiolis, immutationem oris sui, ac linguæ versibilitatem quasi roborare nitentes. Non perpendentes, quod nullus tantæ perscriptus militiæ, & cælesti curiæ adnumerandus, instante hora vocationis, nexibus retineri posset mortalibus: cum quotidie in scripturis sacris nobiscum perlegant, quod nec vita, nec sæua pericula, nec ipsa etiam mors sanctos à charitate Domini nostri Iesu Christi auellere vnquam præualeant.

Christianorũ varia sententia de martyribus.

D

I Ro.

Illi autem, qui ab initio actus non destiterunt infamare sanctorum fœdaque susurratione eorum conati sunt intentionem euertere, bellum quod militibus gloriosis nequiuerunt inferre, in nos crudeliter vertunt: nosque authores huius rei existere asserentes, nostro instinctu illa omnia perpetrata fuisse accusant. Adeo vt quidam illius temporis publicæ rei exceptor, præpotens vitiis & diuitiis, solo Christianismi nomine denotatus, operibus autem Deo & Angelis eius & ignotos, à principio certaminibus beatorum infensus, detractor, derogator & infamator eorum, iniquos, tumidus, elatus, superbus & improbus quodam die præsenti Concilio Episcoporum multas aduersum me, linguam commouens, exaggerauerit contumelias. Anathematizare sanctos decernit talia meditantes maledicere imperat, persequi stylo iubet electos. Verens infelicissimus omnium, ne iacturam honoris patiatur. Qui non solum nullam reuerentiam sanctis exhibere studuit, verumetiam prædicare sinistrum esse, quod agunt in populis, præcepit.

Legiũ refutaciõtur.

E

Exceptor Christianus martyrũ infestus.

Et quamquam metu compulsi, seu metropolitanorum iudicio, qui ob eandem causam tunc è diuersis prouinciis à rege fuerant adunati, aliquid commentaremur, quod ipsius tyranni ac populorom serperet aures: inhibitum esse martyrium, nec licere cuiquam deinceps ad palæstram professionis discurrere, præmisso pontificali decreto ipsæ literæ nuntiarunt. Eademque scheda minime decedentium agonem impugnans, quod futuros laodabiliter extolleret milites percipitur: veruntamen allegorice edita, nisi à prudentibus aduerti non poterat. Non tamen inculpabile illud fuisse putamus simulationis consultum quod aliud gestans, & aliud sonans, quasi à discurso martyriali plebem compescere videbatur. Quinimo nisi legitima satisfactione, saltem pro plebe nullatenus remittendum esse confitemur.

Concilium nationale Cordubæ congregatum.

F

Concilij schedula decreti.

CAP. XVI.

Habdarrahgman rex subito moritur, filius eius Mahomad in regno succedit.

DEnique cum ex omni parte Christianis immineret interitus, ardensque immani furore comminatio principis multos electorum errare compellere: plerique nobis illam exprobrationem Israeliticam, cum se grauius opprimi cernerent, inferebant, dicentes: Videat Dominus & iudicet, quoniam fœtere fecistis sudorem nostrum coram hoc tyranno, & seruis eius, & præbuistis eis gladium, vt occiderent nos. Crescente etenim numero martyrum, crescebat in maius iracundia principis, augebaturque fidelibus conturbatio, vt pene casus nostri olim Pharaonicis contra Israel persequutionibus computarentur qui sicut ob interuentum Moysis ad Pharaonem pro populo Dei acrius Ægyptij deseuiunt, & operum grauissimorum importabili calamitate subditos opprimunt: ita quoque & nos ex eo, quo sancti ad prælium descenderunt, vt loquerentur ex nomine Domini nostri Iesu Christi coram rege & profiterentur consulibus & iudicibus Euangelicam veritatem, proderentque falsitatem vatis iniqui: solito asperius cuncti, & fundiius à ministris dæmoniorum perdendi insequimur. Cumque tanta coarctati angustia crebrius gemeremus, & latentibus ac vagantibus nobis denuo Pontifex horribili carcerum specui traderetur, nullusque nobilium laicorum ingredi fores auderet, futurum in perendie ergastulum metuentes; cœpit rex alta ædium petere, scanditque sublime solarium; oppida lustraturus, confestimque regione pendentia stipitibus sanctorum corpora intuetur. Continuo suppositis ignibus cremari ea præcepit. Quorum cineres Deo fautore, per loca sancta repositi sunt. Et, ó admiranda potentia saluatoris, & stupenda virtus Domini nostri Iesu Christi, qui semper quæsitus in tribulatione adsistit, pulsatus aperit, inuocatus exaudit. Nam os illud, quod sanctos Dei comburi præcepit, repente eadem hora diuinitus obstruitur, lingua vero angelo percutiente repressa, suo hærens palato, vltra fari non potuit. Sicque portantium manibus in stratum reductus, quadam noctis ipsius hora spiritum reddens, priusquam rogus sanctorum cadauerum extingueretur, idem vita exemptus, æterno clibano deputatus est, selinquens successorem imperij Mahomad primogenitum, hostem Ecclesiæ Dei, & Christianorum maliuolum persequutorem.

G *Exod. 5.*

Exod. eodem.

Episcop. in carcerem ductus.

H

Habdarrahgman moritur miserabiliter.

Mahomad Rex.

Qui

A *Christiani Palatinis muneribus priuati.*

Qoi ingenito quam odio sæpius quæstionem aduersus fideles proponens, non illo inferiot esse meritis apparuit cuius nomine insignitus ostenditur. Nam ipso die, quo sceptrum regni adeptus est Christianos abdicati Palatio iussit, dignitate priuauit, bonore destituit, molta postmodum in nos mala irrogari dispunens, si regni felicitate & prosperis potiretur euentibus. Nos autem instanti fine opusculi, spem nostræ incolumitatis in Domino collocantes, non timeamus quid oobis faciat homo. Credentes nos vbique aduocati nostri Domini Iesu Christi interpellatione saluari, qui dixit: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consommationen sæculi, Amen. *Matt. 28.*

Explicit feliciter opus memoriale Sanctorum,
DEO GRATIAS.

B *Hic fuit in exemplari hic titulus quemadmodum & illa sequentis precationis.*

OBSECRATIO AD CHRISTVM eiusdem Eulogij in complementum libelli, siue pro omni lapsu, qui in hoc opere commissus est.

Apoc. 1.

ECce a Domine Deus meus Alpha, & O, principium & finis, Verus Emoanuel noster, initium vitæ meæ, plenitudo animæ, perfectio salutis meæ, zelo tuo accensus, amore sanctorum morum compulsus, fratrum charitate coactus, paruipendentium mutationi compassus, odio inimicorum tuorum commotus, tantillus scientia, ingenio parcus, exilis intellectu: spectamine bonitatis, ac misericordiæ tuæ magnanimus, fretus pietate, elementia roboratus, aggressum opus te adiuuante perfeci, atque conclusi sicut potui, non sicut debui, imo sicut tu mihi posse dedisti. Aperui os meum Domine, & loquutus sum, quia tu iussisti, & quantum voluisti impleſti, atque ad enarrandum iustorum tuorum actus iustissimos cor iniquitate deiectum coegisti. Armasti ad præconandum laudes tuas impeditam sceleribus linguam: & os meum, quod sera vitiorum diu obstruxerat, subito quadam præditum agonia, tua elucubranda fidelia testamenta reserasti. Verebar, Domine Deus meus, opera mea, & sollicitus de proprio maneus facinore, licet emendationi differrem remedium meditabar tamen de iniquitatibus meis penes memetipsum probatum sæpius testimonium, perpendebam iudicium, debitum mei reatus cogitabam vindicium. Et cum apud te notitiam facti sui mens consternata deliquiis manere cognosceret, vix cœlum audebat intendere. Tu vero linguam meam quasi ministerijs tuis aptam ad sacramenta cœlestia ordinanda dignaris impellere. Nam quod exiguis meis meritis materiam tanti meriti construere intentaui, & quod immundos munda deserui, & quod sordidus Sancta Sanctorum disposuit non superbiæ tumore subnixus, sed humilis & abiectus, gratia acquirendorum præmiorum, & patrocinio potiendi sanctorum, hoc egi, vel certe, vt penes te ingratus non essem, talenti collati. Aut etiam ne res cælo dignæ, nullo adstipulante, obliuioni traderentur perenni.

Eccl 51. C *Iob. 9.* D

Tu Domine Deus meus scisti affectum meum, penetrasti intentionem, votum intellexisti, & causam talia commentandi non ignorasti. Tu paruulo instinctum dedisti, miserrimum adiuuisti conatum, erexisti ad grandia imbecillem, & inualidum animosum fecisti. Neque enim Domine Deus meus, ad tanta me prælectum fieri opinatus sum, vt ego tandem essem elucubrator gestorum sanctorum, qui eram grauium operator peccaminum. Nunquid si ego mentior, tu testis non es? Si falsum astruo, nonne vides? Si aliter quam fuit affirmo, to poteris ignorare? Si non profecto veritatem non latere te potest, qui omnia nosti. Certe tu cuncta consideras, penetras vniuersa, secretum intelligis, vides profundum omneque tibi patet arcanum, & totum in præsenti tibi manens, præteritum & futurum in tuo cuncta volumine ascribentur. Et quod inspiratione tua mens prouocata rominauit, & quod prædita cœlestium gratiarum virtute elicuit, & quod vanæ laudis stimulata compunctionibus affectauit, & quod ibidem lapsu linguæ nolens incurrit, apud te reposita manent, vniuersaque tuis examinationum libris exarata sunt. E

Hinc ad te, Domine Deus meus, vario corruptus facinore rediens, multiplicus scelere, iniquitate prælargus quæso, peto, imploro, vt de illa ineffabilium clementiarum sede beata obsecrantem intendas, aspicias consternatum, adsis roganti, vt prius abdita cordis mei emundans liberum in confitendo te semper statuas. Purgesque deinde satum opusculi huius, si quid zizaniæ praui sensus subtilis circumuentio tentatoris in ea, me non volente, aspersit: si quod liliorum deuiæ prosequutionis, ignorante me, seminauit. Quicquid ibidem erroris casu respitat, quicquid resonat impolitum quicquid à te alienum est, quicquid à te procul est: omne quod te ignorat, cuncta quæ tibi obstant, tuamque voluntatem refellunt nesciunt pietatem. Tu cuncta, omnipotens Deus meus, erudera, ablue vniuersa, totaque purificando sanctifica, vt tam sit Domino Deo meo hoc opus acceptum, quam sanctis Angelis tuis gratiosissimum. Impertet mihi gratiam tuam, sanctorum hauriat benedictionem, obtineat pacem Ecclesiarum. Deferat tibi articulino temporis huius recenseat coram te populi tui calamitates, teque super latibulum meum, quo ista dicto, respectu miserandi conuertens, diluat omne facinus, ad quod me tentatoris versutia ritu priori, credente fragilitate illexit. Sit custos coronæ meæ, sit tutor vitæ meæ, sit mei prouector ad præmia sempiterna, vt idem per te sanctificatus, Memoriale sanctorum dicatur, & me inter memorias electorum tuorum sua conscribas obsecratione. Per te Dominum nostrum, qui cum Patre & Spiritu sancto vnus, sempiternus & immortalis es Deus in sæcula sæculorum, Amen. F

G

SCHOLIA IN CAPVT PRIMVM Libri secundi.

HAbdarrahgman *vicesimo nono.*] Libri nostratium historicorum Abderramen semper scriptum habent, vbicumque & hic, & alij reges cognomines nominantur. Ego veram hanc, quæ in vtroque fuit exemplari, huius nominis prolationem esse existimo. Nam Arabicum quiddam prorsus stridet, & illa altera ad Hispani sermonis dulcedinem videtur lenita. Est autem hic Habdarrahgman huius nominis tertius, vt ex Rasis Mauri, & ex peculiari Roderici Toletani Archiepiscopi de rebus Arabum historia constat. *Habdarrahgman Rex.*

Cæterum cum multa sint, eademque sanctissima horum D. Eulogij librorum commoda, quæ sanctorum martyrum rebus gestis commemorandis exhibentur: tum etiā illud non vulgaris eruditionis & vtilitatis hinc comparatur: quod clara & ferme indubitata ratio annorum in Hispana historia, ab tempore regis Pelagij ad Ordonium primum Ramiri primi filium, ex hoc loco, & ex libri tertij principio certissime d geritur. Quo pacto id fiat, non est huius loci disserere. Quanti autem momenti sit in annorum ratione, & omni Chronologia certum aliquid & fixum, tanquam cardinem, in quo cætera vertantur, inuenisse: hi nosse solummodo possunt, qui in hac re sese aliquantulum defatigarunt. De quo nos initio Gothicæ historiæ, in nostro Chronico late disseruimus. *Temporū ratio in Hispanorum regū historia.* H

2 *Consulatum.*] Et hoc etiam ex illa est Latini sermonis licentia, de qua superius diximus Regum consulatum summos regni magistratus consules, honores etiam & dignitates fasces vocat. Idem facit Samson abbas Cordubensis, de quo antea diximus.

3. *Cordubam vero.*] Rasis non Cordubam seorsum sed omnem Hispaniam, huius regis inclytis operibus

scribit fuisse nobilitatam. Hic, inquit, aquas ex montibus in vrbes inuexit, templa exædificauit & textrinas panni pretiosioris auro intertexti per Hispaniam instituit. Toletanus narrat, Cordubenses plateas lapideo stratamento ab hoc rege fuisse munitas: item aquam ex vicinis montibus in templum, arcem, & alia celebriora vrbis loca plumbeis fistulis fuisse perductam. Influit adhuc in hæc ipsa loca aqua, sed non magna copia. Vnde constat diuersum fuisse hunc aquæductum, quo nunc eo aqua perducitur, ab illo altero stupendæ structuræ: qui plurimis locis interruptus conspicitur. Per hunc multo maior aquæ vis in vrbem dimanabat, decimo ferme milliario procul perducta. Parum est toto hoc itinere montes amplissimos fuisse perfossos, profundasque valles pontibus æquatas. Ipsa montium incredibilis moles, ne pondere suo subterraneum opus deprimeret, crebris turribus, quæ ex ipso vasto canali, tanquam castella excitantur, & in sublime montium emicant, sustentatur. Et cum recta arcem & templum breui itinere posset is aquæductus peruenire, longo circuitu per eum agrum, cui ab Ranarum cantu nomen est, incuruatur: vt superioribus etiam vrbis partibus aqua impertiretur. Hoc opus huius esse regis ego semper credidi. Neque enim vllus alius author memoratur. Et illa arcis & templi aqua quæ nunc perdurat exigua est: hæc vero ingens profecto fuit, & tanta scriptorum celebritate digna.

Quæ olim patritia.] De vtroque vrbis nomine multa iam diximus. Ibidem de regni Arabici sede ibidem collata.

5. *Necnon ex parte linguæ Arabicæ cognitus.*] Hispanismus, plane est. Non enim significat beatum Perfectum mediocriter linguæ Arabicæ fuisse peritum. Significat profecto Hispana phrasi, insignem Arabicæ linguæ cognitionem, qua pollebat causam extitisse vt notus Mauris esset, & in pretio habitus. Ita frequenter loquimur: Por parte de su virtud era muy bien querido. Huiusmodi autem nonnullos alios Hispanos iam antea annotauimus.

6 *In prædicto transegit cœnobio.*] Quam basilicam antea nominarat nunc cœnobium vocat. Ecclesiæ nimirum tunc omnes monasteria etiam promiscue, & erant pene, & dicebantur Ab Gothorum temporibus mansérat, vt ex conciliis, & ex Pauli Emeretensis historia præsertim intelligimus. Habebant insignia quæque templa suos abbates, qui præessent, gregemque diaconorum, & aliorum qui in minoribus Ecclesiæ gradibus constituti, interdiu noctuque inibi ministrarent. Hoc semel dictum oportuit, ne quempiam sæpius obuium conturbaret. Paulus hic Emeretensis diaconus, cuius mentionem alicubi facimus, cum Emeretensis Ecclesiæ & antistitum eius historiam scripsisset, tum etiam de aliis sanctis viris quædam adiunxit. Extat etiam eiusdem confessio Catholica. Quæ duo opera manuscripta non parum antiqua in sanctæ Ecclesiæ Toletanæ bibliotheca habentur. Eadem multo vetustiora in nonnullis aliis bibliothecis conspeximus.

7 *Egisse prædixit.*] Eodem consilio, quo in primo libro quædã de obscœnitatibus legis Mahometicæ demsimus, eodem hic quoque pauca quædam omisimus, eisdem pene verbis iterum repetita Et ipse etiam D. Eulogius, quædam se hic subticere profitetur, quæ horrorem piis auribus possent præbere.

8 *Psallat Deus.*] De imprecationibus nostratibus diximus in primi libri præfationem. Ad eundem modum conuerso vota quoque prospera & honorifica conciuntur. Tale illud est in comediis. Dij meliora. Et quædam eiusmodi. Sed Hispani & frequentius & certius, ad hunc modum medio sermone, bene ominatur.

9 *In campum vltra pontem.*] Ea nunc planities vetera campus appellatur.

Scripsit de hoc martyre Perfecto etiam quisquis fuit libelli Luminosi author. Eius autem verba apponam, quantopere cum Diui Eulogij narratione consentiant, appareat. Et primum sacerdotem intueamur. Perfectum gentilitio zelo peremptum, fidei constantiæ decoratum, martyriali gloria infulatum, & vere in electorum numero aggregatum: & quo pacto ad occisionem venerit sinceriter proferamus. Nempe ad aliud pergentem, aliisque sæcularibus operibus intendentem, nihilque, de quo gestum est pertractantem dæmonicolarum incursionibus impulsatur. A quibus ille cautè & circunspecte, vt istis videtur, vt vero mihi, timidè fidem perit? & ne ex responsionibus propriis impediretur, orauit dicens: Multa erant mihi, ex quibus abundantissime vestras poteram confringere nænias, vel destruere aniles historiæ fabulas, si vestræ vltionis non vererer vltrici gladio currentes vltro citroque incurrere sententias. Cui cum fidem dedissent, & ei, vt quæ sibi videbantur exponeret, iuramento anteposito imperarent: ille accepta dicendi fiducia, & eorum pro vero iuramento fuciens mendaciu: post multa & varia sententiarum certamina, prophetæ eorum voluptuosam lasciuiam, & lenocinationis luxuriam sermone, quo potuit exprobrauit, & oratione splendida comprobauit. At illi aliqua super eius meretricationis subsanium, vel coniugatorum adulterij culludium habita conflictatione verborum, frendentes dentibus, & caninis sæuientes rictibus, ore vipereo sibilantes, & leonum ferocitate frementes, abire eum, propter datum nouiter iuramentum permiserunt illæsum. Sed post aliquod temporis cursum, dolorum semper pectoribus retinentes venenum, & quasi venustate temporis reputantes abolitum prius illi iniectum: fidum pactum, dolo eum circumuenientes apprehensum iudici, sæuissime mendacio inhiantes, quasi destruentes fidei illorum ritum impie protulerunt: eumque maledicentem eorum vatem suo testimonio vilissimi homunculi firmauerunt. Ille inopinato casu perterritus & inusitata circumuentione perplexus, illorum fraudulenta ignorans consilia, quæ contra eum instruxerat commentatio fraudulenta se hoc penitus non dixisse, infirma satis persequutione retexit. At vbi in carcerem missus in se extat conuersus audaci proposito & viri congressu cœpit ipsorum totam legem infringere, & non solum quod pridie dixerat, quæ super eum imperitiæ factio asserebat, verumetiam alia potiora ingerere, mortisque magis gloriam, quam interitum expectare. Tunc edictum in ipsum diei sui horrendum pascha, quo soliti sunt pascua frui carnalia, & ventri libidinique alimenta ministrare satura, gladio vindice peremerũt. Et quasi victoriam hostium potiti, ad orationis conuenticulum, obsequium Deo se præstasse credentes, elati, & innocentis cruore perfusi, ritum suum perficiendum, vt soliti sunt annue peruenerunt.

E

Ess notas, aduersus quos scribit, martyrum detractores.

F

G

10. *Accensis nauibus.*] Fluuiales lintres naues per abusionem quandam vocat.

11. *Dignoque præsulis.*] Cum Cordubensis Episcopi, qui suo tempore Ecclesiæ præerat, alicubi Diuus Eulogius meminerit: nunquam tamen nomen eius scriptum reliquit. Id qua ratione fecerit, non possum intelligere.

H

S. Aciscli templa.

12. *In eo titulo quo.*] Possumus hunc suspicari, non vnum D. Aciscli templum tantummodo tunc Cordubæ fuisse. Nunc duo priscæ eorum recordationis visuntur. Exiguum delubrum vnum, in quo educatus S. martyr cum sorore Victoria fuerit, alterum ad flumen vetustissimæ in vestibulo structuræ vbi sepulti ambo fuisse creduntur. Inde id templum magna veneratione colitur, & paucis antea annis fratribus ordinis S. Dominici tributũ, cœnobium ibidem instituerunt

13. *Sicut quidam Poeta.*] Versus est Cælij Sedulij.

14. *Quartodecimo Kalend. Maias.*] Dies est Aprilis decimus octauus: qui quidem eo anno octingentesimo quinquagesimo in sextam vtique feriam incidit. Fuit enim is annus cycli solaris trigesimi primi decimus nonus, post bissextum secundus. Inde constat literam dominicalem E habuisse. Recte igitur sibi omnia consonant.

15. Regnique

A

15. *Regnique sui excidium.*] Latius de hac regis formidine libro primo, & alibi sæpe. Et alius est error ille, de quo in fine libri huius secundi, quod ex capitis septimi principio hoc ipso libro manifestum est. Sed nos interim Dei virtutem, Christianæ veritatis robur, vim legis Euangelicæ reuerenter suspiciamus. Consumit, disperdit: mactat Christiano impius tyrannus: sed pusillus grex, cui complacuit patri dare regnum, dispersus & trucidatus validior insurgit, ingentemque regiæ potentiæ terrorem immittit. Hunc nimirum ignem, quem Christus venit mittere in terram, nihil magis quam vt ardeat si velis extinguere, maior inde flamma erumpit: & frumenti grana emortua in terram cadentia, ingentem fructum semper in Ecclesia attulerunt.

CAP. II.

Exceptores reip. B

1 *Exceptoris reipub.*] Scribas publicos hoc nomine intelligi debere Budæus in prioribus in Pandectas annotationibus docuit.

Tabanes oppidum.

2 *Tabanos viculum.*] Huius oppidi nullum manet vestigium: neque est vnde coniecturam eius situs capere possimus. Id postea cœnobium ab Mauris est dirutum: ac monachi intra vrbem confugerunt vt libri tertij capite vndecimo Eulogius scribit. Fuit autem sancta Columba, vt ibi refertur, eodem consanguinitatis gradu quo Martinus & Elizabet cum sancto martyre Isaac coniuncta. Cætera vero huius martyris gesta, plenius in libri primi præfatione narrauerat.

Sancta Columba.

Regia vrbis nomen.

3 *In regia vrbe.*] Hoc cognomen olim post Constantinum Constantinopoli, quod ex illorum temporum authoribus patet, fuerat tributum. Inde videntur Gothi Toletanæ vrbi, postquam inibi regni sedem & veluti caput statuerunt, idipsum dedisse. Eadem prorsus ratione Corduba regni in Hispania Arabici caput, regia etiam vrbs simili antonomasia D. Eulogij tempore appellabatur. Et hoc ipsum libri secundi principio sanctus Martyr retulit.

C

4 *Tertio nonas Iunias feria quarta.*] Annus & eo amplius inter Perfectum Martyrem, & Isaac transierat. Tertius enim Iunij dies octingentesimi quinquagesima primi hic notatur. Recte porro feriam quartam fuisse memoratur. Habuit namque is annus cycli solaris vicesimus D. literam dominicalem. Quæ omnia ex superioris capitis supputatione astruuntur. Et libro primo hoc ipsum confirmatur, cum quintus post hoc Martyrium dies dominicus fuisse scribitur. Inclusiue enim vtrinque computatur.

At vero de Isaac Martyre, ita in Indiculo Luminoso. Ad nostros spontaneos Martyres properemus. Zelo Dei Isaac religiosus non humana instigatione, sed diuina commotus, nec vsitatum callem nostris temporibus sed obliteratum, incedens, antiquum persequutionis fumum non sufferens animo, iudicem adiit: & ea qua alter flagello diro vexatus negabat, quæ inter verbera se non dixisse iactator debilis personabat: athleta fortis, belliger miles, abundantiori persequutione firmauit, potiori prælio intentauit, & ingenua mente inchoauit, ingenua morte peregit, consummauit, impleuit. Vt ostenderet hominibus fidei se zelo commotum, non timore necessitatis præuentum, vt constanti fiducia Ecclesia prælians aperte proferret, & patule quod quibusdam indiciis super comprehensum satagebant firmare. Vt etiam produceret Dominus athletarum suorum mundo victoriam, & militum suorum rudi sæculo propalaret constantiam: & ostenderet, quod in nouissimis temporibus etiam victores haberet, qui bella Domini & instinctu, quo primi intentauerant, præliarentur. D

CAP. III.

...nse ...um.

1 *Ex Alabensi oppido.*] Albensi libentius legerem ex Plinio & Strabone: cum Alabense fuerit in exemplari.

2. *Inter militares.*] Hos pueros nobiles Tyrones vocat author vitæ & Martyrij S. Pelagij. Quod opusculum suo loco apponetur. Et Ioseph D. Eulogij frater natu minimus, vt ego existimo, inter hos palatij Tyrones regi inseruiebat. Hoc postea apparebit. E

Tyrones pueri. Ioseph Eulogij frater.

3. *Nonas Iunias.*] Duobus tantum post Isaac diebus patitur Sanctius Iunij quinta. Feria igitur sexta, recta signatur. Decius sancto cadauere aut sepultura nihil tradit Eulogius: quoniam cum sequentibus Martyribus igne fuit concrematum.

CAP. IV.

1. *In vrbe Astigitana.*] Nobilis Romanorum tempore colonia, Iulia firma, post Iulij Cæsaris tempora nominata, conuentum habuit iuridicum. Priscum illud nomen Astigi ex sono ipso nomine Romano, magnam eius astruit antiquitatem. Singili flumine alluitur: qui post Bætim tota Bætica est amplior. Vrbs ipsa & fluuius prisca, sed non nihil immutata retinet nomina. Ecija enim & Xenil appellantur. Ager eius vrbis, non magnus alioqui, feracitate tamen ditat magnopere accolas. Insignis est olei opulentia, Gossypium magna copia seritur. Horti cum fructuum omnis generis exuberantia vtilis, amœnissimum præterea totum tractum reddunt. Episcopum olim habuit, quod ex Conciliis Toletanis & Hispalensibus constat. Distat à Corduba triginta duobus milliaribus, ab Hispali paulo pluribus. Eius Plinius, Pomponius Mela & Ptolomæus inter alios meminerunt.

Astigi vrbs. Singilis fluuius. F

Maria Martyr.

2. *Et sanctus Vualabonsus.*] Erat hic Mariæ Martyris, quæ vna cum Flora passa est, frater, vt *cap.* 8. apparebit.

3. *Eleplensi.*] Cum Ilipa, aut Ilipula (nam authores variant) verum sit nomen vrbis, indeque Ilipense & Ilipulense exoriatur: nummū tamen peruetustū vidi, in quo MVN. ELEPLA. erat scriptum. Ilipulæ autem duæ fuerunt, quod ex Plinio & Strabone & Liuio constat: in Lusitania altera, altera in Bætica. Ego de hac postrema hic puto intelligi. Eam vero eo loco sitam fuisse, quo nunc nō admodum magnum oppidum Pennaflor dictum, medio ferme inter Cordubam & Hispalim itinere videmus: longa disputatione in Hispaniæ antiquitatibus, chronico nostro adiunctis probauimus. Inde qui velit, petat. Hic locus plura non postulat.

Pinaflor oppidum. G

Cuteclara vicus. Froniacus vicus.

4. *In vico Cuteclara.*] Hoc oppidulum & in eo cœnobium latius *cap.* 8. describitur.

5. *Ex vico Froniaco.*] Et huius vici postea *cap.* 8. mentio cum maiori explicatione fiet.

Sancti Zoyli templum.

6. *Sancti Zoyli.*] Suus quoque peculiaris locus de hoc diuo dicendi in D. Eulogij ad Pompelonensem Episcopum epistola interueniet.

Armilata flumen.

7. *Flumen Armilata.*] Paululum immutato nomine nunc, Almellaro, appellatur: & superaddita Sarracenorum more in principio Arabica voce, Guad, quæ fluuium significat, integrum fit nomen Guad Almellaro. Ex montibus progressus hic fluuius, duodecimo ferme supra Cordubam miliario Bætim intrat. Triginta autem & eo amplius miliaria, quæ D. Eulogius memorat, plane docent situm hoc monasterium fuisse non longe supra insigne istud, quod nunc videmus & veneramur, Franciscanorum cœnobium cui sanctus Franciscus de Monte nomen est. Nempe vicesimo quarto & eo amplius miliario ab nostra vrbe ad ripam ferme huius fluminis loco edito, ad Septentrionem est collocatum. H

S. Franciscus de Monte. S. Iuliani templū.

8 *Sancti Christophori.*] Sancti Iuliani templum operis peruetusti, ex aduerso ferme vrbis nunc conspicitur. Potuit id nomen immutasse. Certe nullius alterius apparent vestigia.

Hieremias Martyr.

9. *De quo supra affati sumus.*] Hinc plane apparet hunc Ieremiam Martyrem eundem esse, qui supra *cap.* 2. Tabanensis Monasterij conditor dicitur. Eius etiam mentio est *lib.* 1. *& lib.* 3. *c.* 21.

10. *Septimo scilicet Idus*] Apparet quanto tunc sancti Cordubenses feruerent amore Martyrij: siquidem tam frequenter paterentur. Duo tantum dies Sabbatum & Dominica inter Sanctum & hos sex Martyres intercesserunt. Hic namque dies Iunij octauus notatur. Libro

autem primo pridie idus Iunias sexto post martyrium die cremata, in flumen etiam proiectis cineribus, fuisse eorum cadauera tradidit. Horum sex Sanctorum Martyrium Vsuardo, sed præcedenti die apponitur. Sunt & apud Equiuilium libri vndecimi *c. vlt.*

CAP. V.

1. *Ex Pacensi oppido.*] Colonia Pacensis in Lusitania olim, quod ex Plinio constat, etiam iuridico conuentu nobilitata, Arabum Hispaniam occupantium vastatione, ad parui oppidi formam, vt nunc conspicimus, fuit redacta. Pertinet ad Portugaliæ regnum. Beiaque nuncupatur. De eius nomine, situ, & antiquitate multa egregie vt semper solet. Andreas Resendius ad Vasæum scribens. Eius vrbis excidium Rasis prosequitur.

2. *Septimodecimo Cal.*] Is est Iulij dies decimus sextus, qui eo anno feriam quintam occupauit, quod ex superioribus iam quiuis poterit deprehendere. Quadraginta enim & eo amplius dies, sine Martyrio processere.

CAP. VI.

1. *Qua corpore.*] De hac sancti Zoyli Basilica tunc dicendum, cum de ipso Martyre in epistolam ad Pompelonensem Episcopum scribemus.

2. *Illi subterraneo specui.*] Maurorum fuit mos subterraneos specus in putei fere vastioris formam excauatos, tanquam ergastula ad seruitia noctu concludenda, reosque asseruandos habere: quales per omnẽ Bæticam in arcibus præsertim cõspicimus. Mazmorras proprio eius gẽtis vocabulo nos etiam nunc appellamus. Cordubæ in summi templi cõpluuio duo eiusmodi putei hodie quoq; ostenduntur, & in carceris huiusmodi vsũ fabrefactos ab Mauris, omnes affirmant: sed illos ego ad continendam, & diutius asseruandam aquã fluminis potius crediderim fabrefactos. Nam vt erant Arabes eius templi superstitiosi veneratores, crederent profecto, reis, captiuis, eorumq; fœditate & pædore contaminari. In arce, aut alicubi fuisse hunc subterraneum carcerem crediderim. Ductus est mos ab Græcis & Romanis, qui huiusmodi subterraneos carceres & habuerunt, & vsitato vocabulo Putealia vocitarunt. Et de Puteali, quod Romani Cordubæ habuerunt, iam suo loco diximus. De vtriusque etiam carceris discrimine alicubi præterea meminit D. Eulogius.

3. *Tertio decimo Cal.*] Dies erat Iulij vicesimus, qui eo anno reuera in secundã feriam inciderat. Habuit Paulus fratrem Hludouicum nomine, qui & ipse Martyrio postea fuit coronatus Libro sequenti, *cap.* 14.

4. *Carmonensis Monachi.*] Carmona etiam nunc eidem oppido nomen est. Romanorum temporibus Carmo tantummodo appellabatur. Id veteres nummi testantur, in quibus à tergo inscriptum est, Carmo inter duas spicas, agri feracitatem procul dubio denotantes. Est præterea munitissimi situs: ergo ab Iulio Cæsare *lib.* 2. commentariorum ea vrbs commendata. Eius etiam mentionem apud Strabonem & Ptolemæum reperies. Sed in hoc autore Carmoniam perperam legitur. Sita est Carmo vicesimo quarto ab Hispali milliario, eo itinere quod ad Astigitanam vrbem ducit ab qua milliaribus triginta sex distat.

5 *Octauo Cal.* Omnia prorsus concordant. Is enim dies Iulij vicesimus quintus, vt ex superioribus liquet, sabbatum necessario fuit, quem septimam feriam D. Eulogius vocat, qui inclusiue (ita dicunt) ab Pauli Martyrio dies computat.

CAP. VII.

1. *Et cursus mensium.*] Hinc iam apparet D. Eulogium existimasse, eodem anno quo superiores Martyres, octingentesimo videlicet quinquagesimo primo, has duas virgines passas fuisse. Id in fine huius capitis manifestius patebit. Quod tamen necesse fuit iam hinc ad rectam supputationem, quæ mox ineunda est, annotare.

2 *Igitur referente.*] Quoniam D. Eulogius hic aperte scribit, hoc anno octingentesimo quinquagesimo primo Nunilonem & Alodiam Martyrium subiisse: & re vera decennio antea occisæ pro Christo fuerant: vt quo pacto cohærere hæc possint intelligamus, necesse fuerit, diligenter hic & exquisite temporum rationem, seriemque inire. E

Temporis ratio.

Cum igitur D. Eulogius hoc ipso anno passus fuisse has duas virgines scribat, & Venerij relatu de earumdem Martyrio se certiorem factum dicat: illud in primis compertũ est, hoc ipsum non eo tẽpore intellexisse, quo apud hunc Episcopum Cæsar Augosta rediẽs (quod suo loco videbimus) fuit. Manifestum enim ante vndecim annos D. Eulogium apud Venerium fuisse. His adde quod cum Eulogius Sanctorum sui temporis Martyriũ studiosissimus semper fuerit, & Pompelone, & in Legerensi sancti Saluatoris Monasterio immoratus aliquantulum fuerit: si passæ iam eo tempore hæ virgines fuissent, audisset vtique de earum Martyrio, vel ab Pompelonensi Episcopo, vel ab Abbate Monachisque Legerensibus. Nam & non longe ab Vuerberano oppido & Besca aberant, & quæ consequota postea sunt, docent, magnam vtrobique harum Martyrum rationem semper habitam fuisse. Restat ergo, vt post D. Eulogij reditum passæ sint, & Venerius ad ipsum de his scripserit, non coram retulerit. Iam vero paulo antequam hæc de his sacris virginibus scriberet Eulogius epistolam Venerij peruenisse, fit profecto ex ipsis authoris verbis verisimile. Primum ex prima & secunda huius capitis periodo. Nam pene manifestum indicat, se nihil antea de harum duarum virginum Martyrio intellexisse. Deinde ex illis verbis paulo post. Prius tamen illa Sanctorum trophæa elucubranda sunt, quæ ratio & cursus mensium ordinatim, vt acta fuerunt adducit, licet in aliis regionibus gesta extiterint. Sequitur illud etiam quod multum iuuat hanc coniecturam. Sed quia vna est confessio, quæ vtrosque coronauit, idemque tempus, quod vtrosque per feralem impietatem in cælum præmisit, &c. Non idem tempus diceret, si annis antea aliquibus passas fuisse intellexisset. Hoc igitur ipso anno apparet Venerium Episcopum ad Eulogium de his duabus Martyribus scripsisse. Et idẽ Episcopus longe ab Vrbeuetano oppido positus (quinquaginta enim ferme Hispanis leucis Cõplutũ inde distat) Sarracenorum præsertim truculentia Christianorum præpediente discursus & itinera, temporis in quo interfectæ fuerunt ignarus: superiori anno occisas fortasse scripserat. Aut si nihil scripserat de tempore, Diuus Eulogius, qui nunc tandem cognoscet, proximum annum his dedit, ratus in eo periisse. Et illa Diui Eulogij posterma verba: ferunt tamen, quod illa virginalia cadauera in loco, quo ab ethnicis altis scrobibus magis abscondita, quam humata sunt, signis & miraculis coruscant, & gloriam emeritæ consolationis virtutum efficientia tam fidelibus quam gentilibus ostentant: hæc inquam verba aperte indicant Eulogium & Venerium pauca, subobscura & incerta de his virginibus comperisse, qui hoc tempore ibi sepultas credant, neque intelligant octo iam antea annos, quod mox videbimus, inde fuisse translatas. Hæc ita coniectari & rimari cogimur, vt D. Eulogium excusare possimus, cum constet has sanctas virgines ante annos decem pro Christo interemptas. Anno namque Domini octingentesimo quadragesimo secundo, Iunij mensis die decimo octauo, ipsarum corpora in Legerense monasterium sancti Saluatoris translata sunt. Id ea diplomate regis Innigui Aristæ constat: quod Stephanus Garibaius in suo diligenti satis rerum Nauaricarum chronico apposuit. Et cum de tempore Martyrij earundem virginum praue sentientium opiniones opportune idem author ibidem confutauerit annum tamen ipse astruere non potuit. Neque ego tamen possum: sed coniecturis non leuibus ducor, vt credam anno octingintesimo quadragesimo, pro Christo occubuisse. Etenim D. Eulog. vt suo loco ostendemus, Põpelone & in Legerensi monasterio anno Domini octingẽtesimo trigesimo nono fuerat: & (quod paulo ante probauimus) nondum Martyrium subierant. Et tamen anno 41. post octingentesimum F G H

Legerense cœnobium.

Translatio sanctarum virgin.

Legerense cœnobium.

Stephanus Garibayus.

earum

earum corpora transferunt. Paulò post etiam ex astronomica supputatione multo euidentius hoc ipsum confirmabimus.

3. *Nunilo & Alodia.*] Elodia fuit in veteri. Nos Alodiam substituimus, vulgata consuetudine multarum per Hispaniam Ecclesiarum quæ festum harum sanctarum martyrum celebrant, earumdemque historiam in matutinis legunt.

4. *In vrbe Bosca.*] Mira est breuiariorum, vt vocant in nominandis his oppidis varietas. Illud constat passas has duas virgines fuisse non longe ab Naiara vrbe, in oppido, qui nunc appellatur Castro vicio. Quod Latine castrum vetus redditur. Ibi sepulchrum sanctarum martyrum ostenditur, ibidem alia sunt priscæ recordationis vestigia, & ibidem tanquam alumnæ & indigenæ summa totius regionis veneratione coluntur. Hoc omnino compertum & indubitatum possum affirmare. Nomina illa Berbetanum seu Vrbeuetanum & Castro Bigeri quæ in breuiariis nostratibus leguntur, ex Castro veteri videntur corrupta Bosca quæ vrbs fuerit, non possum explicare. In veteri exemplari Osca non Bosca fuit, ego vsitatum magis nomen reposui. Nam Oscam remotam admodum in Aragonensibus vrbem, non credo fuisse traductas sanctas virgines.

Naiara vrbs. Castrum vetus.

5. *Matertera nutritione.*] Longe diuersum narrant matutinales per Hispaniam lectiones, & sanctoralia, quæ vocant manuscripta. Orbas nimirum propinquum quendam tuendas suscepisse, cumque hic Mahometico errore teneretur, neque à Christi fide sanctas virgines posset auertere: ab eodem delatas, & ad præsidem ductas.

6. *Sub ictu gladij corruerunt.*] Lectiones in breuiariis plura eademque pientissima de cæde & sepultura sanctarum sigillatim commemorant. Et in manuscriptis præsertim, vt vocant, sanctoralibus latius continentur. Inde nos apponemus, quia scitu sunt dignissima: & non plene assequutum D. Elogium historiam harum virginum confirmant.

Tunc præcepit rex lictori dicens: Percute gladio, & abscinde earum capita. At lictor tertio regem interrogat an feriret? & vt feriret tertio eum audisset dixit maiori: Extende ceruicem tunc sancta Nunilo dixit ad sororem suam minorem: Vide germana, ne aliter facias, quam ego factura sum. Cui sancta Alodia respondit: Nihil dubites, germana quod ego aliter faciam. Statimque sancta Nunilo alacri animo prosiliens, apprehensis crinibus caput sibi circumligans, dixit ad lictorem: Feri velociter. Ille eleuatum in altum gladium deposuit super eam: non in medium ceruicis locum, sed in mandibulas illud deponens: vnde nec penitus caput eius abscidit. Cadenteque in terram corpore, paululum crura eius nudata sunt: Quod cernens soror eius festinans, protracta veste contexit. Quo facto multitudo hominum miratur. Fideles gaudebant, infideles tabescebant. Dixitque iniquus rex carnifici, Sine modo ne feriat. Tunc ad sanctam Alodiam dixit: Quid proderit tibi, si moriaris? Consenti nobis, & viues nobiscum cum multo honore. Quibus martyr respondit: Non consentiam. Festina, percute me, ne sola pergam. Et eleuans oculos vidit animam sororis suæ in columbæ specie Angelis circundatam, & dicebat. Expecta me germana, expecta me modicum. O mira virtus altissimi, puella, quæ gladium non longe micantem cauere non poterat, in propriam ceruicem descensurum, non pertimuit: sed apprehensam syndonem, qua vestiebatur, sibi in crure alligauit, & capillis suis faciem suam extersit. Inde flexis genibus super corpus sororis suæ, præbuit se percussori, qui vno ictu caput eius amputauit. Sicque martyres vna die, vna hora, martyrium suum victrices consummauerunt in pace quinta feria duodecimo Cal. Nouemb. Hæc nos ex vetustissimo sanctorali codice ante sexcentos annos Gothicis litteris in membrana descripto transcripsimus. Is fuit inclyti cœnobij sancti Petri de Cardenna Benedictinorum, nunc in regio sancti Laurentij Hieronymianorum seruatur. Ibi in titulo scri-

Cænobii S. Petri de Cardena.

ptum fuit passas fuisse sanctas virgines sub Zumabil præside, Era tamen aut annus signatos non fuit. Sed cum Octobris dies vigesimus primus ibi signetur, & in quintam feriam eo anno incidisse sit suppeteadditum: ex consueta nostra astronomica computatione constat, anno Domini octingentesimo quadragesimo sanctas virgines in Christi confessione fuisse coronatas. Is enim annus post triginta integras cycli solaris conuersiones, nonus fuit in trigesima prima. Fuit autem bissextus habuitque litteras dominicales D. C. Et cum C. mensi Octobri deseruiret, dies vigesimus primus in quintam feriam incidit.

Zumabil præses.

7. *Vndecimo Cal.*] Cum D. Eulogius in anno, vt ostendimus, aberrasset, inde etiam diem non potest recte signare. Et in Vsuardi quidem martyrologio vigesimum secundum Octobris diem festum harum sanctarum virginum occupat, & quod in breuiariis nostratibus seruatur: sed regum diplomate, vt mox apparebit, diem 21. astruunt. Et omnes ferme Hispaniæ Ecclesiæ earundem virginum festum concelebrant, tanta fuit in eisdem martyrij præstantia & illustris claritas.

8. *Quarum corpora.*] Hinc postea eductæ in Legerense sancti Saluatoris cœnobium, quod non procul admodum distat (vt diximus) sunt translata. Et quanquam vno illo Iniguí Aristæ regis, quod supra retulimus diplomate satis hæc sit testata translatio, libet tamen duo alia apponere quæ ex eodem Legerensi monasterio scripta cum multis aliis habuimus. Ex quorum altero constare poterit 21. Octobr. non. 22. sanctas virgines occubuisse.

Era millesima sexagesima die duodecimo Kal. Nouembr. Sanctius maior Rex Pampilonæ Nauarra & Castella, & Aragonia facit ad corroborationem ordinis Sancti Benedicti Domini & magistro suo Sanctio Episcopo donationem de Legerensi cœnobio quod est fundatum in honore S. Saluatoris, & continet membra virginum & martyrum Christi Nunilonis & Alodiæ cum innumerabilibus sanctorum reliquiis. Considerans enim semper de inimicis suis triumphasse, & omnes illos per circuitum suum subiugasse: videns etiam, quod post Maurorum inuasionem laici, sæcularisque ordo Ecclesias totius Hispaniæ habuerunt, eas Ecclesiasticis viris tradere decreuit. Et audiens B. Benedicti doctrinam vbique rutilare: cogitauit qualiter in regionibus suis eam posset transplantare. Et mittens ad Cluniacense cœnobium, euocauit inde abbatem Paternum, & cum illo gregem monachorum quos in ascysterio S. Ioannis Baptistæ constituit. Nunc vero prædictus rex Sanctius prædicto domino & magistro suo Sancio Episcopo deuota mente commendat, & concedit prædictum monasterium Legerense, cum possessionibus quas antecessores reges ei dederunt, & alij quatenus in eo ordinem monachorum constituat, vbi corpora parentum regis requiescant. Facta charta vt supra in præsentia multorum, qui venerant adorare Deum, & celebrare festiuitatem sanctarum martyrum in prædicto monasterio, regnante clarissimo rege præfato Sancio in Castella, in Pampilonia, in Alaua, in Aragone, in Suprarbi, in Ripacordia, in tota Gasconia, in Leyem. Testes.

An. Dom. M. 22. dies Octob. 21.

Eximena regina mater regis.
Regina donna Munia Maier Garsia.
Ranimirus Gundi saluus.
Bernardus Mattus Aragonensis Episcopus.
Sancius Abbas Legerensis & Episcopus Pampilonensis.
Paternus Abbas sancti Ioannis.
Eneco Abbas Homiensis.
Senior Exemeno Garces.

Senior Garcia Lopeiz, & Fortunio Sainz, & Acenar Fortunionis, & Fortunio Ossuaz, & Garcia Fortuniones, & Lope Sainz.

Anno etiam millesimo trigesimo secundo, idem Rex eidem monasterio, huiusmodi diploma concessit.

An. Dom M 32. dies Decemb. 26.

Era millesima septuagesima septima, Kal. Ianuarias

feria

A *feria tertia. Ego Sancius gratia Dei rex, dono vobis domino & præsuli sanctissimo domino Sancio, vel omni collegio monachorum cœnobio Legerensi, sub aula sancti Saluatoris, vbi sunt corpora beatissimarum virginum & martyrum Nunilonis & Alodia, necnon reliquia Apostolorum & martyrum, qua ibi recondita sunt: Dono, inquam vobis in valle de Ostella, prope villam qua dicitur Portiella, monasterium, quod dicunt S. Ioannis cum suis terminis: & in Pampilonia parrochiam de sancta Cecilia: & in valle de Garonio monasterium, quod dicitur Zeyazabassa.*

Ego Rex Sancius serenissimus, regnans in Pampilonia & Aragonia, in Subrarbi, & in Ripacorcia, & in omni Gasconia atque in cuncta Castella, & Legione, siue in Asturica, confirmo.

Munia Maior regina, conf.
Ranimirus proles regis, confirmo.
Garsia frater eius, conf.
B *Gundissaluus frater eius, conf.*
Fernandus germanus eius, conf.
Martinus Aragonensis Episcopus, conf.
Sancius Pampilonensis Episcopus.
Arnolfus Ripa Corciensis Episcopus:
Munio Alauensis Episcopus.
Iulianus Episcopus Castellensis.
Pontius Episcopus Ouetensis.
Fortunius Sancij dominator Caporroso.
Fortunius Sancij dominator Falces.
Acenarius Fortunionis dominator Vgarte.
Garcia Fortunionis dominator Funes.
Lope Enetonis dominator Arrnestra.
Fortunio Vxuaz Cantabriensis.
Don Petro sub imperio regis imperans Naiara.

Velassius Fenestella ex palatio regis exaraui, & accepi pretium propter hanc scripturam quinque modios tritici.

C *Exemena regina Vetula ancilla Dei, degens in Repertus, confirmo.*

Paocis post martyrium harum sanctarum virginum, annis regina, fuit Hispaniæ, quæ alterius nomine Nunilo vocaretur. Id cum in nostris historiis non sit scriptum, Oueti in camera sancta, de qua iam diximus, video esse testatum. Ibi namque inter prisca regum nostrorum donaria, area etiam est duorum pedum longitudine, tabellis pretiosissimis achatitis lapidis auro circonclusis coagmentata & fabrefacta, gemmis etiam vndique dites. In fundo qui est argenteus, hanc habet inscriptionem, quam ipse fidelissime transcripsi.

SVSCEPTVM PLACIDE MANET HOC IN HONORE DEI, QVOD OFFERVNT FAMVLI CHRISTI FROYLA, ET NVNILO COGNOMENTO SCEMENA. HOC OPVS PERFECTVM EST ET CONCESSVM EST SANCTO SALVATORI OVETENSIS. QVIS AVFERRE
D HOC DONARIA NOSTRA PRÆSVMPSERIT, FVLMINE DIVINO INTEREAT IPSE. OPERATVM EST, ERA DCCCCXLIX.

NEQVE dubium esse potest qoin donum sit Froylæ Regis secundi. Nam præter opulentiam, quæ regia plane est: molta sunt alia quæ id aperte testentur.

CORPORA harum sanctarum virginum hinopostea Bononiam fuisse translata Vasæus scripsit. Sed nemo dubitat nunc etiam in eodem sancti Saluatoris Legerensi cœnobio asseruari.

CAP. VIII.

1. *Ex vico Ausinianos.*] Meminit huius oppidi etiam alibi, nullibi tamen plenius. Nos quod de eo præterea dicere possimus, nihil prorsus habemus. Multa autem seorsum de Floræ martyrio in Epistola ad Aluarum secunda commemorat. E

2. *In veritate.*] Hispanismus merus.

3. *Quam quaritis.*] Virgilij est hemistichium, quod sciens, volensque Eulogius, sicut alia huiusmodi interseruit.

4. *Trabibus catenarum.*] Catena aliquando in vsum pesuli deseruit.

5. *Infra cortem.*] Latinum vocabulum probatis auctoribus notum regum nostrarium vetustiora diplomata frequentee vsurpant. Significat autem illud patentis loci in domo spatium longius ab habitatione semotum, quod gallinis alendis & aliis huiusmodi vsibus sepitur. *Cor.*

6. *Tuccitana vrbis.*] Non pauca Romanorum monumenta, inscriptique lapides, qui in oppido, quod nunc Martos in Bætica, non louge ab vrbe Iaeu vulgo dicta vocamus, plane docent Tuccitanam olim coloniam inibi fuisse: quemadmodum in Hispaniæ antiquitatibus plene docuimus. *Tucci Vrbs. Martos oppidum. iam vrbs.* F

7. *Ossaria.*] Hoc oppidum, quamquam præclarum dicatur, nullam sui memoriam reliquit.

8. *Artemiam nomine.*] Prætee hos duos filios habuit etiam Artemia filiam nomine Auream, & ipsam quoque martyrem: de qua in fine libri tertij. Adulphi vero & Ioannis martyrium multis modis est celebratissimum. Multæ pec Hispaniam Ecclesiæ eorum festum diẽ celebrant. Is est Septembris vicesimus septimos. Vsuardi martyrologium eodem die Cordubæ passos fuisse memorat. Inde Romanum nuper ab Maurolico Abbate exauctum, videtur traductum. Ado Viennensis in Gallia præsul eosdem etiam eodem die in suo martyrologio posuit: vnde Equilinus Episcopus in suo catalogo retulit. Manifestum autem hic ex D Eulogio est, eos viginti annos & eo amplius hos omnes martyres præcessisse: siquidem initio huius regia passos commemorat.

9. *Iterum venio crucifigi.*] Verba sunt Christi ad Petrum Apostolum, Romam eum ibi crucis supplicium passus est, venientem: vt in martyrij eius historia legitur. Quam hinc iam intelligimus esse vetustissimam. Et sacellum hodie etiam Romæ visitur, eo ipso in loco, quo Christus hæc dicens D. Petro apparuit. G

10. *Tunc nos etiam ex antro.*] Diximus iam de Vtriosque carceris Cordubensis discrimine.

11. *Sicuti iam alibi.*] In Epistola ad Aluarum, quæ suo loco reddetur ibi larios hæc omnia perscribuntur. Ibi etiam vicesimo quarto Septembris occisas fuisse tradit. Annus vero facile astruitur, ex Epistola ad Pompelonensem Episcopum. Cordubensis Ecclesia eodem die festum harum sanctarum celebrat. Vsuardus Romanum exauctum, & Adonis martyrologia, Equilini etiam antistis catalogus earundem meminerunt. Sed desiit hic iam Eulogius hebdomadæ dies nominare, vnde indubitata certitudo temporis poterat sequentibus adhiberi Sed satis ad fidem & historiæ veritatem est, sanctum martyrem hæc retulisse.

CAP. IX. H

1. *Ona Faustus.*] De inclyta Toletana vrbe iam diximus. De sacris his tribus martyribus Cordubensibus celeberrima est in omnibus Hispaniæ Ecclesiis memoria insignis festiuitate consecrata: & copiosa historia in lectionibus matutinis repetita. Martyrologia omnia, & quicunque de Sanctis scripserunt eorum insignem habẽt mentionem. Sed variat alicubi festus dies. Alibi vicesimus octauus Septembris: alibi Octobris tertius decimus signatur. Vbique leguntur exusti. Illud diligenter est animaduertendum horum sanctorum martyrum cineres ad hæc vsque D. Eulogij tempora Cordubæ asseruatos fuisse. *Faustus & soc. martyres & Cordubenses.*

2. *Campania Cordubensis.*] Campaniæ nomen peculiariter ab Romanis olim ei Italiæ regioni fuit attributum, quæ Neapolim, Capuam, aliasque vicinas vrbes habebat & quod campestris tota esset & plana ita est appellata.

Digitized by Google

A Alioqui Campania pari ratione quæcúque similis regio dici potest. Nos certe Hispani id nomen in plana quæque transtulimus. Nam planities illa in Vaccæis, quæ longo tractu protensa Campos nunc, olim Campi Gotthorum, vt est apud Rudericum Toletanum, nuncupabatur: Campaniam vocatam in Compostellana historia, ante quadringentos annos scripta reperio. Sed peculiare magis fuisse videtur, vt Cordubensis planities, tantopere ab Strabone fertilitatis nomine commendata, Campania diceretur: Nomen adhuc paulum immutatum, cum Campiennam vocemus, perdurat.

3. *In supradicto sanctuario.*] Sanctorum trium Fausti & comitum templum intelligit.

4. *Era* 890.] Hoc loco in vetusto codice, ad signandum numerum nonagesimum, nota quædam fuit, & literarum colligatio peregrina, nobisque Hispanis penitus ignota: vt Gothicam fuisse appareat. Ea fuit huiusmodi L. litera, quinquagesimi numeri nota volgaris: B fuit posita. *Inde* 10. adiuncta, sed cui minuscula *altera* 50. superiori ex parte superiorus apicis cohæreret: ita vt quadragesimi numeri hæc vulgaris *nota* 40. compleretur: & ex notis vtriusque quinquagesimi & quadragesimi numeri, integer nonagenarius esset perfectus. Eam ego notam ad eum modum innexam in vetustis quatuor sacrorum conciliorum codicibus, quos habent sancta Ecclesia Toletana, & Regium D. Laurentij monasterium ordinis sancti Hieronymi ad oppidum Escurial vocatum, iam antes obseruaueram, & quæ esset liquido deprehenderam: Quæ omnia mihi hic sigillatim demonstranda fuerunt: vt si quis in vetustum D. Eulogij codicem incidisset, minime hæreret aut dubitaret: sed manifestam veritatem illico intelligeret, sequentiaque omnia probe digesta conspiceret.

CAP. X.

1. *Fuit præterea.*] Ex satis humili exordio sublimiori postmodum oratione D. Eulogius insurgit: vt iuxta C Horatij præceptum, fulgorem ex fumo proferret. Voluit enim plenius stylo grandiori horum Martyrum historiam contionare: & spiritus vere Christiani, vera ad Martyrium anhelantia ardorem dicendo proferre. Id non sine pia animorum commotione pij lectores non vno loco animaduertent.

F. Laurentius Surius D. Eulogij fragmentum vidit.

Videtur F. Laurentius Surius Cartusiensis in fragmentum D. Eulogij incidisse. Tomo enim quarto de probatis sanctorum historiis totum hoc caput cum nomine authoris inseruit. Ibi semper Natalia non Sabigotho Aurelij vxor nominatur. Surius autem more suo dictionem hic quoque & sancti Martyris stilum limauit. Id monuisse oportuit, vt nemo miretur, nimirum illa orationis filo ab his discordare, quæ nos religiose admodum nihil prorsus immutando, vt erant in exemplari conseruauimus. Si qua autem diuersa in Surio referuntur, suis hic noa locis annotauimus.

2. *Illius vel illius.*] Hispanismus.

3. *Vt in parte stramentum.*] Obscure significat, ponD dere catenarum asini clitellas subuarsas & deiectas, ita vt in caudam defluerent: eo enim crura retrorsum asello insidentis inclinata fuisse videntur. In Laurentio Surio longe diuersa hæc referuntur. & paulo post cœlestes per somnium visiones adnectuntur. Ego nihil prorsus in nostro examplari deesse video: vt hæc superaddita olim ab aliquo existimem Postmodum etiam filiarum Aurelij nomine Falicitas & Maria apponuntur. Desunt vero quæ de consulto Aluaro Eulogius prosequitur. In supplicio taman Sabigothonis plura referuntur.

4 *Serenissimi præceptoris.*] Diximus, qua modestiæ ratione Aluarum, qui condiscipulus fuisset, præceptorem suum vocet Eulogius. Serenissimi etiam titulum additum, nobilitatem in Aluaro astruere demonstrauimus.

Aluarus. Monasterium sancti...

5. *Monasterium sancti Sabba.* Calebratur in libris de Sanctorum Patrum vitis hoc cœnobium: & ipse sanctus Sabba, vbicumque da sanctis eremi cultoribus agitur, est notissimus.

E 6. *Martyrij sui breuiarium.*] Hac voce Plinius & Suetonius vtentes docent, quodcunque opus, & in historia præsertim, summatim, & per compendium scriptum sit, ita solere appellari.

Sabba. Breuiarium.

7. *Insulam.*] Catachtisis illorum temporum est, quales aliæ pleræque.

8. *Reuelatis vultib9.*] Apparet profecto Christiani moris tunc ex Pauli Apostuli doctrina fuissa, vt non in Ecclesia solum sed itinera ad Ecclesiam caput fœminæ velarent. Poterant etiam honestatis causa, & ne ab Sarracenis pulsarentur, velatis capitibus fœminæ Christianæ misero illo captiuitatis tampora incedere.

9. *Illico viros interrogat.*] Aurelium profecto & Felicem, qui cum vxoribus processerant.

10. *Osculatis manibus eius.*] Cum Sacerdos non esset, reuerrentiæ tamen ergo, ab Martyre futuro veluti benedictione Sacerdos etiam Elogius petabat. Nisi credas iam tunc hunc morem hodiernum cœpisse, vt nos Hispani F osculari manus & dicamus, & facere aggrediamur.

11. *Visibus.*] Quasi dicat quibusdam veluti experimentis.

12. *Sexto Kal.*] Multis locis apparet Adunem Archiapiscopum hos D. Eulogij libros legisse: & in horum Martyrum mentione præsertim: siquidem quamuis sub compaodio, omnia tamen digniora retulit, quæ hic ab Eulogio commemorantur. Cæterum referente Equilino Episcopo, non Sabigothonem, sed Nataliam eius loco nominat. Sed neque Ado, neque Surij fragmentum recte diem aut mensem notarunt, qui Augusti vicesimum septimum his Martyribus tribuerunt.

13. *Pilemelariensi cœnobio.*] Cum iterum fusius huius cœnobij mentio occurrerit: tunc nos da eius situ, quæ oportet dicemus: id erit *lib.* 3. *c.* 12. In Surio prædictum ab Aurelio refertur, se ibi sepeliendum.

14. *Apud Genesium Martyrem.*] Metonymia, qualis illa Horatij: Scripta palatinus quæcumque recipit Apollo. Et multa huiusmodi, quibus Christiani frequenter G vtuntur.

15. *Et Sabigothonis incolum.*] Locus hic in veteri codice fuit mutilus, & linea integra cum dimidia vacua relicta, vt si quando posset suppleri. In Surio nequa capitum saltem mentio est.

CAP. XI.

1. *Contribulis noster.*] Tum hic, tum etiam superius hac voce vsus Eulogius, indicat plane habitationis tantummodo vicinitatem.

2. Roiana.] Neque hic quid dicam, tametsi exquisierim, reperio. Eodem quoque silentio Fraga locum & Leiulensem vicum, qui paulo post nominantur, prætetibo.

3. *Eliberi.*] Corruperant nomen huius vrbis Gothica tempora: cum Iliberi Romani protulissent. Ex illa corruptela maiorem postea Arabes inuexerant, Elberiam nominantes: vnde nos tandem nunc Eluiram pronuntiamus: Fuit enim vrbs hæc non longe ab inclyta vrbe H Granata, in colle, qui nunc Eluiræ mons appallatur: cum vrbis etiam porta, quæ eo ducit, Eluiræ nominetur. Illud animaduersiona dignum, vero simillimum videri, Ili prisca Hispanorum lingua oppidum significauisse. Inde tot vrbium, sed in Bætica præsertim, nomina id in principio retinebant. Ilitutgi, Ilibri, Ilipula, Ilipa: & alia eiusmodi. De quo nos in Hispaniæ antiquitatibus.

4. *Quinque milliarios lustros*] Viginti longo circuitu significat.

5. *Tertio decimo Kal.*] Dies in Vsuardo, Adone, Equilino: & Cordubensi breuiario concordat. Is ast Augusti vigesimus.

CAP. XII.

1. *Sancti Cypriani.*] In sancti Pelagij historia huius etiam basilicæ mentio erit.

2. *Decimo secundo Kal.*] Dies ast Septembris quintus

decimus,

decimus, qui aperte in veteri exemplari notatur. Vsuardus, breuiarium Cordubeose, Ado & Equilinos paucis diebus variant. Io Adone & Equilino Emilianus, non Emila scriptum legitur. Et recte sane non longo interuallo post Christophorum & Leouigildum hos duos Martyres coronatos scripsit Eulogius.

CAP. XIII.

1 *Cum adhuc.*] Notat hic quoque modicum temporis interuallum. Et nullna equidem dies intercessit:

2. *Parabanda.*] Ignotus nunc vicus.

3. *Fanum illud.*] Templum hoc Cordubense intelligit Arabicæ structuræ, quod hodie perdurat, maiorisque Ecclesiæ dignitatem obtinet: & sua magnitudine, columnarum multitudine marmorum præstantia, operis subtilitate, & multis aliis sui partibus admirationem, atq; adeo stuporem spectantibus præbet. Iam enim fuerat ædificatum ab Rege Habdarrahgman secundo, & Issen eius filio. Authores sunt Rasis & Rudericus Toletanus antistes in Arabum historia.

4. *Decimo sexto Kal.*] In sequenti post Emilam & Hieremiam die hi martyres perimuntur: quos nullum breuiarium commemorat.

CAP. XIV.

1. *Tunc iam proculdubio*] Aut significat neminem deinceps tam ex Christianis quam ex Sarracenis ausum fuisse non deferre ad iudices quemcunque audisset pseudoprophetæ Mahometo maledicentem: aut certe permissum Sarracenis fuisse, vt quem Christianom ita maledicentem audirent, ipsi protinus, non expectata publica damnatione, impune interimerent

2. *Quod quibusdam.*] Docent ad hunc modum sacri Theologi Martyrium donum Dei esse, quibusdam peculiariter à Deo tributum. Illud autem est animaduertendum, diuersum hanc esse Ecclesiæ Hispanorum persequotionem, ab illa Cordubensi, in qua captus est D. Eulogius. Tempora id docent euidenter. Ex *libri primi cap. primo* nos exquisitius docuimus.

CAP. XV.

1. *Nobiscum vel fugere.*] Hoc namque erat imbecillioribus, & qui Martyrio impares erant permissum diuinæ legis indulgentia.

2. *Plurimis etiam,*] Contra hos tum primo libro, tum etiam in Apologetico D. Eulogius fusius disputat.

3. *Nos quoque authores.*] Hanc grauissimam insectationem pertulit D. Eulogius quasi futuri Martyrij præludium. Vt non subito gladij ictu tantummodo mactaretur: sed carnifices quoque eius ipsi Christiani, ipsi fratres existerent, quotidiano conuicio illum proscindentes.

D 4. *Præsenti concilio Episcoporum.*] In tanta calamitate & dira Ecclesiæ persequutione conuenerant prælati, vt de remedio si possent, quoquo modo prouiderent. Et Rex etiam iusserat vndique metropolitanos, quod mox apparet, conuenire. Nationale ergo, vti vocant, concilium hoc fuit: nisi conciliabulum tali authore congregante malis appellare. De hoc exceptore postea *lib.* 3. c. 3.

5. *Inbibitum esse Martyrium.*] Hæc quæ sequuntur, ad finem vsque periodi decretum ab concilio editum continent, subobscure tamen. Consilium enim præsulum in concilio fuit (vt misere laboranti & periclitanti Ecclesiæ hac ratione prospicerent) edicere quidem & præcipere, quod regi, quod proceribus placere posset leuiter intuentibus. Cæterum cum vererentur quippiam, quod Dei summi maiestatem & Christianam religionem offenderet, constituere: ita decreti verba attemperarunt, & consulto quasi fabrefecerunt: vt nihil impium, si quis penitius rimaretur, assererent. Hoc est quod in sequentibus prosequitur D. Eulogius. Et multo quidem erant omnia in exemplari obscuriora: & qua multo cum labore, adhibito etiam sapientissimorum hominum iudicio & lima, fuerunt dilucidiora aliquanto, vna aut altera voce tantummodo adiecta, reddenda. E

6. *Inculpabile.*] Hoc est culpa prorsus non caruit. Sententiam enim suam iam hic profert D. Eulogius. Et de hoc ipso edicto libellis etiam & schedis euulgato loquutus videtur *lib.* 1. *ad fin.* Quamquam manifestum est de altera diuersa ab hac Sarracenorum perturbatione initio *libri huius cap. primo* scribere: vt ipsius sancti verba tum hoc, tum etiam illo loco, & initio septimi capitis aperte declarant.

7. *Quinimo nisi legitima satisfactione.*] Hoc ait. Necesse fuit profecto imbecillibus satisfacere: ne edicto scandalizarentur, si forte id tantummodo, quod ab Sarracenis volebat concilium intelligi, ipsi etiam intelligerent. Oportuit ergo, vt iis, imbecillibus inquam & pusillis, satisfieret: tum legitima interpretatione ad eos; & propter eos adhibitum etiam causis explicatis, quæ ad eum modum edictum conformare compulissent. F

CAP. XVI.

1. *Denuo Pontifex.*] Cordubensem Episcopum intelligo, quem nusquam proprio nomine designat. Apparet autem iterum antea hunc ipsum præsulem in vincula fuisse coniectum: Reccaffredi tumultu, vt ego existimo.

2. *Ingredi foris.*] Hoc est, domi se continerent nobiles Christiani, pedem inde efferre non audentes.

3. *Pendentia stipitibus.*] Quatuor Martyrum Emilæ & Hieremiæ, Rogelli, & Seruio Dei, qui postremi passi sunt, intelligi necesse est. Cæterorum namque, vt ex superioribus liquet, non supererant, exusta partim, partim sepulta. Quid ad sequentem temporis peruestigationem hic iam annotasse oportuit.

4. *Nos autem.*] Hinc apparet D. Eulogium, hunc librum secundum hoc ipso tempore, quo Mahomad regnare cœpit, scripsisse. Nondum enim sequentia, quæ tertio libro prosequitur gesta fuerunt. Quod plenius etiam superaddita hoc loco oratio demonstrat: in qua præterea latere se dicit, cum scriberet. G

IN ORATIONEM.

MOs fuit ab Gothorum temporibus ductus, vt Hispani scriptores, opera sua oratione ad Deum fusa, aut inciperent, aut clauderent. Id in D. Illefonsi opere de laude Virginis Mariæ, & in sancti Iuliani Archiepiscopi Toletani libris apparet.

DIVI EVLOGII CORDVBENSIS, Martyris, Doctoris, & electi Archiepiscopi Toletani; memorialis Sanctorum Liber tertius. H

CVM igitur præcedentium voluminum series affatim impiorum crudelitatem, quæ diu inexpugnabilium virorum constantiam enisa est fatigare, digesserit, vtroque assertionis gressu ortus, ætates, actusque belligeros percurrat Sanctorum: plus aliquid teor sæuitiæ in nos commissum tertius hic liber non sine ingenti vulnere pandet. Nec me quidem supercilio arroganti hac occasione vti intendant, quod tantæ materiæ parui admodum, & (vt ita dixerim) vilissimi ingenioli fulcimen adhibuerim, aut forte non res veras nos elucubrasse condemnent. Qui eo intuitu operis huius concinnauimus structuram, quo nimirum omnia æquitate districti iudicis in futuro nouimus diiudicanda. Quem nec fallere abdita cogitationum, nec qualitas operum potest. Nam ego, qui scio suo quemque oneri coram Domino subiacere: cur propriis diu grauatam substantiam meam molibus, externo pondere deprimere vellem? aut quid

commodi

A commodi compicto mendscio mihi conferri speraiem es omni postmodum verbo rationem pensutus? Sed hinc agitatur tenuis scientiæ venulis mens contenta, quod tem non dicam magni fluminis tantummodo, verum etiam immensi æquoris affloentia necessario irrigandam attentat: quæ vix paruissimi stillicidij sudorem itrorans: quasi quasdam conctirij, & extorti liquoris guttulas profluit. Nec ab re fessi viatoris comparatione impertiar, qui vigore virium eneruatus, sæpius in itinere sedens, eo vehementius conlassatur, quo crebrios per loca varia compaosatur. Ita & nos totius vbertatis expertes scientiæ, quasi debilitato gradu per inuia loquutionis residemus; pigroque (vt ita dixerim) gressu vix opusculorum limitem contingentes, vbique finem loquendi optamus. Et tunc magis magisque debilis viator quassator, cum se iam de peruentione itineris gaudere spetans, denuo ex improuiso emergere sibi adhuc inopinatum conficiendom cernit spacium. Vnde & nos, qui iam finisse

Comparatio.

B opusculum credebamus, ac veluti procellosum mare in naufragio transmissum remigio, lætabamur, & optati portus salui fruebamur quiete: nunc aliud fortuito contuemur superuenisse, quod operæ pretium præmissis opusculis sit addendum. Tendimus igitur paucitate facundiæ coarctati, tendimus imminentium persequutionum casibus occupati: & quasi in contrarium vento surgente, in altum nos demum deuolutos pelagus, inhorrescimus. Confidimus autem eius nos incunctanter bonitatis iuuamine prosperari, qui dignos nos eorum visu, & amicitia diiudicauit, vt qoorum fruebamur dulcedine, etiam trophæis imbueremor.

CAP. I.

Initium regni Mahomad regis.

C Æterum, vt in fine secundi operis annotatum est, adepto Mahomad patris imperio, cōfestim in promptum odium cootra nos prorumpens, ipsu die, quo fascibus iofulatus, solium regnaturus conscendit, Christianos omnes palatio abdicans, indignos aulæ principali mioisterio promulgauit. Quos iterum post non longu interuallo sub tributario censu præscribens, plures præmio regali priuauit, qui dudum militaribus vescebantur annonis.

Christiani palatio eiecti.

Eccl. 10.

1. Et quia scriptum est; Secundum iudicem populi sic & ministri eius, ipsis per idem tempus gubernacula vrbis committit, qui consimili zelo controuersiæ aduersum Dei populum laborantes, cum vbique affligerent, euerterent, & opprimerent: vt non solum vatem suum nullatenus infamari præsumerent, verumetiam terroribus compulsi abominabilem confiterentur culturam. Sic quoque mœror importabilis & persequutio truculenta vndique nobis obuiaos, plerosque præuaricationis laqueo immergebat.

CAP. II.

Præuaricatio illius exceptoris, qui pridem sanctos anathematizari compulerat.

D Multi autem sua se sponte à Christo diuertente adhærebant iniquois, sectamque diaboli summo colebant affectu, sicuti ille spurius, & sanctorum benedictione indigoos, de quo in libro secundo meminimus agir. Qui sæcularis reuerentiæ pompam rebus præponens cœlestibus, inauditaque libidine pro Deo officium veneratus, post biseno mense, quo sanctos anathematizari decreuerat, nosque fœdis conuitiis impetierat, honore deiectus est. Gratia itaque disertudinis liguæ Arabicæ, qua nimium prædius erat, solus è Christianis à consulibus in officio exceptoris detentus, post aliquos menses, & palatio, & ministerio est abdicatus. Quod factum non leuiter ferens, cum se deiectum aspiceret, priuatumque tanta dignitate alrius suspiraret, præstan-

Lib. 2. c. 35.

Exceptor impius Christum abnegat.

E tius Deo moti, quam non viuere sæculo eligens continuo, fidem sanctæ Trinitatis spernens, cedit sectæ peruersitatis, & nequaquam se Christianom vult iam vltra videri. Quapropter in deteriora conuersus, qui nusquam simplicia meditatus fuerat, exol Christianis effectus, adunatus gentibus, crebroque discursu illud impietatis delubrum, quasi vnus è ministris diaboli frequenter ingreditur, expulsus de templo Domini, quod dum adhuc fidelis existeret, sera ac pigra visitatione incoluit. Scriptum est enim; Non habitabit in medio domus meæ faciens superbiam, & qui iniqoa loquitor, non direxit in conspectu oculorum meorum. Idem vero post negationem in honorem pristinum restitotus, palatio reformatur: quo pædica & hamus cæteros illiciendi existens, foret aliis in præuaricationis scandalum, qui causa gloriæ temporalis sibi fuerat laqueus.

Psal. 100.

CAP. III.

F

Destructio Basilicarum.

Interes eum sæpius contra Dei cateruam sæua principis conspiratio inolesceret, affligeretque vbique Christicolas, & nec sic omnes generali dilapsu, vt fidebat ad ritū suū proroerent, iubet Ecclesias nuper structas dirnere, & quicquid nouo cultu in antiquis basilicis splēdebat, fueratque temporibus Arabum nidl formatione adiectum elidere. Qua occasione satrapæ tenebrarum inde capta, etiam ea templorum culmina subruunt, quæ à tempore pacis studio & industria patrum erecta, pene trecentorum, à diebus conditionis suæ, numerum excedebant annorum.

CAP. IV.

G

De seditione prouinciarum.

Et quia vndique dibellionum Insurgentia bella magnaio ei molestiam inferebant: nam libere in cunctis Hispaniæ vrbibus, quas vigore potestatis & egregij potentia intellectus, largoque munere præmiorum pater suus acquirendo domauerat, & obsederat, hic priuilegium dominandi gerebat. Præsertim cum & ex aliquibus locis cæsum, & fugatum exercitū suum cernens vbique imminui, vbique se gemeret in deteriora conuerti. Idcirco contra nos diu meditatum in futurum differebat perditionis interitum, tardoque ac pigro impeto ecclesiarum operabator ruinas. Nam nullos credu Christianorum (nisi ista difficultatis obstarent repagula) secum pateretur morari. Quinimo, vt iam alibi præmissum est, si commodam regnandi haberet licentiam, Iudæos etiam à se repelli compelleret, Quo solius gentis suæ comitatu vallatus, his præesse solummodo mereretur, cum quibus inextricabilia æterni barathri lueret tormenta, nec alterius diuersitate religionis vnitas damnabilis culturæ scinderetur. Ex qua, Deo vocante, & per splendentia fidei sanctæ mysteria compungente, plures admodum recedentes, & pietati adhærentes, mortemque specie firmiori propter Christum excipientes, idem ingemiscebat: præter eos, qui nimia carnis impediti formidine ardua cordis contritione Christo tegi sub chlamyde adhuc militant.

H

CAP. V.

De odio suorum aduersus regem, & de ipsius auaritia, & de tributis Christianis impositis.

Cumque Ecclesiam Dei flammis inuidiæ inurendo, interno cogitamine cortosus tabesceret, & suorum pacem affectaret, hæc & huiusmodi contra nos exercere disponeret: in nullos tamen diuinam dispensationem humana procacitas præualet immutare. Quæ cum

A cunctis odibilem, vniuersis exosum, omnibusque execrabilem reddens, etiam domestico, & vt ferunt pellicum suarum odio, vel maledicto impetitur. Verum vt scriptum est; Rex iustus erigit terram, vir autem auarus destruit eam; hic idem inauditis cupiditatum fascibus ardens militum annonas demutilat; tribunorum coarctat donaria, lunaremque præmiorum discursum imminuit, 1. Et cum sibi vilia admodum, & pene exigua à vicinioribus locis reddi vectigalia cerneret, quia videlicet si culpa vulgi is ad sceptrum Deo dispensante admotus est, tamen huius meritorum improbitate vrbes ac nationes in stimulum recalcitrationis inductæ, non ad integrum tributis prouinciarum eum perfrui patiuntur: ideo in nos arma districtionis conuertens, & vt lutum platearum dominij planctu conttibulat: quorumdam Christianorum eius optioni fauente nequitia (si tamen Christiani & non magis operarij iniquitatis appellandi sint) qui vt priuilegiū chirographa exigendi obtineant, 2. sortem Domini fideliumque conuentum suo vadimonio vel crimine à rege mercantes, importabili censusonere colla aggrauant miserorum, quotidie plebem Domini pessimantes. Illa procul dubio plectendi in futurum sententia quæ talium condemnans excessus, ait; Et qui pessimant plebem tuam, inueniant perditionem. Quibus vtique secundum veritatis edictum felicius erat grauatis molarum pondere collibus profundo mergi, quam tanto pusillanimes perturbari scandalo, aut tantam vim gregi paruo inferre, cui patri dare regnum complacuit. In quorum conspectu Deus non est, & à quorum intuitu iudicia Dei sublata sunt. Semper inuidi, semper iniqui, vbique malitiosi, in alterutram iracundi, in aliorum euersione pacifici, in confederationibus infidi, in conspirationibus conciti, in circumuentione versuti, in apparatu noxietatis aptissimi. Pro se inuicem disparati, ad perdendum cæteros adunati, ad decipiendum excitati, ad miserendum pigri. In incessu tumidi, in assertione superbi, in promissione dubij, in datione auari, in largitione parci, in acceptione auidi id promittentes, quod dari nequeat, id conferentes, quo frui non liceat. Qui non dormiunt, nisi malefecerint, & consurgere ad iniquitatem festinant. Qui lætantur cum male fecerint, & exultant in rebus pessimis. Et cum se Christianos esse pronuncient, Christum quotidie in membris eius crucifigunt, Iudæ proditoris documenta sectantes, qui præceptorem venaliter distrahendo, pecunias crucifigens sibi quidem laqueum perditionis effodit, mundo autem libertatem debitam contulit. Hi vero se eidem incorporantes, cum redemptos eius crudeli accusatione affligunt, & (quod non sine grauis cordis mei vulnere profero) quos tueri debuerant, quia summus inuicem membra Christi, eum (proh dolor) negare compellunt.

Prou. 29. — *Christiani quidam Christianorum persequutores.* B — *Eccl. 16. Matt. 18.* — *Luc. 12.* — C — *Prou. 2.*

CAP. VI.

De insultatione Procerum contra martyres.

D *Cap. 1.*

His interim imminentibus malis, & huiuscemodi ærumnis Ecclesia vapulante ferunt ob hoc regem ingenti crapularum lætitia, ampliora fidelibus scandala irrogaturum se promittere: & vt alibi taxatum est, dira incursatione, molestiaque contriturum, si commodum regnandi successum diutius obtineret: adeo vt plerique procerum olim decedentium martyrum, subsannantes constantia, nobis referrent: quo nunc abiit illa vestrorum virtus agonistarum? quo aufugit magnanimitas? qua absorpta temeritas delitescit? vbi se eneruata fortitudo abduxit? qui dudum concitis gressibus certatim ad expugnandum dogmatistem nostrum occurrentes, debita vltione perempti sunt? Nunc adsint, nunc veniant, modo properent, si diuinitus inspirati, illud in veritate conferuent certamen.

* * *

E

CAP. VII.

De Fandila Martyre.

Dum ergo in nos huiuscemodi irrisionibus insultarent, & hoc deludio nostram pene consummatam cladibus fatigarent miseriam: adolescens quidam Fandila ephæbus, aspectu decorus, honestate vitæ probabilis, sanctus, & timoratus Presbyter inter has cædes, sæuaque discrimina, hostium aditumque primus exercendi Martyrium sub huius tyranni priuilegio patefecit. 1. Hic itaque ex vrbe Accitana progenitus Cordubam discendi gratia veniens totam pene pubertatem ibidem sub pædagogi traditione peragens, confestim vt adolescentiam abiit, Monastica oblectatus conuersatione, illico Monachis se Deo iugiter militaturus admiscuit. Qui aliquibus locis peragratis ac demutatis, in quibus ardēs deuota mēs requiescere non poterat vltimo se in Tabanense cœnobiū contulit. 2. Ibi aliquandiu sub regulari disciplina, vel regimine Abbatis Martini demorans, perfectius in timore Domini claruit. Et quoniam summæ humilitatis magnæque obedientiæ erat, ideirco gratia sanctitatis, qua cœlitus refulgebat, diu implorātibus ac rogātibus Monachis cœnobij S. Saluatoris, quod haud procul à ciuitate Cordubæ in parte Septemtrionis ad radicem mellatis pinnaculi situm est, ad officium sacerdotale prælectus inuite, & (vt ita dixerim) violenter instantia vel præiudicio Abbatis sui sanctum ministerium suscipit, & nihilominus ieiuniorum, vigiliarum, orationumque solito propensius labores adaugens, ambulat de virtute in virtutem visurus Dominum in Sion scalis meritorum euectus. Cuius venerabilem vitam, cunctisque necessario imitabilem conuersationem, cum affatim digno laudum præconio eorumdē fratrum atque sororum, quibus præerat, relatione pandatur, eo tamen magnificentius declaratur, quo florentissimam iuuentutē animo robustiore transgrediens, gladio martyriali non cunctatus fuerit subdere. Igitur comitante ipsum perfectione timoris Domini, cum omnia terrena despiciens mentem cœlo suspenderet, cuperetque dissolui melius, & cum Christo manere, quam rebus hærere caducis, quodam die obstinato vultu iudici astans, prædicat Euangelium, impudicum exprobrat vatem: cœtumque noxiæ combinatum culturæ pædoribus (nisi resipiscens pietatis fidem apprehendat) vltricibus luiturum pœnatū incendiis protestatur. Hinc carcere trusus, & vinculis coarctatus, latronum mansionibus alligatur, principali postmodum sententia decollandus. Quod factum iudex regio intimari audiui non differens, accenditur igne furoris immensi, & quodam hebetatus horrore imitatur, stupidus, quæ esset illa victrix audacia, quæ tantæ gloriæ non expauerit regem, tamque sublime vanitate & superbia caput, atque (vt se putabat) super omnia excellens talibus non reuerentiæ ausibus propulsaret. Quamobrem eodem momento sub voce terribili Episcopum comprehendi decernit. Sed ipse fugæ præuentus remedio saluatur. Nam ferunt quod iam tunc eum nulla intercedente dilatione punire decreuerat. Iusserat etiam omnes Christianos generali sententia perdere, fœminasque publico distractu dispergere, præter eos qui spreta religione ad cultum suum diuerterent. Et nisi hoc edictum consultu satrapum quassaretur, qui pro eo quod nullus sapiens, nemo vrbanus nullusque procerum Christianorum huiuscemodi rem perpetrasset, idcirco non debere vniuersos perimere asserebant, quos non præit personalis dux ad prælium. Et hinc credo iam funditus Christianismum nostrum partim gladio, partim præuaricatione extinguerer. 3. Fortissimum vero athletam gladio interficiens patibulo vltra amnem suspendi præcepit.

Accitana vrb. — F *Tabanense cœnobiū Abbas Martinus.* — *S. Saluatoris Monasteriū. Pinna Mellaria.* — *Ps. 83.* — G — H *Episcopus Cordubensis in carcerem dari iubetur. Graue Christianorum periculū.*

A

CAP. VIII.

Gesta Anastasij, Felicis, & Dignæ martyrum.

1 *S. Aciscli basilica.*

QVem sequens alio die Anastasius Presbyter, qui ab ineunte ætate apud basilicam sancti Aciscli Cordubensis disciplinis & litteris aruditus, vsque ad plenam iuuentutem ibidem in diaconatus officio degens, post monastica vita, qua dudum fuerat spreto ministerio oblectatus incenibus egerat, 2 demum sacerdotio applicatur. 3. Concito gressu petens adstat consulibus, hostemque fidei veridicis assertionum stimulis feriens gladio confestim abscissus suspenditur. Cum quo & Felix monachus ex oppido Complutensi progenitus natione Getulus, 4 & quadam occasione in Asturias deuolutus, 5 vbi & fidem catholicam, & religionem monasticam didicit, eodem die hac professione decissus affigitur,

Oppidum Complutense. Asturia.

B

Cumque dies illa maximum cursus sui explens metabulum, iam pene in horam nonam diuergeret: 6. virgo quædam adolescentula merito, & nomine Digna ex collegio venerabilis Elisabeth, cuius rationem liber secundus edisserit, Deo reuelante & confortante ad palmam processit. Paulo namque ante martyrium suum assistere sibi per somnium videt puellam habitu & specie percomptam Angelico, rosas ac lilia manu gestantem. Quam cum de nomine, causaque sui exploraret aduentus; Ego sum (inquit) Agatha olim propter Christum ditis attrita suppliciis, & nunc veni partem tibi purpurei muneris eius conferre. Accipe libens donarium, & viriliter age in Domino; nam vt reliquias rosarum & liliorum, quas in manibus ferno, post te ea hoc loco datura sum migraturis. Talis denique virgo sacratissima visu ac munare illustrata, cum è dextera colloquentis rosam susciperet, auris admixta cœlestibus ab oculis intuentis eleuabatur. Hæc autem puella cum pro summa humilitate, atque obedientia inter conuirginales vltima se indicaret, esserque incomparabili apparatu obsecundatria, nunquam tamen appellari se Dignam patiebatur, dicedatque cum lacrymis; Nolite me dignam 7. vocare sed magis indignam, quia cuius meriti sum etiam nomine debeo insigniri. Et cum à die reuelationis suæ amore compuncta martyrij tacito cogitamine, quibus ad id posset indiciis aspirare, sæpius ruminare cœpisset, fit affatim lætior horum instructa martyrio, quo quasi his præcedentibus hæc firmiori gressu succederet ad corouam: ideoque apertis silenter cœnobij claustris, cum iam beatos pendere competisset martyres, concito gradu iudicem petens cur fratres suos præcones iustitiæ trucidauerit affectione intrepida percontatur. An quia (inquit) Dei cultores existimus sanctamque fideliter colimus Trinitatem Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum vnum, & verum Deum fatentes, & omne quod ab hac credulitate dissentit, non solum negamus, verumetiam detestamur, maledicimus, & confundimus, idcirco confodimur? Hæc & his similia sancto, & immaculato ore disserente puella, nihil cunctatus arbiter lictoribus decollandam committit, qui mox delicatis inserunt iugulum collibus. Nec mora consternatis corruens membris equuleo deorsum versa suspenditur, cæterisque trans flumen adsciscitur. Hoc namque ordine hi tres vocati Anastasius, scilicet Presbyter, Felix monachus & Digna virgo beata eodem die dispariter ceciderunt, XVIII. Calendas Iulij, Era. 891.

Elisabeth abbatissa.

Agatha Dignæ apparuit.

C

Dignæ humilitas.

D

Annus Domini 853: dies Iunij 14.

E

CAP. IX.

Benildis matrona Martyr.

DEnique hos sequens Benildia fœmina ætate iam prouecta, & vt ferunt non medie timorata, sub professione cæterorum occubuit xvij. Calend. Iulij, Era qua supra. Quorum cadauera 1. post aliquot dies ingenti concremata incendio, ad vltimum fluuij proiectu dispersa sunt.

Annus Domini 853. dies Iunij 15.

CAP. X.

Sancta Columba Martyr.

COgimur vel numerositate certantium, vel debita sponsione votorum, in longam dictionis seriem stylum protendere. Hinc est quod, vltra quam putabamus, in magnum codicem materies aucta opusculi, pene modum mediocritatis excesserit. Quia post tot funera, & importabilium ærumnarum discrimina, nullum prorsus talia opinaremur aggresturum. Nos tamen ab inchoatis nullatenus reticemus, quo cunctorum rationes vt promisimus enarremus.

F

Interea fugit virgo quædam nobilis & decora Columba nomine, ex oppido Cordubensi progenita, præfati abbatis Martini, & Elisabeth, de quibus in præcedentibus memorauimus, soror. Quæ cum inter bona parentum tenerrime in annis puellaribus degens propositum Elisabeth sororis suæ, quod cum viro suo Hieremia, 1 adhuc vulgo admixti, gerebant agnosceret, qui longe antequam monasterium peterent, multis se Christo religionibus inter conuentus populi consecrarunt? persæpe genitorum relicto consortio, domum sororia frequentius visitans, talibus se consignandam votis exoptat, anhelaque huius propositi verna cupit existere. 2 Confestim itaque terrena omnia spernere desiderat: sed aduersatur puellæ intentioni genitrix repugnatura. Quæ etiam contra sobolem Elisabeth eiusque virum fœdis iracundiæ motibus excitata, grauiter conqueritur, quod ita adolescentis illiceret animum: quod sicut se, & istam disperderent, mundumque flore suo vernantem dissipato matrimonio relinquentes, in solatio exterorum id cuperent congerere.

Martinus & Elizabeth.

Hieremias Martyr.

G

Inter hanc autem conflictationem (vt vulgi mos est) disquiritur ad copulam nuptialem puella: crebrisque interpellationibus sæcularitate inuoluere exoptant, cœlestium thalamorum nuptiis diuinitus assignatum. Et cum nec illa consentiret, nec mater desisteret quo nihilominus nuptui traderetur: ipsa mater (Dei prouidentia) ex improuiso molestia ægritudinis occupata, sub celeri vocatione mundo exempta recessit. Remanet Dei famula, non tam matris obitu contristata, quam lætior suæ deuotionis sine cuiusquam præiudicio adimplendæ.

Verum nonnullo tempore in sancta religione apud vrbem vtrisque sororibus versantibus, continuo expletoriâ propriis (vt diximus) sumptibus Tabanensi cœnobio, eo se viri cum mulieribus Christo militaturi conferunt. Ibi sancta virgo terrenis se exuens, hæret cœlestibus, & mentem ad studium scripturarum conuertens, fit admodum eruditior inuestigandi, ac disserendi sententiarum obscura. Crescit Beatæ Virginis sanctimonia, & late diffusa cœnobij fama, etiam procul sitarum ad se vrbium discursus inuitat, quo talium exemplorũ magisteriis imbuerentur. Hæc autem virgo sub fratris sui Martini, & Elizabeth, regimine manens, præcellit meritis, & gratia honestatis omnibus præit. In conuersatione laudabilis, in humilitate sublimis in castitate perfecta, in charitate firma, in exorando attenta, ad obediendum apta, ad miserandum clemens, ad indulgendum facilis, ad prædicandum diserta, ad instruendũ prõpta. His quoque virtutibus clarens cunctorum in se prouocabat affectum, omnibus normam speculumque sanctitatis existens. Et quia crebro aduer-

H

Tabanense Monasterium.

Martinus & Elizabeth sanctæ Columbæ.

sarij tentatiooibus propulsabatur, Ideo frequentioribus se coram Domino fletibus mactat: verens ne diu congesta laborum vilissimi prædonis irruptione perirent. Hinc ad maiorem sanctitatis cautelam erigitur, metuqne hostia adaucta, solerius ad summam virtutum districtiori vita contendit. Hanc sæpe ægrimoniis tentator macerat, immittit fastigium; speciẽ virorum prætendit, longum astruit victum, diuersisque fatigat phantasiis. Quibus horribili metu compulsa luget immaniter, ne lapsu mortis à consortio dirimeretur sponsi, cuius tanto se ardoritatis asserebat interius esse conflagratam, vt quasi excisæ carnis cicatrice pro eios desiderio mente vulnerata existens, nisi loco eius intuitu in cœlis nullo modo se perhibebat posse sanare. Nullũ vnquam peccatorũ quanuis grauioribus oppressum peccatis sermone suo læsit, de nullius actibus iudicauit, de nullius desperauit, salute, nec quenquam licet fœdis infamatum despexit rumoribus. Scio (referebat) versutias dæmonum, scio insolentias hominum, qui interdum ipsum maledictionis, subsannatione imperunt, quem probatum digniotibus meritis habet omnipotens. Multa sunt enim iudicio condemnata humano, quæ diuino sunt probata, & sanctificata consilio, & plerumque opinationibus suis transgrediuntor homines diuinam sententiam: dum cuius meriti apud Illum quisque permaneat, nesciant. Et tamen iam quasi præsagi occultorum vel dignum prædicent, vel reprobum infament. Cum vtique inculpabilius, si ad se reuerterent, iudicarent: etsi quanto, vel quali oneri vnusquisque subiacest, vel quo sit debito reus intenderent, nullatenus culpabiliter de incogniris disputarent. Sed agunt nonnulli hæc, quo in veritate exprobratio diuina contra nos olim prolata firmetur, quæ ait, Attendite, & auscultate. Nemo quod bonum est loqoitur, nullus est, qui agat pœnitentiam propter peccatum suum, dicens, Quid feci? Qui proprij facinoris trabe neglecta, de festucis aliorum sollicitì permanentes, quod leui susurrationis aure captauerint, verum nihilominus, & nullatenus incredibile esse affirmant. Nunquam autem virgo clementissima sine causa iram admouit, nisi cum forte aut infantulis, aut aliquam è sorotibus negligentem aspiceret quas solo intuitu oculorum redarguebat humiliter Nunquam aliquando in cuiusquam protupit contumeliam, numquam os eius vaniloqnio est occupatum, nusquam aniles & otiosas fabulss suis passa est admitti auditibus. Christum corde, Christum ore sæpius meditans, illam frequentius cum omni affectu canebat antiphonam, quam in laudem Sanctorum Beati Patres suaoi cantu aptauerunt, Aperi mihi Domine paradisi ianuam, vt ad illam patriam reuertar, vbi mors non est, vbi dulce gaudium perseuerat. Cum his colloqui delectabarur, quorum mens spiritali virtute succincta mortificata cum vitiis, & concupiscentiis membra gerebant, nec cuiquam se nisi forte spiritualibus viris, & id perrarum, ac seruis visendi præstabat accessum. Quia claustra fœminarum à cellulis Monachorum altis interiectis disparata maceriis, licet vnius patris gubernaculo regerentur, hæ tamen sequestratis se mansiunculis retrudentes, nulli omnino contuendi se facultatem præbebant. Sed si subinde aut fratribus congrua instaret necessitas, aut hospitium pia impetraret humanitas, sola venerabilis Elizabet per fenestram se exhibebat cernendam, quæ prior, & totius erat mater vera Monasterij.

Quodam igitur tempore petiit à consototibus Columba, vt inter ipsa claustra in quodam angulo cellula sibi daretur, quo secum sola demorans immunis à ceterarum strepitu fieret. Annuum pio rogatu sanctæ sorores, præbentque adminiculum suo consensu augendi virginis sanctitatem, quæ aliquam etiam inde percipere confidebant mercedem. Vt enim præmio dignum est sanctæ conuersationis studium, ita & erga pie viuentes religiosus affectus. Nec distat à factis bona consensio, quæ non virtute animi, sed viriom quassatur defectu: vt cum forte non fuerit vigor corporis talia exercendi, sit mentis intentio similibus delectandi. Communia sunt enim operis sancti commercia, & eo fiunt Christo gratissima, quo simpliciter in charitate perfecta ad nostrum referimus commodum fraternæ sanctitatis studium. E

Denique indepta benedictione sororum, exors omni cœnobialium actione curarum virgo venerabilis, contemplatione Dei, & meditatione scripturarum multum temporis perseuerans, post crebra suspiria, & fletus immensos, in quibus speciali munere supra plurimos cælitus eminebat, denuo ad instruendos diuinis pastibus conuirginalium animos reuertitur ad cœtum. Ferunt namque illam persæpe ternas, & quaternas horas, necnon vsque in medium diem in oratione decumbere, & cum nulla resonarent suspiria, nulloque singultu membra incuterentur in magno tamen silentio fletum promebat.

3. Adeo vt subtus matta, in qua illa prostrato corpore exorabat humectum lachrymis pauimentum ostenderetur. 4. Maximum etiam in obsecrationibus stando expendens curriculum in tantam subito ferebatur theoriam, vt geminatus ex vtroque oculo riuulus lachrymarum ad mentum descendens, in vnum conuersus meatum, crebra stillatione guttarũ quasi è tecto in humum influeret. F

Interea cum furor persequutionis, qui, in excidium ecclesiarum fremebat, hanc fœminarum collectam vrbi admoneret, in prædiolum, quod dudum sibi in confinio basilicæ sancti Cypriani extruxerant, sese conferunt retrudendæ. 5. Hic iam constituta beatissima virgo incomparabiliter flebat lugebatque vbertim, & suam quietem quã gerebat in montibus, & tumoltus quos in vrbe incurrerat. Semper tamen, & corde & lingua clamabat, Tu nosti Domine, quia diem hominis non concupiui super terram. Semper prædicabat, semper orabat, semper Psalmos canebat, in ore eius laus, & benedictio Domini resonabat. Et quia virginum mansio præfati sanctuarij parietibus cohærebat, tantumque obiectu maceriæ à vestibulo altaris dirimebatur, si quem forte cantum Sanctorum laudibus resonantem per natalitia Martyrum audisset à clericis psallentibus, confestim quadam iucunditate cœlestium desideriorum compuncta prorumpebat in lachrymas: vt non minus illam introrsus crederes proclamare; Sitiuit anima mea ad Deum viuum, quando veniam & apparebo ante faciem Dei, fuerunt mihi lachrymæ panes dies ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, vbi est Deus tuus. Ipsis etenim nexibus corporis, quibus in hac peregrinatione mens sancti cuiusque retenta, ab illa ineffabili claritate Sanctorum cum magna supernorum desideriorum sui exusta seiungitur, velut obstantibus murorum repagulis ne ad ciuitatem viuentium concito, quo vult gressu pertingat: quasi è regione onus membrorum sibi credens, resistere plorat & dicit; Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, vbi est Deus tuus. Cum illo vtique esse desiderat, cum quo Apostolus resoluta iam mortalitate cupiens permanere, dicebat, dissolui & esse cum Christo melius est.

Tabanensis cœnobium euersum, Basilica sancti Cypriani.

Tobiæ.

G

Ps.41.

Ps.41. Phil.1.

Verum indesinenter his votis sancta Columba insistens, cum plus aliquid, vt reor, in semetipsam cruciatus, ipsa inferret, quam furens imploderet carnifex, vigiliarum, ieiuniorum, atque orationum scilicet continuando labores: quasi parua essent ista omnia, proprio & vltroneo in se voto illata tormenta, velut de suis etiam meritis, & si maiora exerceret, non confidebat. Ac metuens ne centesimum virginitatis suæ fructum vacuum apud patrem cõmodi reperiret: ad ineffabile Martyrij indubia lucrum aspirat, quod peccatores etiam directo tramite in regnum mittit cœlorum, dicente Euangelio, Regnum cœlorum vim patitur, & violenti diripiunt illud. Hinc iam ardentius in amore Christi succensa, concitis ad eum gressibus, cui fideliter seruierat, anhelans peruenire, quibusdam etiam reuelationibus ad id frequenter impulsa: quodam die irrupto latibulo, reseratis tacite foribus in forum digrediens, licet incognita viarum vrbis existeret, prouido tamen exploratu, quo iudex moraretur, addiscit. Ibi cum peruenisset, eiusque astaret obtutibus, dat professionem catholicæ fidei, profert euangelicam veritatem, iniquum dugma retũdit, auctoremq; magni esse sceleris talia præsumenté annuncians, ipsum denuo arbitriũ quare se talibus

H

Matth. 11.

Sancta Columba ad Martyrium properat.

sacrilegii

A sacrilegis combinaret, blandis admodum verbis hortatur. Cuius speciem verbaque miratus, illico eam in palatium ducens, satrapum concilio repræsentat, ibi adhuc profitetur, prædicat, admonet omnes suæ potius debere saluti consulere, quam vanis insistere deceptionibus, quibus eam transuertere conabantur. Dicebat etiam, non talem Christus habet sponsam, quæ immutari de pristina compactione atratum eius præualeat. Nam quis ditior illo est, vt vos me copiis rerum credatis illicere? Quis pulchrior eo est, cuius speciei forma præ filiis hominum claret, vt vos me nuptu terreno arbitremini oblectandam: Quis cultus vel secta euangelicæ fidei veritate sanctior est, quæ per totum orbem Apostolorum vocibus promulgata, æternæ spei credentibus præmium repromittens summe prophetissimum, quod ab illa dissentit, anathema esse in veritate non dubium est. Quamobrem relicta vanitate, verum euangelij ducem requirite, quo melius filij lucis, qui genimina tenebrarum, mortisque soboles appellemini. Ille etenim dixit, qui sequitur me, non ambulabit in tenebris? & omnis qui viuit, & credit in me, non morietur in æternum.

Psal. 44. — B — *Ioan. 8.*

Igitur cum fortissimam virginis constantiam consules vniuersi aduerterent, & neque immutari posse talibus imbutam oraculis cernerent, neque horrarum assertionis eius ferre valerent: continuo ante fores palatij eam trucidari præcipiunt. Quam 6. cum summa reuerentia foro constituentes, 7. non se prius decollari permisit, quam præmio lictorem virgo sacratissima honoraret. Sicque pronior ceruicem inclinans, in lapsu iuguli delicatum corpus sternit. Nec mora, vt erat lineis indutum, cadauer spotia immissoni alueo proiici principes mandauerunt, nec sicut cætera occisorum cadauera, aut pro foribus neglexerunt, aut equuleo suspenderunt 15. Calend. Octob. Era 891. Quod post sextum diem illæsum & integrum quorumdam solertia monachorum diuinitus nobis allatum est, dignoque officio in Basilica 9. sanctæ Lulaliæ virginis & Martyris, quæ in vico Fragellas constituta est, honorabilem meruit sepulturam. Hoc nobis ad fidem de ea relatum est. 10. Cæterum tu sacratissima, quæ viriliter Ecclesiam catholicam & viuens conuersationis exemplo, & moriens celso meticulosis institutis patrocinio: esto memor cultoris tui, erue me laqueis mundi, abstrahe perturbationibus sæculi, & confer post mortem requiem paradisi. Per Dominum nostrum Iesum Christum, qui viuit cum Patre & Spiritu sancto, viuis & immortalis Deus, per infinita sæcula sæculorú, Amen.

Sancta Columba iugulatur. — *Anno Domini 854. dies Septembris 17. Sancta Eulalia basilica Fragellas vicus.* — C

CAP. XI.

Pomposa virgo & Martyr.

IGitur cum ad multorum notitiam ipso die rumor consummati Martyrij prædictæ virginis peruenisset, & non solum totam ciuitatem, verumentiam vicinora loca insperseret: virgo quædam venerabilis nomine Pomposa, ex cœnobio sancti Saluatoris, quod ad radicem Pinnæ Mellariæ constitutum est, quo dudum se cum parentibus, fratribus & cognatis Christo militatura contulerat: ex quo antea beatissimus Fandila eiusdem loci sacerdos olim descenderat: mox vt illud Martyrium a dicentibus comperit, alio die cita occurrit. Hæc namque virgo beata parentum, & propinquorum sanctam conuersationem, 2 quam gerebant in Corduba (ex qui erant progeniti) cernens, confestim auida mente tali se voto assignans, cum his simul mundum spernit, labentia deserit, integritatem promittit, maioraque perenniter toto nititur conatu appetere. Quapropter parentes eius, distracto patrimonio, præfarú cœnobium construentes, 3. in eo loco, qui ex eo quia ab antiquitus congestos in illa celsiori rupe apium industria fauos, qui vsq. hodie permanent, maiores nostri viderunt, Pinna Mellaria vocatus est. Ibidem autem se ad exercitiú vitæ monasticę collocantes, tradunt beatam hanc virginem inter illum suorú contentum pulchriorę gratia sanctitatis floruisse: & quæ vltimú per ætatem gradum tenebat, hi cæteris excellentiori culmine innocentiæ ac simplicitatis meritu sublimata. Tantoque in scripturarum meditatione fortissima permanebit, vt si fieri posset, non diebus, non noctibus à lectione vacaret nisi quarumdam ingruentium tempestatum impediretur procellis. 4. Si quid forte ad suam exaggeratum sentiret iniuriam, illa quæ mactæ humilitatis gratia prominebat, cuncta patienti animo sustinebat. Instabat vigiliis ieiuniis, & orationibus crebrius incubabat, quibus fauente Domino inuiolabiliter votum posset conseruare promissum. Plura sunt quæ de eius sanctitate referente nobis famulo Christi Felice Monacho, eiusdem cœnobij Abbate cognouimus, quæ obtentu euitandi fastidiú relinquentes, ad illud, quod eam sine dubio cœlo præmisit, quã propere festinamus. Cum enim summæ sanctimoniæ studiú gereret, seruiretque Deo fideliter, mox vt Beatæ Columbæ Martyriú cõperit, illico interius igne conflagrata Martyrij, fit admodú lætior tali nuntio recreata. Et quibus ad id posset pertingere passibus, tacito & singulari cogitamine ruminat. Et ó miram vocationem Domini, & supernæ dispositionis aditum patefactum, quo nullus prædestinatus Martyrio Martyrij gloria defraudatur: quo nemo cœtui Sanctorú ascriptus, humana potest illaqueatione teneri. Ferunt namque quod multo satis ante hoc tempus hæc Virgo ad Martyrium conuolasset, nisi quibusdam suorum impediretur repagulis, qui eam, causa sæuientiú persequutionum, alta seruabant custodia. Sed quid in se potest habere custodiæ conditio miserabilis? quando, sicut scriptum est, Nisi Dominus custodierit, in vanum vigilant, qui humanitus se quippiam custodire arbitrantur. Eterum ipsa superueniente nocte, consummata in Dei laudibus nocturna vigilia, vnus è fratribus suis cæteris quiescendi gratia regredientibus ad cubile, quasi diuinitus moneretur, & certe non sine prouidentia Domini, arrepta claue, portam monasterij inconsuctus aperuit, minime que tantummodo clauo superposito retrusit. Ad quam illa silenter accedens, & clam hostium reserans, vadit per tenebras noctis cœlesti lumine illustrata. Totumque illud iter vasta hostidum solitudine ante lucis crepusculum transiens; 5. clarescente mane vrbem ingreditur, sese que obtutibus iudicis præsentari non differt. Ad quem sanctæ fidei rationem proponens, vatemque impudicum simplici exhortatione confundens, confestim ille gladio trucidandam decreuit, 6. sicque ante fores palatij constituta excepto capite consternatur 13. Calend. Octob. Era 891. Cuius cadauer in flumen proiicientes, quorumdam mercenariorum studio in quadam fouea congestum desuper multo puluere tumulant. Ex quo iterum, Christo fauente, post dies pene viginti, industria quorumdam Monachorum inde abstractum, ad prædictum Beatæ Virginis Eulaliæ sanctuarium reportantes, digno ibidem Sacerdotum & Religiosorum ministerio, ad pedes sanctæ Columbæ humatum est. Quod nihilominus diuina credimus dispensatione peractum, vt quæ se in vita sua tanta charitate dilexerunt, morte etiam ac sepultura indiuisæ maneant, regnante Domino Iesv Christo in sæcula sæculorum.

Monasterium sancti Saluatoris. — D — *Pinna Mellaria, Pomposa Martyr.* — *Pinna Mellaria vnde dicta.* — E — *Felix Abbas Pinamellariensis.* — F — *Psal. 126.* — G — *Anno 853. dies Sept. 19.* — *Sancta Eulalia basilica.* — H

CAP. XII.

Abundius Presbyter & Martyr.

1. EX hoc autem tempore, decem mensibus interiectis, quidam Presbyter Abundius nomine, 2. de vico Amanellos, qui est in montana Cordubensi exortus, ibidemq. sacerdotium suum peragens, ferunt, quorumdam commento, vel fraude gentilium, ad martyrium fuisse pertractum. Sed ille Dei famulus cum se quadam vocatione in sacrificium verum cælitus aptari conspiceret, quo nolens ducebatur, grato animo adiit. Ac sic interrogatus a iudice, intrepida responsione rationem fidei pandens, vltimo scelerosum dogmatistem, eiusque cultores veridicis assertionum obiectis inculcat. Ideoque sub celeri

Amanellos vicum.

indignatione peremptus: canibus & bestiis deuorandus exponitur 5. Id. Iulij. Era 892.

CAP. XIII.

Martyrium sanctorum Amatoris, Petri & Hludouici.

1 SVccedenti denique tempore quidam Presbyter adolescens nomine Amator qui olim ex oppido Tuccitano cum genitore & fratribus suis Cordubam discendi gratia aduentarat, & Petrus monachus 2. ac Hludouicus contribulis noster, & frater Pauli Diaconi, cuius martyrium Liber secundus exponit, ex ciuibus Cordubensibus orti, vno se fœdere colligantes, ad prædicandam Euangelicam veritatem aptarunt, ideoque celeriter sub præcedentium professione perempti sunt 2. Calend. Maias, Era 893. Quorum corpora fluuialibus immersa gurgitibus, Deo fautore, post aliquot dies littori exponuntur, & cum penitus nullam suæ quietis sanctus Sacerdos notitiam dederit, manent tamen cæteri sancti venerabiliter in præcognitis locis repositi. 3. Nam beatus Petrus in Pinnæ Mellariensis cœnobio tumulatur, Hludouicus in vico Italicensis prouinciæ nomine Palma, quæ Singilio flumine præsidet digniter requiescit.

CAP. XIV.

De VVitesindo Martyre.

1 EA tempestate VVitesindus quidam vir ætate iam plenus, ex prouincia Egabrensi, qui nescio ob quam persequutionem dudum fidei sanctæ lapsum incurrerat dum ad exercitium nuper indepti cultus adhortaretur, abnegat se eiusmodi sacrilegio manere infectum: quod vel carnis infirmitate, vel circumuentione diaboli, subito sibi susceptum est, illo momento cum talia fateretur sub celeri indignatione peremptus est, Era qua supra.

CAP. XV.

Heliæ Presbyteri, Pauli & Isidori monachorum martyrium.

1 PRæterea Helias Presbyter iam senex ex prouincia Lusitania, cum Paulo & Isidoro monachis adhuc iuuenili ætate florentibus, sub priorum professione perempti sunt 15. Calend. Maij, Era 894. Quorum corpora patibulis eleuata, post multos dies Bætico sinu conduntur.

CAP. XVI.

De Argymiro monacho, & martyre.

1 INde præterea Argimirus quidam confessor vir nobilis & ætate iam plenus ex oppido Egabrensi cognationem ducebat, & quodam tempore Cordubæ patritiæ Censor à rege præfectus extiterat, 2 cum semotus ab administratione iudicij, otium cœnobij impleret quietus, quorundam ethnicorum dolo vel odio circumuentus, accusator coram iudice de subsannio vati sui, & exprobratur de professione diuinitatis filij Dei, quodque isto omnipotentiorem nullum alium fateatur, & illum vanitatis auctorem, ducemque asserat perditorum. Continuo Dei seruus sub grandi & ferocissimo iudicis motu coniectus ergastulis, arctius coarctatur. Quem coram se post aliquot dies iubens adsistere, dum suis adhortationibus & lenocinijs quodam verborum profano ritui mancipare studet, nec præualet pertinacem in sancto proposito militem Christi equuleo viuentem imposuit, enseque transfossum peremit 4. Calend. Iulias, Era 894. Cuius corpus cum post multos dies ex præcepto iudicis de patibulo deponeretur, cuiusdam religiosi solertia sancti Aciscli basilicæ deportatur, ac digno sacerdotum ministerio prope tumulum prædicti martyris, & sancti Perfecti humatum est.

E
Anno Domini 856. dies Iunij 28. Sancti Aciscli basilica. Sanctus Perfectus martyr.

CAP. XVII.

De Aurea Virgine, & martyre.

1 EA tempestate virgo quædam nobilis nomine Aurea sanctorum Adulphi, & Ioannis martyrum, de quibus in præcedentibus memorauimus, soror. Quæ à tempore collisionis eorum deuotionis præmio fungebatur, cum reuelatis sacræ religionis studiis in cœnobio Cuteclarensi, quod antiquitus sanctæ & gloriosæ virginis Mariæ nomini dedicatum est, 2 commaneret per annos ferme triginta, & amplius cunctis fidei suæ notitiam donans, nec vllis adumbrata pauoribus conuersationem Christianismi sui patulo gerebat congressu. Et quia erat stemmatis ortu præcincta, grandique fastu Arabicæ traducis exornabatur, nullus exterorum virginis fidem incursare audebat, donec quidam suorum ex prouincia Hispalensi, vnde genus trahebat, diuinitus vt arbitror concitati, quo iam debita ante mundi constitutionem virgini corona martyrij pararetur, & præstantius in cœlestibus de consummato lætaretur triumpho, causa explorandi ad se perlati rumoris fidem, ac propositum virginis, venientes, callide contribulam suam gratia sospitandi sese inuisere mentiuntur. Quam non solum Christianam; verumetiam sacræ deuotionis insignitam stigmate contuentes, 3 confestim de ea iudici referunt quæstionem. Qui & ipse iure natiuitatis eidem virgini concretis adhærebat prosapiis. Tali ergo stimulatus relatione, suis eam assistere iubens obtutibus, quare se tam nobiliter auctam famulatu fidei Christianæ degenerem reddiderit, vilique proposito tam præcelsi generis infecerit infulam clementi admodum exhortatu compellat. Sed poteris (inquit) quam propere totis absolui pedoribus, debitamque interpolatæ originis recipere claritatem, si tui gerens consultum fidei nostræ cultibus intimis te votis admittendam elegeris summisque nobis affectibus parens, quod sequimur sequaris, & quo ducimur ire contenderis. Si vero & contemptos nos, & etiam quæ colimus abrogaueris, & illos quos hactenus æmulata es, intuitu fidei sectare decreueris: post varia diræ cruciationis tormenta, post multiplicium dolorum immensa supplicia, quæ merito tanti criminis rea rependes, postremo turpissimæ mortis supplicium incurres. Ferunt eodem momento virginem sub iudicis obiurgatione cessisse, & omne sibi imperatum libenter exequendum polliceri.

Adulphus & Ioannes martyres Cuteclarense.

F
vrbs monasterij.

Prouincia Hispalensis.

G
Iudex Aureæ consanguineus.

H
Aurea fidem abnegat.

4 Et quia melius de rebus non expertis silendum est, quam procaciter incognita ventilare, cuius rei obtentu hæc ipsa negatio martyrem futuram subrepserit, vtrum formidine carnis, an causa disponendi rem familiarem, incompertus testificare non audeo, nisi forte ex subsequentis euentibus, quibus postmodum obstinanter in professione perdurans, promeritam adepta est lauream, vt sese coniectura arbitratus humani habet, carnis illam infirmitatem non succubuisse credamus.

Igitur post auditam iudex oris eius professionem, qua iuxta omnes ritus legis suæ degere spoponderat: illico obeundi quocumque vult sibimet libertate collata, e vestigio domum regreditur. Ac sicut prius militans Christo nullatenus à proposito sanctæ fidei desciuit, nec à fidelium contubernio se passa est disgregari, quin potius illorum persæpe se cœtibus conserens, quos pietatis religio perlustrabat, condignis fletibus affectuque interno lapsum linguæ deplorans, spei suæ veram fiduciam ad Redemptoris alligat indulgentiam, si forte reatu præuaricationis obnoxiam famulam non repellat, qui adulte-

Aurea pœnitentia.

tam

A tam ab exitio lapidationis eripiens, Petrum à maris fluctibus incubantem Apostolico functum primatu recepit, furemque parricidio coinquinatum suo comitatui paradisum lustraturus admittit. Nec obesse fidebat prælargæ, & incomparabili Domini pietati inutilis famulæ momentaneum crimen, apud quem multimoda miseratio & redemptio copiosa & exuberans præuenit gratiæ dono indignos, & quibus strenui laboris stipendia nulla suppeditant, consulta pietate iustificat. Auget præterea virgo sancta compunctionem, & studium lamentationis multiplicat, votis vota congeminat, & duplicato mœrore affectuque mentem perurgens, ne supremo examine aut de scelere condemnata, æterno mancipetur supplicio, aut à consortio fratrum suorum Adulphi scilicet, & Ioannis martyrum beatorum congruis meritorum repagulis detrudatur, felicibus votis admittitur.

B Exin claro intrepidoque processu frequenter Ecclesiam adiens, iam iamque in virtute Domini roborata, terrenis abstracta contagiis: & cœlesti curiæ anhelat ascribenda: si forte cuiusquam rediuiuo contestationis euentu in ius denuo mitteretur. Sed hæc callidus veterator non leuiter ferens, cum fideliori conciliatu nuper elapsam, creatori suo nunquam antea militate intelligit, nec in aliquo penitus profuisse circumuentionis suæ præstigium contuetur, quin iniecto stupore nescio cuius hebetudinis, transuersam virginis linguam à professione veritatis leuiter & perfunctorie contestauerat ore, non corde fuisse sublatam aduertens: haud dubie condæmonibus de extenuato cursu conqueritur dicens: Hæc cœlebs pridem me labiis fortuitu honorans, modo cor eius præcinctum virtute superna, grandi obiectu à meis disparatur illecebris. Et idcirco quendam in persequutionem beatæ virginis, pruritans denuo, ad perquirendam tyronem fidei suæ compulit.

Aurea iterū accusatur. Nonnulli interea gentilium eius explorantes conuersationem, nihilominus iuxta priorem habitum Christi

G famulam reperientes, illico de ea coram iudice questum deponunt, crimen asserunt, dolosque prætendunt, & vt tanti abusus præsumptioni vindex occurrat, talesque ausus legali auctoritate percellat, peruersis linguis contendunt. Qui protinus vehementi ira commotus, ferocium truculento satellitum ministerio suis eam attrahere conspectibus iubens, illico exhibitam de contemptu nuper adepti cultus redarguit, de neglectu promissi comminatione propositi, & cur tanti iuris decretum non reuerita sit, horrisonis percontatur clamoribus. Tum virgo, quæ se nouerat ad tale iam diuinitus electam certamen, vt erat prudentioribus diserta facundiis sancto iam perlustrata respectu, iudici refert. Nunquam à Christo Deo meo separata sum, nunquam à religione pietatis eius discessi: nunquam prophanationibus vestris vel ad momentum inhæsi, licet dudum coram te, lapsu quodam sermonis, lingua succubuerit. Erat autem cor meum fiduciam habens in Domino, qui me suarum promissionum introrsus adminiculis erigebat dicens: Qui credit in me etiam si mortuus fuerit viuet. Inde quamuis verbotenus

D laqueum præuaricationis incurrerim, viuido tamen sanctæ credulitatis tenore cor præmunitum gerebam. Nam statim quo à te digressa sum, & votis affectibus lachrimosis quem ab infantia mea didiceram cultum exercui, fidem seruaui, propositum gessi. Restat ergo iam nunc, vt secundum profanationis vestræ ritum, aut gladio vindice puniar, aut si ioultum præterire factum huiuscemodi potest, de reliquo totam me libertate ad cohærendum Christo

Aurea iugulatur. Domino prætermitte. 5. Tunc immanissimus arbiter virginis assertione succensus, facturus de ea regi relationem ergastulis mancipauit, ingestique vinculorum onere coarctauit. Quam alio die per decretum principis gladio trucidans, confestim exanime corpus eius cuiusdam homicidæ patibulo, qui ante paucos dies affixus fuerat capite deorsum suspendi præcepit, cuius beatum cadauer cum cæteris furum membris, qui tunc ob flagitium interempti sunt Bætica immersum gurgitibus nullum hactenus compatendi vestigium præbuit. Christus autem Deus & Dominus noster qui est adiutor bellantium, &

martyrum coronator, qui dat lassis virtutem, se quoque requirendi affectum insinuans, prouidam pulsandi ianuam misericordiæ suæ confert, intentionem multimodo rerum effectu secundum placitam sibi dispensationem E præscitam, & prædestinatam ante mundi principium, ad coronam martyrij famulam suam in pace suscepit: Cui est honor & gloria, virtus, & potestas in sæcula sæculorum, Amen. Coronata est hæc virgo 14. Calendas Augusti, Era qua supra. *Annus Domini 856. dies Iulij 19.*

SCHOLIA IN LIBRVM III.

CAP. I.

Militaribvs *vescebantur*.] In Sancio Martyre de his Christianis nobilibus Sarraceni tyronibus iam dictum est. F

CAP. IV.

Et quia vndique.] Rasis Omarum Hacanis filium contra hunc Mahometom regem rebellasse scribit, ipsumque ab regis exercitu in prælio interemptum. Vixit deinceps, eodem authore, quietus in regno. Rudericus, Toletanos aduersum regem insurrexisse, in Atabum historia scripsit Victi sunt, & magna strage deleti Toletani, cum rege Ordonio, qui suppetias eis ferebat. Crediderim Omarum Toletanorum ducem fuisse.

2. *Casum, & fugatum.*] Ego diuo Eulogio magis crediderim, quam Rasi, qui omnia ei pacata & prospera vbique euenisse commemorat. Quanquam eum primo prælio fusus eius exercitus fuisset: potuit deinde & ipse vincere, & rebelles domare.

CAP. V.

G

1. *Lunaremque præmiorum.*] Stipendium intelligo, quod singulis mensibus militibus persoluebatur.

2. *Chirographa exigendi.*] Hoc est, vt tributis per chirographa exigendis præficerentur.

CAP. VII.

1. *Ex vrbe Accitana.*] Vrbs hæc nunc Guadix in Granatæ regno vocatur. Nec est huius loci causas, & testimonia afferre, quæ in Hispaniæ antiquitatibus congessimus, vt eandem esse Guadixiensem vrbem, & Accitanam Romanorum olim coloniam probaremus. *Accitana colonia.*

2. *Se Tabanensi.*] De hoc monasterio, de isto etiam altero sancti Saluatoris, superius crebra fuit mentio. Pinnæ Mellariæ retro quoque meminit, sed suus adhuc erit locus de illa dicendi cap. 12.

3. *Fortissimum vero athletam.*] Diem & annum hic prætermisit Eulogius. Ex Vsoardo, Adone, & Equilino Idus Iunij fuere, hoc est tertius decimus eius mensis. Et siquidem die insequenti Anastasius est passus, vt proximo capite scribitur: planum etiam ex Eulogio fit, tertiodecimo Iunij sanctum Fandilam fuisse trucidatum. *Ratio temporis.* H

CAP. VIII.

1. *Quem sequens alio die.*] Insequentem nullo interiecto die, hoc est crastinum intelligi debere, ex die cædis sancti Fandilæ indicatur.

2. *Spreto ministerio.*] Diaconij ordinis, cuius est præsertim, vt vocabulum ipsum Græcis sonat, in Ecclesia ministrare.

3. *In cenibus egerat.*] Locus, quantum ego capere possum est corruptus. Nam neque cenibus vocabulum quid significet reperio: neque tamen quo pacto emendare possim, succurrit. Et in veteri ita plane fuit scriptum. Nisi forte quis legendum credat scenibus per S. & taber-

A naculavelit intelligi, vnde & Scientiæ Arabes dicuntur.

4. *Natione Getulus.*] Getulia Africæ pars est. Hinc autem opimo illa ortum habuit, vt ex Sarracenorum progenie editum hunc diuum credatur. Potuit profecto ex parentibus Christianis nasci. Erant enim in Africa, tametsi ab Saracenis occupata, Christiani, quemadmodum in Hispania Mozarabes.

5. *In Asturias deuolutus.*] Hinc quidam hunc nomine & reipsa Felicem martyrem in Asturiis passum scripsere.

6. *In horam nonam.*] Computatio est Romanorum, in sacris etiam Euangelijs vsitata. Huius autem S. martyris festum nonnullæ Hispaniæ Ecclesiæ celebrant, totumque hoc de dignæ virginis in somnio iisdem pene verbis in lectionibus referunt. Vnde constat D. Eulogij libros legisse, quicumque ei festiuitati historiam compararunt. Et nos etiam quædam in libro de sanctis martyribus Iusto & Pastore scripsimus: sed cum nondum D. Eulogij scripta vidissemus.

B 7. *Nolite me dignam.*] Vera humilitas ex sui cognitione deiecta, in cœlum tamen vsque ad Dei cognitionem effertur. Multa sunt autem, quæ perfectam nobis nostri cognitionem præstare possint. Sed illud vnum est, quod ad eam ipsam me sæpe perducit. Nunquam me totum mihi plene cognoscendum offero: introspicere me vndique omni ex parte non sustineo: & aliquid incompertum reliquisse, meipsum misere fallens, pene exulto. Hoc qualis sim, demum mihi ostendit. Hic miserabilis pudor me conspiciendi, memetipsum mihi plene conspicuum facit. Hoc ipsum olim miseriam nostram deplorantes, hoc epigrammate complexi sumus.

Si quando interno me totum lumine lustrem,
Vestigansque animum cernere me cupiam:
Conscia mens qualem sit me ostensura, veretur,
Atque mei partem subtrahit illa mihi.
Cum delusa tamen nemo occultasse putabat:
C *Me miserum, tunc me plenius aspicio.*

Cant. 1. In commune autem ad sui cognitionem mentem etiam tetrastico olim excitauimus, ex illa sponsi in canticis adhortatione: Nisi te noueris, ô pulcherrima mulierum, egredere post vestigia gregum tuorum, pasce hædos tuos.

Tu nisi te agnoscas (mens ô pulcherrima rerum,
Quas toto pulchras condidit orbe Deus)
Pro desiderio, quod tete ad sydera tollet,
Turpis terrarum sollicitabit amor.

CAP. IX.

Sancti Zoyli monasterium. 1. *Quorum cadauera.*] In S. Zoyli, apud Carrionem nobile oppidum, monasterio ordinis S. Benedicti corpus S. Martyris Felicis Complutensis in argentea theca seruatur, & magna religione colitur. Eo fuit cum S. D etiam Zoyli corpore translatum, quod in vetustis cœnobij monumentis, quæ ego ibidem legi traditur. Et tamen hic videmus eius cadauer per ignem & aquam fuisse dissipatum. Potuit tamen pia Christianorum diligentia ossa non penitus incendio consumpta de flumine extrahere. Id vtique fuit facile cum igne desiccata supernatarent.

CAP. X.

1. *Cum viro suo Hieremia.*] Lib. 2. c. 4. aperte ostendimus hunc eundem esse Hieremiam, qui martyr eo capite scribitur. Vide quæ ibi apposuimus.

2. *Huius propositi verna.*] Hoc est: cupiebat relictis parentibus in monasterium Hieremiæ transmigrare, & tanquam vernacula ancilla ei adhærescere.

3. *Vt subtus matta.*] Intextum ex sparto seu iunco stramentum. Inde apud Ouidium in fastis Scirpea matta.

4. *Theoriam.*] Græcum est vocabulum: quasi tu dicas E contemplationem.

5. *Sancti Cypriani.*] Et hæc basilica intra vrbem fuit.

6. *Fore constituentes.*] Manifestum hinc est forum ante fores palatij extitisse: vt id plateæ fuerit, quod arcis Turris Leo. muris obseptum, ante tamen quam ipsam arcem ingrediamur cum fluminis prospectus expanditur. Aut illud forte vacui soli, quod inter turrim quam Leonum vocant & Episcopalis domus hortos interiacet, forum fuit. Sed illud alterum vero propius est.

7. *Cum summa reuerentia.*] Intellige sanctam martyrem cum summa grauitate & modestia vultus constantia ad martyrium vadentem, ministros & carnifices traxisse. In quibus quæ potuit esse reuerentia?

8. *Non se prius.*] Tanquam quæ summum in morte pro Christi fide obeunda beneficium esse intelligeret, Eulalia duæ. etiam carnifici, quanquam immerenti, aliquid eidem largiendo, voluit gratificari. Hoc innuit: nec tamen quid ei F dederit explicuit.

9. *Sancta Eulalia.*] Duas habuit olim Hispania hoc nomine martyres, Emeritensem alteram, alteram Barchinonensem. Neque enim audiendi sunt, qui vnam ex vtrisque facere voluerunt. Contra quos in nostra historia fuse disputauimus. Neque tamen vtrius fuerit basilica, indicauit. Neque de oppidulo Fragellas habeo quod dicam.

10. *Cæterum tu sacratissima.*] Quemadmodum sanctæ huius martyris vitam & cædem copiosius atque etiam facundius D. Eulogius perscripserat, ita etiam pia prece hic in fine voluit ipsam compellere. Et vtroque quidem fuit virgo dignissima. Vt enim eius vita eximiis sanctitatis exemplis plena constantiaque in morte admiranda, maiorem historiæ seriem, præstantiorisque styli splendorem promerebantur: ita quoque ingentem in cœlis dignitatem adepta, præsentius & maius suis ferre patrocinium apud Deum poterat, quod auide deberet exposcit. Et hæc perfectio insignis vitæ mortisque in G hac virgine præstātia, hæc digna eius inuocatio, cui principium iam hinc fecerat Eulogius: faciunt vt credam, Sanctam Columbā Hispanā Hispani colunt. hanc nostratem cordubensem Columbam, non illam alteram ex Senonibus Gallicanam, esse, quam tantopere vbique insigni cum religione Hispania tota concelebret. Et sunt præterea plures etiam aliæ causæ quæ me permoueant, cum nulla sit, quæ contrarium possit persuadere. Quæ enim, rogo causa nos potuit incitare vt Gallicanam martyrem longè ex Senonibus, hoc est remotissima Galliæ, quantum ad Hispaniam pertinet, regione solummodo auditam, tanto cum cultu veneraremur? Celebritas credo martyrij eius cuius martyrologia vno pene verbo meminerint, Equilinus pauca scripserit: cum breuiaria nostratia minime in lectionibus, aut in die festiuitatis eius concordent. Fuit profecto Senonica columba virgo sanctissima, martyr strenua: sed ipsa in cœlis residens, inde nos nūc libenter audiens, optat nos veritatem inuenire, & confirmare: & illum legitimum cultum qui vt ab Hispanis Hispanæ diuæ debetur, eidem asserere. Is vero cultus tantus H est, & tanto opere insignis ac pœne singularis, vt non alienigenæ, sed alumnæ tributus debeat videri. Delubra sunt in agris per Hispaniam quam plurima, sanctæ Columbæ nomine sacrata, quæ populorum eximia veneratione statis diebus solemni ritu frequentantur. Parentes deuotione in hanc diuam permoti, eius nomen filiabus imponunt. Burgensis Eccl. inter dignitates, vt dicunt, habet sanctæ Columbæ Abbatem. Habet eodem nomine & honore primariæ dignitatis sacerdotem Eccl. Seguntina. Sacellum quoq; huius diuæ ibid. in summo templo est structura nobile, cultu eximium, & prouentibus insigniter locuples. Quanquam vtrobique corrupto iam nomine sancta Coloma, non Columba vocetur. Hæc tanta veneratio, tam varius cultus religionis, plurimorū tot signis testata deuotio, tot testimoniis declarata, & tam pia animorum propensione semper exaucta cur externæ, & non patriæ, cur alienigenæ, & non ciui, cur peregrinæ, & non domesticæ & pene tutelari diui tribueretur. Indige-

nam

nam habebamus, quæreremus externam? propria aderat, alienam aduocaremus? Nostratem profecto diuam nos colimus, Hispanam martyrem veneramur, & vernaculum in ea, iureque quodam communis patriæ nobis debitum patrocinium merito exquirimus legitima religione. Sed dies, inquis, quo sanctæ Columbæ festiuitas in Hispania celebratur, Decembris nimirum vltimus, sanctæ Columbæ Senonensis est natalitius: non Cordubensis, quæ si coleretur, septimum decimum Septembris debuit occupare. Dicam equidem quod sentio. Primum variant hic breuiaria; Segoneinum namque octauo Ianuarij die, Cauriense tertio Aprilis sanctam Columbam habent. Sed ego credo, cum sanctam Columbam Cordubensem nostratum aliqui celebrare vellent, nec diem, quo passa esset martyrium, scirent, & vltimo Decembris columbam coli cernerent: Cordubensem arbitrati, eum diem ei sine discrimine attribuerunt. At lectiones Senonensis martyrium referunt. Nimirum quemadmodum dies natalitius nostratis diuæ erat incognitus, ita etiam vita & passio, quem non passim in diui Eulogij libris legebatur. Inde quod ad manum erat nomenque idem veluti proprium dabat, arripuerunt. Hoc ipsum in sancta Maria nostrati, hoc est Galliciensi factum videmus. Nihil erat proprium, quod legerent diuæ Margaritæ historiam ex parte ei accommodarunt. Hæc habui, quæ de nostræ huius sanctæ Columbæ cultu dicerem: liberum interim iudicium eis relinquens, qui aliter sentire maluerunt.

CAP. XI.

1. *Alio die cita occurrit.*] Hinc plane deprehendimus eum alium diem, vt capite nono Eulogius nominat, crastinum debere intelligi.

2. *Hæc namque sacra virgo.*] Hæc omnia vsque ad studia & sacratum scripturarum meditationem tanto opere in veteri exemplari fuere corrupta: vt nullus pene sensus eliceretur. Nos quoque modo potuimus emendauimus, vnum atque alterum verbum superaddentes.

3. *Qui vsque hodie permanent.*] Permanent etiam vsque in hoc tempus, in quo hæc scribimus. Neque enim dubium est, quin de eo sublimiori colle & rupe Diuus Eulogius intelligat, quæ quarto ab vrbe milliario in vicinorum montium vertice supereminet, supra nobilem fundum, qui dicitur el Albayda, Saxum ipsum Sancij Mirandæ rupes appellatur. Ibi apes in Petræ foraminibus quotannis mellificant. Ad culminis eius radices fons dimanat permagnus, qui vicinos hortos citriorum omnis generis arboribus consitos rigat. Situs est monasterio admodum opportunus, & vestigia ædificiorum cum ruinis non vno loco apparent. Meminisse autem oportet capite octauo diuum Eulogium hoc monasteriũ haud procul ab vrbe constituisse. Ideo hanc rupem ipsum signare credendum est. Alioqui insignem locum ad Guadiati fluminis ripas intelligere potuimus, qui ab apum per rupea mella conficientium multitudine, Apiaria vulgo nominatur. Sed locus vigesimo ferme ab Corduba distat milliario.

4. *Macta humilitatis.*] Libenter hac voce cum Liuio vtitur.

5. *Vasta horridum solitudine.*] Et confragoso etiam per cliuos & saxa itinere prærupium.

6. *Sicque ante fores palatij.*] Vides iterum, forum ad arcem ipsam extitisse.

7. *Era 897.*] Ita aperte fuit in vetusto codice, sed describentis vitio manifesto. Siquidem sanctæ Columbæ martyrium Pomposam eodem ipso die concitauit. Et capite etiam sequenti is scriptoris lapsus planè conuincitur.

CAP. XII.

1. *Decem mensibus interiectis.*] Annus insequens iam nunc denotatur. Is fuit octingentesimus quinquagesimus quartus.

2. *Anantellos.*] Frustra quid de hoc viculo dicere possim inquiram.

3. *V. Id. Iulij.*] Is est dies eius mensis vndecimus. Perendie celebratur huius martyris festum: quia nimirum superiores dies aliis erant sanctorum festiuitatibus impediti. Vsuardi martyrologium anteuertit, & Iunij octauo reposuit.

CAP. XIII.

1. *Ex Tuccitano oppido.*] De hoc oppido retro dictum iam est.

2. *Hludouicus.*] Aspirationem habuit semper in exemplari hoc nomen. Et ita ex diplomatibus imperatorum, qui hoc nomine fuere, scribit semper F. Onuphrius Panuinius in Cæsaribus.

3. *Italicensis prouinciæ.*] Longum esset referre, quibus rationibus probari possit, Italicam vrbem eo ipso olim situ, extitisse, qui nunc cum magnis ruinis Hispalis vetus appellatur, & ex aduerso pene ei vrbi trans flumen opponitur. In nostris Hispaniæ antiquitatibus, quidquid ad id ipsum inuenire potuimus, congessimus.

4. *Palma.*] Retinet hoc ipsum nomen id oppidum quod comitatus caput, & emporij est admodum celebre. Illud etiam ad celebritatem & singularem in primis amœnitatem habet insigne, quod inter amnium est, Singili fluuio Bætim ab altero eius oppidi latere intrante. Distat à Corduba milliaribus triginta duobus. Palmam autem prouinciæ Italicensis, hoc est diœcesis, fuisse intellige. Nam Episcopum eo tempore quemadmodum superioribus retro sæculis habebat. Sic capite sequenti Egabrensem diœcesim prouinciam appellat.

CAP. XIV.

1. *Egabrensi.*] Ægas Græce capra dicitur. Latini olim Græcum huius vrbis nomen retinebant. Nam quo loco Plinius libri tertij capite primo oppida Cordubæ viciniora commemorat, pro Bæbro emendatiores codices, antiquis adiuuantibus exemplaribus, Ægabro habent. Nos Hispani Græcum vocabulum interpretati, Cabra nunc id oppidum nominamus. Pene namque manifestis testimoniis in præfato de Hispaniæ antiquitatibus opere ostendimus, Ægabrum priscum, idipsum quod nunc Cabra est, oppidum fuisse. Distat à Corduba miliaribus sex & triginta. Insigne est oppidum, quod Comitatus nomen & titulum præbeat, quod situs amœnitatem præcellat, quod celebratissimam illam voraginem prope habeat, quam nos Sinam appellamus: quæ inter tesqua & rupes hians, nullum vulgo fundum habere creditur. Itaque in prouerbium iam abiit. Montes huic oppido vicinis rasis florum & odoris caussa magnopere celebrat. Et ea suaueolentia hodie quoque iucundissima verno tempore persentitur. Episcopum olim habuit.

CAP. XV.

1. XV. *Cal.*] Is est dies Aprilis decimus septimus: quo eodem eorum meminit Vsuardus, apud quem Helæus, non Helias legitur. Adonis martyrologium eodem die habet: item Romanum nuper ab Maurolico exauctum. Meminit etiam libri vndecimi vltimo capite Equilinus.

CAP. XVI.

1. *Confessor vir nobilis.*] Apparet Argimirum publice aliquando ante martyrij tempus Christianam fidem & Mahometi pseudoprophetæ falsitatem professum fuisse: vnde confessoris nomen & gloriam iam retulerat. Nam confessores, vt notum est, nomine à primæuis

nascentis

A nascentis Ecclesiæ temporibus vsitato dicebantur, qui ita sese apud iudices gessissent, nec tamen mortem subissent, quamuis supplicijs essent grauibus affecti.

2. *Censor.*] Qui fuerit apud Arabes hic magistratus, ignoramus. Vmbram aliquam saltem Romanæ censuræ forte habuit, ex ciuium censu: vnde hoc ei nomen potuit diuus Eulogius accommodare.

C A P. XVII.

1. *Sanctorum Adulphi.*] Artemiæ igitur de qua libro secundo capite octauo filia.

2. *Per annos fere triginta.*] Probe omnia consonant. Initio enim regni Habdarrahgmanis passos Adulfum & Ioannem retulerat, & nunc post eorum martyrium consecrasse se Deo Auream in monasterio memorat.

B 3. *Insignitam stigmate.*] De stigmatis metaphora iam diximus libri secundi capite primo. Erat autem sacratum virginum insigne, vt alibi etiam diximus, velum capitis, aut nigrum, aut rubrum, vt ex conciliis Toletanis constat. Nigrum nunc gestant: tristitiam videlicet de morte Domini nostri Iesu Christi testantes. Rubeus color sanguinis etiam eius pretiosissimi, quo redempti sumus, memoriam potuit respicere.

4 *Non expertis.*] In veteri expertis tantummodo fuit: sed descriptoris haud dubie vitio; cum sensui aperte refragaretur. Ideo nos negationem adiecimus.

5. *Prætermittite.* [Conniuendo finito.

6. XIV. *Kal. Aug.*] Iulij dies vndeuigesimus, anni octingentesimi quinquagesimi sexti, in quem vsque diem diuus Eulogius produxit historiam. Eam videtur postea continuasse, cum in Apologetico sanctos martyres Salomonem & Rudericum adiecit, qui anno insequenti quinquagesimo septimo mense Martio passi fuere. Inde totis duobus annis, quos diuus Eulogius superuixit, nullum martyrem fuisse crediderim. Neque enim scribere de his prætermisisset.

Salomon & Rudericus martyres

C

Titulus hic fuit in veteri.

IN NOMINE DOMINI,

Incipit Liber Apologeticus Sanctorum Martyrum Eulogij presbyteri.

ARGVMENTVM.

DECREVERAT *diuus Eulogius in hoc opere vitam & martyrium sanctorum Ruderici & Salomonis tantummodo scribere. Id enim initio iam indicat, & tandem in fine operis apparet. Verum quia instabant adhuc pusillanimes quidam Christiani, qui propter imbecilles zelo quodam sed non secundum scientiam commoti, martyribus vltro sese indicibus passionis causa offerentibus detrahebant: iterum aduersus eos hoc opere insurgit, tanquam non satis haberet in primo libro contra hos valide pugnasse. Tractat autem locos quosdam ex his quibus iam responderat, & denuo alia refutat argumenta. Erat autem misere corruptum exemplar, lassato nimirum iam descriptore, & negligentius omnia excipiente. Hinc fuit hic multo magis in emendando sudandum. Neque tamen nobis permisimus, nisi vnum aut alterum verbum addere, permutare, transponere.*

D

Diximus autem iam, authorem indiculi luminosi id opus in defensionem martyrum scripsisse iisdem rationibus dilutis.

***

E

P R O L O G V S

Ad sequens opus.

DVm studio promerendi martyrum gesta operis huius breuitatem extruere intentarem, meumque exilem in indignatione præliorum sanctorum stylum immitterem: confestim oblatrantium, stolidorum opiniones recolens, qui proprium de eo pro captu scientiæ ferentes iudicium, non vt prioribus, his quoque reuerentiam martyribus exhibendam esse decernunt: nisus sum in exordio operis aduersus eos respondere. Quo contigit, vt in vigorem Apologetici gestorum pertransiret materies. Et licet suprema pars commentarij martyrum gestet agonem, & qualiter trophæis victoriarum milites Dei elatuerint, penultima series libelli exponat, pro eo tamen quod in principio delatorum maledictis occurri, potius Apologeticus sanctorum, quam gesta solummodo martyrum appellari decreui: vt totum pro parte designans, mox limen lectionis recessum aperiret voluminis, ne pro toto nominans partem, in aliud, quod non existimaret, prudens lector impingeret; foretque tunc facilis detrahendi infensis occasio, dum aliud nomen, aliud proderet volumen. Percurrant ergo lectores mei simpliciter, quod fidelis deuotio nostra in defensione martyrum pio Redemptori dicauit: nec ritu belluino laborem nostrum maliuola intentione subsannent, quoniam scriptum est, Omnis detractor eradicabitur. Licet enim opus nostrum reprehensionibus dignum sit, Deo tamen, non inuidis, arguendi nos manet iudicium, cui cum velle suppetit indulgendi, protinus subest facilitas exequendi. F

Incipit textus opusculi.

G

Et hoc erat finis exemplar.

EGregia beatorum certamina martyrum feliciumque monumenta virorum, qui Deo fautore totius vanitatis respuentes affectum, specimen belligerandi præcipuum mortalibus reliquerunt, licet à prudentioribus timoratis indagare sit congruum, & iure à iustificatis quodam priuilegio sanctimoniæ exponi sit ratum, non tamen abnuenda est vox peccatorum vera promentium, quandoquidem non solum alienigenarum, vt Hietro & Hiram consultum intenditur, dum & ab vno Moyses expositam iudicij formam custodit, & ab alio Salomon in ædificatione templi industriam accipit. Verum etiam irrationabili animali humaniter facundiam excitare conceditur. Quare ergo culpabilis iudicetur talia præsumens, cum in veritate dignus sit præmio benedictionis veritatem enarrans? Etsi sanctitas remunerat iustum, dignumque efficit concionari Sancta Sanctorum quare non tueatur pietate peccator magnificans iustum, dummodo ad multorum profectum studet patefacere victorias beatorum? quæ si fuerint obliteratæ silentio, nullum poterunt fidelibus piæ conuersationis exhibere exemplum: elucubratis electorum trophæis tam possint desides excitare ad prælium, quam certantes informare, perfectionis intendere terminum. Nam cum omnes sancti terreno non egeant laudationis præconio, qui iam cœlestium exuberant muneribus præmiorum, necessario tamen eorum meritis applicatur, quicquid bonitatis suorum gratia exemplaria mortalibus operatur.

Exo. 18. 3. Reg. 5. Num. 22.

H

Promam igitur dominorum meorum gesta victricia, & in quantum posse cœlitus mihi collatum est, in talibus rebus conatus meos expendam, quia non dubij de clementia Redemptoris, non solum culparum talibus studiis remedium speramus, verum etiam eorum, quos votiuo celebramus stylo, consortium adipisci confidimus, dicente Domino; Qui vos diligit, me diligit: & qui vos recipit, me recipit: & qui recipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet: & qui recipit iustum in nomine iusti mercedem iusti accipiet, *Matt. 10.*

A piet, & iterum in psalmis; Mihi autem honorificati sunt amici tui Deus.

Ps.138. Sed priusquam eorum exequar trophæa insignia, operæ pretium resistere credidi imperitis quia ore blasphemo horum temporum martyribus derogantes, non esse illos consimiles prioribus martyribus volunt. Illa denique (aiunt) gentilitas olim simulachrorum cultibus dedita, variisque imaginum sacrilegiis occupata, milleno extitit idolorum portento subacta, & quod mundialium mirata est species rerum, tot sibi instituit formas Deorum: putans non alias obtineri posse temporarium commodum, ob quod suum miserabilem summis viribus expendebat coronatum: nisi haberet numerosam obseruantiam numinum. Cuius errore decepta, crudeli persequutione resistentem, ac aduersantem sibi Christianam vexabat militiam conuitiis, lacerationibus, flagris, equuleis, incendiis, bestiis, fluctibus, ac diuersis generibus tormentorum: sperans à cultu religionis reuocari posse suppliciis animas, quas spiritali conflictu introrsus iam eruditas, nouerat etiam facillime materiales debellantium euincere pugnas. Sic hebes dum inuictissimam fortissimorum militum virtutem admiratur, de immensis quoque miraculorum ostensis obstupescens, insultat: dæmonicis deputando præstigiis, quæ cæcata mente pietatis nequibat effectum aduertere. Erantque, vt apud plurima legimus exemplaria, beatorum occasiones conuertendi ad Christum, prodigia ipsa signorum. Nam isti tyrones, & nostrorum temporum confessores ab ictu mucronis celerem tantummodo excipientes interitum, nullam sitentium acerbitatem perpessi tortorum, non sub diutinum desudarunt stimulum. Præsertim cum ab hominibus Deum colentibus, & cœlestia iura fatentibus compendiosa morte perempti sint. Vnde sat eis est, si præteritorum curationem adepti sunt criminum, quod non tersit cathenarum stridor, ferri onus, squalor carceris, nec diuersa pœnalitas persequentis.

Prima aduersariorum obiectio.

B

Alia obiectiones.

C Igitur hæc vana paruipendentium adinuentio congrua necesse est legum auctoritate retundatur: & in quantum Dominus iouerit, veridico assertionum ariete impellatur. Vt mens religiosorum sacratissimis imbuta oraculis, discat ex veritate nouicios sicuti priscos venerari patronos, quos generali deuotione per mortem gloriosam itecernit ad cœlos.

Respõdet vltimæ obiectioni

Quid enim celere militibus sanctis excidium officit per quod id cursim peruenit, quo per varia & aspera tormenta olim catalogus beatorum accessit? Aut quid interest, quo mortis genere ex hac vita mortis excedat: quando, vt scriptum est: Iustus quacumque morte præoccupatus fuerit, anima eius in refrigerio erit? Aut quid obest, vtrum per longa cruciamina an subitaneo obitu decidat, quando vna eademque res est, quæ vtrosque coronat, zelus scilicet Dei, & amor regni perpetui? An non perfecti exequutores præceptorum Christi censendi sunt, qui subitanea mortificatione accensi, rerum oblectamenta spernentes etiam parentum, filiorum, coniugum, fratrum cunctorumque affectiones affinium ad punctum temporis abnegarunt? & quid inter vniuersa supplicia cruentius morte est? Quid terribilius, quam micantem ante oculos cernere gladium, ceruicibus confitentium protinus illapsurum? Aut quid per longa certamina nisi mors sanctis martyribus quæritur; Illa vtique mors de qua Psalmista canit & dicit; Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius. Non enim diu patienti, sed vincenti corona promittitur. Et feliciori pertinacia beati agonis terminum præstolans, de spe salutis æternæ quodammodo magis animatur: dicente Domino: Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. Siue autem dilationibus, siue fortuitis casibus passionum strenuis militibus propter Christum pugnantibus propera seu tarda mors occurrat: hoc solummodo aduertendum est, si causa fidei passiones excipiant, si propter Christum coronatorem martyrum, vt in æternum saluentur, animas perdere anhelant, sicut scriptum est? Si quis voluerit animam suam saluam facere perdet eam; & qui perdiderit animam suam propter me, in vitam æternam custodiet eam: Nam etsi culpis obnoxii maneant, & ex qualibet sorde vitiorum infecti ad martyrium veniant, nihil impedit: cum omnibus martyriali trophæo deletis ad Christum coronandi accedant. Idem enim est per multa tormenta in nomine crucifixi animam in morte tradere, & semel vno ictu propter ipsum occumbere, qui dixit: Si quis perdiderit animam suam propter me in vitam æternam inueniet eam. Et licet scriptum sit, quod per multas tribulationes oporteat nos conscendere ad regnum, vtique cum suppetunt, sustinendum est vsque ad obitum. Sin vero celeritas persequentis intercidens, expeditam confessoribus Christi intulerit mortem, & in hoc nullatenus gloria eorum mutilanda est, quia perseuerauerunt vsque in finem.

Sap.4.

D

Ps.115.

Matt.10.

Matt.16.

E

Act.14.

Comparatio.

Frustra ergo zelo Dei accensus ad brauium festinaret miles egregius, & casso conatu in primordiali exercitatione vires suas expenderet, si ab imperatore emeritæ victoriæ triumphis defraudaretur, pro eo quod in procinctu & in ipso belli auspicio palmam de tyranno obtinuit neque eam diutina, & laboriosa conflictatione conquisiuit, aut per multimodum concertationis discursum adepsit. Illis vtique laboriosis vexationibus, & non expeditæ victoriæ corona deberetur, si magis prolixitas pugnæ, quam festinatum trophæum pensaretur. Qualitas itaque non quantitas intentionis obseruanda est discurrentis ad præmium, cum quoquo modo rei desideratæ capiatur effectus. Vnus tamen idemque est rex æternus, pro cuius amore temporalibus se passionibus sancti omnes submittunt. Quid enim latroni Euangelico obstitit, quod fraterno cruore illitis manibus crucem ascendit? Aut qualibus inter ipsa mortis dispendia miraculis coruscauit, qui (vt ita dixerim) totius vitæ suæ metam latrociniis, rapinis prædisque exegit? Et tamen sub vnius confessione momenti tanto scelere non solum eruitur, verumetiam dignus comitatui Redemptoris primus paradisi possessor habetur, dicente Domino; Hodie mecum eris in paradiso. Et si nemo maiorem habet dilectionem, quam qui animam suam pro amicis suis ponit, quanto excellentiori charitate ferendus est, qui pro Deo suo decertat vsque ad mortem? Nam & paterfamilias non vna hora colonis in vineam missis, æquam mercedem dispensans non magnopere de temporis curat diuersitate, quia in exercitatione laboris non expertem à piorum intentione vltimorum mercenariorum operam compensat. Multi autem erant nouissimi primi, & primi nouissimi, & multi venient ab Oriente, & Occidente, & recumbent cum Abraham, Isaac & Iacob in regno cœlorum.

F

Latro in cruce cũ Christo pendens.

Luc.23.

Ioan.15.

G

Matt.20.

Miraculorum vero insignia ideo olim inter supplicia per eosdem athletas Dei virtus mundo præstabat, vt prodigiorum virtutibus vel mitigaret furentum insaniam, quæ beatorum constantiam fatigabat, vel incredulum genus ab infidelitatis errore conuerteret, qui cœlestium iura scripturarum obduratis præcordiis respuebat. Eratque illo tempore multoties necessarium Dei testes signis coruscare virtutum, quoniam rudem per æuum diffusum Christianismum nunc instructione verborum, nunc exercitatione scripturarum, nunc ostensione signorum, nunc etiam trophæis inclytis passionum conabantur radicitus fieri firmum in cordibus credentium populorum, sicut scriptum est: euntes per vniuersum mundum, prædicate Euangelium omni creaturæ, qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur.

Matt.8.

Secunda obiectioni respondet.

Miracula initio nascentis fidei necessaria.

H

Marc.16.

Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur in nomine meo dæmonia eiicient, linguis loquentur nouis, serpentes tollent, & si mortiferum quid biberint, non eis nocebit. Super ægros manus imponent, & bene habebunt. Illi autem profecti, prædicauerunt vbique Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis Et iterum, Euntes prædicate dicentes, quia appropinquabit regnum cœlorum. Infirmos curate mortuos suscitate, leprosos mundate, dæmones eiicite, gratis accepistis, gratis date. Hæc prima fidei nostræ rudimenta fuerunt, harum exercitatione virtutum, quasi lactentium paruulo-

Matt.10.

rum

A tum auspicia, teneritudo eius & confota est & nutrita: vt ministerio signorum vel augeretur multitudo fidelium, vel roboraretur fides credentium, ac veluti quædam instrumenta ferramentorum fuerunt, per quæ ornamenta ex auro argentoue, torques scilicet, monilia, regumque diademata componenda, aptanda, & compingenda, formata sunt.

Miracula perfidis sunt.

Itaque gratia confirmationis catholicæ fidei in primordio sui portenta atque miracula Christo cooperante profusius esse ostensa videmus: & ideo non miracula fidem præcedunt, aut fides miraculis cedit: ad quorum efficientiam nisi per fidem non peruenitur. Sic Moyses legifer sanctus, alternatione diuini colloquiis dignus, fide grandis effectus est. Sic Deo credulus Abraham iustificari promeruit, dicente scriptura; Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam, & amicus Dei appellatus est. Sic iusti ex fide viuunt, & omnes sancti per fidem regna vicerunt, operati sunt iustitiam, adepti sunt repromissiones, obturauerunt ora leonum, extinxerunt impetum ignis, fugauerunt aciem gladij, conualuerunt de infirmitate fortes facti sunt in bello.

Iacob. 2. Heb. 11 B

Alloquitur ad uersarios Eulog.

Vides (ô tu quisquis illees, qui contra assurgis) quod hæc omnia instrumenta fidei sunt, & quasi clientulo famulam piæ religioni subiecta, vt ex hoc nunc iam te in veritate credere oporteat, non prodigiis atque portentis, sed integritate fidei, & professionis constantia excellentiores fieri martyres: illudque tantummodo in eis sit admirandum, quod animo fortiori mortem excepenint propter Christum? Qui dixit: Qui perdiderit animam suam propter me, in vitam æternam inueniet eam. Sane omnium virtutum radix ac fundamentum fides est, quæ certantes adiuuat, vincentes coronat, & cœlesti dono quosdam defectu signorum remunerat. Nihil est enim quod synceræ fidei denegetur, quia nec aliud à nobis Deus, quam fidem exigit. Hanc diligit, hanc requirit, huic cuncta promittit & tribuit. Fides (inquit) tua te saluum fecit & esto fidelis vsque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ. Nihil ergo fidei subtraxit, nihil ei impossibile esse deprompsit.

Viuidam nimirum & operibus plenam, intelligit dicens Eulogius, qui de martyrii fide loquutur, qua viuidiorem nullã reperies, siquidem per ingētem charitatem operatur. Illã enim maiorem charitatem esse Christus astruxit, C

Nec magnopere de prodigiorum insignibus confidendum est, quæ plerumque ab infidelibus exeruntur, vt in Exodo scribitur; Fecerunt & malefici per incantationes, sicut & Moyses. De qua quæstione sufficienter vt opinor in illo Memoriali sanctorum opere disputatum est. Siue enim Dei testes, miraculis emicent, siue absque prodigiis beatum certamen expediant, nihil interest, cum ab eis hoc cœlestis auctor solummodo expetat, vt vsque ad finem constantiam spei suæ non deserentes, viriliter agonem consumment, quo æternum catalogis adornati sanctorum, de perpetuitate salutis exultent: dicente Domino; Qui perseuerauerit vsque in finem hic saluus erit.

Simplex profecto dispositio nostra extiterat, vt victorum victorias depromentes compendiosæ breuitatis studeremus sed repagulis insolentium præpeditus, nisus sum huc apologeticum incertis assertoribus dare & ideo forte, vltra quam debui, modum excessi historiæ. Contra quorum prauitates paulisper adhuc veniendum est, quo fidelis conuentus dicat, votis ardentioribus plus amare quod credit, dum ex auctoritate sacræ legis & veritatem religionis, & errorem impiæ nouitatis comperent.

D *cum animam suã ponat quis pro amicis suis.* *Matt. 10.* *Tertia obiectio. Diluit obiecta.*

Dicunt enim, quod ab hominibus Deum, & legem colentibus passi sunt, nec ad sacrilegia idolorum, sed ad cultum veri Dei inuitati, perempti sunt, & ideo non vt priorum martyrum, horum martyria veneranda sunt. Deum ergo & legem isti vanitatis cultores nullo modo habere credendi sunt qui Euangelicæ institutionis per totum orbem vitalia diffusa præcepta non solum non credunt, verum etiam omni zelo peruersitatis magnum discrimen ea fatentibus ingerunt? exosum & iniquum putantes Christum verum Deum, & verum hominem credere? Ac sic irrisione nefaria quotidie Dei sortem infamantes, titulum sacræ religionis vbique lacessunt, irri-

E dent, & maledicunt, spem credulitatis & fidei suæ in cuiusdam pestilentiosi ac dæmoniosi homunculi diuinationibus collocantes. Qui ab spiritu immundo præreptus iniquitatis, mysterium vt verus Antichristi præcursor exercens, nescio quam nouitatis legem pro suo libito, ex instinctu dæmoniorum perdito vulgo instituit.

Mahometis abominãda peruersitas.

De quorum impietate beatus Paulus Apostolus patulis prophetismi oraculis sancto reuelante spiritu Thessalonicensibus dicit. Pro eo quod charitatem veritatis non receperunt, vt salui fierent, ideo mittit illis Deus spiritum erroris, vt credant mendacio, & iudicentur omnes qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati in omni seductione. Idem quoque ad Romanos refert; Reuelabitur enim ira Dei de cœlo super omnem impietatem, & iniustitiam hominum, eorum qui veritatem in iniustitia detinent, qui quod notum est Dei, manifestum est in illis, & cum cognouissent Deum non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt, sed euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum. Dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt. Qui commutauerunt veritatem Dei in mendacium, & coluerunt, & seruierunt vanitati, potius quam creatori, qui est Deus benedictus in sæcula propter quod tradidit eos in reprobum sensum, vt faciant quæ non conueniunt: repletos omni iniquitate malitia, fornicatione, auaritia, nequitia: plenos inuidia, homicidiis, contentione, dolo, malignitate: susurrones, detractores, Deo odibiles, contumeliosos, superbos, elatos, inuentores malorum, parentibus non obedientes, insipientes, incompositos, sine affectione, absque fœdere, sine misericordia. Qui, cum iustitiam Dei cognouissent, non intellexerunt, quoniam qui talia agunt, digni sunt morte, non solum qui faciunt, sed & qui consentiunt facientibus. Nam & beatus Petrus princeps Apostolorum firmissimum Ecclesiæ Catholicæ fundamentũ vtpote cui ab ipso Redemptore dictum est: Tu es Petrus & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: ita in suis Epistolis ait: Fratres habemus firmiorem propheticum sermonem, cui benefacitis intendentes, quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco, donec dies lucescat, & lucifer oriatur in cordibus nostris. Hoc primum intelligentes, quod omnis prophetia scripturę propria interpretatione non fit.

2. Thess. 2. *Rom. 1.* F *Matt. 16.* G *2. Pet. 1.*

Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu S. inspirante loquuti sunt sancti Dei homines. Fuerunt vero & pseudoprophetæ in populo, sicut & in vobis erant magistri mendaces, qui subintroducent sectas perditionis, & eum, qui emit eos, dominatorem abnegantes, superducent sibi celerem perditionem, & multi sequentur eorum luxurias: per quos via veritatis blasphemabitur, & in auaritia fictis verbis de vobis negotiabuntur. Quibus iudicium iam olim non cessat, perditio eorum non dormitat.

2. Pet. 2.

Quæ omnia sicut hæc beata Apostolorum annuntiatio continet, non solum eidem pseudoprophetæ, sed & illis qui eum reuerenter accipiunt, conuenire multi peritissimorum mecum intelligunt, nec nos tanta de sanctis scripturis contra eum, eiusque sequipedas frustra congessisse aduertunt. Quippe quem iam vident sacræ legis præconio prædictum, ac veri magistri docentis oraculo denotatum. Multi pseudoprophetæ surgent, & seducent multos. Nihil certe de nostra in eum exprobratione arguerent, quem tot patrum auctoritate impugnari cernerent.

H *Matt. 24.*

Quapropter hoc in loco non mihi absurdum esse videtur, si præcedentium de eo doctorum testimonium proferam, vt quomodo eum tunc Ecclesiastici viri diiudicauerint, & qualiter illum fide & professione coluerint, quantusque & qualis apud nostros extiterit, melius ex eorum dictis agnoscant, qui nunc eum non sano sensu legem illum addoxisse, aut Deum in veritate coluisse asseuerant.

2. Cum essem olim Pampilonensi oppido positus, & apud Legerense cœnobium demorarer, cunctaque volu-

Pampilonensis ciuitas.

mina,

mina, quæ ibi erant, gratia dignoscendi incomperta, reuoluerem; subito in quadam parte cuiusdam opusculi hanc de nefando vate historiolam absque auctoris nomine reperi.

3. Exortus est namque Mahomat hæresiarches tempore Heraclij imperatoris anno imperij eius septimo currente Era 556. In hoc tempore Isidorus Hispalensis Episcopus in Catholico dogmate claruit, 4. & Sisebutus Toleto regale culmen obtinuit. Ecclesia beati Euphrasij apud Illiturgi vrbem super tumulum eius ædificatur 5. Toleto quoque beatæ Leocadiæ aula miro opere, iubente prædicto principe, culmine alto extenditur. Obtinuitque prædictus Mahomat nefandus Propheta principatum annis decem, quibus expletis mortuus est, & sepultus in inferno. Exordia vero eius fuerunt talia. Cum esset pupillus, factus est cuiusdam viduæ subditus. Cumque in negotiis cupidus fœnerator discurreret, cœpit Christianorum conuenticulis assidue interesse: & vt erat astutior tenebræ filius, cœpit nonnullas collationes Christianorum memoriæ commendare, & inter suos brutos Arabes cunctis sapientior esse. Libidinis vero suæ succensus fomite, cum patrona sua iure barbarico in ira congressus est. Moxque erroris spiritus in speciem vulturis ei apparens, os aureum sibi ostendens, Angelum Gabrielem esse se dixit, & vt Propheta appareret, imperauit. Cumque repletus esset tumore superbiæ, cœpit inaudita brutis animalibus prædicare, & quasi ratione quadam, vt ab idolorum cultu recederent, & Deum incorporeum in cœlis adorarent, insinuauit. Arma sibi credentibus assumere iubet, & quasi nouo fidei zelo, vt aduersarios gladio trucidarent, instituit. Occulto quoque Dei iudicio (qui olim per Prophetam dixerat: Ecce ego suscitabo super vos Caldæos, gentem amaram & velocem, ambulantem super latitudinem terræ, vt possideat tabernacula non sua. Cuius equi velociores lupis vespertinis, & facies eorum vt ventus vrens, ad arguendos fideles, & terram in solitudinem redigendam) nocere eos permisit. Primum namque fratrem imperatoris, qui illius terræ ditionem tenebat, interimunt, & ouantes de triumpho victoriæ gloriosi effecti, apud Damascum Syriæ vrbem regni principium fundauerunt. Psalmos denique idem pseudopropheta in ore insensibilium animalium composuit, vitulæ scilicet rubræ memoriam faciens. Araneæ quoque muscipulæ ad capiendas muscas historiam texuit. Vpupæ præterea & ranæ cantus quosdam composuit: vt fœtor vnius ex eius ore eructaret, garrulitas vero alterius in eius labiis non desineret. Alios quoque ad condimentum sui erroris in honorem Ioseph, Zachariæ, siue etiam genitricis Domini Mariæ stylo suo digessit. Cumque in tanto vaticinij sui errore duraret, vxorẽ vicini sui nomine Zeid concupiuit, & suæ libidini subiugauit. Quod scelus maritus eius sentiens, exhorruit, eamque Prophetæ suo, cui contradicere non valebat, permisit. Ille vero quasi ex voce Dominica in lege sua illud annotauit, dicens: Cumque mulier illa displicuisset in oculis Zeid, & eam repudiasset, sociauimus eam Prophetæ nostro in coniugium, quod cæteris in exemplum, & posteris fidelibus id agere cupientibus, non sit in peccatum. Post cuius tanti sceleris factum mors animæ, & corporis illius simul appropinquauit. At ille interitum sibimet imminere persentiens quia propria virtute se resurrecturum nullo modo sciebat per Angelum Gabrielem, qui ei in specie vulturis apparere, vt ipse aiebat, solitus erat, resuscitaturum se tertia die prædixit. Cumque animam inferis tradidisset, soliciti de miraculo, quod eis pollicitus fuerat, ardua vigilia cadauer eius custodire iusserunt. Quem cum tertia die fœtentem vidissent, & resurgentem nullo modo cernerent, Angelos ideo non adesse dixerunt, quia præsentia suorum terrerentur. Inuento igitur salubri (vt putabant) consilio, priuatum custodia cadauer eius reliquerunt statimque vice Angelica ad eius fœtorem canes ingressi, latus eius deuorauerunt. Quod reperientes factum residuum cadaueris eius humo dederunt. Et ob eius vindicandam iniuriam, annis singulis canes occidere decreuerunt: vt merito cum eo habeant illic participium qui pro eo dignum meruerunt subire martyrium. Digne ei quidem accidit, vt canum ventrem tantus ac talis Propheta repleret, qui non solum suam, sed multorum animas inferis tradidisset. Multa quidem & alia scelera operatus est, quæ non sunt scripta in libro hoc: hoc tantum scriptum est, vt legentes quantus hic fuerit agnoscant.

Ecce qualibus præstigiis deditum vulgus, quantæque impietatis ducem, plerique non metuunt sub nomine piæ religionis censeri. Asserentes, quod ab hominibus Deum colentibus, & legem habentibus, isti tyrones, nostrorum temporum milites occisi fuere, nulla discredi prudentia vt saltim prouido cogitamine aduertant, quia si talium cultus aut lex vera dicenda est, pro certo vigor Christianæ religionis infirmabitur.

Et si, quod in veritate fatendum est, notitio sanctæ fidei totius mundi compita penetrauit, cunctas nationes terræ peragrans: nullam iam partem orbis expertem luminis eius fore confidimus. Præsertim quia in omnem terram exiuit sonus Apostolorum, & in fines orbis terræ verba illorum, & omne aliud Euangelium præter quod Apostoli gentibus tradiderunt, anathema magis esse, quam verbum salutis fatemur, sicut dicit Apostolus: Si quis vobis euangelizauerit præter quod accepistis, anathema sit. Et veritas ore suo discipulos contestatur, dicens; Multi pseudoprophetæ surgent, & seducent multos, & dabunt signa magna & prodigia, ita vt in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi. Et iterum Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, si ex Deo sunt. Qua consequentia credendum est, dæmoniosum & mendacio plenum veritatem proferre? fallaciis obuolutum legem donare? nemus peruersum fructus bonos exhibere? Ille interim nefandus de malo cordis sui thesauro proferens malum, & vulgo insipienti ducatum impietatis ministrans, vterque præcipitium in chaos æternum pœna luiturus incurrit. De quo atque eius similibus dominus per Oseam loquitur dicens. Ipsi regnauerunt, & non ex me principes extiterunt, & non cognoui.

Ad Gal. 1. Matth. 24. 1. Ioan. 4. Oseæ 8.

Denique inter cæteros post ascensionem Domini hæresum auctores, solus hic infantus nouæ superstitionis sectam instinctu diaboli condens, procul ab Ecclesiæ sanctæ conuentu desciscitur, auctoritatem priscæ legis infamans, prophetarum vaticinia respuens, sancti Euangelij veritatem conculcans, & Apostolorum doctrinam detestans, qui ridiculum potius quam rerum necessariatũ causas per eandem sectam suã insinuans, ore blasphemo docuit Christum Dei verbum esse, & spiritũ eius, & Prophetam quidem magnum, nulla vero deitatis potentia præditum, Adæ similem, non Deo patri æqualem. Qui ob meritum sanctitatis sancto repletus spiritu, per virtutem Dei miraculis claruit, signis atque portentis enituit, nihil ex propria maiestate, aut Deitate præualens, sed vt vir iustus & pia seruitute Deo cohæreus, votis supplicibus ab omnipotente multa impetrare promeruit. Sed & alia inaudita vanitatis scelera prædicans, adinuentione versipellis, à quo obsidebatur inuenta, qui se eidem transfigurauit in Angelum lucis, delubra in quibus pessimum dogma suum coleretur extruxit, constituens in vltimo idololatriæ situ turrem altiori pinnaculo cæteris ædibus prominente, ex qua populis veneno nequitiæ suæ illectis sacrilegi furoris concionaretur decretum. Quod hodie suæ impietatis sacerdotes ab illo edocti obseruant. Ita vt more aselli diffusis mandibulis, impurisque patentibus labiis horrendum præconium non prius emittant, quam obseratis vtroque digito auribus, quod aliis exequendum annuntiant, quasi quoddam edictum sceleris, idem ipse eorum Propheta audire non patitur. Quem impietatis ruditum dum diuæ memoriæ auus meus Eulogius aure caperet, ferunt, continuo vexillo crucis frontem præmuniens, cum gemitu, hunc psal. solitum fuisse cantare: Deus quis similis tibi? ne taceas neque sileas Deus, quoniam ecce inimici tui Domine sonuerunt, & qui te oderunt, leuauerunt caput. Nos autem mox

Mahometis de Christo seruatore nostro nefarium iuditium.

Maurorũ templa.

Maurorũ sacerdotes de turribus proclamantes.

Eulogius D. Eulogij auus.

A 96.

vt fallentis vocem præconis audimus, confeſtim oramus, Salua nos Domine ab auditu malo, & nunc & in æternum. Et iterum, Confundantur omnes qui adorant ſculptilia, & qui glorianrur in ſimulacris ſuis.

Cuius quidem erroris inſaniam prædicationis deliramenta; & impiæ nouitatis præcepta quiſquis Catholicorum cognoſcere cupit euidentius ab eiuſdem ſectæ cultoribus perſcrutando aduertet. Quoniam ſacrum ſe quippiam tenere & credere autumantes, non modo priuatis, ſed apertis vocibus vatis ſui dogmata prædicant. Multa etiam apud quuſdam noſtrorum ſcriptorum inueniet, qui zelo Dei armati aduerſus ipſum vatem impudicum prudenti exercerunt ſtylo. Sed & nos in illo memoriali ſanctorum opuſculo huius ſectæ errores ex parte digeſſimus refutauimus, & confodimus.

Ruderi-cus presbyter martyr. Egabrē-ſis ciuitas. B

Reſtat iam nunc expeditis Apologeticis beatorum, vt aliquid de victoriis eorum ad æmulationem Catholicæ plebis pandamus 7. B. igitur Rudericus preſbyter ex quodam vico Egabrenſi progenitus, in eadem vrbe ſanctæ legis doctrinam, gradumque ſacerdotalem promeruit. Huic duo fratres, ſed ex his vnus fidem Chriſti rectius tenens, alter gentilicio deprauatus errore, Catholicam ſpreuit religionem. Qui ſicut diſcors à fide ſancta manebat, ita ſemper diſcordanti conflictatione ob diuerſarum rerum occaſiones cum fratre Catholico mouebatur. Nam quadam nocte, neſcio qua occaſione tumultuaria in alterutrum litigatione ſe conſcrentibus, & in ſeſe inuicem fœda ſimultate bacchantibus ſanctus ſacerdos litem medius ſedaturus interuenit. Qui omnes nimio iam furore accenſi cæca Indignatione ſacerdotem inuoluunt, & magis neſcientes, quam volentes, eum vſque ad necem laceſſunt. Ex qua cæde valde contritus, dum omni deſtitutus vigore, confracta membra lectulo reponeret: profanus ille frater feretro illum imponens, per vicos & vicinia quæque vehentium humeris duci, ac reduci fecit, & vt verus imitator diaboli fraudulenta machinatione ſuper exanimem ſacerdotem teſtimo-

C

nium iniquitatis compoſuit, dicens; Hic frater meus preſbyter viſitatione Dei compunctus, fidei noſtræ cultum elegit, & ſicut cernitis, iam in vltimis agens, noluit prius mundo diſcedere, quam vobis id notum exiſteret. Ita cum eo loca diuerſa peragrans, hæc & his ſimilia criminoſis de eo verbis narrabat. Neſciente ipſo prorſus, imo nec ſentiente, quid contra ſe vir ille iniquus aptabat. Dei vero diſpenſatione poſt nonnullos dies moleſtiis ægritudinis ſacerdos erutus, ac viribus reformatus cum ſubdola nefandi fratris molimina cognouiſſet, exemplo Domini, qui ad informandos nos inſidias declinauit Herodis: ſiue ſancti Euangelij non ſurdus auditor, quo de ciuitate in ciuitatem, cauſa vitandæ perſequutionis, delitеſcere iubemur, relicto proprio rure, alibi ſe Chriſto libere contulit ſeruiturus. Quaſi poſſe temporale euadere ſupplicium, cui diuinitus à conſtitutione mundi prædeſtinatum parabatur martyrium: aut ſicut ad tempus ſeſe occulendo inſequutorem fefellit ſanum, ita quoque abeſſe poſſet oculis pij Redemptoris, & vocatoris ſui ad regnum.

Matt. 2. Matt. 10.

D

Per idem ergo tempus grauiter in nos præſidialis graſſabatur inſania, ita vt nonnullas apud Cordubam olim patritiam, nunc autem florentiſſimam regni Arabici vrbem baſilicarum turres euerteret, templorum arces dirueret, & excelſa pinnaculorum proſterneret, 8. quæ ſignorum geſtamina erant, ad conuentum canonicum quotidie Chriſticolis innuendum 9. Denique cum exoptatum patris ſui libitum progenies iniqua cognoſceret, vt quibuſcunque modis ac viribus poſſet, Dei Eccleſiam infeſtare: omnem crudelitatis adniſum erga filios lucis tenebroſa proles alacriori voto exercet: minuſque ſe putat adipiſci meritum, niſi ſummo furore exarſerit in euerſionem fidelium. Prædixerat quippe hoc veritas ſancta auditoribus ſuis dicens, abſque ſynagogis facient vos, & omnis qui interficit vos, arbitrabitur ſe obſequium præſtare Deo. Et iterum, Hæc loquutus ſum vobis, vt in me pacem habeatis, in mundo autem preſſuram habebitis

Corduba Regum Sarracenorum ſedes. Turres templorū & cymbala.

Ioan. 16. Ibidem.

Montana Cordubenſia.

Igitur dum ob rei familiaris neceſſitatem ex interiori montana Cordubenſi, quo ſe pridem beatus ſacerdos intuitu latendi contulerat, in nundinas deſcendiſſet: in quibus rerum diſtractio exercebatur ab iniquo fratre obuius agnoſcitur. 10. Quem vt cernit ſtigmata piæ religionis retentem non mediis laceſſitum iniuriis ad vicem exquiſiti muneris iudici offert, deponens aduerſus eum coram arbitro quæſtum præuaricationis ſectæ Mahometanæ, quam ſe dudum veraciter colitutum, fuerat confeſſus. Dei vero miles cæleſti iam munere illuſtratus non ſicut olim aduerſariis tergum exponit, ſed magna præditus fortitudine nunquam ſe à Chriſto fuiſſe deciſum, nunquam peruerſo dogmati aliquando conſenſiſſe, iudici refert: ſeſeque non ſolum Chriſtianum, verumetiam Chriſti fatetur eſſe miniſtrum. Quem primo iudex blandis reuocare affatibus putans, poteris (inquit) rerum affluentiis, & dignitatum faſcibus honorari &, quæ tibi imminet, ſententia mortis euadere, ſi te priſtinis votis rediuiuo ardore reformans, miſſum ab omnipotente in veritate Prophetam noſtrum credideris, Chriſtumque teſtaueris Deum non eſſe. Cui beatus ſacerdos ait, Illis, inquam, iudex, hæc obſeruanda propone, qui forte legibus veſtris dediti, ritibuſque profanis immerſi, potiori intuitu commodum temporale, quam æternum affectant honorem. Nobis autem quibus viuere Chriſtus eſt, & mori lucrum, cui ſanctus ille Clauicularius regni futuri dicebat, Domine ad quem ibimus verba vitæ æternæ habes? 11. Qui diſcipulum in carcere commouebat, dicens, Beatus qui non fuerit ſcandalizatus in me: vt quid perennis fontis poculum relinquemus, iniuſtum gurgitem cœno mendacij ac vitiorum ſordibus turbulentum? aut qua vltione procacitas punienda eſt filiorum, qui pia parentum iura ſpernentes: iniuſtum victrici contubernium expetunt? His verbis iudex vehementi furore commotus, applicari martyrem ergaſtulis iubens: abeat, inquit, cum damnatorum cuſtodia, horrida macerandum antra carcerum excipiant: patricidarum & furum ſolatio fruatur, & omni penitus ſolatio deſtituta, vel ſic peruicax elidatur temeritas.

Ruderi-cus ab fratre impio accuſatur. E

F

Philip. 1. Ioan. 6. Matt. 11.

G

Adit Dei famulus hilari vultu exultantibus animis ſpecum illum teorum, qui vere ſciebat auctorem ſuæ ſalutis vbique inuocatum adeſſe, nec aliquo poſſe abeſſe ſitu: cuius dominatio omnem penetrat locum: qui etiam potenti diuinitatis imperio olim ſectatoribus ſuis fidele promiſſum dederat dicens, Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſæculi. 12. Hæc ſunt, diabole, minaces ſæuitiæ tuæ leges, hi ſunt exquiſiti terrores. Sed dictum eſt nobis, nolite timere eos qui occidunt corpus, quia non habent quid amplius faciant: ſed potius eum timere, qui poteſt corpus & animam perdere, & mittere in geheonam. Et iterum tradent vos in conciliis, & in ſynagogis ſuis flagellabunt vos, & ad præſides & reges ducemini propter me in teſtimonium illis & gentibus. Qui autem perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit. Si ergo poteſt congredere aduerſus animam, & pertinacem in confeſſione ſua ſpiritum ſupera. Videbis me magis per tormenta proficere, & cum tu plus exarſeris, plus ſemper deficies, & feliciorem me facies peruenire ad gloriam.

H

Salomon martyr.

Repetit vero in carcere Rudericus beatum Salomonem, quem ob confeſſionem nominis Chriſti dudum crudelitas perſequentium ibidem religauerat: Simili quippe & ipſe crimine impetebatur, eo quod ſanctæ religionis cultum ſpernens, aliquo tempore ſectæ Mahometianæ hæſiſſet. Extemplo indiuiduo voto nectuntur ac ſibimet inuicem conſolationis ſuffragia miniſtrantes ab alterutro ſe ad peragendum agonem armantur, id io commune ſtatuentes, vt calcatis mundi affectibus, pia quotidie ſeruitute Deo inhereant. Fit concors in Dei timore vtrorumque aſſenſus, macerantur membra ieiuniis, fatigantur vigiliis, limantur ciliciis, meditationibus compunguntur, orationibus refouentur, ſicque ardore quodam cœleſtis patriæ conflagrati, diſſolui cupiunt, & eſſe cum Chriſto, feſtinantes faciem eius videre cui ſeruierunt. Pro cuius amore defectū tēporis non veri-

Ad Philip. 1.

tes

A tes vitam hanc, vt quoddam discrimen immane tetigiunt.

Igitur permanentibus sanctis in exercitio officiorum cœlestium, & reddentibus quotidie pio Redemptori cæremonias laudum, pro summis deliciis antrum illud habebant. Quapropter zelo ductus iniquissimo iudex ferali edicto custodes carceris arguit, eosque ab inuicem diuelli præcepit, & ne à quoquam visitationis gratia illustrentur, totis vesaniæ suæ furoribus iussit. Sed in nullo te iuuas diabole, quando per hoc dissidium constantiam putas fatigari sanctorum quibus vnum idemque pro Christo moriendi manet indissolubile votum. 13. Nam hi confessores beati ordine & natione dissimiles, charitate non impares diuerso licet tempore certaminis campum aggressi, vno tamen eodemque fidei ardore flammati, specimen beatæ passionis egregium orbi instituunt.

Rudericus & Salomonis solitaria humilitas.

B Interea non post multos dies obtutibus suis iudex eos exhiberi præcipiens, illico ad ritum suum inuitat, ac de rerum copiis & dignitate honorum suadendos attentat, quos ante mundi constitutionem electos & prædestinatos in adoptione filiorum Dei diuinitas sancta perscripserat. Quorum pertinaciam in Dei professione considerans, post secundam & tertiam exhortationem ex decreto regis fore plectendos statuit. Prius tamen quam egrederentur ad publicum, coniunctorum se pedibus aduoluentes rogant, vt continuis obsecrationibus instarentur ne tentatione humana præcepti, retrorsum respicerent, & ab intuitu percipiendi vexillum victoriæ turbarentur. Ita pacis osculo reconciliati, qui nunquam fuerant litigio separati, omnes præ gaudio lachrimantes sanctorum se fauoribus tueri exorant. Sicque vrgentibus ministris voto alacriori prosiliunt, celerius properantes ad locum quo passionem consummarent. Et cum iam hora decisionis instaret, iterum à iudice blandius exhortantur eum specie diuitiarum, honorumque sublimium, quibus vtique fruerentur, si reuerterentur. Abnuunt sancti, sicuti à principio, iudicis optionem, ita

C vt sanctissimus Rudericus quadam vegetatus animositate superno iã munere perlustratus audacter ei responderet, dicens: Quomodo nos cogis relicta pietate declinare in deuium, qui sanctæ fidei sacramentis instructi, fortiter ignorantiam vestram deflemus, quos tanto videmus errore infectos? Nam nos adeo hanc sectam detrectabilem iudicamus, vt ne nostris quidem, eam incolendam canibus pateremur, quanto magis nosmetipsos fallacissimis eius figmentis subdamus? Aut quare copiis rerum aut dignitate honorum labentium oblectemur, in ipso forsitan oblectationis momento intercidente morte protinus omnia amissuri? qui nouimus apud Christum coronatorem nostrum rerum ineffabilium opes manere, quas oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendunt se diligentibus repromissas. Ideoque celeriter crudelitatis tuæ in nos exere vltionem, quos cernis nullatenus à confessione Christi desistere vsque ad mortem vt & quæ debentur hostibus Dei, tibi accrescant

D in cumulum, & diu nobis dilatum cito proueniat præmium.

Sancti martyres trucidantur.

Hinc acrioribus frendens sceleratissimus iudex clamoribus vltimam suæ crudelitatis sententiam promens, perduellium, inquit, lictoribus, properate abscindere colla, & debitam in capite contemptorum celerius retorquete vindictam. Sic super crepidinem aluei constituti, crucis 14. signaculo se præmuniunt, & sic denuo ense prostrantur. E quibus prior Dei sacerdos occumbens, præuius triumphator cœlum intrauit. Quod ideo iudex fieri voluit: vt si forte horrore decisi cadaueris beati Salomonis animus flecteretur, quem post varias deceptionum illecebras constantem & fortissimum comprobans, vltimo gladio vindice trucidari præcepit. Hæsit tamen suo collo funditus vertex incisus, quia expeditiorem beato Ruderico, quam huic Salomoni framea intulit obitum.

Ingens in necesse insania.

Sed quia cœlorum regna adeuntibus animabus nequit obsistere callidus serpens, adhuc contra exanimata corpora bellum exsuscitat. Quasi mortua superare posset cadauera, cum iam nullus esset spiritus, qui potius irrideret, quam sentiret tormenta: aut quasi aliquis titulis putaretur victoriæ, cum defunctis bellum inire. Vt

E ergo passionibus Christi communicarent martyres, instinctu ferocitatis à diabolo præses armatus: sub cuius dira crudelitate totius dignitas Cordubensis tunc grauiter vexabatur, iubet corpora martyriali cruore perfusa vestigiis inuersis configi, ac deinceps fluuiali abysso recondi. Eadem nocte ingenti lapidum onere alligata separatim vastissimo gurgiti immerguntur. Spectabat mister elementis imperare vndarum, quæ præstantius intendere nouerant creatoris imperium, vt crederitas sibi opes martyriales non solum à belluis conseruarent; verumetiam erepta saxorum pondere membra placido remigio fluctuum ad locum quietis veherent.

Diui Eulogij potissima audacia.

F Ego interim peccator Eulogius, qui gesta beatorum meo elucubranda stylo dudum decreueram, cum rumor consummatæ passionis eorum vbique discurreret, expletis missarum solemniis, ipsorum 15. inuisenda corpora quadam vegetatus audacia adii, ac propius quam cætera spectantium turba accedere non veritus sum. Et testis est Redemptor meus qui hoc commentarium discussurus est, quia non mentior, quod tanta decoris pulchritudine decussa illa cadauera fulgebant, vt crederes si à quoquam sciscitarentur, protinus loquutura. Nonnulli etiam è turba gentilium venientes, sumebant lapillos fluminis, qui cruore martyrum erant aspersi, 16. & lymphis abluentes proiiciebant in pelago, ne Christianis in emolumentum existerent lipsanorum, 17. nescientes quod nihil obesset ab his partem adimere, quibus totam decreuerat Dominus passionem donare. Nam credita algarum latibulis membra, & altis abyssorum gremiis deputata, quæ tam celanda, quã pabula piscibus ministranda

Inuentio sanctorum corporum.

susceperant, illico diuinus ad superos reuocata non solum nequeunt retineri, verumetiam leniori spiramine reciprocanti fluctuum alternatione, quæ dispersa tene-

G bantur, incolumia littoribus exponuntur. Sane beati sacerdotis suis non hæserat ceruicibus caput, quia semel illud vno ictu satelles auulserat 18. Et ideo alibi corpus iactatum, vnoque in loco sabulo opertum ab oculis viculi, quo vehentibus vndis expositum fuerat, reperitur.

Tertium vicus. Sancti Genesij monasterium. Funus sancti Ruderici.

Interea dum situs quietis sanctorum notitia pene dierum viginti tempus excederet, nec vllum apparendi darent indicium; quorundam ex improuiso relatione gentilium proditur, referentibus hoc eidem Presbytero, apud viculum 19. Tertios commanenti, quo monasterium sancti Genesij fundatum est. Quo nuncio idem sacerdos compulsus beatum cadauer iuxta deportandum Ecclesiæ pergit. Cui redeunti ingens fidelium turba occurrit, vtpote summo triumphatori debitum honorem dependere anhelans, qui talia pro Deo suo in exemplum Catholicorum non contempserit sustinere, 20. & quia defectu solis crassum tenebrarum chaos illabebatur, to-

H tumque mundi aspectum nox cæca mutauerat, ministerio obuiantium populorum multimoda lampadum face tenebrosus horror expellitur, adeo vt nimio splendore omnia illustrante, rediuiuum ostentauerit nox illa diem emergere. Flebant omnes præ gaudio, miscebatur tripudiis luctus, & nulla contrahente mœstitia vultum, pium refundebat pupilla lamentum. Adest & venerabilis pontifex: fœlicium stipatus agmine clericorum votis ardentioribus talibus interesse festinantes exequiis. Qui mox sanctas reliquias adeunt. 21. & inclitus Papa caput detegit; & osculis sancta membra demulcet. Redolent secreta cubiculi, quo prius beatum corpus sacerdos intulerat, miro suauitatis odore, cunctaque cellulæ pauimenta etiam ablato puluere ferunt aliquandiu suauissimi odoris olfactum respirasse. Fit omnibus in stuporem, quod inhumatum corpus nulla putredo insumpserit, nulla pestis infecerit, nulla tabes corruperit, nulla bestiarum altiumue rabida fames discerpserit, nec propriæ cutis qualitatem tot dierum interiecta

A

capedo degenerans immutauerit. Sicque sacerdotum & religiosorum officio sanctum corpus è cellula sacerdotis humandum Ecclesiæ inferentes, dant cuncti hymnorum cælestium clamorem egregium, resonant ora fidelium congruenti carmine melos, perstrepunt omnes diuinæ cantionis euphoniam, implentur atria Domini murmure sancto psalmorum, feliciumque laudum odam omnes quasi ex vno ore persoluunt: & suaui concentu omnibus percrepantibus, largoque fomite luminum totius aulæ penetralibus relucentibus, regem Christum militia comitante cælicolum ad spectaculum illud, exequiis innuebat interesse sanctorum.

Beati Salomonis martyris corpus inuentum.

Expleta igitur functione sanctissimi Ruderici, fit ardentior cunctis intentio requirendi beati Salomonis corpusculum, quod relatione multorum impetu fluminis salo credebatur esse transmissum. Nam hæc opinio pronidum magis Christicolarum animum imbuerat, quā furens conspiratio præsidis, quæ acrioribus vlciscendum legibus exploratorem reliquiarum promiserat. Etenim cum nullum latentis corporis instaret iudicium, moueretque omnes spes beneficientiæ Dei qui reuelare obstrusa, & aperta condere consueuit, prærogatiua quodammodo diuinitatis potentia qua in cœlo & in terra in mari & in abyssis omnia quæcumque vult ordinat, disponit, & facit: subito per quietem, quo situ corpus martyris delitescat, prædictum admonet sacerdotem.

B

Cumque sacerdos monentem de loco sui latibuli sciscitaretur: sesque instrui quæreret, quod explorandi tenere debuisset indicium: in illa inquit ripa fluminis, quæ vico Nymphiano adsciscitur, ibi à commeantibus inter fructeta tamaricum profectus, cespitis limosi perfruor vili sepulchro. Pergit securus ad locum sibimet diuinitus demonstratum ille sacerdos; nec aliter, quam quod ei reuelatione ostensum est reperit. Quod illico summis reuerentiæ obsequiis comptum ad vicum Colubris deportans venerabilium Dei sacerdotum officio in Basilica sanctorum Cosmæ & Damiani honorifice tumulatur. Consummauerunt autem beati martyres agonem suum tertio Idus Martias, 22. Era 895. regnante Domino nostro IESV CHRISTO in sæcula sæculorum. Amen.

Vicus Nymphianus.

Vicus Colubris. Basilica sanctorum Cosmæ & Damiani.

C

Anno Domini, 857. dies Mart. 13.

Ecce patroni mei reuerendissimi, milites Christi, testes idonei, bellatores egregij, victores potissimi, tutores gregis Catholici, detractoribus vestris obuius veniens, eisque pro vigore virium mearum resistens, gesta quoque victoriarum vestrarum ad exemplum fidelium ordinaui, vt tam proficeret cupientibus ire ad regnum, quam mihi occurreret ad expiationem facinorum. Quia non displicere vobis, quæ de vobis vera disposui, existimo: quinimo grata vobis, Christoque digna obtentu vestro futura credidi, cunctaque quæ in hoc opere ædidi. Vnde obsecro vos ego peccator Eulogius, pauper meritis, exiguus sanctitate, & culpa multimodus, vt digna intercessio vestra tuitionem mihi, & inter ingruentia mundi scandala præbeat, & inter supplicia inferorum quæ meritis expauesco defensionem exhibeat: sanctificando me gratia huius opusculi, dignumque efficiendo, quod sordidus sordidaui.

D

Et si fortassis error contrarius fidei in qualibet parte libelli emersit, Dominus vestro interuentu mihi parcat, vos quæso, quibus innocentia cordis mei non latet. Præsertim cum non nesciam, prudentes plerumque incurrere sermonis lapsum vbi animus non gerit errandi affectum.

EXPLICIT DEO FAVTORE LIBER
Apologeticus pro gestis Sanctorum Eulogij peccatoris.

SCHOLIA IN APOLOGETICVM
Sanctorum Martyrum.

QVod fraterno cruore.] Aduerte receptam illorum temporum fuisse opinionem sanctum latronem fratrem interemisse. Nam alius etiam locis hoc ipsum diuus Eulogius innuit.

E

2. *Et apud legerense cœnobium.*] Huius monasterij meminit etiam in Epistola ad Pompelonensem Episcopum vbi nos de ipso, & de vrbe, plura dicemus: perdurat enim adhuc incolume.

3. *Exortus est namque Mahomet.*] Annus Heraclij imperatoris septimus, idem fuit IESV CHRISTI Domini nostri sexcentesimus decimus septimus. Annus Eræ hic notatus annum vnum superadiicit. Neque vlla tamen est repugnantia. Nam vnius anni discrimen inde potuit prouenire, quod vnus Heraclij annos emergentes, vt aiunt, alius computet vsuales. Sed non est huius loci hæc exquisitius rimari. Hæc autem, quæ de Mahometi initiis: progressibus & fine ex eo codice Legerensis cœnobij Eulogius se refert habuisse, iisdem verbis leguntur in paruulo, eodemque vetustissimo codice litteris Gothicis in membrana descripto, qui est in Bibliotheca huius nostræ Academiæ Complutensis. Quanquam abscisum folium aliquot lineas in principio abstulit: Exemplar etiam conciliorum ante sexcentos annos scriptum, quod ex monasterio sancti Emiliani de la Cogolla in Regium diui Laurentij del Escurial aduectum est, eandem hanc habet historiam.

Mahometis initium.

F

4. *Ecclesia beati Euphrasij.*] Diuus Euphrasius vnus ex septem episcopis fuit, quos primos Petrus & Paulus Apostoli Roma in Hispaniam miserunt. Multi diui Iacobi Zebedei Apostoli discipulos fuisse tradunt. Ego in hoc ex probatis authoribus nihil compertum habeo. Quod potui in nostra historia peruestigaui. Illud omnes affirmant, Hispanorumque Ecclesiæ ferme omnes in matutinis legunt diuum Euphrasium Iliturgi & prædicasse & obiisse. Fuit autem Iliturgi oppidum ad Betim fluuium supra Cordubam, cuius Liuius, Polybius, Strabo, Plinius, & Ptolomæus meminerunt, Eo autem loco finem fuisse Plinius memorat, vt credi recte possit, eodem situ, aut non longe collocatum fuisse, quo vrbem nunc, Anduiar dictam, esse videmus. De quo latius nos in nostris Hispaniæ antiquitatibus disseruimus. Illud hic operæ pretium fuit aduertere: tempore etiam Gothorum huius diui beatum corpus, cum templo eidem dicato ibidem permansisse. Nunc nec aliqua saltem in ea ciuitate eius memoria retinetur. Iuxta opulentum illud diui Benedicti cœnobium Samos appellatum, de quo plura in Cordubensibus dicemus antiquitatibus, huius diui corpus in oppidulo dicitur asseruari. Et sepulchrum quidem magna religione vidimus ab accolis venerari.

Septem primi Hispaniæ Episcop. Iliturgi.

G

5. *Toletu quoque.*] Rudericus Toletanus, & Lucas Tudensis, atque alij rerum nostratium authores huius templi structuram ab hoc rege cœptam, & mito opere, ita enim scribunt, perfectam celebrant. Et sequentibus deinceps temporibus, neque antea vnquam, concilia in eo templo celebrata fuisse videmus. Creditur autem hoc ipsum esse templum sanctæ Leocadiæ, quod extra vrbem hodie perdurat non longe ab flumine Tago. Nam duo alia eius Diuæ intra vrbem visuntur.

H

6. *Qui ridiculum potius.*] Iisdem verbis libro primo vsus diuus Eulogius fuerat. De illo autem Sarracenorum ex turribus clamore, de quo paulopost diuus Eulogius: mentionem etiam indiculi Luminosi author fecit.

7. *Igitur beatus Rudericus.*] Rudericus verum est nomen, quod in Rodrigui nos Hispani corrupimus. Nam nummum aureum Ruderici vltimi Gothorum regis vidi qui cum eius vultu has in orbem litteras habuit inscriptas. IN. DEI. NOMINE. RVDERICVS. REX. Et parte auersa circum crucem. EGITANIA PIVS, in antiquissimis libris manuscriptis semper Rudericus legitur. Et Ruderici Archiepiscopi Toletani subscriptiones authographas nonnullas in publicis archiuis per totam hanc metropolitanam Toleti ditionem vidimus, vbi Rudericum se, non Rodericum nominat.

Ruderici regis Aureum nummum.

8. *Quæ signorum gestamina erant.*] Mirum est Arabes huiusmodi ænea cymbala in templis Christianorum ante hanc direptionem permisisse, qui alia multo

magis

A magis impietati suæ tolerabiliora, vt apud hunc auctorem cernimus, vetarent. Pretio antea redemptum hoc ipsum, & tributo imposito donatum crediderim: nunc vero impietatem cum auaritia certantem vitiose. Et de cymbalo eius temporis quod hodie perdurat, suo loco diximus.

9. *Denique cum exoptatum.*] Habdarrahgman patrem & Mahomad eius filium intelligit.

10. *Ad vicem exquisiti muneris.*] Hæc verba quem sensum habere possint, nec diuinando assequi possum, nec quomodo emendari possint succurrit.

11. *Qui discipulum in carcere.*] Hoc ideo dicit, quia diuus Ioannes Baptista cum iam in vinculis positus discipulos suos ad dominum IESVM misisset: hæc ipsa verba eidem, quem hic discipulum appellat, nuntiare iubentur.

B 12. *Hæc sunt diabole.*] Verba esse videntur Ruderici dæmoni insultantis. Deesse vero aliquid videtur quo hæc ab illo dici significaretur. Alioqui prosopopœia subito irrumpens, constare non potuit.

13. *Ordine & natione dissimiles.*] Non dubito, quin desint etiam aliqua, quæ de patria, & vitæ instituto Salomonis tradiderat. Nam qui potuit nunc Eulogius hæc referre, nisi securus se iam necessaria, vt hæc intelligi possent, retulisse.

14. *Et super crepidinem alue.*] Hinc perspicue intelligitur forum ad Bætis litus fuisse. Nam cum in forum essent hi duo martyres, vt occiderentur, deducti, ad ripam decollantur. Et diui Eulogij cadauer in alueum fluminis præcipitatum non longe ab arce, vt in eius vita annotauimus, iacuit. Ante arcem platea haud dubie forum habuit & tribunal, vt ibidem dictum est.

Ac propius quam cætera turba.] Hæc erat sancta diui Eulogij audacia, hæc digna futuro martyre magnanimitas. Cum cæteri Christiani infidelibus immixti se continerent, ne mortis periculum adirent, si ad contemplanda

C martyrum cadauera propius accederent: ipse vnus contempto mortis metu, Deum in sanctis suis laudaturus, turba se eximens, ad patibulum ferme ipsum progreditur. Satis vero apparet, quantum discrimen, illa eius adirent fortia vestigia: quum Arabes adstarent, nomini Christiano & martyrum gloriæ tanto opere infensi vt, quod sequitur, etiam minutulis eorum sanguinis guttis irascerentur.

Bætis Pelagus. 16. *In pelago*] Ita fuit in veteri, & quamuis credam fluuij aquam qualemcumque significari; non tamen tacebo, quod ea Bætis pars, quæ à solis porta aut paulo superius, ad pontem aut paulo inferius, hoc est ad arcem, veteris vrbis mœnia, vt suo loco dicemus, alluit, peculiari nomine nunc vocatur Pelagus. Et cum ex re ipsa hoc nomen indutum, aut potius adaptatum fuerit: quia nimirum toto eo tractu flumen ipsum laxius stagnet, & in pelagi formam protendatur credi facile potest, eodem etiam tempore ita fuisse nuncupatam, proprioque nomine hic diuum Eulogium vsum fuisse.

D 17. *Lypsanorum.*] Libenter diuus Eulogius Græcis nominibus vtitur, Græce idem est, quod apud Latinos reliquiæ.

18. *Ab accolis viculi.*] Deesse nomen proprium oppiduli existimo: Nunquam enim ipsum author solet prætermittere.

19. *Apud viculum Tertios.*] Et vici & monasterij meminit Aluarus in diui Eulogij vita: & idem diuus alibi non semel. Sunt autem Genesij duo, martyres ambo, ambo in Dei Ecclesia percelebres, Romanus alter, alter Arelatensis. Vtriusque martyrium vno eodemque die, hoc est Augusti 25. recolitur.

20. *Et quia defectu solis.*] Assurgere tentat hoc loco oratio. Et pectus illud diui Eulogij Deo plenum, & sanctorum gloriæ cupidissimum, interna deuotione instinctum, feruentius prorumpit. Nec deest eloquentiæ natiua vis, sed verbis, quod sui temporis, destituitur, & modo quod sui regionis, caret.

21. *Et inclytus Papa.*] Aliquod etiam retro sæculis Papæ nomen quod patrem significat, Episcopis quibusque iam commune fuerat. Prudentius ad Valerianum B Episcopum scribens in Hippolyti martyris passione Rotantes saxorum apices vidi optime Papa. Et multæ Sidonij Apollinaris epistolæ Episcopis scriptæ, hunc titulum præferunt. Postea vsus tenuit, vt hoc nomen summo Pontifici Romano totius Ecclesiæ Christianæ capiti solummodo, per antonomasiam quandam, tribueretur.

22. *Era* DCCCXCV.] 85. fuit in veteri: sed perperam profecto. Era enim nonagesima quinta fuit notanda, quandoquidem Mahomad rege regnante, quod supra dixerat, interfecti sunt hi duo martyres: qui postremi omnium passi hoc tempore ante Eulogium videntur, anno Domini octingentesimo quinquagesimo septimo.

IN NOMINE DOMINI INCIPIT Liber Documentum Martyrij Eulogij Presbyteri, Quod in carcere positus Virginibus Christi Floræ & Mariæ ergastulo mancipatis dicauit.

Titulos qui in exemplari fuerunt F omnes reliquimus

PROOEMIVM OPERIS SVBSEQVENTIS.

QVi copiis rerum, & multiplici quæstu pecuniarum exuberant, quicquid in rebus terrenis affectant, facile consequuntur. Sed multo aliter est penuria & fame vexatis, qui vix quotidianum victum operoso sudore capessunt. Diues enim cogitauit & fecit pauper cogitando defecit. Ast ego illis longe inferior egestate scientiæ laborantibus, & eorum, qui exigua literarum paucitate subnixi sunt, nimium vltonius hoc opus abiecto satis (vt ita dixerim) stylo sensuque digestum, ex eo documentum martyrij appellaui, ex quorundam virginum animos reorum mancipatarum specui ad consummandum cursum certaminis imbui, seu quia profuturum fore cæteris talia exquirentibus credidi. Non igitur facundiæ nitore, quæ mihi oppido deest, materiam libri succinxi non leporem venusti sermonis in extructione eius intendi: sed quomodo per huius instrumenti virtutem Deum possem propitiari, meoque me reatu absoluere; quoniam scriptum est: Qui conuerti fecerit peccatorem, saluat animam eius, & suorum cooperit multitudinem peccatorum. Et iterum, Qui ad iustitiam erudiunt multos, fulgebunt sicut stellæ in perpetuas æternitates. Inde hoc prœmium & præsentibus & futuris precem humilem defert lectoribus, vt simplici studeant percurrere animo, quod simplex depromit oratio simplexque dictauit intentio. Et si fortassis in aliquibus sanæ doctrinæ sententiam meam obstare reppererint, ne scientiæ, id non voluntario errori ascribant; meliusque emendando indulgeant, quam reprehendendo derogationibus vacent, quia non erit ad culpæ meæ titulum coram Domino referendum crimen, quod non est vltroneo lapsu commissum.

G Iacobi. cap. 5. Dan. 12.

H

EVLOGIVS SERVVS CHRISTI Virginibus Sacris Floræ, & Mariæ carcere compeditis salutem.

PAratum hoc opus instructioni vestræ, vt reor, necessarium, sanctæ in Domino IESV CHRISTO sorores, operæ pretium condere visus sum, quod Deo fauore vobis fiet proficuum, mihique & nunc & in futuro examine surget in testimonium: Vel quia ipsius dono, & sancti illustratione spiritus organum linguæ meæ præconio veritatis repleri confido: vel quia cœptum voluminis huius laborem ab eo & perfici & sanctificari spero: vel quia fecisse vos magna & laudabilia verbis prædico, sensibus admiror, literis effero superasse vos viros, superasse clericos fateor. Excessit virtus vestra præclara monumenta virorum, & in excelsis elatum laboris vestri vexillum

A dat omnibus piæ operationis documentum. Incitando desides ad triumphum, imbecilles armando ad prælium debiles roborando ad bellum, tergiuersantes hortando spe vincendi rediuiuum ad castra pugnatorum facere reditum, & vniuersæ Ecclesiæ specimen pro veritate moriẽdi exhibendi signiferum. Propterea non discedet laus vestre de ore hominum vsque in sæculum: Siquidem præconabilis est virorum victoria, excellentior tamen fœminarum extollitur palma: & cum magnum sit in viris victoriæ signum, plerumque gloriose 2. offeruntur manes triumpho adorearum. Maioris vero est admirationis laude colendũ fœminas rem fecisse virorũ; quippe quę sexus sui fragilitatem 3. oblitæ celsa virtutum appetere non verentur. In qua subinde fortium vigor lassatur Denique hac magnanimitatis virtute olim legales fœminæ Esther & Iudith subnixa fuerunt, quæ propter saluationem populi Dei hostium sese periculis iniecerunt. Nam vna earum Aman in perniciem Israël nefaria B machinantem persuasit regi crucifigendum. Altera sopitum quiete vitiorum Holofernem saluo pudore peremit. Et sic cum excellenti victoria medias pugnatorum acies scindens, suum reuisura populum voti compos regreditur. Vnde vos quæso, sorores meæ, vt harum exemplo succinctæ, in excidium aduersarij Dei animosum spiritum erigatis, & vt tam vos quam ceterum fidelium à perditionis æternæ laqueis eruatis. Cœptum anhelare iter perficere, quia hæc via facilius & velocius vos ad thalamum sponsi vestri perducet. Est enim angusta & arcta semita sed compendiosa celeritate vos sub vnius horæ spacio ad sponsi vestri peruenire faciet gaudium. Non desit sacratio pectoris vestri primæuus ardor bellandi, quin potius quotidianis incrementis intra mentium vestrarum recessus sit adauctus, solenniter crepitans, Quasi ex vno ore ambæ clamate: Mihi autem absit gloriari nisi in cruce Domini mei Iesu Christi per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.

C Non vos, sorores meæ, sæculi blandimenta decipiant
Ad Gal. 7. qui Christum Dominum ore Apostolico audistis dicentem, Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo
1 Ioan. 2. sunt. Si quis diligit hunc mundum, non est charitas patris in eo. Quia omne quod in mundo est concupiscentia carnis & concupiscentia oculorum est & superbia vitæ, quæ non ex patre, sed ex mundo est. Et mundus transiet & concupiscentia eius. Non vos copia rerum
Ps. 61. illiciat, quia scriptum est: Nolite sperere in iniquitati-
1. ad Tim. 6. bus & in rapinis: nolite concupiscere diuitias, si affluant, nolite cor apponere. Et iterum, Nolite sperare in incerto diuitiarum. Non vos carceris squalidus horror auertat, quæ vere scitis Prophetas Apostolos & beatos Martyres per carceralia vincula ad cælestem pa-
Cant. 2. triam peruenisse. Multisque secreta mysteriorum in antro positis reuelata sunt. Non vos contubernium scortorum exturbet, quoniam scriptum est, Sicut lilia inter spinas, sic amica mea inter filias: & Dominus quidem cum iniquis deputatus est, & inter vtrumque latronum
D affixus est, Non vos furentis iudicij terror immutet, quoniam nec capillus de capite vestro sine iussu patris vestri auelletur. Non vos conuitia iniuriarum deterreant
Esa. 51. quoniam scriptum est, Nolite timere opprobrium hominum, & blasphemias eorum ne metuatis, sicut enim vestimentum, sic comedet eos vermis. Et sicut lana, sic deflorabit eos tinea. Non vos suppliciaillata pœnarum marcescant: non immanitas dolorum exuperet: non vul-
Matt. 10. neribus tormentorum vigor fidei vestræ succumbat, quia scriptum est, Nolite timere eos qui occidunt corpus, animæ vero in nullo possunt nocere: sed potius eum timete, qui potest corpus & animã perdere, & mittere in gehennã. Dominus & magister vester hoc iubet sorores
Luc. 12. meæ, & ex eius deifico ore ista prolata sunt. Iã nõ est vltro quod metuas pusillus grex, quoniã complacuit patri vestro dare vobis regnum. Roboretur prorsus vehementius humana fragilitas, & exerta manu in certamine pro
Matt. 28. Deo suo exerceat pugnas: Ipse dabit auxilium, ipse victoriandi conferet meritum, qui tale auditoribus indixit præ- ceptum: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque E consummationem sæculi.

Comminatur certe hostis publica vos venalitate dimittendas, foroque imponendas, & nefariis vulgarium prostituendas, obscœnitatibus, crudeli excutionem nundinaliter distrahendas. Sed neque huiuscemodi obsecro cedatis furoribus quia non derelinquet Dominus virgam Ps. 124. peccatorum super sorte iustorum, vt non extendant iusti ad iniquitatem manus suas: ipse enim vos prouidus scrutator secretorum vestrorum vestrique vigoris collator, propulsari tentationum molestiis non sinet. Quibus probari, & non succumbere posse vestrum spiritum sperat. Quod si (quod absit) persequutoris voluptas improba intercesserit, & vim corporibus inferens, dicata Deo membra libidinose inuitas oppresserit, procul sit tantum ab appetitu animi perniciosa consensio, quia non polluet mentem aliena corruptio, quam non fœdat propria delectatio.

F Quapropter in harum tentationum discrimine quarum graui conflictatione hinc inde prominentibus bellis imbecillitas humana vexatur, dum corporis integritatem amittere veretur, vel perditam perisse doler: etiam coram Domino præmia integritatis suæ meretur. Nec (dum inter homines vim perpessa iam caro turpis notam infamiæ subiisse verecundatur) crimen est: sed id potius intuendum, idque omnibus modis affectandum est, quod nos Deo inculpabiles reddat: non autem memendum quod vulgus de nobis iudicium ferer. Quoniam non vacuabitur mercede incorruptionis mens, etiam carnis integritate adempta: dummodo permaneat sub testimonio sui opificis castitas interioris hominis illibata. Nam quantumlibet aduersariis cedat infirmitas carnis, quibus datum est corpore trucidare, tormentis affligere, stupris coinquinare, pœnisque diuersis addicere: in nullo tamen animabus sanctitatis propositum conseruantibus possunt nocere. Quia vt beatus ait Hieronymus: cor- Hieronymus. pus sanctarum mulierum non vis maculat, sed vo- August. luptas. Et iterum sanctissimus Augustinus: Non G amittit corpus sanctitatem, manente animi sanctitate corpore oppresso: etiam sicut amittitur corporis sanctitas, violata animi sanctitate, etiam corpore intacto Sic Ioseph, sic Hieremias, sic Daniel, & tres pueri multique Hebræorum fideliter Deum colentium illa tempestate venundati sunt: & tamen à verbo Dei non recesserunt. Quia nullum in statum deuenerunt, quo Deum suum non inuenirent, illum vtique ipsum, 4. cuius in mente & intentione passionem ferentes, & dum cæderentur, & dum secarentur, & dum lapidarentur, & dum venderentur: Christi passionem cogitabant, qui impio post multa sæcula proditoris discipulis distrahendus erat commercio. Denique Ionas Propheta Dei Ionas 2. nutu ponto de naui proiectus belluinis faucibus repente ex improuiso carceri horrifico mancipatur: Sed tamen expers omnis rationis monstrum illud rationabiliter creatori suo obsequens, mysticæ tantummodo conseruandum sibi vatem credinum fore intellexit, & inde non demoliendam pernicitet alui sui specubus tenerendam H prædam reposuit. Vt quæ erat Prophetæ causa periculi fieret postea nationibus credituris in sacramentum mysterij, & ex eo infractus, visceribus incolumis permaneret, ex quo tridaani temporis sepulturam mortis portendebat Dominicæ, quod abrogans Dei sui mandatis parere, Tarsum maluit nauigare, Sic Malchus monachus Malchus monachus. in captiuitate victrici dextra castitatem tuetur, crudeliumque Dominorum iugo exuitur: dum pro eo, intercedente pudicitia, armata vngula seruit, immani feritate impium conterens Dominum, qui pudicum in antro suo immunem reliquerat Malchum. Sic Paulinus No- Sanctus Paulinus. lanæ vrbis Episcopus vir eximiæ sanctitatis, & incomparabilis meriti, propter vnicum viduæ filium sponte subiit seruitutem, exemplo veri magistri commotus: qui dum liberum & coæternum frueretur cum patre & Spiritu sancto cuncta disponendi imperium, nec præiret genitoris potestas maiestatem prolis coæuæ, quia natura diuinitatis indiuisibiliter persistẽte, diuersitas perso-

narum

[A] [Ad Philip. 2.] narum inconfusa manebat, vna eademque patris & filij & Spiritus S. substantia existente, nō rapinam arbitratus est esse se æqoalem Deo, sed semetipsum exinaniens, formam serui accepit, humiliauit se vsque ad mortem, mortem autem crucis.

Quaproptet sorores meæ, boe Dominicæ passionis exemplar ante oculos cordis statuentes, & eius vestigia iugi meditatione sequentes, omne temporale supplicium pro oihilo reputare. Quia licet sit asperum & amarum, breue tamen est, atque fini contiguum, & sub vnius momenti spatio aut qui infert perit, aut sustinens deficit. Quia pœnæ si actiores sunt, cito ingerunt patiendi defectum si vero leuiores sunt, facilius tolerantur. In vtroque semper glotiandi vobis manet trophæum: in vtroque semper felicitatis cumulatur profectus, dum per multimodam exctuciationem veluti aurum igne probatum, putiores animæ vestræ decidentibus scotiis vitiorum, redduntur, & acrius pœna grassante maturum laureandis vobis infert interitum: incunctanter vos nihilominus ad verum [B] [Eccl. 1.] prænitiens solatium, de quo per prophetam dieitur: Dabo eis solatium verum, pacem super pacem.

In huius igitor vitæ corruptione, quantalibet quisque nostrorum tranquillitate fruatur, commodis vegetetur, prosperitate serantur: ex eo tamen quia peregrinamur à Domino, magis desolationem esse, quam pacem, in veritate fatendum est. Quia cuncta, quæ temporalibus tebus hæ- [1. Pet. 1.] rent, & vario mundi lumine perlustrantur, nihilominus vanitati corruptionique succumbunt, & facile à statu suo labuntur, dicente Salomone, Omnia vana sub sole.

Hinc vehementius piis Deo affectibus supplicandum est, sanctisque frequenter studiis insistendum, & quasi lucerna in caliginoso loco lucente diuinarum Scripturarum præcepto Sanctorumque iura verburum è tenebtis nostræ peregrinationis, quibus à Domino, & beatorum consortio separamur, contemplanda sunt: & seruanda, donec dies lucescat, & lucifer oriatur in cordibus nostris. Vnde, si libero aspectu Deum cernere anhelamus, [C] prius fide corda purificanda sunt operibus conseeranda, & muro charitatis hinc inde vallanda, quibus profe- [Matt 5.] cto illius sacri Euangelij sponsione incunctanter condigni habeamur qua dicitur Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Inde quæso vos Beatæ Virgines, ne perdatis coronam vobis paratam, nec vos à charitate Christi nusquam rei mūdialis oblectatio segreget: sed æquo animo com Apostolo prædicate dicentes: Quis enim, nos separabit à charitate Dei? tribulatio an angu- [Ad Roman. 8.] stia, an persecutio, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius, Sicut scriptum est, quoniam propter te mortificamur tota die, æstimati sumus vt ouis occisionis. Sed in his omnibus superamus, propter eum, qui dilexit nos. [...34.] Certus enim, quis neque mors, neque vita neque Angeli neque prinicipatus neque fortitudo, oeque altitudo, neque profundum, neque instantia neque futura, neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei quæ est in CHRISTO IESV Domino N. Quin potius ista omnia propter æternam retributionem alacrioribus animis vo- [D] tisque ardentioribus, & quærenda sunt & ferenda. Manet enim vnicuique apud Dominum reposita, laboris sui corona: & pro qualitate certaminis repensabit ille fructum mercedis.

[Misera Ecclesiæ persequutio.] Equidem nec nos diuino beneficio extorres fieri credimus, nec expertes, aut ingratos cœlesti munere speramus: quia licet inuiti, tamen pro nomine suo sumus deuincti, & alro ergastulorum laqueo deligati. Repleta sunt penetralia careeris clericorū cateruis, viduata est Ecclesia sacro præsulū & Sacerdotum officio. Horrent diuina tabernacula squalidam solitudinem, aranea texit tem- [Thr. 4.] plum, tenent cuncta silentium. Confusi sunt Sacerdotes, ministri altaris, quia dispersi sunt lapides sanctuarij in capite omnium platearum: & desinentibus in conuentu hymnis cantionum cælestium, resonant abdita carceris murmure sancto Psalmorum. Non promit cantor diuinum carmen in publico: non vox Psalmistæ tinnit in choro: non Lector concionatur in pulpito, non leuita euangelizat in populo, non Sacerdus thus infert al- [E] taribus. Quia percusso pastore, dispersionem intulit aduersarius gregi Catholico, priuata protsus Ecclesia omni sacro ministerio. Et licet hæc inuiti sustineamus, non esse tamen immunem coram Domino detentionem nostram confidimus.

Quanto vos nobilior gloria præstantiorque corona, ô sanctæ sorores meæ, expectat, quæ sponte sæculo, & fluxibus eius renuntiantes, zelo Dei armatæ, intrepido gressu contra hostem fidei libero exilistis processu. Dignæ quidem munere diuino, condignæ autem prophetali oraculo, quo dicitur, Qui sponte obtulistis de Israël [Iud. 5.] animas vestras ad periculum, benedicite Domino. Proferentes testimonium veritatis in auctorem sceleris, & institutorem peruersi dogmatis: victricia contra eum arma assumite. Ieiuniis, vigiliis, orationibus, & clamoribus diebus ac noctibus insistentes. Rogo vos, sanctæ sorores, ne desistatis à cœptis, ne cessetis ab inchoatis, ne resiliatis à præliorum auspiciis, quia non inchoanti- [F] bus præmium, sed perseuerantibus datur Ne respiciatis retro, nec primam fidem irritam faciatis, nec manum super aratrum tenentes, ab itinere regio in deuium declineris. Festinate ad mercedem laboris vestri vos accingete, contendite ad culmen perfectionis ascendere, Quia post victoriam miles coronatur strenuus, & iam consummato labore conductis mercenariis merces dispensatur. Nam & qui certat io agone non coronatur, nisi legitime certauerit. Certare vero legitime est om- [2. ad Tim.] nibus à corde exclusis labentium rerum affectibus intuitu capessendi regnum cœlorum, aut cum iustitia viuere vsque ad mortem aut non timere propter iustitiam mortem. Nam cum iustus rediuiuam semper dæmoniorum vsque ad obitum perferat litem, nec desint ab eo tentationes vsque ad finem, recepturus pro qualitate certaminis in futuro mercedem quamuis sanctitate præcellat, non pergit securus, non vadit ad Deum intrepidus. Ille vero, qui sectando iustitiam, pro iustitia mori elegit, celerem instantibus bellis defectum imponit, [G] æternumque induhius ad regnum ascendit. Sit qualis vult, & ex quibuslibet vitiorum laqueis seu peccatorum sordibus venerit etiam si illotus baptismate ad martyrium conuolauerit, nihilominus coronatur.

Ne terreamini, sorores, furoribus persequentium, neque formideris à faciebus eorum, neque enim timere vos faciet dominus vultum illorum. Vobiscum ille est, qui vos armauit, idem propter vos pugnat, qui incitauit, Nec adiuuare desistet ille ipse, qui vos ad hunc peragendum agonem elegit, quo deuictis aduersitatum stimulis secum iure perenni conregnare faciat temporibus infinitis.

10 Verum ad eos veniamus, qui vos ab hac intentione inhibendas esse putarunt, & illam primordialem confessionem vestram infringere, & negare iusserunt, quam vos incitante Christo sponte coram iudice protulistis. [Marc. 8.] Nos autem talia vos agere interdicimus, quia Deo est obediendum, potius quam hominibus. Magister enim noster fundatores Ecclesiæ Apostolos nostros ad prędicationem Euangelij informans; hoc eis dedit præceptum. [H] Si quis me confessus fuerit, & verba mea in generatione [Eccl. 5.] ista adultera & peccatrice: hunc & filius hominis confitebitur, cum venerit in gloria patris sui & sanctorum angelorum. Non oportet, sorores meæ, votum vestrum irritum facere, quia scriptum est: Si quid vouisti Deo ne tardetis reddere. Displicet enim ei infidelis, & stulta promissio: sed quodcunque voueris, redde. Multoque melius est non vouere quam post votum promissa negare. Non erit Deo inultum, vt post confessionem veritatis, denuo veritati repudium deris. Illudque os quod testimonium veritatis proferendo, diuinitus sacratum est, mendacio polluatis. Qui enim ista vos facere iubent nihil aliud quam mentiri suadent. Et qui ad hoc mentes vestras inclinare contendunt, nihil aliud quam veritatem negare compellunt. Nulla itaque differentia est inter mendacem, & veritatem negantem. Quia eodem reatu mihi videtur astringi vera abrogans, qua & falsa depromens. Mendax enim nititur falsum commentum loco

veritatis inserere: vera autem obtegens silentio suo falsitati administrat vigorem. Hinc euenit, vt veritas celata non pateat, & falsitas subnixa præualeat. Vtraque vero vnum sunt, & ob hoc Inpunita non erunt: Scriptum est enim, Testis falsus non erit impunitus. Et iterum, Os quod mentitur occidit animam. Quare ergo sanctissimæ sorores, vosmetipsas interficere, vestrarumque animarum parricidas fieri non timeatis? Neque enim aliud agit, quam hominem occidit, qui seipsum occidit, & grauioris culpæ criminibus obnoxius iudicatur lictor animarum, quam corporum. Quoniam elisa caro quandoque surgit pro meritis cum anima regnatura in gloria: vitiis autem anima intemepta secum pariter carnem pertrahit ad gehennam.

Nunquid mentitæ estis in eo quod patulis assertionibus in aduersarium fidei catholicæ protulistis? Nunquid omne conuitium quod in ipsum præuium antichristi dixistis, non verum & certum est? virum dæmoniosum, Satanæ ministrum, mendacio plenum, mortis ac perditionis perpetuæ filium. Nunquid non omnis catholica Ecclesia identidem quod & vos Deo testimonium refert?

Proponunt certe vobis expugnatores sancti propositi, eremitatem Ecclesiarum, compeditionem sacerdotum, dispersionem ministrorum: & quod non est nobis in hoc tempore sacrificium, nec holocaustum, nec oblatio, nec incensum euncta vastante sacrilega manu, omniaque turbante furore tyrannico. Sed Respondendum est eis, sacrificium Deo acceptabile esse spiritum contribulatum & quod in anima contrita, & in spiritu humilitatis ita à Domino suscipiamur, sicut in holocaustis arietum & taurorum, & sicut in milibus agnorum. Quia non est confusio confitentibus eum. Vos ergo sorores beatæ, iam in illo reti Dominico captæ estis, quod in dextera nauigij ad præceptum magistri missum, plenum magnis piscibus litori espositum est. Ad hoc reseruatum, vt scrutinio Apostolorum foris malis proiectis, perenni vos societate iungamini electorum catalogis. Si vero sciscitante iudice, negaueritis vos maledixisse vatem, maledicemini; nec detestatas fuisse, quod Dominus detestatus est; duplici peccato eritis obnoxiæ, Vnum erit mendacij, negando veritatem, quam iam confessæ estis, aliud subtrahendo coram inimico iustitiæ verbum confessionis. Et certe quæ non maledicimus, è contrario benedicimus: & quem non detestamur quasi fauendo nostræ societati admittimus.

Vnde insistendum est, sorores meæ, vt cœpta bella cum diuino auxilio in pace animarum vestrarum consummetis, nosque potiori interuentu de cœlestibus tueamini. Quoniam si sic vobis pius Dominus non deest auditor, facilius tamen eius contuberniis cohærentes, quicquid ab eo petieritis impertietur. Quia sic immaculata virginitas liberis passibus Dominum sequitur, sic munda castitas à Redemptoris sui consortio non auellitur: hic etiam purpureo martyrij aspersa cruore sertis diadematũ victrix amicta comitatur. Deus enim Ecclesiam suam à molestia vastatoris defendet, nos quoque sicut voluerit inuicta potestate de vinculis istis eruet & custodiet, sedibusque propriis misertus restituet. Vos tantum sorores, perseuerate vsque ad mortem carnis, vt non solũ animarũ periculum euadatis, verũetiam in vitam æternam eas custodiatis, dicente Domino: Qui perdiderit animam suam propter me, in vitam æternam custodiet eam. Tunc autem quo puto inculpabiles essetis, si communi nostra Ecclesia silentio in hac re vteremini, non detestando publice, quem frequenti impugnatione blasphematis occulte? Nec statueret vobis Dominus ad reatum, quod sola cordis meditatione, non oris professione ipsum referretis in forum emulando magis prætextum huius nostræ Ecclesiæ, quæ hoc tempore contra ipsum vatem iniquũ clandestinis agit inuectionibus? Pro eo quod præpediente facinore et ipsa aditione Gothorũ respublica, quæ olim in Hispanis aucta felicitate Ecclesiarum, & summa dignitate pollente Sacerdotũ, ab eis moderãtibus gubernabatur: in istius nefandi cultorum priuilegium vatis occulto iustoque Dei iudicio transuecta est. Quoniam quæcunque Dominus nobis intulit, in vero iudicio fecit. E *Hispaniæ deuastatio.* Et hæc omnia propter peccata nostra, atque, vt scriptum est, hæreditas nostra versa est ad alienos, domus nostra ad extraneos. Thr. 4. Aquas nostras pecunia bibimus, & ligna nostra pretio comparauimus. Serui dominantur nobis, neque est qui redimat nos de manibus eorum. Qui grauissimo iugo colla prementes fidelium, omne à regni sui finibus, sicuti cerneris, genus excludere moliuntur Christicolum: nunc pro suo libito tantummodo exercere nos sinentes Christianismum: nunc dira seruitute fœtere facientes situ Pharaonitico sudorem nostrum: Exod. 5. nunc intolerabiliter à nobis vectigalem extorquentes chirographum: nunc publicum imponentes miserorum ceruicibus censum; nunc rebus nos abdicantes, crudeliter detrimentis atterunt rerum. Et ita vario oppressionis genere orthodoxorum fatigantes conuentum, diuersoque persequutionis incursu gregem affligentes Dominicum, gratum se Deo suo nostris iacturis credunt præstare obsequium. F Quanto tunc præstantior nobis gloria à Domino præstaretur, si desidiam respuentes, documento vestro excitati, talia peragere festinaremus, nec nos sub diuino impiæ gentis laborare stimulo pateremur. Sed nos miseri eorum oblectati sceleribus non incongrue Psalmistæ denotamur oraculis, qui ait: Cõmixti sunt inter gentes, Ps. 105. & didicerunt opera eorum, & seruierunt sculptilibus eorum, & factum est illis in scandalum. Heu proh dolor, quia esse sub gentibus delicias computamus, iugumque cum infidelibus ducere non renuimus. Et indies quotidiano vsu illorum sacrilegiis plerumque vtimur, magisque ipsorum contubernia affectamus, quam vt exemplo Loth Patriarchæ relicto Sodomitico iure in monte saluemur.

At vos, Beatæ Virgines postquam strenuæ bellatrices Isa. 19. ad publicũ prosiliistis certamen, & coram regibus & principibus mundi intrepida cõfessione repulistis iustitiæ hostem: pugnandũ est vobis vsq; ad mortem, quia hoc genus certaminis in morte glorificatur, & tunc brauium miles G accipit, quando moritur: eoque fit de corona victoriæ certus, quo se ardentibus bellis miscuerit moriturus. Sic vos obitum distrahentes corporeum æternum vitæ pereonis emetis statum, luci perpetuæ mancipatum, dumque cælestia pro terrenis mutandu acquiritis, & dispensando labentia, in æuum mansura percipitis: præcipuis meritorum vestrorum exemplaribus Ecclesiam Catholicam informatis, quo mundana abdicando; supernis rebus intendat. Manet igitur vobis, sorores meæ ex vtraque parte victoriæ commodum, manet ex vtroque latere præmiorum indesinentium lucrum: & hinc non indecenter illud Psalmistæ vaticinium vestris iustis laboribus extat paratum, quo dicitur: Gloria & diuitiæ in domo eius, & Ps. 111. iustitia eius manet in sæculum sæculi.

Sed iam me in portu silentij constituto priusquam volumen finem appetat, & sancto inspiramine educatis arma præliandi ministrare desistat: tecum mihi paululum loqui libet, ô virtutum meritis florens Flora sanctissima soror, vt nostræ familiaritatis verbũ auditu placido cap- H *Floram alloquitur.* tans, secretario cordis recondendum admittas. Nostrumque consultum sanctificatis mentibus tuis, vt pij patris præceptũ reponas. Audi ergo filia, & vide, & inclina aurẽ tuam obliuiscere populum tuum, & domum patris tui: quoniam concupiscit rex speciem tuam. Non itaque vocatio tua cæterorum similis est. Siquidem tu impio creata eoitu, & one matre progenita, quasi ex sentibus rosa frondescis. In nullo tibi ethnicum semen obsistens, cum tamen Christiano edita partu, conceptum diuinitos, piæque matris magisterio Dominum IESVM CHRI- Ps. 44. STVM adeo credula mente colueris, vt propter nomen eius acrioribus cæsa flagellis, pristinam nullatenus professionem repuleris. Noueras enim sponsum tuum dixisse: Tradent vos in conciliis, & in synagogis flagellabunt vos: & ad præsides regesque ducemini propter me in testimonium illis & gentibus. Qui autem perseuerauerit vsq, in finẽ, hic saluus erit. Hinc iam tibi proposita auspice Deo gloria cœpi te comitari martyrij. Hinc nominis

tui

A tui magnifica toto orbe fama diffundi, hinc pro te rumor agonis, populos nationesque peragrans, cœpit pluribus innotescere. 11. Denique euulsam ictibus flagellorum venerabilis tui verticis cutem, rimamque qua cæsaries pulchra defluxerat, ego persequutionis tuæ tempore intuitus sum, dignante te illud mihi ostendere veluti proximo patri puritate reuerentiæ tuæ. Et blanda manu attrectans, quia osculis ipsa vulnera non crederem esse demulcenda postquam à te discessi, diu alteque memet reputans suspiraui. Exponente vero coram me diffusa cœlitus gratia oris tui ingentia dolorum tuorum, casusque periculorum, qui te presserant, & quomodo septa custodiæ qua mancipata extiteras, diuinitus patefacta nocturna tibi silentia aditum effugiendi præstiterint: reputaui cóformem te esse Petri Apostoli passionibus per hæc eademque gesta, quæ cunctis ostenderas. Quippe quæ tunc diuinitus absoluta, post sexennium de ciuitate in vrbe de vico in oppido per multa & varia exilia, atque
B latibula remedio fugæ contenta fueras. Et quæ prius intuitu euadendi enormes moles transcenderas: nunc quasi monenti Christo sponso tuo ac tibi dicenti, vbi pascis, vbi cubas in meridie soror mea, iterum venio crucifigi rediuiuo præliandi aucta regressu, forum adis, publicum petis, teque intrepida, confitendo Christum, & detestando fidei aduersarium, iudici offers: fortiterque ei resistens laudans Christum tuæ salutis authorem pietatis extollis religionem, ac deinceps impudicum vatem infamans nullatenus vera potuisse prædicare, mendacio plenum denuncias: & ob hoc congrue Dauidicum carmen decantas: loquebar de testimoniis tuis Domine in conspectu regum, & non confundebar. Et iterum, Bene nunciaui iustitiam tuam in Ecclesia magna. Ecce labia mea non prohibeo Domine, tu cognouisti. Iustitiam non abscondi in corde meo, veritatem tuam, & salutare tuum dixi. Non celaui misericordiam tuam & veritatem tuam à synagoga multa. Ac si patenter diceres, Testimonium veritatis tuæ Domine, hactenus ti-
C more carnis celaui: iam nunc, tuis armata viribus, patefaciam, quia sic timere nescit Deicole, sic trepidare ignorat mens tuo munere opima. Hæc ideo, Christi famula domina soror mea Flora, tibi dispósui, vt tantarum virtutum beneficia recolens, ne tuis collata cælitus meritis perdenda reputes ne conculcanda pertractes. Festina ad brauium, curre ad præmium, dum tempus capessendi instat potissimum. Paratus enim est sponsus tuus Dominus Iesvs Christvs titulum tibi conferre perfectionis, si pugnare vsque ad mortem non cessaueris: si pro eo mori sicut à principio elegisti vsque ad supremum contenderis: si hanc perfunctoriam pœnalitatem gaudiis oblectata supernis pro nihilo penderis, quia non sunt condignæ passiones huius temporis ad superuenturam gloriam, quæ reuelabitur in vobis. Certa bonum certamen, soror mea virgo beata & si acrius vulneteris, non cedas. Quia hæc vulnera æternæ sunt felicitatis auspicia, & sempiternis conferunt defectum doloribus. Cuncta permanent incolumia. Mors
D hæc vitam donat, cœtibus sanctorum agglomerat, & statum perennitatis fideliter ac viriliter in agone perseuerantibus præstat. Verum quia se pridem claudi iam liber sperauerat, cum me tibi singulariter verbum facere ô soror Flora, olim gesta primordialis martyrij tui cogerent: nunc ad vtrasque reditum faciens; adhuc paululum communiter vobis loquens, quod meteamini præmium, differam, & sic deinceps prolixo sermoni finem imponam. Inenarrabilia sunt sorores meæ præmia vestra, egregia multum nimis reposita munera. Accipietis enim, à Domino fructum virginitatis centesimum, & gloriosi martyrij inenarrabile commodum. Occurret vobis obuiam sancta & venerabilis regina mundi virgo Maria florentissimis virginum choris ornata. Aderunt etiam fortissimi milites Dei confratres vestri Perfectus, Isaac, Sancius, Petrus, 12. Vualabonsis, Sabinianus, Vuistremundus, Habentius, Hieremias, Sisenandus, Paulus, & Theodemirus, qui vos præcesserunt cum signo fidei, & victoriam de hoste tulerunt,

Cant. 1. — *Psal. 39.* — *Ad Rom. 8.* — *Martyres Cordubæ qui nuper fuerant coronati.*

E vobisque ianuam perueniendi ad regnum aperuerunt, dignum itineri vestro præparantes occursum, atque dicentes: venite sorores sanctissimæ, ingredimini thalamum sponsi vestri, quem eo tenus dilexistis, vt propter illum mori non timeretis. Iam enim hyems transiit, imber abiit & recessit, quia temporalis tribulatio à vobis deuicta discessit. Properate sanctæ sorores, festinantes cum iucunditate faciem eius cernere, cui in veritate famulastis, pro quo mori non recusastis, vt in æternum viuatis. Percipite mercedem vestri laboris; & sumite lauream gloriosi certaminis. Quis tunc existimare gaudium tuum poterit ô soror Maria? Quis illius felicissimæ horæ diffusam cœlitus mentibus tuis lætitiam compensabit? cum inter eos leuitam agnoueris Vualobonsum, quem tibi pia parentalis affectio germanum generauit; Quis vtrarumque vestrarum tripudium mortalibus coniecturis aut verbis humanis expediet? quæ diuino iam gremio constitutæ, inter affluentiam diuitiarum paradi-
F si locatæ incunctanter illius remunerationis donaria capietis. Quia oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt quæ præparauit Dominus diligentibus se. Vnde obsecro vos, sanctissimæ sorores meæ virgines prudentissimæ quæ semper oleo castimoniæ redundantes, ornatissimo lampadum cœlestium emicastis fulgore, quando tabernacula Domini intraueritis, vt mei memores esse dignemini, dum thalamum vestri adieritis sponsi, eiusque amplexibus incessabili merueritis fruitione coniungi, tuemini, me precibus, defensate meritis gloriosis. 13. Prosit mihi peccatori huius mediocritas succincta libelli, quem spiritali vestro flagrans amore vestræ saluti consulens ædidi: quod per eum vos institui, quod ad perficienda bella Domini incitaui, quod vt in conflictu non deficeretis ense prædicationis armaui: quod illecebras, quas fugere debeatis ostendi: quod præmia, quæ mereatis disposui, quod in laudibus vestris promi potui me seruaui. Vos nostis quid à vobis petierim, quid charitatis intuitu
G vobis indixerim. Vt digno interuentu vestro omni vitio caream, culpis exuar, nesciamque delinquere: quo fideli famulatu omnipotenti Deo meo cohærens, fruar post transitum tam vestrûm, quam Dominorum meorum consortio, in quorum defensione & laude opus condidi memoriale sanctorum, quod immanitas persequutoris me compulit relinquere imperfectum, Christo fautore quandoque nihilominus consummandum. Opitulationem sane perparuam voluminis in fine adieci, quam & verbis simplicibus ædidi, & vestro necessarium proposito fore percensui. Vt crebra meditatione vestris eam memoriis alligantes, tam pro vobis iam cœlestis aulæ liminibus vestigium cordis super tenentibus, quam pro totius Ecclesiæ Catholicæ commoditate Domino offeratis, nostrique mentionem, prout textus exorationis poscit, loco vltimo faciatis. Ita vos Deus pacis ad perfectum sanctificet, vt animas & corpora sine querela in aduentum Domini Iesv Christi seruetis, qui cum patre & spiritu S. viuit & regnat in sæcula sæculorum.
H Amen.

Explicit Deo gratias.

Mariam alloquitur. Vualabonsus Mariæ frater.

ITEM ORATIO EIVSDEM Eulogij ad supradictas Virgines.

Domine Deus omnipotens, qui sperantibus in te es solatium verum, timentibus in te remedium indefessum, & te diligentibus perpetuum gaudium: accende igne amoris cor nostrum, & flamma tuæ charitatis pectoris nostri exure recessum, quo valeamus ceptum consummare martyrium. Vt dilectionis tuæ in nos vigente incendio, decidant à nobis incentiua peccaminum, & malesuadæ titillationes procul effugiant vitiorum. Vt dono gratiæ tuæ illuminatæ, cuncta mundi

oblectamina valeamus despicere, & te puris mentibus ac votis simplicibus vsquequaque diligere, timere, desiderare, & quærere. Da nobis Domine in tribulatione auxilium, quia vana est salus hominum. Da fortitudinem præliandi in hoc certamine, & de Sion intuitu liberandi nos respice: quatenus passionis calicem tua prosequentes vestigia, possimus iucundo ore ebibere. Tu enim, Domine, Israëlitas tuos olim sub duro Ægyptiorum iugo gementes, non solum potenti dextera liberasti; verumetiam Pharaonem, & exercitum eius in medio mari demersum, ad gloriam & honorem nominis tui nimnino constituisti. Da fragilitati nostræ in hac congressione inuictum resistendi inimico præsidium.

15 Confer inter acies dæmoniorum & hominum contra nos insurgentium inexpugnabile dexteræ tuæ auxilium. Oppone in defensioné nostram numinis tui scutum, & vsque ad mortem propter te viriliter dimicandi præbe suffragium, quo valeamus effusione sanguinis nostri passionis tuæ reddere debitum. Vt sicut pro nobis tu ipse dignatus es mori, ita nos quoque condigno pro te martyriali obitu facias interire: vt tormenta æterni supplicij per temporalem gladium euadentes deposita sarcina carnis ad te mereamur peruenire fœlices. Adsit etiam Domine absque obstaculo Catholicæ plebi, tua virtus pissima, defendens Ecclesiam tuam à vastatoris molestia, omniumq; Sacerdotum tuorum corona sanctitatis & castimoniæ ope subnixa, post illibatum sacræ officiositatis ministerium celestem adire iubeas patriam. Inter quos seruum tuum Eulogium, cuius post tuum munus documentis instruimur, litteris edocemur, solatiis confouemur, prædicationibus animamur: omnibus peccatis mundatum, sceleribus vniuersis abstersum fidelem vbi effecito famulum, tuo perenniter obsequio mancipatum. Quo in hac mortalitate placitum tibi exhibens famulatum condignus tuarum in futuro habitus muneribus gratiarum saltem, vel vltimum requiescendi obtineat loculum in legione virorum. Per Christum Dominum nostrum, qui tecum viuit & regnat in sæcula sæculorum, Amen.

SCHOLIA IN DOCVNENTVM Martyriale.

1. *Virginibus sacris Flora & Maria.*] Diximus iam Gothorum tempore sanctimoniales fœminas variis nominibus fuisse compellatas, quod in Conciliis Toletanis ostenditur. Inter cætera, sacrarum virginum nomen fuit eisdem tributum, sed enim non hinc has duas sacras virgines appellat D. Eulogius cum altera tantum fuerit sanctimonialis. Sed quia martyrio iam destinatæ, tanquam sacræ victimæ, multo iustius hoc nomen promerebantur.

2. *Trium adorearum.*] Verrius Flaccus, seu Festus Pompeius. Adorea, laus: quia gloriosum putabant qui farris copia abundabat. Sed præsertim ea gloria hoc vocabulo postea significabatur, quæ bellicis rebus fuisset comparata. Inde videlicet, quod imperatores re bene gesta, frumenti genere, quod adoreum vocant, solerent donari. Plinius *lib.* 18. *cap.* 3. Gloriam denique ipsam à farris honore adoream appellabant. Et capite octauo eodem libro meminit publicorum donorum, quæ ex farre constarent. Et Diuus Eulogius amat plerumque eiusmodi inusitatiora vocabula, quod alibi etiam annotauimus.

3. *Rem fecisse virorum.*] Hispanismus.

4. *Illum vtique ipsum.*] Hic locus misere fuit in exemplari lacer & deprauatus. Nullus prorsus erat sensus. Nos, quomodo potuimus, emendauimus, & suppleuimus.

5. *Si acriores sunt.*] Ex antiquorum Philosophorum subtilitate, hoc est {delumptum}, vt ex Ciceronis tertia Tusculana apparet. Et non absimile est illud Senecæ. Dolor decidit, vbi quo crescat non habet.

6. *Repleta sunt penetralia carcerũ.*] Misera illa Reccafredi Episcopi tempora deplorat, de quibus Aluarus in D. Eulogij vita.

7. *Non Lector concionatur in pulpito.*] Concionari vocat aliquid in Ecclesia, aut ex sacris litteris, aut ex Sanctis Doctoribus & conciliis ad fidelium institutionem legere. Hoc erat proprium Lectorum. Nam inter missarum solennia epistolam Subdiaconus, Diaconus, quod vtrumque nunc etiam fit, Euangelium legebat, Homilias, hoc est sacras conciones ad populum habere, hoc Episcoporum & Doctorum tantummodo fuit. E

8. Sit qualis vult.] *Hispanismus, sease qual quisiere.*

9. *Etiam si illotus baptismate.*] Theologi sacri baptismum flaminis vocant Martyrium.

10. *Verum ad eos veniamus.*] Eos nimirum innuit, contra quos primo libro, & seorsum in Martyrum Apologetico depugnauit, qui male sanis argumentis retrahere Christianos à publica confessione volebant. Et has duas virgines horum vesanis, vt apparet, monitis lubrico vestigio veluti labantes murasse, in ipsarum passione libro primo & in epistola ad Aluarum scripsit. Ideo validios confirmandas, & hoc errore fortius extrahendas putauit. F

11. *Euulsam illibus.*] Quæ sequuntur fusius in harum duarum virginum passione Diuus Eulogius narrat, vbi etiam de Martyribus, quos hic nominat, late perscripsit.

12. *Aderunt etiam.*] Horum omnium Martyrum sanctas has duas virgines præcesserat, vt libro secundo constat.

13. *Prosit mihi.*] Epilogus concinne adhibitus, & artis integumento artificiosior.

14. *Quod immanitas persequutoris.*] Quo tempore ab Reccafredo Episcopo missus est D. Eulogius in carcerem, nec librum secundum finierat, quem postea, vt ibidem narrat, expleuit.

15. *Da fragilitati nostræ.*] Sumptum haud dubie ex pia oratione, qua in Sacratissimæ Virginis Mariæ Officio, vt vocant, ad Sextam vtimur. Concede misericors Deus fragilitati nostræ præsidium. G

REVERENDISSIMO ET SS. Dei ministro Domino & Patri meo Vvilesindo Pampilonensis sedis Episcopo, Eulogius Presbyter salutem.

ARGVMENTVM Epistolæ sequentis.

CVm in Galliam iter Diuus Eulogius faceret, apud hunc antistitem fuerat diuersatus: qui Beati Zoyli Martyris Cordubensis ab eo reliquias petierat. Eius suæ peregrinationis historiam hic retexens, reliquias Zoyli, & Acisceli etiam transmittit: calamitates, quas Cordubensis repetitur Ecclesia, multorumque Martyria recensens. Titulos in hac & in cæteris epistolis, quemadmodum in veteri codice fuerunt, reliquimus. Et hic ille Vviliesindus Episcopus est, cuius multam mentionem facit Innigui Arista regis diploma, quod in Nauarrorum historia Garibayus apposuit: de quo in Nunilone & Alodia iam diximus. H

OLIM, 2 beatissime Papa, cum dira sæculi fortuna, 3 quæ fratres meos Aluarum & Isidorum à genitali solo abducens, pene in vlteriores 4. Togatæ Galliæ partes apud Hludouicum Regem Baoariæ exulare fecit: cum me etiam propter eos diuersas adire regiones, & ignota atque laboriosa itinera subire compelleret. Quoniam stipata prædonibus via, & funeroso quondam 5 Vvilhelmi tota Gothia perturbata erat incursu (qui aduersum Carolum Regem Francorum eo tempore auxilio fretus Habdarraghmanis Regis Arabum tyrannidem agens, inuia & inadibilia cuncta reddiderat) ad partes

Aluarus & Isidorus Eulogij fratres. Gallia Togata. Hludouicus Rex Bauariæ. Vvilhelmus dux. Germa. Carolus Rex. Habdaraghman Rex.

Pampilo

A *Seburici populi. Gallia comata. Sancio Sancionis comes.*

Pampilonenses dioersus, putaueram me inde cito migraturum. Sed ipsa iterum, quæ Pampilonem & Seburicos limitat Gallia comata, 6 in excidium prædicti Caroli contumaciores ceruices factionibus comitis 7. Sancij Sancionis erigens, contra ius præfati principis veniens, totum illud obsidens iter, immane periculum commeantibus ingerebat. Eo tempore magnam mihi consolationem beatitudo tua in ipsa peregrinatione exhibuit. Et vere summi magistri typum gerens, & in veritate eius præceptis obediens, non distulisti hospitio recreare, quem tibi vera charitas IESV CHRISTI commendauerat, dicentis, Hospes eram, & collegistis me. Ita thesauros meritorum apud patrem in cælis collocare studens, præbes necessaria destitutis, foues omnia, vniuersa tutaris: adeo vt in illo exilio meo, nihil præter affectuosam peregrinorum fratrum & destitutæ familiæ præsentiam suspirarem. Lugebam ego sæpe, sed tu pater assidue consolabaris mœrentem, flebam multum, sed tu B pia compassione releuabas prostratum. Quandoquidem iuxta Apostolum mecum infirmabaris, mecum tristabatis, plangebasque vbertim, cum ego plorarem. Cumque me vno residere loco multiplex dolor non sineret, libuit mihi loca visitare sanctorum, quo deiectum summis mœroribus animum releuarem. 8 Et maxime libuit adire beati Zachariæ acysterium, quod situm ad radices montium Pireneorum in præfatæ Galliæ portariis, quibus Aragus flumen oriens, 9 rapido cursu Seburim & Pampilonam irrigans, amni Cantabro infunditur. Quod famosissimis in exercitatione regularis disciplinæ studiis decoratum, toto refulgebat occiduo. Sed tu pater iunas anhelantem, & salutari consultu instruis abeuntem, pioque fratrum comitatu fones pergentem. Prius autem quam ad eundem locum accederem, plures apud Legerense 10 monasterium commorans dies, præcipuos in Dei timore viros ibidem manere cognoui. Deinde alia atque alia loca peragrans, tandem diuino munere ad illud, quod sæpius desiderabam, perueni cœnobium: præerat quipe ei tunc Odoarius Abbas, summæ sanctitatis, C magnæque scientiæ vir 11. Qui, vltra quam referri potest nos digne suscipiens, omnem erga nos humanitatem exhibuit. In illo etenim beatæ congregationis collegio quod pene centenarium numerum excedebat, velut sydera cæli alij quidem sic, cæteri vero sic, diuersis meritorum virtutibus emicabant. Florebat in nonnullis perfecta charitas Christi, quæ foris mittit timorem, plerosque alto culmine extollebat humilitas, qua se vnusquisque iuniore inferior reputans imitatores præceptorum Dei fieri contendebant. Multi etiam cum essent corpore imbecilles, virtute tamen magnanimitatis subnixi, alacrioribus animis iniunctum exercebant obsequium. Sic quoque in aliquos principatum suum obedientia (quæ omnium virtutum magistra est) vindicans, suos non patiebatur executores degenerare. Sed supra vires grandia exercere compellebat, quoscunque suo munere illustrauerat. Operabantur omnes certatim, alter alterum inuitans, contendebat præcellere. Augebatur inuicem ardor placendi & D Deo & fratribus & vnusquisque propriæ artis industriam ad communem profectum exercitabat. Exercebant alij peregrinorum & hospitum diligentius curam, & quasi declinanti Christo ad hospitia eorum omnibus aduentantibus obsecundabant: Cum vero tot essent, nullus murmurans, nemo arrogans intererat. Studebant cuncti silentio, totamque per noctem furtiuis precibus incumbentes, nocturnum chaos peruigili meditatione vincebant. Magna se circumspectione vallantes: ne Psalmistæ denotarentur oraculis, qui ait: Dormierunt somnum suum, & nihil inuenerunt.

Monasterium S. Zachariæ. Pyrenei montes, Aragus flumen. Cantaber fluuius.

Legerense cœnobium.

Odoarius Abbas.

Sed quid referre de Sanctorum virtutibus lingua potest mortalis, qui in terris positi Angelice degunt? Et qui licet inter homines conuersentur, propositum vero gerunt cœleste? Cum quibus paululum commorans, cum ab eis vellem discedere, omnes solo prorunnt, pro se exorare deposcunt, & cur tam cito à me desererentur supplici prece conquerebantur. 12 Præstabat quippe tunc mihi charissimus filius meus Theodemundus Diaconus comitatum: qui ab exordio itineris mei vsque in vltimum inconuulsibiliter contubernio meo cohærens, mecum totius discrimina illius peregrinationis confecit. Regredientibus ergo nobis præbent sodalitatem Abbas ille Venerabilis Odoarius, & Ioannes præpositus: 13. per totum vsque in vesperum diem, colloquium de diuinis Scripturis gerentes, sic quoque ab inuicem datis osculis discedentes, ad te, Apostole Dei, è vestigio repedauimus, cuius informatione tanta honoris venerabilitate ab illis patribus excipi meruimus.

Theodemundus Diaconus.

E *Ioannes Præpositus.*

Igitur cum proprium reuisere arum, piæ matris Elisabeth seu sororum duarum Niolæ & Anullonis, iunioris que fratris Ioseph vrgerer affectu: cogis, vt adhuc remaneam, nec sinis abire mœrentem. Sed vtroque vulnere percussum cor meum tu iam mederi non poteras: cui & peregrinatio fratrum, & desolatio domesticorum quotidianum afferebant lamentum. 14. Ita de nostra charitate confisus, rogas vt Cordubam repetens, ipse reliquias tibi Sancti Martyris Zoyli dirigerem, & hoc munere Pampilonenses populos illustrarem. Illico me satisfacere petitioni tuæ, respondi: & huius rei debitorem me vobis esse in veritate promisi.

Elisabeth Eulogij mater. Niola & Anullo sorores. Ioseph frater. Sancti F *Zoyli reliquia.*

15 Cumque à vobis egrederer, festinus Cæsaraugustam perueni, causa fratrum meorum, quos vulgi opinio negotiatorum cohortibus interesse nuper ab vlterioris Franciæ gremio ibidem descendentibus iactitabat. Deinde vbi appropinquans, negotiantes quidem reperi, peregrinos autem meos eorum relatione apud Maguntiam nobilissimam Baioariæ ciuitatem exulasse hoc cognoui. Et verum fuisse hoc negotiatorum nuncium, regredientibus Deo fautore succedenti tempore ab interiori Gallia fratribus nostris, didicimus.

Cæsaraugusta.

Maguntia.

Aliquandiu vero apud Seniorem pontificem, qui tunc rectis vitæ moribus eandem vrbem regebat, demorans; 16 postea Complutum descendi; raptim per Segonciam transiens ciuitatem, in qua tunc præsulatum gerebat vir prudentissimus Sisemundus. Et cum ab antistite Complutensi Venerio digne susciperer, post quintum diem Toletum tenerti. 17 Vbi adhuc vigentem sanctissimum senem nostrum faculam Spiritus sancti & lucernam totius Hispaniæ Vvistremirum Episcopum comperi. Cuius vitæ sanctitas totum orbem illustrans, hactenus honestate morum celsisque meritis catholicum gregem refouet. Multis apud eum diebus degimus, eiusque angelico contubernio hæsimus.

Senior Episcopus. Complutum. Segoncia. G *Sisemundus Episcopus. Venerius Episcopus. Toletum. Vvistremirus Archiepiscopus Toletanus, & eius laus.*

Cumque in domum me reuocassem, cuncta incolumia reperi, genitricem scilicet binasque sorores & vltimum nostrorum omnium ætate Ioseph: 20 quem sæua tyranni indignatio eo tempore à principatu deiecerat. Suscipit peregrinum suum destituta familia, & quasi è sepulchro suscitatum lætantibus animis gaudet reuisisse post longum tempus Dominum. Ego vero semper in omni colloquio meo te patrem extollens, semper inter familiares sermocinationes tuam beneficentiam recolens, semper tuæ charitatis affectum corde gestans, mentis vlnis amplector.

Ioseph Eulogij frater.

H

Et quia intercidente terrarum prolixa capedine, multis abinuicem disparamur spaciis, obstante quoque alio chaos immane, quo ego Cordubæ positus sub impio Arabum gemam imperio: vos autem Pampilona locati, 21 Christicolæ principis tueri meremini Dominio: qui semper inter se vtrique graui conflictu certantes, liberum commeantibus transitum negant: inde est, vel quod non debitum vestræ bonitati dependimus famulatũ, vel quod non pio desiderio vestro satisfecimus in transmissione reliquiarum, seu quia non quibuscunque tales tantasque opes committere duximus tutum. Nunc autem, quia Deo dispẽsando, 22. domnus Galindo Ennieconis ad propria remeans, suos reuisere fines exoptat: per ipsum vobis præfati Martyris reliquias destinauimus. Sed & sancti Acisceli, quas à nobis non postulastis transmisimus, vt vos sponsionis vestræ votum feliciter adimplentes 23 eorum beatæ memoriæ construendo basilicã nobis Deo fautore propter hanc obedientiam patrocinium illorum occurrat ad veniam. Christo vobis omnia repentante

Pampilo Christiana ditionis in facto.

Galindo Ennieconis.

A atque donante, quæ in nobis egistis, & quæ erga nos operati estis: quem vestrum in nos olim exhibitum non latet obsequium, & pia remuneratione centuplicatum vobis valet rependere commodum, qui dixit: Qui vos recipit, me recipit: & qui vos spernit, me spernit: & qui recipit Prophetam in nomine prophetæ mercedem prophetæ accipiet, & qui recipit iustum in nomine iusti mercedem iusti accipiet. Cuncta tibi pater reposita sont coram Domino, omnia apud illum, quæ piis laboribus tuis debentur, salua & incolumia perseuerant recipienda ab eo tempore necessario, cum iustus iudex aduenerit, vnicuique reddere pro qualitate laborum, aut præmium, aut supplicium.

24. Denique beatissime pater, nolumus vos ignorare tribulationem nostram, quam his diebus nostro prepediente deliquiis sustinemus, vt solito non propensius orationum clypeu defendentes, vestræ intercessionis irrepudibili merito, quod multum apud Dominum valere confidimus, è profundo tædiurum labyrintho erui mereamur. B Etenim anno præsenti, qui est Era octingentesima octuagesima nona exardescens sæuus aduersus Dei Ecclesiam furor tyrannicus omnia subuertit, cuncta vastauit, vniuersa dispersit, retrudens carcere Episcopos, Presbyteros, Abbates, leuitas, & omnem clerum: & quoscunque illa tempestate capere potuit, ferro deuinctos, quasi mortuos sæculi subterraneis specubus immersit. Inter quos ego ille peccator amabilis vester deuinctus sum, & vna pariter omnes horridos ergastulorum luimus squalores. Viduauit Ecclesiam sacro ministerio, priuauit oraculo, alienauit officio: & non est in hoc tempore nobis oblatio, neque sacrificium, neque incensum, neque locus primitiarum, quo possimus placare Dominum nostrum: sed in anima contrita, & in spiritu humilitatis reddimus Christo vota laudationis, ita, vt à conuentu desinente psalmodiæ cantu, resonent penetralia carceris murmure sancto hymnorum. Quæ omnia prudenti relatione dominus Galindo vobis enucleatim poterit enarrare: C quia nos partim mœrore depressi, partim fastidium impolitæ orationis vitantes, suis limitibus schedulam coarctauimus ne in modum commentarij breuitas transitet Epistolaris.

Corduben-sis Ecclesiæ perse-quutio.

Martyres Cordubenses.

Propter futurarum autem generationum sæcula illustranda, & vt expertes nostrarum tribulationum & ærumnarum non fierent, saltim vel pauca à plurimis perstringamus. Quidam enim Presbyterorum, diaconorum, monachorum, virginum, & laicorum repentino zelo diuinitatis armati, in forum descendentes, hostem fidei repulerunt: detestantes, atque maledicentes, nefandum & scelerosum ipsorum vatem Mahomat: & hoc modo contra eum animosum spiritum erigentes, testimonium protulerunt. Virum hunc, quem vos summa veneratione excolitis, & cuius sectam præstigiosam instinctu dæmoniorum elicitam, tanto honore suscipitis: magum, adulterum, & mendacem esse cognouimus, eiusque credulos æternæ perditionis laqueis mancipandos confitemur. D Quare ergo vos, cum sitis homines prudentissimi, talibus sacrilegiis communicatis, & non potius Euangelicam veritatem intenditis? Hæc & his similia, prout spiritus dabat eloqui eis, in conspectu regum & principum confitentes, omnes gladio vindice interempti sunt. Quorum decisa corpora stipitibus suspendentes, post aliquot dies igne cremarunt. Eorumque cineres fluuialibus aquis perdendos merserunt: pleraque vero inhumata præ foribus palatij relinquentes, volucribus, canibusque deuoranda exposuerunt, adhibitis militum, ne quis Christianorum intuitu humanitatis carnibus nudata cadauera, sepeliret, sicut scriptum est: Posuerunt mortalia seruorum tuorum escas volatilibus cœli carnes sanctorum tuorum bestiis terræ, effuderunt sanguinem eorum velut aquam in circuitu Hierusalem, & non erat qui sepeliret. *Ps.19.* Quorum nomina diesque allisionum in fine Epistolæ digeremus. Huius rei causa nos deuincti manemus, propter hoc compediti existimus: nostro deputantes instinctui, nostræque informationi ascribentes quicquid illi diuinitus illustrati egerunt. Vnde quæsumus, vt suffragiis orationum vestrarum in defensionem nostram adhibeatis nostrumque carcerem omnibus monasteriis vestris innotescere faciatis: E & vt proni pia exoratione inuigilent, iubeatis: ita post peractum luctamen mundi de æterno præmio exulteris.

Sane salutationum officia, quæ dudum, alias proferendo, omisimus: nunc cernua mente persoluimus, vosque feliciori serie temporum vigere exposcimus. Petentes, vt salua honoris vestri reuerentia, non dedignemini nobis salutare amabiles & charissimos patres nostros: id est, Fortunium Legetensis monasterij abbaté cum omni collegio suo. Athilium Cellensis monasterij abbaté, cum omni collegio suo. 26. Odoarium Serasiensis monasterij monasterij abbatem, cum toto agmine suo. 27. Scemenum Igalensis monasterij abbatem, cum omni collegio suo. Dadilanem Hurdaspalensis monasterij abbatem, cum omni collegio suo. Salutamus etiam cæteros patres, quos in peregrinatione nostra tutores & consulatures habuimus, omnemque scholam dominicam in osculo sancto. F

Fortunius Abbas Legetensis. Athilius Cellensis abbas. Odoarius Serasiensis abbas. Scemenus Igalensis abbas. Dadila Hurdaspalensis abbas. Martyres Cordubensium nomina.

In nomine Domini, regnante in perpetuum domino IESV CHRISTO, anno incarnationis eius octingentesimo quinquagesimo, Era octingentesima octuagesima octaua, decimo quarto Calendas Maias, Perfectus Presbyter occubuit.

Sequenti vero anno, qui nunc est, Era octingentesima octuagesima nona, tertio nonas Iunias, Isaac monachus decidit, post quem Sancio Laicus de oppido Alaunesi, nonas Iunias in hac ipsa Era, martyriali obitus triumphauit.

Deinde Petrus Presbyter, Vualabonsus Diaconus, Sabinianus, Vuistremundus, Habentius & Hieremias monachi, vno die, vnaque hora septimo idus Iunias, in Era supradicta interempti sunt.

Sisenandus vero diaconus decimoseptimo Cal. Augustas eadem Era prostratus est.

Paulus Diaconus decimo-tertio Calendas Augustas, Era qua supra allisus est. G

Theodemirus monachus, octauo Calendas Augustas eadem Era occisus est.

Isti sunt qui tradiderunt corpora sua in morte propter testimonium veritatis, vt in æternum viuerent. Siquidem & duæ virgines Christi Flora & Maria nobiscum ob eandem professionem nunc in ergastulum detruserunt, & quotidie de interitu comminantur.

DATA DECIMO SEPTIMO CALENDAS DECEMBRIS PER GALINDVM ENNICONIS VIRVM ILLVSTREM, ERA OCTINGENTESIMA OCTVAGESIMA NONA.

Sic fuit in exemplari.

SCHOLIA.

1. P*Ampilonensis sedis Episcopo.*] Verum nomen vrbis est Pompelo, vt est apud Strabonem, Plinium, & Ptolemeum. H Paulatim autem corruptum in Pampilinam fuit. Nos Hispani corruptius adhuc proferimus Pamplona. Est autem vrbs in Vasconibus Hispanis notissima regni Nauarræ, caput & arx munitissima. Strabo quamuis id plane non scripserit, satis aperte tamen ab Pompeio conditam fuisse dicit, siquidem Pompelonem quasi Pompeiopolim, hoc est Pompei ciuitatem dictam docet. Et nomen ipsum vrbis suum profecto refert conditorem.

Pompelo ciuitas.

2. *Olim beatissime Papa.*] Quantum ex his, quæ paulo post memorat diuus Eulogius, colligi potest, apparet hanc eius peregrinationem in Caroli Calui Regis Francorum initia incidisse. Cœpit autem mortuo patre Imperatore Hludouico regnare hic Carolus anno Domini octingentesimo quadragesimo, vt in priscis Annonij annalibus habetur. Decem igitur postea annis aut paulominus hæc Epistola scribitur, vt in fine notatur

Carolus Caluus.

&

A

& in Nunilone & Alodia nos disquisiuimus. Vnde non immerito olim potuit hic dicere, & quondam etiã paulo mox dicet. De nomine autem Papæ, retro iam diximus.

Gallia Togata.

3. *Togata Gallia.*] Cisalpina Galliæ pars, quæ Italiæ coniuncta fuit. Togata ideo dicebatur, quod togis incolæ quemadmodum Romani vterentur. Plinius li. 3. c. 14.

Hludouicus Imperator.

4. *Hludouicum Regem.*] Præposita ad hunc modum aspiratione scriptum fuit in exemplari. Quam lectionem ex antiquis monumentis vbique sequitur F. Onustius Panuinius. Necesse est autẽ hic Hludouici Pij Imperatoris filium Caroli Calui Francorum Regis fratrem nominari. Illi enim moriens pater Germaniam hæreditario nomine reliquit, & postea etiam eidem est in arbitraria diuisione post bellum inter fratres cõfirmata. Authores ex antiquis sunt Rhegino Prumiensis, & Annonius Annalium scriptores. Vnde Paulus Æmilius, & Robertus Gaguinus desumpsere. Vuolfangus porro Laxius lib. de gentium migrationibus septimo diplomata etiam huius Hludouici regis adducit, quæ per husce annos cõcessa sunt: in quibus se Baioariæ regem cõpellat. Ideo Baioariæ regẽ hunc D. Eulogius vocat. Est autem Baioaria corruptũ nomen, quo Paulus Diaconus & cæteri inde scriptores vtuntur. Verũ nomẽ Boioaria est à Bois populis, qui ad Noricũ in Germania habitarunt, quorum Cæsar libro primo & septimo Plin. li. 3. c. 24. & alibi meminit. Eam suis finibus vndique clusam describit Paulus Diaconus lib. rerum Longobardicorum tertio, c. 29.

B

Baioaria.

2. *Et funeroso quondam Vuilielmi.*] Nihil prius in hac Epistola quam series temporum, & ratio chronologiæ est attendenda. Hinc enim & nihil discors apparebit in Gallorum historia, quod alioqui poterat lectorẽ diligentem interturbare. Rursus etiam recte sibi constare D. Eulogium, nec discrepãs quippiam narrasse apparebit. Cum tamẽ nisi tẽpora cum rebus gestis ita dilucidentur, diuersum quiddam & repugnans sanctus martyr recensere videatur. Temporum autem rerum gestarum seriem ex his potissimum annalibus Gallorum desumemus, quæ sunt cum vita Caroli Magni iam pridem Coloniç excussi. Illorum author nomen suum non prodidit: satis autem apparet, sui temporis historiam texuisse: quo pluris est eius fides & authoritas facienda. Is igitur anno 827. de Hludouico Imperator Helysachar Presbyterum & abbatem, & cum eo Hildibrandum atque donatum comites ad motus Hispanicæ Marcæ componendos mittit. Ante quorũ aduentum Aizo Sarracenorum auxilio fretus multa eiusdẽ limitis custodibus aduersa intulit: eosque assiduis incursionibus adeo fatigauit, vt quidam illorum relictis, quæ tueri debebant, castellis recederent. Defecit ad eum filius Beronis nomine Vuiliemundus, & alij complures nouarũ rerum gentilitia leuitate cupidi, iunctique Sarracenis Ceritaniam & Vallensem rapinis atque incendijs quotidie infestabant. Cũque ad sedandos ac mitigandos Gothorũ, atque Hispanorum in illis finibus habitantium animos Helysachar abbas cum alijs ab Imperatore missis, multa & propria industria & sociorum consilio prudenter administrarent: Bernardus quoque Barcinonæ comes Ayzonis insidijs, & eorum, qui ad eum defecerant calliditati, ac fraudulentis machinationibus pertinacissime resisteret, atque eorum temerarios conatus irritos efficeret: exercitus à rege Sarracenorum Habdarraghman, ad auxilium Ayzoni ferendum missus, Cæsar Augusta venisse nunciatur. Super quem Abumarbam regis propinquus dux cõstitutus, ex persuasione Ayzonis haud dubiam sibi victoriam pollicebatur. Contra quem Imperator filium suum Pipinum Aquitaniæ regem cum immodicis Francorum copijs mittens regni sui terminos tueri præcepit. Quod ita factum esset, ni ducum desidia, quos Francorum exercitui præfecerat, tardius quam rerũ necessitas postulabat, is, quem ducebant, ad marcam peruenisset exercitus. Quæ tarditas in tantum noxia fuit, vt Abumarbam vastatis Barcinonensium & Gerundẽsium agris villisque incensis cunctis etiam, quæ extra vrbes inuenerat, direptis, cum incolumi exercitu Cæsar Augustam se reciperet: prius quam à nostro exercitu, vel videri potuisset. Et quis tot terroãnis hi Guillielmi motus acceperant, ideo D. Eulogius quondam dixit: Intelligo autem bellum, quod tunc fieri cœptum fuerat, ad Carol. Calui regis tempora, dum aliud ex alio germinat, succreuisse. Fratres etiam Eulogij Hludouici tempore in Galliam abierant: ibi vsque ad Carolum Caluum eius filium persliterant. Hoc Carolo iam regnante Pompelone Eulogius fuit. Aliter temporũ quæ ipse magis innuit, quam signat, ratio constare nõ potest. Et de Carolo Caluo loqui Eulogium liquet. Is enim ab anno Domini 840. ad 878, regnum Francorum tenuit.

C

D

E

Gothia.

Gothiam autem vocat eam Galliæ ad Narbonem partem, quæ quod Gothis fuerat semper subdita, Gallia Gothica fuit appellata.

6. *Sed ipsa iterum, quæ Pampilonem.*] Seburici populi sunt, vt hinc & paulo post apparet, in Pirenæis, & inter Vascones computandi. Ab Seburi ciuitate nomen, vt mox videbimus, habuere. Eorum in antiquis Geographis nulla mentio. Longe enim diuersi sunt ab Sebusijs, seu Sebusianis, quorum Cæsar & Cicero in oratione pro Quintio meminere. Illi ad Narbonem, hi ad occasum longe dissiti fuere. Illi Galliæ, hi erant Hispaniæ intellige vero Galliam Comatam, quæ ab comæ nutriendæ studio nomen accepit, cum Seburicis ita coniungi, vt in finibus Hispaniæ ea parte Seburici essent postremi. Aragus enim fluuius totus est Hispanorum. Et ad Aragum Seburim vrbem fuisse confestim Eulogius memorat.

F

Seburici populi.

7. *Factionibus comitis Sancij Sancionis.*] comitis huius nomen Hispanum esse videtur, & illorum plane temporum, in quibus iam apud Nauarros & proximos Celtiberos patris cognomen filij retinebant. Inde sunt vsitatissima priscis temporibus solenni hoc more cognomina, Fernandez, Rodriguez, Conçalez, & multa huiusmodi à patre in filium deriuata. Sed quis hic Sancio fuerit aut qua de causa aduersus Carolum Caluum rebellauerit, nusquam in priscis Gallorum, aut nostris, aut Aragonensium annalibus legitur. Neque ego quid hic possim dicere aliunde habeo.

Sancio Sancionis comes.

8. *Asisterium.*] Monasterium. Diximus de hoc vocabulo initio libri primi.

G

Aragus fluuius.

9. *Quibus Aragus flumen.*] Paululum immutato nomine nunc Arga vocatur. Non longe ab Vayona Galliæ vrbe prope Azpelatem oppidũ moritur. Vt recte ab diuo Eulogio dictum sit, in Galliæ ingressu nasci. Inde Pompelonẽ veniens, iuxta Lerin oppidum Egã flumen intrat. Vnde manifestum est Egam eum esse fluuium, quem hic D. Eulogius Cantabrum nominat. Seburis autem vrbs ad Aragi ripam & ante Pompelonem profecto, vt hinc apparet, fuit: eius tamen nec nomen nunc extat, nec situs, qui fuerit, intelligi potest.

Ega fluuius. Cantaber fluuius.

Legerense cœnobium.

10. *Legerense monasterium.*] Huius etiam cœnobij meminit in martyrum Apologetico. Nunc vero Sain Saluator de Leyri appellatur, & octauo ab vrbe Stella 24. ab Pompelonensi miliario distat. Vidi autem multa priscorum regum Nauarræ & Aragonensium monumenta; eidem monasterio concessa, qui ibidem seruantur, in quibus Legerense monasterium semper nominatur. Et fuerat iam antea ab rege Innigo Arista constructum. Quod in Caroli principis Nauarræ historia, & in Aragonensium annalibus legitur. Et inter cætera illud Sancij maioris diploma in Nunilone & Alodia iam retro appositum, oppidorum meminit, & prædiorum, quibus superiores reges idem cœnobium ditauerant.

H

Lib. 1. cap. 5.

Odoarius abbas.

11. *Præerat quippe ei.*] Sunt qui dicant huius Odoarij abbatis se quædam opuscula excussa vidisse. Certe Ioannes Tritemius eius inter scriptores Ecclesiasticos non meminit.

12. *Charissimus filius meus.*] Spiritualiter filium nominat, quem in Christo, vt D. Paulus inquit, genuerat: erudiens, instituens, & ad eum vsque dignitatis in Ecclesia gradum prouehens.

Monasteriorum præpositi.

13. *Ioannes præpositus.*] Nostri temporis monasteria Benedictina, & Cistercientia præter abbatem, priorem etiam ita appellant ex prisco suo instituto habent. Hunc nimirum propositum vocat D. Eulogius.

14. *Reliquias tibi.*] Alibi iam annotauimus, corpora sanctorum martyrum Zoyli & Acisli Cordubæ ad hæc

Sanctorū Zoyli, & Acisili corpora.

vſqoe tempora perduraſſe. Quod etiam hinc & ex fine Epiſtolæ aſtruitur. Nam neque illuſtrari Pompelonenſes niſi inſigni aliqua miſſa reliquiarum portione poterant nec baſilica aliter ædificanda, quod poſtea fit, peteretur. Neque pleno dono ditare Epiſcopū Eulogius potuit, niſi horum martyrū corpora integra pene Cordubæ haberentur. Fuit autem ſanctus Zoylus Romanorum Imperatorū tempore martytium Cordubæ perpeſſus. Puteus nunc religioſe ſuſpicitur, in qoem pars viſcerum eius proiecta fuiſſe memoratur. Eius corpus Agapio Cordubenſi Epiſcopo Gothorum regum tempore fuit reuelatum. Vnde etiam tranſlationis eius feſtum celebratur. Cartionem demum multis poſt Eulogium annis quemadmodum in Felicem Complutenſi martyre diximus) fuit tranſlatum.

Agapius Episcopus.

15. *Ab vlterioris Francia.*] Boiariam, ſeu Boioariam Germaniæ ſuperioris partem, recte vlteriorem Franciam nominat. Nam Francorum tunc & regnum & nomen ad Germaniam vſque vltimam protendebatur. Eſt autem Maguntia nuiſſima in Germania ſuperiori ciuitas.

Maguntia.

Cæsar-Augusta.

16. *Cæsaraugustam perueni.*] Huios vrbis magna nonc eſt celebritas, & eius Plinius, Ptolomæos, Antoninus, & alij meminerunt. Cum Saldoba antea priſco & Hiſpano nomine diceretur, ab Auguſto Cæſare facta Conia, nomen accepit. Quod ipſum cum cæteris eius vrbis antiqoitatibus egregie, vt alia omnia, Hieronymus Cotita, itidem ciuis, in ſuis Aragonenſium annalibus perſequitur. Neque tam ea commemoratione patriam ſuam, illuſtrat, quam quod tam inclyro alumno poſſit gloriari. Suauiſſimum namque ingenium, iudicium in literia ratum, Latinæ & Græcè Linguæ ſingularis cognitio, peritia totius antiquitatis inſignis, egregia in ſcribenda ſuorum hiſtoria laus, & diu in magnia negotiis probata prudentia digniſſimum effecere, vt Philippus Rex Catholicus ſummi in ſacro inquiſitionis ſenatu ſecretarij, vt vocant, munere virum grauiſſimum exotoaret: poſtquam iam pridem ab ſuis Aragonenſibus publici hiſtorici prouinciam publico regni totius decreto accepiſſet. Ego etiā iure optimo glorior, magnam mihi cum illo multis iam annis & beneuolentiam, & familiaritatem intercedere: hiſtoriæqoe meæ, & huius etiam ex parte laboris cenſorē ab Regio ſenatu mihi tributum. Vt merito poſſim iam mihi quæ ſcripſi cum tanto viro placuerint, non diſplicere.

Li. 1. cap. 41. Hieronymi Curitæ laus.

17. *Complutum descendi.*] Recto itinere Cæſar Auguſta Cordubam proficiſcentibus Segoncia, primum, inde Complotum, Toletum tandem eſt pertranſeundem. Segonciæ, nomen in Tito Liuio non ſemel legitur. Strabo etiam & Plinius eius vrbis meminere. Nunc immutato pauliſper nomine Siguca dicitur, cui ſuus Epiſcopus dominatur. Inſigniſque eſt eo præſertim titulo cathedralis Ecclesia quod ſanctæ Liberatæ corpore, & magnificentiſſimo tumulo illuſtratur: Altera fuit Segoncia io Bætica verſus fretum Plinio nominata. Viſuntur eius ruinæ non longe ab Lethi fluminis ripa, hodieque Giſgonca loco nomen eſt. Complutum id plane oppidum eſſe, quod nunc Alcalade Henareaappellatur, in quo nos hæc commentamur, multis iiſque grauibus teſtimoniia aſtruximus in opere, quod de ſanctia martyribus Iuſto & Paſtore ſuperioribus annis euulgauimus. Hinc autē cum Epiſcopū etiam hoc oppidū adhuc tempore D. Eulogij haberet, maxime probatur, id quod nos etiam ibi contendimus, ſanctam illam baſilicam, qua diuorum Iuſti & Paſtoris corpora olim condita fuerant, ſemper Chriſtianorū fuiſſe, neque eis ab Mauris fuiſſe ademptam. Quoniam vero D. Vrbicius pio furto eadem corpora Oſcam iam hoc tempore aſportauerat: ideo D. Eulogius ipſorum hic non meminit: proculdubio, ſi adfuerent, non prætermiſſurus. Supplici veneratione eadē ſancta corpora reueritus, ſuæ quoque deuotionis participem Vuiliefindum effeciſſet.

Segoncia duæ.

Complutum.

Sanctorū Iusti & Pastoris corpora. D. Vrbicius.

18 *Post quintum diem Toletum reuerti.*] Reuerti, inquit, qoia Corduba primum egreſſus, illac quoque iter fecerat. Quintum diem memorat, vel ab eo, quo Segoncia fuerat profectus, vel ab eo, quo Complutum intrauerat. Alioqui Compluto Toletum bidui iter tantummodo. Toletum vero vrbs Hiſpaniæ celeberrima non ſemel ab Tito Liuio nominata, ab Plinio & Ptolomæo memoratur. De qua, vt de Carthagine Saluſtius, præſtiterit nihil hic, quam pauca referre. Quum præſertim ſuo luco, in Hiſpaniæ nimitum antiquitatibus, multa fuerimus exequuti.

Toletum.

19. *Vuistremirum Episcopum.*] Ingenti gloriæ Toletanis Mocarabibus Chriſtianis profecto fuit, talē ac tantum virum hoc tempore epiſcopum habuiſſe: ſed Cordubenſibus meis inde etiam multum præſtantiſſimæ laudis deriuatur: diuum videlicet Eulogium eodem ipſo tempore habuiſſe, qui multorum Epiſcoporum ſuffragio & Toletani populi ſanctis ſtudiis dignus haberetur, qui Vuiſtremiro, quali bone Deus antiſtiti, ſuccederet. Idque circunſpecto iudicio & matura deliberatione factū prorſus eſt: cum ex hac apud ſe commoratione Tolerana Mocarabum Ecclesia nobili experimēto didiciſſet, quem virum dignis ſtudiia & populi voluotate requireret. Debet autem ſancta Ecclesia Toletana plurimum Diuo Eulogio, quod ſanctiſſimi præſulis hic memoriam conſeruauerit: Alitaro itidem Cordubenſi, qui ad hoc vſque ſæculum noſtrum notitiam electi antiſtitia tranſmiſerit, qui martyr eſſe tandem promeruerit. At vero cum hactenus dicat Eulogius intelligere licet, eo ipſo anno, quo ſcripta hæc fuit Epiſtola viuere adhuc Vuiſtremirum Archiepiſcopum. Itaque ſequentibus annis electum fuiſſe diuum Eologium Toletanum antiſtitem, hoc eſt martyrio ſuo propiorem, maniſeſtò deprehendimus.

Vuistremirum Archiepiscopum Toletanum.

20. *Quem sæua tyranni indignatio.*] Quemadmodum primo libro vidimus, Habdartaghman rex quouſque Mocarabes Chriſtianos, qui muneribus publicis fungebantur, aut ſibi in palatio quaqua ratione inſeruiebant (quorum non erat exiguus numerus) magiſtratibus priuari, palatio eiici, annonis regiis carere præcepit. Inter hos Ioſeph quoque D. Eulogij frater, vt apparet, fuerat mulctatus. Hoc profecto vocat à principatu deici, ad ſanctum Ioſeph patriarcham, Ægyptiorum olim principatum vicarium obtinentem, alludens. Quem enim alium principatom poteſt in miſera Mocarabum Chriſtianorum ſeruitute innuere.

21. *Christicolæ principis tueri meremini dominio.*] Carolus Magnus Imperator, Caroli Calui, qui nunc regnabat, auus Pompelonem Mauris iam pridem ademerat, & aliquoties rebellantem ipſe, & Hludouicus Pius eius filius reſtituerant. Qua de re inominati illius authoris annales ita habent. An. 778. Imperator Carolus Magnua Pompelunem Nauarrorum oppidum aggreſſus, in deditionem accepit. Et Paulo poſt, Pompelonem reuertitur. Cuius murum, ne rebellare poſſet, ad ſolum vſque deſtruxit. Et anno 806. In Hiſpania vero Nauarri & Pompelonenſes, qui ſuperioribus annis ad Sarracenos defecerāt, in fidem recepti ſunt. Et anno 824. iam ſub Hludouico Caroli Magni filio Imperatore & Gallorum rege. Æblus & Aſinarius comites cum copiis Vaſconum ad Pompelonē miſſi: cum peracto iam ſibi iniuncto negotio reuerterentur & vbi manifeſte apparet Pampelonem recuperatam hac expeditione, ſi forte defecerat: ſin minus pacatā in tumultu, ſi quis fuerat exortus, fuiſſe.

Pipeli à Christianis capta.

Æblus & Asinarius comites.

22. *Galindo Enniconis.*] Hinc Galindo Iniguez aut Nauarrus, vt vulgatibus nominibus vtar, aut Aragonenſis fuit. Nam in vtriuſque gentia priſcis annalibus Galindi nomen, & inde ductum cognomen ſæpe in proceribus legitur. Hieronymi Curitæ annales libro primo non ſemel teſtantur. In antiquis etiam regum vetuſtiſſimorum diplomatibus Galindi nomen inter cæteros proceres reperitur. Ex his mihi ſequētia videre contigit. Era DCCCXIX. hoc anno Domini octingenteſimo octuageſimo primo die Aprilis XXII. Hordonius rex huius nominis ſecūdus cū Gelnira vxore donaria quāplurima auro & argenta pretioſa, itē vicos & alia Eccleſiæ Cōpoſtellanæ, vbi D. Iacobi corpus eſt tumulatū; dedere. Subſcribit, & cōfirmat inter cæteros proceres Galiodos. Itē Geloyra regina Veremundi Regis ſecūdi, vt ipſa de ſe inquit vxor, Alfonſi, quinti mater, die Aug. decim. oct. Era M. L. v. hoc eſt an. Do. milleſimo dec. ſeptimo, eidē Eccleſiæ plurima donauit. Inter cæteros præſules ſubſcripſit, & cōfirmat

Galindo Enniconis.

Galindorum familia.

Galindus Abbas. Et his omnibus magis amplũ est Froylæ Regis Alfonsi IV. filij diploma, vicesimoquinto Octobris Era 950. hoc est anno Domini nongentesimo duodecimo eidem Ecclesiæ concessum: in quo cum cæteris proceribus Galindus etiam confirmat. Quæ tria diplomata in archiuo eiusdem sanctæ Ecclesiæ asseruantur. Libuit autem hic hæc congessisse, vt nobilis huius apud nos familiæ, cui Galindo, seu Galindez cognomen est, antiquitas certis testimoniis astrueretur. Cum autem & hoc loco, & paulo post in exemplari Galindo in nominatiuo fuisset scriptum: in fine denuo Galindum in accusatiuo habuit.

Memoria martyrũ Concilii Africani quinti.

23 *Eorum beatæ memoriæ construendo basilicam.* [Visitato tempore diui Augustini vocabulo, quo & ipse, & alij nonnulli vtuntur, memoria martyrum locus dicebatur, vbi martyres colebantur. Hic diuerso aliquantulum sensu, consueto nimirum & vulgari, ponitur. Videtur autem D. Eulogius ex consilii Africani seu Carthaginensis quinti decreto hoc ipsum deposcere. Eius hæc sunt verba. Item placuit, vt altaria quæ passim per agros, aut vias, tanquã memoriæ martyrum constituuntur: in quibus nullum corpus, aut reliquiæ martyrum conditæ probantur, ab Episcopis, qui eisdem locis præsunt, si fieri potest, euertantur. Et paulo post. Et omnino nulla memoria martyrum probabiliter acceptetur, nisi aut ibi corpus, aut aliquæ certæ reliquiæ sint: aut vbi origo alicuius habitationis, vel possessionis, vel passionis fidelissima origine traditur.

24. *Denique beatissime pater.*] Quæ sequuntur omnia de Ecclesiæ nostratia calamitatibus, sanctorumque martyrio, tertio libro primo & secundo leguntur: atque ibi si quid opus fuit annotauimus. Repetit vero hic eisdẽ verbis quædam D. Eulogius, quæ in Documento martyriali posuerat.

25. *Qua dudum alias proferendo.* [Apparet aliam ante Epistolam sine salutationibus Eulogium ad hunc eundem Vuiliensindum scripsisse. Hoc credo intelligit. Ego verba hæc vt erant in exemplari reliqui.

26. *Odoarium Scrasiensis monasterij abbatem.*] Sub sancti Zachariæ nomine & tutela cœnobium hoc fuit conditum. Hoc alterum nomen Scrasiense, quo nunc vocatur, loci fuit aut regionis.

27. *Hurdaspalensis monastery.* [Non dubito, quin id cœnobium intelligat, quod nunc de Vrdax appellamus. Situm est trans Pirenecos Galliam versus, non admodum longe ab vrbe Vayona dissitum. Et cum Eulogij tempore Ordinis Diui Benedicti fuerit, nunc est Præmonstratensis.

CHARISSIMO FRATRI MEO ALVARO EVLOGIVS.

ARGVMENTVM EPISTOLÆ Eulogij ad Aluarum.

Mittit ad Aluarum documentum martyriale, quod virginibus Floræ & Mariæ scripserat, priusquam eisdem legendum traderet, Christiana modestia & insigni circumspectione, vt in fine apparet, commotus.

SEMPER mi frater recordatione peccatorum meorum compunctus, luctum non amitto quotidianum. Quoniam ex frequenti vsu non deest à me peccandi affectus, super his quoque vehementi carceris mœrore confectus, non minus ex improuiso tædium mihi occurrit: ex eo die 1 quo me serenitas vestra præmonuit, ne à glorificatione militum Christi desisterem, ne primam de eis sententiam meam irritam facerem. 2 Quia propterea quod illi viriliter inimico iustitiæ restiterunt, crudelitas nos tyranni carceralibus mancipauit ærumnis, nostris deputando hortamentis, quod in eos diuinitus inspiratum est. Quasi futura foret hæc nobis occasio facilis vituperandi (quod absit) quos olim laudaueram laudandoque verbo & stylo extuleram. Qua de te coactus sum huius opusculi laborem aggredi, quod forte & nostræ crudelitatis de victoria eorum futuris generationibus redderet testimonium, & istis virginibus propter veritatis professionem nobiscum deuinctis, spei certandi præberet adminiculum. Quod ergo pro arbitrio meo documentum Martyrii credidi appellandum. Tuum est autem, frater charissime huic volumini auctoritatem donare, qua priusquam earundem virginum adirer obtutus, tuo elimari eum iudicio volui: ne forte errore nescientiæ in aliquibus repugnaret catholico dogmati. Aue in Domino IESV CHRISTO frater charissime.

SCHOLIA IN EPISTOLAM primam ad Aluarum.

Quomodo me serenitas vestra præmonuit.] Hæc serenitatis compellatio, qua non semel vtitur author ad Aluarum scribens facit, vt eum nobilem admodum fuisse credam. De ea autem postea in Veremundi Regis diplomate dicemus.

2. *Quia propterea.*] Eandem causam vinculorum suorum hanc fuisse in superiori Epistola retulerat Aluarus in eius vita ab Reccafredo Episcopo missum in carcerem tradit Eulogium. Nimirum in idem vtrumque recidit.

ITEM ALVARVS AD EVLOGIVM.

ARGVMENTVM EPISTOLÆ sequentis.

Laudat opus ad se missum, & iudicium de eo ferre tum modestia causa, tum operis præstantia detrectat.

LVMINOSVM vestri operis Documentum ex illis orientalibus, de quibus legitur, pomis valde bonis eleganter collectum, atque ex vitalibus succis, & ex quadrifido fonte virtutum operosa arte confectum, iuxta congenitum literarum studium mihi perlegi, & non discutiendo, sed admirando, textum totius opusculi laudabilis percurri. Et quod ex thesauro sapientiæ Dei à docto scriba noua, & veteri reconditione prolatum est alte profundeque totum rimaui, nihilque dignum, quod tanto rependerem operi, in tenuissimo pectore pauperis tui inueni: Vere ad instar illius Ioseph reconditum triticum tempore necessitatis dispensas, & fame veri laborantibus alimoniæ victum impertiris, atque adipe spiritali arida corda pinguescis. Quicquid enim de sanctis scripturæ fontibus à quoquam potuit vnquam hauriri, à te assumptum, discussum est, atque digestum. Et plane nobis omnibus aliquid mutire volentibus silentium deinceps manet impositum. Eloquenter namque atque splendide oratorum more, imo scholastica eruditione totum opus digestum, & humana pariter ac diuina instructione perfectum, non discussione indiget, sed potius laudari inquirit. Nec egestate laborantibus scientiæ seipsum discutiendum committit, 2. sed in corda infulatum præconiis digna, & virtutum laude cothurnata alto se extollendum boatu infondit 3. Quod vero meo, quod sæpe probasti, scientia egeno iudicio tantum fulgorem committis, licet humilitati vobis congenitæ hoc notum sit assignari: tamen cauendum est, ne fulgor materiæ, & auctoris splendor furuo inficiatur horrore. Præsertim quia tenebræ discutiuntur à luce, & horrida sẽper caligo splendore fugatur nubium, quas densas grassedine aureũ iubar serenat. Nec compertum est, vt vice contraria discutiant tenebræ lucem, aut densus aër suo subdat iudicio solem. Ego vero, mi Domine, opusculum Dei Ecclesia dignum, & Christo opifici & coronatori martyrum in primordio sui votiua cordis oblatione sacratum, non humano audeo subdere iudicio, quod certum nouI inspiratione diuina ex arcano pectoris vestri prolatum. Et ideo sicut per vos spiritus sanctus loquutus est ita & nomen, quod ipse author bonorum consensione,

A imo electione vestra imposuit ei, vt perenniter hæreat, & perpetua memoria vigeat, nostra quam consulis pusillitas videt. Raptim cursimque ipsum opusculum legi, sed ad rescribendum illud retinere dubitaui, ne forte culpabilis vestro fuissem amori. Peto autem, vt in alio quaternione aperiori manu illis sororibus scribatur, & istud ad me pro rescribendo denuo reuertatur.

SCHOLIA IN EPISTOLAM Superiorem.

Ex illis Orientalibus.] Alludit ad paradisi terrestris descriptionem, quæ Genesis 2. capite habetur.

2. *Infularum præconiis digna.*] Hoc, quantum ego assequi possum, intelligi vult, Episcopis potius & Summis Sacerdotij dignis Doctoribus opus tradi debuisse iudicandū. Ipse enim Aluarus laicus (ita loqui consueuimus Christiani) cum esset, ad eum iudicium sacrorum operum, quale

B hoc D. Eulogij erat pertinere non poterat. Quæ sequuntur in hac periodo, misere fuerunt in veteri Codice deprauata. Nos quoquo modo potuimus restituimus.

3. *Cothurnata.*] Elata & sublimia. Poëtæ more loquitur. Sumpta audacius ex tragicorum habitu metaphora, qui cothurnis sublimes efferebantur.

CHARISSIMO IN DOMINO IESV CHRISTO fratri meo Aluaro; Eulogius.

ARGVMENTVM.

Martyrium duarum virginum Floræ & Mariæ celebrat, quod libro secundo latius commemorat.

C MAGNIFICAVIT Dominus misericordiam suam nobiscum, mi frater, & facti sumus lætantes. Quia quibus verbum vitæ in lachrymis seminauimus, in gaudio victoriæ fructum metisse videmus. Videmus enim virgines nostras debellato principe tenebrarum, conculcatis mundialium oblectamentis 1. affectionum, accensis adorearū lampadibus, obuiam prosiliisse sponso ac regi cœlorū. Et quia semper se hostiā viuam, sanctam, Deo placentē præparauerunt, ideo cœlestis aulæ limina adeuntes intrauerunt inuitante Christo ad nuptias, cantantes canticum nouum, atque dicentes: Dignus es, Domine Deus noster, accipere gloriam & honorem, quoniam redemisti nos de potestate tenebrarum & fecisti non condignas sortis Sanctorum tuorum, & transtulisti in regnum tuum æternum. Et cum hoc gaudium vniuersalis Ecclesia de illarum victoriis habeat, præcipue tamen ego præ cæteris quodam tripudio iucunditatis extollor, 2 quoniā non in vacuum eis, iam pene quorundam exprobratione à gradu suo labentibus, documentum illud Martyriale porrexisse conspicio.

D Quia licet ab initio mundi & vocatio, & sanctificatio earum à Deo patre nimirū processerit, habet tamen intentio nostra in earum instructione suam coram Domino mercedem repositam, qui largitionem algentis calicis remunerati promisit in nomine suo impensam. Nam degimo & amplius die priusquam ad martyrium ducerentur solam dominam meam Floram, instinctu fratris sui, iudex ille iniquitatis auditioni suæ aduocans, post agnitam eius inuictissimam professionem, qua ipsum iudicem Christi ancilla denotans, aduersarium fidei intrepida responsione detecit: in carcerem eam iussit retrudi. Quapropter claustra, quibus detinebantur, ego appropinquans, quæ iudicis ad eam interrogatio fuerit, vel quæ ad iudicem responsio eius extiterit? 3 dominam meam humiliter sciscitatus sum. Illa vero, vt erat Angelicis decorata aspectu, supernæ claritatis gratia fulgens, hilari vultu, ore pudico, iam quasi quibusdā cælestis patriæ gaudiis vegetata, subridens retulit mihi. Dum hodie iudici præsentaret, præceptor, astante haud procul è contra fratre meo illo aduersario fidei nostræ, cuius persequutione

E in hunc lacum decidi: exquisita sum, vtrum eum agnoscerem? Quem ego fratrem meum esse carnalem proferens, quare (inquit) iudex iste cultor fidei nostræ probatissimus manet, & tu Christum profiteris? Respondi, ante octennium, ô iudex, & ego tenebris ignorantiæ occupata, paternis legibus seruiens gentilitio famulabar errori. Sed illuminante me pietatis auctore, elegi fidem Christianorum, propter quā certare disposui vsque ad obitum. Et quæ est, inquit iudex, hodie sententia tua, in illud quod dudū corā me professa es? Exprobrationē videlicet sui vatis abstrusis interrogationibus exprimens, qua ipsū auctorē sectæ peruersitatis olim amota formidine detestata sum: cum iterū è latibulis meis ad passionem regrediens, forum petij, ac iudicem adij. Identidem aio, iudex, quæ & primo me exponentem audisti: &, si me adhuc disquisieris ingentiora prioribus de eo referam tibi. Tunc inflatis buccis, turgenti gutture, stridentibus lingua sermonibus de interitu me comminans, in ergastulum iussit retrudi.

F Hæc postquam melliflua oris sui relatione mihi domina mea retulit, verbis eam, quibus potui, confortaui, de spe promerendæ coronæ admonui, eiusque angelicum obtutum reclinis ceruicibus adoraui: deinde precibus eius, & felicibus meritis me commendans, reuerendissimis illius colloquiis recreatus, latibula carceris mei tenui. Vnde quæso fraternitatem tuam, charissime domine, vt ad posterorum memoriam gesta passionis earum breui tantummodo ordine digneris stylo, ita semper illarum protegi merearis suffragio. Ipso autem die, quo gloriosarum nobis relatus est sub confessione nominis Christi interitus omnes ad orationum arma currentes, horam nonam in Dei laude persoluimus. Ac deinceps auctis tripudiis vespertinum, matutinum, & missale sacrificium consequenter ad honorem 4 & gloriam nostrarum virginum celebrauimus, cunctique nos illarum patrocinio tutandos fouendosque commisimus. Et quia vniuersorum spes non perfunctorie in earum meritis collocata est: ideo, sicuti

G cernitis, fauens Christus earundem victoriis & interuentibus gloriosis, post sextum diem, quo illæ coronatæ sunt, nos vinculis absoluit, & carcerali claustro exemit. Nam & quibusdam familiaribus hoc, antequam paterentur, condixerunt sororibus, vt mox, postquam Christo coronatori suo adsisterent, pro nostra liberatione interuenirent. Et siquidem illæ octauo Calendas Decembris explentes martyrium, nos tertio earundem Calendarum sole dimittimur: magnificantes & benedicentes nomen Dei nostri, qui confortauit in certamine sanctas virgines suas Floram & Mariam, & vicerunt: nosque per digna illarum merita liberauit in pace; qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

SCHOLIA.

Accensis adorearum.] Hoc est palmarum & gloriæ triumphalis. Diximus de hac voce in ipso martyriali documento. Manifestum autem est, quam Seruatoris nostri

H parabolam respiciat.

Quorundam exprobratione.] Hoc nimirum est, quod retro iam in ipso ad has virgines opere annotauimus.

3. *Illa vero vt erat.*] Huiusmodi piæ cōmemorationes, quibus frequenter vtitur D. Eulogius, quamuis Martyrum ardore caleant, tamen in ipso sancti huius pectore qualis diuini amoris ignis exardesceret ostendunt. Flagrat profecto his perlectis pius animus, sed cum de martyris flamma accensum se videat, maius profecto incendium ex verborū huiusmodi face subdi sibi persentit: vt de suo prorsus igne ignem in lectorum cordibus videatur accendere. Esto namque tepide alius absque hoc deuotionis feruore hoc ipsum commemoraret: res eædem eum essent: tamen nullam penè in lectorum pectore scintillam excitarent.

4. *Matutinum & missale sacrificium.*] Non facile possit quispiā intelligere, quo pacto in carcere retrusi Christiani missam celebrare, aut ipsi decenti loco & apparatu possent, aut ab impiis custodiis sinerētur. Horarias preces, solenni more submissa voce concinere certe potuere. Verū

enim

A enimuero, Deus optimus maximus piæ suorum deuotioni non deerat, & quo pacto consolari seipsos & armare diuini sacramenti perceptione possent, benignus prouidebat. Nam in documento martyrij plane dixit horarias preces Christianos Ecclesiæ ministros in carcere positos solitos fuisse decantare.

EVLOGIVS SERVVS CHRISTI Charissimæ in Domino Iesu Christo sorori nostræ Baldegotoni, salutem.

ARGVMENTVM.

B *Narrat Baldegotoni Floræ sororis martyrium, cingulumque eius ei transmittit. Cum autem iam omnia fusius & narrata sint libro secundo & epistola superiore, atque vtrobique quæ necessaria visa sunt, annotata; nihil hic reliquum fuit, quod scholiis indigeret.*

NOTVM tibi sit domina soror, quia consummauit martyrium suum in pace domina & sanctissima patrona nostra soror tua Flora octauo Calendas Decembris die, tertia feria, hora nona, vna pariter cum consocia sua beata Maria Cuteclarensi religiosa (quæ inter illos priores Martyres fratrem in cœlum præmisit VValabonsum diaconum) perseuerantes in sancta professione vsque ad mortem. Inde Charissima soror, iubemus te tanta consolationis ope suffultam manere, quanta sine dubio credimus illas inter cœlicolas & beatarum virginum choros collocatas manere, Tenentes victoriæ palmas, quotidie ante thronum agni, canticum nouum C cantantes, atque dicentes: Dignus es Domine Deus noster accipere gloriam & honorem, quia redemisti nos de potestate tenebrarum, & per gloriosum martyrij trophæum transtulisti nos in regnum tuũ. Tu vero dilectissima stude vitam tuam dignis & Deo placitis moribus exornare, quibus in æternum valeas cum Christo regnare, & beatarum virginum consortiis inhærere. De cetero direximus tibi pro memoria venerabilis sororis tuæ Floræ cingulum, quo illa in carcere vsa est. Vale in Domino, & ora pro nobis charissima soror.

CHARISSIMO IN DOMINO Iesu Christo Fratri meo Aluaro Eulogius.

ARGVMENTVM.

D *Opus memoriale martyrum appellatum, ad Aluarum mittens, quando cœptum, intermissum, & tandem [illegible] fuerit, memorat. Censuram & limam eius expos[illegible] Primum autem eius operis librum solummodo nunc [illegible] ex Aluari responso apparet. Quando in carcere positus [illegible] Eulogius ad Aluarum scribit.*

OLIM; mi frater, tranquillitate vegetatus domesticea, & pacatis familiaribus curis, cuncta nobis commodius prosperabantur. Verum dum subito omnes ex martyrio beati Isaac turbaremur, totaque vrbs tantæ rei nouitatem stupesceret; cœpere omnes tam clerici quam laici magnanimiter colere quod actum est, summoque honore tanti prædicatoris extollere constantiam. Sed dum coalescens calor diuinus multos incenderet, ageretque cateruas fidelium in forum descendere ac præmissa fidei confessione, hostem Ecclesiæ detestari; illico iracundi tyranni sæuientis omnes exterriti, mandita versibilitate sententias mutant, detrahunt, maledicunt E auctoresque magni sceleris esse, & eos qui talia agunt, & qui eis fauent, annunciant: paucis admodum, sicut ipse non nescis, talium sacrilegio sequestratis, qui primam sententiam suam nullatenus à venerabilitate sanctorum immutauerunt. Qua de re nisus sum huic insistere operi, & pro captu virium, Domino adiuuante, succinctam huius mediocritatem formare libelli, vt suum de nobis reddens futuris generationibus testimonium, aut mendacij infamiam, 1. aut laudis ab eis susciperem titulum. Cum nos obtentu eius præmium defensoris 2. iustitiæ nihilominus a Domino speremus accipere. Quod opus iam pene expeditum, cum me furibunda optio præsidalis horribilibus carceribus applicaret, turbata omni familia mea irruptione satellitum, vt erat cartulis & pitaciis diuersis dispositum, arbitratus sum, 3. quod per varia fuisset dispersum. 4. Sed illud tunc Domino conseruante, nunc inter angustias carcerales, ipso demum iuuante, non solum perfici, verumetiam alibi F transcribi promeruit, seseque non prius alteri quam tibi innotesci elegit 5. Quia cæteris magis non audet publicari, quam noluit ne detrahendi occasionem inculta materies aduersariis præbeat, ne ridiculum oratio impolita perosis exhibeat. Hinc ad te, frater charissime, arbitrum scientiolæ meæ iustissimum, opus ipsum vilibus adhuc membranis digestum primo procuraui transmittere fraterno elimatum iudicio, si probaueris, pateat: si reprobaueris, taceat 6. Ac deinceps tunc iam illabili gressu cuneos susurronum armata dextra scindat, & ad fideles suos victoriando accedat: 7. vt simplici exhortatione catholicum imbuens gregem, quicquid gloriæ promeruerit, vestris laudibus admittatur, vestræque patri tota eius benedictio applicetur. Sin vero turbinibus suæ obuolutum segnitiæ silentium eum decreueris perenni sopire, nullus mutum irridere, nemo tacentem poterit infamare. Vnde quæso serenitatem vestram, vt intuitu charitatis, qua vtrique inconuulsibiliter copulamur, electione arbitrij nostri hoc G opus, memoriale sanctorum vocatum percurrendo emendetis, recensendo excoletis. Et si nominis sui meritum geret, vestro testimonio roboretis. Ita cum eisdem ipsis, de quibus loquuntur sanctis adscripta nominis vestri memoria in cœlesti pagina, gaudeatis, dum mihi, vel in vltimo angulo paradisi, gratia interuenientis eorum, sinum præstiterit quiescendi. Amen. Vale in Domino Iesu Christo serenissime frater.

SCHOLIA.

1. *Aut mendacij infamiam.*] Ex fiducia veritatis ita loquitur subobscure.

2. *Cum nos obtentu eius.*] Et hic non admodum perspicue loquitur & tamen zelo fidei, & veritatis etiam fiducia hæc dicuntur.

3. *Pitaciis.*] Tabella Græce pitacia dicuntur. Omnia autem in quibus scribebatur, tabellas prisci vocabant, tametsi membrana esset aut charta.

4. *Per varia.*] Aliquid deesse videtur, discrimina, aut H loca.

5. *Quia cæteris*] Subtile quiddam cum dicere cuperet, non potuit effugere obscuritatem. Cum indigne inquit ferat opus se supprimi, horret tamen in vulgus exire Cupit & pariter timet euulgari; videtur pauculis verbis comprehendere voluisse quod librum suum alloquens, non paucis versibus Horatius exequitur.

6. *Illabili gressu.*] Hoc est firmo, & quod labascere iam non formidet.

7. *Victoriando.*] Nouatum illo tempore vocabulum sicut & illud paulo post inconuulsibiliter, & multa huiusmodi, quæ omnibus nota annotatione nostra non indigent, cum præfectum catalogum ipsorum iam in ipso operis vestibulo apposuerimus.

* * *

RESCRIPTVM ALVARI ad Eulogium: Reuerendissimo Patri Eulogio Aluarus.

ARGVMENTVM.

Superiori respondens Aluarus, opusque magno opere laudans, rerum præstantiam, & orationis extollit grauitatem. Vt adsit hortatur, sublimitatem vero dictionis affectans in affectationem per Cacozeliam incurrit.

REPRIORASTI, mi Domine, emolumenta priorum: & anteriorem iamque obliteratum fulgorem Catholicum, ceu fontem obturatum vitæ æternæ, saturum, ex IESV pectore scaturientibus profluens venis, reserasti fidelibus vniuersis. Ille enim, qui ætatis nostræ huius errorem, athletarum suorum occultum propalauit agonem, ipse magnum præ omnibus inspirauit Doctorem, quem talium verissimum accingeret laudatorem. Vigore nempe æthereo, non mundiali caduco accinctus, & eloquentia pariter diuina humanaque ornatus, & in hortatione Martyrij primus accentris, & in defensione Ecclesiæ ante alios milites palestræ æternæ desudans, bella Domini prælians, præ cunctis assurgis. Vere namque ille spiritus corda vestræ prudentiæ tetigit, qui olim missus Apostolis Ecclesiam diuersis donis ornauit. Et qui heroas, de quibus loquimur, armauit ad pugnam, aptauit ad gloriam, & ad perennem perduxit coronam: ipse fidei vestræ constantiam, ac linguæ disertæ facundiam seu sapientiæ profluentem doctrinam plus solito acuens in rebus sibi placitis, eo dogmatis imbuit munere, quo sibi notum est soli placere 1. Et licet philosophica dictio, & 2 Tulliani fontis redundans oratio trimo, dum illud loquendi genus pro insita naturali cautela retentet, tamen maiori laude habendum est, quod Apostolico more digestum est. In vno enim & paruo, vt videtur, volumine & lumen inenarrabile profers cæli, & venustatem sermonis non medie repræsentas humani: dum & oratorum florem aspergis rhetoricum, & porrigis legentibus cibum diuinum. 3 Tibi lacteus Liuij subditur amnis, tibi dulcis cedet illa sæcularis lingua Catonis, 4 feruens quoque Demosthenis ingenium & diues Ciceronis olim eloquium. 5 floridusque Quintilianus. Et dudum præconatus stylo in rebus perditis & caducis, & labilis æui rotatu decursis, omnisque mille generibus exculta doctrina, comparata luculentissimo operi, obsoleta est, & infecta. Terrestris quippe nitor æquiparatur ex nulla parte cælesti, & immortale ingenium immortali extollitur laude. Nescit namque finiri cum sæculo, quod collatum est dono superno. Bonus enim homo de bono thesauro profert ea, quæ bona sunt, & edoctus à Deo scriba de Thesauro Dei profert noua, & vetera, de quibus summi Patris regat familiam.

Ornasti (mi sanctissime) nostræ ætatis vltima tempora, & sequuturis generationibus, odorem nectareum propinasti: vt à generatione in generationem nostra ætas laudetur, & nomen tuum redoleat in vniuersis finibus terræ. Nec vigor diuinus humano præconio indiget: & quod per se extat laudabile, haud dubium quin in prima gloriosum sit facie. Pulcher enim, mox vt videtur licet à longe videatur, amatur: & ignicomus centri viator confestim vt oritur, cæli oculus comprobatur: nec operoso indiget visu, qui non videntibus oriendo præbet aspectum.

Quod verò humilitati seruiendo, meo subdis iudicio, quod diuino instruxisti oraculo: licet ob nostram ædificationem tua dicta inficias, & satius veritatem à suo tramitis gressu in obliquum mergas: tamen cauendum est iterum, ne dum humilitati nimium seruis, infringas iudicium veritatis: dum infimum, & quem tu inscium multoties comprobasti tantæ materiæ superponis: E & preciosum à vili non solum non secernis, sed quod magis est verendum, cœno limoque inuoluis. Verum quia nostræ censuræ (quæ nulla est) hunc tacendum, publicandúmve iniungis: patienter perfer nostram sententiam, & ipsum codicem sydereo splendore coruscum ad multorum remedium solida, si dici fas est, litteris in æternum. Egisti autem, beatissime pater carmen sonorum, quo mortis metus excantatus effugiat, & antiquam glacie duratus animæ stupor frigusque pellatur: quo calor vitæ, & ignis ille Deificus, quem Christus venit mittere ardeat, & extincti carbones, vel corpora mortua flante ex quatuor partibus mundi spiritu, viuant, & lumen Arabico dolo extinctum recipiant. Macte virtute, macte gloriæ semper habendus, qui non solum linguæ in laudibus confessorum soluisti officium: vel etiam ob oris gratiam in præmium confessorum ex parte senis supplicium: & inter sæua claustra & arcta custodiæ verbum regni ferens, feliciori polles victoria. F Præconandus sæculis vniuersis, qui & in suppliciis positus linguam non cohibet, pro omnibus solus non tacet. Splendesce, & ampliori lumine, quo fulges clarescee: quia reposita tibi sunt præmia, & centuplicata te manet corona, nosque tuo suffragio, quo semper fouisti, tuere.

SCHOLIA.

Quo sibi notum est.] Obscure aliquantulum, vt alia quædam, dixit. Eo te munere Deus donauit, quod illi repensum, solet illi placere. Nouit autem ille solus, & quod tandem hoc munus sit, & quo pacto eodem donati, in ipsius obsequium gratum eidem & iucundum refundant.

2. *Trimodum illud.*] Triplex dicendi genus rhetores distinguunt, sublime, mediocre, & infimum. In idem pene recidunt Asianum, Rhodium, & Atticum.

3 *Lacteus Liuij subditur amnis.*] Titi Liuij plenam, G & dulci quadam æquabilitate redundantem vbertatem, lacteam primus Fabius appellauit. Inde Diuus Hieronymus lacteo illum eloquentiæ fonte manare dixit.

4. *Illa sæcularis lingua Catonis.*] Non video cur sæcularem Catonis linguam appellauerit. Nisi forte in nomine Catonis mendum insit, aut in epitheto, vt singulos legendum sit.

3. *Et dudum præconatus.*] Hunc authorem, quem maxime omnium nominatum oportuit, reliquit sine nomine. Nec diuinare datur, quem innuat. Et coniunctio quidem deerat in exemplari, fueratque superaddita prisca admodum & Mocarabi scriptura, sicuti & multa alia sæpe. Et manifestum vtique est coniunctionem ab Aluaro interpositam: neque enim quæ sequuntur Quintiliano tribui possint.

6. *Et ignicomus centri viator.*] Tragicum plane est epitheton quemadmodum & poëticum etiam est, solem cæli oculum appellare.

7. *Tua dicta inficias.*] Hoc est, hoc colore, quod dicis H & hoc prætextu vtaris. Et satius aduerbium, mox additum, pro cautius positum crediderim.

8. *Verum etiam ob oris gratiam.*] Subtile, & inde obscurum, præterquam quod ipsa verba nescio quid perplexum inuoluunt. Sensus est. Non solum debito officio linguæ fungeris, confessores laudando: sed præmium etiam laudabilis huius officij assequeris, confessoris iam sustinendo supplicium. O Martyres laudatos eo munere à Deo afficeris, vt pene iam Martyr efficiaris.

ANGELOMI MONACHI Ordinis diui Benedicti auctoris vetusti, & in abstrusis scripturarum locis eruendis explicandisque ingenij acerrimi viuacissimique, enarrationes in quatuor Libros Regum.

Ex Iohanne Tritthemio Abbate Spanheimensi Angelomi Vita.

ANGELOMVS monachus Lexouiensis, ordinis sancti Benedicti, vir in diuinis scripturis exponendis nobile sortitus ingenium, vt quæ ipse exposuit, veteres in eius comparatione non exposuisse videantur: secularium quoque scripturarum non ignarus, iussu Drogonis Episcopi Metensis qui fuit filius Caroli Magni & frater Ludouici Imperatoris, scripsit excellentissimum opus, & quale me in Scripturis sanctis alias legisse non memini, in libros Regum. Floruit sub Ludouico & Lothario eius filio, An. DCCCXXX.

Ex Bellarmino de Scriptorib. Ecclesiast.

ANgelomus monachus Gallus, floruit tempore Lotharij Imp. Scripsit in quatuor libros Regum, & in Cantica Canticorum explicationem. Porro præfatione in Cantica laudat Imperatorem Lotharium Angelomus, quod imperio dimisso Monachus factus sit, & in monasterio obierit.

ANGELOMI LEXOVIENSIS in enarrationes quatuor voluminum Regum Præfatio Apologetica.

CVm à quamplutibus Fratribus, & etiam nonnullis prudentibus & nobilibus viris rogarer, vt secundum solertiam doctorum & traditionem magistri viri disertissimi, aliquod opusculum in volumina Regum digererem, ego quod à nullo doctorum per omnia expositum apud nos haberetur antiquorum, ob memoriam videlicet frequentata lectione recreandam, & præsertim propter illos qui aiunt, sicut in exordio huiusce voluminis notando tetigi, non alia contineri nisi prælia regum actusque multorum: quod ego diu multumque delitescendo facere distuli, maxime cum parua forem scientia præditus, nec elucubratione artis secularis sapientia fretus, & vt ita dicam, inedoctus eloquio, paruus ingenio, nec dicere poteram illud Psalmistæ: *A mandatis tuis intellexi.* Nec dignus eram, inquam, vt angelus carbone torrente de altari spurca purgaret labella, vt valerem Christi digne enucleare mysteria. Sed rursus his excusationibus reluctantem cœperunt me suasoris affaminibus imo obiurationibus compellere, vt aliquid iuxta frugalitatem sensus & ingenioli mei capacitatem, secundum quod à didascalo inculcata fuerant describere nullatenus abnuerem. Sed cum negare non valerem, tandem assensum præbere decreui, & ad aliqua licet temere & formidolose, digerenda sum aggressus, eo videlicet iure, vt intra domesticos parietes secretius retinerent, nec alicui ad legendum traderent, & mea imperitia verum & temeritas legentibus detecta manifesta foret, & oblocutionibus occasio panderetur reprehendentium. Nam stylum cum ad primum librum describendo appulissem, vt abdite abdita autore Deo congererem, exemplo mea impudentia est detecta, & sacris auribus magnifici Drogonis egregij scilicet pontificis, quo nihil nobilius, nihilque prudentius, est reuelata nugacitas. Quo comperto, cœpit ingenue libera autoritate imperare, vt darem operam, & cœptum opus non finirem, sed sagaciter ad calcem tenus perducerem. Cuius quoque præconiis nullatenus resistere valui, verum nec tantæ autoritati renuere præsumpsi, non solum quidem quia filius erat præstantissimi Caroli Cæsaris, imo frater mitissimi Ludouici principis, verum etiam quia erat præclarus Pontifex, & abbas meus egregius. His enim necessitatibus adactus, præconiisque multimodis compulsus, sed potius (vt ita dicam) Christi auxiliis fretus, qui præstat infirmis confidentiam, & mutis locutionem, tentatum opus enucleare præsumpsi. Sed sciendum est, quia quibusdam in locis totam sententiam, prout à doctoribus est exposita, digessi, quibusdam enim eorum sensum sequens, compendioso sermone multa inserui, & ex multis ad vnum perduxi: quibusdam quoque quod in libris tractatorum non reperi, sic vt à magistro aure accommodante didici, propriis intuli verbis. Nonnulla quippe licet pauca, quæ legenti parent, stipulata exemplis propria inserere præsumpsi, & in libelli modum Christo duce finire decreui. In quo non persona est attendenda scribentis, sed qualitas consideranda est dictionis. In quam multos strenuos etiam doctorum modernos, qui multa quoque posteris dereliquerunt, ex dictis colligendo monumenta sanctorum. Non ideo dico, vt eorum gressibus me coæquare valeam, præsertim cum illi rore cælestis nectaris campos maduerunt diuinarum scripturarum multimodos, & futuris seculis dimisere proficua legentibus: ego vix ægreque saltem possum ex eorum dictis decerpere permodica, & tandem intelligere vel minima: sed ne viderer ingratus largitori, licet compulsus, contuli mediocriter qui potui præcipientibus. Simul etiam notandum est illis, qui in hoc libro parum spiritale contineri contendant, quod hic scriptura (sicut in multis diuinis voluminibus) non solum tribus modis dinoscitur, iuxta illud Salomonis: Ecce descripsi eam tripliciter: verum etiam multipliciter contineri, secundum quod in libro beati Iob inscribitur. Atque vtinam, inquit, Deus loqueretur tecum, & ostenderet tibi secreta sapientiæ, & quod multiplex eius esset lex. Quod doctorum solertia attestante septemforme dinoscuntur. Ipsi sunt enim septem sigilli, quibus iste liber secundum Apocalypsim Iohannis signatus esse proclamatur, quem nemo potuit soluere, & aperire signacula eius, nisi leo de tribu Iuda, qui habet clauem Dauid, qui hunc & signacula eius aperuit. Sunt enim primus historialis, secundus allegorialis, tertius vtriusque rei modus, quartus de incommutabili diuinæ Trinitatis essentia: quãdo videlicet proprie, quando tropice sacris insinuetur oraculis. Quintus parabolaris videlicet quando aliud dicitur, & aliud inuenitur scriptum. Sextus de gemino saluatoris aduentu, ne aut primus pro secundo, aut secundus pro primo, intelligatur. Septimus quo sic diuinis præceptis instruimur, vt certa vitæ agendæ forma, aliis vero vitæ significandæ figura regulariter innotescat. Sed iam exemplis ex hoc volumine conuenit edocere, vt his primum edocti sciant multa mysteria in eo contegi. Primus historicus ille est, vbi nihil spiritale continetur, sicut ait Samuel: *melior est obedientia quam victima*, & mille talia. Secundus allegorialis, vbi ait, quod in omnibus finibus Israël puella speciosa regi Dauid requiritur, in cuius sinu dormiat, & calefiat: tam casta vt calefactum ad libidinem non prouocet, quæ sapientiam figurat, quæ etiam in senibus non senescit, sed frigescentibus membris dilectores suos igne ampliore succendit. Tertius vterque modus sicut in Dauid ostenditur, vbi Bersabee vxorem Vriæ incaute respexisse dicitur, & peccasse: vt demonstretur, quod nullus debeat iuxta historiam mulierem

incante respicere. In quo facto allegorica etiam significatio continetur, sicor io suo loco abunde descripsimus. Quartus modus, vbi nobis aliquando proprie, aliquando tropice diuinitas sacris eloquiis intimatur: Proprie, sicut Elias ait: Viuit dominus in cuius coospectu esto. *Et illud: Tu es enim Deus in cælo sursum, & in terra deorsum.* Et, *Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob.* Tropice, iuxta quod Michæas: *Vidi Dominum sedentem, & omnem militiam cœli assistentem ei, & cætera talia, quæ de Deo translate non proprie accipi solent.* Quintus parabolatis, quo cum aliod dicitur, aliud in sacris paginis inuenitur. Hoc est quod in titulo psalmi XXXIV. dicitur, psalmus ipsi Dauid: quando commutauit vultum suum coram Abimelech & dimisit eum: cum in hoc libro coram Achis rege hoc fecisse nartatur. Cum ergo pro Achis Abimelech posuit, legentem monuit, ex ipsius interpretatione nominis, latens altius penetrare mysterium, de quo inferius suo in loco digessimus. Cui etiam coouenit illud: *Carduus qui est in Libano misit ad cedrum, quæ est in Libano, vt daret ei filiam suam,* & reliqua De sexto vero vbi geminus aduentus Christi continetur, cunctis patet qui sit primus, quis erit futurus, qui vterque hic præfiguratur. Septimus proinde modus, qui geminam præceptorum retinet qualitatem, ille est vitæ agendæ, vt exempli gratia: *Diliges proximum tuum tanquam teipsum qui enim diligit proximum, legem adimplenit.* Quod Dauid non solum in Ionatha impleuit, verum & in Saul, quem inimicum dilexit: de quo scriptura, ait: *Planxit autem Dauid super Saul & filium eius,* & reliqua. Ipse est & figurandæ vitæ, carnalium videlicet victimarum & vasorum compositione. Victimæ enim hoc præfigurabant quod hortatur Apostolus, vt *exhibeatis corpora vestra hostiam viuam, sanctam, Deo placentem.* Vasa vero, similiter electos designabant, diuinis officiis occupatos. Qui modus cum secundo similis videatur, illa tamen ratione discernitur, quod hic ad mores tantum, ille etiam redigendus est ad fidem. Verum licet isti modi multipliciter istic inueniantur, tamen iuxta iogitatem triplicis diuisionis, studuimus primum historicam, quæ gesta depromit, tangere: deinde allegoricam significationem, quæ fidem ædificat pandere: ad extremum quoqoe moralitatem, quæ vitam honestam componit, subnectere ne pondere solius & vnius intelligentiæ pressus, aut historiæ & allegoriæ mole grauatus, desidiosus lector occasionem possit inuenire excusationis, sed potius cum hac paupertate discurrere valeat prouocatus per campos ouans latissimos doctorum.

PROLOGVS EIVSDEM CARMINE contextus.

SI mauis lector typicos dignoscere sensus,
Quæ tenet, ingredere, floridus iste liber.
Bis retinet bina en sacrata volumina regum,
Quæ patuere prius ore tonante sopho.
Hunc studuit calamus noster coniungere fretus,
Et voluit tandem texere nostra manus.
Scilicet ingrediens campos & prata piorum,
Carperet vt flores celsitonantis ope.
Ex quibus accipias diuinæ stirpis odores,
Et valeas fructus tollere rite bonos.
Fercula fert animis nimium pulcherrima clatis,
Vnde fames animæ pellitur acta procul.
Lilia cum violis redolent percandida rubris,
Et pariter fragrant cinnama, rosa tuta.
Continet hic Christi nimium charismata sacra,
Quæ latuere prius cortice tecta diu.
Hicque prophetarum pangit sanctissima gesta,
Plurima multorum mystica verba canit.
Quæ Dauid gessit, cecinit quoque & inclyta proles.
Hoc typice lector iste libellus habet.
Hic Euangelicam quadriga concrepat aulam,
Sic & Apostolicum lumen habere probat.
Istic inuenies thesaura recondita patrum, E
Horum & multiplices hic retinentur opes.
Abdita nam reserat, & tandem mystica pandit,
In medium profert intima quicqoid habent.
Grandia cælestis promittit præmia vitæ,
Viuere cum Domino regna tenendo poli.
Istius ergo celer calles discurre libenter,
Discute paginulas, mel tibi portat apis.
Has cape diuitias, mundi contemne cadocas,
Quod canit iste liber semper in ore tene,
Lurida linque libens sputcæ contagia carnia,
In mentem veniat quod moriturus eris,
Sis memor autoris versus cum legeris istos,
ANGE Deus LOMI dic miserere tui.

ANGELOMI LEXOVIENSIS in libri primi Regum Stromata, Præfatio. F

VIginti & duas esse litteras apud Hebræos, in autoribus diuinarum scripturarum reperimus, quod nullus qui eos legerit, ignorat. Secundum quarum numerum, apud eos viginti & duo volumina supputantur: inter quæ etiam hic liber regum, de quo tractaturi sumus, comprehenditur. Qui in supputationibus eorum post Iudicum in ordine tertius habetur. In quo quidem volumine (quanquam nonnulli, etentiæ spiritalis intelligentia ignari, aut humanæ solummodo sapientiæ dediti aiunt, nihil aliud posse intelligi, nisi superficies historiæ & prælia regum, ac casus mulierum) multa tamen sacramenta Christi & Ecclesiæ, variis scilicet modis continere videntur. Nam ab ipso exordio regum, commutatum sacerdotium in Samuelem, reprobato Heli: & commutatum regnum in
Dauid, reprobato Saule: exclamauit prænuntiare nouum G
sacerdotium, nouumque regnum, reprobato veteri, quod vmbra erat futuri, in Domino IESV CHRISTO *venturum. Nonne ipse Dauid cum panes propositionis manducauit, quos non licebat manducare, nisi solis sacerdotibus, in vna persona vtrumque futurum, idem in vno* IESV CHRISTO *regnum & sacerdotium figurauit? Ipsa itaque Samuëlis sacerdotis successio, nouum (vt prædictum est) & sempiternum sacerdotium præfigurabat, qui est* IESVS CHRISTVS, *Heli sacerdote reprobato, id est, Iudaico sacerdotio abiecto. Mater quoque ipsa Samuëlis, quæ prius fuit sterilis, & posterius fœcunditate lætata, cuius etiam nomen, id est, Anna, quod gratia eius interpretatur, ipsam religionem Christianam, ipsam postremo Dei gratiam significat, quia nobis Christus oritur: ipsam quoque Ecclesiam quæ olim sterilis, nunc fœcunda, in Dei laudibus lætatur. Sunt enim huiusmodi innumerabilia, quibus comprobatur, quod liber iste spiritalibus floribus redolet, & allegoricis significationibus pollet: De quibus (si*
Dominus dederit) describemus suis in locis per singula, H
quæ congruere ratieni videbimus in posterum. Hæc scientibus, pauca prælibata sufficiant: tandem, Domino fauente, ad historiæ seriem venire decreuimus. In qua quidem prius fundamenta ipsius historiæ, vbi libuerit, imo vbi congruerit, & postmodum culmen spiritalis intelligentiæ, verumetiam quibusdam in locis, moralis suauitatis harmoniam inserere nitimur, vt lector, non solum contentus sit dictis historiæ, verum allegoriarum ac moralium melos decerpere possit salubriter. Sed prius notandum est, quod bene post Iudicum (vt diximus) ponitur Regum, videlicet quoniam nunc sunt præsules Ecclesiæ, sed postmodum regnum: seu quia prius erit iudicium, deinde sequetur sempiternum imperium. Ait enim sacra descriptio.

CAP.

A

CAP. I.

FVit *vir vnus de Ramathain Sophim, de monte Ephraim: & nomen eius Elcana, filius Ieroham, fily Eliu, fily Thau, fily Suph, Ephrateus.*] Quia enim in prologomena, imo in Isagoge polliciti sumus prius fundamenta historiæ ponere, & postmodum culmen allegoriæ, atque vbi gratum fuerit, moralitatis harmoniam interere, ideoque primum dignum fore arbitramur de generatione sancti Samuelis prophetæ historiam prædicere, vt postmodum continuatim allegoriam eius valeamus, domino fauente dirigere. Elcana namque pater ipsius de stirpe Leui fuit, sed non de generatione Aaron sacerdotis: quod enim pater eius de tribu Leui fuerit, verba dierum manifestissime comprobant, vbi series generationis vsque ad Leui perducitur. Dicitur enim filius fuisse

1 Par. 6. B *Ieroham, fily Eliu, fily Thau, fily Sophonia, fily Elcana, fily Maath, fily Amasai, fily Elcana, fily Ioel, fily Azaria, fily Sophonia, fily Thaath, fily Asir, fily Abiasaph, fily core, fily Isaar, fily Leui,* & reliqui. Cuius generatio hic concordare comprobatur. Quam generationem in sequentibus spiritali intellectui concinnere conabimur. Matrem quoque eius de tribu Iuda fuisse mõstratur, in eo quod Ephrateus vocatur. Ephrateus ab Ephrata vxore Chaleb, quã constat fuisse de tribu Iuda, dictus est. Ephrateus ab Ephrata ciuitate, id est, Bethlehem, quia Bethlehẽ prius Ephrata vocata est. Et si quẽ monet quod ab Ephraim nõ ab Ephrata, Ephrateus vocatur, vnde in subsequentibus legitur, quod Dauid filius Ephratei voceretur: cum liquido pateat eundem Isai patrem

1 Reg. 17. Dauid, non de Ephraim, sed de tribu Iuda extitisse: & probet eundem Elcanam Ephrateum ab Ephrata, non ab Ephraim dici. Hic inter medios ciues Ephrem fortis existens, Ramathaim Sophim ciuitatem inhabitabat vnde scriptura de monte fuisse Ephraim commemorat. Intra cunctas namque tribus habitationem Leuitarum

C fuisse non dubium est Ramathaim, ipsa est quæ in Euan-

Matt. 27. Marc. 15. Luc. 23. Iohan. 19. geliis Arimathia legitur, de qua fuisse Ioseph, eadem Euangelia comprobant. Est enim ciuitas in regione Tamnitica, iuxta diospolim. De qua notandum est, quod iuxta Hebraicam veritatem non Ramathaim: sed Armathia siue Aramathaim (sicut in libris locorum legimus) habetur. Similiter etiam interpretationibus Hebraicorum nominum Aramathaim repetitur, quod nos ita legendum non dubitamus, vnde & Armathia nuncupatur, & interpretatur *excelsa duo vel eorum.* Bene *excelsa duo.* Iuxta historiam, vt quæ intelligantur tribus, regalis, videlicet & sacerdotalis, id est, Iuda & Leui, ex quibus exstitit pater eius & mater. Sophim, speculator dicitur: speculatores hic fortassis prophetæ intelliguntur, quorum filius Elcana fuerit. [*Et habuit duas vxores: nomen vni Anna, & nomen secunda Phenenna. Fueruntque Phenenna fily, Annæ autem non erant liberi.*] Conuenienter igitur Annæ sterilitas commemoratur, cuius partus celebrior futurus erat in-

D star priorum patrum, vt maius gaudium post longum mœrorem de percepta fœcunditate parentum insinuetur.

Gen. 11. Gen. 16. Gen. 29. 30. Sicut enim Abraham patriarchæ legitima vxor, quam primitus duxit, Sara videlicet, primum sterilis fuit, Agar Ægyptia generante filium: & sicut Iacob seruiente socero suo pro Rachel vxore, ipsa Rachel sterilis fuit, sorore eius Lia liberos gignente: ita & Elcanæ melior vxor quæ prophetam genuit, sterilis primum fuit postea autem per domini gratiam fœcunda, vt tali ortu magnus futurus propheta etiam monstraretur. [*Et ascendebat vir ille de ciuitate sua statutis diebus, vt adoraret & sacrificaret domino exercituum in Silo* &c.] Silo ciuitas est in tribu

Iosu. 13. 14. 15. Ephraim, in quo loco arca testamenti mansit & tabernaculum domini, à temporibus Iosue filij Nun. Postquam vicerat gentes quę terram repromissionis possederant, vsque ad tempora Samuelis. Narratur enim in libro IESV Naue, quod prædictus dux forte ibi missa coram domino, terram repromissionis singulis tribubus distribuerit. Est autem Silo in nonagesimo miliario, Neapoleos in regione Arabithena. Sed & Iudæ patriar- E

chę filium Sela appellatum legimus. Ad hanc ergo Gen. 38.

ascendit Elcana cum domo sua, statutis diebus secundum legem, vt adoraret, & sacrificaret domino exercituum. Quod autem dicit statutis diebus, hoc est tribus festiuitatibus, pascha videlicet & pentecoste, & solemnitate tabernaculorum. Vnde dominus in Exodo præcepit, dicens: *Tribus vicibus per singulos annos mihi festa celebrabitis.* Et item: *Ter*, inquit, *in anno apparebit omne masculinum tuum coram domino Deo tuo, in loco quem elegerit dominus Deus tuus.* Exod. 24. Exod. 23. Ergo in Silo cum esset eo tempore arca domini, ibi hic Elcana cum esset ipse Leuita, post oblatas victimas, cum vxoribus & filiis atque filiabus pariter vescebatur, [*Deditque Phenenna vxori sua & cunctis filiis eius & filiabus, partes. Annæ autem dedit partem vnam tristis, quia Annam diligebat. Dominus autem concluserat vuluam eius. Affligebat quoque eam æmula eius, & vehementer angebat, in tantum, vt exprobraret quod conclusisset dominus vuluam eius* & reliqua.] F

Nam quod ait, *deditque Phenenna vxori sua, & cunctis filiis & filiabus, partes.* Hæ partes, partes sacrificiorum, quas de immolatis dedit, intelliguntur secundum consuetudinem legis. Quamquam opinio Iudæorum, vestes intelligi velit. *Anna autem dedit partem vnam*, inquit, *tristis*. Tristis videlicet erat, quia dominus concluserat vuluam eius. In hoc vero quod subiunxit: *Affligebat quoque eam æmula eius* &c.

Demonstratur, quod sicut Saram sterilem, Agar concipiens despexit ita & Annam sterilem Phenenna prole fœcunda æmulabatur. Malorum enim est solatium, vitam bonorum carpere. Porro illa flebat, & non capiebat cibum læta corporeum, sed secundum Prophetam, *fuerunt illi lachrymæ panes dies ac nocte, & potum suum cum fletu temperabat.* [*Surrexit autem Anna postquam comederat in Silo & biberat, & Heli sacerdote sedente super sellam ante postes templi domini.*] Heli iste summus sacerdos erat, & post Samson populum Israël Psal. 41. regebat (vt in Hebræorum libro inuenitur) annis. XL. secundum Septuaginta autem interpretes annis G

XX. [*cum esset amaro animo, orauit dominum flens largiter, & votum vouit, dicens: Domine exercituum, si respiciens videris afflictionem famula tua, & recordatus mei fueris, nec oblitus ancilla tua, dederisque serua tua sexũ virilẽ dabo eum Domino omnibus diebus vita eius* & reliqua.] Recordabatur forsan verborum beati Iob, quibus dixit, *Qui deridetur ab amico suo sicut ego, inuocabit Dominum & exaudiet eum, quia ipse laborem & dolorem suorum considerat.* De quo scriptum est: *Tibi domine derelictus est pauper, pupillo tu eris adiutor.* Iob. 12. Cui vota iustorum sunt placabilia, & oculi eius ad preces eorum. [*Factum est* Psal. 9. *ergo cum illa multiplicaret preces coram domino, vt Heli obseruaret os eius. Porro Anna loquebatur in corde suo, tantumque labia illius mouebantur, & vox penitus non audiebatur. Æstimauit igitur eam Heli temulentam, dixitque ei: vsquequo ebria eris? Digere paulisper vinum quo mades. Respondens Anna, Nequaquam* (inquit) *domine mi. Nam mulier infelix nimis ego sum, vinumque & omne quod* H *inebriare potest non bibi, sed effudi animam meam in conspectu domini. Ne reputes ancillam tuam quasi vnam de filiabus Belial, quia ex multitudine doloris & mœroris mei locuta sum vsque in præsens.*] Belial interpretatur absque iugo. Nota quod hi qui ebrietatem sectantur, filij Belial vocitentur: hoc loco impletur illud quod scriptum est, *Homo videt in facie, Deus autem intuetur cor*: quia Heli tantum os deprecantis Annæ intuebatur, & vocem eius penitus non audiebat, sed motum labiorum cernebat, æstimabat ebriam esse. Illa autem quia sursum eleuabat 1. Reg. 16. cor & confitebatur domino in toto corde suo respexit dominus ad orationem eius, & non spreuit preces illius Nobisque optimus modus orandi ad exemplum datus est,) sicut in sequentibus plenius dicturi sumus) Psal. 101. vt non in multiloquio formemus preces nostras ad dominum, sed in compunctione cordis & effusione lachrymarum, nos exaudiri ab eo credimus: quia *sacrificium deo est, spiritus contribulatus, cor contritum*

&

Digitized by Google

& humiliatū Deus nō spernit. Quod tunc Digne, fit si oratione completa, nos in eodem tenore iustitiæ permanebimus. Vnde & sequitur: [*Et abiit mulier in viam suam & comedit, vultusque illius non sunt amplius in diuersa mutati. Et factum est post circulum dierum, concepit Anna & peperit filium, vocauitque nomen eius Samuel, eo quod à Domino postulasset eum.*] Post circulum ergo dierum, id est, post anni reditum, peperit Anna puerum, vocauitque nomen eius Samuël. Samuël qui interpretatur postulatio Dei, siue nomen eius Deus, quia autor natiuitatis eius Deus erat, qui ab sterili exoratus concessit habere filium, qui dignus haberetur in templo Dei cunctis diebus assistere ad seruitium eius. Qui superius non solū vir, sed vir vnus appellatur, quia videlicet non in diuersa vagabundus, vel mobilis atque instabilis, sed firmus atque inconcussus persistens vir vnux erat. Et non solum vir vnus dicitur ille, qui firmus perseuerat, sed omnes competentes vnus dicuntur, vnam sapientiam omnes habentes, qui vnum CHRISTVM IESVM confitentur, in vno spiritu Dei replentur. Vnusquisque insipientium non est vnus, sed multi. Vnde scriptura: *Stultus vt luna mutatur.* Luna cum videtur vna esse per substantiam, per mutationem dierum semper ipsa alia est & diuersa. Sic & peccatores, qui mutantur à sapientia & scientia, & diuersa. Sic & peccatores, qui mutantur à sapientia & scientia, & diuersa concupiscunt, instabiles efficiuntur in omnibus viis suis. Ecce historiam prælibauimus, sed spiritualem intellectum necesse est vt breuiter tandem tangamus: Vir enim iste Elcana, qui interpretatur Dei possessio, figuram gestauit vnici filij Dei qui vera & specialis est Dei patris possessio. De ipso namque per Salomonem dicitur: *Dominus possedit me initio viarum suarum.* Et pater de ipso: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Et idem filius in Euangelio: *Pater in me manens, ipse facit opera: qui bene vir vnus dicitur.* Vnus autem appellatur Deus, non de numero, sed quia nunquam à semetipso alter efficitur, ideo nunquam mutatur. Vnde Psalmista: *Tu autem idem ipse es & anni tui non deficient.* Armathaim Sophim, quæ interpretatur excelsa vel specula, cælestem significat Ierusalem. De qua ad nos veniens, eandem speculationem & docuit, imo & ad eandem possidendam sua morte reparauit. In qua ipse sedens ad dexteram patris, interpellat pro nobis secundum quod Apost. ait: *Aduocatum habemus apud patrem* IESVM CHRISTVM *iustum &c.* Qui bene filius dicitur, filij Ieroham, filij Eliu, filij Suph Ephrateus. Ieroham quippe misericors interpretatur: Eliu vero, Deus meus: Suph, effundens: quæ nomina (sicut nobis videtur) iure ad Deum patrem referuntur. Ipse est misericordia nostra, quia sua miseratione actum est, vt vnigenitus filius ad nos veniens, suo cruore nos redimeret, iuxta quod Apostolus ait: *Sic enim dilexit Deus mundum, vt vnigenitum suum daret pro nobis.* Qui in passione, pro nobis laborans, aiebat: *Deus meus Deus meus, vt quid me dereliquisti?* Vnde Suph effundens dicitur, quia ad nos sinus suæ pietatis enim de cœlestibus effudit, vt semetipsum exinaniret, atque quodammodo effunderet, & genus humanum liberaret. Vnde per Salomonem in Canticis canticorum dicitur: *Vnguentum effusum est nomen tuum.* Nomen ergo Dei vnguentum effusum est, quando ab immensitate Diuinitatis suæ, ad naturam nostram se exterius effudit, & ab eo quod erat inuisibilis, visibilem se reddidit. Si enim se non effunderet, nequaquam nobis se innotesceret. De qua effusione Paulus ait: *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit* & reliqua. Quod Paulus ait *exinaniuit*, hoc Salomon dixit, *effudit.* Quiiure Ephrateus dicitur, Ephrateus frugifer interpretatur. Quod bene eidem vnigenito Dei filio conuenit: Ipse enim omnibus donis Spiritussancti & virtutibus abundans habetur. Hinc Isaias ait: *Requieuit super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilij & fortitudinis,* & reliqua. Sequitur: *Habuitque vxores duas nomen vni Phenenna, & nomen secunda Anna. Fueruntque Phenenna filij. Annæ autem non erant liberi,* & reliqua]

Istæ duæ vxores Anna videlicet quæ interpretatur *gratia* & Phenenna quæ dicitur *conuersio*, geminæ plebis, hoc est, Ecclesiæ gentium, & synagogæ prætenderunt imaginem. E Phenenna namque synagogæ typum prælibabat quæ fœcunda primum in filiis extitit, quos Deo per prædicationem legis generare videbatur. Sed quia conuersa est à fide Patriarchatum & Prophetarum ad infidelitatem, infœcunda permanet. Anna vero sterilis, quæ interpretatur gratia, Ecclesiam significabat gentium, quæ gratia sancti saluatoris cognoscitur esse redempta. Iuxta quod Apostolus ait: 1. Cor. 11. *Gratia enim Dei salui facti estis per fidem, & non ex vobis, donum Dei est.* Et iterum: *Vocabo non plebem meam, plebem meam, & non misericordiam consecutam misericordiam consecutam* &c. Quæ sterilis dicitur, iuxta quod scriptum est: Isaiæ 54. Galat. 4. Ps. 112. *Lætare sterilis quæ non paris, erumpe & clama quæ non parturis, quia multi filij deserta, magis quam eius quæ habet virum.* De qua etiam Psalmista ait: *Qui habitare facit sterilem in domo, matrem filiorum lætantem.* F Quæ olim sterilis à fœcunditate prolis spiritualis, nunc Deo spirituales filios per fontem baptismatis, & gratiam Spiritussancti gignere non desistit De qua in Canticis canticorum Apostoli dicunt: Cant. 8. *Soror nostra paruula est, & ubera non habet.* Quid faciemus sorori nostræ, in die quando alloquenda est: Paruula, inquinnt, est quia mysterium prædicationis nondum sufficit subire, vt filios generans ab intimis mysteriis, vel vt ex huberibus nutrire possit. Quid ergo tibi videtur ô synagoga de sorore nostra faciendum, quando alloquenda est, id est, per verbi mysterium ducenda ad fidem, vt quæ modo sterilis videtur possit fœcunda spiritualiter filios generare? Synagoga tacente, ipse sponsus siue Apostoli quid fieri debeat, respondent: Cant. 8. Si murus est, ædificemus super eum propugnacula argentea, id est scientiam diuinarum scripturarum, vt possit non solum protegere infirmos sed etiam docere indoctos, ne semper sterilis permaneat. Ista enim quanquam tunc vxor esset in prædestinatione diuinæ gratiæ, iuxta quod sponsus loquitur de ea: G *Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilaui te amica mea, Id est*, tu adhuc in curribus Pharaonis subintus seruiebas subintus currebas in gentilitate, sed ego attendi quid de te per prædestinationem feci. *Equitatui meo te assimilaui*, Cant. 1. id est, electis meis te similem attendi. Tamen quia nondum sponsus eam proprio sanguine redemerat, nec desponsauerat, sterilis habebatur quia ei per fidem coniuncta non erat, sed synagoga ei quodammodo filios per legem (vt diximus) parere videbatur. Hæc enim breuiter tangendo, (vt diximus) sed in consequentibus post aliqua quæ interpolata videntur, in historia prolata plenius describere conabimur [*Erant alibi duo filij Heli, Hophni & Phinees sacerdotes Domini.*] Quia historia luce clarius patet, ad spiritalem intellectum transducimus. Hophni namque qui interpretatur discalceatus siue insania conuersionis: & Phinees quoque qui dicitur os mutum, scribas & pharisæos significant Iudæorum. Qui bene filij Heli dicuntur, qui typum tenebat sacerdotij Iudæorum propter sacrificia carnalia legis & sacerdotij ipsorum. Ipsi enim Scribæ & Pharisæi dum suam (iuxta Apostolum) Rom. 10. H voluerunt statuere iustitiam, & iustitiæ Dei contemnentes, noluerunt esse subiecti, nec ipsum recipere quem lex & prophetæ prædixerunt esse venturum, degenerantes à fide patriarchatum & Prophetarum, ad insaniam infidelitatis conuersi, os mutum meruerunt habere, à vero sacerdotio Christi & confessione veri sacerdotis, de quo scriptū est: Ps. 109. *Iurauit Dominus & non pœnitebit eum, tu es sacerdos in æternum secundum ordinē Melchisedec.* Et quia Eccl. sibi, proprie quæ Christo debebant, qui erat verus sponsus, tanquam propriā vindicare voluerunt. Et noluerunt suscitare semē fidei in nomine defuncti fratris, id est, Christi iuxta quod in lege scriptum erat, non meruerunt esse in sorte eorum. De quibus ait Apost. Eph. 6. Isaiæ 52. Naum 1. Rom. 10. Iohan. 1. *Et calceati pedes in præparatione Euangelij pacis.* Et de quibus per Prophetā dicitur: *Quam speciosi pedes eorū qui annūtiant bona.* Et ideo nudi & discalceati à vera fide & dignitate sacerdotij remanserunt. Quod pertimescebat agere Ioan. quando dicebat eis, *Non sum ego Christus: venit enim fortior me post me,*

cuius

Digitized by Google

A *enim non sum dignus vt soluam corrigiam calciamenti eius.* Ac si diceret Ego redemptoris vestigia denudare non valeo, quia nomen sponsi mihi immeritus non vsurpo. Quod quia scribæ & pharisæi indebite vsurpare conati sunt videlicet nomen sponsi sibi & non Christo tribuere, & insuper è contrario contempserunt, imo in faciem conspuere non dubitauerunt: iure nomen illorum dici-
Deut. 25. tur *domus discalceati*, sicut in lege scriptum est. Ac per hoc nudi remanserunt ab omni dignitate, & discalceati ab exemplis Patriarcharum & Prophetarum. Vnde Silo quidem eis congruit, vbi sacerdotes fuisse leguntur. Silo
Matth. 27. namque *dimissio eius*, vel *petitio* interpretatur: quia enim ipsi expetierunt Pilatum, vt dimitteret Barrabam, & Iesum traderet eis. Vnde ad insaniam crudelitatis conuersi, cla-
Ioan. 19. mabant dicêtes: *Si dimittis eum, non es amicus Cæsaris.* Et
Luc. 23. item. *Crucifige, crucifige eum.* Merito dimissi fuerunt, & derelicti à Deo, exuti ab omni bonitate, traditi sunt gentibus, & amiserunt sacerdotium & regnum, & torpore
B infidelitatis nudi, frigescunt inter gentes. Sequitur, [*De-*
Psal. 104. *dit ergo Elcana Phenennæ & filiis eius & filiabus, partes. Annæ autem dedit partem vnam tristis, quia Annam diligebat.*] Iam enim superius inculcauimus, quod Phenenna typum tenuit synagogæ, quæ à Deo quidem partes cum filiis & filiabus (quantum iuxta anagogen pertinet) percepit, videlicet temporalia bona terræ promissionis. Iuxta quod per psalmistam dicitur: *Dedit eis regiones gentiũ & labores populorum possederunt, vt custodiant iustificationes eius, & legem eius requirant*: & quia primum credita sunt illis eloquia Dei, & legislatio, & testamentum, & repromissio, & reliq. Quanquam ingrata fuisset, Annæ autem dedit partem vnam tristis. Pars enim ista quam conditor rerum Annæ, hoc est, Ecclesiæ gentium contulit, naturale ingenium possumus accipere, per quod Deum agnoscere poterat. De quo prædicator egregius ad Roma-
Rom. 1. nos describens ait: *Inuisibilia enim ipsius a creatura mundi, per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur.* Sempiterna quoque eius virtus ac diuinitas: vnde de sapientibus huius
C mundi præmisit, dicens: *Quia quod notum est Dei, ma-*
Rom. 1. *nifestum est illis.* Deus enim illis manifestauit, sed bene ait, *tristi*, quia Dominus concluserat vuluam eius. Denique quia spiritualiter Deo generare filios non poterat, anxie ferebat, scilicet quia nondum aduenerat tempus in-ferendi eius, vt a sua sterilitate aperiretur, & spirituali gratia fœcundaretur. Cuius fœcunditatem longe consi-
Isa. 54. derans Isaias, clamabat: *Lætare sterilis quæ non paris*, & reliq. Post hanc sterilitatem, tristis erat Ecclesia, quia non solum non pariebat filios, verumetiam a gratia dominicæ incarnationis, & ab amissione legis sterilem se videbat. Sed vt hoc perpendere potuisset, per naturale ingenium intellexit. Quia ipsam Dominus diligebat, scilicet non qualis tunc erat, sed qualis in prædestinatione futura erat. Sed quia hanc prædestinationem & futurã gratiam synagoga ignorabat, gentilitatem despiciebat, & insuper eam in odio insequebatur. Nam sequitur, [*Affligebat quoque eam æmula eius, & vehementer angebat, in tantum, vt exprobraret quod conclusisset Dominus vuluam eius.*] Nulli igi-
D tur legenti dubiũ est, quod synagoga Iudæorũ, Ecclesiã gentium persecuta est, & propter idololatriæ cultũ, contemnebat & exprobrabat. Denique etiam ipsa primitiua Ecclesia ignorans mysterium filiationis ipsius Petrum
Act. 11. redarguere volebat, quare ingressus esset ad Cornelium & manducaret cum gentilibus. Sed Petrus cum diuinam gratiam eis retulisset, glorificauerunt Deum. De qua etiam despectione idololatriæ, ecclesia ex gentibus synagogæ
Cant. 1. respondit, dicens: *Noli me considerare quod fusca sim, quia decolorauit me sol.* Ac si aperte dixisset. Inde fusca sum, vnde peccatrix, quia me sol decolorauit, id est, creator meus in errore positam me deseruit, & radios suæ districtionis subtraxit. Ego in errorem lapsa sum, vn-
Cant. 1. de & subiungit: *Filij matris meæ pugnauerunt contra me.* Filij matris, immundi intelliguntur spiritus, quia ab vna gratia benignitatis & potentiæ Dei, nos & angeli conditi sumus. Et ex eo quod rationales sumus, quasi quandam societatem fraternitatis habemus: quia tamen cadentes angeli, & ante aduentum saluatoris, & quotidie contra ecclesiam gentium bellum gerunt, dicat Filij ma- E
tris meæ pugnauerunt contra me. Ac si dicat, quia creator meus in gentilitate me deseruit: filij matris meæ pugnauerunt contra me. Noli me despicere ô synagoga, quia si nigra sum per meritum, formosa sum per diuinæ prædestinationis gratiam. Sed ideo synagoga contemnit ecclesiam, quia attendebat qualis erat sed ignorabat (vt diximus) qualis futura erat. Verum postea considerans ecclesiam per naturale ingenium ornatam, diuina scilicet illustratam gratia venire ad Christum, ait: *Quæ est ista,* Cant. 3.
quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi, ex aromatibus myrrhæ & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij? Nam admiratur quomodo gentium populus, nullo circuncisionis mysterio emundatus, nullis prophetarum admonitionibus instructus, subito ab infimis voluptatibus per desertum gentilitatis & idololatriæ, ad alta virtutum culmina, & ad amplexus sponsi ascendisset. Et bene ait: *Sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij*, id est, igne amoris ac- F
censa, vel omni nisu virtutum ad cælestia tendit. Per myrrham, mortificatio carnalium voluptatum. Per thus, puritas orationum: & in diuersis pulueribus pigmentarij, omnium virtutum odor accipitur. Vnde ali- Cant. 6.
bi stupens synagoga dicit, *nesciui, anima mea conturbauit me, propter quadrigas Aminadab.* Ac si dixisset, Nesciui o Ecclesia gentium dona gratiæ spiritualis in te esse, sed anima mea conturbauit me propter inductionem noui testamenti, & euangelicæ quadrigæ. Aminadab quippe interpretatur *populus meus spontaneus*, id est, Christus qui sponte gratiam suam contulit Ecclesiæ, qui per totum iam vehitur orbem. Sed quia eandem gratiam nondum adhuc perceperat Ecclesia, sed sterilis permanebat & tribulabatur, recte subinfertur, [*Porro illa flebat, & non capiebat cibum. Dixit ergo ei Elcana vir suus Anna, cur fles? & quare non comedis? & quamobrem affligitur cor tuum? Nunquid non ego melior sum tibi quam decem filij?*] Ait enim [*Porro illa flebat & non capiebat cibum.*] hoc est quod beatus Iob ex eadem Ecclesia gen- G
tium, quæ aduentum sui redemptoris desiderabat loqui- Iob. 6.
tur, dicens: *Nunquid rugiet onager cum habuerit herbam?* Quid onagrum, id est, agrestem asinum, nisi gentilis populus designatur? quem sicut natum extra stabula disciplinæ edidit: ita vagus in voluptatum suarum campo permansit. Vita namque beati Iob attestante, cognoscimus expectasse redemptoris aduentum multos etiam ex gentilibus. Herba ergo onagri est hæc ipsa mediatoris incarnatio, per quam ipsa gentilitas iam satiatur. Quia Isa. 40.
enim per Prophetam dicitur, *Omnis caro fænum, vniuer-* 1. Pet. 1.
sitatis conditor ex nostra substantia carnem sumens fænum fieri voluit, ne nostra in perpetuum fænum caro remaneret. Tunc ergo herbam onager inuenit, cum gentilis populus gratiam diuinæ incarnationis accepit.

Sed quia diu vota electorum gentilium dilata sunt, longo tempore redemptionem suam expectando gemuerunt, & non meruerunt eandem gratiam percipere, qua fœcundarentur & saturarentur, illo cibo de quo Domi- Ioan. 6.
nus ait: *Qui manducat carnem meam, & bibit sanguinem* H
meum, in me manet, & ego in eo. Bene dictum est. [*Porro Anna flebat, & non capiebat cibum.*] Et quia Ecclesia perseuerauit in prece pro eadem redemptoris gratia, tandem ipse per mysterium suæ incarnationis consolationem adhibuit. Vnde & dicitur, [*Anna cur fles, nunquid non ego melior tibi quam decem filij?*] Verum est inquam, verum quod loquitur sermo diuinæ consolationis: Melior est Ecclesiæ vir suus, dominus scilicet Christus, quam decem filij. Decem namque filij illi significantur, quos per legem synagoga Deo edere videbatur, sed multoties plus eum diligit, imo gratiam Euangelicæ prædicationis, quæ per ipsum data est, quam illos quos carnaliter pariebat. Diligit ergo ipse Ecclesiam, & diligitur. Scriptum namque est: Cant. 2.
Dilectus meus mihi, & ego illi. Adeo diligit Ecclesia Christum, vt non solum omnia contemnat pro ipso, aduersa scilicet & prospera mundi, verumetiam mori non formidet pro dilectione eius. De cuius dilectione (quanquam aliter intelligatur) in Canticis canticorum dicitur, Cant. 8.

Fortis,

A *Fortis est, vt mors, dilectio*, sed quia Ecclesia in eadem gratia atque dilectione quam percepit, perseuerauit: recte quibusdam interpositis de ipsa dicitur[, vultusque eius non sunt amplius in diuersa mutati. Nequaquam enim Ecclesia à cognitione fidei, & dilectione sui redemptoris immutata est, neque euelli in diuersa declinando potuit, ab ipsa deuotionis gratia quam percepit. Cæterum quantum ad historiæ fidem pertinet, bene ait, [*vultusque eius non sunt amplius in diuersa mutati.*] Videlicet quia quod ad Deum postulauit, ex fide credens, adipisci se non dubitauit: siue quia in vero affectu compunctionis permansit, vsque dum adepta esset quod postulauit. Hic enim datur exemplum orandi, quia videlicet quisquis exaudiri desiderat, talis debet perseuerare, qualis in oratione inueniri se exoptat. Et si semel compunctionis gratiam percipit per puritatem mentis, debet in eadem munditia mentis persistere, & à nullo deuiare per lasciuiam, donec ad affectum voluntatis, quod petit, B perueniat. Imo donec prolem diuinæ contemplationis consequatur. Et si hoc voluerit non sufficit semel compungi, sed sedulo per compunctionis gratiam emun- Ps. 117. dari, iuxta quod per Psalmistam dicitur: *Constituite diem solemnem in confrequentatione, vsque ad cornu altaris.* Dies solemnis est Domino, compūctio cordis nostri. Sed tunc in confrequentatione dies constituitur, cum ad lachrymas pro amore Dominis assidue mens mouetur. Cui velut si diceremus, quandiu? subiungit, dicens vsque ad cornu altaris. Cornu altaris est exaltatio sacrificij interioris hoc est, contemplatio diuinæ visionis. Inde est quod anima quæ iam per amorem compungi desiderat, in Canti- Cant. 1. cis canticorum, ait: *Osculetur me osculo oris sui.* Toties enim anima osculatur Deum, quoties in eius amore compungitur. Ait enim, *Osculetur me osculo oris sui.* Ac si aperte dicat: *Tangat me gratia compunctionis suæ*, vel certe, *osculum oris eius est*, perfectio pacis intimæ, ad quam cum peruenerimus, nihil remanebit amplius quod quæramus. Et ideo debemus in eadem gratia compunctionis C tanquam Anna permanere, & non vultum in diuersa mutare, donec perueniamus ad prolem diuinæ contemplationis. Nos hactenus ista de Elcana, & duabus vxoribus eius, ac partibus earum, & cætera quæ inscruimus, prout intelligere potuimus, & à traditore didicimus, describere conati sumus. Quæ si cui displicuerint, & melius inuenire potuerit: nos sequenda iudicauimus, quia magis decreuimus alterius sensum sequi, quam pertinaciæ deseruire. Cæterum his descriptis, ad ea quæ sequuntur (domino fauente) stylum vertere conabimur: sed prius notandum quia nonnulli iuxta ethicam disciplinam, id est, moralem quam aliter tropologiam nominant. Elcanam (qui interpretatur Domini possessio) sanctum quemlibet & perfectum prædicatorem intelligi volunt, cuius mentem Dominus possidet. Per duas vero vxores, Phenennam videlicet & Annam, actiuam & contemplatiuam vitam designant, Phenenna namque fœcunda in filiis (quæ dicitur conuersio) actiuam, Anna vero sterilis (quæ interpretatur gratia eius) contemplatiuam designat vi- D tam. Actiua enim vita est, panem esurienti tribuere, verbo sapientiæ nescientem docere, errantem corrigere, ad humilitatis viam superbientem proximum reuocare, infirmantis curam gerere. Quæ singulis quibusque expediant, dispensare. Quæ non immerito significatur per Phenennam fœcundam (quæ interpretatur conuersio) quia actiua multas habet actiones quibus subuenire potest proximis. Ad quas necesse est, vt sollicite conuertatur. Est enim fœcunda in filiis & filiabus, quia fortia licet infirma videantur, in comparatione contemplationis gignit opera pariter infirma, quæ significantur per filios & filias. Contemplatiua vita est vero, charitatem Dei quidem & proximi, tota mente retinere, sed ab exteriori actione quiescere, soli desiderio conditoris inhærere, vt nihil iam agere libeat, sed calcatis curis omnibus ad videndam faciem sui conditoris animus inardescat. Hæc enim significatur per Annam, quæ interpretatur gratia, sed sterilem. Bene itaq; sterilis dicitur, quia contēplatiua vita prout est nullus penetrare valet. Siue quia nullus eam perfecte prædicare sufficit quod sentit, vt eam E prædicando plures filios gignere possit. Vnde non immerito per Annam, quæ interpretatur gratia, figuratur: quia nemo ad ipsam peruenire sufficit, nisi per diuinam gratiam. Sed bene duas vxores habuisse describitur, quia perfectus quilibet prædicator non est, nisi vtranque vitam exercere nouerit. Debet ex amplexibus Phenennæ, transire ad complexus Annæ: quia debet se prius exercere in actiua, vt dum multos filios generauerit, possit postmodum ad contemplatiuam vitam arctius accingi, & toto desiderio in eius contemplatione immorari, & perfecta opera gignere. Quibus vxoribus & filiis & filiabus partes tribuet: quia summus vir siue infirma, seu creauerit fortia opera, semper studet & in actiua & in contemplatiua vita desudans amplius laborando, virtutibus virtutes subnectere, vt perfectus inueniatur quandoque in contemplatione. Et ideo qui vult effici possessio Dei, has duas ducat vxores; actiuam scilicet primum, ac deinceps transeat ad F contemplatiuam. Seu vt aliter dicamus: Coniungat sibi eam quæ nobilior est Annam, hoc est, gratiam. Hæc enim prima coniungitur homini per fidem, vbi Apostolus ait: Ephe. 2. *gratia enim Dei salui facti estis per fidem.* Secundo coniungatur Phenennæ, id est conuersioni, quia post gratiam credulitatis, sequi debet emendatio morum. Prima filios generat Phenenna, quia primi fructus proferuntur per conuersionem. Nisi enim conuertamur à malo, non poterimus effici patres de Anna, & generare Samuëlem, qui hic interpretari potest, vbi ipse Deus. Vbi enim spiritus gratiæ est ibi dicitur Deus. Vnde Paulus ait: *Et cadens in* 1. Cor. 14. *faciem, adorabit Deum, dicens: Vere, Deus in vobis est.* Et ideo nisi præcedāt opera conuersionis, nō possumus dona diuini spiritus generare. Et hoc orandum est, sed sciendū est, quia Deus non voce tantū inuenitur, sed corde. Vnde B. Iob loquitur, dicens. *Quis mihi tribuat auditorem, vt de-* Iob. 31. *siderium meū omnipotens audiat?* Non ait, preces, sed desiderium meū. Vere quippe postulatio non in voce oris est, sed in cogitationibus cordis. Hinc est quod ad Moysen dicitur: *quid clamas ad me?* cum penitus nihil loqueretur. G Hinc est quod Anna superius ore quidē tacuit, & tamen Exo. 14. tot sui desiderij voces emisit, sicut scriptū est: [*Porro Anna loquebatur in corde suo, tantumq; labia illius mouebantur.*] Hinc Dominus in Euangelio dicit: *Intra in cubiculum tuū* Matt. 6. *& clauso ostio, ora patrem tuum, & pater tuus qui videt in abscondito reddet tibi.* Clauso quippe ostio petit in cubiculo, qui tacenti ore in conspectu supernæ pietatis fundit affectum mentis. Et vox auditur in abscondito, cum per sancta desideria silenter exauditur. Vnde dicitur: *Desideriū pauperum exaudiuit Dominus.* Et quia Anna ita Dominū Psal. 9. postulauit, exaudiri pro filio promeruit. [*Quæ concepit & peperit filiū, vocauitque nomen eius Samuël, eo quod à Domino postulasset eum.*] Sic nimirum sancta Eccl. orans per naturalem intellectum, gratiam fidei & mysterium incarnationis, corde concepit, & ore confessionis gignere promeruit. Nam iuxta Apostolum: *Corde creditur ad iustitiā ore autem confessio fit ad salutem* Hinc est quod ad Corne- Rom. 10. lium Angelus ait: *Corneli, exaudita sunt orationes tuæ, &* Act. 10. *eleemosynæ tuæ in conspectu Dei* &c. *Quem filium vocauit* H *(inquit) Samuëlem.* Samuël qui interpretatur nomen eius Deus, Annæ videlicet primogenitus & prophetiæ gratia decoratus, quis alius intelligendus est, nisi dominicus homo, Dominus scilicet ac redemptor noster? De ipso enim scriptū est. *Omnipotens ipse veniet & saluabit nos.* Ipse etiā Propheta dictus est, iuxta quod Moyses ait, *Prophetā su-* Esai. 35. Deut. 18. *scitabit Dominus Deus, tanquam meipsum audietis*, & re- Act. 3. 7. liquis denique ipse de semetipso dicit: *Non est Propheta si-* Matt. 13. *ne honore, nisi in patria sua.* Cui itaque Samuëlis valde cōgruit interpretatio nominis, quia ipsum Deum & hominē confitetur omnis Eccl. De qua subnectitur, [*Et adduxit eum secū, postquam ablactauerat, in vitulis tribus, & tribus modiis farinæ, & amphora vini, & adduxit eum in domum Domini in Silo.* [Bene ait, *postquam ablactauerat*, quia videlicet Anna, id est, sancta Ecclesia ex nationibus. De quibus Dominus ait: *Et alias oues habeo quæ non sunt ex hoc* Ioan. 10. *ouili, & illas oportet me adducere, & vocem meam audient.* Prius lacte enutriuit filium, quem corde concepit per fi-

dem

A dem, id est, simplici intellectu in foia auditoribus. De quo 1.Cor.3. Paulus Apost. ait, *Lac vobis potum dedi, non escam.* Scilicet 1.Cor.2. quia mysterium incarnationis & crucis, & præcepit & prædicauit. Vnde idem egregius prædicator iterum dicit: *Nihil me iudicaui scire inter vos, nisi Christum Dominum Iesum, & hunc crucifixum: Iudæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam* Et recte [*in vitulis tribus.*] Tres enim vituli, tria (vt nobis traditum est) tempora significant. Ante legem videlicet, sub exemplis patriarcharum, & sub lege sub dictis prophetarum scilicet quibus præfiguratus est dominus, & eum expectabat Eccl. & ideo tristabatur, quia gratiam incarnationis nondum habebat. In tertio tempore gratiæ, eo apparente, iam & fidem percepit credendo, & prædicationem quodammodo præsentauit, quia manifeste se credidit. [Vnde & sequitur, [*& in tribus modiis farinæ,*] Per tres modios farinæ, tres virtutes in vnitate fidei compactas accipere debemus, fidem videlicet, & spem, & charitatem, quas perfectas obtulit Eccl.
B seu tres modij farinæ, tres accipiuntur filij Noë, quos plures credens Ecclesia perduxit ad fidem, atque Deo obtulit confitendo. Nonnulli etiam in farina modiorum, corpus Domini accipiunt: & in amphora vini, sanguinis mysterium ipsius, quæ mysteria quotidie celebrat Eccl. offerendo, & sumit ore ad imitandum. Hæc sunt enim dona quæ pro puero offert Eccl. gentium, vt ostendat se puerum genuisse, id est, percepisse se veraciter perfectam fidem Christi, & eam se operibus demonstrare velle. [*Et adduxit eum in Silo in domum Domini.*] Quia cum eadem perfecta fide mysterij incarnationis Christi, & crucis trophæi, iunxit se primitiuæ Eccl. ex synagoga Iudæorum, Psal.92. quæ domus Dei dicta fuerat. De qua dictum est. *Domum tuam decet sanctitudo.* Dicamus & aliter secundum opiniones aliquorum. Nam quod ait, [*adduxit eum secũ postquam ablactauerat, in vitulis tribus, & tribus modiis farinæ.*] In Hebræo (vt aiunt) non tribus modiis, sed modio farinæ haberi dicunt, & apud Latinos scriptorum vitio putant deprauatum, & non contra legis præceptum tres
C modios obtulisse: quia ibi præcipitur, vt mense primo offerrent similæ oleo conspersæ tres decimas per singulos vitulos. Duas decimas per arietem, vnam decimam per agnum. Hæc vero decima, decima pars erat ephi: vnde datur intelligi, quod non potuerit tres modios farinæ cum tribus vitulis offerre, sed nouem decimas, quibus secundum Hebraicam mensuram vnus efficitur ephi. Cæterum allegorice, quod noluit illum ducere ad domum Domini antequam ablactaretur, significat matrem Eccl. quemlibet filiorum suorum non ante ad sacerdotium prouehere, quam illum à lacte infantiæ & paruitate sensus educatum, Heb.5. effecerit capacem spiritalis doctrinæ. *Omnis enim* (vt ait Apostolus) *qui lactis est particeps, expers est iustitiæ sermonum.* Offert eum in tribus vitulis, & modio farinæ, & amphora vini: hoc est in sacrificio piæ confessionis, in exercitio bonæ operationis, & gratia sacræ eruditionis, & fide sanctæ trinitatis pleniter instructum. Qui potest Osee.14. dicere cum Propheta: *Reddemus domino vitulos labiorum*
D *nostrorum,* & iugiter in domo Dei permanens, offerat digne sacramentum corporis & sanguinis Domini, Sequitur, [*Orauit Anna, & ait.*

CAP. II.

E*Xultauit cor meum in Domino, & exaltatum est cornu meum in Deo meo.*] Hinc enim iam manifestissime Anna in cantico suo mutationem (sicut superius prædiximus) veteris testamenti, vel sacerdotij, in nouum testamentum vel sacerdotium, qui est Christus, prophetare videtur: quanquam nonnulli non prophetasse dicant, sed tantummodo propter filium impetratum, Deum exultanti prædicatione laudasse. Quid ergo sibi vult quod ait, [*Arcus fortium superatus est, & infirmi accincti sunt fortitudine, & repleti prius pro panibus se locauerunt, & famelici saturati sunt. Donec sterilis peperit septem, & quæ multos habebat filios, infirmata est.*] Nunquid ipsa peperit septem quamuis sterilis fuerit, vnicum habebat quando ista dicebat, sed nec postea septem peperit, siue sex, quibus septi-

E mus esset Samuel, sed tres mares & duas fœminas. Deinde in illo populo cum adhuc nemo regnaret, quod extremo posuit, dat virtutem regibus, & exaltabit cornu Christi sui. Vnde dicebat, si non prophetabat? Conticescant ergo Iudæi, taceant multi, qui hoc iuxta historiam pro accepto filio dictum putant. Dicat Anna prophetando, prospiciēs in se fœcunditatem Eccl. dicat: Dicat etiam Ecclesia Christi, ciuitas regis magni gratia plena, prole fœcunda, dicat: *Exultauit cor meum in Domino.* Cor enim sanctæ Eccl. non in rebus transitoriis exultat: quia potest quis gaudere in carnalibus, non gloriatur ex iocunditate terrenarum rerum, sed in domino, iuxta quod Paulus commonet di- 1.Cor.1. cens: *Qui gloriatur, in Domino glorietur.* Hinc enim in Cant.1. Canticis canticorum, ex voce electorum dicitur: *Exultabimus & lætabimur in te.* Ac si aperte dicatur: Non in nobis sed in te exultabimus & lætabimur, quia dum fortiores ad cōtemplanda sublimia peruenisse cognoscimus, spem nos infirmi in te, de venia peccatorum, sumimus.
Vnde recte subinfertur, [*Et exaltatum est cornu meum in* F *Deo meo.*] Quid igitur per cornu Eccl. nisi regnum ipsius accipere debemus? Sicut enim cornu carnem excedit, ita regnum sanctæ Ecclesiæ aduersa huius mundi & desideria carnis transcendit. Sed hoc regnum in Domino exaltatum dicitur, quo ab ipso vbique sublimatur. Quod regnum primitiua Eccl. intra fines Iudææ angustatum habuit, sed iam dilatatum per gentes atque sublimatum habetur. Vnde per Prophetam ei dicitur: *Dilata locum tentorij tui longos fac funiculos tuos, & clauos tuos consolida, & pelles tabernaculorum tuorum extende.* Ad dexteram enim & ad si- Isa.54. nistram penetrabis, & locum suum gentes hæreditabunt, Quod per Apost. dilatatum atque extensum est. Sed regnum synagogæ Eccl. gentium percepit, quæ de suis prędicatoribus gratulabunda in sequentibus loquitur, dicēs: [*Dilatatum est os meum super inimicos eius.*] Itaque Eccl. prædicatores sancti intelliguntur, quorum prædicatio vel fides dilatata est, super inimicos eius, quia videlicet excessit scientiam scribarum & hæreticorum, & maxime persecutorum, iuxta quod per Prophetam ei repromissum G fuerat: & lingua resistentium tibi in iudicio superabis. *Non enim in angustiis pressurarum* (iuxta Apost.) *sermo Dei* Isai.54. *est alligatus, videlicet, quia lætata est Eccl. in salutare Dei.* 2.Tim.2. Salutare Dei, filium Dei dicit, de quo Simeon, suscipiens in vlnas, ouans, aiebat: *Nunc dimittis Domine seruum tuū* Luc.2. *in pace, secundum verbum tuum: Quia viderunt oculi mei salutare tuum: Quod parasti, ante faciem omnium populorū.* Et de quo patriarcha Iacob loquebatur, dicens: *Salutare* Gen.49. *tuum expectabo Domine.* Cuius magnificentiam ac potentiam considerans, ait: [*Non est sanctus, vt est Dominus, neque enim est alius extra te, & non est fortis sicut Deus noster* & reliq.] Bene dictum est: Non est sanctus, vt est Dominus: quia nullus eius sanctitati se comparare valet. Distinctione vtitur, vt dixit Dominus, sed nullus est sicut Dominus, sanctus & sanctificans, iustus & iustificans. Nā hoc considerabat Psalmista quando dicebat: *Quis in nu-* Psal.88. *bibus æquabitur Domino, aut quis similis Deo inter filios Dei* Vnde & merito subinfertur: *Neque enim est alius extra te* H *& nō est fortis sicut Deus noster.* Quia nemo fit sanctus, nisi ab ipso sanctificatus fuerit. Et non solum sanctus, sed nec consistere valet, nec aliquam fortitudinem habere, nisi ab ipso perceperit. Hinc Paulus Apost. ait: *Quoniam in ipso* Act.17. *viuimus, mouemur, & sumus* Hinc suis discipulis ipsa ve- Ioan.15. ritas, ait: *Sine me nihil potestis facere.* Et si sunt qui dicuntur dij multi & domini multi, nullus tamen eorū est, naturaliter id quod Deus est. Quid est enim vmbra ad comparationem corporis, & fumus ad comparationem ignis? hoc perpendens Abraham, quando cum Domino loquebatur, dicit: *Loquar ad Dominum meum, cum sim puluis &* Gen.18. *cinis?* In comparatione tantæ maiestatis, cum diues esset, nihil aliud nisi cinerē & puluerem se esse cognouit. Quod Scribæ & Pharisæi, cæterique reprobotum humana sapientes, considerate contemnunt. Vnde de eis subiungitur [*Nolite multiplicare loqui sublimia, gloriantes. Recedant vetera de ore vestro, &c.*] Redarguit sancta Eccl. Iudæos & sapientes huius sæculi, extollentes se contra scientiam Dei, ne superbe sapiant, nec praue de Deo sentiant, sed hu-

milia & sapiant & loquantur. Scriptum namque est: *Dominus in cælo, & tu super terram.* Ideo pauci sint sermones tui. Recedant (inquam) vetera legis de ore ipsorum, & cætera quæ ad veterem hominem pertinent, id est, ad carnalem conuersationem. Sed scientiam quæ ex Deo est, inquirere satagant, non sint humana & carnali scientia legis gloriantes, & non exeat vaniloquium de ore ipsorum. & sciant, quia nemo potest habere, nisi ab ipso perceperit scientiam veritatis: [*quia ipse est scientiarum Dominus, & ipsi, necesse est, vt præparentur bona cogitationes.*] Quia scriptum est: *Spiritus enim sanctus disciplinæ effugiet fictum, & auferet se à cogitationibus, quæ sunt sine intellectu. Quoniam in maleuolam animam, non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis. Et spiritus scrutatur etiam profunda Dei.* Verum quia Iudæi gloriantes in lege, altiora se quærentes, & nescientes, quia Deus est scientiarum, & arbiter conscientiarum, & carnaliter sapientes, ita agere despexerunt, à fastu suæ superbiæ corruentes, humiliati sunt. Nam sequitur, [*Arcus fortium superatus est, & infirmi accincti sunt robore.*] Arcus enim nomine, in sacro eloquio, aliquando dies iudicij, iuxta quod per Psalmistam dicitur: *Ostendisti populo tuo dura, potasti nos vino compunctionis. Dedisti metuentibus te significationem, vt fugiant à facie arcus.* Aliquando vero sacra eloquia designantur, sicut per eundem Prophetam dicitur: *Arcum suum tetendit & parauit illum, & in ipso parauit vasa mortis* &c. Aliquando autem malorum insidiæ, & intentiones figurantur peruersorum, sicut in Psalmo legimus: *Intenderunt arcum suum, rem amaram.* Vnde & in hoc loco dicitur: *Arcus fortium superatus est.* Denique quia Iudæi duritiam legis, velut cornua arcus corda noui testamenti, flectere noluerunt, sed carnaliter sapere, & prædicationem saluatoris conati sunt suis peruersis intentionibus superare, & praue de ipso sentire, atque Ecclesiam ipsius contemnere, & parare arcum suum rem amaram, & propterea deiecti sunt atque humiliati. Bene dictum est: [*Arcus fortium superatus est.*] Id est, intentio Iudæorum peruersa, qua praue senserunt, ex veteri testamento prolata, in nouo infirmata est. Quia ex hoc quod carnaliter in lege gloriati sunt, & ea quodammodo defendere superbe voluerunt, infirmati sunt, & malum quod de pharetra sui liuoris intendere voluerunt, in ipsos conuersum est, iuxta quod alibi scriptum est: *Conuersi sunt in arcum prauum.* Arcus enim à quo intenditur, ad ipsum conuertitur: quia prauitas malignæ intentionis, quam de pharetra sui liuoris, exercere Iudaica perfidia voluit, in eam conuersa est, quia sua malitia infidelitatis damnata extitit, & gratiam fortitudinis qua gloriabatur posse sine adiutorio diuino, humana sufficientia legem implere, amisit, & eandem gratiam valetudinis credentes, ex gentibus qui prius infirmi videbantur esse, domino largiente, perceperunt, sicut subnectitur: [*& infirmi accincti sunt robore.*] Videlicet populi gentium, qui de suis virtutibus nihil præsumentes, in Domini sunt iustitia roborati. Ex quorum voce Psalmista loquitur dicens: *Miserere mei Domine quoniam infirmus sum.* Et iterum: *Miserere mei Deus miserere mei, quoniam in te confidit anima mea.* Infirmus erat populus gentilis, quando alienus à testamento Dei fuerat. Hinc Salomon de eadem gentium infirmitate ait, *Lepusculus plebs inualida, quæ collocat in petra cubile suum.* Plebs est inualida natio gentium fidelis, quæ in suis viribus nil fidens, sed in auxilio sui redemptoris sperare didicit. Et hoc est illi in petra collocare cubile. *Petra autem* (inquit Apostolus) *erat Christus.* Cuius præsidio vt auersos vitet incursus, Domino dicere nouit cum Psalmista: *Esto mihi in lapidem fortissimum, & in domum munitam vt salues me.* Vnde bene de abiectione Iudæorum & salute gentium subinfertur, [*Repleti prius pro panibus se locauerunt, & famelici saturati sunt.*] In Græco ita habetur, *Pleni panibus minorati sunt, & esurientes transierunt terram.* Repleti prius, seu pleni panibus, Iudæi intelliguntur, qui minorati sunt: quia videlicet credita sunt illis eloquia Dei, quæ per panes designantur, quibus satiari videbantur prius. Sed quia spiritaliter intelligere, nec etiam ipsum, qui de semetipso ait: *Ego sum panis viuus, qui de cælo descendi,* recipere noluerunt (E) (Ioan. 6.) qui multa beneficia signorum atque miraculorũ eis contulit, & ingratus apparuit. Ideoque dum hi superbirent, & terrena saperent, de maioribus minores effecti, pro eisdem panibus elocati, à propriis sedibus sunt euulsi. Quia dum carnaliter legem voluerunt defendere, & se subtraxerunt ne crederent in saluatorem, & in ipsis panibus, id est, diuinis eloquiis, terrena tantum sapere voluerunt, & locum, & gentem, & ipsa eloquia Dei perdiderunt, iuxta quod Dominus eis comminatus est, dicens: *Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius.* (Matt. 21.) (Act. 13.) Hinc Apost. aiunt: *Vobis quidem oportebat primum loqui verbum Dei, sed quia repulistis illud, & indignos vos iudicastis æternæ vitæ, ex hoc ibimus ad gentes.* De quibus subiungitur, [*& famelici saturati sunt.*] Famelici enim gentiles intelliguntur, qui prius esuriebant panem verbi Dei. Sed quia Iudæi à propriis sedibus elocati sunt, & esuriem sustinuere, iuxta quod per Prophetam olim dictum fuerat (F) (Amos 8.) *Mittam in vobis famem, non famem panis, neque sitim aquæ, sed audiendi verbum Dei.* Ex eodem cibo spiritaliter saturari cœperunt. Vnde & in græco ita habetur. *Et esurientes transierunt terram:* quia gentes, ad quas ipsa eloquia Dei transierunt, multum esuriendo, non terrena (vt Iudæi) sed cœlestia sapuerunt. Hinc in libro B. Iob scriptũ est: *Cuius messem famelicus comedet, & ipsum rapiet armatus, & bibent sitientes diuitias eius.* (Iob. 5.) Iudaici enim populi messis, fuerant sacræ legis eloquia, ex quibus sapienter satiari debuerat, non comedit: quia legem quidem verbotenus tenuit, sed per fatuitatis fastidium, ab eius intellectu, ieiunauit. Huius ergo messem famelicus comedit, quia nimirum gentilis populus, verba legis intelligendo edidit, à quibus Iudaica plebs sine intellectu laborauit. Hos famelicos fidei, dominus præuidit, cum per Euangelium dixit: Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur. Sed quia Iudaicus populus messem perdidit, recte subiungitur qualiter ipse periit, dum dicitur: Et ipsum rapiet armatus. Antiquus hostis Iudaicum populum armatus rapuit, quia in eum vitam fidei, fraudulentæ suggestionis iaculis extinxit, vt vnde se inhærere Deo crederet, inde eius ordinatione repugnaret. (G) De quo & dicitur: *& bibent sitientes diuitias eius.* Huius enim sitientes diuitias bibunt, quia fluentis sacræ locutionis, quæ Iudaicus populus in superbiæ ostentatione possederat, conuersæ gentilium mentes irrigantur. De quibus benedicitur: [*Donec sterilis peperit plurimos, & quæ multos habebat filios infirmata est.*] In Hebræo & LXX. non *plurimi*, sed *septẽ*, leguntur: vnde Iudæi deliramenta fingunt, videlicet quod nato Samuele inquiunt mortuus sit filius primogenitus Phenennæ, & singulis Annæ filiis nascentibus, singuli filij Phenennæ mortui sint. Sed quia stare non potest, prætermittimus, & ad intellectum altiorem properabimus. Nam & in Græco (vt aiunt) ita legitur, [*sterilis peperit septem, & multa in filiis infirmata est.*] Sterilis enim quæ plurimos, siue septem peperit, Eccl. ex gentibus intelligitur, quæ multos filios per fontem baptismatis, & donum Spiritussancti, qui septiformis dicitur, propter septenariam operationem sui: (H) Id est, sapiẽtiæ, & intellectus, consilij, & fortitudinis, scientiæ, & pietatis, & timoris Dei gignere non cessat. Quæ prius sterilis erat in gẽtibus, sed nunc fœcunda gratulatur in domino, iuxta quod olim Isaias prædixerat: *Lætabitur deserta & inuia, & exultabit solitudo, & florebit quasi lilium.* (Isa. 35.) Ista enim prius deserta ac solitudo peperit septem. Septenario quippe numero, vnitas ac vniuersitas perfectionis solet demonstrari, eo quod primo impari, & primo pari, id est, ternario & quaternario numero tanquam ex diuerso, vnitas tota conficitur. Et ideo per ipsum figurantur vniuersi, quos in vnitate fidei sancta Ecclesia per quatuor partes mundi Domino genuit. De ipsa iterum per eundem prophetam dicitur: *Lætare sterilis quæ non paris, erumpe & clama quæ non parturis, quoniam multi filij desertæ, magis quam eius quæ habet virũ.* (Isa. 54.) Deserta diu fuit à sancto spiritu gentium mater Ecclesia. Nec habuit filios ante gratiam regenerationis, quæ postea gentes, & populos Deo in se (vt diximus) operante generauit.

A genetauit: vnde subiũgitur: *Magis quã eius quæ habet virũ.*

Hoc est, synagoga quæ velut iugo viri, ita legis onere premebatur. Aut certe referendum est, quæ antequam eiiceretur virũ se habere credebat, sed postquam abiecta est & virum perdidit, Ecclesia fœcunda fuit. Hinc per Salo- Eccl.12. moné dicitur: *Florebit Amygdalũ, impinguabitur locusta, dissipabitur capparis.* Amygdalum quippe floré prius cunctis arboribus ostẽdit: Et quid in flore amygdali, nisi sanctæ Ecclesiæ primordia designantur? quæ in prędicatoribus suis, primitiuos virtutũ flores aperuit, & ad inferenda poma bonorum operum venturos sanctus, quasi arbusta sequẽtia pręuenit, in qua mox est locusta impinguata, gratia cælesti infusa: sed statim capparis dissipatur, quia dum gratia gentilitatem attingit, Iudæa in sua sterilitate remanens, bene viuendi ordinem amisit. De qua adhuc subditur: [*& quæ multos habebat filios, infirmata est.*] Scilicet synaguga Iudæorũ, & terrena Ierusalem, quæ multos filios carnaliter per legẽ edere videbatur, quæ quia viuificãtem B spiritum recipere noluit, in occidente litera infirmata est 2.Cor.3. de qua Paulus Apostol. ait: *Litera occidit, spiritus autẽ viuificat.* Et quia superficiem literæ sequi voluit spiritalem intelligentiã, in incredulis amisit, & infirma permansit: Luc.22. quod in Euangelio præfiguratũ est, vbi Petrus auriculam serui principis sacerdotum amputauit. Quia videlicet po- Matt.27. pulus Iudæorum principis sacerdotũ indebito mãcipatus obsequio adeo, vt suasu illorum Barrabam dimitti, Iesum vero peterent crucifigi. In domini passione dexterã auriculam, id est, spiritalem legis intelligentiã perdidit, vt totam literæ intelligentiã audiat in sinistra. Hinc in canticis Cant.8. canticorum sponsus Ecclesiæ, quam mysterio crucis redemit, ex infidelitate synagogæ loquitur, dicens: *Sub arbore malo suscitaui te,* & reliqua, ac si dixisset, sub arbore crucis à perpetua morte liberaui te. Sed ibi corrupta est mater tua, ibi violata est genitrix tua, id est, maior pars plebis me negando & Barrabã eligẽdo, à me reprobata est, atque infirmata. De qua recte subinfertur: [*Dominus mortificat & viuificat, deducit ad inferos & reducit.*] Mortificat multã C in filiis synagogã scil. viuificat sterilam, Ecclesiã gentium. Quamuis possit cõmodius intelligi, eosdẽ viuificare, quos Col.3. mortificauerit. Idem reperit dicendo: [*deducit ad inferos &* Ibid. *reducit.*] Hoc est quod Apostulus ait: [*Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.* Et iterum: *Si consurrexistis cũ Christo, quæ sursum sunt quærite,* & reliqua. Sed nunquid eosdem deduxit ad inferos & reduxit? Sed hoc in capite Ecclesiæ, id est Christo, cuius membra sunt fideles, absque vlla controuersia potest accipi, cum quo vitam nostram Apostolus dixit absconditã. Ipse descendit ad inferos, & non est anima eius in inferno derelicta, sed cito resurrexit à mortuis, & reduxit eo pater ad se- Ps.15. metipsũ. De quo inferẽdo dicitur: [*Dominus pauperem fa-* Luc.1. *cit & ditat, humiliat & sublimat.*] Manifesta est historia cum hoc nobis certissimum est, videlicet quia humiliat superbos, & exaltat humiles. Sed altiori intelligentia de domino potest accipi, qui propter nos pauper factus est Iohan.3. voluntate patris. quia sic Deus dilexit mundum, vt ipsum Rom.8. vnigenitum daret pro nobis. Sicut Paulus ait: *Qui proprio* D *filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illũ.* Imo etiam & sua voluntate, vt nos sua paupertate, & hic diuites faceret in fide, & illic hæredes regni, quod repromisit Deus diligentibus se. Ipse enim ditatus est magnificentia Col.2. maiestatis quia in ipso habitauit omnis plenitudo diuini- Isaiæ 11. tatis corporaliter. De ipso etiam Isaias ait: *Requiescit super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilio & fortitudinis spiritus scientiæ & pietatis, repleuit eum spiritus timoris domini.* Ipse etiam humiliatus Phil.2. est propter nos atque sublimatus, sicut Apostolus ait: *Christus factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis.* Ecce audiuimus eius humilitatem audiamus & sublimitatem. *Propter quod & Deus illum exaltauit, & donauit illi nomen quod est super omne nomen, vt in nomine* IESV *omne genu flectatur, cælistium terrestrium, & infernorum* De cuius etiam sublimitate subiungitur: [*Suscitans de puluere egenum & de stercore erigens pauperem.*] Patet videlicet Ps.40. de terræ puluere filium tam cito suscitauit, iuxta quod ipse per Psalmistam postulat, dicens: *Resuscita me & retribuam eis, vt caro eius non videret corruptionem,* secundum E quod per eundem Psalmistam dicitur: *Nõ derelinques ani-* Ps.15. *mã meã in inferno, nec dabis sanctũ tuũ videre corruptionẽ.* Ipse etiã, sicut supra dictũ est, cũ pauper apparuisset, atque egenus in carne vt supra pauperiate atque humilitate superaret diabolũ superbũ, qui rex dicitur super omnes filios superbiæ, tamẽ maiestas Dei patris, de stercore eum sublimauit ineffabiliter, & hoc quare? Quæris quare? Audi qua- Matt.19. re: [*Vt sedeat* (inquit) *cũ principibus & solii gloriæ teneat.*] Principes, S. Apostoli intelligũtur, qui sedebũt cũ Christo super duodecim cũ sedes. Sed domin⁹ soliũ gloriæ retinet non solum videlicet in æqualitate patris, sedendo ad dex- Heb.1. teram maiestatis: Iuxta quod Apostolus dicit: *Sedet ad* Iohan.5. *dexterã maiestatis in excelsis.* Tanto melior Angelis effe- Marc.19. ctus, quanto differentius præ illis nomen hæreditauit, ve- Ps.19. rumetiam solium gloriæ tenebit secundum, quod ipse ait Matt.19. *Pater non iudicat quanquam, sed omne iudicium dedit filio* Isa.3. *Ipse enim in gloria Patris sui venturus est ad iudiciũ, cum* Prou.31. *angelis & archangelis, cum thronis & dominationibus, & se-* F *debit in sede gloriæ maiestatis suæ, iudicans orbẽ in æquitate.* Sedebunt etiam & principes super duodecim sedes, iudicantea duodecim tribus Israel. Hinc Isaias dicit: *Dominus ad iudiciũ veniet cum senioribus populi sui.* Hinc Salomon ait: *Nobilis in portis vir eius, quãndo sederit cũ senatoribus.* Nobilis ergo erit dominus, vir sanctæ Ecclesiæ, in portis suæ ciuitatis, qui videbatur ignubilis, ante tribunal præsidis. Quia etiã nunc à multis contemnendus putatur, quia vbi seculi finis aduenerit, vbi patriæ cælestis ingressum aperuerit electis, iam cunctis parebit sublimis. Et solium gloriæ tenebit sine fine, quia regni eius non erit finis. Nã Luc 1. sequitur: *Quia ipse dominabitur à mari vsque ad mare,* &c. Ps.71. [*Domini enim sunt cardines terræ, & posuit super eos orbẽ,*] Cardines terræ quatuor climata mundi intelligũtur videlicet oriens, occidens, septẽtrio, atque meridies, super quæ Ps.113. posuit orbem, quia videlicet vbique dilatauit Ecclesiam Isa.14. suã. Hinc Psalmista ait: *Ab ortu solis vsque ad occasũ, lau-* Ps.18. *dabile nomẽ domini.* Hinc iterũ scriptum est: *A finibus terræ audiuimus laudes iusti.* Et iterum de sanctis prædicato- G ribus: *In omnẽ terrã exiuit sonus eorũ, & in fines orbis terræ verba eorum.* Quanquam cardines terræ (vt quibusdã placet) ipsi prædicatores intelligantur, super quorum fidem Iob 19. stabilita est Ecclesia. De quibus scriptum est: *Sub quo cur-* Iob.26. *uantur, qui portant orbẽ.* Ipsi quidem sunt qui alibi colũnæ dicuntur, sicut scriptum est: *Colũnæ cæli contremiscunt & pauent ad nutum eius,* videlicet sancti Ecclesiæ prædicatores, super quos fabricæ Ecclesiæ structura consurgit, sicut Apoc.3. alia scriptura testatur, dicens: *Qui vicerit, faciam illũ columnam in templo Dei mei.* Nam quisquis in Dei opere, recta intentione firmatur columna in structura fabricæ spiritalis erigitur, vt in hoc templo, quod est Ecclesia positus, & vtilitate prosit, & decore. Vnde de sanctorũ prædicatione subinfertur, [*Pedes sanctorũ suorũ seruabit, & impii in tenebris conticescent, quia non in fortitudine sua roborabitur vir.*] Licet pedes ipsi doctores designẽtur, Si- Deut.32. cut per Moysẽ dicitur, *Qui appropinquãt pedibus suis accipiũt de doctrina illius quos dominus inter scandala persecutorũ seruauit:* verũtamẽ pedes sanctorũ incessus actionis & H ipsum opus prædicationis, accipere possumus, quod do- Matt.10. minus in viam iustitiæ dirigit. De quibus dominus ipsis Matt.6. prædicatoribus ait: *In quã cunque domũ vel ciuitate intraueritis, & non receperint vos, exeuntes de ciuitate, excutite puluerẽ de pedibus vestris.* Poluis enim leuitas est terrenæ cogitationis, à quo ipsi etiã sũmi prædicatores immunes esse nequeunt, cum pro auditoribus suis solliciti salubribus curis incessanter intẽdunt, & quasi per itinera mundi imo vix calcaueo terræ puluerem lingant, sed hunc puluerẽ leuitatis quotidie per effusioné doctores abluere festinant lachrymarum. Hinc est quod in Cãticis canticorum Cant.6. cum ecclesia ad officium prædicationis surgere præciperetur, spõso respõdit, dicẽs: *Expoliaui me tunica mea, quomodo induar illa? Laui pedes meos, quomodo inquinabo illos?* Ac si aperte dicat, deserui negotia secularia tui causa, quomodo repetã illa? iterũ secreta cõpunctionibus fletibus ablui, quicquid in incessu prędicationis, & in cogitationibus terrenis reliqui, quomodo immundis sordibus iterũ pol-

A luat? Sed licet hoc pertimescant electi, pedes eorum à Deo
seruantur, vt in nulla fece hæreticæ prauitatis fœdentur,
ch.1. neq; ad prauum aliquod opus dilabãtur vnde sanctis ani-
mabus per Iezech. dicitur: *Pedes eorũ pedes recti*. Pedes sã-
ctorum pedes recti dicuntur, quia eorũ opera ad sequen-
dã iniquitatem non sunt retorta; quia inter fluctus huius
sæculi seruantur à domino. Sed dum illi seruãtur, impij è
contrario qui eorum prædicationibus cõtrarij fuerunt, in
tenebris conticescent, scil. Iudæi, qui tenebris infidelitatis
& ignorantiæ inuoluuntur, & lumen veritatis contẽplari
non merentur, dum sine diuino adiutorio sibi posse suffi-
cere crediderunt, vnde & sequitur, [*quia non in fortitudine
sua roborabitur vir.*] videlicet propria, sed virtute diuina:
potens est vir, id est, gentilis populus, vel potest generali-
ter intelligi, quia nullus suis virib. bona operari valet, nec
diabolo resistere, imo si se contra dominum erigere ten-
tauerit, bonũ si quod habere videtur amittit, quod in ip-
so primo angelo, & postea in homine demonstratum est.
Scriptum nãq; est: *Non glorietur prudens in prudentia sua
nec sapiens in sapientia sua, nec diues in diuitiis suis: Sed
qui gloriatur, in domino glorietur*. Hinc iterũ alibi dicitur
*Perdã sapientiã sapientium, & prudentiã prudentiũ repro-
babo*. Quod euidentissime ostensum est in Iudæis, de qui-
bus subditur: [*Dominũ formidabunt aduersarij eius & su-
per ipsos in cælis tonabit.*] Domini nãq; aduersatij, idẽ Iu-
dæi intelliguntur, qui dixerunt, *mittamus lignum in panẽ
eius, & eradamus eum de terra viuentiũ, & nomẽ eius non
memoretur amplius*. Inde est quod postea clamauerũt, di-
centes: *Crucifige, crucifige eũ*. Super hos enim (vt quibusdã
videtur) aduersarios, de cælis Dominus tonauit, quãdo per
apostolos perfida eorum corda terruit. Cœlorum igitur
nomine, ipsi Apost. intelliguntur, de quibus per Psalmistã
dicitur: *Cæli enarrãt gloriã Dei*. Per tonitrua vero, cõmina-
tiones miraculorũ, & terrores signorum accipiuntur, quæ
expletæ sunt quando Apost. cœperunt (in die pentecostes
variis linguis loqui magnalia Dei, quando S.S. in ignis vi-
sione super eos apparuit. Et Petro prædicante, Iudæi tan-
C quam tonitruo perculsi, cõmpuncti dixerunt: *Viri fratres
quid faciemus?* Tunc Petr. Apost. ait: *Pœnitemini igitur, &
baptizetur vnusquisq; vestrũ, vt deleantur vestra peccata.*
Hinc in Apocalypsi scriptum est: *Et de throno procedebãt
fulgura & voces & tonitrua:* hoc est quod Marcus ait. *Illi
autẽ profecti prædicauerunt vbiq; Domino cooperãte, & ser-
monem confirmante, sequentibus signis*. Quibus scilicet to-
nantibus exterriti sunt inimici, ex quibus multi con-
uersi sunt ad fidem: iuxta quod Lucas ait: *Et multa
turba sacerdotum obediebat fidei*, per hos etenim cœ-
los imo per nubes, quas Spiritu sancto repleuit, cum
ascendisset in cœlum, super aduersarios intonuit:
quanquam de futuro iudicio nonnulli velint intelligi,
vbi infideles Iudæi qui suam hic voluerunt statuere iusti-
tiam, gloriantes de obseruantia legis, sine fide Christi, iu-
stitiæ eius noluerunt esse subiecti: iudicandi sunt, non so-
lum à Domino quem cõtempserũt, verũ etiã ab Apost.
qui cœli nomine intelliguntur, damnandi sunt sicut do-
minus ait, *Sedebitis super sede duodecim, iudicantes duo-
D decim tribus Israël*. Hinc ad eosdem Iudæos dominus di-
cit: *Si ego in principe dæmoniorum eiicio dæmonia, filij ve-
stri in quo eiiciunt? ideo iudices vestri erunt*. Hinc etiã per
Prophetam dicitur: *Vocabit Dominus iudicium ad ignẽ: &
deuorabit abyssum multam, & comedet partem domus*, Iudi-
cium quippe ad ignem vocabitur, cum in iudicio iustitiæ
sententia ad pœnam iam æternæ concremationis osten-
ditur & abyssum deuorabit, quia iniquas atque incom-
prehensibiles hominum mentes concremabit, quæ nunc
se hominibus etiam sub signorum miraculis occultant,
qui in iudicio dicturi sunt, *Domine domine, nonne in nomi-
ne tuo prophetauimus?* & reliqua. Sed tunc audient à domi-
no: *Discedite à me operarij iniquitatis, nescio qui estis*. Cum
his etiam pars Domus comedetur, quia Iudæos glorian-
tes de suæ ceremoniis legis atq; de electorum numero se
esse iactãtes. Vnde & dixerunt. *Nos patrẽ habemus Abraã*.
Qui olim domus Dei dicti sunt, tunc gehennæ flamma
concremabit. Vnde nõ immerito de vtrisq; sequitur, [*Do-
minus iudicabit fines terræ.*] Quod quamuis iuxta historiã
possit intelligi, quia ipse iudicabit omnes fines terræ. Iux- E
ta quod per Psalmistam dicitur: *Quia in manu eius omnes
fines terræ*, videlicet sua potestate cuncta decernens, tamẽ
de futuro (vt diximus) accipitur iudicio vbi iusta retribu-
tio futura est à domino super filios Adę vbi iuxta Apost. Ps.94.
*Omnes oportet præsẽtari ante tribunal ipsius, vt reddat vnus- 2.Cor.5.
quisq; rationẽ pro vt gessit se. Vnde & Psalmista: Reddet vni- Ps.61.
cuiq; secũdũ opera sua:* Tunc scil. quando congregabuntur Matt.25. Psal.9.
ante eũ omnes gentes & segregabit omnes ab inuicẽ, tã-
quã segregat pastor oues ab hœdis. Hinc per Proph. di-
citur, *Parauit in iudicio thronũ suũ, & ipse iudicabit orbem
terræ in æquitate, iudicabit populos in iustitia*, Ipse vtiq; do-
minus Christus qui aduersarios suos, ac eorum iniustitiã,
hic patiendo pertulit, ibi impiis veraciter dicitur de-
monstrare iustitiam. Orbem terræ, sanctos viros de-
bemus accipere, qui de vniuersali Eccl. quasi de coronæ
circulo cõgregantur. Isti in æquitate iudicandi sunt, quib.
propter fidei & humilitatis suæ bonũ, misericordia co-
piosa præstabitur, qui audituri sunt. *Venite benedicti patris* F
mei, possidete parat &c. Populi autẽ debent accipi peccato- Matt.25.
res, qui operibus diabolicis non videntur exuti: isti cum
iustitia iudicandi sunt, quia pro factorum suorum scelere
damnabuntur, quibus dicendũ est, Ite maledicti in ignem
æternum. Sic duobus nominibus æquitatis & iusti-
tiæ, qualitatem illam iudicij, mirabili breuitate de-
scripsit. In quo iudicio (vt diximus) iniqui Iudæi acrius
damnabuntur, quia Dominus iudicabit fines terræ. Cæte-
rum quantum ad moralem pertinet intelligẽtiã fines ter-
ræ extrema hominum atq; intentiones designantur, quæ
dominus iudicare dicitur, Ipse quidẽ pius cõditor noster
facturam suam non deserens, mala hominum & per suam
patientiam tolerat, & per eorum quandoq; cõuersionẽ re-
laxat. Cum duras atque insensibiles mentes respicit, mo-
do eas minis, modo verberib. modo reuelationib. terret, vt
quæ pessima securitate duruerant, salubri timore molles-
cant. Scit enim dominus, quia extrema vitæ nostræ, plus
iudicat: & idcirco electos suos in fine solicitius purgat.
Hinc est quod hic scriptum est: *Dominus iudicabit fines* G
terræ, quia tanto vltimis nostris inuigilat, quanto in ipsis
initia sequentis pensat. Et quia nostra opera atq; intẽtio-
nes diuersis modis sicut (dictum est) in extremitate exa-
minat, bene dictũ est, *Dominus iudicabit fines terræ* id est,
extrema hominis, quoniam non inde iudicabuntur, quæ
in melius vel in deterius medio tempore cõmutantur, sed
in quib. extremis inuentus fuerit qui iudicabitur. Sequi-
tur, [*Et dabit imperiũ regi suo.*] Dominus dat imperiũ regi
suo, quia Deus pater vbiq; potestatem dedit vnigenito fi-
lio suo: iuxta quod Dan. in visione sua loquitur, dicẽs: *As-* Dan.7.
*piciebã in visione noctis, & ecce cũ nubib. cæli, quasi filius ho-
minis venit, & vsq; ad antiquũ dierũ peruenit, & in cõspectu
eius obtulerunt eũ, & dedit ei potestatẽ, & honorẽ, & regnũ
& omnes populi, trib. & linguæ, ipsi seruiẽt. Potestas eius po-
testas æterna, quæ nõ auferetur, & regnũ eius regnũ sempi-
ternũ, quod nõ corrũpetur*. Hoc est quod Apost. ait: *Qui cũ
in forma Dei esset, nõ rapinã arbitratus est, esse se æquale Deo
sed semetipsũ exinaniuit, formã serui accipiẽs, in similitudi-
nẽ hominũ factus, & habitu inuentus vt homo humiliauit se-* H
*metipsũ, factus est obediens vsq; ad mortẽ, mortem autẽ cru-
cis: Propter quod & Deus illũ exaltauit, & donauit illi nomẽ* Philip.2.
*quod est super omne nomẽ, vt in nomine Iesu omne genu fle-
ctatur* & reliqua. Hinc Isaias ait: *Multiplicabitur eius im-
periũ, & pacis nõ erit finis. Super soliũ Dauid, & super re-
gnũ eius sedebit*. Hinc Ang. ad Mariam ait: *Dabit illi Do-
minus Deus sedẽ Dauid patris sui, & regnabit in domo Ia-
cob in æternũ, & regni eius nõ erit finis*. De quo etiã bene
ait [*& dabit imperium regi suo*] ipsi videlicet Christo cui Isa.9.
tradidit pater omnia in manus: seu dabit regi suo imperiũ Luc.1.
hoc est populo Christiano. Dat eis virtutẽ, quia super car- Mich.4.
nẽ, sicut reges, regnãt: & in illo, qui propter eos fudit sã-
guinẽ suũ mũdũ vincũt, [*Et sublimabit cornu Christi sui.*]
Quid per cornu Christi, nisi firmissimã ac celsam poten-
tiam suam debemus intelligere, quæ cuncta supereminet
de ipso namque Zacharias loquitur, dicens; *Erexit cornu
salutis nobis*. ossa siquidem omnia, carne inuoluta sunt;
cornu excedit carnem, & ideo cornu saluris regnum sal-

A uatoris Christi vocatur, quod cuncta gaudia huius sæculi superat, in cuius significatione, Dauid vel Salomon, (Luc. 1.) cornu olei sunt in regni gloriam consecrati. Verũ, vt quibusdam placet, per imperium quod à patre filius accepit, specialiter Ecclesia tantummodo designatur. De quo per Psalmistam pater loquitur, dicens. (Psal. 2.) *Postula à me & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* (Ioan. 5.) (Psal. 2.) Cuius terminos indicat, sicut superius dictum est. [*Dominus iudicabit fines terræ.*] *Pater non iudicat quenquam*, (inquit in euangelio) *sed omne iudicium dedit filio.* Et illud. *Potestatem dedit ei facere iudicium, quia filius hominis est.* De quo etiam alibi ipse filius dicit: *Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum eius.* De quo etiam imperio annectit, dicens: [*& sublimabit cornu Christi sui.*] Hoc ad corpus eius, quod est Ecclesia referri volunt. Omnes quippe vnctos eius chrismate recte Christos possumus dicere, quod tamen eorum cum suo capite, corpus, vnus est Christus. Cuius Christi B regnum, id est corporis sui, ipse filius sublimauit, quantum vbique dilatauit, & in fide firmiter stabiliuit, & regna mundi confregit, & superari ea fecit. Iuxtà quid per Psalmistam ait: *& omnia cornua peccatorum confringam* id est regna: *& exaltabuntur cornua iusti.* Corona iusti, regnum est populi electi. His (quanquam impolite, vt intelligere potuimus, & mihi tradita fuerant, inculcauimus qualiter Anna de Christo, atque de Ecclesia gentium, & repulsione synagogæ prophetauerat) expletis, Domino fauente, ad alia tandem stylum vertere conamur. [*Interea Samuel erat ministrans in templo Domini accinctus ephod*, hoc est superhumerali lineo, quod distat ab illo ephod, quo induebatur pontifex, ex quatuor coloribus & concessum minoribus gradibus erat, ad vtendum. [*Et* (1 Cor. 3.) *tunicam paruam faciebat ei mater sua*, & reliqua] Tunica enim parua quam faciebat ei mater, significat doctrinã facilem, qua induendi sunt rudes animi credentium: qualibus Paulus dicit: *Lac vobis potum dedi*, & reliqua Super- C humerale vero lineum, significat castitatem & continentiã cum bonis operibus. Quia quisquis diuino ministerio fungi appetit necesse est, vt primũ caste continenterque viuat, ac sic in bonis operibus semetipsum exerceat. [*Porro filij Heli, & filij Belial, nescientes Dominũ neque officiũ sacerdotũ ad populũ sed quicunque immolasset victimã, veniebat puer sacerdotis dum coquerẽtur carnes, & habebat fuscinulã tridentẽ in manu sua, & mittebat eam in lebetẽ, vel in caldariã*, & reliqua vsquequo ait, [*Erat ergo peccatũ puerorũ grande nimis corã Domino, quia detrahebãt omnes sacrificio Domini*] Hic enim nihil aliud iuxta anagogẽ dicere possumus nisi secundũ moralẽ intelligentiam, quã solers sapientiũ doctrina ethicam vocat, qualiter molti per appetitũ gulæ, & mucrone concupiscẽtiæ pereunt. Quorũ qualitates vt liquidius lector cognoscere possit quinque modos diuinarũ scripturarum authoritate fieri describere conabimur, sicut Papa Greg. etiã suis dictis asseruit. Aliquando nãq; indigentiæ tẽpora præuenit, aliquando vero tẽpus nõ præuenit, sed cibos lautiores quærit. Aliquando D quælibet, quæ sumẽda sunt, præparari, accuratius expetit. Aliquãdo autẽ qualitate ciborũ, tẽpori cõgruit, sed in ipsa quãtitate sumendi, mensurã refectionis excedit. Nonnunquã vero abiectum est quod desiderat, & tamen ipso æstu immensi desiderij deterius peccat. Mortis quippe sententiã patris ore Ionathã meruit, qui in gustu mellis constitutũ edendi tẽpus antecessit. Ex Ægypto populus eductus in eremo occubuit, quia despecto mãna, cibos carnium petiit, quos lautiores putauit. Et prima (sicut hic textus historiæ edocet) filiorũ Heli culpa suborta est, quod ex eorũ voto sacerdotis puer, nõ antiquo more coctas, vellet de sacrificio & carnes accipere, sed crudas quæreret, quas accuratius exhiberet. Et cũ ad Hierusalẽ dicitur: (Ezech. 17.) *Hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ, superbia, saturitas panis, & abũdãtia aquæ.* Aperte ostenditur, quod idcirco salutẽ perdidit, quia cũ superbiæ vitio mensurã moderatæ refectionis excessit. Et primogenitorũ gloriam Esau amisit quia magno æstu desiderij, vilẽ cibũ, id est lenticulam concupiuit. Quam cũ venditis etiã primogenitis prætulit, quo in illã appetitu anhelaret, indicauit. Neq; enim cibus, sed appetitus in vitio est. Vnde & lautiores cibos plerumq; sine culpa sumimus, & abiectiores nõ sine reatu cõscientiæ degustamus. B Hic quippe (quẽ diximus) Esau, primatũ per lẽticulã perdidit, & Elias in eremo virtutẽ corporis carnes edẽdo seruauit. Vnde & antiquus hostis quia nõ cibũ, sed cibi cõcupiscentiã esse causam damnationis intellexit: & primũ sibi hominẽ, non carne, sed pomo subdidit: & secundum non carne, sed pane tentauit. Hinc est quod plerũq; Adæ culpa cõmittitur etiã cũ abiecta & vilia sumuntur, neq; enim Adã solus, vt à vetito se pomo suspẽderet præceptũ prohibitionis accepit. Nã cũ alimẽta quædã saluti nostræ Deus cõtraria indicat, ab his nos quasi per sentẽtiã vetat. Et cũ cõcupiscẽtes noxia attingimus profecto quod aliud quã vetita degustamus? Ea itaq; sumẽda sunt, quæ naturæ necessitas quærit, & non quæ edendi libido suggerit. Nã, si quis voluptatibus gulæ inefrenate deseruire studuerit, ad foueã vitiorũ grauius prolabitur. Et etiã ab statu rectitudinis cadẽs, ad mortẽ animæ pertrahitur, & bonum quod F videtur habere amittit. Quod de his filiis Heli in sequẽtibus demonstratur, qui propter libidinem gulæ ad maius peccatũ sui cumulandũ peruenerunt, vt dormirent cum mulieribus & transgredi facerent populũ Domini. Vnde nõ solũ à sacerdotio electi sunt, sed etiam morte mulctati. Nã sequitur [*Heli autẽ senex erat valde, & audiuit omnia quæ faciebãt filij sui vniuerso Israeli, & quomodo dormiebãt cũ mulierib. &c.*] Quanquã simpliciter nonulli super adulterio intelligi velint, vt Iosephus quoq; dicit mulieribus religionis causa cõuenientib. cõtumelias inferebant. Aliis quidẽ violentias facientes aliis vero persuadentes donis. Nihilq; eorũ vita à tyrannide pessima deferebat, quod & nostri doctores asserũt, tamen dormisse eos dicũt Hebræi cũ mulierib. quæ obseruabant ad ostium tabernaculi eo quod post menstrui tẽpus aut partus, nõ impleto secũdũ legis præceptũ sacrificio, suadebãt eis ad viros suos redire eisq; adcõmisceri. Et dormire ideo dicuntur quia eas dormire cũ viris suis, cõtra legis præceptũ faciebãt. Vnde idẽ G Heli post paulũ ait: [*Nõ est enim bona fama quã ego audio vt transgredi faciatis populũ Domini.*] Transgressionẽ ergo populus faciebat, quia sacrificio nõ rite peracto, vxoribus suis iungebatur. Sicut enim extorquebãt carnes ab immolante, ita etiã extorquebant sacrificiũ ab offerente. Et idcirco sicut in offerendis carnibus faciebant homines detrahere sacrificio Domini, ita quoq; nihilo minus in coniungẽdis vxorib. transgredi faciebant populũ. Quã intelligentiã siquis sequi voluerit, suo iudicio derelinquimus, nos priorẽ magis sequi decernimus. [*Si peccauerit vir in virũ, placari ei potest Deus, si autẽ in Deũ peccauerit vir, quis orabit pro eo?*] Non igitur eo modo in virum, quo in Deum peccatur: quia in virũ peccare peccatum qualecũq; est leuiorq; remissio. In Deum vero peccare id est ab eius cultu recedere, impietatis pecc. est, difficiliorq; remissio. Et quoniã cũ in virũ quis peccat, placato sibi viro, facit sibi Deum placabilẽ: in Deum autẽ cũ quis peccat, quis orabit pro eo? Ac si dicatur: Per quẽ, Deum sibi in quẽ peccauit propitiũ facere poterunt. Tamẽ nõ ita intelligendũ est, H quod nulla venia sperãda sit iis, qui in diuino officio aliquid deliquerint etiãsi digne pœnitentiã gerant, sed quod difficilior sit venia & maior agenda pœnitentia iis qui in rebus Deo sacratis offendunt, quã qui proximũ suũ in verbo vel in facto aliquid læserit. Quia quãto maior gloria, tanto grauior sit offensa. Hic notãdũ est siquidẽ quia præsulibus ac omnibus qui præsunt populo Christiano, cõsiderandũ est subtilius, qualiter filij Heli diuina sacrificia temerãtes peccabant corã domino, & detrahebant per eos multi sacrificiũ Dñi, vnde & Heli sacerdos per eorũ iniquitatem dãnatus est, quod eos peccãtes minus seuera animaduersione flectebat. Et quidẽ coërcuit, & quidem corripuit, sed lenitate & mansuetudine patris, nõ seueritate & autoritate põtificis: qua sentẽtia discant sacerdotes (vt dicere cœpimus) quod nõ debeant propter vllos humanos fauores, aut cõmoda terrena iis quibus præsunt, in peccatis quibus peccant in Deum non solum assentire & blandiri, sed nec lenitate, aut mansuetudine, imo dura ac seuera increpatione corrigere & emendare: Ne si tacuerint peccata filiorum id est scelera populorum, ipsi

pereant qui correcti non fuerant, & qui præsunt, pariter cum eis puniantur. Quod quamuis sancti sunt culpa tamen subditorum propter silentium & mollitiem inuectionis, si non coerceant, eis reputabitur. E regione namque si iuxta modum culpæ, dura inuectione increpare studuerint, & antidoto suæ prædicationia, vulnera peccatorum curare non neglexerint, coronam æternæ mercedis sciant se esse percepturos. Scriptum namque est: *Qui conuerti fecerit peccatorem ab errore via suæ, saluabit animam eius a morte, & operiet multitudinem peccatorum.* Denique in veteri testamento legimus, quod Phinees sacerdos zelatus, vt furorem Domini placaret, peccantes coram populo pugione transfixit, & propterea & nomen & sacerdotium æternum sibi promeruit. Quod quia Heli animaduersione in filios peccatum vindicare noluit, non solum sacerdotium perdidit, sed etiam morte mulctatus est. (sicut diximus) & sacra historia in sequentibus manifestissime ostendit. Nam sequitur, [*Venit enim quidam propheta domini ad Heli sacerdotem, & dixit ei hæc dicit dominus. Numquid non aperte reuelatus sum domui patris tui, cum esset in Ægypto;*] Domum principis sui Aaron dicit de cuius stirpe successit in sacerdotium, Cui se reuelatum dominus dicit quando ait in Ægypto vade in occursum Moysi in desertum. Hic primum reuelatus fuit ei Dominus, atque ad obedientiam destinauit, & postea non solum ipse, sed etiam omnes tribus in sacerdotem elegerunt. Vnde dicitur, [*Et elegi eum ex omnibus tribubus Israël mihi in sacerdotem, vt ascenderet ad altare meum: & adoleret mihi incensum, & portaret ephod coram me. Et dedi domui patris tui omnia de sacrificiis filiorum Israël. Quare calce abiecistis victimam meã & munera mea qua præcepi vt offerrentur in templo & magis honorasti filios tuos quam me, vt comederetis primitias omnis sacrificij populi mei Israël? propterea ait Dominus Deus Israël: Loquens locutus sum, vt domus tua & domus patris tui, ministraret in conspectu meo, vsque in sempiternum. Nunc autem dicit dominus: Absit hoc à me. Sed quicunque glorificauerit me, glorificabo eum. Qui autem contemnunt me erunt ignobiles. Ecce dies veniunt & præcidam brachium tuum domus patris tui*] Id est dignitatem & robur sacerdotij & summum sacerdotem. Vnde & dicitur: [*vt non senex in domo tua.*] Id est, sacerdos magnos: *Et vide brachium æmulum tuum.*] Æmulus domus Heli Sadoch extitit, qui reiecto Abiatha à Salomone sacerdotium suscepit: quamquam de Samu. velint intelligi, sicut in Malachim legitur. Proiecitque Salomon Abiathar ne esset Sacerdos Domini, vt impleretur verbum Domini quod locutus est super domum Heli. [*Verumtamen non auferam penitus virum ex te ab altari meo, sed vt deficiant oculi tui, & tabescat anima tua.*] Ideo Dominus non penitus ablaturum virum ex domo Heli ab altari suo dicit vt semper de domo Heli esset in domo Domini vir qui in dignitate sacerdotij alium substitutum & se eadem dignitate priuatum videns, eius oculi deficerent & anima tabesceret præ nimietate mœroris. Mystice hæc prophetia de mutatione sacerdotij, non est in Samuele completa, sed in Domino IESV CHRISTO extitit adumbrata. Nam post Samuelem prophetam, postea sacerdotes fuerunt de genere Aaron, sicut Sadoch & Abiatar, regnante Dauid, & alij deinceps: antequam tempus veniret ex quo ista de sacerdotio mutando, per Christum effici oportebat Nam cum diceret,] *Loquens locutus sum, vt domus tua & domus patris tui*, Id est, Aaron, qui primus sacerdos est institutus de cuius progenie cæteri sequerentur, [*ministraret in conspectu meo vsque in sempiternum. Nunc autem dicit Dominus: Absit hoc à me. Sed quicunque glorificauerit me glorifico eum. Qui autem contemnunt me erunt ignobiles.* Ecce isti sunt dies qui prænuntiati sunt, iam enim venerunt nullus enim sacerdos est. secundum ordinem Aaron. Et quicunque ex eius genere est homo cum videt sacerdotium uno sacrificium Christianorum toto orbe pollere & se abiectum, deficiunt oculi eius, & anima eius defluit, præ nimietate mœroris. Vnde & sequitur, [*Et suscitabo mihi sacerdotem fidelem secundum cor meum.*] Quod ait Propheta ad Heli loquens ex persona Dei, [*Et suscitabo mihi Sacerdotem fidelem, qui iuxta cor meum & animam meam faciet, & ædificabo ei domũ fidelem, & ambulabit coram Christo meo cunctis diebus.* E Sub figura Samuelis de Domino Saluatore, summo videlicet ac vero pontifice debet intelligi. Quia nimirum sicut Samuel defuncto, Heli successit in sacerdotium, non de stirpe Aaron sed de alia Leui familia electus. Fuit enim filius Elcana, filij Ierobam, filij Eliu, filij Thau, filij Suph, filij Elcana, filij Ioël, filij Azariæ, filij Sophoniæ, filij Taath, filij Aser, filij Asaph, filij Core, filij Isaar, filij Caath, filij Leui, filij Israël, vt verba dierum narrant ita mediator Dei & hominum, vt esset nobis Pontifex non de Leui, sed de alia vtique tribu, id est, Ioda carnem sumpsit. Aliamque legaliter hostiam ipsam suam carnem obtulit patri pro nobis. Aliosque de genere Aaron s.Pa.6. pontificatus sui reliquit hæredes filios videlicet gratiæ Noui Testamenti: non tantum ex Iudæis sed de vniuersa gentium natione collectos. Quod vere quasi humano more loquens Deus dicit: qui iuxta cor meum & ani- F main mam faciet. De Samuele quidem recte potest intelligi omnibus eius voluntati sicut homo Dei, Deo paruerit. De Domino autem Saluatore potest etiam accipi altius: quia sicut filios vnigenitos paternorum in omnibus sit conscius arcanorum, iuxta quod de seipso manifeste testatur, dicens: *Et à me ipso facio nihil sed sicut docuit* Ioan.6. *me pater, hæc loquor.* Et qui me misit, mecum est, & non reliquit me solum: quia quæ placita sunt ei, facio semper. Cui domum fidelem ædificat pater, quæ domus sumus nos, si fiduciam & gloriam spei vsque in finem, firmam retineamus. Et hæc domus ambulabit coram Christo eius, ipso videlicet summo Pontifice, cunctis diebus quia nimirum vsque ad finem seculi, suorum augmentatione membrorum Ecclesia sancta proficere nunquam cessabit: alioquin quomodo de Samuele potest accipi, quod ædificata sit ei domus fidelis quæ coram Christo Domini, id est, ipso Samuele cunctis incederet diebus. Cum legamus in sequentibus quod filij illius auersi de viis eius post auaritiam declinauerunt, & peruerterint iudicium, nisi forte domus eius hoc loco plebem Israëli- G litieam intelligamus, quæ cunctis diebus sacerdotij eius Domino seruierit? De qua scriptum est: *Et requieuit om-* 1.Reg. *nis Israel post Dominum.* Et paulo post: *Abstulerunt ergo* 7. *filij Israël Baalin & Astaroth, & seruierunt domino soli.* Quod vero subditur.] *Futurum est autem vt quicunque re-* Rom.11. *manserit in domo tua, vt oretur pro eo & offerat nummum argenteum & tortam panis.*] Non proprie de domo dicitur huius Heli, sed illius Aaron, de quo genere etiam huc usque non desunt, qui veniant & conuertantur. De quibus dicitur: *Reliquia secundum electionem gratia salua facta sunt.* De talibus enim reliquiis bene intelligitur quod dicitur, [*qui remanserit in domo tua, veniet vt oretur, pro* Rom. *eo,*] profecto qui credit in Christum sicut & temporibus Apostolorum, & in præsenti tempore aliquantum solet impleri, & in fine mundi perfecte complebitur. Nam & si pauci tamen aliqui quotidie ex Iudæorum non tantum ex plebe sed ex sacerdotali stirpe ad Ecclesiam confugiunt. *Et cum intrauerit plenitudo gentium, tunc omnis* H *Israel saluus fiet.* Quicunque autem ex his saluandus est, ipse enim qui remansurus esse dicitur, in domo pereunte Sacerdotis Heli necesse est ad Ecclesiam confugiat: & offerat pro se Sacerdoti Christiano, nummum confessionis Dei deuote quæ in symbolo continetur: breuem quidem verbo, sed virtute præcipuam. Constat argento claritatem verbi cælestis, sicut splendorẽ sapientiæ spiritualis, auro sæpe designari. Offerat & panem sacrificij salutaris abiectis carnibus legalium victimarum dicatone. [*Dimitte me obsecro ad vnam partem Sacerdotalem,*] Id 1.Pet.1. est, ad ipsam plebem Christo Sacerdote praeclaram. Cui Petrus ait: *Vos enim genus electum, regale sacerdotium.* Ioan.6. Quod autem addit, *vt comedam bucellam panis.*] Etiam ipsum sacrificij genus eleganter expressit. De quo dicit Sacerdos ipse: Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Quia enim dixerat superius, dedisse cibos domui Aaron de victimis veteris testamenti, qui fuerant sacrificia Iudæorum, ideo hic dixit postulandum ad co-

A medendum bucellam panis, quod est de Nouo Testamento sacrificium Christianorum.

CAP. III.

P*Ver autem Samuel ministrabat Domino coram Heli, & sermo Domini erat pretiosus.*] Bene ait, [*& sermo Domini erat pretiosus.*] Pretiosus namque dicitur, quia perrarus erat, & per Prophetam raro fiebat. Omne enim quod rarum est, pretiosum est, quia amplius desideratur. Iohan. 4. Vnde & subiungitur, [*In diebus illis non erat visio manifesta.*] Quia videlicet prophetia non plena manifestabatur. Propter peccata enim populi, & eorum qui præfuerunt populo, iam non manifestabantur visiones, sicut patribus eorum. Ecce iuxta historiam. Cæterum iuxta spiritualem intelligentiam bene dicitur. *Puer autem Samuel ministrabat domino coram Heli.*] Quia vnigenitus filius Dei patris; quem per Samuelem significari diximus, qui interpretatur nomen eius Deus, in omnibus B Exod. 27. voluntatem patris apparens, in carne, exhibuit. Sicut ipse ait: Non veni facere voluntatem meam, sed eius qui misit me. Vnde bene agitur, *coram Heli,*] quia sacerdotium Iudæorum mox noluit destruere, antequam verum sacerdotium appareret, vnde & subiungitur: [*& sermo eius erat pretiosus*] quia prædicatio eius fidelibus Esa. 1. amabilis atque pretiosa erat, infidelibus vero despecta. De quibus per significationem subiungitur. [*Factum est ergo in die quadam, Heli iacebat in loco suo, & oculi eius caligauerant, nec poterat videre lucernam Dei antequam extingueretur.*] Præ nimia senectute oculi eius caliganetant, nec poterat videre lucernam Dei: cum arderet in tabernaculo antequam lux diurna fieret, quando eadem extinguenda erat lucerna, sicut per Moysen præcipitur, vt eadem lucerna luceret vsque mane: legibus Exo. Sine hoc significat quod in cæcitate sua ipse Heli permaneret, donec funditus cum prole sua extingueretur, hoc est, vita careret corporali. Mystice autem cæcitas Heli, C significat cæcitatem cordis Iudæorum. Lucerna quippe Dei Dominus noster intelligendus est. Scimus enim quia in lucerna testa exterius, & lumen interius est. Ipse namque per prophetam dicit: *Exaruit velut testa virtus mea.* Quid per testam, nisi corpus ipsius accipitur? in qua testa, lumen diuinitatis extitit, & flamma virtutum atque miraculorum effulsit, Cuius vtique virtutes atque miracula, principes seu sacerdotes Iudæorum, dum credere contempserunt, veritatis lumen in eis extinctum est. Et bene ait [*antequam extingueretur*] quia nec fulgore miraculorum, quæ ab eo fulgebant, intelligere, nec doctrinam eius corde intento capere potuerunt, donec ipsum sacerdotium simul cum templo & populo funditus euerteretur. De quibus etiam adhuc in persona Heli dicitur: [*Idcirco iuraui domui Heli, quod non expietur iniquitas domus eius, victimis & muneribus vsque in æternum.*] Quia peccatum sacerdotum Iudæorum quod in Christo admiserunt videlicet quia non solum contempserunt, sed etiam crucifixerunt, victimis atque sacrifi- D ciis legalibus, vsqoe in sempiternum expiari noo potest. [*Samuel autem dormiebat in templo domini, vbi erat arca Dei. Et vocauit dominus Samuel. Qui respondens, ait: Ecce ego*: & reliqua vsquequo ait. *Porro Samuel needum sciebat dominum, neque reuelatus fuerat ei sermo domini.* Quod] ter dominus Samuelem vocauit, præfigurabatur quod ipse puer futurus erat propheta, dux, & sacerdos. Nescire dominum dicitur Samuel, quia prophetiæ mysterium needum ei vel sermo domini reuelatus fuerat. Nam communiter vt cæteri sciebat. [*Dixitque dominus ad Samuel: Ecce ego facio verbum in Israël quod quicunque audierit, tinnient ambæ aures eius.*] Hoc in loco comminatio Dei est super Heli, & super domum eius: eo quod io peccato filiorum Heli arca Dei caperetur, & Israël rueret, & eius filij interirent, & domus Heli sacerdotio domus domini priuaretur. Et ob id factum, audientium aures tinnirent stupore vehementi. [*Creuit autem Samuel, & dominus erat cum eo, & non cecidit ex omnibus verbis eius in terram.*] Quod dictum est de E Samuele, postquam verba diuini oraculi, quæ nocte acceperat, mane Heli retulit. [*& non cecidit ex omnibus verbis eius in terram.*] significat, quia nihil ex his quæ locutus est, irritum fuit, sed omnia sunt rebus completa quæ dixit. Cadunt namque in terram verba supernacua, quæ pro nihilo habenda, & vniuersorum sunt calcanda despectu. Sic & B. Iob dixit: *Et lux vultus mei non cadebat in terram.* Iob. 29. Quia nimirum in tanta grauitate vultum tenere consueuerat, vt nunquam contemptibili lætitia solueretur. Sed quotiescunque hilariorem se præsentibus exhiberet certa semper hoc causa vtilitatis eorum faceret. De quo & annectitur, [*Et cognouit vniuersus Israël, à Dan vsque Bersabee, quod fidelis Samuel propheta esset domini*] Per terminos terræ Iudææ descriptos, vniuersitatem plebis pariter comprehendit. Dan viculus est in quarto miliario à Paneade euntibus Tyrum qui vsque hodie terminus est Iudææ prouinciæ contra septentrionem. De quo & Iordanis flumen erumpens à loco sortitus est nomen. Bersabee similiter vicus est in F tribu Iudæ in tricesimo ab Hebron miliario, vergens ad austrum. *Et euenit sermo Samuelis vniuerso Israëli.* Sermo enim eius fuit ad vniuersum Israël, quod percutiendi essent à Philistæis propter peccata filiorum Heli. Et hoc ex diuina reuelatione clarescebat sibi fuisse reuelatum, sicut rei probauit euentus, & ideo verus propheta pr ædicabant.

CAP. IV.

E*Gressus est namque Israel obuiam Philistim in prælium & castrametatus est iuxta lapidem adiutorij; Porro Philistim venerant in Aphec, & instruxerunt aciem contra Israel. Inito autem certamine, terga vertit Israel Philistiam, & cæsa sunt in illo certamine passim per agros, quasi quatuor millia virorum.*] Patet iuxta literam sensus, quia ista propter peccata filiorum Heli, perpessi sunt filij Israël. Vnde bene Aphec furor nouus, siue apprehendens interpretatur, quod merito conuenit rebus gestis. G Qui enim iram domini meruerunt ab hostibus apprehensi sunt. Verum iuxta anagogen quid significet, breuiter enucleandum est. Porro Israel (qui interpretatur vir videns Deum siue fortis cum Deo) significat credentes in Deum, Philistim vero (qui interpretantur cadentes poculo) immundos significant spiritus, qui poculo superbiæ inebriati, & ipsi de cœlestibus ceciderunt, & multos quotidie hominum peruertere festinant, poculo suo malitiæ. Contra quos Israël, fideles scilicet, ne victi immundis spiritibus cedant, sed vt superare possint, iuxta lapidem adiutorij castrametantur. Lapis enim adiutorij, legem significat Christi, vbi lapis verus Christus inuenitur, de quo scriptum est: *Lapidem quem reprobauerunt ædificantes* &c. Math. 7. Ps. 117. Iuxta quem morantur fideles, vt Christum inuenire possint, ac dicere, *Et nobis in lapidem adiutorij; & in petram refugij.* Ps. 123. Et illud: *Adiutorium nostrum in nomine domini.* Sed dum ipsi iuxta lapidem versantur id est, meditantur in lege domini die ac nocte, vt saluatorem amplius iouenire valeant adiu- H torem. Philistim in Aphec veniunt, & aciem contra Israël instruunt. Aphec quippe furor nouus interpretatur. Et bene furor nouus interpretatur, quia quo amplius fideles immundi spiritus diuinis legibus insistere conspiciunt, & spem suam in Christum collocare, eo acriora ac noua certamina falle suæ malitiæ abacti construere non cessant. Vnde multos qui in suis virtutibus confidunt, & in humana sapientia gloriantur, aut legem (prout Iudæi sentiunt) carnaliter accipere cupiunt, & gratiam Euangelij contemnere noo metuunt, immundi spiritus facile prosternunt. Nam sequitur, [*Inito autem certamine terga vertit Israël Philistiam, & cæsa sunt in illo certamine passim per agros, quasi quatuor millia virorum.*] Quatuor enim illa millia virorum in certamine Philistinorum quo congressi sunt filij Israël, videlicet credentes ex primitiua Ecclesia, perierunt, illi intelliguntur qui quatuor Euangelia recipere noluerunt, *Misit ergo populus in Silo, & tulerunt inde arcam fœderis domini*

A *exercituum, sedentis super Cherubin. Et cognouerunt Phili-*
stim quod arca Domini venisset in castra timueruntque di-
centes: Venit Deus in castric. Arca enim quam filij Israël
de Silo in prælium tulerunt, duo testamenta significat,
quæ fideles ea Iudaico populo ad gẽtes trãstulerunt. Quæ
bene dicitur [*Domini exercituũ sedentis super Cherubim.*]
Cherubim nanq; plenitudo scientiæ interpretatur, quæ in
duobus testamentis inuenitur. Quanquam ad Christum
referri possit, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ &
Col. 2. scientiæ reconditi. Quæ Philistim audientes, videlicet
sapientes istius seculi, seu ipsi immundi spiritus (de qui-
bus superius diximus) extremuerunt, scilicet quia cœpe-
runt Apostoli verbis pluere, ex scientia vtriusque testa-
menti miraculis coruscare, & quasi tonitrua intonare,
Act. 2. [*clamore grandi, & personuit terra*] à voce prædicationis,
& crediderunt se superandos. [*Ingemueruntque dicentes:*
Væ nobis, Non enim fuit tanta exultatio heri & nudiuster-
tius. Væ nobis. Quis nos seruabit de manu deorum sublimium
B *istorum? Pugnauerunt ergo Philistim, & cæsus est. Israël, &*
fugit vnusquisque in tabernaculum suum. Et hic enim in
hoc quod ab alienigenis arca capta dicitur, præfigurabat
à gentibus duo testamenta accipienda esse, quæ per arcam
significari diximus. [*Duo quoque filij Heli mortui sunt,*
Ophni & Phinees.] Per Ophni enim qui discalceatus, &
per Phinees qui dicitur os mutum, per quos significari
diximus, longe superius sacerdotium Iudæorum, qui
modo mortui referuntur, ipsius sacerdotij finis intelligi-
tur. Qui bene postquam arca est, mortui referuntur: quia
postquã duo testamenta ad sapientes istius seculi & genti-
les peruenerunt, sacerdotiũ Iudæorũ funditus finem acce-
pit, & exigentibus peccatis exterminatum est, & ipsi Sa-
cerdotes à gentibus interfecti sunt. Hinc ad Iezechielem
Dominus ait: *Et tu fili hominis, sume tibi gladium acutum*
radentem pilos, & assumas eum & duces per caput tuum &
barbam tuam, &c. Quid per gladium acutum, nisi vasta-
tionẽ significat Iudæorũ, quæ sub Vespasiano & Tito fa-
cta est? Quid vero per cæsariem capitis & barbam, nisi
C omnem pulchritudinem & virilitatem eiusdem populi
demonstrat? quæ omnia Iudæi amittentes quique ea ipsis
fame ac pestilentia & gladio remanserunt, sub figura ca-
pillorum in cunctis gentibus quasi in omnem ventum
dispersi sunt. Et vt manifestius iuxta superiorem intelli-
gentiam intelligatur. Dicamus aliter. Ait enim. *Et tu fili*
hominis, sume tibi gladium acutum radentem pilos, &c.
In hoc namque facto iudicium redemptoris exprimitur.
Qui in carne apparens caput rasit, quia Iudaico sacerdo-
tio præceptorum suorum sacramenta abstulit. Vnde per
decisos capillos, Sacramentorum subtilitas: per caput
vero summa sacerdotij designatur. Barbam rasit, quia
regnum Israëliticum deserens, decorem virtutis amputa-
uit. [*Currens autem vir de Beniamin, ait ad Heli: fugit*
Israel coram Philistim, & ruina magna facta est in popu-
lo. Insuper & duo filij tui mortui sunt Ophni & Phinees; &
arca Dei capta est. Cumque ille nominasset arcam Dei, ceci-
dit de sella retrorsum iuxta ostium, & fractis ceruicibus,
mortuus est.] Sicut superius mors filiorum, finem signi-
D ficat sacerdotij Iudæorum ita in hoc loco mors patris
designat Pontificatum Iudæorum irreparabiliter prostra-
tum, sedemque habere vacuam, & gloriam sacerdotij re-
gnique extinctam, sicut superius paulo plenius exemplo
inculcauimus. Et hoc est de sella retrorsum cecidisse &
mortuum esse. Deniqua post extinctum sacerdotium ac
sedem vastatam Pontificatus Iudæorum, carnalis etiam
Synagoga, carnaliter illi adhærens, mox interiit. De
cuius significatione subiungitur. [*Nurus autem eius vxor*
Phinees pregnans erat vicinaque partui. Et audito nuntio
quod capta esset arca Dei, & mortuus esset socer suus & vir
suus, incuruauit se & peperit. Irruerant enim in eam dolo-
res subiti; in ipso autem momento mortis eius dixerunt ei qui
stabant circa eam: Ne timeas, quia filiũ peperisti, &c.] Om-
nia enim ad superiora tendunt. Nam (sicut diximus) nurus
Heli, vxor Phinees, carnalem plebem Iudaicam desi-
gnabat, quæ carnali sacerdotio copulata, cum ipso finem
accepit, siq; diuinitus interiit. Sed notandum est, quia non
antea interiit antequam viuum parturiret. Ita & Synago-
ga Iudæorum ex toto non interiit, antequam viui ex ip- E
sa nascerentur id est ipsa primitiua Ecclesia, quæ ex ipsa
plebe credidit. Vnde & merito consolationem non re-
cipiens ab his quæ consolabatur id est Synagoga despe-
rans ab humilibus credentibus ait: [*Translata est gloria*
de Israel, quia capta est arca Dei.] Hoc est quod Domi-
nus ait: *Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti*
facienti fructus eius. Vnde notandum est, quia puerum vo-
cauit Ichabod. Chabod enim gloria, Ichabod vero, ce-
cidit gloria ad illos refertur qui ex Synagoga non cre- Matth. 21.
dentes prodierunt, qui in decorem & gloriam esse pote-
rant ipsi Synagogæ, si credere in Deum, & eorum præ-
dicationibus voluisset. Et quia hoc agere contempsit,
gloriam eandem amisit: quia prædicatores sancti, eis con-
temptis, ad gentes peruenerunt. Vnde & idem Apostoli
dicunt: *Vobis quidem oportebat primum loqui verbum* Act. 13.
Dei. Sed quia repulistis illud, & indignos vos iudicastis æter-
næ vitæ. Ex hoc ibimus ad gentes. F

CAP. V.

P*Hilistim autem tulerunt arcam Dei, & asportauerunt*
eam à lapide adiutorij in Azotum. Tuleruntque Phili-
stim arcam Dei, & intulerunt eam in templum Dagon, &
statuerunt eam iuxta Dagon.] Lapis adiutorij dicitur lo-
cus ille, in quo posuit Samuel lapidem vnum inter Ma-
sphat & inter Sen. Azotusque & Azot dicitur, est vna
de quinque ciuitatibus Allophilorum, interpretatur au-
tem incendium patris. Et bene incendium patris dicitur,
vbi idolum Dagon consistebat, quia aduentus arcæ Dei
in Azutum incendium erat diaboli patris omnium ini-
micorum. Dagon interpretatur piscis tristitiæ, significat
hostem antiquum, qui in mari istius mundi positus, de-
uorat peccatores. [*Cumque surrexissent diluculo Azotij al-*
tera die, Ecce Dagon iacebat pronus in terra ante arcam
Domini, & reliqua] Iam superius diximus, quod arca
duo significat testamenta. Philistim vero in hoc loco
gentiles præfigurantur. Sed dum arcam ad templum suum G
deferunt, Dagon illorum Deus, corruit, atque duæ pal-
mæ & caput absciduntur. Quid est enim hoc, quod dum
arca iuxta Dagon constituitur, mox in terram prosterni-
tur, nisi statim vt testamenta Dei ad gentes peruenerunt,
confestim idola quæ deceptum possidebant orbem, de-
structa sunt, omnisque error simulacrorum corruit, præ-
sentiam Dei ferre non sustinens. Sed notandum est, quia,
hi qui arcam constituunt iuxta Dagon, vt arca Dei sub-
dita illi fuisset, figuram gesserunt sapientium huius mun-
di, qui testamenta Dei subdere voluerunt sub suorum
scientia. Illi vero qui Dagon restituerunt in locum suum,
figuram gesserunt eorum qui defensores fuerunt idolo-
latriæ cultus. Nam in manibus Dagon præcisis opus ido-
lolatriæ amputatum, in capite vero eius, superbiæ diabo-
li abscisa significabatur, à quo initium peccati fuit. Quod
vero in limine inueniuntur, gestum est, vt scilicet præfi-
nitum suæ idololatriæ finem agnoscerent. Limen enim
finem itineris significat id est consummationem idoli.
Seu limen significat fidem, per quam idololatriæ cultus H
destructus est. Etiam illud pertinet ad magnam significa-
tionem, in ipsa ruina Dagon sui, atque fractura illius,
solum inuenerunt fractis eius omnibus membris dorsum.
Dorsum quippe fugam significat id est abolitionem ido-
lorum. Quicunque enim fugiunt, persequentibus dor-
sum dant. Vnde & de hostibus scriptum est: *Qui pones* Ps. 26.
eos dorsum. Vbi enim sunt idola? perierunt, & si aliqua
sunt remanentia ab aliquibus abscondunt, fugiunt. Nam
sequitur, [*Aggrauata est autem manus Domini super Azo-*
tos, & demolitus est eos, & percussit in secretiori parte na-
tium Azotum & fines eius;] & quatuor reliquas ciuitates.
Hic etiam figura prætenditur. Quod autem percussi sunt
in posteriora, hi qui arcam Dei captiuauerunt, hæc pœ-
na significari videtur, quia si qui susceperint testamen-
tum Dei, & posteriorem vitam dilexerint, ex ipsis &
pro ipsis, iustissime iusto iudicio Dei in posteriora eiicia-
buntur, quæ sicut ait Apostolus, *Existimari debent si-* Phil.
cut stercora. Qui enim sic assumunt testamentum diuinum,

vt

A vt in posteriora respicientes veteri se vanitate non exuant, similes sunt hostibus illis qui arcam testamenti captiuam iuxta idola sua posuerunt. Et illa quidem vetera Isaiæ 40. etiam nolentibus cadunt: quia *omnis caro fœnum, & claritas hominis, vt flos fœni. Aruit fœnum, flos decidit. Arca autem Domini manet in æternum.* Secretum scilicet testamentũ regnumque cælorum vbi est æternum Dei verbũ.

CAP. VI.

F*Vit ergo arca domini in regione Philisthinorum septem mensibus.*] Hoc enim tempus propter vniuersitatem temporum quæ septenario numero discurrit significat testamentum domini vsque ad consummationem seculi in gentibus permansurum. Deinde sequitur: [*Qualiter iusto consilio, quinque anos aureos, iuxta numerum ciuitatum suarum, obtulerunt arca.*] Patet enim literæ sensus sed tamen aliquid significationis habet: quia quosdam B significat qui post idola pœnitentiam gerunt. Illi enim aureos anos atque mures aureos, ad arcam domini offerunt, qui per flagella agnita virtute eius, pro transactis peccatis, & idolorum cultura pœnitudinem gerentes, per veram confessionem Deo gloriam reddunt. Et licet coacti studium vitæ suæ ad meliora conuertunt, cognoscentes se flagella domini atque plagas iuste perpeti à domino. Vnde quinque ciuitates Philistinorum, quinque corporis sensus, id est visum, auditum, gustum, odoratum, & tactum, figuram habuisse non dubium est. Per hos enim, homo, aut bene operando præcepta Dei adimplet, aut praue viuendo diabolo satisfacit. Sequitur: [*Nunc ergo arripite & facite plaustrum nouum & duas vaccas fœtas, quibus non est impositum iugum, iungite plaustro & recludito vitulos earum, Domi. Tolletisque arcam domini & ponetis in plaustrum* & reliqua. Hæc igitur, quanquam historiæ seriem prætermittamus enucleandam, quia luce clarius patet; tamen ne alicui ludus esse videatur, quid significationis gerebat moraliter, ex C sanctorum dictis, non nostra ponentes, pandamus. Quid igitur vaccæ Allophyllorum arcam Dei gestantes, nisi figurã sanctorum ac fidelium renuntiantium seculo præfigurabant? qui nullum delicti iugum traxerunt, neq; vllo parẽtelæ studio à proposito religionis præpediuntur, neque opere sicut per Moysen de talibus dicitur: Deut. 33. *Qui dicunt patri suo & matri nescio vos & nescierunt.* Quid ab eisdem vaccis vehebatur, sacræ Scripturæ prætendebat sacramentum, cui omnes sancti obedientes, dum obtemperant quasi superimpositam arcam domini portant. Plaustrum vero illud in quo arca gestabatur, crucis Christi innuebat mysterium. Vnde & veritas ait. Matt. 16. Marc. 8. *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam & sequatur me.* Sed notandum est, quod eædem vaccæ fœtæ fuisse memorantur, quia sunt qui plerique in via Dei intrinsecus positi foris carnalibus affectibus ligantur, sed non declinant à recto itinere, quia arcam Dei portant in mente. Ecce enim vaccæ Bethsamis pergunt. Bethsamis quippe dicitur domus solis, & pro- D Mal. 4. pheta ait. *Vobis autem qui timetis Deum orietur sol iustitia.* Si igitur ad æterni solis habitationem tendimus, dignum profecto est, vt de Dei itinere pro carnalibus affectibus non declinemus. Tota enim virtute pensandum est, quod vaccæ Dei plaustro suppositæ pergunt & gemunt, dant ab intimis mugitus, & tamen de itinere non deflectunt gressus. Sic nimirum prædicatores sancti, sic fideles quique intra sanctam Ecclesiam debent, vt compatiantur proximis per charitatem, & tamen de via Dei non exorbitent per confessionem. [*Sed & satrapa Philisthiorum sequebantur vsque ad terminos Bethsames. Porro Bethsamita metebant triticum in valle. Et eleuantes oculos suos, viderunt arcam, & gauisi sunt cum vidissent. Et plaustrum venit in agrum Iosue Bethsamita, & stetit ibi. Erant autem ibi lapis magnus. Et occiderunt ligna plaustri*, & reliqua.] Iam enim superius dictum est, quod bethsamis, domus solis interpretaretur. Sed nunc quæ alia potest in hoc loco esse domus solis, nisi sancta Ecclesia, à sole iustitiæ illustrata? Et quid est Bethsamitas in valle frumenta metere, nisi doctores E Ecclesiæ annonam verbi Dei in humilitate tractare. Quis est lapis in agro Iosue, nisi Christus dominus in Ecclesia sua? Ligna vero illa plaustri, ipsius Christi præfigurasse crucis mysterium non dubium est. Vaccas vero super lapidem immolare, est, conuersos sanctos à seculo in Christi imitatione mortificare. [*Hi sunt autem ani aurei, quos reddiderunt Philisthim pro delicto domino. Azotus vnum, Gaza vnum, Ascalon vnum, Beth vnum, Accaron vnum.*] Azotus enim interpretatur *ignis*, Gaza vero *fortitudo eius* siue diuitiæ. Ascalon quippe pondera vel ignis, homicida, Geth torcular, Accaron vero sterilitas vel eradicatio dicitur. Quinque enim ciuitates Palæstinorum quinque corporis sensus à quibusdam intelliguntur. Ex quibus bene Azotus interpretatur *ignis*, illum scilicet significans, quo corda miserorum succenduntur. De quibus scriptum est, *Omnes adulterantes velut clibanus corda eorum*. Et Gaza quæ dicitur fortitudo eius, quia fortes sunt adulterantes in malum: Siue F diuitiæ, de quibus dominus dicit, *Solicitudines diuitiarum suffocant verbum*: accipiuntur in quibus confidunt Ose 7. Mat. 13 iniqui. Et Ascalon quæ ponderata sonat, vel ignis homicida, malitiæ pondus, quo deprimuntur reprobi. De qua dicitur: Iniquitas in talento plumbi sedet, quia iniquitate succensi, vt diuitiis abundare possint, homicidia perpetrant. Vnde Geth iure sequitur, quæ torcular interpretatur: Significat autem tribulationes præsentis vitæ, vbi torquentur electi ac reprobi. Et Accaron vero, quæ sterilitas vel eradicatio dicitur reproborum significat sterilitatem, qui his vitiis insistunt: Et si in his perseuerauerint, eradicabuntur à terra viuentium. Sed hæ quinque ciuitates munera aurea offerunt, quando auro spiritalis intelligentiæ instructi, ab his vitiis per pœnitentiam declinantes; quæ in quinque sensibus corporis admittuntur diuinis testamentis se subdunt. Vnde necesse est vt attendant ad mortem, vbi est tristitia vera & sterilitas perpetua & sic se cohibebunt ab iniquitatibus. Sed quod ait iuxta historiam [*ab vrbe murata vsque ad villam qua erat absque muro & vsque ad Abel* G *magnum super quem posuerunt arcam domini.* Abel magnum ciuitas est in termino Israël Abel magnum idcirco vocatur, cum antea Bethsamis vocata sit, siue propter luctum super viris Bethsamitis ita factum, siue propter distinctionem ciuitatis Abel Bethmacha, de qua exclamauit mulier sapiens ad Ioab, dicens: *Qui interrogant, interrogent in Abela.* 2. Reg. 20. Sic itaque intelligendum est; quod ab vrbe murata vsque ad villam, quæ est absque muro, & vsque ad Abel magnum dederunt mures [*Super quem*], id est, super luctum [*posuerunt arcam domini, qua erat vsque in illam diem in agro Iosue Bethsamitis, & fuit ibi donec in Cariathiarim ducta est. Et percussit de populo septuaginta viros, & quinquaginta millia plebis*, & reliqua vsquequo ait.

CAP. VII.

E*T factum est ex qua die mansit arca domini in Cariathiarim, multiplicati sunt dies. Erat quippe annus* H *vicesimus, & requieuit omnis Israël domus post dominum.*] Quod enim dictum est, quia percussit de populo qui non erant de stirpe Leuitica, septuaginta viros, & quinquaginta millia plebis, pro vna eademque re indifferenter accipitur: Nam & ex vno Græco quod est ἀνὴρ solet vtrumque transferri. Sed in hoc videtur esse distantia, quia in priore commate versiculi, additum est viros. LXX. sunt percussi. De ipsa autem turba vulgari homines L. milia, quod ne pateretur (in Exodo) populus à longe stabat & orabat solus Moyses ascendit ad dominum. Vnde in Hebræo ita habetur, Et percussit de populo LXX. viros, & L. millia viros, hos LXX. viros iudices. LXX. Hebræi intelliguntur, quorum merita & gloria quinquaginta millia viri comparantur: Sicut & de Dauid dicitur, *Quia tu vnus pro decem millibus compararis*, quod dictum est. [*quia ex qua die mansit arca domini Cariathiarim, multiplicati sunt dies: erat quippe*

annus

A *annus vicesimus* & reliqua] Iarim ad octauom vsqoe annum regni Dauid, quando eam congregata populi frequentia, in Ierusalem adduxit, sunt computandi. Inuenitur nanque in sequentibus, quia temporibus Saülis fuerat ablata de hac ciuitate, & allata in castra pugnante eo aduersum Philistæos. Sic etenim scri-(Reg.)ptum est, *Et ait Saul ad Achiam: Applica arcam Dei.* (Erat enim ibi arca Dei in die illa, cũ filiis Israël. (Et quia (Reg.) constat, quod Dauid eam in Ierusalem adduxerit cultam de domo Aminadab, in quam non illata esse perhibetur, restat intelligi, quia in diebus Saulis relata de castris, & in præfata remansit illata ciuitate. Vnde denuo regnante Dauid, afferetur in Ierusalem. Est ergo sensus memoratæ sententiæ, quia ex qua die mansit arca in Cariathatim, erat annus vicesimus cum eam inde transferri temporibus Saül caosa belli contingeret. Deniqoe vicesimo peracto anno, translata est à Samuele in Masphat. Et de Masphat transtulerunt eam, Samuel & Saül in B Galgala. Inde translata est à Saül in Nobee, de Nobee in Gabaa, de Gabaa ad Aiud domum Obededon. Inde transtulit in Sion. De Sion transtulit eam Salomon in Sancta Sanctorum, vel certe vicesimus erat annus, cum adhuc omnis domus Israël quicuisset post Dominum, abiectis idolis videlicet, illi soli seruiens. Quod in sequenti-(Ioseph.)bus dicitur. *Abstulerunt filij Israël Baalim & Astaroth, & seruierunt Domino soli.*] Quod ea facta sit toto tempore præsulatus Samuelis, qui (Iosepho teste) duodecim annis completus est, & primo tempore regni Saül, qui (eodem historico affirmante) viginti annis tenuit, nullus sanctæ historiæ curiosus ignorat. Namque postmodum cum recessisset spiritus Domini à Saule, & agitaret eum spiritus nequam, maxime ad persequendum Dauid innoxium & iustum, necesse erat partem militiæ vel plebis eius nullam, malitiæ illius extitisse complicem. His iuxta historiam prælibatis, quid mystice significet, quod arca venit in Cariathiarim, & intulerunt eam in domum Aminadab in Gabaa & ex qua die mansit ibi C multiplicati sunt dies, enucleare conabimur. Aminadab (Ps. 53.) enim in cuius domum venit arca, pater meus spontaneus interpretatur. Significat populum gentium, cui Dominus pater gratiam testamenti contulit. Qui cum Psalmista dicere potest: *Voluntarie sacrificabo tibi & confitebor no-(Ps. 71. Aug.)mini tuo Domine, quoniam bonum est.* Gabaa vero collis dicitur & animas significat humilium. De quibus dicitur: *Suscipiant montes pacem populo, & colles iustitiam.* Montes enim (Augustino teste) maiores animæ sunt: colles vero minores. Se etiam Gabaa, vbi Eleazar filius Aminadab Sacerdos constituitur, vt custodiat arcam Domini, interpretatur collis, vel sublimitas. Eleazar adiutorium dicitor: & bene qui custodit arcam Domini, adiutorium interpretatur, quia sancti viri quicquid boni habent, non ad se, sed ad Dominum referuntur. Vnde (2.Cor. 3.) Apostolus: *Fiduciam talem habemus per Christum ad Deum, non quod sufficientes simus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est,* & & reliqua. Verum Cariathiarim, quæ interpretatur villa D syluarum, significat sanctam Ecclesiam, ex multitudine gentium collectam. In qua postquam testamentum mansit, multiplicati sunt iusti, qui ab ipso velut dies illuminati sunt. Baalim, habentes, siue ascendentes, aut superiores interpretatur, quem filij Israël proiecerunt pariter cum Astaroth, idola gentium significat, quæ proiecerunt credentes ex gentibus, post susceptionem arcæ testamenti. Seu qui verus Israël est, id est vir videns Deum, aufert à se omnem facturam malignorum spirituum, hoc enim interpretatur Astaroth. Aufert iactantiam atque superbiam & sic seruit Deo soli, (2.Cor. 6.) quia *nulla societas est lucis, ad tenebras, nec vlla conuentio Christi ad Belial.* [*Dixit autem Samuel: Congregate vniuersum Israël in Masphat, vt orem pro vobis Dominum. Et conuenerunt in Masphat, hauseruntque aquam, & effuderũt in conspectu Domini,* & reliqua.] Hic enim si præsumptio non videatur (quia non plenius intelligimus) quid est, quod aquam hauserunt & effuderunt in conspectu domini, quid Hebræorum traditio sentiat, sicut in quibusdam codicibus legimus, inserere nisi sumus. Tra-E dunt enim qood coram domino in eadem aqua, maledicta congesta sint, & sicut in lege mulier zelotypa, hausta aqua probabatur, ita & hic idololatræ, hac aqua probati sunt. Hi videlicet, qui se idola coluisse penitus denegabant. Tradunt etiam, quod quicunque idololatra hanc aquam gustasset, labia eius ita sibi adhærerent, vt nequaquam ea ab inuicem separare posset. Hoc indicio idololatria deprehendebatur, & interficiebatur. Quod & sequentia demonstrant, in eo quod ait: *Iudicauitque Samuel filios Israël in Masphat.*] Iudicare hoc in loco, idololatras secundum legem morti tradere dicit. Dicunt etiam quod hoc modo Moyses idololatras, qui vitulum fecerant, probauerit: quando arripuit vitulum & combussit, contriuitque vsque ad puluerem, & sparsit in aquam, & dedit ex eo potum filiis Israël. Nos iam illorum deliramenta omittentes: (quia vtrum verum sit ignoramus, simpliciter intelligimus, quod tam sancto viro conueniebat, vt plebem sibi commissam, in iustitia & F veritate, & summa prudentia gubernaret. Cæterum quid figura significet intimare breuiter aggredimur. Masphat enim quo congregatus est Israël, vbi & aquam hausit, in conspectu Domini: interpretatur intentio, sanctam significans Ecclesiam, vbi vera est intentio, quæ melius potest per ipsum Masphat intelligi, in vnitate fidei, sub nouo sacerdotio, collectam: aquas lachrymarum hauriens, & per satisfactionem pœnitentiæ, eas in conspectu Domini effundens. Quod autem Samuel Propheta in eodem loco, hoc est in Masphat, populum Israëliticum iudicabat, hoc indicasse videtur, quod, omnis prædicator spiritualis, eos fideles maxime docere studet, quos in intentionem contemplationis atque ad amorem patriæ cælestis, intentos esse perspexerit. [*Et ascenderunt satrapæ Philistinorum ad Israël: Quod cum audissent filij Israël, timuerunt à facie Philistinorum: Dixeruntque ad Samuelem, Ne cesses pro nobis clamare ad Dominum Deum nostrum, vt saluet nos de manu Philistinorum. Tulit autem Samuel agnum lactentem vnum, & obtulit* G *illum holocaustum integrũ Domino.*] Agnus hic in typo oblatis populo Dei victoriam præstitit, quia videlicet per Passionem Christi immundis spiritibus superatis, pax reddita est fidelibus. Vnde & in sacra historia subiungitur, [*Factum est ergo cum offerret holocaustum Domino, Philistim iniere prælium contra Israël. Intonuit autem Dominus fragore magno in die illa super Philistim, & exterruit eos &* reliqua] Tunc enim Dominus fragore magno intonuit, quando per sanctos Apostolos, sonum prædicationis emisit. Iuxta quod scriptum est, *Intonuit* (Ps. 17.) *de cælis Dominus, & altissimus dedit vocem suam.* Sed (Hist.) dum ista intonuit Dominus, exterruit Philistim, & cæsi sunt à filiis Israël. Quia videlicet immundi spiritus, prædicationibus sanctorum cedentes, à facie eorum discesse-(Eccl.) runt, quod plenius in Ecclesiastica historia declaratur. (Ioan.) Vnde Bethchar vbi cæsi sunt, interpretatur domus agnitionis, siue domus agni, (Ecclesiam præfigurauit) illius de quo Iohanoes ait: *Ecce agnus Dei, Ecce qui tollit* H *peccata mundi.* In qua, & à qua Ecclesia, Domino fauente, immundi spiritus superati sunt. Et bene ait, [*persecuti sunt eos vsque ad locum qui erat super Bethchar,*] quæ interpretatur domus agnitionis, quia tandiu prædicatores persecuti sunt, quousque omnis error expurgaretur, & vere Deus agnosceretur. Sequitur: [*Tulit autem Samuel lapidem vnum, & posuit eum inter Masphat & inter Sen, & vocauit nomen eius, Lapis adiutorij, &* reliqua] Lapis enim iste, (quem Samuel inter Masphat, quæ interpretatur intentio: & Sen, quod dicitur dentium, ob signum victoriæ posuit) quem alium nisi Dominum nostrum IESVM CHRISTVM præfigurauit? qui secundum dicta prophetarum inter incorionem veteris testamenti, & Euangelij prædicationem, positus, fidelibus suis, contra aduersarias potestates, dimicantibus auxilium præstat. Ipse enim præfigurabatur in lapide, propter firmitatem: ipse significabatur in agno, propter innocentiam: siue, quia pro nobis est immolatus. Quod autem ait, [*hucusque auxiliatus est nobis dominus.*] Ostendit, quia quicun-

A que hos terminos transcendunt, (sicut hæretici) auxilium Dei non merentur. Quod autem ait, [*erat pax inter Israël & Amorrhæū,*] Hoc in futuro intelligere dabatur, quia postquam per passionem Domini aëreæ potestates victæ cesserunt, vsque populus ex circuncisione videlicet & præputio credens, in ciuitate fidei sibi concordauit. Amorrhæus interpretatur amarus, vel loquens. Et Apostolus ait: *Vos qui eratis longe, facti estis prope in sanguine Christi. Ipse est enim pax nostra, qui fecit vtraque vnum,* & reliqua. Iste est Samuel qui inuocauit Deum, sicut in sequentibus legitur, exaudiuit eum Deus, & in tempore messis, pluuiam impetrauit. Pluuia enim in sanctis scripturis, verba sunt euangelij, siue legis. Sicut & Moyses dicit: *Expectetur sicut pluuia eloquium meum, & descendant sicut ros verba mea*, Hanc igitur pluuiam dedit mundo Christus in tempore messis, id est, quando gentes colligi oportebat, vt sicut frumentum horreis, sic intra Ecclesiæ sinum congregarentur, [*Iudicauit Samuel Israël* B *cunctis diebus vitæ suæ, & ibat per singulos annos circumueniens Bethel, & Galgal, & Masphat, & iudicabat Israël in supradictis locis.*] Non enim vacat à mysterio quod Samuel in supradictis locis conueniens iudicabat Israël: In hoc enim typum tenuit doctorum sancta Ecclesia, & vt hoc manifestius pateat, manifestemus clarius: Bethel enim quæ interpretatur domus Dei, sanctam significat Ecclesiam quæ domus Dei dicitur, in qua Dominus sua gratia videlicet in mentibus electorum habitare dignatus est. Iuxta quod ait: *Et inambulabo & inhabitabo in eis.* Vnde & Galgal, quæ interpretatur reuelatio, eandem significat Ecclesiam, de qua Dominus dicit, *Vbi fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum,* videlicet per gratiam suæ reuelationis, ac præsentia suæ diuinitatis. Et Masphat, quæ interpretatur intētio, bene sequitur: quia videlicet in supradicta Ecclesia sancta Dei, est puta in mentibus electorum intentio, qua semper esurit, & anhelat ad Deum. In qua Samuel Propheta iudicat filios Israël, videlicet & Doctor fidelis, fideles in Ecclesia decernit. C Vnde bene dicitur, quod reuertens habitat in Rama Samuel, vbi erat domus eius, quia videlicet hoc indicasse videtur, quod omnis Ecclesiasticus Doctor, vir spiritalis in Ecclesia, licet semper in altitudine contemplationis (hoc enim significat Rama, quæ interpretatur excelsa mente:) habitare delectetur, per actiones tamen compassionum, ad infima membra Ecclesiæ condescendere, non renuit, & quasi populum Israël iudicat, dum creditam sibi plebem, ad tenendam vnitatem fidei, & cæteras virtutes operandas, sua exhortatione instituit & docet: seu qui iudex alieni delicti efficitur, & iudicium exercet in domo Dei: non propterea & maleuola mente, sed secundum quod sacra Scriptura reuelat, agere debet: ad domum proprij pectoris & conscientiæ tandem redire, & hostias bonæ voluntatis Deo immolare.

Eph. 2. Deut. 32. 1. Cor. 6. Leui. 26. Matth. 18.

CAP. VIII.

D *CONgregati ergo vniuersi maiores natu Israël, venerunt ad Samuelem in Ramatha, dixeruntque ei: Ecce tu senuisti, & filij tui non ambulant in viis tuis, constitue nobis Regem, vt iudicet nos,* &c.] Quid enim significabat quod seniores Israël reprobato Samuele Propheta, Regem sibi petierunt: nisi hoc, quod in aduentu saluatoris impletum esse cognoscimus: quando Scribæ & Pharisæi, repulso Domino IESV CHRISTO vero Sacerdote, peccati Regem sibi elegerunt, clamant: *non habemus Regem nisi Cæsarem.* Vnde Samuel, qui interpretatur nomen eius Deus, reprobatus à senioribus Israël, Dominum ac redemptorem significat. Saül vero (qui dicitur petitus seu petitio, suo quod à populo postulatus legitur) Barrabbas intelligitur, quem dimitti sibi petierunt: qui Saül filius Cis, filius Abiel fuisse legitur. Cis enim interpretatur durus vel vomens. Abiel vero pater meus dicitur, quorum nominum interpretationes, ad duritiem, & ad vomitum malitiæ Iudæorum pertinent: qui Deum patrem confitentes, filium in passione negauerunt: Dicentes,

Ioan. 19.

E Tolle hunc, & dimitte nobis Barabbam: non intelligentes, quia qui negat filium, negat & patrem, qui misit illum.

CAP. IX. & X.

TVlit autem Samuel lenticulam olei, & effudit super caput eius, & deosculatus est eum, & ait: Ecce vnxit te Dominus super hereditatem suam in principem.] Sciendum est, quod Saül non vnius semper personæ gestauit figuram: sed aliquando Iudæorum typum, ob superbiam, & aduersus Deum inuidentiam, sicut superius tetigimus, & in futuro demonstrabimus. Aliquando Domini nostri IESV CHRISTI, propter vnctionem regni, atque altitudinem staturæ, & propter principatum. De quo Isaias ait: *Factus est principatus eius super humerum eius.* Aliquando vero principem seculi huius, propter elationem cordis & humilium oppresionem: sicut in sequentibus declarabitur. F Sed in hoc loco, vbi à Samuele vnctus legitur, ipsum Christum Dominum scilicet Saluatorem designat. Sicut enim Saül cum asinas patris sui, quæ deerant quæreret in regno assumptus est: simili quoque modo Dominus & Saluator noster, postquam à patre suo missus, ad oues quæ perierant domus Israël, venire dignatus est: super cunctum populum suum, ab eo in Regem tantum constitutus est. Sic ipse ait: *Ego autem constitutus sum Rex ab eo, super Sion montem sanctum eius:* hoc enim præfigurabatur per asinas propter simplicitatem, quod & per oues, propter innocentiam. Armus quem Saül accepit, (sicut superius legitur) principatum significat Domini nostri quem accepit. Qui à Samuele vnctus dicitur, quia à Deo Patre vnigenitus filius spiritali vnctione, delibutus legitur: De quo Psalmista: *Propterea vnxit te Deus, Deus tuus,* & reliqua. Omnes enim retro olim Reges Israël, ob vnctionis Sacramentum, in typo Saluatoris Christi sunt appellati. Vnde & Dauid ait ad eum qui se finxerat Saül occidisse: *Quomodo non timuisti manum tuam mittere in Christum Domini?* G Sed bene ait, quod ab humero sursum, Saül supereminebat omnibus, iuxta spiritalem intelligentiam: quia caput nostrum sursum est supra nos, quod est Christus. Et bene dictum [*non erat melior illo,* & Psalmista, *Quis in nubibus æquabitur, aut quis similis erit Deo filio Dei?* Hic enim non seriem historiæ secuti, sed spiritalis intelligentiæ sensum continuatim describere conati sumus.

Isai 9. Matth. 15. Psal. 2. Ps. 44. 2. Reg. 1. Ps. 88.

Cæterum quia parum historiam prætermisimus, ad eam insinuandam apostrophen facere decreuimus, ait enim sacra historia, [*Dixitque Saul ad puerum suum, Ecce ibimus: Quid feremus ad virum Dei?* & reliqua.] Non enim putabat Saul sibi asinas à Samuele aliter indicari, nisi pretio diuinationis, de quo puer ait: (cum à Saule audisset, panis defecit in sitarchiis nostris.) [*Ecce inuenta est in manu mea quarta pars stateris argenti, demus homini Dei.*] Ideo ait, quid feremus ad virum Dei? Quod autem Sauli inquirenti de Vidente, responderunt, dicentes: [*Festina nunc, hodie enim venit in ciuitatem, quia sacrificium est hodie populi in excelso.*] H Sacrificium in hoc loco, prout aliqui intelligi volunt, prandium intelligitur, quod præparauerat Samuel populo in Calendis, quia sequitur: [*Neque enim comesturus est populus, donec ille veniat, quia ipse benedicet hostiæ, & deinceps comedent qui vocati sunt.*] Cæterum si quis simpliciter de hostiis immolatis, ac sacrificiis intelligere voluerit, non non inhibemus. Dixitque Samuel ad Saul, [*Ascende ante me in excelsum, vt comedas mecum & dimittam te mane & omnia quæ sunt in corde tuo, indicabo tibi.*] Hic enim si non displicuerit (sicuti scriptum inuenimus) traditionem Iudæorum inserere præsumimus. Erat enim in corde Saul (sicut ipsi tradunt) quod Rex futurus esset, quia viderat per visum se in vertice arboris collocari, quæ visio signum regale erat. Denique non tantummodo de asinis quas perdiderat in corde tractabat, quia cum dictum sit: [& omnia quæ sunt in corde tuo indicabo tibi,] Statim per partem coniunctionis copulatiuam, & distinguendo copulauit dicens: [*& de asinis quas perdidisti nudiustertius*

tius

A *tius ne solicitus sis, quia inuenti sunt.*] Et illud. [*Et cuius erunt optima quæque Israel? nonne tibi & omni Domni patris tui;*] Tales enim & huiusmodi traditiones Iudæorum, de apocryphis libris eorum prolatæ sunt, quos secum reconditos habent, quæ in nostris non habentur. Et ideo a quibusdam recipiuntur, non propterea vt illos approbent, sed ea quæ necessaria sunt, ad confirmandum recipiunt: Quod & Paulus Apostolus in epistolis suis non solum de Hebræorum libris apocryphis, verumetiam ex poetarum ac comicorum gentilium, vbi opportunum vidit, exempla protulit. Non vt omnia eorum commenta approbaret, sed oportuna vbi necessarium vidit, inseruit. Hinc est quod Iudas Apostolus in epistola sua ex iisdem libris, exemplum intulit, dicens: *Prophetauit autem de his septimus ab Adam Enoch, dicens: Ecce venit Dominus in sanctis millibus suis facere iudicium contra omnes.* Quod ex prædictis libris sumptum est, sed quia verum est, non est reiiciendum. Non tamen omnia B approbanda sunt, sed necessaria accipienda Sic etiam traditiones nonnullæ oportunò assumendæ sunt. *Cumque abieris inde, & vltra transieris:* & reliqua vsquequo ait: *inuenient te tres viri ascendentes ad Deum in Bethel.* Hi viri causa orationibus ibant in Bethel, vbi Iacob lapidem erexerat. [*Post hæc veniens ad collem Dei, vbi est statio Philistinorum.* [Collis Dei locus erat, vbi prophetæ habitabant. [*Et cum ingressus fueris, in vrbem obuiam habebis gregem prophetarum descendentium de excelso, ipsosque prophetantes, & insiliet in te spiritus Domini, & prophetabis cum eis, & mutaberis in virum alium. Quando ergo euenerint signa hæc omnia tibi, fac quæcunque inuenerit manus tua, quia Dominus tecum est: & insiliet in te spiritus Domini, & prophetabis cum eis.*]Prophetasse eum ibi Iudæi dicunt: de futuro seculo, & de Gog & Magog, & de præmiis iustorum, & pœna impiorum. Nam quia spiritu Domini impulsus prophetauit, de aduentu Christi, & salute hominum prophetasse non dubium est, [*quando ergo venerint signa hæc omnia tibi, fac quæcunque inuenerit manus tua, quia Deus tecum est.*] Ac si C diceret, his signis nosse poteris, quia Deus te regem fieri voluit, & idcirco ad omnia quæ tibi agenda sunt, regaliter age, quia Deus tecum est. [*Videntes autem omnes qui nouerant eum heri & nudiustertius, quod esset cum prophetis & prophetaret, dixerunt ad inuicem, Quænam res accidit filio Cis? Num & Saul inter prophetas: Responditque alius ad alterum, dicens: Et quis pater eorum?* & reliqua] Bene ait Saule prophetante cum cæteris, [*Et quis pater eorum?*] Ac si diceret, & quis maior illo in dignitate & sapientia: optime enim potest inter prophetas versari, & pater eorum, id est, magister vocari, qui tam doctus & sapiens est. Pater, magister vocatur, sicut Eliseus Eliam patrem, id est, magistrum vocat, Pater mi, Pater mi; currus Israël & auriga eius. Et in libro Iob: Heliu, Eliphaz Iob. 34. patrem, id est magistrum vocat, hoc modo, *Pater mi, probetur Iob vsque ad finem.* Quod autem Saül ita inuenit, sicut videns prædixerat: significat, quia omnia ita euenerunt Christo, sicut libri legis & Prophetarum olim D prædixerunt, licet de Iudæis velint intelligi, quibus prospera seu aduersa ita euenerunt, sicut prædixerat.

CAP. XI.

A*Scendit autem Naas Ammonites, & pugnare cœpit aduersum Iabes Galaad. Dixeruntque omnes viri Iabes ad Naas: Habeto nos fœderatos, & seruiemus tibi, Et respondit ad eos Naas Ammonites. In hoc faciam vobiscum fœdus, vt eruam omnium vestrum oculos dextros.*] Verum quia historia est, spiritalem intelligentiam breuissima insinuatione enucleare aggredimur. Naas enim qui interpretatur serpens, significat diabolum: non solum quia lubricus & tortuosus est, sed quia primũ hominem per serpentem decepit. Ipse ascendit ad præliandum contra Iabes qui interpretatur sensus, quia diabolus semper sensum diuinæ cognationis & bonitatis auferre ab hominibus conatur. Galaad vero, qui dicitur aceruus testimonij, illos significat: qui eruditi sunt in Ecclesia E testimoniis diuinarum Scripturarũ. Quorum oculos dexteros eruere cupit, videlicet illuminationem fidei, & prædicationis auferre satagit. Sed hos Saül videlicet Dominus ac Redẽptor noster liberat cũ exercitu suo: id est, auxilio Angelorum seu prædicatorum suorũ, qui in Bezec populum enumerat. Bezec enim egestas interpretatur, quia in egestate præsentis vitæ, nouit Dominus qui sunt eius. Et apud ipsum est certus numerus electorum, quos ad prælium contra diabolum excitat. Nam possumus ad hæreticos referre, qui populus est mœroris, quoniam gaudium Spiritus sancti non habent. Disponit eorum peruersitas in hoc fœdus cum populo Ecclesiæ, vt eruat oculos dextros, id est, sensum vel visum sanæ orthodoxæ fidei auferat. Et vult vt sinistrum habeant, id est, peruersum sensum, & praua sentiant. Sed populus fidelis aceruũ testimonium diuinarum scripturarum congerit, vnde suis hostibus resistat, emittit in vniuersos terminos Israël, hoc est, ad Doctores Ecclesiæ: quatenus sibi opem ferant, & scutum fidei contra hostes ex aduerso apponant. F

CAP. XII.

D*Ixit autem Samuel ad populum: Venite & eamus in Galgala, & innouemus ibi regnum.* Et reliqua vsque quo ait. *Misit Dominus Ierobaal & Bedan & Barac & Iephte & Samuel, & eruit vos de manu inimicorum vestrorum.*] Prius enim antequam superiora pandamus, dicendum est, quis fuerit iste Ierobaal & Bedan. Ierobaal ipse est Gedeon, qui cum trecentis viris superauit Madianitas Bedan vero (vt quibusdam placet) ipse est Samson. Cæterum iuxta altiorem intelligentiam, Galgala vbi Samuel innouauit regnum, ac redarguit filios Israël, quæ interpretatur reuelatio significat reuelationem & illuminationem fidei in nouo testamento, vbi vetus regnum in nouum commutatum est. De qua mutatione superius iam diximus, vbi de Heli & filiis eius reprobatis, & electione Samuelis descripsimus. De abiectione Saul & constitutione Dauid, Domino fauente, in posterum dicturi sumus. G Verum in hoc quod Samuel filios redarguit, iuxta moralem intelligentiam typum tenuit spiritalium doctorum: qui in semetipsis delicta grauia non habent, quæ redarguant: sed aliorum peccata absque detrectatione feriunt. De his enim talibus per Salomonem dicitur: *Verba sapientium quasi stimuli, & quasi claui in altum defixi:* Eccl. 12. Bene ait, verba sapientium sicut stimuli & quasi claui in altum defixi: quia peccata hominum nesciunt palpare, nec molli manu attrectare lasciuia: sed asperæ inuectionis increpatione corrigere: & crantes pœnitentiæ dolorem & vulnus infigere. Si cuius igitur sermo non pungit, sed oblectationi est audientium, iste non est sermo sapientis. Hinc est quod Iohannes Iudæos gloriantes redarguit dura inuectione, dicens: *Genimina viperarum, quis demonstrabit vobis fugere à ventura ira?* Matt. 3. Denique possumus & aliter hanc sententiam breui indagatione innuere, quo ait dicens: *Verba sapientium sicut stimuli,* &c. Quia & ad conuersionẽ prouocãt & firma sunt, & in nullo oberrant, quia S. Spiritu Prophetis & Apo- H stolis inspirata, ad eos vsque peruenerunt, & ideo solida radice fundata sunt. Vnde & in eodem versu subiungitur: Quæ per magistrorum consilium data sunt à pastore vno; videlicet à Prophetis per quorum consilium sunt prolata, & pastore vno, id est, Spiritu sancto inspirata. Quisquis enim his est instructus, & spiritu diuino illustratus, potest corrigere (si, inquantum humana fragilitas non obsistat, se à peccatis continuerit) aliorum peccata. Quia ille iuste redarguit, in cæteris malum eorum, qui spiritualiter viuens, de proprio delicto reprehendi a quoquam non potest. Scriptum namque est: *Spiritalis omnia iudicat & ipse à nemine iudicatur.* 1. Cor. 2. Innocens enim esse debet ab omni delicto, qui cæteros iudicat pro scelere ipsorum, sicut & Samuel fecisse legitur: qui etiam tales pluuiam de cœlis, id est, scientiam prædicationis ex libris Prophetarum, de quibus scriptum est: *Iudicium positum est & libri aperti sunt:* Dan. 7. proferunt & corda hominum (vt fructus fidei, ac bonorum operum gignere possint)

A sint) diffundunt: vt eos, quia malum se egisse cognoscunt, terreant. Deinde sequitur, qualiter Samuel dum quereretur de principatu, & populus deprecaretur, dicens: [*ne cesses orare pro nobis. Respondens ait, Absit a me hoc peccatum in domino, vt cessem orare pro vobis.*] Hic namque perfecta benignitas sanctorum, olim in Samuele demonstrata est: Illa videlicet de qua Dominus ait: Diligite inimicos, & orate pro persequentibus & calumniantibus vos. *Matt. 5.*

CAP. XIII

F*ilius vnius anni erat Saul, cum regnare cœpisset, duobus autem annis regnauit super Israel.*] Non de Isboseth filio Saul tantum, sed de eodem Saule hoc dictum est. Sic enim erat innocens Saul quando regnare cœperat, sicut filius vnius anni est, & in innocentia perseueraret: Et quia in eadem innocentia duobus annis B regnauit & humilitate: bene dicitur tanquam filius vnius anni fuisse. Cæteri vero quibus regnauit indigne calculo non hic comprehenduntur. Sed si voluerit quis intelligere per anticipationem de Isboseth, (eo quod in sequentibus legatur, quadraginta annorum erat Isboseth cum regnare cœpisset, & duobus annis regnauit, & à morte Heli vsque ad Saul omne tempus XL. annorum est non prohibemus, quia & intelligi valet. [*Et percussit Ionathas stationẽ Philistinorum quæ erat in Gabaa. Quod cum audissent Philistim, Saul cecinit buccina in omni terra, dicens: Audiant Hebræi & vniuersus Israël.* Et reliqua.] Quod enim ait, *Quod cum audissent Philistim, Saul cecinit buccina* &c. Sic intelligendum est: Quod cum audissent Philistim, subauditur, conturbati sunt Saul cecinit buccina. Hæc buccina signũ victoriæ, & exhortationis fuit, vt audirẽt, & noscerent Hebræi conturbati, superatos esse Philistæos. Propterea sequitur: [*Et vniuersus Israel audiuit huiuscemodi famam, percussit Saul stationem Philistinorum.*] His rebus compertis, confortatus est Israël: propter hoc & sequitur: [*Et erexit se Israel aduersus philistæos.*] Id est, viriliter C cœpit agere contra eos. [*Quod cum vidissent viri Israel se in arcto positos* (afflictus est enim populus) *absconderũt se in speluncis, & in abditis, in petris quoque & in antris, & in cisternis,* & reliqua] Si enim se abscondit Israël in præfatis locis, animum pulsat, quid est quod historia subiungit. [*Hebræi autem transierunt Iordanem.* Quod nos aliter intelligere non possumus, nisi illos sentiamus qui se subtraxerant à Saule timore perterriti, & ad Philistim transierant. Sed postea audientes quod Philistim fugissent, sociauerunt se cum suis in prælio. Quid enim hoc significet quod reuersi fugitiui sociauerunt se cum suis in prælio, dicemus in posterum.

[*Cumque adhuc esset Saul in Galgala, vniuersus populus perterritus est, qui sequebatur eum. Et expectauit septem diebus iuxta placitum Samuelis, & non venit Samuel in Galgala. Dilapsusque est populus ab eo. Ait ergo Saul afferte mihi holocaustum & pacifica,* & reliqua vsque quo ait: *Dixitque Samuel ad Saul: Stulte egisti, nec custodisti mandata* D *Domini Dei tui, quæ præcepi tibi* &c.] Verum iam superius dixerat, *Et descendes ante me in Galgala. Ego quippe descẽdã ad te; vt offeras oblationẽ, & immoles victimas pacificas. Septem diebus expectabis donec veniam ad te, & ostendam tibi quæ facias.*] Videtur quibusdam, inculpabiliter Saul obtulisse holocaustum, cum Samuel ab eo expectatus, iuxta placitum septem dierum non venerit. Quod qui hunc locum bene distinxerit, inueniet eum non immerito culpatum fuisse & inobedientem redargutum: Locus autem hic apud quosdam ita distinguitur: [*Et descendes ante me in Galgala. Ego quippe descendam ad te.* Et postea subinfertur, *Ad offerendas oblationes, & immolandas victimas pacificas, septem diebus expectabis donec veniam ad te, & ostendam tibi quæ facias.*] Non ergo Samuel suum præstolari aduentum Sauli septem dierum tempore præcepit, sed ad offerendas oblationes & immolandas victimas pacificas, se ab eo eisdem septem diebus voluit expectari: quod ille nequaquam fecit, & ideo merito culpatur, & stultitiæ elogio denotatur E indiscreta Saulis oblatio: ob hoc quod obedientiæ præceptum præuaricatus est, à Deo accepta non est. Quia enim Prophetæ præceptum parum perpendit, Deum qui loquebatur in Propheta, contempsit, dicente Domino: *Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit.* *Luc. 10.* Vnde audiuit: [*Sed nequaquam regnum tuum vltra consurget. Quæsiuit Dominus sibi virum iuxta cor suum, & præcepit ei Dominus vt esset dux super populum suum: eo quod non seruaueris quæ præcepit Dominus.*] Reprobatio Saulis, futuram præfigurauit ablationem regni Iudæorũ. Quod autem Dauid superstes ei factus, hoc indicat, quod Dominus IESVS CHRISTVS per nouum Testamentum in Ecclesia regnaturus populo Iudæorum successurus erat. [*Porro faber ferrarius non inueniebatur in omni terra Israel. Cauerant enim Philistim, ne forte facerent Hebræi gladium aut lanceam. Descendebat ergo omnis Israël ad Philistim, vt acueret vnusquisque vomerem suum & ligonem & securim & sarculum. Retusæ itaque erant acies vomerum & ligonum & tridentium & securiũ,* & reliqua.] F Philistim qui & Allophyli (licet plurimis in locis sanctarum Scripturarum, aliud atque aliud, multis modis allegorice significent,) hoc in loco omnium hæreticorum præfigurant catervas; quæ pari consensu impietatis, aduersus Ecclesiam Dei conspirantes, propter multitudinem populi sibi consentientis, & mundi huius potestatibus fidentes, eandem Ecclesiam Dei, à suis fidelibus depopulari conantur: quorum multitudinem infirma membra Ecclesiæ pertimescẽtes, plerique ex ipsis abiurata fide ab Ecclesiæ vnitate discendentes, eisdem hæreticis sociantur. Alij vero sub silentio sese occultante, dum fidem suam palam confiteri metuunt, quasi in speluncis & cauernis terræ latitant. Philistim quorum ingens numerus esse perhibetur, omnium hæreticorum magistros signasse non dubium est. Qui propter varias sectas, quasi discolores equi, vno impietatis vinculo colligati, in huius mundi campos dissolutis habenis, ad decipiendos se opprimendos quos possunt, discurrunt. Sex millia equites, elatos G exprimunt mundi: qui de carnali potentia tumidi, hæreticorum adiutores existunt. Reliqua vulgi multitudo, ingentem innuit vulgi plebem, quam hæretici callidis persuasionibus deceptam sibi aggregant. Sexcenti viri, qui cum Saül remansisse narrantur, Catholicorum virorum formam prætendisse possunt, qui per vnitatem fidei Christo Domino, velut Saül, adhærentes, nullis malorum persuasionibus, seu terroribus, ab eo recedunt. Fabri ferrarij, allegorice, viros significant spiritales in Ecclesia: qui tempore pacis (cum desint qui inquietent) per securitatem mentis, seu incuriam, ab spiritali inquisitione torpentes, quasi non sint, dum inexercitati ad respondendum hostibus fidei parati nequaquam sunt. Vomeres vero atque ligones, seu cætera ferramenta, spiritaliter testimonia, seu sententias indicant sacræ legis: quibus testimoniis Sacerdotes Ecclesiæ, in pace eiusdem Ecclesiæ, ad eruditionem tantummodo populi fidelis, quasi ad agriculturam, iuxta historiæ simplicitatem, vtuntur. Quæ testimonia, ac si ferramenta sint (si quando, permittente Deo, hæreticorum bella aduersus Ecclesiam cõsurrexerint) ad exercendos videlicet atque probandos H fideles suos, viri Ecclesiastici, subtili inquisitione ea perscrutando, & spiritali acumine acuendo, velut in gladios vertunt: per quos & hostes fidei prosternunt, & tam se quam cæteros fideles, ab eorum persecutione, siue persuasione defendunt. Præcepta quippe diuinæ legis atque testimonia, & ferramenta sunt in pace Ecclesiæ, & arma in tempore belli. Et vt manifestius fiat quod profertur: In pace Ecclesiæ præsules eius seu Sacerdotes, simplici prædicatione, populum sibi creditum, fide informantes, non alta de Deo, neque incapabilia illis proponunt, sed vt simpliciter credant, in Patrem & Filium & Spiritum sanctum, essentialiter vnum & verum Deum, trinum vero personaliter Si aut quicunque hæreticus Sabellianæ partis assertor dicat, quia in Deo sicut vna deitas, ita & vna persona credenda est non tres, id est, vt ipse credatur pater, qui & filius: & ipse filius, qui pater: sicut Sabellius impie prædicabat: quid tunc agendum erit viris *Sabelliani hæretici.*

Ecclesiasticis, nisi vt & ipsa sacra scriptura contra huiusmodi assertorem probare queant, quomodo Deus omnipotens vnus sit in natura, trinus vero in personis. Rursum tempore quieto, nil amplius doctoribus Ecclesiæ catholicæ plebibus, qui præsunt, prædicare conuenit: quã vt credant patrem & filium & spiritum sanctum, vnius substantiæ atque deitatis. Filium vero non aliunde, quam de patris substantia genitum, sine initio, ac per omnia patri similem & coæqualem. Spiritum vero sanctum: ex patre & filio procedentem, vnius substantiæ cum iis à quibus procedit. Si vero contra huiusmodi veridicam prædicationem, prouenerit vt quispiam Arrianæ patria assertor dicat: non ita est vt prædicatis, sed sicut tres personas in Deum Confitemini, ita & tres substantias in eum vobis credere oportet. Filium quoque non de substantia patris substitisse, sed ex nihilo creatum: similiter & spiritum sanctum non Deum, sed creaturam credere oportet. Quid contra huiusmodi impium prædicatorem, vir Ecclesiasticus, facturus erit: nisi vt ex vtroque testamento proferat documenta, atque velut ferramenta acuat diuina testimonia, per quæ & illa quæ prædicat, defendere valeat, & contra dicentes refutare. Rursum tempore tranquillo, nil amplius de Dei filio sacerdotibus Ecclesiæ prædicare conuenit: quam vt credatur verus Deus ex substantia patris sine tẽpore ineffabiliter natus, & verus homo (pro nostra redemptione) de substantia matris temporaliter creatus & natus, gemina substantia, singulari vero persona. Consubstantialem patri secundum diuinitatem, consubstantialem vero matri iuxta humanitatem. Vnum eundemque in singularitate personæ. Contra quam fidem si econtrario diuersi occurrant: vnus videlicet qui ita duas naturas in filio Dei confundat atque permisceat, vt inter Deum & hominem nullam esse differentiam astruat: sed hoc esse deitatem, quod & humanitatem in eo: sicut & Euthitiani, & eorum similes hæretici impie defendere contẽdunt. Rursũ alius ex aduerso prosiliat, qui sicut duas in eo naturas, ita & duas personas affirmare velit: sicut Nestoriani. Iterum tertius vel quartus occurrat, vnus videlicet, qui eundem Filiom Dei dicat in veritate Deum esse, hominem vero in phantasia fuisse, quemadmodum Manichæi & Priscillianistæ dicere ausi sunt. Alius autem qui illum purum hominem fuisse, absque Deo, contendat: sicut Fotiniani. Rursum alij atque alij existant, qui eum, hoc est, filium Dei, nihil de matre assumpsisse, nec eiusdem naturæ fuisse, ex qua & nos sumus: sed nescio quam imaginariam carnem in mundo gestasse: & cæteri plurimi, quos omnes memorare, nimis prolixum est, & nõ necessariũ: contra quos omnes hostes fidei, quid Ecclesiasticis viris agendum est? nisi vt ex vtroque testamento diuersas sententias atque testimonia, quasi varia ferramenta liment, exacuant, atque elucident, per quæ & ea quæ credunt ac prædicant, defendere queant, & aduersarios suos, aut confodiendo sibi substernere, aut certe terrendo in fugam conuertere. Hoc quippe modo, & contra diuersas quæstiones, quæ in Ecclesia, per contentionis vitium oriuntur, Dei sacerdotibus omni circumspectione agendum est. Et aduersus varias hæreticorum nouitates, omni studio vigilandum, ne fides Ecclesiæ, velut ædificij fundamentum, per eorundem hæreticorom, impetum, quasi impulsu ventorum labatur atque subruatur. Quod autem ait scriptura de Israëliticis viris; [*Descendebat ergo omnis Israel ad Philistim, vt acueret vnusquisque vomerem suum & ligonem & securim*, &c.] Hoc non absurde intelligi datur, quia controuersia hæreticorum, exercitia sunt Catholicorum: & malorum contentio, bonorum acuit sensum: & aduersitas impiorum sinistra sunt arma iustorum. Quod tamen hæretici, velut Philistim, omnibus modis cauent, ne pro eorum occasione, viri Catholici arma possint habere spiritalia.

CAP. XIV.

ET accidit quadam die, vt diceret Ionathas filius Saül ad adolescentem armigerum suum: Veni, & transeamus *ad stationem Philistim, quæ est trans locum illum*, &c.] Pendet enim hæc sententia ex superioribus. [E] Ionathas vero cuius nomen sonat columbæ donum, sanctorum virorum spiritalium, qui in Ecclesia dono Spiritus sancti repleti sunt, gestauit figuram: per quos Dominus hæreticorum conuentus disturbat, dissipat, atque in fugam vertit. Armiger autem eius, eorum sanctorum virorum præfigurauit discipulos, qui illorum exempla atque doctrinam sectantes, & indiuidue illis adhærentes, quasi eorum arma portant. Quod autem idem Ionathas & armiger eius aduersus Philistim, non per planiora leniaque loca, sed per saxosa & ardua iter arripiunt, illud allegorice signat, quod non illi Sacerdotes (qui intra Ecclesiam, latam & spatiosam viam, per dissolutam vitam, ambulant) hostibus fidei contraire queunt, neque cum illis spiritaliter dimicare, sed illi potius qui per arctam & angustam viam gradientes, inter vtrumque testamentum, atque inter prospera & aduersa, quasi inter duos scopulos dextra læuaque incedunt: [F] qui armis sanctarum Scripturarum muniri, non procliuius ad ima, sed mentis alacritate, ad altitudinẽ contemplationis toto admisu conscendere nitũtur. Illud vero iter quod Ionathas armigero suo proposuit, vt nisi ipsi prius ab hostibus prouocari forent, nequaquam ad eos transirent, sed quieti subsisterent. Huc nobis per huiusmodi iter, signum, sacra Scriptura typice innuit: vt ne quis ex Catholicis aduersus hæreticos prior contentionis arma cõmoueat, nisi ab ipsis prius ad certamen prouocatus fuerit: quia non per Catholicos, sed potius per hæreticos, contentionis bella in Ecclesia exordiũ sumunt. Quod autem Ionathas & armiger eius prima congressione aduersus Philistim, non alio in loco, quã in agro culturæ dedito confligentes, viginti numero prima fronte ex hostibus prosternũt. Illud signaliter significare videtur, quod his doctoribus hæretici cedunt atq; succumbunt, qui intra limites Ecclesiæ positi, à meditatione legis, velut ab agricultura non recedunt. Sequitur: [*Sed & Hebræi, qui fuerãt cum Philistim heri & nudiustertius, ascenderantque cum eis in castra, reuersi sunt vt essent cum Israël*, &c. reliqua vsque quo ait: [G] *Nunciauerunt autẽ Sauli, dicentes, quod populus peccasset Domino comedens cum sanguine.* Qui ait: *Præuaricati estis. Voluite ad me iam nunc saxum grande.*] Nam antequam spiritalem figuram aggrediamur enucleandam, manifestandum est, quid est quod scriptura dicit de Ionatha: Illuminati sunt oculi eius, & quid significet iuxta historiam quod dicit, comedisse populum cum sanguine. Quid est quod Sacra scriptura ait: *Illuminati sunt oculi Ionathæ, propter gustum mellis?* [Gen. 3.] nunquid ante cæcus erat? Minime. Sed illuminati sunt vtique, non ad videndum, quia ante videbat: sed ad discernendum, quia vetita tetigerat. Sicut de primis hominibus legitur, qui mox vt prohibita gustauerunt, apertos habuisse oculos referuntur; ad discernendum videlicet inter bonum quod amiserant, & malum ad quod ceciderant. Cæterum aliqui aliter intelligi volunt. Aiunt enim quod ex nimio calore oculi, & exercitio prælij ac itineris, reuerberati erant, & nimio ieiunio fatigatus, non solum corpore, sed & mente fortassis defecerat, vbi sunt oculi interioris hominis: [H] Et ideo cum gustasset gustum mellis, illuminatus dicitur: quia non solum oculi ex refectione corporis (inquimus) clarius videre cœperant, sed & interna mens clarior confortata dulcedine mellis, ac promptior resumptis viribus ad persequendum aduersarios extitit. Vnde & ipse ait: [*Turbauit pater meus terram. Vidistis ipsi, quia illuminati sunt oculi mei, eo quod gustauerim paululum de melle isto, quanto magis si comedisset populus de præda inimicorum suorum quam ceperat?*] Nam quod ait: [*Turbauit pater meus terram*,] de parrata victoria intuitus, & ideo de indicto ieiunio patrem suum reprehendit. Denique quod seqoitur; [*Et versus ad prædam defatigatus populus, tulit oues & boues, & vitulos, & mactauerunt in terra. Comeditque populus cum sanguine.*] Non fecit populus irritum iuramentum. Quod enim Saül adiurauerat, dicens: [*Maledictus vir qui comederit panem vsque ad vesperam, donec vlciscar de inimicis meis*] Ideo dixit, quia victoriã iam potiti erant: sed peccasse Domino,

&

A & cum sanguine comedisse dicitur, quia cõtra legis præceptum antequam sacrificium vespertinum peragerent, cumederunt. Sic itaque vsus erat, vt quando homicidium ab eis, aut in suis, aut in exteris fiebat, non comederent antequam sacrificium vespertinum pro eis fieret. Aliter, peccasse Domino & comedisse cum sanguine dicuntur, quia mactatis victimis, non obtulerunt ad sanctuarium sacerdotibus, iuxta legis præceptum, adipem & sanguinem cum, videlicet sanctuarium secum haberent. Quando locus sanctuarij procul erat, iubetur sanguis victimarum in terram fundi de his videlicet victimis, quas ad suos esus præparabant, quando vero sanctuarium præsens erat, sanguis hostiarum super altare Domini iubetur fundi. Sicut est illud in libro Deuteron. *Sanguinem hostiarum tuarum fundes in altari, carnibus autem ipse vesceris.* (Deut. 12.) Quod quia præfatus populus non fecit, peccasse dicitur Domino, & idcirco dicitur cum sanguine comedisse. Siue quia retro olim per legem mystice præceptum fuerat, vt

B ne quis de filiis Israel ouem vel bouem aut capram, vel quodlibet animal, quod Domino offerebatur, in castris immolarent, sed ad ostium tabernaculi vniuersa ducerent, & ibi omnia occiderent. Quod quia non fecerant, comedisse passim occidendo referuntur cum sanguine. Licet iste sensus posterior quibusdam placere videatur: superiores vero, quos posuimus, magis (vt nobis videtur) historiæ congruunt. Non ideo dicimus, vt istum refragemus, aut inhibeamus sensum, cum maxime spiritali sensui (de quo in sequentibus, Domino duce, dicturi sumus) conuenit: sed prudenti Lectori derelinquimus sensum nostrum insinuando, vt si placuerit, mihi consentiendo faueat: quia hic, vt annui, ad radicem historiæ pertinet. Ecce, fundamentum historiæ innuimus, nunc spiritalem significationem pandamus. Sed prius quid significat quod Ionathas filius Saul pergentis ad prælium, & ieiunium indicentis, videns super faciem agri mel, extenditque summitatem virgæ, & intinxit in fauum mellis, & gustauit, & illuminati sunt oculi eius,

C propalabimus, vt postmodum cætera coniunctim insinuare valeamus. Verum quod ad gustum mellis oculi Ionathæ illuminati sunt, (sicut diximus) non ad videndum, quia antea videbat, sed ad discernendum, quia verita tetigerat. Tunc enim casus ille, (sicut Adam) fecit illum attentum, reddiditque confusum: quid aliud exprimitur, nisi hoc facto admoneret, omnes illecebras voluptatum in sæculo debere contemnere, is qui Deo nititur militare? Non enim potest contra Allophylos spiritales, id est, aduersus principes tenebrarum, viribus animi concurrere, qui adhuc huiusmodi negligit dulcedinem declinare. Mel enim distillans (inquit scriptura) (Prou. 5.) labia meretricis, quod est delectatio voluptatis carnalis. De quo putatur iuxta mysticos intellectus, hunc gustasse Ionathan, & sorte deprehensum, vix precibus populi liberatum. Illud vero quod superius descripsimus quia postquam Domini opitulante auxilio, Philistim conturbati dispersique, & in fugam versi sunt, quicunque de filiis Israel adhæserant, rursum ad suos Israeliticos reuersi sunt, &c. Hanc intelligentiam mystice habere

D dinoscitur: quod postquam hæreticorum conuentus, Domino cooperante, per Ecclesiasticos viros victus atque dispersus & in fugam versus catholicis cesserit: eos vero qui de Ecclesia ab ipsis hæreticis vi vel peruersione subtracti fuerant, rursum ad Ecclesiam, à qua discesserant, redeuntes: plerique sacerdotes, adhuc diuersa sentientes, & in variis sectis seducti, aut illos quos de ipsis hæreticis, quasi oues aut boues, ad Ecclesiam reducere potuerint, baptizandos denuo decernunt: sic quibusdam sacerdotibus olim visum fuerat, vt de hæresi ad Ecclesiam conuersi, iterum baptizarentur, sicut faciunt Donatistæ hæretici: (Donatistarum hære...) quod vtique illicitum est, eos qui semel abluti sunt, denuo baptizare, aut certe conuersis ex gentilitate, nequaquam secundum Ecclesiasticam regulam, rectum baptismum tradere. Quos tamen Christus Dominus velut Saul per Ecclesiasticos viros, ad vnitatem fidei, reuocans in fide sua, cuius figuram lapis ille grandis prætendebat, qui omnes credentes baptizari præcepit. Nam quod præceptum erat, vt ouem vel boue vel quod-

E libet animal, quod Domino offerebatur, non in castris immolarent, sed ad ostium tabernaculi vniuersa adducerent: prout superius ostendimus, & ibi omnia occiderent, typos adumbrabat futuros. Quod enim in lege ostium, hoc hic ingens saxum, hoc vnitas fidei in Christo significat. Nam sicut per oues & boues & vitulos & arietes, diuersos homines ad fidem venientes significat: ita per occisionẽ animalium, lauacrum regenerationis insinuat. In quo baptismo, velut quodlibet animal, vetus homo moritur, & nouus resurgit. Illi enim eosdem credentes quasi diuersa animalia (vt dictum est) occidentes, super terrá cum sanguine comedunt, qui in varias sectas diuisi, in vnitate fidei, sicut oportet, nequaquá baptizant. Quos vtiq; quasi cum sanguine comedunt, dum illos absque perfecta purificatione peccatorũ sibi aggregant. Quos velut comedũt, dũ se cum illis vnũ corpus efficiũt, Sequitur: [*Ædificauit autẽ Saul altare Domino, Tuncq; primũ cœpit ædificare altare Domino.*] Hebræus non habet, primũ, sicut in quibusdã codici-

F bus legimus. Vnde quærendũ (cum ante legatur ædificasse altare, quando à Samuele increpatus est,) cur hic dicitur, Tunc cœpit ædificare primũ altare Domino? Sed sciẽdum est ædificasse illum altare, sed quia inobedienter illud ædificauit, non Domino ædificasse intelligitur. Hic autẽ quia obediẽter & recte illud ædificauit Domino ædificasse perhibetur. [*Dixitq; Saul ad populũ, Applicate huc vniuersos Angulos populi.* [Angulos populi, principes populi vocat, quibus idem populus, tanquam lapidibus hinc inde parietes inhærerent, adhærebat. Deinde sequitur: Qualiter sortem mittendo deprehensus est Ionathas, Vnde & ait Saul: [*Hæc faciat mihi Deus & hæc addat, quia morte morieris Ionatha. Dixitque populus ad Saul: Ergone Ionathas morietur qui fecit salutem hanc magnam in Israel. Hoc nefas est. Liberauit ergo populus Ionatham vt non moreretur.*) Nota quantum prosint transacta bona contra quælibet minima offensa. Nisi enim Ionatham præterita adiuuissent, imminentia mala nequaquam euadere potuisset. Non enim iniustus est Deus, vt obliuiscatur bonorum cuiuspiam operum. G

CAP. XV.

D*ixitque Samuel ad Saül: Me misit Dominus vt vngerem te in Regem super populũ eius Israel. Nunc autẽ audius vocẽ Domini, Hæc dicit Dominus exercituũ: Recensui quæcunque fecit Amalec Israël, &c. vsque quo ait, Non parcas ei & non concupiscas ex rebus ipsius aliquid, sed interfice a viro vsque ad mulierem, & paruulum atque lactentem bouem, & camelum & asinum.*] Recensere dicitur Deus mala Amalecitarum, sicut per Moysen olim in lege prænuntiatum fuerat. Vnde ideo iumenta Amalec Israël Dominus demoliri iubet, vt nec in iumentis memoria fieret. Dominus enim dixerat se deleturum memoriam Amalec de sub cælo, idcirco præcipitur Saüli, vt eam penitus ab homine vsque ad iumenta deleret. Et quia eius memoria penitus deleta non fuit, Saülis peccatum & inobedientia in causa extitit, sicut sequens historia H ostendit. De quo Amalecita in libro Deuteronomij dicitur: *Memẽto quod fecerit tibi Amalec in via quãdo egrediebaris ex Ægypto, quomodo occurrerit & extremos agminis tui, qui lassi residebant, ceciderit.* (Prou. 25.) Lassos hic Hebræi immundos secundum legem, extra castra manentes intelligunt. Quos cecidisse Amalecitæ dicuntur, quia sicut ipsi tradunt, eorum circuncisionem amputauerunt, & in subsannationem Dei in cœlum proiecerunt. *Dixitque Saul Cynæo: Abite, recedite, atque discedite ab Amalec, ne forte inuoluam te cum eo,* & reliqua.] Cinæus ipse est Iethro cognatus Moysi, de cuius genere erant Cinæi, qui descenderant ad Amalec, & habitabant cum eo, qui vtique eorum (Num. 31.) consanguineus erat, & hæreditatem in eius terra habebant. Misericordiam vero Cinæus cum filiis Israël fecisse dicitur siue quia Moysen fouit in terra Madian, siue quia consilium dedit Moysi, qualiter multitudinem populi gubernaret. [*Nuntiatum est Samueli eo quod venisset Saul in Carmelum, & erexisset sibi fornicem triumphalem.*] (Exod. 18.)

Consuetudo erat regnum, vt quando victoria potiebantur, facerent arcum, hoc est, fornicem de myrtetis & palmis & oliuis, ob signum victoriæ, prout quibusdam videtur. Cæterum si quis arcum ex lapidibus intelligere voluerit, in quo victoriam suam more regnum depinxerat, non inhibemus sed potissimum consentimus, quia in Salomone legimus: *Dissipabit impios Rex sapiens, & curuabit super eos fornicem.* Quod alia translatio *rotam molarem*, dicit. In quo ad æternam memoriam laudes ac victorias suas reges describebant. [*Ait autem Samuel ad Saul: Sine me, & indicabo tibi quæ locutus sit Dominus ad me nocte. Dixitque ei: Loquere. Et ait Samuel, Nonne cum paruulus esses in oculis tuis, caput in tribubus Israel factus es?* Quid per increpationem hanc, nisi superbia elati regis obiicitur? Quod ad correctionem suam poterit quisque qui prælatus est conuertere. Paruulum se Saul in suis prius oculis viderat, sed fultus temporali potentia, iam se paruulum non videbat. Cæterorum namque comparationi se præferens: quia plus cunctis poterat, magnum se præ omnibus æstimabat. Miro autem modo, cum apud se paruulus, apud Dominum magnus: cum vero apud se magnus apparuit, apud Deum paruulus fuit. Plerumque ergo dum ex subiectorum affluentia animus inflatur, in luxum superbiæ ipso potentiæ fastigio lenocinante corrumpitur. Quod Sauli contigisse dicitur, cui & dicitur, [*Nonne cum paruulus esses, in oculis tuis, caput in tribubus Israël factus es?*] Ac si diceretur, Cum tu te paruulum conspiceres, ego te præ cæteris magnum feci. Quia vero tu te magnum conspicis, à me paruulus æstimaris. Vnde cum a Samuele increparetur, quare vocem Domini non audierit, ex ipso fastu superbiæ respondit, dicens: Imo audiui vocem Domini, & ambulaui in via per quam misit me Dominus. Malum enim supra malum adiecit, quia culpam suam non solum agnoscere dignatus est, sed etiam superbiendo defendere studuit, ac per hoc defendendo accumulauit. Denique in hoc quod subiungit, [*Tulit autem populus de præda, oues & boues primitias eorum quæ cæsa sunt, vt immolet Domino Deo suo in Galgalis.*] Primitiæ hic ea quæ potiora & meliora erant, intelligendæ sunt. Sequitur: *Et ait Samuel: Nunquid vult Dominus holocausta & victimas, & nō potius vt obediatur voci Domini? Melior est enim obedientia, quam victimæ: & auscultare magis, quam offerre adipem arietum. Quoniam quasi peccatum ariolandi est repugnare, & quasi scelus idololatriæ, nolle acquiescere.*] Hic enim nō aliud dicere possumus, nisi sententiam summi tractatoris Papæ Gregorij, quam in libris moralium moraliter exponens, dum de bono obedientiæ tractaret inseruit. Ait enim: Obedientia victimis iure præponitur, quia per victimas aliena caro, per obedientiam vero, voluntas propria mactatur. Tanto igitur quisque citius Deum placat, quando ante eius oculos repressa arbitrij superbia, gladio præcepti se immolat. Quo contrario, ariolandi peccatum inobedientia dicitur, vt quando sit virtus obedientiæ demonstretur. Ex aduerso ergo melius ostenditur, quid de eius laude sentiatur. Si enim quasi peccatum ariolandi, est repugnare, & quasi scelus idololatriæ, nolle acquiescere: sola est obedientia quæ fidei meritum possidet, qua sine quisque infidelis videatur. Hinc per Salomonem in ostensione obedientiæ dicitur. *Vir obediens loquitur victorias.* Vir quippe obediens victorias loquitur: quia dum alienæ voci humiliter subdimur, nosmetipsos in corde superamus. Quid enim prodest indiscrete Deo aliquid offerre velle, & eius contraire præceptis? quia nequaquam quis valet de oblatis muneribus, Dominum sibi placare, qui negligit obtemperare iussis. Quia enim bonorum nostrorum non indiget, nostra datione minime pascitur: Et ob hoc melior est obedientia quam victimæ. De qua plenius in libris moralium legere quis poterit: [*Dixitque Saul ad Samuel. Peccaui quia præuaricatus sum sermonem Domini*, & reliqua vsquequo ait, *& proiecit te Dominus ne sis Rex super Israel.* Corripit Propheta Regem pro inobedientia, quia mandatum explere non curauit, prædixitque ei regnum dimissurum, quia rectitudinem mandatorum Dei, sequi noluit. Et merito ille de potestatis culmine abiicitur, qui rite regimen tenere nescit. Ipse enim regimen rite tenet, qui se superiori per humilitatem, ad obediendum subiicit, & inferiori per authoritatem ad docendum anteponit. Si enim Saul Dei mandatis obediret, rite populo præesset. E *Et conuersus est Samuel vt abiret, ille autē apprehendit summitatē pallij eius, quæ & scissa est, & ait ad eum Samuel, Scidit Dominus regnum Israel à te hodie, & tradidit illud proximo tuo, meliori te.*] Nota mysteriū, quod sicut in Passione Domini, Pontifex vestimentū suum scidit, ita Rex Saul vestem Prophetæ nunc scindere describitur. Per vtramque enim potestatem, & regalem videlicet & sacerdotalem, scissio vestimentorum facta est, vt demonstretur stabilitatem regni & sacerdotij in populo Iudæorum fieri non posse, qui verum regē & sacerdotem ad se venientē, Dominum videlicet Christum recipere noluerunt. Matth. 26. *Porro triumphator in Israel, non parcet & pœnitudine nō flectetur: neque enim homo est, vt agat pœnitentiam.* In Hebræo legitur: *Porro triumphator Israel non mentietur.* Triumphator iste Deus est, cui omnis victoria recte ascribitur. F Non mētietur, quia ea quæ promittit sibi famulantibus, largitur. Pœnitudine non flectitur, quia non pœnitet eū de bonis quæ largitus est, quia mutabilis non est, sed secundum iustitiam & veritatem, vniuersa diiudicat. [*Dixitque Saul, peccaui. Sed nunc honora me coram senioribus populi mei, & coram Israel.*] Ac si dixisset, honora me sicut regem vt ego præcedam sicut rex, & tu sequaris, vt adorem Dominum Deum tuum. Senes autem populi sui, suam tribum: & coram Israël, cæteras tribus Israël, dicit. Sed in hoc quod ait: [*honora me coram senioribus populi mei.*] verecundiam passos ac superbia deceptus locutus est, quia timebat honores amittere, & ideo non obtinuit quod petiit, dicens: *peccaui* & reliqua. Quisquis enim sub specie confessionis humanos adhuc honores amittere timet, iste indulgentiam quam ficta humilitate postulat, à Deo adipisci non velat. Neque enim potest in confessione pœnitentiæ assequi veniam, vbi præit elatio mentis. G Nam quid aliud est, de reatu facinoris in conspectu hominum reprehendi refugere, nisi superbia cordis, per quam peccator dum displicere hominibus refugit, veniam quam à Deo accipere poterat à semetipso excludit? Facta eni humilitas, veniam à Deo consequi non valet. Sed notandū quod alia editio habet, [*Non reuertar tecum* (inquit Samuel, *quia spreuisti verbum Domini, & spernit te Dominus ne sis rex super Israel. Et conuertit Samuel faciem suam vt abiret: Et tenuit Saul pennulam diploidis, & disrupit eam. Et dixit ad eum Samuel: Disrupit Dominus regnum Israel de manu tua hodie, & dabit proximo tuo bono super te, & diuidetur Israel in duo, & non auertetur neque pœnitebit eum, quoniam non est sicut homo vt pœniteat eum. Ipse minatur & non permanet.*] Iste cui dicitur, [*spernit te Dominus ne sis rex super Israel.*] quadraginta regnauit annis super Israel, tanto scilicet tēporis spatio, quanto & ipse Dauid, & audiuit hoc primo tēpore regni sui. Intelligamus ideo dictū, quia nullus de eius stirpe fuerat regnaturus, & respiciamus ad stirpem Dauid, vnde exortus est secundum carnem Dominus, *mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus*: H 1.Tim. 2. prout beatus Augustinus ait, Et in Græcis exemplaribus legitur, *Disrupit Dominus regnū Israël de manu tua*, vt hoc intelligatur [*de manu tua*] quod est ab Israël. Augustinus. Ipsius namque populi gerebat personam, figurate homo iste, qui populus regnum fuerat amissurus, Christo Domino nostro spiritaliter regnaturo. De quo cum dicitur, [*& dabitur illud proximo tuo.*] ad carnis agnationem id refertur. Ex Israël Christus secundum carnem, vnde & Saul. Quod vero additum est, [*bono super te.*] Potest quidem intelligi [*meliori te.*] Ac si dicatur, Vt quia ille bonus, est ideo sit super te. Iuxta illud aliud propheticum: *Donec ponam omnes inimicos tuos sub pedibus tuis.* Psal. 109. 1.Cor. 15. In quibus est & Israel, cui suo persecutori regnum abstulit Christus. Vnde & dicitur, [*& diuidetur Israël in duo.*] Gen. 21. In Israël, scilicet inimicū Christo, & Israel adhærentem Christo. In Israël ad ancillam, & Israël ad liberam pertinentem. Nam ista duo genera primum simul erant, donec sterilis per gratiam Christi fœconda, eiiceret ancillam & filium eius.

A Propter peccatum quidem Salomonis, regnante filio eius Roboam, ſcimus Iſrael in duo fuiſſe diuiſum, & ita perſeueraſſe donec à Chaldæis captiuaretur. Sed hoc quid ad Saulem? cum ſi tale aliquid comminandum eſſet, ipſi Dauid fuerit potius comminandum, cui erat filius Salomon. Poſtremo inter ſe Hebræa diuiſa non eſt, ſed indifferenter in eiuſdem erroris ſocietate diſperſa per terras. Diuiſio vero illa, quam Deus ſub perſona Saulis illius regni, & populi figuram gerentis, eidem regno populoque minatus eſt, [*quoniam non eſt ſicut homo vt pœniteat eum. Ipſe minatur & non permanet.*] Id eſt, homo minatur & non permanet. Non eſt autem Deus, quem pænitet ſicut hominem. Vbi enim legitur quod pœniteat eum, mutatio rerum intelligitur, immutabili præſcientia manente diuina. Vbi ergo non pœnitere dicitur, non mutare intelligitur. Prorſus inſolubilem videmus per hæc verba prolatam diuinitus fuiſſe ſententiam, de iſta diuiſione populi Iſraël: & omnino perpetua quæcunque tranſierunt, B aut tranſibunt ad Chriſtum, nunquam erunt cum Iſraeliticia, qui eius inimici vſque in finem vitæ huius eſſe perſiſtunt. Sed in diuiſione, quæ hic prænunciata eſt, perpetuo permanebunt, [*Dixitque Samuel. Adducite ad me Agag regem Amalec. Et oblatus eſt ei. Et in fruſta concidit Samuel agag coram domino in Galgalis.*] Quando legitur quidem in ſcripturis, quod ſancti nulli hoſtium parcunt, efficiunt, vt humanum ſanguinē ſitientes dicuntur, quia & iuſti ita percuſſerunt hoſtes, vt nū relinqueretur ab his qui ſaluus fieret. Et nō intelligunt ſub his verbis adūbrari myſteria, & hoc magis nobis indicari, quod impugnantes aduerſus vitia, nullum penitus relinquere debeamus, ſed omnia interimere, ne ſi pepercerimus, reputetur nobis in culpam, ſicut ſcriptum eſt de Saul, qui viuum ſeruauerat regem Amalec. Quomodo enim quiſque iuſtus manebit, ſi adhuc aliquid peccati in ſemetipſo ſeruauerit ſicut Saul? At vero ſancti, in figura Samuelis ita ſæuiūt ſuper hoſtes ſuos, id eſt, ſuper vitia peccatorum, vt non permittant relinqui aliquod peccatū impunitum. [*Verumtamen lugebat Samuel Saul. Quoniam Dominum pænitebat, quod conſtituiſſet regem Saul ſuper Iſrael.*] Hic enim C benignitas perfecta ſanctorum in Samuele Propheta erga Saul præoſtenſa eſt, qui dum ſciret Saul peccaſſe, ex affectu benignitatis lugebat eum. Sic etiam Paulus lugebat illos, qui poſt fornicationem & immunditiem, non egerunt pœnitentiam.

2. Cor. 12.

CAP. XVI.

D*Ixitque Dominus ad Samuel: Imple cornu tuum oleo, & veni vt mittam te ad Iſai Bethlehemitem, prouidi enim in filijs eius regem mihi. Fecit Samuel prout Dominus imperauit, & vnxit Dauid oues patris ſui in medio fratrū ſuorum, qui erat rufus & pulcher aſpectu, decoraque facie.*] Sed videamus eundem Dauid, quomodo Chriſtū prophetice ſignificauerit. Dauid enim interpretatur *manu fortis*, ſiue deſiderabilis. Et quid fortius leone illo de tribu Iuda, qui vicit mundum? Et quid deſiderabilius D illo? de quo dicitur: *Veniet deſideratus cunctis gentibus.* Vngitur iſte Dauid in regem futurum, denuntians per vnctionem illam Chriſtum. Chriſtus enim à chriſmate appellatur. Reprobatis ſeptem filiis Iſai maiorib⁹ minimus ætate electus eſt ad regnum: Quia ſpreto Iudaico ſacerdotio, & regno prioris populi, qui ſabbatiſmum ſecundum legem ſeruabant, Chriſtus Dominus noſter, caput in nouia populi ſacerdotio perpetuo functus eſt: & in regē vnctus, cuius regnum non habet finem, & cui omnes gentes, tribus & linguæ, ſeruient. Quod autem in medio fratrum ſuorum vnctus eſſe dicitur, hoc eſt quod Propheta de Domino ait, *Vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ cōſortibus tuis.* Dauid ab officio paſtorali pecorum, ad hominum regnū transfertur: noſter autem Dauid ipſe Ieſus, ab ouibus Iudaicæ plebis ablatus, in regnū gentiū tranſlatus eſt: in Iudæa enim plebe non eſt modo Chriſtus, ablatus eſt inde, nunc gentium greges paſcit. [*Surgensque Samuel, abiit in Ramatha. Spiritus autem Domini receſſit à Saule, & exagitabat eum ſpiritus nequam à Domino.*] Quæritur de hoc ſpiritu nequam, Si Domini, cur E malus? Si malus, cur Domini? Sed duobus verbis comprehenſa eſt hæc ſententia. Et in Domino poteſtas iuſta, & in diabolo poteſtas iniuſta. Nam idem ſpiritus, malus, per nequiſſimam voluntatem, & idem ſpiritus, Domini, per acceptam iuſtiſſimam poteſtatem. Inde ergo ſpiritus Domini appellatus eſt diabolus, propter miniſterium, quia omnibus etiam ſpiritalibus malis, bene vti dicitur, vel ad damnationem quorundam, vel emendationem, vel ad probationem. Et licet afflictionem ſemper apperat, tamen ſi ab autore noſtro poteſtatem non accipit, idem malignus ſpiritus ad tentationis articulum nullatenus conualeſcit. Vnde & omnis voluntas diaboli iniuſta eſt; & tamen, permittente Deo, omnis poteſtas iuſta. Bene ergo dicitur, ſpiritus Domini malus exagitabat eum, Domini, videlicet per licentiam poteſtatis iuſtæ, malus autem, per deſiderium voluntatis iniuſtæ. Et quāuis malignitas à domino non ſit, poteſtas niſi à Deo non F eſt. Sic & alibi dictum eſt etiam, ſopor Domini qui occupauerat milites eiuſdem Saul, cum Dauid haſtam & ſcyphum abſtuliſſet, à capite dormientis. Non quia ſopor tunc in Domino erat, vt ipſe dormiret, ſed quia ille ſopor, qui tunc homines apprehenderat, nutu Dei erat infuſus; ne Dauid à ſeruis eius in eo loco præſentia ſentiretur. Dicitur ergo ſpiritus malus Domini, hoc eſt miniſter Dei, ad faciendum in Saul quod eum pati debere omnipotentiſſimus iudicabat. Quoniam ſpiritus ille (vt dictum eſt) voluntate qua malus erat, non erat Dei: creatura vero qua conditus erat, & poteſtate quam non ſuam, ſed Domini omnium æquitate acceperat, Domini erat. Hoc ſecundum hiſtoriam dictū eſt. Tropologice vero per Saul, populus præfigurabatur Iudæorū, qui in aduentu ſaluatoris, ob impietatē ſuam à Deo derelictus eſt. Spiritū ſanctū, quē olī acceperat, amiſit: atque ab ſpiritu nequā, hoc eſt, diaboli mendacio, vſque nunc agitatur. [*Igitur quandocunque ſpiritus Domini arripiebat Saul, tollebat Dauid citharam & percutiebat manu ſua, & refocillabatur Saul, & leuius habebat. Recedebat enim ab eo ſpiritus malus.*] Pen- G det enim ex ſuperioribus. Hic etiam prout ſupra, Typum tenuit ſaluatoris, Dauid in canticis muſicis eruditus erat, & Dominus IESVS CHRISTVS in Eccleſiæ vnitate variis concentibus in expoſitione ſanctarum ſcripturarum quotidie reſonat, & ſuauitate myſtica modulatur: Dauid in cithara canens malignum ſpiritum fugabat, & Chriſtus per virtutem crucis ſuæ dæmones oppreſſit atque de corde credentium fugauit. Non enim in cithara illius tanta virtus erat, ſed myſteriū crucis Chriſti, per lignum extēſione neruorū: myſtice gerebatur: in qua etiā paſſio Chriſti cantabatur. Dauid octauus & minimus frater in regno eligitur, & Dominus IESVS CHRISTVS ſemetipſū exinaniuit, formāque ſerui accipiens, per gloriam reſurrectionis ſuæ, & Euangelicam prædicationem (hoc enim ſacramenti octaui numeri obtinet arcanum) regnum in gētibus adeptus eſt. Dauid pulchra facie eſſe deſcribitur, quia & Dominus IESVS CHRISTVS ſpecioſus forma eſt, præ filiis hominum. Dauid rufus eſſe narratur, & de ſal- H uatore noſtro Propheta canit: *Quis eſt iſte qui venit de Edom?* & reliqua, quod interpretatur *rubeus*, ſiue *ſanguineus*. Cæterum moraliter nos inſtruit, quod cum Saulem ſpiritus immundus inuaderet, apprehenſa Dauid cithara eius, veſaniam ſedabat. Plerunque ſuperbus, diues, exhortationis blandimento placandus eſt, quia & plerumque dura vulnera, per lenia fomenta moleſcunt, & furor inſanorum ſæpe ad ſalutem, medio blandiente, reducitur Cūque ab eis in dulcedinē condeſcenditur, languor inſaniæ mitigatur. Neque enim negligenter intuendum eſt, quod cum Saulem ſpiritus aduerſus inuaderet, apprehenſa Dauid cithara, eius veſaniam ſedabat. Quid enim per Saulē niſi elatio potentium? Et quid per Dauid innuitur, niſi humilis vita ſanctorū? Cum ergo Saul ab immundo ſpiritu arripitur, Dauid canente, eius veſania temperatur, quia cū ſenſus potentium per elationem in furorem vertitur, dignum eſt vt ad ſalutem mentis, quaſi dulcedine citharæ, locutionis noſtræ tranquillitate reuocetur.

Apoc. 5. Agg. 2.

Daniel. 7. Pſalm.

1. Reg. 26.

A

CAP. XVII.

Congregantes vero Philiſtim agmina ſua in prælium conuenerunt in Sochoth, & reliqua] Sochoth eſt oppidum in tribu Iuda, vt in libris locorum legitur. Sunt autem vſque hodie viculi duo pergentibus Æliam de Eleuteropoli in nono miliario viæ publicæ, vnus in monte, & alter in campo, poſte qui Sochorh nuncupatur. Interpretatur vero ramus vel humilitas, Azeca ciuitas Chananæorum in parte tribus Iudæ, ad quam vſque perſecutus eſt IESVS quinque reges. Sed & hodie vocatur villa Azeca, inter Eleuteropolim & Æliam, & interpretatur fortitudo, ſiue decipula. Domu ſiue domim in tribu Iuda vicus grandis eſt, in Daromam, hoc eſt, ad auſtralem plagam in finibus Eleuteropoleos, decem & ſeptem ab ea miliaribus diſtans, & interpretatur ſilentium ſiue gaudium. [*Porro Saul & viri Iſrael, congregati ſunt in valle*

B *Therebinthi.*] Therebinthus eſt in Sichimis, ſub qua abſcondit Iacob idola iuxta Neapolim. Hinc refert Ioſephus quod Palæſtini caſtrametati ſunt inter Sochoth & Azeca. Contra quos denuo Saul perduxit exercitum, & ſuper quendam montem caſtra ponens, coegit Palæſtinos priora quidem caſtra relinquere, & ex aduerſo montis, quem Saul apprehenderat, aduenire. Diuiſitque eorum exercitus medius mons, qui erat poſitus inter eos. [*Et egreſſus eſt vir ſpurius de caſtris Philiſtinorum nomine Goliath.* & reliqua.] Igitur quemadmodum in exordio polliciti ſumus, paulatim hiſtoriam tangere cupimus vt poſtmodum culmen ſpiritalis intelligentiæ deponamus. Spurius dicitur, quia ex patre gigante, matre vero Gethæa, natus erat. Dauid autem erat filius viri Ephratæi de Bethlehem Iuda, cui nomen erat Iſai, qui habebat octo filios. Quæritur, cur hic octo filios habere dicatur, cum in Paralipomenon non amplius quam ſeptem leguntur? Quod ita ſoluitur, Nathan itaque prophetam, filium Samaa filij ſui, quem in loco filij educauerat & nutrierat,

C inter filios numerat. Nam & coram Samuele ſeptem eius filij leguntur adducti, & octauus eſſe in paſcuis: Inter quos Nathan adductum fuiſſe manifeſtum eſt, qui & Ionathan vocatur. De quo in extrema parte Samuelis dicitur. Percuſſit autem eum Ionathan filius Samaa fratris Dauid. Et notandum, quod vbicunque propheta vocatur Nathan ſcribitur, non Ionathan. [*Dixitque ad Dauid pater ſuus, Vade ad fratres tuos viſitabis ſi recte agant*, & cum quibus ordinati ſunt diſce.] *In Hebræo ita habetur. Et fratres tuos viſitabis ſi recte agant, & pignora eorum tolles.* Pignora in hoc loco, Hebræi libellum repudij intelligunt. Secundum vſum gentis illius fecerunt, vt quando ibatur ab eis in pugnam libellos repudij vxoribus ſuis darent, vt ſi contigiſſet virum in prælio capi, & in captiuitatem duci, mulier eius expectatis tribus annis, ſi vir eius non rediiſſet, alium duxiſſet virum. Eligat prudens lector quid ſibi placuerit, nos ſimplicitatem hiſtoriæ noſtræ tenere decreuimus. [*Dixitque ei frater ſuus: Quare veniſti & quare dereliquiſti pauculas oues illas in deſerto; Ego*

D *noui ſuperbiam tuam*, Et reliqua.] Noſſe ſe dicit illius ſuperbiam & nequitiam cordis, quia putabat eum tumore cordis eleuari, eo quod Samuel illum vnxiſſet in regem. [*Aſſumens autem Dauid caput, Philiſthæi attulit illud in Ieruſalem. Arma vero poſuit in tabernaculo.*] Quod dicit attuliſſe, Dauid caput Philiſtæi in Ieruſalem, anticipatio eſt, quod poſtea fecit. Arma vero eius, Id eſt Philiſtæi, non eſt intelligendum quod in ſuo poſuerit tabernaculo, ſed in tabernaculo Domini, de quo tabernaculo poſtea ab Abimelech ſacerdote accepit, ideoque ſuperfluo additum eſt, ſuo. [*Dixitque Abner, viuit anima tua Rex ſi noui.*] Secundum illud locutionis genus hoc dictum eſt, quod alibi legimus, benedixit Nabath Deo & regi, Ac ſi diceret, *Non viuat anima tua Rex ſi noui.* Aliter: *Videam mortem tuam ſi noui.* Seu etiam vt quidam volunt, *ſi* poſi-

Pſ.94. tum eſt pro, *non*, aduerbio, vt eſt illud Pſalmiſtæ: *Si introibunt in requiem meam.* Id eſt, *non introibunt. Si noui* dicit acſi diceret, *non noui.* Vtitur enim modo iurandi per vitam regis, & affirmat ſe non noſſe vnde ſit Dauid. Hoc

E etiam modo vſus eſt Ioſeph, quando ait fratribus ſuis: *Per ſalutem Pharaonis, non regrediemini hinc, donec veniat frater veſter minimus.*

Ecce hiſtoriam(ſicut ſpopondimus (ſummatim tetigimus, nunc figuras ſpiritalium rerum ſubiungamus. Ait enim ſacra deſcriptio, [*Congregantes vero Philiſtim agmina ſua.* & reliqua.] Quid per Philiſtæos, niſi aduerſarias poteſtates? Et quid per Goliath Gethæum, niſi caput omnium malorum diabolus præfiguratus eſt? qui aduerſus populum Dei, cum ſatellitibus ſuis ab origine mundi dimicauit, ſed ante aduentum veri Dauid, hoc eſt humani generis redemptoris, à nullo ſuperari poterat, Geth vero ciuitas eſt eiuſdem Goliath, quæ interpretatur torcular, præſentis mundi ſeu inferni prætendebat ſimilitudinem, in quo mundi atque inferno diabolus humanum genus peccatis obnoxium, velut in torculari conculcabat. Enormitas, ſiue altitudo ipſius Goliath, diaboli deſignabat ſuperbiam. Septenarius nam-

F que numerus, ſupernæ quietis obtinet ſacramentum, ex qua idem Diabolus ob ſuperbiæ ſuæ meritum excluſus, in huncmundum, qui ſex diebus factus eſſe narratur, lapſus eſt. Et quia ſuper delinquentē creaturā, propter peccati meritū, in hoc mundo principatū obtinuit, quaſi palmam ſuper ipſius mundi creaturā ſuperbiendo extulit. Arma vero Goliath, & operimentum eius, totius diaboli impietatem atque nequitiam demonſtrabant, per quæ humanum genus debellando graui pondere peccatorum depreſſerat: quæ arma impietatis, Dominus IESVS CHRISTVS igne Spiritus ſui ſancti, ſicut Pſalmographus canit, *combuſſit & ad nihilum vſque redegit.* [*Procedebat* Pſ.106.

vero Philiſthæus mane & veſpere per quadraginta dies, & reliqua.] Quadraginta dies quibus Goliath aduerſus populum Iſraël ſtetiſſe narratur, omne tempus vitæ præſentis, propter denarij numeri perfectionem, atque mundi quatuor partes, ſiue quatuor elementa, è quibus viſibilis creatura conſtat, figuram habuiſſe non dubium eſt. Dauid à patre ſuo ad viſitandum fratres miſſus eſt: ſimi-

G liter & Chriſtus Dominus à Deo patre ad oues quæ perierant domus Iſraël, ſe deſtinatū dicit. Dauid ephi polentæ, hoc eſt trium mediorū menſurā, fratribus ſuis detulit, Matth. 15.

& Chriſtus per nouā doctrinam quam Eccleſiæ ſuæ tradidit, myſterium ſanctæ Trinitatis cunctis credentibus cōmendauit. Dauid decem formellas caſei tribuno detulit, & Dominus IESVS CHRISTVS decalogum legis, populo Iudæorum tradidit. Goliath Gethæus, perſonam diaboli geſtabat, qui de altitudine ſuperbiæ ſuæ ſe iactās, per omne tempus quod ante aduentum ſaluatoris decurſum eſt, aduerſus populum Dei dimicans, in imo huius mundi, velut in valle, à nullo poterat ſuperari. Eliab frater Dauid maior, qui interpretatur, Deus meus pater, typum geſtaſſe Iudæorum non dubiū eſt, qui licet falſa opinione, ſe Domini patrem habere mentiuntur, per hoc vero quod Dominum IESVM CHRISTVM filiū eius æmulati ſunt, ab hæreditate Filiorum Dei degenerauerūt, & primogenitā quę illis iure debebantur, ob culpæ meritum, perdiderunt. Da-

H uid leonem pariter & vrſum necauit, & Dominus IESVS CHRISTVS diabolum hominibus latenter inſidiantem, & ante Chriſtum in poſterum manifeſtiſſime ſæuientem, in iudicio punitutus eſt. Dauid arma Saülis depoſuit, quia & Chriſtus corporalia ſacramēta legis, atque carnalia bella, quæ non ſunt impoſita gentibus, repulit. Onera nanque legis legimus, ſed carnaliter non obſeruamus. Quinque lympidiſſimos lapides de torrente elegit, & in peram paſtoralem miſit, & Chriſtus Dominus quinque libros Moſaicæ legis, de fluuio ſeculi huius aſſumpſit. Labitur enim mortale ſeculum, & præterfluit quicquid venit in mundum. Erat enim in flumine tanquam in populo illo. [*Et in peram paſtoralem miſit.*] Nam ipſe eſt Deus verus paſtor animarum. Vas quoque paſtorale, quo lac (vt nonnulli dicunt) mulgere conſueuerat, diuinam ſignificat gratiam, quæ legi coniungitur, quæ intelliguntur in quinque lapidibus, ſine qua non impletur. Dauid rufus & pulcher fuiſſe narratur, quia de Domino IESV CHRISTO in Canticis canticorum Eccleſia dicit: *Dilectus meus candidus & rubicūdus, electus ex millibus.* De cuius pulchritu-

dine

A dine superius prælibauimus, Goliath Dauid ad pugnam prouocauit, similiter & elatio diaboli Christi humilitatem paruipendens, ab ipso prostratus est. Baculus Dauid à diabolo despectus, mysterium gestauit dominicæ crucis. Dauid ex quinque lapidibus vnum iecit, quia & Christus qui ex lege nuntiabatur, singulari potentia, per vnitatem fidei & gratiam suam, diaboli superbiã prostrauit: Funda vero Ecclesiam præfigurauit, quæ per volumina temporũ, velut in circuitu voluitur. Dauid Goliath in fronte percussum prostrauit, similiter & Christus deuicto diabolo, qui ei hæserant se insigens, ab eius societate secernens, fidei suæ subdidit: hoc enim indicabat, quod idem Goliath percussus in faciem ruit. Dauid Goliath percusso, gladiũ eius tulit, hoc fecit noster Dauid, qui eiectum diabolum de suis, quando credunt magnitudinem eius, quos ille in potestate habebat, & de quib. cæteras animas trucidabat, conuertunt linguas suas contra diabolũ, & sic Goliath de gladio suo caput inciditur. Dauid gladium Goliath in Ierusalem detulit, similiter & Christus eos quos

B de potestate diaboli rapuit, ad defensionem altaris fidei in Ecclesiam suam transtulit. Saul de Dauid Abner velut pro incognito requirit, de qua stirpe descenderit, vel cuius esset filius, cum iam dudum ipse Dauid ei ministrasset, atque in conspectu eius ad repellendum nequam spiritum assisteret. Sic nimirum cæcitas Iudæorum Dominum IESVM CHRISTVM per legem & Prophetas, venturum esse nouerunt: & quem in præsentia corporali per administrationem virtutum, filium Dei esse approbare poterant, tanquam ignorantes, dicunt ei: *Tu qui es? & vbi est pater*

Ioan. 8. *tuus?* Moraliter vero Dauid typum tenuit Domini, quia videlicet manu fortis interpretatur. Goliath quidem hæreticorum superbiam signans, qui cum gladio ratione dominica fidei superati sunt. Dauid vero cum pera pastorali venit ad prælium, sed eundem Goliath Dauid superans, suo gladio occidit: quod sancti quoque agunt, qui præmissi Dauid membra, ex eius fieri dignatione meruerunt,

C nam cum superbientes hæreticos & sacræ scripturæ sententias deferentes, eisdem verbis atque sententiis quas proferunt, vincunt, quasi elatum Goliath, gladio suo detruncant.

CAP. XVIII.

E*T factum est cum complesset loqui ad Saul, anima Ionatha colligata est animæ Dauid, & dilexit eum Ionathas quasi animam suam*, & reliqua.] Ionathas filius Saul, cuius anima Dauid colligata est, illos sanctos significasse videtur, qui Domino IESV CHRISTO ex populo Iudæorum per fidem adhæserunt, qui accepta Spiritussancti gratia, pro Christi amore relictis omnibus, ipsum secuti sunt, sicut fuerũt Apost. & illi qui in actibus Apostolorum vendebant omnia, & pretia afferebant ad pedes Apostolorũ.

Act. 4. Quod autem idem Ionathas vestimentis suis, atque armis se nudauit, & Dauid vestiuit, hoc indicasse videtur: quod cuncta sacramenta spoliata, hoc est sacerdotium atque

D prædicatio, quæ populo Iudæorum olim collata fuerat, ad Christi Ecclesiam transferenda essent. Siue secundum superiorem sensum, bene à tunica vsque ad balitheum omnia dedit: quia credentes quique, quicquid habere poterant in hoc mundo, omnia in lucrum Christi conferre satagebant. *Porro cum reuerteretur, percusso Philistæo, Dauid, egressæ sunt mulieres de vniuersis vrbibus Israel cantantes, chorosque ducentes in occursum regis Saul in tympanis lætitiæ & in sistris, & præcinebant mulieres ludentes atque dicentes: Percussit Saul mille, & Dauid decem millia. Iratus est autem Saul nimis, & displicuit in oculis eius iste sermo, Dixitque: Dederunt Dauid decem millia; & mihi mille dederunt. Quid ei superest, nisi solum regnum. Non rectis ergo oculis Saul aspiciebat Dauid ex die illa & deinceps.*] Sic enim accipitur: Saül aduersus Dauid inuidia exarsit, similiter & populus Iudæorum aduersus Christum Dominum æmulationes suo malo pariter conspirati sunt. Et dum audiebant Christum prædicari in Ecclesiis, quem ipsi neci tradiderunt: & de victoria eius qui hostem antiquum triumphauit, credentes in laudibus

E ipsius congratulari: grauiter inde offensi sunt. [*Post diem autem alteram inuasit spiritus Dei malus Saul, & prophetabat in medio Domus suæ. Dauid autem psallebat manu sua sicut per singulos dies.* & reliqua] Quod autem dicit [*inuasit spiritus Dei malus Saul*] more arreptitiorum agebat, [*& prophetabat.*] Prophetare enim in hoc loco non est aliud intelligendum, nisi aliena retulisse. Quod vero sequitur de Dauid, [*Et egrediebatur & ingrediebatur in conspectu populi.*] Sic accipiendum est: Quando egrediebantur in pugnam, ipse primus, more regio, egrediebatur in conspectu eorum, & regrediebatur.] *Dilexit autem Michol filia Saul altera Dauid. Et nuntiatum est Saul, & placuit ei. Dixitque Saul: Dabo eam illi, vt fiat ei in scandalum & sit super eum manus Philisthinorum.* & reliqua.] Denique his duobus periculis, Saül Dauid putabat interimi posse, scilicet aut insidiis filiæ suæ, à qua se videbat multum amari, aut causa præputiorum Philisthinorum, propter quę adipiscenda Philistæos bello erat aggressurus. Vnde & ait: [*In duabus rebus gener meus eris hodie. Et mandauit*

F *Saul seruis suis: Loquimini ad Dauid clam me, dicentes: Ecce places regi, & omnes serui eius diligunt te* &c.] In duabus ergo rebus generum suum sibi futurum dicit, quia iam attulerat præputia Philisthinorum pro Merob, quam Saül dedit Hadrieli Molathitæ, & postea pro Michol ducenta. Et quamuis non aperte dicatur pro Merob Sauli Philisthinorum Dauid dedisse, tamen qui præcedentia & subsequentia perlegerit & scrutatus fuerit, inueniet eum bis Sauli præputia Philisthinorum dedisse. Nam superius dixerat Saül, [*Non sit manus mea in eo, sed sit super illum manus Philisthinorum.*] In sequentibus vero ait: [*Non habet necesse rex sponsalia, nisi tantum centum præputia Philisthinorum, vt fiat vltio de inimicis regis.*] Et subiungit scriptura, [*Porro cogitabat Dauid tradere in manus Philisthinorum. Cumque renuntiassent serui eius Dauid verba quæ dixerat Saul*, & reliqua.] Ecce hanc sententiam, ita digessimus, prout opinio aliquorum commentatur: quam si

G quis recipere voluerit, non contradicimus, sed si melius intellexerit, sequi gaudenter gratulabundi decreuimus. Cæterum dicamus prout nobis videtur. Bene ait: [*In duabus rebus gener meus eris hodie.*] Videlicet quia tam ingentem gigantem prostrauerit, & in hoc dignus erat tantæ virtutis, vt gener regis efficeretur: Et hæc est vna res. Altera vero quam ei proposuit, scilicet si centum præputia Allophylorum deferret, qui non solum centum, verumetiam ducenta attulit. Et vnde creditur regio perire voto, inde actus est gloriosiori trophæo. Ecce historia.

Cæterum tropice, quod Saül callide simulat Dauid offerre discrimini, & vnde creditus est regio perire voto, inde actus gloriosiori trophæo: intelligitur, quod Iudęi dũ contra voluntatẽ Dei, Christum interficere nisi sunt, per id salutem gentium egerunt, per quod crediderunt extinguere. Quod enim Dauid alienigenarum præputia attulit, & sic demum filiæ Saül nuptiis hæsit, significabat quod Christus non prius synagogam connubio suo spõderet, nisi gloriosus in gentibus fieret. Prius enim in na-

H tionibus resecauit carnis pollutionem in vtroque sexu & postea copulatus est synagogæ. Postquam enim (sicut scriptum est) introierit plenitudo, tunc omnis Israel saluus fiet. Dupla autem, id est ducenta præputia attulit, siue Rom. 11. pro Iudæis & gentibus acquisitis, siue quia maior est numerus acquisitionis populi gentium, quam credentium Iudæorum. Deinde odium Saul aduersus Dauid intantum auxit, vt rex ob medelam sui spiritus, Dauid more psallentem, iaculo conaretur conficere. Quid est quod dum Saülem spiritus aduersus inuaderet, apprehensa Dauid cithara, eius vesaniam mitigabat? Per Saulem enim, Iudæorum elatio: per Dauid autem, humilitas Christi significatur. Cum ergo Saul ab immundo spiritu arripitur, Dauid canente, eius vesania temperatur: quia cum sensus Iudæorum per blasphemiam in furorem vertitur, dignum est, vt ad salutem mentes eorum, quasi dulcedine citharæ, locutionis euangelicæ tranquillitate, reuocentur. Nam quod nisus est Saul configere Dauid lancea in pariete, & Dauid declinauit, & lancea casso vulnere perlata est in parietem, possumus iuxta quosdam ita intelligere, quod

prædicante Christo euangelium, Iudæi meditati sunt ei mortem inferre, sed dum ille ab eis ad salutem gentium viuus secessit, solam duritiam mentis illorum, malitia sua læsit.

CAP. XIX.

D*ixitque Ionathas ad Dauid: Ego autem egrediens stabo iuxta patrem meum in agro vbicumque fuerit, & ego loquar de te ad patrem meum, & quodcunque videro, nuntiabo tibi*, Et reliqua.] In hoc agro consiliandi causa, Saül venire consueuerat, vbi etiam condictum fuerat, vt occideretur Dauid, quod & Ionathas Dauid indicauerat. [*Mittit Saül custodes ad domum Dauid, vt custodirent eum, & interficeretur mane. Quod cum annuntiasset Dauid Michol vxor sua, dicens: nisi saluaueris te nocte hac, cras morieris: deposuit eum per fenestram. Porro ille abiit & fugit, atque saluatus est. Cumque venissent nuntij Saul, inuenerunt statuam in lecto Dauid positam, & pellem pilosam caprarum ad caput eius.*] Audiamus ergo quid hoc significet, quod miserit Saül ad custodiendam domum Dauid vt eum interficerent. Hoc non ad crucem Domini, sed tamen ad passionem eius pertinet. Crucifixus enim Christus, & mortuus & sepultus est. Erat ergo illa sepultura tanquam domus, ad quam custodiendam, misit regnum Iudæorum, quando custodes adhibuit sepulchro Christi. Quomodo custodita est domus, si Dauid figurabat Christum, vt Christus interficeretur: dum non in sepultura Christus, sed in cruce sit interfectus? Refertur ergo hoc ad corpus Christi: quia interficere Christum, erat tollere nomen Christi. Neque enim crederetur in Christum, si mendacium præualeret custodum, qui corrupti sunt vt dicerent: quia *dormientibus nobis, venerunt discipuli eius, & abstulerunt eum.* Hoc itaque velle Christum interficere, nomen resurrectionis eius extinguere, vt mendacium euangelio præferretur. Sed sicut illud non valuit Saul, vt interficeret Dauid, sic nec hoc potuit regnum Iudæorum efficere, vt memoriam Christi deleret. Isti autem qui de virtute Saül, id est de regno Iudæorum in Christo præsumere voluerunt, offenderunt in lapidem offensionis, tanquam in statuam, & hædus eis visus est agnus: Quia in quem peccatum non inuenerunt, quasi peccatorem persecuti sunt [*Nuntiatum est Sauli a dicentibus: Ecce Dauid in Naioth in Rama.*]

Naioth locus est in Rama, vbi sedit Dauid. Rama vero in tribu Beniamin ciuitas est Saulis, in sexto miliario, ab Helia ad septentrionalem plagam contra Bethel. Alia est autem in tribu Aser Naioth interpretatur pulchritudo, & Rama excelsum. Bene ergo conueniunt hæc nomina locorum, rebus in his expletis, qui prophetarum dicta, & celsitudinem habent scientiæ ac venustatem locutionis. [*Et expoliauit se etiam ipse vestimentis suis, & prophetauit cum cæteris coram Samuel, & cecinit nudus tota die illa & nocte. Vnde exiuit prouerbium: Num & Saul inter prophetas?*] Quæstio magna hic oritur, cum in præcedentibus legatur: & non vidit Samuel Saülem, vsque in diem mortis suæ, & hic prophetasse coram Samuele dicatur. Quam quæstionem duobus modis Hebræi soluunt: Aut non vidit eum, quia quando iunctus est Saül cuneo prophetarum, abscondit se Samuel ne videretur ab eo: aut non vidit indutus habitu regio, quo indutus erat, ideoque dictum est: non vidit eum vsque in diem mortis suæ, subauditur, indutus habitu regio. Expoliasse vero se non omnibus vestimentis, sed regalibus tantum intelligendum est. Idem quæritur, quomodo & illi qui missi essent ad tenendum hominem, & ad necem ducendum, tales Dei spiritu effici digni meruerunt. Et Saül ipse qui miserat, veniens & ipse sanguinem innocentem quærens effundere, accipere meruit spiritum illum & prophetare. Quantum enim ad litteram attinet, non est mirum hominem reprobum ad momenta transitoria prophetasse, dum etiam multi similes prophetiæ donum legantur habuisse: sicut Balaam ille reprobus, quem non tacet scriptura iudicio diuino esse damnatum, sed tamen prophetiam habebat. Nec illa verba parum attestantur huic sententiæ, quæ in euangelio scripta sunt: E multos dicturos in illa die, Domine, Domine, in tuo nomine manducauimus & bibimus, & in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus. Quibus dicturus est: *Non noui vos, discedite a me operarij iniquitatis.* Mystice autem exemplum huius Saül nuntiorumque eius, in hac sententia qui prophetare cœperunt, qui ad persequendum Dauid missi sunt, quid aliud significabant, nisi quosdam hæreticos; qui aliquid boni de munere Spiritus sancti habent, sicut testamenta legis & euangelij, sicut baptismi sacramentum, sed Christum in membris suis persequuntur? Qui enim ad Ecclesiam catholicam veniunt, non est in eis vllo modo violandum, aut quasi non habeant tradendum, sed tamen eos non ideo debere salutem confidere, quia non improbamus quod illos accepisse credimus, sed oportet nos cognoscere vnitatem & societatem vinculo charitatis, sine qua omnino quicquid habuerint, quamuis sanctum atque venerandum, ipsi tamen nihil sunt. F Qui tanto indigniores effecti præmio vitæ æternæ, quanto illis donis non bene vsi sunt, quæ in vita quæ transitoria est, acceperunt. Possunt etiam in hoc loco Iudæorum non incongrue gestare personam, qui dum aduersa cupiunt Christo, habent in ore sacramenta legis, & prophetarum ad testimonium Christi, & cum Ecclesia, quasi cum prophetis de scripturis disputant, sicut illi cum prophetis vaticinabantur. Quem, Saül persequens & prophetans, præfigurauit, nisi scribas & pharisæos Iudæorum, qui sacramenta legis & prophetarum, quæ de Christo sunt pronuntiata, ad testimonium eius in ore portantes, cum Ecclesiasticis viris de scripturis sanctis disputant? Quod autem Saul se spolians, nudus vaticinatus esse dicitur, hoc præfigurasse non est ambiguum, quod populus Iudæorum, (cuius personam idem Saul gestauit,) ab indumento fidei atque sacerdotij dignitate nudatus, & gloria regni spoliatus, verba legis & prophetarum, quæ de Christo testimonium perhibent, in G ore portans, eundem Christum Dominum, de quo non intelligens prophetat, malitiæ suæ liuore excæcatus persequitur.

CAP. XX.

E*T ait Ionathan ad Dauid: Sit Dominus tecum, sicut fuit cum patre meo. Etsi vixero, facies mihi misericordiam Domini.*] Quod enim ait [*sit Dominus tecum, sicut fuit cum patre meo*] Mihi videtur ita posse intelligi, ac si aperte diceret: Permaneat spiritus Domini tecum, sicut fuit prius in patre meo: Et ite sublime faciat regnum tuum, sicut sublime fecit patris mei regnum. [*Et si vixero, facies mihi misericordiam Domini,*] vt scil. secundus sim in regno tuo. [*sin vero mortuus fuero, non auferes misericordiam tuam a domo mea vsque in sempiternum.*] Quod vero subiungitur, [*quando eradicauerit Dominus inimicos Dauid vnumquemque de terra.*] Et post pauca subiunxit, [*Et requisiuit Dominus de manu inimicorum Dauid.*] Per anticipationem vtique fecit, prius historiam interserendo, quia H multo post tempore factum est, cum interfecto Saule, regnum ad domum Dauid translatum est. Et qui innocentem eum iniuste persequebantur, iusta sunt diuinitus vltione mulctati. Tunc enim requisiuit Dominus de manu inimicorum, quare virum sanctum afflixerint, tunc cogebantur rationem reddere odiorum, quibus contra illum tanto tempore seruierant, quæ & de Absalon & de Siba filio Bochri, & de cæteris hostibus Dauid potest intelligi. Aliter: Si scire vis quod de manu inimicorum Dauid requisierit Dominus, potest (nisi fallor) a superiori sententia, qua dictum est, quia fœdus pepigerit Ionathas cum domo Dauid, intelligi, quia hoc de manu inimicorum Dauid requisierit. Id est, quare non & ipsi fœdus cum eo pacis inire voluerint, cum quo esse Dominum viderunt. Idcirco autem scriptura hic sententiam hanc præoccupando interponere videtur, vt testimonium Ionathæ, quod dixerat, (quando eradicauerit inimicos Dauid vnumquemque de terra,)

verum

A verum esse comprobaret, quia videlicet eradicati sunt inimici Dauid de terra, non ipso Dauid se de aduersariis vlciscente, sed iudicante Domino pro illo. Bene autem subiungitur: [*Et addidit Ionathas deierare Dauid eo quod diligeret illum. Sicut enim animam suam, ita diligebat eum.*] Vt ille nimirum qui tam perfecto inata legem Dei amore complectebatur Dauid, a perditione inimicorum eius ostenderetur immunis. Qui & si ista morte præuentus, regnum cum eo, vt sperabat, terrenum habere nequiuit commune, absque vlla tamen contradictione, regni cœlestis consortium cum eo (quem gloria virtutum tantisper dilexit, cum esset & ipse virtutum amator) accepit. [*venit Ionathas in agrum iuxta placitum Dauid, &* reliqua.] Quid est quod Ionathas Dauid seruare volens, cum ille lateret in agro, iuxta lapidem ad signum duas iecit sagittas, quas puer paruulus, ignorans quid fecerit, collegit, & in ciuitatem retulit, nisi quod Deus pater filium suum vnigenitum, quem ad salutem humani generis mittendum decreuerat, in littera legis, B Iudæis nescientibus, absconditum habuerat? Dauid ergo absconditus est in agro, Christus celatus est in mundo. Ioan. 1. *In mundo* (inquit Iohannes) *erat, & mundus eum non cognouit.* Iuxta lapidem sedebat quia in tabulis legis scriptus erat. Nam Saul odio habens, & inter epulas sedens, filium mortis eum iudicabat: & iudaica plebs in paschæ epulis conuiuans, de nece Christi tractabat. [*Cum ergo illuxisset mane, venit Ionathas in agrum iuxta placitum Dauid, & puer paruulus cum eo.*] Iecit vnam sagittam, iecit & aliam: & Deus pater illucescente mane credulitatis, primum testimonium legis de Christo protulit, deinde prophetas misit, qui de aduentu eius testificarentur. Vnde Abac. 3. Habacuc ait, *In lumine iacula tua ibunt*, & reliqua. Collegit autem puer Ionathæ sagittas, & attulit ad Dominum suum: & quid ageretur penitus ignorabat. Sic & Iudaicus populus libros legis, & prophetarum portans, quasi diuinitus conscriptos ignorabat, sed eum, quem Moyses & prophetæ figurauerant, præsentialiter inter C se manentem non cognouerat.

CAP. XXI.

V*Enit autem Dauid in Nobe ad Abimelech sacerdotem, & obstupuit Abimelech eo quod venisset Dauid solus*, & reliqua.] Ahimelech ipse est Aia filius Achitob, filij Phinees, filij Heli. Ahimelech interrogat, vtrum Dauid, num pueri sui, quos in illum & illum locum condixisse dixerat, mundi essent? Dauid vero ænigmatice pluraliter de seipso respondit, dicens: [*Et fuerunt vasa puerorum sancta.*] scilicet à concubitu coniugali. Quod vero ait, [*Porro via hac polluta est.*] Et in Hebræo legitur, *Porro via laica est*, sic intelligendum est, ac si diceret: In lege præceptum est, vt carnalis non comedat ex eis, & tu interrogas vtrum mundi sint pueri? Qui etiam si mundi essent, nequaquam eis vesci deberent. Idcirco via est laica, quia tu laicaliter interrogas, [*Sed & ipsa hodie sanctificabitur in vasis.*] Ipsa vtique in vasis, id D est, mente sua sanctificari dicit, quia nisi necessitate corporis & periculo vitæ vrgente, nequaquam vescerentur eis. Non tamen aperte eosdem legitur Dauid panes comedisse, sicut Hebræi tradunt. Sed lege euangelium, vbi Dominus de hac sententia Iudæis loquitur, dicens: Matt. 2. *Nunquam legistis quid fecerit Dauid, quando necessitatem habuit, & esuriit ipse & qui cum eo erant, quomodo introiit domum Domini sub Abiathar principe sacerdotum & panes propositionis manducauit, quos non licebat manducare nisi sacerdotibus, & dedit eis qui cum eo erant?* Sed requirendum, quid est quod hic Ahimelech sacerdos legitur, à quo Dauid panes accepit, & Dominus in euangelio Abiathar nominat? Quod enim Dominus Abiathar principem sacerdotum pro Ahimelech appellat, nihil habet dissonantiæ, Ambo etenim fuerunt illic, cum veniens Dauid panes petiit & accepit, Ahimelech videlicet princeps sacerdotum & Abiathar filius eius. Occiso autem Ahimelech à Saule cum viris domus suæ generis sacerdotalis. LXXXV. fugit Abiathar ad Dauid, & comes factos totius exilij eius. Postea regnante eo, summi sacerdotij, & ipse gradum accepit, ac toto tempore regni illius in pontificatu perseuerans, multo maioris excellentiæ, quam pater suus effectus est. Ideoque dignus fuit cuius memoriam Dominus, etiam viuente patre, quasi summi sacerdotis faceret. Sed hoc quod ait superius, via hæc polluta est, sed sanctificabitur in vasis, ita nonnulli edisserunt. Mentiendo enim iter polluitur, dum à Rege missum me fingo, & hoc necessitate mortis, sed sanctificabitur in illis, quorum causa etiam fugio, quia illorum, non solum mei periculi causa mentior: nam ipsi huius rei causa saluabuntur. Hactenus historiā. Nunc spiritalem intelligentiā tangamos: Dauid fugiēs Saul ad Ahimelech sacerdotem: qui interpretatur, frater meus Rex venit: similiter Christus Iudæorum persecutionem, declinans, quorum typum Saul tenuit, ad Apostolos transiens: quibus interpretatio nominis Abimelech congruit, quos Dominus, Rex Regum, fratres vocare dignatus est, dicens, *Ite nuntiate fratribus meis*, cum quibus F & desideratum cibum sumpsit: Math. 12. Luc. 22. *Desiderio enim desideraui hoc pascha manducare.* Dauid ad Ahimelech solus venit, & Christus in Passione sua, solus relictus est. Quod autem ait Dauid, *illo & illo in loco condixi pueris meis*: hoc indicabat, quod Dominus Apostolos suos ante passionem suam informans ait: Matth. 26. *Postquam resurrexero, præcedam vos in Galilæam.* Dauid ab Abimelech quinque panes quæsiuit, sed vnum accepit: quia in quinque libris Mosaicæ legis vnitas retinetur. Dauid Goliath gladium sustulit, quia & Christus Dominus diaboli arma abstulit: Math. 12. *Fortis enim spolia ipse diripuit.* Dauid per viam pollutam se venisse ad Ahimelech professus est, quia & Christus Dominus inter immundas Iudæorum actiones, impollutus pertransiuit. Quod autem ait, [*Sed & ipsa hodie sanctificabitur in vasis meis.*] Hoc indicabat quod sancti Apostoli, qui Domini vasa erant, à contagione Iudæorum, fide purgante, corda sanctificarentur. [*Interea Dauid cum fugeret Saul, latere voluit apud Regem quendam Geth, nomine Achis. Sed cum gloria eius fuisset commemorata, ne* G *per liuorem, ad quem confugerat, aliquid ad eum machinaretur, finxit insaniam: & quasi furore correptus, mutauit os suum, defluebantque saliua in barbam eius, collabebaturq; in manibus eorum, & procidebat ad ostia portæ. Et dixit Achis Rex: Quid huc mihi adduxistis istum? Nunquid deerant vobis furiosi? Et sic eum dimisit.*] Achis interpretatur, quomodo est, per quod significatur ignorantia, & verbum mirantis & non agnoscentis, quod in gente Iudæorum impletum est: Qui dum viderint Christum, non agnouerunt, coram quibus mutauit os suum & abiit. Erant enim ibi præcepta legis carnalia, erat & sacrificium secundum ordinem Aaron: & postea ipse de corpore & sanguine suo instituit sacrificium, secundum ordinem Melchisedech. Mutauit ergo os suum in sacerdotio, mutauit in præceptis, dans aliud testamentum, euacuata carnali operatione, atque inde collapsus est in manibus eorum, quando eum comprehendentes crucifixerunt: & procidebat ad ostium portæ: hoc est, humiliauit se: hoc est, procidere vsque ad ostium fidei nostræ: ostium H enim portæ, initium fidei, inde incipit Ecclesia, & peruenit vsque ad speciem. Vt cum credit ea quæ non videt, mereatur perfrui, cum eum videre facie ad faciem cœperit. Quod enim in illo quasi furore, saliuæ decurrebant super barbam eius, (Apostolus hæc aperit, dicens: 1 Cor. 1 *Iudæi signa petunt, & Græci sapientiam quærunt. Nos autem prædicamus Christum crucifixum: Iudæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam: ipsis vero vocatis Iudæis & Græcis, Christum Dei virtutem & Dei sapientiam. Quia quod stultum est Dei, sapientius est hominibus: & quod infirmum est Dei, fortius est hominibus.*) Non tanquam saliuam attende, sed attende, quia super barbam decurrunt. Quomodo enim in saliuis infirmitas, sic in barba virtus ostenditur. Texit ergo virtutem suam, corpore infirmitatis suæ: & quod forinsecus infirmabatur, tanquam saliua apparebat. Intus autem diuina virtus, tanquam barba tegebatur.

CAP.

A

CAP. XXII.

F*Vgit Dauid in ſpeluncam Odollam, vbi eum omnes fratres eius, & omnis domus patris eius viſitauerunt, & conuenerunt ad eum omnes, qui erant in anguſtia conſtituti, & oppreſſi ære alieno, & amaro animo, & factus eſt eorum princeps.* Quid eſt quod manente Dauid in ſpelunca, venerunt ad eom omnes fratres eius & omnis domus patris eius, niſi quod redemptor noſter, peracta paſſione ſua, ac redemptione humani generis, de plebe Iſraëlitica in Iudæa primum Eccleſiam collocauit, de gente in qua carnem aſſumere dignatus eſt? Vbi fratres eius, id eſt Apoſtoli, & domum patris eius, id eſt, illi qui ex ſynagoga in eum crediderant, venerunt ad illum, & conuenerunt ad eum omnes qui erant in anguſtia conſtituti & & oppreſſi ære alieno, hoc eſt quod ipſe ad ſe venire inuitans dixit: *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis & ego reficiam vos.* Cæterum omnes qui ſe agnoſcunt in anguſtia conſtitutos vitiorum, nec habent latitudinem charitatis, & oppreſſi ſunt ære alieno, hoc eſt, cenſu peccatorum, quem exoluebant diabolo, quando exhibuerunt membra ſua ſeruire iniquitati ad iniquitatem: neceſſe eſt, vt amaro ſint animo, hoc eſt, vt digne pœnitentiam gerant à delictis ſuis præteritis, & venient ad Dauid, ad deſideratum videlicet noſtrum, quatenus fiat eorum princeps, quia ipſe eſt qui conſtiturus eſt à Deo iudex viuorum & mortuorom. *Deus fortis, pater futuri ſæculi, princeps pacis, cuius regni non erit finis, & dominabitur à mari vſque ad mare poteſtas eius, poteſtas æterna, & regnum eius alteri non dabitur.* [*Dixitque Gad propheta ad Dauid: Ne moreris in præſidio: ſed vade in terram Iuda.* Miro modo hic introducitur Gad propheta, cum in præcedentibus eius nulla facta fuerit mentio. Sic itaque hic introducitur, ſicut Elias Propheta in loco vbi dicitur: Et dixit Elias Theſbites de habitatoribus Galaad. Ex ore itaque domini Gad propheta Dauid dixit, vt non moraretur inter gentes, & in terra polluta, ſed in terram Iudam rediret, & ibi iuxta voluntatem Domini, perſecutionem inimicorum ferret. [*Dixitque Doeg Idumæus ad Saul: Vidi Dauid filium Iſai in Noba,* & reliqua.] Quantum ad ſpiritalem intelligentiam pertinet, in Doeg Idumæo, qui voto ſe obligauerat (ſicut in Hebræo legitur, prout Iudæi tradunt) vt aliquantiſper in tabernaculo Domini immoraretur, & orationi vacaret, Iudæ proditoris, perſona conſiſtit, per quem iſta operatus eſt Zabulus, vt eius proditione facta in Chriſto, poſtea perſecutionem Eccleſia pateretur, & occiderentur quam plurimi diſcipuli Chriſti & ſacerdotes, & pro nomine eius perſecutiones grauiſſimas perferrent. His ergo quibus receptus eſt Chriſtus, tribulationes induxit diabolus & mortem. *Omnes enim*, vt ait Apoſtolus, *qui in Chriſto pie volunt viuere, perſecutionem patiuntur.* Et Dominus ait: *Si me perſecuti ſunt, & vos perſequentur.* Poteſt enim Doeg, qui interpretatur *motus*, & Idumæus *terrenus*, ſiue *ſanguineus* quod nomen in præfiguratione futurorum accipiens, eorum videlicet perſonam ſignificare, qui terrena ſapientes, atque carnaliter viuentes, Chriſtum in ſuis membris perſequuntur.

Matt. 11. B Rom. 6. Act. 10. Iſaiæ 9. C 2. Tim. 3. Ioan. 15. D

CAP. XXIII.

P*Orro eo tempore, quo fugerat Abiathar filius Abimelech ad Dauid, in die illa ephod ſecum habens deſcenderat* &c.] Ephod illud erat quod Moyſes, iubente Domino, fecerat ſicut & rationale, in quo erat doctrina & veritas, in quo etiam conſuluit Dauid Dominum, & ait:] *Si tradent me viri Ceilæ in manus Saul, & ſi deſcendet ipſe ſicut audiuit ſeruus tuus? Et ait Dominus: Deſcendet.*] Ac ſi diceret: Si hic ſteteris, deſcendet Saul, & tradent te viri Ceilæ in manus eius, eorum voluntatem ei indicabat. Et merito viri Ceilæ, ſicut qui ingrati beneficiis Dauid extiterant, cum eos ipſe de manibus Philiſtiim eruerit, ſignificabant infidelitatem ſeu inconſtantiam Iudæorum, qui redemptoris noſtri ſemper pietati ingrati exiſtentes, apud ſæculi poteſtates contra eum inſidiando meditantur. Interpretatur autem Ceila, *ad fundam iacta*, ſiue *excellens ſibimet*. Et in Pſalmo ſcriptum eſt: *In circuitu impij ambulant.* Et alibi: *Stultus vt luna mutatur.* Vnde & ſequitur de Zipheis. [*Porro Dauid erat in deſerto Ziph in ſylua* &c. vſque, *& venerunt Ziphei ad Saul, dicentes: Ecce Dauid latitat apud nos.* Ziph mons ſqualidus vel caligans; ſiue nebuloſus, in quo ſedit Dauid propter Carmelium. Qui in ſcripturis Carmelius appellatur. Sic enim appellatur vicus hodie Iudæorum: vnde fuit Nabal Carmelus. Sed & vnus de poſteris Chaleb dictus eſt Ziph, lege Paralipomenon. Ergo vt dictum eſt ſuperius de viris Ceilæ, ſic & Ziphei, qui Dauid prodiderunt Saul, & cum eo mortem eius meditati ſunt, qui interpretantur gemmantes ſeu floreſcentes. Significant Iudæos, qui cum in regno terreno germinare appetebant, apud principes ſuos tractabant de nece ſaluatoris: qualiter eum per diſcipulum ſuum proditum apprehenderent, & præſidi ad interficiendum traderent. Significant etiam & perfidos quoſque, qui dum proſpera requirunt, & proſperatur eis præſens ſeculum. Vnde bene interpretantur floreſcentes, quando Dominum Chriſtum in membris ſuis degentem, apud poteſtates ſeculi huius produnt.

E Ps. 11. Eccl. 27. F Matt. 26.

CAP. XXIV.

D*Ehinc ſequitur*: Quod in eremo Engaddi (cum perſequendum. Dauid Saul appeteret) ingreſſus eſt Dauid in ſpeluncam, & ibi latebat. Sed rex improuiſis exceptus inſidiis, in hoc quid innocuo moliebatur inciderat. Scriptum eſt enim: *Qui fodit foueam proximo ſuo, ipſe incidet in eam.* Dauid autem bona pro malis retribuens, inimicum non occidens, ſed pro teſtimonio facti, oram chlamydis regiæ abſtulit: cum facilius eſſet exceptum inſidiis aduerſarium perdere magis, quam fallere. Quid ergo eſt quod iſte fugiens à facie Saul, in ſpelunca latuit? Quare autem latuit? niſi vt occultaretur & non inueniretur. Quid eſt contegi ſpelunca, niſi contegi terra? Qui enim in ſpelunca eſt, à terra tegitur, ne videatur. Portabat autem terram IESVS, carnem ſcilicet quam acceperat de terra: & in ea ſe occultabat, ne à Iudæis inueniretur Deus. *Si enim cognouiſſent: nunquam dominum gloriæ crucifixiſſent.* Quare ergo Dominum gloriæ non inuenerunt? Quia ſpelunca ſe texerat, id eſt, carnis infirmitatem, oculis obiiciebat: & maieſtatem diuinitatis, corporis in tegmine tanquam ſpeluncæ abdito, contegebat. Illi ergo non cognoſcentes Deum perſecuti ſunt hominem: nec mori potuit, niſi in homine: nec crucifigi potuit, niſi in homine: quia nec teneri potuit, niſi in homine. Oppoſuit ergo male quærentibus terram, ſeruauit male quærentibus Deum. Fugit ergo ſecundum carnem in ſpeluncam à facie Saul, quia paſſus eſt: vſque adeo ſe occultans Iudæis vt moreretur. Sed quare vſque ad mortem voluit eſſe patiens vt fugeret a facie Saul in ſpeluncam? Etenim ſpelunca inferior pars terræ poteſt accipi, & certe quod manifeſtum & notum eſt omnibus, corpus eius in monumento poſitum eſt, quod erat exciſum in petra. Hoc autem monumentum, ſpelunca erat, quo fugit noſter Dauid à facie Saul: Tandiu enim perſecuti ſunt illum Iudæi, quoadusque poneretur in ſpeluncam. Sed quid eſt quod Saul perſecutor ad purgandum ventrem ſpeluncam ingreditur, niſi quod Iudæi in Chriſtum conceptam mentis malitiam, quaſi odorem fœtidum emiſerunt: & cogitata apud ſe noxia, factis deterioribus (dum Chriſtum perimunt) oſtenderunt. Sed tamen Dauid Saulem occidere noluit, & cum in abdito occultatus auto haberet in poteſtatem, ſeruare potius quam occidere maluit. Ita & Chriſtus dum eſſet in ſpelunca carni perſecutorem populum in poteſtate habuit, & non occidit. Scriptum enim erat de eis per Prophetam: *Ne occideris eos.* Tantum denique Dauid ſummitatem chlamydis ſilenter abſcidit: vt oſtenderet, per prophetiam Chriſtum Iudæos non occidiſſe, ſed eis

Prou. 26. Eccl. 10. Eccl. 27. G 1. Cor. 2. H Ezech. 9.

tantum

A tantum regni gloriam abstulisse. Clamydis enim abscisio regni est amputatio. Hoc etiam alio loco idem Saul cum per inobedientiam peccasset ostendit. Nam cum veniam precaretur, & rogaret Samuelem vt reuerteretur cum illo ad placandum Deum, & noluisset, atque conuertens faciem suam abiret, tenuit Saül penulam vestimenti eius, & disrupit eam. Et dixit ad eum Samuel: disrupit Dominus regnum Israël de manu tua hodie, & dabit illud proximo tuo, & diuidetur Israël in duos populos. Ergo Israëlis personam figuratim gerebat rex iste: quia populus amissurus erat regnum, dum persequitur Christum: Sed quia hanc sententiam diffuse superius prouer doctores exposuerunt, digessimus: nunc breuiter replicabimus. Dauid persecutionem Saulis declinans in spelunca latuit: similiter & Christus Dominus diuinitatem suam sub spelunca carnis celans, à Iudæorum cordibus recessit. Saül cum ventrem purgaret, abscissa

B chlamyde dehonestatus est: Similiter & populus Iudæorum, postquam nequitiam quam mente conceperunt, in Christum Dominum effuderunt, clamantes: Crucifige, crucifige: ab indumento fidei & regali dignitate atque sacerdotio expoliati sunt: & tamen occisi non sunt: sed reseruati pro eis, qui de illo populo in fine mundi credituri sunt Christo. Aliter iuxta moralem significantiam: quid per Saulem, nisi mali rectores? quid vero per Dauid, nisi boni subditi designantur? Saüli enim ventrem purgare, est prauos præpositos conceptam in corde malitiam, vsque ad operam miseri odoris extendere: & cogitata apud se noxia, factis exterioribus exequendo, monstrare. Quorum facta licet sint terettima, ab humilibus subditis, oris gladio ferienda non sunt, etiam cum recte reprehendenda iudicantur. Vnde Dauid ferire metuit: quia ipsæ subditorum mentes, ab omni se peste obtrectationis abstinentes præpositorum vitam, nullo linguæ gladio percutiunt: etiam cum de imperfectione reprehendunt. Qui & si quando propter infirmitatem se abstinere via possunt, vt extrema

C quædam atque exteriora præpositorum mala reprehendant: sed tamen humiliter colloquuntur, quasi oram chlamydis similiter incidunt: qui, videlicet, dum prælatæ dignitati saltem innoxiæ & latenter derogant: quasi regis superpositi vestem fœdant. Sed tamen ad semetipsos redeunt, seque vehementissime, vel de tenuissima verbi laceratione, reprehendunt. Vnde & bene illic scriptum est: [*Post hæc Dauid percussit cor suum*, &c. Facta quippe præpositorũ oris gladio ferienda non sunt, etiam cum reprehendenda recte iudicantur. Si quid vero contra eos vel in minimis lingua labitur, necesse est vt per afflictionem pœnitentiæ comprimatur: quatenus ad semetipsum redeat Et cum præpositæ potestati detraxerit, contra se iudicium eius qui illi prælatus est, perhorrescat: Nam cum in præpositis delinquimus eius ordinationi, qui eos nobis prætulerit, obuiamus. Vnde Moyses quoque, cum contra se

Num.16. & Aaron conqueri populum cognouisset, ait: *Nos enim quid sumus?* Nec contra nos est murmur vestrum, sed contra Dominum.

D

CAP. XXV.

ERat autem vir quispiam in solitudine Maon, & possessio eius in Carmelo, &c.] Historia hæc mysticum (vt quibusdam videtur) potest habere intellectum. Nabal enim vir durus & pessimus & maliriosus, potest tenere figuram populi Iudæorum: quorum nonnulli vua fellis atque amaritudinis butro inebriati, *ceruice duri atque incircuncisi cordibus*, (vt beatus Stephanus ait) *semper Spiritui sancto resistentes, durum & carnalem sensum in lege sequentes, stolidi facti sunt*: quibus bene interpretatio nominis Nabal conuenit, qui interpretatur *demens* vel *insipiens* (vt Abigail ait ad Dauid.) Quia nimirum Christum venientem, & per Apostolos ab eis refectionem fi-

Ioan.9. dei & bonæ operationis expetentem, respuerunt, dicentes: *Hunc autem nescimus vnde sit. Nos autem discipuli Moysi sumus*. Abigail vero mulier prudentissima & speciosa, typum habuit plebis illius, qui ex Iudæis ad fidẽ

E cõuersi, Deo placere meruerũt Interpretatur namque, patris mei exultatio. Vnde & Dominus: *Confitebor tibi pater cœli & terra, qui abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis*. Et illud: *Gaudium erit in* Matt.11. Luc.10.
cælo super vno peccatore pœnitentiam agente, & reliqua Luc.15.
Hæc sæpius in Prophetis & in Apostolis pro salute populi Iudæorum deprecans Dauid, videlicet Dominus noster, acceptabilem bonorum operum oblationem, & piæ deuotionis obtulit: quam ille post mortem viri sui, qui demens in stultitia sua periit, asciuit in coniugium: & exhibuit sibi sponsam non habentem maculam aut rugam. Quod autem idem Nabal stultus transactis diebus decem, ex quo Dauid exprobratus fuerat mortuus narratur: hoc intelligi datur: quia populus Iudæorum, cui di- Ierem.5.
ctum est: *Audi popule stulte, postquam Dominum à se repulit, decalogum legis transgrediendo, in Euangelio lapsus est, atque in peccato suo mortuus est.* Sequitur: [*Ait Abigail ad Dauid: Si enim surrexit homo aliquando persequens te*, &c.] Pulcherrima comparatione, statum iusto- F
rum ac reproborum sorte discernit. Horum quippe animas, id est iustorum appellat viuentes: vt reproborum è contrario spirituali morte præoccupatas insinuet. Hos fasciculo, illos lapide fundæ assimilat. Fasciculus enim constringitur, vt integer maneat & conseruetur. Lapis in funda expeditus ponitur, vt abiiciatur: sic etenim, sic in hoc sæculo electi pressuris tribulationum coangustantur: vt his admoniti, arctius adinuicem mutua charitate connectantur, & coadunati ad inuicem manu sui redemptoris in perpetuum conseruentur. At vero reprobi, quanto latius in hac vita voluptatibus propriis, velut liberi dimittuntur: tanto longius in futuro à diuinæ visionis gloria proiiciuntur: vt de eis merito dicatur: Et quidem ipsi de manu tua expulsi sunt. Mire autem omnipotentem prouidentiam describit superni pectoris, cum dicit: Animam viri sancti quasi in fasciculo viuentium apud Deum esse custoditam. Sicut enim facillimum est cuilibet fasciculum herbæ, vel fœni sua manu retentum conseruare: ita virtus Domini & Saluatoris G
nostri, omnes per orbem electos, ab initio vsque ad finem sæculi, ne quis ex eis vlla ratione pereat, sine labore conseruat. Iuxta quod ipse in Euangelio, sub fi- Ioan.10
gura ouium, de eis loquens: *Et sequuntur me* (inquit) *& ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum. Non rapiet eas quisquam de manu mea.* Sicut fasciculus vnus, quibuslibet vinculis alligatur: ita omnis sanctorum cœtus, vna eademque fide, spe, & charitate ad inuicem constringitur, vno diuinæ protectionis munimine circundatur. Patet sane sensus: quia anima Dauid à persequentibus licet hostibus custodita semper fuit in sorte viuentium. Porro inimici eius insistentibus sibi aduersitatibus, sicut lapis funda circumactus, sic instabili motu perturbandi, & suis essent expellendi de finibus, vel etiam ab humanis rebus auferendi. Moraliter vero quid nobis Abigail renunciationis suæ dispensatione innuit: nisi quod iracundos melius corrigimus, si in ipsa iræ suæ commotione declinamus? Perturbati quippe quid audiant, ignorant: sed ad se reducti, tanto libentius exultationis ver- H
ba recipiunt, quanto se tranquillius tolerati erubescunt. Menti autem furore ebriæ, omne rectum quod dicitur, peruersum videtur. Vnde & recte Nabal ebrio, culpam suam Abigail laudabiliter tacuit, quam digesto vino laudabiliter dixit. Idcirco enim malum quod fecerat cognoscere potuit, quia hoc ebrius non audiuit. Porro iuxta historiam quod ait Abigail ad Dauid: [*Cum ergo fecerit tibi Dominus Domino meo omnia quæ locutus est bona de te, & constituerit te ducem super Israel, non erit tibi hoc in singultum & in scrupulum cordis.*] Ita intelligitur: Non erit tibi hoc in singultum, id est, vt modo effundas sanguinem Nabal, & propter hoc flendum tibi sit, & pœnitendum. [*Saul autem dedit Michol filiam suam vxorem Dauid, Phalthi filio Lais, qui erat de Gallim.*] Vt Hebræi tradunt, non cognouit eam Phalti: quoniam si cognouisset, nunquam Dauid sibi eam postea sociasset: quia in lege penitus huiuscemodi prohibetur coitus, Phalti inquit de Gallim, id est inundatione: Inunda-

A tio lex intelligitur. Legis enim doctor erat de Bautim, id est de electis. Quando enim à Saule Michul ei datur, Phalti euadens interpretatur: quando vero ipsi anfertur, Phaltihel, id est, euadens à Deo dicitur: videlicet quia custodiuit eum ne tangeret eam: ne fieret transgressor legis. Vnde licet in sequentibus legator, Quod ibat Phalti, cum reduceretur ipsa ad David, plorans: postea tamen (inquiunt) præ gaudio, eo quod liberasset eum Deus ne tangeret eam, exultauit. Quod quia assertio Iudæorum videtur, non in omnibus approbamus eam, sed iudicio lectoris relinquimus.

CAP. XXVI.

V*Enerunt Ziphai ad Saul dicentes: Ecce David latet apud nos.*] Sed quid significent, abunde superius dictum est. Nam iter demonstratum est, quando idem Daoid fugiens à facie Saul, ingressus est in castra B regis, cum dormientem inuenisset, non percussit, non occidit, sed solam lanceam, quæ erat ad caput eius & scyphum sustulit dormientibus cunctis. [*Egressus de castris transiuit in cacumen montis.*] Quid ergo est hoc? Sequebantur namque Christum Iudæi sed persequendo dormiebant: quia non vigilabant corde: duritia enim cordis obdormitio est. Dormiunt in vita veteri, non euigilant in nouam. Venit Christus, non eos occidit, sed tulit ab eis scyphum aquæ, id est gratiam legis. Tulit sceptrum regale, regni scilicet potestatem: quam pro magno habebant, & vnde se protegebant temporaliter: & quam aduersus Deum per incredulitatem gerebant. Deinde ingressus victor David noster, in castris eorum. Et regressus transcendit in altitudinem montis cælorum.

CAP. XXVII.

E*T ascendit David & viri eius, & agebant prædas de Gessuri, & de Gezri, & de Amalechitis. Hi enim pagi* C *habitabantur in terra antiquitus.*] Hi non erant sub potestate Achis. Habitati in terra dicuntur antiquitus, quia quieti & securi habitati fuerant, & nullius hostis deprædationes perpessi.

CAP. XXVIII. & XXIX. & XXX.

I*Nterea fugiens David, dum pergeret cum Achis rege Philistinorum in prælium aduersus Israel insurgentes Amalachitæ irruerunt in Siceleg. Et succendentes eam, captiuauerunt omnia quæ erant David & puerorum eius: Reuersus ergo David ad persequendos Amalechitas, inuenit Ægyptium puerum lassescentem, quem Amalechitæ ægrotum in itinere reliquerant. Hunc autem David inuentum cibo refecit, ducemque sui itineris fecit. Sicque Amalechitas persequitur, epulantesque reperit, & funditus extinxit.*] Amalechitæ quippe populus lambens vocantur, quibus mentes secularium designantur, quæ terrena cuncta ambiendo quasi lambunt, dum solis D temporalibus delectantur.

Quasi enim populus lambens prædam facit, dum terrena diligentes, lucra de alienis damnis exaggerant. Sed quid est quod Ægyptius Amalechitæ puer in itinere lassatur? nisi quod amator præsentis seculi, peccati sui nigredine opertus, sæpe ab eodem seculo infirmus despectusque relinquitur, vt cum eo nequaquam currere valeat, sed fractus aduersitate torpescat. Sed hunc David inuenit: quia redemptor noster veraciter manu fortis nonnunquã quos despectos à mundi gloria reperit, suo amore cõuertit cibo pascit: quia verbi scientia reficit: ducem itineris eligit, quia suũ etiã prędicatorẽ facit. Et quia Amalechitas sequi nõ valuit, dux David efficitur: quia is quem indignũ mundus deseruit, non solũ conuersus in sua Deum mente recipit, sed prædicando hunc etiã vsque ad aliena corda perducit. Quo videlicet duce David Amalechitam conuiuantem inuenit & extinguit: quia ipsis Christum prædicantibus, mundi lætitiam destruit, eorum scilicet quos comites habere despexit. Docenti illi viri qui ad torrentem lassi cum sarcinis sunt relicti, significant quosdam infirmos ecclesiæ, qui cum E ceteris spiritalibus viris, in via Dei currere nequeunt: sed veram fidem retinendo, atque per actiuam vitam opus bonum seruando, à clementiss. David, hoc est Christo domino, beatitudinis præmium cum reliquis perfectis præcipiunt. [*Samuel mortuus est, fleuitque eum omnis Israel, & sepelierunt eum in Rama vrbe sua.* Superius namque dicitur sepultus fuisse in domo sua in Rama. In domo sua, in familia videlicet & cognatione sua. Quod enim hic mortuus iterum dicitur (vt Hebræi volunt) resuscitationis suæ causa repetitur, vt & damnatio Saulis, qui peccatis mortuus erat, & relicto Deo contra legem phitonem consulebat, iusta esse manifestaretur. Sequitur. [*Post mortem autem Samuelis, congregati Philistim contra Israel, consuluitque dominum & non respondit ei, neque per somnia, neque per sacerdotes.*] Hebræus habet, neque per doctrinam neque per prophetas. Respondebat dominus per somnia (sicut He- F bræi asserunt) eoque ieiunando & orando poscebant oraculum sibi fieri diuinum, & Deus illis per somnia reuelabat ea quæ futura erant: Quod in hoc loco minime Saul fecisse legitur. Per doctrinam, per ephod scilicet, quod sacerdos in pectore portabat. Neque per & prophetas, quia illis consulentibus, dominus nequaquam respondebat. Hi prophetæ dicuntur fuisse discipuli Samuelis, quibus prophetantibus iunxit se Saul & prophetauit. [*Quæsiuit autem Saul phitonissam, quæ suscitaret illi Samuelem: Statimque suscitatus, ait ad eum: Quare inquietasti me vt suscitarer,* &c.]

Quæritur secundum historiam, vtrum phitonissa, ipsum prophetam de inferno euocauerit, an aliquam imaginariam illusionem fallacia dæmonum factam Sauli exhibuerit. De qua quæstione, beatæ memoriæ August. episcopus Simpliciano Mediolanensi episcopo, ita scribit: inquiris inquam, vtrum potuerit malignus spiritus G excitare animam iusti, & tanquam de abditis mortuorum receptaculis reuocare, & vt videretur & loqueretur cum Saul. Nonne maius mirandum sit, quod satanas ipsum dominum assumpsit, & constituit super pinnam templi? Quolibet enim modo fecerit, factum est: ita vt Samuel exercitaretur, similiter latet. Nisi forte quis dixerit faciliorem diabolo fuisse licentiam ad dominum viuum, vnde voluit assumendum, & vbi voluit constituendum, quam ad Samuelis defuncti spiritum è suis sedibus excitatum. Quod si illud in euangelio nos ideo non conturbat, quia Deus voluit atque permisit, nulla diminutione suæ potestatis & diuinitatis id fieri: sicut ab ipsis Iudæis (quamquam peruersis atque immundis & facta diaboli fauentibus) & teneri se & vinciri, & illudi & crucifigi atque interfici passus est. Et non est absurdum credere ex aliqua dispensatione diuinæ voluntatis permissum fuisse vt non inuitus nec dominante magica potentia, sed volens atque obtemperans occulta dispensatione Dei, quæ phitonissam illam Saulemque latebant, spiritus proferret sancti Samuelis: seque ostenderet aspectibus regis diuina sententia H perituri.

Quanquam in hoc facto potest adesse alius facilior intellectus, vt non vere spiritum Samuelis excitatum à requie sua credamus, sed aliquod phantasma & imaginariam illusionem diaboli machinationibus factam, quam propterea scriptura nomine Samuelis appellat, quia solent imagines earum rerum nominibus appellari, quarum imagines sunt. Sicut omnia quæ pinguntur atque finguntur, earum rerum quarum imagines sunt, nominibus appellantur. Sicut hominis pictura cum cernitur, proprium quodque nomen incunctanter adhibetur. Et dicitur, ille Cicero est, ille Sallustius, ille Achilles, iste Hector, hoc flumen Simois, illa Roma: cum aliud nihil sunt, quam pictæ imagines. Vnde & Cherubim cum sint cælestes virtutes, ficti tamen ex metallo, quo imperauit Deus poni super arcam testamenti, magnæ rei significandæ gratia, non aliud quam Cherubim, illa quoque figmenta, vocabantur. Iterumque

A que dum quisque videt somnium, non dicit, vidi imaginem Augustini, sed vidi Augustinum, cum eo tempore quo aliquid tale aliquis vidit ignoraret hoc Augustinus.
Gen. 41. Vsque adeo manifestum est non ipsos homines, sed imagines eorum videri. Et Pharao spicas se dixit vidisse in somniis & boues, non spicarum aut boum imagines. Si igitur constat liquido, nominibus earum rerum quarum imagines sunt easdem imagines appellari, non mirum est
2. Cor. 11. quod scriptura dicit Samuelem visum: etiam si forte imago Samuelis apparuit per ficta machinamenta, eius qui transfigurans se velut Angelum lucis, & ministros suos subornat velut ministros iustitiæ. Iam vero si illud, inquit vos mouet, quomodo à maligno spiritu Sauli prædicta sunt: potest & illud mirum videri, quomodo dæmones agnouerunt Christum quem Iudæi non agnoscebant. Cum enim vult Deus etiam infirmos spiritus aliqua vera cognoscere, temporalia duntaxat, ad istam mortalitatem pertinentia, facile est & non incongruum, vt omnipotens
B & iustus ad eorum pœnam quibus ista prædicantur, (vt malum quod eis imminet, antequam veniat, prænoscendo patiantur) occulto apparatu mysteriorum suorum, etiam spiritibus talibus aliquid diuinationis impertiat, & quod audiunt ab Angelis, prænuntient hominibus. Tantum autem audiunt, quantum omnium dominus atque modera-
Act. 16. tor iubet vel sinit. Vnde etiam phitonissa in actibus Apostolum attestante Paulo Apostolo, & euangelista conatur esse. Miscent tamen isti fallacias, & verú quod nosse potuerunt, non docendi magis, quam decipiendi fine pronuntiant: & forte hoc est quod eum illa imago Samuelis Saulem prædicare. moriturum dixit etiam secum esse futu-
Luc. 16. rum. Quod vtique falsum est: Magno quippe interuallo post mortem separari bonos in euangelio legimus: cum inter superbum illum diuitem cum iam apud inferos torméta pateretur, & illú qui ad eius ianuam hulcerosus iacebat, iam in requiem consistuum, magnum chaos interiectum esse testatur. Aut si propterea Samuel ei dixit, mecum eris, vt non ad qualitatem felicitatis, sed ad parem
C conditionem mortis referatur: quod vterque homo fuerit & vterque mori potuerit, iamque mortuum, mortem viuo prænuntiabat. Secundum vtrumque igitur intellectum habere exitum hæc lectio potest, qui nó sit contra fidem. Nisi forte profundiori inquisitione inueniatur ad liquidum, vel posse vel non posse, animam humanam, cum ex hac vita migrauerit, magicis carminibus euocari, & viuorum apparere conspectibus, etiam corporis lineamenta gestantem: vt non solum videri valeat, sed etiam, agnosci, & si potest, verum etiam iusti anima non quidem cogatur magicis sacris, sed dignetur ostendi, occultioribus mysteriis summæ legis obtemperans: vt si fieri non posse claruerit, vt non vterque sensus huius scripturæ tractatione admittatur, sed illo excluso, imaginaria similitudo Samuelis, diabolico ritu facta intelligatur. Sed quoniam siue illud fieri possit, siue non possit, tamen fallacia satanæ atque imaginum simulandarum callida operatio, decipiédis sensibus humanis multiformis inuigilat. Tacendum nunc quidé, ne inquisitionibus diligentioribus præscriba-
D mus, sed potius existimemus tale aliquid factum maligno spiritu phitonissæ illius ministerio, quam diu nobis aliquid amplius excogitare, atque explicare non datur. Hæc sunt quæ tunc de phitonissa, & Samuele scripsit beatissimus Aug. Sed quia hoc genus magicæ phantasiæ crebro in hoc libro legitur, dicendum est vnde nomen acceperit: Nonnulli enim ab Apolline Pythio repertum atque ab eius cognomine sic dicunt esse vocatum. Sed & Hebræum nomen inquiunt congruit: Phitona abissi dicunt, vnde & phitonissam & phitones legendum putant. Quod & nos diligenter inuestigantes sic in antiquis, ima & modernis voluminibus scriptum repetimus. Alij vero a serpente, qui phyton dictus est, de cuius pelle diuinabant, dictum asserunt, vnde & phytonissam & phytones legunt. Quod nos arbitrio prudétis lectoris derelinquimus, quid magis eligere placuerit. Hæc enim sententia iuxta historiam superiori sententiæ postposita est. Quod nos ideo facimus, vt totum de Saule & phytonissa pariter negotium comprehendamus.

CAP. XXXI.

E *IGitur exorto prælio, percusserunt Philisthim Israël plaga magna, corrueruntque in prælio Saul & Ionathas* &c. vsque quo ait, *& armiger eius ipse corruit super gladium suum, & mortuus est cum eo.*] Armigerum istum Hebræi Doeg Idumeum dicunt fuisse, qui cernens Saül mortuum, seipsum ob metum Dauid interemit. [*Mortuus est Saul & tres filij eius & armiger illius & vniuersi viri eius.*] Viri isti, pueri domestici eius intelligendi sunt. Hi tres filij Saul cum eo interfecti sunt, Ionathas, Abinadab, qui & Iesui & Melchisua Isboseth autem domi erat, qui anno quo Saul rex constitutus est, natus fuisse dicitur, qui etiam XL. annorum fuisse legitur cum regnare cœpisset: Vnde colligitur Saul XL. annis regnasse. Quærendum cur alibi legatur Iesui, & alibi Abinadab: Iesui enim in- F
terpretatur æqualis, Æqualis ideo dicitur, quia æqualis merito fuisse cum patre filij memorantur. Abinadab interpretatur pater meus sponte. Sponte etenim sua pater eius Saul male agendo adquisiuit, vt taliter vnà cum filiis perimeretur.

ANGELOMI LEXOVIENSIS in Libri secundi Regum Stromata.

Præfatio.

VErum quoniam fauente diuina gratia (quanquam fortassis indocte) primum librum huius historiæ digessimus, & quasi vnionem spiritalis intelligentiæ, quodammodo in conchulis maris, huius videlicet voluminis latitantem, velut alta pelagi, lyntre nostræ inuestigationis, immergendo: ad lucem produximus, in quo quidem, euidentissime, (vtpote prælibauimus) immutatio sacerdotij Iudæorum, G
ac repulsio synagogæ, in verum Christi sacerdotium & collectio sanctæ Ecclesiæ ex gentibus: aliaque plurima sacramenta quæ sub allegoriarum figuris contineri probauimus. Nunc ipso inspirante, in quo sunt omnes thesauri sapiétiæ & scientiæ reconditi, secundum librum præfatæ historiæ aggredimur & lympida Christi Ecclesiæque pandere sacramenta, conabimur. Etsi ex tanta profunditate, aurum producere ad lucem non possumus optimum, aut carbunculum ex Phison flumio, non quimus abstrahere lapidem magnificum, saltem quoque margaritum fulgens, possimus exhaurire de gurgite: aut si etiam, ex gemmis renitentibus, non valemus optimam fabricare coronam, quodammodo ex floribus, amœnitatis diuinarum scripturarum tentabimus componere serta, ne ex paupertate ingenij, ingratus videar a Domino, sed potius sua clementia, dum cernit studium, adiungeat vires in pondere, ne fractus inueniar pressusque mola tanta magnitudinis. Nam sequitur,

CAP. I.

H FActvm *est autem postquam mortuus est Saul, vt Dauid reuerteretur à cæde Amalec, & maneret in Siceleg duos dies. In die autem tertio, apparuit homo Amalechites, veniens de castris Saul,* & reliqua.] Homo iste qui ad Dauid veniens, mortem Saulis nuntiauerat, qui etiam mentiens, Saul interfecisse se dixerat: præsertim cum superius legatur irruisse Saul super gladium suum, & mortuus esse, ipse & armiger eius, in monte Gelboe. Qui propterea a Dauid interfici iussus est, eo quod dixerit se interfecisse, & non timuisse mittere manum suam in Christum Domini, qui & Amalechites dictus est. Hebræi prout in quodam volumine legi, filium Doeg Idumæi tradunt, fuisse. Amalechites enim & Idumæus, vnum sunt, sicut reperi, quia filius primogenitus Esau qui & Edom, Eliphaz fuit, & huius filius Amalec extitit. Vnde diadema & armilla quæ Dauid detulit, à patre Doeg commendata filio fuisse, non-

nulli Hebræorum perhibent. Vnde inquiunt non esse credendum, vt Saül eam in prælium detulisset, sed Doeg amico suo commendauerat, à quo ipse acceperat. At vero, si cui credibile videtur, quod Saul in prælium detulisset, & à capite eius, eo mortuo, & à brachiis abstulisset, & Dauid causa adulationis & gratiæ detulisset, non refragamus ac inhibemus, sed potius suo arbitrio derelinquimus. Sed altiori intellectu reputamus quod est quod ille Amalechites qui se finxit coram Dauid Saul regem interfecisse, ab eo vltionis pœnam multatus accepit, nisi quod omnis qui proximo suo machinatur malum, vel de eius gaudet interitu, iustæ retributionis pœnam, & superoo iudice recipiet? Iuxta illud quod scriptum est: *Omnis enim qui fodit foueam incidet in illam. Et qui percusserit gladio peribit*. Et iterum: *Os quod mentitur, occidit animam.* His expletis, sequitur historia quid Dauid egerit. Ait enim, *Planxit autem Dauid planctum huiuscemodi super Saul & super Ionatham filium eius. Et præcepit vt docerent filios Iuda carnem, sicut scriptum est in libro iustorum &c.*] In Hebræo & in veris exemplaribus non habent carmen, sed arcum: quod nostris doctoribus item melius videtur. Nam quod scriptum est, quoniam plangebat interfectos Saul & Ionathan [*& præcepit vt docerent filios Iuda arcum*] hoc ideo fecit, Quia Philistæos sagittariis abundare, iam nouerat. Aliter: [*Præcepit Dauid vt docerent filios Iuda arcum*, hoc est vt reges Iuda, docerent fortitudinem: scilicet, vt fortes & intenti essent in timore Domini, & in præceptis Dei: ne per inobedientiam, à fortitudine & timore Domini sicut Saül recederent: & eo modo quo ille perierat, perirent, & vnde Saul maxime horum ictibus perierat, eandem bellandi artem, & sui milites ad reuincendos eos, discerent. Quod vero sequitur, [*sicut scriptum est in libro iustorum.*] Ipsum librum hodie nusquam, neque apud ipsos Hebræos inueniri posse, asseuerant: sicut nec librum bellorum domini, cuius in libro Numerorum mentio est, neque carmina Salomonis, neque disputationes eius sapientissimas de lignorum natura, herbarumque omnium, totorumque iumentorum, volucrum, reptilium, & piscium. Vel quod in libro verborum dicitur. Reliqua vero operum Salomonis priorum & nouissimorum, scripta sunt in verbis Nathan Prophetæ, & in libris Ahiæ Silonitis, in visione quoque Iddo videntis contra Ieroboam filium Nabat, & multa huiusmodi volumina, quæ scriptura quidem fuisse probat, sed hodie constat non esse. Vastata namque à Chaldæis Iudæa, etiam bibliotheca quæ est antiquitus congregata, inter alias prouinciæ opes, hostili igne consumpta est, ex qua pauci qui nunc in sancta scriptura continentur libri, postmodum Ezræ pontificis & Prophetæ sunt industria restaurati. Vnde scriptum est de eo: *Ascendit Ezras de Babylone, & ipse scriba velox in lege Moysi.*

Velox videlicet, quia promptiores literarum figuras, quam eatenus Hebræi habebant, reperit. Et in epistola Regis Persarum legitur: *Artaxerxes Rex regum Ezræ sacerdoti, scribæ legis Dei cæli doctissimo, Salutem.* Sunt tamen qui dicunt, hunc librum iustorum intelligi debere ipsum librum Regum, vbi continentur Prophetæ iusti, Samuel videlicet, Gad & Nathan, in quo scriptum est, qualiter Saul recedens à timore Dei per inobedientiam suam periit. [*Inclyti tui Israel super montes tuos interfecti sunt.*] In Hebræo habetur, super excelsa tua, & est sensus: O Saul super excelsa tua, gloriosi Israël interfecti sunt: quia in peccato inobedientiæ tuæ, vna tecum perierunt. Inobedientia namque pro idolis id est excelsis, reputata est, sicut est illud in libro Samuelis: *Melior est enim obedientia, quam victimæ: & auscultare magis, quam offerre adipem arietum.* Quoniam quasi peccatum ariolandi est repugnare, & quasi scelus idololatriæ, nolle acquiescere.

Sed quod ait, *Nolite annuntiare in Geth, neque annuntietis in compitis Ascalonis &c.*] Obstupescens Propheta, gemit subitaneum casum principum popoli sui, & propter ne vllus lætetur in tali casu, neque fama hoc diuulget in ciuitates inimicorum. Geth enim & Ascalon, vrbes sunt Allophilorum. E

Hactenus historiam, nunc quid allegorice significet, subiungamus. Ait namque [*Et præcepit Dauid vt docerent filios Iuda.* Et reliqua.] filij Iuda intelliguntur fideles in Ecclesia, Christum Deum confitentes: de quibus verus Dauid, id est manu fortis, Dominus præcepit, vt arcu diuinæ intelligentiæ sint muniti: ne aut ignorantiæ cæcitate decepti, in impietate ruant, aut certe ignaui ac dissoluti in conspectu hostium suorum, hoc est immundorum spirituum per quodlibet vitium decepti, succumbant: & in perpetuo in mortem animæ irreparabiliter cadant. [*Nolite annuntiare in Geth &c.*] Matt. 23. Geth quæ interpretatur torcular, significat terrenam Hierusalem ciuitatem, quæ occidit Prophetas, & lapidauit eos qui ad ipsam missi fuerant. Cuius ciuibus, id est, Iudæis incredulis, mors Domini atque sanctorum Apostolorum in derisum fuit: & ob hoc præcipitur à vero Dauid, Christo videlicet Domino, vt passio eius per euangelicos prædicatores, eis minime debeat annuntiari: qui insultatores crucis Christi maluerunt esse, quam veneratores. F

Sequitur: [*Et ait Dauid: Montes Gelboe, nec ros, nec pluuia veniat super vos*, & reliqua.] Propter casum fortium, & ruinam populi sui, quasi indignans loquitur ad ipsum locum interfectionis, abominans factum quod in eo fuerat gestum, sicut cuidam videtur, tamen non sine mysterio præsagandi, sicut paulo post ostenderetur, beato Papa Gregorio propalante. [*Sagitta Ionathæ nunquam abiit retrorsum, & gladius Saul non est reuersus inanis.*] Hoc vult insinuare, quod Ionathas & Saul temporibus suis bellicosissimi & fortissimi fuerint in præliis. [*Saul & Ionathas amabiles & decori in vita sua, in morte quoque non sunt diuisi. Aquilis velociores, leonibus fortiores.* Laudat decorem formæ, laudat & constantiam animi: adiungens per hyperbolem tropom, similitudinem aquilæ atque leonis. G [*Filiæ Israel, super Saul flete, qui vestiebat vos coccino in deliciis, qui præbebat ornamenta aurea cultui vestro.* [Videlicet & de prædis hostium quas agebat. [*Quomodo ceciderunt fortes in prælio?*] Subauditur in peccato suo. [*Ionathas & Saul, in excelsis tuis occisus es.*] Sicut superius diximus.

Ideo ô Saul & Ionathan in excelsis tuis, hoc est, in peccato inobedientiæ tuæ occisus, subauditur es. Ecce historiam. Cæterum spiritaliter quid est, quod Dauid qui retribuentibus mala, non reddidit, cum Saul & Ionathan bello occumberent, Gelboe montibus maledicit, dicens: [*Montes Gelboe*, (inquit) *nec ros, nec pluuia, veniant super vos. Neque sint agri primitiarum quia ibi abiectus est clypeus fortium, clypeus Saul, quasi non esset vnctus oleo.*] Quid ergo montes Gelbue, Saul moriente, deliquerunt, quatenus in eis nec ros, nec pluuia caderet, & ab omni eos viriditatis germine, sententiæ sermo, siccaret? Sed quia Gelboe interpretatur decursus per Saul autem vnctum & mortuum, mors nostri mediatoris exprimitur, non immerito per Gelboe Montes, superba Iudæorum corda, signantur, quæ dum in huius mundi desideriis defluunt, in Christi, id est vncti, se morte miscuerunt. H Et quia in eis vnctus rex corporaliter moritur ipsi ab omni gratiæ rore, siccantur. De quibus & bene dicitur, [*agri primitiarum esse non possunt.*] Superbæ quippe Hebræorum mentes, primitiuos fructus non ferunt Isa. 10. Rom. 9. quia in redemptoris aduentu, ex parte maxima, in perfidia remanentes, primordia fidei sequi noluerunt. Sancta namque Ecclesia in primitiis suis, multitudine gentium fœcundata, vix in mundi fine, Iudæos quos inuenerit suscipit, & extrema colligens, eos quasi pro reliquiis fruges ponit. De quibus nimirum reliquiis Isaias dicit: *Si fuerit numerus filiorum Israël quasi arena maris, reliquiæ saluæ fient.* Possunt namque idcirco Gelboe montes ore Prophetæ maledici, vt dum fructus exarescente terra moritur, possessores terræ, sterilitatis damno feriantur,

quatenus

A quatenus ipsi maledictionis sententiam acciperent, qui apud se mortem regis suscipere, iniquitate sua exigente, meruissent. Aliter vero David in persona sanctorum deplorat quosdam de Ecclesia, qui per superbiam mentes, atque cum labentibus, vitæ præsentis stadium decurrentes, ab spiritali luce seclusi, lubricati id est, excæcati sunt: qui repugnantes dæmonibus, labuntur in seculo: quod est lubricum, (Gelboe enim montes, lubrici interpretantur, secundum hanc intelligentiam) & spem recuperationis suæ omittentes, proprio mucrone, desperatione videlicet perniciosa euadendi hostem antiquum, semetipsos interficiunt: sicut Saul irruens super gladium suum mortuus est. Cuius rei Philistæi, hoc est maligni spiritus, de interfectis spolia virtutum auferentes, propriæ fortitudini ascribunt victoriam, quæ iusta permissione Dei, in talibus euenit. Sed David noster, in membris, hoc est in electis & sanctis viris, corruentium casum gemit: nec lætatur in perditione morientium, sed
B contradicit, ne vrbibus Allophylorum, talis fama prædicetur, hoc est, præcipit fidelibus, vt caute se custodiant, & scuto fidei vndique se muniant, induti lorica iustitiæ habentes galeam salutis, & gladium spiritus, hoc est verbum Dei, aduersariis suis resistant, ne forte vlterius ignominiose superati, gaudium inimicis suis faciant.

CAP. II.

A*Scendit ergo David & duæ vxores eius, Iezraëliter, & Abigail vxor Nabar Carmeli, sed & viros qui erant cum eo, duxit David singulos cum domo sua & manserunt in oppidis Hebron.*] Ascensus iste David cum duabus vxoribus suis in Hebron significat conuocationes duarum plebium in Eccl. catholicam. Hebron enim interpretatur coniugium, & bene sola sancta Ecclesia coniugium nominatur. Sola & vna est sponsa videlicet cælestis regis, de qua in Canticis canticorum dicitur: *Sexaginta sunt reginæ, & octoginta concubinæ, & adolescentularum quarum non est numerus.* Vna est columba
C mea, perfecta mea, vna est matris suæ, electa genitrici suæ. Illuc duxit David singulos viros cum domo sua: quia vnusquisque fidelium, in illam societatem per prædicationem euangelij, conuocatur. *Non est ibi distinctio Iudæi & Græci, barbari & Scythæ, serui & liberi, sed omnia & in omnibus Christus* [*Veneruntque viri Iuda, & vnxerunt ibi David, vt regnaret super domum Iuda.* Vngunt viri Iuda David in regem, vt regnet super domum Iuda, quia superbis ac contemptoribus spernentibusque gratiam Dei abolitis, electi quique bona fama sacræ prædicationis, & virtutum studio, rite confitentur Christum esse re-
Phil. 2. gem in vniuerso populo. Ac ipsum esse, cui *omnis potestas a patre data est in cælo & in terra, vt in nomine* IESV *omne genu flectatur, cælestium, terrestrium & infernorum.* Aliter: Post mortem Saulis vngitur David, & regnat, transfertque arcam testamenti in ciuitatem suam: sicut in sequentibus legitur, de qua in suo loco dicturi sumus. Simili quoque modo post abolitionem regni Iudæorum, & sa-
D cerdotij cessationem, verus David, id est Christus in Ecclesia sua, quam ex gentibus elegit, regnum accepit: & arcam testamenti, hoc est sacram scripturam, in Ecclesiam, quæ eius est domus transtulit. [*Et nuntiatum est David quod viri Iabes Galaad, sepelissent Saul* & reliqua.] Hoc plenius in Paralipomenon lib. quomodo gestum sit narra-
1. Par 4. tur. *Cum audissent*, inquit, *viri Iabes Galaad, omnia scilicet quæ Philistim fecerant super Saul consurrexerant singuli virorum fortium: & tulerunt cadauera Saul & filiorum eius attuleruntque ea in Iabes, & sepelierunt ossa eorum subter quercum quæ erat in Iabes, & ieiunauerunt septem diebus.* Mortuus est ergo Saül propter iniquitates suas eo quod præuaricatus sit mandatum Domini quod præceperat, & non custodierit illud: sed insuper etiam phitonissam consuluerit, nec sperauerat in Domino: propter quod & interfecit eum, & transtulit regnum eius ad David filium Isai.

Quid est quod viris Iabes Galaad David gratia refert, eo quod sepelierunt ossa Saül & filiorum eius? nisi quod redemptori nostro multum placet, quando quis praua opera malorum qui in peccatis suis mortui sunt, obliuioni damnando tradit: nec ea actione imitatur, quæ scit Deo displicuisse: sed magis ea elegit facienda, quæ recordatur dominum in mandatis dedisse. [*Abner autem filius Ner princeps exercitus Saul, tulit Isboseth filium Saul, & circumduxit eum per castra, regemque constituit super Galaad, & super Gessuri, & super Iezraël & super Ephraim, & super Beniamin, & super Israel vniuersum.*] In Hebræo habetur, *transduxit eum in Manaim*, quæ interpretatur castra. Transduxit eum, intelligendum est, vltra Iordanem: & in Manaim regem eum constituisse, super Galaad, & super Gessuri. Hebræis Assuri, id est super tribum Aser.] *Sola autem domus Iuda sequebatur David.*] Quid autem est quod filius Saül Isboseth, qui interpretatur vir confusionis: Abner auxiliante, qui interpretatur patris lucerna, rex constituitur super Israël vniuersum: & domus Iuda sola sequebatur David? nisi quod solis credentibus, & vere Deum confitentibus, ex priori populo, David nostrum dominum videlicet & saluatorem sequentibus, in cæteris adhuc error confusionis regnat, diabolo instigante: qui sæpe se transfigurat in Angelum lucis [*Et fuit numerus dierum quos commeratus est David, imperans in Hebron super domum Iuda, septem annorum & sex mensium.* Et bene 2 Cor. 11.
David septem annis & sex mensibus regnauit in Hebron quæ interpretatur coniugium, vt supra diximus, aut visio sempiterna: quia saluator noster in Ecclesia catholica, quæ & sponsa eius est, per omne tempus istius vitæ, quod senario dierum numero decurrit, regnat: secundum illud, Ecce ego, inquit vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi. Et post expletionem senarij numeri, hoc est perfectionem boni operis, omnes electos suos ad sabbatum verum id est ad requiem sempiternam, perducet: vbi & perfruentur Dei visione perpetua. Est autem Hebron ciuitas in tribu Iuda, quæ quondam vocabatur Arbae, licet male in Græcis codicibus habetur Arboc. Corrupte igitur in nostris codicibus Arboc scribi- G
tur, cum in Hebræis legatur Arbae, id est quatuor ex eo quod ibi tres patriarchæ, Abraam Isaac, & Iacob sepulti sunt, & Adam magnus, vt in Genesi libro scriptum est. Licet eum quidam conditum in loco Caluariæ suspicentur, quod falsum est. Hæc est autem eadem Hebron olim metropolis Philistinorum, & habitaculum gigantum, regnumque postea David in tribu Iuda, ciuitas sacerdotalis, & fugitiuorum. Distat ad meridianam plagam ab Elia millibus circiter viginti duobus: vbi & quercus Abraam, quæ & Mambre, vsque ad Constantij regis imperium monstrabatur, & mausoleum eius in præsentiarum cernitur. Cumque à nostris ibidem Ecclesia iam extructa sit, in circuitu à cunctis gentibus, Therebinthi locus superstitione colitur, eo quod sub ea Abraam Angelos quondam hospitio susceperit. Hæc ergo primum Arbae, postea Hebron ab vno filiorum Chaleb sortita vocabulum est, Lege verba dierum. Condita est autem ante septem annos, quam Tannes vrbs Ægypti conderetur.
[*Egressus est Abner filius Ner, & pueri Isboseth filij Saul, de castris in Gabaon. Porro Ioab filius Saruiæ, & pueri David egressi sunt: & occurrerunt eis iuxta piscinam Gabaon. Et cum in vnum conuenissent, è regione sederunt: hi ex vna parte piscinæ, & illi ex altera. Dixitque Abner ad Ioab Surgant pueri, & ludant coram nobis. Et respondit Ioab: Surgant. Surrexerunt ergo, & transierunt numero duodecim de Beniamin, ex parte Isboseth filij Saul: & duodecim de pueris David. Apprehensoque vnusquisque capite comparis sui, defixit gladium in latus contrarij, & ceciderunt simul. Vocatumque est nomen loci illius, ager robustorum in Gabaon. Et ortum est bellum durum satis in die illa* Et reliq.] Hunc locum Iosephus ita exponit: Abner autem promouit electum nimis exercitũ, vt congrederetur cũ tribu Iuda. Irascebatur enim aduersus eos, à quibus rex David fuerat ordinatus. Huic autem occurrit missus à David Ioab, filius Saruiæ sororis eius, de patre Sar natus. Hic autem erat contra Abner, constitutus militiæ princeps. Cum quo etiã fuerũt sui fratres, Abisai, Asael, & omnes armati David. Itaque veniens ad quendam

(Margin: E, F, H; 1. Par 4. 6.; Iosephus)

A fontem in ciuitate Gabaa, aciem constituit ad pugnandum. Dicente vero Abner ad eum, velle se probare quis eorum robustiorem exercitum haberet. Conuenit inter vtrosque, vt duodecim viros pugnatores mitterent, & procedentes inter medias acies, qui ex vtraque parte procul fuerant à certamine, relictisque gladiis viri Dauid & tenentes capita hostium, eorum lumbos & latera, suis gladiis perforarunt: donec omnes quasi ex vno constituto perirent. His autem cadentibus, etiam reliquus direptus est exercitus dimicatione fortissima procedente, Abner populus victus in fugam vertitur: Fugientes autem Ioab persequi non cessabat: præcipiens armatis, vt post eorum vestigia festinarent, & nequaquam occidendo deficerent cuius etiam fratres detestati sunt pronissime. Inter quos clarior fuit præcipue iunior Asael, qui tantam gloriam habuit in pedum velocitate, vt non solum homines, sed etiam equos ad currendum superaret. Is igitur persequebatur Abner recto gressu, in neutramque partem
B declinans. Cumque respexisset Abner, & considerasset impetum sequentis & dixisset, vt vnius militis arma sumens ab eius persecutione quiesceret: & rursus ille nequaquam à suo conamine penitus abstineret: monente illo denuo vt recederet, ne coactus eum percuteret, & ante eius fratrem vlterius fiduciam non haberet. Verba eius illo despiciente, fugiens post tergum lanceam emisit coactus, eumque repente mortali vulnere penetrauit. Mystice, Abner de tribu Beniamin, princeps exercitus regis Saülis pueros Dauid qui erant cum Ioab principe exercitus Iuda, ad prælium scribitur prouocasse, & Asaëlem fratrem Ioab percussum in inguine interfecisse, sic quidem intel-
Act. 6. ligi voluit. Saülus, inquiunt necdum adhuc Apostolus, de tribu Beniamin, priusquam fuisset correptus à domino, Apostolos ad certamen legitur prouocasse, ac neci interfuisse Stephani. Cæterum quod locutus est Abner ad Asael, dicens: [*Recede, noli me sequi, ne forte compellar confodere te in terram, & leuare non potero faciem meam ad Ioab fratrem tuum. Qui audire contempsit, & noluit de-*
C *clinare. Percussit ergo eum Abner auersa hasta in inguine, & transfodit, & mortuus est in eodem loco, omnesque qui transibant per locum illum, in quo ceciderat Asael & mortuus erat, subsistebant.* Moraliter, cuius idem Asaël typum tenuit, nisi eorum quos vehementer arripit furor, & in præceps ducit: Qui in eodem furoris impetu, tanto cautius declinantur, quanto & insanius rapiuntur. Vnde & Abner qui sermone nostro, patris lucerna, dicitur, fugit, quia doctorum lingua, quæ supernum Dei lumen indicat, cum per abrupta furoris mentem cuiuspiam ferri conspicit, cumque contra irascentem, dissimulat verborum iacula reddere, quasi persequentem non vult ferire. Sed cum iracundi, nulla consideratione se mitigant, & quasi Asael, persequi & insanire non cessant: necesse est vt hi qui furentes reprimere conantur, nequaquam se in furorem erigant, sed quicquid est tranquillitatis ostendant, quædam vero subtiliter proferant, in quibus ex obliquo furentis animum pungent. Vnde & Abner, cum contra persequentem substitit, non eum recta, sed auersa hasta
D transforauit. Ex mucrone quippe percutere, est impetu apertæ increpationis obuiare. Auersa vero hasta persequentem ferire, est furentem intranquille, ex quibusdam angere, & quasi parcendo superare. Asaël autem protinus occumbit, quia commotæ mentes, dum & parci sibi sentiunt, & tunc responsorum ratione in intimis, sub tranquillitate tanguntur, ab eo quo se erexerant, statim cadunt.

Qui ergo à feruoris sui impetu, sublenitatis percussione resiliunt, quasi sine ferro, moriuntur. [*Et exclamauit Abner ad Ioab, & ait: Num vsque ad internecionem tuus mucro desæuiet?*] Hebræus, vt legi in cuiusdam disputatione, non habet [*tuus.* [*An ignoras quod periculosa sit desperatio?*] In Hebræo ita habetur, [*An ignoras quod amarus erit finis?*] Et est sensus: Nunquid ignoras quod ad amaritudinem tibi proueniat, eo quod populum hunc delere niteris?

CAP. III.

E F*Acta est ergo longa concertatio inter domum Saül, & domum Dauid. Dauid proficiens, & semper in seipso robustior, domus autem Saül decrescens quotidie.*] Domus ergo Dauid, quæ est alia, quam ciuitas Dei: Hierusalem videlicet cœlestis, quæ partim adhuc peregrinatur in terris, partim iam cum domino regnat in cœlis. Et quæ est domus Apoc. 14.
Saul superbi & impij regis, nisi Babylon illa confusio- Isa. 21.
nis plena, quæ seducit & fornicari facit omnes gentes Iere. 51.
in prostitutione sua? Longa ergo concertatio inter domum Saül, & domum Dauid est, quia persequitur illa quæ secundum carnem est, eam quæ secundum spiritum. Sed domus Dauid, eo magis profectu filiorum gaudebit suorum, quo magis domus Saül persecutionibus contra eam sæuit. Illa autem quotidie deficiens, in iniquitate sua tabescet: & ad extremum secundum meri- F
ta sua, simul cum capite suo, in profundum abyssi mergetur.] *Nati quoque sunt filij Dauid in Hebron. Fuitque primogenitus eius Amnon, de Achinoen Iezrabelitide, & post eum Chelea, de Abigail vxore Nabal Carmeli. Porro tertius Absalon, filius Maacha, filia Tholomai regis Gessur. Quartus autem Adonias, filius Aggith, & quintus Saphatia, filius Abital. Sextus quoque Ietram, de Egla vxore Dauid. Hi nati sunt Dauid in Hebron.*] Quæritur cum aliæ vxores Dauid supra notatæ sint, & non dicantur vxores Dauid, cur hic sola Egla vxor dicatur Dauid? Egla enim ipsa est Michol, quæ ideo vxor eius hic sola vocatur, eo quod in adolescentia primum ipsam sortitus fuerat in vxorem, quæ etiam partu occubuisse dicitur. Vnde & in sequentibus scriptum est: Igitur Michol filiæ Saül non est natus filius, vsque ad diem mortis suæ quia in ipso partu occubuit. Et quid septem filij Dauid qui ei nati sunt in Hebron, nisi perfectionem sanctorum in fide, sermone, & opere significant? quæ ab Ecclesia matre, sponso saluatori videlicet nostro, quotidie generantur, & coniu- G
gio spiritali, per Spiritus sancti gratiam, in æternam vitã, quotidie filij lucis oriuntur.] *Respondit Abner iratus ad Isboseth: Numquid caput canis ego sum aduersum Iuda hodie, qui fecerim misericordiam, super domum Saul patris tui & super fratres & proximos eius? & non tradidi te in manu Dauid, & tu requisisti in me quod argueres pro muliere hodie?* Et reliqua.] Ac si diceret, Propter te, & propter domum patris tui, dicor caput canis esse contra Iudam, eo quod non reduco domum Israël ad Dauid, quem scio vnctum esse regem, & regnaturum fore super vniuersum regnum Israël. Caput canis se dicit esse, id est vilem, eo quod à domo Iuda sic haberetur, sicut latratus canis, & eo quod princeps esset canum, id est, stultorum hominum. *Et dixit Abner ad Dauid: Surgam vt congregem ad te Dominum meum regem omnis Israel, & ineam tecum fœdus, vt imperes omnibus sicut desiderat anima tua. Cum ergo deduxisset Dauid Abner & ille esset in pace.*] Abner veniens ad Dauid vt vniuersum Israel, regno ipsius sociaret ab Ioab ignorante Dauid, in dolo occisus est. De quibus H
latius in sequentibus, & aliter dicturus sum. Sic intelligunt: Abner, inquiunt, veniens ad Dauid, vt vniuersum Israel regno ipsius sociaret, sed à Ioab in dolo occisus est. Et Paulus egrediens ad gentes, vt prædicatione sua ad fidem eas Christi conuerteret, grauissimas Iudæorum pertulisse legitur, persecutiones. Sicut enim Ioab filius Saruiæ, æmulus Abner, vsque ad necem mortis insidiatus est sic nimirum Iudæi filij videlicet synagogæ Paulo Apost. ex eadem tribu Beniamin genito, tamdiu insidiati sunt, donec eum de Iudæa expellẽtes, ad gentes transire com- Act. 13.
pulerũt, [*Sermonem quoque intulit Abner ad seniores Israel dicens: Tam heri quam nudiustertius quærebatis Dauid vt regnaret super vos. Nunc ergo facite, quoniam dominus locutus est ad Dauid dicens: in manu serui mei Dauid, saluabo populum meum Israel, de manu Philistim & omnium inimicorum eius &c.*

Quid est ergo quod Abner populum vniuersum Israel exhortatur, vt relicto Isboseth filio Saül, ad Dauid, prompto ac deuoto animo, conueniat? nisi quod do-

ctores

A ctores sancti, qui patris lucerna merito dicuntur, lumine fidei, & scientiæ plenissimi, in vniuersis gentibus nomen Domini prædicant, & eahortantur, quatenus spreta idolorum cultura, & relicto errore confusionis, cum autore suo diabolo, ad Dauid nostrum (qui vero manu fortis, & desiderabilis est, qui desideratus cunctis gentibus esse, à Propheta describitur) sine mora festinent venire, & sub eius imperio, perpetuo studeant permanere. Nam & Ioab, qui Abner dolo loquens, & percutiens in inguine, interfecit, non alium quam hostem antiquum significat, qui fictis suasionibus quotidie fideles subuertere satagit, & per libidinis noxiæ cogitationes, interficere molitur. Ioab enim inimicus, vel idem, frater interpretatur. Omnium inimicorum, diabolus est caput vnde & saluator talibus in euangelio dicit: *Vos ex patre diabolo estis, & desideria patris vestri vultis facere.* Ioan. 8.

Ab hac ergo persecutione, Dauid noster immunis est B quia Deus neminem tentat. Ipse autem intentator malorum est, qui vult omnes homines saluos esse, & ad agnitionem veritatis peruenire. *Per inuidiam* enim *diaboli, mors intrauit in totum orbem terrarum*, imitantur autem eum, qui sunt ex parte eius. Iacob. 1. Potest nomen & persona Ioab non inconuenienter ad populum Iudaicum per significationem transferri, qui inimici semper prædicatorum euangelij extiterunt, & fidem Christi vbicumque potuerunt persequebantur. De quibus Paulus Thessalonicensibus scribens: *Vos enim, ait, imitatores facti estis fratres Ecclesiarum Dei, quæ sunt in Iudæa, in Christo* IESV: *quia eadem passi estis & vos a contribulibus vestris, sicut & ipsi à Iudæis qui & Dominum occiderunt* IESVM, *& Prophetas, & nos persecuti sunt: & Deo non placuerunt, & omnibus hominibus aduersantur: probibentes nos gentibus loqui, vt salue fiant: vt impleant peccata sua semper. Peruenit enim ira Dei super illos, vsque in finem.* 1. Thess. 2. Aliter, [*Et percussit Ioab Abner in vltionem sanguinis Asael fratris eius &c.*]

C Quid per Ioab, qui inimicus vel frater interpretatur, nisi elatio Iudæorum, atque hæretici designantur? Quid vero per Abner, qui in latinum vertitur, patris lucerna, nisi spiritales viri, & humiles Ecclesiæ doctores, exprimuntur? Ioab, Abner in porta dolo occidit? quia & inimici fidei, hoc est, Iudæi & hæretici, quosdam præsules Ecclesiæ ob defensionem fidei, vsque ad necem mortis persecuti sunt. Pro qua re de domo patris Ioab (per quam signatur impia plebs) non deficit fluxum seminis sustinens hoc est, immundis cogitationibus atque sordidis actibus pollutus. Similiter quoque & leprosus sustinens fusum: per quod designantur hæretici, mendacij sui cogitatione corrupti. Qui hæretici dum fallaciam suam defendere nituntur, per ambitum verborum rotantur: & velut in confuso locutionis suæ (mendacis inuoluendo) concluduntur. Et dum litigiosa lingua, infirma Ecclesiæ membra velut gladio oris sui confodiunt ipsi prius in eodem gladio impietatis suæ moriuntur. Et quia se ex mendacio suo pascunt, à pane verbi Dei vacui ieiunant. Vnde in sequentibus dicemus, quid mystice signetur: & iam aliter.
D [*Plangensque Rex Israel Abner, ait: Nequaquam vt mori solent ignaui, mortuus es Abner,*] Id est, non peristi in tua stultitia, sicut ignaui perire solent: quia fraude deceptus es [*Manus tuæ non sunt ligatæ, & pedes tui non sunt compedibus aggrauati,*] sicut eorum manus solent ligari & pedes vinciri, qui in prælio capi solent: dolo igitur non viribus peremptus es. Quod autem Dauid se excusans de nece insontis, dixit: [*Mundus ego sum, & regnum meum apud Deum, vsque in sempiternum, à sanguine Abner filij Ner, & veniat super caput Ioab fluxum seminis sustinens, & leprosus tenens fusum, & cadens gladio, & indigens pane.*] Iudæorum denotat perfidiam atque miseriam. Super caput enim Ioab, id est, super principes & sacerdotes ipsius populi, & super omnem domum patris eius: synagogam videlicet satanæ, atque conuentum malignantium, veniet iniquitas impiorum, vt requiratur ab eis omnis sanguis iustus, qui effusus est super terram, à sanguine Abel iusti, vsque ad sanguinem Zachariæ filij Barachiæ. Matt. 23. Nec deficiet de domo istius Ioab, fluxum seminis sustinens, id

E est, variis desideriis diffluens, quia in voluptatibus istius vitæ, tales totam spem suam ponunt, vbi & leprosi sunt tenentes fusum, Id est variis erroribus maculati, instabilitatem hæresium ac mundani luxus sequentes, qui iuxta desideria cordis sui, coacervabunt sibi magistros prurientes quidem auribus, & à veritate auditum auertentes. [*Ibi etiam non deficiet cadens gladio, & indigens pane,*] 2. Tim. 4. qui, cum pane illo qui de cœlo descendit semper egent, & non refici ab eo merentur, futuræ vltionis gladium non euadent.

CAP. IV.

V*Enientes filij Remmon Berothitæ Rechab & Baana, ingressi sunt feruente die domum Isboseth, qui dormiebat super stratum suum meridie. Ingressi sunt autem domum, & ostiaria domus purgans triticum obdormiuit. Assumentes spicas tritici latenter ingressi sunt, & percusserunt eum in inguine.* & reliqua.] Duo viri isti principes F erant super expeditiones Isboseth. Mortuo vero Abner (vt Hebræi tradunt) conciliati sunt cum Miphiboseth, vt vna interficerent Isboseth, & eundem Miphiboseth constituerent regem, & eiusdem consilij delatorem, eundem Miphiboseth extitisse, & idcirco hic idem Miphiboseth, subintroducitur modo, *Erat autem Ionathæ filij Saul, filius debilis pedibus, quinquennis enim fuit, quando venit nuntius de Saul & Ionathan ex Iezrael.* &c.] Videntes vero Banaa & Rechab, à Miphiboseth, suum proditum esse consilium, timore perterriti, fuga lapsi sunt in Gethaim, fueruntque ibi aduenæ vsque ad tempus illud. Tempus illud, intelligendum est, quando inde reuersi, domum Isboseth, feruente die ingressi sunt, assumentes spicam tritici & percutientes eum in inguine.

Spicas tritici quasi causam primitiarum tulerunt, vt honorem regi deferre viderentur, & eorum dolus nequaquam deprehenderetur. Mystice autem ostiaria triticum purgat, cum mentis custodia discernendo vir- G tutes à vitiis separat. Quæ si obdormierit, in mortem proprij Domini sui, insidiatores admittet, quia cum discretionis solicitudo cessauerit, ad interficiendum animum, malignis spiritibus iter pandit. Qui ingressi spicas tollunt, quia mox bonarum cogitationum germina auferunt. Atque in inguine feriunt, quia virtutem cordis delectationes carnis occidunt. In inguine quippe ferire, est vitam mentis, carnis delectatione perforare. Nequaquam vero Isboseth iste, inopinata morte succumberet, si non ad ingressum domus mulierem, id est, ad mentis aditum, mollem custodiam deputasset: Fortis namque vigilque sensus præponi cordis foribus debet, quem nec negligentiæ somnus opprimat, nec ignorantiæ error fallat. Vnde bene & Isboseth appellatus est, qui custode fœmina, hostilibus gladiis nudatur. Isboseth quippe, vir confusionis dicitur, vir autem confusionis est, qui forti mentis custodia munitus non est, quia dum virtutes se agere æsti- H mat, subintrantia vitia nescientem necant. Tota itaque virtute, muniendus est aditus mentis: nequando eam insidiantes hostes penetrent, foramine neglectæ cogitationis, Hinc Salomon ait: *Omni custodia, serua cor* Prou. 4. *tuum, quia ex ipso vita procedit.* Virtutes ergo quas agimus, dignum est, vt summopere ab intentionis origine pensemus: ne ex malo ortu prodeant, etiam recta quæ ostentant.

CAP. V.

E*T venerunt vniuersæ tribus Israël ad Dauid in Hebron, dicentes: Ecce nos os tuum & caro tua sumus,* & reliqua.] Quid conuentus iste tribuum Israël ad Dauid significat, nisi conuentum omnium gentium ad Christum? Quæ illi quasi blandiendo dicunt: Ecce nos os tuum & caro tua sumus, cum in illo incarnationem, quam ex nostra natura in virginis vtero suscepit diligunt atque venerantur, eiusque ditioni subdere se appetunt,

A Psal. 21. eique seruire omni tempore desiderant. Vnde Psalmista dicit: Reminiscentur & conuertentur ad Dominum vniuersi fines terræ. *Et adorabunt in conspectu eius omnes patriæ gentium, quoniam Domini est regnum, & ipse dominabitur gentium.* Venerunt quoque & senes de Israël ad regem in Hebron, cum Prophetæ & Apostoli, vna fide, & pari deuotione, ad mediatorem nostrum concurrunt. De quibus scriptum est. *Principes populi conuenerunt in vnum cum Deo Abraham.* Et alibi: *In conspectu senum suorum glorificabitur.* [*Filius triginta annorum erat Dauid, cum regnare cœpisset, & quadraginta annis regnauit.*] In Hebron regnauit super Iudam septem annis & sex mensibus: in Ierusalem autem regnauit triginta tribus annis, super omnem Israël & Iudam. Quæritur, cur non in summa quadraginta anni & sex menses annumerentur? quod ab Hebræis duobus soluitur modis: Dicunt enim, quod Dauid sex mensibus Absalon filium suum fugerit, merito igitur eosdem sex menses, a summa regni illius esse
B exclusos.

Dicunt etiam aliter, quod sex mensibus in Hebron Dauid quadam infirmitate corporis laborauerit, & idcirco eosdem sex menses, non supputari in regno eius. Ex eo namque tempore, illum regnasse dicunt in Hebron, ex quo deuictis Amalechitis, de spoliis eorum misit dona senioribus Iuda, his qui erant in Hebron, & his qui erant in Bethel, & reliquis, qui erant in his locis, in quibus commoratus fuerat Dauid ipse, & viri eius. Mystice autem quod Dauid triginta annorum regnare cœpit, præfigurabat quod Dominus noster triginta annorum venit ad baptismum, & incipiebat euangelium regni prædicare, cuius regnum sempiternum, & potestas eius alteri non dabitur. Quadragenarius enim numerus, qui ex quaterdenis constat, plenitudinem temporum,
Luc. 3. & rerum perfectionem significat. [*Vnxeruntque Dauid super omnem Israel regem.* Et reliqua.] Dauid bis esse vnctus dicitur, similiter & Dominus IESVS CHRISTVS prius in populo Iudæorum, post hæc in populo gentium
C principatum sumpsit. Dauid cum triginta esset annorum, regno potitus est, & Dominus IESVS CHRISTVS eadem ætate, in Iordane fluuio, à Iohanne baptizatus, discipulos habere cœpit [*Et abiit rex & omnes viri qui erant cum eo in Ierusalem ad Iebusæum habitatorem terræ. Dictumque est Dauid ab eis. Non ingredieris huc, nisi abstuleris cæcos & claudos, dicentes, non ingredietur Dauid huc. Cepit autem arcem Sion, hæc est ciuitas Dauid. Proposuerat enim Dauid in die illa præmium, qui percussisset Iebusæum, & tetigisset domatum fistulas, & claudos & cæcos odientes animum Dauid. Idcirco dicitur in prouerbio. Cæcus & claudus non intrabunt in templum. Habitauit autem Dauid in arce, & vocauit eam ciuitatem Dauid. Et ædificauit per gyrum a mello & intrinsecus.* & reliqua.] Ait enim [*Non ingredieris huc, nisi abstuleris cæcos & claudos,* &c.] Ac si dicatur ab eis. Non ingredietur huc Dauid, donec nos hinc auferat, quos inermes & imbecilles sicut cæcos & claudos esse arbitratur, & quos bello aggressurus, sicut claudos & cæcos se triumphaturum putat. [*Idcirco*
D *dicitur in prouerbio. Cæcus & claudus non intrabunt templum.*] Id est, Non intrabit quilibet domum claudorum & cæcorum, quamdiu cæcus & claudus intro fuerit. [*Proposuerat enim Dauid in die illa præmium, qui percussisset Iebusæum, & tetigisset domatum fistulas, & cæcos & cæcos & claudos odientes animam Dauid.*] In Hebræo ita habetur. *Et dixit Dauid in die illa. Qui percusserit Iebusæum, & tetigerit fistulas domus, erit primus.* Et in paralipomenon, *Omnis qui percusserit Iebusæum in primis erit princeps & dux.* Id est, Qui tantæ fuerit audaciæ, & fortitudinis, vt ad murum ciuitatis vsque veniat, & hasta sua fistulam quæ in muro est, tangat, ipse princeps.
Ioseph. Ascendit igitur primus Ioab filius Sarviæ, & factus est princeps. Hinc Iosephus aperte describit. Exurgens, inquit, Dauid cum omnibus, venit in Hierosolymam, Iebusæis habitantibus ciuitatem (qui erant ex genere Chananæorum,) & claudentibus eis portas & cæcos aspectu & claudos, omnesque leprosos, ad derisionem regis constituentibus super murum dicentibus, quia prohiberent

E eum cæci ingredi in ciuitatem, quæ tamen agebant despicientes eum pro maxima munitione murorum. Iratus rex Hierosolymam obsidere cœpit, & multo studio & labore conari, vt eam caperet, quatenus in ipso principatus initio, suam fortitudinem demonstraret. Interminatus itaque & ipsis & alij (si qui forte haberent aduersus eum resistendi conamen) inferiorem ciuitatem, magna virtute cepit. Cumque adhuc arcem obtinere non posset, cœpit, honores & munera promittendo, rex pronus ad opus belli, commilitones prouocare, vt quicumque per subtus colles in arcem conscenderet, eamque caperet; principatum militiæ, totius populi possideret. Cunctis itaque conscendere festinantibus, & nullo labore pro muneris retributione tardantibus, Sarviæ filius Ioab præuenit vniuersos. Et ascendens in cacumine, clamauit ad regem, exigens militiæ principatum. Expulsis itaque rex, de summa arce Iebusæis, & reædificans ciuitatem Hierusolymam nuncupauit, & omni tempore in
F ea sui habitauit imperij. Sed quia in hoc volumine, hic primum Hierusalem ciuitas Iebusæorum legitur, quæ in Genesi Salem (vt tradunt Hebræi) & in volumine Iudicum Iebus legitur, & in multis scripturis, maxime in nouo testamento, Hierosolyma appellatur, requirendum est, quare Hierusalem legatur: Sed dicamus quid in dictis doctorum inuenimus. Iudæi, inquiunt, asserunt Sem filium Noë (quem dicunt Melchisedech) primum ipsam ciuitatem inhabitasse, dictamque id temporis Salem, quam postea tenuerunt Iebusæi, è quibus & sortita est vocabulum Iebus. Sicque duobus nominibus copulatis Iebus & Salem, vocata est Hierusalem, quæ postea à Salomone Hierosolyma, quasi Hierosalomonis, hoc est, ædes Salomonis dicta est Hre & corrupte Euseb. lib. 9.
à poëtis Solyma nuncupatur. Vnde per tropum qui à grammaticis Tmesis appellatur, disiunctim à poëta in poëmate ponitur. Hiero, quem genuit Solymis Dauidica proles, hoc est Hierosolymis. Quæ postea ab Ælio Hadriano vocata est Ælia. Sed nobis videtur quod binis nominibus vocata sit, sicut nonnullæ ciuitates quod in G
libro Iudicum ostenditur, vbi legitur. Qui pergebat in montem Ephraim venitque (inquit scriptura) contra Iebus quæ alio nomine dicebatur Hierusalem. De cuius nomine, plenius in libello quem nuper in genesim edidimus, disputauimus. His enim prælibatis, ad allegoricam significationem, stylum vertamus. Dauid arcem Sion cepit, ablatis prius cæcis & claudis odientibus animam Dauid. Sic nimirum Dominus IESVS CHRISTVS post reprobationem scribarum atque pharisæorum, qui vere cæci & claudi sunt appellati, odientes animam eiusdem Domini IESV CHRISTI: id est, vitam eius auferre conantes, principatum in Ecclesia: quam ex gentibus acquisiuit, obtinuit. Domatum vero fistulæ, falsam scientiam huius mundi, seu hæreticorum dogmata figurasse non dubium est. Quæ omnia Dominus IESVS CHRISTVS, per prædicatores suus, velut per Ioab percussit atque destruxit, & destruere in Ecclesia sua non desinit. Iebusæus vero, qui interpretatur conculcans, populum significat gentium, qui priusquam crederet, diuina præ- H
cepta paruipendens conculcabat. Dicamus & aliter: In hoc quod Dauid Iebusæum habitatorem terræ, de Hierusalem eiecit, & suam ciuitatem fecit, significabatur Dominum venturum verum Dauid, qui contrarias potestates, de cordibus fidelium expelleret, & sic in eis suam mansionem constitueret. Vnde per Prophetam dicit. *Et inhabitabo & inambulabo in illis, & ero eorum Deus, & ipsi erunt mihi populus.* Iebusæus enim iuxta hanc intelligentiam, non immerito potest interpretari calcans. Etenim Dauid etiam Ioab qui arcem cepit, principem & ducem constituit, quia Dominus redemptor noster, non solum per mysterium crucis omnem principatum diaboli destruxit, & sibimet victoriam gloriæ acquisiuit: verum etiam fidelibus suis, super omnem diaboli potestatem virtutem tribuit, sicut ipse in euangelio discipulis suis ait. *Ecce dedi vobis potestatem calcandi super scorpiones, & omnem virtutem inimici.* Bene ergo dictum est, quod Dauid eiectis cæcis & claudis, qui audiebant animam

Dauid,

A David, cæperit arcem Sion, suamque ciuitatem eam vocauerit, quia saluator noster malignos spiritus cum turba vitiorum, de anima qualibet expulerit, sibique eam per illuminationem sapientiæ vsurpauerit: merito arx

Psal.75. Sion, id est speculatio & visio pacis, ipsa vocabitur. Atque de ea recte per Psalmistam dicitur: *Notus in Iudæa Deus, in Israel magnum nomen eius. Et factus est in pace locus eius, & habitatio eius in Sion. Ibi confregit cornua, arcum, scutum, gladium, & bellum.* [*Misit quoque Hiram rex Tyri nuntios ad David, & ligna cedrina, & artifices lignorum, artificesque lapidum ad parietes, & ædificauerunt domum David.*] Hiram qui interpretatur viuens excelso, prædicatores præfigurauit ex populo gentium, qui David ex lignis cedrinis (domino videlicet ac redemptori nostro) id est, ex mentibus incorruptis ac fortibus, & lapidibus, id est, sanctis perfectis, quatuor videlicet virtutibus, quadratis, id est, prudentia, iustitia, fortitudine, temperantia perfectis, non solum per se,

B verum etiam per solertiam discipulorum, tanquam artificibus suis, quibus dicitur. *Et vos tanquam lapides viui superædificamini, domus spiritales*, domum, id est

1.Petr.2. sanctam Ecclesiam, ædificauerunt: Vnde etiam cognouit tunc David, id est Dominus, quoniam confirmasset eum Deus pater, regem super Israël, & quoniam exaltasset regnum eius super populum suum Israël, id est, super cunctos credentes, ac mente videntes Deum, non solum Iudæorum, maxime etiam & gentium de quibus

Psal.2. repromiserat ei pater dicens. *Postula a me & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam in terminos terræ.* Vnde & iure sequitur, [*Accepit ergo adhuc David concubinas & vxores De Hierusalem.*] Sed forte quærit aliquis, si ipse David imaginem Christi gerebat quomodo multas vxores & concubinas habuisse dicatur, cum has rex Christus & horrescat & damnet? Sed figurate gestum est. Quod vero David vxores plurimas habuisse dicitur, hoc sine dubio præfigurabatur, quod CHRISTVS IESVS ex multarum gentium nationibus, per

C fidem Ecclesiæ, sub septenario numero sacramenti copulaturus erat. Concubinæ vero eius Iudæorum seu hæreticorum significant conuentiones: quæ in seruitutem & non in libertatem generant, & sub titulo nominis Christi se manere gloriantur, sed quia propter carnalia lucra Christum sectantur, non immerito non coniuges sed concubinæ vocantur. Denique nunc reges si plures habeant vxores vel concubinas, in crimine reputatur, quia iam transierunt figuræ, pro quibus vxorum vel concubinarum venia concedebatur. At nunc quia figuræ transierunt, venia nulla datur. [*Natique sunt David & alij filij & filiæ, & hæc nomina eorum qui nati sunt ei in Hierusalem: Samua & Sobab, & Nathan & Salomon & Ibaar & Elisua & Nepheg & Iaphia & Elisama & Elida & Eliphelet.*] Verum quia hæc nomina subiunximus, ratum duximus interpretationes Iudæorum ponere, vt superiori intellectui spiritales intelligentiæ (iuxta prudentiam prudentia lectoris) conueniant. Si enim aliquid spiritaliter sermo historicus innuere noluisset, nequaquam

D addere curasset qui essent filij, qui nati essent David in Hierusalem. Nam si idem David significat saluatorem, ergo non immerito filij eius, credentes significant, ex vtraque Ecclesia, Iudæorum scilicet & nationum. Vnde & in Paralipomenon lib. quatuor fuisse ex Bethsabee vxoris Vriæ Hethæi: Samua videlicet & Sobab, Nathan & Salomon, quæ typum gessit Ecclesiæ gentium, sicut in sequentibus, Christo duce, latius dicturi sumus. Porro Samua interpretatur, audacia: Sobab, conuertens: Ibaar, elegit: Elisua, Dei mei salus Nepheg, applicans oti: Iophia, illuminat vel ostendit: Elisama, Deus meus audiens: Elida, Deus meus scit: Eliphelet, Deus meus saluans: quæ interpretationes aptæ (vt diximus) fidelibus congruunt qui diuina præcepta libenter audiunt, & ad operationem fidei conuertuntur. His igitur tactis, ad ea quæ sequuntur, sermonem conuertamus. [*Et addiderunt iterum Philistim, vt ascenderent & pugnarent contra David. Consuluit autem David Dominum. Qui respondit: Non ascendas sed gyra post tergum eorum, & venies ad eos*

E *ex aduerso pirorum.* Et reliqua] Quanquam nonnulli, vt in cuiusdam volumine legi contendant non habere in Hebraica veritate, [*Ex aduerso pirorum*, sed *flentium*] hoc est vt tradunt ex aduersu idolorum suorum, vbi scilicet idola erant in quibus confidebant: quæ (vt inquiunt proui ex traditione Hebræorum didicerunt) idcirco flentium vocantur, quia fletu digna sunt: & eos, qui ea colunt, ad fletum miseriarum perducunt. Vnde & subiungunt. [*Et cum audieris sonitum gradientis in cacumine flentium.*] Hoc est vt ferunt: Cum audieris à potestatibus angelicis, eorum idola, (in quibus omnis eorum fortitudo est) conteri & conculcari. [*tunc inibis prælium, quia tunc egredietur Dominus ante faciem tuam.* Et reliqua.] Ergo quia nostram interpretationem veram credo, sicut in præfatione noster interpres in tribus linguis peritus, galeatum ponit exemplum, de arboribus simpliciter intelligit Allophylorum. Sed quia historiam didascalo consentiente, propalauimus, deinceps compendioso sermone strictim tangere aggredimur, quid al- F

legorice significet. In hoc enim quod ait: [*Cum audieritis sonitum gradientis in cacumine pirorum* &c.] Aduentum Domini significat super celsitudinem Prophetarum & Apostolorum, virtute diuinitatis suæ supergradientem, sicut in Canticis canticorum scriptum est: *Ecce iste* Cant.2.

venies saliens in montibus, transiliens colles. Pirorum autem cacumina arborum significant summitates. Quid per arbores, nisi sublimes patres intelliguntur? In quorum cacuminibus dum sonitus auditur, id est, dum in sublimitate vitæ sonus (flante Spiritu sancto) prædicationis, intonuit, David noster virtute suæ diuinitatis, qua celsitudinem sanctorum transcendit. Philistæos, id est, immundos spiritus, superauit.

CAP. VI.

C*Ongregauit autem rursum David omnes electos Israël triginta millia, vt adducerent arcam Dei*, &c. vsque ait, *Iratusque est indignatione Dominus, quod extendit Ozam manum ad arcam & tenuit eam, quoniam calcitrabant boues contra Ozam, & percussit eum & mortuus est.*] In hac historia beati Regis & Prophetæ David, qui arcam Domini adduxisse narrantur, humilitas approbata, superbia damnata, & temeritas vindicata monstratur: quia & ipse David qui coram arca Domini humiliter saltare non erubuit mox promissionem filij Dei, ex sua stirpe nasciturj, suscipere promeruit: & coniunx quæ eandem illius humilitatem despexit, eius semine fœcundari non meruit, sed perpetuæ sterilitatis pœnas luit. Sacerdos quoque, qui arcam inconsiderata temeritate tetigit, ausus sui reatum, immatura morte purgauit. Vbi intueri necesse est quantum delinquat, qui ad corpus Domini reus accesserit. Si deuotus ille sacerdos morte mulctatur,, qui arcam illam dominici videlicet corporis figuram, minori quam debuit veneratione corripuit. Verum iuxta allegoriam David Christum, arca Ecclesiam significat: vel sacram scripturam. Qui finit autem David arcam in ciuitatem suam adducere, sed cau- H

sa interueniente contraria, ad tempus eam alibi diuertit. Ac sic deinceps quod multum delectauerat, expliciuit. Rom.11.

Quia dominus in carne apparens, euangelium filiis Israël suæ videlicet genti, prædicauit: sed cæcitas ex parte contigit in Israël donec plenitudo gentium subintraret. Sed vt hæc pateant manifestius, per singula videamus. Congregauit David omnes electos ex Israël triginta millia, quia Dominus Ecclesiam primitiuam ex Israël instituit non quidem omnem Israël, sed electos quosque sibi Roma.9.

consocians. Non enim omnes qui ex Israel, hi sunt Israëlitæ, sed filij promissionis deputantur in semine, qui triginta millia referuntur, id est, fidei operibus, & spei firmitate perfecti. Tria enim, propter confessionem sanctæ trinitatis, ad fidem pertinent: decem propter decalogum legis, ad opera: Mille propter sui perfectionem, ad spem vitæ æternæ, quia superius aliquid non est sicut numerus millenario maior nullus est. Etsi enim millia siue triginta millia siue etiam mille millia dixeris non

ipsum mille numerando transcendis, sed vel per se, vel per minotes numeros sæpius dicendo multiplicas. Tria ergo per decem multiplica, ne fides sine operibus mortua sit. Item triginta millia, per mille multiplica: vt fides quę per dilectionem operatur, non alibi quam in cælis retributionem speret. Electi igitur ex Israël, populum recte credentes, operantes, sperantes insinuat. Viri autem Iuda qui erant cum Dauid, ipsos Apostolos & Doctores, qui lateri Christi quasi familiarius adhærebant, indicant: qui vtroque stipatus exercitu Dominus, arcam adducere, id est, Ecclesiam dilatare, & in eorum qui non crediderunt cordibus fidem inserere gaudet. Imponitur autem arca plaustro nouo, vt noui Testamenti gratia renouatis in baptismo mẽtibus, infundatur: vnumque nouum, nouis viribus conseruandum mandatur. Erat quidem prius arca in domo Abinadab, qui erat in Gabaa, quia eadem quæ nunc prædicatur Ecclesiæ fides, & ante Incarnationis Dominicæ tempus florebat, in his qui Patriarcharum Prophetarumque sunt deuotionem secuti. Abinadab enim, qui interpretatur pater meus spontaneus, vel Abraam patrem fidei, vel Moysen Legislatorem significat: qui vterque in Gabaa custodit arcam: quia sublimi virtutis exemplo, credentium pectora munit. Vnde & Gabaa collis interpretatur, qui est locus in ciuitate Cariathiarim. [*Elata ergo foris, arca ludebat Dauid & omnis Israel coram Domino, diuersis musicorum generibus:*] Quia mox incboante nouæ gratiæ præconio, Dominus ad exhibendas Deo Patri laudes humilitatis, omnes inuitat, dicens: *Qui mihi ministrat, me sequatur. Aly sermonem scientia: aly dando per spiritum sermonem sapientia: aly genera linguarum: aly gratiam curationum,* &c. Sed his atque huiusmodi charismatum generibus, progrediente arca, id est, crescente Ecclesia primitiua, ventum est ad aream Nachon, id est, aream præparatam, gentium videlicet Ecclesiam fidei veritate consecrandam. De qua Ioannes ait: *Et permundabit aream suam.* Vbi Sacerdos qui arcam incautius quasi corrigendo tetigit, mox à Domino percussus occubuit: quia Iudæorum populus dum gentibus inuidet, salutis se munere priuat: Dum legem vult Euangelio misceri, vtriusque sibi gratiam collit. [*Et tenuit, inquit, arcam, quoniam calcitrabant boues.*] Boues quippe calcitrare, est prædicatores Euangelij liberius circa fidem agere, neque secundum consuetudinem legis ingredi: sed sabbata, neomenias, circuncisionem, victimasque, spiritaliter interpretari: quos velut errantes corrigere tentabant, qui descendentes de Iudæa docebant fratres: *Quia nisi circuncidamini secundum morem Moysi, non potestis salui fieri:* & quibus Iacobus ad Paulum: *Vides, inquit, frater quot millia sunt in Iudais, qui crediderunt, & omnes amulatores sunt legis?* [*Ob causam ergo Sacerdotis occisi, Dauid noluit diuertere ad se arcam Domini, in ciuitatem Dauid: Sed tulerunt eam in domum Obededon Gethai.*] Quia respuentibus verbum Iudæis, ne amplius audita, & non suscepta prædicatio noceret, Apostoli ab eis ablati, & ad gentes Euangelio imbuendos sunt missi. Videlicet locus areæ Nachon (quæ gentium fidei Domini gratiæ præparatam demonstrat) percussio Oza nuncupatur: videlicet quia illorum delictum, salus, est gentibus. Obededom namque interpretatur seruiens homo: ille est vtique de quo Dominus ad patrem: *Constitues, inquit, me in caput gentium, populus quem non cognoui seruiuit mihi.* Vbi & Iudæorum actionem quasi Ozæ mortem præmittens, ait: *Eripies me de contradictionibus populi.* Nomen quoque vrbis congruit, Geth enim interpretatur torcular: significans crucem, in qua Christus viis vera calcari & exprimi dignatus est. A qua cunctus gentium populus merito Gethæus appellari potest, cum dicitur: *Mihi autem absit gloriari nisi in cruce Domini nostri* IESV CHRISTI. Tres autem menses quibus ibidem arca demoratur, fides, spes, & charitas est. Sicut enim diebus adimpletur mensis, ita singulæ virtutes suis quæque passibus ad perfectionem perueniunt: Menses quousque plenitudo gentium intret, currere non cessant. Tandem rediens Dauid arcam in ciuitatem inducit, quia Dominus (Enoch & Elia prædicantibus) conuertet corda patrum in filios, boues & arietes immolans, hoc est, eos qui aream Domini triturant, & ouium eius ducatum gerunt, martyrij sanguine coronans, & ipse quoque suæ incarnationis & passionis exemplum eousque Iudæis non creditum, palam manifestans: hoc enim significat, quod & ipse Dauid accinctus erat Ephod lineo. Nam linum quod de terra procreatum, multiplici labore ad candorem vestis peruenit, veritatem humanæ carnis inter flagella triumphantis ostendit: verum cunctis exultantibus & ad arcem cælestis introitus hymnos resonantibus sola Michol filia Saul, ad arcam ducentibus abest quinetiam spectaculis Dauid humiliatum despicit: quia credentibus in mundi fine Iudæis, erunt nonnulli qui Christum tantum professione, sed opere sequentur Antichristum, quibus merito congruit, quod eadem Michol quæ ob figurandam instabilitatem carnalium à qua omnis viri iniquitas procedit, præter morem non vxor Dauid, sed filia Saul appellatur: quia qui Christo fidetenus tantum seruiunt, non illius regno coronandi, sed persecutorum eius, quos imitati sunt, anathemate damnandi. Verum licet praui succenseant, humilitatem Ecclesiæ contemnant, nihilominus arca Domini suum locum ingreditur: ponitur in medio tabernaculi, quod tetenderat ei Dauid, id est, fides Ecclesiæ prædicatur, proficit, inseritur cordibus omnium quos dominus ad vitam præordinauerat æternam. Offert Dauid holocausta & pacifica coram Domino, & fidem deuotionemque Ecclesiæ commendat patri Christus, qui est ad dexteram Dei qui etiam interpellat pro nobis. Qui in exemplum Dauid, fideles humilesque benedicens, salutaris mysterij pascit alimentis. [*Partitus singulis collyridam panis vnam,*] illius vtique qui de cælo descendit, & dat vitam huic mundo: [*& assaturam bubula carnis vnã.*] illius scilicet vituli saginati, qui pro reuertente ad patrem filio iuniore, mactatus & igne passionis assatus est, dicens: *Exaruit velut testa virtus mea.* [*& similam frixam oleo.*] carnem videlicet, à peccati labe mundissimam, sed ob humanæ salutis causam huberrimam delectationibus crucis sartagine coctam. G Et merito vna panis collyrida, vna carnis assatura datur, quia vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma, vnus Dominus & pater omnium: Aliter hæc munera fideles accipiunt: quoniam vnus panis & vnum corpus multi sumus in Christo, suæ carnis singuli lasciuiam castigantes, ac seruituti subiicientes, sancti spiritus igne decoquunt, nec non & fructus operum bonorum, oleo misericordiæ pinguissimos, compassione proximi feruere faciunt. At contra filia Saul frustra cubiculum regis ingressa, nullos concepti seminis fructus dat: quia verbum Dei auretenus tantum percipiunt, absque boni operis prole, diem perpetuæ mortis expectant. Cæterum beatus papa Gregorius, dum de audacia subditorum contra rectores suos tractaret moraliter, ita loquitur: Sæpe inquit, quia intelligi non volunt, deterioribus displicent vel facta vel dicta meliorum, sed ab eis non temere reprehendenda sunt, quia appræhendere veraciter nequaquam possunt. Sæpe aliquid à maioribus dissimulatorie agitur, quod à minoribus error putatur. H Sæpe multa à fortibus dicuntur, quæ idcirco infirmi diiudicant, quia ignorant. Quod bene bobus calcitrantibus inclinata illa testamenti arca signauit, quamquam casuram credens, Leuites erigere voluit, mox sententiam mortis accepit. Quid est namque mens iusti, nisi arca testamenti? Quæ gestata bobus calcitrantibus inclinatur, quia nonnunquam etiam qui bene præest, dum subiectorum populorum confusione concutitur ad dispensationis condescensionem, ex sola dilectione permouetur. Sed hoc quod dispensatorie agitur, inclinatio ipsa fortitudinis, casus putatur imperitis. Vnde & nonnulli subditi contra hanc manum reprehensionis mittunt, sed à vita protinus ipsa, sua temeritate deficiunt. Leuites ergo quasi adiuuans manum extendit, sed delinquens vitam perdidit, quia dum infirmi quique fortium facta corripiunt ipsa viuentium sorte reprobãtur. Aliquando etiam sancti viri quædam in imis descendentes dicunt, quædam vero summa contemplantes proferunt: dumque vim vel condescensionis vel altitudinis nesciunt, audacter

hæc

A hæc stulti reprehendunt. Et quid est, iustum de sua condescensione velle corrigere, nisi inclinatam arcam, superba reprehensionis manu teleuare? Quid est iustum de incognita locutione reprehendere, nisi motum eius fortitudinis erroris lapsum putare? Sed perdit vitam qui Dei tumide subleuat: quia nequaquam quis sanctorum corrigere arcã recte factam præsumeret, nisi de se prius meliora sensisset. Vnde & Leuites idem, recte Oza dicitur, quod videlicet robustus Domini interpretatur: quia præsumptores quique audaci mente robustos se in Domino crederent, nequaquam meliorum facta vel dicta, velut infirma iudicarent. [*Habitauit arca Domini in domo Obededom Gethai tribus mensibus & benedixit Dominus Obededom & omnem domum eius.*] Obededom Gethæus ideo vocatur, eo quod in Geth pater eius habitauerit. Quod vero subiungitur, [*Benedixit eum Dominus & omnem domum eius.*] Sic nonnulli intelligi volunt, eo quod omnes vxores eius & concubinæ, & nurus, & ancillæ, masculos pepererint filios, necnon & pecora & quadrupedes B geminos ei ediderint fœtus. Deinde sequitur, qualiter Dauid & omnis domus Israel in Ierusalem reduxerunt arcam Domini. [*Cumque ille saltasset coram arca Domini, & Michol filia Saul despexisset eum.* Et reliqua.] Dauid cum arcã Domini in Ierusalem transferret, atq; ante eam luderet, à Michol filia Saül vxore sua, hostili irrisione subsannatus est. Sic nimirum Dominus IESVS CHRISTVS, cum testamentum Dei in Ecclesiam suam transferre voluit hoc est, ex veteri Testamento euangelica præcepta, velut qui noua conderet, à plebe Iudaica comprehensus, atque in cruce suspensus, ludibrium eis fuerit. In qua cruce velut nudus eis apparuit, dum potentiam diuinitatis suæ illis abscondens, infirmitatem tantum carnis ostendit. Ancillas vero seruorum Dauid de quibus ei Michol improperata est, personam gessisse Sanctorum non dubium est. De quibus verus Dauid, hoc est manu fortis Dominus, post Ascensionem suam in cælis, per Euangelicam prædicationem, per virtutum miracula, & ad extremum per C martyrij triumphum gloriosior effectus est in gentibus multo magis, quam in passione sua Iudæis visus fuerat. [*Michol non est natus filius.*] Michol in typo synagogæ sterilis permansit. Ecce allegorice, deinceps moraliter intueri libet, quantum virtutum munera Dauid perceperat: atque in his omnibus qui forte se humilitate seruabat. Quem enim non extolleret? ora leonum frangere, vrsorum brachia dissipare, despectis prioribus fratribus eligi, reprobato Rege, ad regni gubernacula vngi, timendum cunctis, vno lapide Goliath sternere, à Rege proposita extinctis Allophylis, numerosa præputia reportare, promissum tandem regnum percipere, cunctumque Israëliticum populum sine vlla contradictione possidere? Ecce tamen cum arcam Dei in Ierusalem reuocat, quasi oblitus prælatum se esse, omnibus admixtus populis, ante arcam saltabat. Et quia coram arca saltare (vt creditur) vulgi mos fuerat, Rex se in diuino obsequio, per saltum rotat. Ecce quem Dominus cunctis singulariter prætulit, sese subdidit Domino, & exæ-D quãndo minimis, abiecta exhibendo contemnitur. Non potestas regni ad memoriam reducitur, nec subiectorum oculis saltando, vilescere metuit, non se honore prælatum cæteris (ante eius arcam qui honorem desiderat) recognoscit. Coram Deo egit debilia vel extrema, vt illa ex humilitate solidaret, quæ coram hominibus gesserat fortia. Quid de eius factis ab aliis sentiatur, ignoro, ego Dauid plus saltantem stupeo, quam pugnantem. Pugnando quippe hostes subdidit, saltando autem coram Domino semetipsum. Quem Michol Saul filia adhuc ex tumore regij generis insana, eum humiliatum despiceret, dicens: [*Quam gloriosus fuit hodie Rex Israel, discooperiens se ante ancillas seruorum suorum, & nudatus est, quasi si nudetur vnus de scurris.* Protinus audiuit, *Ante Dominum qui elegit me potius quam patrem tuum.* Ac paulopost ait: *Et ludam & vilior fiam plus quam factus sum eroque humilis in oculis meis.*] Ac si aperte dicat: Vilescere coram hominibus appeto, quia seruare mihi coram Deo ingenium per humilitatem quæro. Sunt vero nonnulli qui de semetipsis humilia sentiunt, quia in honoribus positi, E nihil se esse, nisi puluerem fauillamque perpendunt: sed tamen coram hominibus viles apparere refugiunt, & contra hoc, quod de se interius cogitant, quasi rigida exterius venustate palliantur. Et sunt nonnulli, qui viles videri ab hominibus appetunt, atque omne quod sunt, se deiectos exhibendo, contemnunt: sed tamen apud se introrsus, quasi ex ipso merito ostensæ vilitatis, intumescunt, & tanto magis in corde elati sunt, quanto amplius in specie elationem premunt. Quæ vtraque vnius elationis bella, magna Dauid circumspectione deprehendit, mira virtute superauit, quia enim de semetipso intus humilia sentiens, honorem exterius non quærens, insinuat, dicens: [*Ludam & vilior fiam.*] Et quis per hoc quod vilem se exterius prius præbuit, nequaquam interius intumescit. Adiungit, *Eroque humilis in oculis meis.*] Ac si dicat, qualem me exterius despiciens exhibeo, talem me F interius attendo. Quid ergo acturi sunt quos doctrina eleuat? si Dauid ex carne sua venturum redemptorem nouerat, eiusque gaudia prophetãdo nuntiabat, & tamen, in semetipso ceruicem cordis, valida discretionis calce deprimebat, dicens: *Eroque humilis in oculis meis.*]

CAP. VII.

F*Actum est autem cum sedisset Rex in domo sua, & Dominus dedisset ei requiem, dixit ad Nathan Prophetam: Videsne quod ego habitem in domo cedrina, & arca Dei posita sit in medio pellium? Dixitque Nathan ad Regem: Omne quod est in corde tuo, vade fac, quia Dominus tecum est,* &c.] Hoc enim Nathan ex se, nõ ex sermone Domini Ioan. 3. dixit: & ideo errauit de sensu suo præsumens: prius enim Deum interrogare debuit. Hic itaque demonstratur, quod spiritus prophetiæ, Prophetarum mentes non semper irradiat: quia sicut de spiritu sancto scriptum est: *vbi vult spirat.* Hinc est etiam quod Eliseus, cum flentem mulierem cerneret, causamque nesciret, ad prohibentem hanc puerum dicit: *Dimitte eam, quia anima eius in amaritudine est. & Dominus celauit me, & non indicauit mihi.* Quod G omnipotens Deus ex magna pietatis dispensatione disponit, quia dum prophetiæ spiritum aliquando dat, & aliquando subtrahit, prophetantium mentes, & eleuat in celsitudine, & custodit in humilitate: vt accipientes spiritum, inueniant quid de Deo sint, & rursum prophetiæ spiritum non habentes, cognoscant quid de semetipsis sint. Vnde Propheta quod ex se dixit, propter vsum prophetiæ, & spiritu dixisse credebat. Ideoque illud quod sequitur ex sermone Domini dixit: [*Nunquid tu ædificabis mihi domum?* & reliqua.] ac si diceret: Non poteris ædificare mihi domum, quia vir sanguinum es, & multum sanguinem effudisti. Inde est quod in tentorio & tabernaculo se dicit habitasse; quia nec Moyses, nec Iosue potuerunt ædificare domum, quia viri sanguinum fuerunt. Vnde & in sequentibus ait: [*Nunquid loquens locutus sum alicui iudici de tribubus Israel, cui præcepi vt pasceret populum meum Israel, dicens: Quare non ædificasti mihi domum cedrinam?*] Idcirco H a nullo iudicum sibi ædificari domum cedrinam iussit, quia ab omnibus contra hostes pugnatum fuit, & omnes effusores sanguinum fuerunt. Filius tamen tuus cui non instabunt bella hostium, & quia non erit vir sanguinum, ipse ædificabit mihi domum: Nam quod sequitur, [*per cuncta loca quæ transiui cum omnibus filiis Israel.*] intelliguntur Silo & Galgala & Nobee, & cætera loca vbi tabernaculum & arca collocata sit. Porro quod superius ait: [*Nunquid tu ædificabis mihi domum ad habitandum* &c.] Potest etiam altius intelligi. Omnipotens enim Deus qui incircumscriptus spiritus est, in domibus manufactis itaque non habitat. Vnde & dicit, [*Neque enim habitaui in domo, ex qua die eduxi filios Israel de terra Ægypti, sed ambulabam in tabernaculo & in tentorio.*] Tabernacula enim siue tentoria, corda sanctorum figuraliter exprimunt, in quibus Dominus habitare dignatur. Sed quid est quod volente Dauid ædificare templum, à Domino prohibitus est? nisi quia hoc, scriptura præfigurante,

demon

demonstratur, vt qui vir sanguinum est, hoc est qui adhuc carnalibus actibus incubat, templum Deo, sanctam scilicet Ecclesiam, per prædicationis officium construere non debet, seu etiam moraliter innuitur, quod mundus in se esse à vitiis debet, qui curat aliena corrigere: in terrena non cogitet, vt desideriis infimis non succumbat, quatenus tanto perspicacius aliis fugienda præuideat, quanto hæc Ipse per scientiam & vitam verius declinat. Nequaquam pure maculam in membro considerat oculus, quem puluis grauat, & superiectas sordes tergere non valent manus, quæ lutum tenent. Vnde & Dauid, qui iuxta exteriora bella laborauit, dicitur: *Non tu ædificabis mihi domum, quia vir sanguinum es.* Dei templum ædificat, qui corrigendis institutis proximorum mentibus vacat. Sed vir sanguinum templum Dei ædificare prohibetur, quia qui adhuc actibus carnalibus incubat, necesse est, vt instimere spiritaliter proximorum mentes erubescat. [*Fecique tibi nomen grande.*] Videlicet vt dicatur Deus Dauid, sicut Abraam, Isaac & Iacob, si [*fecique nomen grande.*] Videlicet vt dicatur Deus Dauid, sicut Abraam, Isaac & Iacob, sicut feci Moysi & Iosue, quorum nomina famosissima sunt in terra, sic feci tibi. [*Et ponam locum populo meo Israel.*] Locum quem Dominus populo suo præparaturum se pollicitus est, non de situ terrarum, neque de quolibet loco, sed de cælesti Ierusalem intelligitur, quamquam de templo videatur intelligi, & de temporibus Salomonis, quoniam filij Israel quodammodo sub pace essent quieturi, & ipse Salomon si quid deliquisset in virga virorum, & in plagis filiorum hominum, hoc est non in gladio inimicorum & incommoditatibus corporum humanorum esset arguendus. Quod postea expletum legimus, in cælesti Ierusalem, vbi omnes electi post diem iudicij translati, absque vlla perturbatione sub ipso Domino vsque in æternum manebunt. [*prædicitque tibi Dominus quod domum faciet tibi Dominus &c.*] Domus Dauid Ecclesia est Christi, hoc de Salomone credere, absurdum est ille: enim viuente patre suo regnare cœpit. Hic autem dicit, [*Cum completi fuerint dies tui, & dormieris cum patribus tuis, suscitabo semen tuum post te.*] quod de Christo Domino (qui ex semine eiusdem Dauid secundum carnem nasci dignatus est) intelligere & credere pium est: Cuius regnum in sempiternum iugiter perseuerat: cuius domus, hoc est Ecclesia catholica, fidelis coram eo vsque in æternum permanet. [*Qui si inique aliquid gesserit &c.*] Non hoc de Domino IESV CHRISTO accipiendum est, qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius, sed de electis eius, qui membra sunt ipsius, ex quibus sine peccato nullus esse potuit. [*Et fidelis erit domus tua.*] Domum Salomonis plenam fuisse mulieribus alienis, nullus qui sacras literas nouit, ignorat. Domus igitur fidelis, sancta Ecclesia accipitur, quæ coram Domino vsque in æternum permanet. Hanc enim domum, & nos ædificabimus bene viuendo, & Deus, vt bene viuamus, opitulando: quia *nisi Dominus ædificauerit domum, in vanum laborant qui ædificant eam.* Cuius Domus cum venerit vltima dedicatio, tunc fiet illud quod Deus hic per Nathan locutus est dicens: [*Et ponam locum populo meo Israel, & plantabo illum & inhabitabit seorsum, & non erit solicitus vltra, & non apponet filius iniquitatis humiliare eum sicut ab initio, a diebus quibus constitui iudices super populum meum Israel.* Hunc tam magnum bonum, quisquis in hoc seculo & in hac terra sperat, insipienter sapit, aut quispiam putabit in pace Salomonis id esse completum, aut alicuius alterius regno [Nam temporibus iudicum humiliauit eum filius iniquitatis, hoc est hostis alienigena, per interualla temporum, & inueniuntur illic pacis tempora prolixiora, quam Salomon habuit: qui X L. annos regnauit. Nam sub eo iudice, quiest appellatus Ahod, L X X X. anni pacis fuerunt.

Absit ergo vt Salomoni hæc tempora, in hac promissione, promissa esse credantur. Locus ergo qui promittitur, tam pacatæ ac securæ habitationis, æternus est, æternisque debetur, in matre Ierusalem libera: vbi erit veraciter populus Israël, & vbi habitabit in æternum cum Deo & in Deo suo: & Deus cum populo, atque in populo suo, ita vt Deus sit implens populum suum, & populus plenus Deo suo, & Deus erit omnia in omnibus: Ipse in pace tribuit præmium, qui est virtus in bello. [*Ingressus est autem rex Dauid, & sedit coram Domino, &c.*] Sedere coram Domino, est beneficia eius in humilitate cordis confiteri. [*Ista est enim lex Adam domine Deus.*] Hoc est: Ista enim lex hominis Domine Deus vt tibi in simplicitate cordis & puritate seruiat: & tu facias ei misericordiam tuam, sicut mihi dignatus es facere seruo tuo. [*Tu enim scis seruum tuum Domine Deus. Propter verbum tuum, & secundum cor tuum fecisti omnia magnalia hæc, ita vt notum faceres seruo tuo.*] Ac si diceret: Propter verbum tuum quod promisisti Abraam, Isaac & Iacob, fecisti omnia mihi seruo tuo. Sed etiam verbum patris vnigenitus filius est, qui est benedictus in secula. Propter mysterium enim Incarnationis ipsius ex semine Dauid, gesta sunt multa in Dauid. Quod dicit, secundum cor tuum, intelligitur secundum misericordiam tuam: [*Quod non est similis tui, neque enim est Deus extra te, in omnibus quæ audiuimus auribus nostris.*] Non est, inquit Deus similis tui, qui fecerit magnalia, hæc quæ audiuimus auribus nostris, &c. vsque quo ait: [*Quia tu Domine exercituum Deus Israel, reuelasti aurem serui tui, dicens: Domum ædificabo tibi.*] Aurem sibi reuelare, quia per Prophetam prædicatum est, domum sibi ædificandam à Domino. [*Quæ est autem vt populus tuus Israël gens in terra?*] Quæ est gens in terra alia præter populum electum, propter quem venire dignatus est Deus Dei Filius in hunc mundum, velut in Ægyptum, vt assumpta forma serui, commercio sanguinis, sui redimeret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum? Deum autem eiusdem populi electi, dominicum hominem accipere, oportet, quem de Ægypto, hoc est, ex hoc mundo per vterum virginis assumpsit. *Et domus serui tui Dauid erit stabilita coram Domino.*] Domus Dauid, Ecclesia Christi sine dubio est, de qua satis iam dictum est superius. [*Propterea inuenit seruus tuus cor suum, vt oraret te.*] Cum ergo cogitatio per discretionis custodiam restringitur, cor quod fugere consueuit, inuenitur. Nihil quippe in nobis est corde fugacius, quod à nobis toties recedit, quoties per prauas cogitationes defluit. Sed Dauid cor suum inuenisse dicit, id est, audaciam in corde vt oraret Dominum oratione hac.

E

F

G

CAP. VIII.

F*Actum est autem post hæc percussit Dauid Philistim, & humiliauit eos: & tulit Dauid frenum tributi de manu Philistim, & percussit Moab, mensus est eos funiculo coæquans terræ. Mensus est autem duos funiculos, vnum ad occidendum, & vnum ad viuificandum, &c.*] Frenum tributi, quinque erant ciuitates Philistinorum, quæ frequenter Israel sibi tributarium faciebant: quas eis tulit Dauid & humiliauit eas, fecitque sibi tributarias. Vnde & in Paralipomenon, legitur: *Humiliauit eos, & tulit Geth & filias eius de manu eorum, & percussit Moab, & mensus est eos funiculo coæquans terræ.* Quod vero scriptum est de Dauid, & percussit Moab & mensus est eos funiculo, coæquans terræ, hyperbolice debet accipi: non enim fieri poterat, vt homines in terra degentes, intantum humiliarentur, donec ipsius terræ dorso, funiculo superextenso comprobante, apparerent æquales: sed immensam humiliationem captæ & oppressæ gentis, voluit scriptura hoc verbo accumulare: vt diceret ideo æquatos eos terræ, eo quod essent eiurati atque contempti, ita vt in nullo amplius homines in terra degentes, possent eis nequitia coæquari. Huiusmodi locutionis plura habes exempla in scripturis: quale est illud Euangelij. *Sunt autem & alia multa quæ fecit* IESVS, *quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere eos qui scribendi sunt libros.* Quomodo enim non caperet mundus libros,

1. Par. 18.

H

Ioan. 21.

qui

A qui scribi potuissent in mundo? Sed ad insinuandam magnitudinem, ac multitudinem operum Domini, tali verbo voluit vti scriptura. Et in planctu Dauid super Saül & Ionathan, aquilis velociores, leonibus fortiores. Cui simillimum est illud etiam secularium literarum. Qui candore niues anteirent cursibus auras. Quod autem mensus eos funiculo dixit. Funiculum allegorice, pro sorte posuit, eo quod funiculo soleant agrorum spatia metiri. Vnde scriptum est: *Et sorte diuisit eis terram in funiculo distributionis.* Significat autem, quia tam libera dispositione Dauid regiones Moabitarum hæredibus quibus vellet, diuisit quasi possessor quilibet agros proprios ad nutum suum, ducto huc atque inde funiculo, dirimit. [*Mensus est autem duos funiculos, vnum ad Occidendum, & vnum ad viuificandum.*] Et hoc allegorice dictum est, significans quod in sua potestate habuerit, nullo vtique contradicente, quos eorum neci daret contumaces, & quibus parceret subiectis. Nam quod B ait, [*percussit Dauid Philistim, & humiliauit eos, tulitque frenum tributi*, &c.] potest allegorice intelligi: Dauid Philistim percussit, quia Christus Dominus de aëreis potestatibus triumphans, frenum erroris quod humano generi imposuerat, confregit. Quod autem ait, [*percussit Moab & mensus est duos funiculos, vnum ad occid. & vnum ad viuifi.*] occultam ipsius Domini nostri Iesv Christi dispensationem significat, qui quam ea populo infideli, alios gratuita miseratione viuificans, ad æternam libertatem prædestinauit, alios vero occulto iudicio in sua impietate derelinquendo, in perpetua morte damnauit. Quod autem Dauid Moab (qui interpretatur de patre) & Syriam Damasi, & cæteras regiones ditioni suæ subiugatos fecit esse tributarias: mystice significant, quod Christus omnes gentes sub sua dominatione tenens, facit pensum seruitutis sibi reddere, dum singulæ quæque nationes in nominis eius confessione adunatæ, deuote censum bonorum operum illi exoluunt. Damascus enim nobilis est vrbs Phœniciæ, eodem vocabulo quo & Meseth C ancillæ Abraam filius appellatus est: & Damascus interpretatur sublimis, siue humecta. Et bene quæ prius humecta libidine, superba spiritu, sanguinem humanum inexplebiliter sitiebat: nunc mundata baptismate Christi, sublimis profectu virtutum, sanguinis eius poculum desiderat percipere. Quid autem significat quod Dauid vasa aurea & argentea atque ærea, quæ tulerat de vniuersis gentibus, sanctificauit Domino, nisi quod Christus omnes quos de vniuersis gentibus conuocat ad fidem suam: alios auri loco, hoc est sensu spiritali præclaros: alios argenti, hoc est eloquentiæ nitore splendentes: alios vero prædicatione diuini honoris sanctificat Domino: vt in eius tabernaculo fideliter deseruientes, ipsius ministerio in æternum decentissime perfungantur? [*Fecit quoque sibi Dauid nomen cum reuerteretur, capta Syria in valle Salinarum, cæsis decem & octo millibus.*] Fecisse sibi nomen dicitur, quia in valle Salinarum cæsis decem & octo millibus, erexit sibi fornicem trium phalem. Fecit etiam sibi nomen, quia victa Syria Damasci, & Syria Sobal, erexisse sibi dicitur alteram fornicem triumphaD lem. Etsi quem mouet, quod in plerisque Latinorum codicibus inuenitur, Dauid non decem & octo millia in valle Salinarum, sed duodecim cæcidisse: nouerit hoc vitium scriptorum in eisdem codicibus molitum esse. Veraciter tunc Dauid in eadem valle Salinarum decem & octo millia cæcidit, & Ioab vero duodecim millia, sicut in titulo. LVIII. psalmus scribitur. Cæterum allegorice quid in percussa multitudine à Dauid in Salinarum valle signatur, nisi quia redemptor noster suæ videlicet districtionis examine, in his qui de illo praue sentiunt, stultitiam immoderati saporis extinguit? Vnde & per quendam sapientem dicitur: *Cor durum, male habebit in nouissimo: & qui amat periculum, in illo peribit.*

CAP. IX.

E*T dixit Dauid: Putasne est aliquis de domo Saul, vt faciam cum eo misericordiam Domini? Dixitque Siba* E *regi: Superest filius Ionatham debilis pedibus.*] Dauid non immemor erat fœderis quod habuerat cum Ionatham & olim pepigerat, sed misericordiam quam ei promiserat implere curauit, filiumque eius requirit, & misericordiam cum eo fecit. Non enim erat Dauid ex eorum societate, de quibus alias scriptum est: Qui tollit ab amico suo misericordiam, timorem Domini derelinquit. Quæ res & fidelitatem probauit secundum historiam in viro, & sacramentum iuxta allegoriam ostendit in facto. Sæpe enim dictum est Dauid personam Christi figurare, necnon & in superioribus commemoratum est: Ionathan qui interpretatur columbæ donum, typum tenere gratiæ Spiritus sancti. Habuit ergo Ionathas filium paruulum nomine Misphiboseth, vtroque pede claudum (vt scriptura restatur) quem Dauid ad se accersiri iussit: cum prædestinatio & præscientia Dei, eum quem ad seculi ministeria & mundana negoria exercenda, sermone & actione debilem conspicit, ad diuinum ministerium eligit: quia F quem mundus per fastum elationis spernit, hunc Deus propter deuotionem humilitatis acquirit. Interpretatur enim Misphiboseth decor ignominiæ: Is ergo cuius loquelam & præscientiam superbia mundi despicit, Dei dono vtilis ad spiritale mysterium in Ecclesia apparebit. Quid est ergo quod Dauid Sibam seruum Saul de stirpe Saul quærens, eo reuelante, Misphiboset inuenit, nisi quia redemptor noster electorum numerum discutiendo inter eos qui contempti mundum reliquerunt, ad se venire fecit? Siba enim egressus, venit in tempore. Interrogatus ergo Siba à Rege, Misphiboseth filium Ionathæ, in domo Machir filij Amiel in Lodobat esse respondit. Quæ res præsenti expositioni bene conuenit: Interpretatur enim Machir, vendens vel de infirmitate: Amiel, populus eius dicitur: Lodobar, ipse verbum. Denique Dauid noster contemptibiles huius mundi, & ea quæ non sunt eligens, vt ea quæ sunt destruat, eos vendibiles mundo, & in infirmitate constitutos reperiendo, populo suo dignos verbo prædicationis asciuit, eisG que regium honorem inter filios habere concessit. Vnde & Dauid agros Saul sepulturi Misphiboseth donans, ipsum Misphiboseph conuiuam suum super mensam suam simul cum filiis esse præcepit: quia mediatoris nostri gratia, quæ secundum Mariæ vocem: *Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles.* Et iuxta prophetiam Annæ: *Suscitans de puluere egenum, & de stercore erigens pauperem: vt sedeat cum principibus, & solium gloriæ teneat.* (Luc. 1. 1. Reg. 2. Ps. 112) Contemptibiles personas de mundo auferens, possessores virtutum efficit, & scientia spiritali super mensam scripturarum sanctorum quotidie secum reficit. Vnde euenit vt tales sobolem gignant, qui vocetur Micha. Micha enim, quis est, latine resonat: quia frequenter & in admirationem populi tales veniunt: qui nuper e despectu mundi ablati, gloriosi in Ecclesia Dei dono apparebunt.

CAP. X.

H F*Actum est autem post hæc vt moreretur Rex filiorum Ammon, & regnaret Hanon filius pro eo. Dixitque Dauid: Faciam misericordiam cum Hanon filio Naas, sicut fecit pater eius mecum misericordiam.* Et reliqua. Quando fugit Dauid à facie Achis Regis Geth, venit ad Naas Regem Ammon, qui fecit cum eo misericordiam, multa impertiendo bona. De domo Naas itaque venit in speluncam Odollam, vbi venerunt ad eum pater & mater & omnis domus eius. Inde venit ab Moab, & dimisit apud eum patrem & matrem, & omnem domum suam, & rediit ad Achis Regem. Quo viso, dixit Achis Rex Geth: Hiccine ingredietur domum meam? Abiit inde & fugit in speluncam Odollam. Abiit inde, inquit, subauditur de domo Naas, & fugit ad eandem speluncam. Si vero quæritur, prout longe superius legitur, cur ad Achis Dauid redierit, ante cuius faciem fugerat intelligendum est, quod iste Achis filius fuerit illius. Vnde & Achis cum quo Dauid in prælium contra Saul descendebat, filius fuisse dicitur Maoch. Non enim à patre, hoc nomen

A patronymicum, sed à matre sumpsit, quæ Macha vocabatur: & idcirco non à patre hoc sumpsit nomen, eo quod Dauid à se abiecerit. His enim enucleatis, ad spiritalem intelligentiam apostropben faciamus. Ait enim, [*Dixitque Dauid: Faciam misericordiam cum Hanon*, &c. vsquequo ait: *Tulit itaque Hanon seruos Dauid, rasitque dimidiam partem barbæ eorum*, & reliqua.] Hanon qui interpretatur, dolor eorum: quis melius intelligi potest, quam diabolus, qui Ammonitarum spiritalium, id est, malignorum spirituum rector videtur esse? Idem est & princeps huius mundi, populum videlicet mœroris & semper in angustia constituti, qui comprimere vel coangustare homines desiderat. Sicut enim Hanon Rex Moab seruos Dauid, ad se missos, deturpauit, atque ludibriter fœdatos ad eundem Dauid remisit: ita & diabolus princeps huius mundi, plerosque religiosos & prædicantes Verbi Dei conuersationem, per subrepentia vitia deturpare consueuit. Qui dum eorum latentia mala, in B aperta flagitiosa perpetrataque luxuria detegit, quasi eorum indumenta vsque ad nares abscisa, nudosa dignitate castitatis derelinqui: & in oculis hominum turpia facta, quæ ipsi persuaserat, reuelat. Et dum pristinam eorum fortitudinem eripit, velut barbam radit. Quos tamen verus Dauid, Dominus scilicet & Saluator clementi respectu, per pœnitentiam, ab indulgentia non excludit: quos & in Iericho, hoc est sub anathemate pœnitentiæ & opprobrio meliorum residere iubet: donec sacramenta spiritualia & fortitudinem mentis, quam peccando perdiderant, satisfaciendo recipiant, & sic demum in conspectu eius stare valeant. Nec credendum est vtique, quod Dauid noster milites suos inultos esse patiatur, qui in hostes suos exercitu congregato procedit, ac vindicat suorum iniuriam: cum non solum aduersarios suos, nunc per Sanctorum suorum victoriam confundit, sed etiam in extremo iudicio per iustam sententiam, perpetuis ignibus cruciandos reddet.

C

CAP. XI.

F*Actum est autem vertente anno, eo tempore quo solent Reges ad bella procedere, misit Dauid Ioab & seruos suos cum eo*, &c.] In Hebræo ita legitur, [*eo tempore quo Reges ad bella processerant, misit Dauid Ioab*, &c.] Hos Reges dici, qui processerunt contra Dauid in pugnam, scilicet Regem Rohob & Istoh & Soba & Maacha. Qui vtique Reges Syriæ fuerunt, & pugnare voluerunt (conducti mercede à Rege Moab) contra Dauid, à quo triumphati esse leguntur. [*Et ait Ioab Abisai fratri suo: Si præualuerint aduersum me Syri, eris mihi in adiutorium: si autem filij Ammon præualuerint aduersum te, auxiliabor tibi.*] Hoc est quod in Prouerbiis Salomon ait: *Frater qui adiuuatur à fratre, quasi ciuitas munita, & iudicia quasi vectes vrbium.* [Prou. 18.] [*Quadam die accidit, vt surgeret Dauid de strato suo post meridiem, & deambularet in solario domus regiæ. Viditque mulierem ex aduerso se lauantem super solarium suum.* Atque post pauca subiungitur: D [*Misit itaque Dauid nuntios, & tulit eam. Quæ cum ingressa esset ad illum, dormiuit cum ea*, & reliqua.] In hac sententia non ex nostra aliquid ponimus, sed Sanctorum Doctorum dicta inserere nitimur. Plerunque res quælibet per historiam virtus est, per significationem culpa. Sicut aliquando res gesta in facto causa damnationis est, in scripto autem prophetia virtutis. Quod verum esse citius ostendimus, si istud sacræ Scripturæ testimonium ad vtraque probanda proferamus. Quis namque audiens, non solum fidelium, sed ipsorum quoque infidelium, non statim damnabit: quod Dauid in solario deambulans, Betsabee Vriæ concupiscit vxorem? Quem tamen à prælio reuertentem, ire ad domum admonet, ac pedes lauare. Qui protinus respondit, dicens: Arca Domini sub pellibus est, & ego in domo mea requiescam? Quem Dauid ad mensam propriam suscipit, eique epistolas, per quas mori debeat, tradit. Cuius autem Dauid in solario deambulans typum tenet, nisi eius de quo scriptum est: [*In sole posuit tabernaculum suum.* [Psal. 18.] Et quid est E Betsabee ad se perducere? nisi legem literæ, carnali populo coniunctam, spiritali sibi intellectu sociare? Betsabee enim puteus septimus dicitur, quia nimirum per cognitionem legis infusio spiritalis gratiæ, perfectaque nobis sapientia ministratur. Quem vero Vrias nisi Iudaicum populum significat? cuius nomen interpretatum dicitur, lux mea Dominus: Iudaicus autem populus, quia de acceptæ legis scientia extollitur, quasi de Dei luce gloriatur. Sed huic Vriæ Dauid vxorem abstulit, sibique coniunxit: quia videlicet manu fortis (quod Dauid dicitur) in carne redemptor apparens, dum de se spiritaliter loqui legem innotuit, per hoc quod iuxta literam tenebatur, hanc à Iudaico populo extraneam demonstrauit, sibique coniugem: quia semper illam prædicari declarauit. Vriam tamen ad domum ire Dauid admonet, pedesque lauare: quia incarnatus Dominus veniens, Iudaico populo præcepit, vt ad conscientiam redeat, & sordes operum tergat fletibus vt spiritaliter mandata legis intelligat: F & post tantam duritiam præceptorum, fontem baptismatis inueniens, ad aquam post laborem recurrat. Sed Vrias arcam Domini esse sub pellibus meminit, respondit que quod domum suam intrare non posset: Ac si Iudaicus populus dicat: Ego mandata Dei in sacrificiis carnalibus videbo, & redire ad conscientiam, per spiritalem intelligentiam non requiro. Quasi enim arcam esse sub pellibus dicit, qui præcepta Dei non nisi ad exhibendum ministerium sacrificij carnalis intelligit. Hunc tamen etiam redire ad domum nolentem, Dauid ad mensam vocat: quia quamuis Iudaicus populus ad conscientiam redire contemnat, ei tamen redemptor veniens, mandata spiritalia prædicat dicens: *Si crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi, de me enim ille scripsit.* [Ioan. 5.] Legem itaque Iudaicus populus tenet, quæ diuinitatem loquitur, cui idem populus credere dedignatur. Vnde & vrias ad Ioab cum epistolis, ex quibus occidi debeat, mittitur: quia idem ipse Iudaicus populus legem portat, qua conuincente morietur. Dum enim mandata legis retinens implere renititur, ipse nimirum refert iudicium vnde damnabitur. G Quid ergo per factum istud Dauid scelestius? Quid Vria mundius dici potest? Sed rursus per mysterium, quid Dauid sanctius, quid Vria infidelius inuenitur? quando & ille per vitæ culpam, prophetiæ signat innocentiam: & iste per vitæ innocentiam, in prophetia exprimit culpam. Virtus namque sacri eloquij, sic transacta narrat, vt ventura exprimat: sic factorem approbat, vt ei mysterio contradicat: sic gesta damnat, vt hæc mysticè gerenda persuadeat. Aliter: Dauid interpretatur manu fortis, siue desiderabilis. In figura Christi post meridiem in solario deambulans, vidit mulierem se lauantem, atque concupiuit. Sic nimirum Dominus, declinante iam mundo, velut in solario deambulans, corpus quod assumere dignatus est, in sole posuit, quia cunctis patefecit. Vidit mulierem, hoc est Ecclesiam ex gentibus: super tectum, in altitudine videlicet contemplationis, per lauacrum regenerationis a sordibus seculi se mundantem, domum luteam spiritali contemplatione transcendentem, atque calcantem respexit: atque H interfecto diabolo, eam per fidem indissolubili coniugio, sibi copulauit. Bethsabee quippe interpretatur puteus septimus, seu puteus satietatis, sanctam videlicet præfigurans Ecclesiam: in qua est septiformis gratia Spiritus sancti, cuius dono omnes electi satiantur. Vrias verò lux mea Dominus dicitur. Hetheus abscisus interpretatur, personam in se exprimens diaboli: qui cum sit tenebrosus, & de terra viuentium abscisus, transfert se in Angelum lucis, & fingit se esse quod non est, audens de Deo dicere, lux mea, Dei est. Oderimus ergo peccatum, sed prophetiam non extinguamus. Amemus illum Dauid quantum amandus est, qui nos à diabolo per misericordiam liberauit. Amemus & istum pœnitentem Dauid, qui tam graue in se volnus iniquitatis pœnitentiæ & humilitatis confessione sanauit. Ad hoc ergo in scriptura sacra virorum talium, id est, Dauid & Petri, peccata sunt indicata: vt cautela sit minorum, ruina maiorum. Ad hoc verò vtrorumque illic, & pœnitentia insinuatur,

&

A & venia: vt spes pereuntium, fit recuperatio perditorum. De statu suo Dauid cadente, nemo superbiat: de lapsu etiam suo Dauid surgente, nemo desperet. Sed fortasse quis dicat, si Dauid imaginem Christi gerebat, quomodo multas vxores, & concubinas habuisse scribitur, cum has tres Christus exhorrescat & damnet? Hoc enim per figuram fiebat. Multæ enim vxores Dauid multarum gentium & nationum imaginem indicabant: quæ per fidem, Christi consortio iungerentur. Concubinæ vero eius, significant hæreticorum Ecclesias, quæ sub Christi nominis titulo, manere se gloriantur: sed quia propter carnalia lucra sectantur Christum, non coniuges sed concubinæ vocantur. Denique nec Reges si plures habeant vxores vel concubinas, crimen est: quia iam transierunt figuræ, pro quibus vxorum vel concubinarum venia concedebatur: At nunc quia figuræ transierunt, venia nulla datur.

B

CAP. XII.

Misit ergo Dominus Nathan ad Dauid, qui cum venisset ad eum? dixit ei: Duo viri erant in ciuitate vna, &c.] Sciendum est quod Nathan Propheta ad Dauid Regem, non statim quando in Bethsabee ipse Dauid peccauit, à Domino missus est: sed postquam eandem mulierem in domum suam introduxit, atque filius ex ea natus est: vt obstinatio peccati occasionem non haberet defensionis. Cum autem à præpositis Ecclesiæ huius seculi potentes arguuntur, prius per quasdam similitudines velut de alieno negotio requirendi sunt. Et cum rectam sententiam quasi in alterum contra se ipsi protulerint, tunc modis cōgruentibus de proprio reatu feriendi sunt, & vt mentes temporali potentia tumidæ, contra corripientem nequaquam se erigant, quæ sibi suo iudicio proprij oris ligant. [*Quamobrem non recedet gladius de domo tua vsque in sempiternum.*] Nota quomodo de domo Dauid, hoc est populi Iudæorum, vltionis gladius vsque in æternum non recedet. [*Et dixit Dauid ad Nathan peccaui Domino. Dixitque Nathan ad Dauid: Dominus quoque transtulit peccatum tuum, Non morieris. Verumtamen quoniam blasphemare fecisti inimicos nomen Domini propter verbum hoc, filius qui natus est tibi, morte morietur.*] Hic considerare possumus quantum valet apud Deum humilis & vera pœnitentia, si ex corde fuerit. Nam Dauid nihil aliud dixit, postquam peccatum suum increpatus à Propheta cognouit, nisi vno verbo confessus est, dicens: *Peccaui Domino*, & statim veniam consecutus est, teste Propheta qui ait: [*Dominus quoque transtulit peccatum tuum, non morieris.*] Hoc est quod scriptum est, *si conuersus ingemueris saluus eris*. Et illud: *Nolo mortem peccatoris, sed potius vt conuertatur & viuat*. Hinc iterum scriptum est: *Peccator in quacunque die conuersus fuerit, omnia peccata eius in obliuione erunt coram me.* Sic nimirum Petrus respectus à Domino, fleuit & peccatum negationis flendo deleuit. Sic latro in momento in extremitate vitæ confitendo Deum, & peccatum suum cognoscendo, dicens: Nos digna factis recipimus, paradisum promeruit. Sed quia exigente causa Dauid ad medium deducto in ordine historiæ, tanti facinoris memoriam fecimus, Lectoris fortasse animus mouetur: cur omnipotens Deus eos quos in perpetuum elegit, quos ad bonorum quoque spiritalium culmen assumit, illæsos à corporalibus vitiis nō custodit? Vnde quia satisfieri citius credimus, breuiter respondemus: Nonnulli enim per accepta dona virtutum, per impensam gratiam bonorum operum, in superbiæ vitium cadunt: sed tamen quo ceciderant, non agnoscunt. Proinde contra eos hostis antiquus, qui iam interius dominatur, etiam exterius sæuire permittitur: vt qui in cogitatione elati sunt, per carnis luxuriam prosternantur. Scimus autem quia aliquando minus est, in corporis corruptionem cadere, quam cogitatione tacita ex deliberata elatione peccare. Sed cum minus turpis superbia creditur, minus vitatur: luxuriam vero eo magis erubescunt homines, quo simul omnes turpem nouerunt. Vnde fit plerūque, vt nonnulli post superbiam in luxuriam corruentes, ex aperto casu, malum culpæ latentis erubescant: & tunc etiam maiora corrigunt, cum prostrati in minimis grauius confunduntur. Reos enim se inter minora conspiciunt, qui liberos inter grauiora crediderunt. Pia ergo Domini dispensatione laxatos, nonnunquam malignus spiritus de culpa ad culpam trahit, & dum plus percutit, inde eum quem ceperat, amittit: atque vnde prius vicisse cernitur, inde superatur. Considerare libet inter munitum gratiæ sinum, quando Deus misericordiæ fauore nos continet. Ecce qui de virtute se extulit, per vitium ad humilitatem redit. Qui vero acceptis virtutibus extollitur, non gladio, sed (vt ita dixerim) medicamento vulneratur. Quid enim est virtus, nisi medicamentum? Et quid est vitium, nisi vulnus? quia ergo nos de medicamento vulnus facimus, facit ille de vulnere medicamentum: Vt qui virtute percutimur, vitio curemur. Sed inter hęc sciendum quod plerique hominum, qui in multis corruunt, arctius ligantur. Cumque eos antiquus hostis ex vno vitio percutit vt concidant, ex alio quoque ligat ne surgant. Consideret itaque homo cum quo aduersario bellum gerat, & si iam se aliquo deliquisse perpendit, saltem ad culpam protrahi ex culpa pertimescat: vt studiose vitentur vulnera, quibus frequenter interficit: quia valde rarum est, quod hostis noster electorum saluti, etiam vulneribus seruit. Erudiendos enim (sicut diximus) electos suos Dominus sæpe tentatori subiicit, sicut post paradisi claustra, post tertij cæli secreta, ne reuelationum magnitudine Paulus extolli potuisset, ei satanæ Angelus datus. Sed (vt præfati sumus) ipsa hac tentatione disponitur, vt qui elati perire poterant, humiliati à perditione seruentur. Secreto ergo dispensationis ordine; vnde sæuire permittitur iniquitas diaboli, inde pie perficitur benignitas Dei: quia aduersarius noster, ideo obtemperat nutibus supernæ gratiæ; vnde exercet iram nequissimæ voluntatis suæ. Sed notandum est; quia ad hoc in scriptura sacra virorum talium, id est, Dauid & Petri, peccata sunt indita; vt cautela minorum, sit ruina maiorum. Ad hoc vero vtrorumque ilico, & pœnitentia insinuatur & venia, vt spes pereuntium, fit recuperatio perditorum. De statu ergo suo, Dauid cadente, nempe superbiat: de lapsu etiam suo, Dauid cadente, nemo desperet. Ecce quam mirabiliter Scriptura sacra eodem modo verbo superbos premit, quo verbo humiles leuat: vnamque rem gestam retulit, & diuerso modo superbos quidem ad humilitatis fortitudinem, humiles vero ad spei fiduciam, reuocauit. O inæstimabile noui generis medicamentum, quod vno eodemque ordine positum, premendo tumentia exiccat, & subleuando arentia infundit. De maiorum nos lapsu terruit, sed de reparatione roborauit. Sic quippe semper sic nos diuina misericordia, superbientes reprimit, & ne ad desperationem corruamus fulcit. Sed requirendum est, si peccatum Dauid tam detestabile Dominus transtulit, quid est quod omnia quæ eodem peccato per Prophetam ei à Domino dicta sunt, postmodum tolerauit? Sed proculdubio Dominus delet illud, sed sine vltione non deserit: Aut enim ipse hoc homo in pœnitentem punit, aut hoc Deus cum homine vindicans percutit. Nequaquam igitur peccatum parcitur, quod nullatenus sine vindicta laxatur. Sic enim Dauid audire post conuersionem meruit: [*Dominus transtulit peccatum tuum*,] & tamen multis post cruciatibus afflictus aufugiens, reatum culpæ quam perpetrauerat exoluit. Sic nos salutis vindicta, à culpa primi parentis exoluimur, sed tamen reatum eiusdem culpæ diluentes, absoluti quoque adhuc carnaliter obimus: quia delicta nostra, sine per nos, seu per semetipsum resecat etiam cum relaxat. Ab electis enim suis iniquitatum maculas studet temporali afflictione tergere; quas in eis in perpetuum non vult videre. [*Et ieiunauit Dauid ieiunio, & ingressus seorsum iacuit super terram*, &c.] Dauid septem diebus recubans pro facinore suo, donec infans moreretur, perfectam gessit pœnitudinem, cunctis videlicet delinquentibus, formam relinquens, pœnitentiæ: vt quoties quispiam nostrorum in quolibet labitur facinore

Marginalia: C; Ezech. 18.; Matth. 26.; D; Luc. 23.; E; F; 2. Cor. 12.; G; H

A facinore, tamdiu fletu insistere debeat, donec peccati
desiderium in voluntate nostra funditus aboleatur. Septē
vero diebus, septiformem S. spiritus gratiam significasse
non dubium est, sine cuius dono, nullius pœnitens indul-
gentiam peccatorum consequi potest. [*Et consolatus est
David Bethsabee vxorem suam, ingressusque ad eam dormi-
uit cum ea, quæ genuit filiū, & vocauit nomen eius Salomon
& Dominus dilexit eum. Misitque eum in manu Nathan
propheta, & vocauit nomen eius amabilis Domino, eo quod
dilig.* & teliq.] In Hebræo habetur, & vocauit nomen eius
Dida, id est, dilectus Domini. Propter Dominum dicitur
dilectus, propter suam scilicet misericordiam gratuitam:
qua eum diligere dignatus est. Cum vtique eius dilectione
& misericordia indignus existeret, quem constabat man-
zer esse. [*Igitur pugnabat Ioab cōtra Rabath filiorū Ammō*
& teliq.] Notandum quod in Hebræo quando cum ad-
iectione ponitur nominum, Rabath scribitur, sicut est
hic. Quando vero sine adiectione nominum non Rabath
B sed Raba scribitur. [*Congregauit itaque David omnem po-
pulum, & profectus est aduersum Rabath. Cumque dimicasset
cœpit eam & tulit diadema regis eorum de capite eius pon-
do auri talentum*, &c.] In Paralipom. lib. ita habetur: *Tulit*
inquit, *David coronam Melchom de capite eius, & inuenit
in ea auri pondo talentum, & pretiosissimas gemmas, fecitque
diadema inde.* Melchom quippe non est nomē proprium
regis, sed idolum fuit: & interpretatur rex eorum. Cuius
diadematis, aurum & gemmas conflasse & purgasse dici-
tur David secundum legem: fecisse sibi diadema, quod hic
positum super caput eius dicitur. [*Sed & prædam ciuita-
tis asportauit multam valde. Populum quoque eius adducens
seruauit, & circumegit super eos ferrata carpenta. Diuisitque
culteris & transduxit in typo laterum.*] Id est, serrauit ferra-
tis carpentis corpora hominum, & diuisit cultris ferreis,
sicut lateres diuidi solent, qui ex paleis & luto conficiun-
tur. Victoria autem hæc David in Ammonitis, quam dux
suus bellando inchoauit, sed rex ipse perfecit: quid signi-
ficat nisi regis nostri victoriam in cunctis gentibus? Dux
C enim David contra hostes bellum agit, cum ordo san-
ctorum prædicatorum, contra mundi potentes, scutum
fidei opponit Sed finis certaminis & triumphus belli, ad
regem Christum solummodo defertur: quia ipsi omnis
potestas, & potentia regni ascribitur. *Deus est enim* (secun-
dum Apostolum) *qui operetur in nobis, & velle & perficere
& ipse triumphat nos semper in* CHRISTO IESV. Coronam
ergo regis populi hostilis, David de capite tulit, & sibi
diadema inde formauit: cum redemptor noster ex contra-
ria potestate regnum auferens, sibimet insigne decorum
parauit. Quæ autem melius corona David intelligitur,
quam conuentus populi catholici? quæ caput nostrum,
regem videlicet Christum, corde credulo nobiliter ambit
& digne conuersans decenter coronat? omnis enim san-
ctorum labor, & certamen atque victoria, ad honorem
Phil. 2. cœlestis regis refertur: quia ipse est cui *omne genu flecti-
Ier. 49. tur, cœlestium & terrestrium, atque infernorum: & omnis
lingua confitetur, quia Dominus Iesus Christus in gloria
D est Dei Patris.* Rabath ergo ciuitas est regni Ammon, quæ
nunc Philadelphia vocatur, cuius meminit & Ieremias
propheta, interpretatur ergo Rabath, multi: & saluator
Matt. 9. in Euangelio dicit: *Quia multi venient ab oriente & occi-
dente, & recumbent cum Abraham & Isaac & Iacob in re-
gno cælorum.* Verum iuxta historiam hinc verba dierum
ita narrant, *Manubias quoque vrbis plurimas tulit: popu-
lum autem qui erat in ea eduxit, & fecit super eos
tribulas & trabas, & ferrata carpenta transire: ita vt disse-
carentur, & contererentur.* Sic fecit David cunctis vrbibus
filiorum Ammon & reuersus est cum omni populo in
Ierusalem. Idcirco ista subnectere curaui, vt historiam
lucidius propalarem.

CAP. XIII.

DEinde sequitur, qualiter exosam habuit Ammon
sororem suam Thamar, post peccatum, magno odio
nimis, &c. Ammon Thamar sororem suam causa offen-
sionis David patris sui, incestauit: hoc enim fuit initium
E scandali domui eius. Quod autem post perpetrato scelere
exosam eam habuisse legitur eorum personā expressit: qui
post admissum quodlibet facinus maius odio habent quā
ante perpetrationem, illud dilexerant, & ob hoc citius
veniam consequuntur, quam illi qui faciunt & dili-
gunt; si tamen in aliud malum denuo non offendunt. Si-
cut Ammon, qui post admissum stuprum in sorore sua,
ob hoc mortem non euasit: quia ebrietatem, quæ fomes
est luxuriæ, non vitauit. Moraliter vero monemur hoc fa-
cto, vt sēper caute ac prudenter agamus, ne forte dominē-
tur in nobis vitia, & princeps peccati, qui falsā pacē peti-
elitantibus spōdet, nos imparatos inueniēs atque impro-
uisos, trucidet: sicut Absalō Ammon fratrem suū, propter
stuprū Thamar incautū necauit. Absalom pater pacis, siue
patris pax interpretatur: Ammon donans, & Thamar
amaritudo; qui enim mēbra sua donat libidini, & semetipsū
tradidit seruire iniquitati ad iniquitatem, in peccati ama-
ritudinem cadit: licet inimicus se quasi patrē pacis osten-
F tet, & prospera pro talibus factis prouenire falso pro-
mittat. Necesse est enim vt cito ad pœnitentiam post sce-
lus redeamus, ne forte diabolus si adhuc ebrietati inser-
uierimus, & in luxum seculi resoluamur, per obtempe-
rantes sibi malignos spiritus, in necem nostram conspi-
ret, ac morti perpetuæ tradat. [*Porro Absalom fugiens,
abiit ad Tholomai filium Amniud regem Gessur*, &c. vsque-
quo ait: *Cessauitque David rex persequi Absalom, eo quod
consolatus super Amnon interitu.*] Tradunt enim Hebræi,
sicut à quibusdam didici, quod Tholomai pater fuit
Maacha matris Absalom, quam David in prælio cœpit,
& Cæsareæ, vt inquiunt, vnguibus præcisis secundum le-
gem, accepit vxorem, & ex ea genuit Thamar & Absa-
lom; & ideo ad eum fugisse perhibent. Nam quod sequi-
tur: *Cessauitque David persequi Absalom*, in Hebræo vt
iidem Hebræi ferunt, legitur? *Cessauit itaque rex exire*,
id est, voluisse idem David exire vt reduceret Absalom,
sed pertractans in corde suo, quod quoties eum videret,
toties dolorem mortis Amnon ei ad memoriam reduce-
G ret: idcirco cessasse dicitur exire post Absalom, subau-
ditur, vt eum ad propria reuocaret. Illud etiam quod
subinfertur: *consolatus est David super Amnon interitu*:
ita intelligi volunt; videlicet postquam noluit exire post
Absalom, vt reduceret eum & videretur ab eo, cœpit
consolari super morte Amnon. Quamdiu enim putaba-
tur reduci Absalom, vt videretur à David, semper mors
Amnon filij sui animo eius occurrebat: Siue consolatus
est super eius interitu sicut nobis videtur, eo quod noue-
rit eum flagitiosum & dignum morte, meritoque pe-
riisse.

CAP. XIV. & XV.

I*Ntelligens autem Ioab filius Saruiæ, quod cor regis ver-
sum esset ad Absalom, misit Thecuam, & tulit inde mu-
lierem sapientem, dixitque ad eam: Lugere te simula, & in-
duere veste lugubri, & ne vngaris oleo, vt sis quasi mulier
H plurimo iam tempore lugens mortuum.* Cor regis versum
esse ad Absalom, vidisse dicitur Ioab, eo quod viderit eum
pro Absalom suspirare, & in eo intellexit quod cor eius
versum esset ad Absalom. [*Misit Thecuam & tulit
inde mulierem sapientem.*] Thecua ciuitas est, de qua fuit
Amos propheta. Putatur autem eadem vidua auia fuisse
eiusdem Amos prophetæ. Quæ respondit: [*Heu mulier vi-
dua ego sum. Mortuus est autē vir meus, & ancillæ tuæ erāt
duo filij, qui rixati sunt aduersus se in agro, nullusque erat
qui eos prohibere posset, & percussit alter alterum & inter-
fecit. Et ecce consurgens vniuersa cognatio aduersus ancillā
tuam, dicit: Trade eum qui percussit fratrem suum.*] In veri-
tate autem, vt Hebræi tradunt, hæc mulier vidua, duos
filios habere poterat: qui rixati sunt in agro super hære-
ditate patris sui, & alterum ab altero interemptum: Sed
seipsa tamen eadē vidua in persona David posuit, & duos
filios suos in persona Amnon & Absalom. Cognationē
vero quæ consurrexit aduersus filium suū, in persona cæ-
terorum filiorū David. Dixitque mulier: [*In me domine mi*

Rex

Rex iniquitas & in domo patris mei, rex autem & domus eius sit innocens,] ac si diceret? Pro eo quod alter filius in alterum consurrexerit, in me sit iniquitas, quia absque culpa es, in eo quod illi duo fratres inter se conflixerant. Et sicut ego absque culpa sum, pro eo quod duo filij mei consurrexerunt aduersum se, & interfectus est alter ab altero, ita & tu absque culpa es, pro eo quod Absalō Amnō dignū morte, interfecit. [*Quæ ait: Recordetur Rex Domini Dei sui, vt non multiplicentur proximi sanguinis ad vlciscendum, & nequaquam interficient filium meū.*] Recordatio hic pro iuramento posita est, ac si aperte diceretur: Recordetur rex promissionis suæ, imo iuramenti, quo mihi per Dominum Deum suū pollicitus est, vt non multiplicentur proximi sanguinis ad vlciscendum. [*Dixitque mulier quare cogitasti istiusmodi rem contra populum Dei, & locutus est rex verbum istud vt peccet, & non reducat eiectū suum.*] Ex hoc loco demonstratur illud quod superius dictum est, [*Cessauit Dauid rex exire post Absalom.*] id est, cessauit vt non exiret ut ab aliquo, & non reduceret Absalom. Inde ait mulier: [*Et locutus est rex verbum, illud, vt peccet: & non reducat eiectum suum?*] Quod vero ait: [*Quare cogitasti istiusmodi rem contra populum Dei?*] Populum Dei vocat eundem Absalom, siue eos qui cum illo erant: qui quasi captiui & eiecti erant, & quod non reducerētur ad hęreditatē Dei, ne forte coacti dijs alienis in terra aliena seruirent. [*Nec vult perire Deus animam, sed retractat cogitās ne pereat penitus qui abiectus est.*] Ac si diceret, Deus peccatores qui à Diabolo captiui detinentur, vt ad se cōuertantur, vocat: & tu qui eum imitari debea, cur non eo modo agis? [*Et quando tondebat capillum (semel autem in anno tondebatur)*] In Hebræo igitur ita legitur, [*Et quando tondebatur caput eius: statuto tempore tondebatur*, & reliqua. Non enim semel in anno (vt Latini codices habent) tondebatur, sed statuto tempore, id est, in triginta diebus. Sed nos hanc opinionem aliquorum omittentes, simpliciter sicut apud nos legitur, videlicet quando tondebat caput (semel autem in anno tondebatur) legera decreuimus: quia hanc translationem ex Hebraico fonte haustam credimus. Porro autem quod ait: [*Nam sicut Absalom vir non erat pulcher in omni Israel & decorus nimis. A vestigio pedis vsque ad verticem, non erat in eo vlla macula. Qui etiam postea fecit sibi currus & equites, qui & iudicium patris, stans in porta, reprehendebat.*] Potest figuraliter intelligi Absalom ipse filius Dauid (qui interpretatur patris pax: de qua interpretatione dicturi sumus in sequ.) figuram gestauit populi Iudæorum: qui bene decorus esse dicitur, quod ad eundem populum figuraliter refertur, propter regnum & sacerdotium, atque cætera dona quæ olim à Deo collata fuerant. Qui pacem cum nostro Dauid domino scilicet saluatore habere noluit. Ait enim idem Absalom, [*Quis me constituat iudicem super terram?* &c.] Simulata humilitas in Absalom demonstrata est: nihil enim est deterius, quam per hypocrisim falsas virtutes quempiam exaggerare, & per elationem cordis maiorum acta & fortia reprehendendo diffamare. Sicut & Absalom patris sui iusta iudicia ausu temerario coram omni populo reprehendere non timuit. [*Post quadraginta autem annos dixit Absalom ad regē, Vadam, & reddā vota mea, quæ voui Domino in Hebron.*] Quadragesimus agebatur annus ex eo tempore, quo Saul Nobe ciuitatem cum sacerdotibus LXXXV. propter Dauid interemit: & idcirco hic idem quadragesimus annus ponitur, vt monstretur diuinā vltionem suscitari super Dauid, eo quod Ahimelech sacerdotem fefellerit: & propter eum sacerdotū cædes facta fuerit. Caue lector plerosque mendosos codices, in quibus scriptum inuenitur, post quatuor, nō post XL. annos: in vetustioribus vero codicibus, & in Hebraica veritate, non quatuor, sed XL. scribuntur anni. Si vero quis contentiosus, eosdem quatuor annos astruere voluerit, ab eo tempore quo Absalom Amnon fratrem suum interfecit, vsque ad illud tempus quo patri dixit: Vadam, & reddam vota mea, quæ voui Domino in Hebron: perspicue se errare (si diligenter perscrutatus fuerit) inueniet: cum vtique Amnon interfecto, Absalom ingressus apud Tholomai regem tribus annis, & in Ierusalem inde reuocatus, non viso patre duobus moratus annis, fuerit: & sexto anno faciem patris viderit, & contra eum perduellionem præparauit. Votum namque se vouisse mentiendo dixit, id est orationem facturus in loco, quo requiescunt, Abraam, Isaac, & Iacob. [*Venit autem & Zadoc, & vniuersi Leuitæ cum eo portantes arcā fœderis Domini; & deposuerunt arcam Dei. Et ascendit Abiathar donec expletus esset omnis populus qui egressus fuerat de ciuitate.*] Ideo arcam Dei deposuisse dicuntur, vt Dominus ab Abiathar sacerdote consuleretur, quo versus Dauid ire deberet. Ascendisse autem Abiathar dicitur, id est, orasse: & quia oraculum diuinum non ei responsum est, idcirco in subsequentibus dixit Dauid, vt reportaretur arca Dei in vrbem.

CAP. XVI.

Et venit Dauid vsque Bahurim. Et ecce egrediebatur inde vir de cognatione Saul nomine Semei, filius Gera & maledicebat Dauid. Abisai autem dixit. Vadam & amputabo caput eius, & reliqua vsquequo ait: [*Quid mihi & vobis filij Saruia? dimittite vt maledicat.* Hebræus non habet, *dimittite vt maledicat*, sed tantum *maledicat*. Abisai solus dixerat: [*Vadam & amputabo caput eius.*] & Dauid ad Abisai & Ioab respondit, dicens: [*Quid mihi & vobis filij Saruia?* ac si diceret: Nunquid vultis interficere istum, sicut interfecistis Abner? [*Dominus enim præcepit ei, vt malediceret Dauid. Et quis est qui dicat, quare sic fecerit?*] subauditur: Quare sic fecerit, non Dominus, sed Semei. Semei qui maledixit Dauid, ipse est vt Hebræi dicunt Nabath pater Ieroboam: qui filius Iemini dicitur, & in zelo domus Saul maledicebat Dauid. Nomen vero aui eius Semei fuit, & ipse Semei ex tribu Ephraim filij Ioseph extitit. Vnde & idem Semei ad Dauid dixit: *Primus quoque veni hodie de omni tribu Ioseph.* [*Cum autem venisset Chusai Arabites amicus Dauid ad Absalō, locutus est ad eū: Salue Rex, Salue rex. Ad quē Absalō: Hæc est* (inquit) *gratia ad amicū tuum?*] In Hebræo legitur *Hæc est* (inquit) *misericordia ad amicum tuum*, quod non affirmando, sed negando pronuntiandum est; & est sensus, Misericordia est aut dici debet: quod Dauid amicum tuum dimisisti, & cum eo non isti.

CAP. XVII.

Dixit igitur Achitophel ad Absalom: Eligam mihi duodecim millia virorum, & consurgens persequar Dauid hac nocte: & irruam super eum, quippe qui lassus est & resolutis manibus percutiam eum. Cumque fugerit omnis populus qui cum eo est, percutiam regem desolatum: & reducam vniuersum populum quomodo omnes reuerti solent. Scilicet sicut reuerti solent hi qui amisso in prælio rege reuertuntur: sic vniuersus populus Israel reuertetur ad te. [*Et cum ceciderit vnus quilibet in principio, audiat, quicunque audierit & dicet: Facta est plaga in populo qui sequebatur Absalom. Et fortissimus quisque, cuius cor est quasi leonis, pauore soluetur.*] In Hebræo ita habetur, Et Fortissimus ipse cuius cor eius quasi leonis, pauore soluetur. Quod non affirmando, sed negando pronuntiandum est. Fortissimus iste Dauid intelligendus est, quod & sequentia declarant. [*Scit enim omnis Israel fortem esse patrem tuum, & robustos omnes qui cū eo sunt.*] Sed quid iste Achitophel significet, dicemus in posterum [*Ionathas autem & Achimaas stabant iuxta fontem Rogel. Abijt ancilla & nuntiauit eis, & illi profecti sunt.*] Hæc ancilla quasi lauandi gratia cū pannis ad fontem Rogel ierat, vt penitus res non deprehenderetur. Puer autem qui rem indicat Absalom, filius eiusdem ancillæ paruulus dicitur fuisse.

Prius enim paulatim historiam continuando hic tangere decreuimus, vt postmodum quid mystice contineat, indagando propalemus. Sed quia de Absalom historia prætergreditur, secundum allegoriam considerare libet, quid illud significet, quod parricida filius, patrem insequitur. Primo, pater eius declinans fugit ante faciem eius, securus de victoria: quia sciebat impium petire,

A quem etiam fleuit magno luctu, & defleuit eximum Isaiæ 1. patricidæ. Scribitur enim fugisse Dauid à facie bellantis aduersum se filij. Et alibi scriprum est de populo Ierusalem, domino dicente: Filios enutriui & exaltaui, ipsi autem spreuerũt me. Filius ergo eius impius, tropice accipi potest populus Iudaicus, qui eum tradidit. Absalom autem (sicut ante iam dictum est) intelligitur patris pax. Quod mirum videtur in historia, patris pax quemadmodum possit intelligi, qui patrem bello est persecutus. Sed qui diligenter allegoriam intendunt, inspiciunt Absalom esse Ierusalem: quæ etiam & ipsa pax interpretatur. A cuius facie in Galilæam fugit Christus videlicet, qui eam patiendo deserens, in gentibus per fidem secessit. Alij Absalom, Iudam traditorem accipiunt, quem non bonum tanta etiam miranda patientia, Christus pertulit, tanquam bonum, cum eius cogitationes non ignoraret. Cum adhibuit conuiuium, in quo corporis & sanguinis sui figuram, discipulis commendauit & tradidit: B quod denique in ipsa traditione & osculum accepit. Bene intelligitur pacem Christum exhibuisse traditori suo, quamuis ille sceleratæ cogitationis interno bello vastaretur. Et ideo Absalom patris pax dicitur, quia pater habuit pacem, quam ille non habuit. Hanc enim posteriorem sententiam non commentando protulimus, sed de dictis beati Augustini ex titulo videlicet tertij psalmi in quibus tanquam clarissima tuba disputando resonans edisserit, decerpsimus. Achitopel igitur qui recedens à Dauid ad Absalom, transmigrauerat, hæreticos significat, qui recedentes à tramite veritatis, se sociant hosti Psal. 10. antiquo: & subsequuntur errorem: Interpretatur autem frater meus cadens: Gilonites vero transmigrans. Contra quos propheta increpans, dicit: *In domino confido, quomodo dicitis animæ meæ, transmigra in montem sicut passer?* Et merito tales laqueo diaboli, atque malitiæ suæ vitam propriam finiunt: qui alienam prauis suasionibus corrumpere satagunt. Sicut ipse in propria domo suspendio Prou 26. Eccl. 10. interiit, qui alienæ vitæ, hoc est Dauid, insidiatus est. C Vnde scriptum est: *Qui fodit foueam, incidet in illam.* Sed quid aliter significet, dicemus in posterum. [*Venit autem & Sadoc & vniuersi leuitæ cum eo, portantes arcam fœderis Dei, & deposuerant arcam Dei. Et ascendit Abiathar, donec expletus est omnis populus, qui egressus fuerat de ciuitate. Et dixit rex ad Sadoc: Reporta arcam Dei in vrbẽ. Si inuenero gratiam in oculis domini, reducet me & ostendet mihi eam & tabernaculum suum. Si autem dixerit, Non placos.* Et reliqua.]

Iam enim quod secundum historiam ista significent inculcauimus. Cæterum quantum ad altiorem intelligentiam pertinet, Sadoc sacerdos (qui interpretatur iustus) qui arcam domini reportauit in vrbem, personam gestauit sanctorum: & eorum videlicet qui tempore passionis domini, licet corpore in breui ab eo discesserunt fide tamen & dilectione minime separati sunt. [*Et dixit Dauid ad Chusai Arachitem: Si veneris mecum, eris mihi oneri,* &c.] Nam & ista etiam Chusai amicus Dauid (qui interpretatur festinans, qui & ab eo in Ierusalem reuertens, D consilium Achitophel dissipauit) personam gestauit eorum qui occultcerant ex populo Iudæorum discipuli domini, sicut fuit Nicodemus & Ioseph ab Arimathæa, vel cæteri huiusmodi. Potest etiam significare credentes ea gentibus, qui licet cum Absalom aliquando fuisse visi sunt, tamen prauis eius operibus non erant communicantes, nec Achitophel iniquis suggestionibus vnquam consentientes: sed cum Dauid fideliter permanserunt. Interpretatur autem Chusai, Æthiops: Arachites, longitudo Ier. 13. mea. Hinc quoque in propheta scriptum est: *Mutauit Æthiops pellem suam:* Et illud: *Æthiopia,* inquit, *festinet manus dare Deo.* Quia gentilis populus postquam se nigredine peccatorum exuit, nunquam à tergo domini recessit: & qui erat longe, factus est prope in sanguine Christi.

CAP. XVI. †

DEinde sequitur, qualiter occurrit Dauid Siba puer Mipbiboseth, cum duobus asinis oneratis, & mentitus est de domino suo: & propterea ait ei Dauid, [*Tua sint omnia, quæ fuerunt Miphiboseth.*] Hinc enim demonstratur, quia spiritus prophetiæ (sicut superius diximus) E prophetis non semper adest, nec è proximo tanguntur. Nam Dauid seruum Miphiboseth, Siba videlicet, sibi contra dominum suum mentientem non intellexit, & ideo omnia domini sui ei concessit. Cui si spiritus prophetiæ adesset, mentientem deprehenderet. Verum è proximo tactus non fuerat, cum superius Amasæ promiserat, dicens: Hæc faciat mihi & hæc addat, si non magister militiæ fueris coram me omni tempore pro Ioab, videlicet quid sequeretur ignorans. Quia Amasa idem non solum principatum militiæ pro Ioab non susciperet, sed etiam post Ioab paululum vitam finiret. Et cum templum Deo construere voluit, quid è vicino sequeretur nesciens, prophetam alterum requisiuit. [*Venit ergo rex Dauid vsque Bahurim. Ecce egrediebatur inde vir de cognatione domus Saul, nomine Semei, filius Bera, &* F *maledicebat* Dauid &c. vsque quo ait, *Quid mihi & vobis filij Saruiæ, cur efficiamini mihi hodie in satan? Dimitte eum.*] Perfecta patientia illa est eum libenter sustinere, cui facile quis reddere talionem potest: sicut in Dauid ostensa est, qui blasphemantem se Semei magis studuit patienter ferre, quam vlcisci: cum eum tot vitiis vrgeret, & armati proceres vlcisci contenderent, ait: [*Quid mihi & vobis filij Saruiæ? Dimittite eum vt maledicat iuxta preceptum domini, si forte respiciat Dominus ad afflictionem meam, & reddat mihi bonum pro maledictione hac hodierna.* Quibus profecto verbis indicat, quia pro perpetrato Bethsabee scelere, exurgentem contra se filium fugiens, reduxit ad animum malum quod perpetrauit, & æquanimiter pertulit quod audiuit: & contumeliosa verba non tam conuitia quam adiutoria credidit, quibus se purgari, sibique misereri posse indicauit. Tunc enim illata conuitia bene toleramus, cum in secreto mentis ad male perpetrata recurrimus. Leue quippe videbitur quod iniuria percutimur, dum in actione nostra conspicimus, quia peius est quod meremur. Sicque fit vt contumeliis, gratiæ potius quam iræ reddi iubeantur, quarum interuentu Deo iudice pœna grauior declinari posse G confiditur. [*Et ait Dauid, Cur efficimini mihi hodie in satan?* Huic simile Petrus Apostolus, licet infirmitate mentis, non tumore cordis, sicut Abisai: audita futura passione domini ipse respondisse in Euangelio legitur, dicens: *Absit à te domine, non fiet istud.* Cui Dominus Marc. 8. è contrario, sicut & Dauid Abisai, increpando respondit: *Vade post me satana, quia non sapis ea quæ Dei sunt, sed quæ hominum, Et ait Achitophel ad Absalom: Ingredere ad concubinas patris tui* &c.] Concubinas Dauid quas Absalom filius eius nefarie polluit, figuram habuisse Iudaicæ plebis non dubium est: quas magistri erroris, scribæ videlicet & pharisæi, vanis superstitionibus suis, atque per prauam doctrinam corrumpentes, à Domino Iesu Christo eam alienam fecerunt: sicut & hæretici crebro facere non verentur: dum apostata Angelus quosdam qui videntur regere & custodire populum Dei, tanquam concubinas domum Dauid, hæretica prauitate seducendo, decipit per eos. Ad quas tamen Dauid vltra non ingreditur, sed H in custodia positis, alimenta præbet: ipsæque in viduitate viuentes, clausæ sunt vsque ad diem mortis suæ: quia dum decepti ab hæreticis à via veritatis oberrantes, denuo ad eam redire dissimulant, non sunt digni cohabitatione Christi, sed clausi id est separati, & à consortio eius alieni permanent. Sed clemens ille, qui solem suum oriri facit super bonos & malos, non renuit beneficiis suis pastum talibus in hoc mundo præbere: vt per collata beneficia, Matt. 5. occasionem tribuat conuertendi.

CAP. XVII. †

D*Ixit igitur Achitophel ad Absalom: Eligam mihi duodecim millia virorum, & consurgens persequar Dauid hac nocte.*] Achitophel qui aduersus Dauid pessimum dedit consilium: Iudæ proditoris gestauit personam, qui Iudæis aduersus Christum dedit consiliũ proditionis. Achi-

A topbel quippe interpretatur ruina fratris, quid ipsi Iudæ proditori proculdubio congruit: qui ruina extitit illius, qui dignatus est dicere: *Narrabo nomen tuum fratribus meis.* (Psal. 21.) Qui & disposita domo sua, postea suspendio interiit. Hoc & Iudas in Euangelio similiter, vt Achitophel fecisse legitur. Hinc sequitur qualiter Ionathas & Achimaas ad explorandum consilium Absalom, & Dauid renuntiandum derelicti sunt, & fugientes declinauerunt in domum cuiusdam viri in Bahurim: qui habebat puteum in vestibulo suo, & descenderunt in eum. Tulit autem mulier & expandit velamen super os putei quasi siccans ptisanas, & sic res latuit. Significant autem isti duo iuuenes, Ionathas videlicet, qui interpretatur columbæ donum: & Achimaas, frater meus: eos qui per gratiam sancti Spiritus renati, & in numero fratrum sunt ascripti. Qui recedentes ab Absalom fugiunt, cum malignos spiritus eludere quærunt. Hi ergo stabant iuxta fontem Rogel, qui interpretatur tristis vel deorsum: cum B tristitiam & despectum in hoc mundo appetunt habere, propter cœlestis regni desiderium. Declinant ergo concito gradu fugientes in domum cuiusdam viri in Bahurim: qui lucus interpretatur electus siue iuuenis, cum adolescentiæ tempora in memoriam reducunt. Descendunt in puteum qui erat in vestibulo, cum patientiæ se humiliter subiiciunt quæ cunctis necessaria est, ante finem scilicet præsentis vitæ. Expandit mulier velamen super os putei, cum Ecclesia precum assiduitate delicta iuuentutis & ignorantiæ suorum filiorum abscondere certat, quasi siccans ptisanas: cum carnis lasciuiam per continentiæ rigorem constringit. Sic & res latet transgressionis videlicet humanæ vitæ, quis per assiduitatem precum in compunctione lachrymarum, & per castigationem corporis omnia delicta absconduntur, ac homines à persecutione antiqui hostis protecti liberantur. [*Cumque venisset Dauid in castra Sobi filius Naabas de Rabath filiorum Ammon, & Machir filius Amihel de Lodabar, & Berzellai Galaadites de Rogelim, obtulerūt ei stratoria & tapetia*, &c.] C Castra vbi venit Dauid Hebraice Manaim legūtur, sicut supra innuimus, hic est locus vbi obuij fuerunt Iacob Angeli Dei, sicut in Genesi legitur. Vnde scriptum est: *vocauit Iacob nomen loci Manaim*, id est, *castra.* (Gen. 32.) Sobi namque quieuit ibi cum muneribus, ad Dauid, filius fuit Nahas Regis, cum quo pugnauit Saul: quo mortuo, dixit Dauid: Faciam misericordiam cum Ammon sicut fecit pater eius Nabas mecum. Interempto vero à Dauid Ammon, qui ei inde caluandis seruis suis iniurias fecerat, constitutus est ab eodem Dauid, in loco fratris sui Sobi. Cæterum spiritaliter obsequium eius, vel cæterorum Galilæorū Dauid delsium, fidem prætendebat populi gentium in Dominum IESVM CHRISTVM. Nam sicut Dauid persecutionē declinans filij sui, ab Ierusalem recessit, atque à Galilæis benigne susceptus est: sic nimirum Dominus IESVS CHRISTVS ob impietatem Iudæos deserens, à populo gentium susceptus est: qui multos fidelium, varietate virtutum & doctrinarum ornatos, contulit Domino.

D

CAP. XVIII

E*T præcepit Rex Ioab & Abisai & Ethai, dicens: Seruate mihi puerum Absalom.*] Quod autem Absalom pater eius Dauid puerum appellat, non vtique ætate carnis, sed paruitate sensus, hoc est stultitia, non mole corporis dicit: [*Fuit autem ibi prelium dispersum super faciem omnis terræ, & multo plures erant quos saltus consumpserat de populo, quam hi quos vorauerat gladius in bello.*] Saltus hic qui plures consumpsisse dicitur quam gladius vorasse: bestias ferocissimas, quæ in saltu erant, Hebræi autumant: à quibus plures consumpti, quam gladio vorati fuerunt. [*Accidit autem vt occurreret Absalom seruis Dauid, sedens mulo*, &c.] Absalom mulo cui insederat pertranseunte, ipse quercui inhærens, inter cœlum & terram suspensus est. Sic nimirum Scribæ & Pharisæi Princeps Iudæorum, in ligno crucis in quo Dominum IESVM CHRISTVM affigentes suspenderunt, occulto iudicio in eodem ligno damnati sunt: atque eundem E populum Iudæorum qui carnali sensui, velut irrationabili mulo præsidere videbantur, in dispersionem gentium pertranseuntes, ipsi principatum pariter & populum amiserunt. Dicamus & manifestius, quod Absalom mulo fugiens in quercu per cæsariem capitis sui suspensus est, hoc significabat quod Iudæi stultitiæ carnalis sensus incumbentes, propter superstitiositatem Pharisaicam legem corrumpentes, per ipsam quam ad correctionem vitæ perceperant, mortis occasionem habuerant. Vnde & Saluator in Euangelio dixit ad eos: *Nolite arbitrari quod ego accusaturus sim vos apud patrem meum. Moyses enim in quem vos confiditis, ille vos accusat.* (Ioan. 5.) Ioab vero in cor Absalom tres lanceas infigit: cū antiquus hostis superbiam, auaritiam, & inuidiā seu perfidiam in cor Iudaici populi immisit, quæ illis maxime perditionis causa erant. Superbi fuerunt, qui in contemptu Dei idola fabricauerunt. Cupidi fuerunt, qui res transitorias virtutum deliciis præponebant. Perfidi vero & inuidi, qui non solum F dictis legis & prophetarū repugnabāt, sed etiā ipsius saluatoris pręsentiā spernebant, & beneficiis eius ingrati extiterāt. Hinc & in passione sua blasphema voce ad Pilatū dicebant: *Non habemus regē nisi Cæsarē.* Ingrati extiterant dicentes: *Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris.* (Ioan. 19.) Absalom quoque post interitum in foueam grandem missus est: cum iniquus quisque post obitum carnis in lacum inferni mergitur. Super quem aceruus lapidum congeritur: cum duritia mentis suæ illi exprobrantur. Dauid extinctum quidem plorauit; cum interitum populi Iudaici Dominus fleuit, sicut in Euangelio legitur: *Videns ciuitatem Ierusalem, fleuit super illam.* (Luc. 9.) Cuius miseriæ intantum compassus est, vt etiam vsque ad mortem crucis, in eruditione & cura salutis suæ permanserit. [*Currens ergo Achimaas per viam compendij, transiuit Chusi.*] Achimaas filius Sadoch, qui posterior cœpit & prior ipse præcucurrit: alacritatem quorundam Sanctorum præfigurasse non dubium est. Qui cùm sint conuersione nouissimi, plurimos tamen ex eis qui illos præire videbantur, fide & dilectione atque feruore spiritus antecedant. G

CAP. XIX.

V*Enitque vniuersus populus coram Rege.*] Ille videlicet qui cum Dauid permanserat. Quod verò ait, [*Israël fugit in tabernacula sua.* Hi intelligendi sunt qui cum Absalom perduellionem rebelles extiterant. [*Miphiboseth quoque filius Ionathæ, descendit in occursum regis illotis pedibus.*] In Hebræo non, lotis, sed infectis legitur pedibus. Fecerat namque sibi (vt Hebræi tradunt) ligneos pedes, quibus vti quasi pro naturalibus solebat: sicut solent facere claudi, quemadmodum & ille erat. [*Ait autem Rex ad Miphiboseth: Quid vltra loqueris? Fixum est quod locutus sum. Tu & Siba diuidite possessiones.*] In Hebræo, *agrum*, legitur. Quia in hoc loco Dauid immemor amicitiæ fuit & fœderis, imo iuramenti quod habuit cum Ionathan: & tam crudele dedit indicium, dicens: *Tu & Siba diuidite agrum*: idcirco Roboam & Ieroboam (vt aiunt) diuiserunt eius regnum. H Miphiboseth enim in Samuelis libro legitur, id est, Miphiboseth interpretatur litigans cum altissimo. Litigans enim cum altissimo, id est, Deo fuisse dicitur; eo quod reduxisset Dauid cum pace. Vnde quod ait regi. [*Etiam cuncta accipiat postquam reuersus est Dominus meus Rex in domum suam pacifice.*] Non hoc dixisse suspicatur gratulanti animo, sed insultanti, & quasi contra Deum murmuranti, eo quod Dominus Dauid in pace reduxisset. [*Et ait Berzellai ad regem: Est autem Chamaam seruus tuus, ipse ascendat tecum.* Chamaam interpretatur suspirans, quamdiu enim cum patre permansit, suspirans vocatus est. Postquam vero in doctrinam Dauid transiit, non Chamaam, sed Chama, quod interpretatur fidelis appellatus est.

CAP. XX.

A*Ccidit autem vt ibi eſſet vir Belial, nomine Seba, filius Bochri, vir Ieminem*, &c.] Seba vir Belial, qui Iſraeliticum populum à domo Dauid diuidere conatus eſt: figuram geſtauit hæreticorum? qui plebem Dei ſcindere volentes, in ipſa ſua praua intentione prius damnati ab Eccleſia, moriuntur, quam hoc quod cœperant, implere poſſint. De quo plenius dicemus in poſterum. [*Dixit itaque Ioab ad Amaſam: Salue mi frater. Et tenuit manu dextera mentum Amaſæ quaſi oſculans eum. Porro Amaſa non obſeruauit gladium quem habebat Ioab: qui percuſſit eum in latere, & effudit inteſtina eius in terram.*] Quid eſt quod Ioab Amaſæ mentum dextera tenuit, ſed ſiniſtram ad gladium latenter mittens, eius viſcera effudit, niſi hoc quod patenter datur intelligi? Dextera namque mentum tenere eſt, quaſi ex benignitate blandiri. Sed ſiniſtram ad gladium mittit, qui latenter ex malitia percutit. Sic Ioab quoque blande & benigne locutus eſt, ſed ex malitia in dolo occidit. [*Et exclamauit mulier ſapiens de ciuitate ad Ioab, dicẽs: Sermo* (inquit) *dicebatur in veteri prouerbio: Qui interrogãt, interrogent Abela, & ſic proficiebant. Nonne ego ſum quæ reſpondebo veritatem Iſraël, & tu quæris ſubuertere ciuitatem?* & reliqua.] Ait enim ſermo, inquit, *dicebatur in antiquo prouerbio, qui interrogant, interrogent*, &c. Ac ſi aperte diceretur: Hæc ciuitas vrbs conſilij extitit, & qui aliquod conſilium requirebant, hic interrogabant. Et tu quæris tantam deſtruere ciuitatem, & matrem conſilij euertere in Iſraël? Dicamus conuenientius. Ait enim: *Sermo dicitur in veteri prouerbio*, &c. In Hebræo non habetur, *prouerbio*. Iſte ſermo, ſermo legis eſt in qua iubetur à Domino per Moyſen, vt quando ingreſſuri eſſent terram Chanaan & gentea deleturi, primum pacem offerrent: & ſi pax ab eis reciperetur, pacem recipientes tributarij eorum efficerentur: & ſi pacem non reciperent, tunc à filiis Iſraël delerentur. Idcirco exclamaſſe mulier ſapiens de ciuitate fertur: [*Nonne ego ſum quæ reſpondebo veritatem in Iſraël, & tu quæris ſubuertere ciuitatem? Quare præcipitas hereditatem Domini?* Ac ſi diceret: Cur vis deſtruere ciuitatem hanc antequam pacem interrogando offeras, ſicut in lege iubetur? Cur etiam non legem in nobis Iſraëlitis ſeruas, quæ in alienigenis olim ſeruata eſt. [*Fuit autem Ioab ſuper omnem Iſrael.*] Reditus itaque Iſraëlitici populi ad Dauid poſt interfectionem Abſalom, reditum prioris populi ad Chriſtum poſt interitum prauorum magiſtrorũ ſignificabat. Seba ergo filius Bochri, qui populũ ſeducendũ ad Dauid, auertebat, errorem ſignificat, qui in ſynagoga Iudæorum diutius dominabatur, & à veritatis auditu populum ſubuertebat. Interpretatur autem Seba ſecta, à ſecando, non à ſectando. Bochri autem interpretatur, primogenitus meus. Iſraël ergo de quo ſcriptum eſt: *Filius primogenitus Iſraël quem eduxi de Ægypto, Sebam, id eſt errorem ſecutus, ſe ſequeſtrabat à domo Dauid, Eccleſiam ſemetipſam ſeparabat, cum eius conuentum execrando negabat.* Hi ergo poſtquam per mulieris ſapientis ſuggeſtionem, & ſpiritalis doctrinæ eruditionem caput Seba abſciderant, id eſt diabolum à corde ſuo abiecerant, mox à Dauid reuertuntur, eum Chriſtum Filium Dei corde credulo venerantur.

CAP. XXI.

H*Ic ſequitur qualiter fames facta eſt in diebus Dauid tribus annis. Et cum conſuluiſſet Dominum, reſponſum eſt: Quod propter Saul & domum eius & ſanguinem, quia occidit Gabaonitas.* Et reliqua] Filij Saul qui cum Doeg Idumæo dum adhuc pueri eſſent, ſacerdotes & Gabaonitas in Nobe occiderant, hi ſunt Armoni & Miphiboſeth, quos peperit ei Reſpha filia Ahia, & quinque filij Michol filiæ Saul, quos genuit Adrieli filio Berzellai, qui fuit de domo Lathi. Quæritur, cur filij Michol dicuntur, cum non Michol, ſed eius ſoror Merob vxor fuerit Adrieli filio Bercellai? Quod ita ſoluitur: Merob quippe eos naturaliter genuit, & Michol vxor Dauid quæ & Egla dicitur, eos in loco filiorum nutriuit, & ſibi in filios adoptauit, idcirco eius filij dicuntur: B
Filij enim Iſrael (vt ſcriptura refert) *iurauerunt Gabaonitis, ſed Saul voluit percutere eos zelo quaſi pro filiis Iſraël & Iuda*,] eo quod eoſdem viuere Ioſue gratis quodammodo permiſerit, & abſtulerit à filiis Iſraël prædam eorum iniuſte. Huius vltionis cauſa in Gabaonitas Abimelech ſacerdos extitit, & ideo fames exorta eſt: Fames itaque hæc ſignificat ſterilitatem bonorum operum in plebibus, propter negligentiam doctorum, dum inſeruiunt cupiditatibus terrenis, & non procurant paſtum impendere prædicationis. Necantur ergo Gabaonitæ, cum ſtudium rectæ conuerſationis, & reſtauratio pœnitentiæ, poſt lapſum ab incautis per hæreticos ſeu per malignos ſpiritus ſubtrahitur. Gabaon enim collis mœroris interpretatur. Et bene Gabaonitæ interfecti dicuntur, cũ deſidioſi quique poſt perpetrata ſcelera, vana ſpe ſecuritatis à diabolo deluduntur, qui dicunt: *faciamus mala, vt veniant nobis bona*: quorum damnatio iuſta eſt. Sed Reſpha quæ interpretatur curſus, filia Aiæ, qui interpretatur frater eius, tollens cilicium, ſubſtrauit ſibi ſuper petram, & donec ſtillaret aqua ſuper eos de cælo: & non dimiſit aues lacerare eos per diem, neque beſtias per noctem; cum pia ſolicitudo ſanctorum, talibus ſuccurrens rigore ieiunij, atque inſtantiæ precum incumbit, donec miſericordiam Dei impetret ſuper eos de cælo: compeſcens videlicet prauos homines, necnon & malignos ſpiritus, prauis ſuggeſtionibus eorum vitam vlterius corrumpere. [*factum eſt autem rurſum prælium Philiſtinorum aduerſus Iſrael.* Et reliqua vſquequo ait: *Tertium quoque bellum fuit in Iob contra Philiſtæos, in quo percuſſit Adeodatus filius ſaltus polymitarius Bethlehemites Goliath Gethæum*:] Multi igitur requirunt quis fuerit iſte Adeodatus, filius ſaltus, polymitarius, Bethlehemites. Sed Hebræus ſæpe dictus, ita exponit. Adeodatus, inquit, ipſe eſt Dauid. Idcirco dicitur Adeodatus, quia à Deo electus eſt in regnum. Filius ſaltus, quia de ſaltu vbi oues paſcebat, eductus eſt. Polymitarius vero, quia de genere Beſeleel mater eius fuit Bethlehemites, quia de Bethlehem ciuitate extitit. Nam Noemi & Ruth tempore ſubuerſatis, ex quibus Dauid ortus eſt, reuerſæ ſunt in Bethlehem. Et quia cauſa panis Ruth Booz nota eſt: idcirco idem locus, Domus panis vocatus eſt. Vnde Gog in quo fuit bellum, vt idem Hebræus tranſtulit, lacus interpretatur: idcirco quia ſicut in lacũ leonum quis nutritus & præceps labitur, ita Dauid ſemetipſum contra Goliath fortiter ad pugnandum oppoſuit. Quem etiam ſenſum videlicet quod ab eo datus Dauid intelligitur, ſequentia declarant, vbi expletis præliis, ſubiungitur: [*Hi quatuor nati ſunt de Arapha in Geth, & ceciderunt in manu Dauid & ſeruorum eius.* Iudæi quoque hanc Arapham, matrem gigantum: Orpham, nurum Noëmi eſſe arbitrantur. Nam & taliter nos etiam in cuiuſdam volumine ſcriptum reperimus. Ioſephus in duobus præliis concordat cum ſcriptura regum. De tertio prælio ait: quod apparuit fortis, mittente Dauid exercitum nomine Ephan, cognatus eius. Sed vtrum ipſum Adeodatum Ephan appellauerit, vel alium quemlibet hoc nomine notauerit, incertum eſt. [*Quartum bellum fuit in Geth*, & reliqua, vſquequo ait, *Hi quatuor nati ſunt de Arapha in Geth, & ceciderunt in manu Dauid & ſeruorum eius.*] Quatuor iſta bella contra Palæſtinos, bellum ſignificant Chriſti quod omni tempore iſtius vitæ in membris ſuis contra perfidos quouſque iſtius ſeculi, & contra ſpirituales nequitias inceſſanter agit. Licet enim faſtus mundanus, vel propter vitas malignorum ſpirituum, ſe erigat contra Eccleſiam Chriſti, omnis tamen principatus aduerſariorum, vero Dauid, hoc eſt rege Chriſto imperante, ac prælia ſeruorum ſuorum diſponente cedit, & omnes aduerſarij vincuntur. Vnde Pſalmiſta ex perſona Eccleſiæ confidenter dicit: *In Deo faciemus virtutem*, &c.

Margin letters: F, Rom., G, H

CAP.

A

CAP. XXII.

L*Ocutus est autem David Domino verba carminis huius, in die qua liberauit eum Dominus de manu omnium inimicorum suorum, & de manu Saul. Et ait: Dominus petra mea* &c.] Quæritur, cur solus septimusdecimus psalmus tantummodo in libro Regum reperiatur conscriptus? Nec immerito psalmus ille in Regnorum libris solus inuenitur, quia regnum illud significat, vbi aduersarium nullum habebimus. Et hoc est, quod in prætitulatione psalmi huius scribitur, [*In die qua eripuit eum Dominus de manu omnium inimicorum suorum, & de manu Saul. Et ait: Dominus petra mea & refugium meum.*] Quis enim figuratur in David, nisi ille qui venit secundum carnem ex semine David? Qui vtique in corpore suo quod est Ecclesia, adhuc patitur inimicos, quod corpus non eripitur de manu inimicorum, nisi cum &
B 1. Cor. 15. *illa nouissima inimica destruetur mors*, vt perueniatur ad regnum Dei. Nam psalmus hic vni tantum non potest conuenire personæ, sed quatuor diuisionibus subiacebit. Id est, primo ordine Propheta loquitur, qui gratias agit quod eum de grauibus periculis, diuina pietas liberare dignata est. Secundo, Ecclesia, eo quod per multas calamitates Christianum populum ad baptismum de orbis vniuersitate collegit. Tertio, vox saluatoris illabitur, vbi pulcherrimis allusionibus, virtus eius & potestas describitur. Quarto, iterum Ecclesiæ dicta proferuntur, & concessa munera Christi laudantur. [*Et exaudiet de templo sancto suo*] Templum Dei, filius Dei. [*Et contremuit terra.*] Terra peccato. [*Fundamenta montium*] spes superborum, [*quoniam iratus est eis.*] quia recognouerunt iram Dei. [*Fumus*] compunctio pœnitentium. [*Carbones succensi sunt ab eo.*] Corda hominum
18. inflammata ab Spiritu sancto. [*Inclinauit cælos.*] quia ipsos de quibus dictus est Cœli enarrant gloriam Dei: de aduentu suo nuncios misit, & descendit, formam serui
C suscipiendo. [*Cherubim*] scientiæ plenitudo. [*Pennas ventorum*] scientiæ sanctorum.] *Tonauit de cælis Dominus*] id est de Apostolis. [*Misit sagittas suas*] Sagittæ Euangelistæ. [*Fulgura*] miracula sanctorum. [*Fundamenta terræ.*] Fides Ecclesiæ manifestata. [*Misit de cælo & assumpsit me.*] Id est, filium suum pater misit, & assumpsit Ecclesiam suam, [*Liberauit me de inimico meo potentissimo,*] id est, ex diabolo. [*Et eduxit me in latitudine,*] hoc est, in charitate: [*Retribuet mihi secundum iustitiam meam.*] Id est, secundum innocentiam fidei, & bonorum operum & actuum. [*Cum sancto sanctus eris.*] Ad Dominum dicitur, qui cum sancto vtique sanctus: [*Et cum electo electus eris, & cum peruerso peruerteris.*] Ob hoc quod eis non fauet, peruersus esse videtur: quia superbis resistit, humilibus dat gratiam. [*In Deo meo transiliam murum.*] Murum itaque illum, quem humano generi inter Deum & hominem crexerant peccata. [*Coaequans pedes meos ceruis.*] Ceruos spirituales viros appellat, propter alacritatem velocis cursus. [*Spi-*
D *nas & vepres*] hoc est implicamenta sæculi huius transilientes. [*Persequar inimicos meos & conteram, & non reuertar donec consumam eos.*] Christus Iudæos atque omnes infideles consumit, similiter & anima electa vitia sua per augmenta virtutum consummat. [*Inimicos meos*
29. *dedisti mihi dorsum.*] Hoc quod alibi scriptum est: *Sede a dexteris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* [*Saluabis me a contradicentibus populi mei.*] Vox Christi à contradictione Iudæorum, per patris sui potentiam saluatus, atque in caput gentium constitutus.
4. [*Filij alieni resistent mihi.*] Filij alieni Iudæi sunt, quibus dictum est: *Vos ex patre diabolo estis.* [*Deus qui das vindictas mihi.*] Hoc est in futuro iudicio, cum eis cœperit reddere quod merentur. [*A viro iniquo liberabis me.*] Hoc est, Ecclesiam suam de potestate diaboli erepturus est. [*Et faciens misericordiam Christo suo David.*] David Christum significat, semen eius omnes electus.

CAP. XXIII.

E

H*Æc sunt verba nouissima David filij Isai.*] Verba nouissima David non finienda dicit, sed perficienda Non consumenda, sed quæ cunctis fidelibus perfectionis plenitudinem conferant: & ideo vltimam confessionem laudis significant: quam superato hoste, & peracta victoria mortis, laudem sancti in æternum Deo cantabunt. [*Dixit vir cui constitutum est de Christo Dei Iacob: egregius psaltes Israel.*] Id est, nobilis psalmista, qui videlicet & Propheta luculento sermone & manifestissime de Christo filio Dei Iacob, & de incarnatione eius, ac redemptione humani generis prophetauit. [*Spiritus Domini locutus est per me, & sermo eius per linguam meam. Deus Israel mihi locutus est fortis Israel dominator hominum iustus.*] Spiritus enim Domini, qui est Spiritus sanctus: & sermo Domini, qui est filius Dei: ea quæ Pro- F
pheta vaticinauerat, per gratiam suam veraciter proferre donauerat. [*Ipse enim spiritus Dei Iacob dominatur in timore Domini, sicut lux auroræ oriente sole, mane absque nubibus rutilat.*] Aurora, Ecclesia: oriente sole, Christo resurgente à mortuis: absque nubibus rutilat, id est absque peccato infidelitatis, resplendet in miraculis. Pluuia, Euangelica prædicatio: herba, credentem significat populum; terra vero Ecclesiam. Potest moraliter intelligi aptius: Qui enim in timore Domini, dominationem in subditus exercet, lucis opera per solem iustitiæ illuminata profert: nec in eis aliquid remanebit obscurum, sed imbre cælestie gratiæ irrigatus, germina virtutum in carne viuens, fructificat. [*Nec tanta est domus mea apud Deum, vt pactum æternum iniret mecum firmum in omnibus atque munitum. Cuncta enim salus mea & omnis voluntas, nec est quicquam ex ea quod non germinet.*] Hinc idem Propheta in Psalmis dicit, quod beatus vir qui in lege Domini meditatur die ac nocte, sit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum quod fructum suum dabit in tempo- G
re suo & folium eius non defluet, & omnia quæcumque Psal. 1.
faciet, prosperabuntur. [*Præuaricatores autem quasi spinæ euellentur vniuersi, qui non tolluntur manibus: Et si, quis tangere voluerit eas, armabitur ferro lanceato, igneque succensa comburentur vsque ad nihilum.*] Quod potest & iuxta superiorem sensum, de Iudæis & de hæreticis (qui velut spinæ, de Ecclesia, quæ est terra viuentium euulsi, atque æterno incendio traditi:) specialiter intelligi. Potest & generaliter de om- Matt. 3.
nibus reprobis intelligi, iuxta quod in Euangelio dicitur: *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum excidetur,* &c. Et iterum: *Filius*, inquit, *hominis mittet Angelos suos & colligent de regno eius omnia scandala, & eos qui faciunt iniquitatem, & mittet eos in caminum ignis, ibi erit fletus & stridor dentium.* Ille scilicet quasi tangens spinas armabitur ferro & ligno lanceato, qui communicans peccatis alienis propter duritiam cordis sui iniquitatum pondere premitur, & iaculis peccatorum confodietur: cuiusque opera æternis gehennæ ignibus di- H
gna ad nihilum redigentur. [*Hæc nomina fortium David sedens in Cathedra sapientissimus Princeps inter tres: ipse est quasi tenerrimus ligni vermiculus qui octingentos interfecit impetu vno.*] Quod dicitur de sapientissimo principe fortium David, cuius quidem nomen in regum libro tacetur, at vero in libro Paralipomenon Iesbaam nominatur [*Ipse est quasi tenerrimus ligni vermiculus.*] Virtus in hoc bellica, simul & modesta viri designatur ciuilitas: quia videlicet sicut vermiculus ligni, tener quidem & fragilis toto suo corpore, necnon & permodicus apparet, nihilominus tamen fortissimum ligni robur excedens consumit, & scabrosum & cariosum reddit. Vnde & à terendo ligna teredonis nomen habet: Sic ille affabilis omnibus domi, & quietus atque humilis videbatur: at in certamine publico robustum se atque intolerabilem hostibus exhibebat. Sed hunc principem Hebræus ipsum suspicatur esse David. Ecce historiam tetigimus, sed quid spiritaliter, significet breuiter indage-

A mus. Ait enim: [*Ipse est quasi tenerrimus ligni vermiculus.*] Dauid ligni vermiculus fuisse scribitur, quod vtiq; dominico homini specialiter congruit: ex cuius persona Psalmographus cecinit: *Ego autem sum vermis & non homo.* Quemadmodum enim lignum ex se vermiculum procreat, ita quoque beata Maria virgo, videlicet de radice Iesse, absque opere nuptiali, florem protulit Dominum & Saluatorem: qui octingentos interfecisse impetu vno dicitur: quia vt Euangelista pronunciat de homine vno, qui vniuersarum gentium typum præferebat, [*vno impetu*] id est, sermonis imperio, legionem expulit dæmonum. [*Post hunc Semma filius Age de Arari. Et congregati sunt Philistim in statione, &c.*] Semma audiens, Age meditans siue loquens, Ararites montanus Semma filius Age, personam gestauit Domini & Saluatoris nostri, siue Sanctorum prædicatorum eius: qui in agro Ecclesiæ stans, infirma membra illius de aduersariis potestatibus, velut hordeum tuetur: vel certe verecundiam castitatis in continentibus, quasi lentes gladio oris B sui, contra luxuriam defendit. [*Necnon & ante descenderant tres, qui erant principes inter triginta, & venerunt tempore messis ad Dauid in speluncam odollam.*] Tres isti fuerunt, Abisai filius Saruiæ & sub hoc Hai Vsarites, & Ionathan filius Sammaa fratris Dauid. [*Hi etiam tres irruperunt castra Philistinorum, & hauserunt aquam de cisterna Bethleem. Et de tribus istis Abisai quoque frater Ioab filius Saruia, princeps erat de tribus istis nominatis, in tribus illis & inter tres nobilior. Desiderauit igitur Dauid & ait. Si quis mihi daret potum de cisterna quæ est in Bethleem iuxta portam. Irruperunt ergo tres fortes castra Philistinorum, & hauserunt aquam. At ille noluit bibere, sed libauit illam Domino.*] Qui fuerint hi tres fortissimi, iam superius inculcauimus. Cæterum spiritaliter quem in hoc desiderio ipse Dauid præfigurauit nisi omnes sanctos patres, qui ante legem vel sub lege fuerunt, qui aduentum Saluatoris præstolantes, ad eius præsentiam peruenire nequiuerunt? Illum videlicet fontem sitientes, in C quo est remissio peccatorum: Non qui periculis quæreretur alienis, sed qui aliena pericula deleret. Verum moraliter ex hoc facto cogitandum summopere est, vt qui se illicita meminit commisisse, à quibusdam etiam licitis studeat abstinere, quatenus per hoc conditori suo satisfaciat: vt qui commisit prohibita, sibimetipsi abscindere debeat etiam commissa, & se reprehendat in minimis, qui se meminit in maximis deliquisse. Numia sunt quæ loquor, si hæc ex sacri eloquij testimonio non affirmo. Lex certe veteris Testamenti, alienam vxorem concupisci prohibet: At regem vero fortia iubere militibus, vel desiderare aquam, non pœnaliter vetat. Et cognouimus, quod Dauid concupiscentiæ mucrone transfixus, alienam coniugem appetiuit & abstulit, cuius culpam digna verbera sunt secuta: & malum quod perpetrauit, per pœnitentiæ lamenta correxit. Qui cum, longe post, contra ostium sederet, aquam bibere ex eorum cisterna, ex desiderio voluit: Cuius electi milites, inter cateruas aduersantium medias erumpentes, aquam quam D rex desiderabat, illæsi detulerant. Sed vir flagellis eruditus, semetipsum protinus cum periculo militum aquam desiderasse reprehendit, eamque domino fundens libauit, sicut illic scriptum est, [*Libauit eam Domino.*] In sacrificium quippe Domini effusa aqua conuersa est, quia culpam concupiscentiæ mactauit, per pœnitentiam reprehensionis suæ. Qui ergo quondam concupiscere alienam coniugem nequaquam timuit, post etiam quia concupiuerat expauit. Quia enim illicita perpetrasse meminerat, contra semetipsum iam rigidus, etiam a licitis abstinebat. Sic agamus pœnitentiam, vt ea quæ commisimus perfecte defleamus. Verum iuxta historiam quod oblatam aquam bibere noluit, sed eam Domino libauit exemplum præbuit militibus suis fortitudinis & constantiæ. Vicit ergò naturam, vt sitiens non biberet, vt suo exemplo omnis exercitus sitim disceret. [*Abisai quoque frater Ioab filius Saruiæ, princeps erat de tribus. Ipse leuauit hastam suam contra trecentos quos interfecit nominatus in tribus, & inter tres nobilior, eratque eorum princeps, sed vsque ad tres primos non peruenerat.*] Sciendum est, E quod isti tres primi (ad quos Abisai, qui erat inter tres nobilior & princeps, non peruenisse dicitur) neque in hoc volumine, neque in Paralip. lib. qui fuerint leguntur: Necnon etiam feruenti astu, libros antiquitatum Iosephi perlustrantes minime inuenire potuimus: nisi forte illi intelliguntur (sicut Hebræi traduot) quos superius iam nominauimus: Aut illi, quos Iosephus narrat, aquam Dauid de cisterna Bethlehem, attulisse, quos nominat Iesbaam filium Accamoni, quem alibi Eusebius filium Achimei nuncupat, & Eleazarum filium Ochoi, quem dicit esse filium Dodim, atque Semma filium Age, quem appellat alibi filium Heli, de quibus sacra scriptura nil loquitur. Vnde nonnulli non solum Hebræorum, verumetiam Latinorum, tropice tres primos, tres virtutes Dauid, intelligi volunt, sapientiam videlicet, humilitatem, & fortitudinem, sicut in præcedentibus dicitur, [*Sedens in Cathedra sapientissimus,*] ecce sapientiam F [*Ipse est quasi tenerrimus ligni vermiculus,*] ecce humilitatem. [*Qui octingentos interfecit impetu vno,*] ecce fortitudinē. Ad has tres virtutes nemo fortium Dauid peruenit, ideoque ipse est princeps fortium suorum. Verum si quis aliam expositionem inuenerit, promulgare studeat & nos libenter ei obsequium dabimus, qui profectu aliam inuenire non potuimus: his enim expletis, quid spiritaliter significet, innuamus. Iste enim Abisai, qui leuauit manum suam contra trecentos, figuram prætendisse Saluatoris siue sanctorum prædicatorum non dubium est: qui vexillo crucis, atque hasta prædicationis, inimicos fidei, velut trecentos viros, conuincunt atque prosternunt. [*Et Banaias filius Ioiada viri fortissimi magnorum operum de Capseel. Ipse percussit duos leones Moab, & ipse descendit & percussit leonem in medio cisternæ diebus niuis. Ipse quoque interfecit virum Ægyptium, virum dignum spectaculo, habentem in manu hastam. Itaque cum descendisset ad eum in virga, vir extorsit hastam de manu Ægyptij, & interfecit eum hasta sua.*] Notandum quod in Hebræo non habetur, (sicut in cuiusdam G volumine repetit) magnorum operum, sed magister operum. Capseel enim interpretatur, congregatio Dei: Magister enim erat de congregatione & legione Dei, id est Cerethi & Phelethi, qui interpretantur, occidentes & viuificantes. Ipse enim percussit duos leones Moab, quos nonnulli intelligi volunt, duos potentes ac fortissimos viros in regno Moab: In quo etiam intellectu, vir quidam doctus in scripturis, & solers in amore sapientiæ, qui me in sacris litteris erudire consueuit, consentire videtur. Quos Paralipomenon, duos Ariel Moab nominat. Vnde & Ariel vel viri potentes Moab vel leones nuncupantur. Ariel enim interpretatur leo Dei. Quos Banaias dum prouocatus esset ab illis, superatos interfecit: Quando enim Dauid eosdem Moabitas bello aggressus est, & fecit tres funiculos duos ad mortificandum, & vnum ad viuificandum, isti potentes Moabitas tuebantur. Quod dicitur de Banaia [*& ipse descendit & percussit in media cisterna diebus niuis leonem,*] quomodo sit factum, Iosephus narrat apertius: H quia videlicet cisterna fuerit nimium profunda, quæ tempore hyemis cum essent omnia niuibus plena, ipsa quoque nimio niuium aggere, fuerit coæquata: Quam cum leo superueniens periculi nescius incidisset, ibidemque conclusus grandi rugitu clamaret, accurrebant homines videre quid esset: Et dum cum aliis ad tale spectaculum adueniret ad Banaias, desiliit statim in cisternam: & aggressum mediis in niuibus, percussit & interfecit leonem. Spiritaliter Banaias, qui interpretatur ædificator Domini, personam in se expressit Saluatoris, de quo Propheta vaticinauerat, quia per eum ædificanda Ecclesia esset dicens: Ædificans Hierusalem Dominus. Et iterum: *Dominus ædificabit Sion:* quam Paulus construi videns aiebat: *Dei ædificatio estis:* Qui de cœlis descendit in lacum seculi istius: qui calentes aquas, hoc est mentes hominum, in malitia feruentes, niue & frigore infidelitatis, in aqua prædicationis suæ, siue fluento baptismatis, refrigerauit: [*& interfecit leonem,*] hoc est, diabolum, gladio Ps.146. Ps.101. 1.Cor. c.3.

A verbi sui. [*Ipse enim est auricularius David* ,] Dei scilicet patris : cui vera diuinitas omnem scientiam atque intelligentiam contulit. [*Hac fecit Banaias filius Ioiada , & ipse nominatur inter tres robustissimos qui erant inter triginta nobiliores. Veruntamen vsque ad tres non perueneras.*] Intelligitur , quia ipse nominari dignus esset inter robustos id est Abisai & Subochai & Ionathan , quippe qui viribus eis æquari posset , qui etiam erant inter triginta. Notandum , quod quidam Hebræorum leonem hunc quem Banaias interfecit , Ioab intelligi volunt : qui in media cisterna , id est, in domo Domini , vbi cornua altaris tenebat occisus est. Et puta altare cisternam significare : videlicet quia , inquit , sicut aqua cisternæ munditiem affert , ita nihilominus sanctuarium Domini, peccata expiabat. [*in diebus niuis* ,] quia per mortem expiauit peccatum , Iuxta illud Psalmistæ : *lauabis me* : quod impletum est in media cisterna: (Psal. 50.) *& super niuem dealbabor* : quod impletum est in eo quod ait, [*diebus niuis.*] De eo autem quod subsequenter narratur, [*Ipse quoque interfecit virum Ægyptium , virum dignum spectaculo.*] Virum istum Ægyptium , Semei- B filium Iera esse arbitrantur , qui maledixit Dauid. Sciendum est,quod idem Semei de Bahurim, fuerit ideo Ægyptius dictus : quia opera illius Ægyptij , Deum blasphemantis (quem Moyses , iubente Domino , interfecit in eremo) imitatus fuit. Ille enim blasphemauit Deum, & iste maledixit Prophetam & regem. [*Virum dignum spectaculo.*] Spectabatur enim , vt si egrederetur Ierusalem , interficeretur. [*Habentem in manu hastam* ,] id est , legem Dei , quam si meditatus fuisset permanendo in Ierusalem , non perimeretur : Quia ergo præceptum regis irritum fecit , exeundo foras Ierusalem : ideirco in eum à Banaia, [*in virga*,] id est,rectitudine iustitiæ, descensum est:& hasta,quam iam non rectam tenebat, vi ab eo extorta est : quem sensum non refragamus , sed diligenti lectori relinquamus. Descriptus enim ex parte Catalogus virorum fortium in figuram sanctorum:qui quá- C uis virtutum sublimitate proficiant; tamen vsque ad excellentiam diuinæ trinitatis , nequaquam attingant. Inde est quod ibi scriptum est de Ioab, vsque ad tres non peruenit. Quis enim æquabitur Domino,aut quis similis erit inter filios Dei ? Ac per hoc vera potest illa solutio esse, quam superius de tribus prioris fortissimis , videlicet tribus virtutibus Dauid , descripsimus : ad quas nemo fortium peruenire potuit : Et ideo tropice sermo diuinus, in figuram Saluatoris ita protulit dicens , sed vsque ad tres primos non peruenerat. [*Asael frater Ioab inter triginta. Elennan filius patrui eius de Bethlehem. Semma de Arari. Elica de Harodi.Heles de Phalti. Hiri filius Acces de Thecua. Abiezer de Anathoth. Mobonnai de Husati.Selmon Ahohites. Macharai Netephatites.Heleb filius Baama, & ipse Netophatites. Itai filius Ribai, de Gebeeth filiorum Beniamin. Banaian Pharathonites.Hedai de torrente Gaas. Abialbon Arbathites. Azmanet de Berhomi. Elihaba de Saalboni. Fily Iasen, Ionathan, Semma de Herodi. Abiam filius Sarar Ararites. Eliphalet filius Abasbai. Fily* D *Maachati , Eliaam filius Achitophel Gilonites, Hesrai de Carmelo , Pharai de Arbi , Igaal filius Nathan de Soba, Bonni de Gaddi , Selec de Ammoni , Naharai Berothites, armiger Ioab fily Saruia Hira Iethrithes* , & reliqua vsquequo ait : *Omnes triginta septem.*] Notandum est,quia cum his triginta , etiam septem fortiores, & nominati in hoc calculo cóprehēduntur, Dauid videlicet,qui appellatus est Adeodatus,Abisal & Subochai,Ionathan,Eleazar, & Semma & Banaias : Ecce septē.Triginta hi sunt: Asael, Eleanan, Semmade , Arari Elica , Heles , Hita, Abiezer, Mobonnai , Selmon, Macharai,Heleb,Itai,Banaian Pharathonites, Hebai, Abialbon,Azmauet, Elihaba, Semma de Horodi,Aiam,Eliphelech Eliam, Hesrai,Pharai,Igaal, Bonni , Selech , Naharai , Hita Gareb , Vrias Hethæus. Ideo ergo Vrias Hethæus vltimus ponitur , propter id quod sequitur in sequentibus. [*Et addit furor Domini irasci contra Israel*] Iam enim vltio facta fuerat in Dauid & in domo eius. In populo vero qui noluit resistere Dauid in perimendo Vria , & hæc nondum vltio diuina facta fuerat : idcirco hic vltimus ponitur , vt vltio E magni eius peccati monstraretur. Cæterum in hoc numero omnis perfectio sanctorum designatur. Denarius numerus ad decalogum legis pertinet : Ternarius vero ad fidem sanctæ trinitatis : Septenarius autem ad septiformem gratiam Spiritus sancti. Ter deni , triginta fiunt.

CAP. XXIV.

E*T addidit furor Domini irasci contra Israel , commouitque Dauid in eis , dicentem: Vade , numera Israel & Iudam. Dixitque rex ad Ioab principem exercitus sui : Perambula omnes tribus Israel à Dan vsque Bersabee , & numera populum* , & reliqua.] Fasto enim superbiæ tactus, & repentino tumore elationis inflatus pro culpa populi , maxime qui eum in proditione Vriæ non redarguit , occulto iudicio Dei contra voluntatem Domini eundem populum numerare compulit : culpa enim illius punita fuerat , sed peccatum populi (vt dictum est) F multum manebat. [*Dedit ergo Ioab numerum descriptionis populi regi , & inuenta sunt de Israel , octingenta millia virorum fortium , qui educerent gladium. Et de Iuda, quingenta millia pugnatorum.*] Notandum autem , quod in Paralipomenon legitur mille millium centum millia de Israel. De Iuda quadraginta septuaginta millia , quos quidem ab Ioab numeratos esse , sed summam eorum noluisse ostendere Dauid , nisi tantum, quantum in Samuelis libro scribitur. [*Percussit autem cor Dauid postquam numeratus est populus , & dixit Dauid ad Dominum : Peccaui valde in hoc facto : sed precor Domine vt transferas iniquitatem serui tui , quia stulte egi nimis* , & reliqua.] In libro quoque Exodi, præcepit Dominus Moysi , dicens : *Quando tuleritis summam filiorum Israel , iuxta numerum dabunt singuli pretium pro animabus suis Domino , & non erit plaga in eis cum fuerint recensiti.* Hoc autem dabit omnis qui transit ad nomen (Exod. 30.) dimidium sicli , iuxta mensuram templi. Siclus viginti habet obolos : Media pars sicli offeretur Domino, qui G habetur in numero , à viginti annis & supra dabit pretium : Diues non addet ad medium sicli , pauper nihil minuet. Susceptamque pecuniam quæ collata est à filiis Israel , trades in vsus tabernaculi testimonij , vt sit monumentum eorum coram Domino , & propitietur animabus eorum. Hoc ergo oblitus est Dauid facere , idcirco offendit Deum , & ob hoc plaga venit in Israel. *Cumque venisset Gad ad Dauid, nunciauit ei dicens : Aut septem annis veniet tibi fames in terra tua. &c.*] Sed mystice hic intelligi potest fames septem annorum,& e.si cui placuerit, Septem annis infideles Iudæi famem sustinent, quia septiformis gratia Spiritus sancti,pane verbi Dei eos nequaquam pasert. Ipsi enim tribus mensibus inimicis suis se persequentibus cedunt , quia ob hoc in nomine sanctæ Trinitatis , per lauacrum regenerationis innouati non sunt : hostibus , hoc est immundis spiritibus resistere non valentes , terga dant. Ipsos denique angelus percutiens , quasi tribus diebus flagellat : quia negantes Patrem & Filium & Spiritum sanctum , ex cuius H fide viuere poterant , in impietate sua increduli moriuntur. [*Immisitque Deus pestilentiam in Israel , de mane vsque ad tempus constitutum, & mortui sunt ex populo, a Dan vsque Bersabee , septuaginta millia virorum.*] Et hoc qualiter gestum sit, Iosephus refert, verbis plurimis , dicens: Prophetis itaque declarantibus Dauid , quod ei Deus irasceretur , supplicare cœpit eumque rogare , vt propitius esset , & veniam peccati concederet. Tunc ergo Gad Prophetam misit ad eum Deus , tres supplicij conditiones portatorem , vt earum quam probaret : eligeret , vtrum vellet famem in prouincia generari , septem annis , aut tribus mensibus pugnando vinceretur hostibus , aut certe morbus & languor accideret tribus diebus Hebræis. Cumque ille esset in anxietate & vehementer animo confusus , & Propheta diceret: hoc omnimodo imminere , & responsum velociter exigeret , vt electam ab eo conditionem renunciaret Deo. Cogitans rex, quia si famem eligeret, contra alios

hoc

hoc facere videretur, quando ipse quidem habens multa frumenta, non pateretur inopiam, reliquis vero esset angustia. Item si eligeret trium mensium victoriam hostium, ipse quidem habens circa se viros fortissimos & custodes, nihil omnino metueret: neci vero eius exercitus subiaceret. Inter hæc autem communem potius passionem & regum & subiectorum elegit, in qua timor omnibus est æqualis, dicens: Quia multo melius in manus Dei, quam in hostium manus incidere. Hæc audiens Propheta, renunciabat Deo: qui morbum & interitum misit in exercitum Hebræorum. Moriebantur enim (vt idem historiographus ait) non vno modo, vt facile languor potuisset agnosci, facile peribant. Alius enim super alium moriebatur. Alij super mortuos quos sepeliebant, ipsi quoque moriebantur. Sic diuersis morbis (sicut ille refert) interibant. Incipiente itaque pestifero languore eos ab hora matutina perimere vsque ad horam prandij, consumpta sunt septuaginta millia. Hic enim nihil aliud dicere valemus, nisi quod Papa Gregorius moraliter, egregius tractator in hoc facto Dauid protulit. Ait enim: Pro qualitatibus subditorum, disponuntur acta regentium: vt sæpe pro malo grege, etiam vere boni delinquat vita pastoris. Ille enim, Deo attestante, laudatur, ille supernorum mysteriorum conscius Dauid Propheta tumore repentinæ elationis elatus populum numerando peccauit: Dei tamen vindictam populus, Dauid peccante, suscepit. Cur hoc; quia videlicet secundum meritum plebium, disponuntur corda rectorum. Iustus vero iudex peccantis vitium ex ipsorum animaduersione corripuit, ex quorum causa peccauit. Sed quia ipse sua scilicet voluntate superbiens, à culpa alienus non fuit, vindictam culpæ etiam suscepit. Nam ita sæuiens quæ corporaliter perculit, rectorem quoque populi intimo cordis dolore prostrauit. Certum vero est, quod ista sibi inuicem & rectorum merita connectantur & plebium, vt sæpe ex culpa pastorum, deterior fiat vita plebium, vt sæpe ex merito plebium, mutetur vita pastorum: Sed quia rectores habent iudicem suum, magna cautela subditorum est, non temere vitam iudicare regentium. Neque enim frustra per semetipsum Dominus æs numulariorum fudit, & Cathedras vendentium columbas euertit: nimirum significans quia per magistros quidem vitam iudicat plebium, sed per semetipsum facta examinat magistrorum. Quamuis etiam subditorum vitia, quæ à magistris modo vel dissimulantur iudicari, vel nequeunt: eius proculdubio iudicio reseruantur. Igitur dum salua fide res agitur, virtutis est meritum, si quicquid prioris est, toleratur: debet tantummodo humiliter suggeri, si fortasse valeat quod displiceat emendari. Sed cauendum summopere est, ne in superbiam transeat iustitiæ inordinata defensio: dum enim rectitudo incaute diligitur, ipsa magistra rectitudinis humilitas amittitur: ne eum sibi præesse quis despiciat, quem fortasse contingit vt in aliqua actione reprehendat. Contra hunc tumorem superbiæ subditorum, mens ad custodiam humilitatis edomatur, si infirmitas propria incessanter attenditur. Has vires nostras veraciter examinare negligimus, & quia de nobis fortiora credimus, idcirco eos qui nobis prælati sunt, districte iudicamus. Quos enim nosmetipsos minus agnoscimus, eo illos quos reprehendere nitimur, plus videmus: singula hæc mala sunt, quæ à subditis sæpe in prælatos, sæpe à prælatis in subditos committuntur: quia & omnes subditos hi qui præsunt sapientes minime arbitrantur: Et rursum, qui subiecti sunt, rectorum suorum actiones iudicant: & si ipsos regimen tenere contingeret, se potius agere putant melius. Vnde plerumque sicut & rectores minus prudentes ea quæ agenda sunt videant, quia eorum oculos ipsa nebula elationis obscurat. Et nonnunquam is qui subiectus est, hoc cum prælatus fuerit, facit, quod dudum fieri subiectus arguebat: & pro eo, quod illa quæ iudicauerat, perpetrat, saltem quæ iudicauit, erubescat igitur sicut prælatis cauendum est, ne eorum corda æstimatione singularis sapientiæ locus superior extollat: ita subiectis prouidendum est, ne sibi rectorum facta displiceant. Si autem magistrorum vita vere reprehenditur, oportet vtique subditi etiam cum displicet, magistrum venerentur. Sed & hoc solerter intuendum est, ne aut quem imitari despicis, venerari contemnas. Subtilis etenim via tenenda est, rectitudinis & humilitatis, vt sic reprehensibilia magistrorum facta displiceant, quatenus subditorum mens à seruanda magisterij reuerentia non recedat. [*Erat autem Angelus Domini iuxta aream Areuna Iebusai. Dixitque Dauid ad Dominum, cum vidisset Angelum cadentem populum: Ego sum qui peccaui & ego inique egi: isti qui oues sunt, quid fecerunt? Vertatur obsecro manus tua contra me, &c.*] In Paralipomenon ita scriptum est: [*Porro Angelus Domini stabat iuxta aream Ornan Iebusai. Leuansque Dauid oculos suos, vidit Angelum Domini stantem inter cœlum & terram, & euaginatum gladium in manu eius, & versum contra Hierusalem* & reliqua.] Area Areuna, vel area Ornan, ipsa est videlicet Hierusalem. [*Venit autem Gad ad Dauid, & dixit ei: Ascende, constitue Domino altare in area Areuna Iebusai. Et ascendit Dauid iuxta sermonem Gad, quem præceperat ei Dominus. Conspiciensque Areuna, animaduertit regem & seruos eius transire ad se, & egressus adorauit regem prono vultu in terram, & ait: Quid causa est, vt veniat Dominus meus rex ad seruum suum? Cui Dauid ait: vt emam à te aream, & ædificem altare Domino, & cesset interfectio quæ grassatur in populo. Et ait Areuna ad Dauid, &c.*] Areuna namque interpretatur area, & Ornan Latine resonat, lumen nobis. Bene ergo cum Deum pro offenso quo peccauit placare vellet, altare iubetur in area Areuna vel Ornan construere, vt inde vnusquisque coniiciat quia aliter diuinitas ab homine placari non potest, nisi in area cordis, per lumen rectæ fidei, & veræ dilectionis, altare illi deuotæ humilitatis constituat, in quo sacrificium piæ confessionis ac laudis Deo acceptabile offerat. Quod recte per eundem Prophetam in psalmis manifestatur, vbi dicitur ex persona Domini: *Sacrificium laudis honorificabit me.* Et iterum: *Sacrificium* (inquit) *Deo spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non spernit.* [*Emit ergo Dauid aream & boues argenti siclis quinquaginta.*] Quod in Paralipomenon ita legitur: [*Dedit ergo Dauid Ornan pro loco siclos auri iustissimi ponderis sexcentos.*] Intelligendum namque est boues argenti siclis quinquaginta, aream vero sexcentis aureis emisse. [*Et ædificauit ibi Dauid altare domino, & obtulit holocausta & pacifica. Et repropitiatus est Dominus terræ, & cohibita est plaga ab Israël.*] Hoc quoque verba dierum ita narrant. *Tabernaculum autem Domini quod fecerat Moyses in deserto & altare holocaustorum ea tempestate erat in excelso Gabaon, & non præualuit Dauid ire ad altare, vt ibi obsecraret Dominum. Nemo enim timore fuerat perterritus, videns gladium Angeli Domini. Dixitque Dauid: Hæc domus Domini, & hoc altare in Holocaustum Israël. Et præcepit vt congregarentur omnes proselyti de terra Israël, & constituit ex eis latomos ad cædendos lapides & poliendos, vt ædificaretur Domus Domini.* In illo siquidem loco, vt Hebræi autumant, aliquando contigerat Abraham offerre filium suum Isaac, quando eum iam paratus esset occidere filium, & in holocaustum exhibere, improuiso aries apparuit, & altare circumstitit, quem Abraham pro filio immolauit. Potest vero area Areuna vbi Dauid altare construxit altius intelligi. Quid per aream Areuna Iebusæi, nisi Ecclesiam ex gentibus collectam significat? In qua Ecclesia postquam altare fidei verus Dauid, hoc est, Saluator noster erexit, confestim mors impietatis, quæ in populo Dei grassabatur, cessit. Hanc aream Dauid quinquaginta argenti siclis emit: quia & Dominus IESVS CHRISTVS Ecclesiam suam pretioso sanguine suo emptam, ac per septiformis gratiam Spiritus sancti à cunctis suis delictis purgatam, in domum sibi sem-piternam sanctificauit.

***

Margin: B; 1 Paral. 21.; F; Psal. 49.; Psal. 50.; G; H

A

ANGELOMI LEXOVIENSIS. in Libri Tertij Regum Stromata, Præfatio.

EXpletis duobus libellis regum voluminis, diuina videlicet immeriti auxiliati clementia, tanquam quodammodo ex thesauris diuitum, sanctorum scilicet doctorum, duo minuta abstrahentes, quæ, vt potuimus, in gazophilacium Domini contulimus, ne ingrati ex nostra paupertatis ingenio fortassis videremur à Domino, ne talentum etiam idipsum frugalitatis collatum, more defossum inueniretur absconditum, & damnationis pœna multaremur acerrime. Vbi admodum vastum transiuimus æquor, auxiliati videlicet cunctipotentis ope, qui imperat ventis ne noceant rati. Nunc siquidem quanquam pauidi, tertium aggredi conabimur librum: in quo maxime flatu indigemus quidem diuini spiraminis, ne nostra carina tandem fracta, veniat in scopulis, & syrtim illisa demersa remaneat in reumate gurgitum. Sed ipso afflante ac dignanter opitulante, portum quietudinis ouans obtineat: vt dominica quodammodo commercia illæsa permaneant, & ex tanta profunditate voluminis, ac thesauro diuini gazophylacij, saltem valeamus cum magis auri & thuris & myrrhæ Domino conferre donaria. Quoniam si in omnibus egemus Spiritus sancti iuuamine: nunc quoque in hoc sacro volumine præmaxime indigemus diuino suffragio, quia multis obscuritatibus abditus videtur in allegoriarum sententiis præsertim in templi ædificiis & Prophetarum mysteriis, vt ipso adminiculante, qui dedit Salomoni sapientiam plurimam valeamus cœptum opus explere sagaciter. Vnde iam eius freti auxilio, ad eum describendum vertamus articulos.

B

CAP. I.

C

ET *Rex Dauid senuerat, habebatque ætatis plurimos annos.* & reliqua.] Senectus Dauid humani generis figurauit vetus Testamentum, in quo quia fides deficerat velut in Dauid dilectio Dei friguerat. Vestimenta eius quibus adopertus calefieri non poterat, typum habuisse Iudaicæ plebis non dubium est. Quæ ante aduentum Saluatoris per cognitionem legis, velut vestimenta Domino adhæserant. Sed quia eadem plebs, vt Apostolus dicit
Cor. 3. *seruitutis spiritum, & non libertatis habuit*, in amore diuino minime caluit. Virgo vero speciosa quæ in cunctis finibus Israel quæsita est, ac per seruos Dauid ad eum perducta, quæ in sinu eius dormiens, eum calefecit, & virgo permansit. Haud dubium quin sanctæ Ecclesiæ personam gestauit quæ de cunctis gentibus per Apostolos ad Christum peruenit: & tanto ardore fidei in eius dilectione caluit, vt propter illius amorem, variis periculis se vltro committeret, & ad vltimum pro eius nomine mori non recusaret. De qua plenius dicemus in
D subditis. [*Adonias autem filius Hagith eleuabitur, dicens: Ego regnabo.* & reliqua.] Adonias enim iste qui superbia elatus, gratis regnare voluit, qui à Salomone interfectus est, figuram gestauit superbiæ Iudæorum: qui propterea quod regnum terrenum obtinere voluit, à Salomone videlicet Christo, & regnum amisit, & vitam perdidit. De quo hic prælibando prædiximus sed in sequen-
tion. tibus huberius indagabimus. [*Rex autem senuerat nimis & Abisag Sunamitis ministrabat ei.*] Quæritur itaque quid in hoc facto significet, quod Dauid annos natus septuaginta bellicosus quondam vir, senectute frigescente, non poterat calefieri. Et propterea quæritur ista puella speciosa, quæ cum rege dormiret, & senile corpus calefaceret, & ministraret regi. Si enim occidentem sequimur litteram, videtur quasi figmentum esse de mimo, eo quod frigidus senex obuoluitur vestibus & nisi complexu adolescentulæ non tepescit. Viuebat adhuc Bethsabee, & supererat Abigail, & reliquæ vxores & concubinæ, quæ a scriptura omnes quasi frigidæ repudiantur: & in vnius tantum adolescentulæ grandæuus calefit amplexibus, Abraham multo Dauid senior fuit. & tamen viuente Sara aliam non quæsiuit vxorem. Isaac duplices Dauid annos habuit, & cum Rebecca vetula, nunquam tepuit. Taceo de prioribus ante diluuium viris, qui post annos quingentos, non dico senilibus, sed pene iam cariosis artubus, nequaquam puellares quæsiuere complexus. Certe Moyses dux Israelitici populi centum viginti annos habebat, & Sephoram non mutauit. Quæ est igitur ista Sunamitis vxor & virgo, tam feruens vt frigidum calefaceret, & tam sancta vt calentem ad libidinem non prouocaret, nisi sapientia (vt beatus Hieronymus ait) quæ in senibus feruere solet: licet sicut superius innuimus sanctæ Ecclesiæ liniasset personam?
E Hanc exponat sapientissimus Salomon patris sui delicias & pacificas bellatoris viri narret amplexus, *posside sapientiam, posside intelligentiam: ne obliuiscaris eam, & ne declinaueris ab ipsa. Ne derelinquas eam, & apprehendet te: ama illam, & seruabit te. Principium sapientiæ, posside sapientiam: & in omni possessione tua, acquire intelligentiam.* & reliqua. Ista quidem sapientia, licet frigescentibus membris, tamen senis feruenti dilectione, & summo
F studio charitatis amplectitur, & spirituales etiam delicias administrat. Omnes pene virtutes corporis mutantur in senibus & crescente sola sapientia, decrescunt cætera, ieiunia, chameuniæ, & eleemosynæ, huc illucque discursus, peregrinorum susceptio, defensio pauperum, instantia orationum & perseuerantia, visitatio languentium, labor manuum vnde præbeantur eleemosynæ. Et ne sermonem longius traham, cuncta quæ per corpus exercentur facta, corpore senili minora fiunt: sola sapientia non dico in iuuenibus, sed etiam in senibus (qui in lege domini meditati sunt die ac nocte) permanet: & dulcissimos fructus studiorum metit. Vnde Abisac merito interpretatur, patris mei gaudium, vel patris mei rugitus. Quod in præsenti loco virtutem sonat, quod amplior in senibus & redundans est, ac larga sapientia.
G Et fit bene rugitus, quod maris fluctus resonat, & (vt ita dicam) de pelago veniens fremitus auditur, ex quo ostenditur abundantissimum & vltra humanam vocem in senibus diuini sermonis tonitruum commorari. Sunamitis vero, coccinea in lingua nostra sonat. Vt significet callere sapientiam, diuinaque lectione feruere Quod licet dominici sanguinis indicet Sacramentum, tamen & feruorem ostendit sapientiæ: Hinc Dominus noster in Euangelio ait: *Ignem* (inquit) *veni mittere in terram, & quid volo nisi vt ardeat?* Qui discipulorum corda succen- Luc. 12.
dens, cogebat dicere: *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis dum loqueretur in via, & aperiret nobis scripturas?* Hanc siquidem puellam amplecti ac diligere debemus, quæ sapientiam significat senum ampliorem: non puertiles declamationes, & sapientium flosculos dialecticorum, ac verborum lenocinia, & cætera huiusmodi ex humana sapientia figmentisque poëtarum: neque curas istius sæculi, aut honores huius mundi: sed sapientia tanquam Abisac cum Dauid, quæ nunquam senescit, in nostro requiescat sinu. Impolluta enim est H
virginitatis perpetuæ, & in similitudinem Mariæ, cum quotidie generet semperque parturiat, incorrupta est. Si enim Cato Romani generis disertissimus, (vt quidam doctorum protulit) centenarius iam & senex Græcas literas nec erubuerit, nec discere desperauerit. Etsi certe (vt aiunt) Homerus refert, quod de lingua Nestoris, iam veruli & pene decrepiti, *dulcior melle oratio fluxerit.* Et sapiens quidam Græciæ cum completis centum & septem annis se cerneret mori, dixisse fertur: *dolere quod tunc egrederetur è vita quando sapere cœpisset.* Plato etiam octogesimo anno, scribens mortuus est. Socrates septuaginta & nouem annos in docendi scribendique labore complenit. Quanto magis calescente corporis iuuentute, inter bella corporis, & inter incentiua vitiorum sapientiam ediscere debemus: vt in senectute etiã frigescentibus membris, in sinu mentis nostræ requiescat & foueat dormiatque nobiscum, imo cibum spiritalis intelligentiæ nobis ministret. Potest nimirum etiam ista mulier

contem

contemplatiuæ vitæ gestare figuram, quam omnes perfecti incredibili amore complectentes, in eius dilectione flammescunt. [*Adonias autem filius Hagith eleuabatur, dicens : Ego regnabo. Fecitque sibi currum & equites, & quinquaginta viros qui ante eum currerent. Nec corripuit eum pater suus aliquando, dicens : Quare hoc fecisti?* & reliqua.] Quod autem Adonias filius Dauid maior, in regnum pro patre succedere voluit, per fastum superbiæ, non per virtutem disciplinæ, quid significat? nisi quod Iudaicus populus, qui quasi maior natu filius videtur esse, cum prior legem suscepit gentilem populum qui per gratiam Dei posterior vocatus est spernens solum se cum domino æstimabat regnaturum. Vnde & bene nomen Adoniæ, qui dominator dominus interpretatur, typum expressit: qui solum se dominare cum domino arbitratus est. Sed Ecclesiæ populus cum vero Salomone, id est pacifico nostro, cuius ipse corpus est per diuinam ordinationem in regnum substituitur. De quo merito perfidiæ maior filius, id est, prior populus, præcipitatus est. Hic ergo Adonias, Bethsabee interueniente, quæ interpretatur filia saturitatis, Abisac Sunamiten corrumpere gestiuit: quia Iudaicus populus per obseruantiam ceremoniarum legis, quia satur & plenissimus erat, veram sapientiam spiritalis sensus, quæ Dauid nostro coniuncta est, stuprare volens, non meruit eius consortium, cuius violare appetiuit immaculatum thorum. Quod autem Dauid Salomoni filio suo præcepit de iusta retributione eorum, qui sibi solatio fuerunt, vel iniuste nocuerunt, licet ipse patientissime eos regnans tolerauet: quid melius significare potest, quam futuram retributionem iudicij venturi, in qua impij pro mercede pœnam perpetuam, iusti autem æternam beatitudinem percipient? In præsenti quoque tempore, patientia Dei sæpe bonos tribulari atque angustiari permittit, & è contrario reprobos delicijs temporalibus & prosperitate terrena vti concedit. Quibus tamen vtrisque, per iudicem viuorum & mortuorum præmia certa in futuro restituet, quando his qui ad dexteram eius sunt, dicturus erit: *Venite benedicti patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi.* Illis autem qui ad sinistram eius erunt, dicet: *Discedite à me maledicti in ignē æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius: & ibunt hi in supplicium æternum, iusti autem in vitam æternam.* [*Inclinauit se Bethsabee, & adorauit regem.*] At vero Bethsabee quæ in Latinum transfertur filia iuramenti: antiquæ Ecclesiæ quæ & sanctis patribus sub lege constitutis fuerat, imaginem hoc in loco prætulit, de cuius stirpe verus Salomon, id est, *pacificus noster*, nasci promissus est. [*Et nunciauerunt regi dicentes: Adest Nathan Propheta.*] Nathan qui interpretatur donum figuram veteris Prophetiæ gestasse manifestum est. [*Dixitque Rex Dauid: Vocate mihi Sadoc Sacerdotem.*] Sadoc interpretatur iustus, figuram, in se gerens Domini & Saluatoris nostri: qui est verus *Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* [*Et imponite Salomonem filium meum super mulam meam.* Mulam Dauid, alij Ecclesiam, alij vero synagogam, propter infœcunditatem figurasse dixerunt.

CAP II.

D*Ixitque Dauid ad Salomonem: Tu quoque nosti quæ fecerit mihi Ioab filius Saruiæ, quæ fecerit duobus principibus Abner, filio Ner, & Amasæ filio Iether, &c.*] Dauid qui præcepit Ioab interfici seu Semei, figuram veteris Prophetiæ gestabat, quæ indicauit atque præcepit, quid de inimicis Christi & sanctorum eius, scribis videlicet atque Pharisæis necnon & hæreticis, in futuro fieri oporteat. Sicut hoc quod Dauid de Ioab & Semei fieri præcepit, Salomon vero impleuit. [*Salomon autem sedit super thronum Israel.*] Salomon qui patri suo Dauid successit, Christi figuram siue dubio gestauit: in eo scilicet quod templum ædificauit, sicut & Christus Ecclesiam: & in eo, quod regnum in pace amdinistrauit, & pacem habuit secundum nomen suum, sic & Dominus rex pacis est dictus, ac per hoc illius vocabulum illi verissime congruit, per quem mediatorem, ex inimicis accepta remissione peccatorum, reconciliamur Deo: etenim *cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem filij eius.* Idem ipse est ille pacificus, qui fecit vtraque vnum, & medium parietem maceriæ soluens inimicitias in carne sua, legemque mandatorum decretis euacuans, vt duos conderet in se in vnum nouum hominem, faciens pacem his qui longe, & pacem his qui prope: ipse in Euangelio dicit. *Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis.* His & multis aliis testimoniis Dominus IESVS pacificus esse monstratur. In sapientia quoque & diuitiis atque gloria ipsius Domini Saluatoris typum gestasse, non dubium est. [*Et ait Adonias Bethsabee: Precor vt dicas Salomoni regi, vt det mihi Abisac Sunamitem vxorem.*] Adonias dum in typo Iudæorum Christi Ecclesiam, quæ est virgo incorrupta, temerare voluit iusto iudicio mortem quam meruit, incurrit. [*Venit ergo Bethsabee ad regem Salomonem, vt loqueretur pro Adonia.*] Bethsabee quæ apud Salomonem pro Adonia interuenire voluit, nec tamen quippiam profuit, figuram legis hoc in loco prætendisse non dubium est: quam Iudæi sibi adiutricem apud Deum esse opinantur. [*Abiathar quoque Sacerdoti dixit rex: Vade in Anathot in agrum tuum.*] Abiathar qui sacerdotio expulsus, non tamen occisus est, significat populum Iudæorum, quorum licet Sacerdotium sit abolitum, ipsi tamen propter eos qui in fine mundi ex ipsis credituri sunt, deleri penitus non sunt. [*Fugit ergo Ioab in tabernaculum Domini, & apprehendit cornu altaris. Nunciatumque est Regi Salomoni, quod fugisset Ioab in tabernaculum Domini, & esset iuxta altare. Misitque Salomonem Banaiam filium Ioiada, dicens: Vade interfice eum,* & reliqua.] Ioab qui ad altare fugiens, iubente Salomone, ibidem interfectus est; significat scribas & Pharisæos, seu magistros peruersi dogmatis hæreticos: qui ob hoc quod proximos suos, videlicet Ecclesiasticos, per insidias perimunt, sicut & ipse Ioab, Abner atque Amasæ fecisse legitur: ab altario fidei expulsi, perpetua morte punientur. [*Dauid autem & semini eius & domui & throno, illius sit pax vsque in sempiternum a Domino.*] Hoc est abolitis Iudæis, extirpatisque hæreticis, & omnibus Christi inimicis deletis: thronus Dauid, id est, Ecclesia, æterna pace fruens maneat in æternum. [*Dixitque Salomon ad Semei Nonne testificatus sum tibi per Dominum, & prædixi tibi, quacunque die egressus ieris huc, & illuc scito te esse moriturum?*] Præcipitur nobis a vero Salomone, sicut & Semei a Salomone rege, vt habitemus in Ierusalem, nec vnquam egrediamur ex ea. Quod si fugerit nos, id quod nobis fuerat ante subiectum, & ierit ad Allophylos, non egrediamur muros ciuitatis nostræ, nec sequamur fugitiuorum vestigia: ne dum volumus saluare fugientes, ipsi pereamus. Quin potius dimittamus, vt mortui sepeliant mortuos suos: & scandalizantem oculum, manum, & pedem, dum licet, eruamus & abscindamus à nobis.

Ephe.2. Ioan.14. Matt.8. Marc.9.

CAP. III.

A*Ccepit namque Salomon filiam Pharaonis Regis Ægypti.* Filia Pharaonis quam Salomon in coniugio copulauit Ecclesiam ex gentibus figurasse non dubiū est. [*Apparuit dominus Salomoni per somnium nocte, dicens: Postula quod vis vt dem tibi. Et ait Salomon: Tu fecisti cum seruo tuo Dauid patre meo misericordiam magnam,* & reliqua.] Gratia Dei liberum hominis exquirit arbitrium. [*Et dixit dominus Salomoni: Quia postulasti verbum hoc, & non petisti dies multos, nec diuitias, aut animas inimicorum tuorum, sed postulasti tibi sapientiam ad discernendum iudicium.* Quicunque vult orationem suam ante Deum non frustrari, hoc ab eo postulet, quod Salomon quæsiuit, id est, sapientiam & scientiam atque intelligentiam. Diuitias vero & gloriam temporalem atque animas inimicorum, seu dies plurimos vitæ præsentis, reproborum est quærere, non electorum. [*Si*

autem

Digitized by Google

A *autem ambulaueris in viis meis, & custodieris præcepta mea, longos faciam dies tuos.*] Hic præcipue patet, quia sapientiam & diuitias seu gloriam temporalem, etiam reprobi hic in præsenti vita habere possunt: Longos vero dies, id est, æternam beatitudinem, absque obseruatione mandatorum Dei adipisci nemo potest. *Tunc venerunt duæ mulieres meretrices ad Regem Salomonem, steteruntque coram eo. Quarum vna ait: Obsecro mi Domine, ego & mulier hæc habitamus in domo vna &c.* Duæ mulieres inter quas Salomon primum iudicium suum exercuit, quarum vna dilectione ardebat, in altera simulatio surripiebat, Ecclesiam atque hæreticam prauitatem figurasse non dubium est: inter quas Dominus IESVS CHRISTVS spiritu oris sui, dum id quod iustum est, dirimit: vnicuique quod debetur, restituit. Et bene per hanc mulierem hæreticorum vel synagogæ etiam impietas generatur: quæ & suos nequiter nutriendo interimunt, & alienos quousque perdant, illiciendo persuadent. Sed quia solent
B post virtutes vitia suboriri, vt corda hominum tentando probentur, ne animus in culmine virtutum consistens tanquam Salomon in regno ex seipso glorietur: & hoc permittente Deo qui lucis suæ illustratione illustrare dignetur. Vt ergo ea firmitatis dona habeat, & infirmitatem suam humiliter agnoscat per accessum gratiæ ad alta sustollitur, & per recessum quid ex seipso sit probatur; Quod in ipso demonstratur, qui diuinitus accepit sapientiam: & tamen post acceptam eandem sapientiam, duarum meretricum quæstione pulsatus est. Quia nimirum sæpe cum mentem nostram concessis virtutibus, respectus intimæ largitatis illuminat, hanc protinus etiam lubricæ cogitationes turbant: vt quæ sublenata immenso munere exultat, etiam tentatione pulsata quid sit inueniat. Idcirco quid istæ duæ meretrices (quas prælibando tetigimus secundum quod in dictis doctorum inuenimus) plenius significent, pandere decreuimus. Ait enim sacræ historiæ contextus: [*Tunc venerunt duæ mulieres meretrices ad regem Salomonem, steteruntque coram eo.* &
C reliqua.] In illo ergo iudicio Salomonis, Christi figura fuit vbi mulier illa improba, plebs scilicet synagogæ vel hæreticorum, vere matris, hoc est, Ecclesiæ, filium appetebat: quem non vt seruaret, sed reuera vt interimeret, cupiebat. Sed sicut, gladio dirimente Salomonis, propriæ matris gemitu, verus repertus est partus: ita & spiritu IESV CHRISTI, docente plerumque hi qui à matre seducti & capti sunt errore hæreticorum, nonnunquam merentur pro semetipsis gementes, recognoscere Ecclesiam matrem. Vnde & satis conuenienterque apparet, hanc mulierem synagogæ vel hæreticorum figurasse impietatem: quæ suos nequiter nutriendo interimit, & alienos quousque perdat illiciendo persuadet. Item alio modo, quantum ad simplicem historiam pertinet, perspicuum est: quod puer annorum duodecim contra ætatis suæ mensuram, de intimo humanæ naturæ iudicaret affectu. Vnde bene admiratus est, & pertimuit illum omnis Israel: quod scilicet cum manifesta non fugerent, qui tam prudenter abscondita deprehendisset. Quantum ad typicos pertinet intellectus dicente Apostolo: *Hæc omnia in figura contingebant illis. Scripta sunt autem de nobis, in quos fines sæculorum deuenerunt.* Quidam Græcorum autumant super synagogam & Ecclesiam sentiendum: & ad illud tempus cuncta referenda, quando post crucem & resurrectionem, tam in Israël quam & in gentium populo verus Salomon, id est *pacificus*, regnare cœperit. Quod autem adulteræ & meretrices, synagoga & Ecclesia, in scripturis dicantur, nulla dubitatio est: & hoc prima fronte videtur esse blasphemum. Cæterum si recurramus ad Prophetas, Osee videlicet: qui accepit
6. vxorem fornicariam, & generauit filios fornicarios, & deinde adulteram: & ad Iezechiel, qui Hierusalem quasi meretricem arguit, quod secuta sit amatores suos: & diuaricauerit omni transeunti pedes, lupanarque in loco celebri extruxerit. Animaduertimus Christum idcirco venisse, vt meretrices donaret matrimonio: & duobus gregibus vnum ouile faceret medioque pariete destructo in easdem caulas, oues prius morbidas congregaret. Hæ sunt virgæ quæ iunguntur in Iezechiel: &
E de quibus per Zachariam Dominus refert: *Et assumpsi mihi duas virgas, vnam vocaui decoram, & alteram vocaui funiculum & paui gregem.* Zach. 11.
Mulier quoque illa meretrix in Euangelio, quæ IESV pedes lachrymis lauit, crine detergit, & cui peccata omnia dimittuntur, manifeste significat Ecclesiam de gentibus congregatam. Hæc idcirco in prima fronte replicaui, ne cui videatur incongruum si meretrices dicantur: quarum vna Salomonis iudicio filij possessione donata est. Prudens quærat auditor, quomodo meretrix significet Ecclesiam, quæ non habet maculam neque rugam. Non dicimus Ecclesiam permansisse meretricem, sed fuisse. Nam & Simonis leprosi domo Saluator scribitur iniisse conuiuium. Vtique non quia leprosus erat eo tempore, quo habebat hospitem saluatorem, sed quia leprosus ante fuerat. Matthæus quoque in Cathalogo Apostolorum, Publicanus dicitur: non quod permanserit Publicanus post Apostolicam dignita-
F tem, sed quod prius fuerat publicanus: vt vbi abundauit peccatum, superabundaret gratia. Simulque considera quid dicat Ecclesia contra synagogam calumniatricem. [*Ego & mulier hæc habitabamus in domo vna.*] Post resurrectionem enim domini Saluatoris, vna de vtroque populo congregata est. Et quam eleganter Ecclesia: [*Peperit*, inquit, *apud eam in cubiculo.*] Ecclesia enim de gentibus, quæ non habebat prius legem & Prophetas, peperit in domo synagogæ, nec egressa est de cubiculo, sed ingressa. Vnde dicitur in Cantico canticorum: *Introduxit me rex in cubiculum suum.* Et iterum: *Equidem non spernentem assumens, introducam te in domum matris meæ, & in cubiculum eius quæ concepit me.* Cant. 3. 8.
[*Tertia autem die postquam ego peperi, peperit & hæc.*] Si consideres Pilatum lauantem manus atque dicentem: *mundus ego sum à sanguine iusti huius.* Si centurionem ante patibulum confitentem: *Vere hic erat filius Dei.* Si eos, qui ante passionem Matth. 27.
per Philippum Dominum videre desiderant, haud ambigis primam peperisse Ecclesiam: & postea natum po-
G pulum Iudæorum, pro quo Dominus precabatur, *Pater ignosce illis, quod enim faciunt nesciunt:* Vnaque die crediderunt tria millia, & alia quinque millia. [*Eramus simul Multitudinis autem credentium erat anima vna, & cor vnum. Nullusque alius in domo nobiscum, exceptis nobis* Act. 4.
duabus.] Non blasphemantium Iudæorum, non gentilium idolis seruientium. *Mortuus est enim filius mulieris huius nocte.*] Dum enim legis sequitur obseruantiam & gratiam Euangelij iugo Mosaicæ doctrinæ copulat, tenebrarum errore cooperta est. *Oppressitque eum dormiens mater sua.*] Quæ non poterat dicere, *ego dormio & cor meum vigilat.* Cant. 5.
Media nocte consurgens, tulit filium de latere Ecclesiæ dormientis, & in suo collocauit sinu Relege totam Apostoli ad Galathas Epistolam & animaduertes, quomodo filios Ecclesiæ, suos facere festinet Synagoga. Et dicat Apostolus: *filioli mei quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis,* [*Vinum tulit.*] non vt possideret, sed vt Gal. 4.
occideret: Non enim amore fecit hoc filij, sed æmulæ odio: & suum mortuum per legis cæremonias in sinu
H Ecclesiæ supposuit. Longum est si velim per singula currere, quomodo per Apostolum Paulum, & alios Ecclesiasticos viros, intellexerit Ecclesia non esse suum filium qui tenebatur in lege, & in luce cognouerit, quem in tenebris non videbat. Inde iurgium ortum est, præsente rege, altera dicente. [*Filius tuus mortuus est, meus autem viuit. Altera respondente mentiris: filius quippe meus viuit, filius tuus mortuus est* [Atque in hunc modum contendebant coram rege: Tunc rex Salomon (qui manifeste Saluator accipitur secundum Psalmum septoagesimum primum, cuius titulus Salomoni inscribitur: vbi nulla dubitatio est, quin cuncta quæ dicantur, non Salomoni mortuo, sed Christi conueniant maiestati,) simulat ignorantiam & humanos, pro dispensatione carnis, mentitur affectus. Sicuti & in alio loco. *Vbi posuistis Lazarum?* Et ad mulierem fluentem sanguine: *quis me tetigit?* Gladium postulat de quo dixerat, nolite putare, quod venerim pacem mittere in terram: *Non veni mittere pacem, sed gladium.* Veni enim diuidere hominem contra patrem Matth. 1. Matt. 10.

suum, & filiam contra matrem suam, & nurum contra socrum suam, & inimici hominis domestici eius; Et tentat naturam naturæ Dominus, vultque secundum vtriusque voluntatem: viuentem filium in legem gratiamque diuidere: non quo hoc probet: sed quo eam adarguat, & viuentem non nisi per baptismum liberari ostendat. Libenter voluit diuidi puerum non vt possideat, sed ve interficiat. Ecclesia quem scit suum esse libenter concedit æmulæ, dum viuat saltem apud aduersarium, ne inter legem diuisus & gratiam Saluatoris mucrone feriatur. Vnde dicit & Apostolus: *Ecce ego Paulus dico vobis, quod si legem obseruatis, Christus vobis nihil prodest.* [5.] Item alio modo: Quid in hac sententia melius per matrum lactantium nomina, nisi doctorum ordo? Quid vero per earum filios, nisi discipulorum persona significatur? Nam magistri nimirum vigilantes quidem scientia sed vita dormientes, auditores suos quos per vigilias prædicationis nutriunt, dum quod dicunt facere negligunt, per somnum temporis occidunt: & negligendo opprimunt, quos alere verborum lacte videbantur. Vnde [B] plerumque dum ipsi reprehensibiliter viuunt, & habere discipulos vitæ laudabiles nequeunt: alienos sibi attrahere conantur, quatenus dum bonos se habere sequaces ostendunt, apud iudicia hominum excusent mala quæ agunt: & quasi subditorum vita mortiferam tegant negligentiam. Vnde & illic mulier quæ filium extinxit proprium, quæsiuit alienum. Sed veram matrem, Salomonis gladius inuenit: quia videlicet, cuius fructus viuat, vel cuius intereat, extremo examine, ita districti iudicia demonstrat. Ibi & illud est solerter intuendum, quod filius viuens prius diuidi præcipitur, vt soli postmodum matri reddatur. Quia in hac vita quasi partiri conceditur vita discipuli, dum ex illa nonnunquam alter apud Dominum meritum, alter apud homines laudem, habere permittatur. Sed falsa mater eum quem non genuit occidi non metuit: quia arrogantes magistri & charitatis ignari, si plenissimum nomen laudis ex alienis discipulis consequi [C] nequeunt, eorum vitam crudeliter insequuntur. Inuidiæ enim facibus succensi, nolunt alios viuere quod se conspiciūt non posse possidere. Vnde & illic peruersa mulier clamat: [*nec meus sit nec istius*] Vt enim diximus, quos sibi obsequi non vident ad gloriam temporalem, eos aliis inuident viuere per veritatem. Vera autem mater satagit vt eius filius saltem apud extraneam sit, & viuat. Quia & concedunt veraces magistri discipulis, vt ex eorum discipulis, alij quidem magisterij laudem habeant, si tamen integritatem vitæ idem discipuli non amittant. Per quæ pietatis viscera, hæc eadem mater vera agnoscitur omnino, quia magisterium in examine charitatis approbarut & sola totum recipere metuit, quæ quasi totum cessit. Quia fideles præpositi, pro eo quod ex bonis discipulis suis, non solum aliis laudem non inuident, sed vtilitatem eis etiam profectus exoptant: ipsi & integros & viuentes filios recipiunt, quando in supremo examine, ex eorum vita perfectæ retributionis gaudia, consequuntur.

[D]

CAP. IV.

ENumeratis ergo principibus Salomonis, qui in regno eius variis officiis deputati fuerant, seu diuersis prouinciis præerant, sequitur scriptura dicens; [*Salomon autem erat in ditione sua, habens omnia regna a flumine terra Philistim, vsque ad terminum Ægypti, offerentium sibi munera, & seruientium ei, cunctis diebus vita eius.*] Et quis in hoc melius significatur quam pacificus noster, quem præfigurabat idem Salomon? Ipse enim omnia regna terræ à solis ortu vsque ad occasum, in ditione sua habet, & dominatur (scriptura teste) *a mari vsque ad* [Ps.71.] *mare, & à flumine vsque ad terminos orbis terra.* Ipsi seruiūt omnes populi, & tribus & linguæ, offerentes ei scilicet [Mich.4.] munera rectæ fidei & bonorum operum. *Reges*, inquit, *Tharsis, & insula munera offerent: reges Arabū & Saba dona adducent. Et adorabunt eum omnes terra, omnes gentes* [Dan 4.] *seruient ei.* Quod autem subditur, [*cunctis diebus vita eius.*] hoc est in sæculum sæculi, quia ipse permanebit [E] semper, & regni eius non erit finis: eiusque potestas, potestas est æterna, cuius anni non deficient. [*Erat autem cibus Salomonis per singulos dies triginta chori simila & sexaginta chori farina, decem boues pingues, & viginti boues pascuales, & centum arietes, excepta venatione ceruorum, caprearum, atque bubalorum, & auium altilium. Ipse enim obtinebat omnem regionem qua erat trans flumen, quasi à Thapsa vsque, &c.*] Quid ergo cibus iste Salomonis significat, nisi refectionem regis nostri Iesu Christi? qui bene pascitur recta fide & operibus bonis, quæ illi quotidie offeruntur, ab Ecclesia Catholica. Triginta ergo chori similæ, possunt exprimere fidem sanctæ Trinitatis, iuxta quod in lege Domini scriptum continetur: & sexaginta chori farinæ, profectionem bonorum operum, [*decem boues pingues,*] Doctores decalogi: [*& viginti boues pascuales,*] prædicatores noui Testamenti: qui quasi geminatum decalogum in se habent, cum nouum & vetus Testamentum æqualiter prædicant, pleni dilectione Dei & [F] proximi. [*centum arietes,*] quos melius significant, quam eos qui in grege Domini bene dominantes, simul cum subditis æternæ beatitudinis gloriam consequi festinant? Venatio quoque diuersorum animalium, non inconuenienter accipi potest acquisitio hominum, qui ex diuersis gentibus quotidie retibus Euangelij per spiritales venatores capiuntur: & in pastum Saluatoris nostri rediguntur. [*Habebatque pacem Salomon ex omni parte in circuitu. Habitauitque Iuda & Israël absque timore vllo vnusquisque sub vite sua, & sub ficu sua, à Dan vsque Bersabee, cunctis diebus Salomonis.*] Isaias quoque de re- [Isa.9.] demptore nostro ita dicit: *Multiplicabitur eius imperium & pacis non erit finis*, sub cuius defensione verus Iuda & verus Israel absque timore vllo habitant: cum cordibus erectis ad dominum, cuncta terrena despiciunt, nec hostium minas pertimescunt: sed in laudibus Dei iugiter perseuerant: delectantes in gratia Dei, & dulcedine charitatis, quam incessanter habent ad Dominum, & ad proxi- [G] mum. [*Habebat Salomon quadraginta millia præsepia equorum currilium, & duodecim millia equestrium: nutriebantque eos supradicti regis præfecti.*] Quid per quadragenarium numerum, nisi tempora legis priscæ designantur? Quia & Moyses illam accepturus, quadraginta diebus ieiunauit, & populus Israëliticus qui per eam instruebatur, quadraginta annis in eremo mansit. Duodenarius vero numerus, præsens tempus significat, in quo Apostolica doctrina noui Testamenti populum nutrit. Bene quoque per quadragenarium, siue duodenarium numerum, præsepia equorum Salomonis numerantur, quia in vtroque populo legali videlicet & Euangelico, illi qui minus intelligentes fuerunt, ad præsepia sanctarum scripturarum inuitantur; vt pabulum ibi sacræ doctrinæ acciperent, quatenus equitatui summi regis habiles fierent, [*nutriebantque eos supradicti regis præfecti,*] cum vnusquisque doctorum, sermone fidei & exemplo bonæ operationis, satagit pastum illis salubrem conferre: vnde subsequēs scriptura de eis dicit, [*sed & necessaria mensa regis Salomonis, cum ingenti cura præbebant tempore suo. Hordeum* [H] *quoque & paleas equorum & iumentorum deferebant in locum, vbi erat rex iuxta constitutum sibi.*] Quia ne quid desit his qui in domo regis manent, totus ordo sanctorum prædicatorum, scribendo scilicet & loquendo laborat, vt mensa domini abundet in copia librorum, & decentem pastum inde habeant quique filium. [*Dedit quoque Deus Sapientiam Salomoni, & prudentiam multam nimis, & latitudinem cordis, quasi arenam qua est in littore maris. E præcedebat Sapientia Salomonis sapientiam omnium orientalium & Ægyptiorum, & erat sapientior cunctis hominibus. Sapientior Ethan Ezraite, & Heman & Chalcal, & Dorda filiis Mahol.*] Dedit itaque Deus Salomoni nostro sapientiam & prudentiam, vltra omnes homines, & omnem creaturam rationabilem: De quo Ioan. dicit: *Quē enim misit Deus, verbum Dei loquitur: Non enim* [Ioan.3.] *ad mensuram dat Deus spiritū: Pater diligit filiū, & omnia* [Ioan.5.] *dedit in manu eius.* Et alibi ipsa veritas dicit: *Sicut enim* [Colos.1.] *pater habet vitam in semetipso, sic dedit & filio vitā habere*

A *in semetipso,& potestatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est.* Hinc Paulus Apostolus ait de ipso Domino Christo. *Qui est imago Dei inuisibilis, primogenitus omnis creaturæ: quia in ipso cōdita sunt vniuersa, in cœlis & in terra, visibilia & inuisibilia siue throni, siue dominationes, siue principatus, siue potestates. Omnia per ipsum & in ipso creata sunt, & ipse est ante omnes, & omnia in ipso constant, & ipse est caput corporis Ecclesiæ, qui est principium primogenitus ex mortuis: vt sit ipse in omnibus primatum tenens. quia in ipso complacuit omnem plenitudinem diuinitatis inhabitare corporaliter, & in ipso sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi.* Omnibus ergo sapientia veri Salomonis antecellit: quia multum distat inter eos qui participatione Sapientiæ sapientes sunt, & illum qui est fons Sapientiæ & origo virtutum. Hinc est illud quod sequi-
Act. 4. tur: [*Et erat nominatus in vniuersis gentibus per circuitu.*] Quia nomen eius prædicatur in vniuerso mundo: nec est nomen aliud sub cœlo datum hominibus in quo opor-
B teat nos saluos fieri. [*Locutus est quoque Salomon tria millia parabolarum, & fuerunt carmina eius quinque millia.*] Quid enim per tria millia parabolarum, nisi plenitudo fidei in lege & in Euangeliis à Christo tradita designatur? Quia dum tota multipliciter per allegoriarum sensus sub mysterio Trinitatis disseritur, quasi tria millia parabolarum nuncupantur. Carmina autem eius quinque millia, per quinque sensus corporis intelliguntur, quos qui in diuersis virtutibus bene regit, beatus est, & per eos quasi quinque millia Domino carminum canit. [*Disputauit autem Salomon a cedro vsque ad Hyssopum.* Cedri nomine, celsitudo gloriæ in electis accipitur: Vnde Propheta te-
Psal. 91. statur, dicens: *Iustus vt palma florebit, & sicut cedrus quæ est in Libano multiplicabitur.* Hyssopus autem herba est humilis saxo hærens, qua signatur humilitas Christi. Redemptor quippe noster à cedro vsque ad hyssopum disputauit: quia ab alta excellentia gloriæ cælestis, vsque ad carnis humilitatem descendendo peruenit. Siquidem & cedri nomine prauorum superba elatio designatur. Sicut
C & per Dauid dicitur: Vox Domini confringentis cedros
Psal. 28. A cedro itaque Christus vsque ad hyssopum disputat, quia ipse superborum corda, & humilium iudicat. Super ligna autem disputauit, dum in cruce pependit. Tunc enim in cedro seculi arrogantiam iudicauit: Quam etiam vsque ad hyssopi humilitatem, id est, vsque ad crucis stultitiam, ad contemptibilem sermonem deduxit fidei. Hinc
1. Cor. 1. Paulus ait: *Verbum enim crucis pereuntibus quidem stulti-*
Isa. 29. *tia est, his autem qui salui fiunt, id est, nobis virtus Dei est.* Scriptum est enim: *Perdam sapientiam sapientium, & prudentiam prudentium reprobabo.* Et Paulo post: *Nam quia in Dei Sapientia non cognouit mundus per sapientiam Deum placuit Deo per stultitiam prædicationis saluos facere credentes.* [*Et disseruit Salomon de iumentis & volucribus & reptilibus & piscibus.*] Disseruit Salomon noster de singulis speciebus animalium: quia omnia nuda & aperta sunt oculis eius: nec est vlla creatura inuisibilis in conspectu eius: ipse nouit omnes cogitationes hominum, ipse numerat multitudines stellarum, ipsi patet abyssus,
D & infernus non est absconditus coram eo. Quasi enim disputare ipsius est, cum singulorum rationem nobis proponit, & in scripturis suis manifestat sacramenta quæ fuerunt abscondita à seculis & generationibus: vt consideremus beatitudinem Angelorum, vtilitatem hominum, & calliditatem malignorum spirituum: sicque quod malum est, reprobantes: quod bonum est, eligamus: & ipsum sectemur semper inuicem & in omnes. [*Et veniebant de cunctis populis ad audiendam sapientiam Salomonis, & ab*
Isa. 2. *vniuersis regibus terræ, qui audiebant sapientiam eius.*] Hinc Propheta Isaias ait: *Erit in nouissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium & eleuabitur super colles, & fluent ad eum omnes gentes, & ibunt populi multi, & dicent: Venite Ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob, & docebit nos vias suas, & ambulabimus in semetipsis eius, quia de Sion exibit lex & verbum Domini de Hierusalem.*

CAP. V.

E *Ædificauit domum Domini.*] Domus Domini quam ædificauit Rex Salomon in Hierusalem, in figuram facta est sanctæ vniuersalis Ecclesiæ, quæ à primo electo vsque ad vltimum qui in fine mundi nasciturus est, quotidie per gratiam regis pacifici, sui videlicet redemptoris, ædificatur: quæ partim adhuc peregrinatur ab illo in terris, partim euasis peregrinandi ærumnis, cum illo iam regnat in cœlis: vbi peracto vltimo iudicio, tota est regnatura cum illo. Ad hanc domum pertinent electi Angeli, quorum nobis similitudo in futura vita promittitur: dicente domino: *Illi autem qui digni* Luc. 20.
habebuntur sæculo illo & resurrectione ex mortuis, neque nubent, neque ducent vxores, neque enim vltra mori poterunt, æquales enim Angelis sunt, & filij sunt Dei, cum sint filij resurrectionis. Ad hanc pertinet ipse mediator
Dei & hominum, homo CHRISTVS IESVS, ipso attestāte, cū ait: *Soluite templū hoc, & in tribus diebus excitabo illud.* Quod exponens Euangelista, subiunxit: *hoc autem dicebat de templo corporis sui.* Dicit Apostolus de no- F Ioan. 2.
bis: *Nescitis quia templum Dei estis, & spiritus Dei habitat in vobis?* Si ergo ille templum Dei, per assumptam humanitatem, factus est, & nos templum Dei per inhabitantem spiritum eius in nobis, efficimur constat vtique quia figuram omnium nostrum, & ipsius videlicet domini, & membrorum eius, quæ nos sumus, templum illud materiale tenuit: sed ipsius tanquam lapidis angularis singulariter electi & pretiosi, in fundamento fundati: nostri autem tanquam lapidum viuorum superædificatorum, super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, hoc est, super ipsum Dominum. Designat eandem Dei domum spiritualem, etiam tabernaculum quondam factum in eremo per Moysen. Verum quia illa domus in itinere quo ad terram repromissionis veniebatur, hæc autem ædificabatur in ipsa terra repromissionis, 1. Cor. 6.
& in ciuitate Ierusalem: illa vt de loco ad locum crebro G
Leuitarum ministerio portata, tandem in terram promissæ hæreditatis induceretur, hæc vt mox in patria ipsa, & in ciuitate regia constructa, inuiolabili semper fundamento consisteret: donec indicatum sibi futurum cœleste munus impleretur. Potest in illa, præsentis Ecclesiæ labor & exilium, in hoc futura quies, & beatitudo figurari. Vel certe quia illa solis filiis Israel, hæc autē à proselytis etiā & gentibus facta est. Possunt in illa principaliter patres, & veteris Testamenti antiquus ille Dei populus, in hac autem congregata de gentibus Ecclesia, figuraliter exprimi. Quamuis ædificium vtriusque domus enucleatius spiritali sensu, excursum & labores præsentis Ecclesiæ quotidianos, & præmia in futuro perennia, gaudiaque regni cœlestis, & electionem primæ de Israël Ecclesiæ, & salutem omnium gentium, in Christo multis modis ostendatur insinuare figuris. Narrat autem historia, quia Salomon domum Domini ædificaturus, quæsierit auxi-
lium ab Hiram Rege Tyri, qui erat amicus Dauid om- H
ni tempore, & cum ipso quoque Salomone postquam regno potitus est, pacem habere iam cœperat, promptumque mox ad adiuuandum se in omnibus eius inuenerit amicum: ita vt artifices illi, & ligna & aurum, prout opus habebat, dederit. Cuius beneficij gratia Salomon ei per annos singulos plurimos tritici & olei choros in cibum domui eius dabat. Nulli autem dubium quod Salomon, qui interpretatur pacificus, & ipso nomine & serenissimo regni sui statu, illum significet, de quo dixit Isaias: *Multiplicabitur eius imperium, & pacis non* Isa. 9.
erit finis. Hiram vero qui Latine dicitur *excelse viuens*, credentes ex gentibus & vita simul cum fide gloriosos, figualiter exprimit: Neque aliquid prohibet, quin Hiram, (quia rex erat, regalique potentia Salomonem in ædificio domus Domini iuuabat) conuersos ad fidem ipsos terrum dominos typice denuntiet, quorum opera constat Ecclesi. sæpius adiuuatam, ac nobiliter augmentatam: & contra hæreticos, schismaticos, & paganos, principalibus erectam esse decretis. [*Petiit ergo Salomon in*

A *opere templi auxilium ab Hiram.*] Quia cum veniens in carne Dominus, dilectam sibi domum videlicet Ecclesiam, ædificare disponeret, non de Iudæis tantummodo, verumetiam de gentibus adiutores elegit: Nam de vtroque populo ministros sarmonis assumpsit. [*Misit Hiram Salomoni præcisa de Libano ligna cedrina & abiegna, quæ in domo Domini ponerentur.*] Quia conuersa gentilitas, misit ad Dominum viros quondam & secundum seculum elaros, sed securi dominicæ increpationis, de monte suæ superbiæ iam deiectos & humiliatos, qui ad normam Euangelicæ veritatis instituti in ædificatione Ecclesiæ pro suo quisque merito vel tempore, collocarentur. [*Misit etiam artifices.*] Quia conuersos ad veram sapientiam Philosophos, qui gratia eruditionis populis quoque regendis, iura præponerentur, Domino
Act.17. gentilitas obtulit: qualis fuit ipsis Apostolorum temporibus Dionysius Areopagita, qualis deinceps doctor
B suauissimus & fortissimus martyr Cyprianus, aliique quamplurimi. Misit & aurum quod in eadem pene significatione accipitur, quia nimirum viros sapientia & ingenio præclaros ostendit: pro quibus cunctis oblationibus gentilitas à Domino dona expectat gratiæ cœlestis. Conuenit autem apte rebus Ecclesiæ, quod auxilium operis sancti flagitans ait ad Hiram Salomon: [*Præcipe igitur vt præcidant mihi cedros de Libano, & serui mei sint cum seruis tuis, mercedem autem seruorum tuorum dabo tibi quamcumque petieris. Scis enim quomodo non est in populo meo vir, qui nouerit ligna cadere sicut Sidonij. Cum ergo audisset Hiram verba Salomonis, lætatus est valde, & ait: Benedictus Dominus Deus hodie, qui dedit Dauid filium sapientissimum, super populum hunc plurimum. Et misit Hiram ad Salomonem dicens: Audiui quæcunque mandasti mihi. Ego faciam omnem voluntatem tuam in lignis cedrinis & abiegnis. Serui mei deponent ea de Libano ad mare, & ego componam ea in ratibus in mari vsque ad locum quem significaueris mihi, & applicabo ea ibi, & tu tolles ea: Præbebisque necessaria mihi, detur cibus domui meæ. Itaque Hiram*
C *dabat Salomoni ligna cedrina & ligna abiegna iuxta omnem voluntatem eius. Salomon autem præbebat Hiram viginti millia choros tritici in cibum domui eius, & viginti choros purissimi olei. Hæc tribuebat Salomon Hiram per annos singulos. Dedit quoque Dominus sapientiam Salomoni sicut locutus est ei, eratque pax inter Hiram & Salomonẽ, & percusserunt ambo fœdus.* Serui quippe Hiram, qui præcidebant Salomoni cedros de Libano, Doctores sunt electi de gentibus, quorum officij est, eos qui in hoc mundo rebus & gloria lætabantur, & superbiæ fastu corrigendo sternere, atque ad obsequium sui redemptoris, eorum vota transferre. Cum quibus videlicet seruis, erant & serui Salomonis, ac pariter memorato instabant operi: quia primi Doctores ax gentibus necesse habebant ipsorum Apostolorum, qui à Domino didicerant, eruditione in verbo fidei instituti: ne si absqua magistris docere inciperent, magistri existerent erroris. Idcirco etenim Salomon seruos Hiram cædere sibi voluit ligna de Libano, quia doctiores erant seruis suis ad cædendum. Sed idcirco etiã
D seruos suos simul adesse voluit, vt ostenderent cædentibus cuius mensuræ ligna fieri deberent. Cuius rei figura in promptu est: Quia nimirum Apostoli certius verbum Euangelij, quod à Domino audiare, nouerunt, sed gentiles ab errora conuersi, atque ad veritatem Euangelij trãsformati, melius ipsos gentium errores nouerant. Et quo certius nouerunt, eo artificiosius, hos expugnare atque euacuare didicerunt. [*Elegitque Rex Salomon operarios de omni Israel, & erat indictio triginta millia virorum. Mittebatque eos in libanum decem millia, per menses singulos vicissim, ita vt duobus mensibus essent in domibus suis.*] Vbi primo notandum, quod non frustra Salomon operarios de omni Israëi elegit, neque erat vlla portio populi, de qua non digni tanto opere viri assumerentur. Quia nimirum non nuna de vna stirpe Aaron sacerdotes aligendi, sed de omni sunt Ecclesia quærendi, qui ædificara domum Domini vel exemplo suo vel dicto sufficiant: & vbicumque inuenti fuerint, mox in officium doctorum absque vlla personarum acceptione promouendi. Tales qui enim ad erodiendos iufidales in col legium Ecclesiæ
E vocandos ordinantur, quasi ad cædendas in Libano templi materias, viri strenui atqua electi mittuntur. Et quidem numerus triginta millium, quo idem lignorum cæsores recensebantur, potest ad eorum figuram apte referri, qui in fide sanctæ Trinitatis sunt perfecti, quod doctoribus maxime congruit. Verum quia triginta milia ita erant ordinata, vt dena millia per menses singulos operi instarent magis denarij numeri sacramentum perpendere debemus. Dena namque millia virorum de Israel ad cædends ligna in opus domus Domini mittuntur, quia quicumque Doctores atque insipientium eruditores sunt ordinandi, decem præcepta legis per omnia & ipsi obseruare, & auditoribus suis debent obseruanda monstrare, sed & præmia in cœlis futura, quæ denario solent figurari, & ipsi sperare, & auditoribus suis speranda debent semper intimare. Terni autem menses, quorum distantia singulis erat li-
F gnorum cæsoribus imposita, perfectionem trium virtutum Euangelicarum typice denuntiat: eleemosynæ videlicet orationis, & ieiunij. Per eleemosynam namque comprebenduntur omnia quæ ad dilectionem proximi explendam beneuole in fratres operamur. Per orationem, omnia quibus per internam compunctionem nostro conditori coniungimur. Per ieiunium, omnia quibus nos à contagione vitiorum, & illecebris seculi obseruamus, vt libera mente, & corpore casto, dilectioni valeamus inhærere semper nostri conditoris & proximi. Et isti sunt tres menses operariorum templi: Nam quia mensis plenitudine dierum lunaris circuli perficitur recte per illum plenitudo virtutis cuiusque spiritalis ostenditur, in qua mens fidelium à Domino quotidiana illustratione, quasi Luna à sole respicitur. Vnus vero mensis quo ligna ad opus templi cædebant, eleemosyna est, id ast, opus misericordiæ, qua erga salutem proximi, vt in vnitatem sanctæ Ecclesiæ bene proficiendo perueniant, docendo, castigando temporalia commoda impendendo, vitæ exempla monstrando laboramus.
G Duo autem reliqui menses quibus in domibus suis manere, ac suis necessitatibus sunt vacare permissi, oratio est & ieiunium, quibus præterea quæ erga necessitatem fratrum foris operamur, nostræ salutis propriæ curam intus conuersi ad Dominum mente gerimus. Et quomodo illi solum perfecte vel suæ vel fraternæ salutis curam gerunt, qui se in tuitiona diuinæ gratiæ humiliter subdunt recte sequitur: [*Et Adoniram erat super huiuscemodi indictionem.*] Adoniram quippe qui Latine dicitur, Dominus meus excelsus: quem melius quam ipsum quem nomine imitatur insinuat, Dominum videlicet saluatorem Et tunc Adoniram operariis templi præponitur, vt sus prouisione rite ordinet, quibus mensibus singuli ad operandum exeant, quibus denuo ad curandam domum suam redeant, cum Dominus & Saluator noster mentes sanctorum prædicatorum, sus familiarius illustratione informat ad discernendum, quando oporteat ædificandi Ecclesiam opus inire, prædicando vel alis pietatis of-
H ficia præstando, & quando rursum conueniat ad suam ipsorum conscientiam examinandam, quasi ad inspiciendam domum suam reuerti, & hanc orationibus ac ieiuniis, superno inspectore ac visitatore, dignam reddere. [*Fuerunt itaque Salomoni septuaginta millia eorum qui onera portabant, & octoginta millia latomorum in monte absque præpositis, qui præerant singulis operibus, numero trium millium trecentorum præcipientium populo, & his qui faciebant opus.*] Latomi dicuntur lapidum cæsores, idem autem lapidum cæsores, quod & lignorum cæsores figurate designant, hoc est, sanctos prædicatores qui mentes insipientium dolabra verbi Dei exercent, eosque ab ea qua nati sunt tortitudine ac deformitate transmutare contendunt, ac regulariter institutos vnitate fidelium, ædificationis videlicet domus Dei aptos reddere curant. Quod autem & ligna & lapides in monte cæduntur, & cæsa ac præparata, vtraque materies ad montem domus Domini transfertur: patet sensus, quod omnes in monte superbiæ nati sumus, quicumque autem

A gratia Dei præordinati sumus ad vitam, excidimur catechizando & sacramenta fidei percipiendo de monte superbiæ, & in montem domus Domini transferimur: quia eruti de potestate tenebrarum ad arcem virtutum, quæ est in vnitate sanctæ Ecclesiæ peruenimus. Notandum autem, quod iidem operarij ita erant distributi, vt pars in monte lapides cæderent, pars item onera portarent. Diuersa namque sunt dona spiritus, & quidam maiorem dicendi ac proteruos arguendi, constantiam habent: quidam mitiores ad consolandos pusillanimes & infirmos subleuandos existunt: quidam vtriusque virtutis munere præditi, ad opus domus Domini conueniunt. Quales fieri voluit eos quibus loquitur Apostolus, di-

1.Th.5. cens: *Corripite inquietos, consolamini pusillanimes, suscipite infirmos, patientes estote ad omnes.* Præpositi autem qui præerant singulis operibus, ipsi sunt sacræ conditores scripturæ, quorum magisterio in omnibus erudimur, quomodo inscios docere & contemptores corripe-

B

Gal.6. re, quomodo nos inuicem onera nostra portare, vt impleamus legem Christi, conueniat. Recte præfati operarij septuaginta millia, & octoginta millia esse perhibentur. Septuaginta millia videlicet propter sabbatismum animarum: septimus enim diès in sabbatum, id est, requiem consecratus est. Octoginta millia propter spem resurrectionis, quæ octaua die, id est, post sabbatum in domino præcessit, & in nobis quoque octaua die simul & octaua ætate futura speratur. Præpositi autem erant tria millia trecenti, propter fidem nimirum sanctæ Trinitatis, quam per sancta nobis eloquia præ-

2.Par.2. dicant. Quod vero pro tribus millibus trecentis præpositis, in libro Paralipomenon tria millia sexcenti sunt scripti, ad eandem prorsus sublimium viuorum perfectionem respicit. Nam quia in senario numero, Dominus, mundi ornatum compleuit, recte in eo perfecta bonorum solent opera figurari. Et quia sancta scriptura cum fide veritatis, opera iustitiæ docet habenda, recte præpositi operum templi tria millia & sexcenti fuisse

C perhibentur. Nec prætereundum quod hæc septuaginta millia & octoginta millia portantium onera, & latomorum cum præpositis suis, non fuere de Israël, sed de proselytia, id est, aduenis qui morabantur inter eos. Scriptum namque est in libro Paralipomenon *Numerauit igitur Salomon omnes viros proselytos, qui erant in terra Israel, post dinumerationem quam dinumerauit Dauid pater eius, & inuenti sunt centum quinquaginta tria millia & sexcenti. Fecitque ex eis septuaginta millia qui humeris onera portarent, & octoginta millia qui lapides de montibus cæderent: tria autem millia, & sexcentos præpositos operum populi*, &c. Proselyti autem vocabantur Græce, qui ex aliis nationibus progeniti, in fidem & consortium populi Dei, accepta circumcisione, transierunt. Fuerunt itaque operarij domus Domini de filiis Israël, fuerunt de proselytis, fuerunt de gentibus De filiis videlicet Israël triginta millia eorum qui ad præcidendas de Libano cedros missi sunt. De proselytis istis, de quibus nunc locuti sumus, lapidum cæsores. De

D gentibus Hiram ipse & serui eius, qui cum seruis Salomonis ligna cædebant de Libano. Omne igitur hominum genus per quos ædificanda erat Ecclesia, in ædificatione templi præcessit. Iudæi namque & proselyti, & gentiles conuersi ad veritatem Euangelij, vnam eandemque Christi Ecclesiam, siue recte viuendo, siue etiam docendo constituunt. [*Præcepitque rex vt tollerent lapides grandes, & lapides pretiosos in fundamentum templi, & quadrarent eos.*] Fundamentum templi nullum est aliud intelligendum mystice, quam illud quod ostendit Aposto-

1.Cor.3. lus, dicens: *Fundamentum enim aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, qui est* CHRISTVS IESVS. Qui propterea fundamentum domus Domini potest recte vo-

Act.4. cari, *quia* (sicut ait Petrus) *non est aliud sub cælo datum nomen hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri.* In quod fundamentum lapides grandes & pretiosi tolluntur, cum præcipui factis ac sanctitate viri, familiari mentis sanctitate suo adhærent conditori, vt quo firmius in illo spem suam ponunt, eo fortius aliorum vitam dirigere (quod est latitudinem parietis portare) sufficiunt. Lapides ergo

E qui in fundamentum templi ad portandum ædificium omne ponebantur, proprie sunt Prophetæ & Apostoli, qui verbum & sacramenta veritatis, siue visibiliter, siue inuisibiliter ab ipsa Dei sapientia perceperunt. Qui bene lapides primo quadrati ac sic in fundamentum poni iubentur. Quadratum namque omne, quocumque vertitur, fixum stare consueuit. Cui nimirum figuræ corda assimulantur electorum, quæ ita in fidei firmitate consistere didicerunt, vt nulla occurrentium rerum aduersitate, nec ipsa etiam morte à sui rectitudine possint status inclinari. [*Quos dolauerunt cementarij Salomonis, & cementarij Hiram.*] Dolantur namque lapides pretiosi, cum electi quique præcedentium sanctorum instructione & instantia, quicquid in se habent noxium & inane relinquunt: atque ante conspectum sui creatoris, solam insitæ sibi iustitiæ regulam, quasi stabilem quadraturæ formam ostendunt. Dolauerunt autem hos lapides, non

F solum cementarij Salomonis, sed & cementarij Hiram, quia ex vtroque populo Doctores fuere sanctæ Ecclesiæ.

Ieze.27. [*Porro Giblij præparauerunt ligna & lapides ad ædificandam domum*] Giblos est ciuitas Phœnicis, cuius meminit Iezechiel, dicens: Sapientes tui Tyre facti sunt gubernatores tui, senes Giblij & prudentes eius, &c. Pro qua in Hebræo continetur, *Gebel, siue Iubal*, quod interpretatur *definiens*, siue *disterminans*: quod vocabulum apte conuenit eis, qui corda hominum ad ædificium spiritale, quod ex virtutibus animæ construitur, parant. Sic etenim solummodo suos auditores fidem & opera iustitiæ docere sufficiunt, dum ipsi prius sacris paginis edocti diligenter quæ sit fides tenenda, quo virtutum calle, incedendum certa diffinitione veritatis didicerint. Nam frustra officium sibi doctoris vsurpat, qui discretionem Catholicæ fidei ignorat. Neque sanctuarium Domino, sed ruinam sibi ædificant, qui docere alios regulam, quam ipsi non didicere, conantur. In ædificanda ergo domo Dei, primo sunt ligna & lapides cædendi

G de monte: quia eos quos in fide veritatis instituere quærimus, primo necesse est, vt abrenuntiare diabolo ac de sorte primæ præuaricationis, in qua nati sunt, doceamus renascendo erui: Denique quærendi sunt lapides pretiosi & grandes, atque in fundamentum templi ponendi, vt meminerimus abdicata conuersatione priori, eorum in omnibus vitam moresque inspicere, eos nostris auditoribus imitandos proponere, quos per virtutem humilitatis specialiter Domino adhærere nouerimus. Addendus est in altum paries operum bonorum, & quasi superimpositis sibi inuicem ordinibus lapidum, ambulandum est ac proficiendum de virtute in virtutem. Vel certe lapides fundamento grandes, pretiosi & quadrati, primi sunt (vt supra diximus) Ecclesiarum magistri, qui ab ipso Domino verbum audiere salutis. Superpositi autem lapides ordinum siue lignorum, sequentes sunt, suo quique tempore sacerdotes ac Doctores, quorum vel prædicatione ac ministerio, fabricatur Ecclesia vel ordinatur virtutibus.

H Quales autem colore fuerint lapides quibus factum est templum, in libro Paralipomenon aperte declara-

1.Par.29. tum est, dicente Dauid ad Salomonem, cum ei impensas templi, quas præparauerat ostenderet: *Omnem pretiosum lapidem & marmor Parium abundantissime præparaui.* Marmor autem Parium, marmor candidum dicitur: quale eadem insula gignere consueuit. Vnde Poëta de illa:

Olearon niueamque Paron sparsasque per æquor Virg.3. Æn.
Cycladas, & crebris legimus freta concita terris.

Niueam ergo Paron dicitur, eo quod candidissimi marmor generis mittat. Est autem vna de Cycladibus, quo videlicet lapide, templum fuisse factum, & Iosephus insinuat, dicens: Eleuauit itaque templum vsque ad cameram, ex lapide albo constructum. Altitudo fuit sexaginta cubitorum, &c. Nec mysterij sensus in abdito est, cuius etenim patet, quia marmor candidum, ex quo domus Domini constructa est, mundam electorum actio-

A nem simul & conscientiam ab omni næuo corruptionis castigatam designat. Qualea esse voluit sapiens ille 2.Cor.7. architectus, eos quos super fundamentum Christi locabat lapides pretiosos, auro argentoque redimitos. *Charissimi*, inquit, *mundemus nos ab omni inquinamento carnis & spiritus, perficientes sanctificationem in timore Dei.*

CAP. VI.

F*Actum est igitur quadringentesimo & octogesimo anno egressionis filiorum Israel de terra Ægypti, in anno quarto, mense Zio, ipse est mensis secundus regis Salomonis super Israel, ædificare cœpit domum Domino.*] Quod dicitur, in anno quarto, mense Zio, ipse est enim mensis secundus Regis Salomonis super Israel. Ordo sensus est, in anno quarto Regis Salomonis super Israel, mense Zio, Ipse est mensis secundus. Mensem autem secun-
B dum Maium dicit: namque Aprilis quo Pascha celebrabatur principium mensium, apud Hebræos primus erat in mensibus anni. Ex quo manifeste patet, quia mox peracto pascha, cœpit ædificare domum Domino, & consecratus mystica solemnitate populus, manus ad mysticum opus misit. Fit autem commemoratio egressionis ex Ægypto, quando tabernaculum ædificari cœptum est: vt admoneatur lector, quod annorum tempus, inter ædificationem vtriusque domus transierit, & huic quoque summæ temporis, sacramentum inesse spiritale cognoscat. Quater namque centeni, & viceni, quadringentos & octoginta faciunt. Quatuor autem Euangelicæ perfectioni apte conueniunt, propter ipsum Euangelistarum numerum: centum viginti, legali doctrinæ, propter annos legislatoris totidem. In quo etiam numero virorum, gratiam sancti Spiritus primitiua suscepit Ecclesia: patenter ostendens, quia qui lege legitime vtuntur, id est qui Christi in ea gratiam cognoscentes amplectuntur, iure spiritus eius gratia replentur, quia in charitate eius
C amplius ignescunt. Diximus autem per tabernaculum quod fecit Moyses & filij Israël in deserto, synagogam: per templum vero quod Salomon & filij Israël cum proselytorum & gentilium auxilio construxit, Ecclesiam gentium posse designari. Permansit autem cultus & religio tabernaculi annos quadringentos & octoginta, ac sic ab eo templum ædificari incipit. Quod autem quarto anno Regis Salomonis ædificari cœpta est domus Domini: potest ad eos referri mystice, quod post expletam dispensationem dominicæ incarnationis, quæ in quatuor Euangelij libris scripta est, misso de cœlis Spiritu sancto, Ecclesiæ structura cœperit. Et quod mense secundo cœpta est, potest ad electionem gentium, quæ secundo loco post Israel ædificationem in se sui suscepere creatoris. Vnde & secundus mensis in lege concessus est ad faciendum Pascha, quia immundi super animam hominis vel in via procul positi ad faciendum in primo mense pascha, occurrere nequirent. Vbi nos apertissime designati sumus, qui immundi super mortem
D animæ nostræ, & procul adhuc positi à populo Dei, non potuimus primum pascha facere, quod in carne & sanguine agni fiebat. Celebramus autem hodie pascha, secundum, quod in corpore & sanguine redemptoris nostri, à quo quæsiti & mundati sumus, actum est. In quo autem loco templum sit ædificatum, manifestius in libro Paralipomenon ostenditur, vbi scriptum est:
2.Par.3. *Et cœpit Salomon ædificare domum Domini in Ierusalem, in monte Moria, qui demonstratus fuerat Dauid patri eius in loco quem parauerat Dauid in area Ornan Iebusæi.* Ædificatur ergo domus Domini in Hierusalem, hoc est, in visione pacis: qua dilatata per totum orbem Ecclesia in vna eademque fide, & veritatis Catholicæ societate consistit. Namque in scissura mentium, Deus non est: sed
Psal.75. *factus est in pace locus eius, & habitatio eius in Sion.* Ædificatur in monte, videlicet in ipso Domino Saluatore, de
Isa.2. quo Isaias ait: *Et erit in nouissimis diebus præparatus do-*
Matt.5. *mus Domini in vertice montium.* Et ipse de se in Euangelio: *Non potest*, inquit, *ciuitas abscondi super montem posita.* Ipse est enim mons montium, qui de terra quidem E
per originem assumptæ carnis ortus est: sed omnium terrigenarum potentiam ac sanctitatem singulari culmine dignitatis transcendit. In quo nimirum monte ciuitas, siue domus Domini, constructa est: quia nisi Sion in illo radicem figat, spes & fides nostra nulla est. Qui recte mons Moria, id est, visionis vocatur: quia electos suos quos ad æternam suæ claritatis visionem conseruat, in hac interim vita laborantes videre & adiuuare dignatur. Qui demonstratus fuerat Dauid patri eius. Ostensus namque erat Dauid sicut & cæteris Prophetis, venturus in carne Dominus: Bene idem locus area erat Ornan Iebusæi, quia & Ecclesia areæ solet vocabulo designari, dicente Ioanne de Domino: Cuius ventilabrum in manu sua, Matt.3.
& permundabit aream suam. Ornan qui interpretatur illuminatus, & erat natione Iebusæus, natione quidé gentiles significat: Hos autem eosdem illustrandos à Domino, atque in filios Ecclesiæ commutandos ostendit: quibus merito dicit Apostolus: *Fuistis aliquando tenebræ,* F
nunc autem lux in Domino. Iebus eadem est ciuitas, quæ Eph.5.
& Hierusalem. Et Iebus quidem interpretatur conculcata Hierusalem autem pacis visio. In qua quamdiu Ornan gentilis regnabat, Iebus dicta est, etiam cum in ea Dauid locum holocausti emeret: Cum vero Salomon in ea templum Domino ædificaret, non iam Iebus, sed Hierusalem vocata est. Quia nimirum gentilitas quamdiu diuini cultus nescia perdurabat, conculcabatur & illudebatur ab immundis spiritibus: ad simulacra muta prout ducebatur, sequens. Cum vero illam gratiam sui conditoris respexit, continuo pacis in se & locum inuenit, & nomen. [*Domus autem quam ædificabat Rex Salomon Domino, habebat sexaginta cubitos in longitudine, & viginti cubitos in latitudine, & triginta cubitos in altitudine.* [Longitudo domus, longanimitatem designat Ecclesiæ, quia in exilio peregrinationis huius, patienter aduersa quæque tolerat, ad patriam quam expectat, perueniat. Latitudo insinuat charitatem, qua dilatatio sinu mentis non solum amicos in Deo, sed & inimicos diligere gaudet pro- G
pter Deum: donec veniat tempus, quando siue ad pacem suam conuersis, siue funditus omnibus extinctis inimicis, cum solis gaudeat amicis in Deo. Altitudo, spem denuntiat futuræ retributionis, cuius intuitu libenter infima quæque, siue quæ demulcent, siue quæ aduersantur contemnit: vsque dum vtrisque transcensis, sola mereatur videre bona Domini, in terra viuentium. Vbi notandum quod triginta cubiti altitudinis, non vsque ad tectum templi, sed vsque ad cœnaculum inferius pertingebant. Namque in lib. Paralipomenon aperte scriptum est, quod altitudo centum viginti cubitorum erat. De quo post hæc dicturi sumus. [*Porticus erat ante templum viginti cubitorum longitudinis iuxta mensuram latitudinis templi, & habebat decem cubitos latitudinis ante faciem templi.*] Templum namque erat conuersum ad orientem, sicut & tabernaculum. Habebatque ostium porticus ab oriente, cõtra ostium templi, iuxta quod historicus Iudæor. Iosephus apertissime docet: ita vt Sol æquinoctialis oriens, directis radiorum suorum lineis, per ostia tria porticus videlicet, & templi & oraculi, arcam testamenti perfundere posset. Quia vero templum sanctam Ecclesiam H
designat, porticus quæ erat ante templum, & propior lucem solis accipere solebat, quid apertius quam illam eius partem, quæ dominicæ incarnationis tempora præcessit, typice denuntiat? In qua sunt Patriarchæ & Prophetæ, qui orientem huic mundo solem iustitiæ primi susceperunt, & nascenti in carne Domino testimonium, siue viuendo, siue prædicando, siue nascendo, siue etiam moriendo præbuerunt. Ostium vero templi, Dominus est: quia *nemo venit ad patrem, nisi per ipsum.* Et sicut Ioan.14.
alibi dicitur: *Ego sum hostium, per me si quis introierit,* Ioan.10.
saluabitur. Ostium porticus, sermo est Propheticus, qui quasi recto calle ingredientes, in ostium templi perducebat: quia gratiam Domini Saluatoris qua mundum erat redempturus, aperte prædicabat. Factura ergo porticus tota, fideles illius temporis significat Ostium vero in porticus Doctores qui cæteris lucem vitæ ianuamque

intrandi

A intrandi ad Dominum pandebant, exprimit. Et bene vnum ostium propter consonam in omnibus sanctis fidem, ac dilectionem veritatis. Quæ videlicet porticus, iuxta latitudinem templi viginti cubitis longa erat, quia nimirum antiqui iusti per longanimitatem deuotæ mentis, desiderabant venire ad dilationem Ecclesiæ, in charitate Dei, quæ est in Christo Domino nostro. [*Fecitque in templo fenestras obliquas.*] Fenestræ templi, Doctores sancti sunt & spiritales quique in Ecclesia, quibus mente excedentibus, Deo arcana secretorum cælestium specialius cæteris videre conceditur. Qui, dum ea quæ in occulto vident, publice fidelibus pandunt: quasi suscepto lumine solis, fenestræ iuncta templi penetralia replēt. Vnde bene eædē fenestræ obliquæ, id est intus latiores fuisse perhibentur: quia nimirū necesse est, vt quisquis iubar supernæ contemplationis vel ad momentum perceperit, mox sinum cordis amplius castigando dilatet, atque ad maiora capessenda solerti exercitatione se præparet. B [*Et ædificauit super parietem templi, tabulata per gyrū in parietibus domus, per circuitu templi & oraculi, & fecit latera in circuitu. Tabulatum quod supererat, quinque cubitos habebat latitudinis: & medium tabulatum, sex cubitorum latitudinis: & tertium tabulatum, septem habens cubitos latitudinis.*] Hæc tabulata in Euangelio vbi Dominus tentatur à diabolo, pinnacula templi vocantur. Sed & Iacobum fratrem Domini Apostolum, in pinnaculum templi, vnde ad populum concionaretur, leuatum esse legimus. Vtrum autem moris fuerit doctoribus, vt his sedentes tabulatis ad circumstantem inferius turbam fecerint sermonem, nusquam scriptum inuenimus. Patet vero ratio sacramenti, quia tabulata hæc tria totidem fidelium gradus, coniugatorum videlicet, continentium, & virginum designant, distinctos quidem altitudine professionis, sed societate fidei, & veritatis eiusdem, omnes ad domum Domini pertinentes, eique fixa mente inhærentes. Vbi pulchre dicitur, quia tabulatum quod supererat quinque cubitos habebat latitudinis, medium sex, C tertium septem. Supernum ergo tabulatum erat cæteris angustius, medium superno latius, sed infimo erat factum angustius. Quia nimirum altior professio virtutis, arctiorem debet vitam tenere viuendi. Singula autem tabulata, habebant in circuitu latera, id est turriculas, ne facile quis in eisdem tabulatis consistens siue residens, posset ad inferiora decidere: quod Ochoziæ Regi contigisse in Samaria, legimus. Quæ nimirum latera non incongrue, quotidiana diuinæ protectionis erga nos munimina designant. De quibus Psalmista: Immittet, inquit, Angelum Dominus, in circuitu timentium eum, & eripiet eos. Ascendit quidem in cœnaculum Ochozias Rex Samariæ, qui se à domo Dauid separauerat, sed per cancellos decidit. Quia & si hæretici, siue schismatici, aliquam bonæ actionis arcem conscendere videntur, quia tunc compagem Ecclesiasticæ vnitatis non habent, quasi patentibus & non solitis laterum præsidiis, semper ad vitiorum infima relabuntur, dum diuino destituti auxilio, suæ pertinaciæ fastu intereunt. Qua autem arte præ- D fata tabulata parietibus templi sunt affixa, declaratur cum subditur, *Trabes autem posuit in domo per circuitum forinsecus, vt non hærerent muris templi.*] Trabes ergo quæ intrinsecus domum muniebant & ornabant, tantæ erant longitudinis, vt capita eorum forinsecus prominerent. In infimo quidem ordine cubitorum septem, in medio sex, in supremo quinque, atque in eisdem capitibus, earum tabulata componerentur, nequaquam muris templi infixa, sed iuxta muros trabibus, quæ de muris exierant, superposita. Quid itaque per trabes domus, quæ tabulata portabant, nisi prædicatores sancti sunt typice designati? qui dum ipsi sublimem atque honorabilem in Ecclesia Dei locum tenent, infirmiores quosque ac fragiles, suis prædicationibus ab infimorum appetitu sustollunt, atque ad cælestia desideranda, ac speranda suspendunt: suis etiam intercessionibus, vt in cœptis persistant, adiuuant. Legimus autem in libro Paralipomenon, quod trabes templi: sicut & cætera eius interiora, fuerint auro vestitæ. Quod ita factum esse non

E dubium est, vt illæ trabium partes, quæ intus in templo erant, aureis essent laminis rectæ. Quæ vero foris apparebant, hæ minime deauratæ, ipsam cedri speciem formamque cunctis ostenderent, in qua tamen imposita sibimet tabulata, gestabant. Quod ergo extrinsecus eminebat trabium, vitam sanctorum quæ nobis in terris innotescere potuit, designat. Quod intus in templo deauratum fulgebat, claritatem illam qua in cœlesti patria, in aspectu sui gaudent creatoris, figurate denuntiat. [*Domus autem cum ædificaretur, lapidibus dedolatis atque perfectis, ædificata est, & malleus & securis & omne ferramentum non sunt audita in domo, cum ædificaretur.*] Hæc ad illam Ecclesiæ partem, quæ post huius sæculi labores & certamina, ad æterna præmia meruit introduci, proprie pertinent. Ibi etenim perfecti solummodo, & immaculati atque ab omni labe iniquitatis castigati, ingrediuntur. Non enim intrat in illam ciuitatem aliquid coinquinatum, faciens abominationem & mendacium: sicut in Apocalypsi scripsit Ioannes. F [*Vbi malleus & securis & omne ferramentum non auditur.*] Quia hic tundimur aduersitatibus, & disciplina veritatis exercemur, vt illic (Apoc. 21.) locis iuxta meritorum congruis disponamur, & castigatione cessante, solo amoris glutino (quo ad inuicem copulemur) vno impleti spiritu perfundamur. [*Ostium lateris medij, in pariete erat domus dextræ, & per cochleas ascendebant in medium cœnaculū, & a medio in tertium.*] Quidam hunc locum male, intelligentes, putant ostium templi à meridie fuisse, non attendentes, quia si hoc significare, voluisset, scriptura non ita diceret: *Ostium lateris medij, in parte erat domus dextræ.*] Sed ita potius simpliciter: & habebat domus, ostium ad meridiem. Nunc autem longe aliud significat: Pars namque domus dextræ, latus templi meridianum dicitur, in cuius parte orientale ostium erat in ipso angulo factum iuxta terram, in quod introeuntes, statim ad altiora gradatim ascendebant. Habentes viam ascensus per ipsa parietis interiora, donec ascenderent ad medium cœnaculum, & à medio peruenirent ad tertium. Nec dubitandum, quamlibet hoc scriptura G non dicat: quia sic ascendentes creberrimas habebant à meridie fenestras, quatū luce per omnia, & sine offensione iter agerent: qui nimirum locus, proprie ad corpus dominicum quod de virgine sumpsit, respicit. Ostium namque lateris medij, in parte erat domus dextræ, quia defuncto in cruce Domino, vnus militum lancea latus eius aperuit. Et bene in parte domus dextræ, quia ad dextrum eius latus à milite apertum, sancta credit Ecclesia. Vbi apto etiam verbo vsus est Euangelista, vt non diceret, *percussit latus eius, aut vulnerauit*, sed *aperuit*, vide- (Ioan. 19.) licet quasi ostium lateris medij, per quod nobis iter ad cælestia panderetur. Denique ita subiunxit: *Et continuo exiuit sanguis & aqua. Aqua* scilicet, qua abluimur in baptis- H mo, & *sanguis* quo consecramur in calice sancto. Per hoc namque ostium nobis est ascensus in medium cœnaculum, & à medio in tertium, quia per fidem & mysteria nostri redemptoris, de præsenti Ecclesiæ conuersatione, ad requiem animarum post mortem ascendimus, inde sumque de requie animarum (adueniente die iudicij) ad immortalitatem quoque corporum, quasi in tertium cœnaculum, sublimiori profectu penetrabimus, ex quo in magna amborum, & corporis videlicet & animæ beatitudine, perpetuo viuamus. Quo quidem iter inuisibiliter agebatur, ita vt soli hoc qui intrauerant nossent, quamuis ipsum ostium etiam foris positi viderent: quia nimirum actus in hoc seculo, & celebrationes sacramentorum; etiam reprobi possunt intueri, verum arcana fidei intimæ gratiam dilectionis, nullus (nisi qui per hæc Domino duce ad cælestia scandit) agnoscit. *Qui enim dicit se nosse Deum, & mandata eius non custodit, mendax est.* Notan- (1. Ioan. 2.) dum sane, quod triginta cubiti altitudinis, de quibus supra legitur, vsque ad medium cœnaculum addebantur, quousque porticus quæ erat circa templum ab austro, & aquilone, & occasu, rectum perueniebat: vt Iosepho narrante didicimus. Denique vsque ad supremum templi tectum, alij sexaginta cubiti numerabantur, & sic tota altitudo domus iuxta librum Paralipomenon, in centum (2. Par. 3.)

A viginti cubitos consummata est. Porticus quoque quæ erat ante frontem templi ad orientem, iuxta fidem præfati voluminis, eandem cubitorum summam in altitudine habebat: qui videlicet liber, illas de quibus prædiximus 1.Par. 28. porticus circa templum, cellaria vocat & cubicula. *Dedit autem*, inquit, *Dauid Salomoni filio suo descriptionem porticus templi? & cellariorum & cœnaculi & cubiculorum in abditis, & domus propitiationis:* Vbi etiam exteriorum domorum, quæ erant extra atrium sacerdotum in circuitu templi, fecit mentionem, cum protinus adiunxit: Necnon & omnium quæ cogitauerat, atriorum & exedrarum per circuitum, in thesauris domus Domini, & in thesauris sanctorum. Quod autem omnis altitudo templi centum viginti fuit cubitorum, ad idem sacramentum respicit. Quod ex primitiua Ierosolymis Ecclesia, post passionem, resurrectionem, & ascensionem Domini in cœlos, in hoc numero virorum, gratiam Spiritus S. accepit. Quindecim namque, quæ ex septem B & octo constant, solent nonnunquam ad significationem referri vitæ, quæ nunc in sacro baptismo geritur animarum fidelium: perficietur autem in fine seculi, resurrectione corporum immortalium. Ipsa autem quindecim, in trigonum ducta, id est cum omnibus suis partibus annumerata, centum viginti efficiunt: quapropter apte numero è centenario & vicenario, magna electorum beatitudo in futura vita designatur. Apte etiam in hoc tertium domus Domini cœnaculum consummatur: quia post præsentes fidelium labores, post acceptam in futuro requiem animarum, plena totius Ecclesiæ felicitas, in resurrectionis gloria complebitur. [*Et ædificauit domum & consummauit eam. Texit quoque domum laquearibus cedrinis.*] Laquearia quid sunt? Laquearia sunt tabulata, quæ magno decore composita & ornata, ab inferiore parte trabibus affiguntur: & quia ter geminæ altitudinis domus Domini facta erat, terna nimirum habebat laquearia. Quid autem aptius per laquearia, quam sublimiores quosque in sancta Ecclesia iustos, significari credamus? Quorum opus & doctrina cunctis in C exemplo proposita, quasi longius in alto præeminent, quosque suis intercessionibus & exhortationibus animos infirmorum, ne in tentationibus deficiant, protegunt. Quæ nimirum laquearia, recte cedrina esse describuntur. Cedrus namque arbor est imputribilis omnino naturæ, odoris iucundi, aspectus nitidi serpentes accensa nidore fugans ac perimens. Quæ vniuersa perfectis quibusque conueniunt, quorum insuperabilis est patientia, fama virtutum eximia, præsentia cunctis gratissima, in bonis authoritas, ad reuincendos, confutandosque eos qui veritati resistunt, constantissima: qui & in hac vita & in futura, singulari præ cæteris sanctis Deut. 22. eminentia, fulgent. [*Et ædificauit tabulatum super omnem domum, quinque cubitis altitudinis.*] Loriculas significat, quæ in supremo domus tecto per circuitum erant factæ, ne quis ad altiora perueniens, repente laberetur ad ima: quod in omni domo, quam quisque ædificaret, Moyses fieri præcepit: *Cum ædificaueris*, inquiens, *domum nouam, facies murum tecti per circui-* D *tum; ne fundatur sanguis in domo tua, & sis reus labente alio & in praeceps ruente.* Hæc autem tabulata siue loriculæ, supra sunt latera vocata: vbi cum dictum esset, [*Et ædificauit super parietem templi tabulata per gyrum in parietibus domus per circuitum templi & oraculi.*] Continuo subiunctum est, [*Et fecit latera in circuitu.*] in quibus nimirum lateribus, intelligimus diuina esse præsidia designata, quæ nos in hoc adhuc seculo laborantes, ac pro captu nostro ad superiora nitentes, quotidie ne deficiamus adiuuant. Bene autem hoc supremum tabulatum, in tecto domus Domini, quinque cubitis altum esse memoratur, quia nimirum ita nos in illa patria, diuinæ præsentiæ claritas adimplet, vt nihil aliud Matt. 22. visus noster, nihil auditus, nihil olfactus, nihil gustus, Deut. 6. nihil tactus dulce habeat, nisi diligere Dominum Deum nostrum ex toto corde, tota anima, tota virtute diligere & proximum tanquam nosmetipsos. [*& operuit domum lignis cedrinis.*] Supremum ipsum domus tectum dicitur, id est, tabulatum illud, quod supremis trabibus superpositum erat. Non enim habebat templum culmen E in superioribus, sicut nec tabernaculum, sed erat æquale quomodo omnibus in Palæstina & Ægypto domus ædificantibus, facere moris est. Idipsum autem hoc tabulatum, quo operta est domus: quod & laquearia designat, id est, eximios quosque in resurrectionis gloria Matt. 11. viros, & singulari sanctitate, ad ipsum virtutis apicem peruenientes: de quorum vno dicitur, *Inter natos mulierum, non surrexit maior Ioanne Baptista*, cuius hic Luc. 1. compar est magnitudinis scire vis? audi quid patri ipsius Angelus ait: *Et ipse præcedet ante Dominum, in spiritu & virtute Eliæ.* [*Et ædificauit parietes domus, intrinsecus tabulatis cedrinis, à pauimento domus vsque ad summitatem parietum, & vsque ad laquearia operuit lignis cedrinis intrinsecus.*] Intrinsecus quidem domus cedro erat vestita: Nam forinsecus tanto nitore lapis ipse, de quo facta fuerat, fulgebat, ac si calculo esset candido tecta. Iuxta sensus vero mysticos, parietes templi, sunt F fidelium populi, ex quibus sancta vniuersalis consistit Ecclesia, quorum dilationem per orbem, latitudo designat parietum: spem vero & intentionem omnem ad cœlestia erectam, longitudo. Vel certe altitudo parietis quæ ex ordinibus lapidum super inuicem positis constat præsentis statum Ecclesiæ significat, vbi electi super fundamentum Christum omnes ædificati, sibi inuicem in ordine, per temporum curricula succedunt, sesque inuicem portantes, legem Christi, quæ est charitas, adimplent. Dum enim qui nunc à præcedentibus erudiuntur magistris, rursum ipsi alios erudiunt, quasi super inuicem positis ordinibus, quique lapidum viuorum in domo Dei, sic ab aliis fixa constantia portantur: vt ad portandos alios & ipsi sufficiant, vsque ad vltimos qui in fine mundi nascituri sunt iustos, qui quasi in summo domus Dei cacumine locati, docentur quidem & portantur ab aliis. Sed quos doceant, quorumve fragilitatem tolerent, ipsi non habent. Qui videlicet parietes intrinsecus tabulatis cedrinis operiuntur, cum corda fidelium amore virtutum redundant. Sicut enim cedri na- G tura, perfectos homines (vt supra docuimus) typice denuntiat: ita etiam locis oportunis celsitudinem virtutum, quibus ad eandem perfectionem venitur, non immerito designat. Teguntur autem omnia lignis à pauimento domus, vsque ad summitatem parietum, & vsque ad laquearia: cum electi à primis fidei rudimentis, vsque ad perfectionẽ bonæ actionis, & vsque ad ingressum patriæ cælestis, à bonis insudare non desistunt operibus cum à primis iustis vsque ad vltimos in consummatione seculi, omnes virtutibus student, quarum merito vere 2.Cor. 2. valeant protestari, quia *Christi bonus odor sumus, Deo in omni loco.* [*Et texit pauimentum domus tabulis abiegnis.*] Hoc quomodo factum sit, plenius in libro Paralipome- 2.Par. 3. no explicatur: vbi scriptum est: *Strauit quoque pauimentum templi, pretiosissimo marmore decore multo.* Vnde patet quia tabulas abiegnas quibus pauimentum tegeret, nequaquam in terra posuit, sed primo illud marmore prætexit, ac deinde tabulas marmori superposuit, ac H tertium his duobus auri vestitum supperaddidit, vt in sequentibus legitur. Sicut autem latitudo parietis, in altum exurgens, atque vsque ad laquearia perueniens, profectus virtutum quibus electi ad regnum cœleste perueniunt, vel certe ipsos electorum choros, sibimet per tempora varia succedentes, significant: ita æqualitas pauimenti concorditer eorundem humilitatem, qua in tẽporali vita adhuc positi, socialiter inuicem charitate dictante conuersantur, non immerito demonstrat. Quod videlicet pauimẽtum pretiosissimo erat marmore stratum decore multo. Idemque marmor in hoc tabulis tectum abiegnis, quia nimirum vita iustorum, primo fidei firmitate præmunienda in corde, ac deinde spiritualium virtutum latitudine adornanda est in opere: Alioquin quid vtilitatis habebat decus marmoris pretiosissimi lignorum tabulis obtectum, si non mysticum aliquid tacite signabat? hoc est, bonorum amplitudinem operum, fortitudine fidei intemeratæ suffulciendam docebat.

A bat. Abies vero propter altitudinem sui, & robur diu durabile, mentem electorum infima quæque desideria spernentem, & cœlestium contemplationi semper intentam, virtute quoque patientiæ singulariter excellentem, non incongrue demonstrat. Auri autem laminæ marmori ac tabulis abiegnis superpositæ, ipsa est latitudo charitatis, de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta, quæ, sicut aurum aliis pretiosius est metallis, ita cæteris eximior virtutibus in templo Dei singulari luce
1. Tim. 1. refulget. [*Ædificauit quoque viginti cubitorum ad posteriorem partem templi tabulata cedrina, à pauimento vsque ad superiora: & fecit interiorem domum oraculi in sanctum sanctorum.*] Posteriorem partem templi, occidentalem dicit: Ab ortu enim solis ingressum habebat templum, & ab occasu domum interiorem, hoc est sanctum sanctorum ingrediebatur. Quod autem tabulata quæ interiorem domum ab exteriore separabant, à pauimento vsque ad superiora esse dicuntur ædificata, non vsque ad la-
B quearia (quæ triginta cubitis erant in sublime à pauimento suspensa vt supra iam dictum est) sed tantum vsque ad cubitos viginti altitudinis, vt in sequentibus aperte legitur, intelligendum est: reliquum vero erat super hæc tabulata apertum & inane vsque ad laquearia, cubitorum decem altitudinis, & cubitorum viginti longitudinis, iuxta latitudinem domus: per quam nimirum ianuam, fumus incensorum de altari thymiamatis, solebat in sancta sanctorum ascendere atque ad arcam Domini operiendam penetrare. In qua distinctione domus
Heb. 9. Domini patet figura mysterij: & Apostolo exponente luce clarior est, quia prior domus in quam semper introibant sacerdotes sacrificiorum officia consummantes, præsens est Ecclesia, vbi quotidie piis insistentes operibus, Domino sacrificia laudis offerimus. Interior vero domus quæ ad posteriorem partem templi erat facta, ipsa est promissa nobis vita in cælis. Exterior quidem hæc conuersatio nostri exilij: interior vero est: quæ in
Matt. 25. præsentia regis summi, vbi perpes beatorum & Ange-
C lorum & hominum solennitas agitur. Vnde ea, benemerito seruo, dicitur: *Intra in gaudium Domini.* Sed hæc posterior est tempore, quia post huius seculi labores ad illius ingressum perducimur. Tabulata autem quæ vtramque domum ab inuicem diuidunt, ipsa sunt claustra cœli, quorum nobis apertionem quotidie suspiramus: & quantum Dominus donauerit, pia semper instantia, donec aperiantur & intrare liceat: pulsamus. Vbi etsi necdum ante solutionem corporum intrare permittitur, apertam tamen habemus ianuam diuinæ pietatis, qua orationum nostrarum, eleemosynarum, ieiuniorum, cæterorumque operum bonorum thymiamata, præmittamus. Hinc est enim quod parietibus cedrinis domus interioris ædificata, ianuam habet in superioribus per totum, vbi fumus incensorum intraret, quia oculi
3. Reg. 7. Domini aperti sunt super domum eius nocte ac die, & aures eius in orationes seruorum suorum intendentes, & hoc per totam latitudinem diffusæ per orbem. Ecclesiæ Altare namque thymiamatis quod in domo quidem
D exteriori: sed prope ostium stabat domus interioris, typus fuit perfectorum, qui carne quidem adhuc in mundo retenti, sed omni desiderio sunt ad cœlestia suspensi: & velut incenso thure, fumum ascendentem in sancta sanctorum emittunt, quia superno amore flagrantes, crebris orationum vocibus, aures sui pulsant autoris. Apertaque late ianua fumus incensorum in superioribus venit: quia quanto mundiores quique in terris, & quasi viciniores cœlesti patriæ commorantur, tanto citius cuncta quæ poscunt, accipiunt. Bene autem interior domus viginti cubitis longa facta est, propter mysterium scilicet geminæ dilectionis, (de quo & supra diximus) quæ in hac interim vita ex parte maxima, electorum mentes illustrat: sed in illa patria cessantibus aliarum virtutum operibus, sola perpetuo regnat. [*Porro quadraginta cubitorum erat ipsum templum pro foribus oraculi.*] Diximus ipsum templum pro foribus oraculi, præsentis Ecclesiæ typum gessisse. Vnde recte quadraginta fuit cubitorum, qui numerus sæpe in significatione

ponitur præsentis fidelium laboris, quomodo quinquagenarius, in significationem futuræ quietis & pacis. Denario namque numero continentur præcepta, quorum obseruatione ad vitam peruenitur. Denario æque significatur ipsa, quam desideramus & pro qua laboramus, vita perennis. Quadratus vero est mundus, in quo pro acquirenda eadem vita certamus: Vnde Psalmista congregandam Ecclesiam de gentibus præuidens, aiebat: *De regionibus congregauit eos a solis ortu & occasu, ab* Ps. 106.
aquilone & mari. [*Sed & cedro omnis domus intrinsecus vestiebatur, habens tornaturas suas, iuncturas fabrefactas, & cælaturas eminentes.*] Diximus De cedro quod insuperabilem virtutum venustatem signaret; quo nimirum ligno omnis domus Domini intrinsecus vestiebantur, cum corda iustorum solo bonorum operum amore nitescunt. Habetque domus in tabulis cedrinis tornaturas suas & iuncturas fabrefactas, cum idem electi sese ad inuicem pulcherrima charitatis copula, connectuntur: ita vt cum innumera sit multitudo fidelium, vnum tamen cor, vnam F
habere animam, pro communis fidei ac dilectionis societate, merito dicantur. Namque tornaturæ, quæ iuncturis tabularum apponebantur, vt vnum ex omnibus fieret tabulatum, ipsa sunt officia charitatis, quibus adinuicem fraternitas sancta copulatur, atque in vnam Christi domum toto terrarum orbe componitur. Quæ etiam domus habet cælaturas eminentes, cum opera virtutum, sancti nequaquam occulto tegunt, sed manifesta expressione foris omnibus quales sint ipsi, quid agant, in exemplum viuendi proferunt. [*Omnia cedrinis tabulis vestiebantur, nec omnino lapis apparere poterat in pariete.*] Et lapides parietis siue pauimenti, & tabulæ & aurum, sanctorum in Ecclesia vitam omnia designant. Sed ea vtique distinctione, cum pariter ponuntur, vt lapides viui sint sancti, fortitudine fidei in vna eademque regula sibimet adglutinati. Tabulæ cedrinæ siue abiegnæ, sunt sancti latitudine variarum virtutum secundum donationes Spiritus sancti, in vna eademque fide sibimet alterutrum connexi. Auri laminæ sunt sancti superemi- G
nentem scientiæ charitatem habentes, huiusque fulgore gratissimo ad inuicem congaudentes: Quæ tria beatus Apostolus vna sententia complexus est, dicens: *Nam in* Gal. 5.
CHRISTO IESV *neque circumcisio aliquid valet, neque præputium: sed fides quæ per dilectionem operatur.* Fidei namque inuictæ, lapis figuram tenuit. Cedrus actionis odoriferæ. Aurum, transcendentis omne dilectionis. Vestiturque lapideus paries, tabulis cedrinis, cum professio fidei bonis ornatur operibus, ne otiosa iudicetur esse, aut mortua. Verum quia lex in lapide scripta, doctrina vero Euangelij, per lignum est dominicæ passionis confirmata: vnde & populus ille lapide circumcidebatur in præputio, nos signo crucis consecramur in fronte. Possunt non incongrue parietes templi lapidei, siue pauimentum pretiosissimo marmore stratum, eorum qui in lege fideliter ac perfecte vixerunt, typum tenere. Tabulæ vero cedrinæ siue abiegnæ, noui Testamenti iustos indicare, qui volentes post Dominum venire, ab-
negant semetipsos, & sumpta cruce sua quotidie, sequun- H
tur illum. Et quo vtriusque temporis iustos, communis gloria supernæ manet retributionis, lapidibus ac lignis pretiosis tertia est species aurearum adiuncta laminarum. Nec contrarium debet videri, quod supra diximus, porticum quæ erant ante templum, antiquorum figuram gestare fidelium: ipsum vero templum, eorum qui post incarnationis dominicæ, tempus, in mundum venerunt. Porro domum interiorem, regni cœlestis gaudia, quæ vtrisque iustis dantur figurare. Nunc autem dicamus parietes lapideos antiquum Dei populum, tabulata cedrina nouum, aureas laminas vtriusque in cœlis præmia designare: cum idem parietes templi & in porticu, & in ipso templo, & in sanctis sanctorum pari fuerint modo, de lapidibus & lignis & auro compacti. Multiplex namque est in diuersis rebus earundem repetitio figurarum. Sed & hoc dicendum, quia fuerunt & in lege & ante scriptam legem: plurimi qui legaliter domino deseruirent, non occidentes, non fornicantes, non furtum facientes,

non

A non falsum testimonium contra proximum loquentes, honorantes patrem & matrem, & diligentes proximos sicut seipsos; hi ad parietes porticus lapideos pertinebant. Fuerunt alij, qui maiori perfectione relictis mundi negotiis, & assumpta cruce sua, sequebantur Dominum: quod Apostolus scribit: *Ludibria & verbera experti insuper*
Heb. 11. *& vincula & carceres, lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladij mortui sunt. Circumierunt in melotis, in pellibus caprinis egentes, angustiati, afflicti quibus dignus non erat mundus.* Hi qui ante manifestata tempora Euangelij, vitam duxere Euangelicam, non sliter atque ante ingressum templi, tabulata cedrina. In porticu fulgebant. Quos vtrosque quia idem regnum cæleste communiter (quamuis in mansionibus discretis) recipit, quasi porticus templi, post lapides & cedrum, intrinsecus est auro cooperta. Sunt in hoc tempore perplures qui legalibus contenti præceptis (quæ supra commemorauimus) sufficere sibi credunt tantum, si ad
B vitam venire mereantur: Sunt alij, qui ad perfectionem non desides, venditis quæ habent omnibus sequuntur dominum memores promissi illius, quod talibus in resurrectione non solum vitam, sed & specialem prædixit
Matt. 19. honorem esse tribuendum: *Amen dico vobis, quod vos qui secuti estis, me in regeneratione cum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ sedebitis & vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel.* Hi ad parietem templi albo de lapide factum, illi figuraliter ad cedrina pertinent tabulata: vtrique præmia à domino perpetuæ lucis, quasi auri laminas quibus decorentur expectant. Sunt in adytis lapides pretiosi, sunt tabulæ, ligni aromatici, vtraque auro coopetta, quia & illi qui in lege Domini immaculati ambulauerant, & qui gratiam Euangelij perfecte susceperant, pariter æterna vita perfruuntur. [*Oraculum autem in medio domus in interiori parte fecerat, vt poneret ibi arcam fœderis domini.*] Hoc superius præoccupando expositum est: quia videlicet interior domus secreta patriæ cœlestis: arca
C fœderis dominum saluatorem: in quo solo fœdus pacis apud patrem habemus, designaret qui post resurrectionem suam ascendens in cœlum: carnem quam de virgine sumpserat, in patris dextera collocauit. [*Porro oraculum habebat viginti cubitos longitudinis, & triginta cubitos latitudinis, & viginti cubitos altitudinis.*] Quod dicitur viginti cubitos altitudinis parietem significat cedrinam, qui oraculum, id est, sancta sanctorum ab æde exteriori segregabat: sicut & supra diximus. Oraculum vero vbi erat arca, habebat vicenos cubitos in longitudine, & latitudine & altitudine, id est, per quadrum: quia in superna illa patria vbi regem in decore suo vident oculi sanctorum, sola charitatis diuinæ ac fraterna negotia per omnia fulgent: quod sequentibus quoque verbis astruitur, cum dicitur: *Et operuit illud atque vestiuit auro purissimo.*] Quod est aperte dicere, quia superna mœnia ciuitatis, gratia charitatis impleuit. [*Sed & altare vestiuit cedro.*] Altare dicit thymiamatis quod erat ante oraculum. De quo paulo post subinfertur. [*Sed & totum*
D *altare oraculi texit auro.*] Vnde intelligi datur, quod idem altare de lapide quidem fuerit factum, & cedro vestitum, ac deinde auro coopertum, significat autem typice perfectorum vitam iustorum, qui quasi in vicinia oraculi sunt positi, quia desertis infimis delectationibus de solo regni cælestis ingressu, curam omnem impendunt. Vnde bene in hoc altari non carne victimarum: sed sola incendebantur thymiamata, quia tales adhuc peccata carnis, & illecebras cogitationum in se mactare opus habent, sed tantum orationum spiritualium & cœlestium desideriorum odoramenta, per ignem interni amoris in conspectu sui conditoris offerunt. [*Domum quoque ante oraculum vestiuit auro purissimo, & affixis laminas clauis aureis.*] Domum ante oraculum, præsentis Ecclesiæ typum tenere diximus, vbi ita redemptoris nostri amore flagramus, vt needum ipsum videre facie valeamus ad faciem. Vnde apte domus hæc auro quidem purissimo cooperta: sed interposito erat medio pariete ab oraculo secreta. Oraculum namque vocatur, cum vel diuina ho-

minibus vel Angelica allocutio, cum secretorum quorumque reuelatione conceditur. Vnde bene oraculum
E in adytis, hoc est in interiori domo factū est, quia superna patria, & Angelorum nobis visio atque allocutio, & ipsa Dei præsentia reuelabitur. Domus ergo ante oraculum, auro tecta est, quia perfecti quique iusti in hac vita, vbi needum palam de patre audire, id est needum palam patrem videre queunt, fidem & opus iustitiæ diuino ornant amore: per quem plenam Dei cognitionem mereantur attingere. Laminæ auri quibus operta est domus, operationes sunt multifariæ pietatis, quas in obsequium vel sui creatoris, vel fraternæ necessitatis, amor castus exhibet. Claui aurei quibus erant affixæ laminæ, ipsa sunt præcepta claritatis, per quæ in exercitio studioque virtutum ne deficiamus, donante Christi gratia continemur. Vnde bene de eisdem clauis in libro Paralipomenon scriptum est: *Sed & clauos fecit aureos* 2. Par. 3.
F *ita vt singuli claui siclos quinquagenos appenderent.* Quinquagenario namque numero, solet in scripturis remissio peccatorum, & gratia Spiritus sancti, & requies æterna figurari. Et quinquagenorum etsot siclorum claui singuli, quibus laminæ auri affigebantur in parietibus domus Domini. Quia nimirum verba cœlestia, quibus in amore bonorum operum proficimus, & conseruamur veniam nobis promittunt peccatorum, gratiam sancti Spiritus, & sabbatismum in futuro pollicentur æternum. Et hi quidem sunt claui dilectionis. Sunt vero alij claui timoris, quibus incipientes quique & needum ad perfectionem peruenientes, illecebras vitiorum, carnaliumque voluptatum mortificant. Illi videlicet sermones veritatis, quorum institutione carnem nostram crucifigere cum vitiis & concupiscentiis docemur: quas habere desiderabat Propheta, cum ait: *Confige clauis à* Ps. 118.
timore tuo carnes meas, à iudiciis enim tuis timui. Qui Ps. 72.
rursum ad perfectiora perueniens, dicit de clauis dilectionis: *Mihi autem adhærere Deo, bonum est.* [*Nihilque erat in templo quod non auro tegeretur. Sed & totum altare oraculi texit auro.*] Deaurata est quippe porticus G
ante templum, quia patres veteris testamenti, Deo per charitatem placuerunt. Deauratum est ipsum templum, quia eadem ipsa charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum sanctum qui datus est nobis. Deaurata est domus interior, quia in superna patria sola charitas regnat. Sed ibi eo verius & securius, quo præsens Rom. 5.
ipse Deus, qui est charitas, videtur. Ibi eo certius, quo ipse mediatur Dei & hominum, qui solus paternorum est conscius secretorum, velut arca Testamenti semper aspicitur. Quod autem cœnacula quoque tecta sunt auro, ad eundem sensum respicit. Sicut enim interior domus sancta sanctorum vbi erat arca, internam sanctorum vitam in conspectu sui conditoris & redemptoris significabat, iuxta illud Psalmistæ: *Abscondes eos in abscondito* Ps. 30.
vultus tui, à conturbatione hominum: ita cœnaculo in alto, eandem vitam, hoc est in cœlis esse, & non in hoc mundo designat, dicente Apostolo: *Quæ sursum* Col. 3.
sunt quærite, vbi Christus est in dextera Dei sedens. Quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. [*Et fecit in oraculo duos Cherubim de lignis oliuarum decem cubitorum* H
altitudinis.] Cherubim sicut propheta Iezechiel aperte declarat, Angelicæ dignitatis vocabulum est numeroque singulari Cherub dicitur, plurali Cherubim. Vnde aperte in figuris, Cherubim qui erant in oraculo facti Angelica ministeria quæ conditori suo in cœlis semper assistunt possunt intelligi. Qui rectè de lignis oliuarum facti esse perhibentur, quia nimirum virtutes Angelicæ gratia Spiritus sancti, ne vnquam ab amore Dei arescant, vnctæ sunt. Decem autem sunt cubitorum altitudinis: quia denario vitæ æternæ struuntur, habantes inuiolatam in se sui conditoris imaginem seruatam, perpetuæ sanctitatis ex iustitia & veritate, quam prima in conditione perceperunt. Denarius namque decem obolis constat, & continere in se nomen regis & imaginem consueuit. Quapropter & figuræ regni cœlestis aptissime congruit, vbi & Angeli sancti ad imaginem sui conditoris ad quam facti sunt semper ma-

nent,

A nent, & electi homines imaginem quam peccando amiserant, recipiunt. [*Quinque cubitorum ala Cherub vna & quinque cubitorum ala Cherub altera, id est decem cubitos habentes à summitate alæ vsque ad alæ alterius summitatem.*] Alæ cum in sanctorum hominum figura ponuntur, virtutes significant eorum, quibus ad cœlestia semper volare, atque in his conuersationem delectantur habere. Cum vero in significationem Angelorum ponuntur alæ, quid aptius quam gratiam demonstrant perpetuæ & indefectiuæ felicitatis eorum, qui semper in cœlestibus in ministerio sui persistunt autoris? Vel certe quia leuitate spiritalis naturæ sunt prædici: ita vt vbicumque voluerint statim quasi volando perueniant, & hic cum alis figurati, & Prophetis sunt cum alis ostensi. Bene autem dicitur, [*quia quinque cubitorum fuerit ala Cherub vna, & quinque cubitorum ala Cherub altera,*] quoniam virtutes Angelicæ legem Dei quæ in quinque libris descripta est, B indefessa deuotione custodiunt: diligendo videlicet Dominum Deum suum ex omnibus viribus suis, & proxi- Rom. 13. mos tanquam seipsos. *Plenitudo enim legis charitas est.* Proximi autem eorum, & ipsi adinuicem, sunt Angelici spiritus, & homines electi eorum æqui conciues. Cherub vnus & vtraque ala, eiusdem mensuræ perhibetur: quia videlicet eadem ipsa deuotione qua sese alterutrum in Deo diligunt: nostram quoque ad se ascendentium societatem desiderant. Sicque simul alæ decem cubitos complent, cum in geminæ charitatis exhibitione, Angeli de conditoris sui præsentia lætantur. [*Decem quoque cubitorum erat Cherub secundus mensura pari, & opus vnum erat in duobus Cherubim, id est, altitudinem habebat vnus Cherub decem cubitorum: & similiter Cherub secundus.*] Duo erant facti Cherubim, propter consortium eiusdem de qua loquimur charitatis significandum, quia minus quam inter duos charitas stare non potest. Vnde & Saluator binos ad prædicandum Discipulos mittere curauit, vt tacite doceret eos C qui verbum fidei prædicarent, virtutem dilectionis ante omnia esse tenendam. Vniusque mensuræ & operis erant duo Cherubim, quia disparilitas voluntatum siue cogitatuum in superna patria nulla est: vbi vna omnes eademque Dei præsentis visione & gloria illustrantur. [*Posuitque Cherubim in medio templi interioris. Extendebant autem alas suas Cherubim, & tangebat ala vna parietem, & ala Cherub secundi tangebat parietem alterum: alæ autem alteræ in media parte templi se inuicem contingebant.*] Manifestum est ex his quæ prædicta sunt, quare Cherubim in medio templi interioris sint positi: quorum habitatio est semper in cœlis. Extendebant autem alas Cherubim quasi ad volandum, quia spiritus Angelici semper habent animum, ad obsequium diuinæ voluntatis paratum. Quod vero ala vna tangebat parietem, & ala Cherub secundi alterum parietem, ad illam charitatis administrationem quam nobis exhibent Angeli pertinent. Quod alæ alteræ in medio templi se inuicem contingebant, eam dilectionis gratiam qua D se alterutrum complectuntur exprimit. Bene autem sequitur. [*Texit quoque Cherubim auro, & omnes parietes templi per circuitum sculpsit variis cælaturis & torno. Et fecit in eis Cherubim & palmas & picturas varias, quasi prominentes de pariete & egredientes. Sed & pauimentum domus texit auro intrinsecus & extrinsecus. Et in ingressu oraculi fecit ostiola de lignis oliuarum, postesque Angulorum quinque, & duo ostia de lignis oliuarum. Et sculpsit in eis picturam Cherubim & palmarum species, & anaglypha valde prominentia, & texit ea auro, & operuit tam Cherubim quam palmas & cætera auro. Fecitque in introitu templi postes de lignis oliuarum quadrangulares, & duo ostia de lignis abiegnis altrinsecus, & vtrumque ostium duplex erat, & se inuicem tenens aperiebatur. Et sculpsit Cherubim & palmas, & cælaturas valde eminentes, operuitque omnia laminis aureis opere quadro ad regulam.* Et reliqua. *Texit*, inquam, *Cherubim auro*, quia & naturam eorum conditor immortali claritate sublimauit, & mentem vera dilectionis atque humilitatis luce repleuit. Notandum

sane quod Moyses dum tabernaculum faceret, fecit & E duos Cherubim aureos quos posuit in propitiatorio, quod erat super arcam. Salomon autem addidit alios duos multo maiores quos in templo poneret, sub quorum alis arcam in medio poneret, cum propitiatorio, & Cherubim prioribus. Sicque factum est, vt in tabernaculo quidem essent Cherubim duo, in templo autem quatuor: ad vnam vero eandemque significationem vtrique pertinent. Sed repetitum est opus, atque augustius factum per Salomonem, vt typice doceretur, quia multiplicata post incarnationem dominica Ecclesia, latius esset de gentibus sublimitas cœli ciuium pandenda: qui sic conditorem de collato sibi munere beatitudinis collaudant, vt de nostra quoque ereptione ad eandem beatitudinem introductione congaudeant. [*Extendunt enim alas adinuicem super arcam.*] Cum ad laudem domini Saluatoris, referunt bonum omne quod acceperunt. [*Extendebant alteras alas ad parietes oraculi.*] Cum sanctos etiam F homines secum videre lætantur, eosque quo volunt alarum suarum summitatibus tangunt, quos consortes atque imitatores fuisse in hac vita suæ puritatis exultãt. [*Duos autem æque parietes alis suis tangunt,*] quia fideles vtriusque populi, Iudæi scilicet & gentilis, possessores secum habent aulæ cœlestis: non quod in illa patria distinctio localis inter vtrumque populum, sed quia maior fiat festiuitas internæ beatitudinis, de cõsortio adunatæ in Deo fraternitatis. [*Extendunt ergo Cherubim ad vtrumque parietem oraculi alas suas,*] quia lætantes in cœlesti patria iustos vtriusque plebis, visione quoque suæ gloriæ ad laudem sui creatoris excitant. Non solum de illorũ quos secum intus habent hominum iustorum felicitate lætantur agmina cœlestia, verumetiam nostri qui foris adhuc positi de profundis ad Dominum clamamus, curam gerunt sedulam. Vnde bene de eisdem Cherubim in libro Paralipomenon scriptum est: Ipsi autem stabant erectis pedibus & facies eorum versæ erant ad exteriorem do- G mum. Quia nos ab huius ærumna peregrinationis ereptos, ad suum desiderant peruenire consortium. [*Sic ergo pedibus stant erectis: sic alas suas auro tectas ad oraculi parietes extendunt, vt facies habeant ad domum versas exteriorem.*] quia sicut Angeli suam perpetuo innocentiam conseruant, sic de animarum sanctarum in cœlis beatitudine congaudent, vt eis quoque quos in terris adhuc peregrinari conspiciunt electis opem ferre non desinant: donec & illos ad cœlestem patriam introducant. Omnes enim sunt administratorij spiritus in mi- Heb. 1. nisterium missi, propter eos qui hæreditatem capiunt salutis.

Possunt etiam per duo Cherubim, duo testamenta figurari, *qui nimirum Cherubim in oraculo sunt facti,*] quia in consilio diuinæ prouisionis nobis vtique inaccessibili atque incomprehensibili, ante secula dispositum est quando & qualiter quibusve autoribus, sacræ Scripturæ conderentur. [*De lignis oliuarum sunt facti,*] quia lucem nobis scientiæ tribuunt, iuuante flamma charitatis Dei, H qui per Spiritum sanctum diffunditur in cordibus nostris. [*Decem cubitis sunt alti.*] quia per obseruantiam decalogi legis Deo seruiendum prædicant quia Deo fideliter seruientes Denario, remunerandos esse regni perpetuitate ostendunt. [*Geminas habent alas,*] quia testamentis sui conditoris per aspera æque vt prospera: indefesso suis auditoribus animo gradiendum esse demonstrant. [*Quinque cubitorum ala Cherub vna, & quinque cubitorum ala Cherub altera,*] quia in omni labentium rerum varietate, sancti vniuersos sui corporis sensus, in obsequium sui conditoris extendunt. [*Et vnum opus erat in duobus Cherubim,*] quia vtriusque testamenti scriptores, vna eademque castitate operis, & charitatis deuotione Domino seruiebant, vna & consona Domini voce ac fide prædicant. [*Alæ igitur Cherubim interiores super arcam se inuicem constringebant,*] quia testamenta pari de Domino attestatione consentiunt. Item alis exterioribus iste vnum parietem, ille alterum contingebant, quia vetus testamentum proprie antiquo Dei populo

scriptum

A scriptum erat, nouum vero nobis, qui post incarnationem dominicam ad fidem venimus. Et secundo parieti, hoc est septentrionali recte comparamur, quibus post frigora ac tenebras idololatriæ, lucem veritatis agnoscere datum. [*Vestes habent facies Cherubim ad exteriorem domum,*] quia nostri gratia qui adhuc foris stamus, neque reipsa, sed spe salui facti sumus (diuini sunt libri conditi: quia scriptores eorum iam regnantes cum Deo, illum collaudant in cælis, curam nostræ gerunt salutis, proque nostris erratibus apud eius pietatem interpellant. [*Et omnes parietes templi per circuitum scalpsit variis cælaturis & torno.*] Omnes parietes templi per circuitum, omnes sanctæ Ecclesiæ populi sunt, quibus super fundamentum Christi locatis, totius ambitum orbis repleuit. Cœptumque fidei ædificium, quotidie noua membrorum suorum progenie, quasi lapidum pretiosorum appositione, superaugmentare non desistit. Qui nimirum parietes variis cælaturis sculpuntur, cum alij datur per spiritum sermo sapientiæ, alij sermo scientiæ secundum eundem spiritum, alteri fides in eodem spiritu, alij gratia curationum in vno spiritu, alij operatio virtutum, alij Prophetia, alij discretio spirituum, alij genera linguarũ, alij interpretatio sermonum. Et vt ad illas veniamus, quas omnes habere valemus virtutes, charitas, gaudium, pax, longanimitas, patientia, benignitas, bonitas, fides modestia, continentia & cæteri fructus spiritus, quid nisi cælaturæ sunt parietum templi? quia ornatus sunt mentium populi Dei. Sculpuntur iidem parietes & ad patiendum, cunctaque promittunt, dicentes ex animo per singula quæ occurrunt: *Benedicam Dominum in omni tempore.* Et, *Paratum cor nostrum Deus paratum cor meum, cantabo & psallam in gloria mea Domino.* [*Scalpuntur torno,*] cum intantum virtutibus operam impendunt, vt ab harum tramite nullis circumstantium rerum contrarietatibus, nullis possint blandimentis auerti. Quia enim tornatura cæteris artibus velocitate præcellit, & ipsa sibi regulam qua sine errore opus perficiat seruat: apte per hanc pia sanctorum vita signatur, quæ & parata est semper ad obsequium diuinæ voluntatis: & hoc absque diuerticulo errandi complere, longo virtutum didicit vsu exercitata. [*Et fecit Cherubim in eis & palmas, & picturas varias, quasi prominentes de pariete & egredientes.*] Cherubim namque in parietibus templi facit Salomon, cum electos suos Dominus ad regulam scripturarum sanctarum (in quibus est multitudo scientiæ) vitam suam dirigere donat. Cherubim facit, cum eos in

(1.Cor. 12.) (B) (Ephe. 5.) (Psal. 33.) (Psal. 107.)

C hoc mundo castitatem Angelicæ conuersationis, pro modulo suo docet imitari: quod maxime vigiliis ac laudibus diuinis, dilectione syncera conditoris & proximi geritur. Palmas facit, cum memoriam æternæ retributionis eorum mentibus infigit: vt eo minus ab arce iustitiæ labi queant, quo mercedem iustitiæ semper ante oculos habeant. Facit picturas varias quasi prominentes de pariete & egredientes, cum multifarias virtutum operationes fidelibus tribuit. Verbi gratia: viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, patientiam, modestiam, [*Sed & pauimentum domus texit auro intrinsecus & extrinsecus.*] Intrinsecus & extrinsecus, in oraculo & in ipso templo significat. Texit ergo Salomon pauimentum domus auro intrinsecus & extrinsecus, quia rex noster pacificus & Angelos atque animas iustorum in cælis perfecte ac plenarie donis dilectionis, à cæterorum mortalium visione secreuit. [*Et in ingressu oraculi fecit ostiola de lignis oliuarum, postesque Angulorum quinque, & duo ostia de lignis oliuarum.*

D Quod primo dixerat, fecit ostiola de lignis oliuarum, hoc ipsum videtur apertius explicare voluisse cum adiunxit: & duo ostia de lignis oliuarum. Vnus quippe erat ingressus oraculi: sed idem ingressus duobus ostiis claudebatur. Rursumque reseratis eisdẽ aperiebatur: sicut etiam templum. Sicut porticus ante templum, vnum non amplius habebat introitum. (Ephes. 4.) Certi vtique causa mysterij, quia *vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma, vnus Deus.* Vnus in seculum præsens per baptisma, vnus in regnum cœleste per opera fidei est sperandus introitus. Nam quod vnus esset ingressus oraculi, testatur hoc inferius de arca scriptum est: [*Cumque* (E) (3.Reg. 8.) *eminerent vectes, & apparerent summitates eorum, foris sanctuarium ante oraculum, non apparebant vltra extrinsecus, qui & fuerunt ibi vsque in præsentem diem. In arca autem non erat aliud, nisi duæ tabulæ lapideæ, quas posuerat in ea Moyses in Horeb, quando pepigit Dominus fœdus cum filijs Israel cum egrederentur de terra Ægypti,* &c. Vbi patenter (ni fallor) ostenditur, quod vnus erat ingressus oraculi: & hic è regione factus arcæ, quæ in medio eiusdem stabat oraculi. Cuius ingressus ostiola, per significationem multifarie possunt accipi. Nam & Angelicos spiritus quorum ministerio inhabitationem patriæ cœlestis introducimur, aptissime designant. Et Apostolorum æque, Apostolicorumque virorum, quibus claues regni cœlorum sunt datæ, tenent figuram: qui accepta à Domino potestate ligandi atque soluendi, & dignos intra regni ianuam admittunt, & contumaces, impuros, ac superbos, excommunicando, siue anathematizando, ab ingressu vitæ perennis eliminant: (F) Sed & opera iustitiæ, quorum merito ad regnum cœleste peruenitur, recte per ostia (per quæ in Sancta Sanctorum Pontifex ingrediebatur) possunt typice designari: iuxta hoc quod in lib. Sapientiæ scriptum est: (Sap. 6.) *Custoditio autem legum, consummatio incorruptionis est: incorruptio autem facit esse proximum Deo. Concupiscentia itaque sapientiæ deducet ad regnum perpetuum.* Quibus omnibus apte congruit, quod eadem ostiola de lignis fiunt oliuarum, quia nimirum & Angeli & homines perfecti, fructu misericordiæ & operibus lucis, sese in domo Dei gloriosos exhibent: imo omnes electi per arma lucis & pietatis, aditum sibi patriæ cœlestis aperiunt. Duo autem sunt ostiola siue quia Deum ac proximos diligunt & Angeli & omnes sancti, neque vllus ianuam vitæ, nisi per geminam hanc dilectionem poterit intrare: siue quia vtriusque populi fidelibus, & Iudæi scilicet & gentilis, eadem vitæ ianua reseratur. Postes Angulorum quinque, quia non solum animas electorum aula cœli recipit, sed & corporibus immortali gloria præditis, in iudicio suas fores aperit. [*Et sculpsit in eis picturam Cherubim & palmarum species, & anaglypha valde prominentia, & texit ea auro, & operuit tam Cherubim quam palmas & cætera auro.*] Anaglypha Græce, quæ Latinæ dicuntur cælaturæ: quia virtutum operibus (quæ per totum orbem Ecclesia in sanctis suis ac perfectis exercet) illi præcipue, quibus fidelium cura commissa, & claues regni cælorum sunt datæ, omni debeant solertia insistere, vt quantum gradu præeminent cæteris, tantum & merito præcellant bonæ actionis. Habent namque in se picturam Cherubim sculptam, cum (G) Angelicam in terris vitam (quantum mortalibus possibile est) & mente imitantur & opere. Habent palmarum species, cum dona supernæ retributionis fixa semper intensione meditantur. Palma namque, manus victricis ornatus est. (H) Habent anaglypha valde prominentia, cum certissima bonorum operum documenta, & quæ nemo in sinistram partem interpretari vllatenus valeat, cunctis sese intuentibus ostendunt. Et hæc omnia sunt auri laminis operta, cum (sicut sæpe dictum & semper dicendum est) cæteris virtutum floribus specialius in magnis Ecclesiæ membris, fulgor supereminet amoris. His ostiolis etiam velum fuisse additum, verba dierum narrant: (Paral. 3.) *Fecit quoque velum, inquit, ex hyacintho, purpura cocco, & bysso, & intexuit ei Cherubim*: quod decoris quidem gratia factum est, vt inter parietes deauratos etiam holosericum fulgeret. Sed in eiusdem mysterij, cuius & ostiola, congrua significatione, ante arcam atque ingressum oraculi appensum, vt sicut ostiola congruis horis aperiebantur, licet velum reuelaretur quoties adueniret, quibus in sancta sanctorum esset ingrediendum. Huius ergo veli sedula reuelatio, secundum legem apertionem significat regni cœlestis, quæ nobis per incarnationem Domini & saluatoris nostri donata est. Vnde & baptizato eo, cœli aperti sunt, vt ostenderetur quia per baptisma quod nobis ipse consecrauit, ianuam patriæ cœlestis deberemus ingredi. (Matt. 3.) Et moriente illo in cruce, idem velum scissum est medium, à summo vsque deorsum

A sum, vt aperte doceretur, quia figuræ legales iam tunc ad fidem venissent, ac veritas Euangelij arcanaque cælestia & ipse cæli ingressus, non adhuc prophetandus ac figuraliter significandus: sed iamiamque esset proxime omnibus aperiendus, qui ab initio mundi vsque ad id temporis in fide veritatis de mundo transierunt. Bene idem velum, sub quo in oraculum intrabatur, ex hyacinto, purpura, cocco, & bysso factum esse, ei quoque Cherubim intexti esse memorantur. Hyacinthus quippe qui cæli colorem imitatur, supernorum desideriis apte comparatur. Purpura quæ sanguine conchiliorum conficitur, & sanguineam ipsam præfert speciem, non immerito sacramentum dominicæ significat passionis: quod nos intueri crucem nostram portando debemus. Cocco, quod rubeo colore flammescit, congrue virtus exprimitur amoris. De quo mirantes dixere qui cum
Luc. 24. Domino ambulauerant discipuli, *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, & aperiret*
B *nobis scripturas?* Byssus quæ de terra virenti germine nascitur, & longo artificum exercitio natiuum exuit virorem, atque ad albentem perducitur speciem, congrue castigationem carnis nostræ insinuat: cuius quasi humo-
Colos. 3. rem ingentem exiccari iubet Apostolus, dicens: *Mortificate membra vestra quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam, & auaritiam, quæ est simulacrorum seruitus.* Ad quantam vero candoris gratiam hanc velit perduci, alias
Rom. 12. ostendit: dicens: *Obsecro vos fratres per misericordiam Dei, vt exhibeatis corpora vestra, hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem: rationabile obsequium vestrum.* Intexuntur Cherubim eidem, quod quatuor eximiis coloribus conficitur, cum virtutes, quæ pie agimus à venenatis dæmonum telis, per angelica præsidia domino donante protegimus. Intexuntur vero Cherubim, cum in bonis quæ agimus, multitudine scientiæ indesinenter vtimur respicientes semper ad eloquia diuina: & ne forte à virtutum calle aberremus, horum intuitu continuo ve-
C stigia nostra regimus. [*Fecitque in introitu templi postes de lignis oliuarum quadrangulatos, & duo ostia de lignis abiegnis altrinsecus, & vtrumq; ostium duplex erat, & se inuicē tenens aperiebatur.*] Sicut ingressus oraculi quo ad arcam domini Cherubimq; perueniebatur, introitum significat regni cœlestis, quo, ad visionem nostri conditoris supernorumque ciuium nos introduci speramus, ac desideramus: ita introitus in templum, primordia nostræ structuræ ad Deum conuersionis, quando in præsentem Ecclesiam ingredimur, typice demonstrat. Iste ingressum nostrum ad fidem: ille designat ad speciem. Vnde apte postes huius introitus quadrangulati sunt facti, siue propter quatuor S. Euangelij libros, quorum doctrina in fide veritatis erudimur, seu propter totidem virtutes principales, prudentiam, fortitudinem temperantiam, iustitiam, quarum velut fundamine quodam firmissimo, omnia bonorū actuū structura innititur. Prudētia est nāque qua discimus quid nos agere, qualiter viuere deceat. Fortitudo, per quam ea quæ agenda didicimus, implemus.
D Quas vno versiculo virtutes, Propheta breuiter comple-
Psal. 26. ctitur, dicens: *Dominus illuminatio mea & salus mea.* Illuminatio videlicet, vt quæ agere debeamus, doceat. Salus vero, vt ad hæc nos peragenda confirmet. Temperantia est, qua discernimus, ne plus aut minus iusto, prudentiæ siue fortitudini operam dare inueniamur. Et quia quisquis prudentia ac fortitudine temperanter vtitur, absque vlla contradictione iustus, esse probabitur. Virtus quarta post prudentiam, fortitudinem, & temperantiam, iustitia sequitur. Duo ostia quæ in hoc ingressu facta sunt, dilectio est Dei & proximi. Quæ bene altrinsecus facta esse dicitur, quia ad inuicem respiciunt, adeo vt vna si-
1. Ioan. 5. ne altera nequaquam possit haberi. *Omnis enim qui credit, quoniam* IESVS *est* CHRISTVS, *ex Deo natus est. Et omnis qui diligit eum qui genuit, diligit eum qui natus est*
1. Ioan. 4. *ex eo.* Et sicut iterum dicitur: *Qui non diligit fratrem suum quem videt, Deum quem non videt quomodo potest diligere?* Vnde recte ostium exterius dilectio fraterna, interius est dilectio intelligenda diuina, quia illa prior tempore, hæc diuinitate sublimior. Et per illam ad hanc
E initatur, quia in amore proximi discitur, qualiter amari conditor debeat. Notandum sane quod in ingressu oraculi, duo quidem fuisse ostia dicuntur. Sed hæc duplicia fuisse non dicuntur. In templi vero, id est, domus prioris introitu, ita erant duo ostia, vt duplexa esset vtrumque. Quia nimirum in præsenti Ecclesia, talem nos ingredi ac ducere vitam necesse est, in qua dilectionem Dei & proximi per fidem & operationem, per patientiam & benignitatem seruemus. In futura autem vita vbi Deum & proximos in luce æternæ beatitudinis videbimus, eandem vtique dilectionem gemina, absque vllo prorsus labore, imo in magna multitudine diuinæ dulcedinis fruemur. Vnde apte introitus interioris domus, duo quidem ostia: sed hæc simplicia habebat Non enim ibi fides necessaria est, vbi ea quæ nunc credimus ac speramus, omnia manifesta luce videbimus. Non labor operum necessarius, vbi mercede perpetua eorum
F quæ hic laboramus donabimur. Non necessaria patientia, vbi nemo aduersi aliquid irroget. Non munificentia benignitatis, vbi nemo indiget, opus est.

Hæc de ostiorum figura pro modulo nostro, sequentes patrum vestigia disseruimus. Verum iuxta formam ipsius operis, decori gratia prouisum est, vt in vno eodemque templi ingressu, duo essent ostia. Necesse etenim erat parietes domus, quæ centum viginti cubitos habebant in altitudine, nonnullos etiam grossitudinis cubitos habere, in cuius nimirum grossitudinis extrema parte ostia erant affixa, ita vt æquale parieti esset ostium vtrumque, & siue intus siue foris templum quisque positus ostium inspiceret, vnus ei per omnia paries esse videretur. Similiter & cedrinus paries cum vicenorū in longitudine & altitudine esset cubitorum, non paruam & ipse debuit habere grossitudinem. Quapropter & huius ingressu duo facta sunt ostia, vt videlicet ab vtroque latere, hoc est, & intus & foris æquale parieti ostium pateret: & quo per easdem picturas ostiorum, quas & pa-
G ries habebat, veraciter vnus per omnia & continuatim extentus paries videretur: vnum decoris gratia prætendens, aliud ministerij dispensationem præfigurans. Quod vero de sculptis templi ostiis sequitur: [*Et sculpsit Cherubim & palmas, & cælaturas valde eminentes, operuitque omnia laminis aureis, opere quadro ad regulam.*] Quia nimirum eadem arcana fidei, spei, & charitatis, quæ sublimes quique ac perfecti sublimiter capiunt, quæque omnes electi plene diuina visione percipiunt, etiam catechizandis rudibus pro suo cuique captu discenda & confitenda traduntur: quatenus sacris initiati mysteriis, quandoque etiam ad capienda ea quæ pie credidere, perueniant. [*Et ædificauit rex Salomon atrium interius tribus ordinibus lapidum politorum, & vno ordine lignorum cedri.*] De interiori atrio breuiter loquitur, de exteriori prorsus tacere videtur. Verum in verbis dierum vtriusque fit mentio, vbi ita scriptum est. *Fecit* 2. Par. 4.
etiam atrium sacerdotum, & basilicam grandem, & ostia in basilica quæ texit ære. Atrium vero interius, quod
H vocatur sacerdotum, eo quod sacerdotes & leuitæ in eo ministrarent, ex omni parte erat templo circumdatum. Sed ab oriente eiusdem templi, erat ingressus multo longius à templo, quam à cæteris tribus plagis secretus: quia nimirum in ea plaga, id est, in facie templi, fiebant ministeria sanctorum, ibi altare æneum ad hostias Domino offerendas, ibi decem luteres ad lauandas easdem hostias, ibi mare æneum erat positum ad lauandas manus pedesque sacerdotum. Habebat autem hoc atrium trecentos cubitos altitudinis (vt Iosephus narrat) quatenus ab ingressu templi cæteros prohiberet, & solis sacerdotibus hoc licere significaret. Eratque ei ianua ad orientalem plagam, ad quam vsque populus hostias suas & sacrificia inferebat, inde suscipienda a sacerdotibus atque ad altare proferenda. De exteriori vero atrio, quod verba dierum basilicam grandem vocant, ita scribit Io-
sephus, Extrinsecus autem huius templi, aliam ædificauit aulam quadranguli schemate factam. Erigens maxi- Iosephus
mas porticus atque latas, & portas excelsas & amplas

A per quatuor mundi partes in eo continens, quarum singulæ ad vnumquemque ventum quatuor angulis attendebant, vbi aureas ianuas collocauit. Et paulo post: in hoc ergo sacrarium, omnes populi quibus purgatio & obseruatio legitimorum inerat introibant. Has vero porticus, Cassiod. Cassiodorus senator, in pictura templi quam in pandectis posuit (vt ipse in Psalmorum expositione commemorat) triplici ordine distinxit. Primum videlicet ordinem ponens, extra atrium sacerdotum ex omni parte per quadrum. Secundum, eodem modo extra intimas porticus, vndique versum in gyro. Extremum, similiter ex omni latere priorum porticuum in circuitu. Sicque templum triformi ædificiorum præsidio, ab omni erat parte munitum: facto pauimento sub diuo, inter ædificia singula de marmore & parietibus domorum interioribus, hoc est, eis qui ad templum respiciebant factis in columnis exterioribus vero solidis. Sicque fiebat, vt omnis structura templi per graduum esset varietatem, ra-B tionabiliter distincta. Namque in sancta sanctorum ingrediebatur pontifex, in ipsum templum sacerdotes purificati: in atrium sacerdotum, sacerdotes purificati: & non purificati vna cum leuitis & cantoribus: in intimum atrium basilicæ maioris, viri Iudæi purificati stantes & orantes sub diuo, si serenum esset: si tempestas, in porticus proximas sese recipientes. In exterius atrium mulieres viduæ purificatæ. In extremum atrium gentiles & Iudæi, qui nuper venerant ex gentibus vsque ad sextum purificationis diem, hæc vt in pictura Cassiodori distincta reperimus breuiter annotare curauimus: rati eum ab antiquis hæc Iudæis didicisse, neque virum tam eruditum voluisse exemplum legendi proponere, quæ non ipse prius vera esse cognouisset. Hæc sunt loca, quorum meminit supremus graduum Psalmus, qui ita incipit: *Ecce nunc benedicite Domino omnes serui Domini, qui statis in domo Domini, in atriis do-* Psal. 133. *mus Dei nostri.* In his porticibus Ieremias & prophetæ alij, in his Dominus & Apostoli, verbum populo præ-C dicabant. in horum aliqua Dominus sedebat docens, quando à tentantibus Pharisæis mulier illa adultera iudicanda oblata est. In his inuenit vendentes & ementes, oues, Ioan. 8. Matth. 21. boues, & columbas: hosque cum suis mercimoniis eliminauit è templo. Et his Petrus & Ioannes claudum in- Act. 3. Luc. 1. uenientes sanarunt, ac secum ingredientes interius adorandum duxerunt. In his orabat omnis multitudo populi, quando incensum ponenti Zachariæ Angelus ad altare thymiamatis apparuit, eumque de præcursoris Domini natiuitate perdocuit. Non autem hæc atria cum porticibus suis aspectū templi de longe aspectantibus abscondere potuerunt: quia locus in quo templum erat situm, multum sublimior erat, quam vbi fundatæ porticus fuere. Nam sicut Iosephus scribit, extremæ atriorum fabricæ, cum in quadringentis cubitis essent erectæ tantum ad verticem vsque montis in quo templum ædificatum est, peruenerunt. Hæc quidem de structura templi, studioso lectori credidimus intimanda, verum in eis quæcunque scriptura sacra referre commodum du-D xit, figuras mysteriorum quæramus, cæteris pro historiæ cognitione simpliciter vtamur. Ædificium ergo templi intra atrium Sacerdotum, perfectorum in sancta Ecclesia & sublimium vitam exprimit virorum, eorum videlicet qui & excellentia virtutum Domino appropinquare, & aliis verbo atque opere ducatum solent ostendere salutis. Sacerdos namque ab eo Latine nomen accepit, quod sacrum præbere dicatum minoribus debeat: quo nomine in scripturis mystice non solum altaris ministris, Episcopi videlicet & Presbyteri, sed & omnes vtique censentur qui altitudine rectæ conuersationis, ac doctrinæ salutaris eminent: nec sibimetipsis tantummodo, sed & pluribus prosunt: qui dum corpora sua hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem, exhibent: Sacerdotes tale profecto ministeriū spiritualiter exercerent. Neq; enim Rom. 12. Episcopos solum & Presbyteros; verum omni Ecclesiæ loquebatur Apostolus Petrus cùm ait: *Vos autem genus ele-* 1. Pet. 2. *ctum, regale Sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis.* Cuius honore dignitatis, etiam antiquus populus Dei

E erat insignitus, dicente ipso ad Moysen: *Hæc dices domui Iacob, & annunciabis filys Israel.* Et paulo post: *Et vos eri-* Exod. 19. *tis mihi in regnum sacerdotale, & gens sancta.* Basilica vero grandis quæ erat extra atrium Sacerdotum, in quo omnis populi multitudo adorare, siue ad verbum audiendum confluere solebat, carnalium in sancta Ecclesia vitam moresque figuraliter insinuat. Qualibus dicit Apostolus, *Et ego fratres non potui vobis loqui quasi spiritalibus, sed qua-* 1. Cor. 3. *si carnalibus: tanquam paruulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam.* Qui bene per basilicam grandem designantur, quia absque vlla dubietate multo maior est, in sancta Ecclesia talium quam perfectorum numerus. Sed quantum numero præstant, tantum succumbunt merito. Vnde apte basilica hæc grandis etsi plurimos capit, non eos tamen in interiora templi deaurati, non ad altaris officium, non in ipsum saltem atrium Sacerdotum intromittit: quia carnales quique atque infirmi adhuc in Ecclesia, etsi ob meritum castæ fidei ac pietatis Domino F deuotæ ad electorum sortem pertinent, longe tamen abest vt illis æquentur, qui cum fiducia proloquuntur. Non enim audeo aliquid loqui eorum quæ per me non efficit Christus in obedientiam gentium, verbo & factis. Et iterum: *Bonum certamen certaui, cursum consumma-* Rom. 15. 2. Tim. 4. *ui, fidem seruaui: De cætero reposita est mihi corona iustitiæ.* Accedebat quidem vulgus vsque ad atrium Sacerdotum, hostias suas advsque huius ianuam deferebat, susceptas à Sacerdotibus, atque in altari oblatas, oculis prosequebatur. In ipsum etiam templum cum aperiebatur intuitum suum à longe dirigebat, nec tamen atrium Sacerdotum intrandi facultatem habebat. Verum de inferioribus clamabat ad Dominum, quia nec carnalium in Ecclesia simplicitas à Domino despicitur, quando fideliter ea quæ valent illi voto pietatis offerunt. Dirigunt enim visus a longe in templo Dei, cum vitam sublimium discere, & admirari sedulo gaudent: & quos virtutis imitatione sequi nequeunt, piæ venerationis complectuntur affectu. Vident hostias Sacerdotum in altari igne sacro sanctoque G consumi: quia magnorum opera cognoscunt à Domino per spiritum sanctum dignanter accipi. Afferunt & suas hostias ad atrium Sacerdotum offerendas Domino pro illis: dum bona quæ præualent operantes, maiorum ac doctorum: & confirmantur exhortatione & intercessione Domino commendantur. Offerunt etiam tunc hostias suas Sacerdotibus per eos Domino commendandos, cum sanctis quibusque egentibus necessaria mundi huius, quibus ipsi abundant, summæ mercedis intuitu, Domino tribuunt admonente ac dicente: *Facite vobis amicos de mā-* Luc. 16. *mona iniquitatis, vt cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Bene atrium Sacerdotum tribus ordinibus lapidum politorum, & vno ordine lignorum cedri ædificatum esse memoratur. Tres quippe ordines sunt lapides politorum, fides, spes charitas. Et recte politorum, quia certa necessaria est dicendi solertia qua quisque quomodo credere, quid sperare siue diligere debeat dignoscat, vnus autem ordo lignorum cedri, ipsa est bona operatio, ac sine corruptione simulationis exhibita, sine H cuius superadiectione, fides, spes, charitas, vera esse non valet. Dictum namque est sæpius, quod ligna cedri propter odoris gratiam & imputribilem suæ naturæ potentiam, perseuerantiam famamque pie designant actionis. At hoc atrium vsque vniuersi conscendunt electi, qui fide, spe, dilectione, atque opere Deo placere appetunt, hoc atria meritorum gratia transcendunt perfecti, cum in tanto virtutum culmine proficiunt, vt dicere suis auditoribus possint: *Imitatores nostri estote, sicut & nos Christi:* glo- 1. Cor. 4. riantur & dicunt. *Nescitis quoniam angelos iudicabimus,* 1. Cor. 6. *quanto magis secularia?* [*Anno quarto fundata est domus Domini, in mense tertio, & in anno vndecimo mense Bul, ipse est mensis octauus, perfecta est Domus in omni opere suo, & in vniuersis vtensilibus, ædificauitque eam annis septē.*] Patet allegoriæ sensus, quare domus Domini ædificata, sit annis septem, quia nimirum sancta Ecclesia, toto huius seculi tempore, quod septem dierum circuitu peragitur, ex electis constituitur animabus? & in fine seculi suum quoque crementum ad finem ipsa perducit: vel certe,

septem

A septem annis ædificatur, ob significationem gratiæ spiritalis, per quam Ecclesia solum vt sit Ecclesia percipit septem quippe dona Spiritus sancti enumerat Isaias, sine quibus nemo vel fidelis effici, vel fidem seruare, vel merito fidei, ad coronam potest peruenire iustitiæ. Quod autẽ in octauo anno, & in octauo eius mense, perfecta est domus in omni opere suo, & in vniuersis vtensilibus, ad futurum seculum diemque iudicij pertinet: quando ad tantam iam perfectionem sancta Ecclesia perueniet, vt quod ei amplius addici possit inueniri non possit: habebit enim tunc quod pius ille desiderator supplex a Domino Ioan. 14. quærebat, dicens: *Domine ostende nobis patrem & sufficit nobis*. Sed non contemnenda nascitur quæstio, quomodo dicatur domus Domini in mense octauo perfecta in omni opere suo, & in vniuersis vtensilibus, cum in sequentibus legatur, mense septimo dedicationem esse eius completam. Neque autem credibile est, quod septem quidem annis templum ædificauerit Salomon, octauo mense octaui anni perfecerit, sed vsque septimum B annum noui mensis dedicationem perfectæ distulerit. Vnde potius verisimile videtur domum septem annis, ac septem mensibus ædificatam, ita vt eodem mense septimo dedicationis sit celebrata solennitas, ac die vicesimo tertio ipsius mensis (vt verba dierum narrant) populos Salomon ad tabernacula sua dimiserit. Sicque post vnam septimanam adueniente mense octauo, perfecta inuenta sit domus Domini, & operibus videlicet eius in vniuersis, & ipsa dedicatione prius completa. Nisi forte putandum est, prædicto templo aliquid adhuc vtensilium in ministeria eius additum fuisse: vtque ad ingressum octaui mensis, accelerante rege, vt omnino mense septimo (qui erat totus solemnis) templum dedicaretur: atque ita verum reperiatur vtrumque & templum videlicet octauo mense in opere suo atque vtensilibus perfectum, & in ipso septimo mense dedicatum.

C CAP. VII.

M*isit quoque Rex Salomon & tulit Hiram de Tyra, filium mulieris viduæ ex tribu Neptali patre Tyrio, artificem ærarium, plenum sapientia, & intelligentia & doctrina ad faciendum omne opus ex ære. Qui cum venisset ad regem Salomonem, fecit omne opus eius.*] Et hoc mysterij gratia factum est: Artifex quippe Tyrius quem adiutorem Salomon sui assumpsit operis, electos de gentibus verbi ministros significat. Qui videlicet artifex pulchre dicitur quia filius erat mulieris viduæ de Israël, in qua persona solet nonnunquam præsentis temporis Ecclesia figurari: pro qua vir suus videlicet Christus morte gustata resurrexit, atque in cœlos ascendens, eam interim peregrinantem à se, reliquit in terris. Non autem laborandum in esplanando, quomodo huius viduæ filij sancti sunt prædicatores, cum omnes electi se filios fateãtur Ecclesiæ, cum etiam de eis prædicatoribus noui Testamenti, specialiter Ps. 44. ei promittatur dicẽte Propheta: *Pro patribus tuis nati sunt* D *tibi filij, constitues eos principes super omnem terram.* [*Fecit autem Hiram omne opus Salomonis.*] Quia nimirum doctores sancti, dum ministerio verbi fideliter insistunt, opus vtique Dei operantur. Quoniam illis loquendo foris vitam veritatis apetiunt, quos intus illustrando ipse 1. Cor. 3. ad vitandum præordinauit æternam. *Ego* (inquit) *plantaui Apollo rigauit, Deus autem incrementum dedit.* [*fecit hoc opus ex ære.*] quia illis committere verbum quærit doctor strenuus, qui hoc pie suscipere, ac perseueranter custodire desiderant, quique etiam aliis prędicando latius diffamare, quæque ipsi didicerint recta, satagunt. Æris namque metallum valde esse durabile constat, atque omnimodo sonorum. [*Et finxit duas columnas æreas, decem & octo* Gal. 2. *cubitorum altitudinis columnam vtramque*] Hæ sunt colũnæ de quibus Paulus ait, Iacobus & Cephas, & Iohannes (qui videbantur columnæ esse dextras dederunt mihi & Barnanæ societatis: vt nos in gentes; illi autem in circuncisionem. Quibus verbis quasi exponere videtur mysterium columnarum materialium, & quid videlicet E figurauerunt, & quare duæ sint factæ, Apostolos namque, & doctores cunctos spirituales significant, fortes nimirum fide atque opere, & contemplatione ad superna erectos. Duæ sunt autem, vt & gentes & circuncisionem prædicando in Ecclesiam introducant. Stabant in porticu ante fores templi, & ingressum illius suo decore ac pulchritudine, ex vtraque parte mirabiliter ornabant. Ostium autem templi, Dominus est, quia nemo venit ad patrem nisi per ipsum. Et sicut alibi dicitur: *Ego sum ostiũ* Ioan. 14. *per me si quis introierit, saluabitur.* Ioan. 10. Cui videlicet ostio columnæ ab vtroque latere coram positæ circunstant, cum ministri sermonis, vtrique populo introitum regni cœlestis ostendunt, vt siue à luce scientiæ legalis quisque, siue ex rigore gentilitatis ad fidem Euangelij venerit, habent paratos eos qui sibi iter salutis & verbo demonstrent & exemplo: vel certe quia de eisdem columnis in libro Paralipomenon ita scriptum est: *Ipsas quoque columnas posuit* 2. Par. 3. *in vestibulo templi, vnam à dextris, & alteram à sinistris.* F Ideo sunt duæ factæ columnæ, atque ita dispositæ, vt nobis & in prosperis, & in aduersis, ingressum patriæ cœlestis ante oculos mentis habendum esse doceant. Notandũ sane in hac sententia Paralipomenon quam posui, quod ea porticus templi, etiam vestibulum templi vocabatur, & quod in Prophetis legimus, quia inter vestibulũ templi & altare orabant Sacerdotes, inter porticum & altare debere intelligi. Bene autem vtraque colũna octodecim cubitos altitudinis habere memoratur. Ter etenim seni decem & octo faciunt. Tria vero ad fidem pertinent propter sanctam Trinitatem. Sex ad operationem quod in eo dierum numero mundus sit factus, luce clarius est. Et tria per sex multiplicantur, cum iustus ex fide viuit, cognitionemque pię credulitatis in executione bonæ actionis accumulat. Columnaque ante fores templi decem & octo cubitis alta est: cum prædicator quisque egregius, palam cunctis insinuat, non nisi per fidem & opera iustitiæ, nos ad superna gaudia vitæ posse peruenire. [*Et linea cubitorum duodecim ambiebat columnã vtramque.*] G Linea duodecim cubitorum norma est Apostolicæ institutionis: quæ nimirum linea ambit columnam vtramque cum quisque doctor, siue Iudæis seu gentilibus prædicare missus, ea tantum facere curat ac docere, quæ per Apostolos accepit, ac didicit Ecclesia. Nã si quis aliter viuere, siue prædicare voluerit, & vel Apostolica decreta spernere, vel pro suo libito noua quælibet statuere maluerit, nõ est talis columna templo Dei apta: quia dum Apostolica statuta sequi contemnit, quasi vel exilitate inertiæ suæ, vel elationis vitio: de grossitudine duodecim cubitorum lineæ non conuenit. [*Duo quoque capitella fecit, quæ ponerentur super capita columnarum fusilia ære, quinque cubitorum altitudinis capitellum vnum, & quinque cubitorum altitudinis capitellum alterum.*] Capita etenim columnarum, hoc est superna pars earum, præcordia sunt fidelium doctorum, quorum Deo deuotis cogitationibus sicut capite membra, ita ipsorum omnia & opera diriguntur & verba. Duo autem capitella quæ his capitibus erant superposita duo sunt testamenta, quarum meditationi atque obseruantiæ doctores sancti toto & animo subduntur & cor- H pore. Vnde beoe vtrunque capitellum quinque cubitos habebat altitudinis, quia nimirum quinque libris scriptura Mosaicæ legis comprehensa est, & quinque etiam seculi ætates, tota veteris instrumenti series complexa est. Nouum vero testamentum non alia nobis prædicat, quam quæ Moyses prædicanda per hoc esse prædixerat & Prophetæ. [*Et quasi in modum retis, & catenarum sibi inuicem miro opere contextarum. Vtrumque capitellum columnarum fusile erat.*] Quod in libro Paralipomenon ita 2. Par. 3. scriptum est. [*Necnon & quasi catenulas in oraculo, & superposuit eas capitibus columnarum.*] Species namque catenarum & similitudo retis in capitellis, varietas est virtutum spiritualium in sanctis: de qua Domino cantatur Ps. 44. in Psalmis: *Astitit regina à dextris tuis, in vestitu deaurato circumamicta varietate:* hoc est in vestitu fulgidæ dilectionis circumamicta varietate diuersorum charismatum. Vel certe multiplex contextio catenarum, & retis expansio, multifarias electorum personas insinuat: quæ cum

A verbis sanctorum prædicarocum fideliter auscultando atque obediendo adhærent, quasi columnárum capitibus superpositæ retis & catenulæ, miraculum suæ connexionis cunctis aspectanóbus præbent. *Septena versuum retiacula in capitello vno, & septena retiacula in capitello altera.*] Septenario namque numero Spiritus sancti solet Apoc. 5. gratia designari, iobanue attestante in Apocalypsi, qui cum vidisse se diceret agnum habentem cornua septem & oculos septem, mox exponendo subiunxit, qui suot septem spiritus Dei missi io vniuersam terram. Quod Propheta Isaias apertius explicat, cum de nascitura in car- Esa. 11. ne Domino loquens. *Et requiescet* (inquit) *super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilij & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis, & replebit eum spiritus timoris Domini.* Septena ergo versuum retiacula eraot in capitello vtroque, quia patres vtriusque testamenti cognitionem per gratiam vnius eiusdemque spiritus septiformis vtique electi, acceperuot. [*Et perfecit* B *columnas, & duos ordines per circuitum retiaculorum singulorum, vt tegerent capitella.*] Duo quidem ordines erant retiaculorum in gyro capitelli, sed vterque ordo septemplici versuum numero currebat, donec circumacto capi- Matth. 22. tello, rursum in seipsum qoasi circulo facto rediret. Nec figura Sacramenti in abscondito est; quare duo ordines sunt retiaculorum, cum constet geminæ discretionis esse virtutem dilectionis: quod videlicet Domini ex toto corde, tota anima, tota virtute, & proximum tanquam nosmetipsos amare præcipitur. Sed vterque ordo ille septem habet versuum retiacola, quia nec Deus absque gratia Spiritus sancti potest amari, oec proximus. Facta sunt autē retiacula hæc vt tegerent capitella, hoc est, vndique in gyro circumdarent: quia omnis Scripturæ S. pagina, cum recte intelligitur, gratiam per omnia charitatis sonat ac pacis. Capitella etenim volumina diuinorum eloquiorum, retiacula sunt vincula mutuæ dilectioois: Et retiaculis teguotur capitella, cum sacra eloquia (vt ita diaerim) duno charitatis vndique probantur esse vestita: nam & in eis C quæ in scripturis non intelligimus charitas latet, & in eis quæ intelligimus charitas late patet. Bene autem de eisdē retiaculis siue capitellis adiungitur: [*quæ erant super summitatē malogranatorum.*] Malogranata namque, quorum natura est, vno foris cortice, multa interius grana circumdere, apte in figura sanctæ ponūtur Ecclesiæ: quæ Catholico vnius fidei mooimine innumera electorū agmina soler includere. Potest autem & vniuscuiusque iusti vitam moresque designare, qui velut plurima vno cortice circūplectens, multa cogitatiouum virtutumque spiritualiū insignia (ne forte defluāt) firma fidei & humilitatis curat vallare custodia, & apro prorsus ministerio. Capita columnarum malogranati erant in gyro circundata, quia Doctores sanctos necesse est, priorum vitam fidelium ad memoriam reuocare, eorumque semper exemplis, actus suos ac sermones omni ex parte cōmuniri, ne si aliter forte qoam illorum habet regula viaerint aut docuerint, errent. Com vero dictum sit de retiaculis vt tegerent capitella, quæ erant super summitatem malogranatorum, videtur iuxta D ordinem operis ipsius, quia malogranata fuerint facta in circuitu capitellorum à parte inferiori, atque ex eisdem malogranatis orirentur retiacula, quibus capitella ea parte aliqua tegerentur. Paterque figura mysterij, qoa retiacula super summitatem fuerint malogranatorum annexa, quæ ad vnam pene significationem, siue personarum seu virtutum pertinent spiritualium. Scimus enim virtutes de virtutibus nasci, & sanctos ambulare de virtute in virtutem, donec videatur Deus deorum in Sion: qua virtute nulla potest maior dici vnde & Apostolus: Rom. 5. *Scientes*, inquit, *quia tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero spem.* [*Capitella autem quæ erant super capita columnarum, quasi opere lilij fabricata erant in porticu quatuor cubitorum.*] Quid enim per lilia, nisi supernæ claritatis patriæ, atque immortalitatis, floribus redolens, paradisi designatur amœnitas? Quid per quatuor, nisi Euangelicus sermo, qui introitum nobis æternæ illius beatitudinis promittit, & iter quo ad hanc perueniatur ostendit? Cum ergo sancti doctores promissa nobis limina regni cœlestis, in quatuor E Euangelij libris ostendont, quasi capita columnarum opus in se lilij quatuor cubitorum exhibent. Vbi notandum iuxta literam, quia cum opus lilij in capitellis quatuor cubitorum esse memoratur, neq; additur latitudinis aut altitudinis, Lectoris vtique iudicio, vtrum in altitudine an in latitudine intelligi debeat, relictum est. Cōstat autem absque vlla prorsus dubietate, quia columna quæ duodecim cubitorū restis ambiebat, quatuor cubitos habebat grossitudinis. Omnis circulus qoātum habet spacij in diametro, tantum habet ter in gyro. Denique mare æneum, quia diametrum habebat decem cubitorū, vt in sequentibus legitur, consequenter bebebat triginta cubitos in gyro. Verum qoia dicitur opus lilij quatuor fuisse cubitorum, siue latitudinem, seu designet altitudinē, nibilo minus ratio figuræ perspicua est. Quia nō nisi per Euangelium exoptatissima illa mondo vox insonat, *Pœnitentiam agite, appro-* Matt 3. *pinquabit enim regnū cælorū.* Quod vero sequitur, [*& rur-* F *sum alia capitella in summitate columnarum desuper iuxta mensurā colūnæ.*] Id est, tantæ fuerunt amplitudinis, qoātæ erat & colūna, cuius tamen altitudo, quanta fuerit minime narratur. Hæc autem capitella, qualiacunque & quantacūque fuerint (non enim mensurā earum aperte scriptura designat) in ore liliorum videntur esse apposita. De quorum 1. Cor. 2. factura, si quid mysticum inquirere delectat, illam regni perennis sublimitatem potest non incongrue designare, quā nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascēdit, quæ præparauit Deus diligentibus se. Quæ nimirū, qnia eadem supernorum societas ciuium, vtriusque populi fidelibus triboitur, recte subiūgitur. [*Malogranatorū autē ducēti ordines erant, in circuitu capitelli secundi.*] Diaimus enim malogranata, vel totius sanctę Ecclesię, vel singulorū quorumq; fidelium typum tenere Centenarius vero numerus, qui ad dexteram manū primus peruenit, nonnunquam in æternæ beatitudinis signa poni consueuit. Duplicatur autem hic numerus malogranatorum in circuitu capitelli secundi, vt insinuetur mystice, quod vtriusq; testamenti populus adunaudus in Christo, atq; ad æternæ vi- G tæ sit introducendus coronam. [*Et statuit duas columnas in porticu templi. Cumque statuisset columnā dexteram, vocauit eam nomine Ioachim,*] quæ interpretatur *firmitas. Similiter erexit columnam secundam & vocauit nomen eius Booz,*] hoc est in robore. Dextera columna (vt supra diaimus) illorum exprimit figuram doctorum, qui primitiuam in Ierosolyma instituerunt Ecclesiam. Secunda eorum qui ad prædicandum gentibus destinati sunt. Vel certe dextra columna eos significat, qui venturum in carne Dominum prophetando prædiaerant. Secunda illos qui hunc iam venisse, & mundum soo sanguine redemisse testātur. Et apte simili vocabulo ambæ cēsebantur columnæ, cum vna, firmitas: altera in robore, dicta est: vt vna fidei & operis fortitudo cunctis inesse doctoribus monstraretur, nostrique tēporis inertia notaretur: vbi se nonnulli doctores, Sacerdotes, & columnas domus Dei videri, atq; appellari volunt: cum nihil in se prorsus firmæ fidei & ad contemnendas seculi pōpas, ac desideranda bona inuisibilia, nihil habeant roboris, ad corrigēdos, nil industrię, sal- H tē ad intelligendos, rorū quibus prælati sunt, errores. [*Fecit quoq; mare fusile decem cubitorum, a labio vsq; ad labium rotundum in circuitu.*] Mare boc fusile in figuram lauacri 1. Pet. 4 salutaris quo io remissionem peccatorum emundamor factum est. Namque Sacerdotes in ea lauabantur, vt verba dierum aperte testantur. Sacerdotes autem constat omnes electos typice in scripturis vocari, eo quod sint membra summi sacerdotis Domini nostri IESV CHRISTI. Et recte huic vasi scriptura mare nomen indidit, in memoriam videlicet maris rubri, in quo prius per extinctionem Ægyptiorum, & populi Dei liberationem, baptismi forma præcessit. Eaponente Apost. ac dicente: *quoniam Patres* 1. Cor. c. 10. *nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes mare transierunt, & omnes in Mose baptizati sunt in nube & in mari.* Sacramentum autem baptismi & vitæ nobis munditiem quærit io hoc seculo, & vitæ nobis æternæ gloriam promittit in futuro: quod vtrunque in mari hoc æneo vna sententia designatur, cum esse decem cubitorum à labio vsq;

A ad labium perhibetur. Decem namque præceptis in lege dominus omnia quæ facere debeamus expressit. Denario autem mercedem benefactorum signauit, cum hunc in vinea laborantibus dandum esse prædixit. *Erat ergo mare decem cubitorum à labio vsque ad labium*,] quia a primo baptizato in nomine IESV CHRISTI, vsque ad vltimum, qui in fine seculi crediturus & baptizandus est, omnis fideliũ chorus, vnam eandemque viam veritatis ingredi, & cõmunẽ debet à domino coronam sperare iustitiæ. [*Rotundũ erat in circuitu*, vt orbis vniuersus in gyro, lauacro vitæ à sorde peccatorum designaretur esse mundandus, De quo bene subditur, (*quinque cubitorum altitudo eius*,) quia nimirum quicquid visu, quicquid auditu, quicquid olfactu, quicquid gustu, quicquid tactu, delinquimus: totum hoc nobis gratia Dei per ablutionem viuifici fontis, relaxat. Sed non sufficit præteritorum remissio peccatorũ si non quisque deinceps bonis studuerit insistere operibus: Alioquin diabolus qui exierat de homine, si hunc à bonis viderit vacare, multiplicius redit: facitque *nouissima hominis illius peiora prioribus*. Vnde apte subditur: (*Et resticula triginta cubitorum cingebat illud per circuitum*.) Per resticulã namque disciplinam præceptorum cœlestium, qua à nostris voluptatibus relegamur, potest apte signari: scriptura dicente, quia *funiculus triplex difficile rumpitur*: quia nimirum obseruatio mandatorũ Dei, quæ in cordibus electorũ fide & spe & dilectione supernæ retributionis firma est, nullo temporalium rerũ potest obstaculo dissolui. (*Et sculptura subter labiũ circuibat illud, decem cubitis ambiens mare. Duo ordines sculpturarum histriatarum erãt fusiles*.) Cum prædictum sit supra, quod resticula triginta cubitorum mare circuierit, & nunc additur, quod sculptura hoc subter labium posita, decem cubitis ambierit, patet ex vtraque relatione: quia vas erat in modum phialæ: repandum ac diffusum, quo triginta cubitis circuitus, quos habebat in labio, vsque ad decem cubitos coartatus sit. Sculptura autem histriata est, quæ historias rerum aliquas imitatur. Vnde recte per sculpturas histriatas, quibus mare circumdabatur, exempla sunt priorum temporum designata, quæ necesse est nos solerter intueri: vt videamus quibus operibus sancti Deo placuerunt ab initio: qua obstinatione in sceleribus perdurarunt, quanta infelicitate ob scelera perierunt reprobi. (*Et stabant super duodecim boues, E quibus tres respiciebant ad aquilonem, & tres ad occidentem, & tres ad meridiem, & tres ad orientem*.) Duodecim ergo boues, duodecim sunt Apostoli, & omnes qui vice eorum regendam in Christo susceperunt Ecclesiam sanctam. Qui nimirum boues mare sibi super impositum portant, cum Apostoli Apostolorumque successores iniunctum sibi Euangelizandi officium, prompta implere deuotione satagunt. (*Tres ad aquilonem, & tres ad occidentem, & tres ad meridiem, & tres ad orientem respiciunt*,) cum vniuersis quadrati orbis partibus fidem prædicant sanctæ Trinitatis: (*quorum posteriora vniuersa intrinsecus latitabant*.) Quia qua mercede sancti prædicatores in perpetuum donentur, in interni arbitri examine dispositum est sed nobis qui adhuc foris sumus manet omnimodo occultum: quibus tamen hoc esse occultum nullatenus potest, quia qui lauacrum baptismi ad salutem accipit, & veram fidem, spem, & charitatem debet habere, nec sine his tribus virtutibus quisque aliquid iam operari, ueque intrare ad vitam valet: vnde recte subiungitur: (*Grossitudo autem luteris trium vnciarum erat*.) Grossitudo enim luteris, id est maris, firmitas est virtutis in baptismo. Et trium vnciarum est hæc grossitudo, dum robore fidei, spei, & dilectionis, perceptio baptismi communitur. Neque aliter proficuum esse accipientibus ostenditur, nisi harum firma certitudo virtutum, mentem accipientium simul & opera confirmet: [*Labiumque eius quasi labium calicis, & folium repandi lily*.] Per labium quippe calicis, gustum dominicæ passionis: per folium repandi lilij, patefacta claritas resurrectionis ipsius, exprimitur. [*Duo millia batos capiebat*.] Millenarius namque numerus, pro significatione perfectionis solet poni in scripturis. Quia nimirum de-

B C D

narius numerus in quadratum ductus solidum facit. Decem quippe decies ducta, centum faciunt. Quæ videlicet figura iam quadrata, sed adhuc plena non est. Verum vt in altitudine surgat, & solida efficiatur, multiplica centum per decem, & fiunt mille. Quo profecto numero stabilis & insuperabilis, & velut conquadrata iustorum conscientia designatur. Quocunque enim verteris quadratum stabit. Sic & animus nullo tentationum occursu nouit à statu suæ rectitudinis inclinari. Batus autem Hebræorum mensura est, quam ipsi, bat nominant, habet modios quatuor & ephi, quod illi epha nominant. Sed ad Ephi mensuram pertinet variarum frugum, tritici, ordei, leguminum. Batus vero est in speciebus liquidis, vino, oleo, aqua. Itaque batus, quia certæ normæ mensura est: opera designat æquitatis & iustitiæ quibus hi qui in remissionem peccatorum baptizantur, necesse habent institui. Batos quippe mille capiebat mare, cum aqua baptismatis plebem Iudæorum abluens, ad regnum cœleste transmisit. Recipiebat & alios mille, cum etiam turbas nationum eodem fonte renatas, & operibus iustitiæ confirmatas, eiusdem regni perennis fecit esse participes. [*Et fecit bases decem æreas quatuor cubitorum longitudinis bases singulas, & quatuor cubitorum latitudinis, & trium cubitorum altitudinis, & ipsum opus basium interrasile*, & reliqua.] Multifarie & multis modis, vna eademque nostræ salutis Sacramenta præfigurantur. Namque idem Apostoli virique Apostolici, qui per boues mare portantes designati sunt. Designantur etiam per bases quæ portandis erant luteribus præparatæ, quomodo ipsi luteres eiusdem lauacri spiritalis, cuius & mare typum gerebant. Siquidem & verba dierum narrant, omnia in eis quæ in holocaustum oblaturi erant lauabant: holocaustum autem Domini, generaliter omnis electorum multitudo potest intelligi, quæ iuxta vocem præcursoris baptizata est ab ipso in Spiritu sancto & igni. Sicut ergo Sacerdotes qui in mari lauabant, formam exprimunt eorum qui per baptisma efficiuntur summi consortes Sacerdotij quod est in Domino IESV CHRISTO, ita etiam holocausta eorundem figuram aptissime prætendunt, cum post ablutionem baptismi, gratia sancti spiritus implentur. Lauatur namque in lutere hostia, cum quis fidelium aqua baptismi perfunditur. Offertur vero in holocaustum, cum impositione manus Episcopi, donum Spiritus sancti accipiunt. Quod vero ad portandos luteres decem sunt bases factæ, potetat mystice interpretari, quia ministri lauacri vitalis ad æternæ gaudia beatitudinis (quæ denario solent numero figurari) eos quos imbuunt, vocent. Verum quia de eisdem luteribus distinctæ insequentibus scriptum est, quod videlicet quinque ex his positi sint ad dexteram partem templi, & quinque ad sinistram magis in eis quinarij numeri sunt intuenda mysteria. In vtraque etenim parte templi sunt bases luterum, vt vtrique Dei populo sacri fontis gratiam designarent esse pandendam. Et quinque sunt in vtraque parte: vt (sicut in expositione maris, quod quinque cubitis altum est, iam diximus) demonstraretur typice, vniuersa fidelibus quæ per quinque sensus corporis deliquerant, per lauacrum baptismatis esse remittenda. Sicut ergo in vno mari duodecim bobus superposito vnitas exprimitur baptismatis (quæ per Apostolos toto erat orbi prædicanda) ita etiã per duos ordines luterum mystice ostenditur, quia gentilitas cum Iudæa in vnum fidei consortium per baptismatis erat vndam colligenda. Quod autem quatuor cubitorum longitudinis: & quatuor cubitorum latitudinis & trium cubitorum altitudinis bases singulæ fuere, facile intellectu est. Longitudo etenim ad patientiam longanimitatis: latitudo ad dilationem dilectionis: altitudo pertinet ad spem supernæ retributionis. Quatuor autem sunt principales virtutes, quibus cætera virtutum structura imminet. Prudentia scilicet, fortitudo, temperantia, iustitia. Et ideo quaternorum erat cubitorum longitudo & latitudo basium, quia sancti prædicatores siue aduersa mundi & longitudinem exitus ad laborum præsentium foris tollerent: seu cor in dilectione sui

E F G H

A conditoris, suorumque proximorum interna exultatione dilatent, semper operam dare virtutibus curant: prudenter videlicet inter bona & mala discernentes, fortiter aduersa sustinentes, coe ab appetitu voluptatum temperantes, iustitiam in operatione tenentes. Trium vero cubitorum fit altitudo basium, cum per exercitium virtutum: quas compatientia malorum & dilectione bonorum exercent, continua intentione ad visionem sanctæ Trinitatis peruenire satagunt. [*Et ipsum opus basium interrasile erat. Et sculptura inter iuncturas.*] Iuncturas dicere videtur eas, qui ipsæ luterum tabulæ sibimet inuicem connexæ sunt: vt scilicet quatuor siue quinque tabulis vna fieret basis. Quales autem sculpturas bases inter has iuncturas, id est in ipsis suis lateribus ante & retro, dextra & sinistra & supra quoque haberent subdendo aperitur cum dicitur: [*& inter coronulas & plectas, leones & boues, & Cherubim & in iuncturis similiter desuper.*] Non ergo plana erat vlla ex parte superficies basium sed vndique versum mysticis sculpta
B figuris, quia sanctorum mentes imo vniuersa eorum conuersatio, virtutum in omnibus gratiam prætendit, neque aliquam illos hora inanis & vacua præterit, in qua piis vacare operibus, vel sermonibus vel certe cogitationibus desistant. Coronulas quippe in se sculptas habent, cum inter desideria vitæ cœlestis quæ sursum est, nunquam fraternæ societatis quæ iuxta est, vincula dissoluunt. Habent inter coronulas & plectas leones, cum ita ad speranda cœlestia mentem erigunt, ita ad diligendos proximos dilatant, vt in peccantes quosque qui sibi commissi sunt feruorem asperæ inuectionis exercere non tardent. Habent cum leonibus boues, quando ipsam inuectionem corripiendi, cum spiritum mansuetudinis exhibent, quando in feruore arguendi nunquam fissam habere vngulam discretæ actionis ac loquelæ, nunquam verba diuinæ lectionis velut ruminando in ore voluere cessant. [*Et subter leones & boues quasi lora ex ære dependent,*] quando sancti doctores & in seueritate districtionis, qua peccantes iudicant, & in mansuetudine le-
C nitatis, qua pœnitentibus remittunt, iudicium sui timent autoris: ne forte iniuste ligando aut soluendo quempiam iam iuste ligati ipsi habeant, & eius iudicium qui errare nequit mereantur. [*Et quatuor rotæ per bases singulas & axes ærei, & per quatuor partes quasi humeruli subter luterem: fusiles contra se inuicem respectantes.*] Quatuor rotæ, quatuor sunt Euangeliorum libri, qui aptissime rotis comparantur: quia sicut volubilitas rotæ citissimo cursu quocunque ducitur, currit, ita sermo Euangelicus iubente Domino per Apostolos vniuersas in breui mundi plagas impleuit. Sicut rota super impositum sibi currum terra subleuat, & subleuatum quo auriga dirigit portat: ita Euangelica prædicatio mentes electorum à terrenis cupiditatibus in cœlestia desideria suspendit, ac suspensas ad profectum bonæ actionis siue ad ministerium prædicationis quocunque adiuuans gratia spiritus voluerit, ducit: Namque in sequentibus dicit: [*Quia tales erant rotæ quales solent in curru fieri.*] Legimus
Psal. 67. autem de sanctis: *Currus Dei decem millibus multiplex*
D *millia lætantium.* Si ergo bases luterum sancti sunt doctores, qui lauacrum vitæ nobis ministrant, & rotæ quaternæ basium, quatuor sunt libri Euangeliorum: quid axes rotarum qui bases gestant, nisi ipsa eorundem sunt corda doctorum, quæ dum in præceptis Euangelicis sedulo intendentia, eos ab infimorum appetitu dissoluunt, velut immissi rotis axes, altius basim à terra subleuant. Porro humeruli qui rotis antepositi ne ab axibus delabi possent obsistebant, præconia sunt Prophetarum, quibus Euangelica & Apostolica scriptura, ne cui legentium in dubium forte veniat, confirmatur. Bene autem dicitur, quod humeruli qui per quatuor partes subter luterem erant positi, contra se inuicem fuerunt respectantes, quia nimirum omnis scripturæ Prophetia sibimet inuicem consentanea est: vtpote vno Dei spiritu condita. Quatuor fuere per bases singulas humeruli videlicet iuxta numerum rotarum. Non quia quatuor sunt tantum libri Prophetici: sed quia in om-

E nibus quæ locuti sunt Prophetæ & Moyses, dictis quatuor Euangelistarum testimonium præbuere: vt ex consensu vtriusque testamenti, vna fides & dilectio Christi, nostra omnium corda firmaret. [*Os quoque luteris intrinsecus erat in capitis summitate, & quod forinsecus apparebat, vnius cubiti erat, totum rotundum, pariterque habebat vnum cubitum & dimidium.*] Os quoque luteris vnius erat cubiti, propter vnitatem confessionis & fidei quia omnes in confessione patris & filij & Spiritus sancti baptizamur, dicente Apostolo: *Vnus Dominus, vna fi-* Eph. 4.
des, vnum baptisma, vnus Deus & pater omnium. Et ipsum os in capitis erat summitate, vt ad cœlestia nobis regna, per baptisma iter esse patefactum doceret. Ipse vero luter in amplitudine cubitum habet vnum & dimidium: per operis nimirum perfectionem & initium contemplationis. Integer enim cubitus in lutere perfectionem bonæ designat actionis, quam absque vlla dubietate habebat ille, de quo tentatori dominus aiebat:
F *Nunquid considerasti seruum meum Iob, quod non sit ei similis super terram? homo simplex & rectus, ac timens* Iob. c. 1.
Deum, & recedens à malo? Est vero alter cubitus diuinæ visionis, qui ex parte nonnulla etiam in hac adhuc vita terentis fidelibus donari consueuit: vt idem Iob deuicto aduersario cum domino loquens, ait: *Auditu auris* Iob. 42.
audiui te, nunc autem oculus meus videt te. Scriptum namque est in sequentibus: [*Vna rota habebat altitudinis, vnum cubitum & semis.*] Et paulo post [*In summitate autem basis, erat quædam rotunditas vnius & dimidij cubiti, ita fabrefacta, vt luter desuper posset imponi.*] Luterum quippe mensura, vnius erat cubiti & dimidij, quia nimirum ea fide in fonte vitæ lauamur, vt per opera iustitiæ ad vitam intrare valeamus: quamuis sine peccato dum hic viuimus esse nequeamus. Ipsam vero vitæ cœlestis dulcedinem gustare ex parte, ac diligere in hac interim vita, perfecte autem videre nulla ratione valemus. Rota quoque vno ac dimidio cubito mensuratur quia scriptura lectionis Euangelicæ, qualiter hi qui perfecti esse velint, viuere debeant ostendit, spemque no-
G bis æternæ retributionis in præsenti demonstrat, ipsam vero retributionis illius qualitatem in futuro nobis pandendam, simul & donandam esse promittit. Bases etiam ipsæ vnum habebant cubitum ac semissem amplitudinis in summitate sui, vbi luteres reciperent: quia ipsi doctores summi ac ministri salutaris opere quidem perfecti in hac vita fulserunt, sed luce contemplationis ex parte sunt fruiti. Vnde & aiunt: *Ex parte enim cognoscimus, & ex parte* 1. Cor. 13.
Prophetamus. Cum autem venerit quod perfectum est, euacuabitur quod ex parte est. [*In hunc modum fecit decem bases fusura vna, & mensura sculpturaque consimili. Fecit quoque decem luteres æneos.*] Quare decem sint bases factæ, totidem eis superpositi luteres, supra iam dictum est. Quod vero vna erat fusura mensuraque & sculptura consimilis omnium basium siue luterum, non in ea significatione factum est, quod æqualia possint esse omnium merita doctorum, sed in ea potius, quod vna fides Euangelij quo instituuntur, vnum
H esse Sacramentum baptismi quo abluuntur, vnus idemque spiritus quo omnes consecrantur electi: tametsi donationes habent diuersas in ipso spiritu, qui diuidit singulis prout vult. [*Quadraginta batos capiebat luter vnus.*] Quadragenarius numerus solet magnæ perfectionis typum tenere, quia nimirum quater deni faciunt quadraginta: decem autem sunt præcepta, quibus omnis nostra operatio in lege diuina præfixa est. Quatuor vero Euangeliorum libri, in quibus per dispensationem dominicæ incarnationis cœlestis patriæ nobis est patefactus introitus. Et quia omnes qui ad mysterium baptismatis pertinent, cum fide & Sacramentis Euangelij fructum debent rectæ operationis ostendere, apte luteres singuli in quibus holocausta lauabantur, quadraginta batos capiebant. Quod vero sequitur: [*eratque quatuor cubitorum.*] siue in altitudine siue in latitudine, quid significet intellectus mysterij, in promptu est: Luter enim vnus quatuor erat cubitorum, vel propter sancti Euan-

A gelij libros, in quibus forma nobis baptiſmi præfixa eſt, vel propter quatuor cardinales virtutes, quibus quiſque fidelis, ſi non fruſtra fidelis eſt, debet inſtitui, vel certe propter quatuor mundi plagas, quibus lauacrum ſalutis miniſtratur: dicente Pſalmographo, *Quos redemit de regionibus congregauit eos.* (Pſ.106.) A ſolis ortu & occaſu, ab aquilone & mari. Quod vero ſupra dixit: pariterque habebat vnum cubitum, & neque vbi altitudinem, an amplitudinem ſignificaret adiecit, videtur quia fundum ipſius luteris vnius eſſe amplitudinis voluerit intelligi, quæ autem eſt menſura (niſi fallor) baſis in qua poſitus erat quiſque luter facillime conijcitur, quæ ita deſcribitur, [*In ſummitate autem baſis, erat quædam rotunditas vnius & dimidij cubiti, ita fabrefacta vt luter deſuper poſſet imponi, habens cælaturas ſuas variaſque ſculpturas ex ſemetipſa. Sculpſit quoque in tabulatis illis, quæ erant ex ære & ære, & in angulis Cherubim & leones & palmas, quaſi in ſimilitudinem ſtantis hominis, vt non cælata, ſed appoſita per circuitum viderentur.* B *In hunc modum fecit decem baſes fuſura vna, & menſura ſculpturaque conſimili. Fecit quoque decem luteres æneos. Quadraginta batos capiebat luter vnus, eratque quatuor cubitorum*: & reliqua.] Latitudo ergo fundi in luteribus vnius erat cubiti & dimidij, ipſa vero capacitas luterum, quatuor habebat cubitos. Sed vtrum in altitudine, an in amplitudine, an in vtroque dicat, quis nouerit? [*Et conſtituit decem baſes, quinque ad dexteram partem templi, & quinque ad ſiniſtram.*] Dexteram partem templi & ſiniſtram, non iſtos in ipſo templo, ſed ante templum dicit: ad orientalem plagam videlicet, in atrio introire, quod Sacerdotum proprie vocabatur. Vt autē poſuit ad dexteram partem tēpli, propter Iudæos qui ſole iuſtitiæ per doctrinam legis antiquitus vti ſolebant. Et quinque ad ſiniſtram, propter nos qui cæco diutius corde ſeruituti adhærebamus eius qui ait: Ponam ſedem meam ad aquilonem, quod eſt aperte dicere, illis in cordibus requieſcere deſidero, quæ à luce veritatis, & flamma diuinæ charitatis aliena eſſe conſidero. C [*Mare autem poſuit ad dexteram partem templi contra orientem ad meridiem.*] Et hoc in eodem atrio poſitum eſt ad orientem: Quod autem ad dexteram partem templi, hoc eſt quod repetit dicens, *ad meridiem.* Ingredientibus enim atrium ab oriente, primo diuertendum erat ad meridiem, vbi mare in ipſo angulo ſtabat ad lauandum Sacerdotibus paratum. Deinde progredientibus intro occurrebant luteres ad lauandas hoſtias ab vtraque parte poſiti. Intra hos baſis erat ænea, quinque cubitorum altitudinis, & quinque cubitorum latitudinis, & trium cubitorum altitudinis, in qua ſtabat Salomon, & dedicabat templum. Deinde vltra progredientibus, occurrebat altare holocauſti contra medium atrij: Deinde porticus templi, ſiue veſtibulum, in quo erant columnæ æreæ circa oſtium templi. Quod ergo mare poſuit ad dexteram partem templi, ſignificat nos per lauacrum baptiſmi ad regnum cæleſte (quod iure vocabulo dextræ figuratur) debere peruenire. (Marc.16.) *Qui enim crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit.* D Namque vbi dextra ſimul & ſiniſtra in bono accipiuntur, vel Iudæam & gentilitatem (vt in expoſitione baſium ſupra diximus) vel præſentem Eccleſiæ vitam & futuram, vel læta & triſtia, vel aliqua deſignat huiuſmodi. Vbi vero abſolute in bono ponitur dextera, æterna ſæpius gaudia demonſtrat. Quod vero contra orientem poſuit mare, ad eandem prope ſignificationem reſpicit, quod videlicet per lauacrum ſacri fontis, ſplendor nobis internæ claritatis aperitur: Quod ad meridianum latus atrij, ſignificat fideles per acceptionem ſancti Spiritus, ad flagrantiam ſolere veræ charitatis accendi. Feruor etenim meridiani ſolis, conſueuit in ſcripturis, & ardorem dilectionis, & illuſtrationem ſignificare ſancti Spiritus, per quem eadem dilectio diffunditur in cordibus electorum. [*Omnia vaſa quæ fecit Hiram regi Salomoni in domo Domini aurichalco erant. In regione Iordanis fudit ea rex in argilloſa terra.*] Ate in regione Iordanis fuſa ſunt vaſa domus Domini, in quo videlicet flumine, Dominus noſter baptizari dignatus eſt, eiuſque tinctus vndis aquarum nobis elementum

E in ablutione peccatorum conuertit. Et quia omne fidelium baptiſma, quo domino conſecrantur, in exemplum celebratur baptiſmatis illius quo ipſe aquas ſanctificat. Recte in regione Iordanis, vaſa ſunt Domini facta, neque enim aliter vaſa electionis & miſericordiæ fieri poſſumus, niſi & in baptiſmo eius quod illo in flumine ſubiit reſpicientes, & ipſi vitali flumine ſatagimus ablui. Notandum autem quod non tantum in regione Iordanis, ſed in campeſtri regione illius facta dicuntur eadem vaſa, ſignificans multiplicationem fidelium, quæ non ſolum in Iudæa, ſed & in omnium nationum erat latitudine futura, expleta Prophetia qua dicitur, *Gaudebunt campi & omnia quæ in eis ſunt.* (Pſ.95.) Argilloſa autem terra, de qua factæ ſunt formæ ad fundenda vaſa Domini, quid melius quam ſcriptura ſacra (de qua regulam bene viuendi accipimus) valet intelligi? quaſi enim argilla ignibus durata, formam vaſis domini, quanta & qualia fieri debeant exhibet, cum nobis ſcriptura ſacra, regulam iuſtitiæ F quam ſequamur oſtendit, ſanctorumque nobis exempla qui igne tribulationum inuincibiles perſeuerarunt, in omnibus ſequenda præmonſtrat. Sed vaſa in domo Domini electa ac pretioſa eſſe conſpicimus, æſque igne liquefactum quod argillæ formas ingredimur, qua vas poſſit aptum miniſteriis cæleſtibus effici, cum ipſi ſalubriter humiliati, & flamma ſiue diuinæ claritatis, ſiue etiam humanæ aduerſitatis emolliti, viam patrum bene operando intramus, vt ad præmia patrum bene viuendo perueniamus. [*Fecitque Salomon omnia vaſa in domo Domini Altare aureum & menſam ſuper quam ponerentur panes propoſitionis auream.*] Altare aureum, corda ſignificat perfectorum iuſtorum, internæ charitatis & caſtitatis luce coruſca, quorum ſublimitati ſignificandæ etiam locus conuenit eiuſdem altaris. Stabat enim ante oſtium ſancti ſanctorum, vt in factura tabernaculi manifeſte legimus. In quo videlicet altari non hoſtiarum ſanguis neque libamina ſed thymiamata tātum incendebantur, quorum fumus ad ſuperiora aſcendens, operiebat arcam, G atque oraculum odore ſuauitatis implebat. In quo figura exprimebatur ſanctorum, qui dum neglectis temporalium rerum cupiditatibus, tota intentione cæleſtia quærunt: in vicino oraculi ſunt poſiti, nec longe ſunt remoti à velo, quo templum & Sancta Sanctorum dirimuntur, qui corpore terram incolunt, cæterum ſecundum interiorem hominem totam habent conuerſationem in cælis. Aſcenditque ab huiuſmodi altari fumus incenſorum intra Sancta Sanctorum vbi arca eſt recondita, cum orationes ſanctorum flamma charitatis excitatæ, ad cælum vſque perueniunt: vbi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens. (2.Par.4.) Non enim in hoc altari ſanguis hoſtiarum, ſed thymiama tantum incenditur, quia tales viri non habent opera carnis & ſanguinis, quæ in ara ſui cordis immolantes domino mactent, ſed ſolummodo lachrymarum & orationis ei vota, pro deſiderio regni cæleſtis offerunt. [*Fecit quoque altare æneum viginti cubitorum longitudinis, & viginti cubitorum latitudinis, & decem cubitorum altitudinis.*] Et quidem altare thymiamatis Moſes fecit in eremo, habens cubitum longitudinis, & H alterum latitudinis, & duos cubitos in altitudine. Quantæ autem magnitudinis, hoc ſuperius dictum altare Salomon fecerit, ſcriptura prædicit, ſed tamen quod altare aureum fecerit, dicit. Conſtat autem quia tantum facere non potuit, quantum fecit holocauſti, quia ſi viginti cubitorum in longitudine & latitudine factum eſſet, totam templi latitudinem impleret. Quanto igitur exterius erat poſitum altare holocauſti quam incenſi, quantumque genere oblationis, ac vilitate metalli ignobilius fuit, tantum quantitate menſuræ & hoſtiarum frequentia præſtabat. Quia nimirum plures ſunt multo quibus dicatur. (Matt.19.) *Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata*: quam quos audire delectet, *Si vis perfectus eſſe, vade, vende quæ habes & da pauperibus.* Nec tamen huius menſuræ altaris myſtica ratione caret & numero. Habet enim xx. cubitos longitudinis, & totidem cubitos latitudinis, & decem cubitos altitudinis. De quo quidem numero ſupra in expoſitione templi & veſtibuli eius diximus. Sed & nunc

 dicendum

A dicendum breuiter: Quia si altare holocausti illorum in Ecclesia typum tenet, qui suom corpus & animam domino consecrare per ignem amoris illius quærunt, perseuerantia horum in bona operatione per longitudinem altaris, amplitudo in charitate Dei & proximi per latitudinem spes in spectatione diuinæ visioois per altitudinem figuratur. Quod autem loogitudo & latitudo altaris vicenorum erat cubitorum, magnam vtique perfectionem designat eiusdem indefessæ longanimitatis, ac synceræ dilectionis, quæ per vtriusque testamenti nobis obseruantiam tribuitur. Quater enim quini, vicenarium numerum complent. Quinque autem libri Mosaycæ legis, quatuor sunt Euangelicæ libertatis. Et cum ad intelligentiam atque custodiam legis spiritalem, illustrante Euangelij gratia, peruenimus vicenarium profecto numero hoc perficimus. Fitque idem numerus in longitudine & latitudine altaris, cum corda electorum docente vtroque testamento, & adiuuante ipso vno vtriusque te- B stamenti autore, & perseuerantiam boni operis, etiam in persecutione seruant in hilaritate dilectioois, & etiam in eos, qui persequuntur, exhibent. Denario autem numero, spes cælestium præmiorum solet designari, dominn affirmante, cum eos qui in vinea magni patris familias laborant, denario remuneratos esse testatur. Et idem altare quod in figura factum est electorum, ob significandam eorum vitam perpetuam, decem erat cubitis altum. Matt. 20. Cum vero dictum est, quia fecit Salomon altare aureum additum est continuo, & mensam super quam ponerentur panes propositionis auream. Mensa autem aurea, scriptura est sacra spiritalis intelligentiæ, claritate fœcunda, de Ps. 22. qua Psalmista domino; *Parasti*, inquit, *in conspectu meo mensam aduersus eos qui tribulant me*. Ne enim nos aduersarij tribulantes ad errorem flectant, mensam nobis conditor noster scientiæ cœlestis, per quam in fide veritatis conforteraur, parauit. Panes namque propositionis, sancti sunt doctores, quorum vel opera oobis, vel verba sa- C lutaria, ad exemplum vitæ proposita, semper in diuinis paginis quisquis bene quærit, inuenit. Vnde recte apteque iidem panes in Exodo duodecim fieri præcepti sunt videlicet propter Apostolos duodecim, per quorum ministerium & nobis scriptura ooui Testamenti condita est, & instrumenti veteris, donante Domino, reuelata mysteria. Quorum nimirum numero, non tantum iidem Apostoli, sed omnes sunt designati, qui verbum prædicando, pabulum vitæ fidelibus mioistrant: quia omnes 1. Pet. 4. vtique ipsam docttinæ formam, quam à Domino Apostoli accepere sequuntur. Quod vero in verbis dierum legimus, quia fecit Salomon mensas decem, & pusuit eas in templo, quinque à dextris, & quinque à sinistris, phialas quoque aureas centum: non has meosas tam ad panes propositionis quam ad vasa Domini portanda factas esse credibile est, phialas videlicet quas pariter factas scriptura refert, thymiamateria, thuribula, & cætera quæ in sequentibus leguotur: mystice possumus nonnulla intelligere. Nam quod paulo post in eodem verborum volumine subinfertur: Fecit Salomon omnia vasa do- D mus Domini Dei, & altare æneum & mensas, & super eas panes propositionis: vel ploralem numerum pro singulari posuit, more scripturæ vsitatissimo, vt in Iesu Iosue 7. Naue: *Filij autem Israël præuaricati sunt mandatum, & vsurpauerunt de anathemate*, cum Achar solus & non plures filij Israël hoc fecerunt: vel quia certe panes propositionis solebant ante Sabbatum coqui, vt Sabbato mox poni possent in mensam propositionis: potuit fieri vt panes noui nouiter cocti mox illis mensis imponerentur, ibidemque nocte illa seruarentur operti, donec primo mane ablatis vteribus super mensam propositionis ponerentur calidi. Non autem hæ mensæ decem à figura vnius mensæ propositionis discrepant. Nam sicut vna mensa duodecim panibus onusta, vnanimem totius scripturæ concordiam autoritate Apostolica munitam designat: ita vi non immerito decem mensæ aureæ, diuinæ legis & Prophetarum eloquia figurare denunciant, quæ vel refectionem nobis verbi Dei quasi panes propositionis offerunt, vel nobis exempla fidelium quasi positorum in se vasorum Domini, claritatem & miracula pro- E ponunt. Recte autem bis quinæ sunt mensæ, non solum quia legislator quinque volumina scripsit, verumetiam quia tota series testamenti veteris, quinque ætates sæculi complectitur. Geminatur vero numerus mensarum quinariis, & quinque à dextris, quinque à sinistris ponuntur: cum post iocarnationem dominicam eadem scriptura siue vtrique Dei populo, Iudæo scilicet & gentili committitur, siue Euangelicis plena figuris ostenditur, quæ quondam antiquo Dei populo iuxta litteram solum intelligenda esse putabatur. [*Fecit & hydrias & fuscinulas & phialas & mortariola & de auro purissimo.*] Hydriæ enim præcordia sanctorum signant, aqua sapientiæ, & vino compunctionis repleta; fuscinulæ quoque quibus carnes præparantur, iidem prædicatores, quorum verba sunt vt stimuli, & velut claui in altum defixi: qui suis auditoribus cibum spiritalis intel- F ligentiæ administrant, præfigurantur: qoorum videlicet officium est corpus & sanguinem Domini credentibus distribuere, infidelibus abnegare, de quibus in sequentibus dicetur. Phialæ namque Apostoli & doctores pleni vitalibus aquis. Mortariola quippe, sanctorum pœnitentium labor passioque tolerantiæ, quibus mortificantur membra eorum super terram. Thuribula autem figurantur virtures operum, vel scilicet orationes sanctorum, quibus odor suauitatis ascendit ad Deum, ex conscia pura, & fide non ficta. [*Et candelabra aurea quinque ad dexteram & quinque ad sinistram contra oraculum ex auro puro & quasi lilij flores, & lucernas desuper aureas.*] Sicut enim mensæ in typo Sanctæ Scripturæ recte ponuntur, quia & esutientibus iustitiam, panem verbi Dei ministrant. Et vasa fuerunt ministerij cœlestis, id est iustorum nobis actus in exemplum proponunt: ita etiam aptissime per candelabra eadem diuina eloquia figurantur, videlicet quia lucem sapientiæ errantibus proferunt Ps. 118. Hinc etenim Psalmista: *Lucerna*, inquit, *pedibus meis* Prou. 6 G *verbum tuum Domine, & lumen semitis meis*. Hinc etiam Salomon ait: *Quia mandatum lucerna est, & lex lux*. Quare autem quinque à dextris, & quioque à sinistris sint posita candelabra, ex his quæ de mensis tractauimus, facilime patet. Cum vero dixisset, *quinque à dextris & quinque à sinistris*, conuenienter addidit, *contra oraculum*: Oraculum namque vbi erat arca, vt sæpe dictum est, adytum designat patriæ cælestis, vbi Christus in dextera Dei sedens, paternorum vtique coosciius arcanorum. Et candelabra templi aurea, contra oraculum sunt posita, quia diuina eloquia semper ad habitationem supernæ ciuitatis aspectant, vt huius agnitionem ac desiderium nostris cordibus infundant: & eos qui originem carnis æternam habent, ad appetendam promerendamque in cælestibus sedē perpetuæ mansionis accendant. Si autē quæris, quid inter candelabra & lucernas eorum typice distet? possumus recte intelligere, lucernas esse viros sanctos, qui oleo S. sancti infusi, & ipsi igne dilectionis ardent in corde, & proximis lucem scientiæ præferunt in lingua. Candelabra autem quæ has lucernas in sublime tollunt vt longe lateque videri possint in Eccl. scripturam esse sacram, quæ H sanctorum nobis virtutes, & doctrinam sua lectione demonstrāt. Cui videlicet interpretationi annuit sermo Domini, quo dicitur de Ioan. *Ille erat lucerna ardens & lucēs.* Possumus etiam ita aptissime dicere, quia lucernæ diuina sunt eloquia, iuxta illud Psalmistæ, quod & supra posuimus: *Lucerna pedibus meis verbum tuum Domine, & lumen* Ps. 118. *semitis meis*. Candelabra autem horum lucernarum, san- Iohan. 6. cti sunt omnes, qui sua & corda & corpora ferendis domini mandatis, humili semper intentione supponunt. Quisquis enim in nullo propriam sequi curat voluntatē, verū in omnibus quæ Scriptura sancta dicat attendit, eiusque se subiicere mandatis, eius satagit auscultare promissis quasi candelabrum domus Dei aureum aureas eius gestat lucernas: quia castra corporis sui membra, castras mentis cogitationes, ad facienda quæ Deus iubet supponere contendit, & hoc tam fixa intentione, quam candelabrū. Necesse est enim firmiter ad superna erectum impositas sibi lucernas, non solum absque ruina, sed etiam absque

vlla

A vlla status sui motione seruare. Quod vero cum dixisset [*& candelabra aurea quinque ad dexteram, & quinque ad sinistram contra oraculum ex auro puro*] addidit [*& quasi lilij flores, & lucernas desuper aureas.*] Videtur iuxta literam, quia suprema pars candelabrorum, in modum sit lilij repandi deformata, quomodo in candelabro tabernaculi factum esse legimus, cuius est stipes medius, & calami ex ipso procedentes, cum scyphis & sperulis lilia scribuntur habuisse perplurima. Flores autem lilij (vt sæpe dictum est) amœnitatem semper virentis terræ 1.Pet.1. viuentium designant: de qua dicit Beatus Petrus regeneratos nos à domino in spem viuam, in hæreditatem incorruptibilem & incontaminatam, & immarcessibilem conseruatam in cœlis. Et bene lilij flores aurei in candelabro sunt facti domus Domini, quia scriptura diuina spretis temporalibus gaudiis, ad appetenda nos bona patriæ cælestis prouocare consueuit. Et quomodo erectum in altitudine candelabrum lilij flores, & lucernas B habet aureas in capite, ita electi omnes qui in eadem scriptura sacra continentur, erecto ad superna sensu, cælestia bona à domino quæsisse & percepisse probantur. [*Et cardines ostiorum domus templi interioris sancti sanctorum, & ostiorum domus templi ex auro erant.*] Ostia enim domus interioris, sancti sanctorum, angelica sunt ministeria, quæ nobis de corpore egressis introitum vitæ cælestis reserant. Et ostia domus templi, doctores sunt sancti ac sacerdotes, qui instruendo, baptizando, Domini Corporis & Sanguinis mysteria communicando, prima nobis Ecclesiæ præfeotis limina pandunt. Quid cardines vtrorumque ostiorum, nisi sensus & corda sunt eorundem angelorum siue hominum sanctorum, quibus immutabiliter contemplationi ac dilectioni sui conditoris adhærent, vt eo ministerium diuinitus sibi delegatum recte compleant, quo à voluntate illius cui ministrant; nunquam oculos auertunt: aperiuntur enim & clauduntur ostia tempore congruo, sed nullo suum cardinem tempore deserunt: quia & angeli C & omnes sancti, siue in hac vita fidei, seu in illa spei fideles atque electos suscipiant, semper animum in radice internæ dilectionis fixum tenent. Vnde bene idem cardines ex auro esse facti perhibentur, propter videlicet vel meritum propriæ claritatis, vel illius quam habent in Deum charitatis. [*Et perfecit omne opus quod faciebat rex Salomon in domo domini.*] Perfecit Salomon opus quod faciebat in domo domini, cum rex pacificus noster in die nouissima omnes electos resurrectionis immortalitate glorificat. Alioquin quamdiu status huius seculi geritur, fecit quidem opus Domus domini Salomon, sed nondum perficit, quia corda electorum Dominus vt bona operentur inspirat & adiuuat. Nullum tamen in hac dumtaxat vita commorantem absque peccato esse tribuit: namque hoc donum futuræ vitæ beatitudinis reseruat. Perficit vero omne opus templi sui, & hoc dedicationi aptum reddit, cum translatos de hac vita electos suos æternum perducit ad regnum, quod bene significatur etiam in eo quod templum quatuor D annis ædificatum est, octauo autem perfectum ad dedicatum est, septem namque diebus omne hoc tempus voluitur. Octaua est dies est iudicij, & resurrectionis futuræ: de qua psalmi sextus & vndecimus attitulati sunt. Cui videlicet tempori conuenit apte quod sequitur: [*Et intulit quæ sanctificauerat Dauid pater suus, argentum, & aurum & vasa, reposuitque in thesauris domus domini.*] Argentum namque ad nitorem eloquentiæ, aurum & splendorem sapientiæ. Vasa generaliter ad rationalem pertinent creaturam. Sanctificatque Dauid pater Salomonis argentum; cum Deus pater eloquentes quosque gratia sui spiritus ad loquendum verbum Euangelij confortat. Sanctificat aurum, cum naturali ingenio peritos suo replens spiritu ad considerandum in lege sua mirabilia illuminat. Sanctificat & vasa, cum omnibus generaliter Ecclesiæ filiis eiusdem spiritus gratia largitor, ad amanda illos, & appetenda perpetuæ salutis inflammat. Hoc autem argentum, hoc aurum, hæc sanctificata vasa Salomon infert in templum cum Dominus noster peracto vniuersali iudicio omnes electos, & E doctorum videlicet, & cæterorum fidelium cœtum, in gaudium regni cælestis introducit. Reponitque vasa diuersi generis, argentea siue aurea in thesauris domus domini, quando eos qui multitudine dulcedinis eius frui meruerint abscondit in abdito vultus sui, à conturbatione hominum. Et apte multi sunt thesauri, in quibus vasa electionis reconduntur, sed vna domus domini in qua idem sunt facti thesauri, quia & vna Ecclesia in qua omnes continentur electi, quantumlibet meritis distent. Et vna ac non diuersa est patria illa cælestis, quæ electis promittitur omnibus, quamuis sicut stella à stella differt in claritate, ita & resurrectio mortuorũ. Quod vtrũ iudex ipse ac distributor præmiorum Dominus, vna sententia demonstrauit, cum ait: *In domo patris mei mansiones multæ sunt.* Ioan.14.

CAP. VIII. F

E*T intulerunt sacerdotes arcam fœderis domini in locum suum, in oraculum templi, in sanctum sanctorum subter alas Cherubim. Siquidem Cherubim expandebant alas super locum arcæ, & protegebant arcam, & vectes eius desuper. Cumque eminerent vectes & apparerent summitates eorum foris sanctuarium ante oraculum, non apparebant vltra extrinsecus, quia & fuerunt ibi vsque in præsentem diem. In arca autem non erat aliud nisi duæ tabulæ lapideæ quas posuerat in ea Moyses in Horeb, quando pepigit fœdus Dominus cum filiis Israel cum egrederentur de terra Ægypti, &c.*] Quod illata arca in sancta sanctorum dicitur eumque eminarent vectes, & apparerent summitates eorum foris sanctuarium, non apparebant vltra extrinsecus, hoc manifestius in Paralipomenon volumine scribitur: *Vectium* (inquit) *quibus portabant arcam, quia paululum longiores erant, capita parebant ante oraculum.* 2.Par.5. Si vero quis paululum fuisset extrinsecus, eos videre non poterat. Vbi notandum, quia etsi vectium capita accedentibus propius ac diligentius intuentibus parebant ante G oraculum, non tamen eminerent. Quia nimirum necesse erat vt clauso oraculo, & appenso ante ostia velo, ipsi quoque vectes toti cum arca & Cherubim abducerentur interius: quod fieri non poterat, si prominentes vlterius vectes producendis ad claudendum ostiis locum non darent. Quorum positionem vectium scriptura non sine causa, sed magis intuitu sacramenti tam diligenter expedire curauit. Constat enim quia domus templi exterior peregrinantem in terris ecclesiam: sancta autem sanctorum internam supernæ patriæ felicitatẽ, designant. Item illata in sancta sanctorum arca, assumptam Christi humilitatem, & intra velum regiæ cælestis inductam. Vectes vero quibus eadem arca portabatur, prædicatores verbi (per quos ipse mundo innotuit) typice nuntiant. Erat autem in arca vrna aurea habens manna: quia in homine Christo habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. Erat virga Aaron quæ excisa denuo floruerat, quia potestas omnis iudicandi penes eum est, cuius iudicium in humilitate passionis videbatur esse sublatum. H Erant & tabulæ testamenti, quia in illo *sunt thesauri sapientiæ absconditi.* Col.2. Adhærebant ei vectes quibus portabatur, quia doctores qui quondam laborarunt in verbo Christi, nunc præsenti, visione congaudent gloriæ Christi. Quod enim vnus eorum de se dixit: Cupio dissolui, & cum Christo esse, de omnibus vtique sui operis consortibus intelligendum reliquit. Adparebant summitates vectium foris ante oraculum, non semper, sed cum ostia eiusdem oraculi aperiri contingeret. Neque hoc omnibus, sed his solummodo qui propius accedentes attentius ea quæ intus erant satagebant intueri. Ipsa autem arca qualis & quomodo esset posita, solis eis qui oraculum intrassent, videre licebat. Quia nullus sanctorum in hac adhuc vita positus tametsi in altitudine se mentis attollens: sed soli illius patriæ ciues gloriam inibi sui redemptoris plene contuentur. Sunt & vectes cum arca in oraculo conditi: quia absconditi sunt nunc perfecti quique electi, qui nos pro-

A cesserunt de mundo, in abdito vultus Dei à conturbatione hominum. Quorum tamen summitates vectium aperto oraculo his qui appropiant visuntur, cum perfectioribus quibusque oculum sui cordis tota intentione porificantibus, diuina gratia aliquid extremum de supernorum ciuium gaudio contemplandum, donauerit: quia nimium contemplatio his qui paulo longius recesserint minime conceditur. Quia quanto extenus mente vaga temanent, tanto minus quæ sint interna gaudia vident. [*Factum est autem cum exisset sacerdotes de sanctuario, nebula impleuit domum Domini, & non poterant sacerdotes stare & ministrare propter nebulam. Impleuerat enim gloria Domini domum Domini.* & reliqua.] Quod autem nebula impleuit domum Domini, & non poterant sacerdotes stare & ministrare propter nebulam, hæc sententia superbos Iudæorum pontifices ac doctores insinuat, qui dum natiuitatis Christi sacramenta inuestigare despiciunt, debitum fidei suæ ministerium per errores nebulam, perdiderunt. B Ita eorum mentes infidelitatis caligo repleuit, vt exigentibus propriis meritis non agnoscant cultum credulitatis. Nebula ergo synagogam, id est domum Domini impleuit, & sacerdotes propter nebulam ministrare non poterant, quia dum in testamento veteri sensus mysticos literæ velamine coopertos, inter obscuritas allegoriarum caligines inuestigare despiciunt, debitum fidei suæ ministerium, propter nebulam perdiderunt. Quibus & tunc in nebula doctrinæ suæ, vocem Dominus protulit, cum de se etiam aperta narrauit. Quid est Ioan. 10. enim apertius quam *Ego & pater vnum sumus?* Quid aper- Ioan. 8. tius quam *Ante Abraham ego sum?* Sed quia auditorum mentes infidelitatis caligo compleuerat, quasi emissum solis radium nebula interiacens abscondebat. [*Et dedicauerunt templum Domini, Rex & filij Israel.*] Templum Domini, sancta est Ecclesia, sicut supra ostensum est: hanc dedicauit Rex Christus, quando eam sanguine suo mundauit, & Spiritus sancti gratia sanctificauit, ac diuersa C virtutum donis multiplicauit. Hanc dedicant & filij Israël secum, quando vnusquisque fidelium, secundum sibi donum collatum à Deo, verbo prædicationis & virtutum operibus proximo suos quoscunque valet ad meliora & perfectiora conuertere, satagit. *Templum enim Domini* (ait Apostolus) *sanctum est, quod estis vos.* Sed hanc sanctificationem, Rex & populus, caput & membra, non æqualiter perficiunt, quia de Christo Ioannes ait: de plenitudine eius nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia. Hinc Paulus dicit: *Itaque neque qui plantat, est aliquid, neque qui rigat: sed qui incrementum dat Deus.* Sed quantum valeat hominis dedicatio, prædictus Apostolus subsequenter exponit dicens: *Qui plantat autem & rigat vnum sunt. Vnusquisque autem propriam mercedem accipiet, secundum suum laborem. Dei enim sumus adiutores, Dei agricultura estis, Dei ædificatio estis* &c. Igitur ipse sanctificat suum templum quasi Deus & Dominus inhabitando nos autem digni habitationis eius conuersando. Sequitur: [*In die illa sanctificauit Rex me-* D *dium atrij, quod erat ante domum Domini. Fecit quippe ibi holocaustum & sacrificium & adipem pacificorum, quia altare æneum quod erat coram domino minus erat, & capere non poterat holocaustum & sacrificium & adipem pacificorum.*] Quid ergo est quod Salomon sanctificauit medium atrij, offerens ibi holocaustum & sacrificium: propterea quia altare æneum quod iuxta constitutionem legis ante fores templi positum erat, non poterat totum capere? nisi quod Christus ea quæ in lege propter infirmitatem eius perfici non poterant, nunc in Eccl. catholica pleniter gerit. Ipse est enim atriū domus Domini, per ipsū ingressos pater in domo Dñi in Ierusalē videlicet cœlestē. Quia ergo holocausta & sacrificia omnia in altari typico veteris testamenti non poterant offerri, eo quod omnia ibi figuraliter fiebant, rex noster & sacerdos, erexit altare fidei in Ecclesia catholica, in quo pinguia holocausta & sacrificia acceptabilia quotidie spiritualiter Deo offeruntur. Hinc est quod Dominus reprobans vetus sacrificium per Prophetam ait: *Holocausta & sanguinem victimarum nolui.* Et item in psalmis sacrificium laudis honorificauit me. Et illic iter quod ostendam illi salutare Dei [*Fecit* E *ergo Salomon festiuitatem in tempore illo celebrem, & omnis Israel cum eo multitudo magna ab introitu Emath vsque ad riuum Ægypti coram Domino Deo nostro.*] Quod dicitur, quia fecit Salomon festiuitatem celebrem, & omnis Israël cum eo multitudo magna ab introitu Emath vsque ad riuum Ægypti coram Domino: per introitum Emath, septentrionalem terræ repromissionis plagam per riuum siue torrentem Ægypti coram Domino: vt verba dictum nominant, designat australem. De quibus Num. 34. aliqua latius ex verbis sancti Hieron. ponere gratum puto esse lectori. Scriptum est in libro Numerorum, in quo omnis terra repromissionis per quatuor plagas breui sermone diuiditur. Pars meridiana incipiet à solitudine Sin quæ est iuxta Edom, & habebit terminos contra orientem mare salsissimum, qui circuit australem plagam per ascensum scorpionis, ita vt transeant in Senna, & perueniant in meridiem vsque ad Cadesbarne, vnde egredientur confinia ad villam nomine Adar, & tendent F vsque ad Asemona. Ibitque per gyrum terminus ab Asemona vsque ad torrentem Ægypti, & maris magni littore finietur. Pro quo in vltima visione Prophetæ Hiezechielis ita dicitur: *Plaga autem australis meridiana a Tha-* Iez. 48. *mar, vsque ad aquas Mariboth.* Aquas Mariboth, id est, contradictionis. Cades quoque & torrentes vsque ad mare magnum, quod significat latissimam solitudinem Sin, quæ est iuxta Edom. Et in mari rubro terminum circumire, & per ascensum scorpionis & Senna & Cadesbarne & atrium siue villam Adar, & à Semona peruenire vsque ad torrentem Ægypti, qui iuxta vrbem Rinocoruram mari influit. Hic vero terminus plagæ australis incipit, à Thamar quæ vrbs in solitudine est, quam & Salomon miris operibus extruxit, & hodie Palmiram nuncupatur: Hebraicoque sermone Thamar dicitur, quæ in lingua nostra palmam sonat, vsque ad aquas contradictionis Cades quam in deserto esse, non dubium est, & torrens ingrediens mare magnum, hoc quod Ægypti Palæstinæque prætenditur littoribus. Sequitur in libro Numero- G rum: Plaga autem occidentalis, à mari magno incipit, & ipso fine clauditur, hoc est à mari vsque ad mare, à torrente videlicet Rinocore, qui in mare influit, vsque ad eum locum vbi est Emath vrbs Syriæ, cuius in hac plaga & nomen ponitur in Iezechiele. Et plaga (inquiens) mare magnum à confinio per directum donec venias Emath, quæ nunc Epiphania nominatur, Ab Antiocho crudelissimo tyrannorum nomine commutato, Nam cognomentum habuit Epiphanes. Porro ad septentrionalem (inquit) partem à mari magno termini incipient, peruenientes vsque ad montem altissimum, quo veniens in Emath vsque ad terminos sedebar, ibuntque confinia vsque ad Sephtona & villam Enan, hi erunt termini in parte aquilonis. Dicunt Hebræi septentrionalem plagam incipere à mari magno, quod Palæstinæ, Phœnicis & Syriæ, quæ appellatur cele, Ciliciæque prætenditur littoribus, & per Ægyptum tendit ad Libyam. Quod autem dicitur: peruenientes terminos vsque ad montem al- H tissimum, eundem Hebræi autumant vel Imaum montem significare, vel Taurum: quod nobis videtur verius. Ibuntque, inquit, confinia vsque ad Sephrona, quam Hebræi hodie Zephuim oppidum Ciliciæ, vocant. Quod autem sequitur: Et villam Enan, pro quo in Hebræo scriptum est Asernam, quod interpretatur atrium fontis, terminus est Damasci. Vnde dicitur in Iezechiele: Et erit terminus à mari vsque ad atrium Enan, siue Aser. Enan terminus Damasci, & ab aquilone ad aquilonem plaga septentrionalis de villa Enan Sephama, & de Sephama descendent termini in Rebla contra fontem. Inde peruenit contra orientem ad mare Genezareth, & tendent vsque Iordanem & ad vltimum salsissimo claudentur mari. A fine igitur septentrionalis plagæ, hoc est, atrio Enan tendunt fines vsque ad Saphama, quam Hebræi Aphamiam nominant. Et de Aphamia descendunt termini in Reblata, quæ nunc Syriæ vocatur Antiochia. Et vt scias Reblam hanc significare vrbem, quæ nunc in Syria celes nobilissima est, sequitur: contra fontem, cui proprium est si-

gnificari

A gnificari Daphnem: de quo fonte supradicta vrbs, aquis abundantissimis fruitur. Inde, inquit, peruenient termini contra orientem ad mare Genezareth, id est, ad stagnum Tiberiadis. Mare autem dicitur, cum habeat dolces aquas, iuxta idiomata scripturarum, quæ congregationes aquarum appellant maria. Et tendent (inquit) vsque Iurdanem & ad vltimum claudentur mari, vel mortuo, vel vt alij putant lingua maris rubri, in cuius littore Abila posita est.] *Quod autem sequitur in libro Regum, quod septem diebus & septem diebus, id est quatuordecim diebus, prædicta festiuitas à Salomone & filiis Israel celebraretur, & in die octauo dimisit populos.*] Intuendum est quomodo in verbis dierum de eadem re scriptum sit. Fecit ergo Salomon festiuitatem in tempore illo septem diebus, & omnis Israel cū eo, Ecclesia magna valde ab introitu Emath vsque ad torrentem Ægypti: fecitque die octano collectā eo quod dedicasset altare septem diebus, & solemnitatem
B celebrasset diebus septem. Igitur vicesimo tertio mensis septimi dimisit populos ad tabernacula sua, sed puto non aliud hic velle intelligi nisi quod expletis diebus septem dedicationis templi, subsecuti sunt dies scenopegiæ, quæ à decimoquinto die mensis septimi secundum legem inchoabantur, & in die vigesimo secundo finiebantur. Vtrisque ergo festiuitatibus rite peractis, & scenoplegiarum octaua die finita, dimisit Rex Salomon populos ad sua. [*Lætantes atque gaudentes super bona quæ fecerat Dominus David & Salomoni & Israel populo suo,*] Cui sensui videtur Iosephus suffragari ita dicēs: *Dimisit ergo Salomō Ecclesiam, cum sacrificia celebrasset pro se & pro vniuersis Hebræis,* id est, vitulos quidem viginti duos, oues autem viginti centum. Tunc enim prius in templo sacrificia celebrata sunt, & in eo epulati sunt omnes Hebræi cum vxoribus suis & filiis. Insuper etiam & festiuitatem quæ vocatur scenopegia, faciens ante templum clare nimis & magnifice diebus quatuordecim, & rex cum omni populo suo pariter epulatus est. Cumque hæc fuissent sufficienter exhibita nihilque deesset circa pietatis diuinæ culturam, dimissi à rege singoli ad propria remearunt,
C agentes gratias regi, propter prouidentiam quā habuisset, & opera quæ fecisset & orantes Deum, vt eis regem prberet, longæuo tempore Salomonem. Agebant cum gaudio reuertentes sublimiter, & cum delectatione hymnos decantantes, ita vt io ea iucunditate sine labore ad propria remearent. Mystice autem hoc quod Salomon completo opere templi festiuitatem celebrem fecit, sicut quibusdam videtur, & omnis Israël cum eo multitudo magna ab introitu Emath vsque ad riuum Ægypti coram Domino Deo significat internum gaudium sanctorum, quod cum rege suo Christo vero videlicet pacifico, perpetualiter habent: Necnon & loca ipsa quibus termini terræ Israël descripti sunt, Emath videlicet & riuus Ægypti, huic significationi non contradicunt, Emath enim interpretatur domini veritas. Et per riuum siue torrenté Ægypti quem melius intelligere possumus, quam mortem temporalem? quia hanc in Ægypto, id est, in tenebris istius mundi consistens, nullus euadere potest, Pro-
Psal. 88. pheta attestante, qui ait: *Quis est homo qui viuit, & non*
D Ps. 109. *videbit mortem?* Vnde de ipso mediatore Dei & hominū, in psalmo scriptum est: *De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput.* Torrens fuit turbulenta Iudæorum persecutio, de qua Dominus Christus bibit in via id est, in hac vita, dum corpore pertulit. Sed dum in via dicitur, labor
Phil. 2. interius ostenditur, & velocissimus transitus indicatur per quam itinerantes vehi solent ad aliam mansionem: Christo enim propter gloriosæ meritum passionis, *datum est nomen quod est super omne nomen, vt in nomine eius omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum.* Omnis ergo Israel à riuo Ægypti vsque Emath, festum celebre cum Salomone faciunt, quando sancti post finem præsentis vitæ veraciter æternis gaudiis cum domino Christo perfruuntur. Quod autem septem diebus & septem diebus eandem festiuitatem celebrabant, significari potest quod electi per septiformem spiritus sancti gratiam illuminati, modo in hac vita (quæ septenario numero dierum discurrit) gaudent in spe: & tunc in

E sabbato vero, hoc est, in futura animarum requie gaudebunt in ipsius veritatis perceptione. Quod autem sequitur: [*In die octauo Salomonem dimisisse populum qui benedicentes regi, profecti sunt singuli in tabernacula sua, lætātes alacri corde super omnibus bonis quæ fecerat Dominus David seruo suo, & Israel populo suo.*] Significare potest finem istius vitæ, qui erit post sabbatismum animarum sanctarum, quo nunc quiescunt ante diem iudicij. In octaua ætate, hoc est, in die resurrectionis sanctos receptutos corpora immortalia, & in mansionibus cælestibus quosque secundum meritorum qualitatea collocandoa, vbi semper alacri corde lætentur, gaudentes & laudantes Deū super omnibus bonis, quæ in domino Christo pater omnipotens contulit omni populo Christiano.

CAP. IX.

DEdit Rex Salomon Hiram viginti oppida in terra
F *Galilea. Egressusque est Hiram de Tyro vt videret oppida quæ dederat ei Salomon, & non placuerunt ei, & ait: Haeccine sunt ciuitates quas dedisti mihi frater? Et appellauit eas terram Chabul vsque in diem hunc.*] De hoc Iosephus narrat; Multum aurum & argentum Tyri Rex ad ædificiū contulit, insuper & ligna cedrina, & cypressina, quem Salomon quoque magnis compensationibus redonauit, mittensque ei per annos singulos triticū vinū, & oleum, quibus maxime rebus (eo quod habitaret in insula sicut prædiximus) indigebat. Ad hæc autem & ciuitates Galilææ regionis, viginti numero, non procul à Tyro positas condonauit. Quas dum circuisset atque considerasset displicuissetque ei donum, mittens ad Salomonem, dixit se ciuitatibus non egere, & ex tunc hæ appellatæ sunt terra Gabalon. Etenim interpretatum lingua Phœnicia, displicere significat. Sed Chabul quasi germen interpretatur, vt in libro Hebræorum nominum inuenimus. Quomodo autem hoc nomen displicere significet, non inuenimus, nisi forte per ironiam dictum sit quasi ger-
G men, cum plenitudinem fructuum non afferret. *Ædificauit ergo Salomon Gazer & Bethoron inferiorum, & Baalath, & Palmiram in terra solitudinis. Et omnes vicos, qui ad se pertinebant, & quæ erant absque muro muniuit,* &c. Vrbes vero quas ædificasse Salomon dicitur, hoc est, Mello, & murum Ierusalem, Hezer Mageddo, & Gazer, Bethoron, Baalath, & Palmiram, sanctæ Ecclesiæ decoré significant: quam verus Salomon in iucunditate regni sui ad laudem & sempiternam lætitiam sibi præparauit. Interpretetur autem Mello adimpletio: Hezer, separatus, vel sanctificatus. Mageddo cœnaculum eius: Gazer præscisio vel diuisio: Bethoron, Domus montium: & Balaath, ascendens interpretatur. Sancta ergo Ecclesi, ipsa ciuitas Dei viui est, vbi impletur quotidie Dei voluntas. Hæc superato omni errore infidelium sanctificata est in fide & bonis operibus. Ibi refectio virtutum est, hæc discernit mundum ab immundo, virtutes à vitiis. Et domus est montium id est, habitatio sanctorum. Et fructus iusti-
H tiæ sicut palma florens, ascendit de virtute in virtutem, vt videat Deum deorum in Sion, [*Omnes vicos qui ad se per-*
tinebant & qui erant absque muro muniuit Salomon.] Quia Ps. 83. Christus cœtus fidelium suorum, gratiæ suæ protectione ita muniuit vt hostibus spiritalibus insuperabiles semper existerent. [*Vniuersum populum qui remanserat de Amorræis, & de Hethæis, & Pheresæis, & Heuæis, & Iebusæis, qui non sunt de filiis Israël. Horum filios qui remanserant in terra, quos scilicet non poterant filij Israel exterminare, fecit Salomon tributarios vsque in diem hanc. De filiis autem Israel non constituit Salomon seruire quenquā, sed erant viri bellatores & ministri eius, & principes & duces & præfecti curruum*; & reliqua.] Vniuersum populum qui non fuerat de filiis Israël, fecit pacificus noster tributarios, cum eos qui non sunt in filiorum numero, sed in seruili conditione positi, in potestate sua contineat, & singulis vtitur ad proprium seruitium. Siue enim Iudæi, siue gentiles, siue hæretici, in eius dominatione consistunt, quia ipse vniuersorum dominator est, & eis vtitur ad suam vtilitatem, in cuius voluntatem vniuersa

sunt

A sunt posita,& non est qui possit resistere voluntati eius: Tales licet in multis aduersentur, tamen frequenter vsibus seruiunt Ecclesiæ, cum in præsenti tempore necessaria tribuont, & de rebus suis solatia præbent. De filiis autem Israël, hoc est, qui non ancillæ filij sunt, sed liberæ, quos ipse filius Dei sangoine suo liberauit, non constituit Salomon noster seruire quempiam: quia neminem cogit ritu gentili viuere, neminem ceremonias veteris legis temporibos noui Testamenti seruare. Sed viros bellatores esse, qui contra spiritales nequitias scuto fidei, & gladio spiritus dimicent, & ministros suos fieri, hoc est, spiritale obsequium in bonis operibus sibi præbere. Et principea & duces scilicet, vt bene sibi principeotur, & carnis lasciuiam doment, siue vt sobditos sibi bene regant, & in semita iustitiæ ducant. Quod autem sequitur [*Erant principes super omnia opera Salomonis præpositi quingenti quinquaginta, qui habebant subiectum populum, & statutis operibus imperabant.*] Quid significat, nisi quod
B hi qui Spiritussancti gratia legis Domini scientiam habere merentur, & semetipsos & alios bene regere possunt. Quinquagesimo ergo die post pascha in veteri testamento, lex in monte Sina tributa est. Et in nouo super Apostolos, & eos qui cum ipsis erant spiritus paracletus venit [*Offerebat quoque Rex Salomon tribus vicibus per annos singulos holocausta & pacificas victimas super altare, quod ædificauerat Domino, & adolebat thymiama coram Domino.*] Offert quoque pacificus noster tribus vicibus per annos singulos holocausta domino in membris, cum per sanctæ Trinitatis fidem hostiam acceptabilem exhibet Deo. Offert enim vnusquisque fidelis holocausta Domino, cum corpus suum castigando macerat, & tota desideria carnis igne Spiritussancti consumere festinat. Offert pacificas hostias cum bonorum operum munus exhibet. Offert victimas, cum vota labiorum suorum in laudem Domini expendit. Et hæc omnia super altare quod ædificauerat domino offerre debet, quia in ara cordis vbi decet ignē diuinū semper ardere, hoc est, flāmam charitatis semper feruere, quicquid in abstinētia quicquid in bona operatione
C quicquid in gratiarum actione, elaborat, iustum est, vt, totum suauitate Spiritussancti offerat Deo. Sicque adolebit thymiama coram Domino, quando orationem puram in cordis secreto præparat Deo, & ea quæ sunt Deo digna & placita postulat. Cæterum qui transitoria poscit, & quæ ad luxum sæculi pertinent, non coram Domino adolere thymiama dicitur, quia non in pura conscientia orare comprobatur. [*Classem quoque fecit Rex Salomon in Asiongaber, quæ est iuxta Haylam in littore maris rubri in terra Idumæa. Misitque Hiram in classe illa seruos suos viros nauticos, & gnaros maris, cum seruis Salomonis. Qui cum venissent in Ophir, sumptum inde aurum quadringentorum viginti talentorum detulerunt ad regem Salomonem.*] Asiungaber fertur esse insula haud procul ab Hayla in rubro mari, vbi classis Iosaphat vi tempestatis attrita est. Ophir autem nomen prouinciæ ex Ophir vno de posteris Eber nominatam, ex cuius stirpe veniens à fluuio Cophne, vsque ad regionem Indiæ, quæ vocatur Hieriam
D habitasse referuntur, vt Iosephus narrat. Classis itaque quam fecit Salomon in Asiongaber, quæ festinantes, aut fortes, siue viriliter interpretatur, non aliam esse puto, quam Ecclesiam fidelium, quæ in mari istius mundi posita studium impendit thesauros sapientiæ & scientiæ, opesque virtutum acquirere, vbi sunt serui Hiram nautici & gnari maris cum seruis Salomonis, dum gentiles seculari sapientia eruditi, cum his qui in lege Moysi periti sunt in vnitate fidei sociantur. Hos ergo Salomon noster in Ophir (quæ interpretatur infirmans) mittit, vt sumptum inde aurum ad se deferant, cum in vtilitate litteræ sensum pretiosum habet quærere. Et sic accepta summa quadringentorum viginti talentorum auri ad regem deferunt, cum sensum pretiosum historiæ allegorice & tropologice exponunt, atque anagogen in duobus testamentis inueniunt, & cum sapientiæ, & consilio diuino ascribentes tribuunt.

CAP. X. E

S*Ed & regina Sabba, audita fama Salomonis, in nomine Domini venit tentare eum in ænigmatibus. Et ingressa Hierusalē cū multo comitatu & diuitiis, camelis portantibus aromata, & aurum infinitum nimis, & gemmas pretiosas, venit ad Salomonem, & locuta est ei vniuersa quæ habebat in corde suo.* [Regina autē Austri quæ à finibus extremis, excitata veniens, Salomonis audire sapientiam concupiuit, iam tunc venturam de gentibus Ecclesiam desiderantem Christum figurabat, quæ iuxta prophetam circumamicta est varietate in vestitu deaurato, & populi sui & paternæ domus oblita currebat barbara gente non animo, quæ in aperto peregrina fuit, sed in loco cultu sanctorum fieri ciuis optabat. Vnde non solum cælesti præmio resurrectionis beata, sed etiam potestate Apostolica, de Iudæis adulteris iudicandis, ipsius iudiciis digna cense-
F tur, quia Christum in Salomonem mirata, verum reginæ cælestis affectum imagine mystica Ecclesiæ prouidentis impleuerat. Hinc ipsa regina Saba viso Salomone & gloria eius, stupens super prudentiam eius, dixit: [*Verus est sermo quem audiui in terra mea super sermonibus tuis & super sapientia tua, & non credebā narrantibus mihi, donec ipsa veni, & vidi oculis meis, & probaui quod media pars mihi nuntiata no fuerit. Maiores sapientia tua, & opera tua quā rumor quem audiui.*] Quod bene cōuenit sanctæ Ecclesiæ, quæ auditis miraculis Christi, prouocata est ad quærendum eum. Sed postquam ad ipsum peruenit per baptismum & fidem, consideratis sanctæ Scripturæ testimoniis, diuinitatis eius potentiam agnoscens, parum ei videtur esse omne quod sibi antea de eo narratum est, in comparationem perceptæ gratiæ. Vnde & admirando in laudem eius erumpit, dicens: [*Beati viri tui & beati serui tui qui stant coram te semper & audiunt sapientiam tuam. Sit Dominus Deus tuus benedictus cui complacuisti, & posuit te super thronum Israel, eo quod dilexerit Dominus Is-*
G *rael in sempiternum, & constituit te regem, vt faceres iudicium & iustitiam.*] His quoque similia & Psalm. in desiderio regni cœlestis exardescens ex persona eorum protulit, dicens: *Quam amabilia sunt tabernacula tua Domine virtutum, concupiscit & deficit anima mea in atria Domini. Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum.* Et paulo post: *Beati* (ait) *qui habitant in domo tua in sæculum sæculi laudabūt te.* Illi vero beati sunt, quorū rex est Christus: & quia æterna visione eius perfrui merentur & gloriam eius quam habet cum patre & Spiritu sancto conspicere, & sapientiam per quam ipse mundus corde dignatur se ostendere, perpetualiter percipere lætantur. Sicque probabunt verum esse hoc quod scriptum: *quia nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit quæ præparauit Deus diligentibus se.* [*Rex autem Salomon dedit Reginæ omnia quæ voluit & petiuit ab eo exceptis his quæ vltro obtulerat ei munere regio,* id est] Quia pacificus noster, veræ reginæ Ecclesiæ videlicet suæ, omnia quæ petit, dabit. De quo scriptum est: *Desiderium cordis*
H *eius tribuisti ei, & voluntate labiorum eius non fraudasti eum.* Et in Euangelio ipse dicit: *Quæcumque petieritis patrem in nomine meo dabit vobis.* Non solum autem ea quæ petimus, imo etiam illa quæ humana fragilitas, aut nescit aut non præsumit petere, gratuito munere largitur. [*Fecitque rex de lignis tinis fulcra domus Domini & domus regiæ & citharas lyrasque cantoribus, Non sunt allata huiuscemodi ligna tina, neque visa vsq; in præsentem diem.*] De quo Iosephus ita narrat: Eodem vero tempore delati sunt regi, à terra quæ vocatur aurea, lapides pretiosi, & ligna tina, quibus vsus est ad fortitudinem tēpli domuūque regaliū & ad instromēta musicorum, fecitque citharas & nablas, vt dicerent hymnum Deo leuitæ. Omnium vero rerū quæ fuerunt quocūque tempore regi delata ea quæ illo die delata sunt, magnitudinem & pulchritudinem præcellebāt. Nullus igitur arbitretur, quia ligna tina quæ nūc propter pretium vendentiū sic appellantur, illis vicina sint. Illa siquidem visione rotunda quasi pinea sunt, sed multo candidiora & valde fulgentia Hoc autem dixi, vt nullus naturam

Side notes (right margin): Psal. 44. — Psal. 83. — 1. Cor. 2. — Psal. 20. — Ioan. 14. — Ioseph.

A turam veteræ pignus ignoraret. Sunt enim (sicut in cuiusdam volumine legi) imputribilia & spinosa, in similitudinem albæ spinæ, & vsque hodie Iudæis incognita. Bene autem dicitur, quod Rex Salomon de lignis pretiosis nimis fecerit fulcra domus Domini & domus regiæ, & citharas lyrasque cantoribus? quia conditor noster ligna pretiosa, hoc est, doctores sanctorum, quorum viror nunquam decrescit fidei, nec folia verborum decidunt: sed qui fructum bonorum operum reddunt temporibus suis, ad munimen domus Dei & domus regiæ, hoc est ad confirmationem Ecclesiæ suæ ponit, vt eorum vndique vallata doctrinis & exemplis, ruinam eorum scelerum non sentiat. Talesque viri merito vt citharæ & lyræ ad laudandum dominum fabricati dicuntur, quoniam quæcunque fecerint, prosperabuntur, & laudem domini inter aduersa & prospera, corde, ore, simul & opere pronunciare non cessant. Hi quicquid agunt in verbo aut opere, omnia in gloriā Dei faciunt. De quibus ex persona B Esa.62. Domini per prophetam dicitur: *Super muros Ierusalē constitui custodes, tota die & tota nocte non tacebunt laudare nomen domini.* [*Fecit quoque Salomon ducenta scuta de auro puro. Sexcentos auri siclos dedit in laminas scuti vnius & trecentas peltas ex auro probato. Trecentæ enim minæ auri vnam peltam vestiebant. Posuitque eas Rex in domo syluæ* 2.Par.9. *libani.*] In verbis quoque dierum ita scriptum est: *Fecit igitur Rex Salomon ducentas hastas aureas de summa sexcentorum aureorum, qui in hastis singulis expendebantur. Trecenta quoque scuta aurea trecentorum aureorum, quibus tegebantur scuta singula. Posuitque ea Rex in armamentariū quod erat consitum nemore.* Scuta ergo simul & hastæ aureæ quibus vtebantur (sicut in sequentibus ostenditur) duces qui excubabant ante ostium domus regis: quid significant nisi armaturam spiritualem, quam habent prædicatores sancti, qui custodiunt domum Domini, & excubant ad ostia eius, vt callidis insidiatoribus intercludant aditum, ne decipiant innocentes, de quibus in Can- C Cant.3. tico canticor. scriptum est? *Lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israël, omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi*, quia & præsentem Ecclesiæ quietem ac pacem prædicatores sancti, contra hæreticorum tuentur incursus, & internam cœlestis patriæ requiem perfectiores quoque fixa intentione speculantur. Bene autem iterando adiungitur, [*ex fortissimis Israël.*] Israël quippe, vir videns Deum interpretatur. Omnes quidem qui ad diuinæ visionis gaudia tendunt, rectè Israël nomine censentur. Sed fortissimi (inquit) in eis sunt vtique illi, qui sine cœlestis dono speculationis sublimantur, seu prædicationis ministerium rite peragendum suscipiunt. Qui & apte sexagenario sunt numero designati, quia tales nimirum denarium æternæ retributionis pro perfectione bonæ operationis expectant. [*Omnes tenentes gladios & ad bella doctissimi.*] Illos tenentes gladios, de quibus dicit Apostolus: *& galeam salutis assumite, & gladium spiritus, quod est verbum Dei.* Ad illa bella doctissimi, de quibus idem admonet, dicens: *Induite vos armaturam* D *Dei, vt possitis stare aduersus insidias diaboli. Quia non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principes & potestates*, &c. Et rectè doctissimi: quia bellandi magna arte indigent, qui carne inclusi, in terris positi, contra spiritalia nequitiæ in cœlestibus certant. Magna arte, imo magna Dei gratia indigent, cum contra Archangelum tot millibus annorum ad bella exercitatum, carnis fragilitas pugnat. Rectè ergo ducentæ hastæ de summa sexcentorum siclorum factæ sunt, quia vtriusque testamenti doctrina & operatione perfecti esse noscuntur, cum quicquid sermone docuerint bonis exēplis probauerunt. Necnon & ducenta scuta quorū singula trecēti aurei vestiebant, perfectam fidem eorum significant, quā in S. Trinitatis confessione habebant. Bene ergo custodes domus Dei hastas & scuta aurea portant, quia sancti prædicatores, qui sunt Ecclesiæ sanctæ custodes, claritate supernæ sapientiæ splendentes, & verborū iaculis inimicos confodiunt, & scuto sacri fidei tela nequissimi ignea repellentes extinguunt. Quod autem adiungitur, [*Posuit ea Rex in domo syluæ libani*] apte huic mysterio congruit.

Quid ergo sylua lybani, nisi gentium ecclesiam significat, quæ de fastu superbiæ abscisa, in fabrica domus Dei E conuenienter aptatur? Vnde & per Psal. dicitur: *Ecce audiuimus eam in Ephrata, inuenimus eam in campis syluæ*, &c. Ps.131. [*Fecit ergo Rex Salomon thronum de ebore grandem; & vestiuit eum auro fuluo nimis, qui habebat sex gradus. Et summitas throni rotunda erat in parte posteriori, & duæ manus hinc atque inde tenentes sedile, & duo leones stabant iuxta manus singulas: & duodecim leunculi stantes super sex gradus hinc atque inde.*] Solium ergo quod Rex Salomon fecit, bene Ecclesia sancta intelligitur, in qua pacificus noster regnans, iudicia sua facere dinoscitur: quia anima *iusti, sedes est sapientiæ.* Sap.7. Et bene de ebore illud factum esse memoratur, quod non ad solas diuitias intelligamus aptatum, sed quoniam elephas cuius hæc ossa sunt nimiæ castitatis asseritur, qui inter quadrupedia & sensu plurimū valet, & tempetanter miscetur fœminæ suæ: & coniuge F secunda non vtitur. Hoc pudicis animabus decenter aptatum est, quia illæ ebur fuisse noscuntur, quæ per castitatem Christi Domini præcepta secutæ sunt. Hanc vestiuit auro fuluo nimis, quia splendorem gloriæ suæ ea inclarescere fecit, cum per signa & miracula maiestatis suæ potentiā ostēdit. Habebat autē thronus iste sex gradus. Quid per senarium numerum, nisi bonorum operum perfectio designatur? *Sex diebus perfecit mundi ornatum, & septimo* Gen.2. *requieuit ab operibus suis.* Siquidem & senarius primus est numerus, qui suis partibus perfectus esse dinoscitur. Habet enim medietatem tria, tertiam partem duo, sextam vnum: vnum vero, duo, & tria, sex fiunt. Igitur quia & sex ætatibus mūdus constat, in quibus licet operari quisquis ad cœlestē patriā peruenire desiderat, bonis operibus ascēdere festinet, quia nisi bonis actibus ascendatur, illuc minime peruenitur. [*Et summitas throni rotunda erat in parte posteriori.*] Quid enim rotunditas throni in parte posteriori, nisi requiem æternam, quæ post hanc vitam sanctis futura est, significatur? vbi quisquis hic bene laborat mercede operis sui remuneratus, perenni quiete per- G fruetur. Vnde & in Cant. cantic. de hoc ipso throno sub alio exemplo commemoratur, vbi dicitur: *Ferculum* Cant.3. *fecit sibi Rex Salomon de lignis libani, columnas eius fecit argenteas, Reclinatorium aureum, ascensum purpureum, media charitate constrauit.* Ferculum inde dictum, quod vel residentium & discumbentium in conuiuio corpora ferat vel ipsum de loco ad locum soleat pro temporis opportunitate circumferri. Cui merito S. Ecclesia comparatur, quæ credentes ad æternæ vitæ refectionem prædicatorū suorum mysterio circumfert. Ferculum itaque regis nostri, S. Ecclesia est, quæ de fortibus prædicatoribus quasi lignis cedrinis, imputribilibus mentibus est constructa. Quæ rectè ferculum dicitur, quia ipse fert quotidie animas ad æternum conuiuium conditoris sui. Cui ferculo Columnæ argenteæ factæ sunt, quia prædicatores sancti eloquij luce resplendent. Est autē columnis argenteis reclinatoriū aureū, quia per hoc quod à sanctis prædicatoribus lucide dicitur, mentes audientiū fulgore claritatis intimæ, in qua reclinentur, inueniunt. Item reclina- H torium in ferculo fecit, cum spē perpetuę quietis fidelibus promisit: *Tollite* (inquit) *iugū meū super vos, & discite à me,* Matt.11. *quia mitis sum, & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris.* Et hoc reclinatorium fecit aureum, quia requiem nobis æternam diuinæ suæ visionis gloria coruscā præparauit. Et non nisi purpureus ad hoc ferculū ascēsus inuenitur, quia nullus Ecclesiā (nisi sacramētis dominicæ passionis imbutus) ingreditur. Vnde ipse ait: *Nisi manduc. carnē filij hominis, & bib. eius sang. nō habebitis vitā in vobis Qui manduc. meā carnē & bibit meū sang. habet vitā æternā, & ego resuscitabo eū in nouissimo die.* Media charitate cōstrauit propter filias Ierusalem. Ea ipsa videl. charitate, qua pro nobis passus est. Maiorem enim hac charitatē nemo habet, vt animā suam ponat quis pro amicis suis. Et hoc est quod addidit propter filias Ierusalē, id est, propter animas cœlestiū desiderio flagrantes. Quāto enim maiorē Deus charitatē suā nobis pro nobis patiēdo cōmendauit tanto plures ad se reclamandum ac pro se patiendū accēdit. [*& duæ manus hinc atque inde tenentes sedile.*] Quid ergo

A ergo duæ manus tenentes sedile Salomonis significant, nisi solatia diuinæ gratiæ, quæ S. Ecclesiam ad cœleste regnum prouehunt? Et hæc apte per binarium numerum descripta sunt, quia in vtroque testamento hoc prædicatur, hoc maxime commendatur, quia non nisi per diuinum adiutorium aliquod boni perfici potest. Vnde ipsa Ioan. 15. veritas dicit: *Sine me nihil potestis facere.* [*& duo leones stabant iuxta manus singulas.*] Quid per leones, nisi patres vtriusque testamenti figurantur, qui per fortitudinem animi & sibi & aliis donari bene didicerunt? Duo ergo leones iusta manus stabant, quia in lege & in Euangelio S. Patres quicquid boni fecerunt, non sibi, sed Deo deputa- Ps. 113. uerunt. Vnde & Psalm. dicit: *Non nobis Domine non nobis, sed nomini tuo da gloriam.* Super misericordia tua & veritate tua. & Apost. *Gratia* (inquit) *Dei sum id quod sum.* Et itē: *Qui gloriatur in Domino glorietur.* [*& duodecim leunculi stantes super gradus sex hinc atque inde.*] Quid per duodecim leunculos, nisi prædicatorum ordo, qui Apostolicam B doctrinam sequitur, significatur, Hi ergo supra sex gradus hinc atque inde stant, quia bonorum operum gressus hinc & inde, suis doctrinis atque exemplis munire certant, ne prius labor bene incipientium in operando vacillet, sed rectitudinem habeat in gressu virtutum. Hinc scriptum est: *Fortitudo & decor indumentum eius, & ridebit in die nouissimo, Surrexerunt filij eius & prædicauerunt beatissimam, vir eius & laudabit eam. Multæ filiæ congregauerunt diuitias, tu supergressa es vniuersas.* Sequitur: [*Sed & omnia vasa de quibus potabat Rex Salomon erant aurea, & vniuersa supellex domus saltus libani de auro purissimo: non erat argentum, nec alicuius pretij putabatur in diebus Salomonis.*] Omnia vasa quæ pacifici nostri ministerio funguntur, aurea fiunt: quia omnes animæ sanctorum quæ sunt vasa Dei, vt voluntati deseruiant diuinæ splendore sapientiæ & dilectionis nitentes, continent potum qui vitæ est, & fit in eis fons aquæ salientis in vi- Matt. 7. tam æternam. Nec alicuius pretij argentum putabatur in Matt. 5. diebus Salomonis, quia secundum Apost. *Non est in ser-* C *mone verbum Dei, sed in virtute. Et prædicatio Euangelij non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis consistit, sed in ostensione spiritus & virtutis, vt fides nostra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei.* Vnde ipsa veritas ait: *Non omnis qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regn. cælorum* &c. Et item: *Qui soluerit vnum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines: minimus vocabitur in regno cælorum.* [*Deferebant ergo Salomoni aurum de Tharsis & argentum, dentes elephantorum, & simias, & pauos.*] Quid aurum argentumve significet, notum est. Cæterum dentes elephantorum possunt doctores, fortes propter nitorem sapientiæ designari. De quibus sponsæ dicitur: *Collum tuum sicut turris eburnea* per simias vero qui actus humanos imitari videntur, sed bestialiter viuunt, eos qui ad fidem ex gentibus veniunt, qui fidem tenere videntur, & operibus fidem negant. Per pauos quippe quorum caro si siccata fuerit, imputribilis permanere dicitur, qui pēnatum pulchritudine vestiuntur, perfectos igne tribulationis decoctos, adeo, vt variis virtutibus decorentur, & D in corruptionem fidei ac mentis retineant. Quanquam si ad virgines referri velint, accipere possumus hæc de Tharsis fortiter conseruet. Quod autem subditur: *Non est factum tale opus in vniuersis regnis.*] Apte S. Eccl. conuenit: de qua scriptum est, videlicet de salsis amarisque fluctibus huius sæculi ad Salomonem nostrum deferuntur. Tharsis exploratio gaudij dicitur. [*Magnificatus est Rex Salomon super omnes reges terræ diuitiis & sapientia, & vniuersa terra desiderabat videre vultum Salomonis, vt audiret sapientiam eius, quam dederat Deus in cor eius. Et singuli deferebant ei munera, vasa argentea & aurea, vestes & arma bellica,* &c.] Bene ergo dictum est, quod *magnificatus sit Rex Salomon super omnes reges terræ:* quia pacificus noster super omnem celsitudinem sanctorum, qui reges vere dicuntur, exaltantur, & nullus ei coæquari potest. *Quoniam quis in nubibus æquabitur Domino, aut quis similis erit Deo inter filios Dei? Deus qui glorificatur in consilio sanctorum magnus & metuendus super omnes qui in circuitu eius sunt.* Et Iohan. 1. item: *Magnus Dominus noster & magna virtus eius, & sapientia eius non est numerus.* Vnde & Iohan. dicit: *Et vidimus gloriam eius gloriam quasi vnigeniti à patre, plenum* E *gratia & veritate.* Et vniuersa terra desiderat videre vultum regis nostri: quia vniuersa Ecclesia sanctorum hoc solummodo appetit, vt ad conspectum gloriæ eius perueniat. Cum per Prophetam dicitur: *Tibi dixit cor meum, quæsiui vultum tuum, vultum tuum Domine requiram.* Et Ps. 41. alibi: *Sicut ceruus* (inquit) *desiderat ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus.* Et singuli deferunt ei munera, dum vnusquisque secundum id quod vires sibi suppetunt, in verbo seu factis, obsequium student præstare Deo.

CAP. XI. & XII.

R*Ex autem Salomon amauit mulieres alienigenas multas, filiam quoque Pharaonis, & Moabitidas & Ammonitidas, Idumeas, & Sidonias, & Hethæas de gentibus super quibus dixit Dominus filiis Israel: Non ingrediemini ad* F *eas, neque de illis ingredientur ad vestras,* & reliqua.] Iam porro de cæteris operibus Salomonis, quid dicam, quem vehementer arguit S. Scriptura, atq; condemnat: nihilque de pœnitentia eius, vel de indulgentia Dei omnino commemorat, nec prorsus occurrit, quid ad salutē in allegoria boni significet hæc est, flenda vorago subuersionis. Nisi forte dicat quis mulieres alienigenas, quarum amore exarserat, significare Ecclesias electas ex gentibus. Posset hoc fortasse non absurde intelligi, si illæ propter Salomonem desererēt deos suos, & colerent Deum eius. Cum vero ipse propter illas offendit Deum suum, & coluit Deos earum, non est quid inde boni conectari possit. Nec tamen nihil arbitror significare, sed malum, sicut de vxore filiabusque Lot diximus. Apparet enim in persona Salomonis mira excellentia, & mira submersio. Quod igitur in illo diuersis temporibus extitit, prius bonum & posterius malum: hoc in Ecclesia in isto adhuc sæculo simul vno tempore ostenditur. Nam bona il- G lius, bonos Ecclesiæ: mala autem illius, malos Ecclesiæ significare puto, tanquam in vnitate illius areæ. Sicut in illo vno homine bonos in granis, malos in paleis: aut in vnitate vnius segetis, bonos in tritico, malos in zizaniis. [*Factum est igitur in tempore illo, vt Ieroboam egrederetur de Ierusalem, & inuenit eum Abias Silonites Propheta in via, opertus pallio nouo. Erant autem duo tantum in agro. Apprehendensque Abia pallium suum nouum quo opertus fuerat, scidit in duodecim partes & ait ad Ieroboam: Tolle tibi decem scissuras. Hæc enim dicit Dominus Deus Israël: Ecce ego scindam regnum de manu Salomonis, & dabo tibi decem tribus. Porro vna tribus remanebit ei propter seruum meum Dauid, & Hierusalem ciuitatem, quam elegi ex omnibus tribubus Israel,* &c. Illud quod post mortem Salomonis decem tribus à domo Dauid, & à templo separatæ sunt & duæ relictæ, satis indicat quod de tota illa gente Apostolus ait: *Reli-* Rom. 9. 11. *quiæ propter electionem gratiæ saluæ factæ sunt.* Ieroboam vero qui decem tribus a domo Dauid & à templo Dei H separans ad idololatriam perduxit, significat hæreticos qui dissensionem amant, & vnitatem fidei catholicæ hæresibus scindunt, ac sic cultui malignorum spirituum subsequentes tradunt. Interpretatur Ieroboam, diiudicans populum. Nam & hæretici diiudicare populum videntur, cum erroris sui sequacem faciunt. Cui rei bene conueniūt verba Prophetæ Ahiæ Silonitis, qui missus est ad Ieroboam ita dicens. [*Tolle tibi decem scissuras. Hæc enim dicit Dominus Deus Israel: ecce ego scindam regnum Salomonis, & dabo tibi decem tribus. Porro vna tribus remanebit ei propter seruū meum Dauid, & Ierusalē ciuitatem quā elegi ex omnibus tribubus Israel.*] Decē enim scissuras Ieroboā accepit, cum legis præcepta violanda corripuit. Et vna tribus cum sobole Dauid remāsit, dum sors electorum iuxta Apost. doctrinam, in regula fidei catholicæ remansit. *Quia vnus Dominus, vna fides, vnum & baptisma.* Denique Eph. 4. Roboam filius Salomonis, qui vtili seniorum consilio 3. Reg. 14. relicto, adolescentium consilium secutus est, licet de domo Dauid fuerit, tamen in via eius non gradiebatur. Fecit

enim

A enim Iudas (scriptura teste) in illis diebus malum coram Domino, & irritauerunt eum super omnibus quæ fecerant patres eorum in peccatis suis quæ peccauerant. Ædificauerunt autem & ipsi sibi aras & statuas & lucos super omnem collem excelsum, & subter omnem arborem frondosam. Sed & effœminati fuerunt in terra, feceruntque omnes abominationes gentium, quas attriuit Dominus ante faciem filiorum Israel. Significat igitur malos rectores in Ecclesia, qui terrenis cupiditatibus dediti, negligunt curam habere subditorum & delectantes in multitudine sibi obsequentium, nec tamen condignam habent solicitudinem sibi commissorum. Interpretatur

Matt.7. autem Roboam latitudo populi. Et bene latitudo populi nominari possunt qui lata & spatiosam viam gradientes, per quam multi vadunt ad mortem, angustam viam quæ paucorum est, & ad æternam vitam ducit, ingredi detrectant: relictoque sanctorum Patrum consilio, quorum dicta & exempla ad celsitudinem tendunt perfectionis,

B eligunt iuuenum obtemperare præceptis, hoc est, eorum qui iuuenilibus desideriis mancipari laudibus iniquis & adulationibus eos grauant, & fit in eis quod per prophe-

Eccl.10. tam dicitur: *Qualis populus, talis est & sacerdos. Omnes enim à minimo vsque ad maximum auaritiæ student, & cæci cæcis, ducatum præbentes in foueam perditionis pariter cadunt*, Quibus comminatur sapientia Dei dicens: *Væ tibi terra cuius Rex puer est, & cuius principes comedunt.* Et econtrario de sanctorum populo, & rege eorum Christo laudando subsequitur, dicens, *Beata terra cuius est Rex nobilis, & cuius principes vescuntur in tempore suo, quia omnia quæcunque fecerint prosperabuntur.*

CAP. XIII.

Ecce vir Dei venit de Iuda in sermone Domini in Bethel, Ieroboam stante super altare, & thus iaciente. Et exclamauit contra altare in sermone Domini, & ait: Altare, altare, hæc dicit Dominus, Ecce filius nascetur Do-

C *mini Dauid Iosias nomine, & immolabit super te sacerdotes excelsorum, qui nunc in te thura succendunt, & ossa hominum incendet super te*, & reliqua.] Igitur propheta qui à Deo missus fuerat in Bethel, vt increparet Ieroboam super idololatria quam gessit, & à falso propheta seductus, comedit ibi & bibit contra præceptum domini, & propterea à leone in via occisus est: quid significat nisi qui in prosperis eleuatur corde? ita vt præcepta domini

1.Pet.5. contemnat *à leone qui circuit rugiens quærens quem deuoret*, dente persuasionis malignæ laniatus, per consensum peccati interficitur: ac per hoc necessarium est semper quærere auxilium omnipotentis Dei, atque defensionem ipsius, ex toto corde sperare in misericordia eius. Quid enim est homo cuiuslibet sit meriti, si conditoris sui protectione deseratur? Quia nimirum protectio minus necessaria creditur, si semper habeatur: sed vtiliter plerunque subtrahitur, vt sibimetipsi homo, quam sine illa nihil sit, ostendatur: Manus igitur Dei aliquando nos nobis per aduersa insinuat, quæ nescientes nos in prosperis portat, quia

D destituti dum cadere incipimus, & tamen adiuti retinemur, & doctrina fit, quod in lapsu trepidamus, & custodia quod in statu permanemus. Nemo ergo se alicuius virtutis æstimet, etiam cum quid fortiter poterit, quia si diuina eum protectio deserat, ibi repente eneruiter obruitur vbi se valenter stare gloriatur. Quid est enim quod vir Dei contra altare Bethel ad prophetandum directus, præsente Rege, authoritatem liberæ vocis exercuit, eiusdemque Regis extensum brachium in rigore mirabiliter astrinxit, quod tamen mox misericorditer saluti restituit, cuius in domo inuitatus comedere noluit: quia ne in via comederet, prohibitionis dominicæ præcepta seruauit. Qui tamen in eadem via & seductus comedit & pastus interiit. Quia in re quid subtili consideratione colligimus, quid (vt ita dixerim) forinandum suspicamur, nisi quod forsitan apud semetipsum tacitus, & pro præceptis dominicis regem se contempsisse gloriatus, ab interna mox soliditate quassatus est, & inde ei in opere culpa surripuit, vnde sibi gloria in corde surrepsit? vt pro-

E phetæ falsi verbis deceptus disceret, quia nequaquam propriæ fortitudinis fuerit, quod ad regis verba restitisset. Bene autem & eius ore mortis sententiam accepit, cuius seductione à vitæ præceptis deuiauit, vt inde pœnam veraciter sumeret, vnde culpam negligenter admisisset. Hic autem manifeste ostenditur, quod peccatum inobedientiæ in ipsa fuerit morte laxatum, quia idem leo qui viuentem præsumpsit occidere, ausus contingere non est occisum. Qui enim occidendi habuit potestatem, de occisi cadauere comedendi licentiam non accepit. Quia is cui culpa in vita fuerit punita, erat iam iustus ex morte. In hoc facto ostenditur, quod nemo se alicuius virtutis æstimare debet, etiam cum quid fortiter (sicut dictum est) poterit. Iste enim quia præceptis dominicis regem contempsisse gloriatus corruit, vt prophetæ falsi verbis deceptus disceret, quia non propriæ fortitudinis fuerit quod regi restitisset.

CAP. XIV. F

In quinto autem anno Regni Roboam, ascendit Sesac Rex Ægypti in Ierusalem, & tulit thesauros domus Domini, & thesauros regios & vniuersa diripuit. Scuta quoque aurea quæ fecerat Salomon, pro quibus fecit Roboam scuta ærea, & tradidit ea in manum ducum scutatorum, & eorum qui excubabant ante ostium domus Regis. Cumque ingrederetur Rex in domum domini, portabant ea qui præeundi habebant officium, & postea reportabant ad armamentarium scutariorum. Et reliqua.] De quo rege in libro Paralipomenon 2.Par.12.

plenius narratur, vbi hoc modo legitur: *Anno autem quinto regni Roboam, ascendit Sesac Rex Ægypti in Ierusalem, quia peccauerunt domino, cum mille ducentis curribus, & sexaginta millibus equitum. Nec erat numerus vulgi qui venerat cum eo ex Ægypto, Libyes scilicet & Troglodita Æthiopes, cepitque ciuitates munitissimas in Iuda, & & venit vsque Ierusalem. Semeias autem propheta ingressus est ad Roboam & principes Iuda, qui congregati fuerant in Ierusalem fugientes Sesac, dixitque ad eos: Hæc dicit domi-* G

nus, Vos reliquistis me, & ego reliqui vos in manu Sesac Consternatique principes Israel & Rex dixerunt: Iustus est dominus. Cumque vidisset dominus quod humiliati essent, factus est sermo domini ad Semeiam, dicens: Quia humiliati sunt, non disperdam eos: Daboque eis pauxillum auxilij, & non stillabit furor meus super Ierusalem per manum Sesac. Verumtamen ei seruient vt sciant distantiam seruitutis meæ, & seruitutis regni terrarum. Recessit itaque Sesac Rex Ægypti ab Ierusalem sublatis thesauris domus domini & domus Regis, omniaque secum tulit, & clypeos aureos quos fecerat Salomon, pro quibus fecit Rex æneos, & tradidit illos principibus scutariorum, qui custodiebant vestibulum palatij. Quid ergo per figuram hoc insinuat, quod propter peccatum Roboam Sesac Rex Ægypti de domo domini thesauros abstulit, & thesauros regios nisi quod mali rectores propter negligentiam suam regem Ægypti, hoc est, principem tenebrarum in Ierusalem typicam prouocant in Ecclesiam, videlicet sibi commissam: vbi ipsi ad tempus

dominari videntur, qui thesauros domus domini & thesauros regios aufert, cum scientiam sanctarum scripturarum simul & opera virtutum ab incautis & desidiosis abstrahit? Sesac ergo, byssus cilicij siue gaudium cilicij interpretatur. Et quia byssus subtilitatem significat cilicium vero, quod de caprarum setis conficitur, peccata, quid melius in bysso cilicij, quam versutia fraudis diabolicæ, in persuasione peccatorum accipi potest? Sesac enim Ierosolymitanas opes aufert, cum diabolus qui callide decipit, & gaudet in multitudine peccatorum Ecclesiasticos quosque à scientia spirituali, & opere virtutum deprædat, eosque qui videbantur in Ecclesia deuoti esse, spoliatos secum in barathrum perditionis suæ, demergit, necnon & illud quod idem Rex scuta aurea quæ fecerat Rex Salomon abstulit pro quibus fecit Rex Roboam scuta ærea & tradidit ea in manu ducum scutariorum, ad eundem sensum respicit. Salomon enim scuta aurea condens custodibus domus suæ dedit, cum redemptor noster spiritualem scientiam per duo testamenta doctoribus ecclesiæ ad tuendam plebem suam H

A commendauit. Hanc antiquus hostis, per incuriam recto-rum abstrahit, quia cum intenti sunt rebus terrenis minusque curam de cœlestibus officio pristino & scientia denudatos, quasi in domo propria opibus spoliatos, dereliquit. Denique tales cum sensu spiritali priuatos se conspiciunt, per eloquentiam verborum copiam quærunt quatenus eorum sonoritate, velut seniorum æreorum firmitate, tutamen contra hostes pro subiectis sibi opponant. Sed quanto æs est vilius metallo auri tanto inferior est vana eloquentia, veræ eloquentiæ fructu. Vnde per quendam sapientem de eloquentia dicitur: *Vbi plurima verba, ibi frequenter egestas:* Et in psalmis ita legitur: Prou. 8. *vir linguosus pradirigetur super terram.* Nam de sapientia ita scriptum est: *Sapientia pretiosior est cunctis opibus & omnia que desiderantur, non valent ei comparari. Longitudo dierum in dextera eius in sinistra illius diuitia & gloria.* Qui vero opportunam defensionem Ecclesiæ vult exhibere contra hæreticos & contra omnes inimicos sapientiæ, vtrique adminiculo hoc debet perficere. Nec elo- B quentia aliquid ad hoc sine sapientia proficit, imo plurimum nocet. Porro quod legitur in sequentibus, quod bellum fuerit inter Roboam & Ieroboam, & Asa regem Iuda, atque Baasa Regem Israël cunctis diebus eorum, non aliud significare puto, quam quod sancta Eccles. quæ in vnitate fidei persistit, bellum habeat semper cum hæreticis & schismaticis, & omnibus qui violare contendunt fidem catholicam. *Omnes enim* (vt ait Apost.) *qui pie volunt viuere in Christo, persecutionem patientur: quia draco antiquus persequitur mulierem insidians calcaneo eius, & ipsa conteris caput eius.* Asa enim *tollens* siue *sustollens*, & Baasa *confusio* vel *siccitas* interpretatur. Et bene Ecclesiæ popu- 2. Tim. 3. lus tollens siue sustollens dicitur, qui mentem suam ad superna desideria suspendens, confusionem terrenarum cupiditatum, cum earum suggestore diabolo, spernit: ac velut sicca & inutilia contemnit.

CAP. XVI.

C *FActus est autem sermo domini ad Iehu filium Anani contra Baasa, dicens: Pro eo quod exaltaui te de puluere & posui ducem super populum meum Israël, tu autem ambulasti in via Ieroboam, & peccare fecisti populum meum Israël vt me irritares in peccatis eorum. Ecce ego demetam posteriora Baasa, & posteriora domus eius, & faciam domum tuam sicut domum Ieroboam fily Nabat. Qui mortuus fuerit de Baasa in ciuitate, comedent eum canes, & qui mortuus fuerit ex eo in regione, comedent eum volucres cæli.*] Hæc verba contra omnes peccantes, & contra omnes hæreticos & paganos, maxime prolata sunt. Quippe qui peccatis pristinis, peccata semper noua adiiciunt, & malorum exemplis deprauatis visceribus peiores fiunt. [*Demetam* (inquit) *posteriora Baasa, & posteriora domus illius & faciam domum eius sicut domum Ieroboam fily Nabath.*] Demetit dominus posteriora Baasa, cum peccata iniquorum post finem vitæ vlciscitur. Demetit & posteriora domus eius, cum imitatores illorum æternis cruciatibus D damnat. [*Et faciet domum Baasa sicut fecit domum Ieroboam fily Nabath.*] cum peccatores in iniquitate sua perseuerantes, simul cum diabolo & Angelis eius, inferni cruciatibus tradet. Baasa enim (vt diximus) *confusio vel siccitas* interpretatur: Ieroboam vero diuidicans populum: & Nabath, *spontaneum* resonat. Qui ergo confusione errorum & peccatorum sequitur, & virorum gratiam spiritalem habere negligens, in ariditate peccatorum vsque ad finem vitæ perseuerat, posteriora eius velut diabuli demetuntur, qui propria voluntate superbiendo sibi mortem generat. Et tunc populum perditorum velut diiudicare videtur, cum non iudicium æquitatis, sed damnationis in eis exercere dignoscitur. Tunc enim peccatorum atque omnium iniquorum posteriora demetentur cum capite suo diabolo, quando iudex viuorum & mortuorum in fine sæculi, dicturus est his qui ad sinistram eius stabunt, *Discedite à me maledicti in ignem ater-* Matt. 25. *num, qui praparatus est diabolo & sociis eius. Et ibunt hi in supplicium aternum, iusti autem in vitam aternam.* [*Qui mortuus* (inquit) *fuerit de Baasa in ciuitate, comedent eum* E *canes, & qui mortuus fuerit ex eo in regione, comedent eum volucres cæli.*] Quid est ergo mortuum esse in ciuitate, nisi quemlibet fidelem in Ecclesia perseuerantem, criminibus capitalibus obnoxium esse? In ciuitate ergo moritur, qui intra Ecclesiam Dei, opera prauitatis exercet. Ille enim ore canum laceratur, cum sententiis sanctorum doctorum, increpatur, arguitur, atque damnatur De quibus videlicet canibus, in psalmo scriptum est, Ps. 58. *Vt canes circuibunt ciuitatem.* Canes enim à canendo dicti sunt. Canum enim consuetudo est, illa loca defendere, in quibus se norunt alimoniam repetire. Ciuitas autem illa, quam canes isti circumeunt, Ierusalem est, vniuersaliter per mundum diffusa: hanc ergo circuisse Paulum, salutares generis humani testantur epistolæ, quæ per vniuersas gentes velut sacra diuina tonuerunt. O canem istum beatum, qui populos persequitur infideles, fures abigit, & ouilia sancta custodit, cuius latratas per totum mundum quasi grauisona tuba concrepuit F [*Qui enim moritur ait ex Baasa in regione, comedent eum* Matt. 13. *volucres cæli.*] Illi enim ex Baasa, hoc est, ex corpore, diaboli confusione plenissima in regione moriuntur, qui extra Ecclesiam separati idololatriæ aut hæresibus ore atque opere nefario deseruiunt, hos enim volucres cœli comedunt illæ videlicet volucres, de quibus in Euangelio dominus dicit in parabolas sementis, secus viam semen sparsum, volucres cœli comedisse. Tunc enim istæ volucres eos comedunt, quoniam onustos peccatis secum ad æternum rapiunt interitum. [*Anno tricesimo primo Asa regis Iuda, regnauit Amri super Israel duodecim annis. In Thersa regnauit sex annis: Emitque montem Samaria à Somer duobus talentis argenti, & adificauit eum, & vocauit nomen ciuitatis quam extruxerat nomine Somer Domini montis Samaria.*] Hoc quomodo factum sit, Iosephi verba manifestant, in quibus ita scriptum est: Tricesimo autem anno Regis Asa, Ambri suscepit imperium, & tenuit annis duodecim. Quorum sex quidem G annis fecit in Thersa, reliquos autem in ciuitate quæ Mare compellabatur, à Græcis autem Samaria. Hic vero nominauit eam Samareon à Samaro quodam, qui ei montem venundederat, in quo constituerat ciuitatem. In nullo autem differebat prioribus regibus, nisi quod peior erat. [*Et addidit Achab in opere suo irritans Dominum Deum Israel, super omnes Reges Israel, qui fuerant ante eum. In diebus eius adificauit Abiel de Bethel Ierícho. &* reliqua.] Quod scriptum est de temporibus regni Achab. [*In diebus eius adificauit Abiel de Bethel Iericho. In Abiram primogenito suo fundauit eam, & in Segub nouissimo suo posuit portas eius.*] Patet sensus, quia cum præfatæ conditor vrbis fundamenta illius ponere inciperet, primogenitus eius, qui vocabatur Abiram mortuus est. Et cum vrbe ædificata portas munire tentaret, nouissimum filiorum suorum cognomento Segub amisit. Quod ita futurum Iosue cum eam destructam anathemati traderet imprecando prædixit. *Maledictus*, inquiens, Iosue 6. *vir coram Domino, qui suscitauerit & adificauerit ciuitatem Iericho.* In primogenito suo fundamenta illius iaciat, H & in nouissimo liberorum ponat portas eius. Quia vero Ahiel de Bethel destructa à Iosue atque anathematizata Iericho mœnia restaurat, cum quis eorum qui in Ecclesia habitum religionis assumpserat, ad agenda scelera quæ ei Dominus IESVS in die baptismatis condonauerat, redit: quasque ipse anathematizauerat diaboli pompas, luxuriose viuendo reperit: cum errorum dogmata, vel gentilium fabulas, veritati Ecclesiasticæ qua imbutus est quasi de Bethel egrediens ruinas Iericho resuscitat. Meritoque talis coram domino maledictus, & primum filiorum in fundatione nefariæ ciuitatis, & nouissimum in portarum positione amittit, quia & fundamenta fidei à quibus bona ædificia inchoare, & claustra bonæ actionis quibus perfici debuerat, perdit.

A

CAP. XVII.

ET dixit Elias Thesbytes de habitatoribus Galaad ad Achab: Viuit Dominus Deus Israel in cuius conspectu ste, si erit annis his ros & pluuia, nisi iuxta oris mei verba. Et factum est verbum Domini ad eum, dicens: Recede hinc & vade contra orientem, & absconde te in torrente Carith qui est contra Iordanem & ibi de torrente bibes, coruisque præcepi vt pascant te ibi. Abyt ergo & fecit iuxta verbum Domini: Cumque abiisset sedit in torrente Carith qui est contra Iordanem. Corui quoque deferebant ei panem & carnes mane: similiter panem & carnes vesperi, & bibebat de torrente: Post dies autem aliquantos siccatus est torrens, non enim pluerat super terram. Priusquam allegorice quid ista significent differamus, libet inquirere iuxta mortalitatem, quid est quod ait: *Viuit Dominus in cuius conspectu ste.* Sciendum est quod duobus

B

modis in conspectum Domini venimus, cum in extremo iudicio ante tribunal eius assistimus. Nam quoties conditoris nostri potentiam ad sensum reducimus, toties in conspectu illius stamus. Vnde recte nunc per virum Dei Eliam dicitur: [*Viuit Dominus Deus Israel in cuius conspectu ste.*] hic iustus in conspectu Domini stat vt fideliter viuat, illic vt veraciter coronam vitæ accipiat. Thesbi igitur vnde Elias Thesbites dicitur, ciuitas est Galaaditis regionis. Cæterum spiritaliter Elias rectius Dei Filio assimilatus est, cui & auctoritas & nomen veri Dei congruit: Elias enim Dominus Deus interpretatur, siue fortis Deus, quod nomen substantialiter Dei Filio inest, authoritatem sibi videlicet faciendi quid velit naturaliter vindicans. De quo per Psalmistam dicitur: *Fortis Dominus potens in prælio.* Thesbites autem captiuans siue conuertens, interpretatur, sicut & de Domino scriptum est: *Con-*

Ps.53. *uerte Domine captiuitatem nostram.* Et sicut Melchisedec

Ps.125. in scripturis (qui vtique typum gessit saluatoris) origo tacetur: ita & Eliæ, in illius enim præfiguratione genus minime narratur, cum subito nomen illius introducit, ex

C

qua tribu vel familia ortus sit minime profertur. Torrens Cison qui & Carith, interpretatur cognitio, siue concisio, vel diuisio, Iudaico populo congruere certissimum est. Panes vero & carnes ex quibus Elias ministrantibus coruis pastus est, opera pietatis & obsequium, quod eidem Domino à fidelibus ex populo Iudæorum exhibitum est, præfigurasse non dubium est. Siccatio torrentis abolitionem significat legis, quam adueniente saluatore, in carnalibus obseruationibus defecisse certum est. Nonnulli volunt aliter intelligi, quod nobis dissonum esse videtur, quibusdam in locis. Absconditus est (inquiunt) Elias noster in torrente Carith, qui interpretatur caluus, & ibi de torrente bibit, cum in caluariæ loco, vbi abscondita est virtus gloriæ eius, de torrente mortalitatis nostræ Dominus gustauit. Corui autem pascebant Eliam deferentes ei panem & carnes mane & vesperi, cum gentilitas de nigredine peccatorum veniens, Christo Domino salutem nostram esurienti, panem fidei & spem resurrectionis per gratiam eius illuminata

D

offert. Mane videlicet, Euangelicæ prædicationis. Et item panem & carnes vesperi similiter defert, cum eandem fidem vsque ad finem mundi seruans incontaminatá, cum

1.Cor.15. carnis resurrectione venienti iudici præsentat. [*Post dies autem aliquantos siccatus est torrens,*] Quia consummato

Apoc.21. cursu præsentis vitæ, absorpta erit mors in victoria:

Isa.25. etiam vltra mors non erit, neque luctus, neque clamor, quæ prima abierunt. Hanc etenim intelligentiam prudenti Lectori relinquimus, si hanc sibi eligere voluerit, quia nobis de coruorum refragare videtur intellectu. [*Factum est igitur sermo Domini ad eum dicens: Surge & vade in Sarepta Sidoniorum & manebis ibi. Præcepi enim ibi mulieri viduæ, vt pascat te.*] Mittitur Elias pascendus ad alienigenam viduam, hæc igitur vidua gentium designat Ecclesiam, quæ à suo diutius conditore deserta, populum fidei veræ, & rectæ veritatis nescium, quasi pauperem filium egena stipe nutriebat, id est, verbi fructu ex parte docebat, donec adueniens sermo propheticus, qui

E

exiccato vellere Israëlis (vtpote clausa cæli ianua) periclitabatur in Iudæa, pasceretur ibi, simul & pasceret, & receptus videlicet à credentibus, & reficiens ipse credentes. Vnde bene hæc eadem vidua, in Sarepta Sidoniæ dicitur esse morata. Sidonia quippe inutilis venatio, Sarepta vero incendium, vel angustia panis interpretatur, quia vbi abundauit peccatum, superabundauit & gratia. Vbi rebus superuacuis acquirendis, quasi occupandi cura impendebatur, vbi diræ sitis incendium panisque spiritalis antea fiebat angustia, ibi farina oleumque ore prophetico benedicitur. [*Quæ volebat duo ligna colligere* Rom.8.

priusquam moreretur.] Non hic solo ligni nomine, sed etiam numero lignorum, signum crucis exprimitur, quo nobis est panis vitæ præparatus æternæ. Benedicitur farina eius & oleum, hoc est, gratia corporis dominici & chrismatis vnctio, siue fructus & hilaritas charitatis, quæ cum impenditur, non defecisse dicitur: *Hilarem enim datorem diligit Deus.* Vidua autem ista quam Dominus non frumenti, sed verbi pane pascebat, eadem F

ipsa est, de qua dicitur in Psalm. *Viduam eius benedicens* 1.Cor.7.

benedicam, & reliqua. Illam scilicet, de qua & Paulus, ait: Mortuo viro, quibus vult nuptiis libera est, quia desinente legis litera (cuius finis Christus est) ad gratiæ liber- Ps.131.

tatem transitum faciens, Ecclesia videlicet ad Christum, quasi vidua legis nupsit. Huius nunc in vasis oleum gratiæ & benedictionis farina non deficit, in omnibus fere gentibus fame manente, quarum cibus vitæ esuriem sc fidei Trinitatis inediam, congrue præfigurauit illa quondam triennio fames. [*Factum est autem post verba hæc, ægrotauit filius mulieris matrisfamilias, & erat languor eius fortissimus, ita vt non remaneret in eo halitus. Dixit ergo ad Eliam: Quid mihi & tibi vir Dei? Ingressus es ad me, vt rememorentur iniquitates meæ, & interficeres filium meum? Et ait ad eam. Da mihi filium tuum. Tulitque eum de sinu illius & portauit in cænaculum vbi ipse manebat, & posuit super lectum suum,* & reliqua.] Hic actus Eliæ, de suscitato mortuo filio viduæ, apud quam hospitabatur, & cuius benedixit farinæ & oleo, bene exprimit actum redemptoris nostri, in resurrectione populi ad fidem conuersi. Quæ enim hæc vidua melius intelligi po- G

test, quam synagoga Iudæorum, quæ Moysi morte viduata filium nutriebat paruulum, hoc est, populum carnalem Iudæorum. Hic ergo ad ingressum Eliæ, hoc est, saluatoris nostri infirmabatur, quia in eú non credendo, sed spernendo, valida febre infidelitatis ægrotauit. Vnde & mater ipsa conquerendo de infirmitate pueri, ad Prophetam dicit: *Quid mihi & tibi vir Dei? ingressus es ad me vt rememorarentur iniquitates meæ, & interficeres filium meum?*] Cum synagoga Iudæorum de aduentu saluatoris conquetitur, quasi ipse esset causa interfectionis populi Iudaici. Hinc est, quod Caiphas conspirans de nece Christi, ad turbam ait: *Expedit enim vt vnus homo moriatur pro po-* Ioan.11.

pulo, & non tota gens pereat. Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum. Et venient Romani & tollent nostrum locum & gentem. Sed sicut Propheta Dei, verbis viduæ non exasperatus: quin potius misertus ait ad eam: [*Da mihi filium tuum: Tulitque eum de sinu illius & portauit in cænaculum vbi ipse manebat, & posuit super lectum suum &* H

expandit se, atque mensus est super puerum tribus vicibus, clamauitque ad Dominum & ait: Domine Deus meus reuertatur oro anima pueri huius in viscera eius.] Ita & redemptor noster non exasperatur malitia Iudæorum, sed misertus populi credentis, tulit eum de sinu matris, cum eú tulit de carnali obseruantia legis. [*Et posuit super lectum suum,*] hoc est, demonstrauit ei vitam habere in morte sua. [*Expanditque se tribus vicibus, atque mensus est super pue-* Ioan.17.

rum.] Cum Trinitatis fidem illi prædicando & faciendo insinuabat. Et clamans ad patrem, dixit: *Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.* Et item: *Pater* (inquit) *clarifica filium tuum, vt filius tuus clarificet te, Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis, vt omne quod dedisti ei, det eis vitam æternam: Hæc est autem vita æterna, vt cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti* IESVM CHRISTVM. [*Exauditus est autē Elias, & reuersa est anima pueri intra eum & reuixit. Tulitque illum & reddidit matri suæ.*] Cum

dominus noster populum saluans credentem, signa & miracula ostendebat incredulis, vt agnoscerent veraciter illum viuere, qui credit in nomine eius. Et sic eueniet, vt verba mulieris admirantis de suscitato puero, plebs Iudaica veritate superata, prædamet ad Christum ac dicat, [*Nunc in isto cognoui, quoniam vir Dei es tu, & verbum domini in ore tuo verum est.*]

CAP. XVIII.

POst dies multos verbum domini factum est ad Eliam in anno tertio, dicens: Vade & ostende te Achab, vt dem pluuiam super faciem terræ.] Tres anni famis, scientiam sanctæ Trinitatis, populo Iudæorum vel in toto mundo defuisse præfigurabant. Sex vero menses ad opus bonum pertinent, quod penitus desierat ab illis, de quibus Propheta dicit: *Non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum.* Abdias princeps exercitus Israël, cuius nomen interpretatur seruus domini, illos quodammodo præsignabat, qui ex principibus Iudæorum crediderant & erãt occulti discipuli Domini, vt Nicodemus & cæteri. Nam quod ait ad populum:] *vsquequo claudicatis in duas partes?*] ita potest intelligi. Illi enim vtroque pede claudicant, qui Deo pariter & diabolo obsequium præstare cupiunt. [*Iuit ergo Elias vt ostenderet se Achab. Erat autem fames vehemens in Samaria. Vocauitque Achab Abdiam dispensatorem domus suæ.* Et reliq.] [*Quod autẽ Elias congregans vniuersum Israel, contra Prophetas Baal disceptabat, illisque frustra nitentibus, ipse altare domini curauit quod destructum fuerat, & tulit duodecim lapides iuxta numerum tribuum filiorum Iacob, ad quem factus est sermo domini, dicens: Israel erit nomen tuum: & ædificauit de lapidibus altare in nomine Domini. Fecitque aquæductum quasi per duas aratiunculas in circuitu altaris, & composuit ligna diuisitque per membra bouem, & posuit super ligna, & ait Implete quatuor hydrias aqua, & fundite super holocaustum & super ligna. Rursumque dixit: etiam secundo hoc facite. Qui cum fecissent secundo, ait: Etiam tertio idipsum facite, feceruntque & tertio. Et currebant aquæ circa altare, & fossa aquæductus repleta est.* Et reliqua.] Quid conuenientius figurare potest, quam quod redemptor noster contra mundi principem eiusque satellites decertans ac superans, altare Domini quod destructum fuerat, hoc est, fidelium suorum corda ab omni labe iniquitatis purgans aram Deo dedicat? Quæ ex duodecim lapidibus constructa esse memoratur, quia ex his qui propheticam & Apostolicam fidem seu doctrinam sequuntur gratissima Deo ara construitur, in qua quotidie sacrificium laudis in odorem suauitatis offertur. Fecitque aquæductum quasi per duas aratiunculas in circuitu altaris, ex contrito videlicet corde, & humiliato spiritus flumina producendo lachrymarum pro timore gehennæ, & desiderio vitæ æternæ. Ibi & composuit ligna, quia & sanctorum dicta & facta ad exemplum credentibus constituit. Diuisitque per membra bouem, & posuit super ligna cum omnes actus suos ad exemplum sanctorum patrum fideles formare docuit. Iussitque super holocaustum & super ligna semel, iterum, atque tertio, aquam infundere: quia omni tempore necesse est nobis verba, cogitatus, atque opera nostra, in pura oratione atque compunctione lachrymarum mundare, & non prius cessare, quam fossæ aquæductus repleantur, id est, donec futurum gaudium, præsenti memoriæ succedens, perfecte compleatur. Sicque erit iuxta id quod sequitur. *Ignis de cælo cadens ad inuocationem Eliæ, vorauit holocaustum, ligna & lapides, puluerem quoque & aquam quæ erat in aquæductu lambens. Quod cum vidisset omnis populus, cecidit in faciem suam & ait: Dominus ipse est Deus, Dominus ipse est Deus.*] Quando discrimen superni iudicis dicta & facta, ac totam vitam nostram perfecte examinans, probandos nos sicut igne probatur argentum, immortales ac beatos factos in sede collocabit perpetua: vt admistar virorum Israelitarum in æternum gratulando clamamus: Dominus ipse est Deus, ipse fecit nos & non ipsi nos. *Nos autem populus eius & oues pascuæ eius.* Mundato itaque altari Domini, & consumptis holocaustis, dixit Elias Propheta Dei ad populum: [*Apprehendite omnes Prophetas Baal, & ne vnus quidem fugiat ex eis.* Quos cum comprehendissent, duxit eos Elias ad torrentem Cison (qui interpretatur duritia eorum) & interfecit eos ibi. Sic quoque redemptor noster adueniente die iudicij, mittet Angelos suos & colligent omnia scandala de regno eius, & eos qui operantur iniquitatem, & mittent eos in stagnum ignis & sulphuris, vbi est bestia & pseudoprophetæ, vbi & missus est diabolus qui deducebat eos, & cruciabuntur ibi secundum duritiam & impœnitens cor eorum, die ac nocte in sæcula sæculorum. Matt.13. Apoc.19. Roma.2. [*Post hæc Elias ascendit in verticem Carmeli, & pronus in terram posuit faciem inter genua sua, & dixit ad puerum suum: Aspice & ascende contra mare. Qui cum ascendisset & contemplatus esset, ait: Non est quicquam. Et rursum ait ibi. Reuertere septem vicibus. In septima autem vice, ecce nubecula parua quasi vestigium hominis ascendebat de mari,* Et reliqua.] Quid in hac re significatur, nisi quod nascente Christo Dei filio inter homines, & teneritudinem carnis nostræ accipiente, postquam mortem gustauit, & victor de mondo ad cælos ascendit, imbrem gratiæ diuinæ per septiformem spiritum de supernis ad terras misit, qui nos à peccato mundaret, & spiritales fructus gignere faceret.

CAP. XIX.

TImuit Elias & surgens abiit quocumque eum ferebat voluntas. Venitque in Bersabee Iuda, & dimisit ibi puerum suum, & perexit in desertum viam vnius diei. Cumque venisset & sederet subter vnam iuniperum, petiuit animæ suæ vt moreretur, & ait. Sufficit mihi domine, tolle animam meam, neque enim melior sum quam patres mei. Proiecitque se, & obdormiuit sub vmbra iuniperi. Et rel.] Sancti viri qui subleuante spiritu, ad summa rapiuntur, quamdiu in hac vita sunt, ne aliqua elatione superbiant, quibusdam tentationibus reprimuntur, vt nequaquam tantum proficere valeant, quantum volunt. Sed ne extollantur superbia, etiã si sit in eis ipsarum quædam mensura virtutum. Hinc est enim quod Elias dum tot virtutibus in alta profecisset, quadam mensura suspensus est, dũ Iezabel postmodum, quamuis reginam, tamé mulierculam fugit. Perpendo quippe hunc miræ virum virtutis ignem de cœlo trahere, & secundo quinquagenarios viros, cum suis omnibus petitione subita concremare, verbo cœlos à pluuiis claudere, verbo cœlos pluuiis aperire, suscitantem mortuos, ventura quæque præuidentem, & ecce rursus animo occurrit, quo pauore ante vnam mulierculam fugit. Considero virum timore perculsum de manu Dei mortem petere nec accipere, de mano mulieris mortem fugiendo vitare. Quærebat enim mortem fugeret, dicens: [*Sufficit mihi, tolle animam meam neque enim melior sum quam patres mei, & obdormiuit sub vmbra iuniperi.*] Vnde ergo sic potens, vt tot illas virtutes faciat? Vnde sic infirmus, vt ita fœminam pertimescat? nisi quia dispensationes superni nutus, mensura occulti libraminis appenduntur, vt ipsi sancti homines & multum valeant per potentiam Dei, & rursum quadam mensura moderati sint per infirmitatem suam. In illis virtutibus Elias quod de Deo acceperat, in istis infirmitatibus, quid de se poterat, agnoscebat. Illa potentia virtus fuit, ista infirmitas custos virtutis. In illis virtutibus ostendebat quod acceperat, in istis infirmitatibus hoc quod acceperat, custodiebat. In miraculis monstrabatur Elias, in infirmitatibus seruabatur. *Et ecce Angelus tetigit eum, & dixit illi. Surge, comede. Respexit, & ecce ad caput suum subcinericius panis, & vas aquæ. Comedit ergo & bibit, & rursum obdormiuit. Reuersusque est angelus domini secundo, & tetigit eum, dixitque illi: Surge, comede. Grandis enim tibi restat via. Qui cum surrexisset comedit & bibit, & ambulauit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus quadraginta noctib. vsq; ad montẽ Dei Horeb.* Et rel.] Quid ergo hic Elias bis pastus ab Angelo exprimit, nisi naturæ infirmitatẽ? Quib. non sufficit simplex

pastus,

pastus, sed duplex, quatenus ad superna valeamus ascendere. Sicut enim corpus sine alimento corporali subsistere nequit, ita nec anima viuere potest sine verbo Dei. Angelus enim qui Eliam pauit, quem congruentius quam ipsum summi consilij angelum significat, cuius ope tam in corporali quam etiam in spiritali natura subsistimus? Ambulauit enim Elias postquam surrexerat à somno, & comedit & bibit, in fortitudine cibi illius quadraginta diebus & quadraginta noctibus vsque ad montem Dei Horeb. Sic & nos dum inertiæ somnum à nobis excutimus, necesse vt diuino solatio confortati gressum bonorum operum per omne tempus vitæ præsentis summopere continuemus festinemusque ascendere in montem Dei, & in locum sanctum eius, vt ibi requiem inueniamus æternam. [*Cumque venisset illuc, mansit in spelunca. Et ecce sermo domini ad eum, dixitque illi: Quid hic agis Elia? At ille respondens ait: Zelo zelatus sum pro domino Deo exercituum, quia dereliquerunt pa-* B *ctum tuum filij Israël. Altaria tua destruxerunt, & prophetas tuos occiderunt gladio, & derelictus sum ego solus, & quærunt animam meam vt auferant eam. Et ait ei. Egredere, & sta in monte coram domino. Et ecce dominus transiit, & spiritus grandis & fortis subuertens montes, & conterens petras ante dominum. Non in spiritu dominus. Et post spiritum commotio. Non in commotione dominus. Et post commotionem ignis. Non in igne dominus Et post ignem sibilus auræ tenuis. Quod cum audisset, Elias operuit vultum suum pallio, & egressus stetit in ostio speluncæ, & ecce vox ad eum, dicens: Quid hic agis Elia? Et ille respondit, Zelo zelatus sum pro domino Deo exercituum, quia dereliquerunt pactum tuum filij Israël. Altaria tua destruxerunt, & prophetas tuos occiderunt gladio & derelictus sum ego solus, & quærunt animam meam vt auferant eam. Et ait dominus ad eum: Vade & reuertere in viam tuam per desertum in Damascum. Cumque perueneris illuc, vnges Hazael Regem super Syriam, Iehu filium. Nam si vnges regem super Israël: Elisæum autem filium Saphat* C *qui est de Abelmehuda vnges prophetam pro te.* Et reliqua.] Spiritus autem domini montes euertit, & petras conterit, quia pauor qui ex aduentu eius irruit, & altitudinem cordis nostri deiicit, & duritiam liquefacit. Sed spiritu commotionis & ignis, non esse dominus dicitur: esse vero in sibilo auræ tenuis non negatur, quia nimirum cum mens contemplationis sublimitate suspenditur, quicquid perfecte conspicere præualet, Deus non est. Cum vero subtile aliquid conspicit, hoc est, quod de incomprehensibili substantia æternitatis audit. Quasi enim sibilum tenuis auræ percepimus, cum saporem incircumscriptæ veritatis contemplatione subita subtiliter degustamus, tunc ergo verum est, quod de Deo cognoscimus cum plene nos aliquid de illo cognoscere non posse sentimus. Vnde bene illic subditur, [*Quod cum audisset Elias, operuit vultum suum pallio, & egressus stetit in ostio speluncæ, & ecce vox ad eum dicens. Quid hic agis Elia?* &c.]

Post auræ tenuis sibilum vultum suum propheta pal- D lio operuit, quia in ipsa subtilissima contemplatione veritatis, quanta ignorantia homo tegatur, agnoscit. Vultui namque pallium superducere est, ne altiora mens quærere audeat, hanc considerationem propriæ infirmitatis velare, vt nequaquam intelligentiæ oculos, vltra se præcipitanter aperiat, sed ad hoc quod apprehendere non valet; reuerenter claudat. Qui hæc agens, in speluncæ ostio stetisse describitur. Quid namque spelunca nostra est, nisi hæc corruptionis habitatio, in qua adhuc ex vetustate retinemur? Sed cum aliquid percipere de cogitatione diuinitatis incipimus, quasi iam in speluncæ nostræ ostio stamus. Quia enim progredi perfecte non possumus, ad cognitionem tamen veritatis inhiantes, iam aliquid de libertatis aura captamus. In ingressu ergo speluncæ stare, est represso nostræ corruptionis obstaculo, ad cognitionem veritatis incipere exire. Vnde & nube in tabernaculo descendente, Israëlitæ è longinquo cernentes, in papilionum suorum ostiis stetisse memorantur, quia hi aduentum diuinitatis vtcumque conspiciunt, quasi iam ex habitaculo carnis procedunt. [*Et* E *ecce vox ad Eliam, dicens. Quid hic agis Elia? Et ille respondens ait. Zelo zelatus sum pro domino Deo exercituum, quia dereliquerunt pactum tuum filij Israël. Altaria tua destruxerunt, & prophetas tuos occiderunt gladio, & derelictus sum ego solus, & quærunt animam meam vt auferant eam. Et ait ei. Egredere, & sta in monte coram domino. Et ecce dominus transiit, & spiritus grandis & fortis subuertens montes, & conterens petras ante dominum. Non in spiritu dominus. Et post spiritum commotio. Non in commotione dominus. Et post commotionem ignis. Non in igne dominus. Et post ignem sibilus auræ tenuis. Quod cum audisset, Elias operuit vultum suum pallio &c.*] Certum est quod cordis sui oculum per elationis tenebras extinguit, qui cum recta agit, considerare meliorum merita negligit. At contra, magnæ humilitatis radio semetipsum illuminat, qui aliorum bona subtiliter pensat, quia dum ea quæ ipse fecerit, facta foris & ab aliis videt ac conspicit, eum qui de singularitate intus F erumpere nititur superbiæ tumorem premit. Hinc est quod voce Dei ad Eliam solum se æstimantem, dicitur [*Reliqui mihi septem millia virorum, qui non curuauerunt genua ante Baal: vt eum non solum.*] se remansisse cognosceret, elationis gloriam quæ ei de singularitate surgebat, inclinaret. Propheta nempe erat, & sæpe mysteria superna cognouerat, quid ergo difficile fuit agnoscere in hoc mundo fideliter Deo famulos remansisse? sed hic solerter intuendum est, oculum cordis elatio quam nequiter claudat, quando qui humilis & occulta Dei nouerat, elatus & aperta nesciebat. [*Et ait dominus ad Eliam: Vade & reuertere in viam tuam per desertum Damasci. Cumque perueneris, vnges Hazael regem super Syriam & Iehu filium. Nam si vnges regem super Israël: Elisæum autem filium Saphat, qui est de Abelmehula vnges prophetam pro te. Et erit quicunque fugerit gladium Hazael, occidet eum Iehu. Et quicunque fugerit gladium Iehu interficiet eum Elizæus.* Et reliqua.] Hoc non ita G accipiendum est, quod propheta Dei Elisæus homicida futurus sit & tyrannus, sed magis spiritaliter intelligendum, quia iustitia diuina quæ singulis reddit secundum opera sua, punit peccata hominum, aliquando manifesta vltione, aliquando occulto iudicio. Vindicat per reges & duces, vindicat per prophetas & sacerdotes cum alios nocentes facit plecti mucrone, alios transuerberat gladio linguæ. Vnde Dauid & Salomon, & cæteri reges pœnam æris exigebant, cum eos trucidari iubebant. Et item alibi scriptum est de superborum & inobedientium pœna: *Dolaui eos* (inquit) *in prophetis, & occidi eos in* Osee 6. *verbis oris mei.* [*Profectus ergo inde Elias, reperit Elisæum filium Saphat arantem in duodecim iugis boum, & ipse in duodecim arantibus vnus erat. Cumque venisset Elias ad eum, misit pallium suum &c.*] Igitur profectus Elias reperit Elisæum filium Saphat arantem in duodecim iugis boum, cum redemptor noster descendens de cœlo, diuino iudicio acquisiuit populum adhuc terrenis operibus inhiantem, in quo salutem fecit, cum eum ad fidem conuertit. Elias enim interpretatur (vt iam diximus) H *Dominus Deus*: Saphat, *iudicantis*: & Elisæus *Dei mei salus.* Iam mirabiliter super quem propheta pallium suum misit cum illum dominus fide catholica induit. *Omnes* (ait Apostolus) *qui in Christo baptizati estis Chri-* Gal 3. *stum induistis.* [*At ille statim relictis bobus, cucurrit post Eliam & ait: Osculer oro te patrem meum & matrem meam & sic sequar te.*] Quia mox vt electorum chorus audiuit loquentem per Euangelium dominum: *Qui non* Luc. 14. *renuntiauerit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus*, statim cessauit terrenis lucris inhiare, secularibus desideriis deseruire. Totum se contulit ad seruitium Christi, nec tamen aliis verbum vitæ prædicare desiuit. Hoc enim osculari patrem & matrem cum quoscumque possit, siue de Iudæis siue de gentibus velle sermone corrigere. [*Tulit itaque Elisæus par boum & mactauit illud, & in aratro boum coxit carnes & dedit populo, & comederunt.*] Cum populus Christianus carnalia desideria mactans, totum exercitum suum in opus Euangeli-

zando conuertit, vnde sufficientem pastum auditoribus suis præbere possit. Ipse vero sequitur nostrum Eliam & ministrat ei, qui vestigia eius sequens, hoc est, mandata illius fideliter obseruans, ministerium ei bonorum operum condigne exhibere satagit.

CAP. XX.

Porro Benadab Rex Syriæ congregauit omnem exercitum suum & triginta & duos reges secum & equos & currus & ascendens pugnabat contra Samariam & obsidebat eum, & reliqua.] Quod Benadab Rex Syriæ obsidens & impugnare incipiens Samariam, ait: [*Hæc faciant mihi dij, & hæc addant si sufficerit puluis Samariæ pugillis omnis populi qui sequitur me.*] Hunc habet sensum, Samaria necesse est, iuxta morem ciuitatum vt haberet terram interius propter muros, ipsis pene muris æqualem, ne videlicet eos sine subsidio terræ adiacentis erectos, creber insistente manu hostili deiiceret ictus arietis. Extrinsecus autem murorum altitudo longe superficiem terræ transcenderat, maxime cum in montis verticem (vt scriptura refert) fuerit vrbs eadem posita. Ait ergo rex superbus obsessam terrens ciuitatem, quod tantam haberet secum exercitus multitudinem, vt etiam si quisque militum eius, vnum solummodo lapidem vel cespitem, vel stipitem ad construendum contra vrbem aggerem apportasset, agger exurgeret qui superficiei ciuitatis ipsius, quæ erat intra muros, esse videretur æqualis, ita vt ex æquo pugnantes contra ciuitatem tela vel faces mittere possent: Cuius temeritatem arrogantiæ modesto sermone compescens, rex Israël ait: [*Dicite ei, Ne glorietur accinctus æque vt discinctus.*] Aliud est enim accinctus, aliud discinctus, alius non accinctus. Accinctus nam quod est qui cingulo circundatus incedit. Discinctus, qui cingulum nuper deposuit. Verbi gratia balneum intraturus, vel lectum ascensurus, vel ad terrã forte tunicam induturus. Non accinctus qui nuper tunica indutus necdum se abdita zonæ circumpositione muniuit. Sic ergo in expeditione castrensi, qui positus est recte accinctus nominatur, id est armis indutus. Qui pugna confecta victor domum redit, iure discinctus vocatur: quia nimirum depositis armis optatæ pacis otium gerit. Qui vero necdum pugnare, neque se ad certamen parare iam cœperat, merito non accinctus esse dicitur: Ait ergo Rex Israël, Regi Syriæ glorianti, quasi iam cepisset Samariam, quam obsidere cœperat: *Ne glorietur accinctus, æque vt discinctus.*] Ac si aperte dicat: Noli gloriari quasi iam victor bellici discriminis, qui adhuc in acie positus, quem victoria sequatur ignoras. Et verum profecto dicebat. Nam mox inito certamine, Benadab non victis aduersariis triumphans, sed cælo suo exercitu fugiens domum rediit. Mystice autem Benadab hostis Israël significat diabolum omnium bonorum inimicum, qui diuersos exercitus malignorum spirituum ad subuertendum populum Dei, contrahit. Sed per pueros principum Israël vincitur, cum per bonos auditores sanctorum doctorum, quicquid aure audiunt, factis implere nituntur. Antiquus hostis in fugam vertitur omnisque suus exercitus à militibus Christi proturbatur. Qui bene ducenta millia & triginta duo esse dicuntur, quia hi qui vtriusque testamenti scientiam perfecte tenent, & trinitatis fidẽ cum gemina charitate Dei videlicet & proximi conseruant, apti per omnem modum militiæ summi Regis esse comprobantur. [*Fugit quoque Benadab Rex Syriæ in equo cũ equitibus. Necnon egressus Rex Israël percussit equos & currus, & percussit Syriã plaga magna.*] Quid est quod Benadab Rex Syriæ in equo cu equitibus fugere describitur, nisi quod princeps omnium iniquorum diabolus, quorum oculi sublimes sunt: Syrus enim interpretatur sublimis, in equo suæ superbiæ confidens, cum equitibus suis, scilicet omnibus superbis, quia ipse est caput super omnes filios superbiæ, ab exercitu Christi, hoc est, humilibus & Deum timentibus superatus, in fugam vertitur: Et Rex Israël percutit equos & currus, quia de ipso Rege regum scriptum est, quod currus Pharaonis & exercitum eius, equum & ascensorem eius submersit in rubro mari: dum nequitias spiritales eum vero Pharaone, antiquo videlicet hoste, aquis baptismatis obruit humani generis delendo peccata. [*Accedens autem propheta ad regem Israël, dixit ei: Vade & confortare, & scito & vide quid facias. Sequenti enim anno Rex Syriæ ascendet contra te. Serui vero Regis Syriæ dixerunt ei: Dij montium sunt Dij eorum, ideo superauerunt* & reliqua.] Exod. 15. Quod Benadab Rex Syriæ semel victus, iterum instaurat prælium contra Israël, significat diabolum à malitiæ suæ intentione nunquam cessare. Qui licet à sanctis viris sæpius vincatur, tamen iterum instaurat prælium contra illos. Et dum vno modo vincitur, alio statim vincere conatur. Hinc est quod serui Regis Syriæ dixerunt ei: [*Dij montium sunt dij eorum, ideo superauerunt nos. Sed melius est, vt pugnemus contra eos in campestribus, & obtinebimus eos.*] Quia maligni semper dolose sentientes: si spiritualibus vincuntur, in corporalibus bellum præparare contendunt. Hoc quoque diabolus, hoc & totus exercitus eius maxime satagunt, vt animas hominum de supernis ad ima præcipitent, quo facilius eos vincere possint. Si viderint eos cælestia desiderare, terrena & caduca ad amandum ingerunt: Si viderint illos prosperitate concessa Deo gratias agere student vt per aduersa frangantur. Sed sicut Regis Syriæ & seruorum eius non conuenit dictio cum opere: quia vbi se superare posse confidebant, ibi superati sunt: ita & princeps mortis sæpe ibi vincitur, cum exercitu suo, vbi se æstimat vincere posse: *Quia infirma mundi elegit Deus, vt confunderet fortia: & ea quæ non sunt, vt ea quæ sunt destrueret* 1. Cor. 1. Tentabat igitur antiquus hostis beatum Iob, & dum sibi substantiam eius & filios tradi à domino expeteret, vt per hoc eius animum subuerteret, nec tamen in hoc præualeret ad extremum, vt in ipsum sibi potestas daretur, postulauit. Quo concesso, quasi mox victor existeret carnem eius graui hulcere vulnerauit. Sed quo vehementius de prosperitate in dolore per depositum persequebatur, eo validius per patientiam ipsius prosternebatur. Et Paulo Apostolo datus est stimulus carnis suæ Angelus satanæ, vt eum colaphizaret: quatenus virtus in infirmitate perficeretur. 2. Cor. 12. [*Tunc vir quidam de filiis prophetarum, dixit ad socium suum in sermone domini: Percute me. At ille noluit percutere. Cui ait, Quia noluisti audire vocem domini. Ecce recedes à me, & percutiet te leo. Cumque paululum recessisset ab eo, inuenit eum leo atque percussit. Sed & alterum conueniens virum, dixit ad eum: Percute me. Qui percussit eum & vulnerauit. Abiit ergo propheta, & occurrit regi in via, & mutauit aspersione pulueris oculos suos. Cumque Rex transisset, clamauit ad regem, & ait: Seruus tuus egressus est ad præliandum.* Et reliqua.] Porro hoc de hac eadem re Iosephus taliter refert, Interea quidem propheta, nomine Michęas, accedens ad vnum Israëlitarum, petiit vt eum in capite pro voluntate domini percuteret. Cui nolenti prædixit ei. Eo quod inobediens esset Deo, eiusque præcepto, leone occurrente perimeretur. Quod dum illi homini contigisset accessit propheta rursus ad alium, & idem vt faceret imperauit. Qui dum percussisset eum, & eius verticem cruentasset alligato capite accessit ad regem, dicens ei: Quod dum esset in exercitu constitutus, accepisset à quodam tribuno seruandum captiuum, sibique ab eo dictum, vt si captiuus fugeret, ipse moreretur. Quo fugiente is qui eum tradiderat, mortem ei minaretur inferre. Dum respondente Achab mortem ei imminere iustissimam, soluit caput, & agnitus est Micheas esse Propheta.

Hac enim parabola vtebatur propter sermones quos erat ei dicturus. Ait namque quomodo Deus ei concessisset, vt supplicium hostis euaderet: ipse inimicum eius Benadab qui Deum blasphemauerat, dimisisset & propterea Deus decreuisset, ipsum quidem ab illo perimi, populum vero ab exercitu inuasione consumi. Iratus vero Achab propheam illum quidẽ clausum seruari iussit. Confusus autem Michææ sermonibus ad suam domum remeauit. Secundum leges vero tropologiæ maxime

prouidendum

A providendum est seruis Dei, ne secundum exemplum Achab regis Israel, pernitiosa securitate sibi blandiantur quamdiu hostis viuit ne dum se quasi victores perpetuos arbitrentur, per fraudem diaboli pacem promittentis, citius elidantur. Quia sicut tunc Propheta prædicto regi pro inconsiderata pietate, prounntiauit citius iustam afore vltionem, ita nunc propheticus sermo prænuntiat, si paciscamur cum diabolo, æternam nobis pro hoc imminere pœnam.

CAP. XXI.

Post verba autem hæc, vinea erat Naboth Iezraelita qui erat in Iezraël, iuxta palatium Achab regis Samariæ. Locutus est ergo Achab ad Naboth, dicens: Da mihi vineam tuam, vt faciam mihi hortum holerum, quia vicina est & prope domum meam. Daboque tibi pro ea vineam meliorem: aut si commodius tibi putas argenti pretium, quanto digna B *est. Cui respondit Naboth: Propitius sit mihi dominus, ne dem hereditatem patrum meorum tibi. Venit ergo Achab in domum suam, indignatus & frendens super verbo, quod locutus fuerat ad eum Naboth Iezraelites, dicens: Non dabo tibi hereditatem patrum meorum.* Et reliqua.] Narrat scriptura quod Achab rex concupiuerit vineam Naboth Iezraëlitæ, quæ erat in Iezraël iuxta palatium regis, vt faceret sibi in ea hortum holerum. Quo nolente eam illi dare, per consilium impiissimæ vxoris eius videlicet reginæ Iezabel, idem Naboth subintroductis falsis testibus lapidatus est, & mortuus, eiusque vinea direpta à rege & possessa est. Quis ergo iste Naboth Iezraëlita fuerit, & quæ eius vinea consideremus. Interpretatur ergo Naboth, conspicuus, siue possessio: Iezraël, honestas Dei, siue semen Dei. Et quem melius honestatem, vel semen Dei dicere possumus, quam filium Dei, qui est splendor gloriæ & figura substantiæ eius, quem constituit Deus hæredem vniuersorum, per quem fecit & sæcula. Ad

Psal. 79. C quem Psalmista deprecans, ait: *Qui sedes super Cherub. in appare coram Ephraim, Beniamin, & Manasse. Excita potentiam tuam & veni, vt saluos facias nos.* Iste Naboth habuit vineam, de qua Isaias plenissime per canticum loquitur ad extremum inferens. Vinea domini sabaoth, domus Israël est. Et in Psalmo: *Vineam* (inquit) *de Ægypto transtulisti, eiecisti gentes & plantasti eam.* Cui septem circumdedit, vt in Euangelio legitur, id est, vel murum

Psal. 79. vrbis, vel Angelorum auxilia. Et fodit in ea torcular, aut altare, aut illa torcularia, quorum & tres psalmi titulo prænotantur, id est octauus & octogesimus sextus. Et ædificauit turrim hanc, haud dubium quin templum.

Mich. 4. de quo dicitur per Micheam: *Et turris nebulosa filiæ Sion* Et locauit eam agricolis, quos alibi vineæ operarios appellauit vel colonos. Hanc vineam concupiuit Achab qui interpretatur, frater patris, populus videlicet Iudaicus, de quo Christus carnem assumere dignatus est, vt fecisset in ea hortum holerum, hoc est, vt vbi virgultum gratiæ spiritalis germinare debuit, ibi fragilia quæque dogmata per pharisaicam superstitionem transplantaret.

D Sed Naboth hanc vineam dare nolenti, id est Christo Pharisæorum superstitionibus non consentienti, impia vxor Iezabel insidiata est, quæ interpretatur cohabitatrix, siue fluxus vanus: quod bene conuenit synagogæ, quæ habitare videbatur in domo Domini, sed per varia desideria vanitatis defluebat. [*Misit ergo Iezabel litteras ad maiores natu, & ad optimates qui erāt in ciuitate, vt subintroductis falsis testibus testimonium falsum contra Naboth ponerent, quod benedixisset Deum & regem, & sic eductum de ciuitate lapidarent vt moreretur.*] Cum synagoga per pontifices, scribas, & pharisæos meditata est mortem Christi. De qua scriptum est in Euangelio: *Principes autem sacerdotum, & omne concilium quærebant falsum testimonium contra* IESVM, *vt eum morti traderent, & non inuenerunt; cum multi falsi testes accessissent, Nouissime autem venerunt duo falsi testes, & dixerunt: Hic dixit: Possum*

Matt. 26. *destruere templum Dei, & post triduum reædificare illud.* Duo ergo falsi testes contra Naboth falsum testimonium dicebant, quod benedixisset Deum & regem: & Iudæi

E per duos falsos testes Christo opponebant, quod potentiam & naturam sibi diuinitatis ascriberet. Vnde Pilato ad Iudæos ita dicente: *Accipite eum vos, & crucifigite: ego enim non inuenio in eo causam.* Responderunt ei Iudæi: *Nos legem habemus, & secundum legem debet mori: quia filium Dei se fecit.* [*Lapidatus est itaque Naboth extra ciuitatem, instigante Iezabel, vt eo mortuo, Achab vineam eius possideret.*] Sic & saluator extra portam passus est, crucifixus videlicet in loco Caluariæ, excitante per zelum synagoga populum, vt peterent mortem Christi, quatenus eo occiso, securius viuerent. Vnde quasi sibi consulentes, aiebant: *Ecce mundus totus post eum abiit. Et*

Ioan. 12. *si dimittimus eum sic, omnes credent in eum.* Hæreditas ergo Christi Ecclesia est, coniunctis ei data est de gentibus, quam non moriens illi pater reliquit, sed ipse sua morte mirabiliter acquisiuit, quia resurgendo possedit. Hanc autem, occiso eo, mali coloni præripere moliebantur, cum crucifigentes eum Iudæi, fidem quæ per eum est,

F extinguere, & suam magis quæ ex lege est, iustitiam præferre, ac gentibus imbuendis conabantur inserere.

Matt. 21. Extra vineam hæres vineæ trucidatur: quia IESVS vt sanctificaret per suum sanguinem populum extra portam passus est. Et bene conuenit huic mysterio quod in loco hoc quo linxerunt canes sanguinem Naboth, secundum Prophetæ sententiam lambebant etiam sanguinem Achab. Et in agro Iezraël canes comederunt carnes Iezabel, quia cum canes illi (de quibus scriptum est: *Cir-*

Psal. 21. Matt. 15. *cumdederunt me canes multi*) sanguinem redemptoris nostri, lingua venenata expetebant: ipsi etiam à canibus illis (de quibus item scriptura dicit: *Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus*) vt nequissimi raptores & scelestissimi possessores vineæ Domini, in eodem loco quo dominus passus est, trucidabantur, & carnes eorum bestiis & volucribus comedendæ tradebantur. Et ita impia gens illa, quæ in passione domini prophana voce

Matt. 27. clamabat: *Sanguis eius super nos & super filios nostros*, ibidem sanguinem suum fœtidissimum meruit fundi, vbi sal-

G uatorem suum expetebat occidi. Refert quidem Iosephus quod ex omni Iudæa populi in die solemni, paschæ, Hierosolymam velut exitiali quadam manu cogente conuenerunt, quos tricies centena millia hominum dicit fuisse iusto scilicet Dei iudicio tempore hoc vltionis electo: vt qui in diebus paschæ saluatorem suum & salutare Christum Domini cruentis manibus & sacrilegis vocibus violauerant, in ipsis diebus velut in vnum carcerem omnis multitudo conclusa, feralis pœnæ exitium quod merebatur, exciperet.

CAP. XXII.

Vocauit ergo Rex Israël eunuchum quendam, & dixit ei: Festina adducere Micheam filium Iemla. Rex autem Israël & Iosaphat Rex Iuda sedebant, vnusquisque in solio suo vestiti cultu regio. [Et reliqua.] Quod autem Micheas vocatus ad regem Israël, ita dicens: [*Vidi dominum sedentem super solium suum, & exercitum cœli assistentem ei a dextris & a sinistris eius. Et dictum est: In*

H *quo decipiam Achab, vt ascendat & cadat in Ramoth Galaad? Et dixit alius ita, & alius aliter. Et egressus vnus, dixit: Ego decipiam eum. Et dictum est: In quo decipies? Qui respondit, dicens: Egrediar & ero mendax spiritus in ore omnium prophetarum eius.*] Quid per solium Domini, nisi Angelicas potestates accipimus? Quarum mentibus Deus altius præsidens, inferius cuncta disponit. Et quid exercitus cœli, nisi ministrantium angelorum describitur? Quid est ergo quod exercitus cœli à dextris & à sinistris eius stare perhibetur: Deus enim qui ita est intra omnia, vt etiam sit extra omnia nec dextra, nec sinistra concluditur. Sed dextra Dei, pars Angelorum electa: sinistra autem Dei, pars Angelorum reproba designatur. Non enim Deo solummodo boni qui adiuuent, sed etiam qui redire nolentes grauant. Nec quod cœli exercitus dicitur Angelorum pars reproba, intelligi posse prohibetur. Quas enim suspendi in aëre nouimus, aues cæli nominamus. Et de eisdem spiritibus Paulus dixit, *contra*

spiritalia

A *ſpiritalia nequitiæ in cæleſtibus:* quorum caput enuntians, ait: *Secundum principem poteſtatis aëris huius.* A dextra ergo & ſiniſtra Angelorum exercitus ſtat, quia & voluntas electorum ſpirituum diuinæ pietati concordat, & reprohorum ſenſus ſuæ malitiæ ſeruiens iudicio diſtrictionis eius obtemperat. Vnde & mox fallax ſpiritus in medium proſiluiſſe deſcribitur, per quem Achab Rex exigentibus meritis decipiatur. Neque enim fas eſt, credere bonum ſpiritum fallaciæ deſeruire voluiſſe, vt diceret, *Egrediar & ero mendax ſpiritus in ore omnium Prophetarum eius.* Sed quia Achab Rex peccatis præcedentibus dignus erat, vt tali debuiſſet deceptione damnari, quatenus qui ſæpe volens ceciderat in culpam, quandoque volens caperetur ad pœnam, occulta iuſtitia, licentia malignis ſpiritibus datur: volentes, vt quos in peccati laqueo ſtrangulant, in peccati pœnam etiam nolentes trahant. Denique is qui vitam reprobam non mutat, & à perpetrandis peccatis animum non auertit, cum à Propheta aliquid requirit, illa audit Deo diſponente, B quæ merebatur audire damnandus. Ecce enim (vt vnum vel duo ex multis loquamur) ab omnipotentis Dei cultu domus Iſraël ſub idolorum ſeruitute receſſerat, & tamen ad Prophetas à quibus decipi conſueuerat, ſæpe veniebat, proſpera requirens: cum ex ore Prophetarum peruerſa agens proſpera audire merebatur. Quid aliud ſuperna iudicia agebant, niſi vt peccator populus in ſuo corde caperetur, quatenus qui perfidiam ſequendo deliquerat, ſic Prophetarum ſuorum blandis ſermonibus deciperetur, vt iam nec pertimeſceret, quia deliquiſſet: & tanto poſt diutius caperetur ad pœnam, quanto nunc ſecurius viueret in culpa? Sed ecce iam largiente omnipotenti Deo, ab idolorum cultura motum eſt quamplurimum genus humanum, veram fidem publice fatetur, ſubdi lignis & lapidibus, vel cuilibet creaturæ in adoratione renuit. Securus iam Prophetã quilibet in fide poſitus conſulit, quia hoc auditurus eſt, quod audire fidelem decet. Fiducier dicam, ab immunditiis aliis atque à prauis acti-

C bus receſſiſſet, receſſurus eſſet. Nam cum Paulus egre-

Phil. 5. gius prædicator clamet, *& fugit auaritiam in qua eſt ido-*

Col. 3. *lorum ſeruitus*, quiſquis adhuc auaritiæ ſubiectus eſt, à cultu idolorum liber non eſt. Si ergo is qui auaritiæ æſtibus anhelat, in fide quidem poſitus eſſe videtur, ſed aliena ambit accipere, honores mundi deſiderat comprehendere, habere temporalem gloriam concupiſcit, atque de hac eadem gloria Prophetam conſulit: iuſtum valde eſt, vt ex culpæ ſuæ merito, à Prophetæ ore proſpera audiat, quatenus qui verba Dei audire in ſacro eloquio noluit, vt terrena deſpiceret, cæleſtia ambiret, illud iudice Deo ex Prophetæ ſui ore audiat, vnde amplius obligatus cadat, dum ſpe terrenę gloriæ delectatus ſuis paſcitur deſideriis, ad ima ſemper ducatur. Neq; enim bonus fuit ille ſpiritus, qui mendax eſſe appetiit in ore Prophetarum. Vnde & præmiſſum eſt, quia exercitus cæli ſtetit à dextris & ſiniſtris eius. Deus enim qui incircumſcripta eſt veritas in illa æterna beatitudine, quæ dextera eius dicitur, ſiniſtram non habet, quia nihil eſt quod diſplicere poſſit.

D Sed quia ſimul omnia contuetur, ſimul cuncta aſpicit, ea vi, in qua & bonos ſpiritus, & malos videt: Exercitus cæli à dextris & à ſiniſtris habere deſcribitur, vt per dextram intelligamus Angelos electos, per ſiniſtram verò ſpiritus reprobos. Nec mouere debet quod exercitus cæli, etiam repulſi Angeli vocantur, quia & ipſi quamuis ab æthereo expulſi ſint, adhuc tamen in aëreo cælo demorantur, ſicut Pau-

Eph. 6. lus ait: *Contra ſpiritalia nequitia in cæleſtibus.*

E

ANGELOMI LEXOVIENSIS in Libri quarti Regum Stromata, Præfatio.

TANDEM aliquando (Domino cooperante) quartum quodammodo nauigando appulimus librum, quo valeat quandoque requiem noſtra habere manus, quæ ducit oblique remos, per æquora quæque Doctorum. Vaſtum enim ceu tranſiuimus mare, proſperantibus zephyrorum flabris ſuperioris libelli, & Domino flante quodammodo (vt quidam ait) Carmina ſyrenarum

F ſurda tranſnauigamus aure, nautas imo nauclerós, ſcilicet gnaros maris, qui afflante Spiritu ſancto, pelagus huius itineris crebro tranſiere freti. Sed iam nunc licet à longe, quaſi portum littoris cernimus: Perpendimus, inquam, quid tranſiuimus, perpendimus quoque quo appropinquamus, & gratulamur, & quaſi tranſductis poſt tergum oculis, dum conſideramus, qualiter vndoſum grauiter per freta nauigando confreſſimus æquor. Fit certius; illud quod adhuc reſtat tranſnare ad littus. Sed quanquam paruum videatur ſpatium, quod debeamus carpere maris, verum eſt nobis neceſſarium, vt aquilone deſcendente leniter flabris aſpiret proſperantibus auſter, qui ſuſpenſa vela impellit, vt proſperetur nauis. Nam aſſolet fieri, vt dum incaute cupiunt nonnulli abſque flatu ſpiritus ſummi tranſire cærula ponti, incidant in ſaxa, imo offendant in montem, & non inueniant portum, ſed potius planctum: Ideoque eſt nobis caute deducere puppim, leniter quo currat tuta mare per altum quo portus accipiat, ipſam de gurgite tandem, & ſedere valeat, fixa in littore gaudens, vt ſaltem commercia vel paruulis congeſta, poſſit conferre Doctorum, & licet ſuperioris libri myſteria Chriſti & Eccleſiæ pandunt, verum iſte

G præ omnibus paſſionem imo aſcenſionem demonſtrat Saluatoris. Vnde iſti libri regnorum, non immerito præfigurauerunt libros quatuor Euangeliorum, vbi euidenter quod in figura in eiſdem geſtum eſt, in veritate ſunt expleta. Idcirco volo ſtylum illuc reuertere ouans, abdita diutius ne maneant myſtica dona. Sed ex dictorum Doctorum decerno congerere plura, & in modum libelli cupio, Domino fauente, concludere noſtrum opus, compendioſo videlicet ac breui ſermone, ne videar libelli ſtromatum excedere modum. Ait ſacra hiſtoria.

CAP. I.

PRæuaricatus eſt autem Moab in Iſraël, poſtquam mortuus eſt Achab. Ceciditque Ochozias per cancellos cœnaculi ſui quod habebat in Samaria, & ægrotauit. Miſitque nuntios dicens ad eos: Ite conſulite Beelzebub Deum Accaron, vtrum viuere queam de infirmitate mea hac. Angelus autem Domini locutus eſt ad Eliam Thesbiten, dicens: Surge aſcende in occurſum nuntiorum regis

H *Samariæ, & dices ad eos: Nunquid non eſt Deus in Iſrael, vt eatis ad conſulendum Beelzebub Deum Accaron? quamobrem hæc dicit Dominus: De lectulo ſuper quem aſcendiſti non deſcendes, ſed morte morieris.* Et reliqua.] Mortuo quoque impiiſsimo Rege Achab, impius hæres ſucceſsit, filius vtique eius Ochozias, de quo ſcriptura narrat quod fecerat malum in conſpectu Domini, & ambulauerat in via patris ſui & matris ſuæ, & in via Ieroboam, filij Naboth qui peccare fecit Iſraël. Seruiuit quoque Baal & adorauit eum, & irritauit Dominum Deum Iſraël, iuxta omnia quod fecerat pater eius. Sed non diu proſpere egit, quia per cancellos cœnaculi ſui (quod habebat in Samaria) cecidit, & ægrotauit.] *Miſitque nuntios ad Beelzebub Deum Accaron, vt conſulerent eum vtrum viuere poſſet de hac infirmitate.*] Cui cum Elias nuntiis ſuis obuians de morte vicina reſpondiſſet, miſit ad eum quinquagenarium principem, cum militibus ſibi ſubiectis, vt eum adducerent. Sed his igne cæleſti

consumptis,

A cōsumptis, iterum misit alium quinquagenarium, qui similiter cum suis combustus est. Misit iterum, qui reseruatus est. Itaque rex iste populum Iudæorum, & maxime principes significat, qui peccatis & vitiis dediti, veritatem à se repellebant, imo persequebantur. Vnde legitur in Euangelio: *Quia miserunt principes & Pharisæi ministros vt apprehenderent* IESVM. Et iterum: *Quærebant ergo eum apprehendere, & nemo misit in eum manus, quia nondum venerat hora eius, & fugit in montem solus orare.* Et iterum: *Cogitauerunt vt interficiant eum.* IESVS ergo non palam ambulabat iam apud Iudæos, sed abiit in regionem intra desertum, in ciuitatem quæ dicitur Ephraim. Domus ergo Ochoziæ synagoga est Iudæorum, quæ legalibus præceptis quasi cancellis cœnaculi, vndique circundata erat. Sed sicut Ochozias qui per cancellos quibus tueri debuerit ruens, ægritudinem nimiam incurrit, ita & populus Iudæorum, legis custodiam excedens, in languorem desperabilem peccatorum cecidit. B Vbi quia diuina præsidia dereliquit, salutis remedia inuenire non meruit. Confugit enim sicut rex impius fecit, ad falsorum deorum præsidia, à quibus magis læsus quam adiutus est. Et ideo de Prophetico ore corripitur, & de eius vicina morte prædicitur. Hinc per Isaiam, dicitur: *Cum dixerint ad vos, quærite à phytonibus & à diuinis qui strident in incantationibus suis.* Nunquid non populus a Deo suo requiret pro viuis ac mortuis, ad legem magis, & ad testimonium? Quod si non dixerint iuxta verbum hoc non erit eis matutina lux. Et qui transierit per ea corruet & esuriet, & cum esurierit irascetur, & maledicet regi suo, & suspiciet sursum, & ad terram intuebitur. Ecce tribulatio & tenebræ, dissolutio, angustia & caligo persequens, & non poterit auolare de angustia sua. Mittit rex impius duos quinquagenarios cum subditis sibi militibus, vt exhibeant Eliam, qui diuino igne consumpti sunt: tertius autem missus saluatur. Quinquagenarius namque numerus, confessio pœnitentiæ est, quo declaratur remissio peccatorum. C Iudæi ergo nolentes Christum Deum esse perfectum nec principem pœnitentiæ, dicunt ad eum: *Quinquaginta annos nondum habes, & Abraam nosti?* In futuro diuino igne incenduntur & extinguuntur. Tertius autem quinquagenarius, quia conuersus ad fidem trinitatis, pœnitentiæ sacramenta cognouit, indulgentiam meruit.

Ioan.7. Ioan.8. Ioan.11.

Esai.8.

CAP. II.

F*Actum est autem cum leuare vellet Dominus Eliam per turbinem in cælum, ibat Elias & Elisæus de Galgalis. Dixitque Elias ad Elisæum: Sede hic quia Dominus misit me vsque ad Bethel. Cui ait Elisæus: Viuit Dominus & viuit anima tua, quia non derelinquam te.* Et reliqua.] Quid est quod Elias ad cœlum raptus dicitur? nunquid eum adhuc in hac carne corruptibili positum, ad illud summæ quietis cælum ante resurrectionem ascensionemque Domini credimus esse perductū: Sed aliud est cœlum aërium, aliud æthereum. Cælum quippe aërium terræ est proximum. D Vnde & *aues cæli* dicimus, quia eas volitare in aëre videmus: In cœlum itaque aërium Elias subleuatus est, vt in secretam quandam terræ regionem repente duceretur, vbi magna iam carnis & spiritus quiete viueret, quousque ad finem mundi redeat, & mortis debitum soluat. Subleuatus namque Elias, ascensionem dominicam designauit. Ille enim mortem distulit non euasit. Redemptor autem noster (quia non distulit) superauit. Eamque resurgendo consumpsit, & resurrectionis suæ gloriam, ascendendo declarauit. Notandum quoque est quod Elias in curru ascendisse legitur, vt videlicet aperte monstraretur, quia homo purus adiutorio egebat alieno. Per Angelos quippe illa facta & ostēsa sunt adiumenta, quia nec ad cœlum quidem aëreum per se ascendere poterat, quem naturæ suæ infirmitas grauabat. Redemptor autem noster, non curru, non Angelis subleuatus legitur, quia is qui fecerat omnia nimirum super omnia sua virtute ferebatur. Illuc enim reuertebatur vbi erat & inde redibat vbi remanebat: quia cum per humanitatem ascenderet in cœlum, per diuinitatem, & terram pariter continebat & cœlum. E Sicut autem Ioseph à fratribus venditus, venditionem redemptoris nostri figurauit: sic Enoch translatus, atque ad cœlum aëreum Elias subleuatus, ascensionem dominicam designauit. Ascensionis suæ Dominus prænuntios & testes habuit, vnum ante legem, alium sub lege, vt quandoque veniret ipse, qui veraciter cœlos penetrare potuisset. Vnde & ipse ordo in eorum quoque vtraque subleuatione, per quædam incrementa distinguitur. Nam Enoch translatus, Elias vero ad cœlum subuectus esse memoratur, vt veniret postmodum, qui nec translatus nec subuectus, cœlum æthereum, sua virtute penetraret. Qui nobis in se credentibus, carnis quoque munditiem largiretur, & sub eo per incrementa temporum, virtus castitatis excresceret. In ipsa quoque eorum translatione, qui ascensionem dominicam, & videlicet famuli designauerunt, & in ipso se, qui ad cœlum ascendit, Dominus ostendit. F Nam Enoch quidem vxores & filios habuit, Elias vero neque vxorem neque filios legitur habuisse. Pensare ergo quomodo per incrementa creuerit mundiria castitatis quod & per translatos famulos & per ascendentis Domini personam patenter ostenditur. Translatus namque est Enoch, per coitum genitus, & per coitū generans. Assumptus est vero Dominus, neque per coitum generans, neque per coitum generatus. Quæritur autem, quomodo Elisæus cum suus magister Elias locum postulandi ei offerret, duplicem spiritum Eliæ postulauerit, cum dominus dicit in Euangelio. *Non est discipulus super magistrum perfectus autem omnis erit si sit sicut magister eius.* Cui petitionis mysterium si consideretur, non importuna sed necessaria postulatio esse decernitur. [*Dixit ergo Elias ad Elisæum: Postula quod vis vt faciam tibi antequam tollar à te. Dixitque Elisæus: Obsecro vt fiat spiritus tuus duplex in me. Qui respondit, Rem difficilem postulasti. Attamen si videris me quando tollar à te, erit quod petisti: si autem non videris non erit*] Quem enim hoc loco significat Elias, nisi caput nostrum, dominum scilicet redemptorem: Et quem Elisæus nisi corpus eius quod est Ecclesia? G Dat locum postulandi Elias noster, cum in Euangelio dicit: *Petite & dabitur vobis.* Et item: *Petite,* inquit, *& accipietis, vt gaudium vestrum plenum sit.* Hac ergo fiducia accepta à Domino, postulat Elisæus, hoc est, populus Christianus, vt fiat spiritus Christi duplex in eis hoc est, duplex gratia Spiritussancti, in remissionem vtique peccatorum, & collationem virtutum. Redemptor igitur noster, qui non *habuit peccatum, neque peccatum fecit, nec dolus inuentus est in ore eius*, remissione peccatorum non eguit, qui peccatum nullum habuit. Opera autem virtutum in Spiritusancto fecit, sicut ipse in Euangelio dicit Iudæis: *Si ego in digito Dei eiicio demonia, profecto peruenit in vos regnum Dei.* Inseparabilia sunt igitur opera sanctæ Trinitatis, id est, Patris & Filij & Spiritussancti, veritate attestante quæ ait: *Quia quæ pater facit: hæc eadem similiter & filius facit.* Et Apostolus: *Hæc omnia operatur vnus atque idem spiritus diuidens singulis prout vult.* H Bene quidem postulat Ecclesia, vt spiritum duplicem accipiat Christi, quia & remissione peccatorum indiget, qua non eguit Christus, & munere virtutum quas ex plenitudine sua per Spiritum sanctum tribuit Christus, qui *ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus*, illis videlicet hominibus, qui spem suam firmiter in illum ponunt. Hinc est quod Elias dicit ad Elisæum. [*Si videris me quando tollar a te erit quod petisti: si autem non videris, non erit.*] Quia nisi quis recte fidei oculos in illum ponat, & credat fideliter passionem resurrectionem, & ascensionem eius ad patrem, petitionis suæ fructum non capiet, quod subsequens ratio designat. [*Elias enim secum comitante Elisæo ad ripam Iordanis veniens, tulit pallium suum & inuoluit illud & percussit aquas quæ diuisæ sunt in vtramque partem, & transierunt ambo per siccum. Cumque Elias raptus esset, Elisæus leuauit pallium Eliæ, quod ceciderat ei. Reuersusque stetit super ripam Iordanis, & pallio Eliæ quod ceciderat ei percussit aquas &*

Matt.6. Gen.37. Matt.10. Matt.7. Ioan.16. 1.Pet.2 Matt.12. 1.Cor.12. Eph.4.

non

A *non sunt diuisæ, & dixit. Vbi est Deus Eliæ etiam nunc? percussit aquas & diuisæ sunt huc atque illuc,* &c.] Quid significat palliuo Eliæ, nisi Incarnationem Domini, per quam Redemptor noster lethi fluuium disrumpit, nobisque transitum ad vitam præparauit? Hoc ergo pallium Elisæus post transitum Eliæ retinuit, quia fidem Incarnationis Christi Ecclesia post ascensionem eius ad cælos reseruauit, per quam præsentis vitæ fluctus transire satagit. Sed sicut Elisæus percutiens pallio fluuium, aquas non diuisit, antequam dixit. Vbi est Deus Eliæ etiam nunc? & sic percussit aquas & diuisæ sunt: ita Ecclesia nisi per inuocationem nominis Domini, virtutes vllas facere non potest. Quia sicut ipse dixit, *Sine me nihil potestis facere,* nihil est enim humanum studium, nisi adsit diuinum adiutorium. Vnde Apostolus dixit: *Deus est qui operatur in nobis & velle & perficere pro bona voluntate.* Et Propheta ad Dominum, ait: *In te inimicos nostros ventilabimus cornu, & in nomine tuo spernemus insurgentes in nos,* &c.]

Ioan. 15. Phil 2. Psal. 43.

B *Dixerunt quoque viri ciuitatis ad Elisæum: Ecce habitatio ciuitatis huius optima est, sicut tu ipse Domine perspicis, sed aqua pessima sunt & terra sterilis. At ille ait: Afferte mihi vas nouum & mittite in illud sal.* Postulabatur Elisæus à populo vt aquas Iericho malignas & steriles sanaret. Accepit vas nouum fictile & iecit in illud sal, & demersit illud in flumen, & statim fluminis aquæ sanatæ sunt, quo facto prænuntiabat Propheta, quia verbum caro fieret, & habitaret in nobis. Inde in similitudinem verbi sal, id est, sapientiam, dedit in vas fictile, in corpus scilicet humanum, & immittens in aquam demersit. Quod quidem significabat, quia omnes populi qui sub figura aquarū in toto mundo steriles erant, per Christi Incarnationem fœcunditatem & benedictionem accepturi essent. [*Ascendit autem inde in Bethel, Cumque ascenderet per viam, pueri parui egressi sunt de ciuitate, & illudebant ei, dicentes: Ascende calue, ascende calue. Qui cum post se respexisset, vidit eos & maledixit eis in nomine Domini. Egressique sunt de saltu duo vrsi, & lacerauerunt ex eis quadraginta & duos pueros.*]

C Elisæus quoque Propheta (sicut sæpe diximus) figuram Christi gessit. Denique vocabulum illud, *salus Dei,* interpretatur. *Salus* autem *Dei* quia est alius nisi filius eius, qui & saluator vbique vocatur? Paruuli vero illi illudentes saluti Dei, id est, Elisæo, Iudæorum habuere personam, qui ad crucem Domino Saluatori subsannabant, qui dicunt, *Ascende calue, ascende calue:* quia in Caluariæ loco Christus ascensurus erat in crucem. Quod vero conuersus maledixit Elisæus, & exierunt duo vrsi de sylua, & interfecerunt quadraginta & duos pueros blasphemantes: ita & Christus post Passionem & Resurrectionem ex mortuis, postquam ascendit in cælos, sicut Elisæus ascendit in Bethel, id est, in domum Dei, conuersus maledixit Iudæis, & quadragesimo secundo anno ascensionis suæ, immisit duos vrsos de syluis gentium, Vespasianum scilicet & Titum, qui eos crudeli strage deiecerunt.

Matth. 7.

CAP. III.

D PORRO *Mesa Rex Moab nutriebat pecora multa, & soluebat Regi Israël centum millia agnorum, & centum millia arietum cum velleribus suis. Cumque mortuus fuisset Achab, præuaricatus est fœdus quod habebat cum Rege, Israel,* & reliqua.] Igitur post hæc bellum gerebant per tres Reges, hoc est, Regem Israël, Regem Iuda, & Regem Edom, contra Moab. Consultusque ab eis Elisæus Propheta, post alia hæc subdit dicens: [*Facite alueum torrentis huius & fossas. Hæc enim dicit Dominus: Non videbitis ventum neque pluuiam, & alueus iste replebitur aquis, & bibetis vos & familia vestra & iumenta vestra. Paruumque hoc est in conspectu Domini, insuper tradet etiam Moab in manus vestras, & percutietis omnem ciuitatem munitam, & omnem vrbem electam, & vniuersum lignum fructiferum succidetis, cunctosque fontes aquarum obturabitis, & omnem agrum egregium operietis lapidibus.* [Quid ergo significant tres isti reges contra Moab bellum gerentes, nisi rectores fidelium, qui per

E sanctæ Trinitatis fidem, contra mundi principem, & contra populum eius, hoc est, Philosophos hæreticos, schismaticos, atque omnes iniquos, cum scuto fidei, atque armis spiritalibus confligunt? Moab ergo qui de incesto natus est, & interpretatur de patre, bene illis conuenit, ad quos Dominus dixit. *Vos de diabolo nati estis, & vultis facere voluntatem patris vestri.* Hi ergo aduersantur Ecclesiæ partim minis, partim persecutionibus, partim dolo ac falsis fictionibus: sed per Christi virtutem (qui caput est populi Christiani) superantur atque effugantur. Quibus ait Propheta Domini: [*Facite alueum torrentis huius, fossas & fossas. Non videbitis ventum neque pluuiam, & alueus iste replebitur aquis & bibetis vos & familia vestra.* Et reliqua. Ecce Propheta Domini populo siti fatigato, per miraculum factum à Domino consulit, sic & Prophetæ dicta consilium præbent fidelibus, qualiter spiritali doctrina sitim suam extinguant, atque animum reficiant:

Ioan. 8.

F Iubet ergo fossas facere in torrentis alueo, & ita prædicit, absque ventis & pluuia aquarum largitatem. Quid est fossas in alueo torrentis facere, nisi profunda mysteria in sacris Scripturis in bono studio quærere? quæ absque pluuia & vento aqua replentur, quia sæpe absque humano solatio sapientiam confert suis inuestigatoribus, potentia diuina. Vnde dicit Ioannes Apostolus: *Non necesse habetis, vt aliquis doceat vos, sed sicut vnctio eius docet vos de omnibus.* [*Vnde bibunt homines & iumenta.*] id est, doctrinam accipiunt ingeniosi quique & simplices, quia quantum idonea est anima accipientis, tantum ibi inueniet documenti suæ salutis. Sequitur: *Paruumque hoc est in conspectu Domini, insuper tradet etiam Moab in manus vestras,* &c. [Non enim sufficit seruis Dei, abdita mysteria scire, quinetiam aliis prædicare, & contradicentes redarguere, quibus promissa est certa de hoste victoria. [*Vt percutiant omnem ciuitatem munitam, & omnem vrbem electum,* &c.] Ciuitates munitas & vrbes electas, possumus secularem prudentiam intelligere, in quam maxime Philosophi & hæretici confidunt. Hæ ergo per Prædicatorem sancti Euangelij subuertuntur. Vnde dicit Apostolus: *Arma militiæ nostra, non carnalia sunt, sed potentia Deo ad destructionem munitionum, consilia destruentes, & omnem altitudinem extollentem se aduersus scientiam Dei, & in captiuitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi & in promptu habentes vlcisci omnem inobedientiam,* [*Vniuersa ligna fructifera succiduntur,*] non illa ligna quæ faciunt fructum bonum, sed quæ mortiferum generant pastum, quæ radicibus securi examinis succisa pabulum fient ignis æterni. [*Cunctique fontes aquarum obturantur.* [Cum hæresiarchæ, simul cum suis sequacibus, per Catholicos Doctores damnantur.] *Et omnes agri egregij lapidibus operiuntur.*] Cum venustas locutionis hæreticæ atque philosophicæ anathematis pondere obruitur. [*Nihilque remanebit in terra Moab, nisi muri tantum fictiles,*] hoc est, falsæ rationes fragilium doctrinarum, quæ à fundibulariis, id est, sanctis prædicatoribus Ecclesiæ circundatæ, maxima ex parte refutantur, & ad nihilum rediguntur. Quod autem Moabitæ, orto sole ex aduerso aquarum videre contra aquas rubras, quasi sanguinem gladij existimauerunt, dicentes, quod tres Reges qui contra se venerunt ad pugnam, inuicem se occidissent, & sic delusi sunt: ita & philosophi, verbum crucis Christi stultitiam existimantes, derident Passionem Christi, & Ecclesiæ martyrium dementiam existimant. Sed secundum Apostolum, *Quod stultum est Dei, sapientius est hominibus, & quod infirmum est Dei fortius est hominibus: Quoniam prudentia carnis mors est: prudentia autem spiritus vita & pax.* Ad probandum autem quod Moab in præsenti loco super philosophorum intelligatur superbia (de quibus dicitur: *Perdam sapientiam sapientium, & intelligentiam intelligentium reprobabo*) pauca de Propheta exempla replicanda sunt. Amos loquitur, Hæc dicit Dominus, *Super tribus impietatibus Moab, & super quatuor non aduersabo eum, pro eo quod combussit ossa Regis Idumææ in cineres.* Vere enim quicquid in seculo dog-

1. Ioan. 2.

G 2. Cor. 10.

Matt. 3.

H 1. Cor. 1. Rom. 8.

gmatum

A matum peruersorum, quicquid ad terrenam sapientiam pertinet putatur esse robustum. Hoc dialecticum subuertitur, & instar incendij in cineres fauillasque dissoluitur, vt probetur nihil, quod putabatur esse fortissimum. Sed & Isaias superbiam Moab arguit, dicens: *audiuimus contumeliam Moab, contumeliosus est nimis, superbiam eius abstuli.* Ieremias quoque contra omnes vaticinans nationes proprie loquitur ad Moab, quod *confidebas in munitionibus tuis*, (& pauca post) *habens fiduciam in gloria tua.* Et iterum: *quoniam dicitis fortes ramos.* Ac deinde: *Iuxta est dies Moab vt veniat & malitia eius nimis.* Et manifestius dicit: *Quomodo contritus est baculus gloriosus, virga magnificientiæ?* Et iterum: *Contritum est cornu Moab.* Hæc autem dicuntur sub nomine Moab, vt stulta seculi, & in cœlum semper ferens malitia conteratur.

Isa. 16. Ier. 48.

CAP. IV.

B *MVlier autem quadam de vxoribus prophetarum clamabat ad Eliseum dicens: Seruus tuus vir meus mortuus est, & tu nosti quia seruus tuus fuit timens dominum, & ecce creditor venit vt tollat duos filios meos ad seruiendum sibi. Cui dixit Elisæus: Quid vis vt faciam tibi? Dic mihi quid habes in domo tua: At illa respondit: Non habeo ancilla tua quicquam in domo mea, nisi parum olei quo vngar. Cui ait: Vade pete mutuo ab omnibus vicinis tuis vasa vacua non pauca, & ingredere & claude ostium tuum, cum intrinsecus fueris tu & filij tui, & mitte inde in omnia vasa hæc, & cum plena fuerint tolles. Iuit itaque mulier* Et reliqua.] Quid per hanc mulierem nisi sancta Ecclesia designatur? duorum populorum, id est, Iudaici & gentilis, quasi duorum filiorum mater, quæ prius ex peruerso opere, consentiendo callidi spiritus persuasioni, quasi quendam peccati nummum à creditore acceperat & duos quos in fide genuit, amittere filios timebat. Sed prophetæ verbis, id est, sacræ Scripturæ præceptis obediens ex paruo
C quod habebat olei, vacua vasa infundit, quia dū ab vnius ore doctoris, parum quidem amoris diuinitatis, multorum vacuæ mentes hauriunt, exuberante autem gratia vnguentorum diuini amoris, vsque ad summum replentur. Etiam nunc corda multorum, quæ prius fuerant vacua vascula, vnguento spiritus plena sunt, quæ ex paucitate olei, solummodo infusa videbantur. Quod cum aliis atque aliis datur, & ab auditoribus fides accipitur, erepta mulier videlicet sancta Ecclesia sub creditoris sui iam debito non tenetur. [*Facta autem quadam dies, & transibat Elisæus per Sunam. Erat autem ibi mulier magna, quæ tenuit eum vt comederet panem. Cumque frequenter inde transiret, diuertebat ad eam vt comederet panem. Quæ dixit ad virum suum: Animaduerto quod vir Dei sanctus est iste, qui transit per nos frequenter. Faciamus ei cœnaculum paruum, & ponamus ei in eo lectulum & mensam & sellam & candelabrum, vt cum venerit ad nos maneat ibi. Facta est igitur dies quadam &c.*] Mulier autem ista quæ prophetā hospitio suscepit, bene potest originem insinuare populi
D Israelitici quæ fuit in patriarchis. Vide sicut ista Elisæum prophetam, ita & illa dominum prophetarum hospitio suscipere meruit. Nam Abraam & Sara tres viros iuxta vallē Mambre suscipere & pascere meruerunt. Huic mulieri non habenti filium, propheta promisit dicens. [*In tempore isto & in hac eadem hora, si vita comes fuerit habebis in vtero filium. Cui illa respondit: Noli quæso domine mi vir Dei, noli mentiri ancillæ tuæ. Et concepit mulier, & peperit filium in tempore: & in hora eadem qua dixerat Elisæus. Creuit autem puer, & cum esset quadam dies, & egressus isset ad patrem suum ad messores ait patri suo, caput meū, caput meū doleo. At ille dixit puero: Tolle, &*
Gen. 18. *duc eum &c.*] His quoque similia, dominus ad Abraham retulit, dicens: *Reuertens veniam ad te, tempore isto vita comite, & habebit Sara filium vxor tua. Quo audito, Sara risit post ostium tabernaculi, occulte dicens, Postquam consenui, & dominus meus vetulus est: voluptati operam dabo?*] Visitauit autem dominus Saram sicut promiserat ei, & impleuit quæ locutus est, concepitque & peperit filium in senectute sua, tempore quo prædixerat ei Deus. Igitur postquam creuit puer, tactus dolore capitis immenso, circa meridiem defunctus est. Cum populus Israëliticos postquam in Ægypto excreuit, & per Moysen in deserto eductus domini vocem audierat in igne & caligine, quando lumine scientiæ debuit illustrari, mox animo ad idololatriam recurrens mortuus est. [*Et ait Elisæus ad Gibezi puerum suum: Accinge lumbos tuos, & tolle baculum meum in manu tua, & vade. Si occurrerit tibi homo, non salutes eum: et si salutauerit te quispiam, non respondeas illi. Et pones baculum meum super faciem pueri. Porro mater pueri ait: Viuit dominus, & viuit anima tua, non dimittam te. Surrexit ergo & secutus est eam. Gibezi autem præcesserat ante eos,* &c.] Quid autem significat, quod puer ab Elisæo missus cum baculo non resuscitat? per semetipsum vero Elisæus veniens, seque super mortuum sternens, atque ad eius membra se colligens, huc illucque deambulans, & in ore mortui septies aspirans, hunc ad rediuiuam
F lucem protinus per ministerium compassionis animauit, nisi quod autor humani generis Deus, quasi mortuum puerum doluit, cum extinctos nos iniquitatis aculeo miseratus aspexit? Et quia per Moysen rectorem legis protulit, quasi per puerum virgam misit. Per legem quippe Deus virgam tenuerat, cum dicebat: Si quis hæc vel illa fecerit, morte moriatur. A peccatis igitur morte, nos suscitare non valuit, sed ad statum vitæ aspirata mansuetudinis gratia erexit. Sed puer cum baculo suscitare mortuum non valuit, quia Paulo attestante: Nihil ad perfectum adduxit lex. Ipse autem per semetipsum veniens, & super cadauer humiliter se sternens, & exequenda sibi mortui membra se collegit, quia *cum in forma Dei* Phil. 2.
esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit formam serui accipiens in similitudinem hominum factus & habitu inuentus vt homo. [*huc illucque deambulabat,*] quia & Iudæam iuxta & longe positas gentes vocat. [*super mortuum septies inspirat.*] quia
G per apertionem diuini muneris, gratiam septiformis spiritus, in peccati morte iacentibus aspirat. [*moxque viuens erigitur.*] quia is quem terroris virga suscitare non potuit per amoris spiritum puer ad vitam redit. [*Erat autem fames in terra & filij prophetarum habitabant coram eo, dixitque vni de pueris suis: Pone ollam grandem, & coque pulmentum filiis prophetarum.*] Erat inquit fames in terra, non fames vtique panis, nec sitis aquæ sed audiendi verbum domini. [*& filij prophetarum habitabant coram* Ps. 118.
Elisæo.] cum filij eorum prædicatorum, (qui ambulabant in lege domini, & scrutantur testimonia eius, in toto corde exquirentes eum) in præsentia domini saluatoris semper viuunt. [*Egreditur puer in agrum vt colligat herbas agrestes, quatenus inde coquat pulmentum. Inuenitque quasi vitem syluestrem, & collegit ex ea colocyntidas agri. Quas concidens in ollam, pulmentum facit.*] Cum quis literæ legis intentus, vel philosophicis disciplinis studiosus, pastum verbi quærens, amaritudinem literæ legalis vel mortiferum quiddam in philosophorum libris inue-
H niens, intermiscet veritati Euangelicæ, & in olla cordis sui coquens tale pulmentum, hoc est documentum, præparat ad refectionem auditoribus suis. Dicit enim Apostolus: *Litera* enim *occidit, spiritus autem viuificat.* Et 1. Cor. 3.
item: *Prudentia* (inquit) *carnis, mors est: prudentia autem spiritus, vita & pax.* Hoc itaque sentientes fideles populi mortem in olla exclamant, cum talem doctrinam quasi deceptionem animarum detestantes vociferantur. Rom. 8.
Sed iubente Elisæo farina in ollam mittitur, cum scientia spiritualis in tale documentum intromittitur, vt exclusa omni amaritudine prauitatis pastus fidelibus præparetur salubris. [*Vir autem quidam venit de Baalsalisa deferens viro Dei panes primitiarum, & viginti panes hordeaceos, & frumentum nouum in opera sua. At ille dixit: Da populo vt comedat. Responditque minister eius. Quantum est hoc vt apponam coram centum viris? Rursum ille, Da ait populo vt comedat,* & reliqua.] Denique vir de Baasalisa venire describitur, deferens viro Dei panes primitiarum, & viginti panes hordeaceos, & fru-

A mentum nouum in peta sua. Quem autem virum istum accipere melius possumus, quam cœtum sanctorum patrum, qui virtute animi & bonorum operum pollent? Qui beoe de Baalsalisa venisse dicitur. Baalsalisa enim habens tertium interpretatur. Recte ergo de Baalsalisa est, qui, ternarium numerum in credulitate & confessione sanctæ Trinitatis seruat. Hic ergo viro Dei panes primitiarum offert, cum redemptori nostro per gratiam eius inspiratus offert libros de origine creaturarum compositos. Offert viginti panes hordeaceos, hoc est decalogum legis in Moysi & prophetarum scriptis comprehensum. Offert frumentum nouum in peta sua, cum nouum testamentum post mediatoris nostri aduentum, in sancti Euangelij & Apostolorū scriptis profert.
Matt.13. Matt.14. Matt.15. Iubet ergo Elisæus noster ministris suis, sanctis videlicet prædicatoribus, vt hanc oblationem populo fidelium dispensent, vt secundum illud Euangelij, de thesauro suo velut scriba doctus in regno cœlorum proferant noua & vetera, quatenos pabulo diuini verbi reficiantur. B Quod mysterium in Euangelio iteratum legimus, cum in fractione quinque panum quinque millia hominum satiata esse commemorantur: & satiatis turbis, collegerunt duodecim cophinos, siue septem sportas fragmentorum, quia nullus est qui Sacramenta diuinæ Scripturæ per omnia capere possit, quin sibi satiato supererit iuxta verbum domini.

CAP. V.

NAaman princeps malitia Regis Syriæ, erat vir magnus apud dominum suum, & honoratus. Per illum enim dedit dominus salutem Syriæ. Erat autem vir fortis & diues, sed leprosus] Iste autem Maaman qui princeps militiæ Regis Syriæ esse describitur, quem melius significare potest, quam populum gentilem? qui in orbe triquetro per virtutem bellorum principatum gerebat, ac rerum C decore fruebatur, quod in nominis eius interpretatione exprimitur. Interpretatur autem Naaman decus siue commotio eorum. Sed iste vir licet fortis & diues fuerit, tamen leprosus esse memoratur, quia quamuis per potentiam regni, ac rerum abundantiam dominari videretur, tamen per erroris nequitiam, & idololatriæ lepram fœdus apparuit. [*Porro de Syria egressi fuerant latrunculi & captiuam duxerant de terra Israël puellam paruulam, quæ erat in obsequio vxoris Naaman. Quæ ait ad dominam suam: Vtinam fuisset dominus meus ad prophetam qui est in Samaria, profecto curasset eum à lepra quam habet.* Latrunculi quippe de Syria (quæ interpretatur sublimitas) egressi sunt, cum cupiditate ducti, & diuersis negotiis impliciti, sperantes in incerto diuitiarum, gentiles per totam terram vagabuntur. Hinc & ad terram Israël venientes, captiuam mulierculam duxerunt, quæ in captiuitate posita, de propheta in Israël testabatur, quia fama de Israël per negotiatores gentium translata in tota vrbe curiositati hominum, quam vxor Naaman significat D verum prophetam & saluatorem omnium in Iudæa manere patefecit. [*Ingressus est itaque Naaman ad dominum suum, & nuntiauit ei, dicens: Sic & sic locuta est puella de terra Israël. Dixit ei Rex Syriæ: Vade, & mittam literas ad regem Israël. Qui cum profectus esset & tulisset secum decem talenta argenti, & sex millia aureos, & decem mutatoria vestimentorum, detulit literas ad Regem Israël in hæc verba. Cum acceperis Epistolam hanc scito quod miserim ad te Naaman seruum meum, vt cures eum a lepra sua.*] Cum hi ad quos notitia verbi Dei peruenit, his qui sibi præsunt, suggerunt scientiæ spiritualis magnitudinem. Mittit Rex Syriæ literas ad regem Israël pro salute serui sui. Cum primatus gentium audiens Deum esse in Israël (qui *notus in Iudæa in Israël magnum nomen eius*)
Psal.75. Act.10. Act.16. salutem suorum præuidens legationem in Iudæam mittit, vt per Apostolicam doctrinam saluatoris fidem accipiat. Vnde Cornelius centurio de Cæsarea in Ioppe ad Petrum misit. Et Paulo per visionem vir Macedo apparuit, qui eum exhortabatur, vt veniens adiuuaret eos E qui in Macedonia erant, sicut in actibus Apostolorum legitur: *Cumque legisset Rex Israël literas, scidit vestimenta sua, & ait: Nunquid Deus ego sum vt occidere possim & viuificare? quia iste misit, ad me vt curem hominem à lepra sua. Animaduertite & videte, quod occasiones quærat aduersum me. Quod cum audisset Elisæus vir Dei, scidisse videlicet regem Israël vestimenta sua, misit ad eum, dicens: Quare scidisti vestimenta tua?* Quid significat Rex iste Israël, qui audita legatione Syriæ, de salute à propheta Israël quærente expauit, nisi sacerdotes, Scribas & Pharisæos, rectores Iudæorum? qui considerantes quod vndique plebes ad redemptorem nostrum salutis suæ causa veniebant, quasi blasphemiam existimantes, vestimenta sua scindebant, sicut in Euangelio principem Matt.26. sacerdotum, audita Christi prædicatione, fecisse legimus. Sed licet Rex Israël in tali auditu pertimescat, tamen propheta Dei quos ad se migrasse cognouerat, ad se peruenire persuadebat, dicens: [*Veniat ad me, &* Rom.8. F *sciat esse prophetam in Israël.* Et dominus noster *quos præsciuit, hos & vocauit, & quos vocauit, illos & iustificauit.* [*Venit ergo Naaman cum equis & curribus, & stetit ad ostium domus Elisæi. Misitque ad eum Elisæus nuntium, dicens: Vade, & lauare septies in Iordane, & recipiet sanitatem caro tua, atque mundaberis. Iratus Naaman recedebat, dicens: Putabam quod egrederetur ordine, & stans inuocaret nomen domini Dei sui & tangeret manu sua locum lepræ, & curaret me. Nunquid non meliores sunt Abana & Pharphar fluuij Damasci omnibus aquis Israël: vt lauer in eis & munder?*] Veniens quidem gentilis populus ad domum Elisæi nostri, sanctam videlicet Ecclesiam periculosum ab eo nuntium accepit, vt se in Iordane septies lauaret, & sic sanitatem reciperet, atque mundaretur: quia per Euangelicos prædicatores dominus dicit, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, non* Iohan.3. Marc.16. *potest introire in regnum Dei.* Et item, *Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit: Qui vero non crediderit, condemnabitur.* Iordanis itaque aquæ, sacrum baptisma G significant, quia in eis saluator noster baptismum nobis consecrauit. Quod autem Naaman indignatus de tali responso, lauationem aquæ Iordanicæ despexit, simplicitatem significat rudium, qui spiritualem non potuerunt intelligere efficaciam: *quia animalis homo non percepit ea quæ sunt spiritus Dei.* [*Cum ergo vertisset se & abiret in-* 1.Cor.2. *dignans. Accesserunt ad eum serui sui, & locuti sunt ei: Pater, etsi rem grandem dixisset tibi Propheta, certo facere debueras: quanto magis quia nunc dixit tibi lauare & mundaberis? Descendit & lauit in Iordane septies, iuxta sermonem viri Dei, & restituta est caro eius, sicut caro pueri paruuli, mundatus est.*] Bene ergo serui Naaman meliore consilio, ad perficiendum illud mandatum propheticum, persuaserunt: quia sæpe dominus iuniori reuelat quod melius est. Et secundum Petri vocem, *personarum* Matt.11. Roma.2. Act.10. *acceptor Deus non est, sed in omni gente qui timet Deum, & operatur iustitiam, acceptus est illi. Abiit & lauit septies iuxta sermonem viri Dei, & restituta est caro eius sicut caro pueri paruuli:* quia mundatus aquis baptismatis, per inuocationem septiformis spiritus, quisque H vetustam recipiet sanitatem, & ad innocentis vitæ infantiam redigatur, vt vitæ æternæ ingressum percipere mereatur. Vnde ipsa veritas suis discipulis ait: *Nisi conuersi* Matt.18. *fueritis & efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnū cœlorum.* [*Denique reuersus Naaman ad virum Dei cum vniuerso comitatu suo venit & stetit coram eo, & ait: Vere scio quod non sit Deus in vniuersa terra, nisi tantū in Israël.* Hęc est enim catholica professio, quod *Deus Abrahā, Deus* Matt.22. Psal.95. *Isaac & Deus Iacob, non est mortuorum, sed viuentium. Quoniam omnes dij gentium dæmonia, dominus autem cælos fecit.*] Et vt cuncta hic baptismi scires sacramenta præmonstrata, in quo abrenuntiare satanæ, ac fidem domini confiteri præcipimur. Negat se Naaman vltra diis alienis litaturum, soli per omnia domino seruiturum. Partem quoque terræ sanctæ secum tollere gaudet: quia baptizatos oportet dominici quoque corporis participatione confirmari. [*Dixitque Gibezi puer viri Dei, Pepercit*

dominus

A *Dominus Naaman Syro isti, vt non acciperet ab eo quæ attulit. Viuit Dominus quia curram post eum, & accipiam aliquid ab eo.* Et reliqua. Post hæc autem scriptura narrat, quod Gihezi puer viri Dei, concupiuerit de pecuniis, quas prædictus Syrus homini Dei attulerit, sed eo nolente, aliquid accipere, inde ipse per mendacium turpe acquisiuit, quod suus magister accipere per fidem renuit. Gihezi quoque interpretatur, *præruptum videns*, siue *vallis visio*, significat Iudaicum populum, qui aliquando puer viri Dei, Propheta attestante, vocabatur, sicut Osee dicit: *Puer Israel & dilexi eum.* Sed postquam spreto Euangelio, & crucifixo filio Dei, semetipsum Dei tali dignitate in foueam auaritiæ præcipitans, cupiditatem secutus est terrenam, quam filij Dei per baptismum renati, spreuerunt, per sententiam iusti iudicis Dei, lepram erroris quam credentes deposuerant, ipse sibi consciuit, necnon & omnes qui post baptismum B & emendationem vitæ ad pristina vitia reuertuntur, sordibus quibus se exutos sperabant, iterum implicati inuoluuntur. Vnde scriptum est: *Canis reuersus ad vomitum suum, & sus lota in volutabro luti, sic stultus qui iterat stultitiam suam.* Prou. 26.

CAP. VI.

D*Ixeruntque autem filij Prophetarum ad Elisæum: Ecce locus in quo habitamus coram te, angustus est nobis. Eamus vsque ad Iordanem, & tollant singuli de sylua materias singulas, & ædificemus nobis ibi locum ad habitandum. Qui dixit, Ite. Et ait vnus ex illis: Veni ergo & tu, cum seruis tuis. Respondit ego veniam. Et abijt cum eis. Cumque venissent ad Iordanem, cædebant ligna. Accidit autem, vt cum vnus materiam succidisset, caderet ferrum securis in aquam, Exclamauitque ille, & ait: Heu heu heu Domine mi, & hoc ipsum mutuo acceperam. Dixit autem homo Dei, Vbi cecidit? At ille monstrauit ei locum. Præcidit ergo lignum, & misit illuc. Natauitque ferrum, & ait: Tolle. Qui extendit manum, & tulit illud.*] Hæc itaque actio C bene redemptori nostro conuenit per significationem. Cum igitur securibus ligna cæderentur, de ligno ferrum exiliens in profundum fluminis mersum est, atque in lignum desuper ab Elisæo proiectum, reuersum est: ita etiam cum impios Iudæos, per corpus operata præsentia Christi, tanquam infructuosas arbores cæderet, quia de illa Ioannes dixerat: *Ecce securis ad radicem arborum* Matt. 3. *posita est.* Ab eis interueniente passione corpus ipsum deseruit, profunda descendit, quod in sepultura depositum, tanquam ad manubrium, spiritu redeunte resurrexit. Aliter: Ferrum in manubrio, donum intellectus in corde est. Ligna vero per hoc cædere est, praue agentes increpare. Quod nonnunquam dum fluxe agitur, dum lapsus vanæ gloriæ in accepta eadem scientia non vitatur, ferrum in aqua perditur, quia ex dissoluto opere, intelligentia fatuatur. Quam profecto intelligentiã, adhoc nouimus dari, vt ante damus oculos, ex bona debeat actione D restitui. Vnde recte, is qui ferrũ amiserat, clamabat: *Heu heu heu Domine mi, & hoc ipsum mutuo acceperam.*] Habent enim hoc electi proprium, si quando eis in sua scientia furtiue vanæ gloriæ culpa surrepit, ad cor velociter redeant: & quicquid in se ante districti iudicis oculos damnabile inueniunt, lachrymis insequuntur. Qui flentes non solum caute inspiciunt, quæ mala commiserunt, sed ex accepto munere quæ reddere etiam bona debuerunt: qui nimirum tanto se amplius peccatores sentiunt, quanto ex neglectis bonis quæ agere poterant debitores tenentur. Recte ergo qui ferrum perdidit, clamat: [*Heu heu heu & hoc ipsum mutuo acceperam.*] Ac si dicat: Illud per dissolutionem negligentiæ perdidi, quod vt per bona opera redderem ex gratia creditoris accepi. Sed nunquam Deus mentem deserit, quæ in peccatis se veraciter agnoscit. [*Vnde & mox Elisæus veniens, lignum deorsum misit, & ferrum in superficiem attulit.*] Quia videlicet redemptor noster pie nos respiciens, cor peccatoris humiliat, & eam quam amiserat, intelligentiam reformat. [*Lignum erigit & ferrum* E *in superficiem attulit,*] quia videlicet redemptor noster, & scientiam reparat, & cor elatum in cogitatione humiliat. Vnde bene in alia translatione dicitur: [*Quod confregit lignum atque iactauit, & sic ferrum sustulit.*] Lignum namque confringere est, cor ab elatione conterere. Lignum ad ima iactare est, eleuatum cor in cognitione (vt diximus) propriæ infirmitatis humiliare. Atque illico ferrum ad superficiem redit, quia ad vsum exercitationis pristinæ intelligentiæ recurrit. Igitur quoniam donum intellectus quod accipitur, vix cum tot difficultatibus custoditur, curandum valde est, ne otio torpeat, curandum ne incitatione operis vitio elationis euanescat. Sancti namque viri minime exultant, cum cognoscunt quæ faciunt. Sed cum faciunt quæ cognouerunt, etsi intelligendo largius congaudent à munere largitoris, merentes tamen considerant debitum operis: vt videlicet actione persoluant, quod eis prærogatum est in cognitione. Stultus namque est debitor, qui gaudens pe- F cunias mutuas accipit, & tempus quo reddere debeat non attendit. Moderatur autem lætitia accipiendi, quando solerti prouidentia etiam constitutum tempus reddendi cogitatur. (*Rex autem Syriæ pugnabat contra Israel, consiliumque iniyt cum seruis suis, dicens: In loco illo & illo ponamus insidias. Misit itaque vir Dei ad Regem Israel dicens. Caue ne transeas in locum illum, quia ibi Syri in insidiis sunt. Misit itaque Rex Israel ad locum quem dixerat ei vir Dei, & præoccupauit eum, & obseruauit se ibi.* Et reliqua.] Quem congruentius hic Rex Matth. 10. Syriæ, quam potestatem significat terrenam? quæ sæpe superbæ sentiens populum Dei, hoc est filios lucis persequitur, sed ipsi per veri Elisæi Domini videlicet nostri doctrinam insidias inimicorum præcauere edocentur. Vt est illud, *Estote* (inquit) *prudentes sicut serpentes, & simplices vt columbæ.* Et item: *Cauete autem* Matth. 7. *ab hominibus.* Et alibi: *Attendite* (ait) *à falsis prophetis.* Hoc quippe agnoscens mundana potentia, ipsum Prophetam interficere disponit, cum Christum in cordibus G electorum extinguere festinauit.] *Misit ergo illuc Rex Syriæ equos & currus & robur exercitus. Qui cũ venissent nocte, circumdederunt ciuitatem.*] Omnis ergo qui nequitiæ armis confidens, Christi famulis insidias præparat, nocte perfidiæ excæcatus, bellum contra Ecclesiam gerit. *Consurgens autem diluculo, minister viri Dei egressus est. Viditque exercitum in circuitu ciuitatis & equos & currus. Nuntiauitque ei, dicens: Heu heu Domine mi, quid faciemus?* Hæc sententia denotat illos, qui propter pusillanimitatem cordis sui, pœnas verentur corporales, quibus Propheta respondit: *Noli timere, plures enim nobis-* 1. Paral. 32. *cum sunt, quam cum illis.* Et saluator discipulis ait: *In mun-* Ioan. 16. *do pressuram habebitis, sed confidite, quia ego vici mundũ.* Et Matth. 10. item: *Nolite timere eos* (inquit) *qui occidunt corpus, & post hæc non habent quid faciant vobis: quin potius eum timete, qui potest & animam & corpus perdere in gehennam,* & Petro Dominus in Passione sua ait, *An putas quia non pos-* Matth. 26. *sum rogare patrem meũ, & exhibebit mihi plus quam duodecim legiones Angelorũ?* [*Cumque orasset Elisæus ait Do-* H *mine, aperi oculos huius vt videat. Et aperuit Dominus oculos pueri, & vidit: & ecce mons plenus equorum & curruum igneorum in circuitu Elisæi.*]

Et valde necesse est vt Elisæus noster, aperiat oculos cordis nostri, vt consideremus & agnoscamus; quia omnes qui confidunt in illum, non confundentur. [*Porro Elisæus orauit Dominum, dicens: Percute obse-* Ps. 24. *cro gentem hanc cæcitate. Percussitque eos Dominus ne viderent iuxta verbum Elisæi.*] Bonum ergo illis est, quos Matt. 5. oculus suus scandalizat, vt eruatur & proiiciatur ab eis, quatenus internus malitiæ & superbiæ, obturetur, & oculus sanæ fidei ac simplicitatis aperiatur. Vnde dicit Apostolus: *Si quis inter vos videtur sapiens esse, stultus fiat* 1. Cor. 3. *vt sit sapiens.* [*Dixitque Rex Israel ad Elisæum cum vidisset eos: Nunquid percutiam eos pater mi? Et ille ait: Non percuties. Neque enim cepisti eos gladio, aut arcu tuo vt percutias. Sed pone panem & aquam coram eis, vt comedant & bibant, & vadant ad dominum suum.* [Et reliqua] Postquam ergo Elisæus hostes adduxit in Samaria,

A non eos occidi permisit, sed refectionem magnam cibo-
Act.9. rum illis præparans, dimisit eos in pace. Et Saulum diu
contra stimulum calcitrantem, primum dominus excæ-
cauit, deinde scientia spirituali magnifice repleuit, atque
ad prædicandum suis Euangelium in gentibus direxit.
Matt.5. Nobisque præcepit, ita dicens: *Diligite inimicos vestros & benefacite his qui oderunt vos, vt sitis filij patris vestri qui in cœlis est.* [*Factum est autem post hæc congregauit Benedab Rex Syriæ vniuersum exercitum suum, & ascendit & obsidebat Samariam factaque est fames magna in Samaria* &c.] Narrat scriptura quod Benedab Rex Syriæ obsideret Samariam: facta autem fame, afflictus est populus valde, sed domino miserante, reuelatum est Elisæo verbum domini, & prædixit populo solatia ventura, ita dicens: *Hæc dicit Dominus.*

CAP. VII.

B *IN tempore hoc cras modius similæ, vno statere erit: & duo modij hordei, statere vno in porta Samariæ. Quod cum non crederet, vnus de ducibus super cuius manum rex incumbebat, homini Dei ait: Si dominus fecerit etiam cataractas in cœlo, nunquid poterit esse quod loqueris? Qui ait: Videbis oculis tuis, & inde non comedes.*] Potest hoc loco Benedab cum suo exercitu, diabolus mystice accipi, quia corda iniquorum per inuidiam contra Ecclesiam bel-
Apoc.2. lum gerere excitat. Sub hoc quidem rege, sunt modo falsi Iudæi, de quibus in Apocalypsi scriptum est, qui dicunt se Iudæos esse & non sunt, sed sunt synagoga satanæ. Sub hoc rege sunt pagani, sunt & hæretici: facta ergo persecutione ab antiquo hoste, per tales affligitur populus Dei, qui est positus in Samaria hoc est in custodia legis diuinæ: fitque fames valida, cum non permittitur doctoribus libere verbum Dei prædicare, Sed Elisæo reuelante, hoc est redemptore nostro, per Euangelium indicante, salus quæ à peccatoribus
C longe est, timentibus Deum prope esse dinoscitur. Dicit enim Dominus noster ad seruos suos: [*In tempore hoc, cras modius similæ vno statere erit, & duo modij hordei, statere vno in porta Samariæ.*] Quid enim modius similæ, nisi perfectam mensuram diuinæ sapientiæ, quæ est in nouo testamento? & quod duo modij hordei, nisi scientiam legis & prophetarum significant? qui comparantur statere vno, hoc est fide catholica. In porta Samariæ in prædicatione videlicet Apostolica, per quam intratur in Ecclesiam. [*In tempore* (inquit) *hoc cras, modius similæ, vno statere erit*, & reliqua.] Ac si dixisset, cessante turbine persecutionis, quæ fit hodie, dabit Dominus cras, hoc est, tempore futuro, quietem & tranquillitatem, vt prædicatio Euangelij perfecte credentibus compleatur. Fuit enim tempore passionis dominicæ quasi fames verbi domini, cum Apostoli relicto eo omnes fugerunt, & domi se propter metum Iudæorum incluserunt. Et iterum scriptum est: Quia nemo de illo palam ausus est loqui: Sed relucente die resurrectionis,
D iam aderat tempus quo comites Christi illum videntes viuere, & postmodum etiam cœlos ascendere, percepta spiritus sancti gratia, libere verbum Dei prædicabant, tam Iudæis quam etiam gentibus. Et impletum est illud
Isaiæ 35. vaticinium Isaiæ: *Quia scissæ sunt in deserto aquæ, & tor-*
Isaiæ 55. *rentes in solitudine, & quæ erat arida in stagnum, & sitiens in fontes aquarum.* Vnde Dominus per ipsum prophetam loquens ait: *Omnes sitientes venite ad aquas, & qui non habetis argentum, properate, emite; & comedite. Venite emite absque argento, & absque vlla commutatione vinum & lac. Quare appenditis argentum non in panibus & laborem vestrum non in saturitate? Audite audientes me; & comedite bonum & delectabitur in crassitudine anima vestra. Inclinate aurem vestram, & venite ad me audite: & viuet anima vestra.* Perturbatis hostibus & in fugam versis, subiungit scriptura: [*quod quatuor viri leprosi abijssent in castra Syriorum, & nullum ibi reperientes, comederint & biberint. Ablatisque inde auro & argento ac vestibus & absconsis, postea compuncti, in ciuitatem hoc annuntiauerint, atque salutis huius indicia præstiterint.*] E
Qui ergo sunt leprosi isti, nisi qui variis vitiis dediti, vel diuersis erroribus impliciti, fœditatem ex interna peste educentes ostendunt in cute? Hos Dominus sæpe conuertens ad fidem, & mundans ab errore & vitiis vere salutis nuntios efficit. [*Ingressi itaque leprosi in castra Syriorum, comederunt & biberunt, & aurum atque argentum inde asportauerunt.*] Cum despecti istius mundi, meditationi philosophiæ operam dantes, sensus subtilitatem, & locutionis venustatem acquirunt: vnde Ecclesiæ vsibus bene instructi deseruire possint. Frequenter ergo talibus Dominus, & ingenij acumen, & veræ sapientiæ donum largitur. Qui bene quatuor esse memorantur, vt à quatuor Euangeliorum eruditione imbuti, in quatuor mundi partibus fidei veritatem prædicent. Legitur enim in Euangelio, quod Dominus cum publicanis & pec- Matth.9.
catoribus manducaret, & mulier quæ erat in ciuitate Ioan.12.
peccatrix, lachrymis eius lauaret pedes, & capillis suis Matt.18.
tergeret, & vnguento vngeret, Matthæum ex publica- Luc.7. F
no, Apostolum & Euangelistam fecit. Apparuitque post resurrectionem suam, primo Mariæ Magdalenæ, de qua eiecerat septem dæmonia illa vadens nuntiauit his qui cum ea fuerant lugentibus & flentibus, [*Porro ducem illum, super cuius manum Rex incubuerat, & propheta verbis diffidebat, constitutum ad portam, conculcauit turba in introitu, & mortuus est, iuxta quod locutus fuerat vir Dei.*] Dux iste typum tenet scribarum & Pharisæorum, qui habentes clauem scientiæ, nec ipsi introierunt per fidem in Ecclesiam catholicam, & eos qui introire volebant prohibuerunt. Ad quos ipsa veri-
tas ait: *Væ vobis scribæ & Pharisæi hypocritæ, qui claudi-* Matt.23.
tis regnum cœlorum ante homines, vos enim non intratis, nec alios introeuntes sinitis intrare. [*Quem conculcauit turba in porta*,] quia inutiliter ante ostium fidei stabat, & gressum introeuntium impediebat. Vnde merito conculcatus, hoc est, examine iusti iudicis damnatus, perpetuas mittetur in tenebras. Nam & Dominus in Euangelio ait: *Si sal euanuerit ad nihil valet vltra, nisi vt mit-* G
tatur foras & conculcetur ab hominibus. Matt.5.

CAP. IX.

ELisæus autem propheta, vocauit vnum de filiis prophetarum, & ait illi: Accinge lumbos tuos, & tolle lenticulam olei in manu tua, & vade in Ramoth Galaath. Cumque veneris illuc videbis Iehu filium Iosaphat, filij Namsi. Et ingressus suscitabis eum de medio fratrum suorum, & introduces interius cubiculum tenensque lenticulam olei, fundes super caput eius, & dices: Hæc dicit Dominus: Vnxi te in regem super Israel, & reliqua.] Dehinc refertur in historia hac regum, qualiter Iehu Dominus ordinauerit ad extirpandam domum Achab, & sacerdotes Baal interficiendos. Qui & percussit Ioram Regem Israel, & Ahaziam Regem Iuda, & Iezabel impiissimam reginam de palatio in Iezrael præcipitari fecit. Iehu enim typice potest designare principatum gentium, quem Dominus ac redem-
ptor noster destinauit vt in sacrilega ciuitate, quæ pro- H
phetas & ipsum dominum prophetarum occidit, & Apostolos eius persecuta est, iudicia exerceret, & eam vltione iusta perimeret, atque sacerdotũ vanum, quod post Christi aduentum inaniter habuerat, destrueret templumque subuerteret necnon & impiam synagogam quæ sanguinẽ sanctorum semper sitiebat, de regni culmine præcipitaret ac rectores illius interficeret.

CAP. XI.

ATHALIA vero mater Ahaziæ, videns mortuum filium suum, surrexit & interfecit omne semen regium. Sed Iosaba filia regis Ioram, soror Ahaziæ Ioas filium Ahaziæ tollens, furata est de medio filiorum regis qui interficiebantur & abscondit eum à facie Athaliæ, vt non interficeretur, eratque cum ea in domo domini clam sex annis, quia Iosaba vxor erat Ioiadæ pontificis.] Athalia igitur hæc, quæ semen Dauid extinguere moliebatur, & regiam

A stirpem delere, bene impietatem exprimit synagogæ, quæ per nequitiam mentis, seminis Dauid hoc est, Christi insidiatrix erat, & odium contra eum semper in corde gerebat, quæ aliquando regnare videbatur cum legis ceremonias temporaliter obseruabat. Interpretatur Athalia temporalis domini. Sed Iosaba strenuitate (quæ interpretatur saturitas domini, id est Ecclesiæ, in qua veræ sunt deliciæ) seruatur Ioas, qui interpretatur memoria domini, Christus videlicet in quo memoria est nominis domini, ne per crudelitatem sæuientis hostis interimatur in cordibus electorum, magisque nutritur in domo Ioiadæ pontificis qui dilectus domini sonat, de
Matt. 3. quo patris vox ait: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacuit.* Cuius domus est sancta Ecclesia, vbi in sancta fide electorum manens, quotidie facit augmentum corporis sui, donec tempore iudicij, sceptrum regni & potentiam aduersus eos extollet, qui eum deprimere cogitabant, & interfectricem sanctorum,
B æternis deputauerit pœnis. [*Anno autem septimo misit Ioiada, & assumens centuriones & milites introduxit ad se in templum domini, pepigitque cum eis fœdus. Et adiurans in domo domini eos, ostendit eis filium regis, & præcepit illis, dicens, Iste est sermo quem facere debetis. Tertia pars vestrum introeat sabbato, & obseruet excubitum domus regis. Tertia autem pars sit ad portam Seir, & tertia pars ad portam quæ est post habitaculum scutariorum, & custodietis excubitum domus Messa. Duæ vero partes è vobis, omnes egredientes sabbato, custodiant excubias domus domini circum regem, & vallabitis eum habentes arma in manibus vestris. Si quis autem ingressus fuerit septa templi, interficiatur. Eritisque cum rege introeunte & egrediente: Et fecerunt centuriones iuxta omnia quæ præceperat eis Ioiada sacerdos. Et assumentes singuli viros suos, qui ingrediebantur sabbatum, cum his qui egrediebantur a sabbato, venerunt ad Ioiada sacerdotem: qui dedit eis hastas & arma Regis Dauid, quæ erant in domo domini. Et steterunt singuli habentes arma in manu sua à parte templi dextra vsque ad partem sinistram altaris & ædis circum re-*
C *gem*] Hæc autem quomodo facta sint & in quibus locis, si quis ea quæ superius de atriis domus domini dicta sunt bene commemorauerunt, ita intelligere potest. Sed ne fastidium faciamus lectoribus, omissis quæ iam exposita sunt, ad illud quod de diuisione turbæ dictum est, veniamus. Cuius rei ratio talis est. Erant autem sortes vigintiquatuor & sacerdotum & leuitarum & ianitorum, qui per totidem septimanas sibi ex ordine succederent. Sabbato noua turma intrante ad officium, & post sabbatum quæ proxima septimana ministrauerat domum redeunte. Sed hic pontifex propter necessitatem agendi circa nouum regem exercitus, & eos quæ intrandi septimanam ordinem habebant, suscepit & illos qui iam suam septimanam ministrando impleuerant, ne abirent retinuit: qui alios quoque leuitas de cunctis vrbibus Iuda, simul & principes familiarum Israël,
2. Par. 23. missis in hoc centurionibus Ierosolymam, congregauerat, (vt verba dierum narrant): quos eductus filium regis, tali ratione distinxit: vt omnes qui impleuerant sabbatum, & egressuri erant, in duas diuisi partes regem in interioribus atrij locis, armati circunstarent.
D Reliqua vero multitudo, id est, hi qui non erant de stirpe Leui, exteriores atriorum ianuas contra furorem reginæ (si quid forte aduersi molitetur) custodirent. Porro hi qui nuper ad sabbatum venerant sacerdotes, leuitæ & ianitores, in tres diuisi partes, domum Regis, id est, palatium obseruarent, ne vel hoc regina collecto exercitu, contra regem defenderet. Seruarent & portam scutariorum habitaculi, per quam de templo ad palatium descendebatur, sicut infra dicitur. Duxeruntque regem de domo domini, & venerunt per viam portæ scutariorum in palatium, & sedit supra thronum regum, vbi & porta Seir & domus Messa, quæ cum porta scutariorum nominantur, esse videntur. Scutarios autem tutores regis appellat, testante libro Paralipomenon: qui cum Roboam scuta ærea pro aureis commemorasset, adiecit, Et tradidit illos principibus scutariorum, qui custodiebant vestibulum palatij. In quo videlicet libro E distinctius hæc cuncta replicantur. [*Tertia pars vestrum, qui veniunt ab sabbatum sacerdotum & leuitarum & ianitorum, erit in portis. Tertia vero pars ad domum regis, & tertia in porta quæ appellatur fundamenti. Omne verò reliquum vulgus, sit in atriis domus domini, nec quisquam alius ingrediatur domum domini, nisi sacerdotes, & qui ministrant de leuitis. Ipsi tantummodo ingrediantur, quia sanctificati sunt, & omne reliquum vulgus obseruet custodias domini, leuitæ autem circumdent regem, habentes singuli arma sua, &c.*] Quod sequitur de eodem: [*Produxitque filium regis, & posuit super caput eius diadema, & testimonium.*] In diademate, insigne capitis regium, in testimonio designat decreta legis Dei, quibus quid agere rex debeat, qualiter viuere, præcipiatur. Denique in libro verborum dierum apertius: *Et imposuerunt* (inquit)
ei diadema & testimonium, dederuntque in manu eius tenendam legem, & constituerunt eum regem. Magnæ vtique 2. Par. 23.
erat salutarisque prudentiæ, vt post tyranniæ impiæque F necem reginæ, succedenti in regnum filio regis legitimi cum ipso regni habitu simul disciplina legis Dei seruanda committeretur, & qui se prælatum populo regendo videret, ipse se regendum diuinis legibus subdi debere meminisset.

CAP. XII.

D*Ixitque Ioas ad Sacerdotes: Omnem pecuniam sanctorum, quæ illata fuerit in templum domini à prætereuntibus, quæ offertur pro pretio animæ, & quam sponte & arbitrio cordis sui inferunt in templum domini accipiant illã sacerdotes iuxta ordinem suum, & instaurent sarta tecta domus, si quid necessarium viderint instaurationi.*] Mandat rex noster doctoribus suis, vt accipiant omnem pecuniam quæ à prætereuntibus offertur in templum domini, pro pretio animæ & voto cordis sui: cum quidquid à prætereuntibus in istis scientiæ spiritualis, vel bonorum exemplorum, in thesaurum domini collatum est, per sacerdotum, hoc est, prædicatorum officia, ad instaurationem templi spiritualis conferatur: quatenus quodcunque scissum ibi per errorem, vel per vitia inuenerint, restaurent: ne forte per negligentiam magistrorum, depereat multitudo auditorum. Quod autem sequitur: [*Igitur vsque ad vicesimumtertium annum Regis Ioas non instaurauerunt sacerdotes sarta tecta templi.*] Significat quod ante aduentum saluatoris, licèt doctrina legis in gente Iudaica fuerit, tamen per doctorũ negligentiam in multis corrumpebatur, donec veniret ipse qui legem dedit & per sanctæ trinitatis fidem, decalogum legis, in Moysi & prophetarum scriptis spiritualiter obseruandum, doceret. *Vocauitque Rex Ioas Ioiada pontificem & sacerdotes, dicens eis: Quare sarta tecta non instauratis templi? Nolite ergo amplius accipere pecuniam iuxta ordinem vestrum, sed ad instaurationẽ templi reddite eam,* & reliqua.] Sic & Dominus noster in Euangelicis doctoribus mandans, ait: *Leuate oculos vestros & videte regiones quia albæ sunt iam ad messem. Rogate dominum messis vt mittat operarios in messem suam.* Et item: *Euntes* (inquit) *in mundum vniuer. prædicate Euang. omni creaturæ, Infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate dæmones, eiicite, gratis accepistis gratis reddite.* [*Et tulit Ioiada pontifex gazophilacium vnum, aperuitque foramen desuper, & posuit illud iuxta altare ad dexteram ingredientium domum domini.*] Altare videlicet corpus domini est, iuxta quod gazophilacium positum est, cum Ecclesia Christo coniuncta est, ad dexteram ingredientium in domum domini: quia hæc est intentio electorum, qui per fidem ingrediuntur Ecclesiam, vt ad æternam beatitudinem (quam dextra significat) perueniant. Istud ergo mittunt sacerdotes, qui custodiunt ostia templi omnem pecuniam quæ defertur ad templum domini, cum prædicatores sancti qui seruant introitum fidei, offerunt vota fidelium in verbis & operibus, & in Ecclesia rite precibus commendant Deo. [*Ascendebat scriba regis & pontifex, effundebantque*

G

Iohan. 4. Matth. 9. Marc. 16. H Matt. 10.

A *& numerabant pecuniam quæ inueniebatur in domo domini & dabant eam iuxta numerum atque mensuram in manu eorum qui præerant cementariis domus domini. Qui impendebant eam in fabris lignorum & cementariis his qui operabantur in domo domini*, & reliqua.] Scribam regis & pontificem appellat summos doctores, qui pecuniam collatã iuxta numerum atque mensurã illis tribuebant, præerant fabris & cementariis, hoc est, dispensatoribus verbi diuini qui Euangelici tritici mensuram, conseruis suis his qui operantur in domo domini, & virtutum opera in ædificio diuino componunt, tribuebant. Quid ergo aliud fecerunt Apostoli (quos principes in Ecclesia electio diuina constituit) quando per subiectos sibi discipulos, verbi diuini semina per totum orbem sparserunt quatenus operarios voluntatis Dei idoneos in auditoribus suis præficerent: quorum alij fabricant ligna, cum semetipsos & eos, qui sibi obediebant, ligna fructifera in domo domini parare studebant, alij sarta tecta templi faciebant,
B quando illa quæ per hæresim & schismata rupta erant, reædificabant. Alij saxa cædebant, cum duros corde & incredulos, fortiter increpabant, ita vt impleretur instauratio domus domini, in vniuersis quæ indigebant expensa ad domum domini muniendam: iuxta illud vtique Apostoli quo ait: *Vnicuique autem nostrum data est*
Eph. 4. *gratia secundum mensuram donationis Christi*. Et paulo post: *Et ipse* (inquit) *dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem prophetas: Alios vero Euangelistas, alios autem doctores & pastores, ad consummationem sanctorum, in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi*. Quod autem sequitur: [*Veruntamen non fiebant ex eadem pecunia hydria templi domini, & fuscinula, & thuribula, & tuba, & omne vas aureum & argenteum, de pecunia quæ inferebatur in templum domini.*] Significat quod alia debet esse ratio, formandorum vasorum in ministerium domini, alia parandorum lignorum & saxorum in ædificium domus. Quia alia debet esse doctrina qua rudes imbuuntur ad fidem: & alia qua iam perfecti instruuntur ad scientiæ plenitudinem. Bene autem vasa
C domus domini illic possunt intelligi, qui iam apti sunt ad capienda munera diuina, & habiles fiunt ad ministerium Dei. Nam hydriæ eos significare possunt, qui aquam sapientiæ diuinæ in se continent. Fuscinulæ quoque doctores spirituales, quorum officium est, corpus & sanguinem domini credentibus distribuere, infidelibus abnegare, necnon, & spiritualem alimoniam verbi, cuique prout conuenit, dispartiri. Quia sunt in verbis Dei nonnulla, quæ nostræ humilitati reuelare, ad nostræ epulas refectionis concedere dignatus est. Sunt item alia tantæ profunditatis, quæ sancti spiritus solummodo scientiæ pateant, nostræ vero capacitatis per omnia mensuram transcendant. Thuribula autem illos figurate demonstrant, qui mundam orationem ex conscientia pura, & fide non ficta offerunt Deo, & cum propheta dicere possunt: *Dirigatur oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo*. Tubæ autem quid aliud sunt quam prædicatores sancti, qui in toto orbe
D terrarum vocem Euangelicæ prædicationis emittunt? quorum personæ per prophetam dictum est: *Clama,*
Ps 140. *ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, & annuntia*
Esai 58. *populo meo scelera eorum, & domui Iacob peccata eorum.*
Psal. 18. Et Psalmista: *In omnem terram exiuit sonus eorum: & in fines orbis terræ verba eorum*. Sequitur: [*Et non fiebat ratio his hominibus, qui accipiebant pecuniam, vt distribuerent eam artificibus, sed in fide tractabant eam.*] Deuotionem ostendit eorum, de quibus sermo est: *Quia tantum studij in religione habuerunt, vt nullus dubitauerit, quin pecuniam domini, sine alicuius suspicione fraudis tractarent*. Et hanc de ærario sublatam: fideliter artificibus, ad muniendam domum, prout singulis opus esset, offerrent. Vnde necesse est, vt considerent hi, qui spiritualem pecuniam verbi Dei ad dispensandum conseruis suis, operariis scilicet diuinis accipiunt, quanta fide quantaque discretione illis opus est, quibus ratio de eadem pecunia reddenda est: vt studeant minus fideles in spiritalibus inuenire, quam isti in corporalibus fuerant inuenti. [*Pecuniam vero pro delicto,* E
& pecuniam pro peccatis, non inferebant in templum Domini, quia sacerdotum erat.] Hæc sententia ostendit, quod non quis proprio arbitrio facile se credere debet, sed magis sciat, quod confessio peccatorum & pœnitentia, sacerdotum iudicio peragenda est, qui habent scientiam discernendi inter mundum & immundum, & lepræ maculam diiudicare, & aut condemnare, aut mundum discernere.

CAP. XIII.

Elisæus autem ægrotabat infirmitate, qua & mortuus est. Descenditque ad eum Ioas Rex Israel, & flebat coram eo dicebatque: Pater mi, pater mi, currus Israel & auriga eius. Et ait illi Elisæus: Affer arcum & sagittas, cumque attulisset ad eum arcum & sagittas, dixit ad Regem Israel: Pone manum tuam super arcum. Et cum po- F
suisset ille manum suam, superposuit Elisæus manus suas manibus regis, & ait, Aperi fenestram orientalem. Cumque aperuisset, dixit Elisæus: Iace sagittam. Et iecit. Et ait Elisæus: Sagitta salutis domini & sagitta salutis contra Syriam. Percutiesque Syriam in Aphec, donec consumas eam & reliqua.] Quid est propheta Regi Israël iubet arcum & sagittam afferre, nisi quod redemptor noster rectoribus Ecclesiæ, armis spiritualibus se indui, & contra hostem antiquum præcipit præliari? Arcus enim nonnunquam in sacro eloquio, pro ipso sacro eloquio poni solet, quod ex vtroque testamento velut ex cornu & chorda constat. Per vetus quippe testamentum, figuratur cornu propter duritiam. Per nouum, quod incarnato Domino figuratum est, signatur chorda, & dum chorda trahitur, cornu curuatur, quia cum nouum testamentum discutitur, à duritia literæ vetus inclinatur, & ad intellectum spiritualem flectitur, quia rigore eius duritiæ non tenetur. Sagittæ enim sunt hæc ipsa verba quæ doctores proferunt. Vnde etiam bene de sanctis G
doctoribus, per prophetam gentilitatem ingredientibus dicitur: *Cum sagittis acutis & arcu ingredientur illuc.* Isai. 7.
Nos ergo cum Scripturæ sacræ dicta pensamus, arcum intendimus: cum verba doctrinæ damus, sagittas emittimus. [*Posuitque Elisæus manus suas super manus regis.*] Cum exemplis suis Dominus actiones doctorum dirigit & confortat. [*Orientalem fenestram aperire mandat, & iacere sagittam.*] Quia lumine scientiæ & veræ doctrinæ, suos hortatur primum illustrari, & sicut iacula verborum mittere.] *Et ait Elisæus: Sagitta salutis Domini, & sagitta salutis contra Syriam, percutiesque Syriã in Aphec, donec consumas eam.*] Sagittas ergo salutis Domini, est prædicatio sancta, cum decenter exhibetur, & spiritualium hostium certissima interfectio, si perseueranter agitur. Nec fas est vt aliquando dispensator verbi Dei, segniter torpeat, cui iussum est, vt gregis Dominici curam habeat, quia multum obest deuotis auditoribus, si inertia præualet doctoribus. Dicit enim Propheta: *Clama, ne* H
cesses. Et Apostolus ad Timotheum: *Testificor* (inquit) Isai. 58.
coram Deo & Christo Iesu, qui iudicaturus est viuos & 2. Tim.
mortuos, & per aduentum ipsius & regnum eius, prædica 4.
verbum, insta oportune, importune: argue, obsecra, increpa in omni patientia & doctrina. Vnde non debet doctor propter auaritiam negligere animarum curam, sed magis per pietatem ad æternam pertendere requiem, quod significat Aphec, interpretatur enim continebit vel apprehendet. Vnde idem Apostolus, enumeratis vitiis quæ auaritiam comitantur, ad prædictum discipulum, intulit, dicens: *Tu autem homo Dei hæc fuge,* 1. Tim.
sectare vero iustitiam, pietatem, fidem, charitatem patientiam, mansuetudinem, certamen bonum, certamen 6.
fidei, apprehende vitam æternam in qua vocatus es. [*Et ait Elisæus ad regem: Tolle sagittas. Qui cum tulisset, rursum dixit ei: Percute iaculo terram. Et cum percussisset tribus vicibus, & stetisset, iratus est vir Dei contra eum, & ait: Si percussisses quinquies, aut sexies siue septies, percussisses Syriam vsque ad consummationem*

Nunc

A *Nunc autem tribus vicibus percuties eam.* [Ecce Propheta mandat regi iaculo percutere terram, & cum percutit tribus vicibus & stat, irascitur contra eum quod non sæpius terram percuteret. Its & doctoribus præcipitur, prædicationis iaculo terram, hoc est, carnales percutere. Sed qui hoc minus studiose agunt, merito increpatione diuina arguuntur. Quid est enim tribus vicibus terram iaculo percutere, nisi Trinitatis fidem carnalibus per doctrinam insinuare? sed cum agit hoc satis doctor, hominesque ad fidem perducit, necesse est vt adhuc instet verbo, donec illos doceat quinque sensibus corporis imperare, bonisque operibus (quæ per senarium numerum exprimuntur) studium impendere, necnon & scientiam spiritualem instanter meditari, quam septiformis Spiritus gratia in scripturis sacris constituit, atque ad salutem humani generis gemino testamento edidit. Qui autem solam fidem sine operibus bonis & meditatione legis Dei, sibi sufficere credunt ad salutem, recte B à propheta arguuntur, quia secundum Iacobi Apostoli (Iac. 2.) sententiam, *sicut corpus sine spiritu mortuum est, ita & fides sine operibus mortua est.* Et alibi scriptum est: *Qui ignorat ignorabitur* [*Mortuus est ergo Elisæus & sepelierunt eum. Latrunculi quoque de Moab venerunt in terram Israel in ipso anno. Quidam autem sepelientes hominem, viderunt latrunculos, & proiecerunt cadauer in sepulchrum Elisæi. Quod mox vt tetigit ossa Elisæi, reuixit homo & stetit super pedes suos.*

Quid significat hæc resuscitatio cadaueris mortui per contactum ossium Elisæi, nisi vitam fidelium, quæ in morte Christi veraciter constat? Quicunque ergo firma fide tangit mortem Christi, & spem suam veraciter in Ipso collocat, sine dubio particeps erit resurrectionis eius. Dicit enim ipsa veritas: *Ego sum resurrectio & vita: qui credit in me etiamsi mortuus fuerit viuet. Et omnis qui viuit & credit in me, non morietur in æternum.* (Ioan. 11. Num. 21. Ioan. 3.) Et alibi: *Sicut Moyses* (inquit) *exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis: vt omnis qui* C *credit in ipsum, non pereat sed habeat vitam æternam.*

CAP. XIV.

QVod dicitur de Amasia rege Iuda: *Ipse percussit Edom in valle Salinarum decem millia, & apprehendit petram in prælio, vocauitque nomen eius Iecthel vsque in præsentem diem.*] Vallis salinarum erat, vbi sal faciebant, vel fœno videlicet salsuginis, vt multis in locis deciso, exiccato, & incenso, vel aquis puteorum salsis feruefactis, & vsque ad salis firmitatem coquendo perductis, vel alio quolibet ordine, quo sal fieri consueuit. In quo etiam loco, & Ioab duodecim idumæorum percussisse legitur. Nec prætereundum quod pro valle Salinarum vetus editio quasi nomen regionis Gemela posuit. Petra autem ciuitas est Arabiæ nobilis in eadem terra Edom, quæ in libro Numerorum Recem dicitur, & à Syria hodie quæ sic appellatur. Iecthel vero quod Amasias victor ei nomen imposuit, interpretatur cœ- D tus Dei vel auxilium Dei, à gente eo fideliter, vt perenni inderetur memoriæ quod hanc vel cœtus populi Dei, vel Deo adiuuante cœperit.

CAP. XV.

ANno vicesimo septimo Ieroboam regis Israel, regnauit Azarias filius Amasiæ regis Iuda. Sedecim annorum erat cum regnare cœpisset, & quinquaginta duobus annis regnauit in Ierusalem. Et reliqua] Azarias ipse est Ozias, qui propter contemptum Domini, dum sacrificare in templo vellet contra legem Moysi, percussus est lepra à Domino iuxta altare altans, & holocausta nitens offerre: potest quippe Ozias rex leprosus significare diabolum, cui lepra iniquitatis insanabilis est. Qui enim suam mensuram non vellet cognoscere, & maiora tentasset appetere, fœditate pessimæ lepræ notabilis effectus, de domo eiectus est, & perseuerauit vsque in finem (Ecc.) leprosus, separatus à populo Dei. Sub hoc videlicet re- E ge regnante, & quantum in se est sacerdotium dissipante, Isaias propheta visionem illam magnificam, qua videbat Dominum sedentem super solium excelsum, videre non potuit. Quamdiu ille regnum tenuit in Iudæa, propheta oculos non leuauit ad cælum, non sunt ei reserata cælestia, non apparuit Dominus sabaoth, nec in mysterio fideliter sancti nomen auditum est. Quando ille mortuus est; vniuersa quæ subsequens sermo monstrauit aperto sese in lumine prodiderant. Tale quod & in Exodo scriptum est. Dum Pharao vixit, populus Israel ex luti & lateris & palearum opere non suspirauit ad Dominum. Dum ille regnauit nemo quæsiuit Deum Patrem Abraam, Isaac & Iacob. Quando vero ille mortuus est, suspirauerunt filij Israel, (vt scriptura dicit) & ascendit clamor eorum ad Dominum; cum vtique iuxta historiam tunc magis gaudere debuerint, & ante suspirare, cum viueret. Iezechiele quoque prophetante. Phaltias filius F Banaiæ occubuit, & post pessimi ducis interitum, *Cecidi* (inquit) *super faciem meam & clamaui voce magna, & dixi: Heu mi Heu mi, adonai Deus consummationem tu facis reliquias Israel?* Si ergo intelligas in Ozia & Pharaone & phaltia & cæteris istiusmodi, contrarias fortitudines, videbis quomodo illis viuentibus, nullus vestrorum videat & suspiret, & in pœnitentiam corruet: *Non regnet* (ait Apostol.) *peccatum in mortali corpore vestro.* (Rom 9.) Regnante peccato Ægyptiis extruimus ciuitates in (Exod. 1.) cinere, versamur in sordibus. Pro frumento paleas, pro solida petra luti opera. Sed tamen quod dicitur de Ieroboam rege Israel, ipse restituit terminos Israel ab introitu Emath, vsque ad mare solitudinis Emath, quæ nunc Epiphani adiicitur, septentrionalis erat terminus Israel. Mare autem solitudinis, quod Hebraicè dicitur Arabas, mare mortuum designat, quod in latitudine per stadia octoginta vsque ad zearos Arabiæ, in longitudine centum quinquaginta vsque ad vicinia Sodomorum progreditur: cuius loci Iosephus ita meminit dicens: Anno autem quintodecimo regni Amasiæ, regnauit In Israel filius Ioas Ieroboam, in Samaria annos quadraginta. Hic au- G tem rex circa Deum quidem iniuriosus & iniquus extitit vehementer, idola colendo & multa incongrua & opera extranea faciendo. Populo autem Israelitarum multorum bonorum fuit occasio: Huic quidem Ionas prophetauit; quia oporteret eum Syrios vincere dimicando, & regnum proprium dilatare, in partibus quidem Aquilonis, vsque ad Ethan ciuitatem: à meridie vero vsque ad Asphaltum. Antiquitus enim termini Chananæi isti fuerunt, sicut princeps Iesus ea loca determinat. Igitur Ieroboam castrametatus contra Syrios omnem eorum prouinciam, sicut Ionas prophetauerat, deuastauit,

CAP. XVI.

ANno septimo decimo Phacee filij Romeliæ, regnauit Achaz filius Ioatham regis Iuda. Viginti annorum erat Achaz cum regnare cœpisset, & sedecim annis regnauit in Ierusalem. Non fecit quod erat placitum in conspectu Domini Dei sui, sicut Dauid pater eius, sed ambulauit in via Regum Israel. Insuper & filium suum consecrauit, transferens per ignem secundum Idola gentium, quæ dissipauit Dominus coram filijs Israel.*] Hinc Iosephus taliter narrat: Porro Iotham mutauit vitam, cum vixisset annis quadraginta vnum, ex quibus regnauit duodecim. Sepultus est in regijs monumentis, venitque regnum ad eius filium Achaz, qui impius circa Deum existens, & paternæ præuaricator legis, Reges Israelitarum imitatus, in Ierosolymis idolorum aras constituit, & super ea sacrificauit. In quibus etiam suum in holocaustum obtulit filium more Chananæorum, & super hæc multa alia scelera perpetrauit. Musach quoque sabbati quod ædificauerat in templo, & ingressum Regis exterius, conuertit in templum Domini, propter Regem Assyriorum. Legi in cuiusdam libro, Musach sabbati, expositum locum quendam, vel ædificium quoddam esse positum in vestibulo templi Domini, vbi Reges quando sabbato

A orationis causa ad templum ibant, pecuniam pro eleemosyna mittebant. Et ita Mosach sabbati, gazophylacium esse regum, sicut Corbanan est Sacerdotum. Videtur enim Achaz ipsum ædificium & ingressum regis exterius, non ideo conuertisse in templum Domini, quod in eo cultui seruiretur diuino, sed vt simul cum templo 2.Par.6. prophanaretur, studens vt magis placeret regi Assyrio quam Deo patrum suorum & Domino. Cui sensui videtur liber Paralipomenon astipulare, vbi ita scriptum est: *Igitur Achaz spoliata domo Domini, & domo regum & principum, dedit regi Assyriorum munera, & tamen nihil ei profuit. Insuper & tempore angustiæ suæ, auxit contemptum in Dominum. Ipse per se Rex Achaz immolauit diis Damasci victimas percussoribus suis, & dixit: Dy regum Syriæ auxiliantur eis, quos ego placabo hostiis, & aderunt mihi cum è contrario ipsi fuerint ruina ei, & vniuerso Israel. Direptis itaque Achaz omnibus vasis domus Domini atque confractis, clausit ianuas templi Domini, & fecit sibi altaria in vniuersis angulis Hierusalem. In omnibus quoque vr-* B *bibus Iuda extruxit aras ad cremandum thus, atque ad iracundiam prouocauit Dominum Deum patrum suorum.*] Hæc sicut scripta reperimus, hoc in loco ponenda esse censuimus, parati si qui aliquid inde certius expresserint, eorum sententiam auscultare. [*Tunc ascendit Rasin Rex Syriæ & Phacee filius Romeliæ Rex Israel, ad præliandum in Hierusalem. Cumque obsiderent Achaz, non valuerunt superare eum. In tempore illo restituit Rasin Rex Syriæ Ailam Syriæ, & eiecit Iudæos de Aila. Et Idumæi venerunt in Ailam.* & reliqua.] Rex impius qui Dominum Deum patrum suorum dereliquit, & secutus est idola gentium iuste Domini auxilio derelictus est, & consurrexerunt aduersus eum Rasin Rex Syriæ, id est Aram & Pacee fi- Ibid. lius Romeliæ Rex Israël in Samaria, & venerunt in Hierusalem, vt expugnarent eam. Legimus in Paralipomenon lib. Regem Rasin Damasci, victo Achaz multos de Iudæa Damascum transtulisse, & Phacee filium Romeliæ regem decem tribuum, quæ appellabantur Israël, & regnabant in Samaria, vna die centum viginti percussit de Iudæa hominum bellatorum, cum infinita præda in Sa- C mariam duxisse captiua. Rursum veniunt ad Iudæam, & Hierusalem cupiunt debellare, & non potuerunt, quia auxiliatus est ei Dominus, vt sub occasione misericordiæ, qua populum obsessum liberauit, filium suum nuntiaret Isaiæ.7. de virgine nasciturum, sicut Isaiæ Prophetæ liber commemorat. Huic non suo merito, sed Domini gratiam ostendendo, egredi in occursum Isaias iubetur, ad extremum aquæductus piscinæ superioris in via agri fullonis & dicere ad eum: Vide vt sileat. Noli timere, & cor tuum ne formidet à duabus caudis titionum fumigantium istorum, in ira furoris Rasin regis Syriæ, & filij Romeliæ, eo quod consilium inierit contra te Syria pessimum, & Ephraim & filius Romeliæ, dicentes: Ascendamus ad Iudam, & suscitemus eum, & euellemus eum ad nos, & ponamus regem in medio eius filium Tabeel. Hæc dicit Dominus Deus: Non stabit & non erit istud, sed caput Syriæ Damascus, & caput Damasci Rasin. Et adhuc *LX. & V.* anni, & desinet Ephraim esse populus.] Duas autem caudas titionum, id est torrium fumigantium, vocat Rasin D Regem Syriæ, & Phacee filium Romeliæ Regem Samariæ, eo quod in illis finitum sit regnum Syriæ, id est Damasci, & regnum Samariæ, id est decem tribuum, qui alio nomine appellabantur Ephraim. Sexaginta autem & quinque anni, non à temporibus Achaz, sed ab Oziæ numerantur. Igitur Hebræi hunc locum ita edisserunt, vt Amos qui sub Ozia cœpit prophetare, quando & Isaias prophetiæ suæ habuit exordium, primus Prophetauit contra Israël, dicens, *Israël autem captiuus ducetur de terra sua.* Titulus quoque prophetiæ eius contra Samariam fit, & prophetare cœperit in diebus Oziæ regis Iuda, ante duos annos terræmotus. Quem volunt eo tempore accidisse, quo ingressus Ozias in templum Dei, ibi sacerdotium vindicabat, & terra percussa est & cineres altaris effusi sunt, & ipse Rex percussus lepra. Volunt autem annum fuisse vicesimum quintum Oziæ, quando hæc acciderunt, cuius reliqui anni sunt viginti-

E septem. Omnes enim regnauit annos. LII. Postea regnauit Ioatham filius eius annis sedecim & huius filius Achaz, aliis sedecim. Post quem regnauit Iezechias, cuius sexto imperij anno, capta Samaria est, atque ita efficit simul annos LXV. [*Scriptum est enim quod Theglathphalasar Rex Assyriorum sub rege Achaz ascenderit in Damascum, & vastauerit eam, & transtulerit habitatores eius Cyrenen & Rasin interfecerit.*] Et quod tetenderit insidias Phacee filio Romeliæ Osee filius Ela, & percusserit eum & interfecerit, & regnauerit pro illo in Israël annis IX. & quod venerit Salmanasar Rex Assur & Osee 8. obsederit Samariam, quæ nunc Sebasten vocatur tribus annis, & nono anno regni Osee ceperit eam, vinctumque Osee in carcerem miserit, & transtulerit Israël in Assyrios, posueritque eos in Hala & in Habor iuxta fluuium Gozan, in ciuitatibus siue (vt LXX. transtulerunt) in montibus Medorum. Iuxta anagogen facilis interpretatio est, quod regnante Achaz Rege impio, Rex Aram qui interpretatur excelsus atque sublimis, vt indicet arrogantiam sapientiæ sæculi, & Phacee filius Romeliæ F qui & ipse iuxta Osee Prophetam & tribum Ephraim, de qua Ieroboă filius Nabath vitulos aureos in Bethel & Dan cōstituerat, & à domo Dauid Dei populum separa- Ieze.34. tat, refertur ad hæreticos, qui consentiant sibi, vt expugnent Ecclesiam. Quod cum audierit Domus Dauid, cui in Iezechiele pastorem bonum legimus suscitatum, & populus eius simpliciter credens in Dominum, pertremiscit. Et ideo pertremiscit, quia non arboribus frugiferis, sed infructuoso saltui comparatur. Eosdem autem hæreticos atque gentiles contra domum Dauid argumentorum & dialecticæ artis gladiis dimicare nulli dubium est, vt qui inter se discrepant, in Ecclesiæ oppu- Ioan 21. Isaiæ.7. gnatione consentiant: Iuxta illud quod Herodes & Pilatus inter se discordantes, in Domini passione amicitia fœderantur. Impio regi in Isaac iubetur occurrere, exiens de loco suo, non in principio aquæductus, sed in extremis finibus piscinæ superioris, quæ erat in agro fullonis, vbi sordes expurgabantur. Quamuis enim Achaz regnaret super Iudam, tamen quia impius erat, in supe- G rioris piscinæ extremis finibus morabatur. Ergo Deus non tam regis miseretur, quem indignum æstimabat salute, quam populi sui. Duas autem caudas torrium fumigantium, vt prius diximus, vocat sapientiam secularem, hæreticumque sermonem, quorum finis exustio est, qui frustra inierunt consilium, vt ascenderent contra Iudam, & quasi negligentem & dormientem caperent, & suis erroribus copularent, ponerentque super eum regem filium Tabeel, hoc est bonum Deum. Vterque enim aduersarius apud seueritatem, apud se æstimat optimam esse doctrinam. Denique Marcion hæreticus boni Dei filium, hoc est, alterius putat esse Christum, & non iusti cuius Prophetæ sunt, quem sanguinarium & crudelem iudicem vocat. Hæc illis dicentibus Dominus dominatur, quod non stet consilium ipsorum, sed interim quamdiu nunc iste mundus stat, & ea quæ mundi sunt, in suis finibus & in suis vribibus dominentur. Cum autem consummationis tempus aduenerit, hoc est LXV. anni, & tam mundi res quæ in sex diebus factæ sunt, quam H omnia quæ ad quinque sensus pertinent finem acceperint, tunc vniuersa esse soluenda, quæ gentiles & hæretici futura non credunt, & propter infidelitatem non intelligunt quæ dicuntur.

CAP. XVII.

I*Ratusque est Dominus vehementer Israël, & abstulit eos de conspectu suo, & non remansit nisi tribus Iuda tantummodo, sed nec ipse Iudas custodiuit mandata Domini Dei sui, verumtamen ambulauit in erroribus Israel quos operatus fuerat. Proiecitque Dominus omne semen Israël, & afflixit eos, & tradidit in manu diripientium, donec proiiceret eos à facie sua.*] Subuersio autem Israëlitarum, quæ ab Assyriæ regibus perpetrata est quod significat nisi miserabilem & nimis deflendam ruinam populi Ecclesiastici? quam Rex Assyrius, hoc est diabolus, cum suo exerci-

tu deuastando atque obsidendo quotidie efficit, cum eos propter peccata commissa, de sedibus propriis euellens, defert in terram alienam, quo magis lugere delectat, quam cantica lætitiæ proferre, Vnde & Psalmista mystico eloquio, hoc idem commemorat, dicens: *Super flumina Babylonis illic sedimus, & fleuimus, dum recordaremur tui Sion. In salicibus in medio eius, suspendimus organa nostra.* Quia illic interrogauerunt nos, qui captiuos duxerunt nos, verba cantionum. Et qui abduxerunt nos, hymnum cantate nobis de canticis Sion. Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena? Quod dicitur de his quæ in Samariam adductæ sunt à rege Assyriorum nationibus. [*Et vnaquaque gens fabricata est Deum suum. Posueruntque eos in phanis excelsis, quæ fecerunt Samarita gens & gens in vrbibus suis, in quibus habitabant. Viri enim Babylonij fecerunt Sochoth Benoth, viri autem Cutheni fecerunt Nergel, & viri de Hemath fecerunt Asima. Porro Euei fecerunt Nebaaz & Tharthac.*] In libro quidem locorum legitur, quod Benoth & Nergel fuerunt ciuitates, quas construxerunt in regione Iudææ Samaritani, qui de Babilonia transierant. Asima quoque oppidum ædificauerunt, qui ad eam venerunt de Hemath Nebaaz & Tharthac ciuitates sunt, quas Euei in eadem Iudææ terra condiderunt. Videtur autem iuxta consequentiam sermonis, & idolorum, quibus hæ gentes prius in terra sua seruierint, hic posse vocabula intelligi. Quia cum dictum esset, [*Et vnaquaque gens fabricata est Deum suum*] quasi ad expletionem sententiæ subiunctum sit, [*Viri enim Babylonij fecerunt Sochoth Benoth.*] Et melius, ni fallor, faceret interpres, si Sochoth latine in tabernacula verteret, & nomen idoli Benoth absolute poneret, & sicut in sequentibus manifeste dicitur. [*Hi autem qui erant de Sepharuaim, comburebant filios suos igni Adramelech & Anamelech diis Sepharuaim.*] Vbi ostenditur Adramelech & Anamelech idola fuisse vrbis Sepharuaim Ita videtur consequens, vt & Nergel Cuthæorum, Asima Hemathæorum, Nebaaz & Tharthac idola fuerint Eueorum. Post hæc scriptura narrat de ipsis Samaritanis quod cum Dominum colerent, diis quoque suis seruirent iuxta consuetudinem gentium, de quibus translati fuerant Samariam, & non multo post subsequitur, dicens: [*Fuerunt igitur gentes istæ timentes quidem Deum, sed nihilominus & idolis suis seruientes, nam & filij eorum & nepotes, sicut fecerunt patres sui, ita faciunt vsque in præsentem diem.*] Et quia in Samaritanorum persona hæretici accipiuntur, in prædicta sententia illorum nequitia conuenienter exprimitur. Habent enim hæretici quædam sacramenta communia cum sancta Ecclesia, & quasdam sententias sanctarum scripturarum rite intelligunt, sed tamen nihilominus idolis immundorum spirituum seruire non cessant. Videtur enim eis timorem Dei rite se custodire, cum secundum sensum suum veritati se putant fauere. Sed quia catholicæ fidei vnitatem spernunt habere, malignorum spirituum voluntatibus se veraciter manifestant obtemperare, & non solum inuentores primi errorum, quos patres Samaritanorum significant, hoc faciunt, sed & sequaces eorum, quos filiorum nomine & nepotum expressos recte possumus intelligere, similiter agunt.

CAP. XVIII.

ANno tertio Osea filij Ela regis Israël, regnauit Iesechias filius Achaz regis Iuda. Viginti quinque annorum erat cum regnare cœpisset, & vigintinouem annis regnauit in Hierusalem. Nomen matris eius Abia, filia Zachariæ. Fecitque quod erat bonum coram Domino, iuxta omnia quæ fecerat Dauid pater suus. Ipse dissipauit excelsa, & contriuit statuas, & succidit lucos, confregitque serpentem æreum, quem fecerat Moyses. Siquidem vsque ad illud tempus filij Israël adolebant ei incensum. Vocauitque eum nomen eius Nabasthan. Et in Domino Deo Israel sperauit.] Siquidem Nabasthan interpretatur æs eorum, vt quero illi pro numine colebant in dictis eius metallum eum esse non Deum agnoscerent. Et quia Iezechias in hoc quod excelsa dissipauit, & statuas contriuit, atque succidit lucos, necnon & omnia simulacra comminuit, saluatoris typum tenet. Interpretatur enim Iezechias apprehendens Dominum vel fortitudo Domini. In eo ipso vtique quod ipsum serpentem æneum quem Moyses fecit, comminuit, redemptoris figuram conuenienter tenet. Non solum enim Dominus noster ac redemptor (de quo per Prophetā dicitur, *Dominus fortis Dominus potens in prælio*) [Ps. 23.] idola gentium contriuit, & omnia simulacra eorū dissipauit, quatenus Dei omnipotentis notitiam haberet, eiusque cultui digne mancipatentur, quin ipsam litteram legis Mosaicæ, quam ille populus legalis assidua lectione resonabat, ac pro magno habebat, contriuit, ac sensum spiritualem in ea intelligere eos docuit. [*Anno quartodecimo regis Iesechiæ ascendit Sennacherib Rex Assyriorum ad vniuersas ciuitates Iuda munitas, & cepit eas. Tunc misit Iezechias Rex Iuda nuntios ad regem Assyriorum in Lachis, dicens: Peccaui, recede à me, & omne quod imposueris mihi, feram. Indixit itaque Rex Assyriorum Iezechiæ regi Iuda triginta talenta argenti, & triginta talenta auri. Deditque Iezechias omne argentum quod repertum fuerat in domo Domini, & in thesauris regis, &c.*] Clara est historia quæ in libris Regum necnon in Paralipomenon & in Prophetia Isaiæ pari modo describitur. Iezechias vigintiquinque annorum erat cum regnare cœpisset, regnauit autem vigintinouem annis in Hierusalem, & rebellauit contra regem Assyriorum, & non seruiuit ei. Hinc Sennacherib ingressus Iudæam, obsedit vrbes eius munitas. Et cum obsideret Lachis, misit ad eum Iezechias trecenta talenta argenti, & triginta talenta auri, fractis ianuis templi, & laminis eius detractis quasi ipse affixisset. [*Misit autem Rex Assyriorum Tarthan & Rabsaris & Rabsacen cum manu valida ad Hierusalem.* [Isai. 36.] *Egressus est autem ad eos Eliacim filius Helciæ præpositus domus, & Sobna scriba & Ioahe filius Asaphæ a commentariis &c.*] Iste est Eliacim de quo Isaias in visione vallis Sion dixit: *Vocabo seruum meum Eliacim filium Helciæ &* reliqua. Qui fuit pontifex post Sobnam præpositum tēpli quem tradunt Hebræi Rabsaces comminatione perterritum, tradidisse manus Assyriis, & prodidisse Hierusalem, & excepta arce Sion & templo, Assyrios totam vrbē cepisse. Quem etiam Sobam cū Eliacim ad Rabsacen exisse quidam putāt. Rabsacen autem (qui hebraice locutus est) filium Isaiæ Prophetæ autumāt, qui & ipse proditor fuerat. Relictumque filium Isaiæ alterum vocatum Iasub, qui latine, relictum sonat. Alij autem putant eum Samaritem fuisse & ideo hebraicam scisse linguam, & tam audacter & impie Deum blasphemasse. Quia quasi quadam contraria fortitudo sua arrogantia imitabatur Prophetas qui dicebāt, Hæc dicit Dñus. Iste dixit, *Hæc dicit Rex magnus Rex Assyriorū*. Ac primū, quia dixit, [*confidis super Ægyptum*] falsum est. Nulla enim narrat historia quod Iezechias Pharaonis auxilium postularit. Quodque infert, [*Si responderis mihi in Domino Deo confidimus,*] Verum est. Sed subiungit rursum mendacium veritati, [*quod abstulit Iezechias excelsa eius & altaria.* [Hæc enim non contra Deum, sed pro Deo fecit, vt destructa idololatria & cætero errore, iuberet Deum adorari in Hierusalem, vbi fuit templum eius. Quique vt paucitatem obsessorum ostenderet, duo millia equorum pollicetur, quorum ascensores Iesechias non haberet. Non de imbecillitate populi venit, quasi equitandi ignari, sed de obseruatione præceptorum Dei, quia Moysi præcepit, ne Rex Israël equos & vxores sibi multiplicaret. Si autem (inquit) me minimum seruorum regis Sennacherib sustinere non vales, quomodo tantam illius potentiam sustinebis? Ad id autem quod dixit, [*Si responderis mihi, in Domino, Deo confidimus,*] callide respondit, se non sua voluntate, sed domini venisse præceptis. [*Dixit Dominus ad me: Ascende super terram & disperde eam.*] & est argumentum. Certe enim sine Domini voluntate huc venire non poteram. Cum autem venerim, & multas vrbes ceperim, & pars Hierusalem maneat intacta, manifestum est me eius voluntate venisse. [*Dixerunt autem Eliacim filius Helciæ & Sobna & Ioahe Rabsaci, Precamur vt loquaris*

nobis

A *nobis seruis tuis syriace, siquidem intelligimus hanc linguam & non loquaris nobis Iudaice, audiente populo, qui est super murum. Respondisque eis Rabsaces, dicens: Nunquid ad dominum tuum & ad te misit me Dominus meus, vt loquerer sermones hos, & non potius ad viros qui sedent super murum vt comedant stercora sua, & bibant vrinam suam vobiscum &c.*] Rapsacis accusatio, Iezechiæ testimonium est, quia captis Iudææ vrbibus, in domino confisus sit, & confortauit populum vt in domino speraret. Vnde Rapsaces destruere vult quæ ille construxit, & dicit ad populum, [Non seducat vos Iezechias, & non vobis tribuat fiduciam super Domino Deo.] Quod autem Eliacim & Sobna & Ioahe, humiliter deprecatur Rabsacen, vt Syriace loqueretur, hunc sensum habet: Qui necesse est populum falsis terroribus commoueri, & vanam iactare virtutem? [*Loquere linguam quam populus non nouit. Nam & nos lingua tua habemus scientiam. Ad quod ille arroganter, Num ait ad dominum tuum, & ad te misit me Domi-*
B *nus meus? & reliqua vsquequo ait, & bibant vrinam suam vobiscum?*] Per quod ostendit fame eos & siti esse capiendos. Simulque illecebra mitigat timorem, vt quos terrore non vicit, persuasione decipiat. Et dicit ex persona regis: Facite mecum benedictionem, hoc est facite, quod in vestram benedictionem proficiat, benedicite regi Assyrio, & eum dominum confitemini, vt præmia consequamini, donec reuertar de Ægypto vel capta Lobnam redeam, habitare in vrbe vestra, & rebus vestris fruimini, & postea ducam vos in similem terræ vestræ terram, quam tamen non nominauit, quia similem ei inuenire nõ potuit, sed similitudinẽ ponit. Hoc enim vnusquisq; vult in quo natus est. Alij putant terram Mediæ ei repromitti quæ terræ Iudææ similitudinem habeat, tam in situ quã in fructibus. Quod ait Rapsaces inter alia quibus Deum blasphemabat, clamans contra Hierusalem: [*Vbi est Deus Hemath & Arphad. Vbi est Deus Sepharuaim, Ana & Aua? Nunquid liberauerunt Samariam de manu mea?*] Ostendit harum omnium ciuitatum siue gentium diis
C seruisse Samaritas, & quia non erant dij, sed idola, merito cultores vanitatis, vt decebat, esse subuersos. Est autem Hemath vrbs Celesyriæ, quæ nunc Epiphania dicitur, iuxta Emesan, vt supra monuimus. Arphad vrbs Damasci, quam expugnatam à rege Assyriorum, & Ieremia scribit. Sepharuaim, quod numero plurali, libros, vel litteras sonat, nomen est locorum, de quibus Assyrij transmigrantes habitauerunt in Samaria, vt in locorum libris inuenimus. Verum in Isaia hoc quoque vocabulum esse ciuitatis apparet, vbi aperte dicitur, *Vbi est Deus vrbis Sepha-*
Isaiæ 37. *raim?* tametsi pluraliter dictũ, vt Thebarum, Athenarum. Pro *Ana & Aua*, vetus editio, quasi vnius vrbis nomen *Anetigauã* posuit. Et quidem in Hebræo ita scriptum est. Verum quia quinta syllaba, *si*, quæ in medio nominis posita est, cõiunctionem, & apud eos significat, potest & ita distingui, vt dicatur, *ane & gaue*, vt Aquila transtulit, siue *Ana & Aua*, vt noster vertit interpres. Sin autem, ait tantis diis præsentibus quinque tribus vicimus facile, quanto magis solam Hierusalem vno Deo præsule vincemus?
D Vere iustus Iezechias omnia tegens eum consilio prohibuit ei respondere, ne eum ad maiores blasphemias prouocaret. [*Venitque Eliacim filius Helcia præpositus domus, & Sobna scriba & Ioha filius Asapha commentarius, ad Iezechiam scissis vestibus, & nuntiauerunt ei verba Rapsacis:*]

CAP. XIX.

Q*Væ cum audisset Iezechias, scidit vestimenta sua, & opertus est sacco, ingressusque est domum Domini, & misit Eliacim præpositum domus, & Sobnam scribam, & senes de sacerdotibus, opertos saccis, ad Isaiam Prophetam filium Amos. Qui dixerunt ei: Hæc dicit Iezechias: Dies tribulationis, & increpationis, & blasphemiæ dies iste. Venerunt filij vsque ad partum, & vires non habet parturiens, &c.*]

Scindunt vestimenta sua, quia Rapsacen audiunt blasphemantem. Scidit & rex vestem suam, quia pro populi & suis esse peccatis credebat, quod Rapsaces vsque ad portam venit Hierusalem, & contra dominum talia sit locutus. Mira regis humilitas & prudentia. Dimisso regio cultu, obuolutus sacco, ad templum pergit de palatio, principes sacerdotum, non stolis, sed ciliciis mittit ad Isaiam coopertos, & dixit [*Dies hæc tribulationis nostræ, correptionis Dei, blasphemiæ hostium.*] Ponitque similitudinem parturientis fœminæ & dolentis, quæ ad partum vsque peruenit, & generare non possit. [*Si quomodo audiat Dominus Deus tuus.*] Non enim audemus dicere omnium nostrum dominum, quo irascente tanta perpetimur, sed tuum dicimus Dominum, & hanc habemus vltionis fiduciam, quoniam viuens Deus blasphematur, à cultura idolorum mortuorum. [*Leua ergo orationem nostram iacentem pro reliquiis populi quæ obsidentur.*] Præuenit eus Isaias, quia eo spiritu quo futura noscebat, etiam absentem audierat. Hæc inquit dicite domino vestro. Isaiæ 37.
[*Hæc dicit dominus: Noli timere verba quibus non tu, sed ego sum blasphematus, nec dico omnia quæ regi Assyrio faciam, ne meam videar iactare potentiam. Sed quia dandus sit ei spiritus, non Dei, sed aduersarij. Et audito nuntio, reuertens ad terram suam corruat gladio, vt duo pariter quæ optabat Iezechias audire, se ab obsidione liberandum, & inimicum in sua terra moriturum esse. Reuersus est igitur Rapsaces, & inuenit regem Assyriorum expugnantem Lobnam. Audierat enim quod recessisset de Lachis. Cumque audisset de Tharaca rege Æthiopiæ dicentis: Ecce ingressus est, vt pugnet aduersum te, & ires contra eum, misit nuntios ad Iezechiam, dicens: Hæc dicite Iezechiæ regi Iudæ: Non te seducat Deus tuus, in quo habes fiduciam, neque dicas: Non tradetur Hierusalem in manus regis Assyriorum.* Iuxta voluntatem Dei Rabsaces deseruit obsidionem Hierusalem, & perrexit ad Dominum suum, quem vel capta vel deserta Lachis inuenit oppugnantem Lobnam. Sennacherib autem occurrens regi Æthiopum, misit ad Iezechiam nuntios & Epistolas, vt eos quos in viribus non cepit, sermone terreret. Pugnasse autem Sennacherib contra F
Ægyptios, & obsedisse Pelusium, iamque extructis aggeribus vrbe capienda, venisse Tharacam regem Æthiopum in auxiliũ, narrat Herodotus. [*Itaque cum accepisset Iezechias litteras de manu nuntiorum, & legisset eas, ascendit in domum Domini, & expandit eas coram Domino, & orauit in conspectu eius, dicens: Domine Deus Israel qui sedes super Cherubim, tu es Deus solus omnium regum terræ, tu fecisti cælum & terram. Inclina Domine aurem tuam & audi, aperi oculos tuos Domine & vide, & audi omnia verba Sennacherib, quæ misit vt exprobraret nobis Deum viuentem,* & reliqua.] Prius Iezechias Domini timore perterritus, orare in templo non audebat, vel liberas fundere preces: nunc autem, quia audit Isaiam dicentem: *Ne timeas à facie verborum quæ audisti*, & reliqua, audacter Dominum deprecatur. [*Misit autem Isaias filius Amos ad Iezechiam, dicens: Hæc dicit Dominus Deus Israel: Quæ deprecatus es me super Sennacherib rege Assyriorum, audiui. Iste est sermo quem locutus est Dominus de eo: Spreuit te & subsannauit te virgo filia Sion. Post tergum tuum caput mouit filia Hierusalem. Cui exprobrasti & quem blasphemasti? Contra quem exaltasti vocem, & eleuasti in excelsum oculos tuos? Contra sanctum Israel*, & reliqua.] Denique Iezechias audacter Dominum deprecatur, nec misit ad Isaiam vt prius fecit, nõ ipse propheta pergit ad eum, sed nuntios misit, qui Dei responsum deferant ad eum, *Virgo Sion, & filia Hierusalem.*] Quæ ideo virgo dicitur & filia, quia cunctis gentibus simulachra mortuorum adorantibus, hæc sola conseruat castitatem, religionis Dei, & vnius diuinitatis cultum: & quæ ne ad maiorem blasphemiam concitaret, præsenti non respondit, [*post abeuntem mouit caput suum,*] certe de vltione, secura de pœna. In manu seruorum tuorum, nec ipse per te, sed per seruos tuos, vt maior est arrogantia, dominum blasphemasti. Altitudo montium & iuga Libani excelsa cedri & abietes, vel per metaphoram de cunctis gentibus accipiendum est, & principibus earum, vel de Hierusalem quæ est cedrus Libani & abietes potentisque & optimates.

Marginalia (right column): E (beside "phemantem. Scidit & rex vestem suam"); G (beside "sermone terreret. Pugnasse autem"); Herodotus. (beside "in auxiliũ, narrat Herodotus"); Isaiæ 37. (beside "preces: nunc autem"); H (beside "caput mouit filia Hierusalem").

A mates. Altitudo summitatis & saltus Carmeli, templum est. Quodque infert, [*Ego fodi & bibi aquam; & siccaui vestigio pedis mei omnes riuos aggerum.*] vel ob id dixit, quia pro multitudine exercitus, omnia fluenta siccauerit, vt puteos sibi fodere compulsus sit: vel quia omnes populos quos aquæ significant, suo vastauit exercitu. [*Nunquid non audisti quæ olim fecerim ei? Ex diebus antiquis plasmaui illud, & nunc adduxi, & factum est in eradicationem collium compugnantium & ciuitatum munitarum, Habitatores earum breuiata manu contremuerunt, & confusi sunt, sicut fœnum agri, & gramen pascuæ, & herba tectorum, quæ exaruit antequam maturesceret. Habitationem tuam & egressum tuum & introitum tuum cognoui, & insaniam tuam contra me Cum fureres aduersum me, superbia tua ascendit in aures meas. Ponam ergo circulum in naribus tuis, & frenum in labiis suis, & reducam te in viam per quam venisti.*] Hæc ex persona Dei contra verba Assyrij sentienda sunt, quod ad blasphemiam eius sic responderit

B Dominus: *Num ignoras quod hæc quæ fecisti, mea feceris voluntate, & hæc ego futura prædixerim, aperte facienda mandauerim?* itaque quod olim decreui, hoc expletum est tēpore: vt colles, id est, principes qui inter se ante pugnabant, & ciuitates munitissimæ (me contrahente manum meam nec solitum præbente auxilium) eradicarentur, & contremiscerent ac perirent: & comparentur non oliuæ & vineæ, fructuosisque arboribus, sed fœno & gramini herbisque dogmatum, quæ frugibus impedimenta sunt, & ante marcescunt, quam ad maturitatem perueniant. Itaque & sessionem & egressum & introitum tuum ego noui, & insaniam qua contra me debacchaturus eras, prophetis vaticinantibus, sum locutus. Per quos olim dicturum esse te noueram: In cælum ascendam, super sidera cæli ponam thronum meum, ero similis altissimo. Itaque furor tuus & superbia peruenit in aures meas, & nequaquam te vltra portabo, vt intelligas quod potuisti, non tuis potuisse te viribus, sed meo arbitrio. Merebantur enim impiæ gentes & infructuosæ arbores, vt per

C te quasi securim & serram meam succiderentur & caderent. Itaque ponam circulum siue camum in naribus tuis, vt blasphemantia ora constringam, & nequaquam vltra talia loqui audeas, frenumque mittam in labiis, tuis, quod tuam ferociam domet, & te reducat in Assyrios. *Tibi autem Iezechia hoc erit signum, comede hoc anno quæ repereris, in secundo autem anno quæ sponte nascuntur: Porro in anno tertio seminate & metite.* Et reliqua.] Notandum autem quod in libro Isaiæ vbi verba ipsius prophetæ ad regem Iezechiam descripta sunt, ita narrantur: *Comede hoc anno quæ sponte nascuntur, & anno secundo pomis*

Esaiæ 37. *vescere. In anno autem tertio seminate & metite, & plantate vineas, & comedite fructum earum, & mittet id quod saluatum fuerit de domo Iuda, & quod reliquum est mittet radicem deorsum, & faciet fructum sursum, quia de Ierusalem exibunt, reliquiæ, & saluatio de monte Sion, Zelus domini exercituum faciet istud.* Nunc ad ipsum Iezechiam loquitur: Hoc erit, inquit, signum eorum, quæ futura prænuntio, quod hoc anno ea comedas, quæ sponte nascun-

D tur, siue iuxta LXX. quæ prius seueras. Anno autem secundo iuxta Symmachum pomis vescere, siue iuxta eosdem, quæ de præteritis segetibus & cadente in terram semine pullulauerint. In anno autem tertio, fugato iam Assyrio, & obsidione laxata, seminate & metite, plantate vineas, & fructum earum comedite. Siquidem paruæ vrbis huius reliquiæ, quæ nunc hostili vallantur exercitu, & euasuras se esse non credunt, tantam recipient rerum omnium abundantiam ac felicitatem, vt instar arboris alta radice fundatæ, pomis densissimis impleantur. De Ierusalem enim & de monte Sion egredientur reliquiæ, & implebunt terram Iudæam, non suo merito, sed Dei misericordia, imo zelo quo aduersus impios zelatus est populum suum. [*Propheta hæc dicit Dominus de rege Assyriorum: Non intrabit ciuitatem hanc, & non iaciet ibi sagittam: nec occupabit eam clypeus, & non mittet in circuitu eius aggerem. In via qua venit, per eam reuertetur, & vrbem hanc non ingredietur, dicit Dominus. Et protegā ciuitatem istam: & saluabo eam propter me & propter Dauid*

E *seruum meum.* Propter futurorum spem, præsentem excutit metum. Dicit autem, quia non suo merito, sed Dei clementia conseruentur, imo patris eorum Dauid memoria. In quo monentur & suæ negligentiæ, & illius fidei & iustitiæ, quia in tantum diligit Deus iustitiam, vt posteros maiorum virtute tueatur. [*Factum est igitur in nocte illa, venit Angelus Domini & percussit in castris Assyriorū centum octogimaquinque millia. Cumque diluculo surrexisset, vidit omnia corpora mortuorum, & recedens abiit.*] Centū octoginta quinque millia fortissimorum virorum, ab vno angelo vna nocte cæduntur, & absque vulneribus occisorum, mors sæua discurrit, excludens à corporibus animas, Domini voluntate. Super quo in Paralipomenon legitur. 2.Par.32.

Et misit Dominus Angelum suum qui percussit omnem virum robustum, & bellatorem & principem exercitus regis Assyriorum. Reuersusque est cum ignominia in terram suā. Qui idcirco seruatus est, vt sciret potentiam Dei, &

F blasphemantia ora comprimeret, fieretque testis illius maiestatis, quem paulo ante contempserat. [*Et reuersus est Sennacherib Rex Assyriorum, & mansit in Niniue. Cumque adoraret in templo Nesrach Deum suum, Adramelech & Sarasar filij eius percusserunt eum gladio fugeruntque in terram Armeniorum, & regnauit Asaraddon filius eius pro eo.* Pharao quoque in decem Ægypti seruatur plagis, vt nouissimus pereat, quod & iste passus est. Cum enim reuersus esset in Niniuen vrbem primam regni sui, & adoraret in templo Nesrach Deum suum, quasi victoriam de hostibus reportaret, & in delubrum idoli sui triumphans, & gratulabundus incederet contemptor viri Dei: in fano falsi nominis Dei trucidatur, nec angelico perit gladio, quod erat commune compluribus, sed parricidio filiorum: qui cum fugissent in terram Ararath, quod intelligitur Armeniæ; successit in patris locum Asaraddon, quem scriptura testatur misisse habitatores Samariæ, ne terra remaneret inculta. Araath autem regio in Armenia in locis campestribus est, per quam Araxis fluit, incredibilis vbertatis, ad radices Tauri montis, qui

G vsque illuc extenditur. Ergo & arca in qua liberatus est Noe cum liberis suis, cessante diluuio, non ad montes generaliter Armeniæ, delata est, sed ad montes Tauri altissimos, qui Ararath imminet campis.

CAP. XX.

I*N diebus illis ægrotauit Iezechias vsque ad mortem, & venit ad eū Isaias filius Amos propheta, dixitque ei: Hæc dicit Dominus Deus: Præcipe domui tuæ, morieris enim tu & non viues.*] Ne eleuaretur cor Iezechiæ, post incredibiles triumphos, & de media captiuitate victoriam, infirmitate corporis visitatur, & audit se esse moriturum: Vt cōuersus ad Dominum flectat sententiam eius. Quod quidē & in Iona propheta legimus; & in comminationibus contra Dauid, quæ dicuntur futura, nec facta sunt, non Deo mutante sententiam, sed prouocante humanum genus ad notitiam sui. Dominus pœnitens est super malitiis, nulla quæ in hoc mundo hominibus fiunt; absque omnipotentis Dei occulto consilio veniunt. Nam cuncta

H Deus sequutura præsens ante secula decreuit, qualiter per secula disponantur. Statutum quippe iam hominibus est; vel quantum huius mundi prosperitas sequitur quantūue aduersitatis feritas feriat, nec electos eius, aut immoderata prosperitas eleuet, aut nimia aduersitas grauet. Statutū quoque est, quantum in ipsa vita mortali, temporaliter viuatur, nam etsi annos quindecim Iezechiæ regi ad vitā addidit omnipotens Deus; cum eum mori permisit, tunc præsciuit esse moriturum: qua in re quæstio oritur, quōmodo ei à propheta dicitur: [*Dispone domui tuæ quia morieris tu & non viues.*] Cui cum mortis sentētia dicta est, protinus ad eius lachrymas est vita addita. Sed per prophetam Dominus dixit, quo tempore mori ipse merebatur, nec dominica instituta conuulsa sunt, qui autem ex largitate Dei anni vitæ crescerent, hoc quoque ante secula præfixum fuit, atque spatium vitæ quod inopinati foris est additum, sine augmento præsenti fuit intus statutum. [*Qui conuertit faciem suam ad parietem &*

orauit

A *orauit Dominum dicens.*] Conuertitque Iezechias faciem suam ad parietem, quia ad templum ire non poterat. Ad parietem autem templi iuxta quod Salomon palatium extruxerat: vel absolute ad parietem, ne lachrymas suas assidentibus ostentare videretur. Aut certe iuxta Ieremiam ad cor suum, qui idcirco parietem cor appellat, vt tota mente Dominũ deprecaretur. [*Obsecro domine, memento quomodo ambulauerim corã te in veritate, & in corde perfecto, & quod placitum est coram te, fecerim.*] Felix conscientia quæ afflictionis tempore bonorum operum recordatur.

Matt.5. Prou.10. 2.Par. 29.

Beati enim mundo corde quoniam ipsi Deum videbunt. Et quomodo alibi scriptum est: *Quis gloriabitur purum se habere cor?* quod ita soluitur: perfectionem cordis in eo nunc dici, quod idola destruxerit, templi quoque valuas aperuerit, serpentem æneum comminuerit, & cætera fecerit quæ scriptura commemorat. Plerumque aliquibus iusti necessitatibus afflicti sua opera coguntur fateri, sed cum eorum dicta iniusti audiunt

B hæc per elationem potius, quam per veritatem existimant prolata. Ex suis enim cordibus verba iustorum pensant, & dici humiliter posse vera bona non æstimant Sicut grauis culpa est, sibi hoc hominem arrogare quod non est, sic plerumque culpa nulla est, si humiliter bonum dicat quod est. Vnde sæpe contingit vt iusti & iniusti habeant verba similia, sed tamen cor semper dissimile longe, & in quibus dictis Dominus ab iniustis offenditur, in eisdem quoque à iustis placatur. Nam Pharisæus ingressus templum, dicebat: *Ieiuno bis in sabbatho, decimas do omnium quæ possideo, sed iustificatus magis publicanus quam ille .xiii.*

Luc.18.

Iezechias quoque rex cum molestia corporis afflictus ad extremitatem peruenisset, in oratione compunctus dixit: [*Obsecro Domine, memento quomodo ambulauerim coram te in veritate & in corde perfecto.*] Nec Dominus hanc confessionem perfectionis eius despexit aut renuit, quem mox in suis precibus exaudiuit. Ecce pharisæus se iustificauit in opere. Iezechias iustum se asseruit etiam in cogitatione. Atque vnde ille

C offendit, inde iste Dominum placauit. Cur itaque hoc? nisi quia omnipotens Deus singulorum verba ac cogitationes pensat, & in eius auribus superba non sunt quæ humili corde proferunt? [*Fleuitque Iezechias fletu magno. Et antequam egrederetur Isaias mediam partem atrij factus est sermo Domini ad eum, dicens: Reuertere & dic Iezechiæ duci populi mei: Hæc dicit Dominus Deus patris tui Dauid, Audiui orationem tuam, vidi lachrymam tuam & ecce sanaui te. Die tertio ascendes templum Domini, & addam diebus tuis quindecim annos. Sed & de manu regis Assyriorum liberabo te, & ciuitatem hanc, & protegam vrbem istam propter me & propter Dauid seruum meum.*] Fleuit autem fletu magno propter promissionem Domini ad Dauid, quam videbat in sua morte perituram. Eo enim tempore Iezechias filios non habebat, nam post mortem eius Manasses cum duodecim annorum esset regnare cœpit in Iuda. Ex quo perspicuum est post tertium annum concessæ vitæ, Manassen esse generatum. Ergo iste omnis est fletus, quod desperabat Chri-

D stum de suo semine nasciturum. Quamuis alij asserunt sanctos viros, non terreri propter incertum iudicij, & ignorationem sententiæ Dei, quam sedem habituri sint, simulq; facti quæstio soluitur, ac necessitatis vincula atque causarum, quod nequaquam dies mortis singulis præstituta sit, sed voluntate Dei & ignotis mortalibus causis, vel viuat aliquis vel moriatur. Præsertim cum & statuta nunc mortis necessitas differatur, & post mortem resuscitatos plurimos legamus. Reuertitur autem ad regem Propheta Domini iussione, vt ipse sanaret qui percusserat, & vocatur Iezechias dux populi mei, & filios Dauid, cuius opera sectabatur, fecerat enim rectum iuxta omnia quæ fecerat Dauid pater eius, & auditur eius oratio, videnturque lachrymæ, quoniam ambulauerat coram Domino in veritate, & in corde perfecto. Et fleuerat fletu magno, & quod placitum erat in oculis eius fecerat. Adiiciunturque quindecim anni ad vitam, quos ille non postulauerat, & in superuiuente illo regni securitas repromittitur. Sin autem (vt quidam putant) in

E corpore viuere condemnatio est, & iuxta illod quod dicitur, *Reuertere anima mea in requiem tuam.* Et in alio loco: *Educ de carcere animam meam*; optanda est mors, vt de carcere liberemur quomodo nunc donat pro beneficio, vt qui liberandus erat adhuc quindecim annis viuat in carcere? *Dixitque Isaias: Afferte massam ficorum: Quam cum attulissent & posuissent super hulcus eius curatus est.* Aiunt Hebræi verbum schehin (quod prætermisere Septuaginta) hulcus sonare non vulnus. Nam Aquila, Symmachusque & Theodotion ἕλκος interpretati sunt, per quod morbum regium intelligi volunt. Cui cõtraria putãtur vel sumpta in cibo, vel apposita corpori quæcunque sunt dulcia. Ergo vt Dei potentia monstraretur, per res noxias & aduersas, sanitas restituta est. Alij schehin, nõ hulcus, sed apostema suspicantur, quando tumens corpus cocco & computrescente pure impletur, & iuxta artem medicorum omnis sanies siccioribus

F ficis atque contusis, in cutis superficiem prouocatur. Ac per hoc non spernendam esse medicinam, quæ vsu constet & experimento, quia & hanc fecerit Deus. *Dixerat autem Iezechias ad Isaiam: Quod erat signum, quia Dominus me sanabit, & quia ascensurus sum die tertio templum Domini? Cui ait Isaias: Hoc erit signum à Domino, quod facturus sit Dominus sermonem, quem, locutus est. Vis vt ascendat vmbra decem lineis, an vt reuertatur totidem gradibus,* & reliqua.] Datur autem signum vt sol decem gradibus reuertatur quos nos iuxta Symmachum in lineas & horologium vertimus; quos gradus intellexit in lineis, vt manifestiorem sensum legentibus faceret: Siue ita erant extructi gradus, arte mechanica, vt vmbra descendens horarum spatia terminaret. Erat autem hora diei decima quando hoc regi Propheta loquebatur. Vis ergo, inquit, vt ascendat vmbra decem lineis procedente sole supra terram per boreales plagas vsque ad orientem; quod subire terrã iuxta quotidianam consuetudinẽ sui cursus erat facturus: an vt reuertatur vmbra totidem

G gradibus, conuersa retrorsum facie solis, ipsoque per australem plagam ad orientem regresso. [*At rex: Facile est, inquit, vmbram crescere decem lineis, nec hoc volo fiat, sed vt reuertatur retrorsum decem gradibus.*] Vidit namque quia maioris miraculi esse poterat, si sol contrarium suo mori cursum ageret, quam si consueto processu incedens, tametsi multo altius, id est, supra terras elatus ad orientem, quasi secundi diei mane nulla interueniente nocte, facturus aduolaret. Nam & hoc qui in insula Thyle, quæ vltra Britanniam est, vel in vltimis Scytharum finibus degunt, omni æstate diebus aliquot fieri vident: quia sol cætero orbi in occasu & sub terra positus, ipsis nihilominus tota nocte supra terram appareat, & quomodo à parte occidentis ad orientem humilis redeat manifeste videatur donec tempore oportuno toto orbi communi exortu reddatur: sicut & veterum historiæ, & nostri homines æui, qui illis de partibus adueniunt, abundantissime produnt, nunquam autem hi, qui interiora austri incolunt, videre solem per meridianas plagas ad orientem ab occasu redire. Quod signum

H & præsentis temporis & futuri typus erat, vt quomodo sol reuerteretur ad exordium sui, ita & Iezechiæ vita, ad decretos annos rediret: nobisque in hebdomade & ogdoade viuentibus per resurrectionem Christi, vitæ spatia protelentur. Solent sanctorum locorum in hac prouincia monstratores, intra consepta templi ostendere gradus Iezechiæ domus vel Achaz, quod sol per eos descenderit. Sed nunquam ego credo, non dico Achaz qui rex impius fuit, sed cuiuslibet regis iusti domum, fuisse in templo Dei: cum Salomon idcirco Deum inter cætera offendisse dicatur, quod in sublime ædificauerit Mello, vnde atrium templi, deambulans in turre palatij, respicere solitus sit. Solent quidam hos decem gradus linearum ad mysterium Christi transferre, vt vmbras figurarum in descensionem Christi interpretentur, per quos iterum sol iustitiæ Christus, post resurrectionem ascendit. Primus itaque gradus descensionis de Deo in Angelo fuit, quia *magni consilij nuntius erat*, Denique & Iacub sic alloquitur: *Et dixit* (inquit) *Angelus Domini.*

Isaiæ.9. Gen.31.

Ecce

A *Ego sum Deus, cui iunxisti titulum & vouisti votum:* vt, & Angelum & Deum ostenderet. Secundus gradus descen- Cor.10. sionis de Angelo in patriarchis fuit, quia *in omnibus* (vt ait Apostolus) *ipse est operatus.* Tertius in legis dationem, quia & in lege ipse est locutus. Quartus gradus in Iesu Naue, vt populum in terram repromissionis induceret. Quintus in Iudicibus, quia eundem populum per eos ipse regebat. Sextus, in regibus Iudæorum, quia in eis ipse regnabat. Septimus in Prophetis, quia per eos annuntiatur. Octauus in pontificibus, quia ipse est summus sacerdos patris. Nonus in homine. Decimus in passione. Per hos enim decem gradus, quasi per vmbram legis priscæ Christus descendit, ac rursus post resurrectionem suam sol iustitiæ Christus, per eosdem gradus sursum in cœlum ascendit: & omnem vmbram legis veritatis radiis illustrauit, obscura reuelans, clausa reserans, & omnia tecta denudans. [*In tempore illo misit Berodach Baladan filius Baladan, Rex Babyloniorum, litteras & munera ad Ie-* B *zechiam. Audierat enim quod agrotasset Iezechias. Lætatus est autem in aduentu eorum Iezechias, & ostendit eis domum aromatum, & aurum & argentum & pigmenta varia vnguenta quoque & domum vasorum suorum, & omnia quæ habere poterat in thesauris suis. Non fuit verbum quod non monstraret eis Iezechias in domo sua, & in omni pote-* 4. Reg. *state sua.* Supra legimus decimo quarto anno regis Iezechiæ ascendisse Sennachetib regem assyriorum super omnes ciuitates Iuda munitas, & cepisse eas, & postea obsedisse Lachis, transisse Lobnam, misisse Hierusalem partem exercitus sui, cæsaque per Angelum centum octoginta quinque millia exercitus eius, & ipsum fugisse Niniuem, interfectumque à filiis in phano Dei sui, & regnasse pro eo Asaraddon filium eius. Ægrotasse Iezechiam, & recepisse prophetæ nuntio sospitatem, factum signum incredibile, vt sol horarum spatiis reuerteretur ad ortum suum, & pene duplex dies fieret. Nunc legimus quod in tempore illo, hoc est, in eodem anno quo hæc gesta sunt omnia, miserit Berodach Baladan, filius Bala- C dan Rex Babylonis, libros & munera ad Iezechiam, non Asaraddon, qui Sennacherib patri apud Syrios in regnum successerat, de cuius seu morte seu vita, scriptura conticuit. Ex quo perspicuum est, aliud fuisse tunc regnum Assyriorum, & aliud Babyloniorum. Denique Samariam, id est, sex tribus cepere Assyrij, Iudam autem & Hierusalem postea legimus cepisse Chaldæos, quorum Rex Nabuchodonozor fuit. Et quia apud eos astrorum obseruantia est, stellarumque cursus, longo vsu & exercitione cognitus, quod & in domini natiuitate monstratur, intellexerunt solem reuersum, diei spatia duplicata, seruiere ei quem solum Deum, id est, solem putabant. Cumque causas huius miraculi rationemque perquirerent, fama per omnes gentes volitante, didicerunt propter ægrotationem regis Iezechiæ, etiam cursum signi clarissimi commutatum, quam non esse opinationem meam, sed scripturæ sanctæ fidem dicturum verba testantur, quæ dixe- Par. re post alia, *Ipse est Iezechias qui obturauit superiorem fontem aquarum Gihon, & auertit eas subter ad occidentem vr-* D *bis Dauid. In omnibus operibus suis fecit prospere quæ voluit.* Attamen in legatione principum Babylonis, qui missi fuerant ad eum, vt interrogarent de portento quod acciderat super terram, dereliquit eum Deus vt tentaretur, & nota fierent omnia quæ erant in corde eius. Idcirco autem tentationi relictus est, quia post tantam victoriam & solis regressum, & congratulationem regni potentissimi, cor illius eleuatum est. Denique in eodem volumine scribitur: [*Multi deferebant hostias & sacrificia in Hierusalem Domino, & munera Iezechiæ regi Iuda, qui exaltatus est post hæc coram cunctis gentibus. In diebus illis ægrotauit Iezechias vsque ad mortem, & orauit ad dominum. Et exaudiuit eum, & dedit ei signum; sed non iuxta beneficia quæ acceperat, retribuit: quia exaltatum est cor eius. Et facta est contra eum ira, & contra Iudam, & Hierusalem.*]

Rursumque Scriptura sancta elationem cordis eius dicit pœnitentia mitigatam, inferens. [*Et humiliatus est postea, eo quod exaltatum esset cor eius, tam ipse quam habitatores Hierusalem, & idcirco non venit ira super eos do-* E *mini in diebus Iezechiæ.* Lætatus est ergo in aduentum legatorum Berodach, quem patrem fuisse Nabuchodonozor Hebræi autumant, & in datione munerum, & congratulatione sanitatis suæ: ostendit quæ eis iuxta Septuaginta domum νεχωθὰ pro qua Symmachus transtulit, aromatum suorum, & thesauros auri & argenti, & odoramentorum & vnguenti optimi, quod in Hebraico scribitur olei boni, & omnes thesauros vasorum Gazæ, siue vt ibi legitur vasorum suorum. Gaza autem lingua Persarum, diuitiæ nuncupantur, nec est Hebræus sermo, sed barbarus. [*Non fuit* (inquit) *verbum.*] quod iuxta Hebraicam consuetudinem, pro re frequenter accipitur, quod non ostenderet eis in domo sua, & in omni potestate sua. Vnde Dei ira iustissima, quoniam non solum thesauros suos atque palatij, sed & templi ostenderit, quod certe fuit potestatis eius, de cuius valuis atrij laminas ante iam tulerat [*Intrauit autem Isaias propheta ad regem Iezechiam, & dixit ei: Quid dixerunt viri isti, & vnde vene-* F *runt ad te? Et dixit Iezechias: de terra longinqua venerunt ad me de Babylone. Et dixit, Quid viderunt in domo tua? Et dixit Iezechias, Omnia quæcumque in domo mea sunt, viderunt. Non fuit verbum siue res, quam non ostenderim eis in thesauris meis. Et dixit Isaias ad Iezechiam Audi verbum Domini exercituum: Ecce venient dies & auferentur omnia quæ in domo tua sunt, & quæ thesaurizauerunt patres tui, vsque ad diem hanc in Babylonem. Non relinquetur quicquam dicit Dominus. Sed & de filiis tuis qui egredientur ex te, quos genueris, tollent, & erunt eunuchi in palatio regis Babilonis. Et dixit Iezechias ad Isaiam: Bonũ verbum Domini quod locutus est. Et ait: Fiat tantum pax & veritas in diebus meis. Reliqua autem sermonum Iezechiæ, & omnis fortitudo eius, & quomodo fecerit piscinam & aquæductum, & introduxerit aquas in ciuitatem, nonne hæc scripta sunt in libro sermonum dierum Regum Iuda? &c.*]

Tradunt Hebræi ideo ægrotasse Iezechiam, quoniam G propter inauditam victoriam, & Assyrij regis interitum, Exo.14 non cecinerit laudes domino, quas cecinit Moyses Pha- Iudic.5. raone submersu, & Delbora interfecto Sisara: & Anna 1.Reg.2. genito Samuele Vnde commonitum esse fragilitatis suæ, rursumque post corporis sanitatem, & signi magnitudinem, auferri aliquam occasionem superbiæ, quam vt prudens & Dei cultor vitare debuerat, nec monstrare alienigenis diuitias suas, quas Deo tribuente possederat. Ex quo iuxta leges quoque tropologiæ discimus, non Matt.7. *mittendas margaritas ante porcos nec dandum sanctum canibus.* Qui enim fidelis est spiritu, abscondit negotia: & quicunque hoc non fecerit, omnis virtus illius eneruatur, peritque posteritas, & amisso virili robore, in muliebrem redigitur mollitudinem. Ingreditur ergo Isaias ad regem, & quasi nesciens sciscitatur. Quid dixerunt viri isti & vnde venerunt? Duo interrogat, quid locuti sint, & vnde venerint? Ille ad vnum respondit, altero prætermisso, quod cum emphasi & supercilio legendum est. [*De terra longinqua venerunt ad me de Babylone.*] Quod quanto terra longior sit vnde venerunt, tan- H to iste gloriosior, propter quem venerunt, [*Et venerunt, inquit, ad me,*] qui debuerat dicere, venerunt ad glorificandum Deum, pro signi magnitudine de Babylone, quæ vrbs in toto orbe potentissima est [*Rursumque Isaias Quid* (inquit) *viderunt in domo tua?*] Et ille respondit ex parte verum, quod omnia viderint in domo illius, nec fuerit res quam non ostenderit in thesauris suis eis: sed alterum tacet, de quo verebatur offensam, quod ostenderit eis cuncta quæ haberet in potestate sua, haud dubium quin & templi supellectilem, propter quæ Isaias Dei sermone profert sententiam. [*Audi verbum domini* Isaiæ 39. *exercituum: Venit tempus quando omnia hæc quæ in domo tua sunt, & non tuo, sed patrum tuorum labore quæsita sunt, in Babylonem transferantur, & de semine tuo fiant eunuchi in aula regia.* Ex quo Hebræi volunt, Danielem Ananiam, Misaelem, Azariam (qui fuere de semine regio) esse eunuchos, quos in ministerio Nabuchodonosor fuisse non dubium est. [*Dixitque Iezechias: Bonum verbum Domini*

A *quod locutus est.*] In quo ab Hebræis reprehenditur, cur
non sit imitatus bonitatem Moysi, qui locutus ad domi-
num est. Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis
Rom. 9. dele me de libro tuo quem scripsisti. Vnde & Aposto-
lus anathema vult esse, à Christo pro fratribus suis,
qui sunt Israelitæ. Hæc itaque senteria prophetæ ad Ieze-
chiam, mystice contra hypocritas prolata accipi potest:
qui post magnas virtutes decrescunt, quia cauere mali-
gnorum spirituum insidias negligunt, & cælari in eisdem
virtutibus nolunt, bona sua ostendendo, hostium faciunt:
& imprudentes subito amittunt, quicquid diutius studen-
Psal. 77. tes operantur. Hinc per Psalmistam dicitur: *Tradidit in
captiuitatem virtutem eorum, & pulchritudinem eorum in
manus inimici.* Virtus quippe & pulchritudo arrogantium
inimici manibus traditur, quia omne bonū quod per cō-
cupiscentiam laudis ostenditur, occulti aduersarij iuri
mancipatur. Hostes namque ad rapinam prouocant, qui
suas eorum notitiæ diuitias denudant: quousque enim
B ab æternæ patriæ securitate desiungimur, in latronum
insidiantium itinere ambulamus? qui enim in itinere de-
prædari formidat, abscondat necesse est bona quæ por-
tat. O miseri, qui affectantes laudes hominum in seme-
tipsis dissipant fructos laborum. Cumque se ostendere
alienis oculis appetunt, damnant quod agunt: quos nimi-
rum maligni spiritus, dum ad iactantiam prouocant, eorū
(sicut diximus) opera hostes denudāt. Hinc est enim quod
Matt. 6. per Euangelium veritas dicit, *Nesciat sinistra tua quid fa-
ciat dextera tua, vt sit eleemosyna tua in abscondito, & pa-
Psal. 44. ter tuus qui videt in abscondito reddet tibi.* Hinc est quod
de electorum Ecclesia per Psalmistam dicitur: *Omnis glo-
ria eius filiæ regis abintus.* Hinc Paulus ait: *Gloria nostra
hæc est, testimonium conscientiæ nostræ.* Filia quippe
regum, Ecclesia est, quæ bono opere spiritualium fi-
liorum sit prædicatione generata: gloriam intus ha-
bet, quia hoc quod agit, in ostentatione iactantiam
non habet. Gloriam suam Apostolus, testimonium
conscientiæ, commemorat, quia fauorem alieni oris
C non appetit, vitæ suæ gaodia extra semetipsum pone-
re ignorat. Occultanda sunt ergo, quæ agimus,
ne hæc in huius vitæ itinere incaute portantes, latroci-
nantium spirituum incursione perdamus.

CAP. XXI. & XXII.

D*Ormiuitque Iezechias cum patribus suis, & regnauit
Manasses filius eius pro eo. Duodecim annorum erat
Manasses cum regnare cœpisset, & quinquaginta quinque
annis regnauit in Ierusalem* &c.] Post mortem ergo Ieze-
chiæ narrat scriptura Manassem filium eius regnasse in
Ierusalem. Qui cum ad idola colenda, & abominatio-
nes faciendas, se converteret, relinquens Deum patrum
suorum & bona exempla, quæ in genitore suo Iezechia
conspexerat.] *Locutusque est Dominus ad eum, & ad po-
pulum eius, & attendere noluerunt. Idcirco superinduxit
eis principes exercitus regis Assyriorum, ceperuntque Ma-
nassen, & vinctum catenis atque compedibus, duxerunt
D in Babylonem. Qui postquam coangustatus est, orauit
Dominum Deum suum, & egit pœnitentiam valde coram
Domino Deo patrum suorum. Deprecatusque est eum, &
obsecrauit intente, & exaudiuit orationem eius, reduxit-
que eum in Ierusalem inregnum suum, & cognouit Ma-
nasses quod Dominus ipse esset Deus.*] Exemplar autem
est hæc pœnitentia Manasse quod post commissa scele-
ra nullus debet de Dei misericordia desperare, sed magis
per pœnitentiam congruam spem habere veniæ, si eam
rite perfecerit. Post hunc regnauit filius eius Amon
idololatra. Post quem Iosias filius eius Rex iustissimus
regnauit, qui omnem spurcitiam idolorum quam pa-
tres sui fabricauerunt, emundauit, & se in Dei cultu
strenue exercuit. Et merito, quia longe ante hoc de illo
prædictum est per prophetam. Interpretatur autem Io-
sias cuius est sacrificiū domino, vel salus domini, vel Do-
mini fortitudo. Quod antē sequitur de eodem rege, quod
audito libro legis domini, quem Helchias sacerdos in-
uenit in domo domini, scidisset vestimenta sua, & mi-
sisset Helchiam sacerdotem & cæteros qui subsequen- E
ter annumerantur, ad Oldam prophetam vxorem Sel-
lum, quæ habitabat in Hierusalem in secunda. Quid si-
gnificet illud quod dicitur, in Secunda, in libro Paralip. 2. Par. 32.
declaratur, vbi scriptū est de præfato Rege Iezechia, *Ædi-
ficauit quoque agens industrie omnem murum, qui fuerat dis-
sipatus, extruxitque turres desuper, & forinsecus alterum
murum.* Meminit huius loci & Sophonias, dicens: *Vox* Soph. 1.
clamoris à porta piscium & vlulatus à Secunda: pro quo
vetus editio quasi proprium nomen loci transtulit, *in
Masena.* Masena quippe interpretatur secunda. Quod
ergo dicitur prophetissam habitasse *in Secunda*, in secun-
di muri parte intellige. Quod dicitur de Iosia rege:
[*Contaminauit quoque Tophet, quod est in conualle filij
Ennom, vt nemo consecraret filium suum aut filiam per ignē
Moloch.*] Frequens est in scripturis horum mentio loco-
rum, maxime in libro regum & Ieremia propheta. Est
autem vallis Ennom, siue filij Ennom iuxta murum Ieru-
salem contra orientem, in qua nemus pulcherrimum F
Siloe fontibus irrigatur. Tophet autem siue Tophet
(vtrumque enim scribitur) erat locus in eadem conualle
iuxta piscinam fullonis, cuius meminit scriptura, &
iuxta agrum Aceldema, qui vsque hodie monstratur ad
australem plagam montis Sion. Solebant autem in To-
phet (quia locus erat amœnissimus, vnde hodie quæ hor-
torum præbet delicias) posita ara sacrificare dæmonibus,
nefandoque igne suos consecrare liberos, siue holocau-
stum offerre: sicut in libro verborum dierum de Achaz 2. Par.
rege scriptum est: *Ipse est, qui adoleuit incensum in valle* 28.
Benennon, & lustrauit filios suos in igne. Benennon siqui- Matth. 5.
dem, Ennon significat, vallis autem Ennon dicitur He-
braice Benennon, cuius nomine in nouo testamento pœ-
na inferorum gehenna cognominatur. Quia nimirum
sicut in conualle Ennon qui idolis seruierunt, ita in ea,
prophetis attestantibus, pœnitentia peccatores ex his
quæ peccauerunt æterna damnatione punientur. Deni-
que Ieremias cum referret præcepisse sibi dominum ac Ier. 19.
dixisse, *egredere ad vallem filij Ennon, quæ est iuxta introi-* G
tum portæ fictilis. Paulo post dicit: *& non vocabitur locus
iste amplius Thophet & vallis filij Ennon, sed vallis occisio-
nis: & dissipabo consilium Iuda & Ierusalem in loco isto,
& subuertam eos gladio.* Isaias quoque manifestissime Tho- Isaiæ 30.
phet infernum appellat. Qui cum perpetuum diaboli in-
teritum, sub nomine Assur, describeret, dicens: *A voce
enim domini pauebit Assur virga percussus, & erit transi-
tus virgæ fundatus, quam requiescere faciet Dominus super
eum:* statim quomodo, & vbi esset periturus, subdidit,
dicens: *Præparata est enim ab heri Thophet, à rege præpa-
rata, profunda, & dilatata.* Pulchre, ait: *& dilatata*, quia
Thophet dicitur *latitudo. Nutrimenta*, inquit, *eius, ignis, &
ligna multa, flatus domini sicut torrens sulphuris, succendens
eam.* Contaminauit autem Iosias Tophet, vel ossa mor-
tuorum ibi, (sicut in sequentibus de aliis idolorum locis
fecisse legitur) vel alia quælibet immunda dispergens,
quatenus abominationi potius, quam delectationi aptus
omnibus qui aspicerent locus appareret. Quod sequitur
de eodem rege Iosia. H

CAP. XXIII.

A*Bstulit quoque equos quos dederant reges Iuda soli in
introitu templi Domini.*] Et paulo post, [*Currus au-
tem solis combussit igni.*] Ostendit omni gentium idolola-
trarum superstitioni, Iudæos eo tempore fuisse manci-
patos, ita vt in venerationem solis, quem more gentilium
Deum esse credebant, simulacro eius quod fecerāt, currus
equosque subdiderint; & hoc in atriis templi Domini.
Sic enim solent gentiles pingere, vel facere simulacrum
solis, vt puerum imberbem in curru ponentes, equos
eidem quasi cursu cælum petentes subiungant. Cui
propterea pueri aptant imaginem, quia sol velut quoti-
die nouo ortu natus, in nullum plane senium incidit.
Vt autem idem currus & equos tribuant, de miraculo
est sumptum Eliæ Prophetæ, qui à curru igneo, &

equis

Digitized by Google

A equis igneis, est raptus ad cœlum, vt Ioannes Constantinopolim Episcopus æstimat. Quia enim græce ἥλιος dicitur sol, sicut & Sedulius cum de Eliæ ascensu caneretur, dicens, ostendit:

Sedulius.

Quam bene fluminei prælucens semita cœli,
Conuenit Elia meritoque & nomine fulgens.
Hac ope dignus erat, quoniam sermone Achiui.

Vna per accentum mutetur littera sol est. Audientes Græci ab Israëlitis, quos diuinas habere litteras fama prodebat, prædicari quod Elias curru igneo & equis sit igneis ad cœlestia translatus, vel certe hoc ipsum inter alia depictum in pariete videntes, crediderunt (vicinia decepti nominis solis) hic transitum per cœlos esse designatum & miraculum diuinitus factum Dei, mutarunt in argumentum erroris, humana stultitia commentatum. Quos imitati ipsi Iudæi saregerunt, ne in aliquo gentilium, stultissimis minus stulti apparerent. Quod paulopost de eodem rege dicitur: B [*Excelsa quoque quæ erant in Hierusalem, ad dexteram partem montis offensionis, quæ ædificauerat Salomon Rex Israël, Astaroth idolo Sidoniorum, & Chamos offensioni Moab, & Melchom abominationi filiorum Ammon polluit Rex, & contriuit statuas.*] Luce clarius est, quod excelsa nominare solet scriptura, loca in collibus posita frondentibus, in quibus vel dæmonibus immolabant vel domino, locorum amœnitate allecti, contra interdictum, relicto altari quod erat in templo, hostias offerebant. Vnde sæpius in hoc libro de regibus qui minus perfecte iusti fuere, dicitur, veruntamen excelsa non abstulit. Montem autem offensionis, montem idoli dicit, quia nimirum consuetudinis est scripturarum, offensionem, idola nuncupare, quia vel in illis offenditur Deus, vel offensionem & ruinam suis afferunt cultoribus. Sicut in hac ipsa sententia subsequenter intimatur, dum dicitur: [*quæ ædificauerat Salomon Rex Israel Astaroth idolo Sydoniorum, & Chamos offensioni Moab, & Melchom abominationi filiorum Ammon polluit rex.*] Vbi hoc quoque, ni fallor, palam ostenditur C (quod vtinam non ostenderetur, quia videlicet Salomon de admisso idololatriæ scelere nunquam perfecte pœnituit: nam si fructus pœnitentiæ dignos faceret, satageret ante omnia, vt idola quæ ædificauerat, de ciuitate sancta tollerentur: & non in scandalum stultorum, quæ ipse cum fuisset sapientissimus, erronea fecerat, quasi sapienter ac recte facta relinqueret. Meminit supra & huius loci scriptura, dicens: *Tunc ædificauit Salomon fanum Chamos, idola Moloch in monte, qui est contra Hierusalem, & Moloch idolo filiorum Ammon.* (3. Reg. 11.) Nec videri contrarium debet, quod ibi mons in quo facta sunt hæc idola, contra Hierusalem, hic in Hierusalem esse positus asseritur: quia nimirum in tanta erat vrbis vicinia positus, vt ad ipsam pertinere, & ipsam quoque sordibus, quæ in eo congregabantur, attaminare videretur. [*Et conuersus Iosias, vidit ibi sepulchra quæ erant in monte, misitque & tulit ossa de sepulchris, & combussit ea super altare, & polluit illud.*] Cur autem Iosias ossa mortuorum concremari iussit super altare, nisi vt ostenderet, D quod profana fuerunt eorum sacrificia? & non solum pecudum hostias dæmoniis offerebant, sed etiam semetipsos per errorem idololatriæ in potestatem dæmonum tradiderunt: qui iusto Dei iudicio simul cum altare, quod idolis fabricauerant, dissipandi erant. Mystice autem significant omnes, qui diaboli seruitio mancipati, vitam sacrilegam temporaliter finierant, æternis cruciatibus consumendos, Deo illis retribuente secundum propria merita operum illorum. [*Reuersusque est Iosias Hierusalem, & præcepit omni populo, dicens: Facite phase Domino Deo vestro, secundum quod scriptum est in libro fœderis huius*, &c.] (2. Par. 35. 3. Esdr. 1.) Quod autem prædictus rex eiectis idolis de terra, necnon phytonibus & ariolis, & omnibus immunditiis atque abominationibus ablatis, in octauodecimo anno regni sui Domino phase celeberrimum fecisse legitur, moraliter docet nos, vt purgemus primum terram cordis nostri ab omnibus vitiis, & mundemus actus nostros ab omni inquinamento peccatorum, & ab operibus mortuis, vt seruire possimus Deo viuenti, sicque gratum Domino celebremus E pascha, Non vtique in fermento malitiæ & nequitiæ, sed in azymis synceritatis & veritatis. (1. Cor. 5.) Secundum autem allegoriam Iosias iste typum tenet domini saluatoris, qui salus & fortitudo Domini merito dicitur, quia ipse est de quo scriptura dicit: *Dominus fortis Dominus potens in prælio.* Et alibi: *Ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum.* (Ps. 23.) Ipse quidem zelo Dei mundat terram Iuda & Hierusalem ac omnibus immunditiis & abominationibus, qui per prophetam dixit: *Zelus Domus tuæ comedit me.* (Ps. 68.) De quo & Ioannes ait: *Cuius ventilabrum in manu sua, & purgabit aream suam.* (Matt. 3.) De quo & Malachias dicit: (Malac. 3.) *Ecce venit dicit Dominus exercituum: Et quis poterit diem cogitare aduentus eius, & quis stabit ad videndum eum? ipse enim quasi ignis conflans, & quasi herba fullonum, & sedebit conflans, & emundans argentum, & purgabit filios Leui. Et conflabit eos quasi aurum & quasi argentum & erunt domino offerentes sacrificia in iustitia. Et placebit* F *Deo sacrificium Iuda & Hierusalem, sicut dies seculi, & sicut anni antiqui. Et accedam ad vos in iudicio, & ero testis velox maleficis, & adulteris & periuris, & qui calumniabantur mercedem mercenarij, & humiliabant viduas & pupillos, & opprimunt peregrinum nec timuerunt me dicit Dominus exercituum.* Celebrat ergo Iosias noster verum pascha in octauo decimo anno regni sui, quando in octaua ætate generali resurrectione perpetrata, sanctos suos cum perfectione bonorum operum, perducit ad æternæ beatitudinis denarium accipiendum, eiectis prius omnibus scandalis de regno eius: De quo prædictus propheta ait: *Ecce enim dies veniet succensa quasi caminus, & erunt omnes superbi: & omnes facientes impietatem stipula.* (Malac 4.) *Et inflammabit eos dies veniens dicit Dominus exercituum, quæ non derelinquet eis radicem & germen. Et orietur vobis timentibus nomen meum sol iustitiæ, & sanitas in pennis eius. Egrediemini & salietis quasi vituli de armento, & calcabitis impios cum fuerint cinis sub planta pedum vestrorum.* Et recte dictum est quod non factum fuerit phase tale à diebus iudicum, qui iudicauerunt Israël, & omnium G dierum regum Israël, & regum Iuda, sicut in octauo decimo anno regis Iosiæ in Hierusalem: quia ablatis figuris veraciter in die iudicij transibunt sancti de morte ad vitam, de corruptione ad gloriam. Sicque in conspectu conditoris sui in cœlesti Hierusalem in æternum gaudebunt: quia videbitur Deus deorum in Sion, *Et ciuitas illa non eget sole neque luna vt luceant in ea. Nam claritas Dei illuminabit eam, & lucerna eius est agnus, & ambulabunt gentes in lumine eius, & reges terræ afferent gloriam suam & honorem in illa, & portæ eius non claudentur per diem, nox enim non erit illic, & afferent gloriam & honorem gentium in illam. Nec intrabit in eam aliquid coinquinatum, & faciens abominationem & mendacium, nisi qui scripti sunt in libro vitæ agni.* (Apoc. 21.) *Et nomen ciuitatis ex illa die Dominus ibidem, Benedictus Dominus quoniam mirificauit misericordiam suam, in ciuitatem circumstantiæ* (Ps. 30.) [*Occisoque itaque Iosia rege in Mageddo, tulit populus terræ Ioachaz filium Iosiæ, & vnxerunt eum, & constituerunt eum regem pro patre suo. Quem Pharao Necho vinxit in Rebla, & duxit in* H *Ægyptum. Et imposuit mulctam terræ centum talentis argenti, & talento auri, Regemque constituit Eliachim filium Iosiæ pro Iosia patre eius, eratque nomen eius Ioacim.* Quid autem interfectio Iosiæ significat, qui à Pharaone Necho interemptus est in Mageddo, nisi persecutionem antiqui hostis aduersus sanctos prædicatores? quos per inuidiam occidi tradere molitur, & auferre de terra Ecclesiæ conatur, quatenus facilius totam plebem dissipare & inuadere possit: interpretatur Pharao dissipans, Necho percussio, Mageddo tentatio est. Permissus quippe diabolus consurgere aduersus sanctos hoc solummodo agit, hoc totis viribus certat, quatenus tentando gregem domini percutiens dissipet, eosque primum auferat, quorum solatio adiuti contra hostem dimicare debuerant. [*Tulitque populus terræ Ioachaz filium Iosiæ & vnxerunt eum, & constituerunt eum regem pro patre suo.*] Ioachaz qui interpretatur retentus, signat malos doctores, quos populus terræ, carnales videlicet, terrenæ cupiditati dediti, secun-

dum mores suos consentientes vitiis suis personas eligunt: [*Quos Pharao in Rebla vinxit, & in Ægyptum duxit,*]seu diabolus per multitudinem adulatorum eneruans decipit corda prælatorum, Rebla enim *multitudo* interpretatur, sicque in spiritualis Ægypti vinctos catenis peccatorum tenebrosam mergit abyssum. [*Porro Pharao quoque Necho Ioachim regem constituens, imposuit mulctam terræ centum talentis argenti, & talento auri.*] Cum malignus spiritus pensum seruitus sui in populo prædictorum experit, vt tam sensu quam eloquio eius per omnia parati sint obsequio. Vnde Ioacim iuxta præceptū Pharaonis, vnomquemque secundum vires suas exegit, vt daret tam argētum quam aurū, quatenus hoc redderet Pharaoni, quia diabolus per sibi deditos viros, ab vnoquoque exigit secundum vires suas peccati censum soluere, sicque in nequiter prælatis, quotidie præparat perditionem subiectis.

CAP. XXIV.

IN *diebus illis ascendit Nabuchodonozor Rex Babylonis, & factus est ei Ioacim seruus tribus annis, & rursum rebellauit contra eum* &c.]Cum semet quis cuilibet se mancipatit vitio non vni, sed multis dominis obnoxios erit. Vnde Ioacim quem Pharao ante censum sibi soluere coëgit, nunc Nabuchodonozor Rex Babylonia sibi seruire tribus annis compellit. Sed quem Nabuchodonozor alium intelligimus, nisi eundem quem Pharaonem esse diximus, principem videlicet confusionis, & rectorem tenebrarum harum? Ergo cum antiquus hostis aliquem sibi censum peccati soluere persuadet, mox totum in dominum suum redigere, & plenum seruitium expendere, admonet. Quid est ergo aliud, tribus annis regi Babylonis seruum esse quam suasione, delectatione, atque consensu antiquo hosti subditum fieri, & totum in vitiis deditum, quasi libere ab eo possideri? sed sæpe contingit quod tales per Dei misericordiam admoniti, rebellare contra nequam spiritum meditentur: Hinc est quod subditur, [*rursum rebellauit contra eum.*] Nec tamen sufficit rebellare, si non perseuerauerit in certamine. Qui enim ab antiqui hostis potestate se exuere desiderat, necesse est, vt fortiter contra eum dimicet, & adiutorium à summa potentia assiduis precibus imploret, quatenus diuina gratia adiutus, hostem fortissimum superare, & iugum durissimum euadere, queat. [*Post Ioacim autem regnauit Ioachin filius eius pro eo. Et fecit malum coram Domino, iuxta omnia quæ fecerat pater eius. In tempore illo ascenderunt serui Nabuchodonozor regis Babylonis in Hierusalem, & circumdata est vrbs munitionibus. Venitque Nabuchodonozor Rex Babylonis ad ciuitatem cum seruis suis, vt oppugnarent eam. Egressusque est Ioachin Rex Iuda ad regem Babylonis ipse & mater eius, & serui eius, & principes eius, & eunuchi eius, & suscepit eum Rex Babylonis anno octauo regni sui. Et protulit inde omnes thesauros domus Domini, & thesauros domus regiæ, & concidit vniuersa vasa aurea, quæ fecerat Salomon Rex Israël in templo Domini, iuxta verbum Domini. Et transtulit omnem Hierusalem, & vniuersos principes, & omnes fortes exercitus, decem millia in captiuitatem, & omnem artificem & clusorem, nihilque relictum est, exceptis pauperibus populi terræ. Transtulit quoque Ioachin in Babylonem, & matrem regis, & vxores regis, & eunuchos eius, & iudices terræ duxit in captiuitatem de Ierusalem in Babylonem, & omnes viros robustos septem millia, & artifices & clusores mille, omnes viros fortes & bellatores, duxitque eos Rex Babylonis captiuos in Babylonem.*] Quod refertur de Nabuchodonozor, quia transtulit omnem Hierusalem, & vniuersos principes, & omnes fortes exercitus decem millia in captiuitatem, addidit scriptura, dicens [*& omnem artificem & clusorem.*]Hoc est, quod supra populo Israël Philistiim regnantes fecisse narrantur, cum dicitur, [*Porro faber ferrarius non inueniebatur in omni terra Israël. Cauerant enim Philistiim, ne forte facerent Hebræi gladium, aut lanceam.*] Sicut enim tunc illi cauerant ne habentes fabros ferrarios Hebræi, arma ad repugnandum facerent, ita nunc Chaldæi destructa

1. Reg. 13

Hierusalem, & vastata omni terra repromissionis, satagunt, vt nullus in ea remaneat artifex, nullus clusor, qui vel fœdata vrbis mœnia componere, vel possit resarcire disrupta, quin potius quicquid apud gentem exterminatam artis manserant, totum Babyloniam transferunt, vt vel ad nihilum valeat vltra, vel illius ciuitatis vtilitatibus proficiat, cum iuxta deflendæ historiæ (quia multum negligentiæ nostri temporis congruit) non opinor allegoriam esse reticendam. Constat namque quia Hierusalem & terra Israel, ciuitatem Christi, id est sanctam Ecclesiam: Babylonij autem & Chaldæi, siue Philistæi, ciuitatem diaboli, id est omnem malignorum, siue hominum, seu Angelorum multitudinem designat. Seruitque Israël Philistæis siue Caldæis, cum fideles quique nominetenus in Ecclesia consistentes, cæterorum ab immundis vel spiritibus vel hominibus decepti, aut auaritiæ, aut luxuriæ, aut alteri cuilibet peccato mentis colla submittunt. Abducit autem Nabuchodonosor regem Hierusalem, & vniuersos principes fortes exercitus decem millia in captiuitatem, cum & magistros populorum & eos qui inuincibili animo domino seruire, ac decalogum legis fideliter videbantur in Dei ac proximi amore conseruare, subito siue illecebris mundi, seu aduersitatibus subacti, aut maioribus se facinoribus polluunt, aut certe in hæresim declinando, apertæ apostasiæ notam incidunt. Arma vero quibus contra diabolum repugnantes libertatem à Deo nobis donatam defendamus, quæ sunt alia nisi eloquia scripturarum? in quibus & ipsius Domini & sanctorum eius exemplis, quo ordine bella vitiorum superari debeant, luce clarius discimus. Sed Philistæi filios Israël fabris armorum priuant, cum maligni spiritus animos fidelium à meditatione sacræ lectionis, secularia illis negotia inferendo, retardant: ne vel ipsi per huius exercitium resistendi fiduciam sumant, vel alios forte qui legere nesciunt, ad resistendum vitiis exhortando, aut corripiendo accedant. [*Tollunt fabros armorum,*] cum eos qui sacra eloquia norunt, intantum sceleribus obruunt, vt dicere bona quæ didicerant prorsus erubescant. [*Transferunt omnem artificem & clusorem de Hierusalem in Babyloniam.*] Cum eos qui multifaria virtutum operatione pluribus prodesse, & ciuitatem Dei contra corruptiones tentationum munire solebant, à proposito deflectunt, atque ingenium quod tuitioni sanctæ Ecclesiæ impendere debuerant, ad voluntatem potius regis vitiorum dispensare compellunt. Quod si clusorem hoc loco, non ostiorum siue murorum, sed auri potius gemmarumque intelligere voluerimus, ad vnum profecto eundemque spiritualis expositio finem respicit. Dictum quippe est de sapientia, quia aurum & multitudo gemmarum ei non valeat comparari, atque ideo clusores horum, non alios aptius quam doctores intelligere valemus. Qui quamdiu recte viuunt ac docent, in ornatum sanctæ ciuitatis industriam sanctæ artis impendunt. At si forte errauerint, quid nisi à rege Chaldæorum captiui Babyloniam transferuntur? & quoniam artificem elusorem ab Hierosolymis Babyloniam transmigrati, hoc est, talentum verbi cælitus acceptum in terra defodi, id est, scientiam spiritualem ad peccatorum opera conuerti, intelligendum est: omnesque viros fortes & bellatores simul in captiuitatem doctos, hoc est, eos qui videbantur viri fortes esse & bellatores, astutia malignorum spirituum deceptos, atque in carcerem spiritualis Babyloniæ captiuatos, necesse est vt operam demus quatenus sæuissimi regis potestatem euadamus, vigilemus & sobrij simus, timorem Dei semper ante oculos ponamus, & mandatorum eius obliuionem omnino fugiamus. Constituamus nobis terram bonorum operum, & per profectum vitæ in illam conscendamus, induti lorica iustitiæ & galea salutis, habentes scutum fidei, & gladium spiritus quod est verbum Dei. Custodiamus portas sensuum nostrorum, ne mors intret per fenestras. Omni custodia seruemus cor nostrum, quia ipse ex vita procedit, & ante omnia spem nostram in regis cœlestis bonitate ponamus, petentes vt eius gratia à ma- Eph. 6.

lis

A lis omnibus liberemus. Sicque erimus ſemper immunes ab hoſtibus ſpiritualibus, quia Dominus fortitudo plebis ſuæ, & protector ſalutarium Chriſti ſui eſt, qui ſaluat Pſ. 17. omnes ſperantes in ſe. [*Igitur Ioachin captiuato, conſtituit Nabuchodonozor Mathaniam patruum eius pro eo, impoſuitque nomen eius Sedeciam. Viceſimum & primum annum ætatis habebat Sedecias cum regnare cœpiſſet, & vndecim annis regnauit in Hieruſalem. Fecitque malum coram Domino iuxta omnia quæ fecit Ioacim.*] Quid in Sedecia aliud intelligere poſſumus niſi quod in Ioacim ante prædiximus, hoc eſt, malos rectores in Eccleſia, qui munere & dono diuino abutuntur, & falſo ſibi nomen iuſtitiæ vſurpant? Mathania autem interpretatur munus ſiue donum. Sedecias iuſtus Domini, qui vndecim annis regnaſſe dicitur, quod ſignificat eum tranſgreſſorem legis fuiſſe, vndenarius enim numerus qui denarium ſupergreditur, exceſſionem decalogi ſignificat, Nec tite rex dici poteſt, qui ſecundum mandata domini ſemetipſum B & ſibi ſubiectos regere noluerit.

CAP. XXV.

FActum eſt autem anno nono regni eius, menſe decimo, decima die menſis, venit Nabuchodonozor Rex Babylonis, ipſe & omnis exercitus eius in Hieruſalem, & circumdederunt eã, & extruxerunt in circuitu eius munitiones. Et clauſa eſt ciuitas atque vallata, vſque ad vndecimum annum regis Sedeciæ, nona die menſis. Præualuitque fames in ciuitate, nec erat panis populo terræ.* &c. Nouenarius numerus qui minus habet denario, imperfectionem legis ſignificat, ſicut vndenarius tranſgreſſionem, & recte dictum eſt quod Nabuchodonozor in nono anno regni Sedeciæ obſederit ciuitatem, menſe decimo, & decima die menſis, quia mali paſtores, cum decalogi mandata, quæ ſcientia tenent, opere & doctrina perficere negligunt: neceſſe eſt vt plebem ſibi commiſſam antiquus C hoſtis cum ſuo exercitu obſidione circundet, & munitione erroris, ac vitiorum conſtructa, claudat vallando ciuitatem, ſicque fames in ciuitate præualeat, fames vtique verbi Dei, cum non expenditur libere panis doctrinæ populo terræ. [*& interrupta eſt ciuitas, omneſque viri bellatores nocte fugerunt.*] Interrupta quidem per deprædationes varias malignorum ſpirituum cuſtodia populorum, hi qui debuerant armis ciuitatem defendere, nocte ignorantiæ & tenebris peccatorum vallati fugiunt: quia, ſecundum veritatis vocem, Mercenarius & qui non eſt paſtor videt lupum venientem, & dimittit oues Ioan. 10. & fugit, & lupus rapit & diſpergit oues. Et Apoſtolus: 1. Theſſ. 5. *Qui dormiunt, inquit, nocte dormiunt & qui ebrij ſunt, nocte ebrij ſunt.* Quod autem ſequitur, quod per viam portæ quæ eſt inter duplicem murum ad hortum regis fugerint, latenter aperuit inertiam doctorum: qui inter duplicem murum duorum teſtamentorum conſtituti, non belligare, ſed effugere quærunt, & in delitiis magis diffluere, quod hortus ſignificat, quam ſcuto fidei hoD ſtibus obſiſtere. [*Porro Chaldæi obſidebant in circuitu ciuitatem. Fugit itaque Sedecias per viam quæ ducit ad campeſtria ſolitudinis. Et perſecutus eſt exercitus Chaldæorum regem, comprehenditque eum in planitie Iericho, & omnes bellatores qui erant cum eo diſperſi ſunt, & reliquerunt eum,* & reliqua.] Malignis ſpiritibus populum circumdantibus rector fugit, non ad montes, de quibus ſcriptum eſt, montes in circuitu eius, & dominus in circuitu populi ſui: ſed ad campeſtria ſolitudinis, Pſ. 124. hoc eſt, ad dilectionem luxuriæ. Vnde ſcriptum eſt: Matt. 7. *Anguſta & arcta eſt via quæ ducit ad vitam, lata & ſpatioſa quæ ducit ad mortem.* [*Comprehenditque eum in planitie Iericho, & omnes bellatores qui erant cum eo diſperſi ſunt & reliquerunt eum.*] Recte ergo cum virtutes hominem deſerunt, quæ eum defendere debuerant, in planitie Iericho capitur, hoc eſt, in defectione carnalis ſenſus. Iericho enim interpretatur luna, & ſignificat defectum carnis. Vnde ille homo qui Hieruſalem deſcendebat in Iericho, in latrones incidiſſe

E deſcribitur. [*Apprehenſum ergo regem adduxerunt ad regem Babylonis in Reblatha, qui locutus eſt cum eo iudicium, hoc eſt, iuſtum cum eo exercuit iudicium. Filios autem Sedeciæ occidit coram eo, & oculos eius effodit, vinxitque eum catenis, & adduxit in Babylonem.*] Occidit Rex Babylonis filios Sedeciæ in Reblatha coram eo, & oculos quoque illius eruit. Dum Sacra Scriptura Sedeciæ captiuitatem narrat, ordinem captiuitatis internæ denuntiat. Rex quippe Babylonis eſt antiquus hoſtis poſſeſſor intimæ confuſionis: qui prius filios ante intuentis oculos trucidat, quia ſæpe ſic bona opera interficit, vt hæc ſe amittere ipſe qui captus eſt, animus dolens cernat. Nam gemit plerumque animus, & tamen carnis ſuæ delectationibus victus; bona quæ genuit amans perdit, ea quæ patitur damna conſiderat, non tamen virtutis brachium contra regem Babylonis leuat. Sed dum videns nequitiæ perpetratione percutitur, ad hoc quandoque peccati vſu F perducitur, vt ipſo quoque rationis lumine priuetur. Vnde Babylonis rex extinctis prius filiis Sedeciæ oculos eruit, quia malignus Spiritus ſubductis prius bonis operibus, poſt & intelligentiæ lumen tollit, quod recte Sedecias in Reblatha patitur. Reblatha quippe multa hæc interpretatur: etenim quandoque & lumen rationis clauditur, qui prauo & iniquitatis ſuæ multitudine grauatur. [*Vndecimo anno menſe quinto, ſeptima die menſis, (ipſe eſt annus nonus decimus regis Babylonis) venit Nabuzardan princeps exercitus ſeruus regis Babylonis Hieruſalem, & ſuccendit domum Domini, & domum regis, & domos Hieruſalem. Omnemque domum combuſſit igni, & murum Hieruſalem in circuitu deſtruxit omnes exercitus Chaldæorum, qui erat cum principe militum. Reliquam autem populi partem quæ remanſerat in ciuitate, & perfugas qui transfugerant ad regem Babylonis, & reliquum vulgus tranſtulit Nabuzardan princeps militiæ.* &c.] Congruit ergo temporis ordo cum ratione vindictæ. Menſe quinto legiG tur vaſtata eſſe ciuitas, quæ pentateuchum legis ſeruare deſpexit, & ſeptima die menſis, quia Sabbathi requiem non cuſtodiuit, & omnia contraria præceptis diuinis egit fruſtra ſibi blandiens, de ſecuritate pro ſanctorum locorum habitatione. Vnde per Ieremiam Ierem. 7. Dominus dicit: *Nolite confidere in verbis mendacij, dicentes: Templum Domini, Templum Domini, templum domini eſt? Quoniam ſi benedixeritis vias veſtras & ſtudia veſtra, ſi feceritis iudicium inter virum & proximum eius, aduenæ & viduæ, & pupillo non feceritis calumniam, nec ſanguinem innocentum effuderitis in loco hoc, & poſt Deos alienos non ambulaueritis in malum vobiſmetipſis, habitabo vobiſcum in loco iſto, in terra quam dedi patribus veſtris, à ſæculo & vſque in ſæculum.* Ecce vos confiditis vobis in ſermonibus mendacij, qui non proderunt vobis, furari occidere, adulterari, iurare mendaciter, libare Baalim, & ire poſt Deos alienos, quos ignoratis. Et veniſtis, & ſtetiſtis coram me in domo hac, in qua inuocatum eſt nomen meum, & H dixiſtis, Liberati ſumus, eo quod fecerimus omnes abominationes iſtas.

Et nunc quia feciſtis omnia opera hæc dicit Dominus & locutus ſum ad vos mane conſurgens, & loquens, & non audiſtis, & vocaui vos, & non reſpondiſtis, faciam domui huic in qua inuocatum eſt nomen meum in qua vos habetis fiduciam, & loco quem dedi vobis & patribus veſtris, ſicut feci & Silo, & proiiciam vos à facie mea ſicut proieci omnes fratres veſtros vniuerſum ſemen Ephraim. Venit Nabuzardan, qui interpretatur ventilabrum, ſiue prophetia alieni iudicij, iuſti Dei iudicio ſuper peccatores, princeps vtique exercitus regis Babylonis Hieruſalem intelligibilem, & ſuccendit domum Domini, cum antiquus hoſtis, qui & rex confuſionis & princeps omnium iniquorum eſt, tam malignorum ſpirituum quam etiam impiorum hominum, plebem inuadit fidelium, & domum regis & domos Ieruſalem, id eſt rectores, & eos qui videbantur in viſione pacis manere, inflammatos cupiditate ſubuertit,

omnemque domum combussit igni, cum vniuscuiusque conscientia per flammam illiciti amoris perturbauit, & muros Hierusalem in circuitu destruxit, cum intentionem orationis & virtutum studia quæ contra se valere nouit, & inde spirantibus dissoluit, ne per spem veniæ ad diuina succurrant auxilia, & correptionis vitæ apprehendant munimina. [*Populumque in captiuitatem ducens, de pauperibus terræ reliquit vinitores & agricolas.*] quia eos qui vtiles verbo & exemplo esse poterant, per vitia captiuans, stultis & hebetibus commendat agriculturam, quatenus non vinum gratiæ spiritualis, & frumentum sanæ doctrinæ in vineis & agris populorum fructificet, sed spinæ magis & tribuli vitiorum excrescant. [*Columnas autem æreas quæ erant in templo Domini & bases, & mare æreum, quod erat in domo Domini confregerunt Chaldæi, & transtulerunt omne æs in Babylonem.*] Columnas æreas & bases, doctores possumus accipere, qui sonoritate prædicationis & fidei firmitate debuerunt alios sustentare. Mare æreum baptismi lauacrum, vel compunctionem lachrymarum significat. Hæc quidem omnia Chaldæi spirituales per inertiam magistrorum de domo Domini auferre nituntur & confringere, ita vt non remaneat testa, quæ possint igniculus fieri de incendio.] *Ollas quoque æreas & trullas & tridentes & scyphos & mortariola & vasa ærea quibus ministrabant tulerunt.*] Quia diuersa officia in Ecclesiasticis ordinibus de Dei seruitio auferentes in suum vsum nequissimum verterunt. [*Necnon & thuribula & phialas.*] cum orationem qua diuinitas placari potuit, & poculum verbi quibus lassi refocillari debuerant impediendo subuertunt. [*Quæ aurea, aurea: & quæ argentea, argentea tulit princeps militiæ*] quia tam sensum pretiosum quam etiam eloquij venustatem hostis nequam de domo Domini auferre molitur & secum in confusionem ducere. [*Tulit quoque princeps militiæ Saraiam sacerdotem primum, & Sophoniam sacerdotem secundum, & tres ianitores, & ciuitate eunuchum vnum, qui erat præfectus super viros bellatores, & quinque viros de his qui steterunt coram rege, quos reperit in ciuitate, & Sopher principem exercitus, qui probabat tyrones de populo terræ, & sex viros è vulgo, qui inuenti fuerant in ciuitate. Quos tollens Nabuzardam princeps militum, duxit ad regem Babylonis in Reblatha percussitque eos rex Babylonis & interfecit in Reblatha in terra Hemath. Et translatus est Iuda de terra sua.*] Non solum enim populares, sed & fortes & principes in Ecclesia diabolus decipere & peccatis captiuare satagit, vnde de ipso in Iob scriptum est: Escæ eius electæ sunt. [*Tulit quoque Saraiam*] qui interpretatur vinctus. [*sacerdotem primum.*] Cum primum in Ecclesiæ ordinem, qui in Episcopis est, amore voluptatis terrenæ, & vitiorum catena constringit. *Tulit quoque similiter & Sophoniam*, qui interpretatur absconditus. [*sacerdotem secundum.*] cum secundi ordinis viros, hoc est, presbyteros qui talentum verbi Dei, in terra fodientes abscondebant, in suum dominium subigit. [*Et tres ianitores.*] Illos ianitores videlicet, qui ostium fidei aperire debuerant, & tenentes clauem scientiæ, nec ipsi introierunt nec alios introire permiserunt. [*& de ciuitate eunuchum vnum qui erat præfectus super viros bellatores.* Eunuchus iste significat eos quos alibi scriptura sacra *stultas virgines* appellat, quæ vasa oleo vacua, in manibus tenebant, continentes videlicet se à coitu corporali, nec tamen oleum gratiæ & misericordiæ in pectore suo habere volebant. Qui frustra super viros bellatores constituuntur, cum arrogantiam præcauere non meditantur. [*Tulit & quinque viros de his qui steterant coram rege.*] Illos profecto qui quinque sensibus corporis voluptati seruientes, regi vitiorum semper assistebant. [*& Sopher principem exercitus, qui probabat tyrones de populo terræ.*] Sophar interpretatur dissipans vel diuidens, significans eos, qui rudes in Ecclesia quos ad militiam Christi nutrire debuerant, prauis exemplis dissipantes, à cœtu fidelium per errorem sequestrant [*& sex viros è vulgo qui inuenti fuerant in ciuitate.*] hoc (E) est stultos operatores, qui merito vulgi nomine nuncupantur, quia vtilitatem diuinorum consiliorum discere & factis implere neglexerant. [*Hos scilicet omnes tollens Nabuzardam princeps militum duxit ad regem Babylonis in Reblatha, percussitque eos Rex Babylonis, & interfecit in Reblatha in terra Hemath.*] Quia antiquus hostis cum per nequitiam suam talem prædam ab Ecclesia euellens tollit, hoc voto ambit, hoc toto studio agit, vt ad perpetuæ mortis interfectionem eos perducat. Quos percutit rex confusionis in Reblatha, hoc est in multitudine scelerum & amore voluptatum. Vnde scriptura dicit: *Lata & spatiosa via est, quæ ducit ad mortem, & multi sunt qui intrant per eam.* [*Et translatus est Iuda de terra sua.*] cum illi, qui confessionem nominis Dei in Ecclesia videbantur habere, per scelera (F) & peccata multiplicia de terra viuentium translati, in regnum confusionis & erroris abducuntur. Sub (Matt. 7) quo imperio quicumque nequiter seruientes perseuerauerint, nec merebuntur per IESV ducatum regredi in terram Iuda, templumque Domini ibidem reædificare. In posterum namque præsentis vitæ tradentur in carcerem mortis perpetuæ, vbi vermis eorum nunquam morietur, & ignis non extinguetur. Implebiturque eis illa beati Petri Apostoli sententia qua dicit. *Melius quippe erat illis non cognoscere viam iustitiæ, quam post agnitionem retrorsum conuerti ab eo quod illis traditum est, sancto mandato. Quia attestante veritate. Seruus qui scit voluntatem Domini sui, & non facit, vapulabit multis: Qui autem nescit, & non facit, vapulabit paucis.*

Explero tandem tam laborioso opere, auxiliatus (2. Petr. 2) omnipotentis ope, in calce supplex lectorem exoro, vt (si dignum lectione vel transcriptione eum (Luc. 12) duxerit) Domino gratias grataner referat, *qui est* (G) *pater luminis, à quo omne datum optimum, & omne donum perfectum datur*: qui dat abundanter, & non improperat qui mihi licet indigno ac humillimo iuxta solertiam doctorum dedit & amorem & auxilium considerandi mirabilia de lege sua. Quod si secus (Iacob. 1) quam optabam euenisse reperit, simul exoret, vt meæ (Ps 118) ignorantiæ, ac errori, à Domino venia tribuatur, & nullatenus litteratoriam vrbanitatem & venustatem eloquentiæ requirat, sed potius sensum huius operis diligenter perlustret: præsertim cum non res ac sensus propter litteras, sed litteræ ob manifestationem rerum sunt repertæ. Simul etiam velut flexis poplitum genibus cernuus deprecor, vt tandem digneur si aliquid vtilitatis inuenerit, deuotus exorare diuinam clementiam, vt licet in peregrinatione huius labentis seculi, veram commissorum meorum gerere pœnitudinem, & post excursum septem dierum, velut post septuaginta annos huius captiuitatis exutus (H) ab omni potestate regis Babylonij & seruitute captiuantium, valeam iuuante Spiritusancto, qui septiformis dicitur, visionem pacis, cælestis videlicet Hierusalem ac ciuitatis domini, de qua dicitur: Hierusalem quæ ædificatur vt ciuitas) ingredi, & vultum conditoris regis nostri per sæcula contemplari, præstante ipso, in *quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi.*

Amen.

***

ANGELOMI MONACHI Luxouienſis ordinis Diui Benedicti in Cantica Canticorum Enarrationes.

PRÆFATIO ANGELOMI AD LOTHARIVM Imperatorem.

A GLORIOSISSIMO *præſtantiſſimoque Imperatori Lothario ſemper Auguſto Angelomus vltimus, Monachorum exorans exorando exoras nanciſci perennem gloriam.* Nuper excubantē me in veſtro ſacro palatio, ſub obtentu inquā traditionum liberalium artium, enucleationumque

B diuinarū ſcilicet ſcripturarū, dignata eſt veſtra ſagax prudentia, ſicuti non eſt immemor, accerſire veſtræ ſollerti præſentiæ, mecumque habere oraculum. Sed poſt ſpiritualia cæleſtis vitæ colloquia, & ſuffragia orationum placuit imperando, imo * intentando imperare, vt ſtili officio iuxta ſenſum antiquorum patrum, & frugalitatem ingenioli mei opuſculum in Cantica Canticorum Salomonis, vbi Chriſti & Eccleſiæ coniunctio, allegoriarumque myſteria præ cæteris veteris teſtamenti *τοῖς βιβλοις* contineri probantur, digererem & vt (ita dicam) exponere non abnuerem: atque præſentiæ culminis veſtri oſtendere non omitterem, quo haberet crebro poſt diſpoſitionem reipublicæ frequentata, auribuſque lectione relata ſolertia veſtra, in contemplatione ſe extendens à tumultu cauſarum imperij, atque potiſſimum de amiſſione ſanctiſſimæ coniugis Deo annuente (vt credimus) collegio ſanctarum allectæ, alboque beatitudinis inſcriptæ, conſolationis gratia legendo theorica, & velut turtur ſingularis cuius natura eſt (vt phyſici ferunt) ſi ſemel

C coniugem caſu perdiderit, alium non requirere, ſed caſtimoniam ſeruans vidua quodammodo permanere, ſolitarius ingemiſcens, atque pœnitens: de quo in eodē libro legitur: Vox inquit *turturis audita eſt in terra noſtra*, id eſt Chriſti dicentis: *Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cælorum.* Et pulchræ ſunt genæ tuæ vt turturis, imbre lachrymarum genarum tumulis infuſis, preces pro veſtris exceſſibus & abſolutione piiſſimæ imperatricis domino in abſcōdito fundere quiuiſſetis. Quo audito, pōdus tantæ rei expaueſcens, attonitus, immo obſtupefactus admirari cœpi cur clementia veſtra tantum opus viris etiam eruditiſſimis formidandū, mihi indocto, omneſque liberalium artium diſciplinas non nacto atque oraculis Eulogiiſque diuinarum ſcripturarum imbecilli iniungere ſtuduiſſet, cum plures haberet in monarchia doctores qui honeſte & catholice tractare potuiſſent. Sed cenſurā imperij veſtri conſiderans, tacitoque pertractans illud Apoſtolicum quo dicitur: *Eſtote ſubiecti omni humanæ creaturæ propter dominum, ſiue regi tanquam præcellenti, ſiue ducibus, tanquam ab eo miſſis, ſed & poti*us illud dominicum,

D vbi pollicetur: Amen (inquit) *dico vobis, quicquid orantes petitis, credite quia accipietis, & fiet vobis.* Animaduertens quoque interna trutinatione mentis, quod ſine nutu diuino non foret quod a tanta maieſtate imperaretur, temerario ore refragare nullo apologetico anfractuque excuſationis præſumpſi, ſed magis vt quiuerim diuinis fretus ſuffragiis, imperiis imperialibus, quanquam pauidus, obſecundare tentaſſem. Sed non flocci pendens quod ſine magnifici domini & Abbatis mei ſcilicet Drugonis patrui veſtri aſſertionibus, pariterque iuſſionibus ne regularem excedere viderer diſciplinam, & ſtilum appellere ad exarandum debuiſſem, non ſolum quod Caroli magni imperatoris filius, atque frater ſanctiſſimi & piiſſimi genitoris veſtri Ludouici Cæſaris ſed quia ſummus erat pontifex atque abbas meus egregius. Cumque ſacris eius auribus ſuggerēdo intimaſſem, & ordinē rei indicaſſem, quo auribus hauſto non ſolum renuit, verū vt eſt mitiſſimus, & affabilitate laudabilis, benignitate præ-

E ſtantiſſimus, & ad omne bonum feruentiſſimus, more ſuæ modeſtiæ non tantum ingenue libera autoritate imperauit, ſed blanda tranquillitate & pio affatu, vt auguſtale opus, & ſpirituale decus quomodo quiuiſſem aggredi nō abnuiſſem. Quod audiens, ſic iam tandem eius exhortationibus animatus, veſtris almiſicis affaminibus ſanctiſque iuſsionibus adactus potiſsimumque diuinis auxiliis fretus ſanctorumque doctorum orationibus prouocatus, quod ô doctiſsime princeps in doctorum penes nos ſanctorum ſparſim inuenire potero, præſertim in beatiſſimi Papæ Gregorij Romanæ decoris eloquentiæ dictis, quia à nullo ſolum per omnia reperio compactum atque ex traditione magiſtri ingenij mei coniectura ſtilo currente, commatico potius compendioſoque ſermone, licet impolito aggredi tentabo, & in libelli modum finire conabor, vt habeat veſtra celſitudo velut enchiridion, hoc eſt, manualem quodammodo libellum excerptum, quem congruis horis lectitare Deo fauente poſt ſtudia imperij, poſt ſol-

F licitudines Eccleſiæ ad conſolationem diuinarum ruminando complaceat. Et quia campos diuinarū ſcilicet ſcripturarum non valet percurrere latiſſimos breuiter ſaltem ſtromata noſtra non pigeat ſcrutari quietus. Sed ſciendū vero, quia vt moris eſt quorundam ſcriptorum non in pagella è regione ſingulorum doctorum viritim literis inſignitis aſſignauerimus nomina omnia, ſed ex eorū dictis profecto expoſitorum nonnulla compaginare ex multimodis, breuiter recidēdo videlicet, demptis ſuperfluis multimoda, nonnulla vero ex prolixioribus ſenſum eorum ſequentes coniungere decerpendo, aliqua noſtra interpolando, augmentare cenſuimus longiora. Sic nimirum ſic diuerſis alluſionibus dramatū percurrentibus breuia ſyrmata, quæ viciſſim nectendo ſententiarum explere libellum ſanciuimus, non pertimeſcētes eos, qui naſum veluti ſapientes contorquent, nec eos qui promptiores ad reprehendendum quam ad imitandum, quique quod reprehendere ſubſannando moliuntur, adimplere nequeunt. Scimus namque ſcimus quod concentu organi fiſtulæ æris, aliæ longiores ſunt aliæ breuiores, ſed vno flatu

G follibus adminiſtrato, & docta manu imperante, digitiſque attrectandu, vnam, cum ſint diuerſæ fiſtulæ, harmoniā velut ſalpinx, tubarum vocem atque concentum dulci cantilena melos afflando, attonitis auribus ſuauiter reddunt. Sic profecto cum ſint aliæ ſententiæ longiores reciſis ſuperfluis, aliæque breuiores additis neceſſariis, flante Spiritu S. per corpus vnū, imperante manu digitiſque ſtilū tangentibus, viciſsim conglutinatis ſententiis dictationes enchiridionis explere auſi erimus, adminiculante illo qui in hoc libro de Eccleſiæ donis permixtis ait prophetice: Cyprus cum nardo, nardus cum croco, fiſtula & cynamomum cum vniuerſis lignis Libani, myrra & aloe, cum omnibus primis vnguentis. Sed qualiter iſtæ virtutes Eccleſiæ alternando ſibi permixtim concinant, in ſuo poſterum dicemus loco. Vnde iam tandem ſupplex exoro decus auguſtale æque & eos quibus fortaſsis legere contigerit, vt quod ego more medicorum ac pigmentariorum, qui vt diuerſa vnguenta & antidota temperatim

H poſsint componere, bilancis ſtateræ æque ponderare ſatagunt, vt vna alteram non ſuperabundet, nec de aliis minus vtilia derelinquant, ſed æqua lance ſua componant, ſtudui æquali lance mentis trutinare ſententias, & mella quodammodo & antidota animarum componere, non horreſcat nec ſqualeſcat, ſed diligenti exagio libtrando perlegat, atque medicamina animæ grataanter inueſtiget. Sed antequam prolegomena ad calcem perueniat, notandum eſt, quod in hoc libro nil carnale iuſque hiſtoriale requirere debeat, ſed allegoriarum myſteria contineri non dubitet. Nominantur enim in hoc libro oſcula, nominantur vbera, nominantur genæ, nominantur fœmora In quibus verbis non irridend. eſt ſacra deſcriptio, ſed maior Dei miſericordia conſideranda eſt, quia dum membra corporis nominat, ſic ad amorem ſuum vocat. Vnde conſiderandum eſt, quam mirabiliter nobiſcum & miſericorditer operatur, qui vt cor noſtrum ad inſtigationem ſacri amoris accenderet, vſque ad turpis amoris (vt Papa Gregor. exponit) verba deſcēdet. Sed

Margin notes: * miniſtrando. — Cant. 2. — Matth. 3. — 1. Pet. 2. — Marc. 11.

vnde se loquẽdo humiliat, inde nos ad intellectũ exaltat, quia ex sermonibus huius amoris discimus qua virtute in diuinitatis amore ferueamus. Hoc autẽ nobis solerter intuendũ est, ne cum verba exterioris amoris audiuimus, ad exteriora sentiẽda remaneamus. Sic est enim scriptura hæc in vobis, sicut pictura io colorib' & rebus. Et nimis stultus est qui sic coloribus picturæ inhæreat, vt res ignoret. Nos enim si verba, quæ exterius dicuntur amplectimur, & sensus ignoramus, quasi ignorantes res quæ depictæ sunt, solos colores tenemus. Scimus enim quia postquam genus humanum à paradysi gaudiis expulsum est, & in istam peregrinationem vitæ præsentis veniens, cæcum cor ab spiritusli intellectu habet. Cui cæco cordi si diceretur voce dominica: sequere Deum vel dilige Deum per torporem insensibilitatis frigidum, non caperet quod audiret. Propterea per quædam ænigmata sermo diuinus animæ torpenti & frigidæ loquitur, & de rebus quas nouit: latenter insinuat amorem quem non nouit: & animæ longe à Deo infra positæ vt præfatus tractator ait) quasi quandam machinam fecit, vt per illam leuetur ad Deum. Interpositis quippe ænigmatibus, dum quiddam in verbis cognoscit quod suum est, in sensu verborum intelligit quod non est suum, & per terrena verba sperantur æterna. Idcirco ô inuictissime Cæsar oramus, vt nihil in hoc volumine historialiter requiras, sed flores allegoriarum cum morali intellectu inuestiges, quem quibusdam in locis ob tuam consolationem subnectere decreuimus ne solummodo allegoriarum allusionibus pressus, violenter vestra celsitudo theorics legendo fastidiat. Audiat etiam quod per eundem Salomonem dicitur: *Gloria Dei celare verbum & gloria regum inuestigare sermonem.* Menti enim Deum quærenti, tanto Deus gloriosius apparet, quanto subtilius inuestigatur, vt appareat Debemus itaque quod Deus mysteriis celat requirere. Ideoque sequitur: & gloria regum inuestigare sermonem. Qui enim non solummodo regnat terrarum, sed corpora sua, vel motus carnis regere & inuestigare nouerunt, Reges sunt. Quibus & per Psalmistam dicitur: *Et nunc reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram:* & reliqua. Regum ergo gloria est, inuestigare sermonem, quia bene viuentium laus est perscrutari secreta mandatorum Dei. Scrutare ergo gloriosissime Imperator scripturas, quatenus mysteria diuina penetrando & intelligendo desideria & motus carnis inuestigare & regere vestra sapientia & solertia cæterosque imperio vestro subiectos docere, & actus prudentia consultuque honestissime gubernare valeat. His itaque prælibatis, imo efflagitatis, tandem ad ea quæ imperastis stilum flectere conabimur. Valeat semper in Christo prosperis successibus pollendo gloria vestra, decusque Francorum oramus.

ANGELOMI MONACHI Lexouiensis in Cantica Canticorum Stromata.

PRIVS quam augustale decus ad fistulas harmoniæ spiritualis videlicet Allegoriarum concentus manum ad scribendum, flante Spiritu sancto exeram, & abyssos theoriæ vela pandendo historiæ, stili officio tangam, velnti claui abdita domus reseram, quo facilius interiora mysteria reuelentur, in argumentatione fidei ostendere decreui, quare iste liber tertius in opusculis Salomonis ponitur, & quid significationis geratur, cuiusve vitæ typum habere asseratur, simul etiam quibus nominibus sancta Ecclesia in hoc eodem libro inscribitur, cur quoque idem volumen non simpliciter Canticum, sed Canticum Canticorum appellatur: ad extremum quibusqoe Salomon in Scripturis sanctis nominibus insignitur, vt cuncta prius prælibando dum fuerint præscita, in posterum facilius atqoe auidius caspiantur esposita. Tribus namque nominibus vocatum fuisse Salomonem scipturæ manifestissime docent. *Salomonem*, id est, pacificum, eo quod in pace regnum obtinuerit, & per parabolas populum erudierit, io sigoificationẽ saluatoris qui discipulis suis ait: *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis.* Et ipse per parabolas turbas docuit, de quo etiam scriptum est: *Multiplicabitur eius imperium, & pacis non erit finis:* & reliqua. Et *Idida*, id est dilectus Domini, videlicet quia prius à Domino dilectus fuerit, similiter in typũ Domini qui à patre dilectus est, sicut ipse ait: *Hic est filius meus dilectus: in quo mihi cõplacui.* Et *coheleth*, id est, *Ecclesiasten*. Ecclesiastes autem Græco sermone appellatur, eoque cœtum id est, Ecclesiam congreget, quem nos nuncupare possumus *concionatorem*, quod loquatur ad populum, & sermo eius non specialiter ad vnum, sed ad vniuersos generaliter dirigatur: qui velut extensa manu omnium tumultus sedat, eosque ad vnam sententiam reuocat. Sic idem Salomon in hoc libro fecisse ostenditur, cum in libri termino ait: *Finem loquendi omnes pariter audiamus: Deum time, & mandata eius obserua, hoc est enim omnis homo:*] illum præfigurans qui non solum pacem intulit, & dilectus Deo Patri extitit, sed qui omnibus ait: *Pœnitentiam agite: appropinquabit enim regnum cælorum:* qui *medio pariete destructo, & inimicitias in carne sua euacuans fecit vtraque vnum*, quique Deum timere, & mandata eius obseruare iubet. Denique sicut Salomon tribus præfatis nominibus appellatus est, sic iuxta numerum vocabulorum tria volumina edidit, *Prouerbia* videlicet quæ nos *Parabolas* nominamus, quas Hebræi *Masloth* appellant. *Ecclesiasten*, quem & illi vt diximus, *coheleth* nominant. Et *Cantica Canticorum* quem *Schir aschirim* prænotant & hos rationabili ordine distinxit. In Prouerbiis namque paruulum docens, & quasi de officiis per sententias erudiens, vnde & ad filium eius sermo crebro reperitur. In Ecclesiaste vero maturæ ætatis virum instruens, vt nequaquam mundi rebus credat aliquid esse perpetuum, sed caduca & breuia vniuersa quæ cernimus. Ad extremum iam consummatum virum, & calcato sæculo præparatum in Cantico Canticorum amplexibus iungit. Nisi enim prius reliquimus vitia, & pompis seculi renuntiantes, expeditos nos ad aduentum Christi parauerimus, non poterimus cantare Canticum Canticorum, & dicere: *Osculetur me osculo oris sui.* Sic ita volumina edidit, in quibus trium generũ disciplinas composuit, quibus ad rerum scientiam peruenitur. In primo namque moralem, in secundo vero naturalem, ad vltimum quippe contemplatiuam, quas Græci ita Ethnicam, Physicam, & theoriam nominauerunt. Vnde non abhorret ab intellectu, quia liber iste in opusculis Salomonis tertio loco ponitur. In Prouerbiis itaqoe moralis vita exprimitur, vbi dicitur: *Audi fili mi sapientiam meam, & prudentia mea inclina aurem tuam.* In Ecclesiaste vero naturalis. Ibi quippe quod omnia ad finem tendant, considerantur, dum dicitur: *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.* In Canticis autem Canticorum contemplatiua vita exprimitur, dum in eis ipsius Domini aduentus & aspectus desideratur, cum sponsæ voce dicitur: *Osculetur me osculo oris sui.* Hos etiam ordines trium Patriarcharum vitæ significant *Abrahã, Isaac* videlicet, & *Iacob*: Moralitatem quippe Abraham obediendo tenuit qoando de terra sua exiit, & filium immolare non distulit. Isaac vero naturalem vitam puteos fodiendo figurauit, imo enim puteos fodere est, per considerationem naturalem omnia quæ infra sunt perscrutando timeri. Iacob vero contemplatiuam vitam tenuit, qui ascendentes & descendentes Angelos vidit. Sed quia naturalis consideratio ad perfectionem non ducitur, nisi prius moralitas teneatur, recte post prouerbia Ecclesiastes ponitur. Et quia superna contemplatio non conspicitur, nisi prius hæc infra labentia despiciantur, recte post Ecclesiasten *Canticum Canticorum* ponitur. Prius quippe est mores componere, postmodum omnia quæ adsint, tanquam non adsint considerare. Tertio vero loco, munda cordia acie, superna & interna conspicere. His itaque vt summa moralium tractator Papa Gregor. depromit librorum gradibus

quandam

A quandam ad contemplationem Dei ſcalam & machinam fecit, vt dum primum in ſeculo bene geruntur honeſta, poſtmodum etiam boneſta, ſeculi deſpiciantur & ad extremum etiam Dei intima & ſecreta contemplentur. Vnde non immerito liber iſte, non canticum, ſed canticum canticorum nominantur vbi cœleſtis verbi Dei & animæ coniunctio demonſtratur. Quod canticum ita intelligitur omnibus præcellere canticis, ſicut dominus noſter aſſumptus homo, Apoſtolis, patriarchis, vel prophetis, aut quæcunque illæ ſunt cœleſtium poteſtates: vt ſicut Rex regum, & dominus dominantium eſt Chriſtus, ita & Canticum canticorum ſuper omnia cantica quæ à prophetis cantata ſunt titulatur. Et ſicut in veteri teſtamento alia ſunt ſancta, & alia ſancta ſanctorum, & alia ſabbata, & alia ſabbata ſabbatorum, ſic & alia ſunt cantica, & alia cantica canticorum. Sancta erant in tabernaculo, & quæ exterius agebantur, ſabbatha erant quæ ex ſingulis hebdomadibus celebrabantur, B ſed ſancta ſanctorum ſecretiori quadam veneratione ſuſcipiebantur: & ſabbatha ſabbathorum, non niſi in ſuis feſtiuitatibus celebrabantur. In Cantico canticorum ſecretum quoddam, & ſolenne interius eſt, quod ſecretum in occultis intelligentiis penetratur. Nam ſi exterioribus verbis attenditur, ſecretum non eſt. Vnde iam ſuperius in præfatione diſputauimus. Sciendum eſt etiam quia in Scriptura ſacra alia ſunt cantica victoriæ, alia cantica exhortationis & conteſtationis, alia cantica exultationis, alia cantica adiutorij, alia cantica coniunctionis cum Deo. Canticum victoriæ eſt, quod Maria tranſito mari rubro cecinit dicens: *Cantemus domino, glorioſe enim honorificatus eſt: equum & aſcenſorem proiecit in mare.* [Exod.15. Ibid.1.] Canticum exhortationis & conteſtationis eſt, quod Moyſes Iſraelitis ad terram repromiſſionis propinquantibus dixit. *Attende cælum & loquar, & audiat terra verba ex ore meo.* Canticum exultationis eſt, quod Anna non ſolum pro Samuele, ſed proſpecta fœcunditate Eccleſiæ in ſemetipſa cecinit dicens: *Exultauit cor meum in domino.* C Vbi per ſemetipſam veritas fœcunditatem prolis Eccleſiaſticæ expreſſit, cum dicit. *Sterilis peperit plurimos & quæ multos habebat filios infirmata eſt.* [1.Reg.2. Eodem. Pſ.17.] Canticum adiutorij, Dauid poſt prælium cecinit dicens: *Diligam te Domine virtus mea*, Canticum vero coniunctionis cum Deo, hoc eſt canticum, quod in nuptiis velut epithalamium ſponſi & ſponſæ canitur, id eſt, cantica canticorum, quod tanto eſt omnibus canticis ſolennius, quanto & in nuptiis ſolennitatis ſublimioris offertur. Per illa cantica vitia deuitantur, per iſta vero vnuſquiſque virtutibus locupletatur. Per illa cauetur hoſtis, per hæc dominus familiari amore complectitur. Cantata ſunt & alia cantica à diuerſis prophetis pro diuerſis perſonis vel cauſis: ſicut & Abacuc pro ignorantibus prænotauit. Cantauit & Delbora de victoria Siſaræ. Cantauerunt & tres pueri in fornace in quo mirabilia omnipotentis Dei narrantur. Cantauit & Hieremias canticum lamentationis de conuerſione Hieruſalem & ſanctuarij, & totius populi ſui: & multi alij. Sed D ideo hoc Canticum canticorum appellatur: quia ad propriam Chriſti regis & Eccleſiæ coniunctionem eſſe manifeſte probatur, vbi orat ad patrem ſponſi Eccleſia (qui eſt ſermo Dei) vt iam non per internuncios qui ſunt Angeli & Prophetæ, qui à Dei filio Eccleſiæ futuræ reprobationis nuncia deferebant, ſed ipſum per incarnationis myſterium iam aliquando coram oſtendat, iam ipſius formam ſpecioſam præ filiis hominum amplecti mereatur eiuſque dulciſſima oſcula ſuſcipere, & gratiſſima vbera tractare. Iſta namque quæ ſic deſiderat ἐκκλησία Græco vocabulo dicitur, Latine congregatio, vel melius conuocatio, Hebraicè ſynagoga interpretatur. Pro loco vel tempore diuerſis nominibus à verbo Dei vocata eſſe probatur. De cuius vocabulis ſuperius polliciti ſumus. Aliquando etenim Hieruſalem nonnunquam *Sion*, plerumque *amica*, ſæpe vero *dilecta*. Interdum *ſoror*, vel ſpecioſa *ſponſa*, *columba*, *ſeu immaculata*, vel perfecta in Chriſti perſona ore prophetarum & in hoc libro appellata cognoſcitur. Hieruſalem ſiquidem dicitur, E quia poſt iracundiam omnipotentis Dei pacem de cælo miſſam à patre ſuſcepit, eo quod aliquam ſignatur habere pacem. Quam pacem & coniunctionem exorare dicitur, cum eum deprecatur: *oſculetur me oſculo oris ſui*. *Sion* vero, quia de conualle lachrymarum idololatriæ, vbi in corpore lapſa fuerat in ADAM, nec corde ad montem paradyſi reaſcendit, & pro munditia cordis ſpeculum ſe præbendo indiuiduæ trinitati, conſpicua & excelſa efficitur In qua Deus omnipotens quaſi in fertili monte delectetur deambulare, & beatum doctrinæ ſuæ ſemen ſpargere, propter quod ſpecula vel ſemen in ea interpretatur. *Amica* autem dicitur, quoniam repudiando diabolum, ad amicitias reuocauit Deum. *Dilecta* vero appellatur, quoniam poſt incredulitatis amariſſima odia credulitatis muneribus dilecta efficitur Dei. *Soror* videlicet nuncupata per aſſumptæ carnis myſterium, cum ea eadem materia videndi naſcitur terris, de qua & Eccleſia generatur. *Specioſa*, ſcilicet pronunciatur, abſterſa per baptiſmum ab omnibus peccatorum maculis, F poſt multam Æthiopicam tenebroſamque conſuetudinem criminum, pelle mundata, & ad genuinam pulchritudinem reuocata. *Sponſa* vero effecta eſt, corpus & ſanguinem ſuo corpori coniungendo. Per quod ſacramentum ſpopondit, ſe præter eum nullum alium amatorem in toto corde diligere, pretioſum eius anulum fidei magno ſtudio cõſeruando. *Formoſa* namque prædicatur, formam eius imaginis in qua creata eſt in anima reformando. *Columba* vero nominatur: omni rapacitate quoniam aduncis manibus velut vulturinis conſueuerat perpetrare depoſita, nunc cõſortio ſpiritus S. ſociata, ſimplicitatis & largitatis candore columbarũ refulget. Et quæ conſueuerat in malis doctoribus aliis animabus æternæ vitæ rapere cibos, nunc in bonis doctoribus de ſuo ſuauiſsimo gutture audientibus reimpartiri, ſicut natura eſt columbarum. *Immaculata* autem laudatur, depoſita veteri antiquaque conſuetudine criminum, & ſtola ſacroſancti baptiſmatis ſemel induta, immaculate viuendo, G vltra ſe non maculauit. Et domini ſui Chriſti imitatrix effecta pro eius nomine moriendo lima martyrij & mortificationis ſplendeſcit. Nullum aliud ferramentum fortius potuit reperire, per quod antiqua ſcoria animæ (vt Apponius ait) limaretur, niſi martyrij limam, per quod in tormentorum fornace poſſit anima, quantalibet ſordium peccatorum mole ſit circundata, in ſuo ſanguine renouari, per quod perfecta ſit columba, & in Chriſto immaculata. Vnde & perfecta quippe nuncupatur, omne iudicium à patre videlicet ſuſcipienda in Chriſto. Hæc ergo Eccleſia, in quam omnium credentium in Chriſto multitudo conſiſtit quæ retro ante videlicet ſponſi aduentum in ſuo ſanguine ignominioſe iacebat & commaculata (iuxta prophetam) in curis magnis enutrita, & vſque ad annos pubertatis prouecta, & eius doctrina quaſi monilibus exornata, ſed eius coniunctione vſque ad regnum cœlorum ſublimata. Sed quomodo ignominioſe & conculcata iacebat per prophetam increpatur. *Radix tua & generatio tua de terra Chanaan. Pater tuus Amorreus, & mater tua Cethea in die qua nata es.* H [Ezec.16.] *In die ortus non eſt præciſus vmbilicus tuus, non es lota aqua in ſalutem, nec ſale ſalita, nec inuoluta pannis. Non pepercit ſuper te oculus meus vt facerct tibi vnum ex his miſertus tui, ſed iacebas nuda plenaque ignominia conculcata in ſanguine tuo. Vbera tua intumuerunt, & pilus tuus germinauit, & ecce tempus tuum tempus amantium, & iacebas nuda, confuſionis plena.* Et qualiter per aduentum ſuæ coniunctionis facere voluit vnum ex his miſertus ſui ſubiunxit: *Et miſi amictum meum, & operui ignominiam tuam. Laui te aqua & mundaui ſanguinem tuum ex te, & vnxi te oleo, & veſtiui te veſtimento multicolorio. Simila & melle nutriui te. Cinxi te byſſo, & calciaui te hyacintho & poſui coronam decoris in capite tua, & circulos in auribus tuis, & iuraui tibi & ingreſſus ſum pactum tecum, & facta es mihi ait Dominus Deus.* [Ibidem.] Quod quamuis plebs Iudæorum arguatur contumax, alloquitur in eius perſona omnis anima quæ per lauacrum regenerationis naſcitur, per voluntatem eius, quæ

eam prius genuerat per peccatum Amorrei, qui amarus interpretatur, id est diaboli, & per consuetudinem nefariam, quæ Cethea præsenti loco dicitur, quæ mentis excessus interpretatur, fuerit oblita improbati, probatur increpatione quam clemens Dominus noster IESVS CHRISTVS, per sanctam apparitionem suam, licet nescienter de prædictis sordibus collectam enutriuit, & preciosis vestibus vel monilibus exornauit, & sibi consortem regni facere est dignatus per sacrosancti baptismatis vndam, vbi gloriosa copula Christi Filij Dei & Ecclesiæ celebratur. In quo sacro mysterio ablutionis aqua lauatur sapientiæ sale suscepto, indiuiduæ coæternæque Trinitatis fide prostibuli traditione salitur, variarum virtutum charismate, vestimentis nudata operitur. Sanctus Spiritus pinguedine, charismatis vnctione repletur. Vbi simila in Christi corpore, & melle in eius eloquiis enutritur, vbi circulis diuinæ intelligentiæ aures ornatur, martyrij gemmata in capite corona refulgens, bysso, quæ est puritatis indicium cingitur, id est amore virginitatis & pudicitiæ, ab omni eam dissolutione continens, reuocatamque constringit. Calciantur hyacintho, qui color præparans Hebraice dicitur, vt præparati sint pedes ad præcepta Euangelij pacis semper concurrere. His videlicet ornamentis decorari cupiebat Ecclesia sed quia ornari non poterat nisi per eius apparitionem idcirco illius visitationem desiderabat. Audierat enim tanquam sponsa per Prophetam in persona sponsi, id est, Verbi Dei Patris dicentis: *Desponsabo te mihi in sempiternum, desponsabo te mihi in iustitia, desponsabo te mihi in iudicio, desponsabo te mihi in misericordia, desponsabo te mihi in fide. Et per Esaiam similiter vox ipsius Ecclesia ait: Posuit mihi mitrā sicut sponsæ & induit me vestimentis salutis, sicut sponsum decoratū corona, & sicut sponsā ornatam monilibus suis circumdedit me.* Et Zacharias huiuscemodi gloriam trepidanti Ecclesiæ nunciatam dicendo ait: *Noli timere filia Sion, ecce Rex tuus venit tibi mitis & mansuetus, sedens super pullum asina, Saluator & Redemptor ipse est.* Hi ergo omnes Patriarchæ & Prophetæ, futuram, ineffabilem Christi & Ecclesiæ copulam cecinere. Apostolus autem iam celebratam exposuit dicens: *Viri diligite vxores vestras, sicut Christus Ecclesiam dilexit, qui semetipsum tradidit pro ea, vt ipse sibi exhiberet immaculatam Ecclesiā, non habentem maculam aut rugam.* Et iterum ad Corinthios: *Despondi enim vos vni viro virginem castam exhibere Christo.* Et alio loco ita exhortatur fideles: *Vos estis Corpus Christi, & caro de carne eius.* Huic videlicet tantis ac talibus testibus confirmandæ, adhibenda sunt omnia officia nuptiarum. Vbi præsto sint etiam amici sponsi, sodales etiam sponsæ, mores quoque cantantium, qui dulci modulamine sponsi potentiam canant vel sponsæ pulchritudinem laudent, qua largitatem sponsi est consecuta, quomodo se excelsus humiliauerit de illa altitudine deitatis limum profundi, vt humilem, deiectamque carnis materiam ad cælorum culmen leuatam suæ maiestati coniungeret. Et notandum quia aliquando Scriptura sacra Dominum vocat, aliquando patrem, aliquando sponsum. Quando enim vult se timeri, Dominum se nominat, quando vult honorari patrem, quando vult amari, sponsum. Ipse per Prophetam dicit: *Si Dominus sum, vbi est timor meus? Si pater ego sum, vbi est honor meus?* Et rursum dicit: *Desponsaui te mihi in iustitia, & fide, vel certe recordatus sum diei desponsationis tuæ in deserto.* Et quid est apud Deum, quando, & quando non est. Sed quia prius timeri se vult vt honoretur, & prius honorari, vt ad eius amorem perueniatur, & Dominum se propter timorem nominat, & patrem propter honorem, & sponsum propter amorem, vt per timorem veniatur ad honorem, per honorem vero eius perueniatur ad amorem. Quanto ergo dignius est honor quam timor, tanto plus gaudet Deus pater dici quam Dominus. Et quando ergo charius est, amor quam honor, tanto plus gaudet Deus, sponsus quam pater. In hoc ergo libro Dominus & Ecclesia, non Dominus & ancilla, sed sponsus nominatur & sponsa, vt non soli timori, non soli reuerentiæ, sed etiam amori deseruiatur, & in verbis exterioribus incitetur affectus interior. Cum se Dominum nominat, indicat quod creati sumus. Cum se patrem nominat, indicat quod coniuncti. Plus est autem coniunctos esse Deo, quam creatos & adoptatos. Sic autem generaliter ex voce Ecclesiæ aduentus Domini in hoc opere præstolatur, vt etiam specialiter vnaquæque anima ingressum Dei ad cor suum, tanquam aditum sponsi in thalamum accipiat. Et sciendum quia in hoc libro quatuor personæ loquentes introducuntur, sponsus videlicet & sponsa, adolescentulæ vero cum sponsa, & greges sodalium cum sponso. E

Sponsa enim ipsa perfecta Ecclesia est, sponsus Dominus, sicut crebro dictum est. Adolescentulæ vero cum sponsa, sunt inchoantes animæ, & per nouum studium pubescentes. Sodales vero sponsi sunt siue Angeli qui sæpe hominibus ad ipsos venientes apparuerunt, seu certe perfecti quique viri in Ecclesia, qui veritate hominibus nunciare nouerunt, Sed qui singillatim adolescentulæ vel sodales sunt, toti simul sponsa sunt, qui toti simul Ecclesia sunt, quamuis & iuxta vnumquemque fidelem F hæc ita nomina accipi possunt. Nam qui Dominum iam perfecte amat, sponsa est: qui sponsum prædicat, sodalis est, qui adhuc nouellus viam bonorum sequitur, adolescentula est. Imitamur ergo, vt simus sponsa. Si hæc nondum valemus, simus sodales. Si neque hoc adepti sumus, saltem ad hunc thalamum velut adolescentulæ conueniamus. Sed sciendum antequam ad coniunctionis pacem veniamus, quod sapientissimus Salomon quicquid ab initio mundi vsque in finem, in mysteriis egit acturusve erit Dei sermo erga Ecclesiam, in figura & ænigmatibus demonstrauit. In quo cantico omnia quæ narratur tecta mysteriis in Verbi Incarnatione reuelata & completa docentur, vbi allisa erigitur humana progenies, compedita absoluitur corrupta ad virginitatis integritatem reformatur, expulsa à paradyso, redditur ex captiua libera, ex peregrina ciuis, ex ancilla domina, ex vilissima, regina & sponsa creatoris sui Verbi Dei Christi benignitate effecta ostenditur, quæ digna sit eius suscipere oscula, & vna cum eo effecta spiritum in cælestibus G sublimata regnare. Quæ sublimitas humiliatione Filij Dei celebrata cognoscitur sicut magister gentium docet de Christo dicendo: *Humiliauit se, vt nos exaltaret.* Phil. 2.

Non enim iniuria deputatur artifici pretiosum anulum lapsum in corporis foueam paulisper deposita stola ad quærendum descendere, & inuentum cursum suæ dexteræ reddere. Nam quicquid humile, quicquid vilissimum, quicquid despectum indignumque stulta impiaque gentilitas opinatur cuius incredulitatis caligo oculos cordis cæcauit, hoc gloriosum, hoc mirabile, hoc inquam magnificum apud diuinam clementiam & omnes virtutes cælestes esse probatur. Nam quæ immensa potentia quæ bonitatis dulcedo, quæ miserationis superlatiua omnium operum flagrantia paternæ virtutis, admirata ab Angelis, omniumque Sanctorum choris præcelsis vocibus perpetuis laudibus offertur, nisi Dominus ancillam vere pauperculam, vt externus mortalem per assumptionem carnis Dominus IESVS CHRISTVS Ecclesiam, id H est Dei sermo sibi animam sub coniunctionis titulo copularet? Quia igitur sæpius sponsum & sponsam, Dominum & Ecclesiam diximus, & rite (iuxta Poëtam) viam sermone leuamus:

Spesque fidesque meum comitantur in ardua gressum,
Blanditus ad summam tandem peruenimus arcem,

Vt iam ipsum textum diuini oraculi pandamus velut adolescentulæ, velut sodales audiamus verba sponsi, audiamus verba sponsæ, & in eorum sermonibus feruorem discamus amoris. Itaque sancta Ecclesia diu præstolans aduentum Domini, diu sitiens fontem vitæ, quomodo optet videre præsentiam sponsi sui quomodo desideret & dicat.

CAP. I.

O*Sculetur me osculo oris sui.*] Angelos ad eandem Dominitus, Patriarchas ad illam & Prophetas misetat,

spiritualia

A spiritualia dona deferentes, sed ipsa vero munera non per seruos sponsi, sed per ipsum iam sponsum percipere quærebat. Ponamos ante oculos omne genus humanum ab exordio mundi vsque ad finem mundi, totam videlicet Ecclesiam, vnam esse personam: quæ arras spirituali dono perceperat, sed tamen sponsi sui præsentiam quærebat quæ dicit. *Osculetur me osculo oris sui.* Suspirans enim sancta Ecclesia pro aduentu mediatoris Dei & hominum pro aduentu redemptoris sui ad patrem verba orationis facit, vt filium dirigat, & sua illa præsentia illustret, vt eidem Ecclesiæ non iam per ora prophetarum, sed suo ore locutionem faciat, ac si apertius dicat: Tangat me dulcedine præsentiæ suæ, quam sæpius à prophetis promissam audiui. Vnde & de eodem sponso in Euangelio scriptum est, cum sederet in monte, & sublimium (Matt. 5.) præceptorum verba faceret, *aperiens hic* IESVS *os suum dixit.* Ac si dicatur. Tunc os suum aperuit, qui prius ad exhortationem Ecclesiæ aperuit ora prophetarum. B Cerne libenter Cæsar Auguste, quomodo ab exordio mundi ab Adam scilicet, imo ab Abel iusto, vsque ad Ioannem baptistam semper Ecclesia Christum in eis qui altioris intellectus erant quæsiuit, & per omnes patriarchas & ad prophetas ad patrem omnipotentem lachrymabili voce clamauit, eius sibi oscula propinari, quem (Ioan. 1.) & in Iordanis baptismo vox patris de nube, & Ioannes digito monstrauit, dicendo: *Ecce Agnus Dei qui tollit peccatum mundi.* Et patet ipse de nube: *hic est filius meus (inquit) dilectus in quo mihi complacui.* Vnum au- (Matt. 17.) tem de multis amicis sponsi præparantem sponsam, Ioannem intellige, cuius præsentia Ecclesia Christi oscula sancta suscepit, ipso testante de Christo. *Qui habet sponsam, sponsus est. Amicus autem sponsi gaudio gaudet* (Ioan. 3.) *ad vocem sponsi.* Miratur videlicet Ioannes, cum vidit eum propter aquarum sanctificationem ad baptismum venientem, qui ait: *Ego à te debeo baptizari, & tu venis* (Matt. 3.) *ad me?* Gaudio vero gaudet, audiens vocem eius dicen- (Eodem.) tis. *Sine modo, sic enim oportet nos implere omnem iusti-* C *tiam.* Vbi completæ sunt preces Ecclesiæ iam olim promissæ ad Deum patrem Domini nostri IESVS CHRISTI dicentis: *Osculetur me osculo oris sui.* Sed dum ergo sancta Ecclesia incarnandum sponsum adhuc absentem desiderat, subito intuetur præsentem. Habet enim gratia redemptoris nostri, vt cum de illo quærentes loquimur, eius præsentia perfruamur, sic de duobus Cleopa videlicet & alio, sicut in Euangelio scriptum est. Vnde subiungit. [*Quia meliora sunt vbera tua vino, & odor vnguentorum tuorum super omnia aromata.*] Vinum fuit scientia legis, scientia prophetarum, sed veniens dominus quia sapientiam suam per carnem voluit prædicari, quasi fecit eam in carnis vbera lactescere. Et quam in diuinitate sua capere minime poteramus, incarnatione eius agnosceremus: vnde non immerito eius vbera laudantur, quia prædicationis eius condescensio hoc egit in cordibus nostris, quod doctrina legis agere minime valuit. Plus enim nos nutriuit incarnationis prædicatio, quam legis doctrina. [*Et odor vnguentorum suorum super omnia aromata.*] Vnguenta domini virtutes sunt. D Vnguentum domini, spiritus sanctus fuit, de quo ei per prophetam dicitur: *Vnxit te Deus Deus tuus, oleo lætitiæ præ consortibus tuis.* Hoc oleo tunc vnctus est cum incarnatus est. Non enim prius homo extitit & postmodum spiritum sanctum accepit, sed quia spiritu sancto mediante incarnatus est, eodem hoc oleo tunc vnctus est, cum homo creatus est. Odor ergo vnguentorum eius flagrantia spiritus sancti est, qui ex illo procedens, in illo permansit. Odor vnguentorum eius flagrantia virtutum quas operatus est. Habuit hæc Ecclesia aromata quia habuit multa spiritus dona, quæ in domo Dei, id est, in congregatione sanctorum odorem bonæ opinionis redoleret. Sed odor vnguentorū tuorum super omnia aromata, quia flagrantia virtutum sponsi, quæ per incarnationem eius facta est, vicit prædicamenta legis, quæ in artis ab sponso fuerant prærogata. Illa legis aromata per Angelos ministrata sunt, istud vnguentum per præsentiam sponsi datum est. Tanto quippe amplius ad intellectum credit Ecclesia, quanto & amplioris visionis E gratia meruit illustrari. Hoc autem quod generaliter de cuncta Ecclesia diximus, nunc specialiter de vnaquaque anima sentiamus. Ponamus ante oculos esse quandam animam donorum studiis inhærentem, intellectum ex aliena prædicatione percipientem, quæ per diuinam gratiam etiam ipsa illustrari desiderat, vt aliquando etiam per se intelligat, quæ nihil se intelligere nisi per verba prædicatorum considerat & dicat. *Osculetur me osculo oris sui.* Ac si dicat: Ipsa me tangat intus, vt cognoscam intelligentiam, & non iam prædicatorum vocibus, sed internæ eius gratiæ tactu perfruar. Quasi osculo oris sui osculabatur Moysen dominus, cum per fiduciam familiaris gratiæ intellectum porrigeret. Vnde scriptum est. *Si fuerit propheta in somnio loquor ad eum & non sicut famulo meo Moysi. Ore enim ad os loquor ei.* Os (Num. 12.) quippe ad os loqui, quasi osculari est, & interna intelligentia mente tangere. Sequitur. [*Meliora sunt vbera tua vino.*] Vbera Dei sunt sicut prius diximus, humillima F prædicatio incarnationis eius, Sapientia autem seculi, quasi quoddam vinum est. Inebriat enim mentem, quia ab intellectu humilitatis alienam reddit. Quasi quodam vino inebriantur philosophi, dum per secularem sapientiam vulgi morem transeunt. Quam sapientiam sancta Ecclesia despiciat, humillimam prædicationis dominicæ incarnationem appetat. Plus ei sapiat quod per infirmitatem carnis eius nutritur, quam quod mundus hic per elatiorem falsæ prudentiæ extollitur, & dicat. *Quia meliora sunt vbera tua vino*, id est, humillima incarnationis tuæ prædicatio, elatam mundi sapientiam superat. Vnde scriptum est. *Quod infirmum est Dei, fortius est quam homines. Et quod stultum est Dei sapientius est quam homines.* Sed quia ipsi huius seculi sapientes, (1. Cor. 1.) nonnunquam videntur quibusdam virtutibus studere, videmus enim plerosque habere charitatem seruare mansuetudinem, honestatem exteriorem in omnibus exercere. Quas tamen virtutes, non vt Deo, sed vt hominibus placeant exhibent. Quæ idcirco virtutes non sunt, G quia Deo placere non appetunt. Olent tamen in humanis naribus dum humano iudicio bonam opinionem reddunt. Sed comparentur hæc vero odori redemptoris nostri, comparentur veris virtutibus & dicatur. *Et odor vnguentorum tuorum super omnia aromata*, id est flagrantia virtutum tuarum, omnem speciem virtutum sapientum mundi superat, quia videlicet fictas eorum imagines, ex veritate transcendit. Quia secundo loco sentiri hoc, quod dictum est de vnaquaque anima diximus, adhuc eundem sensum si possumus, adiuuante Deo subtilius exequamur. Omnis anima quæ timet Deum, iam sub iugo eius est, Sed adhuc longe, quia timet. Nam tantum quisque ad Deum prope fit, quando pœnam timoris amittit, & gratiam de illo charitatis percipit. Ponamus ante oculos animam electi cuiuslibet, quæ continuo desiderio in amorem visionis sponsi accenditur, quia quod in hac vita perfecte percipere non valet, contemplatur eius celsitudinem & ex ipso amore compungitur. Ipsa enim compunctio quæ H per alacritatem fit, quia & desiderio accenditur, quasi quoddam osculum est. Toties enim anima osculatur Deum, quoties in eius amore compungitur. Sunt enim multi qui iam quidem Deum metuunt, iam in bona operatione recipiunt, sed necdum osculantur, quia amore eius minime compunguntur. Quod bene in conuiuio Pharisæi signatum est. Qui cum Dominum recepisset, cūque osculari mulieri pedes eius in corde suo detogaret, audiuit. *Intraui in domum tuam, osculum mihi* (Luc. 7.) *non dedisti, hæc autem ex quo ingressa est, non cessauit osculari pedes meos.* Omnis qui iam eleemosynas facit, qui iam in bonis operibus studet, quasi Christum in conuiuium recipit, Christum pascit, quia eum in membris suis sustentare non desinit. Sed si nondum per amorem (Eodem.) compungitur, adhuc eius vestigia non osculatur. Bene autem dictum est, *non cessauit osculari pedes eius.* Non enim sufficit in amore Dei semel compungi & quiescere, sed & compunctio debet esse & crebrescere. Vnde mulier

ita

in eo laudatur, quia osculari non desiit id compungi minime cessauit. Vnde & per Prophetam dicitur. *Constituite diem solennem in confrequentationibus vsque ad cornu altaris.* Dies solennis est Domino, compunctio cordis nostri. Sed tunc in confrequentatione dies solennis constituitur, cum ad lachrymas præ amore Domini assidue mouetur. Cor vel si diceremus, quamdiu ista acturi sumus, quamdiu tribulationibus affligimur? ilico terminum quousque fieri debeat subiunxit dicens: *Vsque ad cornu altaris.* Cornu quippe altaris est, exaltatio sacrificij interioris. Vbi cum peruenerimus iam nequaquam necesse est vt solennem Domino de nostra lamentatione faciamus. Anima ergo, quæ iam per amorem compungi desiderat, quæ iam contemplari visione sponsi sui appetit, dicat. *Osculetur me osculo oris sui.* Vel certe osculum oris eius est, ipsa perfectio pacis internæ, ad quam cum peruenerimus nihil remanebit amplius quod quæramus. Vnde & apte subiungitur. *Quia meliora sunt vbera tua vino.* Vinum est scientia Dei, quam in ista vita positi accipimus. Vbera autem sponsi tunc amplectimur, cum eum in æterna patria iam per amplexum præsentiam contemplamur. Dicat ergo: *Meliora sunt vbera tua vino.* Ac si dicat: Magna est quidem scientia, quam de te mihi in hac vita contulisti, magnum est vinum notitiæ tuæ quo me inebrias, sed vbera tua vino meliora sunt, quia tunc per speciem & per sublimitatem contemplationis transcenditur, quicquid de te modo per fidem scitur [*Et odor vnguentorum tuorum super omnia aromata.*] Hic habet sancta Ecclesia aromata, dum in virtute scientiæ: virtute castitatis, virtute misericordiæ, virtute humilitatis, virtute charitatis pullet. Si sanctorum vita odorem aromatum ex virtutibus non haberet. Paulus non diceret *Christi bonus odor sumus Deo in omni loco.* Sed longe excellentior est illa vnctio contemplationis Dei, ad quam quandoque ducendi sumus, longe excellentior est odor vnguentorum Dei, aromatibus virtutum nostrarum. Et si iam magna sunt quæ accepimus, valde tamen potiora sunt, quæ de contemplatione creatoris nostri accepturi sumus. Vnde anhelet anima & dicat. *Odor vnguentorum tuorum super omnia aromata*, id est, bona illa quæ per contemplationem tuam præparas, ista omnia virtutum munera, quæ in hac vita tribuisti, transcendunt. Dicamus hinc Ecclesiæ, dicamus hinc animæ sic amenti, sic æstuanti amorem sponsi sui, vnde tamen desiderium perceperit, vnde notitiam diuinitatis eius apprehenderit. Sed ecce ipsa exprimit & dicit: [*Vnguentum effusum nomen tuum.*] Vnguentum effusum est diuinitas incarnata. Si enim sit vnguentum in vasculo odorem exterius minus reddit, si vero effunditur, odor effusi vnguenti dilatatur. Nomen ergo Dei, vnguentum effusum est, quia ab immensitate diuinitatis suæ ad naturam nostram se exterius effudit & ab eo quod est inuisibilis, se inuisibilem reddidit. Si enim non se effunderet, nequaquam nobis innotesceret. Effundit se vnguentum, cum se & dominum seruauit, & hominem exhibuit. De qua effusione Paulus dicit: *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualẽ Deo, sed semetipsum exinaniuit formam serui accipiens.* Quod Paulus dixit exinaniuit, hoc Salomon dixit effudit. Quia ergo humano generi dominus per humilitatem incarnationis innotuit, dicatur ei. Vnguentum effusum nomen tuum. Sed quia in Hebraica veritate aliquid aliter habetur, compellimur ad superiora apostropham facere, & nonnulla aliter inserere. Denique cum dixisset, *osculetur me osculo oris sui*, & subiunxit, *quia meliora sunt vbera tua vino*, vbi nimium gaudium amoris completum per attrectationẽ vberum demonstratur, protinus addidit iuxta Hebraicum flagrantia vnguentis optimis, Quæ quamuis lan pabili sermone superius à summo tractatore exposita sunt mellifiue, tamen possumus iuxta opiniones quorundam rursus iterare. Vinum inquiunt erat verbum nuntiatorum, delatum per Angelos, qui ad prophetas vel in prophetis loquebantur, sicut ait Zacharias propheta. Et dixit ad Angelum *qui loquebatur in me*, quod Ecclesiæ cur lætificabat, audiens eius quem desiderabat aduentum. Sed vbi E ore manibusque corpus eius & sanguinem contrectauit, meliora cognouit vbera Apostolicæ Euangeliorumque doctrinæ lacte manantia, vbi omnis diuina perfectio quæ nunc ministratur, quam vinum veteris testamenti & legis quæ secundum Apostolum neminem ad perfectum perduxit. Quanquam enim perfecti viri Apostolici qui præscripto populo Christiano Doctores vbera Christi intelligantur, quos Christus vt paruulos nutrit, tamen non erit inconueniens, duo vbera Christi baptistam & Euangelistam duos Ioannes intelligi proprie, qui Ecclesiæ post oscula sacramenti prædicti plenissima verba sunt propinati, cum alter eum solum peccatum mundi tollentem, agnumque demonstrat Ecclesiæ, alter in principio verbum Deum apud Deum patrem manentem, qui per immaculatam vitam ita in amore eius quasi vbera pectori adhæserunt, dum alter adhuc paruolæ & lactenti Ecclesiæ verum hominem sub nomine immaculati agni ostendit, alter à creandi effectu omnium rerum eum fabricatorem in principio verbum Deum demonstrat, per F quem creata sunt vniuersa. Nullus igitur vsque in hoc tempus ad Ecclesiam huiusmodi gustus suauitatis peruenerat, vt in agni mãsuetudine terribili Rege turmæ luporum dæmonum effugarentur, cuius præsentia terrorem incurit omnibus terrenis & æthereis potestatibus qui tegmine spiritus sancti alios vestit & ipsè de nullo habet necesse, qui de terrenis leuatã ad patris consortiũ ducunt per carnis assumptionẽ Ecclesiam, cum qua mente & materia vnum effectus est, sedens ad dexterã patris, cum quo erat in principio Deus verbum. Huius ergo lacte doctrinæ vitam æternam conferentem, prædicta vbera dilectæ Ecclesiæ manantia Christi domini nostri, de cuius pectore lacteo vitam æternam, quam Adam perdiderat, per candorem doctrinæ, Apostolis infusum, quæ si per vbera in credentibus suscepit Ecclesia, & suis posteris, quasi ex lacte butyrum effectum, per interpretationem sermonis quotidie porrigit. Nam primum continet sacramentũ per lactis naturam id est, casti liquorem, & cum fuerit arte subactus liquor reddit butyrum: Ita & lac Apostolicæ doctrinæ cum inuenerit magistrum, declarat intra G se continere indiuiduam Trinitatem. Quibus alimentis nisi indesinenter vsa fuerit anima, non poterit viuere in æternum. Quem cibum Ecclesia de supradictis vberibus in baptismatis suscepit sacramento, vbi trina confessione Patris & Filij & Spiritus S. notitiæ odorem cognoscit, cum ei sæpe dictum quod doctrinæ lac triformem contulerit redemptionis medullam, liquorem scilicet baptismatis candidissimum, suaueque succum Corporis Christi, & pinguissimum, butyrum sacri charismatis oleum, per quod Spiritus sanctus infunditur. De qua pinguedine Ecclesia in alio Propheta deprecatur animæ suæ medullas repleri, dicẽdo: *Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea.* Ps. 62. Cuius odor sauciatas à peccatis animas resuscitat, cuius virtute pinguedinis in prædictis vberibus absconsam flagrantiã, quæ post oscula suscepta collaudare sequenti docetur versiculo, dicens: *flagrantia vnguentis optimis.* Erat quidem boni odoris, id est, meriti vnguentũ H illud in veteri Testamento magistro Deo compositum, de quo vngebantur Reges, Prophetæ, & Sacerdotes. Sed quantum distat viuens homo à pictura fucis colorum oblita, tantum interest quod Ecclesia suscipit renascendo in spiritu, cuius figuram synagoga suscipiebat in corpore, cuius tantæ fuerunt res, vt vix in vna gente Iudæa & paucis tribuerit principatum. Hoc autem Ecclesiæ vnguentum tantum in se gerit virtutis, flagrantiæ simul & medicinæ, vt omnes credentes sanctissimos reddat, Reges & Sacerdotes constituat, & eius odor notitiæ à solis ortu vsque ad occasum omnem mundum impleuerit. Quæ intra se quam aliam flagrantiam potest intelligi continere, nisi Christi nomen? De quo sequitur. *Vnguentum effusum nomen tuum.* Sicut enim intra multitudinem cadauerum putridorum reclusi homines, morbo periclitantur, ita habitatoribus huius mundi euenerat per Adam, pluralem deorum numerum inducente diabolo ore serpentis dicendo: *Eritis si. ut dij.* Introducto autem vnius Gen. 3.

veri

eri Dei nomine per incarnationis mysterium recôdito in orpore vasculo, quo fracto clauorum & lanceæ ictibus odore eius notitiæ omnis fœtor diabolicæ doctrinæ de toto mundo abstersus est. Et illud magnum nomen quod in solo populo Israël erat notum per chrismatis vnctionem, nunc quasi effuso vase vnguenti in domo tota domus repleatur odore, ita & à tempore Passionis Domini nostri IESV CHRISTI omnis mundus vnius veri Dei Christi nominis notitia impletus probatur, vt per omnes nationes gentium quotidie quasi odor vnguenti, virtutum recurrit, flagrantia, *dum mortui inuocato eius nomine surgunt, caci vident, claudi ambulant, muti loquuntur*, effugantur dæmonia omnis ægritudo cadit, pellitur languor, in virtute huius nominis inuocati. Ecce quibus odoribus dilectio amorque Christi adolescentulas accendit animas, scilicet de quibus nunc ait. [*Ideo adolescentula dilexerunt te.*] His enim prælibatis, ad superiorem suauissimi sensum doctoris regrediamur. Nam sequitur. *Ideo adolescentula dilexerunt te.* Quid hoc in loco adolescentulas accipimus, nisi electorum animas per baptismum renouatas? Vita quippe peccatoris ad veterem hominem pertinet, vita iusti ad nouum. Quia ergo vnguentum totas se effudit, in amore suo adolescentulas ardere fecit: quia renouatas animas desiderio suo flagrantes exhibuit. Puerilia ætas amori necdum congruit. Puer est qui vitæ ardentis studium necdum cœpit. Senex est qui cœperat quidem, sed desiit. Quia ergo neque hi flagrant in domino, qui necdum cœperunt, neque hi qui iam fidem cœperunt, sed friguerunt, postposita puerili vel senili vita, Adolescentulæ currere dicuntur, id est illæ animæ quæ in ipso feruore amoris sunt. Quod tamen intelligere & aliter possumus. Potest enim adolescentia ad infirmitatem referri. Iuueniles quippe ætates sunt ordines Angelorum qui nulla debilitate victi sunt, nulla infirmitate superati. Dicatur ergo, *Vnguentum effusum nomen tuum, ideo adolescentula dilexerunt te*, id est, per incarnationem tuam notitiam exterius effudisti: idcirco infirmæ animæ naturam humanam diligere præualent. Illæ quippe virtutes summæ, quasi ætates iuueniles etiam ibi te diligunt, vbi effusus non es, quia & ibi te vident, vbi in statu diuinitatis tuæ te contines. Qui ergo ab illis summis ordinibus quasi à iuuenilibus ætatibus etiam non effusus videris exterius propter homines effunderis, vt etiam ab adolescentulis, id est, ab infirmis mentibus diligaris. Sequitur, *Trahe me.* Omnis qui trahitur aut non valens, aut non volens, inuitus educitur. Sed qui dicit trahe me, habet aliquid quod valet, habet aliquid quod non valet. Natura humana, sequi dominum vult, sed infirmitatis consuetudine superata, sicut debet sequi non præualet. Videt ergo aliud in se esse quo tendit, aliud in se esse quod non valet, & recte dicit trahe me. Quasi volentem nec valentem se viderat Paulus cum diceret: Mente seruio legi Dei, carne autem legi peccati. Et, *video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis mea.* Quia ergo est aliquid quod nos incitat, aliud quod grauat, dicamus, trahe me.] *Post te curremus in odore vnguentorum tuorum.* In odore vnguentorum Dei currimus, cum donis eius spiritualibus afflati, in amorem visionis eius inhiamus, Sciendum vero est, quia in eo quod homines Deum sequuntur, aliquando ambulant, aliquando currunt, aliquando fortiter currunt, quasi post Deum: Ambulat, qui tepide sequitur. Currit qui feruenter sequitur. Perfecte currit, qui perseueranter sequitur. Immobile enim erat cor ad sequendum Deum, & post eum ambulare nolebat, cum aduentus domini in mundo apparuit, & ab insensibili sua statione humanas mentes mouit. Vnde scriptum est: *Pedes eius steterunt, & mota terra.* His autem non motus, sed cursus dicitur, quia non sufficit vt sequamur, nisi etiam desiderádo curramus. ... a vero neque currere sufficit, nisi etiam perfecte curramus, ... t Paulus dicit. *Sic currite vt comprehendatis* Sed nondum nimia currunt, in indiscretionem dilabuntur, ... enim quam necesse est sapiunt, & eius quem sequentur iudicia postponunt. Vnde bene cum diceretur, curremus, præmissum est, post te. Post Deum enim currunt, qui eius iudicia considerant, eius voluntatem suæ præferunt, & peruenire ad eum sub digna operatione cum discretione contendunt. Hinc propheta voluntatem Dei considerans, & sequens ait. *Adhæsit anima mea post te.* Ps. 72. Hic Petro consilium danti dicitur. *Redi post me satanas* Matt. 16. *Non enim sapis qua Dei sunt, sed qua hominum.* Quia ergo perfectæ animæ summa cautela Dei iudicia contuentur, & neque per torporem, neque per indiscretum feruorem præcedere præsumunt, bene dicitur. *Post te curremus in odore vnguentorum tuorum.* Tunc enim post Deum currimus, quando & amando sequimur, & timendo diuina iudicia præuenimus. Sequitur, [*Introduxit me Rex in cubiculum suum, exultabimus & latabimur in te.*] Ecclesia Dei quasi quædam domus regis est, & ista domus habet portam, habet ascensum, habet triclinia, habet cubicula. Omnis qui intra Ecclesiam fidem habet, etiam portam domus istius ingressus est, quia sicut porta reliqua domus aperit, ita fides reliquarum virtutum ostium est. Omnis qui intra Ecclesiam spem habet, iam ad ascensum domus venit. Spes enim eleuat cor, vt sublimia appetat, & ima deserat. Omnis qui in ista domo positus charitatem habet, quasi in tricliniis deambulat. Lata est enim, charitasque vsque ad inimicorum dilectionem extenditur. Omnia qui in Ecclesia positus, iam sublimia rimatur secreta, iam occulta iudicia considerat, quasi in cubiculum intrabit. De porta domus istius dicebat quidam: *Aperite mihi portas iustitia, ingressus in eas confitebor Domino.* Ps. 117. De ascensu spei dicebat, Ascensus in corde suo disposuit. De tricliniis latis domus istius dicitur: *Latum mandatum tuum nimis.* Ps. 83. In mandato lato, specialiter charitas designatur. De cubiculo regis loquebatur qui dicebat: *Secretum meum mihi* Et alias: *Audiui arcana verba qua non licet homini loqui.* Ps. 118. Primus ergo aditus domus istius, porta fidei. Secundus prouectus, ascensus spei. Tertius, latitudo charitatis. Quartus iam perfectio Esa. 24. charitatis est ad cognitionem secretorum Dei. 2. Cor. 12. Quia ergo sancta Ecclesia in membris suis perfectis, in sanctis doctoribus in eis qui iam pleni & radicati sunt in mysteriis Dei, quasi ad sublimia secreta peruenit, & adhuc in ista vita posita, iam illa penetrat, dicit: *Introduxit me Rex in cubiculum suum.* Per prophetas enim per Apostolos, per doctores, qui in ista vita positi, iam sublimia secreto illius vitæ penetrabant, Ecclesia in cubiculum regis illius ingressa fuerat. Et tamen intuendum est, quia non dicit in cubiculum sponsi, sed in cubiculum regis. Nominando enim regem, reuerentiam secretorum vult ostendere, quia quanto patens est cubiculum, tanto maior est reuerentia exhibenda his ad quæ intratur: Ne ergo dum cognoscit secreta Dei vnusquisque, dum occulta iudicia rimatur, dum ad sublimia contemplationis erigitur, extollatur, & in superbiam dilabatur, regis dicitur cubiculum intrare. Cui tanto maior reuerentia exhibenda est, quanto magis anima ad cognoscenda eius secreta ducitur, vt vnusquisque qui proficit, qui iam exaltatus per gratiam, ad sublimia secreta peruenit, seipsum attendat, & ex ipso profectu amplius humilietur. Vnde & Ezechiel quoties ad sublimia contemplanda ducitur, filius hominis vocatur. Ac si ei dicatur, Attende autem quod es, & non extollaris de his, ad quæ attolleris. Sed paucorum est in Ecclesia ista sublimia & occulta Dei iudicia rimari, & comprehendere, tamen dum videmus fortes viros posse ad tantam sapientiam peruenire, vt contêplentur secreta Dei in cordibus suis, & nos paruuli habeamus fiduciam, quod quandoque ad veniam, quandoque ad eius gratiam veniamus. Vnde & ex verbis adolescentularum subditur. [*Exultabimus & latabimur in te.*] Dum Ecclesia in his qui perfecti sunt ingreditur cubiculum regis, adolescentulæ spem sibi exultationis promittunt. Quia dum fortes ad sublimia contemplanda perueniunt, Infirmi spem de venia peccatorum sumunt, ideo ait. *Introduxit me Rex in cubiculum suum exultabimus & latabimur in te.* [*Memores vberum tuorum super vinum. Recti diligunt te.*] Habet iste sponsus vbera, qui etiam rex propter reuerentiam vocatur habet vbera, sanctos viros corde adhærentes sibi. Vbera in arcta

A pectoris fixa sunt, & externo nutrimentum trahunt, ad eos quos foris nutriunt. Sancti ergo viri vbera sponsi sunt, quia ex intimis trahunt, & exterius nutriunt. Vbera illius sunt Apostoli & omnes prædicatores Ecclesiæ. vinum (sicut & superius diximus) fuit in prophetis, vinum fuit in lege. Sed quia ampliora mandata data sunt per Apostolos, quam data fuerant per prophetas ait: *Memores vberum tuorum super vinum.* Quia qui ista possunt implere quæ in nouo testamento mandata sunt, illi scientiam legis sine dubio transcendunt. Quod tamen intelligere & aliter possumus. *Memores vberum tuorum super vinum.* Sunt multi qui vinum quidem sapientiæ habent, sed cognitionem humilitatis non habent. Ista scientia inflat, quia charitas non ædificat. Sunt vero multi qui sic habent vinum scientiæ, vt sciant considerare dona doctrinæ. Dona enim spiritualis gratiæ quasi quædam mamillæ sunt in pectore, quæ subtiliter occultis meatibus spiritualibus ministrant, & eos nutriunt. Ideo ait: *Me-*
B *mores vberum tuorum super vinum.* Quia hi qui recordari sciunt dona gratiæ tuæ, vt sibi non tribuant quod sapiunt & de eadem sapientia quam acceperunt non extolluntur super illos, qui de sapientia sua extolluntur & efferuntur. Plus est enim humiliter sapere, quam superbe sapere. Neque enim vere sapere est, humiliter non sapere, ait: *Memores ergo vberum tuorum super vinum.* Quia scientes considerare dona spiritualis gratiæ, transcendunt eos qui scientiam quidem habent, sed cognitionem in memoria donorum non habent. Aperte ergo dicere est, memores ergo vberum tuorum super vinum, quia fortior humilitas est, quam scientia. Vinum est scientia, quæ inebriat memoriam vberum, quæ inebriat quem ad cognitionem donorum reuocat. Dicat, memores ergo vberum tuorum super vinum, quia vincit humilitas abundantiam scientiæ. Recti diligunt te. Nullus inquit te diligit, nisi rectus. Et nullus est rectus, nisi qui te diligit. Omnis enim qui bona opera per timorem agit, & si in opere perfectus est, in desiderio rectus non est. Vellet enim non
C esse quod timeret vt opera bona non faceret. Qui vero bona opera per amorem agit, & in opere & desiderio rectus est. Sed dulcedo amoris timentibus absconditur.
Psal. 30. Vnde scriptum est. *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ domine, quam abscondisti timentibus te, & perfecisti ea sperantibus in te.* Dulcedo enim Deum timentibus incognita est, amantibus fit nota. Qui ergo per amorem studuerit rectus esse, perfecta dilectio illius est, vt iudicem venientem non timeat, vt quicquid de æternis suppliciis audierit, non formidet. Vnde & Paulus dum aduentũ iudicis expectaret dum præmia æternæ vitæ quæ-
2. Tim. 4. reret, dixit. *Quæ præparauit Deus non solum mihi sed omnibus, qui diligunt aduentum eius.* Præmia enim æterna diligentibus iudicem præparantur: quia omnis qui se opera mala agere scit, iudicem venientem timet. Qui vero de operibus suis præsumit, iudicis aduentum quærit. Parantur ergo præmia expectantibus aduentum Dei & diligentibus aduentum eius: quia non diligunt aduentum iudicis, nisi de causa sua præsumentes. Omnis autem
D certitudo rectitudinis, in dilectione est, & ideo recte dicitur: Recti diligunt te. Sequitur: [*Nigra sum sed formosa filia Hierusalem sicut tabernacula cedar, sicut pellis Salomonis. Nolite me considerare quod &c*] Scimus quia in primordiis Ecclesiæ dum prædicata fuerat gratia redemptoris nostri, alij crediderunt ex Iudæa, alij non crediderunt. Sed hi qui crediderunt, ab infidelibus despecti sunt & persequutionem passi, quasi in viam gentium discessisse iudicati sunt. Vnde Ecclesia in eisdem clamat aduersum eos qui conuersi non sunt. *Nigra sum, sed formosa filia Hierusalem.* Nigra quidem vero iudicio, sed formosa per illustrationem gratiæ, Quomodo nigra? *Sicut tabernacula Cedar.* Cædar enim secundus fuit de genere Ismaël, & cædar tabernacula Esau fuerunt. Quomodo ergo nigra? Sicut tabernacula cædar Quia in conspectu vestro ad similitudinem gentium iudicata sum, id est, ad similitudinem peccatorum. Quomodo ergo formosa? Sicut pellis Salomonis Fertur Salomon quando templum ædificauit, omnia vasa templi pellibus cooperuisse. Sed

nimirum pelles Salomonis decoræ esse potuerunt, quæ E
tabernaculo aptæ essent. Quæ si in tabernaculo eius fuerunt non nisi decoræ esse potuerunt in obsequium regis. Sed quia Salomon interpretatur pacificus: nos ipsum Salomonem verum intelligimus: quia omnes animæ adhærentes Deo, pelles Salomonis sunt macerantes seipsas & in obsequium regis pacis redigentes. Sum vero (iudicio vestro) sicut tabernacula cædar, quia quasi in viã gentium discessisse iudicor, sed iuxta veritatem sicut pelles Salomonis sum, quia in obsequium regis adhæreo. Nolite me considerare quod fusca sim, quia decolorauit me sol. Peccatricem attendebat illam partem quæ Christo crediderat, pars illa quæ non crediderat. Sed dicat ista: *Nolite me cõsiderare quod fusca sim, quia decolorauit me sol.* Sol ipse dominus ipse veniens decolorauit me, præceptis suis ostẽndit: quia pulchra non fui in præceptis legis. Sol quẽ arctius tangit, ipsum decolorauit: ita & Dominus veniens quem per gratiam suam strictius tetigit decolora-
uit, quia dum plus appropinquamus ad gratiam, plus nos F
peccatores cognoscimus esse. Videamus Paulum ex Iudæa venientem in sole decoloratum. Quod si volentes in Christo iustificati, inuenti sumus & ipsi peccatores. Qui se in Christo peccatorem inuenit, in sole decoloratus inuenitur. Sed ecce pars ista quæ ex Iudæa credidit, persecutionem ab infidelibus Iudæis passa est, afflicta multis tribulationibus ac pressa. Vnde sequitur: [*Filij matris meæ pugnauerunt contra me.* Quia filij synagogæ qui in infidelitate remanserunt: bellum persecutionis contra synagogæ fideles gesserunt. Sed dum persecutionem patitur ea pars quæ ex Iudæa venit ad fidem, discessit ad prædicationem gentium. Vnde exsequitur. [*Posuerunt me custodem vineis. Vineam meam non custodiui.*] Quia dum me persequuntur qui in Iudæa sunt in Ecclesiis me custodem fecerunt. Vineam meam non custodiui,
quia Iudæam deserui. Vnde & Paulus dicit. *Vobis missum* Act. 13.
fuerat verbum Dei, sed quia vos indignos iudicastis, ecce conuertimur ad gentes. Ac si dicat: Nos vineam nostram
custodire voluimus, sed quia nos ipsi respuistis ad alie- G
natum nos vinearum custodiam transmisistis. Ista quę synagoga diximus ad fidem conuersa, dicamus modo de Ecclesia ex gentibus ad fidem vocata. *Nigra sum sed formosa filia Hierusalem.* Ecclesia ex gentibus veniens, considerat fidelium animas quas inuenit, quas & filias Hierusalem vocat. Hierusalem quippe, visio pacis dicitur. Considerat quid fuit, considerat quid facta est, & confitetur præteritas culpas ne superba sit. Confitetur præsentem vitam, ne ingrata sit, & dicit: Nigra sum, sed formosa. Nigra per meritum, formosa per gratiam. Nigra per vitã præteritam, formosa per conuersationem sequentẽ. Quomodo nigra? Sicut tabernacula cædar. Cedar quippe, tabernacula gentium fuerunt, tabernacula tenebrarum fuerunt. Et gentibus dictum est: *Fuistis aliquando tenebræ,*
nunc autem lux in domino. Quomodo formosa? sicut pel- Ephes. 5.
les Salomonis. Macerati sumus per pœnitentiam mortificati vero per pœnitentiã quasi pellis in obsequiũ regis adducitur. Omnes per pœnitentiam seipsos affligentes:
membra Christi se faciunt. Membra ergo Christi per pæ- H
nitentiam afflicta pelles Salomonis sunt, quia mortificata caro fiunt. Sed ecce erant in Iudæa fideles, qui dedignabantur venire ad fidem gentilium. Vnde & Petrum redarguunt, quod Cornelium susceperat. Vnde & hic Ecclesia gentium subiungit: Nolite me considerare quod fusca sum. Nolite despicere gentilitatem infidelitatis meæ, nolite despicere peccata priora, nolite attendere quod fui. Quare? quia decolorauit me sol. Sol enim decolorat, in quo arctius & districtius se imprimit. Deus quando districtum iudicium tenet, quando districtionem suam amplius exhibet & decolorat, dum amplius fulget, quia dum districtionem subtilius exercet, districtè adiudicat. Quasi enim radios suos suspendit sol, quando clementer opera nostra desiderat. Quasi districtè virtutem suam exhibet, quando districtè opera nostra pensat. Dicat ergo Ecclesia: Inde sum fusca, inde peccatrix, quia me sol decolorauit, quia creator meus dum me deseruit, ego mœrore lapsa sum. Sed tu ô afflicta sic destituta, quid meruisti?

Quid

A Quid ex dono assecuta es? *Filij matris meæ pugnauerunt contra me.* Filij matris sunt Apostoli. Mater enim hominum Hierusalem superna est. Ipsi pugnauerunt contra Ecclesiam, dum ab infidelitate in fide prædicationis suæ, quasi quibusdam lanceis confoderũt. Vnde & Paul. quasi
2. Thess. quidam pugnator dicit: Cogitationum consilia destruentes & omnem altitudinem extollentem se aduersus scientiam Dei. Qui altitudinem destruit, vtique pugnator est. Isti ergo pugnatores, isti filij matris Hierusalem debellauerunt Ecclesiam ab errore suo, vt illam fundarent ad iustitiam: *Filij matris meæ pugnauerunt contra me.* Et quid fecerunt pugnantes? *Posuerunt me custodem in vineis.* Vineæ, Ecclesiæ sunt virtutes quæ fructificant, quia dum depugnant in me vitia, quasi mala mea in me expugnãt. Fructificationem & virtutum studia mihi dederunt, in vineis me custodem fecerunt, vt fructificationem afferrem. Post expugnationem specialiter dicat. [*Vineam meam non custodiui.*] Vinea Ecclesiæ antiqua consuetudo erroris est,
B Quem dum custos ad virtutes ponitur, deserit vineam, illam antiquam consuetudinẽ erroris sui. Diximus de gentilitate conuersa, dicamus modo generaliter de tota simul Ecclesia, & specialiter quid de vnaquaque anima sentiendum sit. Solent praui auditores Doctores suos non considerare quod sunt, sed quod fuerunt. Sani vero Doctores & confitentur quod fuerunt, & profitentur quod sunt, vt nec peccatores esse abscondant, nec iterum dona velut ingrati denegent. Dicat ergo in istis Ecclesia. *Nigra sũ, sed formosa.* Nigra per me, formosa per donũ. Nigra de præterito, formosa ex eo facta sum in futuris. Quomodo nigra Quomodo formosa? *Nigra sicut tabernacula Cedar, formosa sicut pelles Salomonis.* Et non est iustum vt aliquis ex præterita vita pensetur, & non magis attendatur quod fuit, sed quod est. Vnde subiungit. *Nolite me considerare quod fusca sim, quia decolorauit me sol.* Aliquãdo in scriptura sacra sol ponitur nimius æstus terrenorum desideriorũ. Vnde ergo fusca? Quia decolorauit me sol. Ita intelligitur: Nolite considerare quod nigra fui antea per infideli-
C tatem: quia sol Christus de quo scriptum est, *Vobis antẽ ti-*
Matt. 4. *mentibus nomen meum orietur sol iustitiæ:* decolorauit me per fidem. *Filij matris meæ pugnauerunt cõtra me.* In omni creatura duæ creaturæ rationales sunt conditæ, humana & Angelica. Cecidit Angelus, persuasit homini. Mater enim omnis creaturæ, benignitas est & potentia Dei. Nos ergo & Angeli ex eo quod rationales conditi sumus, quasi quandam societatem fraternitatis habemus, quia Angeli ab eadem potentia conditi sunt, qua & nos. Quia tamen cadentes Angeli quotidie contra nos bellum gerũt, dicit: *Filij matris meæ pugnauerunt contra me.* Ecce dum pugnant isti spiritus rationes isti spiritus filij matris dum pugnant contra animam, faciunt eam terrenis rebus incumbere, actionibus seculi vacare, res transitorias quærere. Vnde subiungit: *Posuerunt me custodem in vineis, vineam non custodiui.* Vineæ enim sunt actiones terrenæ. Ac si dicat. In actionibus terrenis custodem me posuerunt. Et quid? Vineam meam, id est, animam meam, vitam meam, mentem meam custodire neglexi: quia dum
D exterius in rerum terrenarum actione inuoluta sum, ab interna custodia lapsa sum, plerique ex eo se considerant quod iuxta ipsos est, non ex eo quod sunt. Iuxta ipsos sunt dignitates, iuxta ipsos exteriora ministeria. Et dum custodiunt quod iuxta se habent, seipsos custodire negligunt. Dicat ergo: Posuerunt me custodem in vineis, vineam meam non custodiui, id est, dum exteriori custodia in actionibus secularibus deseruio, interioris custodiæ sollicitudinem amisi. Sed ecce reducta anima ad gratiam creatoris sui, iam amat, iam requirit vbi redemptorem suum inueniat. Vnde sequitur: [*Indica mihi quem diligit anima mea, vbi pascas, vbi cubes in meridie.* In meridie sol feruentior est: Omnis qui in fide feruet, in amore feruet. Iste sponsus qui subter hinnulus vocatur, in corde ipsorum pascit virtutum viriditate. Ait: *Indica mihi quem diligit anima mea, vbi pascas, vbi cubes in meridie.* Quare sic quærat vbi pascat, vbi cubet, causam reddidit inquisitionis suæ. [*Ne vagari incipiam post greges sodalium suorum.*] Sodales Dei sunt amici familiares, sicut sunt
E omnes qui bene viuunt. Sed multi apparent sodales esse, & non sunt. Multi enim Doctores dum peruersa doctrina suaderet, sodales quidem videbantur, sed inimici extitere suoi. Dum Doctor esset Arrius, Sabellius, Montanus, quasi sodales videbantur, sed dum districte discussi sunt, inimici apparuerunt. Dicat ergo: *Indica mihi quem diligit anima mea, vbi pascas, vbi cubes in meridie, ne vagari incipiam post greges sodalium tuorum.* Ac si dicat: Indica, in quorum cordibus veraciter requiescas, ne vagari incipiam post greges eorum qui sodales tui videntur, id est qui familiares tui creduntur, & non sunt. Omnes Sacerdotes, omnes DD. sodales sunt quantum ad speciẽ, quantum vero ad vitam, multi non sunt sodales, sed aduersarij sunt. Multi enim paruuli inter Ecclesiam fideles appetunt bene viuere, & volunt vitam rectitudinis tenere, considerant vitam sacerdotum qui eis præpositi sunt, & dum bene ipsi Sacerdotes non viuunt, hi qui sequũtur, in errorem dilabũtur. Vnde Ecclesia quasi in eisdem paruulis
F & fidelib⁹ dicit: *Indica mihi quẽ diligit anima mea, vbi pascas, vbi cubes in meridie,* id est, vitã mihi veraciter seruiẽtium tibi indica, vt sciam vbi pascis viriditate virtutũ, vt sciã vbi cubes in meridie, id est requiescis in feruore charitatis, ne dum greges sodalium tuorum aspicio, ipsa vagari incipiam, nesciens cuius verbis credere debeam, cuius magisterio vti debeam. Ecce verba sponsi redduntur ad sponsam. *Si ignoras te ô pulchra inter mulieres egredere, & abi post vestigia gregum tuorũ, & pasce hædos tuos iuxta tabernacula pastorum.*] Omnis anima nihil debet amplius curare quam vt seipsam sciat. Qui enim seipsum scit, cognouit quia ad imaginem Dei factus est. Si ad imaginem Dei factus est, non debet similitudinem iumentorũ sequi, siue in luxuria, siue in appetitu præsenti deuolui. De qua ignorãtia alibi dicitur: *Homo cum in honore esset, non intellexit, cõ-* Ps. 48.
paratus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis: Vestigia gregum, sunt actiones populorum. Quæ quanto multæ sunt, tantò impeditæ, tanto peruersæ. Dicatur ergo Ecclesiæ: *Si ignoras te ô pulchra inter mulieres, egredere, & abi post vestigia gregum & pasce hædos tuos iuxta ta-*
G *bernacula pastorum.* O tu quæ fœda eras per ignorantiam, per fidem facta es pulchra, inter aliorum animas. Quod euidenter dicitur ad electorum Ecclesiam. Si ignoras te, id est si, hoc ipsum quod ad imaginem meam facta es ignoras; egredere, foras exi. Si vero non cognoscis, aliquid facta es, egredere, & abi post vestigia gregum. Sequere non exempla mea, sed exempla populorum. *Et pasce hædos tuos iuxta tabernacula pastorum.* Hœdi nostri, sunt motus carnales, hœdi sunt nostræ tentationes illicitæ. *Abi post vestigia gregum,* id est, discede post exempla populorum. *Et pasce hædos tuos,* id est, nutri motus carnales, non iam sensus spirituales, sed motus carnales. Abires iuxta tabernacula pastorum, siue agnos pasceres, id est in doctrinis magistrorum, in doctrinis Apostolorum, in doctrinis Prophetarum. Siue hœdos pascis iuxta tabernacula pastorum pasce, vt fide voceris Christiana & non operibus, quia intra videris esse per fidem, & non intra per opera. Ecce increpasti, ecce redar-
H guisti. Quid enim non dicis. Quid tu benigne in ea operatus es? Dic plane. Nam sequitur [*Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilaui te amica mea.* Omnes qui luxuriæ, qui superbiæ, qui auaritiæ, qui inuidiæ, qui fallaciæ deseruiunt, adhuc sub curru Pharaonis sunt, id est, sub regimine diaboli, qui quasi sub curru Pharaonis sunt. Omnis vero qui in humilitate, in castitate, in doctrina, in charitate feruet iam equus effectus est creatoris nostri, iam in curru Dei positus est, iam sessorem Deum habet. Vnde cuidam cui Dominus præsidebat dicitur: *Durum est tibi contra stimulum calcitrare.* Ac si diceret: Act. 9.
Meus equus es, iam calces contra me iactare non potes, iam tibi ego præsideo. De istis equis alibi dicitur: *Misisti in mare equos tuos, turbantes aquas multas.* Habet Abac. 3.
ergo currum Deus, quia animabus sanctis præsidet, & per animas sanctas circumquaque discurrit. Vnde scriptum est. *Currus Dei decem millia:* & reliqua. Habet tamen currus Pharao, qui tamen currus in mari rubro submersi sunt. Dicit ergo sponsus: *Equitatui meo in curribus* Ps. 67.

A *Pharaonis assimilaui te.* Dum adhuc operibus dæmoniacis deseruires, ego te equitatui meo assimilaui: quia attendi quid per prędestinationem in te fecerim, & equis meis te comparaui. Vbi consideranda sunt Dei occulta iudicia, quam multi videntur per prædicationem, per sapientiam, per castitatem, per largitatem, per longanimitaté, equi Dei esse, & tamen occulto Dei iudicio equis Pharaonis assimilantur. Et multi videntur per auaritiam, per superbiá, per inuidiá, per luxuriá equi Pharaonis esse, & tamen occulto Dei iudicio equis Dei assimilantur, quia & illos videt de bono ad mala conuerti, & istos videt de malo ad bonum reduci. Sicut enim per prædestinationem multi qui equi videntur Dei, equi sunt Pharaonis per reprobam vitam quæ sequitur eos; ita & per pietatem multi qui equi Pharaonis esse videntur, per sanctam vitam quam in fine suo seruaturi sunt, equis Dei assimilantur. Vnde blanditur & dicit: *Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilaui te amica mea.* id est tu adhuc in

B curribus Pharaonis vitiis deseruiebas sub vitiis currebas, sed ego, attendi quid per prædestinationé de te feci. Equitatui meo assimilaui te id est electis meis similem te attédi. Ecce tandem aduertis magnifice Cæsar, quá in Isagoge præfari sumus quod nil historialiter in hoc volumine reperitur, sed omnia allegoriarú allusionibus redolent, & dramatum decursionibus, moraliumque suauitatibus flagrant. Quocirca suadere, imo suggerere, quamquam temere, excellentiæ culminia vestri exopto, vt quia magnā solentiæ sapientiam nactus, & defensionem tuitionemque sanctæ Ecclesiæ indeptus, vt non solum armorum suffragio in procinctu bellorum constitutus, cuneis procerum vallatus, & turmis militum constipatus, ab incursionibus exterarum gentium aduersariorum protegas, verum sacræ doctrinæ & intelligentiæ diuinarum scripturarum deuotus & sedulus persistas, vt eádem sanctam Ecclesiam in subiectis ab internorum videlicet malignorum spirituum, ancilibus Euangeliorum munitus gladiis diuinarum scripturarum accinctus, spiculis senten-

C tiarum ornatus, defendere possis: qui semper non corpora sed animas fidelium extinguere quærunt. Vnde Petrus

1.Pet.5. hortatur, dicens: *Vigilate, quia aduersarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens, quem deuoret. Cui resistite fortes in fide.* Et vt hostia insidias antiqui cauere, & aliis prędicare vestra nobilitas docte valeat, huius voluminis, aliorumque librorum expositionibus studere congruis post dispositionem imperij horis satagas, vt merito dicere gratulabunda queat, quod istic legitur: *Introduxit me Rex in cellam vinariam, ordinauit in me charitatem.* Et illud: *Indica mihi, vbi pascas, vbi cubes in meridie, ne vagari incipiam post greges sodalium tuorum,* vt ipse sponsus, dominus scilicet qui subter *hinnulus* appellatur, per custodiam tui aliorumque vigilantiam & intelligentiam sacrarum scripturarum pascere quodammodo viriditate in vobis virtutum, & cubare in feruore charitatis dignetur. Sequitur: [*Pulchræ sunt genæ tuæ vt turturis.*] Post oscula sancta suscepta, post omnem lætitiam retro dinumeratam, post pugnam prædictorum filiorú matris,

D post agnitionem sui, post curam, qualis, vel à quo creata sit post virtutem equitatui dominico comparatam, vox Christi loquitur ad Ecclesiam. Et nunc initia pulchritudinis præ cæteris membris à genis eius nosci docemur. Et hæ pro magna turturi comparantur, vt per ænigmata eius à perturbatione seculi istius tumultuosa prolongandam ostenderet. Hæc ergo pulchritudo genarum quæ castitatis rubore, & verecundiæ candore decorantur, & in facie sunt corporis: nihil mirum si eorum personæ qui faciem Ecclesiæ exórnant comparentur. Vnde in genis Ecclesiæ, sunt patres antiqui, qui in ipsa honoris facie primi consistunt, atque martyrij decore rubent. Turturi vero Ecclesia propter varietatem diuersorum bonorum, siue castitatem comparatur virtutum. Quæ auis sola præ cæteris auibus remota à frequentia hominum diligit incolere loca secreta, & ibi constituit nidum, educat pullos vbi hostis eius aut nunquam, aut vix habet accessum. Sic nimirum sancti patres sic anima sancta & fidelis, quæ amica appellatur à verbo, Dei, quo

E vtique fugiendo malorumque consortia, respuendo, quicquid pretiosú in præsenti cernitur vita, eo modo cognoscitur cœlestem facere prolem, doctrinæ suæ sermone genitam & vitæ exemplo nutritam transmittit ad cælum. Nam turtur (sicut in præfatione prælibauimus) tantæ castitatis ab eis qui naturas auium descripserunt narratur, vt præter vnum coniugem nesciat. De quibus si alter casu defectus erit, alteri iam nunquá alia societur, sed in omni vita proprium coniugem amissum desiderando requirit. Cui per castitatis & verecundiæ decorem, Ecclesia in genarum pulchritudine congrue comparatur. Ait enim *Pulchræ sunt genæ tuæ sicut turturis.* Ac si à Christo dicatur: Tanta te varietate virtutum decoraui, vt castitatem promissæ mihi fidei nulla prauorum Doctorum seductione corrumperes: Hæc quidem secundum historiæ ordinem dicta sunt, sed secundum opinionem aliquorum præcelsior sensus in hac comparatione latere dicitur. Nam quibusdam videtur, illius turturis pulchritudinis

F genas Ecclesiæ comparari, de qua in Psalmo dicitur: *Etenim passer inuenit sibi domum. & turtur nidum sibi, vbi re-* Psal.

ponat pullos suos. Vbi figuram Spiritus sancti in passere, & Immaculatæ carnis assumptæ in turture nominatam, nemo sapiens ignorabit. Tunc videlicet Ecclesia in genis quæ omnibus in propatulo sunt, à bonis & malis ab vtroque pulchra laudatur, quando assumpti hominis Christi per castitatis maxima bona quantulumcumque in similitudine traxerit. Tunc pulcherrimum totum Ecclesiæ corpus cernitur, vt cum verecundus, genarum aspectus per pudicitiæ gloriam ab impiis admiratur. Tunc enim magnæ virtutis ab hostibus suis castitas probatur, cum eam impugnantes vincere non poterunt. Nam sicut membra quæ sunt in capite, si pulchra fuerint, cæterorum membrorum, quæ vestibus conteguntur fœditatem excusant; ita & illa qui per sacerdotalem honorem membra capitis Ecclesiæ esse noscuntur, plebis negligentiæ fœditatem sua castitate decorant. Et è contrario nil tam deforme, tam abiectum in Ecclesiæ corpore, nisi cum in supradictis

G membris turpissima vita vel fama cernitur. Et quia sancta Ecclesia in suis præsulibus, & doctoribus castitate & varietate virtutum, turturis, id est, Christi imaginem imitatur, necessario ab ipso laudatur dicendo, *Quam pulchræ sunt genæ tuæ sicut turturis.* Sequitur: [*Collum tuum sicut monilia. Murenulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento.*] In collo videntur laudari, qui verbo ædificationis cæteros instruunt ad salutem qui spiritualem cibum sermonis ad membra Corporis Christi, quibus credulitas sola suffragatur quocunque interpretando transmittunt, qui per doctrinam auream, & per exemplum vitæ gemmeum in Ecclesiæ collo ostenduntur. Monili namque gématum ornatus dignoscitur Sed vt pulchrior fiat earum aspectus auri materiam necessariam habent, per quæ connexæ in suo teneantur loco Hoc & ipsum naturæ nostræ ingenium, quod in similitudinem gemmæ de lapideo corde exciditur, necessarium habet fulgentissimum sancti Spiritus adiumentum, per quem noui & veteris testamenti verba legis diuinæ, quæ pronuntiauerunt, vel

H ostenderunt saluatorem mundi venisse, cum catenata quasi vna veritatis catenula sermo effectus, gemmeis animarum transactus mentibus per concordiam fidei, per vnanimitatis sensum Ecclesiæ collum decorat. Et quia sancti doctores, qui per collum designantur, verbum prædicationis, ornati virtutibus aliis administrant, & quæ docent verbo operibus exequuntur. Quæ opera monilibus exprimuntur, & scripturam vtriusque testamenti, quæ murenulis aureis designatur, videlicet quia auro spiritualium sensuum fulget interius, & argento cœlestis eloquij nitet exterius prædicant, recte in eis Ecclesia laudatur dum dicitur: Collum tuú sicut monilia. Murenulas vel catenulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento, quia dona superius prædicta sancti doctores habere non possunt nisi ab ipso percipiant, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi. Sequitur: [*Dum esset Rex in accubitu suo nardus mea dedit odorem suum.*] Nardus, est frutex aromatica, graui (vt aiunt) & crassa radice, sed breui ac nigra fragilique quamuis pinguis situ

A redolente vt cypressum, aspero sapore, folio paruo, densoque; cuius cacumina in aristas se spargunt, ideoque gemina dote pigmentarij nardi spicas ac folia celebrant. Et hoc est quod ait Marcus: *Vnguenti nardi spicati pretiosi.* (Marc. 14.) Videlicet quia illud vnguentum quod attulit Maria domino, non solum de radice confectum nardi, verum etiam, quo pretiosius esset, spicatum quoque & foliorum eius adiectione, odoris ac virtutis illius erat accumulata gratia. Ferunt etiam de nardo Phisiologi quod principale sit vnguentum, vnde merito vnctio capitis & pedum Domini oblata est. Sunt quidem eius multa genera, sed omnia herbæ, præter Indicum, quod pretiosius est. Mystice autem deuotio hæc Mariæ Domino ministrantis, fidem ac pietatem designat Ecclesiæ sanctæ, quæ loquitur hic in amoris cantico, dicens: *Cum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum.* Quæ nimirum verba & semel iuxta literam manibus Mariæ compleuit, & quotidie in omnibus suis membris spiritualiter implere non desinit. B Quæ totum diffusa per orbem gloriantur, & dicunt: Deo autem gratias qui semper triumphat nos in omni loco, *quia Christi bonus odor sumus Deo.* Quæ cum potentiam diuinæ virtutis eius quæ illi vna cum patre est, digna reuerentia confitetur, laudat, & prædicat, caput profecto illius vnguento perfundit pretioso. Cum vero assumptæ mysteria humanitatis æque digna reuerentia suscipit, in pedes vtrique Domini vnguentũ nardi, pisticum, id est, fidele ac verũ perfudit: quia illã eius naturam qua terrã contingere, hoc est, inter homines cõuersari dignatus est, pia prædicatione cõmendat, ac deuotis veneratur obsequiis. Vnde accubitus, sepultura Christi intelligitur, quanquam tunc discubuisset in domo Simonis leprosi. Nardus vero, ipsæ mulieres quæ primo diluculo ad monumentum cum aromatibus venerunt, vt vngerent Christum, & famam illius resurrectionis credentibus diuulgarent. Vnde eis dictum est. *Ite, nunciate fratribus meis, quia præcedit vos in Galilæam, ibi eum videbitis.* (Matt. 28.) Seu accubitus Christi, beatitudo est secreti cœlestis. C Ait enim, *Cum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suũ:* quia videlicet Christo Rege quiescenti in beatitudine secreti cœlestis, nardus dat odorẽ suũ, id est, virtutes Sanctorum in Ecclesia, magnæ nobis gratiã suauitatis administrant. Vel etiã accubitus Regis, sancta electorum intelligitur Ecclesia. In ea Christus requiem sibi inuenit, sicut per Prophetam ipse loquitur: *Hæc requies mea in sæculum sæculi.* (Ps. 131.) Nardus Ecclesiæ dicitur, propter odorem virtutum: Vnde Apostolus ait: *Christi bonus odor sumus Deo in omni loco:* (2. Cor. 2.) Quam Ecclesiam cum viderit diabolus innumerabilibus charismatũ monilibus ornatã ditari, & omnium dulciũ blandimentis præsentis vitæ contemptis ad vnam illam æternæ quietis dulcedinem festinãtem, innumerabiles amaritudinũ immissiones, tam per se quã per satellites suos per momenta immittit. Sed quia Deus redemptor in medio eius est semper, non cõmouetur de vestigio veritatis, neque perturbatur propter superuenientium impetus impiorum: quia & omnia & in omnibus Christus. Nam si amara pro Christi inferantur amore, D indulcescunt rore spei futuræ, & lætitiæ sempiternæ. Ideo sequitur: *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur.* Perseuerat sancta Ecclesia, vel anima fidelis in laude sui creatoris, quem perpẽdit passum in amaritudine suæ passionis. Vnde semper habens in memoria recordationis quam propinqua est vberibus pectoris, & qualiter passus est pro ipsa in gloriã suæ redemptionis, dicit: *Fasciculus mirrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur.* Ac si dixisset: Mors dilecti mei quam pro salute mea subiit, semper in mea memoria commorabitur, ad imitationem & gloriam laudationis. Et quia gaudet eum passum, gloriatur etiam eum resurrexisse à mortuis: recte subiunxit: [*Botrus cypri dilectus meus mihi, in vineis engaddi.*] Bene ait botrus cypri dilectus meus mihi, ac si aperte exclamet. Qui fuit fasciculus myrrhæ in amaritudine, & tristitia passionis, ipse est botrus cypri in dulcedine resurrectionis. Myrrha tristitiã, vinum lætitiam significat: quia videlicet Christus ex Iudæis secundum carnem genitus, atque ab ipsis in lignum crucis velut botrus suspensus, sed tertia die post torcular mortis, lætitiam resurrectionis suis ostendit discipulis. E Et bene *in vineis engaddi*, propter charismatum dona, quæ post resurrectionem largitus est in baptismo participibus. Engaddi namque fons hœdi, vel oculus hœdi dicitur, videlicet baptismum significans, vbi ex hœdis agni efficiuntur. Quod autem oculus hœdi interpretatur, ipsum Christum innuit, qui est lux omnium peccatorum venientium ad se. Ecce breuitatis causa ista succincte dicta sunt, vt menti lectoris mei citius inculcentur. Sed quia sancta Ecclesia in membris suis mysterium Passionis Christi imitari desiderat, vt ad gloriam Resurrectionis cum Christo perueniat & non cum hœdis ad sinistram, sed cum ouibus segregari mereatur ad dexteram, dicamus plenius. Denique cum dixisset, *fasciculus myrrhæ dilectus meus*, addidit mihi: intellexit pro sua salute fuisse passum, suaque pro gloria resurrexisse à mortuis. Ait namque, *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur.* F Myrrha siquidem amara interpretatur, quæ in se salutarem significat disciplinam, quam in Christo suscepit Ecclesia, quæ pro eius nomine in diuersis membris diuersas tormentorũ amaritudines tolerando, fasciculus myrrhæ efficitur ei Christus. Arbor ergo myrrhæ, de qua multis infirmitatibus corporis profuturus gignitur succus, similis est salici, subtilissimis contortisque virgulis in modum fasciculorum, ramusculos ab eis qui arborum naturas descripserunt, proferre asseritur. Hæc igitur prædicta Ecclesia, vel sancta quælibet anima vbi per æternæ vitæ auditum dulcedinem gustus suscipit in sponsi aduentu: multimodas & amaras passiones illatas, nõ sentit, hoc est carceres, exilia, proscriptiones, rerum præsentium nuditatem, famem, sitim, vincula, cædes iniustas, improperia, pericula, naufragia, imbres lapidum, præcipitationem profundi, variarumque pœnarum aculeos, & alia multa. Cum hæc susceperit propter mortem sui redemptoris, cum magna lætitia dicit: *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi.* G Cum ergo ad multas infirmitates à diabolo inflictas sanandas, multas à Deo correptiones patienter pertulerit, vel diuersas vt supra dictum est, pro eius nomine illatas, gaudens sustinuerit passiones, fasciculus myrrhæ eius efficitur Christus, ad omnes vitiorum morbos de eius pectore expellendos. Tunc iam mundus & cum orationibus paratus, hospitium diuinum est, vt ipsa iam tam magna fiducia Christum inuitet in cordis sui recessum; tanquam intra vbera sua dicentem in Euang. *Ego & pater veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* (Ioan. 14.) Seu etiam inter vbera sua Ecclesia commorari lætatur, inter illos proculdubio viros qui pro ætate, vel pro possibilitate lacte doctrinæ suæ spirituali paruulos nutriunt; De quibus ipse dominus dicit: *Si duobus vel tribus conuenerit super terram, quicquid petierint in nomine meo fiet eis.* (Matt. 18.) Et: *Vbi congregati fuerint duo vel tres in nomine meo, ego in medio eorum sum.* Quorum vnus ex vberibus suis auditoribus dicebat: *Lac vobis potum dedi non escam.* (1. Cor. 3.) Possunt etiã, si cui placuerit duo vbera Ecclesiæ Moyses & Elias intelligi, H in quorum medio transfiguratus in monte IESVS, dilectus Ecclesiæ in futuram gloriam ipsius Ecclesiæ commoratus probatur: quorum alter promissurum ostendit, alter iam venisse prædicauit in significationem duorum testamentorum. Vnde dicitur: In medio duûm animalium cognosceris. Quæ duo testamenta vbera sunt Ecclesiæ. Quorum in medio Christus commoratur. Et quia legislator Moyses, & eximius prophetarum Helias; sermocinantes fuerunt de excessu passionis illius, propterea sequitur, *Botrus cypri dilectus meus mihi, in vineis engaddi.* Præ omnibus terris, vt fertur, insula Cyprus miræ magnitudinis botros vuarum gignere comprobatur. Cuius magnitudinis ille botrus, qui à duobus iuuenibus de terra repromissionis in desertum perlatus fuisse legitur, & qui omnimodo figuram assumpti hominis Christi redemptoris nostri signabat: quæ vtique pro loco, vel tempore, vel causa, esca & potus Ecclesiæ factus est per corporis sui & sanguinis sacramentum. Cyprus vero tristitia, vel mœror interpretatur.

A Matt. 5.

Engaddi sicut dictum est fons hœdi. Est ergo botrus Cypri amicæ suæ Ecclesiæ, dum peccatoribus tristitiam, vel mœrorem pœnitentiæ in mentibus seminat, vt eos ad illam beatitudinem sublimet, de qua ipse in Euang. dixit: *Beati qui lugent nunc, quia ipsi consolabuntur.* Qui vt ille quem diximus à duobus populis, Iudæo scilicet persecutore, & Romano milite imperante, à phalange in crucis patibulum leuatus est. Qui vsque hodie per tristitiã mœroremque vitam conferentem æternam Ecclesiæ genuit (vt prædictum est) in eis, qui post innumeras congeries criminum, in sinum Ecclesiæ congregantur. Cibum vero spiritalem & potum, botrus prædictus in se credentibus quotidie subministrat, his dumtaxat, qui congregantur in vineis engaddi, vbi est fons hœdi, qui est sacrosancti baptismatis fons, vbi hœdi descendunt qui erant deputandi à sinistris ante tribunal iudicis, æterno igni tradendi, & ascendunt agni immaculati, qui à dextris iudicis congregentur æterno regno donandi. Certum est ergo,

B

vt sicut vna gens Iudæa per notitiam legis diuinæ vinea domini nuncupatur, ita & diuersæ gentes ad fidem Christi adiectæ per Apostolorum culturam, & doctorum doctrinam, multæ vineæ appellantur. In quarum medio (vt dictum est) sancti baptismatis fons est aquæ, ad quem hœdi adueniunt, vt agni efficiantur. Quæ vineæ engaddi non vinum, sed balsama gignunt. Engaddi vicus est prægmagnus in terra Iudæa, iuxta mare mortuum. Quæ terra figuram tenet terræ viuentium, vbi sunt vineæ balsami, intra terminos tantum olim viginti iugerum erant. Postea quam eadem regione Romani potiti sunt, etiam in latissimis collibus propagata est, stirpe similis viti, foliis similis rutæ, sed albidioribus semperque manentibus. Arbor autem balsamum, lignum chirobalsamum, id est, ramusculus eius dicitur, fructus siue semen, carpobalsamum, succus opobalsamum. Quod ideo cum adiectione significant, eo quod percussus ferreis vngulis cortex ligni per cauernas eximij odoris guttam distillat. Cauerna enim Græco sermone ὀπὴ dicitur. Cuius guttam adulterant admixto cyprino oleo vel melle. Balsama autem si

C

pora fuerint, tantam vim habent, vt si sol excandeerit, sustineri in manu non possint. De quibus vineis multi reges transplantauerunt arbuscula balsami in aliis locis vel terris, quod & Romanos fecisse legitur, & penitus radicare aut viuere nequiuerunt. Vnde factum est sicut supra innuimus, vt in eodem vel loco vel in eisdem finibus magnum studium adhiberetur à regibus in plantandis vineis gignentium balsama. Et quæ sit causa, vt in nullo cespite proueniant vineæ nisi in sola engaddi operæ precium est intelligere. Reor (vt quidam ait doctorum) hunc succum harum vinearum, vnius fidei confessionem intelligi typum tenere, in qua spes consistit fidelium, in qua singula medicinalis odor bonus Christi, vitam mortuis animabus reddens germinare probatur. De qua confessione quæcunque gens vel anima à malis cultoribus, vel hæreticis decerpta vel transplantata fuerit, arescit. Quod multis animabus euenisse

D

probatur, quæ se ab vna verissima prædicta confessione fidei euulsæ & arefactæ gehennæ pabulum præbuerunt. Nam sicut corpus sine esca & potu subsistere non potest, ita Ecclesiæ voce declaratur sine botro qui est Christus, æterna vita de cœlo descendens, viuere non posse, quia in nulla alia terra repromissionis, in nulla alia vinea nisi in vineis engaddi ab esurientibus & sitientibus iustitia inuenitur, id est, in nulla congregatione hæreticorum, in nulla secta philosophorum, in nulla adulatione schismaticorum, vbi si transplantatus fuerit aliquis, deceptus peruersitatis suæ fama, deperit arefactus. Hoc profecto intelligens Ecclesia ait: *Botrus cypri, dilectus meus mihi, in vineis engaddi.* Sequitur: *Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra, oculi tui columbarum.*] Post genarum & colli decorem sponsæ vicem reddendo oculorum pulchritudo laudatur in doctorum simplicitate suorum, & geminato præconio absconso. Et totius corporis pulchritudo, & lumina, columbarum oculis comparantur. Et illi comparantur creaturæ, quæ

E

mansuetudine, fœcunditate, acumine visus, velocitate pennarum, omnibus aligeris animantibus præstantior inuenitur. Oculi ergo duces totius corporis esse probantur, sine quibus aut non potest incedere corpus, aut vix offendendo incedit. In quibus sancti doctores intelliguntur spirituali visu cœlestia contemplantes, qui propter simplicitatem & innocentiam columbæ comparantur. Possunt etiam & sacerdotes recto ordine intelligi quibus sacrosancta mysteria commissa sunt, in quorum fide decoratur Ecclesia, in quorum vita immaculata frequẽtibus laudibus sublimatur. Pulchra namque mundissimam Deo est scientiam exhibendo, pulchra inimicis, & alienis à fide Christi irreprehensibilem conuersationem monstrando. Adducitur & tertia pulchritudinis laus in acumine oculorum. Columbarum enim natura super illa quæ diximus: & hoc peculiare habere probatur, vt hostis aduentum post se de longe, ante se in aqua speculetur, aduentum scilicet accipitris, ne pullos rapere possit considerat. Sic nimirum sancti doctores simplicitate & innocentia præditi, sic sacerdotes Ecclesiæ acumine suæ contemplationis cœlestia contemplantur. Super fluenta scripturarum meditando resident, & insidias diaboli, qui animas credentium rapere festinat, commonitione sermonum suis auditoribus vt caueant pronunciare satagunt, ideoque in talibus pulchritudo Ecclesiæ ab sponso laudatur. Vnde pulchram & pulchram repetit, quia hanc in eis & prędicatione & actione laudabilem vidit. Sequitur: [*Ecce tu pulcher es dilecte mi, & decorus, lectulus noster floridus.* Vox Ecclesiæ ad Christum. Ac si dicat: Tu solus pulcher es, ego ex te pulchra. Et quia intelligit non suis meritis iustificatam, & pulchritudinem virtutum ab ipso accepisse, succensa in eius amore, laudat eius pulchritudinem. Non potest aliquis cuiuspiam quem diligit minime, decorem laudare, nec potest eum cuius moribus non concordat diligere, sicut Apostolus docet dicens: *Nemo,* inquit, *loquens in Spiritu Dei, dicit anathema* IESV. Et, *Nullus dicit Dominum* IESVM, *nisi in Spiritu sancto.* Ille ergo pulchritudinem 1. Cor. 12.

G

speciemque dilecti Filij Dei & videre potest & laudando extollere, qui sanctis operibus spiritum eius in sua retinuerit mente, ideoque præsenti loco, Ecclesia plena spiritu veritatis, sicut ipse sponsus superius ostendit, dicens: *Ecce tu pulchra es amica mea,* ille qui in speciem columbæ in Iordane de cœlo super assumptum hominem descendit, & pulchritudinem corporis eius sine peccato, & decorem veræ animæ sine mendacio & dolo agnoscens, reciproca geminataque refert laude dicendo, *Ecce tu pulcher es dilecte mi & decorus, lectulus noster floridus.* Quamuis scilicet decora facies, vel preciosa vestis pretiosum ostendat sponsæ sponsum procul positum, tamen vsque ad lectuli coniunctionem cæterorum membrorum decorem ignorat. Sed vbi celebrata fuerit legalis coniunctio, & duo effecti fuerint caro vna secundum sententiam primi hominis, quod sacramentum magister Paulus, in Christo & in Ecclesia perlatum asseruit: ita & prædicta amica vsque ad sepulturæ diem dilexit quidem desiderando eius aduentum, visum osculatumque laudauit, sed tamen omnis amor, omnisque species decoris eius à tempore resurrectionis vsque ad constitutum terminum, ad effusionem sanguinis pro eius nomine peruenisse probatur. Lectum namque floridum id est sparsum floribus, vbi eius pulchritudinem, decoremque in omnibus membris agnouit, sepulchrum Domini per ænigmata ab Ecclesia intelligitur dictum, vbi quod assumpserat corpus verbum patris, recubasse probatur. Floridus autem lectus iusta ratione prædicatur, in quo aromata vel aloe quæ de multis speciebus herbarum succis vel floribus arte pigmentaria composita, cum Christi corpore intromissa sunt, quibus eo resurgente sepulchrum est aspersum. In cuius doctrina Ecclesia id est fidelium turba, libertatem inuenit, in morte vitam, in sepultura silentium, in duris laboribus requiem, quos dæmonum flagris acta exoluebat quotidie, vbi vetus homo per inclusionem corporis, sub impiorum signaculo conuersatus cognoscitur, & vetus Deus designato Eph. 5.

H

gnato

gnato sepulchro resurgendo egressus. Vbi sub vocabulo lectuli filij Dei, & Ecclesiæ coniunctio celebrata, vbi cum eo Ecclesia delectabilem somnum passionis, & gaudium æternæ vigilationis meruit inuenire, clamante Apostolo ad eius membra: *Si mortui estis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, vbi Christus est in dextera Dei patris.* Ad cuius resurrectionem & mentes hominum ad habitandum Spiritui sancto, & tecti congregationum credentium quotidie præparantur, etiam visibiliter quam innumerabiles Domus Dei & Eccl. sine cessatione omni tempore ampliantur, & de quibus aut à qualibus materiis fabricentur, aut quam durabilia sint vel decora, docuit dicendo. [*Tigna domorum nostrarum cedrina, laquearia cypressina.*] Sed sciendum est quia quidam doctorum *lectum floridum* pacem intelligunt sanctæ Ecclesiæ in qua secura à tumultu vitiorum, & dominatu malignorum spirituum in Christo quiescit, & virtutibus sanctis florescit, & spirituali flore multiplicatur. Sed nos vt
B
cœpimus superiorem sensum exequamur. Sepulchrum Domini lectulum intelligimus, vbi caro ipsius per soporem mortis velut in lectulo quieuit, quod vere floruit per gloriam resurrectionis. Ait enim diuinus sermo: *Tigna domorum nostrarum cedrina, laquearia nostra cypressina.* Tigna & laquearia, doctores sunt forte & auditores, siue corda electorum propter munimē & decorem Cedrina & cypressina, propter eximias virtutes odorem bonæ vitæ, & incorruptionum dicit, in quibus Christus requiescit vel it sub tecto. Et vt manifestius pateat, dicamus sub exemplo, Natura cedrorum semper crescere fertur, nec aliquando finitur ire in senectam, secundum illud psalmographi: *Iustus vt palma florebit, & sicut ce-*
Psal. 91.
drus Libani multiplicabitur. Quarum arborū succus (iuxta opiniones medicorum) tantæ virtutis est, vt diuersa corporum membra sanet, vermes vlcerum necet, & à muscarum aculeis peruncta corpora defendat. Cuius arboris ligno cum aqua viua & fasciculo hyssopi, cocco
C
alligato in vase fictili, peccatorum emundatio per aspersionem in veteri testamento celebratur. Quod nūc in veritate per sacerdotem, per baptismum, & per sanguinem Christi, qui vnius fidei multitudines per fasces circumpleaas à diaboli infestatione defendens, æterna & in temporali peccatorum remissione celebrari docetur. Domus videlicet filij Dei & Ecclesiæ, conuenticula populi Christiani, vbi prædicta redemptio animarum celebratur, in toto mundo esse noscuntur. Quæ domus de doctoribus, imo à doctoribus, eorum scilicet doctrinæ ferramentis dolatis fabricari probantur, in quorum mentibus, Dominus inhabitare dignatur. Ipsa cedrina ligna imputribilia prædictarum domorum intelliguntur, quæ nec stultissimis nequitiarum cogitationum suggestionibus à suo sanctitatis robore depereunt, & semper transacta obliuiscentes, ad ea quæ anteriora sunt bona opera sine intermissione velut cedri quotidie crescunt, id est, multiplicantur sanctorum fructibus in filiorum sanctarum lucris animarum, quorum succus sermonis vel consolationis ab aculeis dæmonum animas defendit, & inflictas iam olim sordidorum facinorum consuetudines vulnerum sanat, & nequissimarum cogitationum vermes interimit. In quibus digne ad delectationem habitantium, Domus recte fidelibus cypressina laquearia affixa dependunt. Cypressi namque lignum manu artificis runcinatum, decorum præstat aspectum, & odorem iocundissimum reddit ei ad multas passiones corporis, medicinæ virtutem in se continere probatur. Quæ castitatem, pudicitiam, obedientiam, humilitatem, charitatem, & misericordiam conuersantium auditorum formam, venerantium sacerdotum honorem exprimere intelliguntur, qui ad verbum doctorum indesinenter dependent, qui in modum cameræ de iustis laboribus solando doctorum præsentis temporis, prædicta laquearia consetta tignis domorum exornant, & contegunt nuditatem. Doctorum enim gloria plebs est, similiter & plebis est gloria stabilitio firma doctorum: cum illi spiritualia dona plebi, & plebs carnalia munera illis impertiunt, gloriosæ Domus Christo parantur flores sapientiæ cœlestis, & lilia integritati per suam penitentiam ad magnam iocunditatem honoris ipse Dominus prædictarum domorum impendit. Vnde sequitur. E

CAP. II.

EGo flos campi, & lilium conuallium.] Ac si aperte diceretur: Ego decus mundi & gloria humilium. Quanquam & inferous ex superfluo possit intelligi, & vbi Christus ad eripiendos patriarchas descendere dignatus est, sicut quidam intelligunt. Sed nos his prælibatis ne quorundam sensum ignorasse causaremur dicamus vberius B. Ambrosij dicta ponentes. Ante suam (inquit) incarnationem, saluator in Angeli persona patriarchis & prophetis loquendo: solus cui nullus similis inter Angelos, thronos, dominationesque omnibus admirandus, singularis flos in toto cœlorum campo coruscans probatur. Quam partem odoris notitiæ suæ prout poterant sustinere patriarchæ vel prophetæ, & mundus ipse mortales semper admonuit docendo. Omnis scientia, per prophetas, per signorum virtutes interficiendo impios per aquas diluuij, vel Sodomitas per ignem, per quod insipientes intelligerent sapientiam, & stulti superbi aliquando saperent super se commutari excelsiorem iudicem, iustam exoluentem vindictam. Vbi vero per incarnationis sacramentum huc in conuallem lachrymarum, inter spinas & consortia peccatorum descendit; lilium effectum se esse testatur. In qua conualle quid aliud nisi spurcissima religio idololatriæ, inuidiæ, furtorum, homicidiorumque, aruspicinæ auguriorum, vel fornicationum, vel magicarum artium grassabantur spinarum siluæ. In quarum medio doctrinæ flagrantia, & exempli candore Christus ostensus, credentium turbam quotidie liberat. Tria igitur in se delectabilia, & nimis oculis grata lilij natura continere probatur id est candorem, odorem, quæque adusta ignibus medicinam. Quæ tria admiranda simili ratione in hanc conuallem mundi Dominus apportasse cognoscitur, hoc est abolitionem peccati, abstersionem mendacij, refrigerij temperamentum ignium genitalium, de quo nascitur amor conseruandæ virginitatis. Et quicumque à talibus se temperant in vtroque sexu gloriosi assumpti hominis & beatæ mariæ virginis accenduntur exemplis. Et sic flos campi & lilium conuallium per immaculati corporis assumptionem dicitur. Quod sacramentum ad liberandam plebem suam, quo nos à diuersis languoribus diuersa eius membra sanaret, & quæ ignitis spiculis fornicationum à dæmonibus inflicta fuerant vulnera, eius sanatorum doctrina, & quæ acumine nequitiæ amicam in Prophetis & doctoribus vulnerabant, in liliorum iocunditate conuerterentur, de quibus Ecclesia ternata refulget, & amarissimis stimulis pungitur sicut ipse in sequentibus ait: [*sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.*] Istæ igitur amicæ inter quas Ecclesia vt lilium inter spinas consistit, licet non cum distinctione dicator cuius sint filiæ tamen ex eo quod spinis comparantur aduertere possumus non Dei, sed diaboli per nequissimam doctrinam genitas nuncupari. Inter tot enim venenosas spinas Ecclesia incolit mundum, videlicet gentilium vel hæreticorum, qui ipsam impugnant, & ne otio torpescat, contra hostes armari impugnarique permittitur: vt post pugnam eius fortitudo appareat. De talibus Dominus ait: *Cauete à fermento Pharisæorum*, quod est doctrina hæreticorum. Et Apostolus: quæ inquit, societas luci ad tenebras? Aut qui est sensus templo Dei cum idolis? Aut quæ communicatio Christi cum Belial? Et propesimiliter Isaias ait: *Exite* (inquit) *de medio eorum, & qui portatis vasa Domini, mundamini.* Quod autem dicit *sicut lilium inter spinas sic amica mea inter filias*, non vituperationem iustorum, qui sunt Ecclesiæ membra, sed laudem demonstrat, vt nos doceret nimium esse laudabile, pie inter impios viuere, & peruersorum in nullo spinosa cōuersatione attrahi, inter quos iustus quasi lux in tenebris resplendere probatur. Ac si Ecclesiæ dicatur. Tu requiem

F G H

Matt. 16. 2 Cor. 6. Isa. 52.

A quæris, sed laudem lectuli recordare, quod candidior tribulationum aculeis efficieris, & maiores fructus prædicationis quam quietis acquires. Et bene ait, *sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias*, id est sicut lilium inter spinas proprium odorem atque candorem tenet, sic electorum Ecclesia inter prauos Christianos atque hæreticus si eis non cesserit virtutibus flagrat. Sequitur: [*Sicut malus inter ligna siluarum, sic dilectus meus inter filios. Sub vmbra illius quem desiderabam sedi, & fructus eius dulcis gutturi meo.* Sicut igitur ante incarnationis
Heb. 1. mysterium *multifaria, multisque modis* (secundum Apostolum) *Dei filius locutus est patribus nostris*, vel ostensus est in prophetis, sic post prædictum mysterium celebrauit, multa bona diuersis modis præstando humanæ naturæ, diuersis rebus diuersisque comparatur personis,
Ps. 67. pro tempore, & loco, vel causa. Nam secundum Dauid Prophetam mons Dei, pro eo quod plenitudo diuinita-
B tis habitatura erat in eo. Est & vitulus nouellus cornua producens, per duo testamenta. Et vngulas per octo beatitudines, a quatuor euangelistarum pedibus productæ. Et agnus tollens peccatum mundi per mansuetudinis impertionem Spiritus sancti, ita vt alios vestiendo ipse semper abūdet. Est & fasciculus dilectus myrrhæ, & botrus cypri in vineis engaddi, ita & pro loco arborem malum vel granatum eum appellat Ecclesia, pro eo quod arbor vitæ est cum diuerso sapore, diuersis se personis præbendo. Est proculdubio arbor malus granata, quę inedia famis affectas animas sole sub ardente nequitiæ fatigatas, sub vmbra defensionis suæ protegit ac defendit, & fructu labiorum doctrinæ, esurientes & sitientes per suam dulcedinem reficit. A paradisi expulsione vsque ad virginis partum multis laboribus, & intolerabilibus dæmonum impugnationibus affecta est humana progenies, quæ hic sub Ecclesiæ persona amica est appellata, in eius aduentu qui dixit: *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis & ego vos requiescere fa-*
C *ciam* sub tegmine defensionis eius, credendo vnum Deum, requiescens læta dicit: *Sub vmbra illius quem desiderabam sedi.* Quam dulcedinem regni cœlorum quanquam præsens protectio possit intelligi, & beatorum requiem nominat, siue corpus eius, & sanguinem delibando, vitam æternam conferentem, exultans ait. *Et fructus eius dulcis gutturi meo.* Licet vt dulcedo diuinarum scripturarum intelligatur in prædicatoribus sanctis, qui guttura Domini appellantur, prolata sit. De qua dulcedi-
Ps. 33. ne ait Propheta: *Gustate*, inquit, *& videte, quoniam*
Ps. 118. *suauis est Dominus*, Beatus vir. Et illud: *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua Domine super mel ori meo.* De huius arboris fructu quasi languidus in vltima desperationis infirmitate mali granati succo in aduentu eius recreata est credentium turba, qui fructus quotidie per eos qui Christi vices agunt, in guttur Ecclesiæ infundi monstratur, & sic per singulos gradus profectuum introducitur ad arcanam intelligentiam legis diuinæ, vt agnoscere possit omnia illa quæ in veteri testamento sunt
D gesta. Ait enim: *Sicut malum inter ligna siluarum, sic dilectus meus inter filios.* Ac si dicatur: Sicut malum visu, odore, & gustu antecedit omnia ligna silutstria, ita Christus antecedit omnes sanctos qui filij Dei vocan-
Ps. 95. tur. De quibus dicitur: *Tunc exultabunt omnia ligna siluarū ante faciem Domini quoniam venit.* Vnde filij nō malitia vocantur, sicut filiæ, quæ spinis cōparantur. Est quippe magna exultatio lignis siluarum, dum conspiciunt in medio sui talem arborem surrexisse, cuius fructus totam decorauit siluam, omnes abstulit animarum languores, omnesque indulcorauit fructus amaritudinis. Sub cuius vmbra omni æstu tristitiæ, omnique pondere peccati abiecto, Ecclesia multo tempore desideratam requiem inuentam, & dulcissimo fructu saginata adolescentibus animabus adepta gaudia narrat. *Sub vmbra quam desiderabam*, inquit, *sedi, & fructus eius dulcis gutturi meo.* Ac si dicat: Eodem protegente quem semper adesse quæsiui quieta ac secura maneo, & gratia sua cœlestis dulcedinis me fecit esse participem, & sic per ordinem ad altiora intelligenda mysteria se introduci testatur dicendo: [*In-*
E *troduxit me rex in cellam vinariam, ordinauit in me charitatem.*] Cella vinaria Ecclesia debet intelligi, sicut nonnulli opinantur, in cuius vnitate Spiritus sanctus tantummodo dari solet, & accipi. Cuius gratia hoc loco vini nomine designatur. Vinum cum Spiritum san-
Act. 2. ctum accepissent Apostoli Iudæi dixerunt: *Musto pleni sunt isti.* In qua cella ordinata est charitas, vt quisque Deum toto corde plusquam seipsum, & proximum tanquam seipsum diligat. Quanquam possit ex superfluo cella vinaria, mysterium passionis Christi intelligi, in quo introducta est Ecclesia, quando per fidem eius sacramentis participare meruit. Sed quia per ordinem adolescentibus animabus intelligenda mysteria introductam se testatur, necessario cellam vinariam, scientiam & dulcedinem diuinæ legis vult intelligi. Ad quam dulcedinem inuitat adolescentulas, & laudando festinare hortatur, quam Christus propinando docuit, cum ait: F
Ioan. 6. *Operamini cibum qui non perit, sed qui permanet in æternum.* In quo opere positos, beatificat Propheta, dicens, *Beati qui scrutantur testimonia eius, in toto corde exqui-*
Ps. 118. *runt eum.* Sunt enim testimonia in veteri testamento legis, quæ Christum humani generis redemptorem probant venturum, aduenisse, iterum aduenturum in gloriam. Ponamus igitur legem latissimum esse palatium, in quo rex inhabitat Christus, sermo omnipotentis patris, vbi ad æternam militiam introducuntur credentium animæ: vbi introductam se, in eandem videlicet intelligentiam legis dicit ad consideranda mirabilia, quæ per singulos patriarchas vel Prophetas vsque ad partum virginis operatus est Deus, quam nunc per figuram cellam vinariam nominauit, vbi introducta, suscepit in se ordinem charitatis. In quo ordine charitatis, quid aliud credēdum est primum imbui, nisi vt credat & agnoscat primum, debere patrem nominari, in quo filius semper, vt verbum inuocet? secundum, filium in quo semper pater, tertium Spiritum sanctum, qui vera ratione de voce & verbo de G patre & filio procedere comprobatur? qui per omnia Deus vnus diligendus est, secundum illud in initio de-
Exo. 20. calogi. *Diliges Dominum Deum tuum in toto corde tuo.* Secundus ordo est, *in tota anima tua.* Tertius ordo est, *in tota virtute tua.* Deinde iā in singulis præceptis legalibus quomodo, vel quo affectu debeat diligi proximus, vel singulæ personæ in Ecclesia, charitas ordinat. Alio enim
1. Ioh. 4. ordine reciproca charitas pensanda est Deo, qui nos secundum Apostolum prior dilexit, qui nobis omnem summam charitatis per Christum contulisse probatur. Alio ordine fideli amico, alio ordine charissimo filio, alio ordine imprudenda genitoribus, per quos sumus qui non eramus, alio ordine fratri germano, alio ordine coniugi, alio ordine seruus Domino, alio ordine Dominus seruo, alio peregrino, alio agnito, alio sacerdoti alio propinquis & proximis.

Nam largiri necessaria egenti infirmo, vel peregrino, non ad ostensionem laudis humanæ, sed propter retributionem æternam ordinatæ charitatis indicium est. Consolari indigentes, & oppressos iniusto iudicio, visi- H tare infirmos, vel carceri mancipatos, ordinata charitas demonstratur. In nullo negotio pro veritate hominis personam reuereri, misericorditer admonere insipientes, veracissime increpare superbos, charitatis manifestus est ordo. Quisquis autē amplius diligit patrem, aut matrem, vxorem, filios, vel fratres, aut diuitias præsentis temporis quam Deum, est quidem in eo charitas, sed non ordinata, quoniam præ omnibus ipsum diligere debemus, & proximum sicut nosmetipsos. Iste est ordo charitatis. Ordinauit ergo Dei filius in Ecclesia sua charitatem, vt sciat vnusquisque Ecclesiæ filius vnicuique quo ordine charitatis impendat officium, dicendo in Euangelio. *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ*
Matt. 22. *sunt Dei Deo*, Et per Apostolum ait: *Reddite singulis*
Rom. 13. *debita, cui honorem, honorem: cui timorem, timorem: cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal.* Non omnes qui Christiano vocabulo nuncupantur, per hunc ordinem charitatis in prædictam intelligentiam quam cellam vinariam nominauit, introducuntur,

A cuntur, sed qui parnum quantumcumque imitatus fuerit Paulum qui dicebat, amplius omnibus laborani, 2.Cor.11. in vigiliis, in ieiuniis, & cætera: *& omnia, ait, arbitratus sum vt stercora, vt Christum lucrifacerem.* In capite huius cantici in cubiculum, siue cellarum regis introducta Ecclesia laudat, Phil. 3. vbi ingressa dicit, *exultabimus & lætabimur in te*, agnitam videlicet eius præsentiam corporalem, qui est sapientia patris, qui velut in conclaui Prophetarum præconiis latebat, in quo sunt omnes exultationes & lætitiæ & thesauri. Hic vero ad intelligendam diuinam legem, & ad ordinem charitatis discendum se introductam dicit, non se lætari & exultare, sed languere, eo quod (secundum Salomonem) qui addit Eccl. 3. scientiam, addit dolorem. Et quis quantum consectando proximius effici cœperit sapientiæ, tantum eam vix conspicit prolongatam. De quo dolore beatus amor nascitur Christi, & de amore gloriosior sanitas, animæ languor, qui ei omnes vires subtrahat ad peccandum. B Quæ licet arcana mysteria multiformis sapientiæ Dei adepta sit, quæ licet perfectionis teneat arcem, non sibi tamen solius prædictæ sententiæ aut intelligentiæ credit sufficere summam, nisi stipata mali & fulcita diuersis fuerit floribus. Vnde continuo subiunxit. [*Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.*] Præsentiam corporalem sapientiæ Dei patris, id est, Christum requirit in cella scientiæ legis, sed quia illum quem desiderat videre prout est adhuc non permittitur, aliorum exempla ad suam consolationem exposcit, quibus interim suum languorem temperare valeat. Ait namque: Fulcite me floribus, stipate me malis, id est, consolamini me exemplis, seu inchoantium bonum opus, seu perficientium: quia adhuc in peregrinationis tædio, amore supernæ visionis languesco. Vnde non immerito per flores animæ iam bonum opus inchoantes, & cœlesti desiderio redolentes, per mala de floribus perfectæ iam bonorum mentes, quæ ad fructum perueniunt boni operis, de initio sanctæ propositionis intelliguntur. Quæ C ergo amore languet, fulciri quærit floribus stipari malis, quia nullum quem desiderat videre adhuc non permittitur, magna est consolatio si de aliorum profectibus lætetur: vt anima requiescat in bono opere proximi, quæ adhuc contemplari non valet vultum Dei. Videamus qualis mens Pauli fuerat, qui dicebat: Phil. 1. *Mihi viuere Christus est & mori lucrum.* Hinc est quod iterum Eodem. dicit: *Desiderium habeo dissolui, & cum Christo esse multo magis melius.* Sed ecce qui dissolui desideras, quo amore langueas videamus. Quia interim differri te conspicis Ibid. fulciri quæso floribus non requiris? Quæris plane: Nam sequitur: *Permanere autem in carne, necessarium existimo* 1.Th.2. *propter vos.* Et proficientibus discipulis dicit, *Quæ est enim nostra spes aut gaudium, aut corona gloriæ? Nonne vos ante Dominum nostrum* IESVM CHRISTVM? Coniuncta ergo anima Dei verbo, introducta intelligentiam legis, discurrendo per singulos apices scripturæ, vt sæpe dictum est, & singula vasa cellæ vinariæ diuinorum librorum degustando sapores, quasi inebriata lætitiæ D vino semper futuræ beatitudinis, quamuis sponsum non cernat in præsenti, cur ad eam tarde perueniat dicit se amore languere. Illo procul dubio, de quo Propheta Ps. 41. dicit: *Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum, quando veniam & apparebo ante faciem Domini.* Per quem amorem scientiæ, amor germinatur vitæ æternæ, & de amore vitæ æternæ tolerantia persecutionis. In quo amore soporata, quasi in lectulo collocata, promissionis leua, & adiutorij dextera Christi amplexari se deprecabatur dicendo. [*Leua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.*] Quid namque per sinistram nisi vita præsens, vel temporalia Dei omnipotentis dona designantur? Quid vero per dexteram nisi perpetua vita figuratur? Sinistram namque Dei Ecclesia videlicet, prosperitatem vitæ præsentis, & temporalia dona quasi sub capite posuit, quam intentione summi amoris premit. Dextera vero Dei eam amplectitur quia sub æterna eius beatitudine tota deuotione continetur. Quoniam hic per spem sponsus mentem roborat, & illic per remunerationem glorificat. E Vel in leua vetus testamentum, & in dextera nouum Testamentum intimatur. Nam potest ita intelligi, vt leua Christi à sinistris sustineat animam ne ab incentiuis vitiorum vncinis implanetur in leua, sed semper ostentata occultis compunctionibus sublimetur ad regnum. Et ne in superbiam elata faciat lapsum in dextera in qua diabolus corruit, tribulationes & multimoda retinacula permittendo, & fatigata adiuuando dextera sua amplexatur. Valet etiam ex superfluo ita intelligi, vt leua sub capite fidei sit scutum, quod pugnans sinistra contineat manu, & dexteræ amplexatio orationis gladius intelligatur, quo dextera semper armatus, quatinus altero armorum genere aduersarius repellatur, & altero prosternatur, Sequitur. [*Adiuro vos filiæ Hierusalem per capreas ceruosque camporum, ne suscitetis neque euigilare faciatis dilectam, quo adusque ipsa velit.*] Post multos labores, scilicet Ecclesiæ & discursus, per quos anxia intra sanctam cellam vinariam fatigata redditur in soporem, F quæ celerius ne pristinis reddatur laboribus suscitata à somno, adiurantur filiæ Hierusalem ne suscitent eam, & per hoc adiurantur, quod firma diligatur charitate. Per capreas videlicet ceruosque camporum, quas non parui meriti vel laboris animas esse intelligi datur, per quas adiurantur filiæ Hierusalem. In plebe enim Christiana secundum meritorum qualitatem diuersis animalibus animæ comparantur. Habet ergo palatium Dominus noster IESVS CHRISTVS, quod intra se cellaria multa, & cellam vinariam, & camporum spacia continere intelligitur. Cuius flores beatus Paulus ingressus, admirando laudat; Rom. 11. *O altitudo*, inquit, *diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei* In quo palatio inter multas diuitias, id est, multitudinem sanctorum intelligitur habere etiam animas diuersas: sicut in domo magna (iuxta Apostolum) non solum sunt vasa aurea & argentea, sed & fictilia & lignea. Vnde 2.Th.2. non immerito filiæ Hierusalem animæ sunt electorum supernæ patriæ visionem pacia contemplantes. Capreas vero vel ceruos spirituales veteris nouique testamenti panes G appellat, quibus multitudo sacrarum scripturarum pascua est. Seu capreas eas nonnulli animas intelligi volunt, quæ acumine dialecticæ intelligentiæ sensu per philosophiam & mente discurrere consuetunt quæ nunc intra supradictum palatium rete conclusæ arte venatorum, id est, Apostolorum, cæterorumque doctorum manu captæ, mutata religione in melius, campos diuinarum scripturarum, vel per sapientiæ quæque ardua & obscura interpretantes, discurrunt montes, & cultura deorum in creatoris laudem quotidie vertitur. Quæque in fide velocitatem sui cursus ostendunt, & acumine sensus more caprearum insidias aduersariorum à longe prospiciunt. Caprearum natura est, primam corporis partem sublimiorem, humiliorem posteriorem probatam habere. Et hac de causa semper sursum ascendendo montem in cursu velocior inuenitur, quo itinere aduersarius minor est insequendo. Cerui autem videntur intelligi, qui in ipsa philosophiæ suæ velocitate doctrinæ non multos, sed vnum Deum inuisibilem, immensum H inæstimabilem, omniumque creatorem, totum vbique mundum implentem confessi sunt, qui & ipsi à sanctis doctoribus rete prædicationis in sinum Ecclesiæ capti sunt. Qui in arduis vitæ morantur, more ceruorum fontem aquarum petunt, serpentes interimunt, & tanquam munda animalia ruminant. Hi sunt ergo proculdubio cerui camporum & capreæ, animæ videlicet fidelium philosophorum conuersæ ab infidelitate superstitionum, per quos sponsus filias Hierusalem coniurat, vt patiantur paulisper requiescere sponsam in requiei somno, quæ delectantur Ecclesiam secum concurrere in illis operibus in quibus ipsæ ad cœlestem sunt gloriam sublimatæ, per quæ amissa corporea sarcina, cum illis epulentur in cœlis. Quam Dominus Christus ad lucrum vel consolationem aliarum animarum requiescere in corpore iubet quo ad vsque ipsa velit, donec ipse sponsus prospiciens vtilitati eius & ipse cognoscat vires suas: quia sine ipso nihil potest facere. Sed potest iuxta

A intelligentiam priorem, vbi capreas & ceruos veteris & noui Testamenti partes significare diximus, ita intelligi. Contestor pacificas, ac si dicatur fidelium animas, per suas quasque virtutes, quæ per munda & ruminantia animalia significata sunt, ne pia fratrum studia aliqua importunitate impediant, sed sic quisque de proximorum profectu, quasi de suo gaudeat. Aliter admonet Christus ne quisquam doctorum muneribus scilicet vel minis deterreat credituros, sed tantum quæ sancta sunt prædicent, & voluntarie ad fidem vel ad religionem credituros vel conuersos adducant, & in sua tranquillitate non perturbent, donec diuina inspiratione adacti ad altioris vitæ studia accingantur. Sed perfecta electorum anima, & (vt ita dicam) sancta Ecclesia in ipso requiei sopore semper cum timendo audit, semper cum amando videt. Vnde nunc ait, subauditur, hæc est quam audiui adiurantem filias Hierusalem, ne me in eius amplexu quiescentem suscitarent. Vel vox illius,

B euangelica est prædicatio. Et quid dicat vox ista dilecti Ecclesiæ, in ipso Euangelio proprio ore declarat.

Matt. 24. *Videte*, inquit, *ne seducamini a pseudoprophetis. Multi enim venient in nomine meo dicentes, quia ego sum Christus, & multos seducent, & dabunt signa, ita vt etiam si fieri potest electi in errorem inducantur.* Et:

Luc. 21. *Videte ne grauentur corda vestra crapula aut ebrietate.* Et:

Luc. 12. *Similes estote seruis expectantibus Dominum suum, quando reuertatur à nuptiis.* Ne sub specie doctorum decipiatur Ecclesia requiescens in amplexibus sponsi. Et ne otio post labores torpescat, aut delitiis resoluatur, in Euangelio taliter admonetur. Sed in ipsa securitatis requie solicite semper autem cordis ad vocem Christi præbere, hoc est, in scripturis diuinis, & assiduæ orationi operam dare studeat. Monentur ergo per hæc qui præsunt populo Christiano vt sine intermissione annuntiant plebi, quid præcipiat vox ista dilecti Ecclesiæ, quomodo scilicet venit de sinu patris ad humanum

C consortium, vt verbum fieret caro, quomodo secun-

Abac. 3. dum Abacuc Prophetam humiliando dæmonum superbiam, confregerit montes violentiæ, & liquefecerit colles æternales, conculcando sub pedibus credentium satanam transilij montes prædictos. Et hoc perpendens Ecclesia, ait [*Ecce venit saliens in montibus transiliens colles.*] Vis audire quales saltus fecit? Tales, inquam saltus dilectus meos. De cœlo venit in vterum, de vtero in præsepe, de præsepe venit in crucem, de cruce venit in sepulchrum, de sepulchro rediit in cœlum: Ipse est qui eleuatus est etiam super omnes montes & colles, id est, partes noui & veteris Testamenti, qui merito virtutum & vertice fidei, cæteris sunt eminentiores. In his Dominus non solum inhabitare, sed transilire dicitur: quia non tantum diuinitate, sed humanitate incomparabilis apparuit. Seu per Apostolos (vt dicere cœpimus superius) omnem superbiam sapientiæ mundi extollentem se aduersus creatorem liquefecit, & ad nihilum redacta humiliatur. In quibus non rhetorica argu-

D menta, sed sancti Spiritus virtus fulgebat, & prostrata dæmonum turba sub pedibus credentium, ostensus est Ecclesiæ saliens in montibus, & transiliens colles venisse in mundum, & inter homines conuersatus est. Vnde & mox subiungitur [*Similis est dilectus meus capreæ hinnuloque ceruorum.*] Capreæ Christum comparatum non per detrimenta diuinitatis, qui semper idem est, intelligimus, sed per incarnationis mysterium, videlicet quia apparuit in similitudine carnis peccati, in quo augmenta consecuta est, cœlo recepta carnis natura. Nam & capreæ ideo nonnulli assimilatum opinantur, quia nostræ salutis illustratio cæcitatem cordis auferens in posteriore sæculi parte veniendo in carne se ostendit, quam Moysi petenti in monte Syna monstrauerat. De

Ps. 67. quo mysterio Dauid dicit: *Penna columbæ deargentata in posteriora dorsi eius.* Sicut caprearum posterior corporis pars candorem demonstrat. Et quia multi non solum ex Iudæis, sed etiam ex philosophis gentium credidere per eius humilitatem incarnationis, de quibus intelligitur agrestes illæ animæ quondam mundiores

E cæteris supradictis, quæ per ipsius doctrinam ad vnius veri Israëlis consortium aggregatæ sunt. Talibus similis iuxta opinionem aliquorum voce Ecclesiæ pronuntiatur, qui propter innocentiam & multitudinem credentium hinulo ceruorum comparatur. Hinulus ceruorum ideo dicitur, quia genitus est ex stirpe patriarcharum, qui ceruorum nomine prænotantur, seu hinulo ceruorum propter humilitatis formam, nec dum adhuc potentiæ cornibus exaltatis, quibus in secundo aduentu causaturus est mundum, de quibus dictum est in psalmo

Ps. 47. Tunc exultabuntur cornua iusti. Hinnulus enim ceruorum sine cornibus est, amorem in se potius visionis suæ, quam terribilitatem ostendit, sicut Dominus noster Christus in primo aduentu fecisse dignoscitur. De cuius primo aduentu mox subiungitur [*En ipse stat post parietem nostrum, respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos.*] Indutus pariete nostræ mortalitatis, latuit sub-

F stantia diuinitatis. Sed prospiciens ad nos per cancellos & fenestras, dum miracula fecit, vt ex miraculis appareret, qui ex passionibus latuit. Qui enim humanis oculis hoc quod de mortali natura assumpsit ostendit, & in se ipso qui inuisibilis permansit, in aperto se videre quærentibus quasi post parietem stetit, quia videndum se manifestata maiestate non præbuit. Quasi enim post parietem stetit, qui humanitatis naturam quam assumpsit ostendit, & diuinitatis naturam humanis oculis occultauit. Quisquis enim per fenestras vel cancellos respicit, nec totus videtur, nec totus non videtur. Redemptor enim noster, quia & diuina fecit & humana pertulit, quasi per cancellos & fenestras ad homines venit vt Deus, vt appareret ex miraculis sicut dictum est, & lateret ex passionibus, & homo cerneretur ex passionibus. Recte dicitur: *En ipse stat post parietem nostrum, & reliqua.* Potest si cui libuerit ita intelligi. En ipse qui crucifixus est, qui diuinitatis suæ dextera lan-

G guentem, id est, lugentem in Apostolis consolationis amplexu continebat Ecclesiam, cum qua carne sepultus est, cum ipsa vtique stat resurgens post parietem incredulitatis nostræ quem luteis operibus construxeramus peccando. De quibus dicit per Isaiam Prophetam:

Esa. 50. *Nunquid non vales manus mea ad liberandum? Sed peccata vestra murum fecerunt inter vos & Deum.* Post quem stans Dominus Christus expectat se ab impiis inuocari, & vocat ad pœnitentiam animam peccatricem, expectat sibi ab incredulis credi. Post quem parietem stat, vsque ad tempus baptismatis vel pœnitentiæ. Et licet non mereamur eum intueri, tamen per hoc quod idololatriam abdicamus fenestras in supradicto facimus pariete, quibus nos ab immundis spiritibus defendendo respicit Christus. Et ipsi soli genua cordis deflectendo cancellos facimus: per quos compunctionem ad se conuertendo prospiciat. Vbi vero venerimus ad veram conuersionem baptismi prædicti vel pœnitentiæ, retollit eum de medio concessa venia peccatorum, & loquitur

Matt. 11. nobis dicendo: *Venite ad me omnes qui laboratis & one-*

H *rati estis, & ego reficiam vos.* Et: *Venite benedicti Patris*

Matt. 25. *mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi* Sicut & magister gentium Paulus docuit factum in eius

Eph. 2. aduentu. *Qui tulit*, inquit, *parietem maceriæ de medio, & reconciliauit nos Deo patri per sanguinem ipsius.* Vnde cum inclusa esset Ecclesia quodammodo intra parietum septa propter persecutionis metum post suam resurrectionem formidantibus & nimio terrore deiectis Apostolis, ianuis clausis ingressus, magnam fiduciam ma-

Luc. 24. gnumque gaudium apportauit dicendo: *Pax vobis. Ego sum nolite timere.* Tunc completum est quod sequitur. [*Dilectus meus loquitur mihi, Surge, propera amica mea, columba mea, formosa mea, & veni.*] Loquitur ei scilicet ad perfectionem vitæ vocando, dicendo ea iam non timere mortis autorem diabolum, nec vltra residere intra incredulitatis & torporis claustra. Propera, inquit, & veni: quia ego moriendo vitam perditam reddidi. Modo

Mala. 4. iam non terrearis à morte, cui ego destruxi imperium. Stabat namque post parietem nostrum: quia nobis vmbra sua obstabat sol iustitiæ, de quo Propheta promise-

rat,

A rat, dicens: *Orietur vobis timentibus Deum sol iustitia, & sanitas in pennis eius.* Qui loquitur Ecclesiæ in Apostolis, quando surgens à mortuis consolatur eos, dicens: *Confidite, quia ego vici mundum. Et data est mihi omnis potestas in cælo & in terra.* Et: *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere.* Vnde per hanc sententiam ad prædicationis officium prouocatur, sicut ipsa dicit: *Dilectus meus loquitur mihi* id est ad prædicandum me hortatur, dicens: *Surge propera amica mea, & veni:* id est, surge de stratu quietudinis, in quo solius tui curam agere quæris, propera, & veni ad implendam etiam proximi curam salutis studium sedulæ prædicationis officio impende. Nam & verbis affabilibus tribuit fiduciam dum subiungit. [*Iam enim hyems transiit, imber abiit & recessit. Flores apparuerunt in terra nostra, tempus putationis aduenit.*] Docet eam scilicet iam non timere omnino iniquorum hominum truculentiam, nec dæmonum formidare terrores: quia &

Ioan. 16.

Matt. 28.

Matt. 10.

B Deum patrem per assumptæ carnis oblationem reconciliauit Ecclesiæ, & dæmonum exercitum subneruauit per crucem, & post brumalem gelidamque asperitatem floridum verni aduentus sui tempus ostendit, & quanta vel qualia gaudiorum esset præmia ei per suam præsentiam exhibiturus, futuram iam quasi factam narrauit. Vnde & ei dicitur: *Exurge propera amica mea, formosa mea & veni.* Amica enim fit agnoscendo Deum, formosa Christi humilitatem seruando. Columba vero efficitur, nihil de terrenis cupiditatibus absque cibo vilissimo, indumentoque corporis requirendo, sed semper columbarum simplicitatem tenens, Spiritui sancto se sociat. Vel amica dicitur per dilectionem, formosa vel speciosa per decorem virtutum & lauacrum regenerationis, columba infusionem Spiritussancti. Sicut igitur superueniente verno præcursore æstatis qui fugat hyemem, quando omnis creatura rediuiua lætatur, & vniuersa animalia secundum genus suum corporantur ad fœtus, & ingrauidata cubilia construunt, & aues nidos componunt, & sese ad inuicem suis vocibus discretis aduocant

C & motibus, vbi iam reptilibus epulas præparat humus ne deesset pennigeris animantibus esca, vbi canora vox volatilium dulcis modulamine resonat & pipat, & ad prædandos flores apis pennis armata procedit, ita Dominus noster IESVS CHRISTVS post horridam hyemem idololatriæ & philosophicam doctrinam vernum tempus per suam passionem quod est pascha nostrum, transitus de morte ad vitam, faciem mundi martyrum, vel omnium sanctorum operum, & initia fidei credentium flore decorauit. Eo tempore de quietis stratu ad officium prædicationis, imo de conualle lachrymarum ad paradisi Dei montem suæ mortis exemplo Ecclesiam vocat. Denique cum dixisset *surge, propera amica mea, formosa mea & veni* mox subiunxit. *Iam enim hyems transiit*, id est, potestas tenebrarum, quæ tristem reddebat mundum sole iustitiæ Christo veniente, transit de hoc mundo ad tartara. Iam frigus infidelitatis & imber iniquitatis recesserunt, quæ totum orbem vsque ad tempus dominicæ incarnationis & resurrectionis tegebant. *Flores appa-*

D *ruerunt in terra nostra*, id est initia fidei & iustitiæ floruerunt in mundo crescente Ecclesia. *Tempus putationis aduenit* id est amputatis inutilibus vanæ religionis sarmentis futuræ fidei præparantur corda hominum; æstiuum namque tempus aduenit, quando ex vna stirpe corporis boni separantur à malis, ne vicinitate malorum depereant boni, ne perfidia incredulorum periclitentur credentes. Hoc vtique tempus nunciabatur venire putationis, de quo Dominus dicit in Euangelio. *Veni enim separare filium a patre, & nurum a socru sua, & filiam a matre sua*, & reliqua. Vel hyems transiit, quia præsentis vitæ tribulatio abscessit. Imber quoque abiit, quia cum ad contemplandum in sua substantia omnipotentem Deum ducimur, iam verborum guttæ necessariæ non erunt, vt pluuia debeat prædicationis infundi; Nam quod minus hic audire quis potest, ibi amplius videbit: *quia nunc videmus per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem, & videbimus eum sicuti est.* Tunc ap-

Matt. 10.

1. Cor. 13.

E parent flores in terra: quia cum de æternæ beatitudinis vita quædam suauitatis primordia prægustare anima cœperit, quasi iam in floribus odoratur exiens, quod postquam egressa fuerit in fructu vberius habebit vnde & illuc subditur. *Tempus putationis aduenit.* In putatione quippe sarmenta sterilia reciduntur, vt ea quæ præualent vberius fructum ferant. Nostræ itaque putationis tempus tunc adueniet, quando infructuosam ac noxiam corruptionis carnem deserimus. Qui fructus nobis erit vberrimus, visio vnius Dei. Vt tempus putationis est, vocatio è mundo animæ cœlestium. Sequitur. [*Vox turturis audita est in terra nostra.*] Dicamus opiniones diuersorum ne forte ignorasse causari videamur. Vocem turturis propter decorem castitatis beatam Mariam intelligi volunt, cuius vox primum audita est in terra nostra dicendo ad Angelum: *Quomodo fiet istud, quia virum non cognosco.* Et: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* Et: *Ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Cui Angelus respondit: *Spiritus*

Luc. 1.
Ibid.
Ibid.

F *sanctus superueniet in te & virtus altissimi obumbrabit tibi. Et quod nascetur ex te sanctum vocabitur filius Dei.* Et vere dignam, quam solam beatam omnes generationes dicunt, quam gloriosam inter omnes fœminas non solum diuersarum gentium nationes, sed etiam cœlorum virtutes admirantes, collaudant per vitæ ingressum, enim mortem fugatam, mundum reconciliatum gaudemus. Aliqui vero beatum Iohannem baptistam asserunt, cuius vox audita est dicentis: *Ego vox clamantis in deserto, parate viam Domini.* Et: facite fructus dignos pœnitentiæ. Quamdiu enim præuaricationis hyems tempus triste, constrictumque ab omni germine bono obtexerat faciem mundi, & sua ditione obtinebat diabolus terram, hæc dulcissima vox turturis, siue per beatam Mariam, siue per Iohannem non est audita in terra. Sed vbi magnus ille sol iustitiæ, qui nobis indulgentia æstatis vbertatem adducendo exortus est, cœpit desiderio conseruandæ castitatis, vox turturis in terra nostra audiri. Iusta enim ratione turturi castissimæ aui virginitas comparatur, quæ in Iohanne vel

Matt. 3.

G Maria obtinet principatum. Quæ semel verbo Dei vel Spiritui sancto coniuncta, nunquam alium cogitat comparem, nec altera desiderio eum sui amoris coniunctio est, nisi illi cui semel conglutinata probatur, tanquam turtur qui deserti dilecti habitacula diligit, & aduocans comparem dulci resonat voce, & eo amisso alium non requirit, sed ad alium semper promissionis vocem & mentis emittit, cui promisit seruare dilectionis affectum. Quo mortuo, nunquam alio coniungi narratur, sed eum omnibus diebus vitæ, cui semel fuerit coniuncta, desiderando requirit. Sed sciendum est, licet ita sit vox turturis quæ audita est in terra nostra; illa est Domini saluatoris, quæ dicit in euangelio: *Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cælorum.* Vel per turturem rectissime sancta Ecclesia intelligitur, varietate virtutum velut plumis ornata. [*Ficus protulit grossos suos.*] Propinquante igitur messe redemptionis huma-

Matt. 3.

H næ & gloriosi redemptoris aduentu impietatis hyeme & algore constricta nihil in se ficulnea id est synagoga nisi amarissimum succum doctrinæ quem animarum cibum mentitur, intelligitur habuisse. Sed in Domini aduentu postquam turturis vox audita est dicentis, pœnitentiam agite & reliqua, ficos protulit grossos suos id est præcepta legis ceciderunt & ipsa per Apostolos protulit grossos suos, qui de ea generati dulcissimus cibus doctrinæ animarum effecti sunt. Sed quia eis credere noluit, æterna sterilitate aruit, & omni decore nudata nihil in se nisi ignis æterni alimentum conseruata est. A cuius peruersæ oppressionis vmbra liberata plebs, cœpit amoris malis a doctoribus pharisæis in Christo credendo florere, & suo exemplo aliarum gentium nationes ad florem credulitatis prouocare. De quibus sequenti versiculo dicitur. [*vineæ florentes dederunt odorem suum.*] Credendo namque in vnum Deum omnipotentem floruerunt vineæ, id est euangelicus populus. Seu vineæ florentes, sanctæ conuersationes odorem longe lateque dede-

runt

A tunt per orbem. Nam ficut hyemis tempote abfque ftondibus & floribus fioe decore funt vineæ, ita fuiffe abfque decote tuftitiæ & fanctitatis ornamento per otbem natiooes quas nunc vineas appellauit, cettiffime comprobatur. Sequitur: [*Surge propera amica mea, speciosa mea & veni, columba mea in foraminibus petra, in cauerna maceria.*] Iacebat ergo fatis in humili loeo & abdito Eccl. multum à longe vocata, quæ nunc in roto mundo tegnare ptobatur, contutbata vel opptefía de dæmonum tempeftate. Sed vbi paffiones Chrifti facramenta funt celebrata per Apoftolorum doctinam, in quibus Chriftus loquitur, aduocatur vt furgat, & veniat ad deábolantem fponfum in vineis ad congaudendum, & in ptouentum fructus ioftitiæ prædictarum nationum fe eaetat. Ac fi ei dicatut: O fponfa & amica eui tanta obtulit bona & pro qua tanta fuftinui, furge & veni, accingere ad certamen, vnde æternam qoietem accipias *in foraminibus petra, in cauerna maceria.*

1. Cor. 10. B Quid fit petta, Apoftolus exponit: *Petra*, inquit, *erat Christus*, Quicunque etgo defidet. ab hoftibus aëriæ poteftatis eripi, & illæfus euadete, in fotaminibus huius petræ, fidem fetuando fempet ingrediatur, id eft, confideret vnlnera clauotum, & lanceæ quæ pto falute fponfæ fponfus fufcepit, & in cauerna maceriæ, hoc eft, cuftodia virtutum cœleftium. Haber enim ifta petra multa fotamina, id eft, aditus, per quos inttatur ad partem, regnum eredentibus præparantem, hoc eft, manfuetudinis, humilitatis, patientiæ, contemptus diuitiarum, nullarum acceptio perfonatum, pernoctatio in otatione, mifericordiæ magifterium, caftitas inmobilis, forma benignitatis, fingulara fpeculom, indiuiduæ ttinitatis agnitio, in qua eft noftra redemptio. Hæc funt proculdubio fotamina in quibus docetur anima ad gaudia tegni cœlorum venire. Poteft foramen petræ intelligi, protectio eiufdem Domini IESV CHRISTI, ad

Efa. 2. quam confugit Ecclefia, velut columba ad foramen pettæ. Hinc Efaias, ait: Ingredere in pettam, abfcondere in foffa humo.

C Cauerna maceriæ Spiritus fancti defenfio, vel congregatio fidelium defignari poteft, quaoquam fotamina petræ quatuor Euangeliotum affertiones valeant intelligi, quæ eiufdem perræ perforatum fupradictis ictibus corpus teftantur. Caueina vero maceriæ, Apoftolotum doctrinæ, de qnibus vt vineæ credentium plebi firmiffimam maceriam ob infeftationem malignorum fpitituum Deum conftruxiffe probatur. Nam ficut ipfi per Chriftum, ita & nos pet Apoftolos agnofcentes diuina myfteria, intra confpectum fidei, quam ipfi con-

Iacob. 2. feffi funt, continemur. Et quia fides fine operibus otiofa eft, recte fubiungitur. [*Ostende mihi faciem tuam. Sonet vox tua in auribus meis. Vox enim tua dulcis, & facies tua decora.*] Ac fi apette dicatur: Oftende mihi faciem tuam precor, in publicum actionis procede, noli fub quietis torpote quiefcere, & operibus oftende fidem tuam. Et fonet vox tua, id eft prædicationis, laudis, & confeffionis in auribus meis. Illius namque vox dulcis eft Deo, qui dulce & fuauiter ex dulcedine regni vetba Domini proximis enunciate: & ipfi Domino laudes tefonate nouit.

D Et illa fides decora eft, quæ operibus ornata aduerfa pati non timet. Sequitur: [*Capite nobis vulpes paruulas qua demoliuntur vineas, Nam vinea nostra floruit.*] Tranfacta videlicet dæmonum tempeftate quam fuperius hyemem appellauit, inuitator fponfa iam regis corpori iuncta per baptifmi facramenta in vineam, id eft, credentium fibi plebem ex gentibus, & inuenit eam producentem flores pet bonum naturæ, ad confidendum Deo cœli paratam. Sed calliditate iofidiifque vulpium maturitatem fructus expectantium ad demoliendam deuotandamque parata, quæ funt peruerfatum animarum hærefeos mordaciffima dogmata ait IESVS fuis doctoribus: Capite nobis vulpes paruulas quæ demoliuntur vineas, id eft, conuincite hæreticos, & fchifmaticos prauos fide, & dolofos verbo qui dente prauæ doctrinæ rudes fidelium mentes lacerare folent. Nam vinea noftta floruit, id eft, fanctæ electorum animæ germinant fructum fidei & bonorum operum late longeque. Verom duplici ratione intelligitur quod ait noftra, id eft, fiue fuam dicerit & patris, fiue

E Ecclefiam fibi coniunctam participem dicat. Quam cum flotes tam Ecclefiam ex Iudæis, quam maxima ex gentibus vidiffet proferre, ante ptæparat venatores vel cuftodes qui vulpes capiant quam flores maturos fructus pariant. De quotum numero eft vnus qui dicebat. Corripientes omnem hominem in captiuitatem redigimus omnem fcientiam extollentem fe aduerfus fcientiam Dei. Nam fiue dæmones, vulpes intelligantur, fiue hæretici, & peruerfi doctores per qoos dæmones loquuntur blafphemias, vtrumque conuenire manifeftum eft, per quos mentes hominum in quibus habitat tecta fides Ecclefiæ difterminantur. Quorum exterminium vel occultas infidias cauete folicite debemus, & Deum ex toto corde diligere vt diligi ab eo mereamur: Ideoque Ecclefia rectiffime fubiungit. [*Dilectus meus mihi, & ego illi.*] Coniuncta itaque Ecclefia Chrifto vel anima verbo Dei vt eam abundantiore gaudio cumulet per omnia, & in

F quibus ipfe per lætitiam pafcitur, & quid ille delectetur in ea oftendit, & quid illa refpondete debeat pro tantis beneficiis docetur. Sponfus videlicet decoram faciem in ea defiderat, ficut fupetius innuit, quæ nulla peccati nigredine fit maculata, non turpium verborum mendaciique abfconfa, vel blafphemiarum raucedine voce horrida, fed dulcedinem fuis laudibus tefonantem reddit vicem, eadem Ecclefia ait: *Dilectus meus mihi, & ego illi.* Chriftus & ipfa, caput & corpus velut vnus homo, & tanquam membra caput, ita diligendo fequitur ipfum, propterea taliter loquitur. Nullus enim dilectus & adiutor Ecclefiæ, nifi Chriftus, & nullus Chrifti dilectus, nifi Ecclefia: quia nullus alius recte diligit Chtiftum, nifi vnica Ecclefia, & nulla alia ab eo diligitur, nifi ipfa. [*Qui pascitur inter lilia, donec aspiret dies, & inclinentur vmbra.*] Id eft, qui pafcitur munditia fidei, & candore virtutum, donec venturi feculi dies illius iuditij verus aduemiat, & oriatur lux & vmbræ, id eft, errores præfentis fæculi, qui nos impediunt, iuftitiæ fole tranfeant, & inclinentur cum fuis amatoribus in cahos infetni.] *Reuertere: Similis esto dilecte mi capra hinuloque ceruorum super montes Bethel.*]

G Vna eft ifta fupradictæ Ecclefiæ ad Chriftum, Obfecro mi dilecte, vt fæpius tuæ vifitationis aduentu reuertaris ad me: quia carnem quam de patriarcharum origine fumpfifti, refurgens à mortuis, fuper omnem cœleftium montium afcendifti, vt laborem peregrinationes meæ fpeculatione æterna releues. Capream hoc in loco ficut fuperius prælibauimus carnem dicunt Chrifti, propter fimilitudinem carnis peccati. Hinulus ceruorum dicitur ipfe: quia de ftirpe patriarcharum genitus, qui poft tefurrectionem fuam ad cœlos remeans fuperexaltatus eft fuper montes Bethel, quæ Domus Dei dicitur, id eft, fupernam patriam Angelorum. Vnde Pfal-

Psal. 8. mifta ad eum loquens ait: *Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in vniuersa terra: Quam eleuata est magnificentia tua super cælos.* Nec moralis fiquidem admittendus eft fenfus. Vnufquifque enim credentium Deo, ipfe fe fecit montem Dei per fanctam conuerfationem, aut montem diaboli peruerfe viuendo.

H Bethel enim Domus Dei interpretatur vt præfati fumus. Quicumque ergo ita exhibuerit vitam fuam, vt in eo delectetur Spiritus fanctus inhabitare, mons efficitur Dei qui eft Ecclefia Dei. Super hæc ergo, fi quando offenfus peccatis populi prolongauerit, reuertitur, fimilis efficitur curfu vel confuetudine capreæ hinuloque ceruorum, quarom natura eft, voce ante fe in montibus refonante poft tergum emiffa dum obuiam fibi opinantur occurrere, ad locum vnde abfcefferant, velociori curfu reuerti. Et hæc caufa vt exafperata ab hoftibus confuetam nolit derelinquere fedem. Sic & Chriftus Dominus nofter quamuis prouocatus, quamuis exafperatus peccatis hominum, ieiuniis & precibus reuocatus, ad pietatis cõfuetam reuertitur fedem. Et fi aliquando prouocari videtur, vt ftudia inquirendo eum merito augeantur, non debet quis diffidere nec ab inquirendo ceffare. Vnde fequitur.

CAP. III.

A *IN lectulo meo per noctem quæsiui quem diligit anima mea. Quæsiui illum & non inueni.*] Vel sicut in quibusdam codicibus additur: [*Et vocaui eum & non respondit mihi.* Hæc ergo quamuis prænunciata sint, & consummata in Domini sepultura videantur, dum mulieres ad sepulchrum Domini peruigilant, cum Apostoli intolerabiliter lugent, sed amplius ad superiora respiciunt quæ subnectuntur: ac si Ecclesia vel vnaquæque sancta anima apertius dicat. Iamdudum multo studio quæsiui illum, sed quia adhuc illecebris carnis meæ subdita fui, & tenebris profundæ ignorantiæ obcæcata, non inueni lumen veritatis, id est, Dominum. Aliter: in lectulo suo dilectum suum Ecclesia vel anima sancta quærit, quando ab omni perturbatione sæculi tranquilla in quiete cordis dominum suum cogitat. Quem quærens ob hoc minime inuenit, vt amore illius accensa ardentius quærens. Per noctem

B quærimus, quia & si iam mens in illo vigilet, tamen adhuc caligat oculus. *Vocaui eum & non respondit mihi.* Quicumque solum hominem credit Christum, non inueniet eum. Et quicumque Deitatem non credit in Christo, non inueniet eum. Et quicumque Deitatem non credit in Christo, vocat quidem in noctibus peruersorum sensuum suorum Dominum Dei filium, sed non respondet ei, sicut non respondit regi Sauli à quo recesserat Deus. Sine causa igitur laborem impendit quærendo, qui æqualem hominibus absque peccato & coæternam patri, non fuerit vtraque natura confessus Deum: qui redemit, & hominem per quem redemit perditos Deus: de quo Psalmista dicit: *Frater non*
38. *redemit, redimet homo.* [*Surgam, & circuibo ciuitatem per vicos & plateas, quæram quem diligit anima mea. Quæsiui illum, & non inueni.*] Proposui in animo meo de lectulo carnalium voluptatum surgere, & terras ac maria circuire, & philosophorum adire mysteria, sed nec sic

C inueni illum. Potest & aliter intelligi. Ciuitas hoc in loco sancta electorum Ecclesia intelligitur, seu diuina Scriptura. Vicos vero atque plateas, libros legis & Prophetarum vocat, in quibus Ecclesia seu anima electa dilectum suum, id est Christum dum ardenter quærit inuenit, quem in libris philosophorum non reperit. [*Inue-*
Ps. 126. *nerunt me vigiles qui custodiunt ciuitatem. Num quem diligit anima mea vidistis?*] Vigiles qui custodiunt ciuitatem, id est, Ecclesiam, Apostoli, vel cæteri doctores sunt qui solicitam gentilitatem cum veritatis indagine inuenerunt. De quibus dicitur: *Nisi dominus custodierit ciuitatem, in vanum vigilant qui custodiunt eam.* [*Paululum cum pertransissem, inueni quem diligit anima mea.*] id est, dum me illorum magisterio tradidi mox lumen veritatis, quod quæsiui, inueni. Aliter: Quærentes autem nos vigiles inueniunt qui custodiunt ciuitatem quia sancti Patres, qui Ecclesiæ statum custodiunt bonis nostris studiis occurrunt, vt suo vel verbo vel scripto doceant. Quos cum paululum pertransimus, inue-

D nimus quem diligimus: quia redemptor noster, & si humilitate homo inter homines, diuinitate tamen super homines fuit. Quia nisi qui fidei passibus & pura mente omnes sanctos transierit, & Christum excellentiorem omnibus sanctis crediderit, inuenire nequaquam poterit. [*Tenui manum eius nec dimittam, donec introducam illum in domum patris mei, & in cubiculum genitricis meæ.*] Teneo illum firma fide, donec in fine sæculi per officium prædicationis introducam illum in domum & in cubiculum synagogæ, quæ me genuit in Domino, *& fiet vnum ouile & vnus pastor.* Sequitur: [*Adiuro vos filiæ Hierusalem per campos ceruosque camporum, ne suscitetis, neque euigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit.*] Vbicumque igitur in hoc cantico similia verba reperiuntur credentium diuersis temporibus, diuersorum populorum personæ introducuntur. Hic namque plebis illius persona videtur induci, quæ post Christi ascensionem fatigata desiderio, quærendo quem diligebat anima eius, Ecclesia videlicet ex gentibus, quæ paululum munita sibi tranquillitatis pace, in securitatis somno requiescere cupiebat: & ideo repetit hunc versum

E sponsus, ne minorem eum Ecclesiæ ex gentibus congregatæ, quam Iudæis habere solicitudinem putares, sed vt sit de vna vtriusque vna sponsa, & illa dilectissima, quem versiculum iam superius exposuimus. Filiæ Hierusalem, animæ sunt electorum, quæ supernæ illius Hierusalem visionem scilicet pacis speculantur. Capreæ vel cerui Patres noui ac veteris Testamenti intelliguntur, quorum in altitudine contemplationis pascua sunt. [*Quæ est ista quæ ascendit per desertum.*] Hanc opinor gentem per desertum ascendentem, quam doctor gentium Paulus ab Hierusalem vsque ad Illyricum congregatem, & vnguentis doctrinæ delibutam, mysteriorumque sacramentorum aromatibus aspersam, vsque ad pacifici regis lectulum perducit, de quo in sequentibus legitur. Vnde miratur synagoga, quomodo gentium populus nullo circumcisionis mysterio emundatus nulla prophetarum admonitione eruditus, subito ab infi-

F mis voluptatibus per desertum gentilitatis & idololatriæ ad alta virtutum culmina, & sponsi amplexus ascendisset. Vere desertus locus erat, vbi nomen Christi non fuerat nominatum. [*Sicut virgula fumi, ex aromatibus myrrhæ & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij.*] Id est, igne amoris succensa, vel cum omni nisu virtutum ad cœlestia tendens. Per myrrham mortificatio carnalium voluptatum: per thus, puritas orationum, & in diuersis pulueribus pigmentarij omnium virtutum odor. Moraliter vero sancta electorum Ecclesia cum ab hoc mundo in sanctis precibus ardenti amore se erigit, per desertum quod deseruit ascendis. Fumus de incenso nascitur. Et per Psalmistam dicitur: *Dirigatur oratio mea* Ps. 140.
sicut incensum in conspectu tuo Domine. Fumus excutere lachrymas solet. Itaque fumus ex aromatibus, est compunctio orationis concepta ex virtutibus amoris. Quæ tamen oratio fumi virgula dicitur, quia dum sola cœlestia postulat, sic recta progreditur, vt ad terrena at-

G que temporalia appetenda minime reflectatur. Et notandum quod non virga, sed virgula nuncupatur, quia interdum in compunctionis ardore, tantæ subtilitatis est vis amoris, vt hanc nec ipse animus comprehendere qui illuminatus meruit habere. Bene hoc dicitur myrrhæ & thuris. Thus enim ex lege Domini in sacrificio incenditur. Per myrrham vero corpora mortua condiuntur, ne à vermibus corrumpantur. Myrrhæ ergo & thuris sacrificium offerunt, qui & carnem afficiunt, ne eis corruptionis vitia dominentur, & redolentem in conspectu Domini amoris sui hostiam incendunt, seque ipsos Deo in sanctis virtutibus exhibent. Vnde & illic subditur. *Et vniuersi pulueris pigmentarij.* Puluis pigmentarij virtus bonæ operationis. Et notandum quod virtutes bene operantium non pigmenta, sed pulueres dicuntur. Cum enim quælibet bona agimus, pigmenta offerimus. Cum vero bona ipsa etiam quæ agimus retractamus, & ne quid in his sinistrum sit iudicio retractionis attendimus, quasi ex pigmentis puluerem

H facimus, vt orationem nostram Domino per discretionem & amorem subtilius incendamus. [*En lectulum Salomonis sexaginta ambiunt ex fortissimis Israel.*] Salomon qui interpretatur pacificus, Dominum IESVM Christum designat. Lectulus Salomonis, quieta est mens sanctorum, in quibus ipse velut in lectulo requiescit. Sexaginta fortes, prædicatores sunt sancti, & fortissimi bellatores, qui mundo corde digni sunt Deum videre. Senarius enim numerus propter sex dies, quibus Deus mundum fecit, & sex mundi ætates, perfectus est. Denarius vero numerus ad decalogum legis pertinet. Qui per senarium multiplicatus fuerit, sexaginta complent. Sexies deni, sexaginta sunt. [*Omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi, vniuscuiusque ensis super femur suum propter timores nocturnos.* Tenent enim gladium spiritus, quod est verbum Dei, qui quod ore docent operibus complent. Ensis autem est custodia vigilans, cordis concupiscentias premens, ne verbum prædicationis immunditia vitæ

A maculet. Nocturnæ vero timores, sunt insidiæ diaboli, & tentationes occultæ. Neque enim credendum est Salomonem tantæ magnitudinis regem, qui sic immensis diuitiis affluebat, vt pondus auri eius æstimari non posset, & argentum in diebus illius pretium non haberet, quod de lignis libani ferculum sibi fecerit, vt sequitur: [*Ferculum sibi fecit Rex Salomon de lignis libani.*] Ferculum Salomonis, est sancta Ecclesia, quæ credentes ad æternæ beatitudinis epulas leuat: quæ de fortibus animo, quasi lignis imputribilibus constructa est. [*Columnas eius fecit argenteas.*] Columnæ argenteæ, sunt doctores eloquij luce fulgentes; [*Reclinatorium aureum.*] Reclinatorium aureum, est spes perpetuæ quietis, fidelibus promissa, siue fulgor claritatis intimæ, in qua electorum animæ reclinantur in requiem. Est autem columnis argenteis reclinatorium aureum, quia per hoc quod à sanctis prædicatoribus lucere dicitur, mentes audientium fulB gorem claritatis in qua reclinentur inueniunt. Per hoc enim quod luculenter & aperte audiunt, in illo quod clarescit in corde, requiescunt. Columnæ ergo argenteæ, & reclinatorium aureum factum ast, quia per lucem sermonis inuenitur apud animum claritas quietis. Ille iam quippe fulget, qui interius mentem irradiat, vt per intentionem ibi requiescat, vbi prædicationis gratia non quæratur. Sed adhuc quod clarum ostenditur intus, qualis sit ascensus adiungit, cum de eodem ferculo protinus subdit. [*Ascensum purpureum.*] Quid est ascensus purpureus, nisi martyrum sanguis, & passio redemptoris nostri? Quia non ascenditur ad epulas vitæ, nisi per mysterium passionis Christi. Et bene ascensus purpureus subditur. Vera quippe purpura, quia de sanguine tingitur, non immerito in colore sanguinis videtur. Et quia maxima multitudo fidelium, in exordio nascentis Ecclesiæ per martyrij sanguinem peruenit ad regnum. Rex noster ascensum purpureum fecit in ferculo: quia ad clarum quod inC tus aspicitur per tribulationem sanguinis peruenitur. Quid ergo nos miseri, atque ab omni fortitudine destituti, quid acturi sumus? Ecce in hoc ferculo columnæ esse non possumus, quia in nobis nec fortitudo operis, nec lumen emicat prædicationis. Reclinatorium non habemus, quia nec dum sicut oportet per intellectum spiritualem requiem æternæ charitatis aspicimus. Ascensus purpureus non sumus, quia pro redemptore nostro fundere sanguinem non valemus, Quid ergo de nobis agendum est? quæ spes erit, si nullus ad regnum peruenerit, nisi qui summis præditus virtutibus fuerit? Sed adest quoque nostra consolatio: Amemus inquantum possumus Deum, diligamus & proximum, & simul quoque ad Dei ferculum pertinemus: quia sicut scriptum est, media charitate constrauit. Habet quippe charitatem, & ibi sine dubio præuenis, vbi & columna argentea erigitur, & ascensus purpureus tenetur: Nam quia hoc propter nostram infirmitatem dicitur, aperte monstratur cum illic subD ditur. [*Media charitate constrauit propter filias Hierusalem.*] Filias dicunt, non filios, id est, infirmos: Per filios Hierusalem, infirmantium mentes significat, quibus inter sanctos prædicatores & martyres, per præcepta charitatis in cælestia locum constituit: quia & qui in virtutibus infirmantur, si ipsa bona quæ possunt facere cum charitate non negligunt, à Dei ædificatione alieni non sunt. Omnis enim qui charitatem habet Dei & proximi, ad hanc requiem, & ad has epulas lætus peruenit: Hæc omnia ornamenta Ecclesiæ præstitit Christus ob nimiam charitatem qua dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis. [*Egredimini & videte filiæ Hierusalem regem Salomonem.*] Ad hanc itaque lætitiam, & ad huius mysterij contemplanda secreta, non infirmæ sed perfectæ animæ conuocantur, quæ in rege Salomone dominum intelligunt, quibus dicitur: Egredimini mente & actu de turbulenta mundi conuersatione, vt regem valeatis videre. [*In diademate, quo coronauit eum mater sua.*] Videte Dominum Christum in humanitate, quam de virgine matre susceptam in maiestatis paternæ dextera collocauit. E [*In die desponsationis illius.*] id est, in tempore incarnationis illius, quo ad copulandam sibi Ecclesiam sponsam ex virginali vtero processit. [*Et in die lætitiæ cordis eius.*] Id est, redemptionis humani generis, quæ fuit dies lætitiæ Christo. Aliter: Admonet, vt semper ante oculos cordis habeant sanctæ animæ regem Salomonem, hoc est, pacificum nostrum, qui est, Christus. In diademate, id est, in illa spinea corona, qua coronauit eum mater sua, synagoga, scilicet Iudæorum, ex qua secundum carnem genitus est in die desponsationis eius, quo sibi desponsauit Ecclesiam Quæ maior lætitia esse potuit CHRISTO, quam cum per eius passionem redemptio facta est humani generis?

CAP. IV. F

[*QVam pulchra es amica mea, quam pulchra es?*] Abrasa scilicet omni vitiorum consuetudine carnis, & à multorum deorum turpium cultu, ad vnum verum Deum conuersæ Ecclesiæ geminam eius pulchritudinem laudat. Pulchram dixit Ecclesiam, & pulchram repetit, quia hanc & prædicatione & actione vidit esse laudabilem. [*Oculi tui columbarum.*] Sensus tui, inquit, spiritualium sunt rerum contemplatione excellentes ac verecundi. Seu oculi, sancti doctores decus populi intelliguntur. [*Absque eo quod intrinsecus latet.*] Magna est quippe gloria aperti operis, sed longe inoptabilior æternæ retributionis, quæ necdum videri potest. [*Capilli tui sicut greges caprarum, quæ ascenderunt de monte Galaad.*] Possunt in capillis fideles populi accipi, qui maximum decus sua numerositate præbent Ecclesiæ. Galaad aceruus testimonij interpretatur, qui bene conuenit adunatæ multitudini sanctorum. Possunt per capillos specialiG ter ipsi qui ex circumcisione crediderunt designari hi ascenderunt de monte Galaad, quia per testimonia sacrarum scripturarum venerunt ad fidem. [*Dentes tui sicut greges tonsarum, quæ ascenderunt de lauacro.*] In capillis fragiliores, videntibus vero perfectiores quique sanctarumque scripturarum expositores, & ad regendam Ecclesiam apti designantur, qui lacte doctrinæ non indigent, solidum cibum mandendo aliis impertiunt. Qui ascenderunt de lauacro, id est, fonte sacri baptismatis, qui & tonsi & loti sunt, hoc est, nudati rebus renuntiantes seculo, & vitæ lauacro mundati. [*Omnes gemellis fœtibus.*] Id est, gemina charitate, vel fide & opere fœcundi. Et sterilis non est inter eas: Non est qui fœtus boni operis non agat. [*Sicut vitta coccinea labia tua, & eloquium tuum dulce.*] Coccum color est sanguinis vitta coccinea (myrrha dicitur) cruorem designat beatorum martyrum. Vel vitta coccinea, doctrina veritatis intelligitur. Labia sponsæ, id est, Ecclesiæ, cocco assimilantur, quia Dominici sanguinis pretium quo reH dempta est prædicare non cessat, & in prædicatione ab ardore sanctæ charitati flammescit, & auditores suos in dilectione Dei ardentes efficit. [*Sicut fragmen mali punici, ita genæ tuæ, absque eo quod intrinsecus latet.*] In genis verecundia, in malo punico passio Christi exprimitur. Habet ergo ruborem in genis sponsa mali punici, cum sacramentum Dominicæ crucis verbis fatetur, & factis probat. Aliter: Illi enim faciem Ecclesiæ decoram faciunt, qui comitante verecundia castitatem seruant. Vel certe genæ Ecclesiæ sunt sancti martyres, qui imitantes Christi passionem, roseo sanguinis sui velut fragmen mali punici decore perfusi sunt. [*Sicut turris Dauid collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis suis.*] Turris Dauid sancta Ecclesia est, siue perfectio vel doctrina sanctorum, quæ non à se sed, à Christo est. Collum ipsi sunt prædicatores, quorum & constantia eadem ciuitas firma est, & vndique inexpugnabilis. Propugnacula autem eiusdem ciuitatis, scripturarum sacrarum munimina sunt, vel patrum præceden-

A rium exempla. [*Mille clypei pendens ex ea.*] Quia quot in diuinis libris præcepta sunt, tot sunt nostri pectoris munimina, quibus contra insidias omnes defendimur. [*Omnis armatura fortium.*] Omnis instructio est, vel operationis, vel doctrinæ cœlestis, per quam non solum euadimus, sed etiam superamus. Dicamus prout Papa Gregorius more suo mirabiliter intonat. In collo etenim guttur in gutture vox est. Quid per collum sanctæ Ecclesiæ, nisi sacra eloquia designantur? In qua mille clypei dependere memorantur: per hunc perfectum numerum numerus vniuersus ostenditur: quia vniuersa nostra munitio, in sacro eloquio continetur. Ibi quippe sunt præcepta Dei, ibi exempla iustorum.

Exo.20. Matt.22. Si enim torpet animus à conditoris suo desiderio, audiat quod dicitur: *diliges Dominum Deum tuum*, & reliqua.

Exo.20. In odio fortasse labitur proximi, audiat quod dicitur: *diliges proximum tuum sicut teipsum.*

B Leuit.19. Matt.5. Res alienas concupiscit, audiat quod illic scriptum est: *Non concupisces rem proximi tui.* De iniuria quæ à proximi ore vel facto illata est ad iram mens accenditur, audiat quod dicitur: *Non quæras vltionem, nec memor eris iniuriæ ciuium tuorum.* In carnis concupiscentia male sauciata mens accenditur, ne sequatur

Ibid. oculus mentem, audiat quod dictum est. *Qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, iam mœchatus est eam in corde suo.* Contra inimicum forsitan quisque animum suum relaxare disponit in odio, audiat quod illic scri-

Luc.12. ptum est: *Diligite inimicos vestros*, & reliqua. Sed is qui aliena iam non rapit, adhuc forsitan inordinate re-

Matt.6. tinet, audiat quod illic dicitur: *Vendite quæ possidetis, & date eleemosynam.* Infirmantis animus qui perfrui desiderat Deo simul & sæculo, audiat quod illic scri-

Luc.14. ptum est: *Nemo potest duobus dominis seruire.* Alius non ad necessitatem stipendij, sed ad voluntatem desiderij possessa retinet, audiat quod illic dicitur: *Qui non renunciauerit omnibus quæ possidet, non potest esse meus discipulus.*

C In collo Ecclesiæ, id est, in sacri eloqui prædicatione, quæ pro sui munitione & altitudine turri Dauid similis dicitur, mille clypei dependent: quia quot illic præcepta sunt, tot etiam pectoris nostri munimina, sicut dictum est: Ad seruandam itaque innocentiam etiam læsi a proximo perdurare in humilitate festinamus. Abel ante oculos veniat, qui & occisus dicitur à fratre, & non legitur reluctatus. Sic de cæteris sanctorum exemplis sentiendum. Quia ergo in voce sacri eloquij cuiuslibet si quærimus munimina virtutis inuenimus. Mille clypei dependent ex ea, omnis armatura fortium. Ecce enim contra aëreas potestates, si festinamus fortes existere in hac turri armaturam nostræ mentis inuenimus, vt inde præcepta conditoris, inde sumamus exempla præcedentium patrum, per quam contra aduersarios nostros inexpugnabiliter armemur Et notandum quia ædificata cum propugnaculis suis dicitur. Hic quippe agunt propugnacula quod clypei quia vtraque pugnantem muniunt. Sed hoc inter vtra-

D que distat, quia clypeos pro nostro munimine vbicumque volumus mouemus, propugnaculo autem defendi possumus, sed hoc mouere non possumus. Clypeus in manu est: nam propugnaculum non tenetur. Quid ergo inter propugnacula & clypeos distat, nisi quod in sacro eloquio patrum præcedentium & miracula legimus, quæ operari non valemus, & virtutes bonorum operum audimus; quibus operando muniri possumus? [*Duo vbera tua sicut duo hinnuli capreæ gemelli, qui pascuntur in liliis donec aspiret dies & inclinentur vmbræ.*] Duo vbera Ecclesiæ, duo testamenta. Duo hinuli, duo populi sunt ex circumcisione venientes & gentilitate, quia inde nutriuntur. Quique per humilitatem paruulos se intelligunt & peccatores, & cum charitate currentes omnia mundi transeunt obstacula. Qui pascuntur in liliis, hoc est, candidissimis sanctorum exemplis vel doctrinis. De quibus superius tanquam ex armatura fortium disputatum legimus. Donec aspiret dies æternus, & transeant vmbræ vitæ præsentis. Et hinc iam superius di-

E spirauimus. [*Vadam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris.*] Per myrrham mortificatio carnis, per thus, deuotio orationis exprimitur. Quasi diceret sponsus. Frequentabo eos, & pia propitius illustratione glorificabo, quos per passiones siue orationes in virtutibus sublimes esse inuenio. Aliter: Vox est imperfectorum, qui cum ad montem myrrhæ, & collem thuris ascendunt, quando illorum, qui per mortificationem carnis & purissimas orationes placuerunt, imitatores esse desiderant. [*Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.*] Hoc est, quod ait Apostolos, *vt exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam* malæ operationis, *nec rugam* induplicatæ fidei. [*Veni de libano sponsa mea, veni de libano, veni*] Libanus candor Eph.5. interpretatur, id est, anima bonis actibus candidata, quam tertio hortatur sponsus vt veniat. Primo adueniens in carne per bona opera, secundo absoluta carne

F ad percipiendam vitam æternam, tertio recepto corpore ad perfruenda post resurrectionem gaudia perfecta. [*Coronaberis de capite amana, de vertice Sanir & Hermon de cubilibus leonum, de montibus pardorum.*] Leones propter superbiam, pardi propter crudelitatem maligni spiritus, montium vero nomine superba infidelium corda, vbi immundi spiritus sedem habent, designantur. Dum sancti prædicatores tales ad vitam salutis conuertunt, coronantur de capite, & vertice montium, id est, principibus iniquorum: quia de labore certaminis crescit corona gloriæ. Aliter: Libanus, vt dictum est, candidatio interpretatur. Nisi enim quis per candorem sacri baptismatis remissionem peccatorum acceperit, ad Christum venire non potest. Sanyr, interpretatur enim lucerna: amana, iniquitas: Hermon vero, consecratio. Quæ omnia referuntur ad Christum, qui quos post iniquitatem illuminat, consecrat, ipsosque coronat. De cubilibus leonum veniunt, qui de regum principumque huius sæculi domibus ad fidem currunt. De montibus, inquit, pardorum, qui relicta elatione superbiæ vel diuersorum philosophorum tradi-

G tione, simplices & humiles pergunt ad Christum. [*Vulnerasti cor meum soror mea sponsa, vulnerasti cor meum.*] In vulneratione cordis, magnitudo amoris Christi in Ecclesia intelligitur. [*In vno oculorum tuorum, & in vno crine colli tui.*] Id est, in vnitate sancta doctorum, & in vno crine colli tui id est in vnitate pia subiectæ plebis id est cetinium. Item: In illo itaque oculo Ecclesiæ Christo complacuit, quo non temporalia, sed æterna conspexit. Vnde Psalmista: *Vnam petiit à Domino hanc requiram: vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ.* Et *in vno crine colli*, qui non ornari Psal.26. visibilibus studuit, sed æternis. Quæ Ecclesia, soror Christi pariter & sponsa est. Sponsa scilicet per fidem, soror per dilectionem. [*Quam pulchræ sunt mammæ tuæ, soror mea sponsa.*] In mammarum nomine, sancti doctores propter consolationem infirmorum, & paruulorum sustentationem exprimuntur. Suauitas gratiæ, pulchrior

H est austeritate legis. [*Et odor vnguentorum tuorum super omnia aromata.*] Fama suauissima diffusa per orbem totum fidei latior est, quam veteris legis, & patrum in ea, quæ in sola Iudæa coangustantur. Quid per aromata, nisi veteris Testamenti, dona, quæ odori Ecclesiæ id est gratiæ Spiritus sancti, seu virtutibus comparantur pulcherrimis Perseuerat semper sponsus vices reddendo Ecclesiæ, sicut eum Ecclesia laudauerat superius. Ideo ait: *Vulnerasti cor meum soror mea*, & reliqua. [*Fauus distillans labia tua sponsa.*] Quid per ceram, nisi litteram? & per mel nisi sensus spiritualis? Mel in cera, est spiritualis diuinorum eloquiorum sensus in littera. Mel ceram distillat, quia multiplices sensus pene singulæ pariunt sententiæ. Labia sponsæ sunt doctores, qui multifarios sensus sacris litteris inesse pandunt. [*Mel & lac sub lingua tua.*] In lacte eruditio paruulorum, in melle fortior doctrina perfectorum signatur. Sub lingua id est in meditatione cordis. Non est necesse subnectere, quid inde Paulus Apostolus loquatur. [*Et odor vestimentorum tuorum, sicut odor thuris.*] Vesti-

A menta Ecclesiæ, bona sunt eius opera, quæ odori thuris comparantur: quia cuncta quæ sancta pro Domino agit Ecclesia, orationum pro ea vicem reddunt. Intelliguntur etenim vestimenta Ecclesiæ ipsius prædicatores, puras ad Dominum mundasque mittentes orationes. [*Hortus conclusus, soror mea sponsa, hortus conclusus fons signatus.*] Superius in præfatione succincti disputare decreuimus. Hortus conclusus, Ecclesia est, Conclusus, quia Domini protectione munita, in sancta consistit fide. Hortus, quia multifaria spiritualium operum germina gignit, siue propter filios per baptismum spirituales, dicitur. Fons est, quia doctrina salutari redundat. Signatus dicitur, sermone fidei. [*Emissiones tuæ paradisus malorum punicorum, cum pomorum fructibus.*] Per irrigationem sacri baptismatis, sancta Ecclesia paradisum ex se mittit, quia homines quos per sanctum generat baptismum, ad cœlestem paradisum dirigere cupit. Mala punica, sancti dicuntur martyres. Pomorum

B fructus, bonorum operum suauitates intelliguntur. Quia vero non solum imperium, sed aduentus instat, festinantius iam hinc sententias libri decerpere disposuimus, quam superius protelare cœpissemus, ne modum libelli excedere videremur, sicuti fassi sumus. [*Cyprus cum nardo, nardus cum croco, fistula & cinnamomum.*] Cyprus arbor aromatica est, significans cœlestis gratiæ benedictionem. Nardus dominicæ passionis typum tenet. Crocus charitatis feruorem exprimit Coniungitur cyprus nardo, cum diuina gratia confortat nos Christo compati. Item nardus cum croco coniungitur, cum per charitatem Christi mortem libenter suscipimus. Fistula (quæ & cassia dicitur) arbor aromatica est, sed modica, & ideo humiles spiritu designat. Item cinnamomum, qui seipsus decipiunt, signat, & ipsa est arbor breuis, sed odorifera & dulcis. Sic humilitas magnam habet apud eum laudem & dulcedinem. [*Cum vniuersis lignis Libani.*] Sicut fistula & cinnamomum humiles sanctorum cogitationes, sic & ligna libani sublimes

C eorum actiones designant: quia non potest arbor bona fructus malos facere. [*Myrrha & aloe cum omnibus primis vnguentis.*] Myrrha & aloe, arbores sunt aromaticæ, quæ mortificationes vitiorum & pœnitentiam carnis exprimunt. Cum omnibus primis vnguentis, id est charismatibus virtutum excellentioribus. Et pulchra est coniunctio harum arborum cum vnguentis, quia dum carnem à lasciuia refrenamus, consequens est, vt maiora spiritus dona percipiamus. [*Fons hortorum, puteus aquarum viuentium, quæ fluunt impetu de libano.*] Vtrumque est Ecclesia, & fons est hortorum, quia spirituales gignit fructus, & puteus aquarum viuentium, propter occulta mysteria, quæ Sanctis per reuelationem sancti Spiritus solis panduntur. Aquarum viuentium, propter eloquia diuina, quæ de inuisibilibus diuinæ gratiæ procedunt thesauris. Quæ impetu fluunt de libano, id est, de ipsa Ecclesia, quæ & candida est per munditiam fidei, & alta per virtutum gloriam. Aliter: Per fontem hortorum Christus intelligitur, irri-

D gans Ecclesiam suam. Puteus aquarum spiritus intelligitur sanctus, à quo dicuntur diuersa dona procedere: Quæ viuentes vocantur, quia quos replent, viuentes faciunt. Quæ fluunt de libano, quia Spiritus sanctus à filio procedit. Potest per fontem, qui aperte currit, Christus intelligi secundum humanitatem, per puteum qui occultam habet aquam atque profundissimam, idem ipsum secundum diuinitatem. De quo impetu aquæ

Ioan. 7. fluunt, vt ipse in Euangelio testatur: *Qui credit in me, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ.* [*Surge aquilo, & veni auster, persla hortum meum, & fluent aromata illius.*] Vox est ista sponsi: In aquilone enim aduersa mundi, in austro blandimenta designantur, quia gemina expugnatione probatur Ecclesia. Surge, permittentis est vox, non imperantis. In aromatibus, virtutes conscientiæ miro odore dispositæ intelliguntur. Aliter: Per aquilonem, qui fertur esse frigidus, & terram congelare, ne fructus pariat, diabolus intelligitur. Qui ab horto, id est, ab Ecclesia præcipitur recedere. Per austrum vero, qui

E ventus est calidus, & terram à frigoribus absoluere dicitur, sanctus intimatur spiritus. Qui flando, id est, suis sanctam illustrando Ecclesiam donis, facit illam in diuersis germinare virtutibus. Bene ait: surge aquilo, & veni auster & reliqua. Quia nimirum dum sanctam Ecclesiam donorum suorum virtutibus spiritus veritatis impleuerit, ab ea longe lateque odores boni operis spargit.

CAP. V.

V*Eniat dilectus meus in hortum suum, vt comedat fructum pomorum suorum.*] Id est, veniat Christus in Ecclesiam suam, & eam ipse conseruet vbique immaculatam, & fidei fructu fœcundet, & libenter inspiciat, grataterque accipiat opera sanctorum suorum. [*Veni in hortum meum soror mea sponsa.*] Hæc vox non est imperantis, sed indicantis præteriti temporis. Ac

F si diceret: Veni, inquit, sæpissime in Ecclesiam meam & veni vt corrigam, adiuuem, & confirmem, sicuti popocisti. [*Messui myrrham meam cum aromatibus meis.*] Per myrrham passio vel mortificatio, per aromata, omnes virtutes exprimuntur. Metit myrrham cum aromatibus, quoniam martyres cum cæteris electis ad maturitatem præmiorum perducit. [*Comedi fauum cum melle meo, & bibi vinum meum cum lacte meo.*] In fauo & vino, prædicatores, in melle & lacte auditores intelliguntur, & vtrisque internus iudex est qui probat & remunerat. [*Comedite amici & bibite, & inebriamini charissimi. Ego dormio, & cor meum vigilat.*] Vox est Christi ad Ecclesiam. Ac si aperte dicat: Amici faciendo quæ præcipio. Charissimi, integra charitate amplectendo. Obsecro itaque factis sanctorum, quasi epulis præcipuis, præcordia vestra replete. Cui respondit Ecclesia. *Ego dormio & cor meum vigilat*, id est, donante gratia Dei in pace præsentis vitæ eum colo: & quo tranquillius ab incursibus internis vaco, eo altius

G video, quam bonus est Deus. Moraliter vigilanti corde dormit quis, qui per hoc quod interius contemplando proficit, ab inquieto foris opere quiescit. Sed inter hæc sciendum est, quia quamdiu in hac mortali carne viuitur, nullus ita in contemplationis virtute proficit, vt in ipso iam incircumscripto luminis radio mentis oculos infigat. Neque enim omnipotens Deus iam in sua claritate conspicitur, sed quiddam sub illa speculatur anima, vnde refota proficiat, & post ad visionis eius gloriam pertingat. Potest & hæc vox ad Apostolos intelligi: *Comedite & bibite.* Ac si diceret: Sit nobis lætitia vel refectio de conuersione populorum, in vestram transeuntium vnitatem. [*Vox dilecti mei pulsantis: Aperi mihi soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea.*] Pulsat Dominus, quando quæ bona sunt per sanctam docet doctrinam. Vel ostium cordis nostri pulsat, cum nos ad profectum virtutum excitat. Aperit enim Ecclesia, cum intima cordis sui illi patefacit. Soror vocatur, quia cohæres per sanguinem Christi.

H Amica, quia est arcanis illius conscia siue per dilectionem, quia seruat quæ iubentur. Columba, quia Spiritus sancti dono illustrata. Immaculata, quia sola aspectu Dei digna. [*Quia caput meum plenum est rore, & cincinni capitis mei guttis noctium.*] Caput Christi, Deus. Cincinni sunt fidelium collectiones. In rore & guttis noctium, frigescens charitas in multis ostenditur, quam in Deum & proximos habere debuerunt. Ideo necessario excitat Dominus fideles quosque ad prædicationis studium. Cui prouocanti ad laborem docendi, respondit Ecclesia. [*Expoliaui me tunica mea, quomodo induar illa?*] Ac si aperte dicat: Deserui negotia secularia tui causa, quomodo repetam illa? [*Laui pedes meos, quomodo inquinabo illos.*] Id est iam secretæ compunctionis fletibus ablui cogitationes terrenas, quomodo mundi sordibus iterum polluar? Quia prædicationis officium sine occupatione seculari vix potest esse. Aliter: Sacerdotes in Ecclesia, qui in ipsa congregatione fidelium, sacramenta visibilia ministrant, velut quidam cincinni in

orna

Digitized by Google

A ornamento describuntur. Sed quia plerumque mortalitatis huius vicus, vel tenebrarum operibus obfuscantur, velut guttis noctium prægrauati, Christo quasi adhætere videntur. Sed quia eundem Christum non syncere annuntiant, propterea pro talibus ingemiscens subsequitur. *Spoliaui me tunica mea, quomodo induar illa? Laui pedes meos, quomodo inquinabo illos?* hoc est, Veniens ad fidem iam veterem hominem secundum pristinam conuersationem deposui, & indui nouum, & si quid contagij, dum in terrenis ambulatem, pedibus meis accessit Christo lauante ablutum est, & nunc ministros sacramentorum per quos ordinari debeam, carnalibus infectos vitiis conspicio. Nunquid æquum est rursum per eorum exempla male viuendo inquinari à pristinis me patiar malis? *Dilectus meus misit manum suam per foramen.*] Manum quippe suam dilectus per foramen mittit, cum nos B Dominus occulta inuisibiliter compunctione ad opus virtutum accendit, atque per arctam & angustam viam ad regna cœlorum transire docet, nobisque in memoriam reuocat, quomodo & quanta de sinu patris descendens pro nobis esset passus. [*Et venter meus intremuit ad tactum eius.*] Hæc recolens intima conscientia sponsa, tota expauescens, pigritiam quietis accusans ad laborem prædicationis festinat. Moraliter: Dilectus manum suam per foramen mittit, quando virtute sua Dominus nostrum animum per subtilem intellectum pulsat. Et venter in tactu illius contremiscit, quia infirmitas nostra per hoc quod cœlestis gaudij intellectu tangitur, ipsa sua exultatione turbatur, & fit in mente pauor in lætitia, quia iam sentit, quod de cœlesti gaudio diligat, & adhuc metuit ne non percipiat, quod vix tenuiter sentit. Quid igitur restat, nisi quod sequitur: *Surrexi vt aperirem dilecto meo: Manus meæ distillauerunt myrrham, & digiti mei pleni myrrha probatissima.*] Vox est sponsæ, Surgere, est ad Christum corde euigilare. Aperire, est verbum Dei prædicare, vel puram confessionem proferre. In manibus opera, in digitis discretio C signatur, siue martyres. In myrrha mortificatio carnis, siue passiones. Quæ tunc probatissima est cum solummodo pro charitate Dei, & proximi, vel continentia fit, vel passiones fiunt. [*Pessulum ostij mei aperui dilecto meo.*] Ecclesia pessulum sponso aperuit: quia templum sui pectoris: diuina visitatione & inhabitatione dignum facit. [*At ille declinauerat, atque transierat.*] Quia nulli in hac vita plena visio Dei, sicut in futuro conceditur, ideo transire dicitur, quia in futuro se videndum & perfruendum plenius ostendit. [*Anima mea liquefacta est, vt dilectus locutus est.*] Perseuerat Ecclesia in admiratione sui stuporis, Quanto suauius inquit vocem atque propinquitatem dilecti mei accepi, tanto sublimius quicquid in me erat frigidum, charitate incaluit, & quicquid rigidum, liquefuit. [*Quæsiui illum & non inueni.*]

D Quia donum compunctionis & dulcedinis intimæ non arbitrio est volenti, sed in miseratione dantis. Ideo non semper habent illud æqualiter, quia non ita se offert Deus in exilio laborantibus, quomodo in patria regnantibus. [*Inuenerunt me custodes qui circumeunt ciuitatem, percusserunt me, & vulnerauerunt me, tulerunt pallium meum mihi custodes murorum.* Custodes ciuitatis, id est, Ecclesiæ sancti doctores sunt, qui sedula prædicatione circumeunt corda singulorum, & spiculis cœlestis amoris vulnerant, & vt magis ardeant inflammescunt, & vetustæ conuersationis tegmen eis subtrahunt. Possunt & per custodes ciuitatis seculi huius intelligi potestates, qui rem publicam velut quandam ciuitatem regere noscuntur. Hi enim electam Ecclesiam in primordiis Christo credentem comprehendentes, plagis & suppliciis illam deuastauerunt, sacerdotesque & ministros illius interimentes, quasi quoddam pallium ornamenti sui tulerunt. [*Adiuro vos filiæ Hierusalem, si inueneritis dilectum meum, vt nuncietis ei, quia amore langueo.*] Quæ sunt filiæ Hierusalem, crebro dictum est: Merito languet E sponsa, cum gladio verbi Dei percussa, actionis terrenæ exuit amictum. Et filias Hierusalem, id est, Deo dignas animas adiurat, vt sui amoris magnitudinem ad Deum referant, & ad eius videndam gloriam supernum sibi poscant auxilium. [*Qualis est dilectus tuus ex dilecto, ô pulcherrima mulierum, qualis est dilectus tuus ex dilecto, quia sic adiurasti nos.*] Vox sanctorum prædicatorum interrogantium, & fidem Ecclesiæ ex eius responsione inquirentium, id est, obsecro te, quia sic adiurasti me, vt amorem quo te languescere dicis mihi ostendas, & qualis sit dilectus tuus ex dilecto, id est, filius ex patre, Deus ex Deo, & ex ea qua possit patre diligi, & non timeri, manifestes: quoniam *perfecta charitas foras mittit timorem. Dilectus meus candidus, & rubicundus, electus ex milibus.*] Dilectus Ecclesiæ, Christus candidus est, quia sine peccato. Aliter: Candidus dicitur, secundum id quod in F principio erat verbum, & verbum erat apud Deum & Deus erat verbum. Rubicundus, quia verbum caro factum est & habitauit in nobis. Vel candidus in virginitate, rubicundus in sanguine passionis. Electus ex milibus, quia solus mediator Dei & hominum: *Caput eius aurum optimum.*] Caput Christi, Deus. Sicut inter metalla nihil melius auro, ita nec in creaturis quicquam comparabitur creatori, quia solus bonus est & optimus. [*Coma eius sicut elatæ palmarum, nigra quasi coruus.*] Comæ Christi, catervæ sunt sanctorum, quæ Deo fideli famulatu adhærent. Elatæ palmæ, iuxta illud Apostoli: *Conuersatio nostra in cælis est:* Phil. 3. Nigræ propter despectionem apud homines, vel quia peccatores se esse testantur. Possunt & elatæ ob victoriam: nigræ ob pressuras dici: Laudauit sponsus pulchritudinem sponsæ, idcirco reddit sponsa vices & laudat eum. [*Oculi eius sicut columbæ super riuulos aquarum.*] Id est, sancti doctores per quos Ecclesia videt quæ tecta sunt: Qui bene columbæ propter simplicitatem & innocentiam comparantur, & riuulis aquarum G propter charismata diuina. [*Quæ lacte sunt lotæ, & resident iuxta fluenta plenissima.* Lacte lotas dicit, id est, gratia dulcissima mundatas, siue per baptismum purificatas. Fluenta plenissima, omnium donorum spiritualium est abundantia. Potest in riuulis veteris legis eruditio, & in fluentis, plenissima perfectio euangelicæ doctrinæ designari, quia sancti prædicatores de thesauris suis proferunt noua & vetera. [*Genæ illius sicut areola aromatum, consita à pigmentariis.*] In genis saluatoris nostri eius modesta pietas, simul & seueritas exprimitur. Areolæ aromatum virtutes & dulcedo & fama gloriæ eius designatur.

Consitæ à pigmentariis, id est, prophetis, Apostolis, futura incarnationis eius arcana, & illius facta narrantes. Aliter: Sicut in oculis Apostoli, ita in genis illius Ecclesiæ intelliguntur, quæ ab Apostolis in primordiis crediderunt, & ex sancta conuersatione ad donorum virtutum velut areola aromatum ex se perduxerunt, quæ à piis scilicet prædicatoribus consitæ, id H est, eruditæ sunt. [*Labia illius lilia distillantia myrrham primam.*] Labia illius verba doctrinæ. Labia, quia claritate cœlestis regni promittunt. Distillantia myrrham primam, quia per contemptum voluptatum præsentium ad hanc peruenienduum esse prædicant. Aliter: Labia Christi, doctores sunt illius, mente vel etiam carne virgines. Et in hoc passionem & mortem ipsius prædicantes, vt pro illo qui pro nobis mortuus est non recusemus suscipere mortem. [*Manus illius tornatiles aureæ, &c.*] Manus opera sunt illius, quia quæ verbis docuit, factis impleuit. Tornatiles aureæ, quia in se omnem regulam iustitiæ tenent, vt ipse dicit. *Sic enim decet nos implere omnem iustitiam.* Matt. 3. Aureæ dicuntur, quia omnia quæ in homine gessit, diuinitatis gloria impleuit. Plenæ hyacintis, quia ad spem nos cœlestium, atque amorem excitat, quia hyacinthus ætherei coloris gemma est. Possunt etiam in manibus Christi illi deputari, qui ea quæ bona sunt operari non desinunt, quia ad

A omne opus bonum ob spem regni cœlorum semper persistunt, & prompti sunt ad perficiendum. [*Venter illius eburneus distinctus saphiris.*] Venter ergo dilecti fragilitatem humanitatis eius designat. Ebur, decorem castitatis, Saphirus, sublimitatem virtutum cœlestium. Distinctus saphirus, quia partim humana fragilitas esuric, tentatione, fatigatione, morte: partim diuina celsitudo miraculis, resurrectione, & ascensionis gloria intelligitur. Possunt per ventrem hi in Corpore Christi intelligi, qui credentes in fide bonum parturiunt opus. Intelligitur venter eburneus, fons sacri baptismatis, vel eburneus, propter perseuerantiam castitatis, ex quo omnes credentes in fide nascuntur, & perseuerant in castitate fidei & mentis. [*Crura illius columnæ marmoreæ, quæ fundata sunt super bases aureas.*] Crurum vocabulo itinera Incarnationis Christi insinuantur, quæ columnis marmoreis propter firmitatem & rectitudinem comparantur. Quæ fundatæ sunt super bases aureas, quia quic-
B quid per eum, vel de eo gestum est, omnia diuinæ promissionis consilio ante tempora secularia disposita sunt. Aliter: Crura quæ totum corpus baiulant, illi sunt qui domum Ecclesiæ, velut domum columnæ sustinent. Denique & in tabernaculo & in templo columnæ argenteæ fabricatæ sunt, in significatione Doctorum, qui fabricam Ecclesiæ sustentant. Fundati super bases aureas, hoc est, præcedentium patrum prædicationem, & per libros legis & Euangelij roborati. [*Species eius vt Libani.*] Vt Libanus celsitudine & gratia arborum alios montes, sic nimirum Dominus Christus omnes Sanctos meritorum celsitudine, & gratia virtutum antecellit. [*Electus vt Cedrus.*] Sicut cedrus alias arbores quæ in Libano nascuntur superat dignitate, sua ita Christus omnes qui in Ecclesia ad vitam nascuntur, sua transcendit gloria. [*Guttur illius suauissimum, & totus desiderabilis.*] In gutture interna dulcedo verborum illius memoratur, quam qui sapit non esurit. Possunt & in gutture illi intelligi qui mysteria Christi
C exponunt, & in lege ipsius quotidie meditantur, qui verbum prædicationis ex ore depromunt. Et totus desiderabilis: O homo, quid amplius quæris? Totus desirabilis, quia totus Deus & totus homo est, in quem desiderant Angeli prospicere. Deus in maiestate Patris, homo in virginitate matris: In illa creator, in hac saluator. [*Talis est dilectus meus, & ipse est amicus meus, filia Hierusalem.*] Gratulando exultans loquitur Ecclesia propter reconciliationem, & cognita mysteria sui sponsi, ac si gratulabunda dicat, & familiarius effecta: Quanto deuotius quisque diligit Deum, tanto familiarius habet amicum eum, & talem necesse est, inquit vt intelligas eum, si vis illum habere amicum tuum. [*Quo abijt dilectus meus, ô pulcherrima mulierum, quo declinauit dilectus tuus. Et quæremus eum tecum.*] Hæc vox adulescentularum est, quæ loquuntur ad sponsam. Pro decore enim carminis, variantur personæ loquentium, sed tamen Christi Ecclesiam, quæ vocabulo sponsæ exprimitur, designat hæc pulcherri-
D ma mulierum. Pulchræ sunt singulæ Sanctorum Ecclesiæ, sed pulcherrima est vniuersitas totius sanctæ Ecclesiæ per totum orbem. Aliter: Recte enim sancta Ecclesia pulcherrima mulierum appellatur, quia virgo &
2. Cor. 11. incorrupta est, cui Apostolus loquens, ait: *Despondi enim vos vni viro virginem castam exhibere Christo.* Dicuntur itaque mulieres plebes hæreticorum Iudæorum, hypocritarumque, sed corrupta fide & opere. Sed sola Ecclesia non solum fonte baptismatis & varietate virtutum pulcherrima est, sed fide & opere, non habens maculam aut rugam. Aiunt enim adolescentulæ: Quo declinauit dilectus tuus? quæremus eum tecum, id est, qui aliquando corporali speciem in terra versatus est, dic quo declinauit ille, vt illum sequamur tecum.

CAP. VI.

Dilectus meus descendit in hortum suum ad areolam aromatum,] & reliqua. Quasi dixisset: Illuc ascendit, vnde descendit. In hortum, id est, Ecclesiam suam, vt eam fonte gratiæ suæ, quasi areolam aromatum irrigaret, vt virtutum floribus germinaret. Aliter: Dilectus Ecclesiæ Christus, descendit in hortum suum, quando visitauit priorem populum suum. Areolam aromatis ipsam sanctam Mariam Virginem, de qua secundum carnem natus est, dicit: [*Vt pascatur in hortis, & lilia colligat.*] Id est, vt regnet in gentibus seu in Ecclesiis delectetur, vt ex eis virgines quasque vel sanctos assumat. Aliter: *Vt pascatur in hortis & lilia colligat.* Pascitur in hortis, dum piis Sanctorum laboribus delectatur. Lilia colligit, dum ad perfectorum meritorum candorem peruenientes ad cœlestia regna perducit. [*Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi, qui pascitur inter lilia.*] Hæc loqui- F
tur Ecclesia ex fiducia amoris sui. Ego dilecto meo locum habitationis præparo in me, & ipse mihi apud se. Ego regnum illius, & ipse Rex meus: Ego corpus eius, & ipse caput meum: Qui semper inter sancta desideria castarum mentium, siue corporum pascitur, id est delectatur. Hactenus sanctæ Ecclesiæ vox est quærentis ac laudantis, nunc quid quæsitus respondeat, subinfertur. [*Pulchra es amica mea, suauis & decora sicut Hierusalem terribilis vt castrorum acies ordinata.*] Pulchra es sancta Ecclesia per iustitiam: amica, quia semper pacifica; Quia enim Hierusalem pacis visio interpretatur, cuius nomine patria cœlestis exprimitur. Sancta Ecclesia suauis & decora vt Hierusalem dicitur: quia eius vita & desiderium visioni iam pacis intimæ comparantur, vt in eo quod authorem suum diligit, quod eius speciem videre concupiscit, de quo scriptum est: In quem desiderant
Angeli prospicere, per ipsa iam amoris sui desideria Angelis similis dicatur. Quæ quanto Deo amabilis effici- 1. Pet. 1.
tur, tanto agit, vt malignis spiritibus terribilis fiat. G
Qualiter autem sit terribilis, subiuncta comparatione ostenditur, id est, vt castrorum acies ordinata. Scimus & constat, quia castrorum acies, tunc hostibus terribilis est, quando ita fuerit constipata ac densata, vt in nullo loco interrupta videatur. Nam si ita disponitur, vt locus vacuus per quem possit ingredi dimittatur, profecto iam suis hostibus terribilis non est. Et nos ergo cum contra malignos spiritus spiritualis certaminis aciem ponimus, summopere necesse est, vt per charitatem semper vniti, atque constricti, & nunquam interrupti per discordiam inueniamur: quia quælibet in nobis bona opera fuerint, si charitas desit? Per malum discordiæ, locus aperitur in acie, vnde ad feriendum nos valeat hostis intrare. Antiquus vero inimicus castitatem in nobis si sine charitate fuerit non timet, quia ipse nec carne premitur, vt in eius luxuriam dissoluatur. Abstinentiam non timet, quia ipse cibo non vtitur, qui necessitate corporis non vrgetur. Distributiones terrena-
rum rerum non timet, si eisdem opera charitatis desint, H
quia diuitiarum subsidiis nec ipse eget. Valde hoc in nobis charitatem veram, id est, amorem humilem, quem nobis vicissim impendimus, timet. Et nimis concordiæ nostræ inuidet, quia hanc nos timemus in terra, quam ipse nolens tenere amisit in cœlo. Bene ergo dicitur terribilis, & reliqua: quia electorum multitudine eo maligni spiritus pertimescunt, quo eos per charitatis concordiam vnitos contra se, & conglobatos aspiciunt. [*Auerte oculos tuos à me, quia ipsi me auolare fecerunt.*] Id est, oculis mentis tuæ noli quærere in tuæ peregrinationis itinere me perfecte cognoscere, quod fieri non potest, quia quo intentius me agnoscere quæris, eo certius me incomprehensibilem esse intelligis. Et ne quæras in viis præmium, quod tibi in patria reseruatur. Aliter vero sentitur: Ac si diceret: Nonne semper in corpore conspiciendum requiras, quem semper per fidem melius cernis? Idcirco etenim in cœlum ascendi, vt semper tibi localis appaream. [*Capilli tui sicut*

greges

greges caprarum, quæ ascenderunt de monte Galaad. Qui versiculi prius expositi sunt, sed repetitio firmitatis indicium est. In capillis populi, in dentibus doctores, in gemellis fœtibus, præcepta charitatis intelliguntur. [*Sicut cortex mali punici, sic gena tua absque occultis tuis.*] Genæ Ecclesiæ, spirituales sunt patres (vt superius diximus) qui virtutibus sunt mirabiles, & moribus venerabiles, & in Christi cruce gloriari non erubescentes. Et hæc magna sunt valde quæ videntur in ea, sed multo maiora, quæ non videntur, & in futurum reseruantur. Vnde Propheta: *Omnis gloria eius filiæ regis ab intus.* [*Sexaginta sunt reginæ, & octoginta concubinæ, & adolescentularum non est numerus.*] Reginæ sunt quæ amore sponsi, & cœlestis præmij intuitu per prædicationem veritatis & fidei, & sacri baptismatis fontem sobolem æterno regi spiritualem generant. Senarius numerus ad perfectionem præsentis vitæ pertinet, propter sex dies, in quibus licet bona operari. Concubinæ vero simplices in Ecclesia significant, qui suscepto verbi semine, non spiritaliter, sed carnaliter sapiunt, siue qui carnali solum modo quodammodo Christum prædicando vel baptizando docent. Adolescentulæ, sunt animæ nuper in Christo renatæ, quarum summa propter multitudinem ciuium cœlestium numerum transcendit. Possunt itaque in adulescentulis illi intelligi, qui semper quæ sancta sunt audire cupiunt non tamen audita operibus implere satagunt. [*Vna est columba mea, perfecta mea: vna est matri suæ, electa genitricis suæ.* Sancta videlicet Ecclesia vniuersalis per totum orbem vna est matri suæ, id est, cælesti Ierusalem, quæ est mater omnium nostrum, vnde ad nos gratia spiritus sancti descendit per quam renascimur Deo. Vna vero dicitur, quia expulsis cunctis reprobis, ipsa tantummodo sociabitur Christo. [*Viderunt eam filiæ Sion & beatissimam prædicauerunt reginæ, & concubinæ laudauerunt eam.*] Quas prius dixit adolescentulas, nunc filias nominat. Reginæ & concubinæ idem sunt quæ & ante, quæ omnes

C catholicam laudant Ecclesiam. [*Quæ est ista quæ ascendit quasi aurora consurgens pulchra vt luna electa vt sol terribilis vt castrorum acies ordinata.*] Vox est ista synagogæ admirantis pulchritudinem Ecclesiæ ex gentibus, eo quod sine iudiciis legis & instructione prophetarum ad prædicationem Euangelij tam subito tanta perfectione virtutum excreuerit, sicut superius admirata iam fuerat. Ait namque: *Quæ est ista quæ ascendit sicut aurora consurgens*, &c. Progreditur Ecclesia quasi aurora, quia iam veri luminis in ea sol ortus mundo post tenebras longæ ignorantiæ monstratur, vel quando relinquens post se tenebrarum opera caste & sobrie viuit, & ad perfectum diem tendit: Pulchra vt luna, quia à sole iustitiæ illustrata, noctem mundi illuminat. Electa vt sol, quia imaginem sui conditoris in omni iustitiæ sanctitate & veritate portat. Aliter: Pulchra vt luna, per virtutem in præsenti seculo & decorem. Electa vt sol, in futura beatitudine. Vel pulchra vt luna, in coniugatis: electa vt sol, in virginibus: Terribilis aëreis po-

D testatibus, & per potestatem ligandi & soluendi. Ordinata in vnitate fidei, spei, & charitatis, & in mysteriorum dispositione. [*Descendi in hortum nucum, vt viderem poma conuallium.*] Hortus etenim nucum, est Ecclesia præsens, vbi nostras conscientias alterutrum minime videmus, sed fracta per tentationem testa carnis vel corporis, apparebit internæ dulcedinis gustus. Poma conuallis, fructus humilitatis: Descendit enim sancta Ecclesia per doctores sanctos, vt videat qui proficiant ad fructus bonorum, quiue adhuc indigeant doctrinæ irrigatione. Potest & hortus nucum canon noui ac veteris testamenti designari: In quo sub tegmine literæ velut sub cortice spiritualis latet sensus. [*Vt inspicerem si floruissent vineæ.*] Id est, si plebs fidelis in studio virtutum floruisset. [*Et germinassent mala punica,*] Si qui ad exemplum dominicæ passionis præparati essent suum fundere sanguinem. [*Nesciuit anima mea conturbauit me propter quadrigas Amminadab.*] Vox synagogæ: Nesciui donæ gratiæ spiritualis in te esse sponsa, sed anima mea conturbauit me, propter inductionem noui testamenti & Euangelicæ quadrigæ. E Amminadab quippe interpretatur populi mei spontaneus id est, Christus, qui per totum vehitur orbem. Cui Ecclesia consolando mox respondit. [*Reuertere, reuertere sunamitis, reuertere reuertere, vt intueamur te.*] Id est, noli turbata esse, sed reuertere ad cognitionem tui redemptoris: qui tibi potius in prophetis & lege promissus est. Reuertere puritate fidei, reuertere operum perfectione. O Sunamitis, id est, captiua, iam à vinculo infidelitatis reuertere ad tuum redemptorem, vt salueris.

CAP. VII.

QVid videbis in Sunamite, nisi castrorum choros.*] Hoc est, Tu doles synagogam obduratam, prope est tempus quod choros bellantium aduersus malignos spiritus, & laudantium Deum in ea videbis. Potest & F aliter intelligi, nesciui. Anima mea conturbauit me, propter quadrigas Amminadab. Quid nesciuit Christus nisi peccatum? Nesciuit illos etiam, quibus in iudicio dicturus est: *Amen dico vobis, nescio vos.* Matth. 25. Quadrigas Amminadab, Euangelistas dicit. Amminadab quippe, interpretatur populi spontaneus, id est, plebs Ecclesiæ fidelis. Sunamitis ista, Ecclesiam significat: Cuius figuram Sunamitatis illa in libro regum gestauit. Qui ob hoc qui Christi sanguine decoratur, coccinea in latino sonat cui frequenter à sanctis prædicatoribus dicitur, reuertere: vt etiamsi per aduersa deliquerit, in desperationem non decidat, sed à peccandi consuetudine cum spe indulgentiæ resipiscat. [*Quam pulchri sunt gressus tui in calciamentis, filia principis.*] Nunc laudes Ecclesiæ ab ipso sponso proferuntur, & primo operum constantia, & mortificatio voluptatum laudantur in ea, quam & filiam principis, id est, Christi ob gratiam baptismatis, & nobilitatem virtutum nominat. *Iunctura fæmorum tuorum sicut monilia quæ fabricata sunt manu artificis.*] G Duorum concordia populorum speciali prole fœcundantium, in iunctura fœmorum designatur, quæ sicut monilia fabricata sunt manu artificis, id est, ineffabili largitate conditoris nostri: In monilibus bona opera exprimuntur. *Vmbilicus tuus sicut crater tornatilis, nunquam indigens poculis.*] Vmbilicus tuus fragilitas nostræ infirmitatis. Crater fit tornatilis, cum conscientia mortalitatis nostræ admoniti, calicem salutaris verbi prompta mente propinare satagimus. Item in vmbilico intelliguntur, qui non extremo, sed in medio Ecclesiæ corpore commorantur. In his ergo reperiuntur quæ sunt vasa vtilia: In eo tornatilis, quia ad obediendum, vel ad omne opus bonum semper parati, In eo nunquã indigens poculis, quantum sancti Spiritus gratia ex toto repleti. [*Venter tuus sicut aceruus tritici vallatus liliis.*] Hi namque qui semper sanctarum Scripturarum alimenta percipiunt, & ea quæ sunt salutaria infra se congerunt, atque iis doctrinam suam velut triticum erogantes prædicare non desinunt, in ventri similitudinem deputantur. H Aceruus tritici vallatus liliis est, cum abundantia boni operis sola perpetuæ lucis spe colligitur. In ventre memoria; in tritico multiplicatio boni operis, in liliis castitas spei exprimitur. [*Duo vbera tua, sicut duo hinuli gemelli capreæ.*] De hoc versu dictum est superius, sed repetitio firmitatis indicium est. Duo vbera, doctores sunt vtriusque populi. Hinuli gemelli, propter vnam concordiam: Item duo vbera Ecclesiæ duo sunt testamenta duobus populis ex traduce peccati venientibus coaptata. Hi enim tanquam hinuli in Christo renascuntur atque ex his duobus testamentis lac sapientiæ sugentes. [*Collum tuum sicut turris eburnea.*] In collo doctores designantur, qui turri eburneæ propter firmitatem & pulchritudinem comparantur, quia ciuitati Dei robur præstant & decus. Potest & in collo notitia sacrarum Scripturarum designari, quæ ideirco turris eburnea appellatur, quia qui verbo Dei insistunt, quotidiano profectu per nitorem iustitiæ in excelsiora proficiunt.] *Oculi tui sicut piscinæ in esebon, quæ sunt in porta*

filiæ multitudinis.] Oculi, Ecclesiæ Doctores sunt propter prouidentiam sicut collum propter nutrimentum. Et recte piscinæ comparantur, quia fluenta doctrinæ suis auditoribus præbere non cessant. Esebon cingulum mœroris interpretatur, quia sancti pro vana lætitia carnis, cingulo abstinentiæ constringuntur. Et bene in portis filiæ multitudinis, ob abundantiam populorum concurrentium per portam fidei in Ecclesiam. Potest & per portam Christus intelligi. [*Nasus tuus sicut turris Libani.*] In naso verbi Dei dispensatores, causa discretionis designantur, qui odorem iustitiæ qui est in Christo percipientes, suis porrigunt auditoribus, atque intellectu discretionis inter odorem virtutum, & vitiorum fœtores ex alto discernunt. Turri assimilantur, qui per sapientiam eminentissimum locum tenent in Ecclesia. [*Quæ respicit contra Damascum,*] id est sanguinarios & impios, quia Damascus sanguinem bibens interpretatur, significat carnales & crudeles, contra quos Sancti Doctores in turri Libani, id est firmitate Ecclesiæ semper vigilant. [*Caput tuum vt carmelus, & coma capitis tui sicut purpura Regis iuncta carnalibus.*] In capite meos, in comis cogitationes designantur: & sicut capite membra, ita mente cogitationes reguntur, vt in carmelo, id est sublimitate virtutum & Passione Christi, quæ nomine purpuræ exprimitur, versentur. Canales præcordia sunt Sanctorum, in quibus alligantur tales cogitationes. Aliter: Caput Ecclesiæ Christus, quo sublimius nihil est. Coma capitis eminentiores quique sancti, Beati scilicet Martyres, consimilati purpura, regalibus ornamentis, & salutaribus copulata doctrinis. [*Quam pulchra es & decora, charissima in deliciis.*] Pulchra dicitur Ecclesia, fide & opere. Decora ornamentis virtutum, Charissima per dilectionem. In delitiis id est in spiritualibus virtutibus. [*Statura tua assimilata est palmæ, & vbera tua botris.*] Id est rectitudo bonæ operationis, semper ad victoriam tendit. Vberibus Doctores Ecclesiæ, propter lac primæ eruditionis comparantur, & botris æquantur, propter mysteria dulcissimæ æternitatis. [*Dixi, ascendam in palmam, apprehendam fructus eius.*] Apte enim victoriosissima crux palmæ comparatur, in quam Christus ascendens apprehendit fructum eius. Illi enim in palmam ascendunt, qui in cruce Christi proficiunt. De quo Apostolus ait: *Qui enim sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis:* [*Et erunt vbera tua sicut botri vineæ*, id est, dona quæ largitus est sanctæ Ecclesiæ, quæ ex illo tempore botros vineæ germinauit, id est, Sanctos Doctores, qui maiore scientia & gratia post crucem & resurrectionem saluatoris abundabant. Possunt & vbera prædicatores Ecclesiæ qui renascentes in fide nutriunt, intelligi. [*Et odor oris tui sicut odor malorum. Guttur tuum sicut vinum optimũ ad potandum.*] In gutture vox præsentis doctrinæ. In odore, fama absentis designatur. Et ideo vino illa propter flagrantiam virtutum, hæc malis, propter suauitatem absentis famæ, comparantur: [*Dignum dilecto meo.*] Rapuit enim sponsa verbum ex ore sponsi, quia ille vino optimo eam comparauit, & subiecit. Dignum dilecto meo, id est, tanta est sublimitas Euangelicæ prædicationis, vt ipse dilectus meus primus per Incarnationem apparens, mundo iter cœleste aperuit: Possunt in gutture illi intelligi qui per Euangelicam prædicationem corda auditorum inebriant: Vnde Christus potatur, cum ex ea Christiani, qui membra ipsius sunt incomparabili dulcedine satiantur. [*Labiisque & dentibus illius ad ruminandum,*] id est, Apostolis & prædicatoribus quibus maxime dedit ad meditandum. [*Ego dilecto meo,*] & non alteri, cui totam curam seruitutis & dilectionis impendo. [*Et ad me conuersio eius,*] id est, me solam diligit, & adiuuat me, ne deficiam in via. Cui dilecto ex voce Ecclesiæ per Psalmistam dicitur: *Adhæsit anima mea post te, me suscepit dextera tua. Veni dilecte mi, egrediamur in agrum, commoremur in villis, mane surgamus ad vineas, videamus si floruit vinea. si flores fructus parturiunt, si floruerunt mala punica.*] Quia nullatenus Ecclesia, vel ad bonum operandum egrediendo procedere, vel in exercitio bonæ operationis persistendo commori, vel saltem ad propositum bene agendi assurgere, E
vel animos auditorum suorum quantum profecerint discernere sufficit, nisi Dei gratia adiuta qui dixit: *Ecce ego vobiscum sum* omnibus diebus, vsque ad consummationem seculi. Matt.8. Egreditur Christus cum Ecclesia in agrum, quando per Sanctos Doctores visitat mundum. Commoratur in villis, per fidem scilicet in populis ex gentibus credentibus, circumquaque diffusis. Mane consurgit ad vineas, vt animæ quæ per fidem iam meruerunt colligi, in matutinis Christum resurrexisse cognoscant, nec vltra de sui corporis resurrectione dubitent. Videamus si floruisset vinea, si Ecclesia flores fide & parturiat, si flores fructus parturiunt, id est, si sancti fideles quod corde crediderunt, ore pronunciant. Si floruerunt mala punica, si illi qui in Christo crediderunt in tanta dilectione proficiunt, vt etiam pro ipso occidi delectentur. His enim singulis sponsa dilecti sui pœnitentiam quærit.] *Ibi tibi dabo vbera mea, id est, paruulorum meorum pædagoges.*] Quia in his omnibus proficiunt Sancti Doctores, in hac sancta confessione, sociabuntur tibi Doctores mei. F Et quia parati sunt vt patiantur pro te, regnabunt apud te. [*Mandragoræ dederunt odorem suum in portis nostris.*] Mandragoræ duo sunt genera, masculus & femina. Femina rubea, masculus albus, vtrisque vna vis ad medicamenta. Mandragoræ dictæ, eo quod habeant mala suaueolentia, in magnitudinem mali, vnde & eam latini malum terræ vocant: hanc Poëtæ ἀνθρωπόμορφον appellant, quod habeat radicem formam hominis assimilantem, quæ datur in vino ad bibendum, quorum corpus propter curam secandum est, vt soporati dolorem non sentiant. Vide Dioscor. l.4.c.74. Mandragoræ propter multimoda medicaminum genera Sanctorum virtutibus comparantur, quæ more medicorum ad salutem animarum à vitiorum infirmitatibus sanentur, ostenduntur. Portæ Ecclesiæ Doctores sunt sancti, & in huiusmodi portis mandragoræ dant odorem, cum spirituales quique ex se virtutum palmam longe lateque spargunt. [*Omnia pompa noua & vetera dilecte mi seruaui tibi.* G Pompa noua & vetera, præcepta siue promissa sunt noui Testamenti & veteris, quæ omnia ad eius gratiam refert Ecclesia, siue Patres noui Testamenti & veteris possunt intelligi, quia vna eademque Ecclesia est.

CAP. VIII.

Q*Vis mihi dat fratrem meum sugentem vbera mea.*] Vox ista est antiquorum virorum optantium aduentum Christi in carne & illum in synagoga nasci ac nutriri, iuxta humanæ conditionis naturam. [*Vt inueniam te foris & deosculer.*] Intus erat dilectus, dum in principio erat verbum, Foris, dum verbum caro factum est. Et deosculer, facie ad faciem videam, & ore ad os loquar. De quo osculo in exordio libri satis arbitror dictum. *Et iam me nemo despiciat.*] Ante aduentum Christi intra angustias Iudææ tantum fuit Ecclesia, post ascensionem in toto mundo dilatata fuit, & venerabilis effecta. Prius dictum fuerat, *notus in Iudæa Deus*, nunc H autem dicitur, exaltare super cœlos Deus, & super omnem terram gloria tua. Potest & aliter intelligi. Sugit vbera matris Christus, cum historiis priscæ legis Christianus populus reficitur. Matrem quippe Ecclesiæ, id est, Corpus Christi synagoga dicunt, cui in primordio eloquia diuina credita sunt, & qui in veteri testamento sub figura tegebatur, per Euangelium in nouo in veritate reperitur. [*Apprehendam te.*] id est, prompta ac fideli deuotione venientem accipiam. [*Et ducam te in domum matris meæ.*] Peracta carnis dispensatione, redeuntem lætis ducam luminibus in domum matris, id est, cœlestis Hierusalem, quæ est mater nostra. *Ibi me docebis*, id est, facies me potiora sperare dona, quam in lege habuissem. [*Et dabo tibi poculum ex vino condito.*] id est, feruentem amorem variis virtutum pigmentis odoratum vel ornatum, [*Et mustum malorum granatorum meorum.*] id est gloriosorum martyrum sanctorum triumphum, qui feruentissima

charitate

A charitate per ferrum flammasque ad te transire non dubitant. Aliter: Ducit Ecclesia Christum in domum matris cœlestis Hierusalem, quando cum omnibus bonis quæ per suam gratiam consecuta est, etiam ipsa perduci meretur. Ibiq; docetur, *vt iam non in ænigmate per speculum sed facie ad faciem videat*, quando optimos & dulcissimos protulerit martyrium fructus, velut mustum malorum granatorum.] *Leua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.*] In leua incarnationis Christi dona, in dextera, futura sanctorum cum Christo gaudia exprimuntur. Vel in leua præsens vita, quam sancti sub mentis capite ponunt, quia despiciunt. In dextera beatitudo, quam sancti ob nimium desiderium amplexabuntur. De hoc versu superius latius abundeque disputatum est. [*Quæ est ista quæ ascendit de deserto delitiis affluens*] Verum & hinc iam disseruimus, sed quia repetitio versuum, firmitatis (vt sæpe diximus) iudicium est, nunc tangamus breuiter. Vox synagogæ vel

B prophetæ admirantis, quomodo Ecclesia de deserto gentilitatis in sponsi subito amplexus ascendisset: Cui per Prophetam dicitur: *Pro eo quod fuisti derelicta, & odio habita*, &c. Et in Psalmo: *Errauerunt in solitudine in inaquoso.* Delitiis affluens, id est, omnium donorum pulchritudine. [*Innixa super dilectum meum.*] Quia omnia

Esa. 60. Ps. 10. quæ habet, ad gratiam ipsius refert stabilita in eo fide, spe, & charitate, quem mihi soli committendam credebant. [*Suscitaui te sub arbore malo.*] Respondit sponsa pro synagoga. Ipse sponsus sub arbore crucis à perpetua morte liberaui te, vt apostolos & cæteros electos ex Iudæa. [*Ibi corrupta est mater tua, ibi violata est genitrix tua.*] Id est, maior pars plebis Christum negando & Barrabam eligendo, ad crucem reprobata est. [*Pone me vt signaculum super cor tuum, & sicut signaculum super brachium tuum.*] Signaculum in brachio vel digito, ob memoriam cuiuslibet rei ligamus: Per cor, cogitatio, & per brachium operatio designatur, id est, si me velis habere sponsum, intus sit charitas fide non

C ficta, & foris operatio deuota, & sic recipies fidem meam, vt eam immaculatam custodias: Et quia per crucem meam signaculum accepisti, thesaurum iustitiæ quem in te contuli, à nullo fure auferri pertimescas, vt tam cogitatione quam etiam operatione ad illud signum recurras, & sicut ego te in tantum dilexi, vt mori voluissem pro te, ita e contrario sancti tui mortem non recusent pro me. [*Quia fortis est vt mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio.*] Fortis est vsque ad mortem dilectio mea in te ô synagoga, sed tua æmulatio dura in me fuit sicut infernus: Sed verte æmulationem in dilectionem, & eris mihi sponsa, & soror, & amica. [*Lampades eius, lampades ignis, atque flammarum.*] Dilectionis lampades, corda sunt fidelium, in quibus charitas inhabitat, semper splendida & nitore charitatis munda atque igne spiritus sancti ardentia, flammarumque bonæ operationis enitentia globo. [*Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam.* [Aquas multas & flumina, tentationum dicit in-

D cursus, quæ visibiliter seu inuisibiliter animas fidelium impugnant, quibus charitas non cedit. [*Si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despicient eam.* Sicut vero totius substantiæ diuitias pro dilectionis Christi magnitudine dantes, quasi nihil despiciebant eum id est mundum. Alio vero modo ex superioribus pendet sententiæ sensus. Cum enim dixisset aquæ multæ vel flumina non potuerunt extinguere charitatem, subiunxit: Si dederit omnem substantiam domus suæ, &c. vt illuc intelligatur quod Apostolus ait: *Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum ita vt ardeam; charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest.* [*Soror mea*

1. Cor. 13. *paruula est, & vbera non habet. Quid faciemus sorori nostræ, in die quando alloquenda est?* Pruna nascentis Ecclesiæ de gentibus tempora designat, quoniam adhuc & parua fuit numero, & minus idonea prædicare verbum, vt Apostolus loquitur. *Non potui loqui vobis quasi spiritalibus, sed quasi carnalibus, tanquam paruulis in Christo, lac potum vobis dedi non escam*: Quasi vox sponsi vel Apostolorum, de ipsa ad synagogam dixisset. *Quid* E 1. Cor. 3.

faciemus sorori nostræ, in die quando alloquenda est? Ac si aperte dicat: Parua quidem est Ecclesia gentium, & nec Dei verbi mysterium sufficit subire. Quid ergo tibi videtur ô synagoga de sorore nostra faciendum, quando alloquenda est, id est per verbi mysterium ducenda in fidem? Synagoga tacente, ipse sponsus, siue apostoli quid fieri debeat, respondit. [*Si murus est, ædificemus super eam propugnacula argentea.*] Ac si diceret: Si aliquos habet in se fortes in fide, vel claros ingenio, vel philosophia instructos, addamus illis propugnacula argentea id est scientiam diuinarum scripturarum vt eo facilius possint protegere infirmos atque indoctos. [*Si hostium est, compingamus illud tabulis cedrinis.*] Id est, si sint simplices, tamen docendi studio inhiantes, & velut hostium quod aperitur & clauditur, *tempus tacendi vel loquendi* intelligunt: proponamus illis priorum exempla iustorum, quo certius & efficacius docendi officium implere possint. Cedri victores F

sanctorum, & tabulæ, latitudinem designant charitatis: Et vt cum Apostolo dicere valeant: *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri* IESV CHRISTI *per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.* Ad hæc Gal. 6. namque ipsa respondit Ecclesia: [*Ego murus, & vbera mea sicut turris, ex quo facta sum coram te quasi pacem reperiens.* Ego de viuis compacta sum lapidibus, & glutino charitatis adunata, & super fundamentum immobile ædificata & doctores mei fortissimi velut turris qui & paruulos nutrire sciunt, & omnia maligna expellere & accidit mihi ex eo tēpore quo Christus me reconciliauit, pacem per eum reperiri. [*Vinea fuit pacifico in ea quæ habet populos, tradidit eam custodibus.*] De quo Apostolus ait: Eph. 2. Esa. 9.

Ipse est pax nostra, qui fecit vtraque vnum. Et de quo Propheta: *multiplicabitur eius imperium, & pacis non erit finis.* Vinea id est Catholica Ecclesia, fructu abundans fidei fuit pacifico id est Christo, qui omnia pacificauit in cælis & in terris, in ea congregatione quæ multos G populos possidet ex toto orbe, non in Iudæa solum, tradidit eam custodibus, sed & Prophetis, vel Apostolis siue Euangelicis dogmatibus, vel Angelicis dignitatibus. [*Vir affert pro fructu eius mille argenteos.*] Id est, Christus appendens regnum cælorum pro sanctis laboribus vel eleemosynis eius. Potest & aliter intelligi. Vir affert pro fructu eius mille argenteos, id est, pro retributione æterna. Huius vineæ vir affert mille argenteos, id est, pro acquisitione cælestis regni, qui est fructus violæ, cuncta quæ mundi reliquit Millenarius numerus pro perfectione accipitur illius, qui omnia reliquit. Vnde & argentei pro omni pecunia accipiuntur. [*Vinea mea corā me est.* [Vox sponsi quia post resurrectionem futurā sancti omnes semper cum Domino erunt, sicut ipse ait: *Volo pater vt vbi ego sum & illi sint mecum.* Aliter: Ac si Ioan. 17. diceret sponsis: Verum & si te aliis commendem custodibus tamen te semper habeo in mea præsentia, videns & remunerans laboris in omnibus deuotionem. *Mille*

tui pacifici,] Mille tui, subauditur argentei. Quasi dixisset: Qui amore meo cuncta sua dimittit, in pace habere seruata cognoscat significans simpliciores in Ecclesia H qui omnem substantiam millenario signatam numero pro charitate Dei amittunt: [*Et ducenti his custodiunt fructus eius.* [Id est argentei his qui custodiunt fructus eius, qui sunt Doctores sancti, qui omnia mundi dimittunt & in verbo prædicationis laborare non cessant, hi duplici remuneratione, quæ centenario designatur numero donantur apud me. Potest & aliter intelligi: Duodecim quippe si per centenarium numerum multiplicantur, mille ducentos efficiunt. Qui numerus vtique Apostolis vel Apostolicis viris congruit. Hi pacifici, id est, Christi discipuli merito appellantur, à quibus sancta regitur Ecclesia: [*Qui habitas in hortis, amici auscultant te, fac me audire vocem tuam.*]In hortis enim Ecclesia habitat, quæ iam viriditate spei & bonorum repleta est operum. Ac si aperte dicat. Quia locutio finienda est, hoc vltimum vale à me auditum

semper,

A sempet habita in pottis virtutum, & scito quod amici, id est, angelici spiritus, & animæ sanctorum separatæ considerant, & de tuo gaudent profectu. Item amici auscultant, quia omnes electi, vt ad cælestem patriam reuuiscant, verba vitæ audite desidetant: *Fac me audire vocem tuam*, id est, vetbum prædicationis & vox laudis, quantum valcs semper audiatur à me. Ad hæc sponsa respondit: [*Fuge dilecte mi, & assimilare caprea, binuloque ceruorum, super monte aromatum.*] Ac si aperte dicat: Quoniam in carne appatens præcepta ac dona vitæ mihi deferens, nunc his peractis reuerte in sinum patris: O mi dilecte *assimilare caprea, binuloque ceruorum supra montes aromatum*, id est & hoc mihi sit solatium, quia continua visione nequeo te cernere, saltem ctebta visitatione me consolari memento. Christus similis capteæ, propter similitudinem carnis peccati, qui de patriarcharum stirpe velut exterius genitus. Hinulus propter varietatem virtutum dicitur, qui cum qua carne ad cœlos ascendit, cum ipsa versatus est in B terris. Montes aromatum, angeli intelliguntur, super quos exaltatus est homo assumptus, sicut Psalmista ait: (Ps. 4. Eph. 4.) *Ascendit Deus in iubilatione, & dominus in voce tuba.* Hinc verum dicit. *Ascendens Christus in altum, captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus.* Hinc Luc. (Luc. 16.) ait: *Et dominus Iesus postquam locutus est eis ascendit in cælum, & sedet a dextris Dei.* Iam enim tandem aliquando Deo fauente liber finem postulat, quem calcetenus ipso adminiculante recta vt credimus indagine, veraque iuxta sensum doctorum, nostrique fragilitatem sensus perduximus, & imperialibus decretis atque Augustalibus ô Cæsar Auguste, quamquam pauide parere studuimus. Quem supplex supplicando supplico excellentiæ culminis vestri, vt subtili inuestigatione lustrare nobilitas vestra non pigeat, & summo studio sanctorum doctorum opuscula pariter vestra solertia perlegere studeat. Si enim Theodosius Imperator in imperio natus & educatus tantæ excellentiæ extitit, vt singularem C totius orbis monarchiam obtineret. Prisciani grammatici Romanæ eloquentiæ decoris librum, disertitudine mira discretissimum calcetenus teneris digitulis, propriisque articulis describere curaret, atque ex eius precio, distractoque commertio, despectis imperialibus dapibus viuere semper consueuerat & tanto studio viguit, vt iugi meditatione & propria descriptione legem Romanam diuinitus describeret, & mores Romanorum distortos, mucrone quodammodo legis normam rectitudinis corrigeret, atque à sua duritia coerceret, adeo vt aliis expletis, angelica salpix nocturna visione, cælitus ei intonuit & per oroma somnij gratulando vocem extulit, dicens: Liber, inquit, legis non recedat de ore tuo, meditare in eo die ac nocte, quanto magis ô mitissime princeps propriis studiis sanctarum scripturarum autoritatem iugi meditatione percurrere, & altitudinem diuinæ legis velut quodammodo montem appetere, vt doctrina spirituali instructus, & te sagaciter ad altiora virtutum prouehere, & alios ad tramitem rectitudinis D prouocare valeas. Quod profecto plenius penetrare, & quodammodo montem diuinæ Scripturæ subire, nisi solerti studio & puritate cordis, & pudicitia corporis nequiuetis. Scriptura etenim sacra (vt sæpe præfatus tractator ait) mons est, de quo in nostris cordibus dominus venit. De quo propheta dicit: *Deus à libano veniet, & sanctus de monte vmbroso & condenso.* Iste mons condensus est, per sententias, & vmbrosus per allegorias. Sed sciendum, quia cum vox inmonet sonat, vestimenta lauare præcipimur, & ab omni inquinatione carnis mundare, si ad montem festinemus accedere. Scriptum quippe est: *Quia si bestia tetigerit montem lapidabitur.* Bestia tangit montem, quando quis luxuriæ aut irrationabilibus motibus deditus, Scripturæ sacræ celsitudini appropinquat, & non eam secundum quod debet intelligit sed irrationabiliter ad suæ voluptatis intelligentiam flectit. Sed iste talis absurdus vel sensu piger, si circa hunc montem visus fuerit, atrocissimis sententiis, veluti lapidibus necatur. Ardet enim iste

E mons, quia sacra Scriptura quem spiritualiter teplet, amoris igne succendit. Vnde per Moysen dicitur: *In* (Deut. 33.) *dextera eius ignea lex*, Quia in electorum mentibus; qui ad dexteram iudicis statuendi sunt, flagrant præcepta diuina, & charitatis ardoré succensa sunt: idcirco Augustale decus, & Francorum gloria gentis rationabilibus mentibus & castimoniis corporis stude montem istum subire & feruore charitatis succensus legendo penetrate, vt pro merito intelligentiæ, & aliorum quos corrigere vestra sagax prudentia studuerit, profectò montes aromatum id est, celsitudines Angelorum tandem domino fauente adite, atque eorum suffragiis orationum ad dexteram iudicis cum sanctis Imperatoribus & consulibus collocati mereatis, paritetque à domino audire: *Euge serue bone fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam intra in gaudium domini tui, Amen.*

RATRAMNI SIVE BERTRAMI Corbeiensis Monachi Ordinis S. Benedicti,

DE PRÆDESTINATIONE DEI, LIBRI DVO.

Ad Regem Karolum Caluum.

VETERVM AVCTORVM DE HIS RATRAMNI *libris testimonia.*

Hincmarus Remensis Archiepiscopus, de Prædestinatione, ad Karolum Regem c. 5.

Ratramnus nihilominus Monasterij Corbeia Monachus libellos duos, quos nobis examinandos dedistis ea intentione elaboratos porrexit, vt ostendas quatenus sicut electi à Deo prædestinantur ad vitam: ita & Reprobi a Deo prædestinantur ad mortem. G

Sigibertus Gemblacensis Monachus de scriptoribus Ecclesiasticis, cap. 95.

Bertramus scripsit librum de Corpore & Sanguine Domini, & ad Karolum librum de Prædestinatione.

Ioannes Trithemius Abbas Spanhemensis de scriptoribus Ecclesiasticis.

Bertramus Presbyter, & Monachus in diuinis Scripturis valdè peritus, & in libris secularium disciplinarum egregiè doctus, ingenio subtilis, & clarus eloquio, nec minus vita, quam doctrinâ insignis, scripsit multa præclara opuscula, de quibus ad meam notitiam pauca peruenerunt: Ad Karolum Regem fratrem Lotharij Imperatoris scripsit commendabile opus. H

De Prædestinatione l. 1.

De Corpore & Sanguine Domini lib. 1.

Claruit temporibus Lotharij Imperatoris anno 830.

Idem Trithemius in Chronico Hirsaugiensi.

Bertramus Monachus in omni literatura doctissimus scripsit ad Karolum Regem de Prædestinatione. Item de Corpore & Sanguine Domini cum aliis multis, quæ ad notitiam nostræ lectionis non venerunt.

A

PRÆFATIO.

DOMINO GLORIOSO ATQVE *Præcellentissimo Principi Karolo,*

RATRAMNVS.

CVm virtus & sapientia Regiam Maiestatem illustrent, virtus videlicet qua aduersarios expugnet, sapientia quâ Reipublicæ corpus omne disponat, Magnificentiam vestram hæc duo clarius attollunt, quod cœlestis sapientiæ secreta perquiritis, & religionis amore flagratis: hæc enim vos prioribus comparant principibus, qui virtutum potentia hostium colla subegerunt, & sapientiæ fulgore, & religionis honore amici Dei B facti sunt. Dauid dicimus, & Salomonem, Ezechiam, & Iosiam, quibus sicut fuit studium circa diuinæ sapientiæ mysteria detineri; ita eorum fama & immortalis existit, & stipendiis æternæ beatitudinis ornata refulget, quorum imitatores effecti, admirabili prudentia reipublicæ vestræ statum disponitis, & potenti virtute hostium vires subigitis; & ineffabili religionis amore cœlestium sapientiam secretorum disquiritis, & quemadmodum Catholicæ fidei status inuiolabilis perseueret, omni vigilantia elaboratis. Hoc autem studium, & hæc virtutum insignia non tanquam peregrina, & laborum studiis comparata vobis adsunt, sed veluti naturalia: Siquidem gloriosæ memoriæ Augusti Pater, & auus, & virtutum armis, & sapientiæ decore, & religionis sublimitate adeo effulserunt, vt virtutum magnificentiâ, & priores ante se Reges incomparabiles sibi monstrarent, & posteris imitationis exempla relinquerent, à quibus, vt originem sanguinis ducitis, ita vtriusque parentis & virtutem, & religionem possidetis. Sed C si altius volumus nobilitatis vestræ progeniem speculari, videmus originis vestræ stemmata secularis potentiæ gloriam semper religionis honore decorasse. Vnde constat vos non solum regali dignitate insignitatem habere, sed & sanctæ stirpis propagine religionis studium possidere. Cuius quoque religionis amore humilitati nostræ Maiestas vestra iungere dignata est, vt de nuper exorta quæstione, sed olim iam à sanctis Patribus determinata, collecta ex sanctorum libris capitula vobis dirigerem, quibus qualiter de ea sentirent, manifestius vobis eluceret. Cum enim vniuersa cautè disquiritis, & diligenter disponitis, tum quoque in hac quæstione cuius profunditas multos caligare facit, studiose valdè & modeste inceditis, vt Sanctorum sententias ex ea cognoscentes, quid postea prudentiam vestram agere oporteat deliberetis. Ego autem cupiens parere magnitudinis vestræ imperio colligere studui ex Catholicorum doctorum sententiis, quæ pro breuitate sui occupationibus vestris non fiant onerosæ, & pro sententiarum D plenitudine rei veritatem non abscondant. Et quia huius quæstionis, id est, de Prædestinatione profundum valdè mysterium est, statui priùs de diuina dispositione sanctorum Patrum proferens testimonia dicere, deinde ad prædestinationis narrationem venire: Vt cum probatum fuerit vniuersa quæ geruntur in mundo, diuinæ dispensationis secretis moderari, facilior intelligentiæ via pateat ad prædestinationis manifestationem: in quo opere sicut magnitudinis vestræ iussionem exequi cupimus, ita clementiam exoramus, vt eorum, quæ diximus & probator sitis, & iudex: Et si quid benè dictum fuerit, vestrâ sententiâ confirmetur: Si quid vero aliter vobis visum fuerit, per vos redarguatur, nobisque correctionis vestræ sententia propter pietatis vestræ clementiam non abscondatur, nec ad multorum conspectum veniat, nisi sapientia vestra comprobauerit rectè dicta esse, quæ protulerimus: Et quod hæc postulare præsumimus, non temerariæ præsumptioni deputet magnitudo vestra, sed humilitati & verecundiæ, quæ non E solum pro erratis timent publicè discuti verum etiam in bene dictis verentur publicari.

Regum mandato.

RATRAMNI, DE prædestinatione,

LIBER PRIMVS.

SEd iam ad propositum veniamus. Nemo quisquis bene credit in Deum, dubitat præsentia illius cœlum, terramque contineri, mundumque prouidentiâ diuina regi, & sicut nihil latet sapientiam eius, ita dispositio illius vniuersa moderatur, & regit: sicut enim nulla est creatura occulta in conspectu illius; ita & actiones hominum, & cogitationes nouit; quia secundum Scripturæ diuinæ auctoritatem, *Nulla est creatura* F *inuisibilis in conspectu illius; sed omnia nuda sunt, & aperta oculis eius; & qui omnia nouit, disponit vniuersa.* Vnde liber sapientiæ loquitur. *In manu enim illius & nos, & sermones nostri & omnis sapientia, & operum scientia, & disciplina: ipse enim dedit mihi omnium quæ sunt, scientiam veram, vt sciam dispositionem orbis terrarum, & virtutem elementorum; initium & consummationem & medietatem temporum, vicissitudinum permutationes, & consummationes temporum, morum mutationes, & diuisiones temporum: Anni cursus, & stellarum dispositiones: vim ventorum, & cogitationes hominum, differentiam arborum & virtutes radicum; & quæcunque sunt absconsa & improuisa didici: omnium enim artifex docuit me sapientia.*] Hæc dici non de aliquo mortali manifestum est, nisi de solo mediatore Dei & hominum, qui ex eo quod virtus, & sapientia Dei Patris est, ex eo autem quod homo factus est, accepit vniuersorum scientiam & intelligentiam, quia secundum Euangelij protestationem G *plenus gratia & veritate* consistens, sicut ex eo quod homo factus est, corpore circumscriptus fuit: ita ex eo quod *Verbum caro factum est*, omnia quæcunque sunt absconsa & improuisa nouit, & omnia prospicit, & capit omnes spiritus intelligibiles, & sicut nouit omnia cum Patre, ita disponit vniuersa cum illo. De ipsa autem sapientia subsequenter in eodem libro scribitur ita prosequendo: *Attingit autem vbique propter suam munditiam* Item: *Attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter.* Qui ergo omnia nouit, & omnia concludit, continet, atque disponit, præterita, præsentia & futura nequaquam eum latent, sicut & superius ait, quia dederit homini, vt cognosceret *initium & medietatem & consummationem temporum.* Si enim hoc homo ex dono Dei promeruit, quanto magis ille, qui hæc tribuit cognoscit: Ergo quia nouit & præterita, & præsentia, & futura, dispensat illa, atque disponit, & qui nouit *cogitationes hominum*, ipse vtique disponit eas non solum bonas, verum etiam & malas. Quamuis enim H prauæ cogitationes hominum non sint à Deo, non tamen eius cogitationem effugiunt, aut voluntatis eius dispositionem transgrediuntur, vnde bonarum cogitationum & auctor est, & ordinator, malarum vero ordinator tantum, non vero auctor, quia *attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter.*] Sicut ergo hæc, ita etiam & electorum numerum, & reproborum cognouit, & sicut vniuersorum ordinator est, sic etiam & eorum: Nec tantum horum acta, quæ gerunt in præsenti vita, sed & fines eorum & nouit, & disponit. Qualiter autem de singulis agat non nouo consilio, nec noua cogitatione concipit, sed in æternitate dispositiones suæ vniuersa quemadmodum geruntur per successiones temporum disposita sunt. Quia (sicut ait Apostolus) *apud Deum non est vlla commutatio, nec vicissitudinis obumbratio.*] Sicut enim æternus est, ita & æternaliter omnia nouit, & sicut omnia comprehendit, ita scientiæ suæ lumine quæcunque sunt, & fuerunt, & futura sunt, vno intuitu contuetur. Et sicut nihil noui est apud illum,

De diuina dispositione.

Heb. 4.

Sap. 7.

Ibid.

Sap. 8.

A ita in æterna dispositione consistunt immobiliter fixa; qualiter creaturarum ordo per successiones temporum agatur: In qua sempiternitatis dispositiones, & electorum finem, & reproborum cognouit, & de singulis quid agendum sit, sempiterno consilio immutabiliter determinatum est. Hæc autem sempiterni consilij dispositio prædestinatio est operum Dei, quâ prædestinatione & electos disponit ad Regnum, & reprobos ad pœ-

S. Aug. de grat. & lib. arbit. c. 20. nas: de qua dispositione Dei B. Augustinus in libro de libero arbitrio loquitur, demonstrans quod vniuersorum voluntates non solum bonas, sed & malas quocunque voluerit inclinat, & eius dispositioni seruiunt ita dicens: [Scriptura diuina, si diligenter inspiciatur, ostendit non solas bonas hominum voluntates, quas ipse facit ex malis, & à se factas bonas ad actus bonos, & ad æternam dirigit vitam; verùm etiam illas, quæ conseruant sæculi creaturam, ita esse in Dei potestate, vt eas quo voluerit, quando voluerit, faciat inclinari, vel ad

B beneficia quibusdam præstanda, vel ad pœnas quibusdam ingerendas, sicut ipse iudicat, occultissimo quidem iudicio, sed sine vlla dubitatione iustissimo. Nam inuenimus aliqua peccata etiam pœnas esse aliorum

Rom. 9. 22. peccatorum, sicut *sunt vasa iræ*, quæ dicit Apostolus,

Ibid. 17. *perfecta in perditionem.* Sicut est induratio Pharaonis,

Exod. 7. 3 cuius & causa dicitur *ad ostendendam in illo virtutem Dei:* Sicut est fuga Israëlitarum à facie hostium de Ciuitate

Iof. 7. 4. & 5. Hai: In animo enim factus est timor, vt fugerent: Et hoc factum est, vt vindicaretur peccatum eo modo quo

Iof. 7. 12. vindicandum fuerat. Vnde dicit Dominus ad Iesum Naue *non poterunt filij Israël subsistere ante faciem inimicorum suorum:* quid est *non poterunt subsistere?* Quare non subsistebant per liberum arbitrium, sed per timorem turbata voluntate fugiebant? Nisi quia Deus dominatur & voluntatibus hominum, & quos vult in formidinem conuertit iratus? Nunquid non hostes Israëlitarum aduersus populum Dei, quem ducebat Iesus Naue, sua voluntate pugnarunt? Et tamen dicit Scriptura,

C *quia per Dominum factum est confortari cor eorum, vt*

Iof. 11. 20. *obuiam irent ad bellum contra Israël, vt exterminarentur:* Nunquid non sua voluntate homo improbus filius gemini maledicebat Regi Dauid? Et tamen quid ait Dauid plenus vera & alta sapientia? Quid ait illi, qui male-

2. Reg. 16. 10. dicentem percutere voluit? *Quid mihi* (inquit) *& vobis filij saruia? dimittite eum vt maledicat, quia Dominus dixit illi, maledicere Dauid; & quis dicet ei, quare fecisti sic?* Deinde Scriptura diuina plenam sententiam Regis velut ab alio initio repetendo commendans: *Et*

v. 11. *dixit* (inquit) *Dauid ad Abizai, & ad omnes pueros eius: Ecce filius meus, qui exiuit de vtero meo, quærit ani-*

* al. quanto magis hic *mam meam, * & adhuc modo filius gemini. Sinite illum vt maledicat, quoniam dixit illi Deus, vt videat Domi-*

v. 12. *nus humilitatem meam, & retribuat mihi bona pro maledicto eius in die isto.* Quomodo dixerit Dominus homini huic maledicere Dauid, quis sapiens & intelligens? Non enim iubendo dixit Deus, vbi obedientia laudaretur: Sed quod eius voluntatem proprio suo vitio malam in

D hoc peccatum iudicio suo iusto & occulto inclinauit, ideo dictum est, *dixit ei Dominus.* Nam si iubenti obtemperasset Deo, laudandus potiùs, quàm puniendus esset

* al. peccato sicut, ex hoc * peccatum postea nouimus esse puni-

d. v. 10. tum, nec causa tacita est, cur ei Dominus isto modo *dixerit maledicere Dauid*, hoc est cor eius malum in

d. v. 12. hoc peccatum miserit, vel dimiserit: *Vt videat*, (inquit) *Dominus humilitatem meam, & retribuat mihi bona pro maledicto eius in die isto.* Ecce quomodo probatur Deum vti cordibus & malorum ad laudem atque adiumentum bonorum: Sic vsus est Iuda tradente Christum. Sic vsus est Iudæis crucifigentibus Christum, & quanta inde bona præstitit populis credituris? qui & ipso diabolo vtitur pessimo. Sed optimè ad exercendam & probandam fidem, & pietatem bonorum, non sibi, qui omnia scit antequam fiant, sed nobis quibus erat necessarium, vt eo modo ageretur nobiscum. Nunquid non sua voluntate Absalon elegit consilium quod sibi oberat? Et tamen ideo fecit, quia exaudierat Dominus

E eius patrem orantem, vt hoc fieret. Propter quod ait

2. Reg. 17. 14. Scriptura: *Et Dominus mandauit dissipare consilium Achitophel bonum, vt inducat Dominus super Absalon mala omnia. Bonum consilium* dixit, quod ad tempus proderat causæ, quia pro ipso erat contra patrem eius, contra quem rebellauerat, vt cum posset opprimere, nisi Dominus consilium dissipasset, quod dederat Achitophel, agendo in corde Absalon, vt tale consilium repudiaret, & aliud quod ei non expediebat, eligeret. Quis non ista diuina iudicia contremiscat? qui-

Ibid. c. 21. bus agit Deus etiam in cordibus malorum hominum quicquid vult, reddens eis tamen secundùm merita eorum? Roboam filius Salomonis respuit consilium salu-

3. Reg. 12. 6. &c. bre seniorum, quod ei dederant, ne cum populo dure ageret, & verbis coæuorum suorum potiùs acquieuit respondendo minaciter, quibus leuiter debuit, vnde hoc nisi propria voluntate? Sed hinc ab eo recesserunt decem tribus Israël, & alium Regem sibi constituerunt

F Hieroboam, vt irati Dei voluntas fieret, quod etiam fu-

3. Reg. 12. v. 15. &c. turum esse prædixerat. Quid enim Scriptura dicit, *Non audiuit Rex plebem quoniam erat conuersio à Domino, vt statueret verbum suum quod locutus est in manu Abia Silonitæ de Hieroboam filio Nabath.* Nempe sic factum illud est per hominis voluntatem, vt tamen *conuersio* esset *à Domino.* Legite libros Paralipomenon, & inuenie-

2. Par. 21. 16. tis in secundo libro scriptum, *& suscitauit Dominus super Ioram, spiritum Philistym, & Arabum, qui finitimi erant Æthiopibus: & ascenderunt in terram Iuda, & dissipauerunt eam, & ceperunt omnem substan-*

v. 17. *tiam, quæ in domo Regis inuenta est.* Hîc ostenditur Deum suscitare hostes eis terris vastandis, quas tali pœna iudicat dignas. Nunquid tamen Philistiim, & Arabes in terram Iudæam dissipandam sine sua voluntate venerunt: aut sic venerunt sua voluntate, vt mendaciter scriptum sit quod *Dominus* ad hoc faciendum eorum *spiritum suscitauit?* Immo vtrumque verum est, quia & sua voluntate venerunt, & tamen spiritum eorum Dominus suscitauit. Quod etiam sic dici potest, eorum spiritum

G Dominus suscitauit, & tamen suâ voluntate venerunt. Agit enim omnia potens in cordibus hominum etiam motum voluntatis illorum, vt per eos agat, quod per eos agere ipse voluerit, qui omnino iniustè aliquid velle non nouit; quid est quod *homo Dei* dixit ad Ama-

2. Par. 25. 7. ziam Regem? *Non veniat tecum exercitus Israël: non est enim Dominus cum Israël, & omnibus filijs Effrem. Quoniam si putaueris obtinere te in illis, in fugam conuertet te Deus ante inimicos: quoniam est virtus Deo vel adiuua-*

v. 8. *re, vel in fugam vertere.* Quomodo virtus Dei alios adiuuat in bello dando eis fiduciam, alios immisso timore

Psal. 134. 6. vertit in fugam? Nisi quia ille *qui in cælo & in terra omnia quæcunque voluit fecit*, etiam in hominum cordibus ope-

4. Reg. 14. 9. &c. ratur. Legimus quid dixerit Ioas Rex Israël mittens nuntium ad Amaziam Regem volentem pugnare cum

2. Par. 25. 19. 20. illo. Nam post aliqua dixit. *Nunc sede in domo tua, quid prouocas in te malum, & cades tu, & Iudas tecum?* Deinde Scriptura subiunxit, *& non audiuit Amazias, quoniam*

H *à Deo erat vt traderetur * in malum: quoniam quæsierunt*

* al. in manus eorum. *Deos Edom:* Ecce Deus volens idololatriæ peccatum vindicare, hoc operatus est in eius corde, cui vtique iustè irascebatur, vt admonitionem salubrem non audiret, sed ea contempta iret in bellum, vbi cum suo exercitu caderet. Per Ezechielem Prophetam dicit Deus, *& Pro-*

Ezech. 14. 9. *pheta si errauerit, & locutus fuerit, ego Dominus seduxi Prophetam illum, & extendam manum meam super eum, & exterminabo eum de medio populi mei Israël.* In li-

Hest. 15. bro Hester scriptum est quod mulier ex populo Israël in terra captiuitatis facta erat vxor alienigenæ Regis Assueri: Ergo in eius libro scriptum est, quod cum haberet necessitatem interueniendi pro populo suo, quem Rex vbicunque in Regno eius esset, iusserat trucidari, orauit ad Dominum: Cogebat enim eam magna necessitas, vt præter iussum Regis, & præter ordinem suum ad illum auderet intrare, & vide quid Scriptura dicat, *Et*

Hest. 15. 10. *intuitus est eam tanquam Taurus in impetu indignationis suæ, & timuit Regina, & conuersus est color eius, per dissolutionem*

A *tionem, & inclinauit se super caput delicata sua, quæ præcedebat eam: Et conuertit Deus: & transtulit indignationem eius in lenitatem.* [v. 11.] Scriptum est & in Prouerbiis Salomonis: [Prou. 21. 1.] *Sicut potus aqua, sic cor Regis in manu Dei, quocunque voluerit declinabit illud,* & in Psalmo 104. [Ps. 104. 25.] legitur dictum de Ægyptiis quid fecerit eis Deus: *Et conuertit cor eorum vt odirent populum eius, & dolum facerent in seruos eius.* In literis etiam Apostolicis vide quæ scripta sunt in Epistola Pauli Apostoli ad Romanos: [Rom. 1. 24.] *Propterea tradidit illos Deus in desideria cordis eorum in immunditiam.* Item paulo post: [v. 26.] *Propter hoc tradidit illos Deus in passiones ignominiæ.* Item paulo post: [v. 28.] *Sicut non probauerunt habere Deũ in notitia tradidit illos Deus in reprobam mentem: vt faciant quæ non conueniunt:* Et ad Thessalonicenses in Epistola secunda, ait de quibusdam: [2. Thess. 2. 10. v. 11.] *Pro eo quod dilectionem veritatis non receperunt, vt salui fierent, ideo mittet illis Deus operationem erroris, vt credant mendacio, & iudicentur omnes qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati.* B His & talibus testimoniis diuinorum eloquiorum, quæ omnia commemorare nimis longum, satis quantum existimo manifestatur operari Deum in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates quocunque voluerit, siue ad bona pro sua misericordia, siue ad mala pro meritis eorum, iudicio vtique suo aliquando aperto, aliquando occulto, semper tamen iusto. Fixum enim debet esse & immobile in corde vestro, quia [Rom. 9. 14.] *non est iniquitas apud Deum*, ac per hoc quando legitis in litteris veritatis à Deo seduci homines aut obtundi vel obdurari corda eorum, nolite dubitare præcessisse mala merita eorum, vt iuste ista paterentur, ne incurratis illud Prouerbium Salomonis. [LXX. Prou. 19. 3.] *Insipientia viri violat vias eius, Deum autem causatur in corde suo.*] His Beati Augustini verbis manifestissimè docemur cogitationes hominum, & actus diuinæ obtemperare dispositioni, quamuis ipsi homines hoc nolint, nec eorum intentio eius voluntati & imperio velit obedire. De hac dispositione diuina Beatus [Gregor. lib. 29. cap. 18. siue alr.] C Gregorius in libro Moralium 29. Ita loquitur. [*Ordinem cæli nosse*, est supernarum dispositionum occultas prædestinationes videre: Rationem vero eius internam ponere, est ante humana corda talium secretorum causas aperire: Rationem videlicet cæli in terra ponere, est supernorum iudiciorum mysteria, vel considerando discutere, vel loquendo manifestare: quod vtique facere in hac vita positus nullus potest: vt enim à paruis ad maiora veniamus: quis intelligat quæ esse ratio secretorum potest, quod sæpe vir iustus à iudicio non solum non vindicatus, sed etiam punitus redeat, & iniquus eius aduersarius non solum non punitus, sed etiam victor abscedat? quis intelligat, cur viuit alius insidians mortibus proximorum, & moritur alius qui profuturus esset vitæ multorum? Alius culmen potestatis assequitur, qui non nisi lædere studet, alius tantummodo læsos defendere concupiscit; & tamen ipse oppressus iacet. Alius verò vacare appetit: & innumeris negotiis implicatur: D Alius implicari desiderat, & coactus vacat. Alius malè inchoans vsque ad vitæ suæ terminum ad peiora protrahitur, alius benè incipiens per longitudinem temporum proficit ad augmenta meritorum: Atque è contra alius male viuens diu reseruatur, vt corrigatur, Alius vero bene quidem videtur viuere, sed in hac vita eo vsque durat quo ad peruersa prorumpat: alius in errore infidelitatis natus, in errore deficit: Alius in Catholicæ fidei rectitudine genitus, in Catholicæ fidei rectitudine consummatur: E contra vero alius Catholicæ matris ventre editus, iuxta vitæ terminum erroris voragine deuoratur: Alius autem vitam suam in Catholica pietate consummat, qui ortus in perfidia cum lacte matris hauserat virus erroris. Alius celsitudinem bene viuendi appetere & volet & valet alius nec volet nec valet, alius volet & non valet: Alius valet & non volet; Quis ergo ista iudiciorum cælestia secreta discutiat? Quis intelligat discretam lancem æquitatis occultæ? Ad cognoscendos quippe istos iudiciorum secretorum sinus nullus ascendit. Dicatur ergo homini, vt se nescire cognoscat, E nescientem verò se cognoscat, vt timeat, timeat vt humilietur, humilietur ne præsumat in se, non præsumat in se vt conditoris sui auxilium requirat, & qui in se fidens mortuus est, auctoris sui appetens adiutorium viuat. Audiat itaque vir iustus iam quidem se sciens, sed adhuc quæ supra se sunt nesciens: [Iob. 38. 33.] *Nunquid nosti ordinem cæli, & pones rationem eius in terra.* Id est nunquid occultos ordines iudiciorum cœlestium comprehendis, aut aperire humanis auribus sufficis? Beatus igitur Iob de Iudiciorum incomprehensibilium inuestigatione requiritur, ac si ei aperte diceretur: Cuncta quæ pateris tanto tolerare patientius debes, quanto secretorum cœlestium ignarus, cur hæc pateris nescis.] De qua occulta secretorum iudiciorum dispensatione loquens monstrat Iudaicum populum repulsum, & Gentilem susceptum ita dicens. [Idem d. lib. 29. cap. 15. Iob. 38. 30.] [*In similitudinem lapidis aquæ durantur.* Aquas enim populos accipi iam sæpius edocuisse me memini. Lapis vero pro ipsa duritia aliquando Gentiles populi designantur. F Ipsi quippe lapides coluerunt, & de eis per prophetam dictum est: [Ps. 113. 8.] *Similes illis fiant qui faciunt ea; & omnes qui confidunt in eis.* Vnde Ioannes Iudæos aspiciens se de stemmate generationis extollere, & Gentiles præuidens ad Abrahæ prolem fidei cognatione transire, ait: [Matth. 3. 9.] *Ne velitis dicere inter vos patrem habemus Abraham; Dico enim vobis, quia potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ.* Lapides vtique duros perfidia Gentiles vocans. Quia ergo primum Iudæa Deo credidit, Gentilitate omni in perfidiæ suæ obstinatione remanente. Postmodum verò ad fidem corda Gentilium mollita sunt, & Iudæorum infidelitas obdurata, bene dictum est *in similitudinem lapidis aquæ indurantur:* Ac si diceret illa mollia & penetrabilia fidei corda Iudæorum in insensibilitate vestiuntur gentium. Cum enim misericors gentes traxit, iratus Iudæam repulit, actumque est, vt sicut dudum ad percipiendam fidem gentilitas fuerat obdurata: ita postmodum ad fidem gentilitate suscepta, Iudææ populus perfidiæ torpore durescerет. G Vnde Paulus Apostolus eisdem Gentibus dicit. [Rom. 11. 30.] *Sicut aliquando vos non credidistis Deo, nunc autem misericordiam consecuti estis propter illorum incredulitatem:* [v. 31.] *ita & isti non crediderunt in vestra misericordia, vt & ipsi misericordiam consequantur.* [v. 32.] *Conclusit enim Deus omnia in incredulitate, vt omnium misereatur.* Quam sententiam suam primo quidem de vocatione Iudæorum, & repulsione gentium, postmodum vero de vocatione gentium, & repulsione Iudæorum subtiliter pensans, seque occulta Dei iudicia comprehendere non posse considerans, exclamando subiunxit: [v. 33.] *O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius.* Vnde hic quoque cum de Iudæorum perfidia Dominus diceret: *In similitudinem lapidis aquæ durantur,* vt de repulsione eorum occulta esse sua iudicia demonstraret, [Iob 38. d. v. 30. Ibid.] apte subdit. *Et superficies abyssi constringitur,* quia superiecto quodam ignorantiæ nostræ velamine incomprehensibilitas diuini iudicij humanæ mentis oculo nullatenus penetratur. H Scriptum quippe est: [Ps. 35. 7.] *Iudicia tua abyssus multa.* Nemo ergo perscrutari appetat, cur cum alius repellatur alius eligatur vel cur cum alius eligitur, alius repellatur: quia superficies abyssi constringitur & attestante Paulo [Rom. 11. 33.] *inscrutabilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius.*] Item in eodem libro de eadem [d. lib. 29. cap. 9.] dispositione cum tractaret sententiam Beati Iob qua dicitur ei à Domino: [Iob 38. 18 & 19.] *Indica mihi si nosti omnia: in qua via habitet lux, & tenebrarum quis locus sit,* Ac si dicatur ei, si plenam te habere scientiam suspicaris, dic vel in cuius corde ea, quæ nunc deest innocentia veniat, vel in cuius corde ea, quæ nunc est malitia perseueret; *In qua via habitet lux*; id est cuius mentem veniens iustitia impleat, *& tenebrarum quis locus sit*: Id est, in quo iniquitas cœca perduret; *vt ducas vnumquodque ad terminos suos,* id est, vt diiudices si vel is, qui nunc iniquus cernitur, in iniquitate vitã finiat, vel is qui iustus cernitur, extremitatem vitæ suæ cum iustitiæ perfectione concludat, *& intelligas semitas domus eius,* id est, consideres

atque discernas, vel cui bona actio perseuerans æternam mansionem præstet in regno, vel quem vsque ad terminum suum actio praua constringens in æternum damnet supplicium. Domus quippe pro mansione ponitur, semita pro actione, semita igitur ad domum ducit, quia actio ad mansionem pertrahit. Sed quis hominum ista discussus dicat? Quis ista saltem imperterritus audiat? Multos enim videmus quotidie, qui iustitiæ luce resplendent, & tamen ad finem suum nequitiæ obscuritate tenebrantur. Et multos cernimus peccatorum tenebris obuolutos, & tamen iuxta vitæ suæ terminum repente reddi luce iustitiæ liberos. Multos etiam nouimus semel inuentam viam iustitiæ illibatè vsque ad obitum tenuisse, & plerosque conspeximus, vsque ad exitum accepta semel crimina sine cessatione cumulasse. Quis vero inter ista occultorum iudiciorum nubilas mentis suæ radium mittat, vt aliqua consideratione discernat vel quis perduret in malo, vel quis perseueret in bono, vel quis ab infimis conuertatur ad summa, vel quis à summis reuertatur ab infima? Latent hæc sensus hominum, nec quicquam de cuiuslibet fine cognoscitur, quia diuinorum iudiciorum abyssus humanæ mentis oculo nullatenus penetratur. Vidimus namque quod illa Deo auersa Gentilitas iustitiæ luce perfusa est, & Iudæa dudum dilecta perfidiæ est nocte cæcata: Scimus etiam quod latro de patibulo transiuit ad Regnum, Iudas de Apostulatus gloria est lapsus in tartarum. Rursumque quia fortes aliquando quæ cœperint non mutantur, & latronem nouimus alium peruenisse ad supplicium, & Apostolos scimus percepisse propositum quod desiderauerant Regnum. Quis ergo discutiat, *in qua via habitet lux & tenebrarum quis locus sit, vt ducat vnumquodque ad terminos suos, & intelligat semitas domus eius?* Video Paulum ex illa persecutionis sæuitia ad gratiam Apostolatus vocatum, & tamen sic inter iudicia occulta formidat, vt reprobari se etiam postquam vocatus est timeat. Ait enim *castigo corpus meum & seruituti subiicio: Ne fortè aliis prædicans ipse reprobus efficiar!* Et rursum: *Ego me non arbitror comprehendisse: vnum autem, quæ retro oblitus, in ea quæ sunt priora extendens me: Ad destinatum sequor, ad palmam supernæ vocationis Dei in* CHRISTO IESV. *Sequor autem si comprehendam, in quo & comprehensus sum.* Et certè iam de illo voce Dominica dictum fuerat: *Vas electionis mihi est*, & tamen adhuc castigans corpus suum metuit ne reprobetur. Væ miseris nobis, qui de electione nostra nullam adhuc Dei vocem cognouimus, etiam in otio quasi de securitate torpemus.] Quid enim his occultorum iudiciorum abditis Sanctus Gregorius nos edocet, nisi quod vniuscuiusque actus, & finis diuina moderatione disponitur, & humanas quidem mentes erroris nubila confundunt, ne vel de se, vel de aliis scire possint, quid apud se in iudiciis secretis agatur: Cum tamen scire omnimodo debent cælesti dispensatione omnia geri, & singulorum actus ad finem, quo cœlestis sapientia iudicauerit perduci. Item in libro 30. sumens testimonium Psalmi 41. *Ingrediar in locum tabernaculi admirabilis vsque ad domum Dei, in voce exultationis, & confessionis sonus epulantis:* [Qui igitur intus voce exultationis & confessionis: ac sonum Ciuitatis epulantis audierat, quid cœlum aliud: nisi cœli concentus excitauit, qui tamen concentus reprobis dormit, quia eorum cordibus nequaquam per vocem compunctionis innotescit. Non enim considerare illam desiderabilem supernorum ciuium frequentiam studept, nullo ardoris radio illa solemnitatis internæ festa conspiciunt, nullâ in intimis contemplationis pennâ subleuantur: Solis namque visibilibus seruiunt, & idcirco nihil supernæ suauitatis intrinsecus audiunt: quia eos (sicut & superius diximus) in aure cordis curarum secularium fundi tumultus premunt.] Quia igitur occulti dispensatione iudicij, quod aliis aperitur, aliis clauditur, quod aliis detegitur, aliis occultatur; dicitur rectè: *Quis narrabit cælorum narrationem, & concentum cæli quis dormire faciet?* Quod hæc vox exultationis & confessionis aliorum cordibus insonet, aliorum vero abscondatur, occulti dispensatione Iudicij manifestat fieri demonstrans vniuersa supernis dispositionibus moderari. Item in eodem libro: *Quando fundebatur puluis in terra & glebæ compingebantur:* [Ac si diceret * cum primo vocatione & discretione manifesta secreta spiritalia, & non sine misericordia aliis aperui, & non sine iustitia aliis clausi, cum alios respuerem, & alios intra Ecclesiam concordia charitatis adunarem.] Et hic quod alij respuuntur, & alij recipiuntur diuini docet esse dispensationem iudicij. Item in lib. 32. sub *Behemoth* persona de aduersario hominum loquens, eius sæuitiam diuina docet moderatione frænari, ne amplius noceat, quam superna dispositio permittit, ita dicens: *Qui fecit eam, applicauit gladium eius.* Gladius quippe Behemoth istius ipsa nocendi malitia est, sed ab eo, à quo bonus per naturam factus est, eius gladius applicatur, quia eius malitia diuina dispensatione restringitur, ne ferire tantum mentes hominum, quantum appetit permittatur. Quod ergo hostis noster, & multum potest, & minus percutit, eius gladium pietas conditoris adstringit, vt replicatus intra eius conscientiam lateat: & vltra quam desuper iuste disponitur, sese in mortes hominum eius malitia non extendat. Quod igitur ad multa fortiter præualet, hoc de principio magnæ conditionis potest: quod verò à quibusdam vincitur, eius nimirum gladius ab auctore replicatur. Iste namque *Behemoth*, quia *principium viarum Dei est*, cum contra sanctum virum licentiam tentationis accepit, gentes mouit, greges abstulit, ignem de cœlo deposuit perturbato aëre ventos excitauit: domum concutiens subruit, conuiuantes filios extinxit, vxoris mentem in dolo prauæ persuasionis exercuit mariti carnem inflictis vulneribus confodit; sed eius gladius à conditore replicatur, cum dicitur: *Animam illius serua*, qui replicato gladio quantæ infirmitatis sit, Euangelio attestante describitur: quia nec manere in obsesso homine potuit, nec rursus inuadere bruta animalia non iussus præsumpsit dicens. *Si eiicis nos; mitte nos in gregem porcorum:* Malitiæ quippe eius gladius, quam sit replicatus ostenditur, cui si potestas suæ malitiæ non præbetur, grassari nec in porcos valet. Quando ergo iste sua sponte nocere factis ad Dei imaginem hominibus audeat, de quo nimirum constat, quod non iussus contingere nec porcos præsumat] Item in lib. 33. qualiter antiqui hostis nequitia nequaquam à diuino iudicio discordando discrepet, demonstrat: cum sententiam tractaret quæ dicit de eo: *Nunquid feriet tecum pactum, & accipies eum seruum sempiternum?* [Subaudis, vt ego: sed valde solerter intuendum est, quod pactum cum Domino Leuiathan iste feriat, vt sempiternus ab eo seruus habeatur: In pacto namque discordantium partium voluntas impletur, vt ad votum suum quæque perueniat, iurgia desiderato fine concludat. Antiquus itaque hostis à sinceritate diuinæ innocentiæ, malitiæ suæ succensus face discordat, sed ab eius iudicio etiam discordando non discrepat. Nam viros iustos semper maliuole tentare appetit, sed tamen Dominus hoc vel misericorditer fieri, vel iuste permittit. Hæc ipsa ergo tentationis licentia pactum vocatur, in qua & desiderium tentatoris agitur, & tamen per eam miro modo voluntas iusti dispensatoris completur: Erudiendos enim electos suos Dominus sæpe tentatori subiicit, sic vt post paradisi claustra, post tertij cœli secreta, ne reuelationum magnitudine Paulus extolli potuisset, *Ei satana Angelus datus est.* Sed vt Præfati sumus ipsa hac tentatione disponitur, vt qui elati perire poterant, humiliati à perditione seruentur. Secreto ergo dispensationis ordine, vnde sæuire permittitur iniquitas Diaboli, inde pie perficitur benignitas Dei: Et bene ex hoc pacto, quod cum Domino ferire dicitur, seruus accipi perhibetur: quia inde obtemperat nutibus supernæ gratiæ, vnde exercet iram nequissimæ voluntatis suæ: seruus ergo ex pacto est, qui dum voluntatem suam implere permittitur, à superni consilij voluntate ligatur: vt electos Dei (sicut dictum est) volens tentet, in tentando nesciens probet.] Quid-

ergo

E

lib. 30. cap. 6. in fine. v. 18.

* al. tunc primum.

Gregor. ibid. lib. 32. c. 14. siue 16. Iob. 40. 14.

F

Iob. 2. 6.

G

Matth. 8. 31.

Gregor. ibid. lib. 33. c. 15. Iob. 40. 23.

H

2. Cor. 12. 7.

A ergo hac sententia docemur, nisi quod antiqui hostis tentamenta, dum nocere sanctis properant, & vnde eis nocere callidus hostis appetit, inde disponente superna gratia eorum merita multiplicat. Secreto ergo dispensationis ordine, & sæuire permittitur diabolus, & tamen ex eius accepta potestate, dum fideles probantur, benignitas Dei commendatur, & inde seruit inuitus, vnde malitiose nititur opprimere Dei seruos. Quoniam potestas inimici nihil valet, nisi quantum superna potestas concesserit. Vnde voluntas inimici est iniqua; Sed dum seruit superni iudicis dispositioni, iusta comprobatur. Item in libro 12. nulla quæ in hoc mundo hominibus fiunt absque omnipotentis Dei consilio occulto veniunt; Nam cuncta Deus secutura præsciens ante secula decreuit, qualiter per sæcula disponantur: Statutum quippe iam homini est, vel quantum hunc mundi prosperitas sequatur, vel quantum aduersitas feriat, ne electos eius, aut immoderatá prosperitas eleuet aut nimia aduersitas grauet: Statutum quoque est quantum in ipsa vita mortali temporaliter viuatur. Nam etsi annos 15. Ezechiæ Regi ad vitam addidit omnipotens Deus, cum eum mori permisit, tunc eum præsciuit esse moriturum. Qua in re quæstio oritur: quomodo ei per Prophetam dicatur *dispone domui tuæ, quia morieris tu; & non viues:* Cui cum mortis sententia dicta est, protinus ad eius lacrymas est vita addita. Sed per Prophetam Dominus dixit, quo tempore mori ipse merebatur: per largitatem vero misericordiæ illo eum tempore ad mortem distulit, quod ante sæcula ipse præsciuit. Nec Propheta igitur fallax; quia tempus mortis innotuit, quo vir ille mori merebatur, nec Dominica statuta conuulsa sunt: Quia, vt ex largitate Dei anni vitæ crescerent, hoc quoque ante sæcula præfixum fuit, atque spatium vitæ, quod inopinaté foris est additum, sine augmento præscientiæ fuit intus statutum. Bene ergo dicitur *Constituisti terminos eius, qui præteriri non poterunt.* Quod tamen intelligi etiam C iuxta spiritum valet: quia nonnunquam in virtutibus proficere conamur, & quædam dona percipimus, à quibusdam vero repulsi in imis iacemus. Nemo enim est, qui tantum virtutes apprehendat, quantum desiderat, quia omnipotens Deus interiora discernens ipsis spiritalibus profectibus modum ponit: vt ex hoc homo quod apprehendere conatur, & non valet, in illis se non eleuet, quæ valet: Vnde ille quoque egregius Prædicator, qui raptus ad tertium cælum fuerat, Paradisi arcana penetrauerat, esse post reuelationem tranquillus, atque intemeratus volebat: Sed quia omnipotens Deus terminos constituit homini, qui præteriri non poterunt, & eleuauit hunc ad cognoscendum sublimia, & reduxit iterum ad infima toleranda, vt modi sui mensuras aspiciens: dum securitatem comprehendere conaretur & non posset, ne per elationem extra se iret, per humilitatem cogeretur intra suos semper terminos redire.] Quibus verbis Beatus Gregorius non solum in his, quæ secundum corpus homines patiuntur, diuinam dispensationem D moderatricem ostendit: verum etiam in spiritalibus profectibus diuinæ dispositionis mensuram esse demonstrat: vt vniuersa, quæ siue secundum corpus siue secundú animam aguntur, diuinæ moderationis constituta nequaquá transgredi comprobentur. Item in eodem libro. [Præfixi dies singulis ab interna Dei præscientia, nec augeri, possunt nec minui, nisi contingat vt ita præsciantur, vt aut cum optimis operibus longiores sint, aut cum pessimis breuiores. Sicut Ezechias augmentum dierum meruit impensione lacrymarum: Et sicut de peruersis scriptum est *indisciplinatis obuiat mors.* Sed sæpe iniquus, quamuis in occulta Dei præscientia longa vitæ eius tempora non sint prædestinata, ipse tamen quia carnaliter viuere appetit, longos, animo dies proponit, & quia ad illud tempus peruenire non valet, quod expectat, quasi antequam dies illius impleantur perit.] Et hic dum dies humanæ vitæ docet ex diuina prædestinatione definitos monstrat actus humanæ vitæ diuina dispensatione deseruire. Item in libro 16. cum tractaret sententiam, qua de iniquis dicitur: [*Qui sublati sunt ante tempus suum, & flumius subuertit fundamenta eorum*, hæc subsecutus est: Cum tempus vitæ à diuina præscientia nobis sit procul dubio præfixum, quærendum valde est, qua ratione nunc dicit, quod iniqui ex præsenti sæculo *ante tempus* proprium subtrahuntur. Omnipotens enim Deus, etsi plerumque mutat sententiam, consilium nunquam: Eo ergo tempore ex hac vita quisque subtrahitur, quo ex diuina potentia ante tempora præscitur. Sed sciendum quia creans & ordinans nos omnipotens Deus, iuxta singulorum merita disponit & terminum; Vt vel malus ille breuiter viuat, ne multis bene agentibus noceat, vel bonus iste diutiùs in hac vita subsistat, vt multis boni operis adiutor existat: vel rursum malus longius differatur in vita, vt praua adhuc opera augeat, ex quorum tentatione purgati iusti veriùs viuant, vel bonus filius subtrahatur, ne si hic diu vixerit, eius innocentiam malitia corrumpat. Sciendum tamen F quia benignitas Dei est peccatoribus spatium pœnitentiæ largiri: Sed quia accepta tempora non ad fructum pœnitentiæ, ad vsum verò iniquitatis vertunt, quod a diuina misericordia mereri poterant, amittunt: Quamuis omnipotens Deus illud tempus vniuscuiusque ad mortem præsciat, quo eius vita terminatur; nec alio in tempore quisquam mori potuit, nisi ipso quo moritur. Nam si Ezechiæ anni additi ad vitam quindecim memorantur, tempus quidem vitæ creuit ab illo termino, quo mori ipse merebatur. Nam diuina dispositio eius tempus tunc præsciit, quo hunc post modum ex præsenti vitá subtraxit. Cum ergo ita sit, quid est quod dicitur, *quia iniqui sublati sunt ante tempus suum?* Nisi quod omnes qui præsentem vitam diligunt, longiora sibi eiusdem vitæ spatia promittunt: Sed cum eos mors superueniens à præsenti vita subtrahit, eorum vitæ spatia, quæ sibi longiora quasi in cogitatione tendere consueuerant, intercidit.] Item in eodem libro cum tractaret sententiam beati Iob dicentis: *Et nemo auertere potest cogitationem eius:* Hæc subiungit: [Sicut enim immutabilis naturæ est, ita immutabilis voluntatis: Cogitationem quippe eius nullus auertit: quia nemo resistere occultis eius iudiciis præualet: Nam & fuerunt quidam qui deprecationibus suis eius cogitationem auertisse viderentur: Ita fuit eius interna cogitatio, vt sententiam illius auertere deprecando potuissent, & ab ipso acceperunt, quod agerent apud ipsum. Dicat ergo, *Et nemo auertere potest cogitationem eius*: quia semel fixa iudicia mutari nequaquam possunt: Vnde scriptum est, *Præceptum posuit, & non præteribit*: Et rursum: *Cælum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt:* Et rursum: *Non enim cogitationes meæ, sicut cogitationes vestræ, neque viæ meæ viæ vestræ.* Cum ergo exterius mutari videtur sententia, interius consilium non mutatur: Quia de vnaquaque re immutabiliter intus constituitur, quicquid foras mutabiliter agitur. Sequitur: *Et anima eius quodcunque voluit fecit.* Cum sit cunctis corporibus exterius, cunctis mentibus interior Deus, ea ipsa H vis eius, quá omnia penetrat, cuncta disponit, anima illius appellatur, cuius videlicet voluntati nec illa obsistunt, quæ contra voluntatem illius fieri videntur: quia & hoc nonnunquam permittit fieri, etiam quod non præcipit, vt per hoc illud certius impleatur quod iubet. Apostatæ quippe Angeli peruersa voluntas est, sed tamen adeo mirabiliter ordinatur, vt ipsæ quoque eius insidiæ vtilitati bonorum seruiant, quos purgant dum tentant. Sic itaque eius anima quodcunque voluit hoc fecit, vt inde quoque voluntatem suam impleat, vnde voluntati illius repugnare videbatur.] In omnibus istis sententiis Beati Gregorij, interni dispositio secreti mirabiliter insinuatur, vt quæcunque agi videntur in tempore circa electos, eius æternitatis consilio apud eum definita consistant: non solum actiones sanctæ, quas eius munere percipiunt electi, sed & tentamenta aduersarij; quibus electi probantur diuinæ dispositionis moderamine diriguntur, vt aduersus sanctos non aliud possint hostis insidiæ; quam quod decreuit sententia domi-

Marginal notes (left): Gregor. ibid. lib. 12. c. 2. — B — 4. Reg. 20. 6. ibid. 1. — Iob. 14. 5. — C — 2. Cor. 12. 1. — D — Gregor. ibid. lib. 12. c. 23. 4. Reg. 20. 6. Prou. 19. 16.

Marginal notes (right): E — Gregor. Ibid. lib. 16 cap. 5. Iob. 22. 16. — Deus mutat sententiã non consilium. — F — 4 Reg. 20. 6. — Iob. 22. 16. — Gregor Ibid. lib. G 16. c 17. Iob. 23. 13. — Ps. 148. 6. Luc. 21. 33. — Isa. 55 8. — Cap 18. d. v. 13. — H

A natoris. Et quamquam prauæ cogitationes, & iniqua tentamenta siue hominum, siue dæmonum multa velint facere contra voluntatem Dei, ex eis semper tamen voluntas illius completur: quia etsi voluntates peruersæ ex iniquitate veniant rationalis creaturæ à Deo apostatantis, actiones tamen seruiunt cælesti dispositioni: quia sicut ait Beatus Gregorius. [Anima eius quodcunque voluit hoc fecit, quoniam inde voluntatem suam implet, vnde putatur eius voluntati repugnari:] quod adeo verum esse idem Sanctus Gregorius confirmat, Vt quæcunque sancti viri orando merentur obtinere, in prædestinatione ante fuisse dicat diuinitatis, vt hæc orando perciperent: Nec alia possunt à Deo precibus promereri, nisi quæ diuinitatis consilio fuerint prædestinata, vt obtinerentur. In Dialogo namque suo ita ait: [obtinere nequaquam possunt nimirùm sancti quæ prædestinata non fuerint; sed ea quæ sancti viri orando efficiunt, ita prædestinata sunt, vt precibus obtineantur. Nam ipsa quoque perennis Regni prædestinatio, ita est ab omnipotente Deo disposita, vt ad hoc electi ex labore perueniant, quatenus postulando mereantur accipere, quod eis omnipotens Deus, ante sæcula disposuit donare.]

[Greg. l. 1. Dialog. c. 8.]

B

De hac iterum dispensatione diuinorum operum Prosper in libro de vocatione gentium ita loquitur: Multa enim sunt in dispensatione diuinorum operum, quorum causis latentibus soli monstrantur effectus, vt cum pateat quod geritur, non pateat cur geratur, negotio in medium deducto, & in occultum ratione subducta, vt in eadem re, & de inscrutabilibus præsumptio comprimatur, & de manifestis falsitas refutetur: Neque enim si nescio, cur ille Græcus creetur, hic barbarus, iste in diuitiis, ille in egestate nascatur, hunc valida proceri corporis pulchritudo sublimet, illum debilium membrorum exilitas contracta deformet, iste à Catholicis editus in veritatis cunabulis nutriatur, ille hæreticorum progenies cum ipso lacte matris hauriat virus erroris: Si denique mille alias differentias in habitu corporum, in qualitatibus animorum, in conditione temporum, in more regionum diiudicare non possum, ideo quod omnium horum Deus sit conditor, atque ordinator ignoro; qui vtique singulorum hominum ita & corpora creauit & spiritus: Vt præter illam secuturam ex vniuscuiusque studio voluntariam diuersitatem, ipsa conditionis exordio dissimillima numerositate variaret. Turbarent autem nos, & in diuersum distraherent multæ vaniloquorum opiniones, qui de incognoscibilibus definire inconuenientia præsumpserunt, & has originales inæqualitates fatis, quæ nulla sunt, & syderibus deputarunt, nisi certissima notitia teneremus, Deum Creatorem de elementis originalibus, prout vult, vas vnumquodque formare, & vnam naturam animarum, vnam naturam corporum placitis sibi temperare mensuris: quæ vtique opera Dei humana intelligentiæ non subtraherentur, si innotescere debuissent, & manifestaretur, cur ita quidque fieret, nisi quod ita fieret scire sufficeret. Dicit Dominus ad Moysen: *Quis dedit os homini, & quis fecit mutum, & non audientem, videntem, & cæcum. Nonne ego Dominus Deus?* Et per Esaiam: *Nonne ecce ego fœcundam, & sterilem feci dixit Deus?* In libro Ecclesiastico legitur: *Bona & mala vita, & mors, paupertas & honestas à Deo sunt:* Et Iob dicit: *Abundant tabernacula prædonum, & audacter prouocant Deum, cùm ipse dederit omnia in manibus eorum.* Et idem de omnium rerum humanarum profectu, & defectu disputans, omnesque mutationes ad Dei iudicia referens: *Apud ipsum est*, inquit, *sapientia, & fortitudo: ipse habet consilium, & intelligentiam, si destruxerit, nemo est qui ædificet: Si incluserit hominem, nullus est qui aperiat: Si continuerit aquas, omnia siccabuntur. Si emiserit eas, subuertent terram: Apud ipsum est fortitudo, & sapientia: Ipse nouit & decipientem, & eum qui decipitur: adducit Consiliarios in stultum finem, & Iudices in stuporem: Baltheum Regum dissoluit, & præcingit fune renes eorum; Ducit Sacerdotes inglorios, & optimates supplantat; Commutans labium veracium, & doctrinam senum auferens: Effundens despectionem super principes, & eos qui oppressi fuerant releuans, qui reuelat profunda de tenebris, & producit in lucem vmbram mortis, qui multiplicat gentes, & perdet eas, & subuersas in integrum restituet: Qui immutat cor principum terræ, & decipit eos, vt frustra incedant per inuium: Palpabunt quasi in tenebris, & non in luce, & errare eos faciet quasi ebrios.* Et iterum idem dicens voluntatem Dei irritam esse non posse. *Ipse enim*, inquit, *solus est & nemo auertere potest cogitationem eius, & anima eius quodcunque voluerit, hoc fiet.*] Item Saluianus Episcopus in libro tertio de gubernatione Dei omnia quæ in mundo geruntur, cura & gubernaculo, & iudicio Dei moderari talibus verbis protestatur. [Quæritur itaque si totum, quod in hoc mundo est, cura & gubernaculo, & iudicio Dei agitur, cur melior multò sit barbarorum conditio, quàm nostra? Cur inter nos quoque ipsos sors bonorum durior, quàm malorum: cur probi iaceant, improbi conualescant? Cur iniquis, vel maximè potestatibus vniuersa succumbunt? Possim quidem rationabiliter & satis constanter dicere, nescio: secretum enim consilium diuinitatis ignoro. Sufficit mihi ad causæ huius probationem dicti cœlestis oraculum, Deus à se (vt libellis superioribus probauimus) omnia dicit aspici, omnia Regi, omnia iudicari: Si scire vis quid tenendum sit, habes literas sacras. Perfecta ratio est hoc tenere, quod legeris. Qua causa autem Deus hæc de quibus loquimur, ita faciat nolo à me requiras, homo sum, non intelligo, secreta Dei inuestigare non audeo, & ideo etiam attentare formido: quia ex hoc ipsum genus, quasi sacrilegæ temeritatis est, si plus scire cupias, quam sinaris. Sufficiat tibi quod Deus à se agi, ac dispensari cuncta restatur. Quid me interrogas, quare alter sit maior, alter minor, alter miser, alter beatus, alter fortis, alter infirmus? qua causa quidem hæc Deus faciat non intelligo, sed ad plenissimam rationem abundè sufficit, quod à Deo agi ista demonstro. Sicut enim plus est Deus, quàm omnis humana ratio, sic plus mihi debet esse, quàm ratio, quod à Deo agi cuncta cognosco. Nihil ergo in hac re opus est nouum aliquid audire, satis sit pro vniuersis rationibus auctor Deus. Nec licet, vt de his quæ diuino aguntur arbitrio aliud dicas iustum; aliud iniustum; quia quicquid à Deo agi vides, atque conuinceris, necesse est plus quàm iustum esse fatearis. Nec ergo de gubernaculo Dei atque iudicio expeditissimè, ac fortissimè dici possunt: Neque enim necesse est, vt argumentis à me probetur, quod hoc ipso quia à Deo dicitur, comprobatur. Itaque cum legimus dictum à Deo quia aspiciat iugiter omnem terram, hoc ipso probamus quod aspicit; quia aspicere se dicit. Cum legimus quod regat cuncta quæ fecit, hoc ipso approbamus quod regit, quia se regere restatur. Cum legimus quod præsenti iudicio vniuersa dispenset, hoc ipso euidens est quod iudicat, quia se iudicare confirmat. Alia enim omnia, id est humana dicta argumentis, ac testibus egent; Dei autem sermo ipse sibi testis est: quia necesse est quicquid incorrupta veritas loquitur, incorruptum sit testimonium veritatis.] Multis igitur Catholicorum Doctorum sententiis credimus approbatum mundum, & vniuersa, quæ aguntur in mundo, diuina dispensatione Regi, & Iudiciorum eius statera appendi, & secundùm voluntatis eius consiliũ moderari. Quod si ita est, immo quia ita est, quis negare potest, & electorum, & reproborum finem à Deo nosci & quod de singulis eorum agendum sit, diuino iam examine determinatum haberi. Sicut enim nouit opera singulorum, id est electorum, & reproborum: Sic quoque nec numerum eorum ignorat. Qua propter is qui singulorum actus intuetur, qui finem aspicit vniuersorum, qui nouit quid singulis tribuat, iam apud se prædestinatũ habet, quid ex eis sit acturus, & qui in fine gloria regni donentur, vel qui pœnarũ

[Prosper de voc. gent. l. lib. 1. c. 15.] [Exod. 4. 11.] [Isa. 66. 9.] [Eccl. 11. 14.] [Iob 12. 6.] [v. 13.] [v. 14.] [v. 15.] [v. 16.] [v. 17.] [v. 18.] [v. 19.] [v. 20.] [v. 21.] [v. 22.] [v. 23.] [v. 24.] [v. 25.] [Iob 23. 13.] [Saluian. lib. 3. de guber. Dei sub initium.]

C D E F G H

supplicio

A supplicio ferientur. Vt autem hæc manifestiora fiant de prædestinatione sanctorum quædam subiicere placuit, quæ breuitati sufficiant; & diuinam gratiam commendent, & prædestinationis consilium non abscondant. Quod fides donū Dei sit, & nullus pereat prædestinatorum, B. Augustinus in expositione Euangelij Ioannis ita confirmat. [*Credenti*, inquit, *in eum, qui iustificat impium, deputatur fides eius ad iustitiam.* In hoc opere faciamus opera Christi, quia & ipsum credere in Christo opus est Christi. Hoc operatur in nobis, non vtique sine nobis. Audi ergo iam & intellige: *Qui credit in me opera quæ ego facio, & ipse faciet.* Prius ego facio, deinde ipse faciet; quia facio, vt faciat, quæ opera nisi vt ex impio iustus fiat, & maiora horum faciet? quorum obsecro nunquidnam omnium operum Christi maiora facit, qui cum timore & tremore suam ipsius salutem operatur: quod vtique in illo, sed non sine illo Christus operatur: prorsus maius hoc esse dixerim, quam est cœlum & terra, & quæcunque cernuntur in

B cœlo & in terra. Cœlum enim & terra transibit. Prædestinatorum autem, id est eorum quos præscit salus & iustificatio permanebit. In illis tantum opera Dei, in his autem est etiam imago Dei.] Item quod opera sanctorum donum Dei sit, sic idem doctor in eodem libro confirmat. *Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite: Sic nec vos, nisi in me manseritis*: Magna gratiæ commendatio fratres mei corda instruit humilium, ora obstruit superborum. Ecce cui si audent respondeant, qui *ignorantes Dei iustitiam, & suam volentes constituere iustitiæ Dei non sunt subiecti.* Ecce cui respondeant sibi placentes, & ad bona opera facienda Deum sibi necessarium non putantes: Nonne huic resistunt veritati homines mente corrupti, & reprobi circa fidem, qui respondent, & loquuntur iniquitatem, dicentes à Deo habemus, quod homines sumus, à nobis ipsis autem quod iusti sumus: quid dicitis? quid vos ipsos decipitis? Non assertores

C sed præcipitatores liberi arbitrij, ex alto elationis, per inania præsumptionis in profunda submersionis. Nempe vox vestra est, quod homo ex semetipso facit iustitiam, hoc est altum elationis vestræ: sed veritas contra dicit: *Palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite.* Ite nunc per abrupta, & non habentes vbi figamini, ventosa loquacitate iactamini: Hæc sunt inania præsumptionis vestræ, sed quid vos sequatur videte, & si est in vobis vllus sensus horrete. Qui enim à semetipso se fructum existimat ferre, in vite non est, qui in vite non est, in Christo non est, qui in Christo non est Christianus non est. Hæc sunt profunda submersionis vestræ. Etiam atque etiam considerate, quid adhuc veritas adiungat, & dicat: *Ego sum* inquit, *vitis, vos palmites; qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum: quia sine me nihil potestis facere.* Ne quisquam putaret, saltem paruum aliquem fructum posse à semetipso palmitem ferre, cum dixisset, *hic fert fructum multum*, non ait, quia sine me

D paruum potestis facere, sed *nihil potestis facere*, siue ergo, paruum siue multum, sine illo fieri non potest, sine quo nihil fieri potest.] Si ergo nihil fieri potest boni sine gratia Dei, omne opus bonum referendum est ad gratiam Dei. Item quod nos non elegimus Christum, sed Christus nos primus elegit, & cum essemus mali de malis effecit bonos, in eodem libro Doctor præfans nos instruit, *Non vos me elegistis*, inquit, *sed ego elegi vos.* Hæc est illa ineffabilis gratia. Quid enim eramus, quando Christum nondum elegeramus, & ideo non diligebamus? Nam qui eum non eligit, quomodo diligit? Nunquid iam in nobis erat, quod in psalmo canitur, *Elegi abiectus esse in domo domini mei magis, quam habitare in tabernaculis peccatorum*: Non vtique. Quid ergo eramus, nisi iniqui & perditi? Neque enim iam credideramus in eum, vt eligeret nos. Nam si iam credentes elegit, electos elegit. Cur ergo diceret: *Non vos me elegistis*, Nisi quia: *misericordia eius præuenit nos*: Hic certè vacat vana illorum ratiocinatio, qui præscientiam Dei defendunt contra gratiam Dei, & ideo dicunt nos electos ante mundi constitutionem, quia præsciuit nos Deus futuros bonos, non se ipsum nos facturum bonos. Non hoc

E dicit, qui dicit, *Non vos me elegistis*, quoniam si propterea nos elegisset, quia bonos futuros esse præsciuerat, simul etiam præsciisset, quod eum nos fuissemus priùs electuri: Non enim aliter esse possemus boni: Nisi fortè dicendus est bonus, qui non eligit bonum. Quid ergo eligit in non bonis? non enim electi sunt, quia boni fuerunt, qui boni non essent, nisi electi essent: *Alioquin gratia iam non est gratia*, si præcessisse contendimus merita. Hæc quippe electio gratia est, de qua dicit Apostolus. *Sic ergo & in hoc tempore reliquiæ per electionem gratiæ saluæ factæ sunt*: Vnde subiungit: *Si autem gratia iam non ex operibus, alioquin gratia iam non est gratia.* Audi ingrate: Ingrate audi. *Non vos me elegistis. Sed ego vos elegi.* Non est vt dicas antequam crederem iam bona operabar, ideo electus sum: quid enim est

F boni operis ante fidem? Cum dicat Apostolus. *Omne quod non est ex fide peccatum est.* Quid ergo dicturi sumus audiendo: *Non vos me elegistis*, nisi quia mali eramus, & electi sumus, vt boni per gratiam nos eligentis essemus. Non est enim gratia, si præcessetant merita: est autem gratia: Hæc igitur non inuenit, sed efficit merita. Et videte Charissimi quemadmodum non eligat bonos, sed quos eligit faciat bonos. *Ego* inquit, *elegi vos & posui vos vt eatis, & fructum afferatis, & fructus vester maneat.* Nonne iste est fructus, de quo iam dixerat: *Sine me nihil potestis facere?* Elegit ergo, & posuit, vt eamus, & fructum afferamus. Nullum itaque fructum vnde nos elegit habebamus. *Vt eatis*, inquit, *& fructum afferatis.* Imus vt afferamus, & ipse est via quâ imus, in qua nos posuit, vt eamus. Proinde misericordia eius in omnibus præuenit nos. Si in omnibus, profectò non solum in factis, verùm vt & fidem habeamus, & vt voluntatem boni eius misericor-

G dia præueniente consequamur: Nec cogitare enim bonum, nec velle, nec credere, nisi misericordia præueniente possumus; quia in omnibus misericordia Dei præuenit nos. [Item quia de mundo damnato eligitur mundus, qui saluatur, sic idem Doctor in eodem libro adstruit: [*Si de mundo*, inquit, *essetis, mundus quod suum erat diligeret*: Vniuersæ vtique hoc dicit Ecclesiæ, quam plerumque etiam ipsam mundi nomine appellat: Sicut est illud: *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi.* Itemque illud: *Non venit filius hominis, vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum*: Et in Epistola sua Ioannes ait: *Aduocatum habemus ad Patrem* IESVM CHRISTVM *iustum, & ipse propitiator est peccatorum nostrorum, non tantum nostrorum, sed etiam totius mundi*: Totus ergo mundus Ecclesia est, & totus mundus odit Ecclesiam. Mundus igitur odit mundum, inimicus reconciliatum, damnatus saluatum, inquinatus mundatum, sed iste mundus, quem Deus in Christo reconciliat sibi, & qui per Christum saluatur, & cui per Christum peccatum omne donatur de mundo ele-

H ctus est inimico, damnato, contaminato: Ex ea quippe massa quæ tota in Adam periit, fiunt *Vasa misericordiæ*, in quibus est mundus pertinens ad reconciliationem, quem mundus odit ex eadem massa pertinens ad *vasa iræ, quæ perfecta sunt ad perditionem.* Denique cum dixisset: *Si de mundo essetis, mundus quod suum erat diligeret.* Continuo subiecit. *Quia vero de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus*: Ergo & ipsi inde erant, vnde vt non essent, electi sunt: Inde non meritis suis, quorum nulla præcesserant bona opera, non natura, quæ tota fuerat per liberum arbitrium in ipsa radice vitiata, sed gratuita, hoc est verâ gratiâ. Qui enim de mundo mundum eligit, fecit quod eligeret, non inuenit; quia: *reliquiæ per electionem gratiæ saluæ factæ sunt*: *Si autem*, inquit, *gratia iam non ex operibus, alioquin gratia iam non est gratia.*] Hic monstratur & eos qui non saluantur in perditionis massa relinqui, & eos qui saluatur, de ipsa perditionis massa liberari, non suo

Marginal notes (left): De prædestinatione Sanctorum. August. tract. 72. in Ioan. — Rom 4. 5. — Ioan 14. 12. — Idem tract. 81. Ioan. 15. 4. — Rom. 10 3. — Ioan. 15. 4. — v. 5. — August. Ibid. tract. 86. Ioan 15. 16. — Psal. 83. 11. — Psal. 58. 11.

Marginal notes (right): Eph. 1. 4. — Rom. 11. 6. — Rom. 11. 5. 6. — Ioan. 15. 16. — Rom. 14. 23. — Ioan. 15. 16. v. 5. — August. Ibid. tract. 87. Ioan. 15. 19. — 2. Cor. 5. 19. — Ioan. 3. 17. — 1. Ioan. 2. 1. v. 2. — Rom. 9. 22. v. 23. — Ioan. 15. 19. — Rom. 11. 5. 6.

A

suo merito, sed gratia Christi; quia si consideretur meritum, tales fuerunt qui saluantur quales & illi qui salute indigni habentur: Omnes enim erant *filij iræ*, sed qui saluantur fiunt de filiis iræ, filij gratiæ. Item in eodē libro cum loqueretur de eo, quod ait filius ad Patrem.

August. ibid. tra. 104.

Ioan. 17.

[*Pater venit hora, clarifica filium tuum*. Hoc interponitur quapropter hoc quod ait, *Pater venit hora, clarifica filium tuum*, ostendit omne tempus, & quid quando faceret, vel fieri sineret, ab illo esse dispositum, qui tempore subditus non est, quoniam quæ futura fuerant per singula tempora in Dei sapientia causas efficientes habent, in qua nulla sunt tempora.] Quibus verbis docemur quicquid fieri diuersis temporibus videmus, vel certè facienda sunt, in Dei prædestinatione causas, cur fiant haberi, & secundum quod ipse qui ordinator est temporum disponit, vniuersa fieri: Vnde etiam & in consequentibus ait: qui enim certis & immutabilibus causis omnia futura prædestinauit, quod facturus est fecit. Nam & per prophetam de illo dictum est: *qui fecit quæ futura sunt*.] Si ergo omnia, quæ facturus est Deus, in prædestinatione iam fecit, profectò quibus largiturus est regnum, in prædestinatione, iam dedit, & quos iudicaturus ad pœnam, in prædestinatione iam iudicauit. Item quod electi secundum Dei propositum prædestinati, & vocati sunt, idem Doctor in libro de gratia & correptione sic loquitur: [Quid est etiam quod in Apostolorum Actibus legimus: *Audientes autem gentes gauisæ sunt, & exceperunt verbum Domini, & crediderunt quotquot erant præordinati in vitam æternam*. Quis operatus est eos in vitam æternam, nisi qui vasa misericordiæ operatus est eos, qui & *elegit illos in filio suo ante constitutionem mundi* per electionem gratiæ: *Si autem gratia, iam non ex operibus, alioquin gratia iam non est gratia*. Non enim sic sunt vocati, vt non essent electi. Propter quod dictum est: *Multi enim vocati, pauci vero electi*. Sed quoniam secundum propositum vocati sunt, profectò & electi sunt per electionem (vt dictum est) gratiæ, non præcedentium meritorum suorum; quia gratia illis est omne meritum: de talibus dicit Apostolus: *Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum his, qui secundum propositum vocati sunt: quoniam quos ante præsciuit, & prædestinauit conformes imaginis filij sui, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus: quos autem prædestinauit, illos, & vocauit, quos autē vocauit ipsos & iustificauit, quos autē iustificauit, ipsos & glorificauit*. Ex istis nullus perit, quia omnes electi sunt: electi sunt autem, quia secundum propositum vocati sunt: propositum autem non suum, sed Dei.] Item quod nullus electorum qui prædestinati sunt, perire potest, & de Iuda, quod electus in Apostolatus honorem per iudicium: vel ad effundendum sanguinem Christi, cum loqueretur præfatus Doctor in eodem libro de capitulo Apostoli, in quo ait: *Quos autem prædestinauit, illos & vocauit*, ita subiunxit. [Eos itaque vult intelligi, *quos secundum propositum vocauit*, ne putentur in eis aliqui esse vocati, & non electi, propter illam Dominicam sententiam, *Multi vocati, pauci electi*: Quicunque enim electi, sine dubio etiam vocati: non autem quicunque vocati, consequenter electi. Illi ergo electi (vt sæpe dictum est) qui secundum propositum vocati, qui etiam prædestinati atque præsciti. Horum si quisquam perit, fallitur Deus; sed nemo eorum perit: quia non fallitur Deus. Horum si quisquā perit, vitio humano vincitur Deus: Sed nemo eorū perit, quia nulla re vincitur Deus: Electi enim sunt ad regnandū cum Christo, non quomodo electus Iudas ad opus cui cōgruebat: Ab illo quippe electus est, qui nouit benè vti etiā malis, vt & per opus eius damnabile, illud propter quod venerat, opus venerabile compleretur. Cùm itaque audimus: *Nonne ego vos duodecim elegi, & vnus ex vobis diabolus est*.] Illos debemus intelligere electos per misericordiam, illum per iudicium, illos ad obtinendum regnum suum, illum ad fundendum sanguinem suum.] Et in hac sententia duplicem ostendit electionem quod alij scilicet eligantur non permansuri

Tract. 104 LXX. Isa. 45. 11.

B

S. Aug. de correpț. & grat. c. 6.

Act. 13. 48. Ibid. c. 7.

Ephe. 1. 4. Rom. 11. 6. Matth. 20. 16.

C

Rom. 8. 28. v. 29. v. 30.

Rom. 8. 28. d. cap. 7. Matth. 20. 16.

D

Ioan. 6. 71.

in operibus iustitiæ, de quibus dicitur: *Multi vocati*: Alij vero sic eliguntur, vt permaneant, de quibus ait Apostolus: *Quos prædestinauit, illos & vocauit*. Ex istis autem nullus perire potest: Nam & Iudam dicit electum, sed non ad regnum, sed ad Apostolatus honorem. Quod autem illum dicit electum ad fundendum sanguinem suum, propter illum occultæ prædestinationis ordinem dicit, qua vniuersorum actus, id est, bonorum & malorum occulto iudicio disponit. Quia etsi bona opera, & cogitationes bonæ à Deo sunt tantum; malæ autē cogitationes ex concupiscentia, rationalis creaturæ, sicut & mala opera ex mala concupiscentia, non autem à Deo: Attamē diuinę dispositionis ordine moderātur: Quia in hac republica, quæ est vniuersus mundus, omnipotens Deus, sicut & rector, ita & dispositor est, & omnia quæ fiunt, illius dispositioni seruiunt. Nam quamuis multa fiant, quæ contra illius voluntatem fieri videantur, vnde tamen illius voluntati repugnare videntur, inde etiam eius dispositioni seruiunt. Item quod qui pereunt, de numero electorum non sunt, in eodem libro sic docemur, [Horum, inquit, fides quæ per dilectionem operatur, profectò aut omnino non deficit, aut si qui sint, quorum deficit, reparatur antequam ista vita finiatur, & deletā quæ intercucurrerat iniquitate, vsque in finem perseuerantiæ deputatur, qui vero perseueraturi non sunt, ac sic à fide Christiana, & conuersatione lapsuri sunt, vt tales eos vitæ huius finis inueniat procul dubio nec illo tempore, quo bene pièque viuunt, in istorum numero computandi sunt: Non enim sunt à massa illa perditionis præscientia Dei & prædestinatione discreti, & ideo nec secundum propositum vocati, ac per hoc nec electi, sed in eis vocati sunt de quibus dictum est: *Multi vocati*, & non in eis de quibus dictum est, *pauci vero electi*: Et tamen quis eos neget electos cum credunt, & baptizantur, & secundum Deum viuunt? Plane dicuntur electi à nescientibus quid futuri sunt, non ab illo qui eos nouit non habere perseuerantiā, quæ ad beatam vitam perducit electos, scitque illos ita stare, vt præscierit esse casuros. Hic si à me quæratur, cur eis Deus perseuerantiam non dederit, qui eam, qua Christianè viuerent dilectionem dedit, me ignorare respondeo: non enim arroganter, sed agnoscens modulum meum audio dicentem Apostolum: *O homo tu quis es, qui respondeas Deo*, & *O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quam inscrutabilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius*. Quantum itaque nobis iudicia sua manifestare dignatur, gratias agamus: quantum vero abscondere, non aduersus eius consilium murmuremus.] Et hic geminam electionem exponens, alios sic dicit electos, alios vero ad tempus electos, sed non vsque in finem permansuros. Quare autem illi sic eligantur, & isti sic, sicut ignoratur à nobis, ita nec discutiendum. Item quod filiis infidelium dat Deus perseuerantiam, & filiis fidelium non dat inscrutabilia esse iudicia Dei idem Doctor ostendit in eodem libro dicens. [Mirandum est quidem, multumque mirandum; quod filiis suis quibusdam Deus, quos regenerauit in Christo, quibus fidem, spem, dilectionem dedit, non dat perseuerantiam, cum filiis alienis scelera tanta dimittat, atque impertita gratiā suos faciat filios, quis hoc non miretur, quis hoc non vehementissimè stupeat? Sed etiam illud non minus mirum est, & tamen verum atque ita manifestū, vt nec ipsi inimici gratiæ Dei, quomodo id negent valeant inuenire, quod filios quosdā amicorum suorum, hoc est regeneratorum, bonorumque fidelium sine baptismo hinc paruulos exeuntes, quibus vtique si vellet, huius lauacri gratiam procuraret, in cuius potestate sunt omnia, alienat à regno suo, quo parentes mittit illorum, & quosdam filios inimicorum suorum facit in manus Christianorum venire, & per hoc lauacrū introducit in regnum, à quo eorum parentes alieni sunt: Cum & illis malum, & istis bonum meritum nullum sit paruulis ex eorū propria volūtate. Certe hæc iudicia Dei, quoniam iusta & alta sunt, nec vituperari possunt, nec penetrari. In his est & illud de perseuerantia; de qua nunc

E

Matth. 20. 16. Rom. 8. 30.

F

d. cap. de corrept. & gratia.

Matth. 20. 16.

G

Ibid. c. 8.

Rom. 9. 20. Rom. 11. 33.

H

dubitantes

A dubitantes diſputamus: de vtriſque igitur exclamemus;
Rom.11. *O altitudo diuitiarum ſapientia, & ſcientia Dei, quam in-*
33. *ſcrutabilia ſunt iudicia eius?*] Item quod qui pereunt
ibid c.9. non erant de numero filiorum in eodem libro. Cum er-
go filij Dei dicunt, de his qui perſeuerantiam non ha-
1.Io.2. buerunt: *Ex nobis exierunt, ſed non erant ex nobis*, & ad-
19. dunt: *quod ſi fuiſſent ex nobis permanſiſſent vtique nobiſ-
cum*: Quid aliud dicunt, niſi non erant filij, etiam quan-
do erant in profeſſione, & nomine filiorum?] Item
quod prædeſtinati, etſi nondum renati, iam tamen filij
dicto Dei ſunt, & perire non poſſunt in eodem libro. [Qui-
cap.9. cumque ergo in Dei prouidentiſſima diſpoſitione præ-
ſciti, prædeſtinati, vocati, iuſtificati, glorificati
ſunt, non dico etiam nondum renati, ſed etiam nondum
nati, iam filij Dei ſunt, & omnino perire non poſſunt.
Hi vero veniunt ad Chriſtum, quia ità veniunt, quo-
Ioan.6. modo ipſe dicit. *Omne quod dat mihi pater ad me veniet,*
37. 9. *& eum qui venit ad me, non eiiciam foras*: Et paulò poſt,
B *Hæc eſt* (inquit) *voluntas eius, qui miſit me patris, vt
omne quod dedit mihi pater non perdam ex eo*: Ab illo er-
go datur etiam perſeuerãtia in bono vſque in finem. Ne-
que enim datur, niſi eis qui non peribunt quoniam qui
non perſeuerant, peribunt. Talibus Deus *diligentibus
eum omnia cooperatur in bonum*, vſque adeo proſſus *omnia*
vt etiam ſi qui eorum deuiant, & exorbitant, etiam hoc
ipſum eis faciat proficere in bonum, quia humiliores re-
deunt atque doctiores: diſcunt enim in ipſa via iuſtà cum
tremore ſe exultare debere, non ſibi arrogando tan-
quam de ſua virtute fiduciam permanendi.] Item
quod qui ſic cadunt vt pereant, de prædeſtinato-
rum numero non fuerint, in eodem libro cum Ioannis
Io.5. Apoſtoli ſententia tractaretur dicentis: *eſt peccatum ad
1. mortem non pro illo dico, vt roget quis*, hæc verba beatus
Auguſt. Auguſtinus ſubiungit. [De quo peccato, quoniam non
d.c.12. expreſſum eſt, poſſunt multa & diuerſa ſentiri: Ego
autem id eſſe peccatum fidem, quæ per dilectionem ope-
ratur, deſerere vſque ad mortem; huic peccato vltra
C non ſeruiunt non prima conditione ſicut ille, liberi, ſed
per ſecundum Adam Dei gratià liberati, & iſta libera-
tione habentes liberum arbitrium, quo ſeruiunt Deo
Ro.6.18 non quo captiuentur à diabolo; *liberati* enim *a peccato
ſerui facti ſunt iuſtitiæ*, in qua ſtabunt vſque in finem,
donante ſibi perſeuerantiam illo, qui *eos præſciuit &
prædeſtinauit, & ſecundum propoſitum vocauit, & iuſti-
ficauit*, quoniam illa, quæ de his promiſit, etiam futu-
Ro.4.3. ra iam fecit. Cui promittenti *credidit Abraham, & de-
.21. putatum eſt illi ad iuſtitiam: dedit* enim *gloriam Deo ple-
niſſimè credens* (ſicut ſcriptum eſt) *quia quæ promiſit
potens eſt & facere*. Ipſe ergo bonos illos facit, vt bona
faciant. Neque enim eos propterea promiſit Abrahæ,
quia præſciuit à ſe ipſos futuros bonos. Nam ſi ita eſt
non ſuum, ſed eorum eſt quod promiſit, non autem ſic
20. *credidit Abraham*, ſed *non eſt infirmatus in fide dans glo-
1. riam Deo, pleniſſimè credens, quia quæ promiſit, potens
eſt & facere*: non ait quæ præſciuit, potens eſt pro-
mittere; aut quæ prædixit, potens eſt oſtendere,
D aut quæ promiſit, potens eſt præſcire. Ipſe igitur
eos facit perſeuerare in bono, qui fecit bonos, qui
autem cadunt & pereunt in prædeſtinatorum nume-
Ro.14.4. ro non fuerunt. Quamuis ergo de omnibus rege-
neratis & piè viuentibus loqueretur Apoſtolus di-
cens, *Tu quis es, qui iudicas alienum ſeruum, ſuo Domino
ſtat aut cadit*, continuò tamen reſpexit ad prædeſtinatos
& ait. *Stabit autem*, & ne hoc ſibi arrogarent: *Potens
eſt enim Deus* (inquit) *ſtatuere eos*. Ipſe itaque dat per-
ſ.8. ſeuerantiam, qui ſtatuere poteſt eos qui ſtant, vt perſe-
ſt. uerantiſſimè ſtent, vel reſtituere qui ceciderant: *Dominus
13. enim erigit eliſos*.] Item quod certus eſt numerus præ-
deſtinatorum in eodem libro cùm de his loqueretur, qui
perſeuerantiam à Deo acceperunt, vt perire non poſſint,
hæc inter locutus eſt. [Hæc de his loquor qui præ-
deſtinati ſunt in regnum Dei, quorum ita certus eſt nu-
6. merus, vt nec addatur quiſquam, nec minuatur ex eis:
non de his qui cum annunciaſſet, & locutus eſſet *mul-
tiplicati ſunt ſuper numerum*. Ipſi enim *vocati* dici poſ-
ſunt, non autem *electi*, quia *non ſecundum propoſitum vo- E
cati*.] Item quod omnis qui audit à Patre venit ad Chri- Idem de
ſtum in libro de prædeſtinatione præfatus ita loquitur Prædeſt.
doctor: *Omnis, qui audiuit a Patre & didicit, venit ad me.* Sanct.
[Quid eſt *omnis qui audiuit à Patre & didicit, venit ad* cap.8.
me? Niſi nullus eſt qui audiat à Patre, & diſcat, & non Io.6.45.
veniat ad me. Si enim *omnis qui audiuit à Patre & didicit
venit*, profectò omnis, qui non venit, non audiuit à Pa-
tre, & non didicit: Nam ſi audiſſet & didiciſſet, veniret.
Neque enim vllus audiuit, & didicit, & non venit. Sed
omnis, vt ait veritas, *qui audiuit à Patre & didicit venit*.] Ibid.
Item quod diuina gratia à nullo duro corde reſpuatur
paulo infra: [Multos videmus venire ad filium, quia
multos credere videmus in Chriſtum: ſed vbi, & quo-
modo à Patre hoc audierint & didicerint, non videmus.
Nimium gratia iſta ſecreta eſt, gratiam vero eſſe quis
ambigat? Hæc itaque gratia, quæ occultè humanis
cordibus diuina largitate tribuitur, à nullo duro corde
reſpuitur: ideo quippe tribuitur, vt cordis duritia pri- F
mitus auferatur. Quando ergo pater intus auditur, & Ezec.11.
docet, vt veniatur ad filium, *aufert cor lapideum, & dat* 19.
cor carneum: Sicut Propheta prædicante promiſit. Sic
quippe facit *filios promiſſionis, & vaſa miſericordiæ, quæ
præparauit in gloriam*. Cur ergo non omnes docet, vt ve-
niant ad Chriſtum, niſi quia omnes quos docet, miſeri-
cordia docet: quos autem non docet, iudicio non do- Ro.9.18.
cet; quoniam *cuius vult miſeretur & quem vult obdurat*; d.cap.8.
Sed miſeretur bona tribuens, obdurat digna retribuens.]
Item quod quoſcumque vult docere pater, veniant ad
Chriſtum in eodem libro: [Cur autem non omnes do-
ceat aperuit Apoſtolus quantum aperiendum iudicauit: Ro.9.22.
Quia volens oſtendere iram, & demonſtrare potentiam 23.
*ſuam, attulit in multa patientia vaſa iræ, quæ perfecta
ſunt in perditionem, & vt notas faciat diuitias gloriæ ſuæ* 1.Cor.1.
in vaſa miſericordiæ, quæ præparauit in gloriam. Hinc eſt 18.
quod: *verbum crucis pereuntibus ſtultitia eſt, his autem*
qui ſalui fiunt virtus Dei eſt, Hos omnes docet venire 1.Tim.
ad Chriſtum Deus: Hos enim *omnes vult ſaluos fieri, &* 2.4.
in agnitionem veritatis venire. Nam etſi illos quibus G
ſtultitia eſt verbum Crucis, vt ad Chriſtum venirent do-
cere voluiſſet, proculdubio venirent & ipſi. Non enim Io.6.45.
fallit aut fallitur, qui ait: *Omnis qui audiuit à Patre, &
didicit, venit ad me*. Abſit ergo, vt quiſquam non ve-
niat, qui à patre audiuit & didicit. Quare inquiunt
non omnes docet? Si dixerimus quia nolunt diſcere,
quos non docet, reſpondebitur nobis, & vbi eſt, quod ei Pſ.84.7.
dicitur. *Deus tu conuertens viuificabis nos?* Aut ſi non Mt.5.
facit volentes ex nolentibus Deus, vt quid orat Eccleſia 44.
ſecundum præceptum Domini pro perſecutoribus ſuis.] Ib. in ẽn. Al.c.9.
Item quod aliis detur fides, qua ſaluantur, & aliis non
detur, non eſſe diſcutiendum in eodem libro: fides igi-
tur & inchoata, & perfecta donum Dei eſt: [Et hoc
donum quibuſdam dari, quibuſdam non dari, omnino
non dubitet, qui non vult manifeſtiſſimis ſacris litteris
repugnare. Cur autem non omnibus detur fidelem mo-
uere non debet, qui credit *ex vno omnes eſſe in condem-
nationem* ſine dubitatione iuſtiſſimam: Ita vt nulla Dei H
eſſet iuſta reprehenſio, etiamſi nullus inde liberaretur.
Vnde conſtat magnam eſſe gratiam, quod plurimi li-
berantur, & quid ſibi deberetur in eis, qui non liberan- 1.Cor.1.
tur agnoſcunt, vt *qui gloriatur* non in ſuis meritis, quæ 31.
paria videt eſſe damnatis, ſed *in domino glorietur*. Cur Ro.11.
autem iſtum potiùs quàm illum liberet, *inſcrutabilia* 33.
ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius. Melius enim Ro.9.20.
& hic audimus, aut dicimus: *O homo tu quis es, qui re-* Auguſt. de Præd.
ſpondeas Deo? quàm dicere audeamus, quaſi nouerimus, Sanct.d. c.12.
quod occultum eſſe voluit, qui tamen aliquid iniuſtum
velle non potuit.] Item argumentum de paruulis ad-
uerſus eos, qui gratiam repellunt in eodem libro: [ſed
omnis hæc ratio, qua defendimus gratiam Dei per IESVM
CHRISTVM Dominum noſtrum verè eſſe gratiam, id eſt
non ſecundùm merita noſtra dari, quamuis euidentiſſimè
diuinorum eloquiorum teſtimoniis aſſeratur, tamen
apud eos, qui niſi aliquid ſibi aſſignent, quod priores
dent, vt retribuatur eis, ab omni ſtudio pietatis repri-

A mi se putant, laborat aliquantò in ætate maiorum iam
vtentium voluntatis arbitrio: Sed vbi venitur ad par-
uulos, & ad ipsum mediatorem Dei & hominum, ho-
minem IESVM CHRISTVM, omnis deficit præceden-
tium gratiam Dei humanorum assertio meritorum. Quia
nec illi vllis bonis præcedentibus meritis discernuntur
à cæteris, vt pertineant ad liberatorem hominum; nec
ille vllis humanis præcedentibus meritis, cùm & ipse sit
August. lib. c. 14. homo, liberator factus est hominum.] Item cur aliis
concedatur, vt ex hac vita auferantur, cum iusti sunt,
alij tamdiu retineantur donec corruant, quod nemo in-
dicium Dei comprehendere possit in eodem libro: De
Iob. 7. 1. hac quippe vita legitur in libro Iob. [*Nunquid non ten-
tatio est vita humana super terram?* Sed quare aliis con-
cedatur, vt ex huius vitæ periculis dum iusti sunt au-
ferantur, alij verò iusti donec à iustitia cadant, in eis-
Rom. 11. 34. dem periculis vita productiore teneantur, *Quis agnouit
B sensum Domini?* Et tamen hinc intelligi datur etiam il-
lis iustis, qui bonos piosque mores vsque ad senectutis
maturitatem, & diem vitæ huius vltimum seruant, non
in suis meritis, sed in Domino esse gloriandum: quo-
Sap. 4. 18. niam qui vitæ breuitate rapuit iustum, *ne malitia mu-
taret intellectum eius*, ipse in quantacumque vitæ longi-
tudine custodit iustum, *ne malitia mutet intellectum eius*;
Cur autem hîc tenuerit casurum istum, quem priusquam
caderet, hinc posset auferre, iustissima omnino, sed *in-
scrutabilia sunt iudicia eius.*] De gratia verò & præde-
stinatione vnum sufficit exemplum saluatoris, de quo in
August. lib. c. 15. eodem libro ita scribitur. [Est etiam præclarissimum
lumen prædestinationis, & gratiæ ipse saluator, ipse
mediator Dei, & hominum homo CHRISTVS IESVS:
qui vt hoc esset, quibus tandem suis vel operum, vel fi-
dei præcedentibus meritis natura humana, quæ in illo
est comparauit? Respondeatur quæso? Ille homo, vt à
verbo Patri coæterno in vnitatem personæ assumptus fi-
lius Dei vnigenitus esset, vnde hoc meruit? Quod eius
bonum qualecumque præcessit? quid egit ante? quid cre-
C didit? quid petiuit, vt ad hanc ineffabilem excellen-
tiam perueniret? Nonne faciente, ac suscipiente verbo
ipse homo ex quo cœpit esse, Filius Dei vnicus esse cœ-
pit? Nonne Filium Dei vnicum fœmina illa gratia plena
concepit? Nonnè de Spiritu sancto & Virgine Maria
Dei Filius vnicus natus est, non carnis cupidine, sed
singulari Dei munere? Nunquid metuendum fuit, ne
accedente ætate homo ille libero peccaret arbitrio, aut
ideo in illo non libera voluntas erat; ac non tanto ma-
gis erat, quanto magis seruire peccato non poterat? Nem-
pe ista omnia singulariter admiranda, & alia, si qua eius
propria verissime dici possunt, singulariter in illo acce-
pit humana, hoc est nostra natura, nullis suis præce-
dentibus meritis. Respondeat hic homo Deo, si audet,
Ro. 9. 20. & dicat. Cur non & ego? Et si audierit; *O homo tu quis
es, qui respondeas Deo?* Nec sic cohibeat, sed augeat im-
pudentiam, & dicat: quomodo audio, *Tu quis es ô ho-
mo*, cum sim quod audio, id est homo, quod est & il-
le de quo ago. Cur non sim quod & ille? At enim gra-
D tia ille talis ac tantus est, cur diuersa est gratia, vbi na-
Col. 3. 25. tura communis est? Certè *Non est acceptio personarum
apud Deum:* Quis non dico Christianus, sed insanus
hæc dicat? Appareat itaque nobis in nostro capite ipse
fons gratiæ, vnde secundum vniuscuiusque mensuram
semper cuncta eius membra diffundit: Ea gratia fit ab
initio fidei suæ homo quicumque Christianus, qua gra-
tia homo ille ab initio suo factus est Christus. De ipso
Spiritu & hic renatus est, de quo ille est natus: eodem
spiritu fit in nobis remissio peccatorum, quo spiritu fa-
ctum est, vt nullum haberet ille peccatum. Hæc se Deus
facturum esse profecto præsciuit. Ipsa est igitur præde-
stinatio Sanctorum, quæ in sancto sanctorum maxime
claruit, quam negare quis potest rectè intelligentium
eloquia veritatis? Nam & ipsum Dominum gloriæ, in-
quantum homo facto factus est Dei Filius prædestina-
tum esse didicimus: clamat Doctor Gentium in capite
Ro. 1. 1. 2. 3. 4. Epistolarum suarum: *Paulus seruus* IESV CHRISTI *vo-
catus Apostolus, segregatus in Euangelium Dei; quod
ante promiserat per Prophetas suos in Scripturis sanctis: De* E
*filio suo qui factus est ei ex semine Dauid secundum car-
nem; qui prædestinatus est filius Dei in virtute secundum
spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum.* Præ-
destinatus est ergo Iesus, vt qui futurus erat secundùm
carnem filius Dauid, esset tamen in virtute filius Dei
secundùm spiritum sanctificationis; quia natus est de
Spiritu sancto ex Virgine Maria. Ipsa est illa ineffabili-
ter facta hominis à Deo verbo susceptio singularis, vt
Filius Dei, & Filius hominis simul, & filius hominis
propter susceptum hominem, & Filius Dei propter su-
scipientem vnigenitum Deum veraciter, & proprè di-
ceretur: Ne non trinitas, sed quaternitas crederetur.
Prædestinata est ista naturæ humanæ tanta, & tam celsa
& summa subuectio, vt quo attolleretur altius non ha-
beret, sicut pro nobis ipsa diuinitas quo vsque se depo-
neret humiliùs non habuit, quam suscepta natura homi-
nis cum infirmitate carnis, *vsque ad mortem crucis.* Sicut
ergo prædestinatus est vnus ille, vt caput nostrum esset F
ita multi prædestinati sumus, vt membra eius essemus.
Humana hic merita conticescant, quæ perierunt per
Adam; & regnet quæ regnat *Dei gratia per* IESVM
CHRISTVM *Dominum nostrum* vnicum Dei filium, vnum
Dominum: Quisquis in capite nostro præcedentia me-
rita singularis illius generationis inuenerit, ipse in nobis
membris eius præcedentia merita multiplicatæ regene-
rationis inquirat. Neque enim Christo retributa est illa
generatio, sed tributa, vt alienus ab omni obligatione
peccati de spiritu & virgine nasceretur: Sic & nobis, vt
ex aqua & spiritu renasceremur non retributū est pro ali-
quo merito, sed gratis tributum, & si nos ad lauacrum re-
generationis fides duxit, non ideo putare debemus prio-
res nos dedisse aliquid, vt retribueretur nobis regeneratio
salutaris: ille quippe nos fecit credere in Christum, qui
nobis fecit in quem credimus Christum: Ille facit in
hominibus principium fidei, & perfectionem in IESVM
qui fecit hominem *principem fidei, & perfectorem* IESVM.
Sic enim est appellatus (vt scitis in Epistola quæ est ad G Ib. c. 16. Heb. 12. 2.
Hebræos.) vocat enim Deus prædestinatos multos filios
suos, vt eos faciat membra prædestinati vnici filij sui.]
Item infra: Ad hanc vocationem qui pertinent, *omnes
sunt docibiles Dei*, nec potest eorum quisquam dicere: Ib. c. 16. in fine.
Credidi, vt sic vocaret: præuenit eum quippe miseri- Isa. 54. 13.
cordia Dei, quia sic est vocatus vt crederet. *Omnes* enim
docibiles Dei veniunt ad filium quoniam audierunt, &
didicerunt à patre per filium, qui euidentissime dicit:
Omnes qui audiuit à patre, & didicit, venit ad me. Isto-
rum autem nemo perit; *quia omne quod dedit ei pater* Ioan. 6.
non perdit ex eo quicquam. Quisquis ergo inde est, om- 45. 39.
nino non perit, nec erant inde qui perierunt propter
quod dictum est: *Ex nobis exierunt, sed non erant ex
nobis. Nam si fuissent ex nobis, mansissent vtique nobiscum.* 1. Ioan. 2. 19.
Intelligamus ergo vocationem, qua fiunt electi, non
qui eliguntur, quia crediderunt; sed qui eliguntur, vt Ib. c. 17.
credant: hæc enim & Dominus ipse satis aperit vbi dicit:
Non vos me elegistis, sed ego vos elegi. Nam si propterea
electi erant quia crediderant. Ipsi eum prius vtique ele- H
gerant credendo in eum, vt eligi mererentur: Aufert au- Ioan. 15. 16.
tem hoc omninò, qui dicit: *Non vos me elegistis, sed ego
vos elegi.* Et ipsi quidem proculdubio elegerunt eum,
quando crediderunt in eum: Vnde non ob aliud dicit:
Non vos me elegistis, sed ego vos elegi, nisi quia non ele-
gerunt vt eligeret eos, sed vt eligerent eum elegit eos,
quia misericordia eius præuenit eos secundùm gratiam
non secundum debitum. Elegit ergo eos de mundo,
cum hic ageret † carnem, sed iam electos in se ipso an-
te mundi constitutionem: hæc est immobilis veritas † al. in carne.
prædestinationis & gratiæ.] Sicut enim ex his, quæ bre-
uiter de beati Augustini libris collegimus, intelligi da-
tur, omnia sanctorum facta, dicta, & cogitationes re-
ctæ, quibus cœlestis regni beatitudinem merentur acci-
pere, non à semetipsis habent, sed gratia superni mune-
ris acceperunt, cumque liberum voluntatis humanæ sit
arbitrium, infirmum tamen & inualidum est ad opus iu-
stitiæ, si non per Dei gratiam validum fiat & forte, quæ

A Dei gratia non solum subsequitur nos, vt bona quæ nouimus, possimus operari; verum etiam præuenit in omnibus faciens in nobis & voluntatem, qua velimus, & possimus facere boaum, & tribuens fidem, qua non solum eredamus in Deum; verùm etiam, per quam quæcumque postulanetimus, impetremus à Deo: id est & principium fidei, & plenitudinem eius nobis donans: sed & omnia opera recta, vt possimus facere gratia largiente possibiliatem accipimus faciendi. Hæc, cum ex superioribus sententiis satis manifesta fiant, tùm quoque ex sanctorum Patrum dictis, quorum hic testimonia propter breuitatem omisimus ponere, satis patescunt Iam vero de prædestinatione Sanctorum, ita posita testimonia iocunctanter loquuntur, vt omniū prædestinatorum numerum definitum esse doceant, & neminem eorum posse perire. Quæ cum ita sint iam videndum est, vtrum mali prædestinati sint ad pœnam: sed cum ex prædestinatione sanctorum hoc facilè possit colligi; B quia si illorum certa est prædestinatio, & nemo potest perire electorum, sequitur, vt etiam reprobonum definita proculdubio sit prædestinatio: Neque enim Dei dispositio, quæ sanctorum numerum ita constituit, vt nemo ex eis perire possit, non etiam de reprobis aliquid indicauit; sed quid ex hoc Sanctorum dicta loquantur sequenti libello monstrabitur.

Explicit liber primus de prædestinatione.

Arn. Raymundi Notarius Publicus viso originali Manuscripto in Lobbienei Cænobio, & per me ad longum collato testor præsentem copiam de verbo ad verbum esse eidem originali conformem hac 4. Februarij C *anni 1648.*

INCIPIT LIBER SECVNDVS RATRAMNI de Prædestinatione Dei.

PRÆFATIO AD KAROLVM REGEM.

SVperiore Libello (Rex Religiose) qua valui breuitate Sanctorum dicta decerpens aperui pro qualitate ingenij nostri, quod omnia diuinis agantur dispensationibus & licet iniquorum praua sint voluntates, & actiones peruersa, nequaquam tamen effugere possunt diuinorum dispensationem iudiciorum: Sed vnde Deo aduersantur, inde illius voluntati seruiunt: Hinc quoque manifestum quantum credimus elicuit, quia non solum quæ sunt, sed & quæ D *futura sunt dispensat cælestis sapientia, & vnumquodque ad suum finem perducit, non solum bonos, verum etiam malos secundum quod ante sæcula æternaliter disposuit, moderatur & agit; & sicut non est noua cogitatio apud Deum, ita nec nouum Consilium, & quid de singulis agitur, in æterna sapientia illius dispositum est, & immutabiliter determinatum. Ostendimus etiam prædestinationem sanctorum diuina gratia Regi, nec electorum numerum aut posse minui aut vacillare: sed sicut ante sæcula electi sunt, ita eorum electio inconuulsa manebit; quæ omnia non nostris verbis, sed sanctorum dictis monstrauimus. Superest nunc, vt de prædestinatione iniquorum (iuxta quod magnificentia vestra dignata est nobis iniungere) sanctorum dicta exempla colligamus: Vbi etiam de Sanctorum prædestinatione pariter loquemur, quæ cum fuerint à nobis explicita, breuiter aperire conabimur, quemadmodum cum Deus malos prædestinatos habeat ad pœnam, non tamen auctor sit malorum, nec sit voluntatis eius perditio impiorum:* Qui
1. Tim. 2. 4. omnes homines vult saluare, & ad agnitionem veritatis venire. *Obsecramus autem celsitudinem maiestatis vestræ, vt si quid in litteris nostris, quod vobis displicuerit, inueneritis, misericorditer corrigatis, nobisque* E *corrigenda significare non dedignemini: vel si quis deprehensor extiterit earum, detur nobis defensionis locus, vt vel acquiescamus iustè reprehendenti, vel confirmemus quæ vera fuerint dicta, vestramque pietatem circa humilitatem nostram semper mereamur habere propitiam.*

LIBER II.

De Prædestinatione Dei.

ANtequam de malorum prædestinatione loquamur. Quid sit prædestinatio Beati Augustini dictis doceamus. Ait enim † Augustinus libro de prædestinatione, [prædestinatio quippe à † præmittendo, & præueniendo, vel prætordinando futurum aliquid dicitur.] Quibus verbis ostendit, quod præmissio & prætordinatio, siue præuentio prædestinatio sit, & in verbis differre, sensu verò non discrepare. Et Fulgentius in libro de prædestinatione ita ait: [Neque enim est alia Dei prædestinatio, nisi futurorum operum eius æterna præparatio.] Et hic præparationem prædestinationem nominauit: Proinde siue præparationem siue prædestinationem in sanctorum dictis positum inuenerimus, vnum idemque significari docemur. Et de prædestinatione ita venerabilis Doctor Augustinus in expositione Euangelij Ioannis dicit: [*Qui de cælo venit supra omnes est; Et quod vidit, & audiuit hoc testatur; testimonium eius nemo accepit:* Si nemo, vt quid venit quorundam ergo nemo est quidam *populus præparatus ad iram Dei*, damnandus cum diabolo, horum nemo accepit testimonium Christi: Nam si omnino nemo, nullus homo. Quid est quod sequitur? *Qui accepit testimonium eius signauit, quia Deus verax est.* Certè ergo nemo, sed tu ipse dicis: *Qui accepit testimonium eius signauit, quia Deus verax est.* Responderet ergo fortasse interrogatus Ioannes, & diceret; noui quid dixerim nemo. Est enim quidam populus natus ad iram Dei, & ad hoc præcognitus. Qui sint enim credituri, & qui non sint credituri, nouit Deus, qui sint perseueraturi in eo quod crediderunt, & qui sint lapsuri nouit Deus, & numerati sunt Deo omnes futuri in vitam æternam; & nouit iam populum illum distinctum, & si ipse nouit, & Prophetis dedit nosse per spiritum suum, dedit & Ioanni.] Cùm enim superius multis testimoniis monstratum sit sanctorum esse prædestinationem, & nunc dicitur: quidam populus præparatus ad iram Dei damnandus cum diabolo, & præparatio prædestinatio sit, sicut superius patefactum est, monstratur esse Gemina prædestinatio, id est & eorum qui numerati sunt Deo, & pertinent ad vitam æternam, & eorum qui præparati sunt ad iram Dei damnandi cum diabolo. Item in eodem: [*Sed vos non creditis, quia non estis ex ouibus meis:* Iam supra didicistis quæ sint oues, estote oues, oues credendo sunt, oues pastorem sequendo sunt, oues redemptorem non contemnendo sunt, oues per ostium intrando sunt, oues exeundo & pascua inueniendo sunt, oues æterna vita perfruendo sunt: quomodo ergo istis dixit: *Non estis ex ouibus meis?* quia videbat eos ad sempiternum interitum prædestinatos, non ad vitam æternam sui sanguinis pretio comparatos.] Item inferiùs *vitam æternam dabo eis*, id est, ouibus meis, *& non peribunt in æternum:* Subaudis tanquam eis dixerit, vos peribitis in æternum, *quia non estis ex ouibus meis; Non rapiet eas quisquam de manu mea:* Intentiùs accipite; *pater meus quod dedit mihi maius est omnibus.* Quid potest lupus, quid potest fur & latro? non perdunt, nisi ad interitum prædestinatos. De illis autem ouibus de quibus dicit Apostolus: *Nouit Dominus qui sunt eius;* &, *quos præsciuit, ipsos & prædestinauit; quos autem prædestinauit*

Marginal notes: De malorum F Prædestinatione. † immo Auctor. Hypognosticõ li. 6. c. 2. † al præuidendo Fulgent. ad Monimum de Gemina Prædest. l. 1. cap. 20. August. in Euang. Io. tr. 14. Io. 3. 3. v. 32. G v. 33. August. H ib. tr 48. Ioan. 10, 26. v 28. v. 29. 2. Tim. 2: 19.

[A] [Rom. 8. 30.] *stinauit, ipsos & vocauit: quos autem vocauit, illos & iustificauit, quos autem iustificauit, illos & glorificauit:* De ouibus istis nec lupus rapit, nec fur tollit, nec latro interficit. Securus est de numero earum, qui pro eis nouit quod dedit, & hoc est quod ait: *Non rapiet eas quisquam de manu mea*, & item ad patrem. [d. v. 28. & 29.] *Pater meus, quod dedit mihi maius omnibus est.*] Et hîc & superius [August. ib. tr. 45.] dum qui non sunt ex ouibus Christi, ad interitum dicit præparatos, ostendit geminam esse prædestinationem; quia & sancti prædestinati sunt ad vitam, & qui in peccatis suis perseueraturi sunt, ad interitum. Item in eodem: [Si Catholici fideles erant, oues erant, si oues erant quomodo vocem alieni audire potuerunt? Cùm Dominus dicat: [Ioan. 10. 5.] *Non audierunt eos oues.* Audistis fratres altitudinem quæstionis? Dico ergo: [2. Tim. 2. 19.] *Nouit Dominus qui sunt eius*, nouit præscitos, prædestinatos: de illo quippe dicitur: [Rom. 8. 29. 30.] *Quos autem præsciuit, & prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus: quos autem prædestinauit, ipsos & vocauit;* [B] [31. 32.] *& quos vocauit ipsos & iustificauit? quos autem iustificauit, ipsos & glorificauit: Si Deus pro nobis, quis contra nos?* Adde adhuc: *qui proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum, quo modo non & cum illo omnia nobis donauit?* Sed quibus *nobis?* Præscitis, prædestinatis, iustificatis, & glorificatis. De quibus sequitur: [v. 33.] *Quis accusabit aduersus electos Dei. Nouit* ergo *Dominus qui sunt eius*; ipsi sunt oues, aliquando se ipsas nesciunt: Sed pastor nouit eas, secundùm istam prædestinationem, secundùm istam Dei præscientiam, secundùm electionem ouium ante constitutionem mundi. Nam & hoc dicit [Eph. 1. 4.] Apostolus: *Sicut elegit nos in ipso ante constitutionem mundi:* Secundùm istam ergo præscientiam Dei & prædestinationem quàm multæ oues foris, & quàm multi lupi intus, & quàm multæ oues intus, & multi lupi foris, quid est quod dixi? quàm multæ oues foris; quàm multi modo luxuriantur, casti futuri? Quàm multi blasphemant Christum, credituri in Christum: quàm multi [C] se inebriant sobrij futuri; quàm multi rapiunt res alienas, donaturi suas: verumtamen modo alienam vocem audiunt, alienos sequuntur: Item quàm multi intus laudant, blasphematuri; casti sunt, fornicaturi; sobrij sunt, se vino postea sepulturi; stant casuri: non sunt oues: de prædestinatis enim loquimur, de his loquimur: quos [2. Tim. 2. 19.] *nouit Dominus qui sunt eius*: Et tamen ipsi quandiu rectè sapiunt, Christi vocem audiunt: Ecce audiunt ipsi, non audiunt illi, & tamen secundùm prædestinationem non oues isti, & oues illi. Adhuc manet quæstio, quæ mihi interim nunc videtur ita posse dissolui: Est aliqua vox, est (inquam) aliqua vox pastoris, in qua oues non audiunt alienos, in qua non oues non audiunt Christum: Quæ est [Matth. 10. 22.] ista vox? *Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit:* Hanc vocem non negligit proprius, non audit alienus. Nã & ille hoc ei prædicat, vt perseueret apud ipsum vsq; in finem, & non apud Deum perseuerando, nõ audit hanc vocem: venit ad Christum, audiuit alia & alia verba, illa & [d. v. 12.] illa omnia, vera sana omnia, inter quæ omnia est & illa [D] vox: *Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit*, Istã qui audierit ouis est. Sed audiebat illam nescio quis & desipuit, refriguit, audiuit alienam. Si prædestinatus est, ad tempus errauit, in æternum non periit; redit vt audiat quod neglexit, faciat quod audiuit: si enim de his est qui prædestinati sunt, & errorem ipsius Deus præsciuit, & conuersionem futuram, si aberrauit redit, vt au-[Matt. 10. 22.] diat vocem illam pastoris, & sequatur dicentem: *Qui perseuerauerit vsque in finem hic saluus erit.* Bona vox [Ps. 117. 15.] fratres, vera, pastoralis ipsa est: *Vox salutis in tabernaculis iustorum.* Nam facile est audire Christum, facile est laudare Euangelium, facile est acclamare disputatori; perseuerare vsque in finem hoc est ouium vocem pastoris audientium. Tentatio accidit, perseuera vsque in finem, vsque in quem finem perseuerabis? quousque finias viam: quamdiu enim non audis Christum, aduersarius tuus est in ista via, hoc est in ista mortali vita: Sed [Matt. 5. 25.] quid dicit? *Concorda cum aduersario tuo citò dum es cum eo in via.* Audisti, credidisti, concordasti, si aduersa-

[E] baris concorda: Si tibi præstitum est concordare; noli vlterius litigare: quando enim finiatur vis nescis; sed tamen scit ille. Si ouis es, & si perseuerateris vsque in finem saluus eris. Ac per hoc istam vocem non contemnunt sui, non audiunt alieni.] Et hîc cum dicit secundum prædestinationem non oues istos, & oues illos, ostendit geminam esse prædestinationem. Item in eodem. [August. Ibid. tr. 42. in fine.] Quod verò sequitur: *Propterea vos non auditis: quia ex* [Ioan. 8. 47.] *Deo non estis*, eis dictum est, qui non solum peccato vitiosi erant, nam hoc malum commune erat omnibus, sed etiam præcogniti, quod non fuerant credituri ea fide, qua sola possent à peccatorum obligatione liberari. Quapropter præsciebat illos, quibus talia dicebat in eo permansuros, quod ex Diabolo erant, id est in suis peccatis, atque impietate morituros, in qua ei similes erant, nec venturos ad regenerationem, in qua essent Filij Dei, hoc est ex Deo nati, à quo erant homines creati: secundùm hanc prædestinationem locutus est [F] Dominus, non quòd aliquem hominem inuenerit, qui vel secundùm regenerationem iam esset ex Deo, vel secundum naturam iam non esset ex Deo,] Et hic dum secundum prædestinationem dicit locutum esse Dominum, [August. ibid. tr. 110.] vt aliqui essent ex Deo, alij non ex Deo, geminam ostendit prædestinationem. Item in eodem cum de mundo fideli, & infideli loqueretur sic ait: [Isti autem omnes [Ioan. 17. 9.] quid est nisi mundus? Non hostilis vtique, sed fidelis: [1. Cor. 11. 32.] Nam ecce, qui dixerat: *Non pro mundo rogo?* pro mundo rogat vt credat, quoniam est mundus de quo scri-[Ioan. 3. 17.] ptum est: *Ne cum mundo damnemur*, pro isto mun-[1. Cor. 5. 19.] do non rogat, neque enim quo sit prædestinatus ignorat: & est mundus de quo scriptum est: *Non venit filius hominis, vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum:* Vnde & Apostolus: [D. Aug. tr. 110.] *Deus*, inquit, *erat in Christo mundum reconcilians sibi.*] Cum enim dicit, quia non ignorat quo sit prædestinatus mundus, pro quo non rogat, manifestè demonstrat prædestinationem reproborum: Et quia est prædestinatio electorum & re-[G] proborum, gemina esse monstratur prædestinatio. Item in eodem: Quamdiu enim credimus quod non videmus, nondum sumus ita consummati quemadmodum erimus, cum meruerimus videre, quod credimus. Re-[Ioan. 17. 21. v. 23.] ctissimè igitur ibi: *vt credat mundus*, hîc: *vt cognoscat mundus:* tamen & ibi & hîc *quia tu me misisti*, vt nouerimus quantum pertinet ad Patris & Filij inseparabilem charitatem, hoc nos modo credere quo tendimus credendo cognoscere: si autem diceret vt cognoscant quia tu me misisti tantundem valeret, quantum hoc quod ait: *vt cognoscat mundus:* Ipsi sunt enim mundus, non permanens inimicus, qualis est mundus damnationi prædestinatus, sed ex inimico amicus effectus, propter quem [2. Cor. 5. 19.] *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi*, ideo dixi, *ego in eis, & tu in me.* Tanquam diceret: *Ego in eis* ad quos misisti me, *& tu in me* mundum reconcilians tibi [d. v. 23. Eph. 1. 4.] per me. Propterea sequitur etiam illud quod ait: *Et dilexisti eos, sicut & me dilexisti.* In filio quippe pater nos diligit, quia *in ipso nos elegit ante mundi constitutionem.*] [H] Et hic dicens mundum damnationi prædestinatum, geminam ostendit prædestinationem. Item in eodem: [August. ibid. tr. 111.] Quomodo ergo non erimus cum Christo vbi est, quando in patre cum illo erimus, in quo est. Neque hinc Apostolus nobis quamuis nondum rem tenentibus, sed [Col. 3. 1. 2. 3.] tamen spem gerentibus tacuit: Ait enim; *Si resurrexistis cum Christo, quæ sursùm sunt quærite vbi Christus est in dextra Dei sedens; quæ sursùm sunt sapite, non quæ super terram: Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo:* Ecce interim per fidem, ac spem vita nostra vbi Christus est, cum illo est; quia cum Christo in Deo est. Ecce velut iam factum est, quod [Ioan. 17. 24.] orauit, vt fieret dicens, *Volo vt vbi ego sum, & illi sint mecum.* Sed nunc per fidem, quando autem fiet per speciem? [Col. 3. 4.] *Cum Christus*, inquit, *apparuerit vita vestra, tunc & vos apparebitis cum illo in gloria:* Tunc apparebimus, quod tunc erimus, quia tunc apparebit non inaniter nos id credidisse, ac sperasse antequam essemus facti, & cui [Ioan. 17. d. v. 24.] filius cum dixisset: *Vt videant claritatem meam, quam de-*

A
v. 25.
disti mihi, Cōrinuò subinnxit *quia dilexisti me ante mundi constitutionem*, in illo enim dilexit nos ante mundi constitutionem, & tunc prædestinauit, quod in fine futurum est mundi. *Pater*, inquit, *iuste, mundus te non cognouit*, quia iustus es: Ideo te non cognnuit mundus; quippe ille damnatinni prædestinatus merito non cognouit: Mundus verò, quem per Christum reconciliauit sibi, non merito, sed gratia cognnuit. Quid est enim eum cognoscere, nisi vita æterna, qnam mundo damnato vtique non dedit, reconciliatn dedit? Propterea vtique *mundus non cognouit*; quia iustus es: Meritis eius, vt non cognosceret tribuisti: Et propterea mundus reconciliatus cognnuit, quia misericors es, & vt cognosceret nnn ei merito, sed gratia subuenisti.] Et hic mun-

August. Ench. c. 100.

dum damnatinni prædestinatum dicens, geminam prædestinatinnem nstendit, quoniam prædestinationem eorum qui saluantur superius posita exempla satis superque demonstrant. Item in libro Enchiridion. [Hæc

Ps. 110. 2.
B

sunt *magna opera Domini exquisita in omnes voluntates eius*, & tam sapienter exquisita, vt cum Angelica & humana creatura peccasset, id est non quod ille, sed quod vnluit ipsa fecisset, etiam per eandem creaturæ voluntatem, qua factum est, quod creator noluit, impleret ipse quod vnluit, benè vtens & malis tanquam summè bonus, ad enrum damnationem, quos iustè prædestinauit ad pœnam, & ad eorum salutem quns benignè prædestinauit ad gratiam.] Item in libro quarto de natura & origine animæ ad vincentium victorem.

Idem de anima & eius origine l. 4. cap. 11.

[Absit enim hoc volens diluere, vt dicam, quæ ipse dixisti: qund anima per carnem meruerit inquinari, & esse peccatrix. Nullum habens ante peccatum, quo rectè id meruisse dicatur, & qund etiam sine baptismo originalia peccata soluantur, & quud regnum quoque cœlnrum nnn baptizatis in fine tribuatur. Hæc atque huiusmodi venena fidei, nisi dicere timerem, fortasse de hac rē definire aliquid non timerem. Quantò melius igitur non separatim de anima disputo, & affirmn quod

C

nescio, sed quod apertissime Apostolum viden docuisse, simpliciter teneo: *Ex vno homine omnes homines ire in*

Rom. 5. 18.

condemnationem qui nascuntur ex Adam, nisi ita renascantur in Christo, sicut instituit, vt renascantur antequam corpore moriantur, quos prædestinanit ad æternam vitam misericordissimus gratiæ largitnr, qui est & illis quos prædestinauit ad mnrtem æternam iustissimus supplicij retributor.] In his dunbus testimoniis manifestissimè monstrat geminam venerabilis Augustinus prædestinationem. Item in libro secundn de baptismn parulnrum: [Vt autem innotescar quod latebat, & suaue

August. de Pecc. mer. & rem. l. 2. c. 17.

fiat, quod nnn delectabat, gratia Dei est, qua adiuuar hominum voluntates, qna vt non adiuuentur in ipsis itidem causa est, nnn in Den, siue damnandi prædestinati sunt propter iniquitatem superbiæ, siue contra ipsam superbiam iudicandi, vt eruditi filij sint misericordiæ: Vnde Hieremias cum dixisset: *Scio Domine, quia*

Hier. 10. 23. 24.
D

non est in homine vita eius, nec viri est vt ambulet, & dirigat gressus suos, continuo subiungit: *Corripe me Domine, verumtamen in iudicio, & non in furore tuo*: tanquam diceret scio ad correptinnem meam pertinere, quod minus abs te adiuuor, vt perfectè dirigantur gressus mei, verumtamen hoc ipsum noli sic mecum agere, tanquam in furore qun, iniquos damnare statuisti: sed tanquam in iudicio, quo doces tuos nnn superbire: Vnde alibi dicitur: *Et iudicia tua adiuuabant me.* Nullius proinde

Ps. 118. 175.

humanæ culpæ in Deum referas causam: vitiorum namque nmnium humanorum causa superbia est.] Hac sententia nstendit venerabilis Augustin. malos propter iniquitatem superbiæ damnationi prædestinatns, non autem ad peccatum: quoniam peccatum non est ex Deo. Neque enim auctor mali est Deus, pœnæ vero redditio ex Deo est. Quia iustum est, vt qui Deo per humilitatem subdi nnluit, propter superbiam cœlesti vltione feriatur. Vndè prædestinatio Dei ad pœnam est, quam subituri sunt mali, qui perseuerabunt in iniquitate: nnn autem ad peccatum: quia Deus auctor mali non est, neque placet Deo iniquitas, & eorum quæ nperatur Deus prædestinator est, videlicet, vel bonorum quæ redditu-

E

rus est sanctis, vel pœnarum, quas iniquis puniendis illaturus est: At vero malnrum sicut nnn est auctor, ita nec prædestinator. Non enim peccatum ex Deo est. Sed ex diabnlo. Atque propterea suorum nperum quæ vel

August. de Ciuit. Dei l. 15. cap. 1.

misericorditer respicit, vel iustè punit prædestinatnr est: Enrum autem quæ non agit, sicut vindex est, ita prædestinator non est. Item in libro 15. de Ciuitate Dei: [Arbitror nns satis iam fecisse magnis & difficillimis quæstionib. de initio vel de fine mundi, vel animæ, vel ipsius generis humani, quod in duo genera distribuimus, vnū eorum, qui secundum hominem, alterum eorum, qui secundum Deum viuunt, quas etiam mysticè appellamus ciuitates duas, hoc est duas societates hominum, quarum vna est, quæ prædestinata est in æternum regnare cum Den, altera æternum supplicium subire cum diabnln.] Item in libro nouissimo de Ciuitate Dei cum de bonis, quæ largitur malis Deus loqueretur ait: [Quid igi-

Idem ib.
F
lib. 22. cap. 24.

tur dabit eis quns prædestinauit ad vitam, qui hæc etiam dedit ais quos prædestinauit ad mortem.] Item in exposirione Psalmi 9. sumens testimonium ex Euangelio. [*Qui autem non credit*, inquit, *iam iudicatus est*: Id est istn occulto iudicio iam præparatus est ad illud

Aug. in Ps. 9. in proprio. Io. 3. 18. Ib. paulo post.

manifestum.] Item inferius: [nnn in toto corde confiterur Domino, qui de prouidentia eius in aliqun dubitat. Sed quia iam cernit occulta sapientia Dei, quantum sit inuisibile præmium eius qui dicit: *Gaudemus*

Ro. 5. 3.

in tribulationibus, & quemadmodum omnes cruciatus, qui corpnraliter inferuntur, aut exerceant cnnuersos ad Deum, aut vt cnnuertantur admoneant, aut iustè damnationi vltimæ præparent obduratos, & sic omnia ad diuinæ prouidentiæ regimen referantur, quæ stulti quasi casu, & temerè, & nulla diuina administratione fieri putant.] In his nmnibus testimoniis prædestinati ostenduntur mali ad pœnam, sed nnn prædestinati ad peccatum: qunniam eorum, quæ facturus est Deus, prædestinator est; quæ verò non fecit, nec facturus est, ea nnn

G

prædestinat: quia autem iudicaturus est mundum, & impios iusto supplicio prn iniquitatibus suis damnaturus, propterea reos prædestinauit ad pœnam, & pœnam prædestinauit illis: ad peccatum autem non eos prædestinauit: quoniam non est Deus auctor iniquitatis, quoniam sicut iustitia ex Den est, & nmne opus bonum: Ita iniquitas, & nmne opus prauum ex diaboln. Vnde & S. August. hnc ipsum insinuans ait paulò superiùs. [Nullius proinde culpæ humanæ in Deum referendam causam: vitiorum namque omnium humanorum causa superbia est.] Et Cassiodorus cum dicit peccatores in præ-

Cassiod.

destinatinne repulsns eos, qui damnandi sunt in iudicio ostendit propter iniquitatem damnandus, quæ prædestinata à Den non est: damnandi verò ipsi prædestinati sunt: quia iustum est, vt pœna inferatur eis qui noluerunt nbedire præceptis iustitiæ. Item in libro de perfectione iustitiæ: *Deus de Cœlo respexit super filios homi-*

Aug. de Perfect. iust. c. 13.

num, vt videat, si est intelligens, aut requirens Deum. Hoc ergo *bonum* quod est requirere Denm, *non erat qui face-*

H

ret, non erat vsque ad vnum, sed in en genere hominum

Ps. 13. 2.

quod prædestinatum est ad interitum; super hns enim respexit Dei præscientia, protulitque sententiam.] Quod

Prædestinati ad interitū non ad peccatū, sed ad eius vindictam.

sanctus Augustinus in hac sententia malns dicit ad interitum prædestinatos, ne hnc (interitum) peccatum intelligamus, sed peccati vindictam, quæ in se reddenda est peccatnribus, beatus Fulgentius in librn ad Monimum Discipulum suum satis manifestè demonstrat: In

Fulgent. ad Monimum l. 1. d. l. 1. c. 6.

qun libro & prædestinationem malorum docet ad supplicium, & quia Deus ad iniquitatem nullum prædestinat, verissima ratinne insinuat, de quo libro pauca excipere vnlui, & huic operi inserere. Ait enim. [Quod ergn ante gehennam mali pereunt, non est diuini operis, sed humani: quod autem in gehenna perituri sunt, hoc facit Dei æquitas, cui nulla placet peccantis iniquitas: *Qui* enim *diligit iniquitatem, odit animam suam*: Et dicit

Ps. 10. 6. 1. Io. 3. 4.

Ioannes. Quia *omnis, qui facit peccatum, & iniquitatem facit, & peccatum est iniquitas.* Et Deus per Prophetam dicit, *quia anima, quæ peccauerit, ipsa morie-*

Ezech. 18. 4.

tur.

A *tur*: De filio autem Dei Ioannes dicit. *Scimus quia ille*
1.Io 3 5. *apparuit, vt peccata tolleret, & peccatum in eo non est.*
Sicut ergo peccatum in eo non est ita peccatum ex eo
noo est, quod autem ex eo non est, opus eius vtique
oon est: quud autem nunquam est in opere eius, oun-
Cap 7. quam fuit in prædestinatione eius. Noo ergo prædesti-
nati sunt mali ad hoc, quod male operantur à concu-
piscentia substracti & illecti, sed ad hoc quod iustè pa-
tiuntur inuiti. Prædestinationis enim nomine non aliqua
voluntatis humanæ coactiua necessitas exprimitur, sed
misericors & iusta futuri diuini operis sempiterna dis-
Ps 100.1. pusitio prædicatur: *Deo* autem *misericordiam, & indi-
cium* cantat Ecclesia, euius hoc opus est io homine, vt
occulto voluntatis suæ, non tamen iniusto consilio,
aut gratuitam misericordiam proroget misero, aut de-
bitam iustitiam rependat iniusto: immo aut misericor-
diter debitori donet, quod si vellet iustè posset exige-
B re: aut iustè cum vsuris qood suum est exigat, & ini-
quo debitori quod debetur iniquitatibus reddat. Ac
sic vt istum protsus indignum misericordia præueniat,
aut illum ira dignum inueniat. Ipse etenim donat gratis
indigno gratiam, qua iostificatus impius illuminetur
munere bonæ volontatis, & facultate bonæ coopera-
tionis; vt præueniente misericordia bonom velle io-
eipiat & subsequente misericordia bonum quod vult
facere valeat: vtrumque autem prædestinando Deus,
& præparauit in illa incommotabili voluntate, in qua
sic futurum effectum homiois renouandi disposuit, vt
Cap.8. eius voluntas in opere nouo nooa esse non possit. Do-
nat etiam gratiam digno in retributionem mercedis
æternæ, vt scilicet sicut cum impium piè iustificat iu-
Rom.3. 26. stus, quia de ipso Apostolus dicit: *Vt sit ipse iustus &
iusti ficans eum, qui ex fide est* IESV: ecu cum iustum
Rom.8. 30. iustè glorificat pius, *quia quos iustificauit, illos & glo-
rificauit*, eadem sit operatio gratiæ, quæ meritum ho-
minis bonum, & initiat ad iustitiam, & consummat
ad gloriam, primò in homine inchoans voluntatem
C bonam, deinde eandem voluntatem adiuuans inehoa-
tam, vt eadem voluntas & diuino dono bona sit, &
diuino adiutorio malam superare concupiscentiam pos-
sit; & Deo perficiente talis postmodum ipsa voluntas
sit, vt malam concupiscentiam habere non possit, ac
sic in præsenti vita gratiæ adiutorio infinoitati non ce-
dat, in futura autem gratiæ beneficio infirmitatem oon
habeat; Et nunc recreetur continuo iuuamine medica-
minis: tunc vero fruatur æterna plenitudine suauitatis
Hæc autem Deus, sicut in prædestinatione semper ha-
buit, sic per gratiam sicut prædestinauerat facit. Præ-
destioationis itaque ipsius insinuatur agnitio eùm di-
LXX. Prou.8. 35. cit scriptura. *Et præparatur voluntas à Domino*: Non au-
tem ob aliud præparata dicitur, nisi quia danda prædi-
catur: A qoo enim præparatur per bonitatem sempi-
ternam, ab ipso datur per iodebitam gratiam.] In hac
sententia quid Deus prædestinat, & quid non prædesti-
nat probabili ratione discernit, quia demonstrat pecca-
tum noo esse in prædestinatione Dei, sed pœnam pec-
D cati. At vero beata merita sanctorum & remuneratio-
nem vtraque in prædestinatioue Dei esse fatetur, quia
Fulgent. Ib.c.12. vtraque à Deo sunt. Non enim aliquid boni habent
sancti, nisi à Deo, & remuneratio pro bonis, quæ
gesserunt electi, à Deo est, propterea vtraque à Deo
sunt prædestinata. Item in sequentibus: Ideo ergò in
promissis Dei nulla est falsitas, qoia in faciendis oulla
omoipotenti est difficultas, & propterea ibi nuoquam
deest voluntatis effectus; quia voluntas ipsa non aliod
inuenitur esse, quam virtus. Qoicquid aotem vult po-
test, qui quantum vult tantum potest. Propterea de
Ps.113. & 134. illo solo dignè dicitur: *Omnia quæcumque voluit fecit.*
Sap.12. 18. Et iterùm. *Subest enim sibi cum volet posse.* Ideo diximus
Ib.c.13. tantam ibi esse virtutem voluntatis, quanta & volon-
tas ipsa virtutis: quia cui semper subest cum volet pos-
se, non aliud est in illo velle, qoàm posse: quia ergo
Deus nulla necessitate compellitur, vt aliquid nolens
permittat, nullius vtiqoe aduersitatis impeditur obsta-
culo, quo id quod promisit aut mious, quàm vult,

E aut tardius faciat. Proiode potuit, sicut voloit, præ-
destinare quosdam ad gloriam, quosdam ad pœnam, sed
quos prædestinauit ad gloriam, prædestinauit ad iusti-
tiam: quos autem prædestinauit ad pœnam, non præ-
destinauit ad culpam.] Item paulo inferius: In sanctis d.c.13.
igitur coronat Deus iustitiam, quam eis gratis ipse tri-
buit, gratis seruauit, gratisque perfecit; iniquos autem
condemnauit pro impietate vel iniustiria, quam io eis
ipse non fecit; in illis enim opera sua glorificat; io istis
autem opera non sua condemnat. Hoc itaque prædesti-
nauit Deus, quod erat ipse factorus, aot quod fuerat lar-
giturus: Illud verò nullatenus prædestinaoit, quod siue
per gratiam, seu per iustitiam facturus ipse nō fuit.] Item
Fulgent. ib c.14. in eodem. Fidelibus congruit credere, & fateri Deum
bonum, & iustum præscisse quidem peccatores homi-
oes, quia nihil eum latere potuit futurorum: Neque
enim vel futura essent, si in eius præscientia noo fuis-
sent, non tamen prædestinasse quemlibet hominem ad
F peccatum; quia si ad peccatum aliquod Deus hominem
prædestinaret, pro peccatis hominem non puniret:
Dei enim prædestinatione aut peccatorum præpara-
ta est pia remissio, aut peccatorum iusta punitio. Nun-
quam igitur Deus ad hoc hominem potuit prædesti-
nare, quod ipse disposuerat, & præcepto prohibere,
& misericordia diluere, & iustitia punire. Ioiquos ita-
que, quos præsciuit Deus hanc vitam in peccato ter-
minaturos, prædestinauit supplicio interminabili pu-
niendos, in quos sicut eolpanda non est præscientia
humanæ iniquitatis: ita prædestinatio iustissimæ lau-
Cap.14. danda est vltionis: vt agnosceretur noo ab eo prædesti-
natum hominem ad qualecumque peccatum, quem
prædestinauit peccati merito puniendum. Deus itaque
omnia hominum opera, siue bona siue mala præsciuit,
quia eum latere nihil potuit, sed sola bona prædestina-
uit, quæ se in filiis gratiæ facturum esse præsciuit: Ma-
la vero futura opera illorum quos non prædestinauit
ad regnum, sed ad interitum, præsciuit potentissima
G deitate, & ordinauit prouida bonitate: & quia præ-
scius fuit, quod eadem mala noo solom ipse facturus
noo esset: sed nec homo in quantum ei humiliter ad-
hæsisset, in eo nobis insuperabilem potentiam præ-
scientiæ suæ magis ostendit, quia nec in malis præde-
stinationem iustitiæ suæ vacare permisit. Ostensurus
itaque Deus quid reddendum præsciuerit, quid donan-
dum prædestinauit, illos ad supplicium, quos à se præ-
sciuit malæ voluntatis vitio discessuros, & prædestina-
uit ad regnum, quos ad se præsciuit misericordiæ præ-
uenientis auxilio redituros, & io se misericordiæ sub-
sequentis auxilio esse mansuros. In istis misericordiam
custodiens, io illis iustitiam tenens: istis quod pro-
misit piè tribuens. Sic autem Deus non omnia pro-
misit, quæ prædixit; quamuis prædixerit omnia quæ
promisit; sicut non omnia prædestinauit quæ præsci-
uit, quamuis omnia prædestinata præsciuerit: præsci-
uit enim hominum voluntates booas & malas: præ-
destinauit autem non malas, sed booas solas: & licet in
H eios prædestinatione non fuerit, vt malitiam voluntati
humanæ dedisset: fuit tamen in eius prædestinatione,
quid humanæ voluotatis malitiæ reddidisset: propter
Ps.114. hoc quia (sicut Psalmista testatur) *Misericors est Do-
minus & iustus*, prædestinauit iustos ad gloriam, ini-
quos ad pœnam; iustificandis ergo atque glorifican-
dis prædestinatum misericordiæ suæ opus prædixit pa-
riter, & promisit: ioiquis autem prædestinatum iusti-
tiæ suæ opus prædixit tantummodo, ooo promisit.]
Idem ib.c.16. Item in eodem: Io sanctis igitur perfecturus est Domi-
nus, quod vt essent boni, gratis dedit: Quod autem
daturom se præsciuit, in æterna bonitatis dispositio-
ne prædestinauit. Ipsa est enim prædestinatio Dei sem-
piterna scilicet dispositio futuri operis Dei. Porro au-
tem in iniquis puniturus est, quod vt essent mali non
dedit, nec eos ad iniquitatem aliquam prædestinauit;
quia vt iniquè vellent, hoc eis daturus ipse oon fuit.
Et quia malæ voluntatis perseuerans iniquitas inulta
remanere oon debuit, tales ad interitum prædestina-

uit,

A uit, qoia talibus iustæ punitionis supplicium præparauit. Quod vtique manifesto Dominus ipse sermone perdocuit, in eo quod à se ostendit paratum non solum regnum vbi lætentur boni, sed & ignem æternum vbi crucientur mali. Bonis etenim dicturus est: *Venite benedicti patris mei percipite regnum, quod vobis paratum est a constitutione mundi.* Matt. 25. 34. 41. Malis autem dicturus est: *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & Angelis eius.* Ecce ad quod Deus iniquos & impios prædestinauit: id est ad supplicium iustum, non aliquod opus iniustum; ad pœnam, non ad culpam; ad punitionem, non ad transgressionem; ad interitum, quem ira iusti iudici peccantibus reddidit; non ad interitum, quo in se iram Dei peccantium iniquitas prouocauit: quod beati Apostoli prædicatio manifestat, qui malos, quos in æternum damnaturus est Deus, *vasa* vocat *iræ*, non culpæ. Ait enim: *quod si volens Deus ostendere iram, & notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa iræ aptata in interitum: vt ostenderet diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparauit in gloriam.* Rom. 9. 22. 23. B] In hac extrema sententia notandum quod de Euangelio sumens testimonium, ait prædestinatos malos in ignem æternum, eo quod dicturus est Dominus in iudicio, non solum bonis, vt percipiant regnum sibi paratum à constitutione mundi: verum quod malis dicturus est: *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & Angelis eius:* d. v. 41. ex hoc enim approbat quod iniquos & impios Dominus prædestinauerit ad supplicium, eo quod illis dicturos est *ite in ignem æternum.* Vnde qui volunt dicere quod pœna prædestinata sit iniustis, non iniusti prædestinati sunt ad pœnam, *de Hincmaro & similibus.* videant qualiter huius auctoris dicta intelligant: cui enim paratur pœna, is nimirum præparatur ad pœnam. Item in eodem. [Vasa verò iræ Fulgent. d. c. 10. nunquam Deus redderet interitum, si non spontaneum inuenirerur homo habere peccatum: quia nec Deus peccanti homini iuste inferret iram, si homo ex prædestinatione Dei cecidisset in culpam: sed quia causam C iniquitatis suæ ex propria homo habuit voluntate, propterea beatus Paulus *sustinuisse* asserit Deum *in multa patientia vasa iræ aptata in interitum:* Ro. 9. 22. hæc igitur ira, ideo talibus vasis interitum reddidit, quia in eis meritum voluntariæ iniquitatis inuenit. Quando autē peccati seruo iram iustus Dominus intulisset, si seruus ex prædestinatione Domini peccasset? In hoc itaque ista vasa Deus aptauit, in quo prædestinauit, hoc est in interitum: Illum vtique interitum quem Paulus malis repente superuenturum denuntiat dicens. *Cum enim dixerint pax & securitas, tunc repentinus eis superueniet interitus;* 1. Thess. 5. 3. quod si Deus tales in peccatum prædestinaret, non eos Apostolus *vasa iræ* mallet nominare sed culpæ; nec in interitum talia vasa, sed in peccatum dicerentur aptata; Nunc autem ideo *vasa iræ* dicuntur, vt ostendatur in talibus ex Dei prædestinatione hoc non esse, quod est malè ab eis admissum, sed quod est talibus benè redditum: Benè quippe malis D interitus à Deo redditur, quamuis sit malus interitus Cap. 17. eis, qui nunc iustè deseruntur, & postmodum iustè torquebuntur. In talibus enim iudicium suum Deus desertione inchoat, cruciatione consummat; Nam & hoc tempore, quo discedentes malos deserit, Deus non operatur in eis, quod ei displicet, sed operatur per eos, quod ei placet, postmodum eis redditurus, quod ab eius iustitia merentur. Recipient enim, non pro eo, quod Deus benè vsus est eorum operibus malis sed pro eo, quod ipsi malè abusi sunt Dei operibus bonis. Tales itaque Deus aptauit in interitum punitionis, quem peccatori iustus iudex prædestinatione iusta decreuit, non in peccatum, quod homo non ex prædestinatione diuina, sed ex voluntate sua malè concupiscendo cœpit, & malè operando perfecit. *Concupiscentia* enim *concipiens peperit peccatum, peccatum vero consummatum † genuit mortem.* Iacob. 1. 15. † al. generat. Non ergo iniqui prædestinati sunt ad mortem animæ primam, sed prædestinati sunt ad secundam, id est *ad stagnum ignis, & sulphuris,* De quo B. Ioannes dicit: *Et diabolus qui seducebat eos, Missus est in stagnum ignis, & sulphuris:* E Apoc. 20. 9. Et alio loco: *& mors & infernus missi sunt in stagnum ignis:* ibid. 13. hæc mors secunda est *stagnum ignis:* & qui non est inuentus in libro vitæ scriptus, *missus est in stagnum ignis.* Rursus dicit: *Dubiis autem & infidelibus contaminatis, & homicidis, & impudicis, & veneficis & idolis seruientibus, & omnibus mendacibus pars eorum in stagno ardenti; & sulphure, quod est mors secunda:* Apoc. 21. 8. Illam secundam nuncupat mortem quæ sequitur ex sententia iudicis, non illam quæ præcessit in mala concupiscentia peccatoris:] Per omnia doctor iste iniquos præordinatos esse ad pœnalem vitam iniquitatibus suis dogmatizat: ad peccatum verò non esse præordinatos, quoniam iniquitas Deo non placet, nec eorum est prædestinator, quorum non est auctor. Sed cum scierit hominem peccaturum, & in peccatis permansurum, prædestinauit eum ad pœnas quas iustè esset passurus, nec hæc prædestinatio compulit eum ad F peccatum, aut certè ex necessitate ad pœnas: quoniam sicut ipse testatur, *qui omnia nouit*, nouit etiam & singulorum facta, nouit & fines singulorum, & ex eo quod in eis vidit & cognouit, ex eo etiam & prædestinauit, quid de singulis esset acturos: sicut enim præscientia eius neminem compellit ad peccatum, cum vtique præscierit singulorum ante sæcula æterna peccata; Ita quoque & prædestinatio eius neminem compellit ad pœnam, licet & antequam nascatur aliquis, prædestinatus sit, si permansurus est in iniquitate, ad pœnam; Ex eo enim quod præsciuit singulos quid essent actori ex eo & prædestinauit æternitate consilij sui, quid esset de singulis facturus. Item Cassiodorus in expositione Psalmi 108. cum tractaret versiculum eum qui dicit: *fiant nati eius in interitum, in generatione vna deleatur nomen eius*, Cassiod. in Ps. 108. Ps. 108. 13. hæc subiunxit: [Eosdemque natos dicit, quos superiùs pupillos ait: Et quoniam solent aliqui peccatorum genus propagare longinquum, ipsam quoque spem illis prosperitatis abscidit: ne quo se bono pessimæ mentes consolarentur: G siue magis vna generatio illa dicenda est, quando nascimur in peccatis, & ideo petit, vt ad secundam idest ad regenerationem non perueniant: qui tamen in prædestinatione repulsi sunt vt in prima peccatorum suorum fæce dispereant, ne secundæ natiuitatis beneficio laqueum mortis euadant.] Sed hæc & illis similia dicuntur de illis, qui in Domini iudicatione damnandi sunt, & hic per prædestinationem repulsos dixit, quos in æternam damnationem in iudicio mittendos pronuntiat: vidit enim malos perseueraturos Deus in malo, & ideo apud æternam præscientiam suam talibus prædestinauit pœnam, Non ideo tamen compelluntur ad pœnam, quia non ex eo quod prædestinati sunt iudicantur, sed ex eo quod peccatores præsciti sunt ad pœnas prædestinati cognoscuntur: sicut enim nemo potest imputare Deo quod peccat, ita quoque quod pro peccatis puniendus sit. Peccat enim propria voluntate delinquens, H puniendus autem est iusto iudicio iudicantis: & sicut peccati causa non ex Dei præscientia descendit: quia nullus idcirco peccat, quia Deus eum peccaturum præscierit: sed idcirco quia magis propriæ concupiscentiæ obedit, quam præcepto prohibentis Dei à peccato: Ita quoque nullus idcirco ad pœnam vadit, quia hoc in Dei prædestinatione ante fuerat: ex eo enim quod præscitus est in peccatis permansurus, & sine pœnitentiæ fructu vitam præsentem terminaturus, ex eo deputatus est ad pœnam. Et sicut causa peccati concupiscentia est, qua magis obeditur voluntati carnis, quàm præcepto diuino: ita pœnæ deputationis causa est peccati perpetratio, & postea pro peccato nulla digna satisfactio: hinc sanctus Isidorus Hispalensis Episcopus vitæ meritis, & sapientiæ lumine præclarus, Catholicorum sequens doctrinam magistrorum Isidorus Sent. l. 2. c. 6. in libro secundo sententiarum geminam fore prædestinationem tam sensuum quam verborum attestatione docet dicens.

A Gemina est prædestinatio, siue electorum ad re-
1. quiem siue reproborum ad mortem: vtraque diuino agi-
2. tur iudicio, vt semper electos superna & interiora se-
3. qui faciat, semperque reprobos, vt infima & exterio-
ra delectent, deserendo permittat: sicut ignorat ho-
mo terminum lucis & tenebrarum, vel vtriusque rei
quis finis sit, ita plenius nescit, quis ante suum finem
luce iustitiæ præueniatur, vel quis peccatorum tenebris
vsque in suum terminum obscuretur, aut quis post la-
4. psum tenebrarum conuersus resurgat ad lucem. Cun-
5. cta hæc Deo patent, hominem vero latent: quamuis
iustorum conuersatio in hac vita probabilis sit, incer-
tum tamen hominibus esse, ad quem sint finem præ-
6. destinati: sed omnia reseruari futuro examini. Mira di-
spositio est supernæ distributionis, per quam hic iu-
stus ampliùs iustificatur, impius amplius sordidatur:
Malus ad bonum aliquando conuertitur, bonus ad ma-
lum aliquando reflectitur; vult quis esse bonus & non
B valet; vult alter esse malus, & non permittitur interire:
7. datur ei, qui vult esse bonus: alius nec vult, nec datur
8. ei, vt sit bonus; iste nascitur in errore & moritur; ille
9. in bono quo cœpit vsque in finem perdurat. Tamdiu
10. iste stat quousque cadat: ille malè diu viuendo, in fine
saluatur, respectusque conuertitur: vult prodesse in bo-
no iustus nec præualet; vult nocere malus & valet. Iste
vult Deo vacare, & sæculo impeditur: ille in negotiis
11. implicari cupit nec perficit: Dominatur malus bono,
bonus damnatur pro impio, impius honoratur pro
iusto; & in hac tanta obscuritate non valet homo diui-
nam perscrutari dispositionem, & occultum prædesti-
nationis perpendere ordinem.] Quibus verbis non so-
lum quòd sit electorum numerus præmio coronandus,
& reproborum multitudo pœna in iudicio ferienda,
diuinæ prædestinationis ordine dispositum fore cla-
rissimè demonstrat: verùm vtriusque ordinis, id est
tam electorum, quàm reproborum vita quo cursu,
quóve tramite volubilis mundi tempora pertranseat,
C sicut superni moderaminis legem non egreditur: ita
cœlestis dispositione secreti docet esse prædestinatum.
pofitio Vtrorumque de fine, videlicet electorum, ceu repro-
tentia borum loquens ait. [Gemina est prædestinatio siue ele-
Isidori. ctorum ad requiem, siue reproborum ad mortem.]
Hæc autem prædestinatio quemadmodum in singulis
1. operetur sequenti sententia monstrat. [Vtraque (in-
2. quiens) diuino agitur iudicio, vt semper electos super-
na, & interiora sequi faciat, semper reprobos, vt infi-
ma, & exteriora delectent, deserendo permittat:] Do-
cet enim quod prædestinationis ordo cœlestis discri-
mine iudicij liberetur, & electos diuini amoris flamma
succendens, interiora id est spiritalia, & superna, id-
est cœlestia concupiscere semper faciat & sequi: at re-
probos iusto quidem iudicio, mortalibus tamen occul-
tò, dum desiderio supernæ patriæ non irradiat, atque
eos inuisibilis boni amore extorres derelinquit, non in-
teriora, sed exteriora, non superna, sed infima, hoc
est non spiritalia sed corporalia, non cœlestia sed ter-
D rens bona diligere, sequique permittit. Non enim ve-
ritatis quisquam bonum; vel amare potest, vel assequi
nisi veritatis luce commonitus ipsa protestante veritate.
.6 44. *Nemo venit ad me, nisi pater attraxerit eum:* Et alibi:
att.11. *nemo nouit patrem, nisi filius, & cui voluerit, filius re-*
7. *uelare:* Attrahi autem ad Christum quid est nisi vt in
eum credatur, & credendo sequatur. Sic quoque per
filium reuelari per patrem non est aliud, nisi fidei oculis
patrem videre, & dilectionis obsequio venerari, quem
verò pater trahat ad Christum, & cui filius reuelet pa-
trem non humano, verum diuino censetur iudicio. Et
in hac quidem mortalitate, nulli cognitum quis ita
trahatur ad Christum, vel cui sic filius reuelet patrem,
vt sit de numero electorum. Hinc beatus Isidorus pro-
3. sequitur dicens. [Sicut ignorat homo terminum lucis
& tenebrarum, vel vtriusque rei quis finis sit: Ita ple-
niùs nescit quis ante suum finem luce iustitiæ præue-
niatur, vel quis peccatorum tenebris vsque in suum ter-
minum obscuretur, aut quis post lapsum tenebrarum,

E conuersus resurgat ad lucem.] Terminum lucis & te-
nebrarum ignorat homo, quoniam nescit in quo iusti-
tiæ lux vsque ad terminum vitæ, quasi vsque ad finem
diei perseuerabit: Neque cognouit, in quo iniquitatis
tenebræ tanquam noctis vmbræ perpetuò debeant per-
manere. Quis enim sit de numero electorum, aut quis
habeatur de sorte reproborum Deo quidem manifestum
habetur: humanæ verò scientiæ penitùs est absconsum.
Quod huius auctoris sententia declarat cum ait. [Cun- 4.
cta hæc Deo patent, hominem verò latent.] Deinde
quoque inculcans diuinæ prædestinationis secretum in-
fert.] quamuis iustorum conuersatio in hac vita pro-
babilis sit, incertum est tamen hominibus, ad quem
finem sint prædestinari, sed omnia reseruari futuro exa-
mini.] Siquidem quamquam probabilis vitæ cursu vi-
deantur iusti contendere, quid tamen diuino dispositio-
nis secreto eorum de fine decernatur, illius solummo-
do sapientiæ manifestum est, cuius amplitudinem scien-
tiæ nihil potest latere: At verò mortalitatis huius ho- F
minem tenebras patientem tantæ profunditatis abyssus
nequaquam illustrat, verùm densissimæ noctis caligine
inuoluuntur omnia, donec venturi lumen iudicij singu-
lorum facta quo fine sudauerint innotescat. Tuncque
sanctorum vita, quæ probabili cursu huius in mundi vo-
lubilitate videtur dirigere, manifestabitur verum, quod
egisse videbatur bonum, amore sæculi, an amore cœ-
lestis patriæ peregerit: Diuinæ tamen dicit prædestina-
tionis examine dispositum, quem sint singuli finem sor-
tituri: Hoc est qui cœlestis patriæ beatitudinem perce-
pturi, quique perennis miseriæ calamitatem subituri
sint. Vnde secundo in loco geminæ prædestinationis in-
timat secretum dum dicit [sanctos quamuis in hac vita 5.
probabiliter conuersentur, incertum tamen esse ad
quem sint finem prædestinati] dicendo namque incer-
tum esse ad quem sint finem prædestinati, ostendit non
omnes homines ad vnum consummationis conten-
dere finem: verùm alios sui laboris finem æternæ præ-
mium remunerationis assecuturos, alios verò perpetuæ G
damnationis tormenta adepturos: qui verò illum, qui-
ve ad istum pertineant finem in hac mortalitatis cali-
gine, nulla veritatis manifestatione comprehenditur;
supernæ tamen dispensationis examine, prædestinatum
fore doctor iste testatur: Cuius sententiæ Dominus ad
Iob loquens consentire videtur dicens: *Dic mihi si no-* Iob.38.
sti omnia: per quam viam spargitur lux, & tenebrarum 15.&19.
quis locus sit; vt ducas vnumquodque ad terminos suos: 20.
Lucis nomine sanctorum vitam tenebrarum vero nun-
cupatione reproborum designat; quia videlicet Deo,
cui manifesta sunt omnia, certissimè claret quos lux
supernæ gratiæ vsque in vitæ terminum illustrabit, &
quos infidelitatis tenebræ ante mortis exitum non re-
linquent. Benè autem ait *per quam viam spargitur lux,*
& tenebrarum quis locus sit. Lux enim diuinæ visitatio-
nis non vno, verùm multiplici modo electorum cor-
da perfundit, alios isto, alios illo clarificans munere,
atque istos ab vtero matris, illos à pueritiæ tempore,
hos autem à iuuentutis feruore, nonnullos verò in se- H
nectutis processu de peccatorum tenebris ad lucem iusti-
tiæ conuertit. Igitur quoniam diuerso gratiarum mune-
re supernus iudex electos magnificat, diuersisque
ætatis temporibus ad veritatis viam euocat, meritò
dicitur *per quam viam spargitur lux:* Id est lux cœ-
lestis gratiæ mentes electorum illuminans, qua via
id est quo supernæ dispositionis ordine dispertiatur, non
humanæ mentis infirmitas comprehendit, sed cœlestis
iudicij secreta nouerunt: similiter quoque *quis lo-*
cus sit tenebrarum, id est in quorum cordibus vel
incredulitatis vmbræ, vel actionis peruersæ debeant
vsque in finem tenebræ perseuerare, humanæ quidem
scientiæ non patet, diuinæ verò sapientiæ notum est.
Hinc etiam infertur; *Vt ducas vnum quod ad termi-* d.v.20.
nos suos. Ad terminos suos vnumquodque ducitur, quan-
do qui finis meritorum gratia futurum singulos maneat,
vnicuique confertur, vt istum pro benè gestorum cer-
tamine studiorum gloria condecoret; illum vero pro

malè

A malè factorum intentione laborum pœna coerceat, qua-
tenus illum sui cursûs finem accipiat, quem certaminis
sui proposito petebat, vt videlicet qui pro laboris sui
studio cœlestis patriæ quæsiuit retributionem, accipiat
in munere, quod expetiuit certamine: qui verò ter-
rena pro cœlestibus, caduca pro manentibus appetiuit
non æternæ beatitudinis præmium, quod non con-
cupiuit, verum sempiternæ damnationis pœnam inue-
niet, pro qua laborauit, quoniam quamuis inuitus ad
eam perueniat, nec licet malè operans pœnas in fi-
ne, sed gloriam concupiscat; quando tamen æternæ
præmia vitæ non est accepturus, pro qua non laborauit
pœnas capiat damnationis æternas: quisquis enim
sempiterni boni fiet expers perpetui compos mali ef-
ficitur. Qui sint autem, vel hæc, vel illa percepturi,
d.v.10. ille tantum nouit, *qui ducit vnumquodque ad termi-
nos suos:* Solus etenim singulorum terminos nouit,
qui cordis intentionem vniuscuiusque cognouit, atque
B quo sit in proposito mentis perseueraturus non igno-
rat. Isque *vnumquemque ad terminos suos perducit:* quia
illum singulis retributionis daturus est terminum, ad
quem mentis intentio suam direxit actionem. Sic ergo
verum esse conuincitur, quod sanctus Isidorus dicit
quia [quamuis iustorum conuersatio in hac vita pro-
babilis sit, incertum tamen hominibus esse ad quem
sint finem prædestinati, sed omnia reseruari futuro exa-
6. mini] Hinc etiam subiungens ait [mira dispositio est
supernæ distributionis per quam hic iustus ampliùs iu-
stificatur, impius ampliùs sordidatur, & quæ sequun-
tur.] Superiùs de fine singulorum superna prædestina-
tione disposito disputauit, nunc iam docere incipit,
quod tam electorum quam reproborum vita diuinæ di-
spositionis ordine dirigatur in huius curriculo tempo-
ris. Et quemadmodum singulorum actiones in hac vita
conditor disponat sempiterno prouidentiæ suæ con-
silio prædestinatum habet. Etsi enim actiones humanæ
nouæ sunt quia temporales, diuinæ tamen dispositio-
C nis consilium non est nouum: quia æternum: Ait
autem: [mira est itaque dispositio supernæ distribu-
tionis, per quam hic iustus amplius iustificatur, & im-
pius amplius sordidatur:] Vnde scribitur in Apocalypsi:
Apoc. 22.11. *Iustus iustificetur adhuc, & qui in sordibus est, sordescat
adhuc.* Malus ad bonum aliquando conuertitur, bo-
nus ad malum aliquando reflectitur. Et Apostolus, *er-
Ro.9.18. go enim vult Deus miseretur, & quem vult indurat.* [Vult
quis esse bonus, & non valet; vult alter esse malus, &
non permittitur interire.] Et Scriptura sancta dicit,
Eccl.7.14. *considera opera Domini, quia nemo potest corrigere quem
ille despexerit.*] Datur ei qui vult esse bonus, alius nec
7. vult, nec ei datur vt sit bonus.] Apostolus quoque,
Ro.9.21. *An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa fa-
cere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contu-
5. meliam:* [Ille nascitur in errore & moritur, ille in bo-
no quo cœpit vsque in finem perdurat] & de sapientia
Apoc.3.7. psallitur: *Qui aperit, & nemo claudit; claudit, & ne-
mo aperit.* [Tamdiu stat iste quo vsque cadat, ille diu
D malè viuendo in fine saluatur, respectusque conuerti-
9. tur: [Et Dominus per Moysen, *ego occidam & viuifi-
Deut.32.39. cabo, percutiam & ego saluabo, & non est qui de manu
10. mea possit eruere:* [Vult prodesse iustus in bono, nec
præualet: vult nocere malus & valet: iste vult Deo va-
care & sæculo impeditur, ille negotiis implicari cupit,
nec perficit: Dominatur malus bono, bonus damnatur
Eccl.10.5.6.7. pro impio, impius honoratur pro iusto.] Ecclesiastes
quoque: *Est malum, quod vidi sub sole quasi per errorem
Eccl.3.16. egrediens à facie principis: positum stultum in dignitate
1.Reg.2.6. sublimi, & diuites sedere deorsum; vidi seruos in equis,
& principes ambulantes quasi seruos super terram:* Item
*vidi sub sole in loco iudicij impietatem, & in loco iustitiæ
iniquitatem:* Annè quoque prophetia: *Dominus morti-
ficat & viuificat, deducit ad inferos & reducit: Dominus
pauperem facit & ditat, humiliat & sublimat:* Cumque
hæc omnia diuino fieri iudicio nemo Catholicorum du-
bitare debeat, causa cur ita gerantur soli Deo nota est,
quæ tamen non potest esse nisi iusta, est enim ab illo,

cuius dispositio non potest esse iniusta: Et quoniam hu- B
mana nequit scientia comprehendi, merito sic huius sen-
tentiæ finem beatus Isidorus terminat dicens. [Et in hac 11.
tanta obscuritate non valet homo diuinam perscrutari
dispositionem, & occultum prædestinationis perpen-
dere ordinem.] Ecce præfatus Doctor manifestè nos
docuit fines tam electorum, quam reproborum præde-
stinatos à Deo, & non solum fines, verum etiam quia
in bono quo cœpit vsque in finem perseueret, quisque
malum, quod cœpit vsque in vitæ terminum non re-
linquat, vel quis quovè tempore de malo ad bonum
conuertatur: Ceu quis quandoque de bono ad malum
reflectatur, diuinæ dicit prædestinationis ordine dispo-
ni. Nec solùm ista, verum etiam cursum vitæ humanæ
diuinæ legis moderatione testatur contineri; Cuius
quoque dictis sacrarum paginas scripturarum cerni-
mus attestari. Quæ cum ita sint negare geminam for-
te prædestinationem nescio qua fronte possimus. Quòd
si quis auctoris huius sententiam repudiat, videat F
quemadmodum Scripturæ sanctæ contradicat, cuius
testimonia condemnare huius doctoris sensibus omni-
no cognoscimus. Nisi fortè dicat aliquis à Deo mun-
dum non regi: Quod quia Catholicorum nemo nega-
re præsumit, claret quia diuina dispositione non solum
præsentia, verùm etiam præterita reguntur, & futura.
Quod cum ita sit nullus fidelium dubitat in Deo ni-
hil mutabile, nihilque variabile fieri: quod cum cer-
tissime credatur, sequitur, vti nec nouum consilium
nec nouam dispositionem, nec nouum apud Deum or-
dinem esse sentiamus. Quare sequitur, vt vniuersa,
quæ per varia temporum curricula iudicat Deus, aut
disponit aut ordinat in creatura sua, semper in æter-
nitate consilij sui, sic iudicata, disposita, ordinata
fuerunt, quemadmodum in temporibus ab ipso iudi-
cantur, disponuntur, ordinantur. Finis autem tam
malorum, quam bonorum ad diuinam respicit dispo-
sitionem: humanæ quoque cursus vitæ diuinæ dispo-
sitionis iudicium nequaquam fugit: vtraque igitur sem- G
piterni dispositione consilij prædestinata sunt. Cum-
que non idem, verum distinctus sit finis electorum, seu
reproborum, quemadmodum etiam vitæ cursus eo-
rum, sequitur, vt diuinæ prædestinationis ordo, quo
finis bonorum malorumque dirimitur, non idem
sit, sed diuersus. Quemadmodum doctoris istius sen-
tentia docemur dicentis: gemina est prædestinatio &
cætera. Satis igitur doctorum auctoritate Catholicorum
instructi sumus geminam esse prædestinationem. Ve-
rum ne ista fortassis alicui minus sufficiant, adda-
mus etiam aliquid ex libris istius ipsius auctoris, quos
nosse cupientibus satisfiat, & acquiescere nolentes te-
stimoniorum copia superentur. In libro itaque differen- Isidorus differ. l.2. diff. 37.11.1.
tiarum, dum diuinæ gratiæ infusionem ab humani di-
stingueret arbitrij libertate, sic ait. [Inter gratiæ diuinæ
infusionem, & humani arbitrij voluntatem hoc in-
terest, arbitrium est voluntas liberæ potestatis, quæ
per se spontè vel bona vel mala appetere potest: Gratia
autem est diuinæ misericordiæ gratuitum donum, per H
quod & bonæ voluntatis initium, & operis promeremur
effectum. Diuina quippe gratia præuenitur homo vt bo- 2.
nus sit, nec humanum arbitrium Dei gratiam antecedit,
sed ipsa gratia Dei nolentem hominem præuenit, vt
etiam benè vellet. Nam pondere carnis homo sic agitur, 3.
vt sit ad peccatum facilis, ad pœnitendum tardus, habet
de se vndè corruat, & non habet vnde surgat, nisi gratia
conditoris, vt erigatur, manum iacenti extendat. Deni- 4.
que homini per Dei gratiam liberum restauratur arbi-
trium, quod primus homo perdiderat, nam ille habuit
inchoandi boni liberum arbitrium, quod tamen Dei
adiutorio perficeretur: Nos verò & inchoationem li-
beri arbitrij, & perfectionem de Dei sumimus gra-
tia, quia & incipere & perficere bonum de ipso habe-
mus, à quo & gratiæ donum datum, & liberum arbi-
trium in nobis est restauratum. Dei ergo est bonum, 5.
quod agimus, propter gratiam præuenientem, & sub-
sequentem: Nostrum propter obsequentem liberi

arbitrij voluntatem. Nam si Dei non est cur illi gratias agimus? Et si nostrum non est, cur retributionem bonorum operum expectamus? Proinde ergo in eo quod gratia Dei præuenimur, Dei est: In eo vero quod ad bene operandum præuenientem gratiam sequimur, nostrum est. Nemo autem Domini gratiam meritis antecedit, vt tenere eum quasi debitorem possit: Sed miro modo æquus omnibus conditor, alios prædestinando prælegit, alios verò in suis prauis moribus iusto iudicio dereliquit. Vnde verissimum est gratiæ munus non ex humana virtute, vel ex merito arbitrij consequi, sed sola diuinæ pietatis bonitate largiri. Quidam enim gratissimæ misericordiæ eius præuenientis dono saluantur, effecti *Vasa misericordiæ*, quidam verò reprobati, ad pœnamque prædestinati damnantur effecti *Vasa iræ*, quod exemplo de *Esau & Iacob* necdum natis colligitur, qui dum essent vna conceptione vel partu editi, parique nexu originalis peccati adstricti, alterum tamen eorum ad se misericordiæ diuinæ præueniens bonitas gratuita gratia traxit; alterum quadam iustitiæ seueritate odio habitum in massa perditionis relictum damnauit. Sicut & per Prophetam idem Dominus loquitur dicens, *Iacob dilexi, Esau autem odio habui.* Vnde consequens est nullis præuenientibus meritis conferri gratiam, sed sola vocatione diuina? Neque quemquam saluari siue damnari, eligi vel reprobari, nisi ex proposito prædestinantis Dei, qui iustus est in reprobatis, misericors in electis: *Vniuersa via Domini misericordia & veritas.* Omne autem donum gratiæ non omnibus ad integrum datur, sed singulis dona singula diuiduntur scilicet, vt quasi corporis membra singula officia habeant, * & alter indulgeat alteri, quod non habet alter. Proinde omnium fiant communia dum fiunt sibimet membra inuicem necessaria.] Totius Capituli textum ponere libuit, ne quis nobis calumniam intorqueret, si partem excerpere, partem verò voluissemus omittere, tanquam corrumpentibus auctorum sententias, & ad nostræ seriem adinuentionis detorquentibus. Cuius quoque calumniæ denotationem vitare volentes supra positorum sententias auctorum, Augustini videlicet, & reliquorum longiori circulo, ac penè superfluo annotare maluimus; delegentes potiùs superflui de loquacitate videri, quam reprehensionis crimen de sententiarum violatione contrahere. Si quis tamen huius sententiæ voluerit diligentius verba sensumque perpendere, fortassis ad præsentis causam negotij nihil in ea superfluum nos posuisse iudicabit. Commendatur enim in ea quid humano arbitrio, quid diuinæ gratiæ debeamus assignare, quodque eiusdem gratiæ donum non hominis merito, verùm superni muneris benignitate conferatur, cuique largiatur, cuique negetur, diuini moderaminis sit æquitate dispositum. Sic ergo commendans causam, quâ vel electi iustificantur, vel reprobi deseruntur: prædestinationis ordinem docet esse diuersum, non simplicem; vt autem quæ diximus manifestata fiant, totius texti capitulum breuiter expendamus. [Inter gratiæ, (inquit) diuinæ infusionem, & humani arbitrij voluntatem hoc interest. Arbitrium est voluntas liberæ potestatis, quæ per se sponte, vel bona vel mala appetere potest: Gratia autem est diuinæ misericordiæ gratuitum donum, per quod & bonæ voluntatis initium, & operis promeremur effectum.] Hæc dicens insinuat, quod liberi sit arbitrij, vt propriæ voluntatis intentionem, vel ad bona eligenda, vel ad mala reprobanda dirigat, vt autem vel bonæ voluntatis exordium, vel rectæ operationis obtineat effectum, non suis viribus, verum cœlestis gratiæ dono consequatur. Nam quod bonæ voluntatis inchoationem habere nequeamus, nisi superni gratia largitoris, Apostolus testis est, qui ait: *Quid habes quod non accepisti.* Si ergo nil habemus, nisi quod superno concessum munere nobis fuerit, nec bonæ voluntatis quantulumcunque valemus adipisci arbitrij viribus humani, si non diuini muneris de fonte nobis emanauerit: Quod autem aliquid boni sine diuina gratia nequeamus efficere, ipsius ore veritatis E instruimur, ita loquentis: *Sine me nihil potestis facere.* Ioan.15. 5. Iam verò, quod diuina gratia præueniamur, & ad bene volendum, & ad rectè agendum sequenti. Beatus Isidorus lectione testatur dicens. [Diuina quippe gratia præuenitur homo, vt bonus sit, nec humanum 2. arbitrium Dei gratiam antecedit, sed ipsa gratia Dei nolentem hominem præuenit, vt etiam benè vellet.] Cum enim malus esset, arbitrij sui voluntatem ad malum committendo diuina clementer eum gratia respexit, & voluntatis bonæ principium inspirando, desiderium malitiæ ad bonitatis amorem conuertit, vt qui malus fuerat diligendo, agendoque malum, bonus fieret amando, gerendoque bonum. Hanc præuenrionis gratiam commendans scriptura dicit, *Quis prior dedit ei, & retribuetur illi! quoniam ex ipso, & per* Rom.11. v.35.36. *ipsum, & in ipso sunt omnia:* annectitur autem causa, quæ vires hominis ad benè agendum efficit imbecillas, nisi diuini muneris fuerit auxilio roboratus: dicit ita- F que. 3. [Nam pondere carnis homo sic agitur, vt sit ad peccandum facilis, ad pœnitendum tardus: habet de se vnde corruat, & non habet vnde surgat, nisi gratia conditoris, vt erigatur, manum iacenti porrigat.] Pontus itaque carnis quid est, nisi corruptela peccati? hanc itaque corruptelam incidit, quando post ligni vetiti gustum aperti sunt ei oculi, & nuditatis suæ squalorem aspexit, apertio denique illa oculorum, concupiscentia carnalium extitit passionum, & inde se nudum obstupuit, quo se virtutum veste spoliatum erubuit: nec iam in calore superni amoris consistens, verum ad carnalis concupiscentiæ desiderium corruens, diuinæ visitationis alloquium ad auram audit post meridiem. Hoc itaque pondere peccati videlicet concupiscentia carnalium passionum agitur homo, vt sit ad peccandum facilis, ad pænitendum autem tardus: quia ex quo cordis oculos ad delectationem peccati aperuit, ex eo clausos ad amorem iustitiæ tenuit, & postquam virtutis vestem amisit, infirmitatis nuditatem G accepit. Qua de re cum per cordis cæcitatem nequit bonum conspicere, per infirmitatis autem debilitatem, quæ recta sunt non valet operari, constat profectò iuxta sancti huius sententiam: Quod mortalitas nostra habet de se vnde corruat, & non habet vnde surgat. Et bene de se quod infirmitatis est homo habere dicitur: quoniam & cæcitatis damnum, & infirmitatis penuriam de se suscepit, quando superni luminis præsidium, quo sapientiæ lumen, & salutis virtutem consequebatur, per inobedientiam superbus amisit: neque suis viribus adipisci iam valet, quod culpæ suæ meritis perdidit, nisi gratia, conditoris misericordiæ suæ manu, & cordis cœcitatem remoueat, & virtutis incolumitatem tribuat, quatenus ei iustitiæ lumen refulgeat, & ei quam cernit, iustitiæ per virtutis gressum inhærere possit. Quod autem protoplasto liberi vires arbitrij successerint ante transgressionis ruinam, insinuat cum subiungit. 4. H [Denique homini per Dei gratiam liberum restauratur arbitrium, quod primus homo perdiderat: Nam ille habuit boni inchoandi liberum arbitrium, quod tamen Dei adiutorio perficeretur: nos verò & inchoationem liberi arbitrij, & perfectionem de Dei sumimus gratia; quia & incipere, & perficere bonum de ipso habemus, à quo & gratiæ donum datum, & liberum arbitrium in nobis est restauratum.] Docemur itaque ante diuinæ gratiæ perceptionem longe nos iacere infra primi hominis conditionem. Ille denique talis conditus fuerat, vt liberi arbitrij potestate iustitiæ bonum, & velle posset, & operari; nos vero caremus vtroque: Nec enim vel velle, vel facere bonum adiacet nobis, nisi diuini muneris largitate fuerit præstitum. Manemus itaque in eiusdem sorte conditionis, in quam lapsus ille decidit post transgressionem: vt enim illi priùs quàm peccasset, & inchoatio, & consummatio boni per liberi facultatem patebat arbitrij: Ita post delicti reatum,

A ſtæ incipere , nec perficere bonum illi poſſibile
manſit. Infirmitatis ſiquidem propriæ culpa preme-
batur ad Ipſum , qui noluit rectitudinis ſtatum ſeruare
ante reatum. Nos quoque illius de radice germinis pro-
pagati, cum delicti contagio traximus infirmitatis con-
ditionem , vt nec bonum inchoare per voluntatis bo-
næ poſſimus deſiderium , nec illud exequi per ſanctæ
deuotionis obſequium. Qua de re , vt ad vtrumque
reddamur idonei , liberi vires arbitrij , quas in parente
primo perdidimus , diuini muneris gratia nobis reſti-
tuuntur , vt & incipere , & perficere bonum per Dei
gratiam iam valeamus , qui prius inefficaces per infir-
mitatis debilitatem ad iſta reddebamur : vnde bonum
quod agimus , noſtrum pariter diuinique muneris eſſe
ſubſequenter erudimur. Dicit itaque [Dei ergo eſt bo-
num quod agimus propter gratiam præuenientem , &
5. ſubſequentem : Noſtrum autem propter obſequentem
liberi arbitrij facultatem. Nam ſi Dei non eſt , cur
B illi gratias agimus ? & ſi noſtrum non eſt , cur retribu-
tionem bonorum operum expectamus ?] Claret itaque
bonum quod agunt ſancti , nec ſic diuinæ gratiæ de-
putari , vt liberi arbitrij facultas auferatur , aut ſic
libero deputandum arbitrio , vt diuinæ gratiæ mu-
nus abdicemus , quorum alterum humani laboris me-
ritum tollit , alterum autem gratiæ donum denegat,
vtrumque blaſphemum , vtrumque catholico do-
gmati claret eſſe contrarium. Quapropter vt & di-
uinæ gratiæ munus confiteamur , & humani meriti præ-
mium non negemus ſecundum doctoris huius eruditio-
nem bonum , quod gerimus , & Dei eſſe dicamus , &
noſtrum ; Dei propter gratiam præuenientem & ſub-
ſequentem. Noſtrum propter arbitrij libertatem obſe-
6. quentem. Proinde igitur ſicut idem doctor ait. [In eo
quod gratia præuenimur Dei eſt : in eo verò , quod ad
benè operandum præuenientem gratiam ſequimur , no-
ſtrum eſt : Nemo autem Dei gratiam meritis antecedit
C vt tenere eum quaſi debitorem poſſit.] Si nemo Domi-
ni gratiam antecedit, nec in aliquo bono quiſquam ope-
re debitorem eum tenere poteſt , ſequitur vt omne
opus bonum , & omnis recta voluntas Dei gratia præ-
ueniente conferantur homini : quæ ſi Dei gratia tri-
buuntur , conſtat omnes malos eſſe antequam gra-
tiæ dono corrigantur : ſi autem omnes ſunt mali ante-
quam gratia præueniente de malis boni efficiantur,
nullus eſt bonus , niſi quem gratia fecerit bonum. Et
ſi nullus bonus eſt , niſi quem bonum gratia præſtat,
vt aliquis bonus fit gratia præuenitur : vt autem ali-
quis non bonus efficiatur , eadem gratia deſeritur , qui-
bus autem donum gratiæ tribuat , & quibus abſcondat
7. in illius eſt iudicio , cuius & donum. Vnde & ſequitur
[Sed miro modo æquus omnibus conditor, alios præ-
deſtinando prælegit , alios verò in ſuis prauis mori-
bus iuſto iudicio derelinquit.] Hæc eſt igitur gemina
prædeſtinatio superni iudicij librata diſcrimine , vide-
licet vt eis gratiæ munus diuinitùs largiatur , quos
D æternitatis ſuæ conſilio cœleſtis auctor ad hoc di-
ſpoſuit. Eis verò muneris huius donum abſcondat ,
quos diſpoſitio superni iudicis in ſuis relinquere pra-
uitatibus decreuit. Etenim dum vnuſquiſque (ſicut
ſuperiora teſtantur) non ſui merito, ſed diuina gratia ad
bonum de malo conuertitur , ille tantummodo gratia
præuenitur , quem cœleſte iudicium ſtatuit præuenien-
dum. Ille verò huius exortis gratiæ deſeritur , quem
8. ſupernus arbiter decreuit non præueniendum. Hinc
quoque ſubiungitur. [Vnde veriſſimum eſt gratiæ
munus non ex humana virtute , vel ex merito arbi-
trij , ſed ſolius diuinæ bonitatis pietate largiri.] Ete-
nim cum conſtet omne genus humanum in radice ſuæ
originis fuiſſe damnatum ſicut omnes ab vno parente
naſcimur , ſic omnes in vno homine mortis ſententia
mulctati ſumus : qui verò ab ea liberantur , diuinæ pie-
tatis bonitate liberantur ; qui autem ab ea non libe-
rantur , in ea qua damnati ſunt ſententia dimittuntur.
Nec habent non liberati quod de damnationis ſuæ
pœna querantur : quoniam hoc eis redditur , quod
iuſtè merentur. Habent verò liberati vnde gratias re- E
ptori ſuo ſoluant , quoniam ſimilis & hos pœna con-
tineret , ſi diuinæ pietatis bonitas eis non ſubueniſſet.
Ergo cui gratiæ munus impertiatur , & cui non tribua-
tur diuinæ diſpoſitionis iudicio ponderatur. Quapro-
pter apparet geminæ prædeſtinationis eſſe cenſuram,
quoniam alter eorum ordo eſt , qui per gratiam libe-
rantur , & alter eorum qui ſub damnationis ſuæ ſen-
tentia deſeruntur. Sequitur autem. [Quidam enim gra-
tiſſimæ miſericordiæ eius præuenientis auxilio ſaluan-
tur effecti *vaſa miſericordiæ* : Quidam vero reprobi ad
pœnam prædeſtinati damnantur effecti *vaſa iræ* :]
Qui ſaluantur gratiæ dono ſaluantur ; qui autem à ſa-
lute remanent alieni , non fuere de numero ad ſalu-
tem prædeſtinatorum. Illi denique diuini muneris di-
gnatione ſunt facti *vaſa miſericordiæ*, Iſti verò ſenten-
tia iuſtæ damnationis effecti *vaſa iræ* : vtrique itaque
prædeſtinati ; quia & illi , qui ſalute digni efficiuntur , F
ex prædeſtinationis propoſito *vaſa miſericordiæ* effe-
cti ſunt , & iſti , qui ſalute redduntur indigni , ſimili-
ter ex prædeſtinationis propoſito effecti ſunt *vaſa iræ*.
Siquidem ſicut propoſuit diuina cenſura , quos gratiæ
ſuæ dono iuſtificaret , ſic quoque propoſuit quos ab
huius gratiæ munere vacuos relinqueret : Cuius præ-
deſtinationis geminum doctor iſte commendans pro-
poſitum , de electorum ſalute ſic intulit : [Quidam
enim gratiſſimo miſericordiæ eius præuenientis auxi-
lio ſaluantur effecti *vaſa miſericordiæ* : Ecce vnius præ-
deſtinationis propoſitum , quod commendans Apoſto-
lus ait : *quos præſciuit , hos & prædeſtinauit*. At verò Rom. 8. 29.
de reproborum damnatione doctor Iſidorus ita dicit.
Quidam vero reprobati ad pœnam prædeſtinati damnā-
tur effecti *vaſa iræ* , nihilominus aliud oſtendens præ-
deſtinationis propoſitum. Doctoris ergo iſtius inſtitu-
tione cognoſcimus manifeſtè geminam prædeſtinatio-
nem , quam etiam ſub exemplo duorum geminorum
confirmans ſubintulit. [Quod *de Eſau & Iacob* nec- G
dum natis colligitur , qui dum eſſent vna conceptione Ro. 9. 10.
& partu editi , parique nexu peccati originalis adſtri-
cti , alterum tamen eorum ad ſe miſericordiæ diui-
næ præueniens bonitas gratuita gratia traxit , alterum
quadam iuſtitiæ ſeueritate odio habitum in maſſa per-
ditionis relictum damnauit : ſic & per Prophetam
idem Dominus loquitur dicens. *Iacob dilexi Eſau au-* Mal. 1. 2.
tem odio habui.] Oſtendit itaque doctor Catholicus
vtrumque fratrem pari lege naſcendi ; ſimili condi-
tione peccati fuiſſe deuinctos , alterum eorum cœle-
ſtis gratiæ munere ſaluatum , alterum verò iuſtitiæ ſe-
ueritate in maſſa perditionis derelictum , alterum Deo
dilectum fuiſſe, alterum autem à dilectionis gratiā pro-
cul repulſum : Nec tamen aliquid aut hunc , aut il-
lum egiſſe , vnde vel ille diligi , vel hic odio haberi
meruiſſet. Sed in vtroque diuinæ diſpoſitionis iudi-
cium diuerſam meritorum ſortem exhibuit , vt Iacob
videlicet eligeret , Eſau vero reprobaret. Quod de duo-
bus geminis diuina auctoritate docemur Deum feciſſe H
hoc quoque de vniuerſo generis humani corpore di-
uinam agere diſpoſitionem dubitare nequaquam de-
bemus : Neque enim diſpenſationis ſuæ gubernatio-
nem , qua mundum regit vniuerſum , intra duorum
hominum anguſtias coarctauit : Verùm in paucis nos
erudire cœleſtis prudentia voluit , quid de vniuerſis
ſentire debemus. Vnde cœleſte oraculum matri in
vtero habenti , & ſuper eiſdem paruulis ſciſcitanti
ait : *Duæ gentes in vtero tuo ſunt , & duo populi ex* Gen. 25. 23.
vtero tuo egredientur , id eſt figura ſiue prophetia duo-
rum populorum : neque enim illi duo populi poterant
appellari , ſed appellati ſunt nomine , quod gerebant
myſterio ; videlicet dicti ſunt duo populi , quoniam to-
tius humani generis figuram gerebant , in duas ſor-
tes tanquam in duos populos diſtribui , vnam vide-
licet electorum , quæ ſub Iacob , alteram reprobo-
rum quæ ſub Eſau ſpecie figurabatur. Qui duo populi
duabus quoque ciuitatibus per ſanctarum paginas
ſcripturarum Hieroſalem videlicet , ab Babylon ſigni-

A ficantur. Igitur quemadmodum duorum geminorum videmus, alterum quidem electionis gratia dilectum alterum verò seueritate iustitiæ odio habitum: Sic nimirum intelligendum est electionis populum gratia diuina saluatum, reproborum autem multitudinem cœlestis iustitiæ seueritate damnaram: Atque in diuinæ dispositionis iudicio definitum quem gratia saluet, aut quem iustitia damnet. Hinc quoque bea-
11. tus Isidorus infert. (Vnde consequens est nullis præuenientibus meritis conferri gratiam, sed sola vocatione diuina, neque quemquam saluari siue damnari, nisi ex proposito prædestinantis Dei, qui iu-
Ps.24.10. stus est in reprobatis, misericors in electis: *Vniuersæ viæ Domini misericordia, & veritas.*] Si enim Iacob iustificatus quidem est, nullis tamen præcedentibus meritis, sed sola vocatione diuina, consequens est, vt omnes electi nullis præcedentibus, sed sola vocatione diuina iustificentur, vt quod in vno accepimus fa-
B ctum, hoc in vniuerso electorum numero cognoscamus agi: Dumque dicit vnumquemque saluari siue reprobari, eligi vel reprobari ex proposito prædestinantis Dei, docet manifestè geminæ prædestinationis arcanum. Neque enim noui conceptione consilij, aut hunc saluat, illum damnat, aut hunc eligit, illum reprobat; Verùm ita de singulis per temporum momenta decernit; sicut in æternitatis suæ consilio ante omnia tem-
LXX. Isa.45.11. pora prædestinauit, sicut & de eo scriptura dicit: *Qui fecit quæ futura sunt*: Id est omnia quæ diuersitate labentium temporum à Domino fiunt, in prædestinatione diuinitatis facta semper fuerunt. Habent quidem opera Dei secundum status sui creationem noua principia, verum secundùm creatoris dispositionem nunquam esse cessarunt; vt quanquam in substantiæ suæ specie ex tempore cœpissent existere, nunquam tamen æterna sapientia temporalem sumpserunt inchoationem: Et quia bonorum electio, malorumque reprobatio, in diuinæ consistit dispositionis consilio, sicut vniuer-
C sa priusquam fiant facta sunt à Deo, sic nimirum & hæc quemadmodum in efficentia per singulos temporaliter actitantur, apud Dominum semper effecta manserunt. Quis namque ad electionis gratiam ex tempore fuerit assumendus semper in diuinæ sapientiæ dispositione mansit assumptus: quisque verò ab hac salutari gratia reprobus ad damnationis pertinet sortem, semper in diuinæ dispositionis iudicio reprobus extitit: Ita quisquis æternæ beatitudinis hæreditatem est accepturus, semper eam in diuinæ prædestinationis arcano possedit: Et quisquis æternarum pœnas flammarum est sortiturus, in cœlestis iudicij prædestinatione semper ad eas extitit deputatus: Et sicut æternitatis consilium nunquam valet infirmari: Sic omnis electorum numerus saluabitur, neque eorum aliquis poterit perire: Sic quoque vniuersus reproborum cœtus damnabitur, nec quisquam eorum salutis æternæ particeps efficietur. Hæc est igitur geminæ prædestinationis dispositio, quam beatus Isidorus manifesta satis Catho-
D licaque ratione commendat: Nemo tamen dicat idcirco reprobos ad peccatum prædestinatos, quia prædestinati sunt ad pœnas: Ea namque quæ facturus est Deus prædestinauit, non illa quæ puniturus: facturus quidem est iudicium: Electis vitam: reprobis verò pœnas est redditurus: Hæc quemadmodum in operis exhibitione facienda sunt, sic iam in æterna dispositione facta sunt: quoniam apud Deum, nec nouum consilium, nec noua dispositio, nec noua ratio potest esse: Nihil enim accidens Deo est: At verò peccati sicut Deus auctor non est, sic quoque nec prædestinator: non enim quod malum est ab illo potest oriri, qui summum bonum existit: Peccatum autem malum esse quis ignorat? Non igitur à Deo qui summè bonus est descendit: Vnde quod non pertinet ad eius operationem, non respicit ad illius prædestinationem. Homo autem bonus malusve sit, diuini est operis: Non quidem quod malus est. Bonum enim illum Deus fecit. Sed quod omnis creatura opus est Dei. Quapropter

E bonus sit, malus sit homo, disponitur à Deo: Et quid de singulis vel in præsenti vita, vel in futuro iudicio fiat, suæ prædestinationis consilio definitum tenet. Prædestinauit igitur Deus hominem ad illud, quod facturus est de eo, non ad illud, quod puniturus fuerat in eo. Æstimamus quod non paucis Ecclesiasticorum doctorum sententiis monstratum sit malos ad pœnam prædestinatos, non tamen ad peccatum: Siquidem ex eo quod præsciuit Deus eos peccatores futuros & in suis peccatis perseueraturos, prædestinauit, id est, præordinauit eos ad supplicium, quæ tamen præordinatio, siue prædestinatio non eos necessitate quadam constringit, vel impellit ad pœnam: quamuis necesse sit fieri, quod Deus prædestinauit, nec possit mutari, quod disposuit, nec aliter contingat, quam ordinauit. Cùm enim omnia nouit, & nihil eum possit latere, disponit de omnibus secundum voluntatis suæ consilium iu-
F sto iudicio, quamuis mortalibus absconso: vt autem vnusquisque ad pœnas deputetur sempiternas, non est ex iniquitate iudicantis, sed ex iustitia decernentis. Tales enim nouit eos quos ad pœnas disposuit, vt digni essent, de quibus sic disponeretur: propria enim voluntate deliquerunt, & cognoscentes viam veritatis, noluerunt sequi: elegerunt enim iniquitatem, & hanc sequuti sunt; & quia veritatem respuerunt, meritò eos debita pœna comprehendet: quoniam vero non possunt latere Deum omnia comprehendentem, præterita & futura, tanquam præsentia contuentem, qui nouit opera ipsorum, disposuit & debitum iudicium de operibus eorum: non tamèn ex eo quod apud se dispositum est, iudicat aliquem; sed ex eo, quod vnusquisque operatur: Et quamuis in occultis Dei iudiciis singulorum vel merita vel pœnæ maneant, tunc iudicatur vnusquisque quando vel pro benè gestis recepturus est præmium, vel pro prauis operibus tormentum. Sicut enim Dei præscientia neminem compellit ad peccatum ita & occulta secretorum eius (in quibus quæcumque
G facturus est iam prædestinauit) neminem condemnant neminem remunerant. Sed vnusquisque proprio actu vel remuneratur, vel condemnatur: Et licet hæc supra dicta satis doceant doctorum testimonia, nullum ad peccatum prædestinatum, cùm tamen constet reprobos ad pœnam prædestinatos, conabimur tamen id manifestius approbare; quamuis supra positi doctores satis manifestè id doceant, qui dicunt Deum ad peccatum neminem prædestinasse: Quandoquidem illa prædestinauerit, quæ sit ipse facturus, id est opera sua in æter-
LXX. Isa.45.11. nitatis consilio disposuerit, de quo scribitur, quod *fecerit ea quæ facturus est*, id est quæ per interualla temporum à Deo facienda sunt, in prædestinationis consilio iam facta sunt: At vero peccata quia non sunt a Deo, id est, non sunt opus Dei, sed rationalis creaturæ à Deo apostatantis; non sunt in prædestinatione Dei: Damnator est enim eorum, non auctor; quorum autem auctor non est, nec prædestinator est. Porrò quoniam electos suos immortalitatis gloria est muneraturus, & re-
H probos æterna pœna puniturus, hæc prædestinauit, id est & præmia quæ donaturus est sanctis, & supplicia quæ pro prauis operibus redditurus est impiis. Siquidem pœnæ, quas subituri sunt reprobi, quamuis illis videantur malæ, qui torquentur; bonæ tamen sunt quia iu-
August. l.1.retr. cap.9. stæ, & omne quod iustum est bonum est. Hinc beatus Augustinus in libri retractationum: Malorum, inquit, pœna, quæ à Deo est, malum est quidem malis, sed in bonis Dei operibus est; quoniam iustum est, vt mali puniantur, & vtique bonum est omne, quod iustum est.] Sunt igitur supplicia pœnarum, quæ mali Deo iudicante subeunt opera Dei & propterea prædestinata, non autem peccata inter opera Dei reputanda, ac per hoc nec prædestinata sunt à Deo, nec qui peccant ex prædestinatione peccant; sed propria concupiscentia abstracti & illecti. Et quidem mali ad pœnas cum sint prædestinati, non tamen prædestinati sunt ad peccatum, suprà nominatorum doctorum sententiis satis patefactum est. Vt verò clariùs hoc eliquescat, placet ex hoc adhuc

aliquid

A

Nec præscientia compellit ad peccatũ, nec prædestinatio ad pœnam, VI. exemplis probatur.

aliquid disputare. Sed quoniam nonnulli fortassis cùm audiunt iniquos ad pœnam prædestinatos, arbitrantur quadã necessitate ad eam trahi, nec ab hac necessitate aliquo modo posse mutari, non inconueniens nobis videtur manifestius id patefieri, vt & prædestinatio malorum ad pœnam doceatur, nec tamen ideo ad eam perueniant, quia prædestinati sunt, sed causa perueniendi ex culpa sit delinquentis, non ex necessitate prædestinantis. Sicut enim iniqui, quia prædestinati sunt ad pœnam, non idcircò prædestinati sunt ad peccatum: vnusquisque enim propria concupiscentiâ victus trahitur ad peccandum: ita & qui peccant, propterea quia peccatores præsciti sunt, nec pro peccatis pœnitentiam gessori, idcircò ad pœnam prædestinati sunt. Quod ex subiectis forsitan, clarius elucescet.

De Lucifero.

Scriptura sacra docente cognouimus, quod is qui nunc perditorum princeps est Angelorum à principio in paradiso Dei positus, inter cœlestis militiæ principatus plenus sapientia, & perfectus decore constiterit, iuxta quod Propheta de eo loquitur dicens.

B

Ezech. 28.12.

Tu signaculum similitudinis plenus sapientia, & perfectus decore, in delicijs paradisi Dei fuisti, omnis lapis pretiosus operimentum tuum.] Nunquid enim in conditionis suæ principio talis in paradiso manebat, qualem prophetalis sermo describit, Deus qui omnia nouit priusquam fiant, eum propter superbiam ab hac beatitudine casurum nesciebat? Aut scientia Dei compulit eum ad ruinam? Non vtique, sed quæ res impulerit eum ad ruinam sacra lectio non tacet, quæ dicit:

v.14.

In medio lapidum ignitorũ ambulasti perfectus in vijs tuis à die conditionis tuæ, donec inuenta est iniquitas in te: In multitudine negotiationis tuæ repleta sunt interiora tua iniquitate, & peccasti.] Ecce vnde cecidit. Non enim ideo conditus est vt caderet, nec idcirco cœlestibus prælatus agminibus, vt superbiret; nec propterea perfectus in vijs suis est à die conditionis suæ, vt ad iniquitatem declinaret, & aduersùs sui conditoris benignitatem superbia tumidus extolleretur.

C

Ille tamen qui nouit omnia, & cui nihil est præteritum, nihilque futurum, sed vniuersa præsenti contemplatur intuitu, nouerat illum ita casurum; nec tunc tantùm nouit quando cecidit, aut quando interiora sua repleuit iniquitate, sed antequam illum crearet, hæc cognoscebat; nec tamen cognitio Dei compulit eum ad ruinam, sed iniquitas eius. Deinde sermo prophetalis prosequitur,

v.16.

Et eieci te de monte Dei, & perdidi te ò Cherub protegens de medio lapidum ignitorum.] Causa quoque eiectionis, & perditionis eius subnectitur.

v.17.

Eleuatum est cor tuum in decore tuo, perdidisti sapientiam tuam in decore tuo. Id est non ego te ad perditionem compuli, sed tu tibi causa perditionis fuisti, qui propter superbiam aduersùs auctorem intumuisti, & sapientiam, quam tibi tribui perdidisti; dum per eam noluisti timore sancto subditus fieri conditori: Sed considerans celsitudinis tuæ gloriam, vnde subiectus esse despexisti, inde celsitudinem amisisti, atque ideico,

d.v 17. v.18.

in terram proieci te, ante faciem Regum dedi te: In multitudine iniquitatum tuarum, & iniquitate negotiationis tuæ polluisti sanctificationem tuam.

D

Producam ergo ignem de medio tui, qui comedat te, & dabo te in cinerem super terram in conspectu omnium videntium te. Omnes qui viderunt te in gentibus, obstupescent super te. Nihil factus es, & non eris in perpetuum:]

v.19.

Ecce pœna superbientis Angeli, vt de paradiso in terram proiectus sit, & pro sanctificatione pollutionem commutauerit, pro decore cinerem, pro sapientiæ lumine combustionis ignem, vt ad nihilum redactus nihil sit in perpetuum. Audiuimus enim quia post præuaricationem superbientis Angeli, data sit vltionis sententia, sed nunquid postquam Angelus peccauit, tunc primùm cogitauit omnipotens quam inferret ei pœnam peccanti: Si hoc est, non erit verum, quod ait Apostolus, quod

Iac 1. v.17.

apud Deum nulla sit commutatio, nec vicissitudinis obumbratio. Vbi namque cogitatio, quæ priùs non erat oritur, prior mentis status commutatur. Nec potest de vno ad alterum non transferri animus, quem cogitationis varietas confundit: Sed talia sentire de incommutabili summa impietas est. Quapropter quia nulla commutatio apud Deum est, nulla est noua cogitatio, & si nulla noua cogitatio, nullum nouum consilium, si nullum nouum consilium nulla noua definitio, nullum nouum iudicium.

E

Et quidem iudicia Dei tunc noua videntur, quando ab intima dispositione secreti foras procedunt, sed in æternitatis consilio nunquam sunt noua, quia quæcunque per interualla temporum à Deo nouiter fiunt, in diuinitatis æternitate semper facta fuerunt. Quapropter etsi culpam superbientis Angeli post transgressionem vindicta secuta est, in diuinitatis tamen cognitione semper fuit, quoniam sicut antequam peccaret, sciuit Deus eum peccaturum, ita quoque pœnam, quam peccanti redditurus erat, in æternitatis consilio definitam semper habuit. Sed sicut præscientia Dei non compulit diabolum ad præuaricationem, sic nec præordinatio pœnæ traxit eum ad ruinam.

De Ad. & Eua.

Bonus enim conditus, suo vitio malus factus est, & malitiæ reatum vltrix pœna comprehendit. Primi quoque parentes humani generis sine contagio peccati ante serpentis colloquium in paradiso degebant: Nunquid verò Deus antequam peccarent peccaturos nesciebat; Nec tamen hæc

F

Dei præscientia illos compulit ad peccatum, sed causa peccati fuit eis astuti hostis callida persuasio, & diuini præcepti præuaricatio: Non enim ideo peccauerunt, quia præsciuit Deus eos peccaturos, sed ideo quia dati præcepti neglexerunt esse seruatores, & præuaricationis reatum præsens pœna subsecuta est, vt inobedientiæ culpa mortis sententia plecteretur. Non tunc tamen primùm, quando peccauit homo, excogitauit Deus, qua delinquentem vltione feriret, neque tunc quando dans obedientiæ præceptum, simul & vltionem comminatus est dicens,

Gen. 2. v.17.

In quacunque die comederitis ex eo, Id est de ligno experientiæ boni & mali, *morte moriemini.* Sed sicut eius scientiæ nihil noui potest contingere, ita nec iudicio. Vt enim sciuit à principio hominem peccaturum; sic & à principio nouit quemadmodum peccantem puniret, quoniam apud Deum, sicut non est noua cogitatio, sic nec nouum consilium, & sicut non nouum consilium,

G

ita nec nouum iudicium. Apud quem enim nulla est commutatio, nulla vicissitudo, vniformis est sapientia, & sempiterna deliberatio; qua de re sicut antequam peccaret homo, nouerat eum peccaturum; sic antequam puniret illum, decreuerat pœnam, qua fuerat puniendus. Nec tamen propterea, quia Deus decreuerat hominem puniendum, idcirco punitus est, sed propterea quia peccauit. Sicut non idcirco deliquit, quia Deus illum peccaturum præsciuit, sed quia serpentis persuasionem magis, quam Dei præceptum audiuit.

De Cain.

Consurgit Cain aduersus Abel fratrem suum, & inuidiæ liuore succensus innocentem persequitur, fraternæ cædis cruore terram contaminat: quod scelus nequaquam Deum latuit: Parricida redarguitur, fusi sanguinis clamor conuincit negantem; Nunquid autem Deus tunc Cain primò nouerat parricidam, quando fratrem enecauit? Si hoc conceditur, sequitur, vt aliquid ignoret Deus quod per temporis interualla discat: sed nihil potest discere Deus, quod

H

priùs ignorabat: Omnia namque nouit præsentia, præterita, & futura. Igitur quid erat Cain aduersus fratrem acturus, nunquam ignorauit: si nunquam ignorauit, semper sciuit. Nunquid autem, quia quod scit Deus futurum esse sine dubio futurum erit, nec auerti aut immutari potest, idcircò scientia Dei compulit Cain ad necem fraternam? quis hoc impius dixerit? quæ res enim impulerit eum ad tanti sceleris patrationem Geneseos lectio nequaquam silet, quæ docet

Gen. 4. 4.

Dominum respexisse ad Abel, & ad munera eius, ad Cain verò, & ad munera eius non respexisse. Hinc parricidalis immanitas odiorum fomenta coaceruans, nec diuina castigatione compescitur, sed cœpti furoris insania fraterna cæde completur. Non igitur Dei præscientia compulsus est Cain ad parricidium, sed inuidiæ malignitate, aut furoris insania, qui fratris gloriam videre non potuit, ferre nequiuit, extinguere molitus est. At cœlestis vltio tam fatale scelus non impunitum reliquit, *vagus & profugus super terram* agitur, & parricidalis iniquitas vltionis septenariæ verbe-

ribus expiatur. Num verò postquam tanti facinoris piaculum est admissum, tunc primum deliberauit Deus qualiter impius parricida puniretur, & recentis delicti commissio impulit eum in noui consilij meditationem? vt quemadmodum adhuc inexcogitatum scelus confudit orbem, sic Deum inexcogitatæ prius pœnæ deliberatio permoueret; quod quia prudentis aures non recipiunt; constat quia sicut præscierit Deus malitiam Cain futuram, sic quoque quemadmodum puniretur, apud se definitum habuit. Nec tamen idcirco ille punitus est, quia in prædestinatione sua Deus eum decreuerat puniendum sed quia ipse admiserit, vt puniretur. Non enim ex prædestinatione Deus aliquem condemnat, sicut ex præscientia nemioem peccare compellit; sed peccat vnusqoisque proptia cupiditate illectus, & quia peccauit, supernæ vltionis vindicta feritur. Complerur orbis multitudine hominum, & cum generis multiplicatione crescit numerositas vitiorum, videns Deua humani cordis malitiam ad malum de die in diem deterius ruere, & iniquitatis cumulum in peius semper assurgere, atque cordis humani intentione omni tempore ad vitiorum profunda descendere, nec ad boni aliquem vel meditationem, vel studium manus extendere, sed malignitatum gurgitem præcipitanter expetere, *pœnitens eum* (dicente scriptura) *quod hominem fecerit*: vtque tanta malorum pernicie mundum expiaret, arcam, in qua seruaretur sæculo semen, fabricari iubet, mundo diluuium indicit, terram vniuersam aquarum moles obruit, montium cacumina vastitas abyssi cooperuit, atque per totum orbem oceani gurges sese diffudit, & quicquid sub cœlo fuerat, pelagus superduxit: Quid plura? *A reptili vsque ad volucre ab homine vsque ad pecudem vniuersa* delentur: solus *Noe* cum domo sua arcæ beneficio saluatur, & iis tantum, quæ arcæ sinus continuerat, saluatis, quicquid viuentium extra fuerat vno diluoio deletur. Hoc ita fuisse gestum scripturæ veritas protestatur. Numquid tamen cogitare debemus, quod impiorum profanatio tunc primum Deo nota facta fuerit, quando ipsi peccauerunt? Cum de illo scriptum sit, quod *nouerit omnia priusquam fiant*, & psalmista proclamet *intellexisti cogitationes meas à longe?* Si cogitationes à longe non solum cognoscit, verum etiam intelligit; humanorum actuum seriem antequam fiant sine dubio à longe cognoscit, qua de re eorum, quos spumante diluuio perdidit, ante nouit opera, quam facta sint: non tamen propter eius notitiam, qua gesturos illos talia qualia gesserunt à longè cognouit, sed propter suæ malignitatis adinuentiones, ea fecerunt pro quibus perire meruerunt. Nam si considerentur facta illorum, & Dei præscientia: non facta eorum ex Dei præscientia descenderunt, sed infra diuinam scientiam, quæ vniuersa comprehendit, etiam illa fuerunt. Causam vero & originem non ex illa sumpserunt, sed humani cordis præsumptioue, non enim de fonte bonitatis, nisi bonitas manare potest; nec vitium aliquando de virtute sumpsit originem. Itaque sicut delicta, quibus offenderunt intra latitudinem diuinæ scientiæ conclusa fuerunt: sic quoque & pœna, qua iudicati sunt, non postquam peccauere æternitatis consilio concepta est, sed sicut Dei scientiam nunquam eorum facta latuerunt, sic nec pœnæ modus, qua talia gesta damnarentur, diuini prædestinationem iudicij aliquando præteriuit. Verum quemadmodum æterna fuit illorum scelerum scientia: Ita & definita in secretis cœlestibus pœnæ sententia: & sicut præscientia veritatis non eos impulit ad nequitiam, ita nec prædestinatio coëgit ad pœnam. Denique concupiscentiæ malum traxit eos ad culpam, culpa misit ad pœnam. Porro diuinitas quemadmodum omni-scienti sapientiâ suâ nouit omnia, sic vniuersitaria consilio disponit vniuersa, & quæ facturus est in tempore, in æternitatis consilio iam prædestinati consistunt. Proinde quoque supplicium, quo tunc illi mulctati sunt, in æterna prædestinatione iam decretum manebat; illi vero tunc dediti sunt pœnæ, quando scelerum immanitas pœna dignos esse patefecit. Sic itaque nec præscientia eos compulit ad reatum, nec prædestinatio traxit ad pœnam. At nunc Pentapolin cœlestibus flammis æstuantem in medium deducamus, & causam perditionis, & vindictæ qualitatem inspiciamus. E

Cum enim omnium turpitudine vitiorum detinerentur nec esset facinus, quo non vexarentur: Erant enim superbia tumidi, ventris ingluuie turgidi, luxuriæ fœditate corrupti, otiositatis veterno grauati, inhumanitatis feritate duri, hospitalitatis benignitate alieni, tantorum scelerum tumultus aëra supra volat, nubes scindit cœlum irrumpit, & vsque ad solium diuinæ maiestatis procurrit: hinc ex persona superni Iudicis Geneseos lectio dicit: *Clamor sodomorum venit ad me, descendam & videbo: vtrum clamorem, qui venit ad me opere compleuerint, an non est ita, vt sciam.*] Numquid is quem nihil latet, & de quo scribitur, quod *omnia nuda & aperta sint oculis eius, & non est vlla creatura inuisibilis in conspectu eius*, nesciebat opera sodomitarum? & paucorum hominum non videbat actus, cuius oculus contemplatur bonos & malos. Gen. 18. 10. 21. Hebr. 4. 13. Sed dissimulat scire, quod non vult videre, & mauult ignorare, quod optat non punire. F Quam sit autem pronus ad veniam, & difficilis ad vltionem ostenditur, cum propter decem iustos vult multis millibus parcere peccatorum. Gen. 18. 32. Quid multa? vbi vniuersos vno impetu cernit ad malum, nec in tanta multitudidine aliquis inuenitur, qui de malo quærat ad bonum reuerti, cœlestis flammas cunctos inuoluit, & scelere pares par vindicta consumit. Si facta reorum considerentur, quid iustius, quam talium scelera puniri: si clementiam iudicis respiciamus, quid misericordius, quam tales nolle feriri? En videmus iniquitatem reorum scelere suo cœlum fatigare, superni regis secretum irrumpere, & tamen misericordiam iudicis vindictam differre, occasionem qua parcat inquirere. Sed mentis oculos iam ad Dei præscientiam referamus, & videamus, quod sodomitarum scelera, non solum postquam facta, verum priusquam facta fuerint, Deus cognouerit, & vltionis vindictam in prædestinationis suæ iudicio antequam eos comprehenderet, dispositam habuerit? G Sed carnis desideriis inseruientes sodomitæ, ad tanta scelera prorupetunt, vt eorum merito cœlesti igne conflagrarent. Fons igitur & origo tantorum scelerum voluptas carnis extitit; at vero peccatorum moles vindictæ sententiam extorsit. Nec prædestinationi ergo adscribendum est quod periere, nec præscientiæ quòd peccauere. Exod. 1. & seqq. De Ægyptius. Ægyptus Dei populum iugo dominationis premit, labore seruitutis affligit liberorum interfectione percellit: Moyses mittitur, vt populus Dei dimittatur. Pharao induratur, vt multis plagis Ægyptus feriatur; nouissimè primogenita Ægyptiorum occiduntur, & tandem Israël dimittitur. Rursus Ægyptios pœnitentia inuadit, Israëlem dimissum insequitur, pristinæ seruituti subiicere properat, demum diuina mirabilia innouantur, mare rubrum diuiditur in similitudine murorum, dextrà leuaque pelagus suspenditur, nudatur tellus in mediis fluctibus, & sicco pede Israëliticæ plebis multitudo per patentem maris alueum incedit, H Ægyptios insequentes vndarum vortices obruunt, fluctus inuadit, pelagus absorbet, fit mirabile inter pios impiosque discrimen, istos abyssus liberat, illos demergit: istos placito gressu in littus exponit, illos vorago profundi mersos retentat: Sic omnipotentia misericordia pios liberat, & censura iudicis impios damnat. Hæc si libeat diligentius intueri, videbimus & Israelitarum afflictionem, & liberationem & Ægyptiorum crudelitatem, & condemnationem, & in præscientia diuina olim fuisse, & qualiter de vtroque populo ageretur prædestinatum esse. Ad Abraham Deus loquitur, *Scito prænoscens, quod peregrinum futurum sit semen tuum in terra non sua, & subiicient seruituti, & affligent quadringentis annis: verumtamen gentem, cui seruierint ego iudicabo, & post hoc egredientur cum magna substantia.*] Gen. 15. 13. v. 14. Nondum nati erant, & adhuc in lumbis Abrahæ consistebant, & iam seruituri prædicuntur, iam liberandi promittuntur, iam Ægyptus iudicanda comminatur: Ad Moysen quoque, cum mitteret eum Deus

A Exod.5. 1. Ægyptum, ſic loquitur. *Ingredieris tu, & ſeniores Iſraël ad Regem Ægypti; & dices ad eum: Dominus Deus Hebræorum vocauit nos, ibimus viam trium dierum per ſolitudinem, vt immolemus Domino Deo noſtro: Sed ego ſcio,* v.19.20. *quòd non dimittet vos Rex Ægypti, niſi per manum validam: Extendam enim manum meam, & percutiam Ægyptum in cunctis mirabilibus meis, quæ facturus ſum in medio eorum, & poſt hæc dimittet vos.* Nonne manifeſtè docemur qualiter puniretur Ægyptij diſpoſitum, id eſt prædeſtinatum fuiſſe? An aliud eſt quod ait, *Percutiam Ægyptum in cunctis mirabilibus meis, quæ facturus ſum in medio eorum?* Oſtenditur enim in prædeſtinatione diuina fuiſſe, quibus, & quot plagis feriretur Ægyptus, & quando dimitteret Iſraëlem; quid eſt enim quod ait: *Ego indurabo cor Pharaonis, & induratum eſt cor Pharaonis:* Niſi quod non prius emolliretur ad dimittendum Exod.4. 21. Dei populum, donec plagis omnibus feriretur Ægyptus, quibus diuina cenſura diſpoſuerat eam feriendam: B Vnde cum nouem plagis fuiſſet Ægyptus attrita, nec adhuc cor Pharaonis emollitum, ait Dominus ad Moyſen, *adhuc vna plaga percutiam Ægyptum, & tunc dimittet vos Pharao:* Exod. 1.11. Ergo in diuini diſpoſitione iudicij prædeſtinatus fuerat numerus, & modus plagarũ, quibus Ægyptus attrita eſt, & obduratio cordis Pharaonis mox emollita eſt, cùm decretus vltionis modus completus eſt. Et quod nouiſſimè in mari rubro Pharao cũ exercitu ſuo perierit, & Iſraël illæſus tranſierit, ſicut magni continet myſterium Sacramenti, ita conſtat diuinæ diſpenſationis ſecreto geſtum, vt illi perirent, illi ſaluarentur. Cùm ergo liquet, quòd in præſcientia Dei, ſicut afflictio Iſraëlitarum, & crudelitas Ægyptiorum conſtiterit: Ita quoque & iſtorum liberatio, & illorum perditio in prædeſtinationis iudicio ſemper fuerit: Non tamen crudelitas Ægyptiorum diuinæ præſcientiæ tribuenda eſt, ſicut nec condemnatio prædeſtinationis occultæ ſecreto: Præſciuit enim Deus quales futuri forent Ægyptij, id eſt, crudelitatem eorum ſemper notam habuit, non tamen crudeles effecit. C Pſ.104. 25. Quamuis Pſalmiſta de eis teſtetur: quod *Conuerterit cor eorum* (id eſt Ægyptiorum) *Deus, vt odirent populum eius, & dolum facerent in ſeruos eius:* Non tamen eos Deus aut doloſos fecit, aut malignitatis odio inflammauit: Sed cùm tales eſſent qui & odio ſæuirent, & dolo deciperent, per eos populum ſuum flagellare diſpoſuit, vt qui per proſpera Deum reliquerat, flagellis admonitus ad Deum confugeret. Præſciuit igitur Deus Ægyptiorum crudelitatem, non eam fecit, nec ideo tales effecti ſunt, quia tales futuri eſſe præſciti ſunt; ſua denique nequitia, non Dei præſcientia mali effecti ſunt, & ideo prædeſtinati occulta diſpoſitione iudicij ad pœnam, qua puniti ſunt. Nam quòd non ex prædeſtinatione damnantur impij, ſed ex ſua iniquitate teſtatur ſacra Scriptura, quæ de Amorrhæis ad Abraham dictum fuiſſe confirmat: Gen.15. 16. Nam cùm loqueretur Deus ad Abraham quod *ſemen eius peregrinum futurum eſſet in terra aliena quadringentis annis*, poſt hæc intulit, *Generatione autem quarta reuertentur huc: Necdum enim completæ ſunt ini-* D *quitates Amorrhæorum vſque ad præſens tempus.* Quibus verbis oſtenditur tunc iniquitates eorum ad ſummum malignitatis peruenturas, quando ſemen Abraham de ſeruituris iugo liberari, & terrã perduci, & gentes Amorrhæorum deleri mererentur: Vt quòd nationes illæ, quæ priùs terram repromiſſionis obtinuerãt, deleræ ſunt, non diuinæ prædeſtinationis, ſed ſuæ malignitatis fuiſſe monſtretur. Itaque nemo ex diuinæ prædeſtinationis cenſura condemnatur; quamuis perſeueraturos in peccatis iuſtitia iudicis decreuerit damnandos: Sed vnuſquiſque tunc condemnatur, quando damnari peccatorum merito cenſetur. Longum erit, & modum breuitatis excederer, ſi voluerimus ſeriem diuinarum Scripturarum percurrere, & ex omnibus diuinorum iudiciorum geſtis præſcientiam, & prædeſtinationem Dei comprobare, Et quòd nec præſcientia compellat ad peccatum, nec prædeſtinatio ad pœnam, Et fortaſſis non ſit neceſſarium, cùm & quæ ſupra diximus fortè ſufficiant, & pietas fidei, ſicut Deum nihil ignorare credit, ſic eius præſcientia nemi-

nem impelli ad peccatum: Cúmque diuinæ diſpoſitionis iudicio confiteatur omnia Regi, neminem tamen ex prædeſtinatione damnandum recipiat, quamuis prædeſtinatos malos ad pœnam non ignoret. Prædeſtinati enim ſunt mali ad pœnam: quoniam quæcunque facturus eſt Deus in æternitatis diſpoſitione, iam prædeſtinatum habet: indicaturus enim eſt impios, & pœna ſempiterna damnaturus: Et quia hoc inter opera Dei computatur, negari non poteſt prædeſtinatum: Niſi fortè iudicium, quo iudicandus eſt mundus, aliquis dicat opus Dei non eſſe. Quod cùm nemo fidelium abnuat, negari quoque non poteſt à Deo in prędeſtinatione diſpoſitum, quemadmodum de ſingulis iudicet: Vt enim non eſt in Deo noua ſcientia, ſic quoque nec noua diſpoſitio. Simplex etenim natura diuinitatis, ſicut nihil recipit mutabile, ſic nihil compoſitum. Vnde in Deo ſcientia & diſpoſitio non variantur, vt alio tempore Deus ſciat, & alio diſponat; ſed ſimul ſcit, ſimul etiam diſponit, quamquam nonnulla ſciat, quæ non diſponat, ſicut ſunt peccata: Neque enim ad diſpoſitionem illius pertinent, quæ ipſe non facit, quamuis qui peccant, diuinæ poteſtatis iudicium non euadant, & vnde prauitatis ſuæ nequitiam exercent, inde occulto Dei iudicio deſeruiant: Itaque non eſt in Deo ſcientia ſine diſpoſitione, nec diſpoſitio ſine ſcientia. Alioquin ſi ſcientia ineſt ei ſine diſpoſitione, vt alio tempore ſciat, & alio diſponat, iam non erit ſimplicis naturæ Deus, iam non erit incommutabilis; vbi namque interualla temporum ſuccedunt, mutabilitas ineſt, & in Deo temporis erit interuallum; ſi non ſimul ſcit, ſimul etiam diſponit, vt antecedat ſcientia, & poſtea ſequatur diſpoſitio. Quod cùm ſimplicis naturæ ratio non admittat, ſequitur, vt cum ſcientia Dei, pariter ſit & diſpoſitio: qua de re quos ſcit in finem in malo perſeueraturos, diſpoſitum habet, quid ſit de eis acturus: Non tamen idcirco puniendi ſunt; quia ſic diſpoſiti ſunt, ſed idcirco quod in malo perſeueraturi ſunt. Sed Antichriſtum in medium deuocemus, de quo nemo fidelium dubitat, quòd & præſcitus eſt malus futurus, & diuino iudicio prædeſtinatus ad pœnam, & ex eo cognoſcamus, quòd nec præſcientia Dei compellat ad culpam, nec prædeſtinatio trahat ad pœnam, & quod de capite dixerimus, de corpore illius intelligamus. Sicut enim caput electorum Chriſtus, ſic Antichriſtus caput eſt reproborum: Et ſic Corpus Chriſti omnes Sancti, ita corpus Antichriſti omnes iniqui, ille certè homo perditionis nondum natus: Et tamen iam eius malitia ab omnibus præſcitur, iam ad interitum prædeſtinatus eſſe non ignoratur, de quo Apoſtolus ad Theſſalonicenſes ſcribens ait; *Ne quis vos ſeducat vllo modo, quoniam niſi venerit diſceſſio primùm, & reuelatus fuerit homo peccati, filius perditionis; qui aduerſatur, & extollitur ſupra omne quod dicitur Deus, aut colitur, ita vt in templo Dei, ſedeat, oſtendens ſe tanquam ſit Deus.*] Et Paulo poſt: *quem Dominus* IESVS *interficiet ſpiritu oris ſui, & deſtruet illuſtratione aduentus ſui eum: cuius eſt aduentus ſecundum operationem ſatanæ in omni virtute; Signis, & prodigiis mendacibus: & in omni ſeductione iniquitatis, his qui pereunt, eo quod charitatem veritatis non receperunt, vt ſalui fierent: & ideo mittet illis Deus operationem erroris, vt credãt mendacio; vt iudicẽtur omnes qui non crediderunt veritati ſed conſenſerunt iniquitati.*] His Apoſtoli verbis, & malitia demonſtratur Antichriſti, & perditio, & non ſolũ eius, verùm etiam illorum, qui de ſorte illius erunt. Cùm enim appellatur homo peccati, & filius perditionis, cùm extollentia eius tanta eſſe denuntiatur, vt ſupra Deum eleuetur, & ſe pro Deo coli velit, manifeſtè malignitatis eius nequitia deſcribitur: Cum verò aduentu ſaluatoris eum interficiendum, atque deſtruendum prædicat, damnationem illius manifeſtè deſignat. Rurſum cùm ſignis, & prodigiis eius mendacibus multos credituros inſinuat, & eos iudicandos eſſe denuntiat, & peccatum, & pœnam eorum manifeſtat: qua de re cùm de Antichriſto talia dicat Apoſtolus, nonne demonſtrat, quod iniquitas eius iam præſcita ſit, & prædeſtinatus ipſe ad pœnam ſit? homo denique erit anima rationali, & carne

E F G H

De Antichriſto.

1.Theſ. 2.3.

v.4.

v.8.

v.9. v.10.

v.11.

conſiſtens,

consistens, de prima parente, vnde & omnes homines, ducens originem: Itaque Apostolus eum & hominem, & filium perditionis appellans, cuius erit conditionis insinuat: Et quamquam vas diaboli futurum sit, tamen hoc erit, quod sunt cæteri, de Adam natiuitatis exordium trahentes. Cum ita sit, sicut nondum natus extitit: ita necdum aliquid vel boni, vel mali fecit; iam tamen prædestinatum eum ad pœnam esse Apostolus testis est: Nunquid tamen propterea quia præscitus est malus futurus, ideo malus erit: Aut quia prædestinatus ad pœnam iam nunc est, idcirco damnandus erit? quod si dicat aliquis, quia vas diaboli erit, & per eum Satanas malitiæ suæ pœnam exercebit, idcirco cum eo iam damnationi deputatus habetur. Si homo ille à diabolo creatus esset, vel ipse diabolus esset, iure hoc dicerent; at vero cum Dei creatura erit, cum de eodem parente, quo cuncti nascuntur homines, nascetur, cum Dei manibus, & plasmatus, & factus erit, cum homo purus erit anima rationali & carne subsistens, cur diabolo tanta potestas de eo dabitur, vt vas eius acceptissimum
1. habeatur? Nonne hic cum Apostolo dicendum est, *O homo tu quis es, qui respondeas Deo? An non habet pote-*
1. *statem figulus luti de eodem luto aliud quidem vas fingere in honorem & aliud in contumeliam?* Et *ò altitudo diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei, quam incrutabilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius: quis cognouit sensum Domini, aut quis prior dedit ei, & retribuetur ei,* quamuis omnium operum eius nequeamus rationes comprehendere, scimus quod non iniuste aliquid facit, qui est fons iustitiæ. Redeamus igitur ad superiora: Cum ergo homo ille iniquitatis iam præscitus sit malus futurus, & prædestinatus habeatur ad pœnam, nunquid propter hanc præscientiam malus erit, aut propterea peribit, quia perditioni deputatus est? quod si ita est, non erit eius culpæ malignitas illius, vnde nec merito damnabitur: sed absit, vt Deus alicui sit causa, quo malus fiat, aut aliquem damnet, qui non damnari mereatur; cum scriptum sit: *vniuersa opera Domini mise-*
2. *ricordia, & veritas*: sua igitur culpa damnatur, quisquis à iudice veritatis damnatur. Quapropter homo ille iniquitatis non idcirco iniquus erit, quia talis futurus esse præscitus est, sed sua voluntate delinquens malignabitur: sicut non ideo pœnis gehennæ traditur cruciandus, quia iam prædestinatus ad pœnas est, sed propter suarum pondus iniquitatum, propter quas etiam nunc prædestinatus est ad mortem: Nisi forte dicat aliquis eum non prædestinatum ad interitum: Cum dicat
T. Apostolus *eum spiritu oris sui Dominum* IESVM *interfecturum, & aduentus sui præsentia destructurum.* Et Ioannes in Apocalypsi sua sub figura bestiæ de illo loquens. *Bestia* (inquit) *quam vidistis, fuit & non est, & ascensura est de abysso, & in interitum ibit, & mirabuntur inhabitantes terram, quorum non sunt nomina scripta in libro vitæ à constitutione mundi.*] Vbi notandum quia non solum in interitum bestiam ne significat. Verum etiam illos quorum non sunt nomina scripta in libro vitæ à constitutione mundi. Ex quo apparet ad interitum ire, qui non sunt de numero electorum: De numero electorum non sunt, qui non sunt scripti in libro vitæ; illi enim perire non possunt. Peribunt autem, qui non sunt illic scripti ab initio sæculi. Quod si ab initio sæculi scripti non sunt in libro vitæ, ad vitam non pertinent: Et idcirco ad mortis pœnam deputati sunt. Item de eadem bestia in eodem libro. *Et bestia quæ erat, & non est, & ipsa octaua est, & de septem est, & in interitum vadit.* Sub specie bestiæ Antichristum designans, & eum ad interitum prædestinatum insinuans. Igitur cum prædestinatus sit ad interitum, non propterea interibit; quia prædestinatus est ad hoc, sed propter nequitiam suam, propter quam prædestinatus esse cognoscitur perditioni. Sicut igitur ille præscitus est malignus futurus, & prædestinatus ad interitum, nec tamen propter Dei præscientiã, siue prædestinationẽ, vel malignus erit, vel interibit, sed propria voluntate fiet malus, & propter multitudinẽ malignitatum suarum peribit, sic nimirum omnes reprobi,

E
cum sint præsciti mali, & prædestinati ad pœnam, non tamen propter Dei præscientiam mali effecti sunt, aut efficientur: sed propter quod libero voluntatis arbitrio malignitatem operati sunt: ita quoque non idcirco, quia prædestinati sunt ad pœnam torquebuntur; sed quia fecerunt talia pro quibus pœnam subire merebantur: Nam de quibus ait Apostolus quod *quia veritatem non receperunt, vt salui fierent, ideo mittet illis Deus operationem erroris, vt credant mendacio; vt iudicentur omnes, qui non crediderunt veritati; sed consenserunt iniquitati:* 2. Thess. 2. 10. v. 11.
Nonnè hos omnes & præscitos esse constat malos futuros, & non ignorari, quod ad sortem pertineant damnatorum? quod si ad damnatorum sortem pertinent, nonne ad eam deputati sunt? & si ad illam deputati sunt, nonnè etiam prædestinati sunt? non tamen idcirco quia prædestinati propterea damnandi, sicut non propterea mali futuri sunt, quia hos eos futuros præscientiam Dei non latet. Damnabuntur enim propter malitiam suam, non propter Dei prædestinationem: Quemadmodum mali futuri sunt propterea quod hoc esse

F
propriæ volontatis arbitrio elegerunt: non propter diuinam præscientiam. Quod si præscientiam malorum, non autem prædestinationem quisquam esse contenderit, eo quod quicquid prædestinatum est, necesse est, vt fiat; hoc etiam & de præscientia sentiendum est. Quicquid enim præscit Deus, futurum sine dubio erit, nec aliter erit quemadmodum præscitum est, quoniam si vera est, præscientia est, si verò non est vera, non est præscientia. Quâ de re quicquid Deus præscit faciendum erit sine dubio, & sic erit quemadmodum præscitur. Quem namque præscit de numero electorum esse, is erit sine dubio electus, quem vero præscit de numero reproborum, erit sine dubio reprobus. Quapropter quoniam & hos, & illos iam scit, & ab initio sæculi præsciuit, illi erunt electi, quos electos esse præsciuit, & illi reprobi, quos similiter reprobos esse præsciuit, & noti sunt Deo, & hi & illi. Quâ de re si prædesti-

G
natio propterea refugienda est, quia quicquid prædestinatum est immutabile est, refugienda præscientia est, quia quicquid præscitum est immutabile est. Quod si præscientia omniscientem Dei cognitionem insinuat, non autem aliquem ad peccatum cogit, & prædestinatio operum diuinorum præordinationem, & præparationem significat, nullum autem ad pœnas impellit, non est cur præscientia recipiatur, & prædestinatio abdicetur. Sicut enim pium atque religiosum est de Deo credi, quod *nouit omnia priusquam fiant*: sic pium & religiosum est de Deo sentire quod *fecit quæ futura sunt:* & *magna opera Domini exquisita in omnes voluntates eius,* & Psalmista *semel locutus est Deus*: Et Beatus Iob *semel loquitur Deus, & secundo id ipsum non repetit*: At Sanctorum sententia est Catholicorum, prædestinationem esse operum Dei æternam dispositionem, vnde quia quæcunque facturus est Deus, in æterno iudicij sui consilio iam dispositum habet: sequitur, vt opera Dei vniuersa sint prædestinata. Quapropter cum dicitur de

Dan. 13. 42. LXX. Isa. 45. 11. Ps. 110. 2. Ps. 61. 12. Iob. 33. 14.

H
malis, quia ad pœnas prædestinati sunt: hoc dicitur; quia Deus secreto iudiciorum suorum sacramento dispositum habet, quid de his facturus sit. Non est igitur diuinæ dispensationi repugnans, si mali dicuntur esse prædestinati ad pœnam, quoniam prædestinatio est operum Dei, in quibus operibus Dei etiam iudicium dispositum quo iudicandi sunt reprobi.] Egimus igitur (vt potuimus) quemadmodum prædestinatio qua dicuntur iniqui ad pœnas deputati; non necessitate aliqua constringat eos ad pœnam: Sed tali locutione exprimi diuinorum operum ordinationem. Et quia superius ostendimus sanctorum dicta, quibus mali prædestinati dicuntur ad pœnas, quisquis prædestinationem malorum abnegat, non nobis, sed illis quorum sequimur auctoritatem contradicit. Ne nos in culpam ideo trahamur, si Sanctorum auctoritatem sequimur. Si enim quod illi dicunt Catholicum est, nec repugnans rectæ fidei: nos quoque non à Catholicæ fidei rectitudine discrepare iudicemur, si hoc dicimus & sentiamus, quod illi dixerunt Epilogus.

&

& senserunt: illorum enim doctrina fides Ecclesiastica munitur; & nos, qui intra sinum Ecclesiæ continemur de illorum institutione imbuimur, nec aliud sentire præsumimus, nisi quod illi nos instituerunt, nec aliud ire, nisi quò ducunt, nec dicere aliud, nisi quod illi dicunt. His ita obsecramus magnitudinis vestræ pietatem, vt hæc scripta, si sapientiæ vestræ non displicuerint, penes vos habeantur, nec in publicum proferantur, donec huius quæstionis controuersia diligenter ab omnibus fuerit euentilata, & quid tenendum ab omnibus, sit comprobatum. Quod si displicuerit libellus iste, per vos obsecramus, vt corrigatur, & nobis quæ correcta fuerint non abscondantur.

N O T A.

Eiusdem Ratramni libros 4. contra opposita Græcorum edidit D. Lucas Dacheri Benedictinus tom. 2. spicilegiorum & tractatum de eo quod Christus ex virgine natus est tom. 1.

Porro librum de Corpore & Sanguine Domini qui ipsius nomine primò ab hæreticis vulgatus est hic omisimus, quasi opus suppositum aut saltem admistis plerisque suppositiitis deprauatum & adulteratum. Vide Erotemata P. Theophili Raynaudi Soc. IESV. *Et Miræum in Bibliotheca, verbo Bertramus.*

S. PRVDENTII EPISCOPI Tricassini de Prædestinatione, contra Ioannem Scotum Cognom. Erigenam, seu Liber Ioannis Scoti correctus à Prudentio, siue à cæteris Patribus, videlicet, à Gregorio, Hieronymo, Fulgentio, atque Augustino.

In prima pagina Codicis manuscripti huius operis, qui in Monasterio Altiuillarensi seruatur, hæc reperitur Obseruatio.

Hic liber qui quasi ad defensionem fidei contra infidelitatem loquitur, & testimonia Scripturarum, & Catholicorum nomina profert, cautè legendus est, & in eius lectione Apostoli est sequenda sententia, qua dicit, *Omnia probate, quod bonū est tenete* Nam compositor eius Prudentius de quibusdam Ecclesiasticis dogmatibus non sensit Catholicè, sicut alia eius scripta demoustrant.

Censura Nicolai Camusat Tricassini, ad præcedentem notam in promptuario Antiquitatum Tricassinæ Diœcesis, fol. 163.

Sed hoc iudicium tanti Viri sanctimoniam, limatámque & sanam doctrinam minuere non debet, ex alicuius fortasse capite profectum, cuius non erat ea doctrinæ capacitas, vt operibus D. Prudentij perlegendis peruidendísque sufficeret, quæ mysteriis ex reconditissimis Theosophiæ adytis, ac penetralibus petitis refertissima sunt, quod perspicuè palam erit, cum memoratus liber è tenebris in lucem prodierit.

De S. Prudentio, ibid. fol. 160.

Eius Reliquiæ lignea capsula insitæ in Primatia Tricassium æde seruantur, in qua festum eius 6. Aprilis peragitur 9. Lectionibus & Officium fit de Communi Confessorum.

In Catalogo generali Sanctorum qui in Martyrologio Romano non sunt; Auct. Philippo Ferrario Theologiæ Professore ad Vrban. PP. VIII. 6. Aprilis, seu 8. Idus Aprilis.

Trecis in Gallia SS. Prudentij Episcopi & Vuermebaudi Abbatis.

Ibid. in notis.

Prudentij Episcopi ex Maurol. hac die: Hic fuit 38. Episcopus Trecensis, vti Tabulæ Democh. habent.

In Notis Ioannis Bollandi & Godefridi Henscheny Societatis IESV *Theologorum, ad 8. Ianuary in vita sancti Frodoberti Abbatis.*

Colitur sanctus Prudentius Trecensis, 6. Aprilis, recensetur 37. Trecensis Episcopus, interfuit Concil. Parisiensi anno 846. Turonensi 4. anno 849. Suessonensi 2. anno 853.

PRÆFATIO.

Reverendissimo *Patri & Beatissimo Pontifici inter Pastores Christi eminentia vitæ, doctrinaque eximietate clarissimo Guebiloni. Prudentius æternam in Domino salutem. Accensus prout decet atque oportet, Zelo Catholicæ fidei, & veræ charitatis affectu* (Pater beatissime) *misisti mihi quandam scedulam decem & nouem capitula continentem ex libro cuiusdam Scoti selecta, à nostro, vt ais, se quodammodo intellectu diuertentia, rogans & monens, vt quæcunque in eis à vero exorbitantia comperissem, vnicuique de libris Euangelicis & Catholicorum Doctorum auctoritatibus deuianti capitulo congrua depromerem abundè responsa. Quibus decursis, sollicitéque perspectis reperi in eis Pelagiana venena perfidia, & aliquoties Origenis amentiam, Collyrianorúmque hæreticorum furiositatem, quorum merito a Catholicæ fidei cultoribus, ac propugnatoribus validissimis confutati, censuraque iustissimæ seueritatis, multo ante nostra tempora damnati sunt.*

Intremui fateor, & expaui tot olim errores cum suis auctoribus iam sopitos nostris denuò temporibus pullulare, & deficientes quondam fumos noua rursum accensione erumpere, suique noxietate multorum oculos caligare: quibus vt insseras refellendis cum animum pararem appellere, laboris difficultate perterritus deliberatam penitus omittendum. Verùm monentis authoritate perpensa, dixi satius cum fructu obedientiæ & si minùs pleno, aliquatenus labi, quam paternæ reuerentiæ, timiditate stupida contraire.

Animatus itaque meritis rogantis, orationúmque instantissima puritate scribentis, visum est librum eundem, si quà fortè inueniri posset, diligenti curiositate perquirere, cuius serie salebrosas tantorum errorum tortiones valerem facilius intueri: quo gratia Dei, sine qua nihil sum, & nihil possum, vt optaueram assecuto, deprehendi quantùm diuinitus inspiratus potui, Pelagy, Calestij, eorúmque sequacis, ac defensoris acerrimi Iuliani per omnia sectatorem Ioannem *videlicet* Scotum *tanta impudentia orthodoxæ fidei, patribusque Catholicès oblatrantem, ac si vnus spiritus Iulianum, Ioannémque docuerit. Vnus idémque spiritus in eis fuerit, nec dispar spiritus per eorum linguas, tot tantasque blasphemiarum nauseas euomuerit. Nam & gratuitam Dei gratiam pariliter impugnant, & Dei iustitiam similiter denegant, & originale peccatum, quod nascentes trahimus, quoque non nisi cælesti gratia per mysterium baptismatis soluimur, indissimili garrulitate dissuadent, argutiisque dialecticis simillima vanitate desipiunt. Rectissimum etiam sanctarum Scripturarum intellectum, patrúmque Catholicorum sensum sanissimum tam concinna varicositate peruertunt, ac si nunquam aduersus eorum errores quippiam fuerit actitatum.*

Quibus

A *Quibus cùm à patribus, præcipuéque Beatissimo Augustino competentissimè, abundantissiméque responsum fuerit nequaquam me præsumptionis à piis lectoribus credidi indicandum, si eius monitis dictante pietate libenter obsequens, offeram pro vili portione in donaria tabernaculi Domini mei, quæ possim, relinquens potioribus ac doctioribus, quæque melius valuerint & voluerint offerenda. Nec posse vt ait S. Hieronymus, alterius opes, alterius paupertate fœdari.*

Fidens igitur in eius gratia, quâ præuenimur vt benè velimus, subsequimur ne frustra velimus, reuolutis Patrum consonis per omnia paginis, quid quisque eorum antidoti contra eadem venena confecerit, decerpere fideliter curaui, præfixo cuiusque doctoris nomine; libroque pariter intimato. Verba quoque eiusdem Ioannis vt ab eo digesta sunt pluribus locis inserui, præposito etiam nomine ipsius cum præcedente illud nota quæ Græcè dicitur θῆτα, quam sententiis capitalibus damnandorum aliqui præscribere so-
B *lebant. In multis enim non verba eius interposui, quæ loquacitate nimia legentibus fastidium ingerunt, sed sensibus eorum pro captu meæ pusillitatis vtraciter obuiaui. Vbicumque autem mei sermonis interpositio, necessarium locum expetit, ne quid mihi tribuerem, si quid boni superna gratia per mea lingua organum loqueretur, notam superponere studui, quæ ab Astigraphis crisimon nuncupatur, quoniam velut monogramma nominis Christi effigiare quodam modo cernitur, vt eius totum ostenderem quicquid benignitatis ipsius largiflue indebitisque muneribus imbibissem, illud etiam necessario credidi præmonendum vt tua beatitudinis perspicacia subtiliter, sollicitéque attendas, quantis se idem Ioannes contrarietatibus impugnet, qui ea quæ nunc affirmat, post denegat, quæ modo loquaci vanitate diffitetur, postmodum loquacitate confitetur. Adeo vt aut non viderit quid dixerit, aut à nullo vnquam videri putauerit.*

Huius notæ loco aliâ substituimus †.

Quæso igitur vt omnia vigilanter studioséque permetiens, quidquid fideliter dictum iudicaueris, auctori Do-
C *mino gratias agendo deputes. Si quid vero (quod absit) secus reperies, imbecillitati meæ compatiens emendare ne differas. Sicque fructum piæ deuotionis duplicato fœnore consequêris, si & votis piè iubentis piè prolata respondeant, & altò nitentia ad suum tramitem dirigantur. Orantem pro meis multipliciter præualentibus mentis & corporis infirmitatibus sanctissimam paternitatem tuam virtus omnipotentis gratia Dei vigentem ac sospitem seruare dignetur.*

SANCTI PRVDENTII EPISCOPI Tricassini de prædestinatione, contra Ioannem Scotum Erigenam, Liber.

In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.

D Prudentius famulus Christi familiæque eius.

CAPVT PRIMVM.

Quadruuio regularum totius Philosophiæ quatuor omnem quæstionem solui.

BLASPHEMIAS tuas, Ioannes, atque impudentias, quibus in Dei gratuitam gratiam, iustitiamque inflexibilem procax inueheris, perentso tuæ peruersitatis libro, quem sub nomine cuiusdam Gotheschalci aduersus omnes Catholicos effudisti, eo molestius accepi, quo te familiarius amplectebar, peculiarius diligebam: quippe qui in tantum vesaniæ prorupe-ris, vt grauissimam sanctarum scripturarum auctoritatem tuis prauis interpretationibus detorqueres, sensáque

E Catholicorum patrum peruersis inuertenda sensibus edoceres: nimirum quadruuium quoddam nobis intelligendi scripturas affingens, quod patres nostri videlicet omnes Catholici tractatores diuinâ, humanâque sapientiâ præfulgentes, cum multa eruditissimè, luculentissiméque cœlitus imbuti exponendo, atque intelligendi regulas, modósque locutionum multiplices aperiendo reliquerint in quibus nullam tui quadruuij mentionem fecisse probantur, penitus contempserunt: proponentes nobis videlicet & multo meliores, sanctiores, doctiorésque vias, quarum opitulatione subnixi, & stropharum tuarum fœculentias euitare, & puritatem simplicissimæ fidei clarissimis ac suauissimis fontibus haurire & propinare in nomine & adiutorio auxiliatricis immò præuenitricis gratiæ Dei possimus.

IOANNES SCOTVS.

F ϴ *Conficitur inde veram Philosophiam esse veram religionem, conuersimque veram religionem esse veram Philosophiam, quæ dum multifariam diuersisque modis diuidatur, bis binas tamen partes principales ad omnem quæstionem soluendam necessarias habere dinoscitur, quas Græcis placuit nominare Διαιρετική, Ὁριστική, Ἀποδεικτική, Αναλυτική, easdemque latialiter possumus dicere diuisoriam, diffinitiuam, demonstratiuam, resolutiuam: quarum enim prima vnum in multa diuidendo segregat, secunda vnum de multis definiendo colligit, tertia per manifesta, occulta demonstrando aperit, quarta composita in simplicia separando resoluit, earum etiam exempla in processu huius operis, quantum ipsa lux, quæ illuminat cor quærentium se, nobis aditum rerum, quas conamur ingredi, aperuerit ostendimus: his enim tanquam vtili quodam honestóque humanæ ratiocinationis quadruuio ad ipsam disputandi disciplinam, quæ est verum, omnis in ea eruditus peruenire non dubitat.*

Cap. 1. num. 1. sect.

CORRECTIO.

G †. Quanta enim contra diuersas hæreses maiores nostri egerint, testantur concilia multis totius orbis partibus sancto Spiritu aggregata, testantur acta synodica, attestantur etiam doctorum probabilium scripta veridica, quibus auctoritate insuperabili simplicitas, atque soliditas de re fidei defensa, atque inuincibiliter approbata non tui quadruuij retis inuoluta, ac deterius implicata dignoscitur. Nam quemadmodum gestorum ordine patrumque literis fideliter edocemur: cum & apud Nicæam & penes Chalcedonem, Ephesum, Constantinopolim, Antiochiam, Mesopotamiam, Africam, Romam, aliaque loca quam plurima aduersus Catholicæ fidei impugnatores, diuersis quidem modis, sed eadem fidei sinceritate vnanimiter ageretur, & inter conflictandum pars aduersa Dialecticis, immo Sophisticis conclusionibus niteretur, sancti proculdubiò Spiritus incordatione a patribus cautum est, vt defensores propugnatoresque
H simplicis fidei, nequaquam sophisticis illusionibus, sed Scripturarum sanctarum euidentissimis allegationibus vterentur: quæ quoniam multa sunt & tam notissima, vt huic operi cuncta inserere longum ac superfluum iudicetur, vnius tantum patris sententiam ponendam duximus, cuius adstipulatione fidei cæteris nullatenus credulitas derogetur.

Leo Episcopus Leoni Augusto: [Multis manifestisque documentis probatum esse mihi gaudens, quantum vniuersali Ecclesiæ consulatis affectu, præceptis pietatis vestræ (vbi primum licuit) parere non distuli, dirigens Donatianum & Geminianum fratres, & coepiscopos meos, qui apud vos preces meæ sollicitudinis exequentes pro quiete vobis doctrinæ Euangelicæ supplicarent, & libertatem fidei, in qua secundum eruditionem Spiritus sancti in se præcipue omnes obtinerent; Repulsis procul hostibus Christi, qui etiam si voluisset furorem suum tegere, non laterent: quia alia est Dominici gregis sancta simplicitas; alia sub vestitu ouium simulatio

Leon. Epistola ad Leonem Imperatorem. Non extat inter reliquas.

A mulatio latentium bestiarum; nec possint iam per hypocrisim irrepere, quos tantæ furor manifestauit insaniæ. Agnosce igitur (venerabilis imperator) in quantum totius mundi præsidium diuina sis prouidentia præparatus, & quid auxilij matri tuæ Ecclesiæ debeas, quæ te filio maximè gloriatur; intellige non sinceriter contra dexteræ omnipotentis triumphos rediuiuis assurgere motibus extincta certamina, præsertim, cum id damnatis iamdudum hæreticorum ausibus omnino non liceat, & hic fructus piis laboribus debeatur, vt omnis Ecclesiæ plenitudo in suæ vnitatis soliditate secura permaneat, nihilque prorsus de bene compositis retractetur: quia post legitimas, & diuinitus inspiratas constitutiones velle mouere non pacifici est animi, sed rebellis dicente Apostolo: *Noli verbis contendere: ad nihil est vtile, nisi ad subuersionem audientium*: nam si humanis persuasionibus semper disceptare sit liberum, nunquam deesse poterit qui veritati audeant reluctari, & de mundanæ sapientiæ loquacitate confidere: Cum hanc nocentissimam vanitatem, quantum debeat fides Christiana vitare, ex ipsa Domini nostri IESV CHRISTI institutione cognoscat, qui omnes nationes ad illuminationem fidei vocaturus: non de Philosophis, aut de oratoribus, qui prædicando Euangelio famularentur, elegit; sed de humilibus & piscatoribus, per quos manifestaret, assumpsit, ne doctrina cœlestis, quæ erat plena virtutum * vnde Apostolus protestatur, & dicit: *non enim misit me Christus baptizare sed Euangelizare, non in sapientia verbi, ne euacuetur crux Christi: verbum enim crucis pereuntibus quidem stultitia est; his autem qui salui fiunt virtus Dei est. Scriptum est enim perdam sapientiam sapientium, & prudentiam prudentium reprobabo, vbi sapiens, vbi scriba, vbi conquisitor huius sæculi, nonne stultam fecit Deus sapientiam huius mundi.* Argumenta enim rhetorica, & institutæ ab hominibus versutiæ disputandi in eo præcipuè glorientur, si in rebus incertis & opinionum varietate confusis ad hoc audientium trahant sensum, quod asserendum ingenio, atque eloquio suo quisque delegerit: & ita fit, vt quod maiore facundia defenditur, verius æstimetur: sed Christi Euangelium hac arte non indiget, in quo doctrina veritatis suâ luce manifestatur, nec quæritur quid auribus placeat, vbi veræ fidei sufficit scire, quis doceat.]

2. Tim. 2. 14.

B

* desunt verba nolumus.

1. Cor. 1. 17. 18.

Isai. 29. 14. &c.

C

†. Item *post aliqua*, Leo. Vtatur obsecro clementia tua prædictorum fratrum meorum suggestionibus, quos sicut iamdudum in præmissa Epistola sum locutus non disputaturos cum damnatis, sed supplicaturos vobis pro Catholicæ tantum fidei stabilitate direxi.

Ibid.

†. Item *ad eundem*. Leo. Detestandum ergo nobis est, perseuerantérque vitandum, quod fraus hæretica nititur obtinere, nec in aliquam disceptationem piè & plenè definita reuocanda sunt, * nec ad arbitrium damnatorum ipsi de his videamur ambigere; quæ manifestum est per omnia Propheticis, & Euangelicis atque Apostolicis auctoritatibus consonare: vnde si qui sunt, qui ab his, quæ cœlitus sunt constituta, dissentiunt, suis opinionibus relinquantur, & ab vnitate Ecclesiæ cum ea, quam elegerunt peruersitate discedant: Nam nullo modo fieri potest, vt qui diuinis audent contradicere sacramentis, aliqua nobis communione socientur. Iactent se in sui eloquij vanitate, & de argumentationum suarum versutia, quæ inimica est fidei, glorientur, nobis placet Apostolicis obedire præceptis. **Videte ne quis vos decipiat per Philosophiam & inanem seductionem hominum.*] †. Quibus auctoritate & ratione indubitanter prolatis; certum est omnes Catholicæ fidei astipulatores, magis Scripturarum sanctarum; Patrúmque lucidis explanationibus, quam vanæ, inflatæque scientiæ conludiis agendum censuisse, quibus Christiana simplicitas offenditur, & humanæ iactantiæ typhus augetur.

Item Epistola 78. ad Leonem August. * deest.

D

* add. dicentibus. Col. 2. 8.

E

IOANNES SCOTVS.

Cap. 1. Num. 1. Sect. 2.

⊕ *Cuius disciplina regulis necessario vti iubemur, dum aduersus quendam sapiosophilum nomine Gotteschalcum suæ hæreseos & inuentorem simul, & assertorem, fautoresque eius, si tamen sunt nescio atque vtinam ne sint, respondere compellimur: Iubentibus videlicet Catholicæ Ecclesiæ vigilantissimis patribus, in quorum ouili tale venenum serpere molitur; annuenti præsertim orthodoxissimo principe Domino venerabili Karolo, cuius maximum studium est piè, rectéque de Deo sentire; praua hæreticorum dogmata veris rationibus, sanctorumque patrum auctoritate refellere; ad vltimum penitus eradicare. Ne igitur defensores veritatis inermes cum assertoribus falsitatis confligere videamur, non incongruè regulis disputatoriæ artis vtemur.*

F

CORRECTIO.

†. Gregorius in homilia Paschali Gregorius. *Non comederis ex eo crudum quid, neque coctum aqua*; Ecce iam nos ipsa verba historiæ ab intellectu historico repellunt, nunquid fratres charissimi Israëliticus ille populus in Ægypto constitutus comedere agnum crudum consueuerat, vt ei lex dicat; *Non comedetis ex eo crudum quid*, vbi & additur *neque coctum aquâ*: [sed quid aqua nisi humanam scientiam designat iuxta hoc, quod per Salomonem sub hæreticorum voce dicitur. *Aquæ furtiuæ dulciores sunt*, quid crudæ agni carnes nisi inconsideratam ac sine reuerentia cogitationis relictam illius humanitatem *significant*: omne enim quod subtiliter cogitamus, quasi mente coquimus; sed agni caro nec cruda edenda est, nec aquâ cocta, quia redemptor noster, neque purus homo æstimandus est, neque per humanam sapientiam qualiter incarnari Deus potuit cogitandus. Omnis enim qui redemptorem nostrum purum hominem credit, quid iste aliud, quam agni carnes crudas comedit, quas videlicet coquere per diuinitatis eius intelligentiam noluit, omnis verò qui incarnationis eius mysteria iuxta humanam sapientiam discutere conatur, carnes agni aqua vult coquere: Id est dispensationis eius mysterium per dissolutam vult scientiam penetrare. Qui igitur Paschalis gaudij solemnitatem celebrare desiderat, agnum neque aqua coquat, neque crudum comedat, vt neque per humanam sapientiam profunditatem incarnationis illius penetrare appetat, neque in eum tanquam in hominem purum credat, sed assas igni carnes comedat, vt dispensari omnia per sancti Spiritus potentiam sciat.]

Gregor. homil. 22. in Sabbato Pascha sub fin. Exod. 12. 9.

Prou. 9. 7.

G

†. Quamuis non ignoremus præcepto Domini vasa aurea, atque argentea, vestiumque, ac gemmarum variam pulchritudinem *ab Ægyptiis mutuata*, eius tabernaculo fuisse oblata, & esse deuotius offerenda: verum id quotiescunque contra eos agi necessitas summa coëgit, qui talibus inflati gloriabantur in vanitatibus suis, & simplicitatem nostræ fidei stultitiam deputabant, exequi pro tempore non est inhibitum; sed fideliter prudenterque à patribus vsurpatum: Tu autem à contrario de fide aduersus fideles nullis sophismatibus innitentes impudentius scribens, quare ad sophistica te delitamenta verteris? In promptu est nimirum iactantiæ studens, & non iam Philosophus sed philocompos videri appetens, ea nobis ingerere delegisti, quæ à nullo nostrum vel intelligi, vel deprehendi, vel certè confutari posse crederas: Et dum studes placere hominibus, quibus id cordi esse noueras (si tamen sunt aliqui, quod auertat veritas sempiterna) nequaquam vel cauisti, vel formidasti illi displicere, de quo super talibus Propheta intentando prædicit: *Quoniam Deus dissipauit ossa eorum, qui hominibus placent confusi sunt, quoniam Deus spreuit eos.* Nec metuisti cum Achan *auream regulam* ex Hiericonthino anathemate contra inhibitum castris Dominicis inferre, iamiámque cum ipso sententiam diuinæ animaduersionis, nisi citiùs humiliter resipiscendo pœnitueris,

Prud. Exod. 3. 22. Ibid. 12. 35. 22.

H

Ps. 52. 5. Iosue 7. 21.

pœnituerit, meritò subitutus: quicunque enim Propheticas vel Apostolicas nobis literas diligenter scrutati sunt, viuaciter intellexerunt, fideliter enodarunt, abstrusa aperientes, plana exornantes, nodosissima enucleantes, allegorica detegentes, hoc potissimum fategerunt, vt illo loquendi genere quàm maximè vterentur, quo etiam à simplicioribus absque graui difficultate, quæ vel audirent, vel legerent, caperentur.

Quod cùm ab omnibus prouidè fuerit obseruatum, præcipuè beatissimi atque Doctissimi Patris Augustini venerandæ memoriæ Episcopi opusculis specialiùs elucescit, quæ de doctrina Christiana composuit, in quibus vel maximè tuorum tibíque similium figmenta portentorum cauenda & fugienda eruditissima humilitate, humillimáque eruditione & sanxit, & docuit. Nec non in illis quos quæstionum vel locutionum Eptatheuci mirabili elucidatione exaratos nomine voluit prænotari.

B

Beatissimus quoque Hieronymus tot linguarum atque librorum literis incomparabiliter eruditus, in omnibus tam in Propheticis, quàm Apostolicis explanationis id sibi summoperè studij fuisse crebriùs replicando inculcat, malle per se sanctarum Scripturarum dicta intelligi, quàm rethorum controuersiis inseruire. Instructus videlicet tremendi iudicis verbere, quo propter nimiam Ciceronis lectionem adductus, acriterque cæsus, tandem circumstantium precibus liberatus iurauerat se Ciceronis libros nunquam de cætero meditaturum, nunquam lecturum, quin Epistola ad Galatas contemptum huiusce disputationis ita deprompsit dicens.

Hieron. in proœmio 3. lib. comment. ad Gal.

* al. cudimus.

[Hieronymus. Tertium ad Galatas (ô Paula & Eustochium) volumen hoc * condimus, non ignari imbecillitatis nostræ, & exilis ingenij riuulum vix paruo strepentem murmure sentientes: Iam enim & in Ecclesiis ista quæruntur, omissáque Apostolorum simplicitate, & puritate verborum, quasi ad Athenæum, & ad auditoria conuenitur, vt plausus circunstantium suscitentur, vt oratio rethoricæ artis fucata mendacio, quasi quædam meretricula procedat in publicum, non tam eruditura populos, quàm fauorem populi quæsitura, & & in modum psalterij & tibiæ dulce canentis sensus demulceat audientium: vt verè illud Prophetæ Ezechielis nostris temporibus possit aptari, dicente Domino ad eum: *Et factus es eis quasi vox cytharæ suauè canentis & benè composita. Et * audient verba tua & non * facient ea:* verum quid agam, taceamne, sed scriptum est: *non apparebis in conspectu Dei tui vacuus.* Et Isaias sicut in Hebræis tamen habetur voluminibus ingemiscit. *Væ mihi misero, quia tacui*, loquar. Sed * omnis sermonis elegantiam, & Latini eloquij venustatem stridor lectionis Hebraicæ sordidauit. Nostis enim & ipsæ; quòd plusquam quindecim anni sunt, ex quo in manus meas nunquam Tullius, nunquam Maro, nunquam gentilium literarum quilibet auctor ascendit. Et si quid fortè inde dum loquimur obrepit, quasi antiqui per nebulam somnij recordamur. Quid autem profecerim ex linguæ illius infatigabili studio, aliorum iudicio derelinquo. Ego quid in * me amiserim scio: accedit ad hoc, quia propter oculorum & totius corpusculi infirmitatem manu mea ipse non scribo, nec labore & diligentia compensare queo eloqui tarditatem, quod de Virgilio quoque tradunt, quia libros suos in modum vrsorum fœtum * linguendo figurauerat. Verum accito notario aut statim dicto quodcunque in buccam venerit, aut si paululum voluero cogitare, melius aliquid prolaturus, tunc me tacitus ille reprehendit, manum contrahit, frontem rugat, & se frustra adesse toto gestu corporis contestatur. Oratio autem licet de bonæ indolis ingenio sit profecta, & distincta inuentionibus, & ornata flore verborum: tamen nisi auctoris sui manu limata fuerit & polita, non est nitida, non habet mixtam cum decore grauitatem, sed in modum diuitum rusticorum opibus suis magis arguitur, quàm eo ornatur? quorsum ista, videlicet vt & vobis & cæteris qui fortè legere voluerint, sit responsum; me non panægyricum, aut controuersiam scribere, sed commentarium,

C

LXX. Ezech. 33. 32.

* al. audiunt.

* al. faciunt.

Exod. 23. 15.

Isa. 6. 5.

* al. omnem.

D

* al. mea

† al. lambendo figurauerit.

E

id est hoc habere propositum, non vt mea verba laudentur, sed vt quæ ab alio benè dicta sunt ita intelligantur, vt dicta sunt, Officij mei est obscura disserere, manifesta perstringere, in dubiis immorari. Vnde & à plerisque commentariorum opus explanatio nominatur: si quis eloquentiam quærit, aut declamationibus delectatur, habet in vtraque lingua Demosthenem, & Tullium, Polemonem, & Quintilianum: Ecclesia Christi non de Academia, & Lycæo sed de vili plebicula congregata est; vnde & Apostolus, *Videte* (inquit) *vocationem vestram fratres, quia non multi sapientes secundùm carnem, non multi potentes, non multi nobiles; sed quæ stulta sunt huius mundi elegit Deus, vt confundat sapientes, & infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia, & ignobilia, huius mundi, & contemptibilia elegit Deus, & quæ non sunt, vt ea quæ sunt destrueret: quia enim ex creaturarum ordine, varietate, constantia, non cognouerat mundus per sapientiam Deum, placuit Deo per stultitiam prædicationis saluos facere credentes non in sapientia verbi, vt non * euacuetur crux Christi. Vbi enim scriba? vbi Grammaticus?* vbi causarum naturalium scrutatores? *nec in persuasibilibus sapientiæ verbis, sed in ostensione virtutis & spiritus, vt fides credentium non esset in sapientia hominum, sed in virtute Dei:* quamobrem & ipse Apostolus ad eosdem Corinthios loquebatur. *Et ego veniens ad vos (fratres) veni non per * subtilitatem sermonis & sapientiæ annuntians vobis testimonium Domini. Non enim iudicaui scire me aliquid inter vos, nisi* CHRISTVM IESVM *& hunc Crucifixum:* Et ne forsitan putaretur hæc dicens esse insipientiæ prædicator, mente præsaga, quod opponi poterat, euertit. *Sed loquimur* (inquit) *Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est; quam nemo principum huius sæculi cognouit.* Quotus quisque nunc Aristotelem legit? quanti Platonis vel libros nouere vel nomen? vix in angulis otiosi eos senes recolunt; rusticanos verò & piscatores nostros totus orbis loquitur, vniuersus mundus sonat. Itaque sermone simplici simplicia eorum verba * ponenda sunt. Verba inquam non sensus. Cæterùm si orantibus vobis illum * possem in exponendis Epistolis eorum habere spiritum, quem illi in dictando habuerunt: tunc * videretis tantam maiestatem & latitudinem in his veræ fuisse sapientiæ, quanta in sæculi literatis arrogantia & vanitas fuit. Breuiter vobis meæ mentis * farear arcanum, qui per me intellecturus est Apostolum, nolo vt mea scripta difficulter intelligat, & ad interpretem cognoscendum alium quærat interpretem.

1. Cor. 1. 26. 27.

v. 25.

Ibid.

Ibid. 21.

Ibid. 17.

v. 20.

† al. euacuatur.

1. Cor. 2. 4. 5.

F

† al. sublimitatem.

Cap. 2. 1. 1.

v. 7. 8.

G

† al. pudenda.

† al. passim.

* al. viderctis.

† al. fatear.

† Nec minùs Cassiodorus in opere mirabili quod Psalmorum expositione contexuit; Cùm plures earundem artium figuras interponeret, non per illas Psalmos exposuit, sed eas sacris eloquiis inesse perdocuit, quatenus earum auctorem Dominum, qui eisdem diuinis eloquiis prædicatur, non eos qui se inuentores talium iactabant, cúmque aut minimè, aut ex parte cognouerant, patenter ostenderet, de quo dicitur: *Omnis sapientia à Domino Deo est & cum illo fuit semper & est ante eum*, vbi necessariò additur *omnis*, vt demonstretur quicquid bonarum artium atque ingeniorum rectè veriltérque sapitur, illo authore dari omnibus, atque dispertiri: de quo legitur: *Diuidens singulis prout vult*, qui solus essentialiter, incommutabiliter, ac sempiternè sapiens, immo sapientia veraciter creditur, & fideliter prædicatur. De qua te cùm in præfatione eiusdem amplectendi operis de eloquentia totius legis diuinæ dissereret, ita locutus est.

Prud.

Eccl. 1. 1.

H

1. Cor. 12. 11.

[Cassiodorus. Vnde ad probationem pertinet, & maximum, quia lex diuina per cunctas mundi partes cognoscitur fuisse suscepta, hæc multis modis generata suæ locutionis exercet, & definitionibus succincta, schematibus decora, verborum proprietate signata, syllogismorum complexionibus expedita, disciplinis irrutilans; non tamen ab eis accipiens extraneum decorem, sed potiùs illis propriam conferens dignitatem. Hæc enim quando in diuinis Scripturis splen-

C. Cassiod. in Psal. prolog. c. 15.

dent,

A dent ; certa atque purissima sunt : Cùm vero ad opiniones hominum, & quæstiones inanissimas veniunt, ambiguis altercationum fluctibus agitantur, vt quod hic firmissimè semper verum, frequenter alibi reddatur incertum. Sic & lingua nostra dum Psalmodiam canit, nubilitate veritatis ornatur : Cum ad fabulas ineptas, & blasphema se verba conuerterit, ab honore probitatis excluditur. Sicut Apostolus Iacob dicit : *Ex ipso ore benedicimus Deum, & Patrem, & ex ipso ore maledicimus hominem, qui ad imaginem & similitudinem Dei factus est* : hæc mundanarum artium periti, quos tamen multo posterius ab exordio diuinorum librorum extitisse manifestum est, ad collectiones argumentorum, quæ Græci topica dicunt, & ad artem dialecticam, & rhetoricam transtulerunt, vt cunctis euidenter appareat, prius ad exprimendam veritatem iustis mentibus datum, quod postea gentiles humanæ sapientiæ aptandum esse putauerunt : hæc in lectionibus sacris tanquam clarissima sydera lucent, & significantias rerum vtillimis B compendiis decenter illuminant, quæ nos breuiter locis aptissimis admonebimus, quoniam res ipsæ commodissimæ deducentur ad medium, per quas concepti sensus clarius elucebunt. Nam & pater Augustinus in lib. 3. de doctrina Christiana ita professus est: Sciant autem literati modis omnium locutionum, quas Grammatici Græco nomine tropos vocant, auctores nostros vsos fuisse : Et paulo post sequitur : quos tamen tropos, id est, modos locutionum, qui nouerunt, agnoscunt in litteris sanctis, eorumque scientiâ ad eas intelligendas aliquantulum adiuuantur, cuius rei, & in aliis codicibus suis fecit euidentissimam mentionem ; in libris quippe, quos appellauit de modis locutionum diuersa schemata sæcularium literarum inueniri probauit in litteris sacris : Alios autem proprios modos in diuinis eloquiis esse declarauit, quos Grammatici, siue rhetores nullatenus attigerunt dixe- C runt hoc apud nos & alij doctissimi patres, idest Hieronymus, Ambrosius, Hilarius, vt nequaquam nos præsumptores huius rei, sed pedissequi esse videamur. Sed dicet aliquis, nec partes ipsæ syllogismorum, nec nominis schematum, nec vocabula disciplinarum, nec alia huiuscemodi vllatenus inueniuntur in Psalmis ? inueniuntur pane in virtute sensuum, non in effectione verborum : Sic enim vina in vitibus, messem in semine, frondes in radicibus, fructus in ramis arboris, ipsas nuces contemplamur in nucleis. Nam & de profundissima abysso & deliciosus piscis attingitur, qui tamen ante conceptionem suam humanis oculis non videtur. Meritò ergo esse dicimus, quæ inesse nihilominus virtute sentimus : Nam & Apostolus vetat, *nos seduci per vanam sapientiam mundi* ; Ita vero non abnegat in literis esse diuinis.]

Iacob. 3. 9.

August. de doct. Christ. ...

1. Cor. 3. 19. Paul.

†. Ac per hoc quandocunque, sicut diximus, talibus vti necessitas impellit, aduersus eos sine dubio, qui illudentes sinceritati nostræ fidei eis inflati tument, agen- D dum piè humiliterque non improbatur, cùm legamus *Mosen* Prophetarum eximium *omni Ægyptiorum sapientia eruditum*, & *Danielem*, ac socios eius omnes Chaldæorum Magos, atque aruspices eorundem scientiâ decuplo superasse. Iam nunc in nomine & adiutorio labyrinthum tuarum hæreseon adituri gratiam eius, sine quo nihil sumus, scimus & possumus, inuocemus, vt ipsa duce tuas inextricabiles moras penetrare, easque inoffenso gressu euadere valeamus, nequaquam tui quadruuij innodationibus ac deprauationibus, sed auctoritati & veritati medullitus innitentes.

Dan. 5. 14. & 15.

Igitur per copiosam præfationis tuæ disputationem, qua veram Philosophiam veram esse religionem veraciter adstruis, sed inueniendam disciplinarum sæcularium eruditione fallacitee affirmas, cum vera Religio fide & Dei gratiâ, non humanis adinuentionibus assequatur atque approbetur ; ponis sententiam Gottescalci, quâ affirmare conetur necessitate prædestinationis tam bonos ad bona, quam malos ad mala ineuitabilitee impelli. Hoc vtrum vel quare dicerit ipse viderit, nos destinatione Dei ad aliquid necessitate impelli, vel (sicut à multis dicitur) fataliter cogi neminem credimus & E confitemur, sed eius prouidentia sempiterna, & omnipotentissima præscientia omnia ordinari, disponi, dispensari, destinari, regi ac gubernari modis cuique congruis nullomodo dubitamus : dicente veraciter de eo Scriptura : *Quia attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter*, quibus verbis vniuersa Dei sapientia præueniri, attingi, atque disponi breuiter, immutabiliterque definitur : Nunquam enim attingeret, atque disponeret, nisi præueniret, nunquam vero præueniret, nisi essentialiter ac sempiterne omnipotenterque existeret.

De Prædestinatione.

Sap. 8. 1. Ps. 118. 91.

Constat ergo nihil esse nisi Creatorem & creaturam, Creatorem à nullo, creaturam à Creatore. Creatorem sine initio, mutabilitate, & fine. Creaturam cum initio, & mutabilitate, partimque cum fine : Rationalis enim creatura Angelorum & hominum cœpit, nec desinit ; cætera vero vsibus hominum facta atque attri- F buta, partim desinunt, partim permanent ; nec tamen eadem permansione æternitati coæquantur authoris, de quibus nunc longum est disputare. Cum ergo constet nihil aliud esse quam Creatorem, & creaturam, eandemque non à seipsa, sed à Creatore existendi sumpsisse principium, nihilominus ad Creatorem pertinuit disposuisse, ordinauisse, destinasse, ac prædestinasse quod fecerat, quemadmodum dictum est. Quod *attingat à fine vsque ad finem fortiter, & disponat omnia suauiter*, à fine videlicet inuisibilis atque incorporeæ creaturæ, vsque ad finem visibilis corporeæque creaturæ : Id est ab eo quod in creaturis omnibus summum est : vsque ad id quod in creaturis omnibus infimum est : quod si negatur, aut inuidus (quod absit) aut impotens Deus asseritur. Quia si non ordinauit, disposuit, dispensauit, destinauit, siue prædestinauit quod fecit, colligitur vt nullatenus facturæ suæ curam habuerit : Habuit autem curam creaturarum quas fecit, quia de eo verax scriptura confitetur dicendo : *Cui cura est de omnibus*, & ad G quem Propheta loquitur : *Ordinatione tua perseuerat dies, quoniam omnia seruiunt tibi* : Et cui in precibus orantes dicimus : *Deus cuius prouidentia in sui dispositione non fallitur* : Et qui in Euangelio loquitur : *Nonne duo passeres asse veneunt, & vnus ex illis non cadit super terram sine patre vestro.* Et rursum : *Si ergo fœnum, quod hodie in agro est, & cras in Clibanum mittitur, Deus sic vestit ; quanto magis vos minimæ fidei* : Et cætera, quibus abundare diuina eloquia nullus ignorat : quo conficitur Deum omnia sicut creasse ; ita curasse, ordinasse, disposuisse, dispensasse, destinasse, seu prædestinasse, quæ vel fecit, vel facturus est iuxta illud *qui fecit quæ futura sunt*. Qui enim omnes creaturas initio condidisse creditur, quid est, quod facturus erat, nisi gubernatio, multiplicatio, ac dispositio earum quas fecerat ? Vnde & in Euangelio ipsa veritas loquitur dicens : *Pater meus vsque modo operatur, & ego operor*, siue *fecit quæ futura sunt*, quia in præscientia sua quæ falli, mutarique nequit, prædestinauit, quid forinsecus operis effecturus, H & ad quem finem opus, quod faceret esset perducturus : quæ operatio nisi illius dispositio ? quod tantumdem valet, nec aliud prorsus rectè intelligitur, quam si dicatur, destinatio, ac prædestinatio bifariam diuiditur, in bona videlicet & mala ; sed bona quæ non sunt nisi auctore bono & summo, id est Deo : Mala nullatenus. Ea quæ non auctore Deo, sed voluntate creaturæ rationalis à suo auctore deflexa, atque inde deteriora culpabiliter auersa fiunt.

Sap. 8. 1.

Sap. 12. 13. Ps. 118. 91. Matth. 10. 29. Matth. 6. 30.

LXX. Isa. 45. 11.

Ioan. 5. 17.

Proinde bonorum omnium auctor est Deus, Malorum autem, id est vitiorum, atque peccatorum auctor Deus non est, sed præscitor prouidentissimus, examinator sapientissimus, iudex potentissimus atque iustissimus ; eorum ergo malorum id est tribulationum, afflictionum, atque infirmitatum, seu quarumlibet pœnarum quas vel in hac interim vita, & iustis & iniustis mixtim ingerit : Illic autem id est in gehenna solis impiis diuina æquitas iuste meritóq; retribuit, auctor dicitur Deus dicēte

Propheta: *Si est malum in ciuitate, quod Dominus non fecit:* Et iterum ipse Dominus per Isaiam inducitur dicens: *Faciens bonum, & creans malum, formans lucem, & creans tenebras: Ego Dominus faciens omnia hæc.* Item idem in Euangelio dicturum se impiis in iudicio testatur. *Ite* (inquiens) *in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & Angelis eius:* Quid est, quod ait paratus, nisi creatus atque destinatus? à quo autem creatus, nisi ab illo, qui per Prophetam dixerat sese *creasse malum & tenebras?* Ab ipso indubitanter etiam destinatus impiis dicitur, testante Isaia Propheta: *Parata est enim ab heri à Rege Tophet parata, & dilatata*, vbi & creationem & destinationem ignis gehennæ à Deo factam atque ordinatam patenter intimat. *Tophet* enim gehennam dicit, *ab heri* autem ab initio, *à Rege* verò nihilominus ab omni Deo (sicut sanctus Hieronymus exponit) intelligitur. Cùm igitur horum malorum Deus absque contradictione dicatur auctor, ordinator, atque dispositor: quid, quæso te, obest veritati, si dicatur etiam destinator, ac prædestinator: Cùm nihil aliud destinare, & prædestinare, quàm ordinare, & præordinare, disponere, vel ante disponere, seu aliud quid simile à sanis mentibus intelligatur: hinc Augustinus in libro primo, de libero arbitrio.

Augustinus. Dic mihi quæso, te vtrùm Deus non sit auctor mali? Dicam si planum feceris de quo malo quæras: duobus enim modis appellare malum solemus, vno cùm malè quemque fecisse dicimus, alio cùm mali aliquid esse perpessum. De vtroque scire cupio. At si Deum bonum esse nosti vel credis: Neque enim aliter fas est) malè non facit. Rursus si Deum iustum fatemur (nam & hoc negare sacrilegum est) vt bonis præmia, ita supplicia malis tribuit: quæ vtique supplicia patientibus mala sunt: quamobrem si nemo iniustè pœnas luit, quod necesse est credamus quandoquidem diuina prouidentia hoc vniuersum regi credimus: illius primi generis malorum nullomodo, huius autem secundi auctor est Deus.]

† Quod autem ordinare, vel præordinare, pro eo quod est destinare, vel prædestinare ponatur, Liber Actuum Apostolorum indicat, dicente Beato Luca Euangelista scriptore Actuum eorumdem; *Et crediderunt quotquot erant præordinati in vitam æternam.* Quod nihil rectiùs intelligitur, quàm prædestinati in vitam æternam, & quod destinatio, vel prædestinatio, Dei dispositio debeat intelligi, sanctus antistes Fulgentius in libro de prædestinatione ad Monimum declarat.

Fulgentius: In sanctis igitur (inquiens) perfecturus est Dominus, quod vt essent boni gratis dedit, quod autem daturum se præsciuit, in æterna bonitatis dispositione prædestinauit. Ipsa est enim prædestinatio Dei sempiterna scilicet dispositio futuri operis Dei]

† Quæ præordinatio, dispositio, destinatio, vel prædestinatio Dei certissima, scientissima, omnipotentissima nullum ad peccatum adigit, nullum incitat, nullum cogit: Sed voluntariè in crimina labentes, atque in eis obstinatissimè perdurantes, iustè punit, iuste condemnat: Nequaquam enim iustitiam seruaret, nisi à se voluntaria defectione auersos ac recedentes, neque vlla conuersione ad se redeuntes præuaricatores meritis pœnis addiceret. Quia autem iustus est, & iustitiam seruat, & tamdiu inexhaustæ bonitatis suæ patientia malos tolerat, muneribus donat, præmiis inuitat; nec tamen vllo tantæ benignitatis medicamine molliuntur, quin potiùs obduratione irreuocabili, & ingratitudine horribili in suis voluntariis iniquitatibus perseuerant, æquitati eius omnimodo dignissimè competit, vt quos inuicta bonitas nullatenus reuocauit à scelere, æterna æquitas puniat in tormentis.

Hanc iustissimam, proindéque irreprehensibilem facinorosorum hominum damnationem Deum, & præscisse, & prædestinasse à sanctis patribus fideliter dictum, veraciter prædicatum, & dicimus, & fatemur. Hinc Augustinus in libro 3. de lib. arbitr. Augustinus: [Nunc autem, quia ita est non est bonus, nec habet in potestate vt bonus sit, siue non videndo qualia esse debeat, siue videndo, & non valendo esse, qualé debere esse se videt, pœnam istam esse quis dubitet? Omnis autem pœna si iusta est, peccati pœna est, & supplicium nominatur: Si autem iniusta est pœna, quoniam pœnam esse nemo ambigit, iniusto aliquo dominante homini imposita est. E
Porrò quia de omnipotentia Dei, & iustitia dubitare dementis est, iusta hæc pœna est, & pro peccato penditur aliquo: Non enim quisquam iniustus dominator, aut subripere hominem potuit, velut ignorante Deo, aut extorquere inuito, tanquam inualidiori, vel terrendo vel confligendo, vt hominem iniusta pœna cruciaret. Relinquitur ergo, vt hæc iusta pœna de damnatione hominis veniat. Nec mirandum est, quòd vel ignorando non habeat liberum arbitrium voluntatis ad eligendum quid rectè faciat, vel resistente carnali consuetudine, quæ violentia mortalis successionis quodammodo naturaliter inoleuit, videat quid rectè faciendum sit, & velit, nec possit implere: illa est enim peccati pœna iustissima, vt amittat vnusquisque quo benè vti noluit, cùm F
sine vlla posset difficultate, si vellet; Id est autem, vt qui sciens rectè non facit, amittat scire, quid rectum sit, & qui rectè facere cùm posset, noluit, amittat posse, cùm velit. Nam sunt reuera omni peccanti animæ duo ista pœnalia, ignorantia, & difficultas; Ex ignorantia dehonestat error, ex difficultate cruciatus affligit: Sed approbare falsa pro veris, vt erret inuitus, & resistente atque torquente dolore carnalis vinculi non posse à libidinosis operibus temperare, non est natura instituti hominis, sed pœna damnati.]

CAP II.

Argumento necessitatis colligitur duas Prædestinationes fieri non posse.

† TV verò tantæ auctoritati impudenter obuians secunda fœtorum tuorum exhalatione conaris tuis argumentationibus obruere veritatem, & dicta luce clarius patentia nebulosis conclusionibus obfuscare. Nam agens aduersus Gotteschalcum (vt ita dixerim) inficiatis duas esse prædestinationes, quæ à patribus in vnum vocabulum rediguntur, vt dicantur prædestinatio bonorum & prædestinatio malorum. Sanctus enim Isidorus Hispalensis Episcopus gemina est (inquit) prædestinatio;] Quam tu occasione necessitatis euertis, cùm nullus orthodoxorum necessitate prædestinationis quemquam ad aliquid vel bonum, vel malum compelli, vel crediderit vel prædicauerit: Et ob id vel duas, vel geminam non esse prædestinationem affirmas, adhibitóque non necessario argumento disputas multipliciùs, quàm necesse est de diuina essentia, eóque tuæ disputationis intentionem perducis, vt adstruas, *Ita in Deo prædestinationem sicut essentiam debere intelligi, nec differre in Deo vtrùm essentia, an sapientia, an Iustitia, seu potestas, ac veritas, æternitas, voluntas, operatio, siue prædestinatio nuncupentur:* Deinde infers.

G
Cap. 1. Prud.

Isid. sent. 2. c. 6.

H

IOANNES SCOTVS.

ⴱ *Si impium est duas essentias in Deo doceri, vel duas sapientias, scientias, virtutes cæteraque omnia, quæ de Deo dicuntur, geminari, vel triplicari, vel quacunque multiplici specie cumulari, quicunque duas in Deo prædestinationes asserere conuincitur, reatu impietatis ligatur, vna est enim diuina prædestinatio, sicut vna est diuina Operatio, diuina Sapientia, diuina Substantia, diuina Voluntas.*

Cap. 2. n. 1. lib. 6.

CORRECTIO.

† In quibus tuæ disputationis verbis impios te denotauisse quicunque Catholici atque orthodoxi prædestinatos ad interitum vel scripsere, vel sentiunt, impudenti superbia, superbaque impudentia demonstrasti. Deinde

blasphemia

A blaſphemia intolerabilis aperitur, cum aſſeris, nihil aliud eſſe Dei prædeſtinationem, quam ſubſtantiam, naturam atque voluntatem, & hoc tuis fœneis (vt ita dixerim) ratiuncul is aſtipulari, non auctoritate, quâ noſtræ fidei veritas ſolidatur atque defenditur, adſtruere maluiſti: Cum te in tantum tua peruerſitas obfudit tenebris erroris, , vt nec videres, nec conſuleres veritatem. Negas enim geminari, vel triplicari, vel quacunque multiplici ſpecie cumulari, ac per hoc pluraliter prædeſtinationes dici, ſicut eſſentias, ſapientias, ſcientias, virtutes, voluntates, operationes. *Vna eſt* inquiens *prædeſtinatio, ſicut vna eſt diuina operatio, diuina ſapientia, diuina ſubſtantia, diuina voluntas*, & ſubſequetis.

IOANNES SCOTVS.

Cap. 1. Num. 2. Sect. 6. ⊖ *Clamat enim Scriptura*, Magna opera Domini exquiſita in omnes voluntates eius.

†. Et inferius.

B Pſ. 110. 2. ⊖ *Non dixit in omnes neceſſitates eius*, ſed in omnes voluntates eius.

Prud.

CORRECTIO.

Cap. 2. Num. 3. Sect. 6. Prud. †. Erige nunc mentis oculum, ſi tamen adeſt ad intuitum veritatis, ſi autem abeſt humiliate fideliter, petens ab ea, vt eum tibi vel mundare, vel illuminare, vel certè reddere dignetur. Dixiſti voluntatem Dei, ſicut eſſentiam, nec geminari, nec multiplicari poſſe, id eſt pluralitate carere, quod tamen ipſa, quam ſubiunxiſti propheticâ ſententiâ refellitur. Cum dicitur *in omnes* Pſ. 110. 2. *voluntates eius*: Ecce *voluntates* Dei multipliciter, ac per hoc pluraliter prolatas; Tu ipſe protuliſti: & tamen impium eſſe dixiſti, ſi quis voluntatem, quæ in Deo eſt, multipliciter, id eſt pluraliter proferet. Nempe Luc. 18. 11. & 12. cum *Phariſæo*: quem Euangelicus ſermo iactantem ſua merita reprehendit, ad inflatiſſimam tuam ſcientiolam oculum nebuloſiſſimum, quantum in te fuerat arro- C ganter oſtentandam aperuiſti cum publicano veraciter humiliari, contemnens, à veritatis aſpectu intelligentiam detorſiſti. Quod ſi aliud eſſe dixeris in Deo voluntatem, atque aliud voluntates Dei, & in hoc quanta impietate inſanieris auctoritate detegeris; quamuis enim & ſciamus, & fateamur in Deo nihil aliud velle, quam eſſe, nihilque aliud eſſe, quam velle. Voluntas quippe illius eſſentia eſt, & eſſentia voluntas: tamen ipſe, qui ſibi eſt eſſentia, ipſe voluntas; loquitur per Pro- Pſ. 15. 3. phetam: *Sanctis, qui ſunt in terra eius, mirificauit omnes voluntates meas in eis*: Non enim aliud ipſe eſt, & aliud voluntatea eius, quia ſi aliud ſunt extra eum ſunt: Si extra eum ſunt, iam non ipſe eſt voluntas ſua. Eſt autem ipſe voluntas ſua: ſunt ergo intra ipſum voluntates ſuæ.

Falſum eſt igitur quod dixiſti voluntatem in Deo non multiplicari, id eſt non dici pluraliter, cum id quod multiplicatur, pluraliter efferri neceſſe ſit: Licet enim eſſentia Dei indubitabiliter ſimplex ſit, neque vllâ multiplicitate, vel geminetur, vel triplicetur, vel multi- D plicetur: Quædam tamen ſunt, quæ in Deo vel de Deo eſſentialiter prædicantur, quæ ſine contradictione in diuinis eloquiis pluraliter prolata reperiuntur. Dicitur quippe voluntas Dei eſſentia eius, dicuntur etiam voluntates eius pluraliter, nec tamen eſſentiæ eius pluraliter proferuntur, ſed manente incommutabiliter, remotáque ab omni multiplicitatis capacitate eſſentia illius, voluntas eius pluraliter effertur, non vt ipſa eſſentia multiplicetur, ſed vt voluntatis eius effectus, pro diſtributionum eius congruentiia atque diuerſitatibus multiplices declarentur: Reclamat autem aduerſus te Scriptura ſancta, quæ in libro ſapientiæ de Spiritu Dei: qui vtique Deus eſt, ita inter cætera potentiæ illius præco- Sap. 7. 22. nia. *Per me Spiritus* (inquiens) *intelligentiæ ſanctus, vnicus, multiplex, ſubtilis*; Itaque quomodo vnicus idem dicatur & multiplex, &c. noli garrire contra veritatem: prædeſtinationis etiam vocabulum, quod Dei ſubſtantia eſt, coæquans dixiſti nullatenus multiplicari. Beatiſſimus

E Gregorius Apoſtolicæ ſedis Antiſtes; & quemadmodum veraciter aſſeruiſti, veraciſſimus Scripturarum explanator, tuarum concluſionum diſputationes ante flocci pendens, vel potius damnans, quam legens pluraliter enuntiare non metuit: nam in lib. 29. admirandi atque amplectendi operis, quod in beati Iob explanationem eloquentiſſima ſuauitate compoſuit, inter cætera Grego- *De occultis prædeſtinationibus. Gregor. in Iob. lib. 29. cap. vlt. Prud.* rius ordinem, inquit, cœli noſſe eſt ſupernarum diſpoſitionum occultas prædeſtinationes videre.

†. Ac deinde quas prædeſtinationes dixerit, copioſa explanatione perdocuit: Egit enim affluentiæ ſuæ dulcedine ſuper bonorum gratuita electione, malorumque iuſtiſſima reprobatione, quod vt clarius eniteſcat, totam eiuſdem loci continentiam proponamus.

Greg. dicto lib. 29. c. 17. Gregorius Pater quippe in ſuo tempore luciferum produxit, quia ſicut ſcriptum eſt *cum venit plenitudo* Gal. 4. 4. 5. *temporis miſit Deus filium ſuum natum ex muliere, factum ſub lege, vt eos qui ſub lege erant redimeret*; qui natus ex virgine velut lucifer inter tenebras noſtræ noctis apparuit, F quia fugata obſcuritate peccati æternum nobis mane nunciauit; [Luciferum vero ſe innotuit, quia diluculo ex morte ſurrexit, & fulgore ſui luminis mortalitatis noſtræ terram caliginem preſſit: Cui bene per Ioannem dicitur, *Stella ſplendida & matutina*: Viuus quippè * apparendo poſt mortem, matutina nobis ſtella *al. apparens. factus eſt: Quia dum in ſemetipſo exemplum nobis re- Apoc. 22. 16. ſurrectionis præbuit, quæ lux ſequatur indicauit. *Veſperum verò ſuper terra filios conſurgere Dominus facit*, Iob 38. 32. quia infidelibus Iudæorum cordibus dominari Antichriſtum eorum merito exigente permittit; qui idcirco à Domino huic * veſperæ iuſtè ſubduntur, quia ipſi ſpon- *al. Veſperi. tè ſua filij terræ eſſe voluerunt, terrena quippe & non cœleſtia requirente, à perſpicienda luciferi noſtri claritate ex cæcati ſunt, & dum præeſſe ſibi veſperum expetunt, ſubſequentis damnationis æternâ nocte merguntur. Hinc in Euangelio Dominus dicit; *Ego veni in nomine* Ioan. 5. 43. *Patris mei, & non accepiſtis me. Alius venit in nomine ſuo * illum accipietis*. Hinc Paulus dicit: *Eo quod cha-* * al. & ipſum. *ritatem veritatis non receperunt, vt ſalui fierent, ideo mit-* G *tet illis Deus operationem erroris, vt credant mendacio, vt* 2. Theſ. 2. 10. 11. *iudicentur omnes, qui non crediderunt veritati, ſed conſenſerunt iniquitati*. Nequaquam ergo ſuper eos veſper conſurgeret, ſi cœli filij eſſe voluiſſent: Sed dum viſibilia appetunt amiſſo cordis lumine ſub noctis duce teneſcunt. Quod tamen ſi moraliter diſcutimus, quomodo quotidie agatur inuenimus. Quia nimirum & electis lucifer oritur, & veſper reprobis Deo permittente dominatur, vnus enim atque idem ſermo Dei eſt in ore prædicantis, quem dum iſti gaudendo, illi vero inuidendo audiunt, claritatem Luciferi ſibi in veſperi tenebras vertunt. Dum iſti humiliter vocem ſanctæ prædicationis accipiunt quaſi ad ſtellæ lucem oculos cordis aperiunt: Dum verò illi benedicenti inuident, & non ſalutis cauſam, ſed elationis gloriam quærunt, prorumpente iniquitate ſua veſpere, in ſomnum mortis oculos claudunt. Per occultum ergo iudicium is, qui * electo eſt lucifer, * reprobo *electis. *al. reprobis auditoribus. auditori fit veſper, quia exhortatione ſancta, qua boni ad H vitam redeunt, praui deterius in culpa moriuntur: vnde bene per Paulum dicitur: *Chriſti bonus odor ſumus Deo* 2. Cor. 2. 15-16. *in his, qui ſalui fiunt, & in his qui pereunt: Aliis quidem odor mortis in mortem, aliis autem odor vitæ in vitam*. Verbum itaque ſuum auditoribus eſſe luciferum ſimul & veſperum vidit, per quod & alios ab iniquitate ſuſcitari & contra alios ſopiri in iniquitate conſpexit; Quod quia d. v. 16. occultis Dei iudiciis agitur, quæ in hac vita ab hominibus comprehendi non poſſunt, rectè illic ſubdidit: *Et ad hæc quis tam idoneus?* Ac ſi diceret idonei quidem ſumus ad hæc conſideranda * quia fiunt; ſed idonei non *al. quæ. ſumus ad hæc inueſtiganda cur fiant. Vnde hic quoque Dominus, quia aliis produci luciferum, aliis verò conſurgere veſperum dixerat, ne perſcrutari homo occulta Dei iudicia audeat,

Illico ſubiungitur: *Nunquid noſti ordinem cœli, & pones rationem eius in terra?* Ordinē cœli noſſe eſt ſupernarū diſpoſitionū occultas prædeſtinationes videre: Rationē

A verò eius in terra ponere est ante humana corda talium secretorum causas aperire. Rationem videlicet cœli in terra ponere est supernorum iudiciorum mysteria vel considerando discutere, vel loquendo manifestare: quod vtique facere in hac vita positus, nullus potest. Vt enim à paruis ad maiora veniamus, quis intelligat, quæ esse * ratio secretorum potest, quòd sæpè vir iustus à iudicio non solùm non vindicatus, sed etiam punitus redeat, & iniquus eius aduersarius, non solùm non punitus, sed etiam victor abscedat? Quis intelligat cur viuit alius insidians mortibus proximorum, & moritur, alius qui profuturus esset vitæ multorum? Alius culmen potestatis assequitur, qui non nisi lædere studet, alius tantummodo læsos defendere concupiscit, & tamen ipse oppressus iacet, alius vacare appetit, & innumeris negotiis implicatur, alius negotiis implicari desiderat, & coactus vacat: Alius malè * inchoatis vsque ad vitæ suæ terminum ad peiora protrahitur: alius benè incipiens per longitudinem

* al. subtilitas

* al. inchoans

B temporum proficit ad augmenta meritorum: * atque è contra, alius malè viuens diu reseruatur, * vt corrigatur; alius verò benè quidem videtur viuere, Sed in hac vita eo vsque durat, quo ad peruersa prorumpat: Alius in errore infidelitatis natus in errore deficit, alius in Catholicæ fidei rectitudine genitus, in Catholicæ fidei rectitudine consummatur: È contra verò alius Catholicæ matris ventre editus iuxtà vitæ terminū erroris voragine deuoratur: Alius autem vitam suam in Catholica pietate consummat, qui ortus in perfidia, cum lacte matris hauserat virus erroris. Alius celsitudinem benè viuendi appetere & * volet & valet, alius nec volet nec valet; alius volet & non valet; alius valet & non volet. Quis ergo ista iudiciorum cœlestium secreta discutiat, quis intelligat discretam lancem æquitatis occultæ? Ad cognoscendos quippe istos iudiciorum secretorum sinus, nullus ascendit. Dicatus ergo homini, vt se nescire cognoscat. Nescientem verò se cognoscat & timeat, timeat vt humilietur, humilietur, ne præsumat in se; non præsumat in se, vt conditoris

* al. At contra.

* al. Vt ipse corrigat

* al. Vult

C sui auxilium requirat, & qui in se fidens mortuus est, auctoris sui adiutorium appetens viuat. Audiat itaque vir iustus iam quidem se sciens, sed adhuc quæ supra se sunt nesciens, *Numquid nosti ordinem cæli & pones * rationē eius in terra?* id est nūquid occultos ordines iudiciorum cœlestium comprehendis; aut aperire humanis auribus sufficis? Beatus igitur Iob de iudiciorum incomprehensibilium inuestigatione requiritur, ac si ei apertè diceretur: Cuncta quæ pateris, tantò tolerare patientiùs debes, quātò secretorum cœlestiū ignarus, cur * hoc pateris nescis.]

Iob. 38. 33.

* al. rationes

* al. hae

Prud.

℞. Quem secutus tam fide, quàm sensu & verbis sanctus Isidorus Hispalensis Episcopus eandem penè sententiam dictis suis interposuit, quos quisquis conferre voluerit inueniet ita vno eos spiritu atque ore locutos, vt eundem Spiritum sanctum vtrisque affuisse, & per vtrumque vnanimiter locutum minimè dubitet Isidorus, Gemina est prædestinatio, siue electorum ad requiem siue reproborum ad mortem: vtráque diuino * agitatur iudicio, vt semper electos superna & interiora sequi faciat, sempérque reproboa, vt infimis & exterioribus delectentur, deserendo permittat. Sicut ignorat homo terminum lucis & tenebrarum, vel vtriusque rei quia finis sit: ita plenius nescit, quis ante suum finem, luce iustitiæ præueniatur, vel quis peccatorum tenebris vsque in suum terminum obscuretur, aut quis post lapsum tenebrarum, conuersus resurgat ad lucem. Cuncta hæc Deo patent, homini verò latent. Quamuis iustorum conuersatio in hac vita probabilis sit, incertum tamen hominibus esse, ad quem sint finem prædestinati. Sed omnia reseruari futuro examini. Mira dispositio est supernæ distributionis, per quam hic iustus ampliùs iustificatur, impius ampliùs sordidatur? Malus ad bonum aliquando conuertitur, bonus ad malum aliquando reflectitur: vult quis esse bonus, & non valet, vult alter esse malus & non permittitur interire: datur ei qui vult esse bonus, alius nec vult, nec datur ei, vt sit bonus: iste nascitur in errore & moritur, ille in bono quo cœpit vsque in finem perdurat: tamdiu iste stat quo

De gemina prædestinatione, Isidor. sentent.

D lib. 2. c. 6. de prædest.

* al agitur.

E vsque cadat, ille diu malè viuendo in fine saluatur respectusque conuertitur. Vult prodesse in bono iustus nec præualet, vult nocere malus & valet, iste vult Deo vacare, & sæculo impeditur, ille negotiis implicari cupit, nec perficit; Dominatur malus bono, bonus damnatur pro impio; impius honoratur pro iusto: & in hac tanta obscuritate non valet homo diuinam perscrutari dispositionem, & occultum prædestinationis perpendere ordinem.]

Prud.

†. Quod enim Beatus Gregorius prædestinationes pluraliter, hoc sanctus Isidorus Geminam prædestinationem vocauit, quoniam sicut vtriusque dicta testantur intellexerat eum cum cæteris Catholicis tractatoribus sensisse prædestinatos quosdam ad gloriam, quosdam ad ignominiam: Illos ad regnum, istos ad tormentum; illos ad beatitudinem supernorum, istos ad supplicium inferorum. Perpende nunc quibus contradicas quosque reatu impietatis notaueris, qui ante tuas nænias

F contriuerunt, quàm nascereris. Ac per hoc constituamus te, & Beatum Gregorium, illum prædestinationes pluraliter efferentem, te pluraliter efferri impium iudicantem: quis te iam audiat? quis non horreat, quem in tantum vesaniæ prorupisse viderit, vt impios tantæ auctoritatis viros dixisse, & quod est blasphemius, scripsisse nullatenus erubueris? quis enim te audiat pluralitatem prædestinationis negantem, qui tantos patres vel legerit vel audierit pluraliter efferentes? quis tuis disputatiunculis aurem adhibeat, vt tantis patribus dictorum, scriptorúmque veracium fidem deroget? & quis tibi veritatem, illis mendacium deputet? verte te in quaslibet vel fabulosi Promethei formas, vel Chameleontis colores, certè nunquam effugies, nunquam euadendi locum capies? aut verum est enim quod negasti, & falsum est quod Gregorius & Isidorus dixerunt: aut (quia hoc impium est vel credere quempiam vel sentire) si verum est quod Gregorius & Isidorus protulerunt, literisque venerabilibus mandauerunt, fal-

G sum est quod tu cæcatissimus adfirmasti. Qui cùm in hoc non solùm deprehensus, verùm etiam conuictus minimè dubiteris, de cæteris quæ simili insania, rictu pestifero vomuisti, iuuante Domino iam facilis erit agressus: quoniam cui in prioribus mendacij character inuritur, in sequentibus fides pœnitus abrogatur.

Negas similiter operationem in Deo pluraliter efferri: id est, multiplicari vel geminari, vel cætera huiusmodi: & qui est quòd omnes scripturæ operationes, vel opera diuina decantant? Clamat vas electionis Doctor gentium in fide & veritate, *Diuisiones gratiarum sunt, idem autem spiritus: & diuisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus: & diuisiones operationum sunt, idem verò Deus:* At ne more furentium aliud clamares adiungit, *qui operatur omnia in omnibus.* Enumeratis quoque earundem operationum distributionibus: *hæc autem* (inquit) *omnia operatur vnus atque idem spiritus diuidens singulis, prout vult.* Quòd si aliud operationem

De operationibus Dei. 1. Cor. 12. 4. 5. 6.

d. v. 6. 11.

H Dei, & aliud opera esse contenderis: videris quomodo tam grauis auctoritatis literis videlicet diuinis, earúmque fidelissimis tractatoribus, quorum libri eorundem vocabulorum pluralitatibus referti esse noscuntur, valeas contraire. Quæro tamen abs te interim, vt de cæteris sileam, quid magis Dei essentiæ congruat: Potentia an operatio? mihi quippe videtur nullum operari posse absque potentia: quo enim pacto dicendus est operari, qui non possit, potentiam excellere non negabis? itaque potentia magis Dei essentiæ congruit, quàm operatio: Quoniam operatio potentiæ est effectus, & tamen cùm essentia Dei pluralitatem abdicet potentias eius pluraliter enunciatas legimus dicente Propheta: *Quis loquetur potentias Domini, auditas faciet omnes laudes eius?* Si ergo potentia Dei à pluralitate vel multiplicitate non excluditur, cur operatio, quæ sequax eius non dubitatur, à multiplicitate excludenda indicatur? Quod si inter operationem Dei, & opera quid distinguendum erit, in ibi interim nihil aliud occurrit quo vsque diligentiùs exquiratur, quàm

Ps. 105. 2.

opera

A operationem esse dum fit, opus vero quod fit. Quod si ita est quis dubitet ad Deum vtraque pertinere?

August. Augustinus. [Cum operatio patris dicitur, non eam sine filio & Spiritu Sancto intelligatur operari: & cum generatio filij non sine patre & Spiritu Sancto, & cùm operatio spiritus Sancti, non sine patre & filio satis notum est rectè credentibus, vel etiam vt possunt intelligentibus: & illud ideo dictum est de patre: (Ioan. 14. 10.) *Ipse facit opera*, quod ab illo sit origo etiam operum, à quo est existentia cooperantium personarum: quia & filius de illo natus est, & spiritus Sanctus principaliter de illo procedit, de quo natus est filius, & cum quo illi communis est idem Spiritus. Et illud quod ait Dominus: (Ioan. 15. 24.) *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit*, non ad patrem vel Spiritum retulisse, quod ei non sint in illis operibus cooperati: Sed ad homines à quibus leguntur multa facta miracula, & tamen à nullo, quæ filius fecit. Et quod ait Apostolus de Spiritu sancto: (1. Cor. 12. 11.) *Omnia autem hæc operatur vnus atque idem Spiritus*, B non ideo dictum, quia non ei cooperatur pater & filius, sed quia in his operibus non sunt multi, sed vnus Spiritus, & in vniuersis suis operationibus non est à se ipso diuersus. Nec tamen inaniter, sed rationabiliter & veraciter dicitur patrem dixisse, non filium & Spiritum sanctum; (Matth. 17. 5.) *Tu es filius meus dilectus in quo complacui.* Sed hoc miraculum de cœlo sonabilis verbi, quamuis ad personam patris tantummodò pertinere, cooperatos esse filium & Spiritum sanctum non negamus: neque enim quia tunc filius carnem portans cum hominibus conuersabatur in terra, ideo non erat etiam in sinu patris tanquam vnigenitum verbum, quando illa de nube vox facta est, aut sapienter & spiritaliter credi potest Deum patrem operationem verborum suorum sonantium atque transeuntium à sua sapientia, suique Spiritus cooperatione separasse: eodem modo cum rectissimè dicamus non patrem, nec Spiritum sanctum, sed filium (Matth. 14. 25. & 26.) *super mare ambulasse*, cuius humus caro erat illa, & plantæ fluctibus innitentes; C illud tamen opus tanti miraculi patrem, & Spiritum sanctum cooperatos esse quis abnuat? sic enim & solum filium verissimè dicimus ipsam suscepisse carnem, non patrem, aut Spiritum sanctum, & tamen hanc incarnationem ad solum filium pertinentem, quisquis negat cooperatum patrem, aut Spiritum non rectè sapit. Item dicimus nec patrem, nec filium, sed solum Spiritum sanctum (Matth. 3. 16. Act. 2. 2. 3. &c. v. 11.) *& in columbæ specie*, & *in linguis* velut *igneis* apparuisse, & sedisse, pronuntiasse illis, in quos venerat multis & variis linguis magnalia Dei: à quo tamen miraculo ad solum Spiritum sanctum pertinente cooperationem patris & verbi vnigeniti separare non possumus. Ita singulorum quoque in trinitate opera trinitas operatur, vnicuique operanti cooperantibus duobus conueniente in tribus agendi concordia, non in vno deficiente efficacia peragendi. Quæ cum ita sint hinc est quod Dominus IESVS (Matth. 12. 28.) *in Spiritu Sancto Dæmones eiecit*, neque enim & solus hoc implere non poterat, atque illud adiutorium tanquam huic operi non sufficiens adsumebat, D sed Spiritum diuisum in semetipsum eo spiritu congruebat expelli, quem pater & filius non diuisi in semetipsis communiter habent. Sic & peccata, (Ioan. 20. 22. & 23.) quia præter Ecclesiam non dimittuntur, in eo Spiritu dimitti oportebat, quo in vnum Ecclesia congregatur.]

Prud. †. Iam vero si secundum te operatio est in Deo, sicut eius essentia atque voluntas, necessario sequitur, vt cætera quæ à Dei voluntate prodire non dubitantur, velut Dei essentia prædicantur: Verbi gratia cogitatio, visio, præuisio, creatio, dispositio, dispensatio, statutio, decretio, paratio, præparatio, iudicium, afflictio, correptio, infirmatio, interfectio, occisio, perditio, disperditio, inclusio, obduratio, induratio, derelictio, desertio, noluntas, seductio, in errorem inductio, deceptio, morbi, fames, pestilentiæ, tempestates, naufragia, insidiæ, & alia complura, quæ in diuinis eloquiis indita, & patrum literis vsitatissima, prudentium nullus ignorat: Quæ voluntate Dei indubitabiliter bona semper & iusta fieri, quisquis negat, iustitiæ & iudicio conditoris nimis impie contradicit: E quæ quia nunc exemplis longum est approbare, interim differantur, vt si denuo vel hydra caput leuare, vel excetra nisa fuerit sibilare, largiente Domino latius, atque commodius proferantur. Vnum tamen de voluntate Dei ex S. Augustini dictis testimonium interposuisse sufficiat, de qua in lib. Enchiridion tali sermocinatione disseruit.

Augustinus. [Hæc sunt *magna opera Domini exquisita in omnes voluntates eius*, & tam sapienter exquisita, vt cum Angelica, & humana creatura peccasset, id est, non quod ille, sed quod voluit ipsa fecisset, etiam per eandem creaturæ voluntatem, quâ factum est, quod creator noluit, impleret ipse quod voluit: bene vtens & malis tanquã summè bonus, ad eorum damnationem, quos iustè prædestinauit ad pœnam, & ad eorum salutem, quos benignè prędestinauit ad gratiam. (August. Enchir. c. 100. Psal. 110. 2.) Quantũ enim ad ipsos attinet, quod Deus noluit fecerunt, quantũ vero ad omnipotentiã Dei, nullo modo id efficere valuerunt: F hoc quippe ipso quod contra voluntatẽ Dei fecerunt, de ipsis facta est voluntas eius. Propterea nãque *magna opera Domini exquisita sunt in omnes voluntates eius*, vt miro & ineffabili modo non fiat præter eius voluntatem, quod etiam contra eius fit voluntatem, quia non fieret si non sineret. Nec vtique nolens sinit, sed volens, nec sineret bonus fieri malè, nisi omnipotens & de malo facere posset bene.

Aliquando autem bona voluntate homo vult aliquid, quod Deus non vult, etiam * ipsa bona multo amplius, multóque certius voluntate; (Ibid c. 101. *al. ipse.) nam illius mala voluntas esse nunquam potest: tanquam si bonus filius patrem velit viuere, quem Deus bona voluntate vult mori; & rursus fieri potest, vt hoc velit homo voluntate mala, quod Deus vult bona: velut si malus filius velit mori patrem; velit hoc etiam Deus: nempe ille quod non vult Deus, iste verò id vult quod vult & Deus, & tamen Dei bonæ voluntati pietas illius potius consonat, quamuis aliud volentis, quam huius idem volentis impietas, tantum interest quid velle homini, quid Deo G congruat, & ad quem finem suam quisque referat voluntatem, vt aut approbetur, aut improbetur. Nam Deus quasdam voluntates suas vtique bonas ita implet per malorum hominum voluntates malas, sicut per Iudæos maliuolos, bonâ voluntate patris Christus occisus est pro nobis, quod tantum bonum factum est, vt Apostolus *Petrus* (quando id fieri nolebat) *Satanas* ab ipso qui occidi venerat, diceretur: (Matth. 16. 23. Act. 21. 12.) quam bonæ apparebant voluntates piorum fidelium, *qui nolebant Apostolum Paulum Ierusalem pergere*, ne illic pateretur mala, quæ Agabus Propheta prædixerat: & tamen Deus hæc illum pari volebat pro adnuntianda fide Christi, exercens martyrem Christi. * Neque istam bonam voluntatem suam impleuit per Christianorum voluntates bonas, (*al. neque enim ista.) sed per Iudæorum malas, & ad eum potius pertinebant, qui nolebant quod volebat: quam illi, per quos volentes factum est quod volebat; quia idipsum quidem, sed ipse per eos bona, illi autem mala voluntate fecerunt.

H Sed quantælibet sint voluntates vel Angelorum vel hominum, vel bonorum vel malorũ, vel illud quod Deus, vel aliud volentes, quam Deus; (Ibid. c. 102.) Omnipotentis voluntas Dei semper inuicta est, quæ mala esse nunquam potest quia etiam cùm mala irrogat iusta est, & profecto * quæ iusta est, mala non est. (*al. quia.) Deus igitur omnipotens siue per misericordiam cuius vult miseretur, siue per iudicium quem vult obdurat, nec inique aliquid facit, nec nisi volens quicquam facit, & omnia quæcunque vult facit.

Ac per hoc cum audimus, & in sacris litteris legimus quòd *velit omnes homines saluos fieri*, (Ibid. c. 103. 1. Tim. 2. 4.) quamuis certum sit nobis non omnes homines saluos fieri: Non tamen ideo debemus omnipotentissimæ Dei voluntati aliquid derogare, sed ita intelligere quod scriptum est, (1. Tim. 2. 4.) *qui omnes homines vult saluos fieri*, tanquam diceretur: nullum hominem fieri saluum, nisi quem saluum fieri ipse voluerit; non quod nullus sit hominum, nisi quem saluum fieri velit, * sed quia nullus fiet, nisi quem velit. (* al. sed quia nullus fiat.)

A Et ideo sit rogandus vt velit: quia necesse est fieri, si voluerit. De orando quippe Deo agebat Apostolus, vt hoc
diceret. Sic enim intelligimus id quod in Euangelio
Io. 1. 9. scriptum est: *qui illuminat omnem hominem.* Non quia
nullus est hominum; qui non illuminetur: sed quia
1. Tim. nisi ab ipso nullus illuminatur. Aut certè sic dictum
2. 4. est *qui omnes homines vult saluos fieri*, non quod nullos
† al. noller. hominum esset, quem saluum fieri † nolit, qui virtutes
Matt. 11. miraculorum facere noluit apud eos, quos dicit acturos
21. fuisse pœnitentiam si fecisset. Sed vt *omnes homines*,
† al. humanum. omne genus † hominum intelligamus, per quascunque
differentias distributum, reges, priuatos, nobiles, ignobiles, sublimes, humiles, doctos, indoctos, integri corporis, debiles, ingeniosos, tardicordes, fatuos, diuites,
pauperes, mediocres, mares, fœminas, infantes, pueros,
adolescentes, iuuenes, seniores, senes, in linguis omnibus, in moribus omnibus, in artibus omnibus, in professionibus omnibus. In voluntatum & conscientiarum
B varietate innumerabili constitutos; Et si quid aliud differentiarum est in hominibus. Quid est enim eorum,
vnde non Deus per vnigenitum suum Dominum nostrum per omnes gentes saluos fieri homines velit? &
ideo faciat quia omnipotens velle inaniter non potest,
1. Tim. quodcunque voluerit. Præceperat enim Apostolus, *vt*
2. 1. 2. *oraretur pro † omnibus hominibus*, & specialiter addiderat
† al. pro pugnis. *pro regibus & iis qui in sublimitate sunt*: qui putari
poterant fastu & superbia sæculari à fidei Christianæ
v. 4. humilitate abhorrere. Proinde dicens: *hoc enim bonum*
1. Tim. *est coram saluatore nostro Deo*, id est vt etiam pro talibus
2. 4. oretur, statim vt desperationem tolleret, addidit: *qui omnes homines vult saluos fieri, & in agnitionem veritatis venire.* Hoc quippè Deus bonum iudicauit, vt orationibus humilium dignaretur salutem præstare sublimium, quod vtique iam videmus impletum. Isto locutionis modo & Dominus vsus est in Euangelio, vbi ait
Pharisæis: *Decimatis mentham & rutam, & omne olus*:
neque enim Pharisæi & quæcunque aliena, & omnium
C per omnes terras alienigenarum omnia oleta decima-
Luc. 11. bant. Sicut ergo hic *omne olus*, omne olerum genus,
42. ita & illic *omnes homines* omne hominum genus intelligere possumus. Et quocunque alio modo intelligi potest, dum tamen credere non cogamur aliquid omnipotentem Deum voluisse fieri, factumque non esse: qui
sine vllis ambiguitatibus si *in cælo & in terra* (sicut &
Ps. 13 3. veritas cantat) *omnia quæcunque voluit fecit*, profectò
facere noluit quodcunque non fecit.

Ib. c. 104. Quapropter etiam primum hominem Deus in ea salute, in qua conditus erat, si custodire voluisset, cumque opportuno tempore post genitos filios sine interpositione mortis ad meliora perducere, vbi iam non solum peccatum nos committere, sed nec voluntatem posset habere peccandi, si ad permanendum sine peccato, sicut factus erat, perpetuam voluntatem habiturum esse præscisset. Quia verò eum malè vsurum libero arbitrio, hoc est peccaturum esse præsciebat, ad hoc po-
D tiùs præparauit voluntatem suam, vt bene ipse faceret,
† al. voluntate. etiam de malè faciente, ac sic homini a † voluntas mala
non euacuaretur, sed nihilominus impleretur omnipotentis bona.

Ib. c. 105. Sic enim oportebat priùs hominem fieri, vt & benè velle posset & malè, nec gratis si benè, nec impunè si malè: postea vero sic erit vt malè velle non possit, nec ideo libero carebit arbitrio, multo quippè liberius erit arbitrium, quod omninò non poterit seruire peccato, neque enim culpanda est voluntas, aut voluntas non est, aut libera dicenda non est, qua beati esse sic volumus, vt esse miseri non solum nolimus, sed nequaquam prorsus velle possimus. Sicut ergo anima nostra etiam nolle infelicitatem, ita tunc nolle iniquitatem semper habitura est. Sed ordo prætermittendus non
† al. animæ rationali. fuit, in quo Deus voluit ostendere quam bonum sit †
animæ rationali, quòd etiam peccare possit quamuis sit melius, quod peccare non possit: Sicut minor fuit immortalitas, sed tamen fuit, in qua posset etiam mori, quamuis maior futura sit, in qua non possit mori.

Illam natura humana perdidit per liberum arbi- E
trium, & hanc est acceptura per gratiam, quam fuerat Ib. c. 106.
si non peccasset acceptura per meritum. Quamuis sine gratia nec tunc vllum meritum esse potuisset; Quia etsi peccatum in solo erat libero arbitrio constitutum, tamen iustitiæ retinendæ non sufficiebat liberum arbitrium, nisi participatione immutabilis boni diuinum adiutorium præberetur: sicut enim mori est in hominis potestate cùm velit, nemo est enim, qui non se ipsum (vt nihil aliud dicam) vel non vescendo possit occidere: Ad tenendam vero vitam voluntas non sat est, si adiutoria siue alimentorum, siue quorumcunque tutaminum desint. Sic homo in paradiso ad se occidendum
relinquendo iustitiam idoneus erat † pro voluntate, vt † al. pro voluntatem.
autem ab eo teneretur vita iustitiæ, parùm erat velle,
nisi ille qui eum fecerat adiuuaret: sed post illam ruinam maior est misericordia Dei, quando & ipsum liberum arbitrium liberandum est à seruitute, cui dominatur cum morte peccatum, nec omnino per se ipsum, sed F
per solam Dei gratiam, quæ in fide Christi posita est, li- LXX.
beratur, *vt voluntas ipsa* (sicut scriptum est) *a Domino præ-* Prou. 8.
paretur, qua cætera Dei munera capiantur, per quæ ve- 35.
niatur ad munus æternum.]

† Oportuerat te ista legentem potiùs ori tuo silen- Prud.
tium imponere, quam aliquid tam procaciter strepere vel mutire: sicut enim cum vna sit & semper eadem essentia Dei, voluntates tamen eius ita multipliciter efferuntur, vt eis obsistere nec possis nec debeas: Eodem modo de prædestinatione sentire debueras: quoniam nihil aliud prædestinauit, nisi quod à se fieri voluit, misericordiam videlicet, & iudicium: Et sicut voluntates, ita prædestinationes multipliciter efferri vera ratio perducet. Iure itaque dictum est prædestinauit ad pœnam, prædestinauit ad gratiam: Quia in illo seruauit iustitiam, in isto exhibuit misericordiam.

Verùm quia quicquid de voluntate Dei intelligatur,
totum de eius prædestinatione sentiendum dixisti, au- G
di quid de ea verax scriptura clamet. [Legitur in libro
Dabre Iamin.] Quod *venit Roboam in Hierusalem, &* 2. Paral.
conuocauit vniuersam domum Iuda, & Beniamin in cen- 11. 1.
tum octoginta millibus electorum, atque bellantium, vt dimicaret contra Israel, & conuerteret ad se regnum suum; v. 2.
factusque est sermo Domini ad Semeiam hominem Dei di- v. 3.
*cens. Loquere ad Roboam filium Salomonis Regem Iuda,
& ad vniuersum Israel, qui est in Iuda & Beniamin. Hæc* v. 4.
dicit Dominus: non ascendetis neque pugnabitis contra fratres vestros, reuertatur vnusquisque in domum suam, quia mea hoc gestum est voluntate.

† In eodem: Igitur *Ochozias* filius Ioram Rex Iuda Prud.
descendit vt inuiseret Ioram filium Ahab in Israel ægro- v. 6.
tantem. Voluntas quippè fuit Dei aduersum Ochoziam, v. 7.
vt veniret ad Ioram, & cum venisset, vt egrederetur cum eo aduersum Iehu filium Nasi, quem vnxit Deus, vt deleret domum Ahab: Cùm ergo euerteret Iehu domum Ahab
inuenit Principes Iuda & filios fratrum Ochoziæ, qui mini- v. 8. H
strabant ei, & interfecit illos; ipsumque perquirens Ocho- v. 9.
ziam comprehendit latentem in Samaria, adductumque ad se occidit.

† In eodem: *Noluit audire Amasias, eo quod Domini* Prud.
esset voluntas, vt traderetur in manibus hostium, propter 2. Paral.
Deos Edom.] 25. 20.

In his voluntatem Dei aut negabis vllam, & contradices scripturæ veritatis: aut si hanc inficiari non audes, recipe iustam, & identidem de eius prædestinatione admitte. Neque enim aliud voluit, quàm prædestinauit; neque aliud prædestinauit, quàm voluit. Et sicut voluntates eius pluraliter, ita prædestinationes efferri, nequaquam vlterius contradicas. Intereà miranda est admodum astutia, vel potiùs cæcitas tua, qui cum dialecticis vti delegeris argumentis, & opponi tibi meritò præuideres præscientiam & prædestinationem relatiuè non essentialiter prædicari, prætermissis relatiuorum veracibus instrumentis, ad essentialium confirmationem repentè transieris. Ita vt etiam relatiua essentialium na-

Digitized by Google

A naturæ coniunxeris,& nulla discretionis interposita differeutia vnum idemque multiloquia disputatione adstruxeris: hæc enim sunt verba tua.

Ioannes Scotvs.

Cap. 1. num. 4. sect. 2. ⊖ *An fortè dicis (hæretice) ad substantiam Dei voluntatem suam, non autem prædestinationem suam pertinere? Ita vt non aliud sit Deo esse & velle, aliud verè esse & prædestinare; Sed hoc facilè possumus refellere argumento, quod sumitur à definitione:* Aug. de dono Perseu. cap. 17. [Est enim diuina prædestinatio (*vt ait Augustinus*) omnium quæ Deus facturus est ante sæcula præparatio atque dispositio.] *Si ergo ante sæcula nihil creditur & intelligitur præter solum Deum fuisse, prædestinationem autem Dei ante omnem creaturam esse nullus sanus ambigit: Colligitur prædestinationem Dei ipsum Deum esse, atque ad naturam eius pertinere: Sedne fortè dicas, quæ de Deo ante* B *mundum dicuntur, non vtique semper secundum substantiam dicuntur; quædam enim prædicantur substantialiter, quædam relatiuè: non enim secundum substantiam, sed secundum relationem dicitur Pater, dicitur Filius, dicitur Dominus: Similiter prædestinatio eius relatiuè ad ea quæ prædestinata sunt profertur. Audi scripturam de Christo* Col. 2. 3. *dicentem.* In quo sunt omnes Thesauri scientiæ & sapientiæ absconditi. *Dic quæso quid in his verbis intelligere conaris? An fortè scientiam & sapientiam Christi esse iudicas accidentia, non autem eius secundum suam diuinitatem substantiam? Quod absurdissime creditur & falsissimè suadetur. Summus enim ille intellectus*, in quo sunt Col. 1. 16. vniuersa, *imo ipse est vniuersa, quam diuersis significationibus nominum ab ipsa rationali natura, quæ ad inquirendum eum creata est appelletur: Ipse tamen in se ipso vnus atque idem est, cum sit omnium naturarum causa simplex & multiplex: quod est ergo Deo esse, hoc est ei sapere: Et quod est ei sapere, hoc est scire, & quod est scire hoc est destinare.*

C

Correctio.

Prud. † Ecce absque nubilo dubiecaris relatiua essentialiter asseris contra omnium opiniones, qui acutè atque prudenter de talibus tractauerunt; Cum enim constet cathegoriarum species decem esse, earundemque primam vsiam, reliqua nouem accidentia id est quæ accidunt in substantia, certumque sit relationem secundum accidens, non secundum vsiam prædicari, qua fronte accidens substantiam nuncupes, nequaquam video: Nam destinare, & prædestinare, sicut facere, creare, disponere, dispensare, ordinare, administrare, gubernare, iudicare, damnare, & cætera similia relatiuè dici nullus, qui horum aliquantulum assecutus est peritiam, prorsus ignorat. Quod enim destinatur aliud necesse est sit destinans, aliud destinatum: Ac per hoc non substantialiter ita dicitur destinare, sicut dicitur esse: Esse quippè substantiam, destinare verò eius accidens, id est relationem significat. Itaque cum dicitur homo, substantia D est, cum vero dicitur destinator, eius accidens, id est relatio prædicatur; & vsia quidem vnum aliquid essentialiter demonstrat: accidens verò illius iam plura complectitur. Dicendo etenim, homo, nihil aliud, quam hominem pronuntio: At cum dixero destinator, & hominem & eius accidens pariter enuntio. Nam destinator necesse est aliquid destinet, homo verò ad nihil aliud relatum simpliciter substantia indicatur.

Apparet igitur accidentaliter, non essentialiter destinationem dici cum non de subiecto, sed in subiecto prædicetur: Si enim substantia dicitur ab eo quod omnis res ad se ipsam subsistat, corpus quippè subsistit, & ideo substantia est, nimirum accidentia, quæ in subsistente atque subiecto sunt, substantiæ non sunt, quia non subsistunt, sed mutantur, sicut homo vel equus, vel lapis, eadem esse necesse est: Bonum autem, vel malum, vel sapientem, vel hebetem, vel pulchrum, vel E deformem non semper idem dicitur, quoniam quandocumque, & quomodocumque mutabile comprobatur; proinde cùm semper possit esse homo, nequaquam sequitur semper sit destinator. Verbi gratia: quando nihil habet quod destinet, non rectè destinator appellatur; dicitur autem homo, etiam si nihil destinat. Quod cùm de creaturis ratinabilibus iure dicitur; de Deo cui soli nihil accidit multò aliter prædicatur: quicquid enim de Deo ab homine dicatur, aut secundum substantiam, aut secundùm relationem, vel propriè, vel translatè dici necesse est. Deus quippè magnus, bonus, omnipotens, sapiens, iustus, sempiternus, essentialiter dicuntur. Creator, conditor, factor, operator, dispositor, destinator, ordinator, gubernator, Iudex, relatiuè proferuntur, quæ tamen relatio in Deo partim ad se, partim ad creaturas refertur: Pater enim & Filius, & Spiritus sanctus ad se se vtique referuntur, Pater enim Filij Pater est, Filius Patris Filius est, Spiritus sanctus Patris & Filij Spiritus est: F Dominus vero serui Dominus est: Creator operator, destinator creaturæ sine dubio creator, operator & destinator est: Conficitur ergo nullatenus destinationem de Deo essentialiter prædicari. Quapropter cùm ipse essentialiter semper fuerit, tamen nunquam antea Dominus appellatus est, quam ipse faceret, cuius Dominus diceretur: Similiter eum semper habuerit in æterno voluntatis suæ consilio quid, quando, & quomodo, vel vbi faceret, destinaret, atque disponeret, non prius factor, destinator atque dispositor dictus est, quam faceret, destinaret, atque disponeret. Quamobrem nullomodo substantiam eius demonstrat, cum dicitur facere, operari destinare, atque disponere: Sed effectum omnipotentissimæ voluntatis illius, in qua semper fuit ratio: qua quæque voluisset ipse nulli aut temporalitati aut mutabilitati obnoxius temporalia & mutabilia, temporaliter & mutabiliter sine labore & fatigatione quietissimus destinaret, operaretur, & faceret. Verùm Augustini definitio, quam ponere voluisti, non habet prædestinationem Dei esse substantiam, sed præparationem ac dispositionem G omnium, quæ erat ipse facturus.

Porro sapientiam & scientiam de Deo essentialiter prædicari quis nesciat? non enim relatiuè dicuntur: Est Aug. de dono Persev. cap. 17. quippè sapiens Pater, sapiens Filius sapiens Spiritus sanctus; sciens Pater, sciens Filius, sciens Spiritus sanctus; Imo sapientia Pater, sapientia Filius, sapientia Spiritus sanctus: Scientia Pater, scientia Filius, scientia Spiritus sanctus, sicut Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus: Et tamen non tres sapientes, aut tres scientes, vel tres sapientiæ, siue tres scientiæ, sicut nec tres Dij. Sed vnus sapiens, vnus sciens, vel vna sapientia, vna scientia, sicut vnus Deus. Sapere quidem & scire illi est essentialiter quod esse: Non enim ad aliquid refertur: At destinare atque disponere, quoniam ad aliquid refertur, nullatenus de eo essentialiter prædicatur. Cum igitur constet translatiuè prædestinationem in Deo proferri, liquet profectò non essentialiter, sed relatiuè depromi. Nam si essentialiter de Deo diceretur prædestinare, sicut esse, sapere, & scire consequens esset, vt eius prædestinatio non ad H aliquid referretur, sicut nec essentia magnitudo, bonitas, potentia, sapientia, scientia, iustitia illius ad aliquid referuntur; magnitudo, bonitas, potentia, sapientia, scientia, iustitia cum de Deo dicuntur, quid essentialiter ipse sit indicatur: prædestinatio non quid ipse sit, sed quid velit, disponat, & operetur enuntiat. Substantia Dei nunquam pluraliter effertur. Prædestinationes eius sicut dispositiones, dispensationes, ordinationes, operationes, distributiones eius, pluraliter enuntiari & ostendimus, & vbi commodum fuerit fauente Domino ostendemus. Sed quoniam de his in processu operis huius adhibito Augustini fauore vel copiosius, vel fastidiosius, seu certè fallacius agis, cum ad idem locorum ventum fuerit, ipsius Patris Augustini testimonio (annuente Domini Iesv Christi gatia) confutaberis.

CAP.

CAP. III.

De eo, quod duas Prædestinationes ratio non sinit esse.

DEinde tantis tertio vanitatum tuarum ludiero argumentorum superfluitatibua res non necessariaa replicantibus seates, vt pudeat audite, nedum legete quemlibet honestorum, qui dum multiloquio insudas, ptorsus euadere nequiuisti quod dicitur *in multiloquio non effugies peccatum*. Ais enim multiloquè repetis à Dei voluntate atque essentia, petindeque prædestinatione omnem abesse necessitatem: Quis hoc ignoret? Quis nescist Deum nulli subiectum esse noxiæ necessitati: Proinde quamuis omnia quæcumque Deus voluit, disposuit, ac destinauit, necesse est, vt ita nec aliter omnino fiant: Nulli tamen violentiam ad vtrumuia eius prædestinationem inferre iam & diximus & fatemur: Ac per hoc eùm neminem huic assertioni fauere, aut legerim, aut audierim, videre nequeo quamobrem de necessitate prædestinationis tantisper disputaueris; nisi quia non habens quid veri diceres, quæsisti quo insanire, vnde prædestinationem impiorum à Patribus sæpius inculcatam funditus abrogares. Post multa enim,

IOANNES SCOTVS.

⊖ *Non est igitur (ais) illa prædestinatio, quæ cogit ineuitabili necessitate, vitam, iustitiam, beatitudinem, nec illa, quæ cogeret prædictorum bonorum contraria, videlicet mortem, peccatum, miseriam, quæ ratio*, inquis, *enthymematis argumento concluditur, quod semper est à contrario, cuius propositio talis est. Non & Deus summa essentia sit, & eorum tantum quæ ab eo sunt causa non sit, est autem Deus summa essentia, est igitur eorum tantùm quæ ab eo sunt causa. Peccatum, mors, miseria, à Deo non sunt; eorum igitur causa Deus non est. Idem quoque syllogismus hoc modo connectitur. Non & Deus eorum quæ sunt causa sit, & eorum quæ nihil sunt causa sit: est autem Deus eorum causa, quæ sunt. Igitur non est causa eorum quæ non sunt, peccatum, einsque effectus, mors profectò cui adhæret, miseria non sunt; eorum igitur nec Deus, nec eius prædestinatio, quæ est quod ipse est, causa esse non potest.* •

CORRECTIO.

† Mirari satis nequeo, quare præsumpseris dicere quod nullus auctor tractatorvè diuinorum eloquiorum dixit. Prædestinationem dicis esse Deum, hoc prophetica, & Apostolica scriptura nunquam dixit: tractatores eius nunquam dixisse reperiuntur: qua fronte ausus ea fingere, quod scripturæ auctoritate nequeas affirmare? Iam vero quod dicis prædestinationi Dei nullam inesse vim, qua quis cogatur ad aliquid & nos dicimus & probamus: Similiter quod addis Deum & prædestinationem eius non esse causam eorum quæ non sint, & hoc nihilominus approbamus id est peccati, mortis, atque miseriæ, & peccati quidem Deus, sicut non auctor, ita nec causa est.

Mortis autem quæ vt ais effectus peccati est, atque miseriæ causa non est: Auctor tamen atque irrogator æquissimus est. Nam mortis quæ fit cum deserit animus veram, summam, & sempiternam vitam, & vertitur libidinosè ad infima, & caduca, nec causa, nec author est Deus, de qua dicitur *quia mortem Deus non fecit*, quoniam eam creator non condidit, sed maliuolentia vel Angeli, vel superbientis hominis adinuenit, sibique superbiendo consciuit. Mors verò quæ fit cum anima discedit à corpore, (teste scriptura) à Deo est dicente ad primos nostri generis homines, atque interminante Deo, *Ex omni ligno quod est in Paradiso edite, de ligno autem scientia boni & mali ne comedatis: Quacunque autem die comederitis ex eo, morte moriemini.* In quibus E
verbis mortem animæ prædixit tantùm, non etiam irrogauit. Ac per hoc nec causa, nec author eius esse conuincitur. Deinde præsumpto inhibitis ligni edulio iterum Dominus post piissimam atque inæstimabilem redargutionem & patientiam, qua eos ad pœnitentiam misericorditer inuitabat, quam illi è contrario obstinacissimè repellebant, causamque prolapsionis propriæ, in Deum superbissimè contumacissiméque referebant, ineuitabili iudicio sententiam damnationis deprompsit dicens in Adam quidem ita, *Quia fecisti hoc, & audiuisti vocem vxoris tuæ plus quam me, Maledicta terra in opere tuo: Cùm operatus fueris eam non dabit fructus suos, sed spinas & tribulos germinabit tibi. In sudore vultus tui comedes panem tuum cunctis diebus vitæ tuæ, donec reuertaris.* Gen. 3. 17. Gen. 3. 16.
In Euam verò: *Multiplicabo ærumnas tuas & conceptus tuos; in dolore paries filios, & sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tibi.*] F

Huius mortis atque miseriæ Deus, cum causa non sit, auctor tamen, id est iustissimus irrogator certissimè creditur, quemadmodum verbis præcedentibus declaratur, quibus si quispiam contraire voluerit, porro quia me tacente impietatis reus addicetur. Mors corporia discessio est animæ à corpore, ideo huius auctor dicitur Deus: quoniam ipso puniente ac volente abstrahitur à corpore, donec ipso volente ac iudicante resurgentibus omnibus suo quæque corpori, vel mala pro meritis receptura, vel bona restituatur. Iustum est enim, vt quo auctore creator, datur atque immittitur corpori, ipso auctore quis promeruit, abstrahatur, & cuius primum bonitate donata est, eius postmodum iustitia subtrahatur, vt quod benignitas contulit, æquitas demat: Quæ cum corpori inseritur, vitam tribuit, cùm aufertur adimit, & hæc ipsa ademptio, vel ablatio, vel subtractio mortis vocabulo nuncupatur, quod cùm non nisi Deo iudice fiat, quis negare audeat Deum mortis huius esse auctorem? G

Sic etiam de miseria sentiendum, Quæ cum beatitudinis dicitur indigentia, non Deo auctori deputatur, sed creaturæ rationali, quæ voluntaria auersione à veræ beatitudinis summo bono, atque adhæsione damnabili in infimo bono, sibi eam contraxisse nullatenùs ambigitur. Cùm verò miseria pœnalis huius vitæ conuersatio, vel subsequentis in gehenna retributio dicitur; quis Deum Iob. 5. 6.
auctorem illius nesciat, cuius atque iudicio dispensari omnia non ignoratur? Si enim dicente Scriptura, *Nihil sine causa fit super terram*, profectò liquet, quia sicut bona Deo auctore constant; Ita & mala atque miseriæ vel ad probationem piorum, vel ad reprobationem impiorum, vel hic vel illic pœnaliter inflictæ non alio, quàm auctore Deo nimirum iustissimo fieri credenda sunt: Considerata quippè quæcumque pœnaliter ingeruntur, nullas ferè absque creaturis Dei pœnas atque miserias inuenimus. Et quia docente Beato Gregorio omne iudicium in hominibus per Angelos exercetur, patet profectò quicquid Deo Iudice pœnaliter hominibus infertur, nequaquam nisi per creaturas eius fieri: Verbi gratia, aut aëre corruptio, aut ventorum inæqualitatibus, aut Solis caloribus nimiis, aut pluuiarũ effusionibus ad- Ps. 77. 49.
uersis, seu quibuscunque aliis animaduersionis supernæ generibus: De quibus Propheta testatur. *Misit* (inquiens) haud dubium, quin Deus, *in eos iram indignationis suæ, indignationem, & iram, & tribulationem immissionem per Angelos malos*, &c. Vbi quamuis per Angelos malos immissionem missam dixerit: Legimus tamen etiam per Gen. 19. 24.
bonos Angelos identidem Deo vindice actitari: Quemadmodum *apud Sodomam* actitatum, *& ei finitimas ciuitates ignem cælitus pluente Domino* Verax narrat historia Quos Beatos fuisse Angelos nullus qui eandem historiam fideliter legit ignorat.

Cùm igitur vel in hoc sæculo, vel in igni Gehennæ debitæ peccatoribus pœnæ per creaturas Dei fieri minimè nesciantur, quis earum auctorem Deum iustissimum audeat diffiteri? quarum si causam quæris, peccatores è

vestigio

Digitized by Google

A

vestigio occurrunt, qui mala suis operibus Deum summè bonum & iustum ad hæc sibi meritò retribuenda concitauerunt: quamuis de anima & Angelis Apostaticis, quibus pœnis vrgeantur, necessario quæratur, quæ id est pœnæ, sine tormenta quocunque alio commodius vocabulo enuntientur, non idcirco mala vocantur, quòd verè, id est naturaliter sint mala, quippè cum Dei creaturæ sint: *vidit enim Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona.* Sed quia patientibus contraria proculdubio fiunt, ab eorum nimirum sensu mali vocabulo denotantur.

Gen. 1. 31.

Vnde & beatus Augustinus inter retractandum libros suos cum ventum esset ad eius libri retractationem, cuius titulum esse voluit de 83. quæstionibus sit Augustinus. [Vtrum Deus mali auctor non sit. Vbi videndum est, ne malè intelligatur, quod dixi: mali auctor non est, quia omnium quæ sunt auctor est, quia in quantum sunt, in tantum bona sunt: & ne hinc putetur non ab illo esse pœnam malorum, quæ vtique malum est his, qui puniuntur: sed hoc ita dixi, quemadmodum dictum est. *Deus mortem non fecit*, cùm alibi scriptum sit *mors & vita à Domino Deo est*. Malorum ergo pœna, quæ à Deo est, malum est quidem malis, sed in bonis Dei operibus est, quoniam iustum est, vt mali puniantur, & vtique bonum est omne quod iustum est.]

Aug. retract. l. 1. cap. 26.

B

Sap. 1. 13. Sap. 16. 13.

Prud. † Sed è Sanctis, Hieronymus in explanationibus Prophetarum, qui vel maximè huius locutionis genere pleni sunt, eisdem vestigiis, quia eodem spiritu graditur, qui explanans Ionam Prophetam. [Hieronymus hic (inquit) malitiam pro afflictione, & calamitate accipere debemus secundum illud *sufficit diei malitia sua* & in Amos Propheta. *Si est malitia in ciuitate quam Dominus non fecerit.* Et in Isaia. *Ego Dominus qui facio pacem & creo mala.* In alio verò loco malitia contraria virtuti intelligitur, iuxta quod in hoc eodem Propheta suprà legimus *ascendit clamor malitiæ eius ad me.*]

Hier. in Ionæ cap. 1. 7. Matth. 6. 34. Amos 3. 6. Isa. 45. 7. Ionæ 1. 2.

C

Prud. † Quibus omnibus patenter indicatur Deum nec authorem, nec causam esse peccati; malorum verò, id est pœnarum quarumlibet, atque afflictionum auctorem quidem fideliter prædicari: causam verò eorum peccatores, eorumque peccata nullatenus dubitari.

Progrederis inde ad alia, & veluti prima de hoste congressione victor effectus gloriabundus, ad alia reuincenda furibundus procedis, multis hostem conuitiis impetens, & maledictis incessens, qui si ea legeret, sibique facultas superesset, fortassis aut minora aut congrua responderet: quibus omissis, quoniam ea tantùm in quibus à Catholica veritate dissentis discutienda, & quantum diuinitus adiuti possumus refutanda suscepimus, eis tantummodo considerandis, atque aduertendis stilo imperauimus. Ais de charitate quod vna sit, licet duo sint eius præcepta, idem & nos dicimus adstipulante beato Gregorio, quia sicut vna est charitas & duo præcepta, ita, vnus Spiritus & duo data. Dicis charitatem esse Deum, & nos annuimus, instructi à beatissimo Dominici pectoris recubo, qui ait *Deus charitas est*. Sed quod his omnibus ad destructionem geminæ prædestinationis vteris improbamus. Dicit enim scriptura *Deus charitas est*. Sed nunquam dicit Deus prædestinatio est, quid amplius quæritur? nam & si nihil nobis aliud ad tuæ peruersitatis confutationem suppeditaret, hoc tantùm sufficeret, quod nulla id Prophetica, Euangelica, vel Apostolica scriptura testatur. Lego charitatem Domini non lego prædestinationem Domini, non hoc Prophetæ prædixerunt, non Euangelistæ annuntiauerunt, non Apostoli prædicauerunt. Nullus Patrum venerabilium, per quos nobis eædem Propheticæ, Euangelicæ, atque Apostolicæ scripturæ diuersis locis & temporibus fideliter ac salubriter enodatæ sunt, dixisse reperitur. Non igitur admittimus, quod non in sacris litteris inuenimus præsertim cum id tuis ratiocinariunculis adfingas, non diuinorum eloquiorum testimoniis adseueres; Et quia nihil extra recipitur, quicquid à te extra dicitur, meritò reprobatur.

Nota

Vna charitas.

D

Io. 4. 8. & v. 8.

E

Quamuis sicut supra monstratum est Sanctorum Patrum venerabilibus scriptis, & geminæ prædestinationis veritas approbetur, & tuæ, id est solitariæ prædestinationis falsitas improbetur: quis enim te barbarum, & nullis Ecclesiasticæ dignitatis gradibus insignitum, nec vnquam à Catholicis insigniendum, aduersus Romanæ vrbis, & Apostolicæ sedis Antistitem Gregorium, & eius sicut doctrinæ & fidei, ita dignitatis atque officij socium beatum videlicet Isidorum Episcopum audiat oblatrantem: verùm si beati Isidori solius contemnendam duxeris authoritatem, quis te audiat, quis sequatur, nisi mente captus? Cum eum eiusque doctrinam in causa fidei Catholicis omnibus congruentem tanta annositate temporum & probabilem videat & susceptam, maximè cùm & hodieque Leo venerabilis Apostolicæ sedis antistes missa *anno triennium* ad Episcopos Britannorum, qui Galliæ inferiores partes incolunt, super quibusdam quæstionibus suæ responsionis Epistola censuit, vt quicquid in dubium deueniret, atque in sacris canonibus minimè inueniri posset, ad Catholicorum Patrum volumina confugiendum, & in eis quicquid esset ambigui requirendum atque sequendum, quos cum nominatim exprimeret, B. Isidorum cum cæteris eodem honore & dignitate pariter adnotauit: huius quoniam doctrina in causa fidei ab Apostolica sede approbata cernitur, quicquid contra garrire molitus es, effœtatur, nullis in posterum viribus fulciendum.

Cap. 3. num. 2. sect. 4. De sancto Isid.

Nota.

F

Attamen quod geminam charitatem quemadmodum geminam prædestinationem negas, eiusque assertores velut hæreticos damnas, videris ipse quid egeris. Nam patres orthodoxi geminam charitatem vel dilectionem, nonnunquam in suis opusculis posuisse reperiuntur, quorum Beda venerabilis Presbyter in expositione tabernaculi, quod Moses iubente Domino statuisse legitur. Beda. [Vel certe, inquit, forcipe, duplici videlicet ferramento sacerdotes ignem altaris emendant, cum in omnibus quæ docent prædicatores sancti, virtutem nobis geminæ charitatis infundere, & huius gratia nos ardere simul & lucere præcipiunt.

Num 3. sect. 5. *De gemina charitate.*

Beda de Tabern. l. 2. c. 11.

G

†. Idem in eodem Beda. [Non in vna parte superhumeralis aurum in altera hyacinthus, in alia rursum alij atque alij colores fuerunt. Sed omnes colores vtique per omnia cum auro ipso fuere contexti, quia nimirum in actione sacerdotali, nunquam aliqua magnarum virtutum vel ad horam debet intermitti, sed semper auro sapientiæ lucidus, semper hyacintho spei in superna erectus, semper regni cœlestis purpura aduersus vitiorum bella magnanimus, semper cocco bis tincto geminæ dilectionis flammeus, semper retorta bysso castigatæ carnis sacerdos siue doctor fidelium debet esse nitidus.]

Id. ibid. l. 3. c. 4.

†. Augustinus in sermone de languido 38. annos infirmitatem habente. Augustinus: [Merito apud Samaritanos biduum fecit IESVS, vt eos charitate firmaret: Binario ergo isto numero cum aliquid boni significatur, maximè bipartita charitas commendatur. †. Id. lib. 4. de consensu Euangelistarum Augustinus eum; qui filius Dei semper est propter nos filium hominis factum: vt sempiterna virtus eius & diuinitas nostræ infirmitati & mortalitati contemperata, de nostro nobis in se, atque ad se faceret viam, cum magna spei lætitia fideliter teneat, ne peccet à rege Christo regatur. Si forte peccauerit, ab eodem sacerdote expietur, atque ita in actione bonæ conuersationis & vitæ nutritis pennis geminæ dilectionis, tanquam duabus alis validis euectus à terris, ab eodem ipso Christo verbo illuminetur.] † Id. in libro annotationum in Iob. Augustinus: Expansis pennis immobilis, & respiciens ad austrum explicatis ab omni impedimento seculari virtutibus geminæ dilectionis, permanens inconcussus in fide: Non tamen in hoc ipso de se ipso præsumens, sed sperans in Deum & * nullum reuocans in tentationem, à quo ipse charitatis ardor inspiratur, vt fortitudinem suam ad ipsum custodiat di-

Prud. August. tr. 15. in Euang. Ioann.

H

Prud. Aug. l. 4. de cons. Euang. sub fine.

Aug. in annot. in Iob sub finem † al. *in illum reuocans intentionem.*

cens:

cens: *nonne Deo subiecta erit anima mea, ab ipso enim salutare meum: Etenim ipse Deus meus & salutaris meus, susceptor meus, non monebor amplius.*]

†. Leo in sermone de ieiunio mensis septimi. Leo. [Et cum inde dicatur *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & diliges proximum tuum sicut teipsum* Christo Domino dicente * *cognoscimus, quoniam in his duobus mandatis tota lex pendet, & Propheta*, tantaque est sub huius geminæ charitatis edicto vtriusque copula testamenti, vt sine istarum connexione virtutum, nec lex quempiam inueniatur iustificasse, nec gratia. †. Ideoque in eodem Leo. Dilectio proximi dilectio Dei est, qui plenitudinem legis & Prophetarum in hac geminæ charitatis vnitate constituit, vt nemo ambigeret Deo se offerre, * quicquid homini contulisset dicente Domino saluatore, cum de alendis iuuandisque pauperibus loqueretur, *quod vni eorum fecistis, mihi fecistis.*]

†. Sane non video quid rationi & veritati obsistat si gemina charitas nuncupetur, quamuis *Deus charitas* appelletur: Cum multa in sacris litteris reperiantur, & de Deo dicta, & pluraliter enunciata: quis enim nesciat misericordiam, miserationem, iustitiam, iustificationem, scientiam, bonitatem, laudem, laudationem, veritatem, & multa alia Domini dici, & tamen pluraliter elata quisquis piè aduertit facillimè inuenit: dicit enim Propheta *Deus meus misericordia mea*, & idem *misericordias Domini in æternum cantabo.* Idem *Reminiscere miserationum tuarum Domine.* Idem *iustitia Domini recta.* Ideo *in iustificationibus tuis meditabor.* Et alibi *quoniam Deus scientiarum Dominus est.* Et iterum: *quia fortitudo mea & laus mea Dominus Deus.* Et Id. *fortitudo mea & laudatio mea Dominus.* Item. *Vt annuntiem omnes laudationes tuas.* Idem *quoniam veritates requirit Dominus & diminutæ sunt veritates à filiis hominum*: Quibus omnibus patenter innuitur talia de Deo quidem posse proferri, & tamen minimè à pluralitate præpediri. Nam saluatorem, salutarem, & Christum Dominum nostrum veraciter, & propriè appellari nullus ignorat: nec tamen prædicat quis saluatores, salutares, & Christi pluraliter efferantur. Quorum exempla quisquis diuinorum eloquiorum scientiam vsu & memoria imbibit, nullatenus nescit.

Nec prætereundum, quòd ideo prædestinationem ad Dei naturam pertinere dicas, quia ante omnem creaturam sit, sicut Deus. Dic ergo & electionem Dei esse naturam quoniam docente Apostolo addiscimus, quod *in* CHRISTO IESV *Domino nostro elegerit nos ante mundi constitutionem.* Dic etiam promissionem Dei eius esse substantiam, quoniam idem Apostolus testatur, *quam promisit non mendax Deus ante tempora sæcularia*, & omnia quæcunque ex æterno consilio voluntatis eius, quam nulla tempora vel inchoant, vel angustant, cui nec præterita transeunt, nec futura succedunt, nobis per tempora & loca fieri, inchoari, procurrere, finirique decreuit. Cum igitur constet, quia quæcunque naturaliter sunt, quomodocumque sint, non nisi voluntate ipsius sunt, consequens erit, vt quicquid voluntate eius fit, ad eius essentiam pertinere dicatur: quoniam eius facere, operari, præscire, prædestinare, dispensare, gubernare iudicare, damnare, & cætera his similia, non nisi velle ipsius est. Non enim in labore fatigatur, aut opere inquietatur: sed voluntas eius opus est eius: Proinde cùm velle Dei sit esse ipsius; non nisi impiè dicitur, ad naturam eius pertinere quicquid ex voluntate eius prodire cognoscitur. Iudicat quippè Deus: nunquid propterea iudicium eius erit natura ipsius? Eodem modo de cæteris sentiendum quæcumque de eo relatiuè dicuntur.

***

E

CAP. IV.

De vna vera Solaque prædestinatione.

PErgis ad alia, & quarto mendaciorum tuorum ludibrio tertiam ex duabus hæresim factam asseueras, duarum alteram auctoris nomine insinuas, alteram tacito nomine repræsentas. Dicis enim. Cap. 4.

IOANNES SCOTVS.

⊙ *Hæc igitur hæresis Gothescalcana, si tali nomine potest vocari, inter duas alteras hæreses sibi inuicem aduersantes medietatis loco constituta est: Inter illam planè, quæ dicitur Pelagiana, & illam quæ ei repugnat, quarum vna donum diuinæ gratiæ derogat, altera libertatem arbitrij condemnat: Pelagiana siquidem secta libertatem arbitrij rationalis naturæ in tantum commendat, vt sine dono gratiæ ad perficiendam hominis iustitiam sufficiat: Eius verò secta contraria gratuitæ gratiæ donum confirmat, vt eo solo in homine operante, omni conatu liberi arbitrij contempto, omnis fidelis fastigium iustitiæ contingat. Vna igitur (vt dictum est) donum gratiæ contemnit, altera donum libertatis arbitrij. ambo impietate pares, secta verò dispares. Hæc autem de qua nunc agitur, sic est in medio inter vtrasque prædictas, tanquam extremitates inter se contrarias coniuncta, vt ipsis partim consentiat, partim contradicat, proprium que sibi vindicet, quod ipsas non habere contendat. Dum enim omnium virtutum, quibus peruenitur ad beatitudinem, omniúmque vitiorum, quibus præcipitatur ad miseriam in prædestinationibus diuinis, vt ipsa fingit necessarias, ineuitabilésque causas conatur constituere: quid aliud videtur suadere nisi Dei dona, hoc est liberum voluntatis arbitrium, & gratiæ auxilium destruere, quibus duobus profectò plenitudo iustitiæ hominis & inchoatur, & perficitur.* Cap. 4. num. 1. sect. 1. F

G

CORRECTIO.

†. Huc vsque tuorum dictorum verba latiùs posuimus, non vt nostra prolixiùs dilataremus, sed vt tua quibus venenis essent infecta panderemus. De Pelagiana siquidem, quòd libertatem arbitrij adeo extulerit, vt absque auxilio gratiæ Dei propriis viribus niteretur, & nouimus, & detestamur. Secundam quam duabus infectis, & ex duabus compactam asseris, videlicet in prædestinationis necessitate tam bonorum, quam malorum omnium constituta, quamque Gothescalcanam nouo vocabulo nuncupas, nec defendimus, nec tenemus. Tertiam verò quam pelagianis contrariam asseris, qua ita donum gratiæ prædicetur, vt libertas arbitrij funditus auferatur, nec legimus, nec audiuimus: perspecto siquidem Beati Augustini de nonaginta hæresibus libro hanc penitus non inueni. Debueras igitur expressiùs intimare, quo hæc authore subsisteret, & quo ei faciliùs, imò competentiùs responderi posset. Sed diu de ea cogitanti, & ancipiti sententia nimium fluctuanti mihi nihil aliud te in ea expressisse occurrit: nisi quòd in hac, quemadmodum & in geminæ prædestinationis nomine omnibus Catholicis, qui nos vel iam in Domino præcesserunt, vel qui adhuc infirmitate carnis grauati ad eorum societatem dono gratiæ peruenire suspirant, obliquè derogare volueris, qui omnes vna prorsus, concordique sententia ita donum gratiæ prædicant, vt absque eo libertatem arbitrij ad bonos conatus nihil valere confirment. Et quia de gratia & libero arbitrio satis abundéque & à patribus actum, & à nobis atque aliis adæque Catholicis nimirum viris eruditissimis decerptis atque collectis eorum sententiis elaboratum est; vnam tantummodo Beati Patris Augustini sententiam ad medium deduxisse sufficiat, qui in libro, quem de correptione & gratia ad Valerianum & eius Monachos edidit inter cætera sic ait.

Prud. De tribus hæresibus iuxta Scotum.

Nota.

H

Augu

A [Aug. de correp. & gratia Cap. 1. Pſ. 76. 11.] Auguſtinus. Ac per ho[illegible] deſiderare auxilium gratiæ, initium gratiæ eſt. De[illegible] ait ille *& dixi nunc cœpi. Hæc eſt immutatio dexteræ excelſi:* liberum itaque arbitrium & ad malum & ad bonum faciendum † certum eſt nos habere. [† al. confitendū.] Sed in malo faciendo liber eſt quiſque iuſtitiæ, ſeruuſque peccati: in bono autem liber eſſe nullus poteſt, niſi fuerit liberatus ab eo, qui dixit: [Io. 8. 36.] *ſi vos filius liberauerit, tunc verè liberi eritis.* Nec ita vt cùm quiſque fuerit à peccati * Dominatione liberatus [* al. dominatione.] iam non indigeat ſui liberatoris auxilio, ſed ita potiùs, vt ab illo audiens, [Io. 15. 5.] *ſine me nihil poteſtis facere*, dicat ei & ipſe. [Pſ. 26. 9.] *Adiutor meus eſto ne derelinquas me.* † Et paucis interpoſitis. [Idem. ib. cap. 2.] Auguſtinus: Eſt enim (inquit) gratia Dei per IESVM CHRISTVM Dominum noſtrum, qua ſola homines liberantur à malo, & ſine qua nullum bonum prorſus ſiue cogitando, ſiue volendo, & amando, ſiue agendo faciunt: Non ſolum vt monſtrante ipſa quid faciendum ſit, ſciant, verum etiam, vt præſtante ipſa faciant cum dilectione, quod ſciunt: [Nota.] B hanc quippè inſpirationem bonæ voluntatis, atque operis poſcebat Apoſtolus eis, quibus dicebat, [2. Cor. 13. 7] *oramus autem ad Dominum ne quid faciatis mali: non vt nos probati appareamus, ſed vt vos quod bonum eſt faciatis?* † Et cætera quæ latius in eodem opere exſequitur. [Prud.] Quæ cum ſit Catholicæ fidei vera perfectaque conſenſio, neſcio quem elogio tertiæ tuæ hæreſeos denotare volueris niſi beati Auguſtini dictorum quæ præmiſimus, imo Catholicorum omnium fideliter, veraciterque ſequaces. Quod igitur de hac quam aſſeris tertiam hæreſim ais argumento prorſus ſuperfluo, nec ad rem pertinente.

IOANNES SCOTVS.

[Cap 4. num 2. ſect. 3.] ⊖ *Si liberum inquiens arbitrium credere non poteſtis, iudicium mundi futurum eſſe non creditis.*

† Et infrà.

[Cap 4. num. 3. ſect. 3.] C ⊖ *Liberum ergo arbitrium homini à Deo datum impium eſt non credere,*

CORRECTIO.

[Prud. de libero arbitrio] † Quis vnquam niſi à fide & nomine Chriſtiano penitus alienus, aut liberum hominis arbitrium à conditore datum, aut iudicium futurum neget? Datum igitur homini liberum arbitrium pulſa procul omni retractatione credimus, & confitemur: Sed ita à peccantibus vitiatum atque corruptum, vt prorſus niſi præueniente gratia Dei ad nullum bonum propria voluntate atque virtute poſſit aſſurgere, quid enim habere vitium ad boni quippiam per ſe, vel ea ſe poterat venditus ſub peccato? qui enim ſeſe vendere, Dominioque tyranni ſubdere liberum habuit, proculdubio iam ſeruituti addictus, nequaquam liberari, & à ſeruitute tyrannica abſolui liberum habuit, niſi per eius indebitam gratiam liberaretur, cuius filio proteſtante didicimus, [Io. 8. 36.] *quia ſi vos filius liberauerit, verè liberi eritis.* D Hoc ipſe Dominus Iudæis ſeſe de nobilitate geneſis iactantius efferentibus & ſeruitutis næuum à ſeſe mendaciter abrogantibus, dicentibuſque [Ioan. 8. 33. 36.] *nos liberi ſumus, & nemini ſeruiuimus vnquam*, reſpondiſſe legitur: *ſi vos filius liberauerit, tunc verè liberi eritis:* quis enim eos neſciat primo Ægyptiis, deinde in terra repromiſſionis variis gentibus, ac poſt regni adeptam potentiam Aſſyriis: Chaldæis, Medis, Perſis, Græcis, & ad extremum Romanis, iugo miſerabili deſeruiſſe? Nam & tunc quando hæc aduerſus Dominum loquebantur Romanis ſubditos, eiſque tributa pendentes etiam Euangelica prodit hiſtoria. Quid eſt ergo quod ait Dominus *ſi vos filius liberauerit tunc verè liberi eritis?* nunquid Romanos ſubacturus, & mundum ſuo terreno imperio ſubiecturus, ſicque apud terrigenas cum his liberatis veterat regnaturus, vt ideo diceret: *ſi vos filius liberauerit, tunc verè liberi eritis*; Cum ipſe fraudulenta interrogatione ſciſcitantibus: [Matth. 22. 17.] *vtrùm liceret cenſum dare Cæſari* reſponderit: *Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari:* Abſit hoc à fidelium cordibus, qui eum propter liberationem noſtram E morti proximantem terrenæque poteſtatis tribunalibus ſponte ſubditum, præſidi reſpondiſſe legunt & credunt. [Ioan 18. 36.] *Regnum meum non eſt de hoc mundo. Si de hoc mundo eſſet regnum meum, miniſtri mei vtique decertarent, vt non traderer Iudæis: Nunc autem regnum meum non eſt hinc.* Vnde ergo ſi à filio liberarentur, eruendos liberoſque futuros pronuntiat peccatis eos omnibus ſubſtratos, & maximè quod in Dei filium non ſolum non crediderint, verum etiam morti eum addixerint, quis ambigat, quis ignoret?

Reſtat ergo vt de peccati ſeruitio, quo ineuitabiliter tenebantur adſtricti, & diaboli Dominio famulabantur adnexi, Dominum dixiſſe intelligamus: [Io. 8. 36.] *Si vos filius liberauerit, tunc verè liberi eritis:* Et vbi eſt illa libertas, qua de Ægyptia ſeruitute liberati, Circumciſionis myſterio in typo fundendi ſanguinis Domini noſtri Ieſu Chriſti, à nexo originalis noxæ non dubitantur abſoluti? F quod enim nunc in fide eiuſdem ſanguinis iam fuſi nobiſcum agit baptiſma, hoc apud antiquos in fide ipſius adhuc fundendi egiſſe circumciſionem nullus orthodoxorum dubitat: quomodo ergo liberandi cenſentur, qui iam liberati noſcuntur? Niſi quia ſecundum Apoſtolum qui ait: [Rom. 8. 24. Spe ſalui] *ſpe enim ſalui facti ſumus*, adhuc veram id eſt perfectam libertatem expectamus: ſi enim iam liberati atque ſaluati niſi in ſpe ſumus, quare oramus vt liberemur à malo? quare clamantes dicimus Domino: [Pſ. 43. 26.] *Exſurge adiuua nos, & libera nos propter nomen tuum?* Liberatorum atque redemptorum quis hanc eſſe vocem dubitet, quis ignoret? ſed ſicut præmiſimus Apoſtolico documento inſtruimur: [Rom. 8. 24 &c. d. cap. 8. 22. Ibid. 20, & 21.] *Quia in ſpe ſalui facti ſumus: Spes autem non videtur, quod autem videt quis quomodo ſperat? ſi autem quod non videmus ſperamus per patientiam expectamus.* Et rurſum quia *omnis creatura ingemiſcit & parturit reuelationem filiorum Dei Dei expectans: Vanitati enim creatura ſubiecta eſt non volens, ſed propter eum qui ſubiecit eam in ſpe. Quia & ipſa creatura liberabitur à ſeruitute corruptionis in libertate gloriæ filiorum Dei.* G Apoſtolica igitur docemur auctoritate quod liberati ſumus, ſed liberandi: liberati à vinculo pœnæ præuaricationis, liberandi ab omni vitio corruptionis; liberati in ſpe, liberandi in re; liberati vt cum hoſte pugnemus, liberandi vt nunquam hoſtem metuamus: Ibi enim erit vera libertas, vbi certa ſecuritas; ibi ſecura libertas, vbi nulla impugnabit iniquitas: ibi vera liberatio vbi nulla ſupererit corruptio; ibi vera poſſidebitur libertas, vbi nulla vrgebit captiuitas. Hic autem vbi indefeſſus obſiſtit aduerſarius, vbi acerrimus continuuſque cum vitiis inſtar conflictus, vbi libertas etiam contra votum multoties ſeruire compellitur, humiliari nos, atque auxilium gratiæ liberantis petere iugiter oportet: Ita vt cum Apoſtolo humiliati, & nihil de propriæ libertatis viribus præſumentes dicamus. [Rom. 7. 22. 23.] *Condelector legi Dei ſecundum interiorem hominem; video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuum me ducentē in lege peccati, quæ eſt in membris meis.* Hacque humilitate, ſalubrique confuſione compuncti exclamemus cum eodem Apoſtolo, H *Infelix ego homo quis me liberabit de corpore mortis huius?* [ibid. 24. 25.] Sicque de miſericordia nullatenus diffidentes ſubiungamus, *Gratia Dei per* IESVM CHRISTVM *Dominum noſtrum.* Ecce hoſtis impugnans, ecce captiuitas trahens, ecce lex rebellans, ecce corpus mortis, & vbi libertas: Sed audi, vbi *Gratia Dei per* IESVM CHRISTVM *Dominum noſtrum?*

[De libero arbitrio ad Bond.] Ineſt igitur homini liberum arbitrium, ſed ad bonum tam languidum tam inualidum, tam infirmum, vt niſi præcedente gratia, nec velle bonum poſſit, nec agere. Vnde & Beatus Auguſtinus in libro de dono perſeuerantiæ. [Aug. de dono perſ. c. 7.] Auguſtinus. (Non eſt hoc (inquit) omninò in viribus liberi arbitrij, quales nunc ſunt; fuerat in homine antequam caderet, quæ tamen libertas voluntatis, in illius primæ conditionis præſtantia, quantum valuerit, apparuit in Angelis, qui, diabolo cum ſuis cadente, in veritate ſteterunt, & ad ſecuritatem perpetuam non cadendi in qua nunc eos eſſe certiſſimi ſumus, peruenire meruerunt; poſt caſum autem hominis non niſi ad gratiam

Digitized by Google

suam Deus voluit pertinere, vt homo accedat ad eum, neque nisi ad gratiam suam voluit pertinere, vt homo non recedat ab eo. Hanc gratiam posuit in illo, *in quo sortem consecuti sumus prædestinati secundum propositum eius, qui vniuersa operatur.*]

† Quod tanto apertiùs quantò breuius idem Beatus Augustinus in libro Enchiridion manifestat, vbi ait Augustinus: Libero arbitrio malè vtens homo, & se perdidit, & ipsum.] † His breuibus & veracibus atque fidelibus verbis Beatus Augustinus infirmitatem liberi arbitrij patenter † innotuit dicendo quod homo malè vtens libero arbitrio, & se perdidit & ipsum, id est liberum arbitrium: quomodo autem idem liberum arbitrium perdiderit præmissa declarant. Perdidit enim se, quia morti subiecit? perdidit liberum arbitrium, quia se hosti vendidit. Perdidit (inquam) sed ad bonum vel volendum vel faciendum: Nam ad malum semper ei affuit seruilis (vt ita dixerim) libertas: Ac per hoc, vt iam vel benè velit, vel benè possit, non nisi ad gratiam Dei pertinet per IESVM CHRISTVM Dominum nostrum. Sanetur ergo vt liberetur, sanetur illius limi peruncta medicamine, quo à natiuitate cæci oculi sunt sanati: Sanitate etenim opus habet qui dicit. *Ego dixi Domine miserere mei: Sana animam meam, quia peccaui tibi.* Et iterum, *Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum, sana me Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea; & anima mea turbata est valde, sed tu Domine vsquequo. Conuertere Domine, eripe animam meam, saluum me fac propter misericordiam tuam.* Hac sanitate atque libertate indigebant de quibus Dominus in Euangelio dicebat: *Non est sanis opus medicus, sed malè habentibus. Non enim veni vocare iustos, sed peccatores in pænitentiam:* Et rursum: *Venit enim filius hominis quærere, & saluum facere quod perierat.* Id est venit filius hominis quærere fugitiuum, & liberare captiuum: Si liber erat quomodo perierat, sed nimirum perierat, qui à vero lumine auersus, vitiis, & dæmonibus additus seruiebat, vt autem liberaretur, venit ille, *in quo nihil habuit princeps mundi, & qui solus fuit inter mortuos liber*, ad cuius veram perfectamque libertatem si peruenire desideramus, eius præuentrici atque auxiliatrici gratiæ humiliter submisseque subdamur, *qui venit quærere, & saluum facere quod perierat* Deinde subnectis.

IOANNES SCOTVS.

⊖ *Non aliter debuisse fieri rationalem vitam, nisi voluntariam, cum ab ea voluntate, quæ est causa omnium creata sit ad imaginem, & similitudinem sui: Aut quomodo* (inquis) *eam diuina voluntas summa videlicet vniuersitatis ratio, quæ nulla necessitate stringitur, quoniam sua liberrima potentia potitur, imaginem sui similem faceret, si non eius substantiam crearet voluntatem liberam rationalem.*

CORRECTIO.

† In quo quod dicis substantiam imaginis Dei, id est hominis voluntatem liberam rationalem esse: Nouum quid atque ante hac inauditum auribus nostris insonuit, cum voluntatem hominis substantiam eius adseueras, quodque profusius explicas adiungendo.

IOANNES SCOTVS.

⊖ *Hoc inquiens apertissime probatur argumento, quod sumitur ex primi hominis peccato: quamuis enim,* ais, *beatam vitam peccando perdidit, substantiam suam non amisit.*

† Et quænam esset ipsa substantia, subiungis.

⊖ *Quæ est inquiens esse, velle scire. Est enim & vult & scit: Vult se esse & scire: Scit se esse & velle.*

CORRECTIO.

E

† Ecce voluntatem atque scientiam hominis adstruis eius esse essentiam, quod cum tuis adinuentionibus atque argumentationibus adstruas, auctoritate non munis: Quis enim nesciat rationalem animam esse, eique inesse velle & scire? Sed esse est eius natura atque substantia: Velle, & scire non sunt eius substantia atque natura, sed ornamenta substantiæ, dono conditoris attributa: Vt esset enim creator faciendo contulit, vt vellet & sciret, liberaliter tribuit: Animam enim hominis ad imaginem sui conditoris non in velle & scire, sed in rationali mentis factam auctoritate solidissima comprobatur, dicente Apostolo, *Renouamini spiritum mentis vestræ & induite nouum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia & sanctitate veritatis:* Quibus verbis Apostolus imaginem Dei in spiritu mentis cum iustitia & sanctitate ac veritate nuncupans, non voluntatem atque scientiam eius substantiam appellauit: † [Liberum enim arbitrium quid, nisi libera animi voluntas? Quod ita quantum existimo rectè definiri potest Liberum arbitrium voluntas animi, quæ siue ad bonum siue ad malum sua sponte, sua potestate mouetur: Velle naturale est nobis sicut intelligere & meminisse. Hæc enim tria, id est intellectus memoria, voluntas, sic insunt naturaliter animo humano, vt tamen non dicantur esse ipse animus: Sed in animo: Sicut ergo istæ naturales animi affectiones non ipse animus; quapropter illæ multipliciter variari possunt, animus idem manet.

Prud. — Eph. 4. 23.

F

† Nota quæ sequuntur hac. fol. & seq. integra non sunt in textu, sed in margine forsan addita. De libero arbitrio.

Igitur velle naturæ, bonum autem vel malum velle, non est naturæ, sed motus quidam & officium naturæ: Nam si natura nobis esset bonum velle, vel malum velle, in vtramlibet partem aliud esse non posset, sic nec ipsa animi natura aliud esse potest, essetque nobis tam naturale benè velle aut malè velle, quam naturale est nobis ipsum velle: Atque hoc modo iam ipsum benè velle, vel malè velle, non esset in nobis virtus, aut vitium, sed natura: Nec iam vllo modo esse possemus nisi aut tantummodo boni, aut solummodo mali: Nec deberetur nobis iustè vel in bono præmium, vel in malo supplicium: Cùm aliud esse minimè possemus, nec vllum esset meritum nostrum, vel bonum vel malum, sed sola conditoris, aut gratia, aut (quod absit) culpa, qui talem naturam in vtrolibet inconuertibilem condidisset. Igitur velle ab initio naturaliter insitum est homini: Motus autem ipsius voluntatis ita ei bonus est datus, vt nisi sua sponte moueretur ad bonum, sua sponte etiam inclinaretur ad malum: Essetque illi ex suæ voluntatis arbitrio meritum bonum siue malum, & consequenter iustum præmium, vel supplicium. Lapsus ergo homo in peccatum, non amisit esse quod à natura, non amisit velle quod est ei naturale: Sed amisit benè velle, & incurrit malè velle, ita mutatus est in illo, vel etiam amissus motus, vel officium naturæ, mutata est & ipsa in deterius natura mutata tamen, non amissa: Perdidit itaque homo liberum arbitrium peccando, quo ante vigebat ad bonum, amisit motum & officium bonæ voluntatis, non amisit se ipsum; non amisit animi naturam, sed amisit animi sanitatem, amisit bonæ voluntatis vigorem: Hoc vtrumque in ea per Christi gratiam instauratur, & natura scilicet in deterius commutata, & voluntas in malum deprauata: Bona itaque voluntas sanitas est liberi arbitrij, mala voluntas languor est liberi arbitrij: Hanc sanitatem amisit homo, & hunc languorem incurrit Deum deserendo, & contra voluntatem eius faciendo. Sic homo ægrotus effectus amittit vtique pristinæ sanitatis statum, non amittit seipsum; cum autem curatus fuerit instauratur in eo sanitas, & natura vegetatur, quæ non fuerat perdita, sed languore corrupta.]

G

H

Cùm enim constet, quod omnia quæ creata sunt Deo auctore sint condita, omnirum liquet, quia omnia, quæ auctor summè bonus condidit, bona sunt attestante Scriptura, *Et vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona.* Patet ergo quod omnis creatura Dei (sicut

Gen. 1.

Digitized by Google

A Apostolus ait) bona est. *Nulla creatura Dei non est bona.* 1. Tim. 4. 4.
Omnis autem voluntas hominis non est bona; quædam enim voluntas mala. Non est igitur voluntas hominis creatura Dei: Nulla enim creatura Dei mala, nonnulla autem hominis voluntas mala. Vnde luce clarius colligitur quod voluntas hominis atque scientia non sunt eius substantia, sed dona Dei indita humanæ substantiæ, id est animæ rationali: quibus si benè vsa fuerit, seruat atque exornat in se imaginem & similitudinem Dei: Si autem eis voluptuosè abusa fuerit, quemadmodum & cæteris donis Dei, deformat eam nequiter, ac deturpat. Quid enim sunt virtutes, nisi habitus, atque ornatus rationali animæ diuino munere contributus: Quid vero vitia nisi animæ rationalis a vero & summo bono auersæ nuditas & turpitudo.

Phil. 2. 13. Si enim velle hominis est eius substantia, quare dicit Apostolus: *Deus est enim qui operatur in vobis velle, & perficere pro bona voluntate.* Profectò, quibus ista dicebat
B Apostolus, iam opere Dei facti erant, iam substantiam existendi secundum animam & corpus acceperant. Si ergo (sicut tu dicis) voluntas hominis essentia illius est, quam iam habebant: quid necesse erat, vt iam factam substantiam in eis operaretur Deus, præsertim cum verbo præsentis temporis vtens ostenderit, non se de præterito, & de iam facta creatura: Sed de dono gratuitæ gratiæ, quod semper in nobis Dominum operari necesse est, locutum fuisse? Vnde & Propheta deprecatur dicens. *Cor mundum crea in me Deus.* Qui enim iam cor creatum haberet, & quam ob causam creandum posceret, manifestat subiungens, *Et spiritum rectum innoua in visceribus meis:* Vbi declarat, quia creationem pro innouatione posuerit, qua indiget sanctus quisque quamdiu *corpus, quod corrumpitur, aggrauat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem.* Si (inquam) scientia hominis est eius essentia, quare monet Iacobus Apostolus eam à Domino postulari? Ait enim, *si quis indiget sapientia, postulet illam a Domino qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei.* Et Psalmista exorat dicens: *Bonitatem & disciplinam & scientiam doce me.* Stultum est enim quasi accipiendum petere, quod iam habeatur. Si ergo scientia est tibi natura quare petis, vt docearis naturam tuam?

Donum gratuitæ gratiæ semper in nobis Dominum operari necesse est. Ps. 50. 12. Sap. 9. 15. Iac. 1. 5. Ps. 118. 66.
C

Augustinus in lib. Confessionum 13. Augustinus [Trinitatem omnipotentem quis intelligit & quis non loquitur eam, † sed tamen rara anima, quæ dum de illa loquitur, † scit quod loquitur, & contendunt & dimicant, & nemo sine pace videt istam visionem, vellem vt hæc tria cogitarent homines in se ipsis, longe aliud sunt ista tria, quam illa Trinitas, sed dico vbi se exerceant & probent & sentiant quam longè sit. Dico autem hæc tria esse, nosse, velle. Sum enim, & noui, & volo. Sum sciens, & volens, & scio esse me & velle, & volo esse & scire: In his igitur tribus quàm sit inseparabilis vna, & vna vita & vna mens & vna essentia, quam denique inseparabilis distinctio, & tamen distinctio, videat qui potest. Certè coram se est, attendat in se & videat &
D dicat mihi: sed cum inuenerit in his aliquid & dixerit, non iam se putet inuenisse illud, quod supra ista est, incommutabile, quod est incommutabiliter, & scit incommutabiliter, & vult incommutabiliter. Et verùm propter tria hæc, & ibi trinitas: An in singulis hæc tria, aut † tria singulorum sint, an vtrumque? Miris modis simpliciter & multipliciter, infinito in se sibi fine, quod est & sibi notum est, & sibi sufficit incommutabiliter id ipsum copiosa vnitatis magnitudine quis facilè cogitauerit, quis vllo modo dixerit? quis quolibet modo temere pronuntiauerit?

August. Confessionum l. 13. c. 11. † al. *si tamen eam?* † al. *sciat quod loquatur.* † al. *terna.*

† Idem Augustinus in sermone de verbis Apostoli. Augustinus [*Cum enim essemus in carne, passiones peccatorum, quæ per legem sunt, operabantur in membris nostris, vt fructum ferrent morti.* Qui ergo non quia venisti ad te venit, liberat te, vbi te inuenit venundatum sub peccato, iacentem in morte primi hominis, trahentem peccatum primi hominis, habentem reatum, antequam habere posses arbitrium: Ecce vbi te inuenit, quando paruulum inuenit. Sed paruulus ætate excessisti, ecce creuisti, primo peccato multa addidisti, legem accepisti, præuaricator extitisti: Sed noli esse sollicitus, *vbi abundauit peccatum, † abundauit gratia.* † Idem in Euangelio beati Ioannis sermone Augustinus, [*In principio erat verbum.* Id ipsum eodem modo est, sic est, semper sic est, mutari non potest, hoc est, Deus est, quod numen suum dixit famulo suo Mosi: *Ego sum qui sum, & misit me qui est.* Quis ergo hoc capiet? Cum videatis omnia mortalia mutabilia, cum videatis non solum corpora variari per qualitates nascendo, crescendo, deficiendo, moriendo, sed etiam ipsas animas per affectum diuersarum voluntatum distendi, atque discindi, cum videatis homines & percipere posse sapientiam, si se illius luci & calori admouerint, & amittere posse sapientiam, si inde malo affectu recesserint. Cum videatis ergo ista omnia esse mutabilia: Quid est, quod est, nisi quod transcendit omnia, quæ sic sunt vt non sint.] † Verum tu ad confirmandum quod dixeras prosequeris multiplicius & dicis.

Idem de verbis Apostol. serm. 4. in fine, c. 7. 5.
E † al. *paruuli ætate.* Ro. 5. 20. † al. *superabundauit &c.* Idem in Euang. Io. tr. 2. Ioan. 1. 1. Exod. 3. 14.
F

Ioannes Scotus.

● *Quid ergo primus homo habuit ante peccatum quod perdidit post peccatum? Non enim adhuc habebat vitam beatam, quæ ei tribuenda fuerat, si præceptum seruaret. Si dixerimus liberam voluntatem; perdidit igitur suam naturam: Si autem ratio edocet nullam naturam posse perire, prohibemur dicere liberam voluntatem perdidisse, quæ sine dubio substantialis est: non enim in homine creauit Deus voluntatem captiuam, sed liberam, quæ libertas post peccatum remansit.*] Cap. 4. num. 7. sect. 6.

† Et post pauca.

ϴ *An forte liberæ voluntatis vigorem potestatemque, qua sola potuit custodire præceptum, si vellet, peccando perdidit, ac per hoc vigor & potestas liberi arbitrij non erat in primo homine ex substantia, sed ex creatoris gratia? Quod magnum munus amisit, male vtens libero voluntatis arbitrio: Noluit enim facere quod potuit, hoc est mandatum custodire, quod post peccans non potest si velit, si gratia non iuuerit.* Cap. 4. num. 8. sect. 6.
G

Correctio.

† Quibus dictis quantum gratiæ deroges, quando plus iusto naturæ attribuis, satis claret. Nam dicendo *si liberam voluntatem perdidit, perdidit suam naturam*, falsum est: quoniam voluntas non est natura, sed ab auctore naturæ insita: quòd verò addis: *Nullam naturam posse perire*, & hoc falsum est: sententia enim omnium tractatorum Ecclesiæ, aut penè omnium in hoc vel maxime sibi concordat, quod omnis creatura Dei ex nihilo facta, partim manu conditoris ita sit solidata, vt nunquam perire possit; partim vero in nihilum resoluatur; id est quædam, vt facta sunt permaneant, quædam in melius commutanda expectentur, quædam vero penitus deficiant, vt non sint: Ac per hoc multo melius & credibilius diceres, quod certum sit, nullam rationalem creaturam, perire posse: Sicut sanctus Hieronymus in expositione beati Pauli Apostoli ad Galatas dicit: Hieronymus; [Qui enim diligit quempiam, semper in eius fœlicitate lætatur, & si eum viderit aliquo errore deceptum, & peccatorum lubrico concidisse, dolebit quidem, & eruere festinabit: Sed non poterit gaudium mutare tristitia; sciens nullam rationalium creaturarum apud Deum perire perpetuo.] † Idem in commentario Matthæi Hieronymus [*Respicite volatilia cæli, quoniam non serunt neque metunt, neque congregant in horrea, & Deus pascit illa.* Simpliciter ergo accipiendum, quod si volatilia absque cura & ærumnis, Dei aluntur prouidentia, quæ hodie sunt & cras non erunt, quorum anima mortalis est, & cum esse cessauerint, semper non erunt: quanto magis homines, quibus æternitas repromittitur, Dei regantur arbitrio.]

Prud. H Hier. ad Gala. c. 5. vers. 19. Id. Com. in Matt. c. 6. 26. Matth. 6. 26.

* Fulgentius in libro ad Petrum de fide Fulgentius: [Quosdam igitur spiritus sic Deus creauit, vt semper essent, Fulgent. lib. de

essent, quosdam vero, vt esse spiritus quandoque desinerent. †. Et post multa. Fulgentius: Cæteri verò spiritus omnium animalium, quibus non est intellectus quia quidam eorum de terra, quidam de aquis originem ducunt. De aquis enim sunt reptilia & volatilia, de terra verò quædam quæ reptant, quædam vero quæ gradiuntur exorta sunt: Tamdiu spiritus sunt: quamdiu in corporibus viuunt. Anima quippe quæ rationis capax diuinitus facta non est, cum carne sua & incipit, & desinit viuere; quia quando corpori vitam non tribuit, & ipsa non viuit. Atque ita miro modo cùm omni carni anima viuendi sit causa, spiritus tamen irrationalis tamdiu viuit, quamdiu in carne manere potuerit, & dum à carne sua separatur, *extenuatur. Ita fit, vt cum ipse vita carnis suæ sit, viuere ipse nequeat, quando vitam carni ministrare destiterit. Et si non sit caro, cui vitam dare valeat, ipse quoque eam protinus non habebit. Ideo nec æternitas irrationabilibus spiritibus data est, nec aliquod eis iudicium præparatur, in quo eis vel beatitudo pro bonis, vel damnatio pro malis reddatur operibus. Ideo autem in eis nulla operum discretio requiritur, quia nullam intelligendi facultatem diuinitus acceperunt. Propterea igitur eorum corpora resurrectura non sunt: quia nec ipsis animabus eorum, aut æquitas aut iniquitas fuit, pro qua eis æterna, vel beatitudo sit tribuenda, vel pœna.] † Beda in Genesi.

Beda. [*Cunctis diebus terræ sementis & messis, frigus & æstus; æstas & hyems, nox & dies non requiescent.* Cum enim dixisset cunctis diebus mox addidit terræ, vt intelligeres cunctis diebus, quibus terra modernum habitura est statum, secutos homines ab impetu vniuersalis diluuij esse debere. Nec tamen defuturũ tempus, quando cessante hac labentium rerum vicissitudine, quæ annuatim geritur orbis vniuersus cum animantibus sit igne periturus.

†. In eodem Beda. Idcirco requirit Deus animas hominum à bestiis vel hominibus à quibus fuerant effugatæ de corpore: quia *ad imaginem suam fecit hominem*, in eo quod hunc manere ad æternitatem voluit, neque ad similitudinem animantium cum corporis morte perire. †. Gregorius dialogorum lib. 4. Gregorius. Tres quippe vitales spiritus creauit omnipotens Deus, vnum qui carne non tegitur, alium qui carne tegitur, sed non cum carne moritur; Tertium qui carne tegitur, & cum carne moritur: spiritus namque est, qui carne non tegitur, Angelorum: Spiritus qui carne tegitur, sed cum carne non moritur, hominum, Spiritus qui carne tegitur, & cum carne moritur, iumentorum, omniumque brutorum animalium.]

†. Quod vero addis, [*prohibemur dicere liberam voluntatem perdidisse.*] Et hoc falsum esse Beatus Augustinus redarguit quod & supra posuimus, cum dicit: [libero arbitrio malè vtens homo & se perdidit & ipsum] quod dixit & ipsum subauditur liberum arbitrium; perdidit ergo liberum arbitrium id est libertatem voluntatis ad boni electionem, non autem perdidit libertatem voluntatis ad mali electionem, ac perpetrationem: quia qui se peccato voluntariè subdidit, nequaquam in eius potestate, sed in dono gratiæ permansit, vt eius inspiratione bonum vellet, & posset.] †. Hoc ipsum edocet ipse in Epistola ad Vitalem, Ita enuntians: Augustinus [Non est igitur gratia Dei in natura liberi arbitrij, & in lege atque doctrina, sicut Pelagiana peruersitas desipit, sed ad singulos actus datur illius voluntate, de quo scriptum est, *Pluuiam voluntariam segregans Deus hæreditati tuæ*: Quia & liberum arbitrium ad diligendum Deum primi peccati granditate perdidimus, *Et lex Dei atq; doctrina quamuis sancta, & iusta & bona, tamen occidit si non viuificet spiritus*, per quem fit non, vt audiẽdo, sed vt obediẽdo, neque vt lectione, sed vt dilectione, * teneamur. Quapropter vt in Deum credamus, & piè viuamus, *non volentis neque currẽtis, sed miserẽtis est Dei*: Non quia velle nõ debemus, & currere, sed quia *ipse in nobis, & velle operatur & currere.*]

†. Adstipulante Sancto Isidoro qui de gratia Dei & libero arbitrio disputans hanc differentiam expediuit.

E

Isidorus de differentiis lib. 2. cap. 27.

al. inter gratiam diuinæ effusionis.

al. ad præuaricandum sit facilis tardus ad &c.

Isidorus * [inter gratiæ diuinæ infusionem, & humani arbitrij voluntatem hoc interest, arbitrium est voluntas liberæ potestatis, quæ per se sponte, vel bona vel mala appetere potest. Gratia autem est diuinæ misericordiæ gratuitum donum, per quod & bonæ voluntatis initium, & operis meremur effectum; diuina quippe gratia est, qua præuenitur homo vt bonus sit, nec humanum arbitrium Dei gratiam antecedit, sed ipsa gratia Dei nolentem hominem præuenit, vt etiam bene velit. Nam pondere carnis homo sic agitur vt * ad peccandum sit fragilis, tepidus ad pœnitendum. Habet de se vnde corruat, & non habet vnde consurgat; nisi gratia conditoris, vt erigatur manum iacentibus tendat. Denique homini per Dei gratiam liberum restauratur arbitrium, quod primus homo perdiderat; nam ille habuit inchoandi boni liberum arbitrium, quod tamen Dei adiutorio perficeretur. Nos verò & inchoationem liberi arbitrij, & perfectionem de Dei sumimus gratia; quia & incipere & perficere bonum, de ipso habemus

F

a quo & gratiæ donum datum, & liberum arbitrium in nobis est restauratum. Dei est ergo donum, quod agimus propter gratiam præuenientem & subsequentem: Nostrum verò est propter obsequentem liberi arbitrij voluntatem: nam si Dei non est, cur ei gratias agimus? & si nostrum non est, cur retributionem bonorum operum expectamus? Proinde ergo in eo quod gratia præuenimur, Dei est: in eo verò quod * benè operando præuenientem gratiam sequimur, nostrum est. Nemo autem Deum meritis antecedit, vt tenere eum quasi debitorem possit. Sed miro modo æquus omnibus conditor, alios prædestinando prælegit, alios vero in suis prauis moribus iusto iudicio derelinquit. * Vnde verissimum gratiæ munus non ex humana virtute, vel ex merito arbitrij consequi, sed solius diuinæ pietatis bonitate largiri. Quidam enim * gratis misericordiæ eius præuenientis dono saluantur, effecti vasa misericordiæ, quidam vero reprobi habiti, ad pœnam prædestinati damnantur, effecti vasa iræ. Quod exemplo de Esaü & Iacob, needum natis colligitur, qui dum essent vna conceptione vel partu editi, parique nexu peccati originalis adstricti, alterum * tamen eorum ad se * misericordiæ diuinæ præuenienabonitas gratuito traxit, alterúmque iustitiæ seueritate odio habitum in massa perditionis relictum damnauit. Sicut & per Prophetam idem Deus loquitur dicens *Iacob dilexi, Esau autem odio habui*. Vnde consequens est, nullis præuenientibus meritis conferri gratiam, sed sola vocatione diuina: neque quemquam saluari, siue damnari, eligi vel reprobari nisi ex proposito prædestinantis Dei, qui iustus est in reprobatis, misericors in electis: *vniuersæ enim viæ Domini misericordia & veritas.*]

al. ad benè operandum.

al. prædestinatos.

al. inde.

al. gratis sui dono eius &c.

G

al. tantum.

al. misericordia præueniens traxit, alterum quadam.

al. hic locus corruptus in impressis.

Mal. 2.

Rom 9. 13.

Ps. 24. 10.

Cap. 4. num. 10.

H

sect. 6. De voluntate.

Quodque infers, [*quæ idest voluntas hominis sine dubio substantialis est*] & hoc secundum ea, quæ præmissa sunt, falsum est, quoniam voluntatem substantiam asserere niteris; alias autem substantialis & naturalis rectè voluntas dicitur. Quæ substantialiter & naturaliter eidem substantiæ atque naturæ indita, primæ conditionis munere non ignoratur. Substantiam autem eam idest voluntatem esse nullatenus dicimus. Quia si substantia esset mala non esset, quod voluntas plurimum tam in Apostaticis Angelis quam in peruersis hominibus esse non dubitatur: omnis enim creatura Dei bona, non autem omnis voluntas hominis bona. Ex diuersis enim visis diuersus appetitus animarum est: Ex diuerso appetitu diuersi sunt adipiscendi successus: Ex diuerso successu diuersa consuetudo; ex diuersa consuetudine diuersa est voluntas: Diuersa autem visa ordo rerum facit occultus quidem, sed sub diuina prouidentia certus tamen. Non itaque ob hoc putandum est diuersas esse naturas animarum, quia diuersæ sunt voluntates, quin etiam vnius animæ voluntas pro temporum diuersitate variatur: siquidem alio tempore diues esse cupit, alio tempore contempta diuitiis sapiens esse desiderat, & in ipso temporalium appetitu alio tempore vni homini negotiatio, alio tempore militia placet. Et multa similia.

Quodque

A Cap. 4. num. 11. sect. 6.

Quodque subdis *non enim in homine creauit Deus voluntatem captiuam, sed liberam quæ libertas post peccatum remansit.* Ex hoc falsum est. Quia Deus animam liberam creauit eique voluntatem indidit liberam non captiuam: quam tamen in deterius deflectendo ipsa anima fecit esse captiuam: quia videlicet cum adiutorio gratiæ posset eam tenere liberam, si præcepto conditoris liberaliter obedire vellet, maluit damnabili auersione per inobedientiam venundare diabolo, à quo deinceps captiua teneretur, ac per hoc ipsa se captiuam fecit, quæ vendidit, non conditor, qui liberam creauit: perdidit ergo non substantiam, sed libertatem creauit, nec ipsam ex toto, sed ex aliquo, videlicet, vt bonum velle non posset absque gratia, & malum posset ex natura, quam non perdidit, sed in deterius commutauit. Proinde post peccatum remansit ei libertas malum & volendi & faciendi; nec tamen remansit libertas per se à malo recedendi, atque ad bonum se conuertendi; quæ enim habuit ex se vt caderet, nequaquam ex se habuit vt resurgeret: vnde arctatus dictis euidentissimis beatissimi patris Augustini, quem dixisse legeras quod homo ipsum idem liberum arbitrium perdidisset] ne forte veracissimis illius dictis contraire videreris, quo nullus Catholicorum tuam dementiam sequeretur, vertis more serpentis huc illucque caput, & quæris quonam ictus ferientis euadas. B

Cap. 4. num. 12. sect. 6.

Tandemque inuenis *perdidisse hominem vigorem & potestatē liberæ voluntatis.*] In quo non multum à nobis discrepas si enim vigorem & potestatem libertatis perdidit, prorsus nec libertas remansit. Quomodo enim libertas est si vigorem & potestatem non habet, quomodo libera est quæ vigore & potestate caret; Si igitur perdidit vigorem & potestatem, procul dubio perdidit & libertatem: nulla est enim libertas si careat vigore & potestate. Quis enim liber cui desunt vigor, atque potestas, ac per hoc dum ligata soluere niteris, potius illigas, & dum soluendis dolosè insudas, ligata nodosius innectis; Et hoc est totum, quod dicimus perdidisse hominem peccando libertatem, vigorem & potestatem arbitrij, quoniam qui ex se ruere potuit, nequaquam per se surgere valuit. C

Cap. 4. num. 13. sect. 6.

Et quod ais *quæ sola id est potestate potuit custodire præceptum si vellet,*] multum à pietate deuias. Quantalibet enim excellentia liberi arbitrij creatura rationalis munere conditoris emineret: semper tamen gratia vel fulciente, vel solidante, vel recuperante, opus habuit, quod est perspicuum in transgressoribus Angelis qui si eam fulcientem, vel solidantem habuissent, nunquam procul dubio tam grauiter cecidissent, quæ quia Sanctis Angelis diuinitus impensa est, ea & certitudinem permanendi, & securitatem nunquam cadendi percipere meruerunt; quæ idcirco peccanti homini recuperando misericorditer impenditur, quia non tam sua præuaricatione, quàm deceptoris suasione corruit: quamuis enim rationali creaturæ tantum munus, idest libertatem arbitrij Deus contulerit, nullo modo tamen sibi coæqualem facere voluit, quin semper eius gratia opus haberet, cuius bonitate hoc ipsum vt esset, & vt liberaretur acceperat. Sed cum in verbis manifestis atque euidentibus expositionem expraauatricem adhibes, profecto veritati nebulam erroris inducere conaris. Cur enim præcedentia eiusdem loci ac subsequentia suppressisti, quibus diligenter attentis, prorsus tua expositio, deprauatio, errorque conuincitur, quod vt manifestius fiat totam eiusdem beati patris, sicut ab ipso edita est sententiam proponamus, quæ ita se habet.

De Angelis.

D Cap. 4. num. 14. sect. 7. Enchir. cap. 30. † al. liberationē. † al. promissis. † al. operari potest. † al. liberatur. Nunquid libero voluntatis arbitrio, & hoc vt se &c. † al. potest

Augustinus. [Verùm hæc pars generis humani, cui † libertatem Deus regnumque † promittit æternum, nunquid meritis operum suorum reparari potest? absit. Quid enim boni † operatur perditus, nisi quantum fuerit a perditione † reparatus. Et hoc absit: nam libero arbitrio male vtens homo & se perdidit, & ipsum: sicut enim qui se occidit vtique viuendo se occidit, sed se occidendo non viuit, nec seipsum † poterit resuscitare, cum occiderit. Ita cum libero peccaretur arbitrio, victore peccato amissum est & liberum arbitrium: *à quo enim quis deuictus est, huic & seruus addictus est.* Petri certè Apostoli est ista sententia, quæ cùm vera sit, qualis quæso potest serui addicti esse libertas, nisi quando eum peccare delectat. Liberaliter enim seruit qui sui Domini voluntatem libenter facit: Ac per hoc ad peccandum liber est, qui peccati seruus est: Vnde ad iustè faciendum liber non erit, nisi à peccato liberatus, esse iustitiæ cœperit seruus. Ipsa est vera libertas † propter rectè faciendi lætitiam, quia simul & pia seruitus, propter præceptionum obedientiam: sed ad benè faciendum ista libertas vnde erit homini addicto & vendito, nisi redimat ille cuius illa vox est. *Si vos filius liberauerit, tunc verè liberi eritis,* quod antequam fieri in homine incipiat, quomodo quisquam de libero arbitrio in bono gloriatur opere, qui nondum est liber ad operandum benè, nisi se vana superbia inflatus extollat, quam cohibet Apostolus dicens *gratia salui facti estis per fidem.*

E 2. Petr. 2. 19. † al. lætificanti simul pro. per præceptio. Io. 8. 36. Eph. 2. 8.

F Cap. 3. 8. 1. Cor. 7. 25. d. v. 8. 9.

Et ne ipsam sibi saltem fidem sic homines arrogarent, vt non intelligerent diuinitus esse donatam, sicut idem Apostolus alio loco se dicit, *vt fidelis esset, misericordiam consecutum,* hic quoque adiunxit atque ait, *& hoc non ex vobis sed Dei donum est; non ex operibus, ne forte quis extollatur:* Et ne putarentur fidelibus bona opera defutura, rursum adiecit *ipsius enim sumus figmentum, creati in* CHRISTO IESV *in operibus bonis, quæ præparauit Deus, vt in illis ambulemus.* Hinc ergo efficimur verè liberi cum Deus nos fingit, idest format & creat, non vt homines quod iam fecit, sed vt boni homines simus, quod nunc gratia sua facit, *vt simus in Christo Iesu noua creatura,* secundum quod dictum est: *Cor mundum crea in me Deus* Neque enim cor eius quantum pertinet ad naturam cordis humani non iam creauerat Deus.

v. 10. Gal 6. 15. 2. Cor. 5. 17. Ps. 50. 12.

Item. Ne quisquam etsi non de operibus, de ipso glorietur libero voluntatis arbitrio, tanquam ab ipso incipiat meritum, cui tanquam debitum reddatur præmium benè operandi ipsa libertas. Audiat eundem gratiæ præconem dicentem: *Deus est enim qui operatur in nobis & velle & operari pro bona voluntate.* † Et item: *non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei.*]. † Addis insuper ad confirmandum errorem tuum quo astruis velle in homine eius esse substantiam, testimonium Domini dicentis in Euangelio ad discipulos suos, *sine me nihil potestis facere* & adiungis exponendo vel potius deprauando,

Ib. c. 9. 2. G Phil. 2. 13. Ro 9. 16. † al. & alio loco igitur. &c. Prud. Io. 15. 5.

IOANNES SCOTVS.

⊕ *Non dixit, nihil potestis velle.*

Cap. 4. num. 15. sect. 6.

CORRECTIO.

† Quem tuum peruersissimum intellectum necesse est vt veritas atque auctoritas damnet: ita enim sentiti cupis dixisse Dominum: *Sine me nihil potestis facere*; Ac si absque illo boni quicquam possimus velle, & contradicis Apostolo, qui ait: *Deus est enim qui operatur in nobis & velle, & perficere pro bona voluntate.* Si ergo secundū Apostolum *Deus est qui operatur in nobis velle:* liquet profectò, quia fallaciter asseris posse nos velle boni quippiam sine ipso, quasi verò ipsa voluntas hominis non ad opus pertineat, cum scriptura clamet Deum homines, non solum pro factis, verum etiam pro cogitationibus, quæ sola voluntate fieri adsolent, iudicaturum: vnde & per Prophetam Isaiam idem Dominus loquitur: *Ego autem opera eorum & cogitationes eorum venio, vt congregem cum omnibus gentibus & linguis:* quod Sanctus Hieronymus ita explanat.

Prud. Io. 15. 5. H Phil. 2. 13. Bona voluntas à Deo. Isai 66. 18.

Hieronymus: [venit ergo Deus vt opera, & cogitationes congreget singulorum, ex quo discimus, non solum opera, sed & cogitationes esse in die iudicij iudicandas: *qui enim viderit mulierem ad concupiscendum, iam mœchatus est eam in corde suo:* De quibus dicitur: *Nunc circumdederunt eos cogitationes suæ,*

Hier. In Isaiam c. 66 18. Matth. 5. 28. Ose. 7. 2.

quando iudicabit Dominus absondita hominum secundum Euangelium Iesv Christi, vt illud quod Apostolus scribit veritate iudicij comprobetur *Inuicem cogitationibus accusantibus, & satisfacientibus in die, qua iudicabit Deus abscondita hominum*: Vt cogitationes nostræ omnes vno tempore congregatæ iustum iudicem probent: Dum aut accusat nos nostra conscientia aut satisfacit pro delicto. Vtrum plura sint peccata, an bona opera, & vtrum vetera an noua, vtrum deleta pœnitentia, an nouis sceleribus instaurata quando dicit Dominus: *Vias eorum dedi in capita eorum, & cogitationes eorum reddam eis, qui finxit sigillatim corda eorum, & intelligit omnia opera eorum.* De quibus & in alio loco legimus: *tu cognoscis corda hominum solus: nemo enim scit quæ sunt in homine, nisi spiritus hominis, qui est in eo.* Vnde & per Hieremiam loquitur Deus *Ego Deus apropinquans & non de longè dicit Dominus, nunquid abscondit se in absconditis homo, & ego ignorabo?* Denique ad Scribas, dicitur & Pharisæos. *Vos estis qui iustificatis vosmetipsos coram hominibus: Deus autem cognoscit corda vestra*, in quo considerandum, quod non dixerit pater iuxta hæreticorum blasphemias, ne filium videretur excludere: sed Deus quod patri filióque commune est: *In principio enim erat verbum & verbum erat apud Deum: & Deus erat verbum. Hoc erat in principio apud Deum.* De quo idem Ioannes scribit. *Ipse autem Iesvs non credebat se eis: quia sciebat omnes, & non habebat necesse vt aliquis testimonium daret ei de homine. Ipse enim sciebat quid esset in homine.* Cui & illud congruit, *sciens autem Iesvs cogitationes eorum*: Et in alio loco: *sciens autem Iesvs malitiam eorum*, ac ne aliqua sit dubitatio hæreticis calomniam facientibus de verbo Dei, quod nonerit omnia in Epistola, quæ ad Hebræos scribitur prolixius dicitur: *viuens enim sermo Dei & euidens & acutus super omnem gladium bicipitem, & diuidens vsque ad partitionem animæ & spiritus, artuum quoque, & medullarum, & index cogitationum & sensuum cordis nullaque est creatura inuisibilis in conspectu eius, omnia autem nuda & aperta sunt oculis illius*: de quo nobis sermo est. Postquam autem omnes cogitationes in vnum fuerint congregatæ accusantes nos vel defendentes: tunc omnes gentes & linguæ cum cogitationibus suis pariter adducentur in medium. Linguas autem iuxta Apostolum Paulum, non solum hominum legimus: Sed & Angelorum legimus: ex quo intelligitur omnes creaturas à Domino iudicandas, non solum super terram, sed in * mari & in cœlestibus iuxta quod ipse in superioribus dixerat: *inebriatus est gladius meus in cœlo ad terrámque descendet.*]

†. Siquidem cogitationes solâ voluntate conceptas ad opus pertinere Propheta manifestat cum dicit: *Etenim in corde iniquitates operamini, in terra iniustitias manus vestra concinnant*; quæ etenim causa est, vt de cogitationibus quisque iudicetur, nisi quia tales sunt, vt pro operibus deputatæ, aut coronentur merito, aut damnentur, Domino id etiam declarante, qui dicit: *qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mæchatus est eam in corde suo?* patentet iudicatur hâc sententiâ voluntatem, & cogitationem ad opus pertinere, cùm quis eo affectu cogitat, vult, & videt, vt nihil aliud intersit, quam perpetrandi facultas. Nempe mirari satis non valeo te dixisse sine Deo nos nihil posse facere; posse autem velle. Cum si secundum te nobis velle est esse, & sine dubio sine Deo esse nullatenus possimus, quomodo sine ipso velle possimus? enim sine Deo velle possimus, quia sicut astruis velle nobis est esse possimus esse sine Deo. Non autem possumus esse sine Deo; sequitur ergo vt nec velle bonum possimus sine Deo. Quo enim pacto possit velle sine Deo, qui non possit esse sine Deo? nam & si in hoc Domini sermone de solo opere intelligendum, quis censet, audi quid Apostolus dicat. *Fiduciam (inquit) talem habemus ad Dominum non quod sufficientes simus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis. Sed sufficientia nostra ex Deo est.* Vbi ostendit ipsum bonæ voluntatis concipiendæ atque cogitandæ Initium, non nobis esse à nobis atque ex nobis, sed ex Deo, & refellitur falsitas tua, qua dixeras posse nos velle sine Deo: fidem Dei donum esse quis ambigat? Dicente Apostolo *vobis enim datum est à Deo non solum vt credatis in eum verum etiam vt patiamini pro illo.* Patet autem nullum credere nisi voluntate. Quid ergo est donatum credentibus, vt in eum credant atque patiantur? nisi data diuinitus voluntas, quâ in illum credant, quâque pro illo patiantur? Si ergo à Deo donatur voluntas in eum credendi, & pro illo patiendi: Nimirum constat, quia sine illo nihil boni possumus velle. Ac per hoc verba Domini dicentis: *Sine me nihil potestis facere.* Ita sanius & rectius intelligenda sunt, vt facere ad vtrumque referatur ad factum mentis, & factum corporis, quoniam vtrumque opus scriptura appellat, quod non solum facto fieri, sed etiam voluntate concipi solet. E Phil. 1. 29. Ioan. 15. 5.

Respiciamus sanè beati Petri Apostoli negationem, & perspicuè quod à Deo nobis velle sit non ex nobis liquido cognoscemus. Qui enim ptoria voluntate negauit nequaquam propria voluntate pœnituit: Donec respectus desuper ad se rediit, qui paululum derelictus, ve ita dixerim, à se ipso recesserat. A se ipso (inquam) qualis fuerat, quando Dominum etiam à longè sequens in atrium principis sacerdotum intrauerat. Dicit enim Euangelista; *postquam tertiò Gallus cantauerat, & respexit Dominus Petrum, & recordatus est Petrus verbi Domini quo dixerat prius quam Gallus cantet, ter me negabis. Et egressus foras fleuit amarè.* tantumne obsurduisti, vt non audias? *respexit Dominus, & recordatus est Petrus*: non enim prius ille recordatus est, & Dominus postmodum respexit: sed primò respexit Dominus, & post recordatus est Petrus. Prius respexit gratia, & post recordata est pœnitentia. Prius respexit misericordia, & post fleuit miseria. Cuius est quæso nunc velle: respicientis, an post respectum recordantis donec negauit, non vtique habuit velle Dominum confitendi: Respectus autem accepit velle, non solum confessionis, sed etiam confusionis. Inde est quod ait Euangelista. *Et recordatus est Petrus verbi Domini quod dixerat antequam Gallus cantet ter me negabis. Et egressus foras fleuit amarè. Recordatus est*, quia nimium de se præsumpserat dicendo: *Etiamsi oportuerit me mori tecum non te negabo*: & confessus est salubriter, quia ad vocem ancillæ negauerat damnabiliter; Ideóque *Egressus foras fleuit amare.* Prorsus qui non prius est recordatus quàm respectus: patenter indicat non à se sib. fuisse velle, sed accepisse se ab illo, à quo respectus est. Vbi est nunc interpretatio tua, qua dixisti cum dixisset Dominus: *Sine me nihil potestis facere* non dixit velle? videsne non potuisse recordari Petrum, nisi prius Dominus respexisset, id est voluntatem recordandi, ac flendi misericorditer infudisset. De S. Petro. F Matth. 26. 74. & 75. G v. 75. Matth. 26. 35.

Videamus etiam Coapostolum eius Matthæum, vtrùm & ipse gratia præuentus, an voluntate propria Dominum sit secutus. Scribit ipse in Euangelio suo. *Vidit Iesvs publicanum sedentem in telonio Matthæum nomine, & ait illi sequere me, & surgens secutus est eum:* quod ait *vidit Iesvs*, non tamad visum hominis, quam ad intuitum gratiæ respicientis debemus accipere: *vidit* quia misertus est: *vidit* quia volontatem se videndi infudit, *vidit* quia videri se fecit, sedebat *in telonio publicanus* lucris inhiabat, negotiis terrenis concupiscibilitet inseruiebat; oculos meotis pariter cum oculis corporis ad quæstos publicos & priuatos depresserat, cogitare de cœlestibus minimè satagebat; numquid dicendus est habuisse velle, quo vsque visus non est? & visus est, & continuò voluit, quoniam visio illa de gratiæ rote manabat. Nam & quod ait *publicanum* satis indicat, quia tote superni respectus madefactus atque commollitus sit, non propria, quam needum habuetat, voluntate connersus. In quo admiranda est nimium, vis ac potentia gratiæ videntis, quæ mox vt videt perficit: videre illius nulla intercapedante morola opus est: quæ tanta vi penetrauit mentem publicani, vt De S. Matthæo. Matth. 9. H & 10.

statim

[A] statim vocantem gratiam sequeretur. Agit hoc nimirum instinctu occulto Dei omnipotentia in cordibus hominum, vel lenitate, vel terrore incomprehensibili, causis nostram scientiam latentibus, vt respectum suæ gratuitæ gratiæ omni tarditate propulsa humiliter deuoteque sequantur.

[De S. Paulo.] Intueamur etiam illum gratuitæ gratiæ acerrimum propugnatorem & veracissimum defensorem, ac fidelissimum prædicatorem, & liquido videbimus gratiæ fuisse quod talis ac tantus est, non voluntatis propriæ: scribit de eo relator veracissimus actuum illius, comesque peregrinationis eius indiuiduus sanctus Lucas Euangelista dicens: [Act. 9. 1. 2.] *Saulus adhuc spirans minarum, & cædis in discipulos Domini abiit ad principes sacerdotum: & petiit ab iis Epistolam, vt vbicumque inueniret huius viæ viros ac mulieres, vinctos perduceret in Hierusalem.* Audis lupum sæuientem & vbi voluntas; audis persecutorem carnificinæ ouium insudantem, & vbi voluntas? Prorsus erat in eo velle, sed malum. [B] Cui insistebat, & cui tanto studio satagebat: Audiamus sequentia. *Et contigit dum iret Damascum circumfulsit eum lux de cælo: Et cadens in terram* [Act. 9. 3. 4. 5.] *Audiuit vocem de cælo dicentem sibi. Saule, Saule, quid me persequeris? Ille autem dixit, quis es Domine & ait ad eum Dominus: Ego sum* IESVS *Nazarenus, quem tu persequeris. Durum est tibi contra stimulum calcitrare:* Deo gratias. Audieramus lupum frementem, [d. v. 5.] audiamus agnum mitescentem: *Quis es* (inquit) *Domine.* Prius nec hominem saltem dignabatur agnoscere & repente tremens Dominum confitetur: Vnde hoc vno eodemque momento & lupus & agnus ostenditur? Lupus antequam prostratus, prosternitur & agnus efficitur: Prosternitur ferocissimus persecutor, & erigitur mitissimus prædicator: ferociebat & cæcatus est: Cæcatur, & illuminatur. Vnde quæso te? An de proprio velle? Absit. Sed de rore gratiæ: velle ferocientis antequam prosterneretur, [Ib. v. 1.] Audiuimus: *Saulus adhuc spirans minarum & cædis*, [C] Audiamus & gaudeamus balatum agni mitescentis: [d. v. 5.] *Quis es Domine?* Prorsus non hoc ex voluntate propria, quam ante circumfulsionem haberet, sed ex voluntate, quam inspirante gratia in eadem circumfulsione nouam accepit. Accepit inquam quia minimè habebat. Audi quid ipse de se testetur: [Gal 1. 15.] *Cum autem* (inquiens) *complacuit ei, qui me segregauit ex vtero matris meæ, & vocauit per gratiam suam, vt reuelaret filium suum in me:* Qui enim ex matris vtero sese à Deo segregatum testatur, profectò non id propriè voluntatis, sed gratiæ prædestinantis atque vocantis fuisse declarat. Nunquid in vtero matris positus habebat velle, vt segregaretur antequam nasceretur, qui ab vtero materno profusus, atque adultus habuit velle, vt tanta instantia segregatoris sui notitiam impugnaret? Minimè. Accepit ergo cœlesti lumine circumfulsus hanc subitam voluntatem, vt quod priùs iniquissimè oppugnabat, postmodum obedientissimè prædicaret. Videamus, an [1 Cor 4. 7.] hoc ipsum idem confirmet. *Quid enim habes* (inquiens) [D] *quod non accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* Si igitur secundùm interpretationem tuam, velle essentialiter habebat Paulus. Falsum est quod ait, [d. v. 7.] *quid enim habes quod non accepisti?* Accipere se fatebatur. Vtrique in illa circumfulsione, quod non habuisse nouerat ex natiuitate, accepisse se cœlesti munere gratulatur, quod se habuisse naturaliter diffiteror. Rursùs abuteris eiusdem Apostoli alio testimonio, quod prorsùs te non intellexisse, ac per hoc prauis interpretationibus peruertisse certum est. Ais enim subiungens.

IOANNES SCOTVS.

[Rom 7. 18. Cap. 4. num. 16. sect. 8.] ⊖ *Et Apostolus* (inquis) velle adiacet mihi, perficere autem non.

CORRECTIO.

† Quod ita intellexisse videris vt velle sibi esse dixerit ex natura, perficere autem non nisi ex gratia; [Prud.] quam peruersitatem tuam quamuis idem Apostolus secundùm ea quæ permissa sunt euacuet, tamē vt lucidior verborum illius intellectus pateat, ne fortè nostra superbè respueres quid de his Beatus Augustinus in libro sexto, contra Iulianum Episcopum Pelagianum senserit non incongruè duximus inserendum. [August. contra Iulian. lib 6. c. 23.] Augustinus: [Quod autem inquiens verba Apostoli vbi dicit: [18. 24.] *Scio quia non habitat in me hoc est in carne mea bonum*, & cætera. Vsque ad illud vbi ait: *Miser ego homo quis me liberabit de corpore mortis huius?* [Rom 9 * al. cap.] Me affirmas aliter intelligere, quàm * totum ipsum caput debet intelligi: nesciens mihi plurimum tribuis: Non enim ego solus aut primus sic istum locum intellexi, quo euertitur hæresis, vestra quemadmodum verè intelligendus est: [F] imò verò ego priùs cum aliter intellexeram, vel potiùs non intellexeram, quod mea quædam illius temporis etiam scripta testantur. Non mihi enim videbatur Apostolus & de se ipso dicere potuisse: *Ego autem carnalis sum*, cùm esset spiritalis, [v. 14.] & quòd *captiuus duceretur sub lege peccati, quæ in membris erat eius:* [v. 23.] Ego enim putabam dici ista non posse, nisi de iis, quos ita haberet carnis concupiscentia subiugatos, vt facerent quicquid illa compelleret, quod de Apostolo dementis est credere: cùm etiam innumerabilis multitudo Sanctorum, ne concupiscentias carnis perficiat, contra carnem spiritu concupiscat: Sed postea melioribus & intelligentioribus cessi, vel potiùs ipsi quod fatendum est veritati, vt viderem in illis Apostoli vocibus gemitum esse Sanctorum, contra carnales concupiscentias dimicantium: qui cùm mente sint spiritales, adhuc tamen isto corruptibili corpore quod aggrauat animam, rectè intelliguntur esse carnales, quia erunt & corpore spiritales, quando seminatum fuerit corpus animale, & resurget corpus spirituale: [G] Et rectè adhuc intelliguntur ea parte: [v. 23.] *Captiui sub lege peccati*, quæ desideriorum, quibus non consentiunt, motibus subiacet. Hinc factum est, vt sic ista intelligerem quemadmodum intellexit Hilarius, Gregorius, Ambrosius, & cæteri Ecclesiæ sancti notique Doctores, qui & ipsum Apostolum aduersùs carnales concupiscentias, quas habere nolebat, & tamen habebat, strenuè conflixisse, eumdemque conflictum suum illis suis verbis contestatum fuisse senserunt. Contra quos motus priùs vtique debellandos, ne dominentur, & postea sanandos, vt penitus extinguantur, etiam ipse gloriosa certamina sanctos exercere confessus es; simul itaque cognoscamus verba pugnantium, si pugnamus: hoc enim modo non viuimus nos, sed viuit Christus in nobis, si & ad pugnam contra concupiscentias exercendam, & ad victoriam vsque ad consummationem eorumdem hostium capessendam in illo fidimus, non in nobis. [1 Cor. 1. 30. 31.] *Ipse quippe factus est nobis sapientia à Deo & iustitia & sanctificatio, & redemptio, vt quemadmodum scriptum est; qui gloriatur in domino, glorietur.* [H] Non est ergo cōtrarium sicut putas, vt qui dicit [Gal. 2. 20] *Viuo non ego, iam viuit verò in me Christus.* Dicat etiam [Rom. 7. 18.] *Scio quia non habitat in me, hoc est in carne mea bonum:* In quantum qoippè in illo viuit Christus, in tantum expugnat, & superat quod non habitat bonum in eius carne, sed malum. Neque enim rectè cuiusquam spiritus concupisceret aduersus carnem suam, nisi habitaret in illo spiritus Christi. Absit ergo, vt dicamus, quod nos dicere insimulas, Apostolum sic ista dixisse, quasi qui se vellet intelligi renitentem, in scorto aliqua manu pestiferæ voluptatis adduci, cum dicat *non ego operor illud.* [v. 20.] Ostendens concupiscentias carnis solum impulsum libidinis operari sine consensione peccati. Quid est, quòd in Iudæorum superbiam frustra conaris ista verba transferre, tanquam ipsos in se transfiguraret Apostolus, qui contemnebant dona Christi, velut sibi non necessaria: Sic enim suspicaris, atque vtinam ipsa dona Christi saltem ita saperes, vt ad vincendam concupiscentiam valere

Digitized by Google

aliquid crederes: Sed ideo dicis à Iudæis fuisse contempta, quod veniam daret ille peccatis, quæ * in legis admonitione vitassent, quasi hoc conferat homini remissio peccatorum vt caro non concupiscat aduersus spiritum, vnde illa verba nata sunt: *Scio quia non habitat in me hoc est in carne mea bonum*, & cætera eiusmodi. Verum tu à vestro dogmate non recedis, quo putatis gratiam Dei per IESVM CHRISTVM Dominum nostrum sic in sola peccatorum remissione versari, vt non adiuuet ad vitanda peccata, & desideria vincenda carnalia, *diffundendo charitatem in cordibus nostris, per Spiritum sanctum, qui ab illo datus est nobis*: Neque consideras eum qui dicit, *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ*, & ab hoc malo non se liberari clamat, *nisi gratia Dei per* IESVM CHRISTVM *Dominum nostrum*, nec Iudæum esse, nec quia peccauit sed ne peccet potius laborare: Exasperat, inquis, Apostolus vim consuetudinis. Tu ergo responde vtrum contra hostem istam vim non dimiert baptizatus? Quod si negas, omnibus Christianis sensibus contradicis: Si autem dimittat, cur non in verbis Apostoli vocem dimicantis agnoscis? Per legem inquis bonam, & per mandatum sanctum prauorum animi feroces erant, quoniam sine voluntate propria nulla eruditio poterat inspirare virtutem. O acutum intellectorem, ô diuinorum eloquiorum egregium tractatorem! quid agis de verbis dicentis, *non quod volo ago, & velle adiacet mihi & quod nolo hoc ago, & condelector legi Dei secundum interiorem hominem?* Audis hæc & dicis quia voluntas defuit, ideo defuisse virtutem. Quid quod non solum voluntas, verum etiam virtus affuit, ne consentiret concupiscentiæ carnis, quæ legi peccati prauis ipsis motibus seruiebat, quibus ille non cedens, nec arma iniquitatis exhibens membra peccato, & tamen quod nollet sentiens in carne contra spiritum concupiscente, & aduersus eam vicissim spiritu concupiscens, verissimâ castitatis voce dicebat. *Igitur ipse ego mente seruio, legi Dei, carne autem legi peccati.*

†. Idem in 4. Augustinus: [Bonam dicis hominum naturam quæ talis gratiæ opitulationem meretur, quod gratanter audirem, si hoc propterea, quia natura rationalis est, diceres. Neque enim gratia Dei per IESVM CHRISTVM Dominum nostrum lapidibus aut lignis pecoribusue præstatur. Sed quia imago Dei est, meretur hanc gratiam, non tamen, vt eius bona voluntas possit præcedere præter gratiam, ne vel ipsa *prior det, vt retribuatur illi: ac sic gratia iam non sit gratia*, dum non donatur gratuita, sed redditur debita. Quid est ergo, quod secundum modum vestrum effectum voluntatis humanæ dona cœlestia me credideras nuncupasse? tanquam voluntas hominis sine Dei gratia moueretur ad bonum, vt ei debitus à Deo retribueretur effectus? Itanè oblitus fueras nos cum Scriptura dicere contra vos *præparatur voluntas à Domino*: Vel quod *in nobis Deus operetur & velle*. O ingrati gratiæ Dei. O inimici gratiæ Christi, & solo vocabulo Christiani. Nonne pro inimicis suis orat Ecclesia? quid orat obsecro? Si vt eis suæ voluntatis retribuatur pretium, quid eis orat, nisi grande supplicium, quod iam contra eos est, non pro eis. Orat autem pro eis: non ergo quia est illis voluntas bona, sed vt conuertatur in bonam voluntas mala. Quoniam *præparatur voluntas à Domino & Deus est enim* (vt ait Apostolus) *qui operatur in vobis & velle.*]

†. His beati Augustini præferendis expositionibus luce clarius perdocemur: Verba illa Apostolica hominem describere sub gratia constitutum, contráque carnis suæ concupiscentiam puritate mentis pugnantem, non ab eadem gratia alienum: Ac per hoc sub gratia constitutus dicit: *Velle adiacet mihi*: Hoc est voluntas mihi ex dono gratiæ inest; vt castus sim, & castè viuam *perficere autem non*: Repugnante videlicet concupiscentia carnis cuius stimulos & titillationem per omnia extinguere nequeo, dum *Corpus quod corrumpitur aggrauat animam*, non à gratia alienus, qui needum hanc voluntatem ex gratiæ munere perceperat. Nam quod ait: *Mente seruio legi Dei*: Idem dicit: *Velle adiacet mihi*: Et quod ait: *Carne autem legi peccati*: Idem est cùm dicit. *Perficere autem non*. Itaque si velle natura nobis est, id est, essentia veluti asseris, Omnes homines id habere quis nesciat? Omnes autem homines, præter quos gratiæ respectus illustrat, non habere voluntatem castè viuendi, & aduersus carnis concupiscentias dimicandi, quinimò obstinatissimè & ardentissimè eis subdi, quis ignoret? Si ergo secundum te omnes homines habent essentiam velle, non autem omnes homines habent velle vt resistant, immò habent, vt obediant concupiscentiis carnis: Patet profectò nequaquam ex naturæ bono, id omnes homines assequi, sed ex largitate gratiæ eos tantummodo, *qui prædestinati sunt in filios Dei*, vt per eandem gratiam possint *conformes fieri proprij & vnici Filij Dei*: Quod vero adiungis dicens.

E — Rom. 7. 18. 25. — Rom. 8. 29.

IOANNES SCOTVS.

F — Cap. 4. num. 17. sect. 8. Rom. 9. 16.

⊖ *Item quod ait idem Apostolus* non volentis neque currentis, sed Dei est miserentis. *Non aliter intelligitur nisi dum sit volens & currens: Naturaliter enim hæc duo insita sunt homini. Siquidem vult vnde est volens, & appetit beatitudinem, vnde est currens*: non volentis, neque currentis *bona opera vel inchoare vel agere vel perficere*: *hoc enim* est miserentis Dei *donum*.

CORRECTIO.

Prud. — Rom. 9. 16. — G

†. Satis apparet te ad peruersum tuæ interpretationis intellectum confirmandum ista exaggerare: Ideóque verba Apostolica in aliud, quam ab eo dicta sunt detorquere: Quod enim dicis non aliter intelligi, *Non volentis, neque currentis, nisi dum sit volens & currens, id est dum ex natura habeat velle & currere*] Falsum est. Non enim Apostolus de naturæ voluntate, & cursu agebat, sed de homine, qui iam per gratiam illuminatus, voluntatem & cursum, id est actionem boni operis acceperat. Ne fortè post gratiam illustrantem propriis viribus de cætero cum Pelagianis fideret, & absque adiutorio gratię sese posse præsumeret: cùm autem dicis *naturaliter enim hæc duo insita sunt homini*,] rectè diceres, si non te aliter intelligere circumstantia comprobarent. Nam insitum homini naturaliter velle & currere, id est, naturæ factæ hæc ab auctore concessa, quemadmodum & alia suæ munia largitatis Catholica fatetur Ecclesia: Naturam autem esse voluntatem prorsus non recipit: tu è contra nitens, tantum gratiæ derogas dum naturæ vltra veritatem arrogas: vt mirabili cæcitate tam lucidæ veritati impudentius obuians, crebrius quam necesse sit, eadem inculcare non erubescas: Et ideo subnectis.

IOANNES SCOTVS.

H — Cap. 4. num. 18. sect. 8. Rom 9. 16.

⊖ Non *tamen* volentis neque currentis *bona opera vel inchoare, vel agere, vel perficere, hoc enim* est miserentis Dei *donum*.

CORRECTIO.

Prud. — 1. Cor. 4. 7. — Rom. 11. 34. 35. 36. — d. v. 35.

†. Vt ostendas voluntatem, & appetitum, quem cursum nominas, non esse præuenientis Dei donum, sed miserentis, id est retribuentis, & adiuuantis munus; Et vbi est quod idem Apostolus proclamat: *Quid enim habes quod non accepisti?* Et rursum: *Quis enim nouit sensum Domini: Aut quis consiliarius eius fuit, aut quis prior dedit illi & retribuetur ei? Quoniam ex ipso & per ipsum & in ipso sunt omnia, ipsi gloria in sæcula sæculorum, Amen.* Si enim ex te, id est naturâ voluntatem & appetitum boni habes sequitur inchoare, agere, seu perficere, non miserentis Dei donum, sed retribuentis sit munus, & falsum erit quod ait Apostolus *quis prior dedit illi & retribuetur ei?* Si inquam tibi ex natura voluntas & appetitus boni fuit nimirum constat, quia tu prior dederis Deo

voluntatem

A volontatem tuam, quàm ille vel inchoandi, vel agendi vel perficiendi munere: Retributum est igitur tibi iustitia repedentis, non datú munificẽtia grauito largientis: quia verò omni ambiguitate seclusâ verum est quod Apostolus ait: *Aut quis prior dedit illi & retribuetur ei*: Profectò liquet quòd ipsa voluntas atque appetitus boni donum sit gratiæ præuenientis, non naturæ existentis, lippientis. *Quid enim habes quod non accepisti?* Si ergo boni voluntatem habes, proculdubio accepisti: Accepisti autem non naturæ cæcutientis bono, sed gratiæ miserentis dono: *Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso, sunt omnia*: Proculdubio & liberalitas bonæ voluntatis: *Ipsi gloria in sæcula sæculorum, Amen.* Hinc Beatus Augustinus, in retractatione propositionum Epistolæ ad Romanos ita loquitur.

[Rom. 11. 35. — 1. Cor. 4. 7. — Rom. 11. 36.]

Augustinus: [Proinde quod continuò dixi: dicit enim idem Apostolus, *idem Deus qui operatur omnia in omnibus*, nusquam ante dictum est: Deus credit omnia in omnibus:] Ac deinde subiunxi: Quod ergo credimus nostrum est: Quod autem bonum operamur illius est, qui credentibus dat Spiritum sanctum;] Profectò non dicerem si iam scirem, etiam ipsam fidem inter Dei muneta reperiri, quæ dantur in eodem spiritu: vtrumque ergo nostrum est, propter arbitrium voluntatis: & vtrumque tamen datum per spiritum fidei & charitatis: Neque enim sola charitas, sed sicut scriptum est, *Charitas cum fide à Deo Patre & Domino nostro* Iesv Christo Et quod paulò post dixi: nostrum est enim credere & velle, illius autem dare credentibus, & volentibus facultatem benè operandi per Spiritum sanctum, *per quem charitas Dei diffunditur in cordibus nostris*:] Verum est quidem, sed eadem regula, & vtrumque ipsius est, quia ipse præparat voluntatem, & vtrumque nostrum, quia non fit nisi volentibus nobis: Ac per hoc quod etiam postea dixi: quia neque velle possumus, nisi vocemur; & cùm post vocationem voluerimus, non sufficit voluntas nostra, & cursus noster, nisi Deus & vires currentibus præbeat, & perducat quo vocat:] Ac deinde subiunxi. Manifestum est ergo *non volentis neque currentis, sed miserentis Dei esse*, quòd benè operamur;] omnino verissimum est: Sed parùm de ipsa vocatione disserui, quæ fit secundùm propositum Dei: non enim omnium, qui vocantur talis est, sed tantùm electorum. Itaque quod paulò pòst dixi: Sicut enim in iis, quos elegit Deus, non opera, sed fides inchoat meritum, vt per munus Dei benè operentur: Sic in iis, quos damnat, infidelitas & impietas inchoat pœnæ meritum, vt per ipsam pœnam etiam malè operentur:] verissimè dixi, sed fidei meritum etiam ipsum esse donum Dei nec putaui quærendum esse, nec dixi: & alio loco: cuius enim miseretur (inquam) facit eum benè operari, & quem obdurat, relinquit eum, vt malè operetur: Sed & illa misericordia præcedenti merito fidei tribuitur, & ista obduratio præcedenti impietati] quod quidem verùm est: sed adhuc quærendum erat vtrùm & meritum fidei ea misericordia Dei veniat: Id est vtrùm ista misericordia ideò tantummodo fiat in homine, quia fidelis est: An etiam facta fuerit, vt fidelis esset: legimus enim dicente Apostolo: *Misericordiam consecutus sum, vt fidelis essem*, non ait, quia fidelis eram. Fideli ergo datur quidem, sed data est etiam, vt esset fidelis. Rectissimè itaque alio loco in eodem libro dixi: quoniam si non ex operibus, sed misericordia Dei & vocamur vt credamus, & credentibus præstatur, vt benè operemur: Non est gentibus ista inuidenda misericordia:] quamuis minùs ibi diligenter de illa quæ per Dei propositum fit vocatione tractarim.

[August. retract. lib. 1. c. 23. — B — 1. Cor. 12. 11. — Eph. 6. 23. — Rom. 5. 5. — LXX. Prou. 8. 35. — C — Rom. 9. 16. — D — 1. Tim. 1. 13.]

† Quod Apostolicum testimonium quo sensu accipi debeat beatus August. in lib. Enchirid. manifestat dicens. Augustinus: [Item ne quisquam etsi non de operibus, de ipso glorietur libero voluntatis arbitrio tanquam ab ipso incipiat meritum, cui tanquam debitum reddatur præmium benè operandi, ipsa libertas: Audiat eundem gratiæ præconem dicentem *Deus est enim qui operatur in vobis & velle & operari pro bona voluntate.*

[Prosp. August. Enchirid. c. 32. — Phil. 2. 13.]

E Et alio loco: *Igitur non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei.* Cùm proculdubiò, si homo eius ætatis est, vt ratione iam vtatur, non possit credere, sperare, & diligere, nisi velit, nec peruenire ad palmam supernæ vocationis Dei, nisi voluntate cucurrerit. Quomodo ergò *non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei*, nisi quia & ipsa *voluntas* (sicut scriptum est) *à Domino præparatur*: Alioquin si propterea dictum est *non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei*: Quia ex vtroque fit, id est ex voluntate hominis, & misericordia; vt sic dictum accipiamus: *Non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei*, tanquam diceretur, non sufficit sola voluntas hominis, si non sit etiam misericordia Dei: non ergò sufficit sola misericordia Dei si non sit etiam voluntas hominis: Ac per hoc si rectè dictum est, *non volentis hominis, sed miserentis est Dei*, quia id voluntas hominis sola non implet, quare non & è contrario rectè dicitur: non miserentis est Dei, sed volentis est hominis: quia id misericordia Dei sola non implet? Porrò si nullus dicere Christianus audebit, Non miserentis Dei, sed volentis est hominis, Ne Apostolo apertissimè contradicat, restat, vt propterea rectè dictum intelligatur: *Non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei*, vt totum detur Deo, qui hominis voluntatem bonam, & præparat adiuuandam, & adiuuat præparatam. Præcedit enim bona voluntas hominis multa Dei dona, sed non omnia, quæ autem non præcedit ipsa, in eis est & ipsa. Nam vtrumque legitur in sanctis eloquiis, *Et misericordia eius præueniat me, & misericordia eius subsequetur me*: Nolentem præuenit vt velit: Volentem subsequitur ne frustrà velit. Cur enim admonemur orare pro inimicis nostris, vtique nolentibus piè viuere, nisi vt Deus in eis operetur * & velle? Itémque cur admonemur petere, vt accipiamus, nisi vt ab illo fiat quod volumus, à quo factum est, vt velimus? Oramus ergo pro inimicis nostris, vt misericordia Dei præueniat eos, sicut præuenit & nos: Oramus autem pro nobis, vt misericordia eius subsequatur nos.]

[Rom. 9. 16. — LXX. Prou. 8. 35. — d. v. 16. — d. v. 16. — F — d. v. 16. — Ps. 58. 11. — Ps. 22. 6. — * al. vt velint.]

† Huic asseuerationi tuæ adhibes exemplum hominis in densissimis tenebris positi habentis sensum videndi quidem, sed nihil videntis quia nihil possit videre, antequam extrinsecùs veniat lux, quam etiam oculis clausis sentiat, apertis verò & eam & in ea cuncta circumposita conspiciat, & explanans sic voluntatem hominis quamdiù originalis peccati, propriorúmque vmbrâ tegitur, ipsius caligine impediri; dùm autem lux diuinæ misericordiæ illuxerit, non solùm noctem peccatorum omnium, eorùmque reatum destruere, sed etiam obtutum infirmæ voluntatis sanando aperire, & ad se contemplandum bonis operibus purgando idoneam facere. Sed quæro abs te cuius hominis voluntatem quandiù originalis peccati, propriorúmque vmbrâ tegitur, ipsius caligine impediri dicas? Vtrùm baptizati, an nondum gratiam baptismatis consecuti? Si enim nondum baptizati velis intelligi, certùm est ita tenebris tam originalis, quàm proprij peccati quemque obscuratum, vt nisi respectu diuinæ gratiæ nec bonum possit scire nec velle: percepto verò cœlestis rore misericordiæ, eâque ab originalis propriorúmque peccatorum labe purgatus, & baptismatis mysterio innouatos, progressu temporis, & incremento fidei, bonísque operibus adhærentibus, & voluntatem atque appetitum boni & procursum perfectionémque actionis bonæ & facultatem contemplationis diuinæ assequi minimè dubitatur. Sin de homine iam Christianæ fidei mysteriis initiato intelligendum censes, mirum est cur originalis eum peccati caligine impediri dicas, quod ei iam in baptismate relaxatum Ecclesia Catholica veraciter confitetur & prædicat: quod quàm sit à fide Catholica alienum sole clarius patet.

[G — Prosp. Cap. 4. num. 19. sect. 8. Gratia necessitatis. — Erga infideles. — H — De baptizatu.]

Et quòd ais lucem diuinæ misericordiæ obtutum infirmæ voluntatis sanando aperire, & ad se contemplandum bonis operibus purgando idoneam facere.] Quomodo est libera, si infirma? qui enim infirmatur nequaquam libertatem & facultatem faciendi quod voluerit,

habere

A habere conuincitur, aut quomodo sentit lucem non videndo, qui penitus ignorat lucem? perpende quam multi sint, qui lucem aut nunquam viderunt, aut oculis capti videre nunquã possunt. Quod pacto igitur sentire lucem non videndo dicitur, qui facultatem videndi nullam habere comprobatur? recede ergo à viciatæ naturæ morbo, & quære diligentiùs gratiæ curantis medicamentum, vt assecuto præuenientis dono, consequi etiam perfectionis consummationem & gloriam opitulantis valeas adiumento. Cerne tot millia paruulorum, qui inter ipsa baptismatis Sacrosancta mysteria vix satagentium sacerdotum manibus vndis viuifici fontis educti expirantes ad regna cœlestia perducuntur: quæ in eis voluntas naturæ? quæ libertas eos ad tantam beatitudinem sustollit? Nulla indubitanter propria: quid ergo? nimirum gratuita gratia Dei miserantis, non retributio substantiæ volentis. Quomodo est enim gratia, si non gratis datur, nam si tua præcedit voluntas, iam non gratia, sed

B retributio vocanda est, quæ non datur gratis, sed rependitur præcedentis merito voluntatis. Et euacuatur sententia Apostoli dicentis; *aut quis prior dedit illi & retribuetur ei.* (Rom. 11.35.) Quia verò explosâ omni ambiguitate, verum est quod Apostolus dicit, sequitur vt falsum sit, quod mendaciter, & impudenter asserere non metuisti. Liberè igitur, ac fideliter confiteatur Ecclesia Catholica gratiam Dei gratis, id est nullis naturæ voluntatis, aut appetitus meritis dari, & gratias non cesset rependere tanti muneris largitori, quoniam verum est, quòd *nullus prior dederit illi, vt retribuatur ei. Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia, ipsi gloria in sæcula sæculorum Amen.* (Rom. 11.35. 36. Psal. 58. 11.) Reclamat aduersùm te Propheta *Deus meus* inquiens, *misericordia eius præueniet me, præueniet* vtique inspirando bonam voluntatem, non inueniendo: Si enim inueniret, nullatenus præueniret. Quia igitur præuenit, non vtique inuenit: vnde & per Prophetam Dominus pollicetur: *Auferam à vobis cor lapideum, & dabo vobis cor carneum:* (Ezech. 11.19.) quid hoc loco cordis nomine nisi voluntas? quid lapidis nisi duritia? quid car-

C nis, nisi mollitudo intelligitur? *Auferam* ergo *à vobis* voluntatem duram, quâ meis præceptis ac voluntati obstinatè resistitis, *Et dabo vobis* voluntatem mollem, id est non repugnantem: sed docilem & meis disciplinis habilem, quâ meis præceptis meæque voluntati beneuolentissime obsequamini.

Quòd si præuenire te misericordia Dei ad inchoandum tantum, non etiam ad volendum dixeris: vide quot, quantisque Catholicis tractatoribus contra eas, qui hoc non solùm de inchoatione operis boni, verùm etiam inspiratione voluntatis bonæ sanissimè intellexerunt, & fidelissimè prædicauerunt. Fulgentius in libro de fide ad Petrum Diaconum. Fulgentius: [Deus autem misericors & iustus, sicut diabolo, atque angelis eius propria cadentibus voluntate, cæteros Angelos in suæ dilectionis æternitate firmauit, sic etiam humani generis massam non totam in sempiternum perire permisit: sed (Fulgent. de fide ad Petrum col. 344.) quos voluit eius gratuita bonitas repulsis tenebris, in

D quibus omnis humana natiuitas peccati originalis condemnatione versatur, reducendos prædestinauit ad lucem. In eo præcipue demonstrans, quòd istos originalis peccati vinculis indebita gratia liberatoris absolueret, cùm alios, & quàm maximè paruulos quibus nulla possunt vel bona vel mala inesse propriæ materia voluntatis, insolubili nexu æterna damnatio retineret: bonæ quoque voluntatis & cogitationis initium non homini ex se ipso nasci, sed diuinitus & præparari, & tribui, in eo Deus euidenter ostendit; quia neque diabolus, neque aliquis Angelorum eius, ex quo ruinæ illius merito in hanc sunt inferiorem detrusi caliginem, bonam potuit aut poterit resumere voluntatem, quia si possibile esset, vt humana natura, postquam à Deo auersa bonitatem perdidit voluntatis, ex se ipsa rursus eam habere potuisset, multò possibiliùs hoc natura haberet Angelica, quæ quantò minùs grauatur terreni corporis pondere, tantò magis hac esset prædita facultate: sed ostendit Deus, vnde bona voluntas hominibus detur, quam sic amiserunt An-

E geli cum haberent, vt amissam deinceps habere non possint.] † Idem post aliqua Fulgentius: [qui enim eos (Idem col. 349.) tales prædestinando præparauit, vt regno digni essent, præparauit vtique secundum propositum vocandos vt obediant, præparauit iustificandos, vt accepta gratia rectè credant, & bene viuant, præparauit etiam glorificandos, vt Christi cohæredes effecti regnum cœlorum sine fine possideant: ad quod regnum diuersis temporibus per sacramenta, quæ ad fidem incarnationis suæ Christus instituit, illi peruenerunt, quos Deus gratis, nullo bonæ voluntatis, vel boni operis merito præcedente saluauit.]

† Beatus Innocentius Apostolicæ sedis antistes ad Afros Episcopos contra Pelagium scribens. Innocentius: (Innoc. Epistol. 61. apud Aug.) [liberum enim (inquit) arbitrium olim ille perpessus, dum suis inconsultius vtitur bonis, cadens in præuaricationis profunda demersus, nihil quemadmodum exinde surgere possit, inuenit, suáque in æternum libertate deceptus, huius ruinæ iacuisset oppressus, nisi eum post Christi pro sua gratia releuasset aduentus.] † Episcopi

F Africanæ Prouinciæ ducenti quatuordecim in Epistola (Prud. Epistola Afrorũ ad Zozimũ apud Prosperũ contra col. c. 10.) ad beatum Zozimum Romanæ sedis Episcopum; [constituimus inquiunt, in Pelagium atque Cœlestium per venerabilem Episcopum Innocentium de beatissimi Apostoli Petri sede prolatam manere sententiam, donec apertissima confessione fateantur gratiâ Dei per IESVM CHRISTVM Dominum nostrum, non solum ad cognoscendam, verùm etiam ad faciendam iustitiam nos per actus singulos adiuuari: Ita vt sine illa nihil veræ * iustæque pietatis habere, cogitare, dicere, agere valeamus.] (* al. sanctæque.) † Sanctus Zozimus Papa ad vniuersum orbem contra Pelagianos scribens. Zozimus: [Nos tamen (Zozimus in Epistola cœlest. c. 8.) ait, instinctu Dei: (omnia enim bona ad auctorem suum referenda sunt, vnde nascuntur) ad fratrum & coepiscoporum nostrorum conscientiam vniuersa retulimus.] † Quam eius veracem sententiam Afri Episcopi verac (Episcopi Afri Epist. ad) cissimam approbantes ita ad eum rescribunt: illud verò,

G quod in literis tuis, quas ad vniuersas Prouincias curasti esse mittendas, posuisti dicens: nos tamen instinctu Dei (Zozimũ ibidem.) (omnia enim bona ad auctorem suum referenda sunt, vnde nascuntur.) Ad fratrum & Coepiscoporum nostrorum conscientiam vniuersa retulimus) sic accepimus dictum, vt illos, qui contra Dei adiutorium extollunt humani arbitrij libertatem, districto gladio veritatis velut cursim transiens amputares; quid enim tam libero fecisti arbitrio, quàm quòd vniuersa in nostræ humilitatis conscientiam retulisti? Et tamen instinctu Dei factum esse fideliter, sapienterque vidisti, veraciter fidenterque dixisti. Ideò vtique quoniam *præparatur voluntas à Domino*, (LXX. Prou. 8. 35.) & vt boni aliquid agant, paternis inspirationibus suorum ipse tangit corda filiorum; *quotquot enim spiritu Dei aguntur, hi filij sunt Dei.* (Rom. 8. 14.) Vt nec nostrum deesse sentiamus arbitrium, & in bonis quibusque voluntatis humanæ singulis motibus magis illius valere non dubitemus auxilium.]

† Prosper vir eloquentissimus atque doctissimus scribens iam inde aduersùm te sub nomine Cassiani Pelagia- (Prud.)

H næ hæreseus assertoris ita inter cætera locutus est Prosper. (Prosper contra collatorẽ c. 12.) Quid de elisarum argumentationum ratiunculis fracta studes arma colligere? quid cineres extincti dogmatis refouendo deficientis fumi nidorẽ in rediuiuam flammam conaris accendere? non est periculum liberi arbitrij ex gratia Dei, nec voluntas aufertur cùm in ipsa benè velle generatur: Nam si ideò non putanda est nostra, quia (Ibid. c. 13.) formatur, regitur, ordinatur, imbuitur; spoliantur libertate Filij Dei, *qui aguntur spiritu Dei*, (Rom. 8. 14.) perdunt vigorem rationalis animi, & omni voluntatiæ deuotionis laude priuantur, quibus datur *Spiritus sapientiæ & intellectus, consilij & fortitudinis, scientiæ, ac pietatis, & timoris Domini:* (1. Cor. 12. Isa. 11. 2.) Prorsùs qui his reformationibus se non putant indigere, de veteris morbi consuetudine in frenesim transierunt: * Respuunt remedium, clamant, insaniunt, reluctantur. (* al. respuentes.) Sed si promissionis sunt filij, quiescent & sanabuntur. † Idem in eodem. Prosper. Fal- (Idem ib. c. 8.) sò ergo secundum hanc definitionem ante dixisti non so-

Non

A lùm actoum, verùm etiam cogitationom bonarum ex Deo esse principium, qoi & incipit quæ bona sunt, & exsequitur, & consummat in nobis, sed hoc nullo modo ex * al. eni. aliqua parte potest esse falsum: * quia nequaquam inferi contraria duebuerunt, vt quod rectè professus es ex gratia incipere, id postea confirmares per oatoræ bonum, & per liberum arbitrium nos habere. Dicit quidem Beatus Rom. 7. 18. Apostolus, *velle enim adiacet mihi, perficere autem bonum non inuenio*: Sed idem dicit: 2. Cor. 3. 5. *non quia idonei simus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis: sed sufficientia nostra ex Deo est*. Phil. 2. 13. Et idem dixit: *Deus est enim qui operatur in nobis & velle & operari pro bona voluntate*. Non ergo Apostolus sibi contrarius est. Sed quia cùm donatum nobis fuerit bonum velle, non statim inuenimos & facere, nisi petentibus, quærentibus, atque pulsantibus, vt qui dedit desiderium, præstet effectum. Vox Rom. 7. 18 namque ista dicentis *velle enim adiacet mihi, perficere autem bonum non inuenio*, vocati est, etiam sub gratia B constituti, qui condelectatur quidem legi Dei secundùm v. 23. interiorem hominem, sed *videt & aliam legem in membris suis repugnantem legi mentis suæ, & captiuantem se in lege peccati*: & quamois acceperit scientiam rectè volendi, virtutem tamen in se non inuenit eorum, quæ optat operandi, donec pro bona voluntate, quam sumpsit, * virtutum mereatur facultatem inuenire, quam * al. mereatur inuenire qui faciat. quærit.]

† Sanctus Fulgentius vir absque cunctatione eruditissimos ac fidelissimos in libro de fide ad Petrum Diaconum. Fulgent. de fide ad Petrū col. 540. Fulgentius [Firmissimè tene, & nullatenus dubites, neminem hîc posse hominem pœnitentiam agere, nisi quem Deus illuminauerit, & grauita sua miserationе conuerterit: Apostolus enim dicit: 2. Tim. 2. 25. v. 26. *ne fortè det illis Deus pœnitentiam ad cognoscendam veritatem & resipiscant a diaboli laqueis*: firmissimè tene, & nullatenus dubites, posse quidem hominem, quem nec ignorantia literarum, nec aliqua prohibet imbecillitas, vel aduersitas, verba sanctæ legis, & Euangelij siue C legere, siue ex ore cuiusquam prædicatoris audire, sed diuinis mandatis obedire neminem posse, nisi quem Deus gratia sua præuenerit. Vt quod audit corpore, corde etiam mente percipiat, & accepta diuinitus bona voluntate, atque virtute, mandata Dei facere & velit, & possit: 1. Cor. 3. 7. *neque enim qui plantat, neque qui rigat sed qui incrementum dat Deus, qui etiam operatur in nobis & velle & * operari pro bona voluntate*.] Phil. 2. 13. * al. perficere.

†. Beda venerabilis Presbyter in homilia Euangelij de aduentu Domini cùm exponeret: Ioan. 1. 16. *nos omnes de plenitudine eius accepimus & gratiam pro gratia* subiunxit. Beda: Beda in Euang. Ioan. c. 1. [Quia ergo de plenitudine conditoris nostri non quidam, sed omnes quicquid boni habemus accepimus, curandum summopere est, ne qoispiam de sua se bona actione vel cogitatione incautus extollat, nisi ingratus largitori remanserit, perdat bonum quod accepit, ac digne Apostolica increpatione percellatur, qua dicitur: 1. Cor. 4. 7. *Quid enim habes quod non accepisti, si autem accepisti quid gloriaris, quasi non acceperis?* Vnde ipse Apostolus, D quia nihil dignum nosse vel operari posset, si non de plenitudine Christi acciperet, alibi manifestè testatur dicens: 2. Cor. 3. 5. *Non quia sufficientes simus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est*, & 1. Cor. 15. 10. alio loco. *Et gratia eius*, inquit, *in me vacua non fuit, sed plus illis omnibus laboraui: non autem ego, sed gratia Dei mecum*: qood ipsum suis auditoribus humiliter cogitandum sedulos inculcat: Phil. 2. 12. 13. Vnde est illud: *Cum metu, & tremore vestram salutem operamini: Deus est enim qui operatur in vobis & velle & perficere pro bona voluntate*: Ioan. 1. 16. Cù autem dixisset Euangelista: *Nos omnes de plenitudine Christi accepisse* confestim subiunxit & ait: *gratiam pro gratia*, Geminam ergo nos gratiam accepisse testatur, vnam videlicet in præsenti, alteram verò in futuro: In præsenti quidem fidem, *quæ per dilectionem operatur*, in futuro autem vitam æternam. Fides quippe, *quæ per dilectionem operatur*, gratia Dei est, qui vt credamus, vt diligamus, vt operemur bona, quæ nouimus non vllia præcedentibus meritis nostris, sed ipso largiente percipimus, qui dicit: *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, & posui vos vt eatis, & fructum afferatis*. E Ioan. 15. 16. Et vt vitam propter fidem, dilectionem, & opera bona, percipiamus æternam, Gratia Dei est, quia ne à bono deuiemus itinere, ipso duce semper opus habemus, cui dicitur; *Deduc me Domine in via tua, & ambulem in veritate tua*. Ps. 85. 11. Ac si aperte dicatur: nisi te duce ingrediens viam veritatis, quam cœpi tenere, nequaquam sufficio; Ne in bonis deficiamus operibus, illius auxilio debemos semper inniti, qoi ait, *quia sine me nihil potestis facere*: Ioan. 15. 5. Vnde rectè Psalmista, vt initium fidei & bonæ actionis à Domino nobis dari signaret ait, *Deus meus misericordia eius præueniet me*: Ps. 58. 11. Vt bona quæ agimus illo opitulante perficienda doceret, iterùm dicit: Ps. 22. 6. *Et misericordia tua subsequetur me omnibus diebus vitæ meæ*: vt mercedem vitæ æternæ, quæ bonis redditur operibus gratis tribui nobis ostenderet ait: *Qui coronat te in miseratione & misericordia*: Ps. 102. 4. In misericordia quippe & F miseratione nos coronat quando propter bona opera, quæ nobis ipse misericorditer exercenda donauit, supernæ beatitudinis præmia tribuit, & hoc est quod dicitur *accipere nos gratiam pro gratia*: Ioan. 1. 16. quia nimirum pro gratia bonæ conuersationis, quā dedit, & ne deficere possit, ipse seruans adiouat, dabit gratiam beatæ remunerationis, in qua misericordias eius in æternum cantemus. Denique Apostolus ipsam vitæ æternæ perceptionem, quæ vtique meritis præcedentibus redditur, gratiam vocare non dobitaoit, qoi cùm præmisisset *stipendium peccati* esse mortem, Rom. 6. 23. noluit è contrario dicere stipendium iustitiæ esse vitam æternam, sed ait *gratiam autem Dei vita æterna in* CHRISTO IESV *Domino nostro*: non quia non iustè meritis bonis à iusto iudice datur, sed quia ipsa merita quibus dantor, primò sunt gratis à pio saluatore donata.]

† Gregorius in moralibus lib. 22. Gregorius. Gregor. moral. lib. 22. c. 5. Sancti autem viri sciunt post primi parentis lapsum de corruptibili stirpe se conditos, & non virtute propria, sed G præueniente superna gratia ad meliora se vota, vel opera commutatos, & quicquid sibi mali inesse cognoscunt, de mortali propagine sentiunt meritum: quicquid verò in se boni inspiciunt, immortalis gratiæ cognoscunt donum, eique de accepto munere debitores fiunt, qui & præueniendo dedit eis bonum velle, quod noluerant, & subsequendo concessit bonum posse quod volunt.] † Hæc tot, tantorúmque Doctorum Prud. agente in eis incunctantur Spiritu sancto concordissima veritas, veracissimáque concordia confirmatur nihilominus totius Sanctæ Catholicæ Ecclesiæ humillima, fidelissimaque ac iogi petitione, quæ in precibus Domino non cessat continuò supplicare dicens: [Deus qui omnes in Christo renatos genus regium & Orationes Ecclesiæ. & sacerdotale fecisti, da nobis velle & posse quæ præcipis, vt populo ad æternitatem vocato vna sit fides cordium & pietas actionum.] Et item: [Largire nobis Domine quæsomus semper Spiritum cogitandi quæ recta sunt propitius & agendi, vt qui sine te esse non possumus, secundùm te viuere valeamus.] Item: Deus qui hodierna H die per vnigenitum tuum æternitatis nobis aditum deuicta morte reserasti, vota nostra, quæ præueniendo adspiras, Innocentius. etiam adiuuando prosequere.] Vnde & Sanctus Innocentius ad Afros Episcopos in cōdemnationem Pelagiani erroris scribens, preces Romanæ Ecclesiæ gratiam Dei sonare dicit.] Consurge nunc Lernæum monstrum, & tuo quadriuio fidem atque humilitatem totius orbis destrue, vt nullus te prohibente audeas credere quod petit, aut humiliter petere, quod veraciter credit. Infla vtrem tui arbitrij, vt euacues gratiam Christi, quem impugnas, quem persequeris, cuius gratiam euertere conatis. Nempe illius qui Saulo adhuc prætumido cœlesti tonitruo increpitans dixit. *Ego sum* IESVS *Nazarenus, quem tu persequeris: Durum est tibi contra stimulum calcitrare*. Act. 9. 5.

Finxeras initio huius veneniuomæ tuæ perioches triū hæreseon diuersitates, quarum primam Pelagianam, secundam Gothescalcanam noncupaueras, tertiam absque Cap. 4. n. 20. sect. 1.

auctore

[A] auctore & nomine intetponens, quam vel maximè in processu ipsius oppugnaee peruicaciter non destitisti, quam nos nequaquam hæresim, sed fidem Catholicam & asserimus & ptobamus, fatentes veracissimè & constantissimè diuinitus nobis voluntatem boni gratis, idest non merentibus, nec vllatenus habentibus dari, perindéque adiuuari, vt quod eius inspiratione bene volumus, ipsius adiutorio benè operemur, beneque perficiamus, non ex vitiatæ naturæ bono id possidentes; sed ex indebitæ gratiæ dnno consequentes. Præuenimur enim Dei gratia, vt bene velimus, subsequimur ne frustra velimus: Canentes Domino cum Psalmista. [Ps. 58. 11. Ps. 22. 6.] *Deus meus misericordia eius praueniet me, & misericordia tua subsequetur me omnibus diebus vitæ meæ:* nisi fortè tu solus auctoritatem Apostolicæ sedis euacuans, & concordiam totius mundi pestiferè dissipans: omnes sacramentorum eodices aut eradi aut obliterari censor potentissimus indicabis, & cum Antichristo contra Deum Deorum loquens: [B] [2 Thess. 2. 4.] *In templo Dei sedere conaberis tanquam sit Deus.* Quid enim Deo telioquis, qui tibi à te velle confingis? sed to mitificus hæreticorum debellator, ita Pelagianos confutas, vt tamen ipse Pelagianus esse conuincaris. Qui sic vnam partem Pelagianorum detestaris, vt alteram confirmare modis omnibus comproberis: nam dicendo nos absqoe Dei gratia bona inchoare, vel agere, vel perficere, nullateous posse, nobiscum Pelagianos refellis ac proteris: Dicendo vero velle nobis essentiam esse, proculdubio Pelagiaoos foues, qui in tantum de naturæ bono intumuerant, vt & velle & posse sibi, suæque potestati adscriberent, neque ex gratuitæ gratiæ largitate id se consequi confirmarent, quibus te pertinacter assentiri nullus, qui ea quæ præmissa sunt fideliter, intelligenterque legit poterit ignorare. Verum quia de his satis esse putamus ad cætera non minoris impudentiæ portenta iuuante Domino videnda transeamus.

[C]

CAP. V.

De eo quod præscientia, & prædestinatione Dei nemo compellitur seu bene, seu male facere.

POst hæc quinto blasphemiarum tuarum tomo iterata repetis, & repetita fastidiosius iterare non desinis, more nimirum illius, qui Eliu, qui non ipse quidem meretur à Domino argui, sed de eo ad beatum Iob dicitur: [Iob. 38. 2.] *quis est ille inuoluens sententias sermonibus imperitis*: quod cum cauere pernecessario debuisses: maluisti multiloquiis arrogantius incubare, quam veritati purissimæ tenacius inhærere. Dicis enim argumento præscientiæ Dei prædestinatione eius peccata noo effici: videlicet vt quemadmodum præscientia Dei peccata, quę præscit, fieri ooo cogit; ita eius prædestinatio peccata quæ nunquam prædestinat, fieri noo efficiat. [D]

IOANNES SCOTVS.

[Cap. 5. num. 1. sect. 1.] ☉ *Sic enim* (inquis) *præscientia non omnia quæ præsciuit facit quo pacto prædestinatio omnia quæ non prædestinauit efficit præscientiâ suâ Deus malefacta hominum futura præuidit, non tamen eorum est factor. Prædestinatione suâ malefacta hominum futura creditur non prædestinasse, quomodo ergo putatur facere?*

CORRECTIO.

[Prud.] †. Et cætera quæ etiam B. Augustini sententia confirmas, quasi vero aut quisquam tam dementis animi sit, qui id negare præsumat, aot libros memorabilis Augustini præter te nullus aut legerit aut intellexerit; concludis ergo & dicis.

[E]

IOANNES SCOTVS.

[Cap. 5. num. 2. sect. 3.] ☉ *Quocirca firmissime fatendum est simul fieri non posse peccatorum, quæ Deus in creatura sua permittit, præscientiam eius, qua ea præsciuit, causam non esse: Prædestinationem verò eius, qua ea non prædestinauit, causam esse.*

†. Hoc & nos dicimus, deinde adiungis.

[Cap. 5. num. 3. sect. 3.] ☉ *Quicquid autem de peccato vel generali vel speciali conficitur, necesse est de eius, quoque pœna sentiatur.*

CORRECTIO.

[Prud.] †. Quod si eodem modo dicis, vt præscientia & prædestinatio Dei, sicut non est caosa peccati, ita non sic causa pœnæ peccati, non erras: si verò ita vt Dei præscientiam & prædestinationem non peccatis disposuisse, [F] & irrogasse merito pœnam sentias, multum erras, continuoque subnectis.

IOANNES SCOTVS.

[Cap. 5. num. 4. sect. 3.] ☉ *Pœna peccati mors est: quidquid ergo de peccato dicitur, necesse est de morte dicatur.*

CORRECTIO.

[Prud.] †. Et in hoc si Dei præscientiam, & prædestinationem causam non esse mortis dicas, & nos sequimur. Si vero prædestinatorem, dispositorem, irrogatorem, retributotémque earundem negas, vehementer erras: dicit enim scriptura in libro Ecclesiastico, [Eccl. 39. v. 26. v. 27. v. 28. v. 29.] *Non est dicere quid est hoc & quid est illud; omnia enim in tempore suo quærentur: benedictio illius quasi fluuius inundabit, & quomodo cataclysmus aridam inebriauit: Sic ira ipsius gentes quæ non exquisierunt eum, hereditabit; & quomodo conuertit aquas in siccitatem, & siccata est terra, & viæ illius* [G] *viis illorum directæ sunt. Sic peccatoribus offensiones in* [v. 30.] *ira eius: bona bonis creata sunt ab initio, sic nequissimis* [v. 31.] *bona & mala: Initium necessariæ rei vitæ hominum, aqua ignis & ferrum lac & panis similagineus, & mel & botrus vuæ, & oleum & vestimentum. Hæc omnia * sic sanctis sunt in bonis, sic & impiis & peccatoribus in mala conuertentur: sunt spiritus qui ad vindictam creati sunt,* [*al. sanctis sic sunt in bona.] *& in furore suo confirmauerunt tormenta sua: In tempore consummationis effundent virtutem & furorem eius, qui* [v. 32. v. 33.] *fecit illos, * confundet: Ignis, grando, famis & mors: omnia hæc ad vindictam creata sunt: Bestiarum dentes & scorpij & serpentes & romphæa vindicanc in exterminium impios; in mandatis eius epulabuntur & super terram in necessitate præparabuntur, & in temporibus suis non præterient verbum.*] [*al. placabunt.] [v. 34. v. 35. v. 36. v. 37.] Et item: [Ibid. cap. 40. 9.] *Ad hæc mors sanguis & contentio & romphæa oppressiones famis, & contritio, & flagella super iniquos creata sunt hæc omnia, & propter illos factus est cataclysmus.* Deinde exponis, de qoa morte dixeris. [H]

IOANNES SCOTVS.

[Cap. 5. num 5. sect. 3.] ☉ *Non inquiens dico de omni morte, sed tantum de illa, quæ sequitur peccatum: Dicimus enim morimur peccato, id est merito peccati morimur. Item morimur peccato dicimus dum liberati à peccato iustitiæ viuimus: Si ergo omnis peccati causa nec in præscientia Dei, nec in eius prædestinatione sit constituta, euidentissimè omnis mortis, quæ sequitur peccatum, sicut in Dei præscientia causa non est, in eius similiter prædestinatione non esse certissimum est.*

CORRECTIO.

[Prud.] † Qnibus verbis conaris asserere mortem corporis quæ vtique sequitor peccatum auctore Deo, id est iudice, noo esse, videlicet eo tuæ mentis intentionem porrigens,

Digitized by Google

A vt prædestinationem à præscientia in nullo differre con-fitines, veluti sequentia demonstrabunt. Et quod ais.

IOANNES SCOTVS.

Cap. 5. num. 6. sect. 3.

⊖ *Si ergo omnis peccati causa nec in præscientia Dei, nec in eius prædestinatione sit constituta, euidentissimè omnis mortis, quæ sequitur peccatum, sicut in Dei præscientia causa non est, in eius similiter prædestinatione non esse certissimum est.*

CORRECTIO.

†. Satis mirari nequeo, quamobrem subito mutare volueris disputationis ordinem, vt qui prius dixeris: Dei præscientiam & prædestinationem causam noo esse peccati, vel eius pœnæ vel mortis, postea diceres in Dei præscientia & prædestinatione causam non esse mortis, quæ sequatur peccatum: Cum aliud videatur dici Dei

B præscientiam & prædestinationem non esse causam peccati, vel pœnæ, vel mortis; aliud in Dei præscientia & prædestinatione causam noo esse peccati, pœnæ, vel mortis. Dei enim præscientia & prædestinatio non est causa peccati, pœnæ, vel mortis, quia non ipsa compellit vel iubet quempiam peccare, vt peccans pœnas luat & mortem subeat, quia non est auctor peccati. Sed Iudex, vltor, atque punitor in Dei autem præscientia non esse dicitot causa peccati: quia in ea præsciuit voluntatem animæ rationalis malam esse futuram, quæ auersa à vero & summo bono deflecteretur voluptuose ad infima bona, id est, peccaret; quam id est voluntatis auersionem esse causam peccati nullus ambigit; qua sola fit, vt culpabiliter damnabilitérque peccetur, nec tamen eadem præscientia quis impellitur ad peccatum: In prædestinatione quoque Dei nullatenus dicitur causa esse peccati: quia nullum vt peccaret prædestinauit, aut iussit, aut compulit; sed in eius præde-

C stinatione sicut & præscientia retributio dicitur pœnæ & mortis, quia disposuit atque indicauit vt quos certissime peccaturos atque in peccatis perseueraturos præsciuerat, iustè pœnis dignissimis plecterentur. Quod tu quia negare susceperas; & tamen vsquequaque negare non poteras, subiungis dicens.

IOANNES SCOTVS.

Cap. 5. num. 7. sect. 3.

⊖ *Quamuis sancti auctores modo quodam abusiuæ locutionis soleant dicere prædestinatos ad mortem, vel interitum, vel pœnam, de quo postea prout Dominus aperuerit dicemus.*

CORRECTIO.

Prud.

†. Vbi quia figmenti tui demonstrationem differs & nos responsionem veritatis interim differamus, quibus dilatis reuerteris ad id, quod plus iusto adstruxeras, vo-

D luntatem naturam tibi esse, non donum; dicis enim;

IOANNES SCOTVS.

Cap. 5. num. 8. sect. 4.

⊖ *Nunc interim considerare debemus verum, sicut Deus nec præscientia nec prædestinatione sua neminem compellit peccare, ita neminem compellat piè viuere: Vbi intuendum est nullius voluntatis esse veram libertatem, si aliqua causa eam coegerit. Igitur si humanam voluntatem aliqua causa præcedit, quæ eam inuitam extorqueat ad bona malanè vel cogitanda vel agenda, sequitur non solùm non esse eam vere liberam, sed penitus eam non esse. Vbi enim*

De causa quæ compellit.

est causa quæ compellit, ibi non est natura quæ velis. Atqui humana natura non solum voluntas est, sed & libera, nec eius libertas falsa, sed vera est.

CORRECTIO.

Prud.

†. De his licet superioribus & auctoritate & patrum concordia satis actum sit, non abs te tamen videtor, si

E tecum paululum desipiamus, & ex superfluo eadem tepetamus. Quod ergo ait: *Nullius voluntatis esse veram libertatem si aliqua causa eam coegerit,*] conaris adstruere volontatem humanam nullo diuinæ inspirationis munere præueniri, quia inuitam ad bonum aliquod non vis impelli, quâ de re cum argumentationibus vanis tempos insumpseris, operæ pretium fuerat te consulere veritatem, & quicquid auctoritas suaderet edicere: Quid est quæso te, quod postulans Propheta precatur. *Conuerte nos Domine, & conuertemur ad te*: Quomodo enim conuertit nos nisi præueniente gratia voluntatem conuertendi misericorditer infundendo? Ipse enim prior conuertit, quia voluntatem ad se conuertendi inspirat, & nos conuertimur ad eum, quia vocantis gratiam ipso adiutore humiliter sequimur. Nunquid dicendi sunt corda non habuisse, quibus secundus Machabæorum liber inter orandum fratribus imprecati dicit: *Det vobis cor*

Cap. 5. num. 8. sect. 4. De munere diuinæ inspirationis. Thren. 5. 21.

F *omnibus, vt colatis eum, & faciatis eius voluntatem!* Si enim cor eos habuisse dubium non est, quid necesse fuerat petere eis dari quod habebant, nisi quia cordis nomine voluntatem bonam videlicet colendi Deum, & faciendi eius voluntatem volebant intelligi. Dicendo ergo, *Det vobis cor omnibus, vt colatis eum, & faciatis eius voluntatem*, nihil aliud, quam det vobis voluntatem, vt colatis eum, & faciatis eius voluntatem debet sentiri.

2. Mach. 1. 3. d. v. 3.

Si autem ad amandum, timendúmque Deum nullus compellitur: Quid est quod dominus per Prophetam dicit, *Faciam vt in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea custodiatis?* Quid est quòd tot comminationibus in Propheticis scriptis superna miseratio erga peccatores vti legitur, quibus eos ab errore conuerteret? Lege Prophetas, & eorum veracissimum explanatorem Hieronymum, & ibi patenter inuenies: quia Deus multis terrorum generibus, & tunc vsus fuerit, & nunc vti non desinat, quibus peccantes ad pœnitentiam, id est bonam voluntatem conuertat, ad quam mini-

De compulsione Dei ad bonum. Ezech. 11. 20.

G mè verterentur, nisi auersi fuissent. Cum autem diuinitus conuertuntur, humiliter prostrati postulare non desistunt, quod poposcisse legunt eum, qui adulterio fœdatus, homicidióque terpatus, tandémque à Propheta Domino iubente correptus, post prolatam in huiuscemodi à se ipso mortis sententiam, cùm audiret se ipsum esse qui eidem sententiæ subiaceret. Dicendo (mortem continuo subsequentem metuens) *peccaui*, postmodum inter fletus & lachrymas suppliciter precabatur dicens: *Cor mundum crea in me Deus*, &c. qui vtique cor habebat, sed immundum, quique quod à se sibi, neque esse, neque fieri posse certissimè sciebat, à Domino creari humiliter deposcebat: quemadmodum & alios Propheta Domino confitens aiebat: *Scio Domine quia non est hominis via eius, nec viri est vt ambulet & dirigat & corrigat gressus suos. Corripe me Domine: veruntamen in iudicio, & non in furore tuo, ne forte ad nihilum redigas me*: Qui dum se corripi postulat, nimirum non in voluntate propria correctionem suam, sed in Dei miserentis corre-

2. Reg. 12. 7. & c. v. 13. Psal. 50. 12. Ierem. 10. 23. & 24.

H ptione salubertima consistere manifestat. Vnde & alias admonens paterno affectu filium instruit dicens. *Fili mi ne deficias à disciplina Domini, neque fatigeris, dum ab eo argueris: quem enim diligit Deus corripit, flagellat autem omnem filium quem recipit*; & iterum patrem commonet: *tunde latera filij tui dum infans est. Noli subtrahere à puero disciplinam. Si enim percusseris eum virga non morietur. Tu enim virga percuties eum, & animam eius de inferno liberas.* Et Apostolus: *omnis disciplina in præsenti videtur non esse gaudij, sed mœroris; postea autem fructum paccatissimum reddet iustitia exercitatis.* Et item *in disciplina perseuerate: tanquam filiis vobis offert se Deus: quis enim filius, quem non corripit pater? Si autem extra disciplinam estis, videte cuius filij estis.* Et iterum: *Corripite inquietos*, & rursum: *peccantes coram omnibus argue, vt & cæteri timorem habeant.* Et item: *Argue, obsecra, increpa, cum omni imperio.* Deus quoque sicut in Euangelio dicitur cùm fecisset quasi flagellum de funiculis

Prou. 3. 11. Hebr. 12. 5. & 6. Eccl. 30. 12. Prou. 23. 13. & 14. Heb. 12. 11. d. c. 12. 7. 8. 1. Thess. 5. 14. 1. Tim. 5. 20.

A
Tim.4. 2. Ioan.2. 15. Apoc.3. 19 Itemr. 31.18. &c. v.19. Ps.117. 18.

omnes eiecit de templo, qoi etiam in Apocalypsi loquitur. *Ego quos amo arguo & castigo.* Cur & Propheta gratulabundos aiebat, *castigasti me Domine & eruditus sum quasi iuuenculus indomitus: Conuerte me & reuertar, quia tu Dominus Deus meus, postquam enim conuertisti me, egi pænitentiam, & postquam ostendisti mihi, percussi femur meum. Confusus sum & erubui, quoniam sustinui opprobrium adolescentiæ meæ.* Et alios gloriatur dicens: *Castigans castigauit me Dominus, & morti non tradidit me:* Et multa alia, quæ longum, & non necessarium est persequi: quoniam legentibus in propatulo sunt.

Cap. 5. num 10. sect. 5. *De causa compulsatiua.*

Verùm quia in hac tuæ peruersitatis assertione, compulsatiuam tuam causam frequenter nominas, petenda necessaria nobis est sempiternæ sapientiæ gratia, vt nobis aperire dignetur idem vocabulum ita in sacris eloquiis positum, quo tua mortua iactantia comprimatur. Refert sanctus Euangelista Lucas cùm parabolam hominis cœnam magnam facientis multósque vocantis describeret dixisse Dominum seruo, *Exi in vias & sepes, & compelle intrare: vt impleatur domus mea:* Vnde & Beatus Gregorius in Homilia eiusdem lectionis ait.

B
Luc.14. 23.

Gregor. hom.36 in Euangelia.

Gregorius. [Notandum verò quòd in hac inuitatione tertia non dicitur inuita, sed compelle intrare: Alij enim vocantur, & venire contemnunt, alij vocantur & veniunt, alij autem neqosquam dicitur quia vocantur, sed compelluntur vt intrent. Vocantur & venire contemnunt, qui donum quidem intellectus accipiunt, sed eundem intellectum operibus non sequontur: Vocantur & veniunt, qui acceptam intellectus gratiam operando perficiunt: Quidam verò sic vocantur, vt etiam compellantur. Nam sunt nonnulli qui bona facienda intelligunt, sed hæc facere desistunt, vident quæ agere debeant, sed hæc ex desiderio non sequuntur: His (vt superiùs diximos) plerumque contingit, vt eos in carnalibus, desideriis suis mundi huius aduersitas feriat, apprehendere temporalem gloriam conentur & nequeant, * vt dum per alta Pelagi quasi ad grandiores curas huius sæculi nauigare proponunt, semper aduersis flatibus ad deiectionis suæ litora repellantur: Cúmque se frangi in desideriis suis aduersante mundo conspiciunt, quid de se auctori suo debeant, * commemorantur: Ita vt ad eum erubescentes redeant, qui eum superbientes pro mundi amore deserebant; sæpe namque nonnulli ad temporalem gloriam proficere volentes, aut longa ægritudine tabescunt, aut afflicti iniuriis concidunt, aut percussi grauibus damnis affliguntur, & in mundi dolore vident, quia nihil confidere de eius voluptate debuerunt, séque ipsos in suis desideriis reprehendentes, ad Deum corda conuertunt. De his quippe Dominus per Prophetam dicit: *Ecce ego sepiam viam tuam spinis, & sepiam eam maceria, & semitas suas non inueniet, & sequetur amatores suos, & non apprehendet eos, quæret & non inueniet eos, & dicet: Vadam & reuertar ad virum meum priorem, quia benè mihi erat, tunc magis, quam nunc;*] Vir vniuscuiusque fidelis animæ Deus est, quia hæc videlicet ei est coniuncta per fidem; sed illa quæ coniuncta Deo fuerat anima, amores suos sequitur, quando mens, quæ iam per fidem credidit, adhuc se immundis spiritibus in operatione substernit, mundi gloriam quærit, carnali delectatione pascitur, exquisitis voluptatibus nutritur: sed plerumqoe omnipotens Deus talem animam misericorditer respicit, & eius voloptatibus amaritudines permiscet. Vnde dicit, *Ecce ego sepiam vias tuas spinis;* viæ enim nostræ spinis sepitæ sunt, quando in hoc quod malè cupimus, dolorum punctiones inuenimus, *& sepiam eas maceria & semitas suas non inueniet.* Viæ enim nostræ maceria sepiuntur, cùm desideriis nostris duræ in hoc mundo obiectiones resistunt, & semitas nostras inuenire non possumus, quia hoc quod malè quærimus adipisci prohibemur. *Et sequetur amatores suos, & non apprehendet eos, quæret & non inueniet eos,* quia malignos spiritus, quibus se in desideriis suis anima subdidit, ad desideriorum suorum effectum minimè comprehendit. Sed de hac salubri aduersitate quanta vtilitas nascatur, adiungit cùm subditur, *Et dicet: Vadam & reuertar ad virum meum priorem, quia mihi benè erat tunc magis quàm nunc:* Postquam ergo vias suas spinis sepras inuenit, postquam amatores suos apprehendere non valuit, ad amorem viri prioris redit: quia plerumque postquam in hoc mundo non possumus obtinere quæ volumus, postquam in terrenis desideriis de impossibilitate lassamur, tunc ad mentem Deum reducimus, tunc placere incipit * qui displicebat, & is cuius nobis amara fuerant præcepta, repentè dulcescit in memoria, & peccatrix anima, quæ adultera conata est esse, nec tamen aperto opere potuit, decernit esse fidelis coniux: qui ergo huius mundi aduersitatibus fracti ad Dei amorem redeunt, atque à præsentis vitæ desideriis corriguntur. Quid isti fratres charissimi nisi compelluntur, vt intrent.]

C
* al. & dum
* al. ex. monentur.
Osee 2. 6.
D
v.6.
E
d.7.
* al. quod

Prud. Cap. 5. n. 10.
F
sect.3.
Cap. 5. num. 11. sect.4.

† Ecce veritas dicit compelle intrare, & tu dicis nullam compulsatiuam causam præcedere voluntatem hominis ad bonum: prædicator veritatis te quoqoe assentiente veracissimus modo etiam exponit, quibus animæ humanæ ad bona (vt ita dixerim) volenda compellantur: Et tu è contra susurras non solùm non esse verè liberam voluntatem, sed penitus eam non esse. *Vbi enim est* (inquis) *causa quæ compellit, ibi non est natura quæ velit.*] Videamus quid etiam sanctus Hieronymus in expositione Oseæ Prophetæ super memorato capitulo sentiat, qui cùm historiam iuxta vtramque editionem poneret, exponendo adiunxit. Hieronymus. [Dixerat meretrix, *Vadam post amatores meos*, qui omnium rerum mihi abundantiam præbuerunt, respondit Dominus: *Ego sepiam viam tuam spinis*, siue sudibus, ne possis ire quò desideras, & interponam maceriam, siue murum, & semitas tuas quas crebro * triuerant pedes, non inuenies, ne apprehendas eos, quos tanto studio sequebaris, & rerum necessitate compulsa reuertaris ad virum tuum, & dicas illud de Euangelio, *Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus, ego autem hîc fame pereo; Surgam & ibo ad patrem meum & dicam ei. Pater peccaui in cælum & coram te, & iam non dignus vocari filius tuus, fac me sicut vnum de mercenarijs tuis.* Ex quo intelligimus, quòd prouidentia Dei sæpe nobis accidant mala, ne habeamus ea, quæ cupimus, & variis calamitatibus huius sæculi, ac miseriis ad Dei seruitutem redire cogamur. *Amatores* autem Ierusalem & gentis Iudææ secundùm historiam illius temporis Assyrios atque Chaldæos & Ægyptios, Natiónésque cæteras intelligamus, cum quorum idolis fornicata est, à quibus bellorum tempore & prementibus malis frustra sperauit auxilium: Hos *amatores* iuxta intelligentiam spiritalem sequuntur hæretici, à quibus sæpè deserti malorum pondere ad sinum matris Ecclesiæ reuertuntur. Per omnia enim flagella atque tormenta eruditur Israël.

Hieron. in Osea c.2, v.6. Oseæ 2. 5.6.
* al. triuerat pedes.
Luc.15. 17.18. 19.
G

† Aduertamus vtrumnam prodigus filius compulsus, an spontè redierit, qui cùm ne porando partem substantiæ suæ prodigeret, & peregrè profectus adhæsit vni ciuium regionis illius, vbi cùm horis porcorum illius inseruiret, cœpit & egere, & cupiebat saturari de siliquis, quas porci manducabant, & nemo illi dabat, tandémque in se reuersus dixit, *Quanti mercenarij patris mei abundant panibus, ego autem hîc fame pereo.* Longè quippe à se discesserat quando peccabat, & si non esurisset, in semetipsum minimè redisset: Quia postquam terrenis rebus indiguit, tunc cogitare cœpit, quid de spiritalibus amisit: Refert quoque liber Dabrejamin quòd Manasses multis impietatibus sese aduersus Deum erexerit, à quo humiliatus, & Babyloniis traditus, atque in carcere catenatus, recordatus Domini Dei egerit pœnitentiam, adhuc in carcere vinctus, sicque & à vinculis absolutionem & Regni pristini meruerit restitutionem: Quid de Antiocho Rege nefario replicem? Qui cùm, vt alia quæ super eo referuntur taceam, contra Dei populum cultum Templumque eius adeò fureret, & Circumcisionem prohiberet, leges illius aboleret, atque in Templo Ierosolymis suam Iouisque Olympij statuam constitueret, ad extremum percussus cælitus morbo insanabili, ita vt fœtorem illius

Prud. *De filio Prodigo.* Luc.15. 12.
H
v.17.
2. Par. 33.11.
2. Mach. 9.7.
v.9.10. 12.

exercitus

A exercitus ferre nullatenus posset, Infructuosâ pœnitentiâ confessus est Deum esse verum, quem eatenus impugnauerat; seseque Iudæum futurum, Deo seruiturum, aliaque plura facturum compellente nimirum dolore nimio cassis pollicitationibus fatebatur. [v. 17.]

Quod autem ad mala etiam multi compellantur, etsi exempla deficerent, quotidianos rerum exitus poterat edocere, cum videamus sæpissime quosdam fame, alios morbis, plerosque minis & terroribus cogi, & ad tantam scelerum immanitatem prorumpere, vt fides forsassis dicentibus demeretur, si non instantia manifestæ visionis factorum certudinem intimaret. Quanti proh-dolor! in martyrio positi ab ineunte ætate integritatem, fidei, morum probitate commendantes, ad extremum tormentis, exquisitisque pœnarum generibus coacti sunt negare, quod hactenus constanter visi fuerant prædicasse. Vnde & in libro Machabæorum legitur, quia iussu Regis Antiochi compellebantur Iudæi porcinam carnem manducare, & alia multa agere contra leges diuinitus promulgatas. B Quamuis & Apostolus identidem de se ipso parique conditione ingemiscentibus non taceat cum dicit, *Non enim quod volo bonum hoc ago, sed quod nolo malum illud facio.* Et rursum, *video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuum me ducentem in lege peccati, quæ est in membris meis. Infœlix ergo homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per* IESVM CHRISTVM *Dominum nostrum*: Et cætera quæ ad eundem sensum pertinentia latius exsequitur. Anti-christus quoque quanta fidelibus, aliisque partim suasionibus, partim muneribus, nunc signis, nunc terroribus sit illaturus, vt Deus credatur, & Propheticæ & Apostolicæ Scripturæ patenter insinuant, & præcipuè ipse Dominus, qui cum aduentus eius præstigias, efficientiasque detestabiles perindéque importabiles prædiceret: *Erit enim* (inquit) *tunc tribulatio talis, qualis non fuit ab initio sæculi, neque fiet; ita vt in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi*: C Ecce iudex omnium induci terrorum immanitatibus, si fieri possit, etiam electos testatur, & tu audes obstrepere, nulla compulsatiua causa præcedente quempiam vel ad bonum vel ad malum cogi? sed quia fieri non potest, vt electi in illum errorem plene inducantur, datur intelligi, quia plene inducentur qui non sunt electi. Audis tribulationem talem futuram, qualis non fuerit, ab initio sæculi, qua inducantur in errorem, & audes garrire nullam compulsatiuam causam præcedere.

[Cap. 5. n. 11. sect. 4. De compulsione.] [2. Mach. 6. 18. & 7. 1.] [Rom. 7. 15. & cap. 7. 23. 24. 25.] [Matth. 24. 23. &c.]

Quæ cum ita sint nullatenus tamen aufertur libertas arbitrij, sed talibus sempiternæ sapientiæ modis, voluntatibus atque consiliis vel ad hoc compellitur, vt ex seruili fiat liberalis, & de cætero libera seruitute liberatori suo liberata deseruiat; aut deserta pro meritis tenacius delectabiliusque seruili libertati inhæreat, vt impleatur vtrumque, quod in Apocalypsi terribiliter dicitur: *Sanctus sanctificetur adhuc, & iustus iustificetur adhuc, & qui in sordibus est sordescat adhuc*: Quatenus vtrobique propria voluntate delectabiliter, sed diuersis formitate D nitentibus iustus iudex iuste rependat vnicuique quod merentur. Proinde nulli quamlibet tenuiter consideranti restat ambiguum: quia falsum sit, quod dixisti: *Vbi enim est causa quæ compellit, ibi non est natura quæ velit.*] Quid enim? nunquid non est natura homo, qui secundum præcedentem auctoritatem, nunc ad bona, nunc ad mala, prout vult ille qui omnia iudicat, compellitur: alius sic, alius autem sic? Certum est autem præuaricatores Angelos Dominum nostrum IESVM CHRISTVM nunquam voluisse, aut velle à quopiam prædicari, quos tamen filium Dei confessos Euangelica narrat historia; dicunt enim. *Quid nobis, & tibi Fili Dei, venisti ante tempus torquere nos?* quibus verbis profectò indicant eorum testimonium nequaquam fuisse amoris & laudis, sed timoris nec voluntarij, sed inuiti, neque honoris munia spontè soluentis, sed inter tormenta, & verbera quod extorquebatur, inuitè confitentis: quod cum negari nequeat, quis eos asserat perdidisse naturam cum iam olim irrecuperabiliter bonam perdiderint voluntatem? quæ eam non sit vnquam per Dominum nostrum IESVM CHRISTVM liberanda atque sananda, cui non pateat falsiam esse definitionem tuam, qua dixisti: *vbi enim est causa, quæ compellit, ibi non est natura quæ velit?* E

[Salua semper arbitrij libertate.] [Apoc. 22. 11.] [Matt. 8. 29.]

Compulsos esse ad confitendum Deum dæmones, ipsa eorum verba testantur quibus dicunt. *Venisti ante tempus torquere nos*: profectò qui torquebantur, constat quia inuiti confitebantur: Ecce cum Apostatarum naturam Angelorum nequeas abnegare, voluntatem eorum bonam post primæ auersionis ruinam irrecuperabilem nunquam poteris inuenire, quorũ cor tanta obstinatione induruit, vt nonquam ad bonum eorum pertinacia mollîatur de quorum etiam capite Dominus ad beatum Iob loquitur: *cuius cor indurabitur, vt malleatoris incus*, & rursum: *qui factus est vt nullum timeret.*] Qui enim nullum timet, videlicet nec ipsum Deum, claret proculdubio quia bonam voluntatem perdiderit, non naturam. F Natura autem eius, quia bona sit, quis ignoret? *vidit enim Deus cuncta quæ fecit, & erant valde bona.* Vnde & sæpè in Scripturis Sanctis Domini Spiritus appellatur, sed cum additamento vel malus vel nequam vel ad aliud quid: Ne bonitas voluntatis eius vlla putaretur, quam cum semel amiserit, nunquam recepturus, nunquam creditur habiturus. Nisi forte ei cum Origene pœnitentiam repromittis, & post multa sæculorum curricula status perditi decus integrum, atque dignitatem, & honorificentiam, quam in conditione perceperat, polliceris: Cum Dominus se in iudicio impiis dicturum testetur. *Ite*, inquiens, *in ignem æternum, qui paratus est diabolo & Angelis eius.* Æternum dixit non finitiuum, nec temporalem, quem & alibi *inextinguibilem* nuncupat, vt eius terminus nullus vnquã fieri credatur, quod si negare volueris, parati sumus largiente Domino pro viribus respondere: Si vero non id de Angelica, sed de humana natura te dixisse respondetis, cohibebunt hunc sensum ea quæ iam superius multoties inculcasti: Rationalis creaturæ Angelorum scilicet; atque hominum hanc fuisse arbitrij libertatem; G Est igitur natura, vt ad hominem redeamus, quæ compellitur, vt velit bonum quod nolebat, imo fugiebat atque oppugnabat. Compellitur vtique vt velit liberè, vtique cælitus boni voluntate percepta, deinceps libera teneatur diuinitus, atque fulciatur ne frustra velit. Sequeris deinde & dicis

[Math. 8. 29.] [Iob. 41. 15. 24.] [Gen. 1. 31.] [Math. 25. 41.]

IOANNES SCOTVS.

⊖ *Atque humana non solum voluntas est, sed & libera, nec eius libertas falsa, sed vera est: quamuis ipsa libertas post peccatum, in tantum vitiata sit, vt pœna eius impediatur, ne aut rectè viuere velit aut si velit non possit: de qua miseria liberatur, vt ait Apostolus, gratia Dei per* IESVM CHRISTVM *manente tamen adhuc naturali libertate, quæ intelligitur beatitudinis appetitu, qui ei naturaliter insitus est.* [Cap 5. num. 13. sect 4.] [Rom. 7. 15.]

H

CORRECTIO.

[Prud. De voluntate libero.]

† Quo igitur pacto affirmas liberam, quam post peccatum in tantum asseris vitiatam, vt pœna eius impediatur, ne aut rectè viuere velit, aut si velit non possit? Quomodo libera dicitur, quæ rectè viuere non vult? quomodo libera prædicatur, quæ si rectè viuere velit, non possit? Quis enim liber dicitur, si non libertate propria pro sua voluntate vtatur? quis cœcus lumen videre possit, si velit? quis Claudus aut debilis, vel agere vel ambulare possit si velit? potest ei inesse voluntas: Nunquid libertas? non enim est liberum vel cœco videre, vel claudo ambulare, vel muto loqui, vel surdo audire, vel mente capto intelligere: hæc itaque exempla ad hoc sunt adhibita, vt * libertas deesse libera comprobent, non vt voluntatis bonæ vel malæ inductio vel depulsio consisterent. Mirum quippe valde est. Liberam dicere voluntatem, quæ aut non velit quod vo- [* vel forte voluntati.]

lendum sit, aut si velit omninò non possit. Hoc licet ius disputatiunculis adstruas nunquam auctoritate poteris approbare. Quippe in id totis viribus elaborans, vt prorsùs gratiam abroges liberantis, sine qua (vt se habet sana orthodoxa Catholicaque doctrina) nullus initium saltem bonæ voluntatis concipere valet aut valebit.

Cùm verò dicis: De qua miseria *liberatur* (vt ait Apostolus) *gratiâ Dei per* IESVM CHRISTVM, manente tamen adhuc naturali libertate.] Mirum si non etiam libertatem, sicut & voluntatem naturam adseueras. Cùm veritas ea naturæ diuinitùs concessa atque attributa prædicet & defendat. Vnde post, si Dominus voluerit, videbimus. Quòd verò nullomodo concedendum censes aliquam causam compulsatiuam siue bonam siue malam præcedere voluntatem hominis, seu alterius rationalis naturæ, ne ab ea meritum suæ libertatis auferatur siue bonum si benè vixerit, cooperante diuina gratia, siue malum si malè vixerit suo motu irrationabili peruersóque, satis apparet Pelagianorum te dogma peruersissimum confirmare. Quos cùm in vna parte confutaueris, in altera defendis: Cùm verò in quibusdam compellentis gratiæ donum orthodoxè in bonis prædicetur, nullatenus libertatis meritum aufertur, sed vt esse possit, tribuitur atque adiuuatur: Cùm verò in malis compulsatiua necessitas dicitur, neque ibi meritum libertatis aufertur, sed accrescentibus malis, atque de bono quod prius habuerat in malum conuersis seueriùs iudicatur, atque damnatur.

IOANNES SCOTVS.

⊖ *Proinde in quibus nulla causa constringit hominem siu benè seu malè viuere.*

CORRECTIO.

† Et quidem quòd Apostolus apud Corinthios eum, qui vxorem Patris sibi contra fas copulauerat, *tradi* iubet *Satanæ in interitum carnis, vt Spiritus saluus sit in die Domini:* quid est quod & auctoritas Canonica præcipit; & consuetudo Ecclesiæ tenet ad coërcenda vitia, vti verberibus, carceribus, neruis, excommunicationibus, aliisque compluribus disciplinæ medentis generibus: vnde Beatus Augustinus in libro Enchiridion. Cùm de dimittendis peccatis ageret inter cætera dixit: Augustinus. [Et qui emendat verbere in quem potestas datur, vel coërcet aliqua disciplina, & tamen peccatum eius, quo ab illo læsus aut offensus est dimittit ex corde, vel orat, vt ei dimittatur. Non solùm in eo, quod dimittit * vel orat, verùm etiam in eo quod corripit, & aliqua emendatoria pœna plectit, eleemosynam dat, quia misericordiam præstat. Multa enim bona præstantur iniustis, quando eorum consulitur vtilitati, non voluntati, quia ipsi sibi inueniuntur esse inimici; amici verò eorum potiùs illi, quos inimicos putant, & reddunt errando mala pro bonis, cùm reddere mala Christianus non debeat, nec pro malis. † Hinc Beatus Gregorius in expositione Beati Iob lib. 6. Gregorius: [*Porrò saluum faciet egenum de gladio oris eorum, & de manu violenti pauperem:* Pauper quippe est quisquis apud semetipsum elatus non est: Vnde per Euangelium veritas dicit: *Beati pauperes spiritu: quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Duobus autem modis ad culpam vnusquisque pertrahitur: aut delectatione enim ducitur, aut terrore superatur: gladius namque oris est, iniquitas persuasionis: Manus autem violenti est aduersitas potestatis: sed quia veraciter humilis, qui hoc loco pauper vocatur, quo nulla huius mundi prospera appetit, eo audenter etiam aduersa contemnit, rectè dicitur: *Saluum faciet egenum de gladio eorum, & de manu violenti pauperem.* Ac si aperiè diceretur. Sic in se Deus mentes humilium solidat, vt eas ad perpetrandam nequitiam nec blandimenta suasionum pertrahant, nec dolores suppliciorum frangant,

E

† Iam verò quod addis *Deum omnium bonorum non esse causam necessariam, sed voluntariam,*] volens eo argumento peruersum motum rationali substantiæ ostendere, non esse causam necessariam, sed voluntariam: debueras aduertere Beati Augustini sententiam, quam tu quoque ante inserere voluisti ex libro eius, quem de dono perseuerantiæ sapienter fideliterque conscripsit, in quo ita loquitur. Augustinus: [Si ergo alia documenta non essent, hæc Dominica oratio nobis ad causam gratiæ, quam defendimus sola sufficeret, quia nihil nobis reliquit, in quo tanquam in nostro gloriemur: siquidem vt non discedamus à Deo non ostendit dandum esse nisi à Deo, cùm poscendum ostendit à Deo: qui enim non infertur in tentationem, non discedit à Deo: non est hoc omninò in viribus liberi arbitrij, quales nunc sunt, fuerat in homine antequam caderet, quæ tamen libertas voluntatis in illius primæ conditionis præstantia quantùm valuerit apparuit in Angelis, qui diabolo cum suis cadente in veritate steterunt, & ad securitatem perpetuam non cadendi, in qua nunc eos esse certissimi sumus, peruenire meruerunt. Post casum autem hominis non nisi ad gratiam suam Deus voluit pertinere, vt homo accedat ad eum, neque nisi ad gratiam suam voluit pertinere, vt homo non recedat ab eo. Hanc gratiam posuit in illo, *in quo sortem consecuti sumus, prædestinati secundùm propositum eius qui vniuersa operatur.*] † Audis quia nihil nobis reliquit, audis non esse hoc omninò in viribus liberi arbitrij, quales nunc sunt, fuerat in homine antequam caderet? Audis post casum autem hominis non nisi ad gratiam suam Deus voluit pertinere, vt homo accedat ad eum, & audes impudentissimè tantisper tibi arrogare liberam voluntatem? fuerat certè in homine antequam caderet: sed nunquid absque gratia? absit: Post casum autem hominis non nisi ad gratiam Dei pertinet, vt homo accedat ad eum, id est non nisi per gratiam Dei voluntatem accipit, vt velit accedere ad Deum per IESVM CHRISTVM Dominum nostrum, sicut & ipse dixit: *Nemo potest venire ad me, nisi pater qui misit me traxerit eum.* Audis trahentem & vbi liber: audis tractum & vbi libera voluntas? qui trahitur profectò inuitus trahitur: si inuitus trahitur proculdubio nolens ducitur: sed vt ex nolente fiat volens, audi quod adiunxit. *Est scriptum in Prophetis: erunt omnes docibiles.* Si ergo omnes qui à patre trahuntur ad filium *erunt docibiles Dei*, liquet profectò, quia non ex se habeant voluntatem veniendi ad filium, sed à patre trahente accipiant voluntatem atque scientiam, vt & velint & sciant venire ad quem trahuntur.

Prod. Cap.5. num.16. sect.5. *Deus causa necessaria ad bonum.* August. de dono perseu. c.7.

F

Eph.1. 11. Prud.

G

Ioan.6. 44.

v.45.

De hac gratia gratuita, quam tantopere negando impugnas, Beatus Augustinus in libro Enchiridion, cùm de vtraque substantia Filij Dei loqueretur ait. Augustinus. [Hîc omnino granditer & euidenter gratia Dei commendatur. Quid enim natura humana in homine Christo meruit, vt in vnitatem personæ vnici Filij Dei singulariter esset assumpta? quæ bona voluntas? Cuius boni propositi studium? quæ bona opera præcesserunt, quibus mereretur iste homo * fieri vna persona cum Deo? nunquid antea fuit homo, & hoc ei singulare beneficium præstitum est, vt singulariter promereretur Deum, nempe ex quo esse homo cœpit, non aliud cœpit esse homo, quàm Dei Filius, & hoc vnicus, & propter Deum verbum, quod illo suscepto caro factum est; vtique Deus, vt quemadmodum est vna persona quilibet homo, anima scilicet rationalis, & caro: Ita sit Christus vna persona verbum & homo. Vnde naturæ humanæ tanta gloria, nullis præcedentibus meritis sine dubitatione gratuita? nisi quia magna hîc, & sola Dei gratia fideliter & sobriè considerantibus, euidenter ostenditur, vt intelligant homines per eandem gratiam se iustificari à peccatis, per quam factum est, vt homo Christus nullum posset habere peccatum: Sic & eius matrem Angelus salutauit, quando ei futurum nuntiauit hunc partum: *Aue* (inquit) *gratia plena:* Et paulò post *inuenisti* (ait) *gratiam apud Deum*, & hæc quidem gratia plena,

August. Enchiridion c.36.

H

* al. vt fieret.

Ioan.1. 14.

Luc.1. 28.30.

&

A & inuenisse apud Deum gratiam dicitur, vt Domini sui, immò Domini omnium mater esset. De ipso autem Christo Ioannes Euangelista cum dixisset: *Et verbum caro factum est & habitauit in nobis & vidimus* (inquit) *gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti a patre, plenum gratia & veritatis.* Quod ait *verbum Caro factum est* hoc est plenum gratiæ, quod ait *gloriam vnigeniti à patre*, hoc est plenum veritatis, veritas quippe ipsa vnigenitus Dei filius non gratia sed naturâ, gratia suscepit hominem tantâ vnitate personæ, vt idem ipse esset etiam hominis filius.]

Ioan. 1. 14. 15.

Ps. 20. 4.

†. De hac Propheta loquitur ad Deum: *Quoniam prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis*, quomodo enim præuentus est in benedictionibus dulcedinis, nisi quia sola Dei gratuita gratia factum est, vt neque nascendo traheret vitium, neque viuendo committeret. Beata siquidem Dei genitrix semper virgo, cum consuetudine generandi atque nascendi generata & nata traxerit ex parentibus originale peccatum, quomodo absque B eodem traduce generare filium potuisset, nisi hoc in eo singulariter Dei gratia in ipso conceptionis articulo faceret, *vt esset solus inter mortuos liber?* Ac per hoc natus absque propagatione humani concubitus, factusque homo Dei filius solus nullam compulsionem nullamque necessitatem ad bonum malumue perpessus est; Cæteri autem homines post primæ transgressionis admissum, tantis necessitatibus adstricti tenentur, vt volentes etiam cogantur agere, quæ nec deberent, nec vellent, à quibus se liberari poscebat Propheta, qui dicebat *tribulationes cordis mei multiplicata sunt: De necessitatibus meis erue me*: qui enim sponte lapsus est in peccatum, necesse est vt merito eiusdem voluntariæ prolapsionis multis inuoluatur difficultatibus, ab his non voluntate aut libertate propria, sed Dei gratia liberandus. Quemadmodum B. Augustinus in lib. Enchiridion loquitur.

Ps. 87. 6.

Ps. 24. 17.

Augustinus: [Sic nostris temporibus, ita multa mala etsi non talia in apertam consuetudinem iam venerunt, vt pro his non solum excommunicare aliquem laicum non audeamus, sed nec clericum degradare; vnde cum exponerem ante aliquot annos Epistolam ad Galatas in eo ipso loco vbi ait Apostolus: *timeo ne forte sine causa laborauerim in vobis* exclamare compulsus sum Væ peccatis hominum, quæ sola inusitata exhorrescimus. Vsitata verò pro quibus abluendis Filij Dei sanguis effusus est, quamuis tam magna sint, vt omnino claudi contra sese regnum Dei faciant, sæpe videndo omnia tolerare, sæpe tolerando nonnulla etiam facere cogimur. Atque vtinam (ô Domine) non omnia quæ non potuerimus prohibere, faciamus. Sed video verum me immoderatus dolor incautè aliquid compulerit dicere. Hoc nunc dicam, quod quidem & in aliis opusculorum meorum locis sæpe iam dixi: Duabus ex causis peccamus, aut nondum videndo quid facere debeamus, aut non faciendo, quod debere fieri iam videmus. Quorum duorum illud ignorantiæ malũ est, hoc infirmitatis: Cõtra * quam quidem pugnare nos conuenit: Sed profectò D vincimur, nisi diuinitus adiuuemur, vt non solum videamus quod faciendum sit, sed etiam accedente sanitate delectatio iustitiæ vincat in nobis earum rerum delectationes, quas vel habere cupiendo, vel amittere metuendo scientes videntésque peccamus. Iam non solum peccatores quod eramus, etiam cum per ignorantiam peccabamus, verum etiam legis præuaricatores, cum id non facimus, quod faciendum esse iam nouimus, vel facimus, quod non faciendum esse iam scimus.]

August. C Ench. c. cap. 80.

Gal. 4. 11.

Cap. 81.

* al. qua

†. Hæ sunt necessitates: quibus ita adstringitur humana infirmitas, vt semel in quodlibet peccatum spontè ruens, nisi quantocius supernæ gratiæ respectu resipiscat, necessario in aliud deterius, vel vnum vel plura corruat, ac cõpetenter dicatur, *quia peccator cũ venerit in profundum malorum contemnit.* Ab his se saluatum gloriabatur Propheta, qui dicebat: *Ego autem in Domino sperabo, exultabo, & lætabor in misericordia tua, quoniam respexisti humilitatem meam, saluasti de necessitatibus animam meam: nec conclusisti me in manibus inimici.* Motus itaque animæ rationalis ante peccatum tam fuerat liber, quam voluntarius; post peccatum autem seruitio durissimæ necessitatis addictus, Domino suo etiam nolens seruire compellitur: vnde & Dominus mentium humanarum perspicacissimus speculator, viuacissimus perscrutator, iustissimus examinator in lege sua peccantium differentias oblationum discretione corrigi præcipiens, nolentem à volente discreuit: aliter hunc, aliter illum vel puniri vel mundari definiens. Hinc etiam ciuitates fugitiuorum separari decreuit, ad quas qui nolens sanguinem funderet, confugere, persequentisque gladium fugere potuisset, scriptum est enim in lib. Numeri: *Ait Dominus ad Mosen, Loquere filiis Israel, & dices ad eos, quando transgressi fueritis Iordanem in terra Chanaam, decernite, quæ vrbes esse debeant in præsidia fugitiuorum qui nolentes sanguinem fuderint*: Et infra, *vt confugiat ad eas, qui nolens sanguinem fuderit.* In eodem *Et rogabit sacerdos pro omni multitudine filiorum Israel, & dimittetur eis: quoniam non sponte peccauerunt.*]

Necessitates humanæ infirmitatis.

Prud. Prou. 18. 3.

Ps. 30. 8. 9. 10.

E

Num. 35. v. 9. 10. 11. 15.

Num. 15. 25.

F Hanc secuti auctoritatem venerabiles patres sacrorum Canonum constitutores, & ipsi nolentis homicidium à voluntario discernentes, alia hunc: alia illum pœnitentiæ satisfactione sanandos censuerunt. Has necessitatum inextricabiles vicissitudines beatus Papa Gregorius acutissimè discutiens in libro moralium 25. ita loquitur. Gregorius. [Sciendum summopere est, quod *iniquus* quisque duobus modis *in nocte conteritur*, vel cùm exterioris * iudicij tribulatione percutitur, vel cum occultâ sententia interius excæcatur. *In nocte* corruit cum per extremum iudicium viuendi lumen in perpetuum amittit, vnde scriptum est, * *ligatis manibus, & pedibus mittite eum in tenebras exteriores*, tunc enim coactus in tenebras exteriores mittitur, quia nunc in interioribus excæcatur voluntariè Rursum *in nocte iniquus conteritur.* Cum peccatorum præcedentium confusione damnatur, & veritatis lumen non inuenit, & quid deinceps agere debeat non agnoscit: omne quippe peccatum, quod tamen citius pœnitẽdo non tergitur, aut peccatũ est,* aut causa peccati: aut peccatum, & pœna peccati: peccatum namque G quod pœnitẽtia non diluit, ipso suo põdere mox ad aliud trahit: vnde fit vt non solum peccatum sit, sed peccatum & causa peccati: Ex illo quippè vitio culpa subsequens oritur, ex quo cæca mens ducitur, vt peius ex alio ligetur. Sed peccatum, quod ex peccato oritur, non iam peccatum tantũmodo, sed peccatum est, & pœna peccati, quia iusto iudicio omnipotens Deus cor peccantis obnubilat vt præcedentis peccati merito etiam in aliis cadat: quem enim liberare noluit, deserendo percussit. Non ergo immerito pœna peccati dicitur, quod iusta desuper irrogata cæcitate ex præcedentis peccati vltione perpetratur quod videlicet agitur dispositione superius ordinata, sed inferius iniquitate confusa, vt & præcedens culpa sit causa subsequentis, & rursum culpa subsequens, sit pœna præcedentis. Quod bene in infidelibus & lubricis Paulus quasi quoddam semen erroris aspexerat cum dicebat. *Qui cum cognouissent Deum non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt, sed euanuerunt in cogitationibus suis*: Sed quid ex eius erroris semine pullulauit H illico adiunxit, dicens: *Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum; in immunditiam, vt contumeliis afficiant corpora sua in semetipsis.* Quia enim cognoscentes Deum peccatum superbiæ intelligendos commiserunt, cæcantur etiam, ne intelligant quid committunt: Et qui intelligentiâ suâ sequi nolunt in peccato & causa peccati & ipsum lumen intelligentiæ perdunt in peccato & pœna peccati. Prioris ergo peccati merito peccatorum subsequentium fouea tegitur, vt qui malum sciens perpetrat, deinceps iustè in aliis etiam nesciens cadat: hoc quippe agitur, vt culpis * culpa feriatur: quatenus supplicia fiant peccantium, ipsa incrementa vitiorum: Nam quia omnipotens Deus ad pœnitentiam tempus indulget, quod tamen humana malitia ad vsum suæ iniquitatis intorquet, nimirũ iusto iudicio augeri culpa permittitur, vt ad feriendum altius quandóque cumuletur. Hinc enim rursũ, de quibusdam Paulus Apostolus dicit: *vt impleant peccata sua sẽper*

Gregor. mor. lib. 25. c. 9. Iob 34. 25.

* al. pæna.

* al. ligate ei manus & pedes. Matth. 22. 13.

* al. &

Rom. 1. 21.

v. 24

* al. culpa feriatur.

A 1 Thess. 2. 16. Apoc. 22. 11. hinc voce Angelicâ ad Ioannem dicitur: *qui nocet noceat adhuc, & qui in sordibus est sordescat:* Hinc Dauid ait: Ps.68. 28. *Appone iniquitatem super iniquitatem ipsorum, & non intrent in tuam iustitiam.* Hinc rursus de Domino ab eodem Psalmista dicitur. Ps.77. 49.50. *Immissiones per Angelos malos: viam fecit semita iræ suæ.* Cor quippe Dominus prioribus meritis aggrauatum iustè permittit etiam subsequentibus malignorum Spirituum persuasionibus falli, quod dum dignè in culpa trahitur reatus eius in pœna cumulatur, vnde & iræ suæ * viam facere, est iræ causas districtè iudicando dilatare. Vt qui illuminati agere rectè noluerunt, iuste cæcati adhuc faciant, vnde amplius puniri mereantur: hinc per Mosen dicitur: *nondum completa sunt peccata Amorræorum:* hinc per eundem Moysen Deus dicit: *Ex vinea enim Sodomorum vitis eorum & propago eorum ex Gomorra, vua eorum vua fellis, & botrius amaritudinis ipsis: furor draconum vinum eorum, & furor aspidum insanabilis. Nonne hæc congregata sunt apud me,* B vid. &c. Deut.32. v.32. v.33. v.34. v.35. *& signata in thesauris meis? In die vltionis reddam eis:* quam multa eorum mala narrauit? Et tamen illicò adiunxit: *In tempore quo lapsus fuerit pes eorum.* Ecce atrocissima illorum facinora describuntur, & tamen ad vltionis diem adhuc subsequens lapsus aspicitur, quo eorum culpæ cumulentur? habent iam quidem vnde feriri mereantur; sed sustinetur tamen adhuc peccatum crescere, vt peccantes possit atrocior pœna cruciare. Iam meretur supplicium peccatum & causa peccati: sed expectatur adhuc, vt augmentum supplicij subroget peccatum & pœna peccati. Plerumque vero vnum idemque peccatum, & peccatum, & pœna est, & causa peccati, quod melius ostendimus si res ipsas ad medium deducamus. Effrenata enim ventris ingluuies in feruore luxuriæ plenitudinem carnis instigat: Perpetrata autem luxuria sæpe aut periurio, aut homicidio tegitur, ne humanarum legum vltione puniatur. Ponamus ergo ante oculos, quod quidam voracitatis sibi frœna laxauit, qua voracitate superatus, adulterij facinus admiserit, deprehensus autem in C adulterio latenter virum adulteræ, ne ad iudicium traheretur, occidit. Hoc itaque adulterium inter voracitatem & homicidium positum, de illa videlicet nascens, hoc generans peccatum est, & pœna, & causa peccati, peccatum profectò est per se ipsum, pœna vero peccati est, quia culpam voracitatis auxit, causa autem peccati est, quia subsequens etiam homicidium genuit. Vnum ergo idemque peccatum & pœna præcedentis, & causa culpæ subsequentis est. Quia & transacta dum exaggerat damnat, & adhuc subsequentia, quæ damnari debeant, seminat. Igitur quia peccatis præcedentibus cæcatur oculus cordis, ipsa cæcitas quæ peccantis animam ex Iob.34. 25. anteactæ culpæ damnatione confundit, meritò *nox* vocatur, quia per hanc ab oculis delinquentis lumen veritatis absconditur. Benè itaque dicitur, *Nouit enim opera eorum & idcirco inducit noctem & conterentur:* Quia (vt sæpe dictum est) præcedentia nimirum mala faciunt vt ad peccandum iterum tenebris subsequentibus inuoluantur, vt eo iam lumen iustitiæ videre non possint, qua illud & quando poterant, videre noluerunt. *Inducere* au- D v.25. tem *noctem Dominus dicitur,* non quod ipse tenebras inferat, sed quod obscura corda peccantium misericorditer non illustret, vt hoc ipsum * noctem induxisse sit, à cæcitatis tenebris liberare noluisse.]

al. Dominus viam de semita fecisse perhibetur, latior enim est via quã semita: Ex semita vero ira sua via. &c.

al id noctem cæcitatis induxisse.

†. Deinde respondes his, qui nolentes immò spernentes sua peccata corrigere, queruntur de diuina operatione? Cur Deus dederit liberum arbitrium, quo solo peccare conuincatur. In qua responsione quod dicis, Iud. cap.5. num.17. sect.6. *Deum occasionem peccatorum dedisse*, falsum est. Non enim dedit occasionem, sed libertatem. Si ergo sicut cap.5. num.18. sect.6. adnectis: *Non est liberum arbitrium peccatorum causa, cum sit donum:* Sequitur, vt nec occasio peccatorum sit. Si igitur secundum te libertas atque voluntas humanæ naturæ sunt, quomodo natura peccatorum occasio dicenda sit, non video. Si (inquam) liberum arbitrium non est causa peccati, sed eius motus peruersus atque in infima & inhibita damnabilis inflexio; quo pacto peccati occasio dicitur? Mandatum equidem poterat dici occasio peccati: quemadmodum & Apostolus dicit: *Peccatum autem occasione acceptâ per mandatum;* E Rom.7. 11. *per illud occidit me.* Non dixit per liberum arbitrium: quod est donum Dei, nec per naturam, quæ est opus Dei: Sed *per mandatum* quod dici potest experimentum eius, quo experiatur quid sequendum eligat creaturæ rationalis voluntarius appetitus. Item eosdem alloquens dicis,

IOANNES SCOTVS.

⊖ *Si autem viuere vultis, dicite vtrum beatè an miserè: nullus est qui vitam miseram velit, quandoquidem nullus est qui vitam beatam non appetat.* Cap.5. num.19. sect.7.

CORRECTIO.

† Cum dicatur beata vita castè, sobriè, iustè, piéque viuere, probisque moribus cælitus collatis abundare, Prud. F Vita beata. Deo inhærere, & ad æternam beatitudinem totis viribus anhelare: Misera autem vitiis, sceleribus, atque flagitiis incubare, certum est omnes Paganos, & quod dolendum est multos Christianorum illam non appetere, immo refugere, hanc autem tanto desiderio, tantaqué sequi flagrantia, vt nunquam ab ea diuelli cupiant, sed in cœno vitæ damnabilis delectabiliter infixi, ad illam ne aspirare quidem, aut de ea vel audire, vel cogitare quippiam velint: quod & si audire contigerit, continuo auertuntur, indignantur, refugiunt, persequuntur de quibus & propheta loquitur: Ps.35.4 & 5. *Noluit intelligere, vt bene ageret, iniquitatem meditatus est in cubili suo, adstitit omni viæ non bonæ, malitiam autem non odiuit* Quomodo enim apetit vel Paganus quod ignorat, vel falsò nomine Christianus quod oppugnat? Nam de illis dicitur: 1. Cor. 14.38. *Qui ignorat ignorabitur:* De istis autem *multi dicent mihi* Matth.7. 22.23. *in illa die Domine Domine nonne in nomine tuo Prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in tuo* G *nomine virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis quia nunquam noui vos. Discedite à me operarij iniquitatis.*]

Tu vero vt confirmes errorem tuum, quo gratiam Dei omnem boni voluntatem in nobis operantem euacuare moliris, asserens ex te immò te ipsum tibi esse velle, & non id dono supernæ inspirationis percipere: Asseueras *omni homini naturaliter inesse appetitum beatitudinis*, id est benè viuendi desiderium, & nullum cupere Appetitus Beatitudinis à Deo. miseram vitam, hoc est flagitiosam atque sceleratam, cùm vtrobique tam sit euidens certitudo, quam quotidiana immò continua multitudo. Vnde & Dominus in Euangelio, *Contendite intrare per angustam portam, quia angusta porta & arcta via est, quæ ducit ad vitam, & pauci* Matth.7. 13.14. *sunt qui inueniunt eam:* Isti sunt quibus inspiratur diuinitus beatitudinis appetitus, non inflatur naturæ typhus. Item ait, *Quam lata porta est & spatiosa via, quæ ducit* d.v.14. *ad perditionem, & multi sunt qui intrant per eam.* Horum nullus appetit beate viuere: Quia vel ignorat quid sit, vel non vult sequi quod nouit: quam peccandi differen- H tiam B. Augustinus in sententia paulo superius præmissa liquido perdocuit. Nos autem & appetitum bene viuendi, & desiderium atque facultatem miserias euadendi atque vitandi gratiæ gratuitæ dono nobis dari libere confitemur, & humiliter postulamus. Si autem vitam beatam, vitam æternam nuncupas, secundum ea quæ iam dicta sunt, etiam tua assertio confutatur.

Sed quod ais, *quæ tamen nulla est, si vel coacta voluntate acquiritur, vel sine libertate possidetur.*] Sine nulla Cap.5. num.20. sect.5. est, qualiter quocunque modo acquiritur? Si nulla est, quatenus etiam sine libertate possidetur? Non enim vel acquiritur, vel possidetur quod omnino non est. Quocirca fatendum est esse vitam beatam, & hic eam diuinæ gratiæ inspiratione appetitam, morum deinceps probitate adiutorio gratiæ acquiri; & postmodum iusti iudicis retributione libertate liberrima possideri. Miseram vero vitam, si à contrario gehennam appellas, certum est neminem spontè subire; omnes tamen vt subeant

spontè

A sponte contrahere, quamuis ad vtramque diuinæ dispensationis occultis inscrutabilibúsque iudiciis multi adigantur, atque cogantur, ita vt nec libertas arbitrij auferatur, nec omninò gratia denegetur. † [Et quidem iuxta id quod homini libertas addicta atque seruilis remansit, dicitur ei ad testimonium suæ damnationis relictus beatitudinis appetitus, vt hoc audito vocabulo, eius dulcedine illectus appetat beatitudinem, ad cuius perceptionem benè rectè piéque viuendo, peruenire non vult: Et quia talis appetitus ex testimonio, vt ita dixerim, seruilis libertatis, non ex dono gratiæ procedit, in sese relisus atque comminutus emarcescit continuò & euanescit.]

† Additio marginalis.

Iam verò libertas arbitrij qualis ante peccatum, qualis post peccatum fuerit satis superque monstratum est. Quòd verò liberum arbitrium ac voluntatem in homine Deum nunc creasse & condidisse, nunc dedisse homini scribis: Mirum nisi secundùm Pelagianos Patres tuos ipsam naturam humanam gratiam nuncupas, vt postea B quicquid cælitùs datur non sit gratuitæ gratiæ datio, sed meriti retributio; qui tamen quamuis in naturæ conditione constituerint gratiam, nunquam tamen leguntur dixisse, voluntatem & libertatem vel hominis vel alterius creaturæ rationalis esse substantiam, vbi manifestè conijcitur tanto deteriorem esse Pelagianis Patribus tuis, quantò in erroris eorum assertione ea superaddere præsumas, quæ nec ipsi nec alij ante te dixisse vspiam reperiuntur. Errores etenim Pelagianorum qui fuerint quamuis actis Synodicis, quibus damnati sunt, cognoscantur, præcipuè tamen ex libris Beatæ memoriæ Augustini, quos vel aduersùs eos, vel de nonaginta hæresibus edidit, facillimè deprehenduntur: Quibus inspectis nusquam reperire valui quod portentorum tuorum fœtoribus exhalasti. Item quod ais.

IOANNES SCOTVS.

Cap. 5. C num. 21. sect. 9. *Quemque libertati arbitrij derogantem, aut minuendo, aut penitus auferendo, aut blasphemando totius Christianæ disciplinæ proculdubio inimicum.*

CORRECTIO.

Prud. † Quis minuat nisi qui peccat, quis penitus auferat, nisi qui ignorat, quis blasphemet, nisi qui à pietate discedit? Minuit quippe sibi libertatem arbitrij, qui spontè peccando seruituti se addixit, à qua de cætero non habuit liberum à seruitutis Dominio, nisi per Dei & hominum mediatoris gratiam liberari. Aufert autem nullus nisi auctoritatis ignarus, & rationis expers, neque bonitatem Dei, neque iustitiam Dei valens mentis oculis contineri: Blasphemat verò quisquis à pietate discedens, suísque impietatibus vituperabiliter innodatus, de iudiciis Dei mauult iniquissimè queri, quàm de suis sceleribus aut argui aut emendari, aut certè indicari, omnésque non solùm à disciplina, verùm etiam à societate Catholicæ Ecclesiæ alieni, exsortes nullatenus dubitantur. D Peccatum autem esse voluntarium quisquis negat, modum primæ transgressionis minimè diligenter aduertit. Postea verò quamuis illius necessitate omnes præter vnum mediatorem Dei & hominum constringantur; Proindéque ad multa, quæ priùs noluerant, nec meditati fuerant, compellantur; fatendum est tamen non absque voluntate ea committi, quibus iusta pœnæ retributio compensetur: Ita vt & inuiti quidam ad ea perpetranda cogantur, & tamen voluntas quamuis iam captiua & addicta non desit, quæ meritò puniatur.

CAP. VI.

Cap. VI.

De eo, quod non aliunde sit omne peccatum nisi libero propriæ voluntatis arbitrio.

CVm verò fastidiosiùs & non necessariò sexto superuacuitatum tuarum articulo replicas, quòd non aliunde sit omne peccatum, nisi libero propriæ voluntatis arbitrio, vnde nullus piæ mentis poteit ambigere, E veteris argumento, quod sumitur à comparatione dicens,

IOANNES SCOTVS.

Si humana voluntas est secundùm naturam, vnde dubitare stultissimum, nulli dubium eam non esse summam omnium voluntatem, eo maximè argumento, quod mutabilis sit: Si enim summa omnium esset, quomodo mutabilis esse posset: non igitur summa; quoniam verò eam rationis summæ participem esse videmus, dubitare non possumus ipsam rationalem substantiam esse. Cap. 6. num. 1. sect. 1.

CORRECTIO.

Prud. Cap. 6. † Et addis Beati Augustini sententiam quæ quamuis in quibusdam tua, immò Catholica confirmet: In F eo tamen nullatenus aut conuenit aut suffragatur, quòd humanam voluntatem rationalem substantiam adseueras, quia nunquam id eius literæ continere probantur. num. 3. sect. 1.

CAP. VII.

C. VII.

Quod liberum voluntatis arbitrium numerandum sit inter bona, quæ Deus homini largitur, quamuis eo malè vtatur: quæ est causa peccati & peccatum.

Cap 7. num. 1. sect. 1. IN eo autem quòd septimo nauseatum tuarum tædio liberum voluntatis arbitrium numerandum censes inter bona, quæ homini diuinâ largitate donata sunt, & amplectimur & gaudemus: sed quòd illud superiùs à Deo creatum dixeris, miramur: Cùm aliud sit creare, aliud donare; licet in ipsa creatione data diuinitus homini G multa bona non ignoremus: Veluti (vt de cæteris sileam) facto corpori animam, factæ animæ voluntatem, scientiam, aliáque suæ naturæ competentia, quibus imago Dei in ea decenter teneatur ac decoretur: Non quòd aliquod veluti spatium, aut loci aut temporis inter creationem & donum asseramus; sed creando donatum non dubitemus. Nam voluntatem atque scientiam augeri, vel minui in creatura rationali quis nesciat? Dicit enim Prophera de sanctis & Dei tabernacolo dignis: *Ibunt de virtute in virtutem*; Quid est enim ire de virtute in virtutem, nisi piæ voluntatis, sanæque scientiæ incrementis eò vsque proficere, donec videatur Deus Deorum in Sion? Crescere autem sapientia animam rationalem Euangelista manifestat, qui de Domini & Saluatoris infantia narrans ait: *Et* IESVS *proficiebat sapientia, & ætate & gratia apud Deum & homines.* Sapiētia quidem ad animam, ætas ad corpus, gratia pertinet ad vtrumque. Qui igitur proficere, id est crescere augerique dicitur, sapientia nimirum non ætatum spatiis augetur, sed virtutum H incrementis attollitur. Et quisquis scientia & sapientia proficere dicitur, non substantia augeri, sed virtutibus sublimari credendus est, aut à contrario quisquis vitiorum fœcibus inquinatur, quantò magis, ac delectabiliùs eis inhæserit, tantò virtutibus decrescit. Psal. 83. 8. Luc. 2. 52.

Qua de re colligitur voluntatem atque scientiam, aliáque Dei dona animæ rationali data atque insita non esse substantiam eius: quoniam si naturæ sunt, necesse est naturas incorporeas more corporearum naturarum augmentis crescere, detrimentis minui: Quod alienum penitus à creatura incorporea nullus ignorat: Crescere autem voluntates hominum id est augeri vel minui, sicut & cogitationes, quæ non nisi ex voluntate prodeunt, quotidiana imò iugis docet alternitas: Substantiam creaturæ rationalis nullis naturæ suæ augmentis crescere, vel decrescere, certum est, scientiam & sapientiam in creaturis rationalibus augeri vel minui dubium non est: quisquis ergo voluntatem atque scientiā hominis naturam eius esse confirmat, proculdubio crea-

Digitized by Google

ſuram incorpoream augmentis corporalibus ſubiectam eſſe aſſerat, neceſſe eſt. Quod quam ſit à ratione alienum, nemo niſi rationis expers ignorat: Dona autem Dei, quæ ſunt vel magna, vel media, vel minima, animæ rationali pro voluntate largientis diſtributa, Apoſtolus indicat, qui innumeratis quibuſdam donorum Dei concluſit dicens: *Hæc autem omnia operatur vnus atque idem ſpiritus diuidens ſingulis prout vult.* Qui igitur ſcientiam in homine naturam aſſerit, nimirum Apoſtolo contradicit, qui eam inter Dei dona enuntians dixit: *Alij datur per ſpiritum ſermo ſapientiæ, alij ſermo ſcientiæ in vno ſpiritu*, & cætera. Datur dixit non conditur vel creatur; quod ergo datur donum eſt, non natura: quod autem datur in voluntate dantis eſt, non in poteſtate naturæ accipientis; qui enim dat pro voluntate tribuit: qui verò accipit non propriæ voluntatis potentia aut deſiderio, ſed pro donantis arbitrio percipit, quid, quantum, aut quomodo diſpenſat ille, qui *omnia in menſura & pondere & numero* conſtituit. Non eſt igitur creatura liberum arbitrium, id eſt humanæ voluntatis electio, ſed donum Dei inter media donorum illius bona numerandum. Vnde & facili motu à ſummo bono auerti, atque ad inferiora deflecti potuit, inde & merito plectitur, meritoque voluntariæ ſuæ auerſionis digniſſimas pœnas luit.

CAP. VIII.

De differentia inter naturam hominis & liberum eius arbitrium.

OCtauo diſputationis tuæ ordine conatis inter liberam hominis voluntatem, quæ (ſicut ais) ex natura eſt & liberum eius arbitrium, quod proculdubio donum creatoris eſſe manifeſtum eſt, diſtantiam facere: In qua cum diu, multumque labores, definis voluntatem liberam eſſe ſubſtantiam humanam: liberum autem arbitrium liberæ voluntatis motum, quod cum propria adinuentione confinxeris, miror te tanta cæcitate obtuſum vt videre nequiueris contra omnium Catholicorum ſenſa rectiſſima te impudentius garrire loquacitatemque tuam omnibus ridendam, ſummam fallaciter putauiſſe prudentiam. Cumque Beati Auguſtini ſententiam confirmandarum rerum gratia definitionum adhiberes, & eum nihil aliud liberum arbitrium, quam liberam voluntatem in eadem ſua ſententia, quemadmodum in omnibus appellauiſſe cognoſceres, illiuſque auctoritate friuolas argumentationes tuas euelli metueres, addidiſti porteoroſam expoſitionem dicens,

IOANNES SCOTVS.

● *In quibus verbis debemus intendere, ne quis ſubſtantiam confundat & motum, audiens liberam voluntatem, quæ proculdubio ſubſtantialis eſt: eo itaque locutionis modo ſanctus Pater Auguſtinus vſus eſt, dicendo liberam voluntatem pro eo quod eſt, liberæ voluntatis motum ſiue arbitrium, quo ſolemus vti, dum per cauſas ſubſtantiales eorum ſignificamus effectus: hinc eſt vera rationis circuitus, pro vera ratiocinationis circuitu.*

CORRECTIO.

† Quæ tua non expoſitio, ſed depranatio ipſius beati Auguſtini verbis è veſtigio calſetur neceſſe eſt, qui liberam voluntatem liberum motum eſſe definiens in libro quem contra Manichæos de duabus animabus edidit ita locutus eſt. Auguſtinus. [Voluntas eſt animi motus cogente nullo ad aliquid vel non admittendum, vel adipiſcendum.] † Quibus verbis manifeſtè tuum errorem detruncat, quo voluntatem humanam eius eſſentiam definiſti, quam ſententiam ne forte Pelagianis Patribus tuis ſuffragari videretur, ita retractauit: Auguſtinus: [Quod inquiens propterea dictum eſt, vt hac definitione volens à nolente diſcerneretur, & ſic ad illos referretur intentio, qui primi in Paradiſo fuerunt humano generi origo mali, nullo cogente peccando, hoc eſt libera voluntate peccando, quia & ſcientes contra præceptum fecerunt, & ille tentator ſuaſit, vt hoc fieret non coëgit. Nam & qui neſciens peccauit non incongruenter nolens peccaſſe dici poteſt: Quamuis & ipſe quod neſciens fecit, volens tamen fecit: Ita nec ipſius eſſe potuit ſine voluntate peccatum, quæ voluntas vtique (ſicut definita eſt) animi motus fuit cogente nullo ad aliquid vel non admittendum, vel adipiſcendum: quod enim † ſi noluiſſet non feciſſet, non coactus eſt facere; quia voluit ergo fecit, etiam ſi non quia voluit peccauit, neſciens peccatum eſſe quod fecit: ita nec tale peccatum ſine voluntate eſſe potuit, ſed voluntate facti non voluntate peccati, quod tamen factum peccatum fuit; hoc enim factum eſt, quod fieri non debuit: quiſquis autem ſciens peccat, ſi poteſt cogenti ad peccatum ſine peccato reſiſtere, nec tamen facit, vtique volens peccat, quoniam qui poteſt reſiſtere, non cogitur cedere: qui vero cogenti cupiditati bona voluntate reſiſtere non poteſt, & ideo facit contra præcepta iuſtitiæ, iam hoc ita peccatum eſt, vt ſit etiam pœna peccati.]

E — † al. niſi voluiſſet. — F

Prud. † Ecce doctor veraciſſimus duobus tuis erroribus fortiſſimè contradicit: Qui enim voluntatem motum animi definiuit, proculdubio non eſſe aliud liberum arbitrium, quam voluntatem liberam intellexit, intelligendumque litteris mandauit. Falſum eſt ergo quod inter liberam voluntatem, liberumque arbitrium hanc diſtantiam finxeras, vt liberam voluntatem ad naturam, liberum autem arbitrium ad motum liberæ voluntatis referenda docuiſſes: quod in eiuſdem libri retractatione haud dubiè manifeſtat, cùm dicit: Auguſtinus: [Quod autem inquiens, dixi illæ animæ quicquid faciunt, ſi natura non voluntate faciunt, id eſt ſi libero & ad faciendum & ad non faciendum motu animi carent: Si denique his abſtinendi ab opere ſuo poteſtas nulla conceditur, peccatum earum tenere non poſſumus, propterea non perturbat de paruulis quæſtio, quia ex illius origine rei tenentur, qui voluntate peccauit, quando libero & ad faciendum & † ad non faciendum motu animi non carebat, eique ab opere malo abſtinendi ſumma poteſtas erat.

Aug. ib. d. c. 15. — G — † al. non ad fac.

Prud. † Ecce & in hac ſententia voluntatem à natura diſcreuit, eamque motum animi liberum non tacuit, rurſum in eo quod ad peccandũ cogi perdocuit, errori tuo viuaciter contradixit, quo aſſeris neminem vel ad bona vel ad mala facienda compelli. Quod ex quo vel ob quam rem fieri certiſſimum teneatur, in eadem retractatione ſecutus adiunxit.

Auguſt. d. c. 15. Auguſtinus. [Itemque (inquiens) definitio peccati, qua diximus peccatum eſt voluntas retinendi vel conſequendi, quod iuſtitia vetat, & vnde liberum eſt abſtinere, propterea vera eſt, quia id definitum eſt quod tantummodo peccatum, eſt non quod eſt etiam pœna peccati: nam quando tale eſt, vt idem ſit & pœna peccati, quantum eſt quod valet voluntas ſub dominante cupiditate, niſi fortè ſi pia eſt, vt oret auxilium: In tantum enim libera eſt, quia in tantum liberata eſt, & in tantum appellatur voluntas: Alioquin tutius cupiditas, quam voluntas propriè nuncupanda eſt. Quæ non eſt, ſicut Manichæi deſipiunt, alienæ naturæ additamentum, ſed noſtræ vitium, à quo non † ſanatur, niſi gratia ſaluatoris: Quod ſi quiſquam dicit etiam ipſam cupiditatem nihil eſſe aliud, quam voluntatem, ſed vitioſam peccatoque ſeruientem, non reſiſtendum eſt, nec de verbis cum res conſtet controuerſia facienda eſt: ſic enim oſtenditur ſine volontate nullum eſſe peccatum ſiue in opere ſiue in origine.]

H — De volunt. — † al. ſanamur.

Idem dicto c. 15. † Hinc etiam ita paulo ſuperius retractauit Auguſtinus: [Item quod dixi: nuſquam ſcilicet niſi in voluntate eſſe peccatum, poſſunt Pelagiani pro ſe dictum putare propter paruulos, quos ideo negant habere peccatum, quod eis in baptiſmo remittatur, quia nondum arbitrio voluntatis vtuntur: quaſi vero peccatum quod eos ex Adam dicimus originaliter trahere, id eſt reatu eius

impli

A implicatos, & ob hoc pœnæ obnoxios detineri, vſquam † potuit niſi in voluntate, qua voluntate commiſſum eſt, quando diuini præcepti eſt facta transgreſſio. Poteſt etiam putari falſa eſſe iſta ſententia, qua diximus nuſquam niſi in voluntate eſſe peccatum: quia dixit Apoſtolus; *Si autem quod nolo hoc facio, iam non ego operor illud, ſed id quod in me habitat peccatum.* Hoc enim peccatum vſque adeò non eſt in voluntate, vt dicat *quod nolo hoc facio.* Quomodo ergo nuſquam eſt, niſi in voluntate peccatum? ſed hoc peccatum, de quo ſic eſt locutus Apoſtolus, ideo peccatum vocatur, quia peccato factum eſt, & pœna peccati eſt, quandoquidem hoc de concupiſcentia carnis dicitur, quod aperit in conſequentibus dicens: *Scio quia non habitat in me, hoc eſt in carne mea bonum: velle enim adiacet mihi, perficere autem bonum non:* perfectio quippè boni eſt, vt nec ipſa concupiſcentia peccati ſit in homine: Cui quidem quando benè viuitur, non conſentit voluntas, verumtamen non perficit bonum, quia ineſt adhuc concupiſcentia, cui repugnat voluntas, cuius concupiſcentiæ reatus in baptiſmate ſoluitur, ſed infirmitas permanet, cui donec ſanetur omnis fidelis, qui benè proficit, ſtudioſiſſimè reluctatur. Peccatum autem quod nuſquam eſt niſi in voluntate, illud præcipuè intelligendum eſt, quod iuſta damnatio conſecuta eſt; hoc enim per vnum hominem intrauit in mundum: quamquam & hoc peccatum, quo conſentitur † peccato concupiſcentiæ, non niſi voluntate committitur.

(Margin: † al. ſe potuit. Rom. 7. 16. 17. 19. B. Rom. 5. 12. † al. peccati.)

† Idem cum retractaret acta contra Fortunatum Manichæum dixit. Auguſtinus: [Item alio loco ego dico inquam peccatum non eſſe ſi non propria voluntate peccetur. Vbi peccatum illud intelligi volui, quod non eſt etiam pœna peccati: Nam de tali pœna dixi alibi in eadem diſputatione quod dicendum fuit.]

(Margin: Prud. Auguſt. retr. l. 1. cap. 16.)

† Item in retractatione libri de vera religione. Auguſtinus: [Et alibi vſque adeo (inquam) peccatum voluntarium malum eſt, vt nullomodo ſit peccatum, ſi non ſit voluntarium; poteſt videri falſa hæc definitio: ſed ſi diligenter diſcutiatur inuenietur eſſe veriſſima: peccatum quippè illud cogitandum eſt, quod tantummodo peccatum eſt, non quod eſt etiam pœna peccati ſicut ſuperius oſtendi cum quædam commemorarem ex lib. 3. de libero arbitrio. Quamuis & illa quæ non immerito non voluntaria peccata dicuntur, quia vel à neſcientibus, vel à coactis perpetrantur, non † omnimodo poſſunt ſine voluntate committi: quoniam & ille qui peccat ignorans voluntate vtique † peccat, quod cum faciendum non ſit, putat eſſe faciendum; & ille, qui concupiſcente aduerſus ſpiritum carne, non ea quæ vult facit; concupiſcit quidem nolens, & † ideo non facit quod vult, ſed ſi vincitur, concupiſcentiæ conſentit volens, & in eo non facit niſi quod vult, liber ſcilicet iuſtitiæ, ſeruuſque peccati &c. Ideo gratia Dei non ſolum reatus omnium præteritorum ſoluitur in omnibus qui baptizantur in Chriſto, quod fit ſpiritu regenerationis; verùm etiam in grandibus *voluntas* ipſa ſanatur, *& præparatur à Domino:* Quod fit Spiritu fidei & charitatis. Alio loco in eo quod dixi de Domino Iesv Christo, nihil egit vi, ſed omnia ſuadendo, & monendo, non mihi occurrerat quod *vendentes & ementes flagellando eiecit de templo*, ſed quid hoc aut quantum eſt? quamuis & dæmones nolentes ab hominibus non ſermone ſuaſionis ſed vi poteſtatis eiecerit.]

(Margin: Id. retr. l. 1. c. 13. C. † al. omnino. † al. facit. † al. in eo. D. LXX. Prou. 8. 35. Matth. 21. 12.)

† Et quia ex libris eius de libero voluntatis arbitrio multa ſuperius poſuiſti, quibus errores tuos potiſſimum communires, non incongruum duximus ad medium deducere quicquid in retractatione eorumdem librorum ſuorum poſuit, vt cuiuis facillimè pateat, antè etiam ab illo damnatos errores tuos, quam naſceteris: ita enim eorum retractationem exorſus eſt. Auguſtinus: [In his libris ita multa diſſerta ſunt, vt incedentes nonnullæ quæſtiones, quas vel enodare non poteram, vel longam ſermocinationem in præſenti requirebant, ita differentur, vt vel ex vtraque parte, vel ex omnibus earundem quæſtionum partibus, in quibus non apparebat, quid potius congrueret veritati, ad hoc tamen ratiocinatio noſtra concluderetur, vt quodlibet eorum verum eſſet, laudandus crederetur vel etiam oſtenderetur Deus. Propter eos quippè diſputatio illa ſuſcepta eſt, qui negant ex libero voluntatis arbitrio mali origimem duci, & Deum ſi ita eſt creatorem omnium naturarum culpandum eſſe contendunt. Eo modo volentes ſecundum ſuæ impietatis errorem, Manichæi enim ſunt, immutabilem quandam & Deo coæternam introducere naturam mali. De gratia verò Dei, qua ſuos electos ſic prædeſtinauit, vt eorum, qui iam in eis vtuntur libero arbitrio, ipſe etiam præparet voluntates, nihil in his libris diſputatum eſt, † propter hanc propoſitam quæſtionem: vbi autem incidit locus, vt huius gratiæ commemoratio fieret, tranſeunter commemorata eſt, Non quaſi inde ageretur operoſa ratiocinatione defenſa: Aliud eſt enim quærere vnde ſit malum, & aliud eſt quærere vnde redeatur ad priſtinum, vel ad maius perueniatur bonum. Quapropter noui hæretici Pelagiani, qui liberum ſic aſſerunt voluntatis arbitrium, vt gratiæ Dei non relinquant locum, quandoquidem eam ſecundum merita noſtra dari aſſerunt, non ſe extollant, quaſi eorum egerim cauſam, quia multa his libris dixi pro libero arbitrio, quæ illius diſputationis cauſa poſcebat.

(Margin: Prud. Aug. retract. l. 1. cap. 9. E. † al. propter hoc propoſita quæſtione. F.)

Dixi quippè in primo libro malefacta iuſtitia Dei vindicari, & addidi: non enim iuſtè vindicarentur, niſi fierent voluntate. Item cum ipſam bonam voluntatem tam magnum bonum eſſe monſtrarem, vt omnibus corporeis & externis bonis meritò anteponeretur, dixi: vides igitur iam (vt exiſtimo) in voluntate noſtra eſſe conſtitutum, vt hoc vel fruamur vel careamus tanto & tam vero bono: quid enim tam in voluntate, quam ipſa voluntas ſita eſt; & alio loco. Quid ergo cauſæ eſt, inquam, cur dubitandum putemus, etiamſi nunquam antè hac ſapientes fuimus, voluntate nos tamen laudabilem & beatam vitam voluntate turpem & miſeram mereri ac gerere? Itemque alio loco. Ex quo conficitur, inquam, vt quiſquis rectè honeſteque vult viuere, ſi id ſe velle præ fugacibus rebus velit, adſequatur tantam rem tanta fælicitate, vt nihil aliud ei, quam ipſum velle ſit, habere quod voluit; Itemque alibi dixi: hoc enim æternam lex illa, ad cuius conſiderationem redire iam tempus eſt, incommutabili ſtabilitate firmauit; vt in voluntate meritum ſit, in beatitate autem & miſeria præmium atque ſupplicium. Et alio loco. Quid inquam, quiſque ſectandum & amplectendum eligat, in voluntate eſſe poſitum conſtat Et in lib. 2. homo enim ipſe, inquam, in quantum homo eſt, aliquod bonum eſt; quia rectè viuere, cum vult poteſt. Et alio loco dixi: rectè fieri non poſſe, niſi eodem libero voluntatis arbitrio. Et in lib. tertio. Quid opus eſt quæri, inquam, vnde iſte motus exiſtat, quo voluntas auertitur ab incommutabili bono, ad commutabile bonum: Cum eum non niſi animi, & voluntarium, & ob hoc culpabilem eſſe fateamur: Omniſque de hac re diſciplina vtilis ad id valeat, vt eo motu improbato atque cohibito voluntatem noſtram ad perfruendum ſempiterno bono à lapſu temporalium conuertamus? Et alio loco: optimè, inquam, de te veritas clamat: non enim poſſes aliud ſentire eſſe in poteſtate noſtra, niſi quod cum volumus facimus. Quapropter nihil tam in noſtra poteſtate quam ipſa voluntas eſt. Ea enim prorſus nullo interuallo mox, vt volumus præſto eſt.

(Margin: G. H.)

Item alio loco, Si enim tu laudatis, inquam, videndo quid facere debeas, cum id non videas, niſi in illo, qui eſt incommutabilis veritas, quantò magis ille qui & velle præcepit, & poſſe præbuit, & non impunè nolle permiſit? Deinde ſubiunxi, dicens. Si enim hoc debet quiſque quod accepit, & ſic homo factus eſt, vt neceſſario peccet hoc debet vt peccet. Cùm ergo peccat, quod debet facit, quod ſi ſcelus eſt dicere, neminem natura ſua cogit vt peccet. Et iterum: quæ tandem eſſe poterit, inquam ante voluntatem cauſa voluntatis? aut enim & ipſa voluntas eſt, & à radice iſta voluntatis non receditur, aut non eſt

A voluntas,& peccatum nullum habet. Aut igitur voluntas est prima causa peccandi, aut nullum peccatum est prima causa peccandi, nec est cui rectè imputetur peccatum, nisi peccanti. Non est ergo cui rectè imputetur peccatum nisi voluntati. Et paulò post: quis inquam peccat in eo, quod nullo modo caueri potest: Peccatur autem: Caueri igitur potest. Quo testimonio meo in quodam libro suo Pelagius vsus est, cui libro cum respondissem titulum libri mei esse volui de natura & gratia.

In his atque huiusmodi verbis meis, quia gratia Dei commemorata non est, de qua tunc non agebatur, putant Pelagiani, vel putare possunt suam nos tenuisse sententiam, sed frustra hoc putant: Voluntas quippè est, qua & peccatur, & rectè viuitur. Quod his verbis egimus. Voluntas ergo ipsa, nisi gratia Dei liberetur à seruitute, qua facta est serua peccati, & vt vitia superet adiuuetur, rectè pieque viui à mortalibus non potest; Et hoc diuinum beneficium quo liberatur, nisi eam præueniret, B iam meritis eius daretur, & non esset gratia, quæ vtique gratis datur, quod in aliis opusculis nostris satis egimus Istos inimicos huius gratiæ nouos hæreticos refellentes quamuis & in his libris, qui non contra illos (omnino quippè illi nondum erant) sed contra Manichæos scripti sunt de libero arbitrio, non omnimodo de ista Dei gratia reticuimus, quam nefanda impietate conantur auferre: Diximus quippè in secundo libro: non solum magna, sed etiam minima bona non posse esse nisi ab illo, à quo sunt omnia bona, hoc est Deo: & paulò post: virtutes (inquam) quibus rectè viuitur, magna bona sunt: species autem quorumlibet corporum, sine quibus rectè viui potest, minima bona sunt: potentiæ verò animi, sine quibus rectè viui non potest, media bona sunt. Virtutibus nemo malè vtitur; Cæteris autem bonis, id est mediis, & minimis non solum benè, sed etiam malè quisque vti potest. Et ideo virtute nemo malè vtitur; quia opus virtutis est bonus vsus istorum, quibus etiam non benè vti possumus. Nemo autem bene vtendo male vtitur: C quare abundantia & magnitudo bonitatis Dei non solum magna, sed etiam media & minima & bona esse præstitit; magis laudanda est bonitas eius in magnis, quam in mediis, & magis in mediis quam in minimis bonis; sed magis in omnibus, quam si non omnia † omnibus tribuisset.]

† al. omnib. abest.

Et alio loco. [Tu tantùm (inquam) pietatem inconcussam tene, vt nullum tibi bonum vel sentienti vel intelligenti, vel quoquo modo cogitanti occurrat, quod non sit ex Deo. Itemque alio loco dixi: sed quoniam non sicut sponte homo cecidit, ita etiam sponte surgere potest, porrectam nobis desuper dexteram Dei, id est † Domini nostri IESV CHRISTI firma fide teneamus. Et in lib. 3. Cum dixissem illud, quo Pelagium de meis opusculis vsum fuisse commemoraui: quis enim peccat in eo quod nullo modo caueri potest; peccatur autem: Caueri igitur potest: continuò secutus adiunxi: Et tamen etiam per ignorantiam facta quædam improbantur, & corrigenda iudicantur, sicut in diuinis auctoritatibus legimus D ait enim Apostolus *Misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci*; Ait & Propheta: *Delicta iuuentutis & ignorantia mea ne memineris*: Sunt etiam necessitate facta improbanda, vbi vult homo rectè facere, & non potest: Nam vnde sunt illæ voces: *Non enim quod volo facio bonum, sed quod odi malum hoc ago?* Et illud: *Velle adiacet mihi, perficere autem bonum non*: Et illud: *Caro concupiscit aduersus Spiritum, Spiritus, autem aduersus carnem: Hæc enim sibi inuicem aduersantur, vt non ea quæ vultis faciatis*. Sed hæc omnia hominum sunt, ex illa mortis damnatione venientium. Nam si non est ista pœna hominis, sed natura, nulla ista peccata sunt: si enim non receditur ab eo modo, quo naturaliter factus est, ita vt melius esse non possit, ea quæ debet facit, cum hæc facit: si autem bonus homo esset, aliter esset. Nunc autem, quia ita est, non est bonus, nec habet in potestate, vt bonus sit siue non videndo qualis esse debeat, siue videndo, & non valendo esse, qualem debere esse se videt, pœnam istam esse quis dubitet? omnis autem pœna si iusta est, peccati

† al Dominum nostrum Iesum Christum.

1. Tim. 1. 13.
Ps. 24. 7.
Rom. 7. 15.
Ibid. 18.
Gal. 5. 17.

E pœna est, & suppliciũ nominatur. Si autem iniusta pœna est (quoniam pœnam esse nemo ambigit) iniusto aliquo dominante homini imposita est: portò quia de omnipotentia Dei, & iustitia dubitare dementis est, iusta hæc pœna est, & pro peccato aliquo penditur, non enim quisquam iniustus dominatur, aut subripere hominem potuit, vel vt ignoranti Deo, aut extorquere inuito tanquam inualidiori, vel terrendo, vel conturbando, vt hominem iniusta pœna cruciaret; Relinquitur ergo, vt hæc pœna iusta de damnatione hominis veniat. Et alio loco: Approbare inquam falsa pro veris, vt erret inuitus, & resistente atque torquẽte dolore carnalis vinculi non † possit à libidinosis operibus temperare, non est natura instituti hominis, sed pœna damnati.

† al. posse

Cùm autem de illa voluntate recte faciendi loquimur de illa scilicet, in qua homo factus est loquimur. Ecce tam longe antequam Pelagiana hæresis exstitisset sic disputauimus, velut iam contra illos disputaremus: Cùm F enim omnia bona dicerentur ex Deo, idest & magna, & media, & minima: in mediis quidem bonis inuenitur liberum voluntatis arbitrium, quia & male illo vti possumus: sed tamen tale est, vt sine illo recte viuere nequeamus: bonus autem vsus eius, iam virtus est, quæ in magis reperitur bonis, quibus male vti nullus potest. Et quia omnia bona sicut dictum est, & magna & media & minima ex Deo sunt, sequitur vt ea Deo sit etiam bonus vsus liberæ voluntatis, quæ virtus est, & in magnis numeratur bonis. Deinde dictum est: Ex qua miseria peccantibus iustissimè inflicta liberet Dei gratia, quia sponte homo, id est libero arbitrio cadere potuit, non etiam surgere. Ad quam miseriam iustæ damnationis, pertinet ignorantia, & difficultas, quam patitur omnis homo ab exordio natiuitatis suæ: Nec ab isto malo quisquam, nisi Dei gratia liberatur; quam miseriam Pelagiani nolunt ex iusta damnatione descendere negantes originale peccatum; quamuis ignorantia & difficultas etiam si essent hominis primordia naturalia, nec sic culpandus, sed laudandus Deus esset, sicut in eodem libro G tertio disputauimus.]

Prud.

† Vides doctor eximius quantis tuas peruersas interpretatiunculas viribus conterat, qui toties liberum voluntatis arbitrium nuncupando, motumque animi, & nihil aliud definiendo tuis differentiis adeò veritate vallatus obsistit, vt eas prorsus nihil esse confirmet; tu ipse quoque tantùm tibi contrarius existis, vt aut non videris, aut ab aliis minime videri putaueris te eatenus liberum voluntatis arbitrium defendisse, vt definires liberam voluntatem electionem esse liberæ voluntatis, & perdidisse hominem naturam suam, si liberum voluntatis arbitrium perdidisset: nunc autem, aut tui oblitus, aut legentes tua ludificare molitus, motum animi à voluntate conaris secernere, quasi aliud possit esse animæ moueri, quàm velle. Mouetur enim volendo, quemadmodum pater memorabilis definiuit, in tantum vt motus eius nequaquam sit aliud quàm voluntas. Hanc etiam à Domino præparari, & scripturæ auctoritas, & tantorum Pa- H trum consensus euidenter atque immutabiliter docet, prædicat imo confirmat. Tu verò cum id hactenus negaueris, atque vt ita dixerim inficiatus fueris, noua adinuentione ausus es dicere, *motum suum præparari à Domino, non voluntatem*,] quod quia & aduersum veritati, & contrarium auctoritati monstratum est, adiuuante Domino ad alia calumniarum tuarum venena, quanta sint, videnda transeamus,

LXX. Prou. 8. 35.

Dicis: *Sancto Augustino multoties nobis inculcante apertissimè credi interioris hominis substantialem trinitatem in his tribus, essentia videlicet, & voluntate, & scientia contineri:*] Et post pauca. *Hæc igitur tria vnum sunt, & vna natura: tota deinde anima natura voluntas est, & cætera:*] Quæ verba tua quàm sint mendaciorum nebulis caligata, eiusdem sanctissimi Patris Augustini verbis eluceat: Augustinus. [Qui in libro de sancta Trinitate 8. ad eam veraciter quantum mortalibus conceditur cognoscendam, ita inuitando docet, docendo inuitat, vt per veritatem quæ intellecta conspicitur, & per bonum summum à quo est

Cap. 8. n. 5. sect. 1.
Cap. 8. n. 6. sect. 2.
Aug. de trinit. l. 15. c. 5.

omne

A omne bonum, & per iustitiam propter quam diligitur animus iustus ab animo etiam nondum iusto, vt natura non solum incorporalis, verùm etiam immutabilis, quod est Deus, quantum fieri potest intelligeretur, admonuit, & per charitatem, quæ in scripturis sanctis Deus dicta est (1. Io. 4. 8.) per quam cœpit vtcunque etiam trinitas intelligentibus apparere, sicut sunt amans, & quod amatur, & amor; In 9. ad imaginem Dei, quod est homo, secundum mentem peruenit disputatio, & in ea quædam trinitas inuenitur, id est mẽs, & notitia, qua se nouit, & amor quo se notitiáque suã diligit: Et hæc tria æqualia inter se, & vnius ostenduntur essentiæ. In 10. hoc idem diligentius subtiliusque tractatum est, atq; ad id perductũ, vt inueniretur in mente euidentior trinitas eius: In memoria scilicet, & intelligentia, & voluntate. Sed quoniam & hoc compertum est, quod mens nunquam esse ita potuerit, vt non sui meminisset, non se intelligeret, & diligeret: quamuis non semper se cogitaret: Cum autem se cogitaret, non se a corporalibus rebus eadem cogitatione discerneret, disputata est de trinitate, cuius hæc imago est,

B disputatio; vt in ipsis etiam corporalibus visis inueniretur trinitas, & distinctius in ea lectoris exerceretur intentio. In 11. Ergo electus est sensus oculorũ in quo id quod inuẽtum esset, etiã in cæteris quatuor sensibus corporis, & non dictum posset agnosci: Atque ita exterioris hominis trinitas primo in his quæ cernuntur extrinsecus, ex corpore scilicet quod videtur, & forma, quæ inde in acie cernentis imprimitur, & vtrumque copulantis intentione voluntatis apparuit. Sed hæc tria non inter se æqualia nec vnius esse substantiæ elatuerunt: Deinde in ipso animo ab his quæ extrinsecus sensa sunt, velut introducta inuenta est altera trinitas, vbi apparerent eadem tria vnius esse substantiæ: imaginatio corporis, quæ in memoria est, & inde informatio cum ad eam † vertitur acies cogitantis, & vtrunque coniungens intentio voluntatis. (*† al. conuertitur*) Sed ideò & ista trinitas ad exteriorem hominem reperta est pertinere, quia de corporibus illata est, quæ sentiuntur extrinsecus. In 12. discernenda visa est sapientia ab

C scientia, & in ea quæ propriè scientia nuncupatur, quia inferior est, priùs quædam sui generis trinitas inquirenda, quæ licet ad interiorem hominem iam pertineat, nondum tamen imago Dei vel appellanda sit, vel putanda. Et hoc agitur in 13. per commendationem fidei Christianæ. In 14. autem de sapientia hominis vera, id est † Dei munere in eius ipsius Dei participatione donato, quæ ab scientia distincta est disputatur, & eò peruenit disputatio, vt trinitas appareat in imagine Dei, quod est homo secundum mentem, quæ renouatur in agnitionem Dei secundum imaginem eius, qui creauit hominem ad imaginem suam, & sic percipit sapientiam vbi contemplatio est æternorum.] (*† al. scil tia à sa pientia.* *† al. de munere eius in ipsius Dei participatione donata.*)

† Ecce tot trinitatibus sagaciter inuentis, subtiliter pertractatis, eã nimirum profunditate inuentionum, vt nonnisi capacissimis gratia superni muneris infundente perspicua sint, nusquam anima dicta sunt, nusquam animæ essentia appallatæ, sed in se quæcunque trinitates inuentæ sunt vnius essentiæ, qualiscumque ipsa essentia sit, existere disputatum, atque pertractatum est. Esse au-

D tem ea in anima, non vero substantiam animæ, & ipsa tantorum librorum effusissima disputatio perdocet, nec vllatenus ratio diffuadet: quo tamen id etiam simplicioribus liquidius pateat, eiusdem memorandi & memorabilis Augustini sententiam & libro eiusdem operis præferendi 15. ponamus, qua easdem trinitates ab essentia animæ veraciter, subtiliterque secernit, quæ ita se habet. Augustinus: [Ecce inquiens ergo trinitas sapientia scilicet, & notitia sui, & dilectio sui: Sic enim & in homine inuenimus trinitatem, id est mentem, & notitiam qua se nouit, & dilectionem, qua se diligit: Sed hæc tria ita sunt in homine, vt non ipsa sint homo: homo est enim (sicut veteres definierunt) animal rationale mortale: Illa ergo excellunt in homine, non ipsa sunt homo, & vna persona, id est singulus quisque homo habet illa tria in mente. Quod si etiam definiamus hominem vt dicamus homo est substantia rationalis constans ex anima & corpo- (*Aug de trin. l. 15. cap. 6.* *Cap. 7.*)

re, non est dubium hominem habere animam, quæ non est corpus, habere corpus, quod non est anima: Ac per hoc illa tria non homo sunt, sed hominis sunt, vel in homine sunt: detracto etiam corpore si sola anima cogitetur aliquid eius est mens, tanquam caput eius vel oculus vel facies, sed non hæc vt corpora cogitanda sunt: non igitur anima, sed quod excellit in anima mens vocatur. Nunquid autem possumus dicere trinitatem sic esse in Deo vt aliquid Dei sit, nec † ipse sit Deus? quapropter singulus quisque homo, qui non secundum omnia quæ ad naturam pertinent eius, sed secundum solam mentem imago Dei dicitur, vna persona est, & imago est trinitatis in mẽte. Trinitas vero illa, cuius imago est, nihil aliud est tota, quàm Deus, nihil aliud est tota quam trinitas, nec aliquid ad naturam Dei pertinet, quod ad illam non pertineat trinitatem & tres personæ sunt vnius essentiæ, non sicut singulus quisque homo vna persona. Itemque in hoc magna distantia est, quod siue mentem dicamus † hominem eiusque notitiam & dilectionem, siue memoriam, intelligentiam, voluntatem nihil mentis meminimus nisi per memoriam, nec intelligimus nisi per intelligentiam, nec amamus nisi per voluntatem: At verò in illa trinitate quis audeat dicere Patrem nec se ipsum, nec Filium, nec Spiritum sanctum intelligere nisi per filium, vel diligere nisi per Spiritum sanctum: per se autem meminisse tantummodo vel sui, vel Filij, vel Spiritus sancti.] (E) (*† al. ipsa.*) (F) (*† al. in homine.*)

† Et cætera quæ de incomprehensibilitate tantæ maiestatis subtilissimus disputator, & veracissimus pertractator, copiusè disseruit. Item post multa cum de scientia Dei dissereret. (*Prud.*)

Augustinus. [Scriptum est, inquit, in libro Ecclesiastico, *Antequam crearentur omnia nota sunt illi, sic & postquam consummata sunt*: Sic, inquit, non aliter, & antequam crearentur, & postquam consummata sunt, sic ei nota sunt: Longè est igitur huic scientiæ scientia nostra dissimilis, quæ autem scientia Dei est ipsa & sapientia, & quæ sapientia ipsa essentia, siue substantia; quia in illius naturæ simplicitate mirabili non est aliud sapere, aliud esse, sed quod est sapere, hoc est & esse Sicut & in superioribus libris sæpè iam diximus: Nostra verò scientia in rebus plurimis propterea & amissibilis est & receptibilis, quia non hoc est nobis esse, quod scire vel sapere: quoniam esse possumus etiamsi nesciamus, neque sapiamus ea, quæ aliunde didicimus. Propter hoc sicut nostra scientia illi scientiæ Dei, sic & nostrum verbum, quod nascitur de nostra scientia, dissimile est illi verbo Dei, quod natum est de Patris essentia. Tale est autem ac si dicerem de Patris scientia, de Patris sapientia vel quod est expressius de Patre scientia, de Patre sapientia.] (*Aug ib cap. 13.* *Ecc. 23. 29.*) (G)

† Item in eodem. Augustinus: [Quocirca ridenda est dialectica Eunomij, à quo Ennomiani hæretici exorti sunt qui cum non potuisset intelligere, nec credere voluisset, vnigenitum Dei verbum, per quod facta sunt omnia, Filium Dei esse natura, hoc est de substantia Patris genitum, non naturæ vel substantiæ suæ siue essentiæ dixit esse filium, sed filium voluntatis Dei, accidentem scilicet Deo volens asserere voluntatem, qua gigneret filium: Videlicet ideo quia nos aliquid aliquando volumus, quod antea non volebamus, quasi non propter ista mutabilis intelligatur nostra natura, quod absit vt in Deo esse credamus. Neque enim ob aliud scriptum est, *multa cogitationes in corde viri, consilium autem Domini manet in æternum.* Nisi vt intelligamus siue credamus, sicut æternum Deum, ita æternum esse consilium eius: Ac per hoc immutabile, sicut ipse est: quod autem de cogitationibus, hoc etiam de voluntatibus verissimè dici potest. Multæ voluntates in corde viri, voluntas autem Domini manet in æternum.] (*Idem ib. cap. 20.*) (H) (*Prou. 19. 21.* *Ps. 32. 11.*)

† Et post pauca. Augustinus: [De creatura etiam, quam fecit Deus, quantum voluimus admonuimus eos, qui rationem de rebus talibus poscunt, vt inuisibilia eius per ea quæ facta sunt, sicut possent intellecta conspicerent, & maximè per rationalem vel intellectualem crea- (*Idem ib. cap. 20.*)

turam,

A † al. *per quam vel ut per speculũ.* turam, quæ facta est ad imaginem Dei,† quod velut speculum quantum possent, si possent cernerent trinitatem Deum in nostra memoria, intelligentia, voluntate, quæ tria in sua mente naturaliter diuinitus instituta, quisquis viuaciter perspicit, & quàm magnum sit in ea vnde potest etiam sempiterna immutabilisque natura recoli, conspici, amplecti, concupisci, reminiscitur per memoriam, intuetur per intelligentiam, amplectitur per dilectionem, profectò reperit illius summæ trinitatis imaginem, ad quam summam trinitatem reminiscendam, videndam, diligendam, vt eam recordetur, eam contempletur, eâ delectetur, totum debet referre quod viuit; verum ne hanc imaginem ab eadem trinitate factam, & suo vitio in deterius commutatam ita eidem comparet trinitati, vt omnimodo existimet similem, sed potius in qualicunque ista similitudine, magnam quoque dissimilitudinem cernat, quantum satis esse videbatur admonui.]

Prud. B † Et multa alia, quibus Doctor subtilissimus eadem prudenter exequitur, quæ ob sui longitudinem inserere huic operi deuitamus.

Quid ô dialectica facis? Calumniaris beatissimum Augustinum dixisse sæpius, quod nunquam (sicut à te fingitur) dixisse reperitur. *Tu dicis essentiam animæ voluntatem atque scientiam.* Beatus Augustinus dicit voluntatem atque scientiam non esse illius essentiam: creando quippè Deus vniuersitatis conditor animæ rationali contulit, vt meminisset, intelligeret, vellet, sciret, saperet, diligeret, posset, discerneret, & alia complura, quæcunque sempiterna illius bonitas ei conferenda iudicauit: Ac per hoc falsa indubitanter conuincitur assertio tua, qua Pelagianis fauens, eorumdemque errores pertinaciter confouens, tantum voluntati humanæ tribuere præsumpsisti, quantum nec ipsi Pelagiani, nec alius quispiam tribuisse reperitur: Hæccinè est oratio tua, (Cap. 8. n. 7. sect. 2.) qua initio huius Pericopes Dei misericordiam diaetas postulandam, vt te in tantorum errorum labyrinthum induceret. Nimirum impleta est Apostolica protestatio, (C) quæ dicit: *Petitis, & non accipitis, eò quod malè petitis:* (Iac. 4. 3.) Viderat enim enim omnipotentissimo suo intuitu (Ps 93. 11.) *Dominus sciens cogitationes hominum quoniam vana sunt,* intentionem animi tui vanitati deseruire potius, quàm veritati: Idcirco auertit auditum clementiæ à prece dementiæ, quoniam voluntate & veritate deserta in hæc tam impia lapsus es. Augustinus confessionum lib. 13: (*additio in calce pagina.* August. confess. l. 13. c. 2.) Augustinus: [Aut quid te promeruit inchoatio creaturæ spiritalis, vt saltem tenebrosa fluitaret similis abysso tui dissimilis, nisi per idem verbum conuerteretur ad idem à quo facta est, atque ab eo illuminata lux fieret, quamuis non æqualiter, tamen conformis formæ æquali tibi: Sicut enim corpori non hoc est esse quod pulchrum esse, alioquin deforme esse non posset: Ita etiam creato spiritui non id est viuere, quod sapienter viuere; alioquin incommutabiliter saperet: bonum autem illi est hærere tibi semper ne quod † adeptus est conuersione, auersione lumen amittat, & relabatur in vitam tenebrosæ abyssi similem † Isidorus in libro Etymologiarum. († al. *adhuc est.* D Isidorus originũ l. 7. c. 1.) Isidorus. Dicuntur autem & alia nomina quædam in Deum substantialiter: Simplex autem dicitur siue non amittendo id quod habet, seu quia non aliud est ipse & aliud quod in ipso est, sicut in homine, cuius est aliud esse, & aliud sapere.]

Prud. † Videamus aliam falsitatem tuam qualiter membra carnium Behemoth sibi cohæreant, & squamæ altera alteri coniungatur, dicis enim:

IOANNES SCOTVS.

Cap 8. n. 2. sect. 5. ⊖ *Ideo primum animale corpus hominis ante peccatum, quia adhuc deerat quod ei propter præcepti custodiã fuerat addendum, id est spiritale: Ac per hoc ex eo quod aliquid à perfectione natura defuit, erat animale, ex eo quod nihil ei deesset futurum spiritale. Hinc,* inquiens, *datur intelligi primam hominis voluntatem liberam naturaliter fuisse creatam, cui tamen aliquid adderetur, si præceptum Dei seruare vellet, vt sicut animale corpus potuit mori, quia adhuc non erat perfectum, ita voluntas libera adhuc animalis meritò, quia mortalis, potuit peccare, quia adhuc non erat perfecta; quæ vtique perfectio libertatis post mandati custodiam impleretur, dum ei peccandi voluntas penitus auferretur.* E

CORRECTIO.

Prud. † Videris primorum nostri generis propagatorum sequi sententiam, qui cum voluntate propria peccauissent, causam in Deum contumaciter retorserunt. Nam interrogata *mulier* respondit *serpens decepit me, & comedi: Vir* autem: *Mulier quam dedisti mihi sociam, dedit mihi & comedi:* (Gen. 3. 14. 12.) Nimirum eò suæ responsionis contumaciam porrigentes, vt non suæ voluntati culpam præuaricationis, sed dispositioni conditoris adscriberent, qui vel serpentem Paradiso admiserit, vel mulierem viro sociam dederit; quasi creatura quælibet, non naturæ conditor auctorque præcepti solus audiendus sequendusque indubitanter foret, cum transgressionis eorum causa nulla sit alia, quam liberæ voluntatis spontanea in inferiora deflexio. F Tu è contra, quia mortem corpori atque animæ propter imperfectionem sui obuenisse dicis, causam mortis Deo assignas, qui hominem fecerit imperfectum: si enim secundum te imperfectus est conditus, sequitur, vt lapsus eius de imperfectione veniens, non ipsi deputetur, sed Deo: quod quam sit impium & à veritate alienum, perfectò nulli dubitare permittitur: Fides autem Catholica inconcusse tenet & prædicat, humanam naturam rectam atque perfectam à creatore summè & singulariter bono conditam, omnibusque, quibus eam secundum vtramque substantiam consistere iudicauit, bonis donatam: Quippè cui secundum corpus nihil honesti defuit, & secundum animam nihil decoris absuit, adeo vt liberrima voluntate donata semper haberet liberum inhærere conditori, si mandati custodiam obedienter seruauisset: Ac per hoc nulla necessitate, sed voluntatis propria libertate peccauit, quam nullatenus potuit euitare, quia secundum te imperfectus est conditus: imperfectio ergo ipsa necessario impulit ad peccandum: qui enim imperfectione mandatum auctoris transgredi compulsus est, iam non libertate voluntatis, sed necessitate imperfectionis lapsus esse dicendus est. G

Constat igitur imperfectionis auctori deputetur, quicquid imperfectionis necessitate peccatum est: quod quia absurdissimum, imo nefarium est credere, restat vt hominem & perfectum conditum & voluntatis libertate mandati custodiam præuaricatum esse fateamur: Si enim imperfecta libertas voluntatis est data, prorsus nec libera est dicenda: Omnis enim liber aut perfectè liber est, aut si non perfectè, profectò nec liber: quomodo enim liber est, qui aliqua sui parte est imperfectus: Non est igitur dubitandum perfectum primum hominem conditum, nulli adhuc morti obnoxium, quæ illi ob peccati admissionem iustè est retributa; Cum post peccati commissum iam morti obnoxios legamus secundum quendam modum esse perfectos: Scriptum est enim in Genesi: *Noe vir iustus atque perfectus:* Et Dominus in Euangelio moneat: *Estote pefecti sicut & pater vester cælestis perfectus est:* Et Apostolus: *Quotquot ergò perfecti hoc teneamus,* & reliqua. (H Gen 6. 9. Matth. 5. 48. Phil. 3. 15.) Constat autem superioribus infaustæ disputationis tuæ partibus te sategisse, vt rationali creaturæ, id est & Angelis & hominibus liberam voluntatem, id est liberum arbitrium secundum te creatum diuinitus approbares, quod tamen donum indebitæ largitatis Dei cum fides Catholica intellectuali creaturæ & Angelicæ videlicet & humanæ collatum prædicet, nimirum sequitur, vt eandem imperfectionis notam Angelicæ creaturæ aduras: Si enim vterque Angelus scilicet & homo liberum arbitrium largitate conditoris est consecutus necesse est aut vtrumque imperfectum asseras, aut non æqualiter arbitrij libertate donatum, quod te nullatenus reor ausurum, qui toties liberam voluntatem vtriusque

rationalis

A rationalis creaturæ etiam plusquam necessitas posceret
adstruxisti: Si ergo constat vtrumque libertate donatum,
constat vtrumque non vt somnias imperfectè sed vt ha-
bet veritas perfectè creatum; perfectum vero Angelum
primordialiter conditum testatur Propheta, qui lapsui
Ezech. 28.12. eius voluntario exprobrās ait: *Tu signaculum similitudinis*
Dei perfectus decore in deliciis Paradisi Dei fuisti: Et Do-
Iob. 40. 14. minus ad Iob: *Ipse est principium viarum Dei*; quorum
explanationem beatus Gregorius in lib. moralium 32. Ita
exequitur.

Gregor. moral. lib. 32. cap 15. d.v.14. Gregorius: velut si aperte diceret: [Idcirco ad tam
multa fortiter sufficit, quia in natura rerum hunc crean-
do per substantiam conditor primum fecit. Quid enim
Vias Domini, nisi eius actiones accipimus, de quibus per
Isa. 55.8. Prophetam dicit, *Non enim sunt via mea, sicut via vestra*,
& principium viarum Dei Behemoth dicitur, quia nimi-
rum cùm cuncta creaos ageret, hunc primum condidit,
quem reliquis Angelis eminentioré fecit, huius primatus
B eminentiam conspicit Propheta cum dicit: *Cedri non fue-*
Ezech. 31.8.9. *runt altiores illo in paradiso Dei: Abietes non adæquaue-*
runt summitatem eius; Platani non fuerunt æqua frondi-
bus illius. Omne lignum Paradisi Dei non est adsimilatum
illi, & pulchritudini eius, quoniam speciosum fecit eum in
multis, condensisque frondibus. Qui namque accipi in ce-
dris, abietibus, & platanis possunt, nisi illa virtutum cœ-
lestium procera celsitudinis agmina, in æternæ lætitiæ
viriditate plantata, quæ quamuis excelsa sunt condita,
huic tamen nec prælata sunt, nec æquata: qui *speciosus fa-*
ctus in multis condensisque frondibus dicitur, quia præla-
tum cæteris legionibus, tanto illum species pulchriorem
† al. quăto. reddidit, † quanto & supposita Angelorum multitudo
decorauit. Ista arbor in Paradiso Dei tot quasi conden-
sas frondes habuit, quot sub se positas supernorum spiri-
tuum legiones attendit: qui & idcirco peccans sine venia
damnatus est, quia magnus sine comparatione fuerat
creatus. Hinc ei rursum per eundem Prophetam dicitur:
Ezech. 28.12. C *Tu signaculum similitudinis Dei plenus sapientia, & per-*
fectus decore in deliciis Paradisi Dei fuisti. Multa enim
de eius magnitudine locuturus primo verbo cuncta com-
plexus est [illegible]nique boni non habuit, si signaculum
† al. sigilli. Dei similitu[illegible]it? De † signaculo quippè annuli talis
similitudo imaginaliter exprimitur, qualis in sigillo eo-
dem essentialiter habetur; & licet homo ad similitudi-
nem Dei creatus sit, Angelo tamen quasi maius aliquid
tribuens, non eum ad similitudinem Dei conditum, sed
ipsum signaculum Dei similitudinis dicit, vt quò subti-
† al. plenius. lior est in natura, eò in illo similitudo Dei † plenius cre-
datur expressa: Hinc est quod primatus eius potentiam
adhuc insinuans idem Propheta subiungit: *Omnis lapis*
pretiosus operimentum tuum sardius, & topazius, & iaspis,
chrysolitus, onix, & berillus, saphirus, carbunculus, & sma-
ragdus, nouem dixit genera lapidum, quia nimirum no-
uem sunt ordines Angelorum: nam cùm per ipsa sacra
eloquia Angeli, Archangeli, Throni, Dominationes, Vir-
tutes principatus, Potestates, Cherubin atque Seraphim
aperta narratione memorantur, supernorum ciuium quan-
D tæ sint distinctiones ostenditur, quibus tamen Behemoth
iste opertus fuisse describitur; quia eos quasi vestem ad
ornamentum suum habuit, quorum dum claritatem
transcenderet, ex eorum comparatione clarior fuit, de
d.v.13. cuius illic adhuc descriptione subiungit: *Aurum opus de-*
coris tui, & foramina tua in die qua conditus es, præparata
sunt. Aurum opus decoris eius extitit, quia sapientiæ
claritate canduit, quam bene creatus accepit: *Foramina*
vero idcirco in lapidibus fiunt, vt vinculati auro in or-
namenti compositione iungantur, & nequaquam à se
dissideant, quos interfusum aurum repletis foramini-
bus ligat. Huius ergo lapidis in die conditionis suæ fo-
† al præparata. ramina † reparata sunt, quia videlicet capax charitatis
est conditus, quā si repleri voluisset, stantibus Angelis
tanquam positus in Regis ornamento lapidibus potuisse
inhærere. Si enim charitatis auro sese penetrabilem
præbuisset, sanctis Angelis sociatus in ornamento (vt
diximus) regio lapis fixus maneret. Habuit ergo lapis
iste foramina, sed per superbiæ vitium charitatis auro
non sunt repleta: Nam quia idcirco colligantur auro ne E
cadant, idcirco iste excidit, quia etiam perforatus manu
artificis, amoris vinculis ligari contempsit. Nunc au-
tem cæteri lapides, qui huic similiter fuerant perforati
penetrante se inuicem charitate ligati sunt, atque hoc
in munere, isto cadente meruerunt, vt nequaquam iam
de ornamento regio cadendo soluantur. Huius principa-
tus celsitudinem adhuc isdem Propheta intuens adiun-
git: *Tu Cherub extentus & protegens in monte sancto Dei*, Ezech. 28.14.
in medio lapidum ignitorum perfectus ambulasti; Cherub
quippè plenitudo scientiæ interpretatur, & idcirco iste
Cherub dicitur, quia transcendisse cunctos scientia non
dubitatur, qui in medio lapidum ignitorum perfectus
ambulauit, quia inter Angelorum corda charitatis igne
succensa clarus gloria conditionis extitit, quem benè
extentum ac protegentem dicit: Omne enim quod ex-
tenti protegimus, obumbramus: Et quia comparatio-
ne claritatis suæ obumbrasse cæterorum claritatem
creditur, ipse extentus, & protegens fuisse perhibe- F
tur; reliquos enim quasi obumbrando operuit, qui
eorum magnitudinem excellentia maiore transcendit.
Quod ergo illic *speciosus in multis frondibus*, quod illic
signaculum similitudinis, quod illic *Cherub*, quod illic
protegens dicitur, hoc hic voce dominica *Behemoth* Iob. 40. 14.
iste viarum Dei principium vocatur. De quo idcirco tam
mirè in quibus fuit, & quæ amisit insinuat, vt terri-
to homini ostendat, quid ipse (si superbiat) de ela-
tionis suæ culpa passurus sit, si feriendo illi parcere
noluit, quem creando in gloria tantæ claritatis eleua-
uit. Consideret ergo homo, quid elatus in terra merea-
tur, si & prælatos Angelis, Angelus in cœlo proster-
nitur: Vnde & benè per Prophetam dicitur: *Inebriatus* Isa. 34. 5.
est in cœlo gladius meus: Ac si apertè diceret, quia ira fe-
riam superbos terræ perpendite, si ipsos etiam, quos in
cœlo iuxta me condidi, pro elationis vitio percutere
non peperci.]

† Quibus auctoritatibus suspiciendis ac per omnis Prud.
venerandis sole lucidius claret, & Angelum & homi- H
nem perfectos conditos, ruinamque eorum non de im-
perfectione naturæ, sed de abusione liberæ voluntatis
accidisse; quod si corpus hominis, ideò mori potuit,
quia imperfectum fuit, & anima peccare, quia imper-
fecta facta est, iam non erit causa mortis eius peccatoris
voluntas, sed conditoris (quod absit) iniquitas, videlicet,
qui ideo fecerit imperfectum, vt necessario peccaret,
perindeque moreretur. Et vbi est quod Apostolus ait:
Nunquid iniquitas apud Deum? Et quod adiungit. *Absit*, Ro 9.14.
si ergo vt habet veritas, nulla est iniquitas apud Deum,
constat quia nullas necessitates intellectuali creaturæ
condendo inflixerit, quibus inuita, atque captiua pecca-
to sese addicere cogeretur: Quod si hanc imperfectio-
nem mortalitati assignas, nequaquam ab eadem impieta-
te recedis, quoniam & si homo ita primordialiter factus
est, vt posset, non mori si non peccaret, posset etiam mori
si peccaret, non ideo imperfectus dicendus est, quia pec-
care potuit; fecit enim quod voluit, non imperfectione G
adactus, sed voluntate allectus, nec ideo mortuus, quia fue-
rit imperfectus, cum & mors propter peccatum, & pecca-
tum propter liberæ voluntatis auersionem spontaneam
peccanti acciderunt.

Faues omninò Pelagianis, ac per hoc dic etiam cum eis Conc. Afric. cap. 1.
Adam siue peccaret siue non peccaret mortalem factum
& moriturum, quod totum Catholica Ecclesia prædāna-
uit: qui (inquam) ita est cōditus, vt possit non mori, si non
peccaret; colligitur, vt non imperfectus dicatur conditus,
sed perfectus; quippè cui ad sui perfectionem nihil de-
esset si non peccaret: nempe absque vlla mortis, aut
morbi contaminatione ligni vitæ pabulo salutariter ciba-
tus, Angelicæ societatis vnitus beatitati, in perpetuum
exultaret. Hanc imperfectionem, si humanæ naturæ
deputas, necesse est vt Dominum nostrum IESVM CHRI-
STVM eidem imperfectioni subiuges: quis autem audeat
dicere imperfectam eius esse naturam, de quo fideliter
canimus, quia sit perfectus Deus, perfectus homo ex
anima rationali & humana carne subsistens? Neque enim

A

vel Apollinaris audiendus est, qui eum habuisse animam negat dicens quicquid animæ fuerat, operatam in eo diuinitatem suam, neque Manichæi, qui eum corpus assumpsisse fantasticum delirant: Sed fide plenissima, & auctoritate fundatissima confitendum verum habuisse & habere corpus, veram & animam, nihilque illi aliquatenus defuisse, quod perfectioni humanæ primordiali conditione ipse cum Patre & sancto Spiritu omnipotenti bonitate contulerat: Hoc vtrumque veraciter eum assumpsisse

Isa. 7. 14.

Isaias Propheta testatur, cùm dicit: *Ecce virgo in vtero concipiet, & pariet filium, & vocabunt nomen eius Emmanuel, butyrum & mel comedet, vt sciat reprobare malũ, & eligere bonum.* Neq; enim fœmina quæ est homo aliud concipere, aut parere potuit, nisi quod erat, id est hominem, neque *Emmanuel*, id est nobiscum Deus, aliud appellari poterat, nisi homo verus, qui esset & Deus: Neque *butyrum & mel*, quibus omnes humano corpori cibi necessarij comprehenduntur, comedere poterat, nisi corpus, neque cadauer inanime vel scire, vel appetere, vel attrectare cibos, nisi per animam sese vegetantem, de quo

B

Isa. 2. 22.

& idem Propheta ait. *Quiescite ab homine, cuius spiritus in naribus eius.* Vbi vtramque naturam hominis comprehensam nemo dubitat, de quo ad Abraham diui-

Gen. 22. 18.

na promissio loquitur dicens: *In semine tuo benedicentur omnes tribus terræ:* Et Moses ad filios Israël

Deut. 18. 18. Ps. 131. 11. Ro. 1. 3. Luc. 1. 32. Matth. 22. 42.

Prophetam suscitauit vobis Dominus Deus vester de fratribus vestris, tanquam me ipsum audietis. Quid enim est *tanquam me*, nisi hominem sicut ego sum homo; Et ad Dauid ipse Dominus: *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam:* Cui Apostolus concinit dicens: *Qui factus est ei ex semine Dauid secundum carnem.* Gabriel quoque in eadem consentiens beatæ Mariæ virgini nuntians: *Et dabit*, inquit, *ei Dominus Deus sedem Dauid patris eius.* Ipse etiam Dominus interrogans Pharisæos, cuius filium dicerent esse Christum, & respondentibus Dauid continuo adiunxit: *Si ergo filius eius est, quomodo vocat eum Dominum?* Vbi cum eorum responsioni adsti-

C

pulans sese filium Dauid, id est hominem ex homine non negaret, diuinitatis suæ eminentiam extulit, qui se patris sui, id est Dauid Dominum comprobauit: Quomodo enim semen Abraham, & filius Dauid, nisi homo verus atque perfectus, ex hominibus veris atque

Heb. 2. 16. &c. v. 17. Heb 4. 15.

perfectis? hinc & Apostolus: *Nunquam enim Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit: vnde & debuit per omnia fratribus similari, tentatus per omnia absque peccato.*

Qui igitur omnes tentationes hominis absque peccato subiit, profecto plenum atque perfectum se hominem declarauit. Habet autem fides Catholica Dominum nostrum IESVM CHRISTVM eius conditionis hominem ex intemerato virginis vtero in vnitatem suæ, id est Filij Dei personæ sumpsisse, in qua primum hominem ipse condiderat: quod si imperfectione mortuum primum hominem adseueras; sequitur vt & secundum hominem id est Christum, eadem imperfectione mortuum adseueres: atqui non imperfectione, sed potestate & voluntate

D

Ioan. 10. 18. Ioan. 19. 30.

propria se mortuum esse testatur, cum dicit: *Potestatem habeo ponendi animam meam, & potestatem habeo iterum sumendi eam: nemo tollit eam à me, sed ego pono eam, & iterum sumo eam:* Et Euangelista de illo: *Et inclinato capite tradidit Spiritum.* Qui igitur potestate se animam ponere denuoque resumere testatur, profecto non necessitate imperfectionis, sed potestate propriæ voluntatis mortem se subiisse demonstrat. Ac per hoc si distantiam animalis hominis ab spiritali monstrandam necessarium duxeras, insolenti nimirum vocabulo vsus es, vt imperfectum diceres pro nondum spiritali, qui seruata mandati custodia, expletoque cursu vitæ mundissimæ voluntate Dei ligno vitæ degustato beatitudini, ac gloriæ Angelicæ necteretur.

Explosa igitur necessitate imperfectionis, fatemur eum libertate voluntatis peccauisse, meritoque peccati, non imperfectionis necessitate, mortis supplicium rece-

Num. 8. 615.

pisse: Sed cum asseris *Ideo corpus mori potuisse, quia necdum spiritale factum erat*] contradicis veritati, quæ per

E

Ro. 8. 10. Ro. 7. 24.

egregium prædicatorem clamat: *Corpus quidem mortuum est propter peccatum:* Et item: *Infælix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* hoc semper & sensit & docuit Catholica Ecclesia, hoc aduersus Pelagianos fortissimè defendit, verissimè vindicauit, inuictissimè adstruxit. Non enim necessitate ingenitæ fragilitatis humana natura in primis suis propagatoribus compulsa est in mortem, sed merito sui spontanei facinoris, æquitate districti iudicis addicta: verùm qui necessitatem penitus naturis creatis abrogas, mirum est cur non videris, quia dum imperfectione sui naturam homani peccare, ac per hoc mori potuisse asseris, eam ineuitabilis iugo necessitatis substernas; vt ideo nec peccatum, nec eius meritum, id est mortem vitare potuerit, quoniam imperfectione conditionis tam inextricabili necessitati substrata fuerit. Videris itaque mihi in duobus non ferendam conditori vniuersitatis inferre iniuriam; videlicet in bonitate, atque iustitia: nam dùm pecca-

F

tum ad mortem hominis imperfectioni suæ adscribis, bonitati auctoris immodicè contradicis, qui (quod absit) noluerit perfectum condere, quem conditum haberet, vnde damnaret: Rursum Deum pœnam id est mortem hominis imperfectionis necessitati deputas, iustitiam iudicantis abiuras, aut certe fato, siue fortunæ cum paganis fræna laxans, Dei prouidentiam funditus absumis; quæ quam sint Catholicæ fidei aduersa, nullus vel tenuiter, tamen fideliter Scripturas sanctas intelligens ignorat.

Cap. 8. num. 9. sect. 7.

Iam verò quod extraordinariè de hominis voluntate ante peccatum quæri asseris, quis non videat quanta absurditate tuas disputationes inuolueris, vt qui hactenus de voluntate post peccatum etiam libera tractaueris subito ad eandem ante peccatum qualis fuerit euolaueris. De qua cum nullus dubitet, aut quærendum existimet, verbositati, atque iactantiæ te studuisse procacissimus innuisti. Sed Deo agimus gratias, qui te motum ani-

Motum animæ à Deo.

mæ, quam nos voluntatem illius non dubitamus, quamuis aliò intentionem tuam porrexeris, à se id est Deo fieri tandem aliquando, fatere dignatus est confiteri: Vn-

G

Cap. 8. num. 10. sect. 9. LXX. Prou. 8. 35. Phil. 2. 13.

de & scriptura clamat: *Præparatur vo[luntas] à Domino.* Et Apostolus: *Deus est enim, qui operatur in vobis & velle, & operari pro bona voluntate.* Et omnes Catholici tractatores consentiunt, & Sanctæ Ecclesiæ fides orthodoxa non tacet, nec vnquam est vllatenus taciturа.

Cap. 8. num. 12. sect. 9.

Postremo cùm eorum dementiam exageras, qui causas peccatorum ineuitabiles, coactiuasque necessitates in prædestinatione diuina falsissimè, vt asseris, fingunt, impudentissime adstruunt, quodque sit valde dolendum se ipsos consentientesque sibi ad perpetuæ mortis interitum merito erroris detrudunt; miror cur non te ipsum prius attenderis, quis imperfectionis necessitates ita nouus assertor induxeris, vt ea & mortuum, & peccasse primum hominem absque auctoritatis munimine prædicates. Nam quod non prædestinationis necessitate, sed iusto, perindeque ineuitabili Dei iudicio post primæuæ

H

transgressionis iustissimam damnationem omnes (illo vno singulariter excepto, in quo nihil habuit princeps huius mundi) voluntarie serui peccati effecti, ad peccandum etiam compellantur, & suprà satis actum est,

Ro. 1. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27.

& Apostolus manifestat dicens; *Quia cum cognouissent Deum non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt, sed euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum: Dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt; & mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei, in similitudinem imaginis corruptibilis hominis & volucrum, & quadrupedum, & serpentum: propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam, vt contumeliis afficiant corpora sua in semetipsis, qui commutauerunt veritatem Dei in mendacium, & coluerunt & seruierunt creaturæ, potiùs quam creatori, qui est benedictus in sæcula amen: Propterea tradidit illos Deus in passiones ignominiæ, nam fœmina eorum immutauerunt naturalem vsum in eum vsum qui est contra naturam, similiter autem & masculi relicto naturali vsu*

fœmina

A *fœmina exarserunt in desideriis suis: inuicem masculi in*
masculos turpitudinem operantes., & mercedem, quam
oportuit, erroris sui in semetipsis recipientes, & sicut non
v. 28. *probauerunt Deum habere in notitia, tradidit illos Deus*
v. 29. *in reprobum sensum, vt faciant ea, quæ non conueniunt;*
repletos omni inquitate, malitiâ, fornicatione, auaritiâ,
nequitiâ, plenos inuidia, homicidio, contentione, dolo ma-
v. 30. *lignitate, susurrones, detractores, Deo odibiles, contume-*
v. 31. *liosos, superbos; elatos, inuentores malorum, parentibus*
v. 32. *non obedientes, insipientes, incompositos, sine affectione,*
Ps. 106. *absque fœdere, sine misericordia: qui cum iustitiam Dei*
40. *cognouissent, non intellexerunt, quoniam qui talia agunt*
Ezech. *digni sunt morte, non solum qui faciunt ea, sed etiam qui*
14. 9. *consentiunt facientibus.*] Et Propheta *Effusa est confusio*
3. Reg. *super principes & errare fecit eos in inuio, & non in via:*
22. 20. Et ipse Dominus per Prophetam: *Cum errauerit Pro-*
&c. *pheta ille; Ego Dominus seduxi eum:* Et de Achab de-
v. 21. cipiendo vt iret & caderet in Ramoth Galaad, audiens
v. 23. potius fanaticos suos, quam Prophetæ Domini acquies-
d. v. 22. cens, Spiritus erroris quærente Domino; quis iret ad
Rom. 9 decipiendum illum; Cum diceret: *Ego ero Spiritus men-*
B *dax in ore omnium Prophetarum eius;* audis ab illo: *De-*
18. *cipies & præualebis, egredere & fac:* & rursum Apostolus:
Exod. *Cuius enim vult miseretur, & quem vult indurat:* & ipse
10 27. Dominus. *Ego indurabo cor Pharaonis;* & iterum: *In hoc*
Rom. 9. *ipsum excitaui te vt ostendam in fortitudinem meam.* Quæ
17. omnia pius animus nequaquam vitio Dei facientis, sed æquitati tribuit iustissimè punientis.

CAP. IX.

De eo quod non propriè, sed temporalium rerum similitudine prædicantur de Deo præscientia & prædestinatio.

C
Cap. IX. NOno disputationum tuarum articulo conaris osten-
Cap. 5. dere præscientiam, & prædestinationem de Deo non
num 1. propriæ, sed temporalium rerum similitudine prædicari.
sect. 1. In quo cum dicis.

IOANNES SCOTVS.

Cap. 9. ⊖ *Nihil dignè de Deo dici.*
num. 2.
sect. 1.

CORRECTIO.

† Verum est quidem illam ineffabilem, incorpoream, immutabilemque naturam, quæ est Trinitas, vnus & verus Deus, nullis corporalium rerum signis, ac vocibus proferri valere, quantum tamen ipso vniuersitatis auctore datur atque conceditur ipsis, quibus humanam naturam vti dedit verborum significationibus pro munere distribuentis, & capacitate sumentis digne, quæ sua sunt, voluit atque instituit prædicari, Sed cùm dicis
D *eis vti humanæ ratiocinationis post peccatum primi hominis*
Cap 9. n. *laboriosam egestatem:* [Noone fidelius veraciusque dice-
3 sect. 1. res diuinorum eloquiorum auctoritatem? quæ enim humana ratiocinatio vnquam Deum plene cognouit, satis asseruit? licet namque quidam Philosophorum de Deo, quantum ab ipso tacti sunt, quædam competenter protulerint, nunquam tamen ante diuinæ legis promulgationem tantæ rei sublimitatem perspicere, aut suis ratiocinationibus inuenire valuerunt: ac per hoc diuinæ magis deputandum est bonitati, qui cum se à suis vellet fideliter & veraciter nuntiari, tales quoque idest à cultu sui nominis alienos, suæ maiestatis quantulacumque notitia non fraudauit: qui tamen secun-
dum Apostolum *cum cognouissent Deum non sicut Deum*
Rom. 1. *glorificauerunt aut gratias egerunt, sed euanuerunt in desi-*
21. 22. *deriis suis, Dicentes enim se esse sapientes stulti facti sunt.*
Porro cum Deum cognouissent, ac de Deo ratiocinati dicantur: Nonquid Deum sanctam videlicet trinitatem cognouisse, aut suis disputationibus comprehendisse dicentur? Quis tam mentis inops ita desipiat, vt hæc eos apprehendisse confirmet? Credibilius est igitur à veris prædicatoribus hunc eos auditum primitus imbibisse, ac supernæ largitatis munere super re tanta aliquatenus tactos, eius considerationi mentis oculum in-
Phil. 3. tendisse. *Deus enim* (vt ait Apostolus) *illis reuelauit,*
15. sed quia Deum non glorificauerint, aut gratias egerint euanuisse in desideriis suis: Vt quem suis ratiocinationibus, non autem pietate, & auctoritate diuina sese comprehendere putauissent, ipsa sui præsumptione relisi, quid suis viribus nequiuerint, monstraretur. Quod tibi etiam merito contigisse certum est, qui dum eorum ratiocinationibus Deum subdere non metuis, veritate fraudatus ipso infirmitatis pondere prægrauatus, iure succumbis: Relictis enim Catholicorum Patrum regulis, quas diuinorum eloquiorum perscrutationibus prudenter ac congruè præfixerunt, dum noua fin-
F gis, ita in ipsis deficis, vt quibus approbes minimè nanciscaris? siquidem disputans de his, quæ contrarietatis loco sumuntur, quorum quædam absolutè, quædam coniunctè dicantur, absolutiuæ Formæ exemplum de Deo non posse inueniri testatus es? Quid ergo profuit regulam Deum prædicandi affigere, cuius exemplum nequeat inueniri? satius enim verò dixerim premenda fuisse silentio, quam pro regulis nullo exemplo firmandis ad medium deduxisse.

Cap 9. n. Verùm quod addidisti non facilè, vt de his quæ homi-
4. sect. 4. ni Christo tantùm, non etiam deitati eius conueniunt, quamuis inseparabilis post vnitionem Dei & hominis vnitas veraciter prædicetur, perindéque quæ sunt hominis Deo, & quæ Dei sunt homini solennt depotari, quod protuleras affirmares, prorsus rationi non conuenit: aliud est enim diuina, aliud humana tractari. Multo itaque melius fuerat Patrum regulis inhærere, quam propriis adinuentionibus euanescere: Beatus namque Augustinus cum de hac eadem re acutissimè, & iuxta no-
G men suum Augustissime disputaret, ita in libro de san-
August. cta trinitate 5. locutus est. Augustinus: [Quapropter
de trinit. illud præcipue teneamus, quicquid ad se dicitur præ-
lib. 5. tantissima illa & diuina * Trinitas substãtialiter dici, quod
cap. 8. autem ad aliquid non substantialiter, sed relatiuè: tan-
*al. subli- tamque vim esse eiusdem substantiæ in patre & filio &
mitas. Spiritu sancto, vt quicquid de singulis ad seipsos dicitur, non pluraliter in summa, sed singulariter accipiatur; quemadmodum enim Deus est pater, & filius Deus est, & Spiritus sanctus Deus est, quod secundum substantiam dici nemo dubitat; non tamen tres Deos, sed vnum Deum dicimus, eandem ipsam præstantissimam Trinitatem: ita magnus pater, magnus filius, magnus Spiritus sanctus, nec tamen tres magni, sed vnus magnus: non enim de patre solo sicut hæretici peruerse sentiunt,
Ps. 85. sed de patre & filio, & Spiritu sancto scriptum est. *Tu*
10. *es solus Deus magnus:* Et bonus pater, bonus filius, bonus
Luc. 18. & Spiritus S. nec tres boni, sed vnus bonus: de quo dictũ
19. 18. est: *Nemo bonus nisi * vnus Deus.* Etenim Dominus IESVS
*al. solus. ne ab illo qui dixerat *Magister bone* tanquam hominem
H compellans secundum hominem tantummodo intelligeretur, ideo non ait, nemo bonus nisi solus pater, sed *nemo bonus nisi vnus Deus:* in patris enim nomine, ipse per se pater pronuntiatur: In Dei vero & ipse & filius & Spiritus sanctus, quia Trinitas vnus est Deus. Situs vero, & habitus & loca & tempora non propriè, sed translate, ac per similitudines dicuntur in Deo: nam &
Ps 57. *sedere super Cherubin* dicitur, quod ad situm dicitur:
16. *Et abyssum tanquam vestimentum amictus* quod ad habi-
Ps. 103. 6. tum. *Et anni tui non deficient*, quod ad tempus, *Et si*
Ps 101. *ascendero in cœlum tu ibi es*, quod ad locum. Quod autem
28. ad faciendum attinet fortassis de solo Deo verissimè di-
Ps. 138. catur. Solus enim Deus facit, & ipse non fit, neque pa-
8. titur, quantum ad eius substantiam pertinet * quia Deus
*al. qua. est. Itaque omnipotens pater, omnipotens filius, omni-
Rom. potens Spiritus Sanctus; nec tamen tres omnipotentes;
11. 36. *ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia: ipsi*
*al. sin- *gloria.* Quicquid ergo ad se ipsum dicitur Deus,
gulari- & de singulis personis * similiter dicitur; idest patre,
ter.

A & Filio & Spiritu sancto, & simul de ipsa Trinitate non pluraliter, sed singulariter dicitur, quoniam quippè non aliud est Deo esse,& aliud magnum esse: sed hoc idem est esse, quod est & magnum esse: propterea sicut non dicimus tres essentias,sed vnam essentiam; sic nō dicimus tres magnitudines,sed vnam magnitudinem:Essentiam dico quæ vsia Græcè dicitur, quam vsitatius substantiam vocamus.

Ibid. cap. 10. Sicut ergo non dicimus tres essentias, ita non dicimus tres magnitudines, neque tres magnos: in rebus enim quæ participatione magnitudinis magnæ sunt, quibus aliud est esse, aliud magnas esse: sicut magna domus,& magnus mons, & magnus animus, in his ergo rebus aliud est magnitudo, aliud est quod ab ea magnitudine magnum est:Et prorsus non hoc est magnitudo, quod est magna domus;sed illa est vera magnitudo, qua non solum magna est domus quæ magna est, & qua magnus est mons,quisquis magnus est, sed etiam qua magnus est,quicquid aliud magnum dicitur: vt aliud sit ipsa magnitudo, aliud ea quæ ab illa magna dicantur. B Quæ magnitudo vtique primitus magna est, multoque excellentius, quam ea quæ participatione eius magna sunt;Deus autem,quia non ea magnitudine magnus est, quæ non est quod est ipse,vt quasi particeps eius sit Deus cum magnus est: alioquin illa erit maior magnitudo quam Deus,Deo autem non est aliquid maius; Ea igitur magnitudine magnus est,à qua ipse est eadem magnitudo. Et ideò sicut non dicimus tres essentias, sic nec tres magnitudines,hoc est enim Deo esse quod est magnum esse:Eadem causa nec tres magnos dicimus, sed vnum magnum: quia non participatione magnitudinis Deus magnus est, sed se ipso magno magnus est, quia ipse sua est magnitudo.Hoc & de bonitate & de æternitate,& de omnipotentia Dei dictum sit, omnibusque omnino prædicamentis,quæ de Deo possunt pronuntiari, quod ad se ipsum dicitur non translatè ac per similitudinem, sed propriè:si tamen de illo propriè aliquid dici ore hominis potest. C † Quod autem propriè singula in eadem Trinitate dicuntur,nullo modo ad se ipsa,sed ad inuicem,aut ad creaturam dicuntur:Et ideo relatiuè non substantialiter ea dici manifestum est:sicut enim Trinitas vnus dicitur Deus magnus, bonus,æternus, omnipotens:Idemque ipse sic sua dici potest deitas,ipse sua magnitudo,ipse sua bonitas, ipse sua æternitas, ipse sua omnipotentia. Non sic dici potest Trinitas pater.

† al. quæ. Ib. c. 11.

Io 8. 25. Ib. c. 13. Dicitur ergo relatiuè pater, idemque relatiuè dicitur principium, & si quid forte aliud,sed pater ad filium dicitur.Principium verò ad omnia quæ ab ipso sunt:Item dicitur relatiuè filius, relatiuè dicitur & verbum, & imago,& in omnibus his vocabulis ad patrem refertur, nihil autem horum pater dicitur, *Et principium* dicitur filius: Cùm enim diceretur ei: *Tu quis es?* Respondit *Principium qui & loquor vobis:* Sed nunquid patris principium? Creatorem se quippè ostendere voluit cum dixit esse *principium*, sicut & pater *principium* est creaturæ, eo quod ab ipso sunt omnia: Nam & creator relatiuè dicitur ad creaturam, sicut Dominus ad seruum, D & ideò cùm dicimus & patrem principium & filium principium, non duo principia creaturæ dicimus: quia & pater & filius, simul ad creaturam vnum principium est,sicut vnus creator, sicut vnus Deus. Si autem quidquid in se manet, & gignit aliquid vel operatur, principium est ei rei quam gignit, vel ei quam operatur, non possumus negare etiam Spiritum sanctum rectè dici principium quia non eum separamus ab appellatione creatoris;Et scriptum est de illo, *quod operetur*, & vtique in se manens operatur; non enim in aliquid eorum, quæ operatur, ipse mutatur & vertitur, & quæ operatur videt. *Vnicuique autem* (inquit) *datur manifestatio spiritus ad vtilitatem,alij quidem datur per spiritum sermo sapientiæ, alij sermo scientiæ,secundum eundem spiritum alteri autem fides in eodem spiritu, alij donatio curationum in vno spiritu,alij operationes virtutum, alij Propheria, alij diiudicatio spirituum,alteri genera linguarum; Omnia autem hæc operatur vnus atque idem spiritus,diuidens propria*

Io. 5. 17. 1. Cor. 12. 7. 8. 9. 10. 11.

E *vnicuique,prout vult.* Vtique sicut Deus:quis enim tanta illa potest operari nisi Deus?*Idem autem Deus qui operatur omnia in omnibus.* Nam & sigillatim si interrogemur de Spiritu sancto,verissimè respondemus, quod Deus sit, & cum patre & filio simul vnus Deus est. Vnū ergo principiū ad creaturā dicitur Deus,non duo vel tria principia. Ibid. 6.

Quomodo igitur obtinebimus nihil secundum accidens dici in Deum, nisi quia ipsius naturæ nihil accidit quo mutetur,vt ea sint accidentia relatiua, quæ cum aliqua mutatione rerum, de quibus dicitur accidunt: sicut amicus relatiuè dicitur, neque enim esse incipit nisi cum amare cœperit. Fit ergo aliqua mutatio voluntatis, vt amicus dicatur:Nummus autem cum dicitur pretiū relatiuè dicitur,nec tamen mutatus est,cum esse cœpit pretium neque cum dicitur pignus, & si qua sunt similia.Si ergo nummus potest nulla sui mutatione multoties dici relatiuè vt neque cum incipit dici,neque cùm desinit,aliquid in eius natura vel forma (quā nummus est) mutationis fiat: F quanto facilius de illa incommutabili Dei substantia debemus accipere vt ita dicatur relatiuè aliquid ad creaturam, vt quamuis temporaliter incipiat dici, non tamen ipsi substantiæ Dei accidisse aliquid intelligatur,sed illi creaturæ ad quam dicitur. *Domine,* inquit,*refugium factus es nobis:refugium* ergo nostrum Deus relatiuè dicitur, ad nos enim refertur: Et tunc *refugium* nostrum fit, cum ad eum refugimus: Nunquid tunc fit aliquid in eius natura, quod antequam ad eum refugeremus non erat? In nobis ergo fit aliqua mutatio; deteriores enim fuimus antequam ad eum refugeremus, & efficimur ad eum refugiendo meliores, in illo autem nulla: Sic & pater noster esse incipit, cum per eius gratiam regeneramur, quoniam *dedit nobis potestatem Filios Dei fieri.* Substantia itaque nostra mutatur in melius, cum filij eius efficimur, simul & ille pater noster esse incipit, sed nulla suæ commutatione substantiæ: quod ergo temporaliter dici incipit † Dominus, quod antea non dicebatur, manifestum est relatiuè dici: non tamen secundum accidens Dei; quod ei aliquid acciderit: sed planè secundum accidens Dei, quod ei aliquid acciderit: sed planè secundum accidens eius, ad quod dici † Dominus incipit relatiuè: Et quod amicus Dei iustus esse incipit, ipse mutatur: Deus autem absit vt temporaliter aliquem diligat quasi noua dilectione, † quod in ipso ante non erat, apud quem nec præterita transierunt, *& futura iam facta sunt.* Itaque omnes Sanctos suos ante mundi constitutionem dilexit, sicut prædestinauit, sed enim conuertuntur, & inueniunt illum, tunc incipere ab eo diligi dicuntur, vt eo modo dicatur,quo potest humano affectu capi,quod dicitur. Sic etiam cùm iratus malis dicitur, & placidus bonis,illi mutantur non ipse,sicut lux infirmis oculis aspera, firmis lenis est ipsorum scilicet mutatione,non sua.]

Ib. c. 16. Psal. 89. 1. Io. 1. 12. † al. Deus G † al. dici aliquid Deus incipit. † al. quæ in illo. LXX. Isa. 45. 11.

Prud. † Has beatissimus Augustinus afflatus Deo regulas nobis de eo acutissime veraciterque dereliquit respondens Arrianorum versutiis, qui inæqualitatem sanctæ trinitatis argumentis dialecticis ore & corde pestifero inclamabant. H Tu verò frigescente in te veræ charitatis ardore, nec contra dialecticum sophisticè agere, nec simplicioribus fratribus consulere delegisti: quippe dum affingis superflua, obscuras etiam manifesta.Quapropter quod in catalogo substantiuorum nominum *destinationem* ponere voluisti, falsum esse quis nesciat? Nunquam enim relatiua substantiam significant, sed ad aliquid ea pertinere non dubium est: destinare autem relatiuè dicitur, sicut creare, sicut facere, sicut operari, sicut disponere, dispensare indicare, quæ non substantiam vtique demonstrant, sed ad aliquid relata promuntur, nempe qui destinat, siue prædestinat, aliquid nimirum destinat, siue prædestinat. Ergo cùm dicimus destinare, non esse dicimus,sed aliquid disponere, vt creare facere, atque operari. Non igitur destinatio substantiue, sed dicitur relatiuè: relatiuorum autem non est substantiam demonstrare,hoc non solum diuinæ,verum etiam humanæ litteræ clamant,& ipse vsitatissimus etiam in literatis

Cap. 9. n. 5. sect. 2.

quibusque

A quibusque loquendi modus, quod omnes aut pœnè omnes destinare, pro eo quod est ordinare atque disponere, dicendi frequentia celebrare sæpius non desistunt. Non est igitur destinatio Deus, neque substantiuū illius, sed potius relatiuum, quo significatur disposuisse ante sæcula quicquid in tempore, vel post tempora erat ipse facturus. Proinde quamuis relatiuè, quoniam sunt relatiua hæc, in Deo, vel de Deo nequaquam fallaciter prædicentur nulli naturæ id quod prædestinare dicitur competentius aptatur, quam illi, quæ sola omnipotentiæ suæ virtute vniuersa, quæ fuerat ipsa factura, potuit præscire, potuit præuidere, quæ cum sit Trinitas vnus solus & verus Deus *operatur* (secundum Apostolum) *omnia secundum consilium voluntatis suæ.* (Eph. 1. 11.) Licet itaque dicantur homines etiam creatores, conditores, factores, operatores, ordinatores, dispositores, destinatores, prædestinatores, & multa similia: Ille tamen modo quodam proprio, etsi relatiuè dicendus est creator, conditor, factor, operator, dispositor destinator, ac B prædestinator, qui solus antè cuncta potuit præuidere, quam faceret; quoniam ipse solus, *Omnia quæcunque voluit fecit, in cœlo & in terra, in mari & in omnibus abyssis, ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia ipsi gloria in sæcula sæculorum, amen.* (Psal. 113. 3. Rom. 11. 36.)

Quis porrò non stupeat fatuitatem tuam? Qui cum superius præscientiam & prædestinationem Dei eius substantiam asserueris, nunc translatè in eum dici more Latinorum adseueres, quæ substantiam nunquam demonstrant, esse autem hæc relatiua, & nullatenus substantiua cuiuis etiam simpliciori patet: Veruntamen prædestinationem quoque non substantialiter, sed relatiuè Deum dici posse sicut refugium, laudem, laudationem, protectionem nullomodo abnuerim, quamuis id diuina eloquia minimè commendent: Alioquin veluti non creatio, operatio atque conditio, ita nec destinatio, ac prædestinatio Deus substantialiter vlli catholico pronunciandus, atque fatendus est, ne euidentissimæ rationi C auctoritati, ac Patris Augustini veracissimis disputationibus impudenter, immo infideliter repugnare conuincatur.

CAP. X. (Cap. X.)

De eo quod à contrario intelligendum sit, quando dicitur Deus præscire, aut prædestinare peccata vel mortem, vel pœnas hominum, vel Angelorum.

DEcimus blasphemiarum tuarum titulus est.

IOANNES SCOTVS.

(Cap. 10. num. 1. sect. 1.) ⊖ *De eo quod è contrario intelligendum sit, quando dicitur Deus præscire, aut prædestinare peccata, vel mortem,* D *vel pœnas hominum, vel Angelorum.*

CORRECTIO.

(Prud.) † In quo dum insertuis dialecticis ac rethoricis, protsus à veritate desereris: Subdiuidis enim præscientiam & prædestinationem, sicuti & præparationem & præuisionem, duabusque sedibus significationum in Deum translatas asseris, vt quando similitudine sumuntur, nihil aliud significent præter, quod ipse creator omnium facturus esset, siue in constituenda vniuersitatis substantia, naturalibusque eius qualitatibus, siue in eius administratione in his tantummodo, *quos præsciuit & prædestinauit secundum propositum gratiæ suæ conformes imaginis filij sui* esse futuros. (Rom. 8. 28. 29.) Quando verò de loco qui est à contrario nihil in eis intelligendum, nisi quod Deus in creatura, quam ipse condidit, fieri sinit motu proprio, liberoque rationalis naturæ peruersè vtentis naturalibus bonis, quæ sui creatoris largitate suscepit: Et E hoc esse totum quod dicitur malum, & pœna eius varia multimodaque miseria; quod vt compendiosius propter mei similes eloquar. Vis intelligi Deum præscire & prædestinare, tantummodo quæ bona sunt, mala verò nec præscire nec prædestinare: quam peruersitatem nullus ante te præsumpsisse reperitur, cum omnes diuinorum librorum paginæ Deum omnipotentissimum & iustissimum scire & præscire, ac per hoc prohibere, iudicare atque punire peccata, non solum factorum, verum etiam dictorum, cogitationumque multoties inculcent.

Quid enim? numquid nescisse Deus dicendus est peccaturos nostri generis primos propagatores? (Gen. 2. 17. Gen. 3. 15.) Cur ergo eos ab inobedientiæ malo, & prius benignè prohibuit, & post iustè damnauit? Nimirum quia peccando prohibuit, & præuidit, & præsciuit, quid malo inobedientiæ esset homo facturus, & quid merito iustitiæ recepturus: Si neque præuidit neque præsciuit peccata hominum diluuio periturorum, quid est quod per annos centum arcam ædificari præcipit, vt cæteris propter pec- F cata deletis solus Noe cum domo sua saluaretur? (Gen. 6. 5. &c. Gen. 7. 1. &c.) Quid est quod Mosi liberationem Israëlis prædicens, Pharaonem atque Ægyptios induratos inter tot & tanta percussionum genera contumaciter corda sua non tacet? (Exod 4. 21.) Si non præsciuit neque præuidit scelera, multaque flagitia eiusdem Israëlitici populi, cur eos nominatim ab omnibus peccatis abstinere præcepit? qui cùm homines diuina maiestate atque auctoritate dignatus est per ignem & caliginem tonitruum ac fulgura discurrentia compellare, ita exorsus est: *Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, de domo seruitutis: non habebis Deos alienos coram me, non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem, quæ est in cœlo desuper, & quæ in terra deorsum, nec eorum quæ sunt in aquis sub terra: Non adorabis ea, neque coles: Non adsumes nomen Domini Dei tui in vanum; Memento vt diem Sabbathi sanctifices. Honora patrem tuum & matrem tuam, vt sis longæuus super terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi: Non occides, non mœchaberis, non furtum facies, non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium, non concupisces domum proximi tui, nec desiderabis vxorem eius, non seruum, non ancillam, non bouem, non asinum, nec omnia quæ illius sunt.*] (Deut. 5. 6. &c. v. 7. 8. v. 9. 11. 12. 16. 17. 18. 19. 20. 21.) G Et cætera quæ legis diuinæ serie continentur; Quæ omnia quo pacto Deus prohibuisse crediturr, si nec præsciuit, nec præuidit homines ea facturos? Cur toties & tanta instantia, tantaque, (vt ita dixerim) importunitate, sed opportuna per tot Prophetas futura hominum peccata, eorumque supplicia prædicebat, si ea nec præsciebat nec præuidebat? Sed quid necesse est ea diutius replicare, quæ omnibus tam sunt nota, quam lectionibus vsitata. Non ergo vt malè sentis à contrario, sed veraciter Deus peccata præuidisse & præscisse dicitur, qui ea & fieri prohibuit, & puniendà prædixit, factaque damnauit. Verum quod dicis;

IOANNES SCOTVS.

⊖ *Cùm ergo audimus præsciuit Deus, vel prædestinauit,* H *vel præparauit peccata, seu mortem, siue pœnas eorum, quos iuste deseruit.* (Cap. 10. num. 1. sect. 1.)

CORRECTIO.

† Quis hoc dixerit, quis saltem cogitatione conceperit? (Prud.) Dicitur enim Deus præscisse peccata, mortem, vel pœnas: prædestinasse autem vel præparasse peccata nunquam ante te dictum comperi, numquam legi; prædestinasse vero vel præparasse mortem, siue pœnas peccantibus Propheticæ & Apostolicæ litteræ clamant. Tu verò quia præscientiam & prædestinationem confundis, ita vt vnum esse dogmatizes, dicis Deum prædestinasse & præparasse peccata, quod Catholicorum nullus vnquam vel sensit vel dixit. Differre potiò præscientiam à prædestinatione & supra iam egimus, & vbi oportunum fuerit agere non pigebit. Proinde cum dicitur Deus præscisse peccata, mortem, & pœnas, non à contrario debemus

intelligere per tropum, qui dicitur antiphrasis, vt delitas, sed secundum eam regulam, quæ ab omnibus orthodoxis tractatoribus nobis præfixa est, qua iuxta auctoritatem sanctarum Scripturarum Deus ea non solum præscisse, verum etiam punisse, & puniturus esse describitur. Quodque adiungis.

IOANNES SCOTVS.

⊖ *Illud malorum genus; quod cùm naturaliter sit bonum eadem contrarietatis regula malum dicitur, vt est ignis ille* æternus qui præparatus est diabolo, ministrísque eius.

CORRECTIO.

†. Falsum esse Catholicorum Doctorum expositione conuincitur, qui ea nuncupari mala non à contrario, vt desipis, sed à sensu patientium, qui ea mala deputant crebro expositionis famine docent, quorum sanctus Hieronymus in expositione Amos Prophetæ exponens, quod idem Propheta dixit: *Si erit malum in ciuitate, quod Dominus non fecit.* Hieronymus: Malum autem, inquit, quod Dominus facit in ciuitate non contrarium est virtuti, sed afflictio atque cruciatus, de quo legimus: *Sufficit diei malitia sua*, id est tribulatio & angustia, & in Propheta legimus; *Ego Deus, qui feci lucem & tenebras, qui facio pacem & condo mala:* Sicut enim tenebræ contrariæ sunt luci & diei, sic & paci bellum contrarium est, quod non per se malum est, sed malum videtur his esse, qui sustinent: Et vt sciamus in Scripturis sanctis malitiam interdum non contrariam virtuti accipi, sed afflictionem pœnasque & angustiam: vnum adhuc de Iona sumamus exemplum; *Et vidit Deus opera eorum, quia conuersi sunt à vijs suis pessimis, & pœnituit eum super malitia, quam locutus est vt faceret eis: Malitia* vtique ibi * subuersionis Niniuitarum est, quam per Prophetam Deus fuerat comminatus, & non virtuti contraria, quæ ad peccatum pertinet, pro quo * comminatur tormenta peccatoribus.]

†. Hoc idem in omnibus penè libris suis exequitur quod autem Deus peccata pœnasque præscierit, idem in expositione Malachiæ Prophetæ ita locutus est. Hieronymus: [Israël hoc est Iudas, ad quem solebat fieri verbum Dei & visio Domini, onus eius & pondus suppliciorum grauissimum portare compellitur, vt grauiora peccata deponat, & sentiat per tormenta, quem non sensit per beneficia: Et ne pœna in suos videatur iniusta, subiicit Dominus: *Dilexi vos; quem enim diligit Dominus corripit, * flagellat autem omnem filium, quem recipit:* Et dicendo *dilexi*, præsens negat, dum præteritum confitetur: Illique respondent temeritate, quâ peccant, obliti beneficiorum eius, *in quo dilexisti nos?* Ad quæ Dominus, vt cætera, inquit, taceam, & quod nuper de Babylonis captiuitate venistis incunabula vestra tractabo, *Antequam nasceremini, immo priusquam Rebecca Esaü & Iacob vtero suo funderet, in Iacob vos dilexi, in Esau Idumæos odio habui.* Quem locum Apostolus Paulus mystica disputatione euentilans scribit ad Romanos duo pariter testimonia de Genesi Malachique coniungens: *Sed & Rebecca de vno concubitu habens Isaac patris nostri: Nam cum no dum nati essent, aut aliquid egissent boni vel mali, vt secundum electionem propositum Dei maneat: non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei: quia maior seruiet minori: Sicut scriptum est: Iacob dilexi, Esaü autem odio habui.* Hoc enim quod dicitur, *sicut scriptum est*, & ad Geneseos librum, & ad Prophetam Malachi refertur: non solum ait *dilexi Iacob* antequam nasceretur, *& odio habui Esau* priusquam ex matris vtero funderetur, sed in posteros eorum amorem meum & odium conseruaui. Odium in Esaü cuius *montes* qui appellantur Seir *redegi in solitudinem: & vrbes feci esse desertas, & a serpentibus atque bestiis obtineri. Si autem dixerit Edom*, hoc est Esaü *destructi quidem sumus* ad iram Dei, *sed rursum ædificabimus * ciuitates:* Hæc Domino prædicente cognoscite quod *illis ædificantibus ego destruam*, & iram meam æterna eorum vastitas approbabit. Odium igitur in Esaü rebus ostendi: amorem autem in vos, hoc est in Iacob sequentibus approbabo illis destructis & redactis ad solitudinem. *Videbunt oculi vestri, & dicetis: magnificetur Dominus super terminum Israël*, & ex comparatione malorum, quæ frater vester patitur, Dei in vos beneficia sentietis, &c. Porro dilectio, & odium Dei vel ex præscientia nascitur futurorum vel ex operibus †. Idem in expositione Amos Hieronymus. *Cognoui* (inquiens) *multa scelera vestra & fortia peccata vestra:* Hæc cognitio non iuxta illud intelligenda est quod alibi legimus, *Cognouit Dominus eos qui eius sunt*, sed quod Deum nihil lateat, & omnia peccantium secreta cognoscat: cognoui, inquit multas impietates quæ non solum multæ, sed & fortes sunt, & opprimentes, siue conculcantes iustum, vel ipsam iustitiam, vel eum qui iustus est.

E v. 5. Amos 5. 12. Hieron. in Amos c. 5. 12. 2. Tim. 2. 19.

† Ecce doctor vbique gentium sacræ eruditionis celebritate diffamatus nequaquam à contrario (vt somnias) verba Prophetica exponenda dilucidat, sed secundum regulam, de qua diximus, omnibus tractatoribus vsitatam: Si Deus mala non præsciuit, quid est quod ad Abraham sub nomine vaccæ trimæ, capræ, arietis, columbæ, & turturis statū nascituri ex eo populi prædicens, in quo erant futuri spiritales qui ad semen eius *in quo benedicenda erant omnes gentes*, id est Dominum nostrum IESVM CHRISTVM pertinent, erant etiam futuri carnales, qui eiusdem seminis expertes fierent, loquitur ita inquiens: *Scito prænoscens, quia peregrinum erit semen tuum, & affligent eos quadringentis annis in terra non sua gentem autem cui seruituri sunt ego iudicabo.* Ante tot annos mala Ægyptiorum, quibus in populum Dei bacchaturi erant & vindictam iustissimæ retributionis Dominus Abrahæ prænoscere & scire præcipit & prædicit: *Et tu negas à Deo mala præsciri.*] Vtique quæ homini prænoscendo scire denuntiat, sese scire & præscire eadem demonstrat. Hoc Propheta confirmat dicens: *Dominus scit cogitationes hominum, quoniam vana sunt:* Et rursum: *Deus tu scis insipientiam meam, & delicta mea à te non sunt abscondita:* Et iterum: *Et omnes vias meas præuidisti, quia non est sermo in lingua mea. Ecce Domine tu cognouisti omnia nouissima & antiqua.* Et item. *Tu solus nosti corda filiorum hominum.* Et Salomon: *Quæ sunt in corde hominis oculi tui vident Domine, in libro tuo omnia scribentur, homo vides in facie, Dominus autem intuetur cor.* Et item: *Omnia enim corda scrutatur, & vniuersas mentium cogitationes intelligit.* Et Apostolus: *Viuus est enim Dei sermo, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens quoque ad diuisionem animæ & medullarum, & discretor cogitationum, & non est vlla creatura inuisibilis in conspectu eius; omnia enim nuda & aperta sunt oculis eius; qui discretor cogitationum* dicitur, vtique & bonas & malas scire, & iudicare comprobatur. Cui etiam beatus Iob humiliter confitetur. *Scio quia omnia potes, & nulla te latet cogitatio:* Si nulla, sequitur quia nec mala, vnde & Dominus in Euangeliis crebrò vidisse cogitationes maliuolorum describitur, qui cum paralytico diceret: *Remittuntur sibi peccata, cœperunt Scribæ & Pharisæi intra se*, id est in cogitationibus suis *dicere hic blasphemat, quis potest peccata dimittere nisi solus Deus? Quorum cogitationes vt vidit Dominus dixit, quales rogo cogitationes*, audi quales, *vt quid cogitatis mala in cordibus vestris?* Proculdubio mala eorum cogitata, se videre ac reprehendere manifestans: quomodo autem mala eorum aut videre, aut obiurgare poterat, si nesciret? Identidem apud Pharisæum fecisse dicitur, ad cuius prandium euocatus dum meretricis pœnitudinem lacrymis crinibúsque misericorditer suscepit. *Pharisæi cogitationes & videt &* cohibet: *dicebat enim Pharisæus intra se. Hic si esset Propheta sciret vtique quæ & qualis est mulier, quæ tangit eum; quia peccatrix est.* Cuius cogitationibus sine dubio prauis ac pessimis Dominus & potenter obuiat, & pœnitentem fœminam clementer absoluit. Idem Dominus cùm à Pharisæis incesseretur eo, *quod discipuli eius non lotis*

F Prud. Gen. 15. 13. Cap. tonum. 4. sect. 3. Ps. 93. 11. G Ps. 68. 6. Ps. 138. 4. v. 3. Prou. 15. 11. Ps. 138. 16. 1. Paral. 28. 9. Heb. 4. 12. 13. Iob. 42. 2. H Matt. 9. 2. &c. v. 3. 4. Luc. 7. 39. &c. d. v. 39. v. 40.

manibus

Digitized by Google

A Matth. 15.2. &c. 12. & 15. 19. 20. *manibus manducarent, respondit: Non lotis manibus manducare non coinquinat hominem, sed ea quæ de corde exeunt coinquinant hominem: De corde enim exeunt cogitationes malæ; homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, inuidia, blasphemia; & hæc sunt, quæ coinquinant hominem.*]

Quæro igitur verùm illa sciebat an nesciebat, si nesciebat, quomodo exponebat? Patet ergo Dominum scire peccata quæ reprehendit, & fieri prohibet, factáque non impunita prætermittit. Nunquid malum *Iudæ* proditoris ac Iudæorum persequentium ignorabat, qui tanto ante prædicebat? Ait enim; Matth. 26.15. *Ecce ascendimus Ierosolymam, & consummabuntur omnia quæ scripta sunt de filio hominis; tradetur enim gentibus, & illudetur, & flagellabitur, & conspuetur & crucifigetur.* Et inter cœnandum: Matth. 20 21. Ioan. 13. 27. *Vnus ex vobis tradet me:* Et ad ipsum proditorem: *Quod facis fac citiùs:* Et ad Apostolos: Matth. *Omnes vos scandalum patiemini in me in ista nocte*; Et specialiter B 26.31. beato Petro fidelissimo Confessori suo: *Amen, Amen dico tibi, quia in hac nocte, antequam gallus bis vocem* Marc. 14. 30. *dederit, ter me negabis:* Et in Apocalypsi: Et *Angelo* Apoc. 3. 15.16. *Laodicææ Ecclesiæ scribe hæc, dicit amen testis fidelis & verus qui est principium creaturæ Dei: scio opera tua, quia neque frigidus es, neque calidus: Vtinam frigidus esses, aut calidus: Sed quia tepidus es, & nec frigidus, nec calidus, incipiam te euomere ex ore meo: Quia dicis quod diues* v.17. *sum, & locupletatus & nullius egeo: Et nescis quia tu es miser & miserabilis & pauper & cæcus & nudus.*] Si inquam Deus nec præsciit mala, nec præparauit pœnas, quare tanto ante prædixit filios Israël ab Assyriis, & Babyloniis, itémque Assyrios, aliásque quamplures gentes à Babyloniis, ipsósque Babylonios à Medis & Persis, hos etiam à Græcis, Græcos à Romanis capiendos, eosdémque Romanos ad vltimum destruendos? Nam quod propter eorum scelera & impietates in Deum ab eo traditi, atque persecutores eorum excitati sunt, omnes Propheticæ paginæ resonant, quemadmodum & ipsi perseC cutores aliquoties falsi reperiuntur. Veluti * Rapsaces * al. Nichao. 2. Par. 35.21. qui dixit, *quòd Dominus ei præceperit Ierusalem venire.* Legitur quoque in Genesi dixisse Dominus *ad Cain, quid* Gen. 4. 11. *fecisti? maledictus eris super terram quæ aperuit os suum, & suscepit sanguinem fratris tui de manu tua, vagus & profugus siue tremens eris super terram:* Ecce & peccatum eius arguitur, & pœna à Domino irrogatur; Si Dominus nec mortem nec pœnam præsciuit, quis aquas diluuij, quibus præter arcam omnis caro deleretur induxit? Nempè ipse qui ad Noë dixit: Gen 6. 13.17. *Venit finis vniuersæ carnis coram me. Repleta est terra iniquitate à facie eorum, & ego disperdam eas cum terra. Ecce ego adducam diluuij aquas super terram, vt interficiam omnem carnem, in qua spiritus vitæ est subter cœlum, vniuersaque in terra sunt consumentur:* Si nec præsciuit mortem & pœnas Gen. 19. 24. impiorum, quis igne cœlesti *Pentapolim* concremauit? Atqui verax scriptura testatur, quòd *pluerit Dominus à Domino ignem & sulphur in Sodomam, eique finitimas ciuitates*; Quis Dominus à Domino nisi filius à patre.

D Si Dominus pœnas peccatoribus non præparauij, quis *Pharaonis* seruorúmque illius duritiam vlciscens, tot plagis attriuit? Certè scriptura Dominum hæc omnia fecisse & intulisse clamat: Vnde & ipse Dominus Pharaoni Rom. 9. 17. per Mosen loquitur: *Ad hoc enim excitaui te vt ostenderem in te fortitudinem meam, & narretur nomen meum in omni terra.* quis postremo aquas rubri maris super eos induxit tanta pernicitate potentiæ, vt hinc inde fluctis circundati, adeò omnes obruerentur, vt nullus eorum euaderet? Vbi si dicere volueris Deum quidem maria diuisisse, sed alium nescio quem reduxisse, quis fatuitatem tuam non rideat? Dicit enim scriptura: Exod. 15. 19. & c. 15. 6. *Ingressus est enim equus Pharao cum curribus & equitibus in mare, & reduxit super eos Dominus aquas maris:* Et item: *Dextera tua Domine magnificè in fortitudine, dextera tua Domine percussit inimicum, & in multitudine gloriæ tuæ deposuisti aduersarios meos*, & cætera. Si nec prædestinauit, nec præparauit Dominus mortem & pœnas, quis homines mandatorum suorum transgressores vel lapidari vel aliis mortium generibus occidendos decreuit? E Nam hæc omnia Deum præcepisse atque fecisse scriptura manifestissime protestatur, quæ etiam post mortem Iosue peccantibus filiis Israël Deum suscitasse aduersarios sæpenumerò inculcat: Sed & de Salomone Regum narrat historia, quod post offensam ei suscitauerit Deus aduersarios ad Idumæum & alios? Quæ omnia si iuxta tuam prauitatem à contrario intelligentur, prorsus omnis ab eis veritas auferetur. Nun autem (vt fingis) intelligenda beatissimus Augustinus in omnibus pœnè opusculis suis, præcipuéque in libris 14. quos in Eptateuchum mirabili eruditione confecit, clarissimè manifestat. Loquitur Dominus per Amos Prophetam, *Percussi vos in vento vrente, & in erugine multitudinem hortorum vestrorum,* Amos 4. 9.10. *& vinearum vestrarum, oliueta vestra & ficeta vestra comedit eruca, & non redistis ad me dicit Dominus: misi in vos mortem in via Ægypti: percussi in gladio iuuenes vestros vsque ad captiuitatem equorum vestrorum, & ascendere feci putredinem castrorum vestrorum in nares vestras,* F *& non redistis ad me, dicit Dominus:*] Vnde Sanctus Hieronymus ita effatus est.

Hieronymus. [Per omnia flagella & tormenta eruditur Israël, vnde & eo tempore quo ab Ægyptiis auxilia Hieron. in Amos c.4. v.10. postulabant, mittitur in eos mors, & percutiuntur in gladio iuuenes eorum, & equos quos sibi contra Dei præceptum * multiplicarunt, captiuitas sæua concludit, * al. multiplicauerant. vt putredo castrorum & fœtor morientis exercitus viuentium nares impleat, cúmque & hæc fecerit, vt corriperet delinquentes, & emendaret errantes, nec sic quidem redierunt ad eum dicit Dominus.]

† Et in Iona Propheta legitur; Prud. Ionæ 4. 7. *Et parauit Deus vermem ascensione diluculi, & percussit ederam & exaruit, & cùm ortus fuisset sol præcepit Deus vento calido & vrenti, & percussit sol super caput Ionæ & æstuabat.* Ecce parasse Deus vermem dicitur, qui in vltionem inobedientis Prophetæ kikaion vna nocte mirabili Dei potentia surgentem, protectionémque virentis vmbraculi repentè præbentem exederet, Prophetámque orto G sole ventus vrens & calidus præcipiente Domino adeò perçuteret, vt æstuans peteret animæ suæ vt moreretur. Idem Doctor exponens Michæam Prophetam. Hieronymus: [Et hæc inquit vniuersa patientur, quia pessimè Hieron. in Mich. c.3.4. egerunt in studiis, & in voluptatibus suis, & non Reges fuere, sed tyranni, nec præpositi, sed Leones, neque magistri discipulorum, sed lupi ouium, & satiauerunt se carnibus, & incrassati sunt, & * sub pinguissima * al. ficus hostia * interfectioni, & suppliciis Domini præparaui. * al. interfectionis sunt supp. † Idem in expositione Abacuc Prophetæ exponens dictum Propheticum, *Domine audiui auditionem tuam, & timui:* Hieronymus. [Audiui inquit, pœnas quas Nabuchodonosor & diabulo præparasti. Abac 3. 1. † Item in expositione Zachariæ Prophetæ. Hieronymus. [Cùm autem Idem in Abacuc c.3.1. secundùm Septuaginta legimus: *Et pascam oues occisionis in terra Chanaan*, sic possumus intelligere, quòd po- Idem in Zachar. pulum Iudæorum, qui destinatus est morti in toto orbe dispersum, hoc est in terra Chanaan atque gentilium, H pascat, Dominus & nutriat ad immolandum † In eo- c.11 7. dem. Hieronymus: Cognoscet populus Iudæorum ad Idem ib. d. c.11. 11. quem dictum est: *semen Chanaan & non Iuda; qui nunc ceremoniis meis custoditur*, siue quia Chananæi interpretantur parati ad humilitatem, cognoscent, quia olim parati sunt, vt humilientur à Domino.] † Idem in ex- Prud. positione Habacuc Prophetæ exponens verba Domini dicentis Habac. 1.6. *Ecce ego suscitabo Chaldæos gentem amaram & velocem ambulantem super latitudinem terræ, vt possideat tabernacula non sua horribilis & terribilis est*, & cætera post fundamenta historiæ interpretationem allegoricam ita coaptauit. Hieronymus: [Comminatur Deus ad- Hieron. in Habac. c.1. 6. uersum contemptores, & * calumniatores prouidentiæ * al. calumniatores prouidentiæ suæ. suæ suscitaturum se Chaldæos, qui interpretantur quasi dæmonia, vel Angelos pessimos significans, qui ministrant furori eius, & iræ & tribulationi, quam infert in peccatores, vel animas hominum pessimorum, per quas merentes cruciat: hi autem Chaldæi gens amara est, & velox, non parcens, & citò explens quod sibi fuerit im-

A peratum, & ambulat super latitudinem terræ, *lata enim & spatiosa via est quæ ducit ad mortem.*] † Item in Abdia Propheta Hieronymus: [*Quomodo enim* in nece eorum lætatus es, conuiuiúmque celebrasti, *& in monte sancto meo*, hoc est in Ecclesia *bibisti*, non meum calicem, sed diaboli: De quo in Abacuc dicitur, *Væ qui potat proximum suum subuersione turbida*; Ita vniuersæ gentes vel fortitudines contrariæ suppliciis delegatæ, vel aduersariæ quæque virtutes bibent, & absorbebunt sanguinem tuum.

(Marg.: …att.7. … Hieron. Abdiæ 1.16. Abac. 15.)

† Iam verò quòd hæreseos elogio denotatos nec habentes lumen, quo videre possumus, quod malum à peruerso motu liberæ voluntatis prodeat, acriùs insimulas. Nos è contra & scientes per gratiam Dei, & intelligentes vnde sit malum, veluti præmissa satis abundéque informant, dicimus atque optamus: vtinam lumen: quod nobis superbissimè demis, cælitus adeptus humillimè possideres, & non in tanta, tam praua, támque peruersa impingeres: videres enim quam non veraciter

B dixeris: *Quos iuste deseruit, idest suâ propriâ peruersitate puniri permisit.*

(Marg.: …ud. …ap. 10. 5. sect.)

Vis quippe intelligi non aliud esse pœnam punitionémque peccatoris, nisi suam propriam peruersitatem: Ita vt & mortem & pœnas Dei iusto iudicio peccatoribus irrogatas, penitus auferas & eis solam propriam conscientiam pœnam esse cofingas: quod quia Origenes mendaciter docuit, sententiam iustæ damnationis excepit. Cùm ergo dicis *Omne igitur malum aut peccatum est, aut pœna peccati*;] Mirum est cur non attenderis nihil à nihili nullatenus posse puniri. Si itaque peccatum nihil est, & pœna eius similiter nihil est, quo pacto nihil à nihili puniatur non video: immò hoc totum nihil esse confirmo, sed cum Ecclesia Catholica confiteor, peccatum Deo iudice puniri; cuius prohibitor atque reprobator certissimè comprobatur. Quoties vero legitur quisque propria iniquitate damnari, ita potius intelligendum est, quod merito eius peccator ab illo, qui omnia iudi-

C cat, iustè damnetur. Quemadmodum etiam quandocunque dicitur peccatum iniquitas, scelus atque impietas eorum patratoribus reddi; ita pij sanitas intellectus percipit, vt meritò eorum pœna dignissima rependi iustissimè sentiatur, non peccata pro peccatis, aut scelera pro sceleribus compensari. Sic etiam cum peccata visitari dicuntur. Non ipsa quæ non sunt substantiæ, sed eorum auctores atque amatores, vltionis æquissimæ sententiam recipere creduntur: quódque subuectis,

Ioannes Scotus.

(Marg.: p. 10. n. 6. t. 3.)

⊖ *Quæ duo* (inquiens) *si nulla ratio sinit Deum præscire, quantò magis prædestinare, quis audeat dicere nisi à contrario?*

Correctio.

(Marg.: 4.)

D † Iam diximus Deum veraciter præscire tantum peccata, non etiam prædestinare; pœnam vero illorum & præscire & prædestinare; liberè confiremur: verùm quantum super tui cæcitate stupeam, nequeo explicare; vt qui hactenus præscientiam & prædestinationem vnum esse adstruxeris, adeò vt nihil differre asseueraueris, nunc cum quadam discretione posueris dicendo siquidem: quæ duo si nulla ratio vera sinit Deum præscire, & addendo: quantò magis prædestinare, nullatenus ea sine aliqua differentia intelligi debere permittis. Hoc ipsum in consequentibus confirmas dicens,

Ioannes Scotus.

(Marg.: …10. …7. …8.)

⊖ *Simili modo si nihil aliud est prædestinatio, nisi eorum quæ Deus facienda præuidit, præparatio, quomodo eorum quæ Deus nec fecit, nec facienda præparauit, dicenda est prædestinatio.*

Correctio.

E

(Marg.: Prud.)

† Confirmans igitur nihil aliud esse prædestinationem, nisi eorum quæ Deus facienda præuidit præparationé, profectò eam a præscientia separare conuinceris: quia omnis præparatio nullomodo absque præscientia dicitur, præscientia verò absque præparatione creberrimè reperitur: Multa enim præscimus vel à seruis nostris, vel ab aliis quibuslibet facienda, quæ ipsi minimè præparamus. Constat ergo prædestinationem à præscientia plurimum distare, cùm eam nihil aliud, quàm eorum, quæ Deus facienda præuidit, præparationem insinuas: quia Deum conditorem omnium quæ sunt, in quantum sunt, præscire omnia dicimus, vel ab ipso sunt, vel ab ipso non sunt. Sunt enim ab eo creaturæ omnes, quas præsciendo prædestinauit, atque creauit, sicut ordinauit atque disposuit: Non sunt ab eo peccata, quæ nec creauit, nec fieri voluit, quinimo prohibuit, quæ ideò nihil dicun- F tur, quia non sunt creatæ substantiæ; sed creatarum à Deo rationalium substantiarum prauæ voluntates, peruersíque motus in infima culpabiliter, ac damnabiliter, distorti: Deum autem nec videre, nec scire, nec iudicare motus quoslibet creaturarum, quas ipse fecit, quàm sit impium dicere, quámque veritatis & pietatis alienum, nulli fidelium ambigere concedime. Videt porrò quandocunque, quomodocunque, & vbicunque mouentur creaturæ suæ, perindéque & iudicat, ac per hoc non ita modo ea videre dicendus est, ac iudicare, quasi hactenus ignorata, sed quæ antequam fierent præscierat, præuiderat, ac iudicauerat. Eadem dum fiunt, scit videt & iudicat, factáque non aliquo nouo, sibique eatenus ignoto iudicio, sed quod ante sæcula prædestinauit secundùm eam præscientiam, quæ nec fallitur, nec mutatur, punit æquissimus redditor, atque condemnat. Verum est igitur eorum, quæ Deus nec fecit, nec facienda præparauit prædestinationem non esse: esse autem eorum, quæ Deus vel fecit, vel facienda præparauit prædestina- G tionem, id est dispositionem, ac præordinationem & auctoritas diuinorum eloquiorum, & tractatorum orthodoxorum vnitas concordissima docet. Itaque malum quod est peccatum, siue corruptionem, seu defectum boni appellare malis, nec Deum esse, nec ab ipso creatum, nec ipsi placitum frequenter diximus & fatemur: At consequentias eius, id est pœnas nullo nisi Deo auctore & iudice fieri fronte liberrimâ proclamamus? quia dicente Propheta: *Iustus Dominus iustitias dilexit, æquitatem vidit vultus eius*; ad eius iustitiam indubitantes nonimus pertinere, vt puniat transgressorem, qui prohibuit à transgressione, nec inultum relinquat præuaricatorem, qui benignè monuit, ne præuaricaretur. Ps. 10. 8.

Si verum lumen attenderes, eoque illustrari humiliter peteres, videres, quàm contraria tibi ipsi poneres dicendo: *Ista id est peccatum, mors, miseria, deserto vno omnium principio deorsum in nihilum bona quæ corrumpunt, redire contendunt.*] Cùm supra dixeris nullam naturam petire. Nam quæ in nihilum redeunt, perire quis nesciat? Argumentare igitur quantumlibet, & nega à Deo nec præsciri, nec prædestinari peccata, mortem, supplicia, eò quòd nihil sint, & quandocunque tale aliquid in scripturis legitur à contrario intellige. Fides verò Catholica secundùm regulas à patribus diligenter exaratas, & scire & præscire Deum peccata, & prædestinare, & præparare illis mortem, atque supplicia fideliter edocebit: quoniam Deus sempiterna & vera sapientia, atque iustitia, non à nihilo, sed ab aliquo prohibet, non nihil sed aliquid punit: Eum autem & prohibere à peccatis, id est peruersis motibus malæ voluntatis, prauisque vsibus membrorum corporis, eisque meritò inferre condigna supplicia, omnes diuinæ paginæ resonant, sicut iam paucis attigimus.

(Marg.: Cap. 10. num. 8. sect. 4.) H

Quamobrem tua potiùs miranda imò dolenda est cæcitas, qui omnibus hominibus ante te inaudito portento moliris omnem Sanctarum Scripturarum veritatem inconcussam sensu prauissimo peruertere, docens veraciter

A dicta, fallaciter debere intelligi, etiã nostra, à te nobis toties malevoléque impacta inscitia, qui illuminante Domino tenebras nostras, quantum ipse dare & adiuuare dignatur, eandem veritatem immutabiliter & asserimus & tenemus, quæ si tibi aliquatenus illuxisset, nunquam profecto dixisses: *Prædestinationem & præscientiam Dei naturam esse*:]Quoniam sicut præmissa affatim adstipulantur, relatiua naturas, atque substantias non demonstrant: Esse autem hæc relatiua dubitat nemo, Falsum est ergo Dei naturam esse præscientiam & prædestinationem, præsciens quippe aliud præscit, & prædestinans aliud vtique prædestinat. Si (inquam) Dei natura est præscientia & prædestinatio, consequens erit, vt se futurum præscierit atque prædestinauerit, hoc autem fieri nullatenus potuit, nisi eius præscientia & prædestinatio ante ipsum fuisse mendaciter dicatur; & impiè in duo aliqua diuidatur. Quod quam sit impium & blasphemum nemo non videt: non enim est illi aliud esse, aliud scire,

B sed hoc est illi scire quod esse. Non est quippe illi accidens hoc tantum bonum, sicut nobis, quibus multa contingit nescire. Non autem eueniat non esse, sed natura eius atque substantia, etiam scientia sicut & sapientia veraciter prædicatur.

August. Non enim (vt ait Augustinus) Augustinus. [Eius scientia variatur vllomodo, vt aliud in ea faciat, quæ nondum sint, aliud quæ iam sunt, aliud quæ fuerunt. Non enim more nostro ille, vel quod futurum est prospicit, vel quod præsens est aspicit, vel quod præteritum est respicit, sed alio modo quodam à nostrarum cogitationum consuetudine longe aliterque diuerso. Ille quippè non ea hoc in illud cogitatione mutata, sed omnino incommutabiliter videt, ita vt illa quidem quæ temporaliter fiunt, & futura nondum sint, & præsentia iam sint, & præterita iam non sint. Ipse vero hæc omnia stabili ac sempiterna præsentia comprehendat, nec aliter oculis, aliter mente: non enim ex animo constat & corpore, nec aliter nunc, & aliter antea, & aliter postea,

C quoniam non sicut nostra, eius quoque scientia trium temporum, præsentis videlicet, & præteriti vel futuri varietate mutatur, apud quem non est immutatio, nec momenti obumbratio: Neque enim ei intentio de cogitatione in cogitationem transit, in cuius incorporeo intuitu simul adsunt cuncta quæ nouit, quoniam temporalia mouet, nullis suis temporalibus motibus. Ibi ergo vidit bonum esse quod fecit, vbi bonum esse vidit, vt faceret, nec quia factum vidit, scientiam duplicauit, vel ex aliqua parte auxit, tanquam minoris scientiæ fuerit priusquam faceret, quod videret, qui tam perfecte non operaretur, nisi tam perfecta scientia, cui nihil ex eius operibus adderetur: Neque enim sicut hominem ita Deum cuiusquam facti sui pænitet, cuius de omnibus omnino rebus tam est fixa sententia, quam certa præscientia.

August. ad simplicianũ lib. 2. quæst. 2. per totã. Quomodo ergo pœniteat aliquid Dominum in quo est omnis præscientia: Nos verò cum hoc de Deo in diuinis Scripturis addimus, indignum arbitramur hoc de illo sentire: sed necesse est, vt aliquid dicatur, per quod

D hoc aliquo modo demonstretur: Cum vero verba omnia, quibus humana colloquia conseruntur: illius sempiterna virtus & diuinitas mirabiliter, atque incunctanter excedat, quicquid de illo humanitus dicitur, quod etiam hominibus aspernabile videatur ipsa humana admonetur infirmitas, etiam illa quæ congruenter in Scripturis sanctis de Deo dicta existimat, humanæ capacitati aptiora esse quam diuinæ sublimitati. Ac per hoc etiam ipsa esse transcendenda * est sanior intellectus; sicut ista qualicunque transcensa sunt: quis est enim hominum, cui non occurrat in Deo cuncta præsciente pœnitentiam esse non posse: Et certè tamen hæc duo verba sunt pœnitentia, & præscientia, quorum quia vnum * congruere credidimus Deo, idest præscientiam, negamus in eo esse pœnitentiam: Cum vero alius liquidiore consideratione ista pertractans, quæsierit quemadmodum vel ipsa præscientia Deo congruat, & inuenerit huius etiam verbi notionem illius ineffabili diuinitate longe latéque

* al. saniore intellectu.

* al. congruè credimus in Deo.

E superari, non * miratur vtrumque de illo propter homines dici potuisse, de quo vtrumque propter ipsum incongruè diceretur: quid est enim præscientia, nisi scientia futurorum; quid autem futurum est Deo, quia omnia tempora supergreditur: Si enim * scientia Dei res ipsas habet, non sunt ei futuræ, sed præsentes: Ac per hoc non iam præscientia, sed tantum scientia dici potest: si autem sicut in ordine temporalium creaturarum, ita & apud eum nondum sunt quæ futura sunt, sed ea præuenit sciendo: bis ergo ea sentit, vno quidem modo secundum futurorum præscientiam, altero vero secundum præsentium scientiam. Aliquid ergo temporaliter * accidit scientiæ Dei, quod absurdissimum atque falsissimum est: nec enim potest quæ ventura prænoscit, nosse cum venerint, nisi bis innotescant, & prænoscendo antequam sint, & cognoscendo cum iam sunt. Ita fit, vt quod longe à veritate seclusum est, temporaliter aliquid * accidat scientiæ Dei, cum temporalia, quæ præsciuntur, etiam præsentia sentiuntur, quæ non sentiebantur ante-

F quam fierent, sed tantummodo * præsentiebantur. Si vero etiam cum venerint quæ præsciebantur esse * ventura, nihil noui * accidet scientiæ Dei, sed manebit illa præscientia sicut erat, etiam priusquam venirent quæ præsciebantur, quomodo iam præscientia dicetur, quando non est rerum futurarum? Iam enim præsentia sunt, quæ futura cernebat, & paulo post erunt præterita: Præteritarum autem rerum, sicut præsentium nullomodo potest dici præscientia: Reditur ergo ad id, vt fiat rebus iã præsentibus scientia quæ iisdẽ rebus futuris erat præsciẽtia, & cum ea quæ præscientia erat prius, postea scientia in fiat Deo, admittit mutabilitatem & temporalis est, cùm sit Deus qui verè summéque est, nec vlla ex parte sit mutabilis, nec vllo motu nouitio temporalis. Placet igitur vt non dicamus præscientiam Dei, sed tantummodo scientiam; quæramus & hoc quomodo: non enim scientiam solemus dicere in nobis, nisi cum sensa & intellecta memoria retinemus, idest, cum meminimus aliquid sensisse nos vel intellexisse, vt id * quod volumus

G recolamus. Quod si ita in Deo est, vt possit propriè dici intelligit, & intellexit; Sentit & sensit, amittit tempus, & subripit nihilominus illa mutabilitas, quæ longe à Dei substantia remouenda est: Et tamen & scit Deus & præscit Deus ineffabili modo. Sic enim & pœnitet ineffabili modo: Cum enim scientia Dei longe distet ab humana scientia, itaut irridenda sit comparatio, vtrsque tamen scientia vocatur, & hæc quidem humana talis est, vt de illa dicat Apostolus *Etiam scientia destruetur*, quod nullo modo recte de scientia Dei dici potest. Sic & ira hominis turbida est, & non sine cruciatu animi; Ira vero Dei, de qua dicitur in Euangelio: *Sed ira Dei manet super eum*: Et Apostolus: *Reuelatur enim ira Dei de cælo super omnẽ impietatem*, illo enim tranquillitate iugiter manente in creatura subdita exercet admirabili æquitate vindictam. Misericordia quoque hominis habet nonnullam cordis miseriam: vnde etiam in latina lingua nomen accepit: nam inde est etiam quod non so-

H lum *gaudere cum gaudentibus*, sed etiam *Flere cum flentibus* hortatur Apostolus. Quis autem sano capite dixerit vllâ miseriâ tangi Deum, quem tamen vbique Scriptura * misericordem esse testatur. Ita & Zelum humanum non sine peste liuoris intelligimus: Zelantem vero Deum non ita, sed eodem verbo non eodem modo: longum est percurrere cætera, & sunt innumerabilia, quibus ostendunt multa diuina iisdem nominibus appellati, quibus humana, cum incomparabili diuersitate seiuncta sunt: nec tamen frustra eadem sunt rebus vtrisque indita vocabula; nisi quia hæc cognita, quæ in quotidiana consuetudine versantur, & experimentis vsitatioribus innotescunt nonnullam ad intelligenda illa sublimia præbent viam? Cum enim detraxero de humana scientia mutabilitatem, & transitus quosdam à cogitatione in cogitationem cum recolimus, vt cernamus animo quod in contuitu eius paulo ante non erat, atque ita de parte in partem crebris recordationibus transilimus: vnde etiam *ex parte* dicit Apostolus nostram scientiam: Cum

* al. miratur.

* al. in scientia.

* al. accedit.

* al. accedat.

* al. præsciebãtur.

* al. futura.

* al. accedit.

* al. cum.

1. Cor. 13. 9.

Ioan. 3. 36.

Rom. 1. 18.

Rom. 12. 15.

Ps. 85.

* a. multa misericordia.

Exod. 20. 5.

Ibid. 34. 14.

ergò

A 1. Cor. 1. 31.

ergo hæc cuncta detraxero, & reliquero solam viuacitatem, certæ atque inconcussæ veritatis, vna atque æterna contemplatione cuncta collustranti, imo non reliquero, non enim habet & hoc humana scientia, sed pro viribus cogitauero, insinuatur mihi vtcumque scientia Dei; quod tamen nomen ex eo quòd sciendo aliquid non latet hominem, potuit esse rei vtrique commune: quanquam & in ipsis hominibus solet discerni à sapientia scientia. Vt etiam Apostolus dicit: *Alij quidem datur per spiritum sermo sapientiæ, alij sermo scientiæ secundùm eundem spiritum:* In Deo autem nimirum non sunt hæc duo sed vnum, & in hominibus quidem hæc ita discerni probabiliter solent, vt sapientia pertineat ad intellectum æternorum, scientia verò ad ea quæ sensibus corporis experimur: sed licet alius aliam differentiam proferat, nisi tamen diuersa essent, non sic ab Apostolo distinguerentur: quod sanè si ita est, vt nomen scientiæ rebus, quas per sensum corporis experimur * deputandum sit, nulla est omnino sciẽtia Dei: non enim Deus per se ipsum ex corpore & anima constat, sicut homo: sed melius dicitur aliam esse scientiam Dei, & non eiusdem generis, cuius ista est quæ hominum dicitur: sicut etiam id ipsum quod Deus dicitur longè aliud est, quàm quemadmodum est dictum quòd *stetis in synagoga Deorum*, tamen ad non latere quoquomodo pertinet communicatio ipsa vocabuli. Sic etiam de ira hominis detraho turbulentum motum, vt remaneat vindictæ vigor: Atque ita vtcunque adsurgo in notitiam illius quæ appellatur ira Dei: Item de misericordia si auferas compassionem, cùm eius, quem miserearis, particeps tus es miseriæ, vt remaneat tranquilla bonitas subueniendi, & à miseria liberandi; insinuatur misericordiæ diuinæ qualiscunque cognitio. Zelum quoque Dei non repudiemus & aspernemur, cùm scriptum inueniamus; sed auferamus de humano zelo pallidam rabem doloris, & morbidam perturbationem animi, remaneatque illud solum iudicium, quo corruptio castitatis impunita esse non sinitur, & assurgimus, vt incipiamus aliquo modo capere zelum Dei: quapropter Cùm legimus etiam Deum dicentem, *pænitet me*, consideramus quid id esse soleat in hominibus opus pœnitendi, cum procul dubio reperitur voluntas mutandi; sed in homine cum dolore animi est; reprehendit enim in se quod temerè fecit. Auferamus ergo ista quæ de humana infirmitate atque ignorantia veniunt, & remaneat solùm velle, vt non ita sit aliquid, quemadmodum erat, sic potest aliquantulum intimari menti nostræ quâ regula intelligatur, quòd pœnitet Deum: cum enim pœnitere dicitur, vult non esse aliquid, sicut fecerat vt esset, sed tamen, vt cùm ita esset, ita esse debeat, & cùm ita esse iam non sinitur, iam non debet esse ita; perpetuo quodam, & tranquillo æquitatis iudicio, quo Deus cuncta mutabilia incommutabili voluntate disponit. Sed quoniam præscientiam & scientiam cum laude solemus in hominibus † appellare, irámque ipsam solet humanum genus in magnis potestatibus timere potiùs, quàm reprehendere, congruenter putamus talia dici de Deo: qui autem zelat, & quem aliquid pœnitet, † quamquam vel culpari solet, vel in se culpam corrigere, atque ideò cum reprehensione ista de hominibus dici, propterea mouet cùm legimus esse aliquid in Deo eiusmodi: sed illa scriptura omnibus consulens, propterea magis & ista ponit, ne illa quæ placent sic intelligantur in Deo, quomodo consueuerunt in hominibus intelligi: Per hæc enim quæ displicent, cùm ea non audeamus sic intelligere in Deo, vt inueniuntur in homine, discimus etiam illa sic quærere, quæ apta esse atque conuenientia putabamus. Nam si propterea non est illud de Deo dicendum, quia in homine displicet: Non dicamus incommutabilem Deum, quia de hominibus cum reprehensione dictum est. *Non enim est illis commutatio.* Item sunt quædam quæ in homine laudabilia sunt, in Deo autem esse non possunt, sicut pudor quæ ætatum viridiorum magnum est ornamentum, sicut timor Dei * non enim tantum in veteribus libris laudatur, sed Apostolus etiam dicit, *Perficientes sanctificationem in timore Dei*, qui vtiq; nullus in Deo est. Sicut ergo quædam laudabilia hominum non rectè dicuntur in Deo: Sic quædam culpabilia hominum rectè intelliguntur in Deo, non ita vt in hominibus, sed vocabulis tantummodo communibus longè alia ratione & modo: Nam paulò post idem Samuel, cui dixerat Dominus *pænitet me quod constituerim Regem Saul*, Ipsi Saöli ait de Deo, *quoniam non est sicut homo, vt pæniteat eum.* Vbi videlicet satis ostendit etiam cùm dicit Deus *pænitet me*, non humano more accipiendum esse, sicut iam quantum valuimus disputauimus.

Margin, left column: 1. Cor. 12. 8. — * al. deputatũ — B — Psal. 81. 1. — C — 1. Reg. 15. 11. — † al. dicere — † al. quoniam — D — Ps. 54. 20. — † al. non est sanctũ in veteribus libris laudatur. — 2. Cor. 7. 1.

Margin, right column: E — 1. Reg. 15. 11. v. 29.

† Audi etiam qualiter idem subtilissimus disputator præscientiam Dei à natura discernat in sermone de verbis Apostoli: *Si enim data esset lex quæ posset viuificare, omninò ex lege esset iustitia.* Augustinus: [Eliguntur qui non sunt, nec errat qui eligit, nec vanè eligit; eligit tamen, & habet electos, quos creaturus est eligendos, habet autem apud se ipsum, non in natura, sua sed in præscientia sua. † Idem in lib. 14. de ciuit. Dei, Augustin. Sed quia Deus cuncta præsciuit, & ideò quoque hominem peccaturum ignorare non potuit, secundùm id, quod quod præsciuit atque disposuit ciuitatem sanctam, eam debemus asserere, non secundùm illud, quod in nostra † cogitatione peruenire non potuit, quia in Dei † dispensatione non fuit: neque enim homo peccato suo diuinum potuit perturbare consilium, quasi Deum quod statuerat mutare compulerit: Cùm Deum præsciendo vtrumque præuenerit: Id est & homo quem bonum ipse creauit, quàm malus esset futurus, & quid boni etiam sic de illo esset ipse facturus. Deus enim etsi dicitur statuta mutare (Vnde tropica locutione in Scripturis sanctis etiam pœnituisse legitur Deum.) Iuxta id dicitur, quod homo sperauerat, vel naturalium causarum ordo gestabat, non iuxta id, quod se omnipotens facturum esse præscierat. *Fecit* itaque *Deus* (sicut scriptum est) *hominem rectum*, ac per hoc voluntatis bonæ; non enim rectus esset bonam non habens voluntatem: bona igitur voluntas opus est Dei; cum ea quippe ab illo factus est homo: mala verò voluntas prima, quoniam omnia opera mala præcessit in homine, defectus potiùs fuit quidam ab opere Dei ad sua opera, quàm opus vllum. Et ideò mala opera quia secundùm se, non secundùm Deum, vt eorum operum tanquam fructuum malorum voluntas ipsa esset velut arbor mala, aut ipse homo in quantum malæ voluntatis. Porrò mala voluntas quamuis non sit secundùm naturam, sed contra naturam, quia vitium est, tamen eius naturæ est cuius est vitium, quod nisi in natura non potest esse, sed in ea quam creauit ex nihilo, non quam genuit creator de † se in se ipso: Sicut genuit verbum, per quod facta sunt omnia, quia etsi de terræ puluere Deus finxit hominem, eadem terra † hominísque terrena materies omninò de nihilo est: animámque de nihilo factam dedit corpori, cùm factus est homo: vsque adeò autem mala vincuntur à bonis, vt quamuis sinantur esse ad demonstrandum quàm possit & * ipsis bene vti iustitia prouidentissima Creatoris; bona tamen sine malis esse possunt, sicut Deus ipse verus & summus, sicut omnis super istum caliginosum aërem cœlestis inuisibilis visibilísque creatura, mala verò sine bonis esse non possunt; quoniam naturæ in quibus sunt, in quantum naturæ sunt vtique bonæ sunt, detrahitur porrò malum non aliqua natura, quæ accesserat, vel vlla eius parte sublata, sed ea quæ vitiata ac deprauata fuerat, sanata atque correcta. Arbitrium igitur voluntatis tunc est verè liberum, cùm vitiis peccatísque non seruit: Tale datum est à Deo, quod amissum proprio vitio, nisi à quo dari potuit, reddi non potest. Vnde veritas dicit: *Si vos filius liberauerit, tunc verè liberi eritis*, id ipsum est autem ac si diceret, si vos filius saluos fecerit, tunc verè salui eritis. Inde quippe liberator vnde saluator.

Margin, right column: Prud. — Gal. 3. 21. — Aug. de verbis Apostoli serm. 11. — F — August. de Ciuit. Dei lib. 14. c. 11. — † al. cognitione — † al. dispositione — 1. Reg. 15. 11. — Eccl. 7. 30. — G — † al. semetipso — † al. omnisque — * al. ipso bene vti iustitia prouidentissima creatori. — H — Ioan. 8. 36.

† Sed quia cum Cicerone & Stoicis Dei præscientiam conatis euertere, audi quid de eo vel contra eum aduersus Mathematicos agentem sanctus Augustinus in libro de ciuitate Dei quinto Christiana veritate disputa-

Prud.

sit.

A Auguſt. de Ciuit. Dei lib. 5. cap. 9. tit: Auguſtinus: [Hos, inquiens, Cicero ita redarguere nititur, vt non exiſtimet aliquid ſe aduerſus eos valere, niſi auferat diuinationem, quam ſic conatur auferre, vt neget eſſe ſcientiam futurorum, eamque omnibus viribus nullam eſſe omnino contendat, vel in homine, vel in Deo, nullamque rerum prædictionem: ita & Dei præſcientiam negat, & omnem Prophetiam luce clariorem conatur euertere vanis argumentationibus, & opponendo ſibi quædam oracula, quæ facilè poſſunt refelli, quæ tamen nec ipſe conuincit. In his autem Mathematicorum coniecturis refutandis eius regnat oratio; quià verè tales ſunt, vt ſe ipſæ deſtruant & refellant. Multo ſunt autem tolerabiliores, qui vel ſydera fata conſtituunt, quàm iſte qui tollit præſcientiam futurorum: Nam & confiteri eſſe Deum, & negare eſſe præſcium futurorum, apertiſſima inſania eſt; quod & & ipſe cum videret etiam illud tentauit aſſerere, quod

Pſ. 14. 1. B ſcriptum eſt: *Dixit inſipiens in corde ſuo non eſt Deus*: Sed non ex ſua perſona: Vidit enim quam eſſet inuidioſum & moleſtum: ideóque Cottam fecit diſputantem de hac re aduerſus Stoicos in libris de Deorum natura, & pro Lucilio Balbo, cui Stoicorum partes defendendas dedit, maluit ferre ſententiam, quàm pro Cotta, qui nullam diuinam naturam eſſe contendit: In libris vero de diuinatione ex ſe ipſo apertiſſimè oppugnat præſcientiam futurorum: Hoc autem totum facere videtur, ne fatum eſſe conſentiat, & perdat liberam voluntatem, putat enim conceſſa ſcientia futurorum ita eſſe conſequens fatum, vt negari omnino non poſſit. Sed quoquomodo ſe habeant tortuoſiſſimæ concertationes, & diſputationes Philoſophorum, nos vt confitemur ſummum & verum Deum, ita voluntatem ſummamque poteſtatem, ac præſcientiam eius confitemur: Nec timemus, ne ideo non voluntate faciamus, quod voluntate facimus, quia id nos facturos ille præſciuit, cuius præſcientia falli non poteſt; quod Cicero timuit, vt oppugnaret præſcientiam, & Stoici vt non omnia ne-

C ceſſitate fierent dicerent: quamquam omnia fato fieri contenderent. Quid eſt ergo quod Cicero timuit in præſcientia futurorum, vt eam labefactare diſputatione deteſtabili niteretur: Videlicet quia ſi præſcita ſunt omnia futura, hoc ordine venient, quo futura eſſe præſcita ſunt, & ſi hoc ordine venient, certus eſt ordo rerum præſcienti Deo, & ſi certus eſt ordo rerũ, certus eſt ordo cauſarum: non enim fieri aliquid poteſt, quod non aliqua efficiens cauſa præceſſerit: Si autem certus eſt ordo cauſarum, quo fit omne quod fit: Fato, inquit, fiunt omnia quæ fiunt, quod ſi ita eſt, nihil eſt in noſtra poteſtate, nullumque eſt arbitrium voluntatis, quod ſi concedimus (inquit) omnis humana vita ſubuertitur, fruſtra leges dantur, fruſtra obiurgationes, laudes, vituperationes; exhortationes adhibentur, neque vlla iuſtitia bonis præmia, & malis ſupplicia conſtituta ſunt. Hæc ergo ne conſequantur indigna & abſurda & pernicioſa rebus humanis, non vult eſſe præſcientiam futurorum atque in has anguſtias Cicero coarctat animum religioſum,

D vt vnum eligat è duobus, aut eſſe aliquid in noſtra voluntate, aut eſſe præſcientiam futurorum: quoniam vtrumque arbitratur eſſe non poſſe; ſed ſi alterum confirmabitur, alterum tolli: Si elegerimus præſcientiam futurorum, tolli voluntatis arbitrium, Si elegerimus volũtatis arbitrium, tolli præſcientiam futurorum. Ipſe itaque vt vir magnus & doctus, & vitæ humanæ plurimum

* al. elegit. ac peritiſſime conſulens ex his duobus * eligit liberum voluntatis arbitrium, quod vt confirmaretur, negauit præſcientiam futurorum; atque ita dum vult facere liberos, fecit ſacrilegos. Religioſus autem animus vtrumque eligit; vtrumque confitetur, & fide pietatis vtrumque confirmat. Quomodo inquit, nam ſi eſt præſcientia futurorum, ſequentur illa omnia quæ connexa ſunt, donec eò perueniatur, vt nihil ſit in noſtra voluntate: Porro ſi eſt aliquid in noſtra voluntate eiſdem recurſis gradibus eò peruenitur, vt non ſit præſcientia futurorum: Nam per illa omnia ſic recurritur; Si eſt voluntatis arbitrium, non omnia fato fiunt, ſi non omnia fato fiunt, non eſt omnium certus ordo cauſarum, ſi certus cauſarum ordo

E non eſt, nec eorum certus eſt ordo præſcienti Deo, quæ fieri non poſſunt, niſi præcedentibus & efficientibus cauſis: Si rerum ordo præſcienti Deo certus non eſt, non omnia ſic veniunt, vt ea ventura præſciuit: Porro ſi non omnia ſic veniunt, vt ab illo ventura præſcita ſunt, non eſt (inquit) in Deo præſcientia omnium futurorum. Nos aduerſus iſtos ſacrilegos auſus atque impios, & Deum dicimus omnia ſcire antequam fiant, & voluntate nos facere quicquid à nobis non niſi volentibus fieri ſentimus, & nouimus. Omnia vero fato fieri non dicimus: Immò nulla fieri fato dicimus: Quoniam fati nomen vbi ſolet à loquentibus poni, id eſt in conſtitutione ſyderum, quâ quiſque conceptus aut natus eſt, quoniam res ipſa inaniter aſſeritur, nihil valere monſtramus: Ordinem autem cauſarum, vbi voluntas Dei plurimum poteſt, neque negamus, neque fati vocabulo nuncupamus: Niſi forte, vt fatum à fando dictum intelligamus, id eſt,

F à loquendo: non enim abnuere poſſumus eſſe ſcriptum

Pſ. 41. 11. 13. d. v. 16. in literis ſanctis: *Semel locutus eſt Deus, duo hæc audiui quoniam poteſtas Dei eſt; & tibi Domine miſericordia*

* al. quia tu reddes. ** qui reddes vnicuique ſecundum opera eius.*] Quod enim dictum eſt, *ſemel locutus eſt*, intelligitur immobiliter; hoc eſt incommutabiliter eſt locutus, ſicut nouit incommutabiliter omnia quæ futura ſunt, & quæ ipſe facturus eſt: Hac itaque ratione poſſemus à fando fatum appellare, niſi hoc nomen iam in alia re ſoleret intelligi, quo corda hominum nolumus inclinari: Non eſt autem conſequens, vt ſi Deo certus eſt omnis ordo cauſarum, ideo nihil ſit in noſtræ volũtatis arbitrio: Et ipſe quippe noſtræ voluntates in cauſarum ordine ſunt, qui certus eſt Deo, eiuſque præſcientia continetur, quoniam & humanæ voluntates humanorum operum cauſæ ſunt: Atque ita qui omnes rerum cauſas præſciuit, profecto in eis cauſis etiam noſtras voluntates ignorare non potuit, quas noſtrorum operum cauſas eſſe præſciuit. Nam & illud quod idem Cicero concedit, nihil fieri, ſi cauſa efficiens non præcedat, ſatis eſt ad eum in hac quæſtione redar-

G guendum: Quid enim eum adiuuat quod dicit, nihil quidem fieri ſine cauſa, ſed non omnem cauſam eſſe fatalem quia eſt cauſa fortuita, eſt naturalis, eſt voluntaria; Sufficit quia omne quod fit, non niſi cauſa præcedente fieri confitetur: Nos enim eas cauſas, quæ dicuntur fortuitæ, vnde etiam fortuna nomen accepit, non eſſe dicimus nullas, ſed latentes: Eaſque tribuimus vel Dei veri, vel quorumlibet ſpirituum voluntati, ipſaſque naturales nequaquam ab illius voluntate ſeiungimus, qui eſt auctor omnis conditórque naturæ. Iam vero cauſæ voluntariæ aut Dei ſunt, aut Angelorum, aut hominum, aut quorúmque animalium, ſi tamen voluntates appellandæ ſunt * animarum rationis expertium motus illi,

* al. animalium. quibus aliqua faciunt ſecundum naturam ſuam, cùm quid boni maliue vel appetunt, vel euitant: Angelorum autem voluntates dico ſeù bonorum, quos Angelos Dei dicimus, ſeù malorum quos Angelos Diaboli vel etiam Dæmones appellamus, ſic & homi-

H num bonorum ſcilicet & malorum. Ac per hoc colligitur non eſſe cauſas efficientes omnium quæ fiunt, niſi voluntarias illius naturæ ſcilicet quæ ſpiritus vitæ eſt; Nam & aër iſte ſeù ventus dicitur ſpiritus, ſed quoniam

Eſdr. 2. 6. corpus eſt, non eſt ſpiritus vitæ. Spiritus ergo vitæ qui viuificat omnia, creatorque eſt omnis corporis, & omnia creati ſpiritus, ipſe eſt Deus, ſpiritus vtique non creatus in eius voluntate ſumma poteſtas eſt, *

* al. quo. quæ creatorum ſpirituum bonas voluntates adiuuat, malas iudicat, omnes ordinat, & quibuſdam tribuit poteſtatem, quibuſdam non tribuit. Sicut enim omnium naturarum creator eſt, ita omnium poteſtatum dator non voluntatum; Malæ quippè voluntates ab illo non ſunt, quoniam contra naturam ſunt: quæ ab illo eſt. Corpora igitur magis ſubiacent voluntatibus, quædam noſtris, id eſt omnium animantium mortalium, & magis hominum, quam beſtiarum; quædam vero Angelorum: Sed omnia maximè Dei voluntati ſubdita ſunt: Cui etiam voluntates omnes ſubiiciuntur

A ciuntur, quia non habent potestatem, nisi quam ille concedit. Causa itaque rerum, quæ facit nec fit, Deus est, aliæ verò causæ & faciunt & fiunt, sicut sunt omnes creati spiritus maximè rationales; Corporales autem causæ, quæ magis fiunt, quàm faciunt, non sunt inter causas efficientes annumerandæ: Quoniam hoc possunt, quod ex ipsis faciunt spirituum voluntates: Quomodo igitur ordo causarum, qui præscienti certus est Deus, id efficit, vt nihil sit in nostra voluntate, cùm in ipso causarum ordine magnum habeant locum nostræ voluntates? Contendat ergo Cicero cum eis, qui hunc causarum ordinem dicunt esse fatalem, vel potiùs ipsum fati nomine appellant, quod nos abhorremus præcipuè propter vocabulum, quod non in re vera consueuit intelligi. Quòd verò negat ordinem omnium causarum esse certissimum, & Dei præscientiæ notissimum, plus eum, quàm Stoïci detestamur: Aut enim esse Deum negat, quòd quidem inducta alterius persona in libris de Deorum na-

B tura facere molitus est) aut si esse confitetur Deum, quem negat præscium futurorum, etiam sic nihil dicit

Psal. 13.1. aliud, quàm quod ille, *Dixit insipiens in corde suo non est Deus*: Qui enim non est præscius omnium futurorum, non est vtique Deus. Quapropter & voluntatea nostræ tantùm valent, quantùm Deus eas valere voluit atque præsciuit; & ideò quicquid valent certissimè valent, & quod facturæ sunt, ipsæ omnino facturæ sunt: quia valituras atque facturas ille præsciuit, cuius præscientia falli non potest; quapropter si mihi fati nomen alicui rei adhibendum placeret, magis dicerem fatum esse infirmioris, potentioris voluntatem, qui eum habet in potestate, quàm illo causarum ordine, quem non vsitato, sed suo more Stoïci fatum appellant arbitrium nostræ voluntatis auferri

Idem c. 10. Vnde nec illa necessitas formidanda est, quam formidando Stoïci laborauerunt, causas rerum ita distinguere, vt quasdam subtraherent necessitati, quasdam subderent: atque in his quas esse sub necessitate noluerunt, posue-

C runt etiam nostras voluntates: ne videlicet non essent liberæ, si subderentur necessitati: Si enim necessitas nostra illa dicenda est, quæ non est in nostra potestate, sed etiam si nolimus efficit, quod potest, sicut est necessitas mortis, manifestum est voluntates nostras, quibus rectè vel perperam viuitur, sub tali necessitate non esse: multa enim facimus, quæ si nollemus non vtique faceremus, quo primitus pertinet ipsum velle: Nam si volumus est, si nolumus non est: Non enim vellemus, si nollemus: Si autem illa definitur esse necessitas secundùm quam dicimus, necesse esse, vt ita sit aliquid, vel ita fiat, nescio cur eam timeamus, ne nobis libertatem auferat voluntatis: neque enim & vitam Dei & præscientiam Dei sub necessitate ponimus, si dicamus necesse esse Deum semper viuere, & cuncta præscire: sicut nec potestas eius minuitur cum dicitur mori fallique non posse. Sic enim hoc non potest, vt potiùs si posset minoris esset vtique potestatis: rectè quippe omnipotens dicitur, qui tamen mori, & falli non potest: Dicitur enim om-

D nipotens faciendo quod vult, non patiendo quod non vult; quòd si ei accideret, nequaquam esset omnipotens. Vnde propterea quædam non potest, quia omnipotens est: sicut etiam cùm dicimus necesse esse, vt cùm volumus libero velimus arbitrio, & verum proculdubio dicimus, & non ideo ipsum liberum arbitrium necessitati

* al. qua adimit subiicimus, * quà adimimus libertatem. Sunt igitur nostræ voluntates, & ipsæ faciunt quicquid volendo facimus, quod non fieret si nollemus: quicquid autem aliorum hominum voluntate nolens quisque patitur, etiam

* al. tantùm sic voluntas valet, & si non illius * tamen hominis voluntas, sed potestas Dei est: Nam si voluntas tantùm esset nec posset quod vellet, potentiore voluntate impediretur, nec sic tamen voluntas, nisi voluntas esset, nec alterius, sed eius esset, qui vellet, etsi non posset implere quod vellet. Vnde quicquid præter suam voluntatem

al. retribuere. patitur homo non debet * tribuere humanis vel Angelicis, vel cuiusquam creati spiritus voluntatibus, sed eius potiùs, qui dat potestatem volentibus. Non ergo pro-

E pterea nihil est in nostra voluntate, quia Deus præsciuit quid futurum esset in nostra voluntate: non enim qui hoc præsciuit, nihil præsciuit: Porrò si ille qui præsciuit, quid futurum esset in nostra voluntate, non vtique nihil, sed aliquid præsciuit, profectò & illo præsciente est aliquid in nostra voluntate. Quocirca nullomodo cogimur, aut retenta præscientia Dei tollere voluntatis arbitrium, aut retento voluntatis arbitrio Deum, quod nefas est, negare præscium futurorum: Sed vtrumque amplectimur, vtrumque fideliter & veraciter confitemur: Illud vt benè credamus, hoc vt benè viuamus: malè autem viuitur si de Deo benè creditur. Vnde absit à nobis eius negare præscientiam vt liberi esse velimus, quo adiuuante sumus liberi, vel erimus; proinde non frustra sunt leges, obiurgationes, exhortationes, laudes & vituperationes, quia & ipsas futuras esse præsciuit, & valent plurimum quantum eas valituras esse præsciuit, &

F preces valent ad ea impetranda, quæ se precantibus concessurum esse præsciuit, & iusta præmia bonis factis, & peccatis supplicia constituta sunt: neque enim ideò peccat homo, quia Deus illum peccaturum præsciuit, imò ideò non dubitatur ipsum peccare cùm peccat, quia ille cuius præscientia falli non potest, non fatum, non fortunam, non aliquid aliud, sed ipsum peccaturum esse præsciuit, qui si nolit * vtique non peccat: sed si peccare * al. omnino. noluerit, etiam hoc ille præsciuit.

Ibid. c. 11. Deus itaque summus & verus, cum verbo suo, & Spiritu sancto, quæ tria vnum sunt, Deus vnus omnipotens creator & factor omnis animæ atque omnis corporis, cuius sunt participatione fœlices, quicunque sunt veritate, non vanitate fœlices, qui fecit hominem rationale animal ex anima & corpore, qui eum peccantem nec impunitum esse permisit, nec sine misericordia dereliquit, qui bonis & malis essentiam etiam cum lapidibus, vitam seminalem etiam cum arboribus, vitam sensualem etiam cum pecoribus, vitam intellectualem cum solis Angelis, dedit; à quo est omnis modus, omnis species, omnis

G ordo, à quo est mensura, numerus, pondus, à quo est quicquid naturaliter est, cuiuscunque generis est, cuiuslibet æstimationis est, à quo sunt semina formarum, formæ seminum, motus seminum atque formarum, qui dedit & carni originem, pulchritudinem, valetudinem, propagationis fœcunditatem, membrorum dispositionem, salutem, concordiam, qui & animæ irrationali dedit memoriam, sensum, appetitum; rationali autem insuper mentem, intelligentiam, voluntatem, qui non solùm cœlum & terram, nec solùm Angelum & hominem, sed nec exigui & contemptibilis animantis viscera, nec auis pennulam, nec herbæ flosculum, nec arboris folium sine suarum partium conuenientia, & quadam veluti pace dereliquit, nullomodo est credendus regna hominum, eorúmque omnium dominationes & seruitutes à suæ prouidentiæ legibus alienas esse voluisse.]

† Idem in homilia 53. in Euangelium Ioannis.

Idem in Euang. Ioan. homil 53. Augustinus: *Cùm autem tanta signa fecisset coram eis non crediderunt in eum, vt sermo Isaiæ Prophetæ impleretur, quem dixit: Domine quis credidit auditui nostro, &*

H *brachium Domini cui reuelatum est?* Vbi satis ostendit

Ioan. 12. 37. Isa. 53. 1. *brachium Domini*, ipsum Dei Filium nuncupatum, &c. Quidam ergo inter se mussitant, & vbi possunt aliquando proclamant, & turbulenta disceptatione contendunt dicentes: quid fecerunt Iudæi, vel quæ culpa eorum fuit, si necesse erat, vt sermo Isaiæ Prophetæ impleretur? quibus respondemus Deum præscium futurorum per Prophetam prædixisse infidelitatem Iudæorum, prædixisse tamen non fecisse: non enim propterea quemquam Deus ad peccatum cogit, quia futura hominum peccata iam nouit? Fecerunt ergo peccatum Iudæi, quod eos facere non compulit, cui peccatum non placet, sed facturos esse prædixit, quem nihil latet. Et ideò si non malum, sed bonum facere voluissent, non prohiberentur, & hoc facturi præuiderentur ab eo, qui nouit quid sit quisque facturus, & quid ei sit pro eius opere redditurus. † Quibus enucleatissimis beati Patris sententiis penè omnes superiùs comprehensi sententia- Prud.

rum

A

rum tuarum fœtores exhausti sunt. Verum non ab re esse duximus, si adhuc eiusdem partis dicta ad medium producamus, qualiter de pœnis à Deo retributis atque retribuendis senserit ex libro videlicet eius contra aduersarium legis & Prophetarum.

August. contra aduers. leg. & Proph. lib. 1. cap. 15. Gen. 2. 9. Gen. 3. 22. & 23. Prou. 3. 18.

Augustinus. [Porro autem cui displicet peccator prohibitus à ligno vitæ, quid nisi impune vult male viuere, nec magnum erat Deo & alio quolibet modo vitam subtrahere homini, quem viuere noluisset, sed quoniam rationales animæ de sapientia viuunt, quarum mors est insipientia, huius rei significandæ gratia *lignum vitæ* in paradiso fructu suo mori hominem nec corpore fineret. Quod ergo inde separatus traditus est morti consumendus ætate, quod nequaquam illi accidisset, si semper eodem cibo frueretur significatum est quod prius ab spiritali vitæ ligno propter peccatum anima eius exclusa est, & ita quadam sua interiore morte iam mortua: Nam de sapientia scriptum est. *Lignum vitæ est amplectentibus eam.* Quod iste non intelligens ait: Quatenus ergo ante maledictum immortalis homo perpetuo viuere poterat, qui nondum ex ista arbore cibum sumpserat, quasi aliquis ei dixerit, aut in illo libro alicubi legerit, Quod nondum Adam sumpserat ex cibo arboris vitæ, quin potius intelligendus est, quoniam inde illi vita in corpore perpetua suppetebat, ne vetustate consumeretur ætatis: Ad hoc inde prohibitus, vt ex peccati pœna iam illi esset necessitas mortis: quomodo, inquit, ex Dei maledicto mori cœperit, cum vita ipsa nunquam ex ipso initium sumpserit, quasi optauerit ei Deus mortem, sicut homo homini, ac non Dei verba ad sententiam pertineant punientis, non ad iram maledicentis: punire autem morte corporali, fuit à vitæ arbore separare, cum iam fuisset spiritaliter mortuus, animo vtique separatus ab alimento sapientiæ: Deus itaque quid ei contigisset in animo significare voluit, separando eum à ligno vitæ, quo significabatur sapientia, sed ista (inquit) arbor, quæ in paradiso vitæ fructus ferebat, cui proderat? Cui? nisi prius illis primis hominibus masculo & fœminæ, qui prius in paradiso fuerant constituti. Deinde istis de paradiso pro merito suæ iniquitatis eiectis mansit ad memoriam significandæ spiritalis arboris vitæ, quod est vt diximus, ipsa sapientia, beatarum cibus immutabilis animarum. Verum autem illo cibo nunc vescatur aliquis, nisi forte Enoch & Helias non temere asseuerandum puto: ligno tamen illo, vitæ, quod est in spirituali paradiso, nisi alerentur animæ beatorum, non pro munere pietatis & fidelissimæ confessionis latronis animæ credentis in Christum legeremus paradisum eodem Dei fuisse concessum: *Amen*, inquit, *Dico tibi, hodie mecum eris in Paradiso:* Esse autem ibi cum Christo, hoc est esse cum vitæ ligno: Ipse est quippe sapientia, de qua vt superius commemoraui scriptum est, *lignum vitæ est amplectentibus, eam.* Nunquid nam & hoc refellendum est, quod velut acute, vt sibi videtur: irridet primo Deum non præscisse quod contigit deinde implere non valuisse quod magnopere cogitauit, tertio ad maledictum se conuertisse superatum. Vnde scit Deum non præscisse quod contigit: an quia contigit? quinimo si non contigisset; nullomodo id præsciisset futurum, quia non erat futurum, aut si putat propterea non præscisse, quia si præscisset, ne contingeret * prouidisset, potest hoc & de Christo dicere, qui talentum dedit homini nihil acquisituro, quod propterea vtique dederat vt eius augeretur pecunia, quicquid est quod illa significat. Ergo quia contigit vt ille sua pigritia nihil acquireret, hoc non præsciuit ille qui dedit? Dicere etiam potest non implesse de hoc lucro Christum, quod magnopere cogitauit: potest & illud tertium ad maledictum se conuertisse superatum quoniam dixit: *Ligate illi manus & pedes, & proiicite eum in tenebras exteriores*, sicut de Adam dictum est, vt à ligno vitæ separatus morte etiam corporis plecteretur: huic enim homini deserto * deficientis maledictum videtur impotentis

B

C

Luc. 23. 43. Prou. 3. 18. Cap. 16.

D

* al. prouidisset. Matth. 25. 24. ... Matth. 25. ... 25. 9. ... & 23. * al. defunctis.

E

imperium. Dicat ergo impotentem Christum, quoniam de acquirenda spiritali pecunia non potuit quod cupiebat efficere; Dicat æmulum ac malitiosum, quod seruo suo inuiderit lucem ac salutem, quem proiici iussit *in tenebras, vbi esset fletus & stridor dentium.* Si autem de Christo ista non dicit, ne hoc modo se iudicet non esse Christianum: Cur audet dicere de hominis conditore, & peccati merito damnatore quod non audet dicere de hominis redemptore? Et si eius præcepta contempserit, pœna æternæ mortis plectetur vltore eodem ipso scilicet. Nam in quem alium nisi in Christum hæc maledicta nesciens iste iaculatur? Quandoquidem ille ait: *Si crederetis Moysi, crederetis & mihi: De me enim ille scripsit.* Quid enim pater sine filio, vel tunc fecit vel vnquam facit. Si ergo salubriter non solum bonitatem, verum etiam seueritatem Dei Sancta Scriptura commendat, quoniam & amatur Deus vtiliter, & timetur: vnde Apostolus eodem loco vtrumque commemorat dicens: *Vides ergo bonitatem & seueritatem Dei*, quid est quod iste insanus & præceps, cum Christianum esse se iactet, & hoc reprehendit in Deo Prophetarum, quod in Deo inuenit Apostolorum: quoniam idem Deus est & illorum & istorum, quod autem de isto commemoraui, quem pigrum *seruum misit in tenebras exteriores*, seueritas est Dei, vbi nec futurorum improuidus dicitur, quia tali pecuniam suam credidit; nec impotens, quem vt bene ageret, non ipse rexit, ipse correxit: nec æmulus ac malitiosus quod à luce separatum in tenebras misit, hoc de omnibus pœnis hominum, quæ leguntur in Propheticis libris inflictæ fuisse peccantibus, debet fidelis lector aduertere. Hoc ergo etiam *de diluuio.* Neque enim Dominus IESVS non tale aliquid futurum in suo prænuntiauit aduentu, quando ait: *Sicut in diebus Noe manducabant, & bibebant, nouellabant, ædificabant, nubebant, vxores ducebant, venit diluuium & perdidit omnes. Sic erit & aduentus filij hominis.* Hoc & de *obduratione cordis Pharaonis:* Neque enim noui testamenti literæ non dicunt de quibusdam: *Tradidit illos Deus in reprobam mentem, vt faciant quæ non conueniunt.* Hoc de *spiritu mendaci*, quem Deus, qui bene vtitur etiam malis, iustissimo iudicio ad impium regem decipiendum misit. Sicut Michæas Propheta sibi in visione Prophetica demonstratum esse testatur: neque enim dubitauit tale aliquid dicere Apostolus Paulus, cum se sciret verissime dicere vbi ait: *mittet illis Deus operationem erroris, vt credant mendacio, & iudicentur omnes, qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati.* Hoc de facto per Moysen, cui Deus dixit. *Accipe omnes duces populi & victima illos Domino contra solem*, hoc est in manifesto per diem. Vel quod factum idolum Moyses ita vindicauit, vt nec proximo suo quisque parceret ferro permens impios: Neque enim & Dominus IESVS non dixit: *Eos autem qui noluerunt me regnare sibi adducite, interficite coram me:* Vbi profecto quia mortem significat animarum, magis est vtique illa fidelibus horrenda & metuenda, quam corporum. Vnde idem Dominus dicit: *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere. Sed potius eum timete, qui potest & animam, & corpus perdere in Gehennam.* Huius generis mortes, per quas animæ mittuntur in Gehennam, si quis fideli mente (vt dignum est) cogitauerit, valde viliter æstimabit quamlibet ingentissimam stragem, & sanguinis fluuios mortalium corporum, & quomodocunque quandocunque moriturum, quas cædes iste exagerans & scholastica vanitate describens, ad blasphemandum Deum qui talibus mortibus eos, quibus huiusmodi terror vtilis fuerat, flagellabat; horrorem incutit mortalibus sensibus, & aliquid se agere putat calces aduersus stimulum iaciendo, vt cum de morte carnis accusat Dei prouidentiam in morte cordis * intratur in gehennam. Quis autem vtriuslibet sexus homo non mallet gladio trucidari, etiam illo modo quo trucidauit Sacerdos *Phinees* fornicatios in ipso cõplexu nefariæ volu-

Matth. 22. 13.

Ioan. 5. 46.

F Rom. 11. 22.

Matth. 25. 24.

Luc. 17. 26.

G Rom. 1. 28. 3 Reg. 22. 20.

2. Thess. 2. 10.

Num. 25. 4. Exod. 32. 27. & 28. Luc. 19. 27.

H Matth. 10. 28.

* al. mittatur. Num. 25. 7. & 8. 11.

ptatis, terribile constituens aduersus execrandas libidines vltionis exemplum, propter quod maximè Deo placuit, quis (inquam) non mallet tali genere mortis interfici? Quis non postremò igne consumi, vel ferinis morsibus per ipsa pudenda laniari; quàm mitti in gehennam ignis æterni. Cur igitur Deus Christianorum peccantes talibus mortibus puniat, vt post corporis interitum transitorium, sequatur in gehennam sine fine supplium, Nisi quia testamenti vtriusque vnus est Deus? * Nam possent Iudæi dicere aduersus huius impietatem quantumlibet exageret bella, cædes, vulnera, funera, sanguinem, longè incomparabiliter Deo nostro Deum se habere mitiorem: longè scilicet mitiùs punientem † transituris mortibus corporum, quàm flammis perpetuis gehennarum. At enim propterea videtur huic Deus legis & Prophetarum, qui vnus & verus est Deus, crimine crudelitatis arguendus, quia propter leuissimas causas vel etiam erubescendas pœnam mortis vel corporalis inflixit, quòd Dauid populum numerasset, quòd infantes, sicut iste dicit, filij Heli Sacerdotis de ollis vel cacabis Deo præparatis aliquid degustassent: qua in re non disputo quantum & quàm perniciosum elationis vitium tam sancto viro, vt vellet Dei populum numerare subrepserit, eorúmque mortibus non æternis, sed iam humana conditione venturis, & celeriter transituris fuerit, flagellatus, quorum fuerat multitudine inflatus. Nec dico filios Heli non fuisse infantes, vt iste loquitur, nesciens quid loquatur, sed eius ætatis, qui possent & deberent pro sacrilego ausu, quo se Domino Deo in sacrificiis præferebant, digna coërcitione cohiberi; quod neglectum Deus non sibi consulens, sed populo cui religio, pietásque profuisset, bello etiam vindicauit, vbi Dei timorem potuerunt augere victuri, per eorum mortes qui fuerant, & si se nescirent, post non longa temporum spatia morituri. Mortibus quippe corporum legimus alios etiam mortuos propter non sua, sed aliena peccata: Vbi magis est in dolore cordis plaga viuentium, quam in resolutione carnis pœna morientium; vbi animæ de corporibus exeuntes suas causas habent vel malas vel bonas, non propterea grauatæ quia exutæ; Animarum verò morte ulius pro alio plectitur nemo. Sed hoc dico, quantum existimet iste fuisse peccatum, *Quod in conuiuio nuptiali inuentus est homo non habens vestem nuptialem:* puto si humana consideratione ista metiamur, huic aliquantulum sufficere debuit erubescere, & vt plurimum inuitantis indignatio protenderetur, vestem mutare compelli: Et tamen dictum est: *Ligate illi manus & pedes, & proijcite eum in tenebras exteriores, ibi erit fletus & stridor dentium.* * Sed quod dicitur non leuem culpam significat vestem non habuisse nuptialem, quoniam ista parua magnarum signa sunt rerum. Sic ergo & sacrificia visibilia, cùm sint in terrenis rebus exigua, magnarum, * quoniam diuinarum signa sunt rerum, in quibus filij Sacerdotis se ipsos Deo, cuius honor in sacrificiis attenditur, præferebant. Non autem ille conuiua se prætulit sponso, sed tantùm non congruit, quia * nuptiarum tunicam non habebat: veruntamen inter ipsas pœnas, quibus vtrumque vindicatum est, ille quid distet aduertit, quamque incomparabiliter ista illam vincat intelligit, qui corporalibus & temporalibus spiritalia & sempiterna præponit. Verùm quid opus est de mysticis significationibus sacrificiorum vestisque nuptialis inconuenientem carnalibus sensibus velle inculcare sermonem? Ecce quod est manifestius proferamus Euangelium legi veteri comparans Dominus, & non illud malum quod homines ante didicerunt, sed quod ipse docebat perfectius esse contestans. *Audistis* (inquit) *quia dictum est non occides. Qui autem occiderit, reus erit iudicio: Ego autem dico vobis, quicunque iratus fuerit fratri suo, reus erit iudicio; qui autem dixerit, Racha, reus erit consilio: qui autem dixerit, fatue, reus erit gehennæ ignis.* Quid tam paruum in peccatis, quam fratri dicere *fatue*, quid tam magnum in suppliciis, quam *gehennæ ignis?* Si in lege, vel Prophetis iste inuenisset aliquem, quoniam dixisset fratri suo, *fatue*, lapidare iussum fuisse diuinitus, quantæ Deum crudelitatis argueret? Quis non autem non dico lapidari, sed per singulos artus, imo per singula corporis frusta paulatim atque minutatim viuens & sentiens dilaniati, consumique maluisset, quàm gehennæ ignibus nuncupari? Absit tamen, vt crudeliorem quisquam dicat Euangelij, quàm legis Deum, intelligens vtriusque esse vnum & eundem Deum: In lege terrentem carnalibus, in Euangelio spiritalibus pœnis, & ibi & hîc fidelem, nusquam crudelem. Quid illud? nonne si à Christo linguam reperiret alienam, in eúmque blasphemam &(qualis est huius) impia garrulitate damnabilem acerbius & amarius exagitaretur, quàm quòd iste de obsonio sacrificij prægustato, corporalem temporalémque pœnam, sacrilegio sic indignatur ingestam, vbi venturum se Dominus & ad sinistram positis gentibus minatur esse dicturum: *Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo & Angelis eius.* Huius tanti supplicij * quæro causam. *Esuriui*, inquit, *& non dedistis mihi manducare*, Ecce pro esca temporali, non ablata sed non data æternum & horrendum supplicium comminatur, & rectè si consulas veritatem. Perparum est enim quod in eleemosynis datur: sed cùm piè datur, æternum inde meritum comparatur; & ideò potiùs, quia parum est quod datur, magna impietate non datur. Vnde non mirum est, quòd tantæ sterilitati velut infructuosarum arborum ignis æterni supplicium præparatur: si autem consulas hominem, vt de suo respondeat † *Vbi omnis homo mendax*, contemnit culpam & exagerat pœnam, illam quippe non videt mente carnali, hanc exhorret carne mortali. Talis est iste in omnium hominum qui puniuntur vel corripiuntur in veteri Testamento longè mitioribus, quàm leguntur in Euangelio corporalibus pœnis: quod enim diluuium comparari æternis ignibus potest? quæ cædes? quæ vulnera? quæ corporum mortes cruciatibus sempiternis? viginti quatuor millia cadentium tanto buccarum strepitu inflat insanus, quasi non innumerabilia millia quotidiè moriantur toto orbe terrarum, sed transitoria ista † corporis mors est. Quis verò æstimare possit, quot millia stabunt ad sinistram ex omnibus gentibus, quæ sempiternis damnanda sunt ignibus? Eat iste & clamet ore aperto, & oculis clausis, quasi confessus sic Deus suam crudelitatem, quia dicit per Prophetam: *Exacuam sicut fulgur gladium meum, inebriabo sagittas meas sanguine, & gladius meus manducabit carnes, de sanguine vulneratorum*, de quibus verbis sic iste accusat Deum velut semper humanum sanguinem esurientem: quasi dixerit inebriabo me sanguine, & manducabo carnes de sanguine vulneratorum. Sed quantumlibet hanc vtilem Dei comminationem tanquam facinoris auidam, & vt dicit in sola crudelitate malis tantummodo gloriantem vanus & vesanus exhorreat; Quid ast quantum valet verbis comparata dicentis: *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & Angelis eius.* Ibi non sanguine inebriabuntur sagittæ, sed non satiabuntur membris omnibus flammæ, nec carnes gladius manducabit, sensum doloris citius auferens mortuis, quàm inferens vulneratis: sed nemo cruciatibus saltem moriendo subtrahitur, ne in moriente simul etiam ipsa pœna moriatur. Cur non hîc dicit colendum esse istum, an potius execrandum fugiendúmque esse dicemus? An timet de Christo ista dicere, ne ipsius ignis æterni supplicium non euadat, quo ille impios præparat mittere? Et ignorat miser hæc dicendo de Deo Prophetarum, de ipso se dicere, cuius tam tremendam seueritatem in Euangelio formidat offendere.

Reprehendit etiam quòd pœnas impiorum significatas. *Per vuam fellis & botrum amaritudinis & furorem draconum atque aspidum collectas dicit esse Deus apud se, & signatas in thesauris suis reddendas in tempore, cùm lapsus fuerit pes eorum.* Ignorans thesauros hîc appellatos occultas dispositiones Dei qui disponit, *reddere vnicuique secundùm opera eius.* Vnde Apostolus dicit: *Tu autem secundùm duritiam cordis tui & cor impœnitens*

B
Matth. 25. 41. 42.
F
* al. quæro
† al. vbi
Num. 25. 9.
G
† al. corporum
Deut. 32. 41. & 42.
Matth. 25. 41.
H
Deut. 32. 32. & 33. v. 34. Ibid. 35. Rom. 2. 5. 6.

A *thesaurisas tibi iram in die iræ & reuelationis iusti iudicij Dei, qui reddet vnicuique secundùm opera eius.* Apud quẽ enim sibi thesaurisat iram cor impœnitens, nisi apud eum qui viuos est iudicaturus & mortuos? neque enim nesciunt etiam illi veteres libri thesaurum desiderabilem, de quo ibi scriptum est; *Quod requiescat in ore sapientis*: Et in Prouerbiis legitur: *Quia Deus thesaurisat diligentibus se salutem*: Et Isaias Propheta dicit: *In thesauris est salus nostra, ibi sapientia & disciplina & pietas ad Dominum.* Hi sunt thesauri iustitiæ, sed vaniloqui & mentis seductores aduersantes litteris sacris, quas intelligere nolunt: eligunt ex eis aspera quæ ibi leguntur, ad commendandam seueritatem Dei, & de litteris Euangelicis atque Apostolicis leuia, quæ ibi leguntur ad commendandam bonitatem Dei, & apud homines imperitos hinc ingerunt horrorem, inde quærunt fauorem, quasi difficile sit, vt quisquam similiter blasphemus, atque impius eo modo aduersetur nouo testamento, quo iste veteri, carpens de veteri quibus ibi commendatur Dei

B bonitas, & è contrario de nouo; quibus ibi commendatur Dei seueritas; Et clamet inuidiosos atque venenosus: Ecce qui Deus colendus est *Misericors & miserator longanimis & multa misericordiæ: qui non in finem irascetur, nec in æternum indignabitur, qui non secundum peccata nostra facit nobis, neque secundum iniquitates nostras retribuit nobis: sed quantum distat oriens ab occidente longe* * *facit à nobis peccata nostra, qui sicut miseratur pater filios, sic miseretur timentes se: qui dicit nolo mortem* * *impij,* * *quantum vt reuertatur & viuat.* Non ille qui propter lucrorum auaritiam etiam eum seruum qui non perdidit talentum quod acceperat: sed tantum quia non amplius acquisiuit. *Ligatis manibus & pedibus* * *proiecturus sit in tenebras exteriores, vbi esset ei fletus & stridor dentium,* & qui hominem *non habentem vestem nuptialem* de conuiuio suo tollit & similiter alligatum simili supplicio punit, & qui venientibus ad se & pulsantibus & dicentibus: *Domine aperi nobis,* respondet;

C *Non vos noui,* tantum quia oleum secum quod infunderent suis lampadibus, non tulerunt, & qui propter vnum contumeliosum verbum mittit in gehennam, & qui pro temporali cibo, non accepto igne damnat æterno, hæc atque huiusmodi si quis vesana mente sacrilegus inde lenia, hinc aspera colligat, ac sic homines vtrarumque litterarum imperitos à Christo tanquam sæuo & crudeli conetur auertere, & ad Deum Prophetarum misericordem mitémque conuertere, nonne & huic ipsi qui hoc facit, veteri testaméto, quod ab homine similiter sacrilego posset fieri nouo, impurus atque impius apparebit? qui autem recte colit Deum, & profecto vtriusque testamenti inuenit vnum Deum, & eiusdem vnius Dei in vtroque diligit bonitatem, in vtroque metuit seueritatem, in illo intelligens promissum Christum, in isto accipiens redditum Christum. Nonne ibi prius in illis veteribus libris lectum est *non reddendum malum pro malo,* vbi præcipitur, vt si iumentum inimici sui errare quisque inuenerit, reuocet Domino eius, & si ceciddisset in via, nõ pertranseat, sed leuet cum illo? nonne ibi prius scriptũ est,

D quod Apostolus ponit, *Si esurit inimicus tuus, ciba illum, si sitit, potum da illi?* nonne ibi priùs homo Dei Deo suo quod ei vtique sciret placere dicit: *Domine Deus meus si feci istud, si est iniquitas in manibus meis, si reddidi retribuentibus mihi mala?* nonne ibi prius Hieremias Propheta describit sancti patientiam præbentis percutienti se maxillam? nonne ibi priùs per alium Prophetam præcipitur, vt malitiæ vnusquisque fratris sui non reminiscatur? quid est ergo quod iste blasphemus, hæc tanquam contraria veteri testamento de nouo colligit, aut vtrasque literas nesciens, aut vt decipiat imperitos se * scire dissimulans? A quo tamen, si quæratur, virum non reddat malum pro malo, qui pro cibo non accepto in ignem mittit æternum; profecto turbabitur, & admonebitur incomparabiliter esse mitius *oculum pro oculo, dentem pro dente* homini auferre, vbi mensura vindictæ modum non transit iniuriæ, quam quod propter exhibitam humanitatem tantam * reprehendere seueritatem, vbi transitoria est

E culpa, & finem non habet pœna: atque ita discet si pertinax non est, in vtroque Dei vnius testamento, & amandã bonitatem, & timendam seueritatem; Quamuis enim in vetere testamento propter temporalium bonorum promissionem, malorumque comminationem seruos pariat temporalis Hierusalem: In nouo autem, vbi fides impetrat charitatem, qua lex possit impleri non magis timore pœnæ, quam * delectatione iustitiæ liberos pariat æterna Hierusalem: tamen & illis temporibus fuerint iusti spiritales, quos non occidebat litera iubens, sed viuificabat spiritus iuuans: vnde & fides venturi Christi habitabat vtique in Prophetis venturum pronuntiantibus Christum, & nunc sunt plurimi carnales, qui vel hæreses faciunt, non intelligendo Scripturas, vel in ipsa Catholica, aut adhuc paruuli lacte nutriuntur, aut tanquam palea perseuerans futuris ignibus præparantur: sicut autem Deus vnus & verus, creator bonorum est, & temporalium &

F æternorum: Ita idem ipse auctor est amborum testamentorum, quia & nouum in vetere est figuratum, & vetus in nouo est reuelatum. Ignoscendi autem misericors mansuetudo, propter quam dictum est, *Non solum septies, sed etiam septuagies septies fratri remittenda esse peccata*: non ad hoc valet, vt sit iniquitas impunita, aut torpens & dormiens disciplina, quod potius obsit, quam diligens vigilansque vindicta: Claues quippe regni Cœlorum sic dedit Christus Ecclesiæ, vt non solum diceret: *Quæ solueritis super terram, soluta erunt & in cælis:* Vbi apertissimè bonum, non malum pro malo reddit Ecclesia: Verum & adiungeret, *Quæ ligaueritis in terra, erunt ligata & in cælo,* quia bona est, & vindicandi iustitia: illud enim quod ait: *Si nec Ecclesiam audierit, sit tibi tanquam Ethnicus & Publicanus,* grauius est quam si gladio feriretur, si flammis absumeretur, si feris * subrigeretur. Nam ibi quoque subiunxit: *Amen dico vobis, quæ ligaueritis in terra erunt ligata & in cælis.* Vt intelligeretur quàm grauius sit punitus, qui velut relictus est impunitus. Hic

G dicat iste si placet, siccine mandata saluatoris accepimus iubentis? *Nemini reddideritis malum pro malo:* Sed *si quis vos percusserit in vnam maxillam, præbete & alteram, & dimittite iniurias fratribus vestris:* Ecce ab hominibus non reddentibus malum pro malo alligatur homo amarius & infœlicius Ecclesiæ clauibus, quam quibuslibet grauissimis & durissimis ferreis, vel adamantinis nexibus.

Margin: Prou. 21. 20. Prou. 1. 8. Isa. 33. 6. Ps. 102. 8. 9. 10. 11. 13. Ezech. 18. 23. * al. fecit. * al. peccatorum. * al. tantum vt conuertatur. * al. proiici iussit. Math. 22. 12. &c. Math. 25. 12. Math. 5. 22. &c. Exod. 23. 5. Rom. 12. 20. Prou. 25. 21. Ps. 7. 4. Thren. 3. 30. Leuit. 19. 18. * al. scit. Math. 25. 42. Exod. 21. 24. * al. reprendere. Leu. 24. 19. & 20. * al. dilectione. Matth. 18. 22. Matth. 16. 19. d. v. 19. Matth. 18. 17. * al. subiiceretur. Matth. 5. 39.

Cap. XI.

CAP. XI.

Quod diuina humanaque auctoritate comprobari possit non esse Dei Prædestinationem, nisi de his qui præparati sunt ad æternam fælicitatem.

Prud.

H

†. VNdecimo portentorum tuorum monstro ais.

Cap. 11. num. 1.

IOANNES SCOTVS.

⊖ *Quod diuina humanáque auctoritate comprobari possit non esse Dei prædestinationem, nisi de his, qui præparati sunt ad æternam fælicitatem.*

Prud.

†. In quo cum dicta replicas, tuam insaniam manifestas, ais enim.

IOANNES SCOTVS.

Cap. 11. num. 2. lect. 1.

⊖ *Aut quomodo à veritate abhorreat, si dicatur à simili præsciuit Deus omnia quæ facturus esset dicatur à contrario præsciuit, quæ facturus non esset pro nesciuit. similiter de prædestinatione intelligendum a simili prædestinauit*

A *Deus, quos preparauit ad suam gratuitam gratiam accipiendam, a contrario prædestinauit impios ad interitum vel supplicium æternum, quos tamen non prædestinauit.*

CORRECTIO.

Prud. † O ingenium venenis infectum, ô sensum errorum tenebris incomparabiliter obscuratum, nunquam quippe etiam hæreticorum quislibet ante te hunc nefarium intellectum admisit: Nullus Catholicorum saltem mente concepit, vt Deum scire pro eo quod est nescire, & prædestinare pro eo quod est non prædestinare, aut intelligerent, aut intelligendum suaderent: Nempe omnes sanctarũ Scripturarum fidelissimi & doctissimi tractatores nunquam à contrario Deum scire, vel prædestinare mala quælibet docuerunt. Sed sicut se habet veritas lectionis, ita vt sonat seposito omni obscuritatis nubilo intelligendam veraciter prædicarunt. Itaque si secundùm tuam prauitatem (quod absit) accipitur, vt scire pro nescire, & prædestinare pro non prædestinare intelligatur, quid absurdius, immo peruersius dici queat non video: omnia enim, quæcunque in diuinis, vel patrum literis similia proferuntur, eidem insaniæ subiacebunt: Videlicet vt quotiescunque legitur Deus facere, creare, scire, præscire, destinare, prædestinare, ordinare, præordinare, disponere, deputare, delegare, decernere, statuere, constituere, tradere, punire, excitare, suscitare, conuertere, damnare, condemnare, iudicare, perdere, disperdere, ducere, inducere, indurare, occidere, parare, præparare, à contrario intelligatur: Videlicet non facere, non creare, nescire, non præscire, non destinare, non prædestinare, non ordinare, non præordinare, non disponere, non deputare, non delegare, non decernere, non statuere, non constituere, non tradere, non punire, non excitare, non suscitare, non conuertere, non damnare, non condemnare, non iudicare, non perdere, non disperdere, non ducere, non inducere, non indurare, non occidere, non parare, non præparare; quod si admittitur, prorsùs omnis iudiciorum Dei veritas abrogatur.

Nam si ea quæ diximus & multa alia vbicunque de Deo dicuntur, addita negatiua particula accipiantur, sequitur, vt Deum nequaquam curare mortalia fateamur, & auferatur Dei iudicium, quod ideo constitorum Scripturæ clamitant, vt in eo de iustis & peccatoribus iudicetur, separatisque impiis à societate iustorum, sequatur vtrosque remuneratio merita, vt secundùm Domini dictum: *Eant hi in supplicium æternum, iusti autem in vitam æternam.* (Matth. 25.46.) Ergo si nescit Deus peccatores, eorũ itaque peccata, nec iudicaturus credendus est. Quicquid enim aut nunc particulariter in peccatores agit, aut ad extremum generaliter acturus creditur, teste Scriptura vero iudicio agere, acturusque sine dubio prædicatur. Porrò cum vel in diuinis eloquiis, vel in patrum literis de Deo talia referuntur, ab omnibus, ita vt sonant intellecta atque exposita inuenimus: quis verò non horreat hanc tuæ peruersitatis amentiam, vt orthodoxos tractatores sanctarum paginarum, quibus omnino studij fuit abstrusa aperire, clausa reserare, figurata explanare, obscura elucidare dicat vel ea non intellexisse, vel inuidè suppressisse: nullus sane illorum reperitur, qui iuxta tuam prauitatem ea vel intellexerit, vel tractauerit, vel docuerit: quo etenim pactu credendi sunt à contrario talia intellexisse, qui vbicunque necessarium fuit de eisdem contrariis nullatenus tacuerunt, aut quomodo in suis literis atque explanationibus figuratæ locutionis modo vterentur, qui ad hoc ipsum easdem expositiones susceperant, vt omnes figuratas locutiones apertis dictionibus expedirent.

O monstrum horrendum, ó linguam præcidendam, quæ vel ignorantiam, vel inuidiam tantis Doctoribus importare non metuit, vt qui obscura reuelare studerant, obscurioribus dictis ea implicasse credamur, præcipuéque in sermonibus ad populos, lucidissimè vel dictatis vel enuntiatis, quos apertis oportebat sermocinationibus informari, non figuratis locutionibus impediti: De qua re testes nobis sunt libri beatissimi Patris Augustini, quos de doctrina Christiana plenus veræ charitatis edidit, in quibus cuique prædicatori ita loquendum persuasit, vt postpositis totius plausibilitatis appetentus, fucóque cothurnati sermonis propulso, ita audientium auribus insertusat, vt mentibus eorum per omnia prodesse contendat, neque in 14. libris quæstionum atque locutionum (quorum sæpe meminimus) vllam huius tuæ prauitatis inuenitur fecisse mentionem, quinimo prædestinare, & deputare, sicut in omnibus penè libris suis atque sermonibus, in his quoque posuisse reperitur; Nam in libro quæstionum septimo cum exponeret septo historiam ita vtrumque, & prædestinare scilicet, & deputare sub vno eodemque intellectu posuit, vt differre nihil penitus edoceret. Augustinus, Profectò autem (inquiens) illi significantur inimici, qui ex ipsa gente perseuerantes in infidelitate prædicti sunt, aut omninò * omnes gehennæ prædestinati, *Vbi erit eis fletus & stridor dentium*, tanquam populo mœroris quamquam populus mœroris etiam diabolus & Angeli eius, non inconuenienter intelliguntur, siue quia æternam miseriam eis, quos decipiunt acquirunt, siue quia & ipsi æternæ miseriæ deputati sunt.

E — Aug. in Eptateuch. lib. 7. — F — cap. 49. — *al. penè. — Math. 25. 30.

† Huius rei testis est sanctus Antistes Fulgentius qui super hoc sermone sciscitanti Monimo plenissimè planissiméque respondens pulcherrimum volumen edidit, in quo nihil tuorum figmentorum secutus est, sed plana eloquentia prædestinasse Deum impios ad interitum veritate Catholica docuit & probauit. Aut igitur vera sunt quæ adstruis, & falsa quæ tantus doctor fideliter exarauit: aut quia hoc de tanto talique doctore nefas est credere, falsa sunt omnimodis quæ mendaciter conscripsisti, & vera sunt proculdubio quæ tantus doctor fideliter ac veraciter intimauit. Certe si nulla nobis alia aut auctoritas aut ratio suppeditaret, solus ille nobis in huius sermonis intelligentia sufficere poterat, cuius doctrina atque scientia tanto in Catholica Ecclesia honore & amore conualuit, vt de illius scriptis nullus vnquam dubitauerit, nullus derogauerit, quippe qui & liberalium disciplinarum eruditionibus splendidus, & Scripturarum sanctarum doctrina præfulgidus, & non minus Græci, quam Latini eloquij peritissimus inuenitur. Testis est etiam sanctus Prosper vir in omni literarum eruditione doctissimus, ac facundissimus, qui Gallorum, aliorumque Pelagij sequacium impudentiis, & libris fideliter editis, & Romani Pontificis Edicto sua instantia impetrato propugnator fortissimus ac fidelissimus obstitit. Proinde impudentior cæteris tuis similibus comprobatis, qui cum eorum venerabilia scripta legeris, quippiam secus ausus es mussitare. Nam etsi nusquam eorum scripta legisses, satis ea te poterant, de his omnibus informare, quæ *ante biennium* ea illorum libris, deflorata quibusdam *fratribus consensu Synodi mittere curaui*, quæ ad te peruenisse si nolle aliter nequiuissem, infaustissimus liber tuus, cui largiente Domino respondemus probabiliter nos instruere poterit. In quo earundem deflorationum pleraque interposita atque ad tuas prauitates detorta, violenterque inflexa reperimus.

Prud. De S. Fulgentio. — G — De S. Prospero. — Nota. — H

Absit, absit inquam à cordibus Catholicorum, vt ignorantia Deo vllatenus deputetur. Tribus tamen modis in diuinis eloquiis, quantum mea fert memoria, Deus nescire tropicos dicitur. Scilicet aut non experiendo, aut reprobando, aut nescire faciendo, dicit quippe ipse Dominus per Prophetam, *Quæ ignorabam interrogabant me*, quia videlicet peccatum ab eo exigebant, quod nunquam cognouerat, id est, nunquam expertus fuerat. Nunquam fecerat dicente beato Petro Apostolo: *Qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius.* Et Beato Paulo Apostolo: *qui cum non cognouisset peccatum*, id est non fuisset expertus, neque commisisset. Nouit ergo peccatum per eam scientiam, quam nihil latet, non nouit autem per experientiam, qua nunquam corrumpi potuit. Iterum idem loquitur in Euangelio

Nescire. — Ps. 34. 11. — 1 Petr. 22. — 2. Cor. 5. 21.

dicturum

A dicturum se quibusdam in iudicio. *Nescio vos vnde sitis*, id est non approbo in arte disciplinæ meæ, quam prauis semper operibus impugnastis. Rursum ipse ad Discipulos ait, *De die autem illa & hora nemo scit, neque Angeli in cœlo neque filius nisi pater solus*, qualiter enim nescire filius poterat diem, quem ipse ineffugibili potentia, etiam ante temporaneos dies statuisse non dubitatur? Itaque nescire diem intelligendus est, pro eo quod est nescire facere Apostolos, quod non vtiliter scirent. Vnde & eis post modum loquitur. *Non est vestrum nosse tempora vel momenta, quæ pater posuit in sua potestate*, His tropicis locutionibus cùm Deus nescire vel ignorare quid legatur, secundùm proprietatem verò maiestatis, essentiæ atque scientiæ suæ, nihil protsùs potuit, potest aut poterit ignorare: hanc Dei scientiam intuitus fuerat Propheta, qui ad Deum humiliter loquebatur: *Mundi sunt oculi tui, ne videant malum*, id est, ne approbent vel experiantur: Item alius Propheta: *Ecce enim oculi Domini super* B *Regnum peccans, vt disperdat illud*: Et rursùm: *in omni loco oculi Domini contemplantur bonos & malos*: Et rursùm: *Vultus autem Domini super facientes mala, vt perdat de terra memoriam eorum.* Non hæc à contrario intelligenda omnes Catholici tractatores, sed veritate dictorum simplicium sentienda, tenendáque sanxerunt. Abi igitur, & esto hæreticorum omnium deterrimus, qui contra vniuersorum opinionem Deo ignorantiam affingere impudentissimè præsumpsisti. Iam verò quod addis de impiis ad interitum prædestinatis.

(Matth. 25. Matth. 24. 36. — Act. 1. 7. — Habac. 1, 13. — Amos 9. 8. — Prou. 15. 3. — Psal. 33. 17.)

Ioannes Scotvs.

⊖ *Si enim prædestinati sunt, necessariò peribunt, pœnásque patientur ineuitabiles; quod si ita est, quomodo iustè iudicabitur mundus, quem necessitas prædestinationis cogit perire?*

(Cap. 11. num. 3. sect. 1.)

Correctio.

C † Licet super hoc satis abundéque actum fuerit, non piget veraciter iterare, quod te non puduit mendaciter inculcare: Prædestinatio Dei, sicut & præscientia nullam vim futuris ingerit, nullam necessitatis violentiam importat; quamuis enim, quicquid Deus præsciuit, & prædestinauit, ita, nec omnino aliter necesse sit fieri: non tamen ideò, quia præscita vel prædestinata sunt, fiunt; sed quia futura indubitabiliter sciebantur, præscita, ac prædestinata potentissimè intelliguntur. Non ergo ideò fit aliquid, quia Deus præsciuit, sed ideò ille præsciuit, quia futurum sciuit. Ac per hoc non est culpa præscientis, & prædestinantis Dei, si aliquis perit, sed creaturæ rationalis, quæ sibi meritum pereundi malè viuendo, eiusque bonitatis largitatibus abutendo comparauit. Prædestinauit igitur Deus peccantem ad supplicium æternum, secundùm id quod eum præsciuit malè victurum, & in malis operibus obstinatissimè perseueraturum: Proinde culpa est eius, qui talis futurus præscitus est, non Dei, qui talem præsciens, meritò præde-D stinauit ad pœnam: Nunquid non eadem calumniandi licentia potes garrire, vt alleras: Si prædestinati ad vitam non sunt, necessariò peribunt, pœnasque patientur ineuitabiles? quod si ita est quomodo iustè iudicabitur mundus, quem necessitas prædestinationis cogit perire, quoniam prædestinatus ad vitam non est: Similiter si quidam misericorditer electi sunt, ceteri verò iustè derelicti, necessariò peribunt, pœnásque patientur ineuitabiles: quod si ita est quomodo iustè iudicabitur mundus, quem necessitas electionis, vel derelictionis cogit perire, quoniam non electi, sed derelicti sunt?

Hæc calumniandi libido tam latè patet, vt in omnibus quæcumque super misericordia Dei, atque iustitia fideliter prædicantur, obliquè possit affingi: quapropter proturbanda est penitus damnabilis assertio prauitatis, & fatendum iustè mundum hunc à Domino iudicandú; neq; enim ideò peccant, quicunq; peccant, quia iudicabuntur, sed quia peccant, vtique ideircò ineuitabiliter iudicabuntur: non ergo necessitas iudicij peccantes cogit perire, E sed necessitas peccandi, quam sibi volendo insolubiliter consciuerunt, cópellit ineuitabiliter interire. Sicut itaque necessitas iudicij nullum perire cogit, ita necessitas prædestinationis nulli vim pereundi imponit. Verùm si diligenter attendas, omnia, aut penè omnia quæ sunt iudicij Dei, eadem prædestinationis inuenies: Statuit Deus futurum iudicium, in quo *reddat vnicuique secundùm opera sua*, electis præmia, impiis supplicia sempiterna, & hoc est totú quod de prædestinatione fideliter, ac salubriter confirmatur, vt iudex omnium electis per misericordiam beatitudinem, relictis per iustitiam pœnas tormentáque retribuat. Legimus *quia qui non credit iam iudicatus est*, id est damnatus: Exurgat nunc sycophanta impudoratus & causetur: Si qui non credit iam iudicatus est, necessariò peribit, pœnásque patietur ineuitabiles, quod si ita est quomodo iustè iudicabitur mundus, quem necessitas iudicationis, id est damnationis cogit perire? Dicit etiam Euangelista Ioannes de Iudæis non credentibus Domino. *Propterea non poterant credere, quia dixit* F *Isaias Propheta: Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua, vt non videant oculis, & corde non intelligant, & conuertantur, & sanem eos.* Si propterea nó poterant credere, quia hoc prædixit Isaias, necessariò non crediderunt, pœnásque patienter ineuitabiles; quod si ita est: quomodo iustè iudicabitur mundus, quem necessitas Prophetiæ coëgit non credere? Et ipse Dominus, *Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis*: Et iterùm: *Propterea vos non creditis, quia non estis ex ouibus meis*: Et rursùm: *Nemo potest venire ad me, nisi pater, qui misit me, traxerit eum: Et nemo potest venire ad me nisi datum fuerit ei à patre meo.* Et omnia quæcunque de Dei occultis iudiciis Propheticæ, & Apostolicæ paginæ protestantur, eisdem calumniis subiacebunt. Omnis igitur ab his necessitas coactiua propellatur, & iudiciorum Dei humiliter profunditas stupeatur, dicatúrque cum Apostolo: *O altitudo diuitiarum scientiæ ac sapientiæ Dei.*]

(Matth. 16. 27. — Ioan. 3. 18. — Ioan. 12. 39. — Ioan. 8. 47. — Ioan. 10. 26. — Ioan. 6. 44 66. — Rom. 11. 33.)

G Nunc ad videnda reliqua fauente Domino transeamus: Denique volens probare quòd sanctæ Scripturæ auctoritas inconcussa præscientiam simul, & prædestinationem, aut solam absolutè prædestinationem non nisi in his, quos Deus elegit ad æternam beatitudinem possidendam inueniatur posuisse, ponis Apostolica testimonia ad Romanos: *Scimus*, inquiens, *quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum: His, qui secundùm propositum vocati sunt; quoniam quos ante præsciuit, & prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus: quos autem prædestinauit illos & vocauit, & quos vocauit ipsos & iustificauit, quos autem iustificauit ipsos & glorificauit.* Item ad Ephesios: *Benedictus Dominus & Pater Domini nostri* Iesv Christi, *qui benedixit nos in omni benedictione spiritali in cælestibus in Christo: Sicut elegit nos in ipso ante constitutionem mundi, vt essemus sancti, & sine macula in conspectu eius in charitate; prædestinans nos in adoptionem filiorum per* Iesvm Christvm *in ipsum secundum placitum voluntatis suæ: ad laudem gloriæ gratiæ suæ: In qua gratificauit nos in dilecto filio suo; in quo habemus redemptionem* H *per sanguinem eius: remissionem peccatorum secundum diuitias gratiæ eius, quæ superabundauit in nos, in omni sapientia, & prudentia, ostendens nobis Sacramentum voluntatis suæ secundùm bonum placitum eius, quod proposuit in eo: ad dispositionem plenitudinis temporum, vt restaurarentur omnia in Christo, quæ sunt in cælis, & quæ super terram: In ipso in quo, & sorte vocati sumus prædestinati secundum propositum Dei: Ab eo qui omnia operatur secundùm consilium voluntatis suæ.*] quibus præmissis adiungis dicens.

(Rom. 8. 28 &c. v. 29 30. — Ephes. 1. 3. &c. v. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. — v. 11.)

Ioannes Scotvs.

† *Contra veritatis tam claram tubam quis homo sobriæ vigilantisque fidei voces admittat humanas, quas mea non audiat, prædestinationem omnimodo esse sanctorum, nullo modo posse fieri reproborum?*

(Cap. 11. num. 4. sect. 3.)

CORRECTIO.

† O quam tibi necessaria fuerat sobrietas, vigilantiáque veræ fidei, vt videres quid tuba Apostolica diceret: & nequaquam excogitares quod tantæ concentus tubæ minimè sonuisset: Apostolus siquidem in his quæ proposuisti exemplis totam intentionem suam ad electorum Dei prædestinationem, & glorificationem commendandam prædicator veritatis direxerat: nullamque reproborum, vel prædestinationem, vel damnationem adnotare subierat, quod iam sese in præcedentibus eiusdem Epistolæ dumtaxat ad Romanos partibus satis egisse meminerat. Nihil ergo tuam insaniam verba Apostolica iuuant: Non enim aut tantummodo electos prædestinatos, aut reprobos non prædestinatos dixit; quod tamen vbi commodum duxit vtrumque alternatim commendare non distulit: Ait enim in eadem Epistola cum de electione gentium, & reprobatione Iudæorum subtiliter veraciterque tractaret: *Sin autem Deus volens ostendere iram, & notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa iræ*, secundum Ambrosium *præparata*, secundum Augustinum & omnes Africanos *perfecta*, secundum nostrorum codicum consuetudinem *apta vel aptata in interitum. Vt ostenderet diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparauit in gloriam, quos & vocauit nos non solum ex Iudæis, sed etiam ex gentibus* & cætera quæ sequuntur. Si secundum ea quæ in præcedentibus confirmare molitus es, nihil est aliud Dei prædestinatio, quam præparatio operum illius, quare manifeste Apostolus; *Vasa iræ præparata vel perfecta vel apta siue aptata in interitum* clamitat: Nam de varietate interpretum non est meum iudicare: quantum tamen ad meam attinet simplicitatem cuncta & recipio, & approbo. Si (inquam) secundum Ambrosium *vasa iræ præparata sunt in interitum*, & iuxta definitiones tuas prædestinare nihil est aliud quam præparare? Liquet profecto Apostolum *vasa iræ præparata in interitum*, nequaquam aliud sensisse quam prædestinata, quoniam omnis eiusdem Apostolicæ disputationis circunstantia, hoc idẽ continet, adeò vt nullus sobriæ mentis aliter locum eundem Apostolicæ prædicationis intellexisse, aut docuisse vllatenus reperiatur.

Et licet mihi tantorum Pontificum Ambrosij videlicet, & Augustini in assertione huius rei sufficiat auctoritas, ne cui tamen interpretationis displiceat varietas: Idem Apostolus scribens ad Corinthios, ait: *Puto nos Deus elegit nouissimos Apostolos tanquam morti destinatos*, quod ne amicissima tibi peruersitate detorqueas, audi qualiter S. Ambrosius exponat. Ambrosius: Hoc ideo personæ suæ deputat, quia semper in necessitate fuit, persecutiones, & pressuras vltra cæteros passus, sicut passuri sunt Enoch & Elias, qui vltimo tempore futuri sunt Apostoli: Mitti enim habent ante Christum ad præparandum populum Dei, & muniendas omnes Ecclesias ad resistendum Antichristo, quos & persecutiones pati & occidi lectio Apocalypsis testatur: Horum ergo tempus suo tempori comparauit Apostolus dicens, *quasi morti destinatos* ad hoc enim venturi sunt vt occidantur. †. Et in libro Ecclesiastico legitur: *Deus parauit illum ad romphæam.* Et ipse Dominus ad Iob cum ei malitiosissimi, & extra Deum inuictissima arma atque argumenta diaboli exponeret. *Quæ præparaui* (inquit) *in diem pugnæ & belli*, quibus documentis manifeste destruitur tuorum adstructio mendaciorum, quibus præscientiam & prædestinationem, vel præparationem Dei in electis tantum ad vitam, non etiam in reprobis vel ad pœnas, confirmare pertinaciter studuisti: quamuis de his omnibus satis in superioribus, quantum pro opportunitate visum est egerimus. Aut igitur reprehende Ambrosium, & Augustinum, eosque mendacij, immo hæreseos argue: aut quia id fieri nullomodo potest, humiliare tantorum patrum saluberrimis sensis, & fatere, quod verum est, præscientiam, prædestinationem & præparationem Dei bifariam, id est & ad electos, & ad reprobos pertinere. B

His Apostolicis sententiis nulla obscuritate quantum ad præscientiam & prædestinationem Dei attinet, inuolutis, nullatenus ad eorum, quæ adstruere conatus es pertinentibus, ideóque veritate priuatus transis ad ea testimonia, quæ ex beati Augustini scriptis Gotteschalcus decerpserit, atque ad suum errorem (vt ais) detorserit, quæ dum non intellecta asseris secundum Apostolum *aliis odorem vitæ in vitam, aliis odorem mortis in* 2.Cor.2. *mortem* facta; Vtinam & ipse sano capite ad ea perscru- 16. tanda simpliciter accederes, ne tantas de eis vomituum nauseas eructares. Tanta quippe dictorum eorundem piis mentibus perspicacia elucet vt in eorum intelligentiis fide atque auctoritate dignis nullus piorum, valeat hæsitare. Tibi itaque nisi citiùs resipueris, facta sunt odor mortis in mortem, quem non vt ab eo dicta, sed vt à tua prauitate interpolata sunt, interpretari fallaciter non erubuit. Iste quippe mos cunctis hæreticis fuisse dignoscitur, vt quæcunque prophetica & Apostolica, Patrúmque orthodoxorum dicta suis figmentis contraria, aut de suis codicibus eraderent, aut eosdem libros exauctorarent; Aut certe peruersis interpretationibus deprauarent, suisque erroribus confirmandis quocunque conludio agglutinare satagerent: Cui te vitio vltra cæteros inseruisse, nullus, qui tua legit ignorat. Positis igitur testimoniis memorati patris, quibus impios ad interitum prædestinatos, vel præparatos creberrimè dixerit, quia negare nullatenus poteras, deprauare contendis, vt eum figurate, idest à contrario ea dixisse mentiaris, quod nec ille, nec quispiam doctorum duntaxat Catholicorum fecisse conuincitur. Dicis itaque.

IOANNES SCOTVS.

Θ *Quis enim ignorantium modos locutionum, quibus* Cap. 11. *sancti patres vti solent, non facile possit seduci, audiendo* G *prædestinatos æterno igni præparatos ad iram Dei, prædesti-* num.5. *natos morti sempiternæ prædestinatos ad interitum ad pœ-* sect.6. *nam, cæteráque id genus, vt sine vlla hæsitatione concedat, aut duas prædestinationes, vnam plane sanctorum, alteram impiorum sibimet per omnia contrarias, aut vnam eandemque diuinam prædestinationem sanctosque impiosque amplecti, eamque simul contrariorum, quod ratio denegat, esse capacem.*

CORRECTIO.

† Figuratis locutionibus, nec Augustinum, nec cæ- Prud. teros adeóque Sãctos Patres, maximéque isto contrariorum genere in tractatibus suis, sermonibusque ad populum enuntiatis, vsos fuisse iam diximus: præcipue tamen à vocabulo prædestinationis diuinæ, Id genus locutionis procul abesse Sanctus Fulgentius proprio in hoc ipsum edito volumine, & Prosper aliique complures omni ambage semota perspicuè edocent: prædestinatio- H nes etiam pluraliter efferri, Beati Gregorij Papæ, atque Isidori Episcopis sententiis indicauimus. Verum quod ad rem attinet, quæro vtrum iudicia Dei vel duo quotlibet, vel vnum singulariter censeas? nam mihi prædestinatio, & iudicium Dei in tantum conuenire videntur, vt vnum sine altero esse non possit: sicut enim prædestinatio, ita & iudicium Dei quosdam ducit ad regnum quosdam damnat in tartarum: Illos per misericordiam, istos per iustitiam. Iudicari autem & bonos & malos cum omnes Scripturæ testentur, sufficere præsenti actioni vnum ex Euangelio Domini testimonium credimus: quo ait. *Cum venerit filius hominis in ma-* Matt.25. *iestate sua, & omnes Angeli cum eo, tunc sedebit super* 31. *sedem maiestatis suæ: & congregabuntur ante eum omnes* v.32. *gentes, & separabit eos ab inuicem, sicut pastor segregat* v.33. *oues ab hædis, Et statuet quidem oues à dextris suis,* v.34. *hædos autem à sinistris: Tunc dicet Rex his, qui a dextris* *eius erunt: venite benedicti patris mei, possidete paratum* v.35.

vobis

A vobis regnum a constitutione mundi: *Esuriui enim & dedistis mihi manducare, sitiui & dedistis mihi bibere, hospes eram & collegistis me; nudus, & operuistis me; infirmus & visitastis me; in carcere eram, & venistis ad me: Tunc respondebunt ei iusti dicentes: Domine quando te vidimus esurientem, & pauimus? sitientem & dedimus tibi potum? quando autem te vidimus hospitem, & collegimus te? aut nudum & cooperuimus te? aut quando te vidimus infirmum, aut in carcere, & venimus ad te? Et respondens Rex dicet illis, Amen dico vobis, quamdiu fecistis vni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis: tunc dicet & his, qui a sinistris eius erunt: Discedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & Angelis eius: Esuriui enim, & non dedistis mihi manducare; sitiui & non dedistis mihi potum; hospes eram & non collegistis me, nudus & non operuistis me, infirmus & in carcere eram, & non visitastis me; tunc respondebunt & ipsi dicentes: Domine quando te vidimus esurientem, aut sitientem, aut hospitem, aut nudum, aut infirmum vel in carcere, & non ministrauimus tibi? tunc respondebit illis dicens: Amen dico vobis, quamdiu non fecistis vni de minoribus his, nec mihi fecistis. Et ibunt hi in supplicium æternum, iusti autem in vitam æternam.*]

[Margin: v.36.37.38.39.40.41.42.43.44.45.46.]

B

Ecce ipse Dominus Rex Regum omnipotentissimus & sempiternus, qui ante sæcula diem iudicij futurum constituit, ipse in fine temporum seipsum identidem agitaturum prædixit, & absque cuiusquam figuræ locutionis fuco iustis paratum regnum, diabolo & Angelis eius paratum ignem æternum testatus est, nullo prædicatorum fidelium docente imo sentiente, quod solus omnium hominum fingere nullatenus meruisti, videlicet vel bonis paratum regnum non figuratè, impiis verò paratum supplicium figuratè, id est non paratum intelligatur: Contra omnem penitus diuinam & humanam auctoritatem, quæ vtrisque paratum à Deo vel regnum, vel supplicium inclamant; iudicium autem vel bifariam, vel quadrifariam agitandum beato Gregorio in libris moralibus exponente discamus, qui in libro 26. ita eloquitur.

C

Gregorius. [*Sed non saluat impios, & iudicium pauperibus tribuit*, id est elatos destruit, humiles vero per iudicium liberos reddit, vel certe iudicium pauperibus tribuit, quia hi, qui nunc nequiter opprimuntur, ipsi tunc super oppressores suos iudices veniunt: Duæ quippè sunt partes, electorum scilicet atque reproborum, sed † bini ordines eisdem singulis partibus continentur, alij namque iudicantur, & pereunt; alij non iudicantur, & pereunt: alij iudicantur & regnant; alij non iudicantur, & regnant. Iudicantur & pereunt, quibus Dominica † inclinatione dicitur. *Esuriui & non dedistis mihi manducare; sitiui, & non dedistis mihi potum: hospes eram, & non collegistis me, nudus, & non operuistis me, æger & in carcere & non visitastis me*: quibus præmittitur. *Discedite à me maledicti in ignem æternum qui præparatus est diabolo & Angelis eius*: Alij vero in extremo iudicio non iudicantur, & pereunt: De quibus † per Prophetam Dominus ait, *non † resurgunt impij in iudicio*: Et de quibus Dominus dicit: *Qui autem non credit iam iudicatus est*: & de quibus Paulus ait, *qui sine lege peccauerunt sine lege peribunt*: Resurgunt vero etiam omnes infideles sed ad tormenta, non ad iudicium; non enim eorum tunc causa discutietur quia ad conspectum districti iudicis iam cum damnatione suæ infidelitatis † descendunt: professionem veræ fidei retinentes, sed professionis opera non habentes redarguuntur vt pereant: qui verò nec fidei sacramenta tenuerunt, increpationem iudicis in extrema examinatione non audiunt: quia præiudicati, infidelitatis suæ tenebris eius, quem despexerant inuectione redargui non merentur;] illi saltem verba iudicis audient quia eius fidei † sola verba tenuerunt; isti in damnatione sua æterni iudicis nec verba percipiunt, quia eius reuerentiam nec verbo tenus seruare † voluerunt. Illi legaliter pereunt, quia sub lege positi peccauerunt; Istis in perditione sua de lege nihil dicitur: quia nihil legis habere conati sunt: princeps namque terrenam rempu-

[Margin: Gregor. moral. lib 26. cap. 10. Iob. 36. 6. — † al. bini — † al. voce in damnatione. Matth. 25.42. 41. — † al. Propheta ait — D — Ps. 1.4. — † al. resurgent. — Ioan. 3. 18. — Ro. 2.12. — † al. accedant. — † al. saltem. — † al. ma. lucrunt.]

blicam regens aliter punit ciuem interiùs delinquentem atque aliter hostem exterius rebellantem, in illo iura sua consulit, eumque sub verbis dignæ inuectionis addicit: Contra hostem vero bellum mouet, instrumenta perditionis exercet, dignaque eius malitiæ tormenta retribuit, de malo vero eius, † quæ lex habeat non requirit. Neque enim lege necesse est perimi, qui lege nunquam potuit teneri. Ita ergo in extremo iudicio, & legalis illum inuectio perimit, qui ab eo quod professione tenuit, actione declinauit, & iste sine iudicij inuectione perimitur, qui lege fidei non tenetur. Ex electorum vero parte alij iudicantur, & regnant, qui vitæ maculas lachrymis tergunt, qui mala præcedentia factis sequentibus redimentes, quicquid illicitum aliquando fecerunt ab oculis iudicis eleemosynarum superductione cooperiunt; quibus iudex veniens in dextera consistentibus dicit: *Esuriui, & dedistis mihi manducare; sitiui, & dedistis mihi bibere: hospes eram & collegistis me; nudus, & operuistis me, infirmus & visitastis me, in carcere eram & venistis ad me*; quibus præmittit dicens: *Venite benedicti patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi.* Alij autem non iudicantur & regnant, qui etiam præcepta legis perfectione virtutum transcendunt: quia nequaquam hoc solum quod cunctis diuina lex præcipit, implere contenti sunt, sed præstantiore desiderio plus exhibere appetunt, quam præceptis generalibus audire potuerunt; quibus † diuina voce dicitur: *Vos qui reliquistis omnia vestra, & secuti estis me, cum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ sedebitis & vos super duodecim thronos iudicantes duodecim tribus Israel*: Et de quibus Propheta ait: *Dominus ad iudicium veniet cum senioribus populi sui.* Et de quibus Salomon cum de sanctæ Ecclesiæ † sponso loqueretur intulit dicens: *Nobilis in portis vir eius, quando sederit cum senatoribus terræ.* Hi itaque in extremo iudicio non iudicantur & regnant, quia cum auctore suo etiam iudices veniunt: Relinquentes quippè omnia plus prompta deuotione executi sunt, quam iuberi † generaliter audierunt; speciali quippe iussione paucis perfectioribus, & non generaliter omnibus dicitur hoc, quod adolescens diues audiuit: *Vade vende † quod habes & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo, & veni & sequere me.* [Si enim sub hoc præcepto cunctos iussio generalis adstringeret, † culpæ profecto esset aliquid nos de hoc mundo possidere. Sed aliud est quod per Scripturam sacram generaliter omnibus præcipitur, aliud quod specialiter perfectioribus imperatur. Hi ergo rectè sub generali iudicio non tenentur, & quia præcepta generalia viuendo vicerunt: sicut enim non iudicantur & pereunt qui suadente perfidia lege teneri contemnunt: Ita non iudicantur, & regnant qui suadente pietate etiam vltra † generalia diuinæ legis præcepta proficiunt. Hinc est quod Paulus etiam specialia præcepta transcendens plus opere exhibuit, quam institutione † promissionis accepit: Cum enim accepisset, vt Euangelium prædicans de Euangelio viueret, & Euangelium audientibus contulit, & tamen Euangelij sumptibus sustentari recusauit. Cur ergo iste iudicetur vt regnet, qui minus quod seruaret accepit, sed maius, quod vinceret inuenit. Dicatur igitur rectè, *Iudicium pauperibus tribuit*, quia quanto huic mundo magna humilitate despecti sunt, tanto tunc acceptis sedibus maiore culmine potestatis excrescunt.]

† Quicquid de hoc Dei omnipotentis ineuitabili, tremendoque iudicio, vel ipse vel prædicatores eius pietatis intimæ litteris mandauerunt, id & nihil aliud de ipsius prædestinatione sentimus: Ita vt nec prædestinationem absque iudicio, neque iudicium sine prædestinatione fateamur: quoniam quod se iudicaturum præsciuit, hoc vtique nec quicquam aliud facturum prædestinauit, & hæc sunt *Magna opera Domini exquisita in omnes voluntates eius. Misericordia* videlicet & *iustitia*, quibus *reddit vnicuique secundum opera sua*; hæc se facturum prædestinauit, quoniam hæc se iudicaturum, retributurumque præsciuit, atque præuidit: hoc est illud

[Margin: E — † al. quid. — Matth. 25.35. — F — v.34. — † al. Dominica. Matth. 19.28. Isa. 3.14. Prou. 31. 23. — † al. sibi. — G — † al. iubere — Matth. 19.21. — † al. omnia quæ. — Marc.10. 21. — Luc 18. 22. — † al. culpa — † al. generalia. — † al. permissionis. — H — 1. Thes. 2.9. — Prud. — Ps. 110. 4. — Ps. 61.13. — Matth. 16.27.]

[A] Dei iodicium capax contrariorum quod tibi displicet, quod etsi tua ratio denegat, veritas probat; iudicium vtique malorum & bonorum, & si negare voles, destruere nunquam vales, cuius tanta est euidentia, vt de eo nulli liceat dubitare. Hanc contrariorum capacitatem si denegas in prædestinatione, necesse est in iudicio: quoniam (sicut diximus) quod se iudicaturum Deus præsciuerat, hoc se facturum nec aliud prædestinauerat huic rei per omnia concinit defioitio super nomine prædestinationis beatissimi patris Augustini, quā conaris peruertere: perindéque euertere. [August. de præd. sanct. cap. 10.] Ait enim vt ponis in libro ad Prosperum & Hilarium Augustinus prædestinatio est quæ sine præscientia non potest esse: potest autem esse sine prædestinatione præscientia: prædestinatione quippè Deus ea præsciuit, quæ fuerat ipse facturus: vnde dictum est *fecit quæ futura sunt.* [LXX. Isa. 45. 11.] Præscire autem * [* al. potens est.] potest etiam quæ ipse non facit, sicut quæcunque peccata.

[B. Prud.] † Hoc & nos dicimus, hoc fatemur, nec ab ista definitione vllatenus aberramus quam si veritatis lumine fuisses intuitus, nunquam ita præscientiam & prædestinationem confunderes, vt vnum atque idem, nec aliud omnino esse firmares: præsciuit enim Deus omnia, & quæ fuerat ipse factutus, vt sunt quæcunque bona, & quæ non fuerat ipse facturus, vt sunt quæcunque peccata: prædestinauit autem prorsus nihil aliud nisi quod fuerat ipse facturus. Idest misericordiam & & iudicium, siue iustitiam, seù veritatem, quod tantundem valet: de quibus duobus loquitur & Prophera [Ps. 61. 12. 13. Ps. 110. 2.] *Semel locutus est Deus; Duo hæc audiui, quia potestas Dei, & tibi Domine misericordia: quia tu reddet vnicuique iuxta opera sua.* Hæc sunt *magna opera Domini exquisita in omnes voluntates eius*, Nimitum hæ sunt *opera Domini* & nulla alia, quæ se facturum prædestinauit, videlicet gratis misereri, & iuste damnare. Horum misereri, non quia meruetuor, illos damnare sioe dubio quia meruerunt: istis gratis, idest nullis præcedentibus [C] meritis impendere misericordiam, illis propter mala præcedentia iustissimè rependere vltionem: de quibus Apostolus proclamat: [Rom. 9. 18.] *Quoniam cuius vult miseretur; & quem vult, indurat*: nempe *miseretur* oullo debito, *indurat* nulla iniquitate sua: *quoniam non est iniquitas apud Deum*, dicente eodem Apostolo: [v. 14.] *Numquid iniquus Deus, qui infert iram*: cui humiliter veraciterque corrfespondemus, *absit* omnino *absit*, vt esse vllatenus iniquitas valeat apud Deum: *Qui infert iram*, id est, vel *indurat* eum qui meretur, vel vindicat atque vlciscitur in eum, qui proculdubio promeretur.

Auferens ergo prædestinationem malorum, aufert iudicium quo sublato consequenter tolle iustitiam, ablata iustitia, nega ipsum etiam Deum, qui est non accidentaliter, sed essentialiter, perindéque immutabiliter sempiterna iustitia. Quomodo ergo *reddet vnicuique secundum opera sua*? [Ps. 61. 13.] An vnicuique bonorum, & nulli malorum? peccet ergo quisque quantumlibet, quoniam sublato iudicio, detractáque iustitia, impune peccabit, & [D] dic cum illis qui *posuerunt in cælo os suum, & lingua eorum transiuit in terra; Et dixerunt: quomodo scit Deus, & si est scientia in excelso*; [Ps. 72. 9. 11.] atque iudicandos & bonos & malos superiori Domini sententia declaratum est, & [Rom. 2. 2. &c.] Apostulus testatur dicens; *Scimus enim quoniam iudicium Dei est secundum veritatem in eos, qui talia agunt* [v. 3.] *Existimas autem hoc ô homo, qui iudicas eos, qui talia agunt, & facis ea, quia tu effugies iudicium Dei?* [v. 4.] *aut diuitias bonitatis eius & patientiæ & longanimitatis contemnis? Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?* [v. 5.] *secundum duritiam autem tuam, & impœnitens cor thesaurisas tibi iram in die iræ, & reuelationis iusti iudicij Dei:* [v. 6.] *qui reddet vnicuique secundum opera eius, his quidem qui* [v. 7.] *secundum patientiam boni operis, gloriam & honorem &* [v. 8.] *& incorruptionem quærentibus vitam æternam: his autem, qui sunt ex cōtentione, & qui nō acquiescunt veritati, credūt* [v. 9.] *autem iniquitati, ira & indignatio tribulatio, & Angustia in omnem animam hominis operantis malum, Iudæi primum* [v. 10.] *& Græci: Gloria autem & honor & pax omni operanti bonum, Iudæo primum, & Græco: non est enim personarum acceptio apud Deum.* [v. 11.]

[E] Quia igitur iustitia, iudiciumque Dei negari minimè possunt, sequitur vt prædestinatio & præparatio illius nullatenus denegentur, in his duntaxat, quibus iustitia illius, atque iudicium prædicantur, quoniam ea sunt quæ Beatus Augustinus in definitione prædestinationis dixit. Quæ Deus se facturum esse præuidit, siue præsciuit; quæ definitio quoniam tuis assertiunculis plurimum repugnat, conaris eam inuertere, & quod neque Augustinus dixit, neque sensit affingere. Dicis enim.

Ioannes Scotus.

[Cap. 11. num. 6. sect. 7.] ⊖ *Est igitur talis differentia inter prædestinationem, & præscientiam quod omnis prædestinatio præscientia: non autem omnis præscientia prædestinatio: præscientia namque ipsa, qua Deus præsciuit ea, quæ fuerat ipse facturus, prædestinatio verè specialitérque dicitur.* [F] *Ea verò præscientia, quæ ea, quæ non facit, præscinit, id est peccata, eorumque pœnas, præscientia absolute placuit vocari. Ita vt ea tantummodo præscientia, quæ dicitur prædestinatio, in bono semper intelligatur: sola vero præscientia sine prædestinatione omnino malorum est; quæ Deus non facit.*

Correctio.

[Prud.] † Agimus vtique Deo gratias, qui te nolentem fortassis, nescientemque fecit aliquatenus quod verum est confiteri; qui enim hactenus præscientiam & prædestinationem vnum esse adstruxeras, nunc differre, quamuis subdolè confiteris. Dicendo quippe *omnis prædestinatio præscientia, non autē omnis præscientia prædestinatio,*] profectò ea aliquomodo differre demōstras: verū quod præscientiam prędestinationem nuncupas, à vero deuias: neque enim præscientia est prædestinatio, neque prædestinatio [G] præscientia, quamuis præscientia pro prædestioatione soleat aliquoties poni; veluti cum dixit Apostolus [1. Pet. 1. 2.] *secundum præscientiam Dei electos*, vtique præscientiam pro prædestinatione posuisse intelligitur: prædestinatio verò pro præscientia nusquam posita reperitur. Proinde dicendum fuerat, sicut memorandus pater Augustinus dixit, [Aug. de prædest. Sanct. cap. 10.] quia prædestinatio sine præscientia non potest esse, potest autem esse sine prædestinatione præscientia: quid claritatem dictorum obnubilas? quid aquas purissimas fœculentis disputationibus turbas? Cur nos à viui fontis poto purissimo ad *Cisternas, quæ non valent aquas continere*, traducis? [Hier. 2. 13.] nempe cum aliquid pro altero ponitur, aliud necesse est sit quod ponitur, aliud pro quo pooitur: Et cum dicitur prædestinatio non potest esse sine præscientia; præscientia autem potest esse sine prædestinatione, perspicuè declaratur aliud esse præscientiam, atque aliud prædestinationem: Ideò quippe prædestinatio non potest esse sine præscientia, quia nullus nisi præsciendo prædestinat: nemo enim nesciendo prædestinat; præscientia [H] vero idcirco sine prædestinatione potest esse, quoniam multa possunt sciri, atque præsciri, quæ nullatenus prædestinentur.

Hoc habet definitio beatissimi Augustini, hanc sequuntur omnes Catholici diuinorum eloquiorum tractatores [Prosper ad capit. Gallor. cap. 15.] quorum Prosper ita aduersus Pelagianos parentes tuos agens loquitur: Prosper: [qui præscientiam Dei in nullo ab ipsius prædestinatione discernit, quod tribuendum est Deo de bonis, hoc ei etiam de malis conatur adscribere: sed cū bona ad largitorē cooperatoremque eorū Deum, mala autem ad voluntariā rationalis creaturæ nequitiam referenda sint, dubium non est sine vlla tēporali differentia Deum & præscisse simul & prædestinasse quæ ipso erant auctore facienda, vel quæ malis meritis iustu erant iudicio tribuenda: præscisse autem tantummodo non etiā prædestinasse, quæ non ex ipso erant causā operationis habitura. † Fulgentius initium responsionum [Fulgent. li. 2. ad Monimum in principio.] secundi libri ad Monimum ita exorsus est. Fulgentius: satis (vt arbitror Monime charissime) quæstionem de diuer-

sitate

A sitate prædestinationis iustorum scilicet & iniquorum, hoc est eorum, quos gratuita misericordia Dei præueniens iustificandos conuertit, glorificatura conuersos, & eorum quos iusta Dei seueritas in peccatis derelinquit punitura damnatos, superior sermo, in quantum Dominus pusillitatem nostram dignatus est adiuuare, pertractatam continet & solutam: Ita ut plerique, licet in ea solent non leniter permoueri, facile possint & diuinorum librorum testimoniis instrui, & S. Augustini libris, & Prosperi eruditissimi viri responsionibus informari, quibus agnoscant prædestinationem Dei nihil aliud esse, nisi præparationem operum eius, quæ in æterna sua dispositione, aut misericorditer se facturum præsciuit, aut iustè: Et quia in peccatis nec misericordia inuenitur nec iustitia: ideoque omnem iniquorum malam voluntatem qua peccant à Deo præscitam, non tamen esse à Deo prædestinatam, cùm ipsam voluntatem malam non aliter essent habituri, nisi in eo quod fuissent à Domino recessuri, nec B Deum prædestinasse discessionem hominis à se, cum causa ipsius discessionis sola voluntaria esset auersio peccatoris, quæ quia Deum futura non latuit in æterna præscientia eius præparatam sibi pœnam iustæ retributionis inuenit.]

Prud. Cap. 11. num 7. sect. 7. † Quibus definitionibus Sanctorum Patrum liquet aliud esse præscientiam, aliud prædestinationem. Sed cum dicis: *Sola vero præscientia sine prædestinatione omnino malorum est, quæ Deus non facit.*] Verum est, si tamen malorum nomine peccata, non etiam eorum pœnas intelligis quas Deo vindice retribui nullus Catholicorum negat. Porrò malorum præscientiam dicens, vt quid superiùs malorum præscientiam tantisper negaueris, aut vtrum in his etiam verbis tuis à contrario identidem velis intelligi non elucet: Quod si admittitur prorsus nihil esse conuincitur; Verùm ne de contrariorum adhuc capacitate queraris, fatendum est fide inconcussa, quod neque prædestinatio, neque iudicium Dei C secundum quendam modum contrariorum capacia rectè dicantur, cum in eis nihil sit omnino contrarium: Ad prædestinationem namque ac iudicium Dei nihil præter misericordiam, & institiam, vel quibuscumque aliis vocabulis nuncupentur, pertinere certum est, quæ nullatenus sibi dici valent contraria: quoniam & misericordia & iustitia absque contradictione bona sunt, illo nimirum auctore, qui summè verè, sempiterneque bonus est, & à quo est quicquid boni est. Ac per hoc si quis misericordiam & iustitiam Dei bona esse negauerit, fidei Catholicæ inimicus absque dubio comprobatur. Sit ergo prædestinatio & iudicium Dei nequaquam contrariorum capax, quia quæ bona bono auctore videlicet Deo existunt, contraria sibi esse nullatenus possunt. Prosper: Prosp. ad obiect. Gallor. cap. 6. [Prædestinationem autem Dei siue ad bonum, siue ad malum in hominibus operari ineptissimè dicitur, vt ad vtrumque homines quædam necessitas videatur impellere; cum in bonis voluntas sit intelligenda de gratia, in malis autem voluntas intelligenda sine gratia. † Idem Idem ib. Prosper. Prædestinatio igitur Dei semper in bono est, D aut ad retributionem iustitiæ, aut ad donationem pertinet cap. 14. gratiæ. † Idem Prosper Prædestinatio quoque Dei semper Id. ibid. sent. 6. in bono est quæ peccatum sola hominis voluntate commissum, aut remittendum nouit cum laude misericordiæ, aut plectendum cum laude iustitiæ.] † Adiungis & dicis.

IOANNES SCOTVS.

⊖ [*Et ne vllus inde dubitaret adiecit: quocirca prædestinatio Dei quæ in bono est, gratiæ est præparatio, gratia vero est ipsius prædestinationis effectus.*] *Idem in libro de dono perseuerantiæ eadem planius aperit dicens. Ista igitur sua dona quibuscumque Deus donat, procul dubio se daturum esse præsciuit & in sua præscientia præparauit*, quos *ergo* prædestinauit ipsos & vocauit, *Vocatione illa de qua dictum est:* Sine pœnitentia sunt dona, & vocatio Dei; *Namque in sua, quæ falli mutarique non potest præscientia, opera sua futura disponere, id omnino nec aliud quicquam, est prædestinare.*] *Huic clarissimæ tubæ atque apertissimæ Christianorum castrorum quis dissonare præsumat? quæ apertissima voce resonare non desinit. Id omninò nec aliud esse Deum prædestinare, quam præscientia sua opera, quæ ipse facturus fuerat disponere.*]

Cap. 11. num. 8. sect. 7. Aug. de Prædest. sanct. cap. 10. Rom. 11. 29. Idem de don. Perseu. cap. 17.

CORRECTIO.

† Tu sine dubio huic clarissimæ tubæ ausus es dissonare, qui contra Augustini definitionem magnis quantum in te est disputationibus efficere voluisti, nihil aliud prædestinationem Dei, quam præscientiam eius debere accipi. Et inter opera illius pœnas, quas peccantibus iustè præparauit, nullo modo computari. Hoc ipsum definitionis ratione moliens affirmare, transis ad conglutinatas tibi, consuetissimasque ratiocinatiunculas, quibus veritatis munimenta confringere machinaris, eaque ab alio disputationis initio ordiris. Prud.

F

CAP. XII.

De definitione Prædestinationis. Cap. XII.

DVodecimus igitur disputationum tuarum titulus est. Num. 1. sect. 1.

IOANNES SCOTVS.

⊖ *De definitione prædestinationis. Fiat igitur* (inquiens) *huius definitionis conuersio sic: Si verum est sua, quæ falli mutarique non potest præscientia opera futura disponere, id omnino, nec aliud quicquam est prædestinare, quam in sua quæ falli mutarique non potest præscientia opera sua futura disponere.*

CORRECTIO. G

† Huic definitionis conuersioni quoniam vera est, tibique per omnia repugnans, conficis aliam conuersionem prorsus contrariam, cum in fine superioris ex verbis Augustini posueris. [Definitio nihil minùs nihil amplius continet, quam id quod susceptum est explicandum aliter omnino vitiosa est] hinc coniicitur falsam esse aliam tuam conuersionem, quæ ita se habet.] Prud.

IOANNES SCOTVS.

⊖ *Si omnis præscientia, qua Deus opera sua futura disposuit diuina prædestinatio est, omnis prædestinatio, qua Deus opera sua futura disposuit diuina præscientia est.* Cap. 12. num. 2. sect. 1.

CORRECTIO.

H † Non hoc continetur in definitione Augustini: non enim dixit quod omnis præscientia, qua Deus opera sua futura disposuit, diuina prædestinatio est: Sed quod in sua, quæ falli mutarique non potest præscientia, opera sua futura disponere id omnino, nec aliud quicquam est prædestinare] nec dixit præscientia est dispositio operum Dei futurorum, sed in præscientia posuit dispositionem, id est prædestinationem. Aliud est ergo præscientia, in qua disponuntur hoc est prædestinatur opera Dei futura: Aliud dispositio, hoc est prædestinatio futurorum operum illius in eius præscientia constituta; præscientia enim disposuit, hoc est prædestinauit opera sua futura, non prædestinatione præsciuit opera sua futura: præscientia quippè ratione prædestinationem præcedit, videlicet quia ex præscientia prædestinatio, non ex prædestinatione prodit præscientia: Et sicut rectè dicitur præsciendo prædestinat, prædestinando præscit: Ita non rectè generaliter dicitur præscientia prædestinat, prædestinatione præscit: Id est cum rectè dicatur præscientia prædestinare, Et Aug. de dono Perseu. cap. 17.

nare,

nate, non tam latè rectè dicatur prædestinatione præscire: non enim ex prædestinatione præscientia, sed ex præscientia prædestinatio sumitur: Ideoque possunt multa præsciri absque prædestinatione, id est quæ præsciantur tantum, & non prædestinentur, nulla vero possunt prædestinari nisi præsciantur. Nusquam sanè vel Augustinum, vel cæteros Patres dixisse inuenimus, omnem præscientiam esse prædestinationem, vel omnem prædestinationem esse præscientiam. Sed posse præscientiam esse sine prædestinatione, prædestinationem verò sine præscientia nunquam. Igitur falsitatis conuincitur conuersio tua, quæ definitionis metas excedens, commenta est, quod non habet veritas definitionis. Nec mirum si conuersionem nomines, quæ à veritate discedens conatur inducere falsitatem, cum vocabulum conuersionis ambiguum habeatur, tam scilicet à malo in bonum quod est laudabile, quam à bono in malum, quod est vituperabile. Non itaque dicendum est omnis præscientia qua Deus opera sua futura disposuit, diuina præscientia est: Et omnis prædestinatio, qua Deus opera sua futura disposuit diuina præscientia: Sed in præscientia Dei qua opera sua futura disposuit diuina prædestinatio est, & omnis prædestinatio eius, qua opera sua futura disposuit in diuina præscientia est. Verum est igitur quod concludis dicendo.

IOANNES SCOTVS.

ϴ *Conficitur ergo prædestinationem Dei non esse nisi in operibus eius, quando nihil minus, nihil amplius continetur in eius definitione præter diuinorum operum dispositionem.*

CORRECTIO.

† Verum quod hoc dolosè protuleris manifestas, cum protinus adiungis.

IOANNES SCOTVS.

ϴ *Sed ad hæc* (inquiens) *dicturus es ad Dei opera pertinere iustè damnandos prædestinare ad pœnam: Sicut ad eius opera pertinet gratia saluandos prædestinare ad beatitudinem, & hoc testimoniis eiusdem S. Augustini firmare conaberis, quæ eo, quo posuisti ordine posuimus vt in eis non quod tu sed quod ille voluit videamus, quorum si vnum rectè fuerit expositum, sufficiet ad cætera intelligenda Ponamus ergo illud* [Magna opera Domini exquisita in omnes voluntates eius. *Et tam sapienter exquisita, vt cum Angelica & humana creatura peccasset, id est non quod ille, sed quod voluit ipsa fecisset; etiam per eandem creaturæ voluntatem, qua factum est, quod creator noluit, impleret ipse quod voluit. Benè vtens & malis tanquam summe bonus, ad eorum damnationem, quos iustè prædestinauit ad pœnam, & ad eorum salutem, quos benignè prædestinauit ad gratiam.*] *Ecce in vna eademque sententia prædestinauit* (inquit) *ad pœnam, prædestinauit ad gratiam: Vbi quæsimus respondeas ad ea, quæ interrogamus Vtrum ad iustitiam Dei, an ad eius gratiam pertineat prædestinare impios ad pœnam? Respondebis credo ad iustitiam? Ait enim quos iustè prædestinauit ad pœnam: Non igitur ad gratiam. Ac per hoc, si pœnæ prædestinatio donum Dei non est, sed peccati iudicium, necessario sequitur vt aut falsum sit, quod ipse Augustinus ait:* [*Prædestinatio Dei; quæ in bono est, gratiæ est præparatio*] *aut è contrario accipiatur prædestinatio pœnarum. Est autem verum & immutabile quod dixit:* [*prædestinatio Dei, quæ in bono est gratiæ est præparatio.*] *E contrario igitur intelligi voluit quod posuit prædestinauit ad pœnam.*

CORRECTIO.

† Quicumque veritatis lumine illustratur, omnino videt, quam falso ista protuleris dicendo beatum Augustinum prædestinationem impiorum à contrario posuisse cuius absurditatem intellectus tam auctoritate Scripturarum quam exemplis patrum venerabilium suprà refellimus: omissis siquidem cæteris solus vel maximè ad hoc sanctus Fulgentius sufficit, qui posthabita imo nec cogitata peruersitate tua beatum Augustinum prædestinatos ad pœnam non contrariè, sed rectè, non negatione sed veritate sensisse atque dixisse confirmat: proinde cum pœnæ prædestinatio donum Dei non sit, sed peccati iudicium, id est iustitiæ retributio, non necessario sequitur, vt aut falsum sit, quod ipse Augustinus ait: [Prædestinatio Dei, quæ in bono est, gratiæ est præparatio.] Aut à contrario accipiatur prædestinatio pœnarum: qui enim non dicit absolutè prædestinatio Dei gratiæ est præparatio, aut omnis prædestinatio Dei gratiæ est præparatio aut prædestinatio Dei nihil est aliud, quam gratiæ præparatio, sed addidit quæ *in* bono est, profectò innuit se eam tantummodo prædestinationem quæ ad electos pertinet, non illam quæ reprobos iustè punit, definisse: Sed vna eademque sententia, sicut veraciter dixit prædestinatos ad gratiam, ita veraciter intulit prædestinatos ad pœnam. Quod cum tibi displiceat, neque alios latere videris, quin quod nunc breuiter prælibauimus, tibi quisque prudens posset opponere. Secutus adnectis. E F

IOANNES SCOTVS.

ϴ *Sed ne fortè* (inquiens) *obiicias, non dixit prædestinatio Dei est gratiæ præparatio, sed prædestinatio Dei, quæ in bono est, gratiæ est præparatio, tibi videtur locus relinqui alterius prædestinationis, quæ tanquam in malo sit, aut eadem prædestinatio, si vna solaque est, in bono & malo fieri, posse non negatur. Primum attende vnam definitionem duas prædestinationes omnino non posse continere: Deinde quod si nulla alia definitio prædestinationis verior, aptiorque inueniatur, quam illa quæ prædicta est, nihil nisi opera diuina comprehendit, quæ nullo piè credentium dubitante bona sunt, quid nos cogit aliud aliquid subaudire, audientes prædestinationem Dei, quæ in bono est, nisi semper eam & bonam & in bono esse.* Cap. 12. num. 5. lect. 3. H

CORRECTIO.

† O Regule de radice colubri egrediens, de quo canitur. O tortuose serpens, qui mille per meandros, fraudesques flexuosas agitas quieta corda, & item cui sunt mille nocendi artes; quid veritati tanta obstinatione obsistis? quid perspicuitatem veritatis mendaciorum cuniculis inficere satagis? Si taliter Fulgentius Augustinum sensisse, atque dixisse nouisset, nunquam diuersitatem prædestinationis protulisset, nunquam Gregorius prædestinationes pluraliter enuntiasset: Nunquam Isidorus geminam prædestinationem nuncupasset; nunquam cæteri quique Catholici doctores in suis scriptis toties destinatos, prædestinatos, paratos, præparatos, deputatos, delegatosque ad pœnas, vel interitum intimassent: Ac per hoc & nos semper Dei prædestinationem bonam, & in bono esse indubitanter, sicut & iudicium illius fatemur: quoniam cum nihil aliud in Dei prædestinatione atque iudicio, quam misericordia & iustitia contineatur, nequaquam eius prædestinatio, & iudicium vel mala vel in malo esse possunt, quæ non aliud quam bona in se continent, misericordiam videlicet, & iustitiam: quæ (sicut diximus) licet semper bona, & in bono sit, aliud tamen beatus Augustinus in sua definitione attendit dicendo: prædestinatio Dei, quæ in bono est gratiæ est præparatio] quæ in bono est (inquit) id est quæ ad bonum electionis sanctorum pertinet: vt altera intelligatur in malo, quæ non sit omnino mala, quia ad Dei iustitiam pertinet, sed tamen iustè puniat reprobos: quia nullo obsistente iustitia vtrique bona est: quod ita se intellexisse ex aliis suorum librorum dictis ipse manifestat, qui in libro Enchiridion dicit. Augustinus: Aliquando enim iudicium Dei punitur in malo: Vnde illud est: *Qui autem malè egerunt in resurrectionem iudicij* aliquando, & in bono: secundum quod dictum est. *Deus in nomine too salnam* Prud. G Aug de Prædest. Sanct. cap. 10. August. Enchir. cap. 55. Ioan. 5. 29. Ps. 53. 3.

A *num me fac, & in virtute tua iudica me.* Dei iudicium quippè Dei fit ipsa bonorum malorumque discretio † vt liberandi à malo, non perdendi cum malis, boni ad dexteram segregentur, propter quod ille † clamat, *Iudica me Deus.* Et quid dixerit velut exponens. *Et discerne* (inquit) *causam meam.* † Sicut ergo iudicium vel in malo, vel in bono, ita incunctanter prædestinationem vel in malo, vel in bono, dici & intelligi voluit, quæ à Dei iudicio nequaquam differt, interea subnectis.

[† al. vbi. † al. clamabat. Matth. 25. 33. Psal. 42. 1. Ibid.]

Ioannes Scotvs.

Cap. 12. num. 6. sect. 3. ⊖ *Si autem dicis bonum est prædestinare impios ad pænam, & ideo inter opera Dei reputandum, respondemus bonum, quia iustum, sed quoniam non est Dei donum, cum eius sit iudicium: omnis autem prædestinatio Dei omnino est præparatio gratiæ, omnisque gratia donum; necessario*
B *colligitur omnis diuina prædestinatio donorum eius præparatio, pæna proculdubio impios iustè torquet, quæ donum non est alioquin si esset donum, non torqueret, sed vtique liberaret, non est igitur prædestinatio pænæ; quod si esset, non esset pæna, sed gratia: est autem pæna: non est igitur prædestinatio eius.*

Correctio.

† Quantum à veritate abhorreas, & cum Balaam apertis oculis cadas: quisquis diligenter legerit, facilè
2. Pet. 2. 15. peruidebit: dicens itaque *bonum esse prædestinare impios ad pænam quia iustum.*] Proculdubio apertis oculis verum vides. Adiungens autem: *Sed quoniam non est Dei donum, cum eius sit iudicium: non est igitur prædestinatio pænæ, quod si esset, non esset pæna, sed gratia.*] Perspicuè iustitiam Dei atque iudicium aut penitus negas, aut omnino mala esse confirmas: Si enim nihil aliud pertinet ad bonitatem Dei, quam dona gratis tribuere, restat, vt
C iustitia iudiciumque illius, quibus reprobi puniuntur, aut mala sint, aut omnino non sint: Omnes autem Scripturæ Deum, & iustum, & iudicem clamant; quæ si bona non sunt, quia dona non sunt quid aliud restat, nisi vt neges Deum esse qui, & iustus & iudex est? Ita quippè ad omnes eius iudicium separasti, ac si malum velles intelligi iudicium: Ita enim se habent verba tua: *Sed quoniam non est Dei donum cum eius sit iudicium,*] quasi nihil aliud possit esse bonum, nisi Dei donum: Est autem iudicium, estque iustitia & omnino bona: Si ergo & iustitia & iudicium indubitanter bona sunt, necessario colligitur prædestinare impios ad pœnam bonum esse, cum sit Dei iustitia atque iudicium; quæ quisquis bona esse negauerit, sine dubio impietatis reus esse conuincitur.

Cap. 12. num. 7. sect. 4. Itemque quod ais. *Omnis autem prædestinatio Dei omnino est præparatio gratiæ.*] Falsum ex definitione beati Augustini arguitur, qui nusquam dixisse reperitur: omnis prædestinatio Dei gratiæ est præparatio, sed simpliciter, quia veraciter, prædestinatio Dei, quæ in bono
D est, gratiæ est præparatio. Sicut ergo iustitia Dei atque iudicium bonis bona, & malis mala retribuunt: Ita prædestinatio bonis bona, & malis mala retribuenda disposuit.

Cap. 12. num. 8. sect. 4. Deinde inferens, *Pæna proculdubio impios iustè torquet, quæ donum non est: alioquin si esset donum, non torqueret: Sed vtique liberaret: non est igitur prædestinatio pæna:*] Cur non perpendis, quia iusta est, & ad Dei iustitiam pertinens pœna? Itaque quia concedis iustè impios pœna torqueri, concedas necesse est bonum esse, quia omne iustum bonum. Ergo si bonum est quia iustum, constat impios pœna torqueri, falsum est non esse prædestinationem pœnæ: quia quemadmodum iustum est retribuere, ita nimirum iustum, perindeque bonum fuit identidem prædestinasse: nisi enim esset iustitia, nec prædestinatio præcessisset, neque iudicium futurum esset. Est autem iudicium, quo retribuatur vnicuique secundum opus eius. Est igitur prædestinatio eiusdem iudicij id est præparatio atque dispositio in præscientia Dei futurorum operum eius: Est etiam pœna quæ retribuatur E
impiis, sicut est præmium quod retribuatur piis. Et hoc est totum prædestinasse Deum, quod erat ipso auctore futurum, misericordia scilicet, atque iudicium: Planè miror cæcitatem tuam interdum negare, interdum confirmare pœnas: Nam qui hactenus pœnas peccatis debitas vsquequaque negaueras, nunc confiteris dicendo *pæna proculdubio impios iustè torquet.*] Et item: *est autem pæna,*] cumque iam pœnam fatearis, insaniæ plenum deprehenditur prædestinationem eius negare, quæ iusta est. Omne quippe iustum bonum: bona est ergo prædestinatio pœnæ, sicut iudicij, quia sine dubio iusta: nihil autem iniustum bonum: omne autem iustum bonum: Bonum igitur prædestinatio pœnæ; quia proculdubio iustum.

Quapropter friuola prorsus conuincitur argumentatio tua, cum id conaris euertere, quod & auctoritas & Cap. 12. num. 9. sect. 4.
ratio perspicuè persuadent: Sententiam verò Augustini, F
quam confirmationi prædestinationis adhibes, semper in Aug. de don. perseu. cap. 17. in fine, ib c. 17.
donis diuinæ largitatis intelligendæ, prorsus in nullo tuæ adminiculatur assertioni: dicendo enim: hæc Dei dona, si nulla est prædestinatio, quam defendimus, non præsciuntur à Deo: præsciuntur autem: Hæc est igitur prædestinatio, quam defendimus. Vnde aliquando eadem Ro. 11. 2.
prædestinatio significatur etiam nomine præscientiæ, sicut ait Apostolus, *Non repulit Deus plebem suam, quam præsciuit.* Hoc quod ait præsciuit, non rectè intelligitur nisi prædestinauit,] Et cætera quæ sequuntur de ea quæ ad sanctos pertinet se tantummodo dixisse manifestauit, addendo videlicet, quam defendimus, eamquippe defendendam susceperat: quoniam eadem iam impugnabatur à tuis; vt ita dixerim propugnatoribus, sicut Epistola Prosperi & Hilarij ad eum, & responsio eius, titulusque libri, atque actio satis apertèque declarant: Necdum Nota.
namque prædestinatio impiorum cœperat denegari, quam frequenter in Pelagianorum etiam libris atque Origenis positam inuenimus, quorum idcirco testimonia proferre non necessarium duximus; quoniam Catho- G
licorum munimentis nos abundare fauente Domino copiosius congaudemus. Hinc interposita beati Augustini sententia, quam ex libro illius de dono perseuerantiæ decerptam tuis actionibus inserendam quamuis inepte prorsus censuisti, qua de prædestinatione sanctorum fideliter disputans præscientiam pro ea aliquando poni solere edocuit, consueto tibi errore argumentaris.

Ioannes Scotvs.

⊖ *Omnis* (inquit) *præscientia pertinens ad electos prædestinatio est: nulla prædestinatio nisi electorum est; nulla igitur præscientia pertinens ad electos prædestinatio non est, nullus eligitur ad pænam: quomodo ergo prædestinatur pæna quæ reproborum est propria?* Cap. 12. num. 10. sect. 5.

Correctio.

† Quæ argumentatio ex præcedentibus falsa esse H
conuincitur. Dicens quippe *nulla prædestinatio nisi electorum est*] mentiris, quia & Scripturæ sanctæ auctoritas, & sanctorum patrum vnanimitas destinatos vel prædestinatos, paratos vel præparatos, ac deputatos ad pœnam vel interitum infucate atque concorditer indicat. Cap. 12. num. 11. sect. 5.
Quodque infers, *Nullus eligitur ad pænam: quomodo ergo prædestinatur pæna, quæ reproborum est propria.*] Videris intelligere electionem & prædestinationem vnum esse, cum plurimum interesse nullus ignoret: Nam aliud eligere, aliud esse prædestinare quis nesciat? Sicut enim aliud est eligere, aliud disponere: Ita aliud est eligere, aliud destinare: quoniam destinare vel prædestinare non esse aliud quam disponere vel præparare, vel quicquid idem significat, iam supra monstratum est. Porrò eligi quemquam ad pœnam vel interitum diuina eloquia raro testantur, prædestinari verò pœnas omnis veteris & noui instrumenti Scriptura testatur.

Sed quod dicis *pænam esse reproborum propriam.*] mi- Cap. 12. num 12. sect. 5.

tum

Digitized by Google

tum est quare propriam reproborum dixeris, cum veritas Christianæ fidei habeat excepto Deo; & Domino nostro IESV CHRISTO nullum ex peccatrice propagine, nisi peccatorem nasci, perindeque pœnam iusto Dei iudicio promereri; Ac per hoc quemadmodum omnes peccatores unitæ traduce; Ita omnes pœnia debitos incunctanter tenemus, & sicut à peccato nō nisi gratuita gratia, ita à pœnis non nisi eadem misericordia liberat. Propria est ergo peccatorum omniū pœna; sicut post primam transgressionem peccatrix est omnium natura: Et ita omnium communis est pœna, sicut communis est omnium culpa: dicente Apostolo: *Sicut per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors*; Et iterum: *In quo omnes peccauerunt.*

Certè traditione maiorum primum hominem quamuis tam grauiter peccauerit, vt omne hominum genus ex sua propagine per concubitum maris & fœminæ nasciturum peccato mortique substrauerit, saluatum Dei gratia sanctorumque collegio sociatum credimus, & fatemur: qui sicut primus omnium hominum cum coniuge sua peccauit: ita primus pœnam damnationis excepit. Quære itaque vtrum propria eius pœna fuerit, an extranea: proprium autem eius fuisse peccatum, nemo cunctatur: Iustum igitur fuit, vt ipse propriam pœnam perciperet, licet inuitus, qui propria voluntate peccatum commiserat non inuitus: propria ergo peccatorum omnium pœna dicenda est, non tantummodo reproborum, quia omnium culpa communis est, qua pœnam meruerunt, non solummodo reproborum. Et hoc est quod fideliter dicitur Deum prædestinasse, vel præparasse, vel disposuisse, vel deputasse, vel delegasse peccatoribus pœnas, quas peccantibus se præuiderat merito redditurum: si enim non prædestinauit pœnas, quid est quod præceptum obedientiæ dans primis hominibus dixit: *Quacumque die comederitis ex eo, morte moriemini?* & rursum: Si ipse non rependit meritas pœnas quid est quod eisdem iam peccatoribus dicit: *donec reuertaris in terram, de qua sumptus es, quia puluis es & in puluerem reuerteris?* Si (inquam) nec præsciuit, nec prædestinauit hanc pœnam, quomodo eam & ante peccatum prædixit futuram, & post peccatum reddidit consecutam? proinde sicut propriam culpam, ita propriam pœnam illius dicendam omni peccatori fortassis non incongruè dixerim: quoniam secundum Apostolum *Omnes peccauerunt, & egent gloria Dei. Et conclusit scriptura omnia sub peccato vt omnium misereatur.*

Verum quia electionis vocabulum ad amicissimam tibi contrarietatis peruersitatem detorques, adhibita beati Augustini sententia, qua satagis confirmare reprobos appellari electos, cum non sint electi; te necdum plene intellexisse quid senserit euidentissimè indicas: dicit enim Augustinus. [Electi enim sunt ad regnandum cum Christo, non quomodo *Electus est Iudas ad opus, cui congruebat*: ab illo quippe electus est, qui nouit benè vti etiam malis, vt per eius opus damnabile, illud propter quod ipse venerat opus venerabile compleretur. Cum itaque audimus *Nonne ego vos duodecim elegi, & vnus ex vobis diabolus est?* Illos debemus intelligere electos per misericordiam, illum per iudicium Illos ergo elegit ad obtinendum regnum suum, illum ad fundendum sanguinem suum: *Firmum autem fundamentum Dei stat habens signaculum hoc, sciuit Dominus qui sunt eius.* Horum *fides quæ per dilectionem operatur*, profectò aut omnino non deficit, aut si qui sunt quorum deficit reparatur antequam vita ista finiatur, & deleta quæ incurrerat iniquitate, vsque in finem perseuerantia deputatur: qui vero perseueraturi non sunt, ac sic à fide Christiana, & conuersatione lapsuri sunt, vt tales eos vitæ huius finis inueniat, procuIdubio nec illo tempore, quo benè pieque viuunt in istorum numero computandi sunt: non enim sunt à massa illa perditionis præscientia Dei, & prædestinatione discreti. Et ideo nec secundum propositum vocati, ac per hoc nec electi, sed in eis vocati de quibus dictum est, *multi vocati & non in eis de quibus dictum est pauci vero electi.* Et tamen quis eos neget electos, cum credunt, & baptizantur, & secundum Deum viuunt? planè dicuntur electi à nescientibus quid futuri sint, non ab illo qui eos nouit non habere perseuerantiam, quæ ad beatam vitam perducit electos † sicque illos ita stare vt † præscierit esse casuros. B

† al. *scit que.* † al *præsciret.*

Nec nos moueat quod filiis suis quibusdam Deus non dat istam perseuerantiam; absit enim vt ita esset, si de illis prædestinatis essent & secundum propositum vocatis: † qui verò non sunt filij promissionis, iam isti cum piè viuunt dicuntur Filij Dei; sed quoniam victuri sunt impiè, & in eadem impietate morituri, non eos dicit Filios Dei præscientia Dei: sunt enim Filij Dei, qui nondum sunt nobis, & sunt iam Deo, de quibus ait Euangelista Ioannes: *Quia IESVS moriturus erat pro gente: & non tantum pro gente, sed etiam vt Filios Dei dispersos congregaret in vnum*: Quod vtique credendo futuri erant per Euangelij prædicationem: & tamen antequam esset factum, iam Filij Dei erant in memoriali patris sui inconcussa stabilitate conscripti. Et sunt rursus quidam, † filij, qui propter susceptam temporaliter gratiam dicuntur a nobis, nec sunt tamen Deo, de quibus ait, idem Ioannes: *Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis &c.* Cum ergo filij Dei dicuntur, de his qui perseuerantiam non habuerunt, *Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis.* † Et additur, *quod si fuissent ex nobis permansissent vtique nobiscum.* Quid aliud dicuntur nisi non erant filij etiam, quando erant in professione & nomine filiorum.]

Id. ib. cap. 9. Rom. 9. 18. † al. *qui verò sūt filij promissionis. Nam isti &c.* Ioan. 11. 51. & 52. F † al. *qui filij Dei.* 1. Ioan. 2. 19. † al. *&* *additur.*

† Cuius sententiæ documentum, quia in aliam pericopen differs. Et nos responsionem eatenùs differamus. Prud.

CAP. XIII.

Cap. XIII. G

Quid potest colligi ex Prædicta sancti Augustini sententia.

TErtia decima itaque tali titulo prænotatur.

IOANNES SCOTVS.

Θ *Quid potest colligi ex prædicta sancti Augustini sententia.*

CORRECTIO.

† In qua, cum ex verbis sancti Augustini colligere niteris sufficientia his quæ suadere conaris probandis, multum à sensu eiusdem Augustini recedis: nam cum poneret testimonium dicentis Domini: *Nonne ego vos duodecim elegi, & vnus ex vobis diabolus est*, subiunxit & ait. [Illos debemus intelligere electos per misericordiam, illum per iudicium; illos ad obtinendum regnum suum, illum ad fundendum sanguinem suum] quæ verba piè considerata sobrieque perpensa multo aliud, quam quod colligis resonant. Dixit enim electos vndecim per misericordiam, Iudam proditorem per iudicium. Colligenda sunt ergo etiam ex aliis eius vel libris vel sermonibus, omnia vel pene omnia, quæ super Iudæ electione, diuersimodis, sed non diuersa fide tractauit quibus liquidò perpendi queat, vtrum à contrario vspiam docuerit intelligendum, vt tu somnias, an veritate manifesta dictorum, sicut omnibus orthodoxis doctoribus absque vlla discrepantia concorditer visum est, de qua te idem doctor venerabilis in libro quæstionum de Genesi ita locutus est: exponens quippè scripturæ locum quo dicitur, *Hi sunt filij Israel, qui nati sunt ei in Mesopotamia & computantur duodecim*, Cum Benjamin longè postea natus est. Augustinus: [Nulla inquit tamen est facilior solutio quæstionis huius, quam vt per synecdochen accipiatur: vbi enim pars maior est, aut potior,

Cap. 13. num. 1. sect. 1. Aug. de corr. ept. & grat. cap. 7. H Ioan. 6. 17. Gen. 35. 26. August. quæst in Genes. qu. 117.

soler

A foler tuus nomine etiam illud comprehendi, quod ad ipsum nomen non pertinet: ficut ad duodecim Apostolos iam non pertinebat Iudas, qui etiam mortuus fuit cum Dominus resurrexit à mortuis: Et tamen ipsius duodenarij numeri nomen Apostolus in Epistola sua tenuit, 1. Cor. 15. vbi ait *cum apparuisse illis duodecim*: Cum articulo enim hoc Græci codices habent, vt non possint intelligi quicumque duodecim, sed illi in eo numero insignes: Eo modo locutionis puto & illud à Domino dictum: 5. Ioan. 6. 71. *Nonne ego vos duodecim elegi, & vnus ex vobis diabolus est*, vt non ad electionem etiam ipse pertinere videatur: non enim facile inuenitur electorum nomen in malo, nisi quando mali eliguntur à malis. Quod si putauerimus & illum electum, vt per eius traditionem Domini passio compleretur, id est malitiam eius ad aliquid electam benè vtente Deo etiam malis; illud attendamus vbi ait: Ioan. 13. 18. *Non de omnibus vobis dico: Ego scio quos elegi*. B Vbi declarat ad electionem non pertinere, nisi bonos; Ac per hoc illud quod dictum est: Ib. 6. 71. *Ego vos duodecim elegi* per synecdochen dictum est, vt nomine maioris, meliorisque partis, etiam illud complecteretur, quod ad ipsum nomen non pertinet.]

† Qua sententia deliratio tua frustratur, qua contrarietatis nobis intelligentias imponis. Cum per tropum synecdochen dictum potius aperitur, quibus cassatis intelligendum est electionis vocabulum à Deo semper in bono poni, aut secundum memorataa sententias ad percipiendum regnum æternum, aut secundum alios orthodoxos Ecclesiæ tractatores ad aliquod bonum Dei voluntate, & iussione etiam temporaliter exhibendum; quemadmodum de Saüle Scriptura refert dicente Samuële ad populum: 1. Reg. 10. 24. *Certè videtis, quem elegerit Dominus, quoniam non sit similis illi in omni populo:* Vbi electionis nomen nequaquam æterni regni perceptionem, sed transitorij administrationem significat. Quod diligentius idem Propheta Genealogiam patris C eius describens ita exequitur: 1. Reg. 9. 1. *Et erat vir de Beniamin nomine Cis filius Abiel filij Seor filij Bechorathi, filij Sared, filij Aphia, filij viri Iemini fortis robore & erat ei filius vocabulo Saül electus & bonus: Et non erat vir de filiis Israël melior illo*. De electione Iudæ. Si de electione forsitan ambigebas, boni & melioris vocabula omnem hæsitationis nebulam explauserunt; ita & Iudam electum à Domino ad Apostolatus temporale officium, non tamen ad Apostolatus præmium sempiternum. Luc. 10. 19. Nam eum cum cæteris accepisse à Domino potestatem calcandi super serpentes, & scorpiones, & omnem virtutem inimici, & post patrata miracula potestatis acceptæ reuersum cum eisdem ad Dominum Euangelium indicat. Marc. 6. 13. Quibus exemplis docetur eos à Domino haudquaquam fallaciter, aut dolosè vel simulatè electos, sed omnino veraciter, quamquam non ad æternam beatitudinem capescendam; verum ad aliquam temporariæ dispensationis administrationem. Et ne Saulis electionem à contrario accipiendam censeas, 1. Reg. 9. 2. vel ad malum inflectas, liquido verax Scriptura testatur D *Quia esset bonus, & non esset melior illo in filiis Israël:* Hoc nequaquam à nescientibus putatum dictumve fuit, sed à Propheta, quem eius bonitas, inspirante Domino non latebat. Augustinus in homilia 27. In Euangelia Ioannis.

Aug. in Euang. Ioan. hom. 27. Ioan. 6. 71. Augustinus. [Ait ergo Dominus IESVS *nonne ego vos duodecim elegi, & vnus ex vobis diabolus est?* † Ergo electus est & iste de quo nolente & nesciente, magnum aliquid † bonum fieret: hoc est proprium Dei contrarium iniquis: † al. an. † al. boni. sicut enim iniqui malè vtuntur bonis operibus Dei; sic contra Deus benè vtitur malis operibus hominum iniquorum: sicut iniqui inquam audite & intelligite, sicut iniqui malè vtuntur operibus Dei bonis, sic contra Deus benè vtitur malis operibus iniquorum. Quam bonum est membra corporis ita esse, quemadmodum disponi non possent nisi ab artifice Domino? Petulantia tamen quam malè vtitur oculis? fallacia quam malè vtitur lingua? falsus testis nonnè linguam suam, & animam suam prius trucidat, & alterum lædere se perempto conatur? Malè vtitur lingua, E nec ideò malum est lingua; opus Dei est lingua, sed bono opere Dei malè vtitur illa nequitia: quomodo vtuntur pedibus qui currunt ad scelera, quomodo vtuntur manibus homicidæ, & illis adiacentibus forinsecus bonis creaturis Dei: quam malè vtuntur mali auro? iudicia corrumpunt, innocentes opprimunt: Luce ista mali malè vtuntur: malè viuendo enim, etiam ipsam lucem † qua vident ad ministerium suorum scelerum vsurpant: † al. quâ. vadens vt faciat aliquid mali malus, lucere sibi vult ne offendat, qui iam intus offendit, & cecidit. Quod timet in corpore iam incurrit in corde: omnibus ergo bonis Dei, ne per singula currere longum sit malè vtitur malus: contra malis hominum malorum benè vtitur bonus. Et quid tam bonum, quàm † bonus Deus? † al. vnus Marc. 10. 18. Ioan. 13. 6. quandoquidem ipse Dominus dixit. *Nemo bonus nisi solus Deus*; quantò ergo ille melior, tantò meliùs vtitur & malis nostris. Quid Iuda peius? Inter omnes adhærentes magistro, inter duodecim loculi ei commissi sunt, & F dispensatio pauperum distributa, ingratus tanto beneficio, honori tanto, accepit pecuniam, perdidit iustitiam, tradidit vitam mortuus, quem vt discipulus secutus, vt inimicus persecutus est. Totum hoc malum Iudæ sed malo eius benè vsus est Dominus tradi se pertulit, vt redimeret nos. Ecce malum Iudæ in bonum conuersum est; Satanas quantos martyres persecutus est; si Satanas à persequendo cessaret, hodie tam gloriosam coronam sancti Laurentij non celebraremus. Si ergo ipsius diaboli malis operibus benè vtitur Deus, quod facit malus malè vtendo, sibi nocet, non bonitati Dei, contradicit, artifex illo vtitur, & magnus artifex. Si illo vti non posset nec eum esse permitteret. Ioan. 6. 71. *Ergo vnus ex vobis diabolus est*, ait. *Cum ego vos duodecim elegerim*. † Idem in homilia 7. de cœna Domini.

Id. hom. 7. de cœna Domini. Ioan. 13. 21. Augustinus. *Vnus ex vobis tradet me*, vnus ex vobis numero non merito, specie non virtute, commixtione corporali, non vinculo spiritali, carnis adiunctione, G non cordis socius vnitate: Proinde non qui ex vobis est, sed qui ex vobis exiturus est. Nam quomodo erit verum, quod protestatus est IESVS & dixit *vnus ex vobis*. Si verum est quod ait idem ipse in Epistola sua cuius est hoc Euangelium, 1. Ioan. 2. 19. *Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis? nam si fuissent ex nobis mansissent vtique nobiscum*; secundum communionem sacramentorum ex nobis, secundum suorum proprietatem criminum non ex nobis.]

† Idem in homilia 32. de cœna Domini. Augustinus. Id. hom. 32. De cœna Domini. Io. n. 15. 16. [*Non vos me elegistis, sed ego elegi vos*, Hæc est illa ineffabilis gratia. Quid enim eramus quando Christum nondum elegeramus, & ideo nondum diligebamus? nam qui eum non eligit quomodo non diligit? Nunquid iam in nobis erat quod in Psalmo canitur. Ps. 83. 11. *Elegi abiectus esse in domo Dei mei, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum?* Non vtique; quid ergo eramus, nisi iniqui, & perditi; neque enim iam credideramus in eum, vt eligeret nos. Nam si iam credentes elegit, electus H elegit. Cùm ergo diceret: Ibid v. 16. *Non vos me elegistis:* Quid aliud dixit, nisi quia Ps. 58. 11. *Misericordia eius præuenit nos*, generaliter vtique non personaliter, vt sibi circa omnes constet diuina iustitia? Hic certè vacat vana illorum ratiocinatio, qui præscientiam Dei defendunt contra gratiam Dei, & ideo nos dicunt electos ante mundi constitutionem quia, præsciuit nos Deus futuros bonos, non se ipsum nos facturum bonos. Non hoc dicit, quid dicit? non vos me elegistis, quoniam si propterea nos elegisset quia bonos futuros esse præsciebat, simul etiam præscisset, quod eum fuissemus prius electuri. Elegit ergo per gratiam, sicut elegit & Iudam, sed opus est, vt diuinæ electioni humanæ obedientiæ & diligentiæ cura respondeat.]

† Ecce vir Sanctus toties de vna eademque re pru- Prud. Cap. 13. num. 3. sect. 2. denter & fideliter elocutus, nusquam a contrario intelligendum electionis vocabulum docuisse inuenitur. Porro quod in assertionem contrarietatis addis. Similiter amicus, qui semper erat inimicus, mirum qua auctoritate

id proloqui adtemptaueris, cum inter eligendum minimè credatur aut legatur vspiam inimicum animum habuisse, donec post tantorum beneficia munerum proditioni animum præpararet. Nam in ipso vocationis suæ articulo, necdum de perditione Domini poterat cogitare, quem à Iudæis non dicam insequi, verum nec Prophetam aut Dominum cognosci sciebat: neque enim credibile est eum à Domino inimicum electum: quamuis enim non ignorauerit id futurum, sed processu temporis de bonitate ad malitiam commutatum: sicut Angelus & homo boni sine dubio à summo bono creatore conditi, deinceps sua voluntaria auersione mali effecti sunt; Dicente siquidem Euangelista cum alabastri erga pedes Domini fractionem narraret Iudam murmurasse. *Vt quid perditio hæc vnguenti, potuit enim venundari multò, & dari pauperibus: hoc autem dixit, quia fur erat, & loculos habens ea quæ mittebantur portabat.* Ex eo proditionis malum concepisse credendum est, ex quo & ipse à Domino dispensationis officium percepit & Iudæorum rabiem in illum concitari cognouit. Hoc ipsum beatus Gregorius sentiens; nobisque sentiendum venerabilitatis suæ scriptis relinquens in homilia Euangelij vocatorum ad nuptias, cum de eo qui veste nuptiis minus digna solemnitatem nuptiarum dehonestauerat, atque à Rege sub amici nomine increpatus fuerat, tractaret ait.

Gregorius: Mirandum valdè est (fratres charissimi) quod hunc & amicum vocat, & reprobat, ac si ei apertius dicat. Amice, & non amice, amice per fidem, sed non amice per operationem: Hieronymus amicum vocat, quod inuitatus ad nuptias est, arguit impudentiæ, quod veste sordida munditias pollueris nuptiales.

† Qui etiam identidem in Iudæ salutationa sentiendum perdocuit. Item Gregorius moralium lib. 3. Gregorius. Hæretici autem, quia Sanctam Ecclesiam sua docere desiderant, ad eam quasi consolantes appropinquant, nec mirum, quod qui aduersantium formam exprimunt, amici vocantur, cum ipsi quoque traditori dicitur, *Amice ad quid venisti*, Et diues qui in inferno igne exuritur Abraham filius vocatur quia & si per nos mali corrigi negligunt, dignum tamen est vt à nobis, non ex sua nequitia, sed ex nostra benignitate amici nominentur.

† Idem moralium lib. 6. Gregorius: Quo contra rectè sub Babylonis specie per Prophetam menti reprobæ dicitur: *Descende, sede in puluere virgo filia Babylonis, sede in terra, non est solium filia Chaldæorum:* Hoc enim loco humana mens virgo non incorrupta, vt arbitror dicitur, sed infœcunda: Et quia Babylon confusio interpretatur, rectè infœcunda mens Babylonis filia vocatur, quæ in eo, quod nequaquam bona opera germinat, dum nullo ordine rectæ vitæ componitur, quasi confusione matre generatur: sin autem virgo non infœcunda dicitur, sed incorrupta, postquam statum salutis perdidit, ad confusionis suæ cumulum appellatur quod fuit. † Hieronymus contra Iouinianum lib. 2. Hieronymus: *Arbor mala bonos fructus non facit, nec bona malos:* Si hoc ita est responde mihi quomodo Paulus cum esset arbor mala persequens Ecclesiam Christi fecerit postea fructus bonos, & Iudas cum esset arbor bona, signa faciens cum Apostolis, postea versus in proditorem fecerit fructus malos. Tamdiu ergo nec arbor bona fructus malos facit, nec mala bonos, quamdiu vel in bonitate sua, vel in malitia perseuerant. † Idem quod dicis.

Ioannes Scotus.

⊖ *Et quemadmodum non sunt filij, si non sunt hæredes, sic electi non sunt si non sint dilecti quomodo ergo nisi è contrario diceretur Iudas electus, dum non esset dilectus.*

Correctio.

E

† Debueras diligentiùs inuestigare vocabulum dilectionis, & electionis in Scripturis sanctis, quarum auctoritate fultus, nō eis repugnantia susurrares: Nam in libris regum & verbis dictum legimus *Salomonem ididiam* id est dilectum Domini vocatum *Et quod* (inquit) *Diligeret eum Dominus*, hoc non à nesciente quolibet, sed à propheta vtique sciente Domini voluntatem dictum est. Sic & Euangelista cum adolescentem diuitem, magnarumque opum ad Dominum venientem, & mandatorum legalium obseruationem promentem describeret secutus adiunxit, *Intuitus autem eum* Iesvs, *dilexit eum:* Nimirum ob custodiam præceptorum Dei, qui tamen quoniam erat multas possessiones habens, *audito* perfectionis consilio *abiit tristis.* Ecce Propheta & Euangelista dilectos à Domino pronuntiant quos filios promissionis forsitan non esse, minimè dubitabant: Nam bonam actionem etiam in impiis Deo placere ostendit Sanctus Gregorius qui in expositione Prophetæ Ezechiel ita loquitur. Gregorius. [Sic Achab iniquus rex à Propheta reprehensus cum contra se diuinam sententiam audisset, pertimuit, & magno mœrore depressus est, ita vt Prophetæ suo Dominus diceret: *Nonne vidisti humiliatum Achab coram me; quia igitur humiliatus est causa mei, non inducam malum in diebus eius.* In quibus Domini verbis pensandum est, quomodo ei in electis suis mœror amaritudinis placeat, qui amittere timent Dominum, si sic ei & † in reprobo pœnitentia placuit qui timebat perdere præsens sæculum: aut quomodo ei gratia sit spontanea afflictio pro culpis in eis qui placent, si hæc ad tempus placuit † in illo qui displicebat.

2. Reg. 12. 24. & 25.
Marc. 10. 21.
F
Greg in Ezech. l. 1. homil. 10.
3 Reg. 21. 29.
† al. reprobi.
† al. & in eis qui displicebant. Prud.

† Debuerat igitur attendere à Patribus vocabula dilectionis, & electionis, non à contrario intellecta & posita, sed pro varietate causarum aut beatitudini æternæ, aut dispositioni temporariæ deputata: Et licet ex Augustini sensu super electionis positione, quæ præmissa sunt protulerim tamen in malo etiam à Propheta Ezechiel positum nomen electionis reperitur, qui ait: *Traducam vos in desertum populorum, & iudicabor vobiscum ibi facie ad faciem, sicut iudicio contendi aduersum patres vestros in deserto terræ Ægypti: sic iudicabo vos, dicit Dominus, & subiiciam vos sceptro meo, & inducam vos in vinculis fœderis, & eligam de vobis transgressores & impios, & de terra incolatus eorum educam illos, & in terram Israël non ingredientur, & scietis quia ego Dominus;* quod Hieronymus ita exponit. Hieronymus: Faciam ait vobis qui estis in Babylone, & nunc seruitis idolis, quod feci patribus vestris in Ægypto, vt *educam vos in desertum populorum*, & ibi iudicet vobiscum facie ad faciem, sicut aduersum illos iudicio contendi, quando egressi sunt de Ægypto: Et postquam vos iudicauero subiiciam vos sceptro meo & Imperio & inibo pactum vobiscum, & inducam vos in terram vestram in vinculis charitatis, vt ligati amore meo nequaquam à me possitis recedere: transgressores autem, & impios qui cordis duritia in malis operibus perseuerant, eligam de vobis non ad possidendum, sed ad abiiciendum. Et educam quidem eos de terra incolatus eorum vt educti non ingrediantur terram Israël, sed in diuersis pereant regionibus, & distinctione bonorum, & malorum cognoscatis † quod ego sim Dominus qui facio cuncta iudicio.

H
Ezec. 20. 35. &c. v. 36. 37. 38.
Hieron. in Ezec. c. 20. 35. d. v. 36.
G
† al. quia ego sum. Prud.

† Claret itaque electionem Dei etiam in malo poni secundum Propheticam adstipulationem, & Domini comminationem: Verum quod temporariam quoque dispensationem significet testantur, eximij diuinorum eloquiorum tractatores, qui nunquam à contrario tuo, sed à temporali quadam Dei dispositione id plerumque fieri docuerunt, vnde per Ezechielem Dominus dicit: *In die qua elegi Israel, & leuaui manum meam pro stirpe domus Iacob,* & cætera Hieronymus: [Iuxta litteram vero (inquit) inclitam esse terram Iudææ & cunctis

Ezech. 20. 5.
Hier. d. c. 20. 5.

terris

A terris fertiliorem dubitare non poterit, qui à Rhinocoru-ra vsque ad Taurum montem & Eufratem fluuium cunctam considerauerit terram: & vrbium potentiam, amœnitatemque regionum, Palestinam videlicet, & Fœnicem, Arabiam, Syriam, Cœlem, Ciliciam, & cæteras Regiones, quas Israëli, si Dei præcepta seruasset, Dominus repromisit, quas quia non accepit vitium fuit incredulitatis eius, nam & in ipsa Palæstina Iudæaque Prouincia, Gentes plurimæ remanserunt, quæ non sunt eiectæ. Neque enim sponsor in crimine est, si ille, cui repromittitur indignum se fecerit sponsione, præsertim cum proponatur optio promittentis. *Si volueritis, & audieritis me, quæ bona sunt terræ comedetis: Sin autem nolueritis, gladius deuorabit vos.* Eliguntur ergo † præscientia nec statim qui eligitur tentari non potest nec perire, quia & Saul electus in Regem, & Iudas in Apostolum suu postea vitio corruerunt.

(Isa. 1. 19. 20. † al. *præsentia.*)

(Idem in Ezech. c. 1. v. 13. & 14.) B † Idem in eodem. Hieronymus: Quomodo igitur crebris micat ignibus æther, & in ictu oculi, atque momento discurrunt fulgura, & reuertuntur non amittentia matricem; & vt ita dixerim fontem ignis atque materiam: Ita & hæc animalia cum inoffenso pergant pede ad priora festinant; sin autem conatui suo aliquid † oppositum viderint, non tam reuertuntur, quam coarctabunt se † extendentia sursum, & præbitura lumen, quod parumper absconderant, vt dent seruis cibaria in tempore suo, nec tribuant sanctum canibus, nec mittant margaritas ante porcos. Vnde & Paulus dicit: *Lac vobis potum dedi non escam, necdum enim capere poteratis.* Electioque Iudæ, & Saulis vnctio, non arguunt Deum ignorantiæ futurorum sed præsentium monstrant esse iudicem.] † Ambrosius in Epistola ad Romanos.

(† al. *obscurum.* † al. *extendenda sursum.* 1. Cor. 3. 2.)

(Ambros. in Epist. ad Rom. c. 9. v. 11. † al. *sciendo.*) Ambrosius. Præscientia Dei flagitat in his causis, quæ non aliud potest euenire, quam quod Deus futurum, † sciendum enim quod vnusquisque illorum qualis futurus esset, dixit: Hic erit dignus, qui erit minor, & qui maior erit indignus, vnum elegit præscientia, & C alterum spreuit; & in illo quem elegit propositum Dei manet, quia aliud non potest venire, quam scit & proposuit in illo: vt salute dignus sit. Et in illo quem † spreuit simili modo manet propositum, quod proposuit de illo quia indignus erit: Hoc quasi præsens non personarum acceptor: Nam neminem damnat, antequam peccet, & nullum coronat antequam vincat; hoc pertinet ad causam Iudæorum qui sibi † prærogatiua defendunt; quod filij sunt Abrahæ: Apostolus autem consolatur se, vt quia dilexerat, dolorem habere se cordis, † continuo causam incredulitatis illorum, quorum adoptio erat filiorum, & legis constitutio, & ex quibus Christus Saluator; sicut & ipse ait: *Quia salus ex Iudæis est*; tractata lege inuenit, *quia non omnes qui ex Israël sunt, credituri sunt: neque qui dicuntur filij Abrahæ, omnes Abrahæ* filios dicendos: sicut suprà † memoraui: Minuit ergo dolorem suum inueniens olim prædictum, quod non essent omnes credituri, vt † hi soli doleant, qui per inuidiam incredulitate laborant: possunt tamen credere, quod ex subiectis aperit: incredulis D tamen prædictis, non valdè dolendum est: quia non sunt prædestinati ad vitam; præscientia enim Dei olim hos non saluandos decreuit: quis enim plangat eum, qui olim mortuus habetur, sed subintrantibus gentibus, quæ sine Deo prius erant, & salutem, quam illi perdiderunt accipientibus exsuscitatur dolor; sed iterum quia ipsi sibi perditionis causa sunt, sopitur. Præscius itaque Deus malæ illos voluntatis futuros, non illos habuit in numero bonorum; quamuis dicat Saluator illis septuaginta duobus Discipulis, quos elegerit secunda classe, qui ab illo postea recesserunt, *nomina vestra scripta sunt in cælo.* Sed hoc propter iustitiam, quia hoc est iustum, vt vnicuique pro merito respondeatur: quia enim boni erant, electi sunt ad ministerium, & erant scripta nomina illorum in cœlo propter iustitiam sicut dixi: secundum præscientiam verò in numero erant malorum. De iustitia enim Deus iudicat non de præscientia, vnde & Mosi dicit. *Si quis peccauerit ante me*

(Gen. 25. 23. Mal. 1. 2. † al. *spreuerit.* Rom. 9. 13. 2. Tim. 1. 9. † al. *prærogatiuam.* † al. *continuum causa.* Ioan. 8. 39. & 40. Rom. 9. 2. 4. † al. *commemoraui.* Ioan. 4. 22. † al. *his solis doleat.* Ro. 9. 7. Eph. 1. 5. Ioan. 6. Luc. 10. 20.)

deleam eum de libro meo. Vt secundum iustitiam iudicis, tunc videatur deleri cum peccat, iuxta præscientiam verò nunquam in libro vitæ fuisse, hinc & Apostolus Ioannes de huiusmodi ait. *Ex nobis exierunt, sed non fuerunt ex nobis: Si enim fuissent ex nobis, permansissent vtique nobiscum:* Non est personarum acceptio in præscientia Dei: præscientia † verò est, quæ definitum habet qualis vniuscuiusque futura voluntas erit, in qua mansurus est, per quam aut damnetur aut coronetur. Denique quos scit in bono mansuros frequenter ante sunt mali, & quos malos scit permansuros, aliquoties prius sunt boni: vnde cesset querela, quia *Deus personarum acceptor non est:* Nam & Saul, & Iudas Iscariotes ante fuerunt boni, dicente Scriptura *de Saul: Erat vir bonus & non erat illo melior in filiis Israel:* Et de *Iuda* Iscariotes dicit Petrus Apostolus, *qui sortitus est sortem ministerij huius in signis ac prodigiis faciendis:* Quomodo igitur ministerium salutare sortiretur, nisi esset bonus? in sorte enim Dei iudicium fuit, dignum illum fuisse tempore quo electus est. Sicut & illi septuaginta duo, quos supra memoraui; hinc est vnde & Iudas post mali totius admissum scelus pœnitentia motus laqueo vitam finiuit: non enim potest in aliquo omne bonum pœnitus obliterari; quippe cum natura non possit immutari, sed voluntas: non in omnibus tamen causis, quia remanet in natura quod testimonio sit creatori.]

(E Exod. 32. 32. 33. 1. Ioab. 2. 19. Col. 3. 25. † al. *enim Dei est quæ.* d. v. 25. 1. Reg. 9. 2. Act. 1. 17. Ioan. 6. 67. Matth. 27. 5. F)

(Prud.) † His omnibus euidenter ostenditur sanctos Patres tuæ contrarietatis modum in sanctarum Scripturarum explanationibus minimè secutos, sed vbicumque necessitas postulauit per tropum antiphrasim, quæ fuerant elucidanda locutos; in suis vero locutionibus eos isto loquendi modo vnquam vsus fuisse, prorsus ratio contradicit: quoniam qui ad hoc obscura diuinorum eloquiorum tractanda susceperant, vt eorum mysteria suis auditoribus aperirent, nullomodo ratio sinit eos figuratis dictionibus insudasse, quibus auditores suos non instruerent, quin potius obscurarent. Quocirca nullatenus G eadem locutio putanda est, quandiu legitur prædestinatos ad pœnam, vel interitum, quæ est cum dicitur electus Iudas, quia electionis nomine sanctæ Scripturæ, earumque fidelissimi tractatores raro, nisi in bono vel æterno, vel temporali vti sinisse reperiuntur. Prædestinationis verò significatione bifariam sæpenumero publicè priuatimque, vel in sermonibus videlicet ad populum, vel in tractatibus, minimè in vulgum enuntiatis, tanta frequentia vti maluerunt, vt super eo nulli studioso nisi infideliter pertinaci liceat dubitare: dicens itaque.

Ioannes Scotus.

(Cap. 13. num. 5. lect. 2.) ⊖ *Si ergo Dominus proditorem suum non erubuit appellare electum: Cur eius imitator sanctus Augustinus erubesceret eundem scilicet proditorem vocare prædestinatum similiterque Iudaicum populum inuidiæ perfidia refertum Domini nostri* Iesv Christi *traditorem, ac per hoc interemptorem, cur hæsitaret prædestinatum dicere ad interitum?* H

Correctio.

† Quia aliud nomine prædestinationis, aliud electionis vocabulo intellexit: Electionem quippe Dei noluit, nisi in bono accipi, prædestinationis vero significationem, sicut iustitiæ atque iudicij eius, bifariam prædicauit. Et ideo non erubuit dicere sæpius, prædestinatos ad pœnam vel interitum, quoniam nouerat id veritati iustitiæque iudiciorum Dei per omnia conuenire. Aliud est autem electos vel filios Dei per æternam misericordiam, atque aliud vel per creationem vel per temporalem aliquam, nullomodo autem falsam vel fictam dispositionem appellari. Quia & cum venitur ad sacræ regenerationis mysterium, nequaquam fictè aut dolosè peccatis omnibus, absoluuntur: Et si postmodum propriæ iniquitatis inquinatione eiusdem sanctæ ab-

A

solutionis atque vnctionis munere priuentur, itaque si absolutio sacrosancti baptismatis in abolendis criminibus vera fuit, necesse est, vt gratiæ regeneratricis filiatio vera fuerit. Proinde sicut mali filij secundum terrenam generationem, si à paternis moribus exorbitent, iure exhæredantur, cum tamen filij non esse nequaquam possint; ita & hi quos gratia regenerat, haud fallaciter vocantur filij, quamuis à parentis moribus iniquissimè descissentes, illius sese muneribus adeo indignos efficiant, vt hæreditatis sortem minimè nanciscantur: nam dicente Domino

Isa.1.2.

filios genui & exaltaui, ipsi autem me spreuerunt: quis tam vecors sit, vt audeat saltem putare Dominum, non hoc veraciter, sed à contrario dixisse, pro non genui filios? nempe si dixeris *filios genui* pro eo quod est non filios genui, vel filios non genui, quid in dictis sequentibus intelligi valeat, dicere non poteris: Si enim filij non fuerunt, nequaquam eos genuit, aut si non genuit nullo modo filij fuerunt, quomodo ergo spreuisse patrem,

B

Gignentemque dicuntur, qui vel filij, vel geniti non fuerunt.

Siquidem filij in Scripturis sanctis multis modis appellari solent, quorum vsitatiores sunt natura, adoptione imitatione, doctrina. Natura Isaac & Ismaël filij Abraham. Item filij Isaac, Iacob & Esaü: quorum Ismaël & Esau quamuis paternæ sortis funiculos ex repromissione minimè percepissent, nequaquam tamen filij esse destiterunt.

Filij multis modis.

Adoptione sicut & humanæ consuetudinis affectionibus fieri assolet, & quod est multo excellentius, quando per indebitam gratiam adoptamur, vt simus filij Dei: Vnde dicit dicit Apostolus:

Ro.8.15. &c.

Non enim accepistis spiritum seruitutis iterum in timore: sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba Pater; itaque iam non sumus serui; sed filij; quod si filij, & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi. Imitatione vt idem Apostolus admonet:

Eph.5.1.

Imitatores Dei estote sicut filij charissimi, & sicut Dominus Iudæis naturalem Abrahæ generationem obtendentibus, proindeque sese superbius efferentibus dixit:

C

Ioan.8.44.

Vos ex patre Diabolo estis, quod quo sensu dixerit, aperit cum subiungit: *Et desideria patris vestri vultis facere.*

d.v.44.

Iudæi quippè imitatione, non natura erant filij diaboli. At cum essent natura filij Abrahæ, longè à morum illius imitatione discesserant.

Ib.v.39.

Vnde & eis Dominus exprobrabat: *Si essetis filij Abrahæ, opera Abrahæ fecissetis*, vbi non naturam negauit, sed imitationem dissimilem obiurgauit doctrinæ, vt Apostolus ait:

Gal.4.19.

Filioli mei, quos iterum parturio donec formetur Christus in vobis, Et rursum:

1.Cor.4.15.

Nam per Euangelium in CHRISTO IESV, *Ego vos genui.* Dicuntur etiam, *filij Regni*, & *filij lucis*, & *filij resurrectionis*: Sicut è contrario *filij tenebrarum*, & *filij perditionis*, & *filij gehennæ*, non ab ea geniti sed ad eam destinati. Dicitur quoque *Filius iniquitatis*, non ab ea generatus, sed ei inseparabiliter sociatus, quos omnes cum auctoritate Scripturæ sacræ Patrum traditione percepetimus, nusquam tuæ contrarietatis modum accepimus.

Matth.8.12. Ioan.12.36. Ioan.17.12. Matth.23.15.

Quamobrem, quod ait in superiore sententia beatus Augustinus, [vel electos vel filios dici à nescientibus quid futuri sunt, non ab illo, qui eos nouit non habere perseuerantiam, quæ ad beatam vitam perducit electos; neque illos stare, vt præscierit esse casuros: nec vos moueat quod filiis suis quibusdam Deus non dat istam perseuerantiam, absit enim vt ita esset, si de illis prædestinatis essent, & secundum propositum vocatis; qui verò non sunt filij promissionis, iam isti cum piè viuunt dicuntur filij Dei, sed quoniam victuri sunt impiè, & in eadem impietate morituri, non eos dicit filios Dei præscientia Dei.]

Aug de corrept. & grat. cap 8.

D

Nequaquam intelligendus est prædictis filietatis modis, quos tam se, quam alios adæque Catholicos Patres nouerat diligenter fuisse complexos, alium superaddere voluisse, sed quantum humana infirmitas, ac per hoc & ignorantia à diuina scientia remota sit intimasse, cui diuinorum consiliorum atque iudiciorum minime patet intuitus. Dicuntur ergo à nobis filij Dei, nec tamen mendaciter propter susceptam temporaliter gratiam, qua non fallaciter, sed veraciter generantur, quamuis non sint ad hoc electi, vt hæreditatem cum repromissionis filiis consequantur.

E

Sunt itaque filij, sed temporaliter; non sunt filij, sed æternaliter: Si enim veraciter generantur, veraciter sunt filij, licet minus in eadem generatione permansuri, nec ad hæreditatem permanentium peruenturi. Sunt ergo filij regenerationis, sed temporaliter, non sunt filij repromissionis, sed perpetualiter:

1.Ioan.2.19.

Exierunt ex nobis fidei communione, quam ad tempus nobiscum perceperant: *Sed non erant ex nobis* electione gratiæ perseuerantiam largientis: *Exierunt ex nobis* participatione mysterij, quod perceperant; sed *non erant ex nobis* adoptione regni, qua se praue viuendo indignos effecerant. Erant ergo *filij* temporaliter regenerationis, *non erant filij* promissæ æternaliter hæreditatis.

Cap.13. num.6. sect.3.

Quocirca cum dicis *non esse filios Dei, præter electos eius, neque electos eius præter ab eo prædestinatos: Et conuersim non esse prædestinatos præter electos, neque electos præter filios*:] Verum est, si de his tantummodo, qui ad regnum prædestinati sunt, intelligatur.

F

Nam sicut diximus non mendaciter, neque à contrario, sed veraciter vtique loquitur Deus:

Exod.4.22.

Filius meus primogenitus Israël cum hoc de populo Ægyptiis seruiente diceret; & *Filios genui & exaltaui, ipsi autem spreuerunt me.* Et rursum:

Isa.1.2. Deut.32.6.&c. v.18.&c.

Nunquid non ipse est pater tuus, qui possedit te, & fecit & creauit te, Deum qui te genuit dereliquisti, & oblitus es Domini creatoris tui: Vidit Dominus & ad iracundiam concitatus est: quia prouocauerunt eum filij sui & filiæ: generatio enim peruersa est, & infideles filij. Cum itaque sola etiam creatione dicantur omnes homines Filij Dei. Nunquid, quia non sunt omnes beatitudinem percepturi, ideo à contrario dicendi sunt appellati filij Dei? Si inquam pater omnium creatione dicitur Deus, & non à contrario, sequitur vt filij quoque creatione non à contrario dicti intelligantur: Quod si & filios & patrem à contrario intelligas: Sequitur vt & creationem & facturam à contrario intelligens, creatorem hominum Deum neges: qui cum non veraciter, sed à contrario dicitur Pater hominum, vel filij Dei, quos ipse creauerit, consequenter creator & factor à contrario dicitur.

G

Ipse etiam Dominus in Euangelio dicit:

Matth.8.12.

Filij autem regni eiicientur in tenebras exteriores. Nunquid & hic dicturus es à nesciente filios regni appellatos, quod quia absurdissimum, immo impiissimum est, necesse est vt fateamur non à contrario filios Dei, etiam qui sanctorum illius sortem sunt minime percepturi.

Verum ne nostra nos id coniectura æstimare causeris, accipe, quid ipse quoque contra aduersarium legis & Prophetarum scribens hunc in defensionem veritatis protulerit.

August. contra aduersariú legis & Prophet.l.1. cap.22.

Augustinus. [De testimonio quoque Isaiæ Prophetæ calumniatur atque blasphemat: eo quod dixerit *Filios genui & exaltaui: Ipsi autem me spreuerunt.*

Isa.1.2.4.

Et eosdem paulo post appellauerit *semen pessimum*, tanquam se ostendens † genitorem malorum, cuius filij sunt *semen pessimum* nesciens ob hoc eos dici *semen pessimum*: quoniam gratiæ Dei, qua filij facti erant, peccando degeneres extiterant, eorum filij facti, quorum imitatores esse voluerunt:

† al. generatorē.

H

Vnde illis alio loco dicitur,

Ezech.16.3.

Pater tuus Amorræus, & mater tua Cethæa: quarum gentium sunt impietatem malitiamque sectati, ex quibus tamen carnis originem non ducebant: sed soluebat iste quæstionem Euangelicam, vbi Dominus dicit.

Luc.11.13.

Si vos cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris, quanto magis pater vester, qui in cœlis est, dabit bona petentibus se: Dicat quemadmodum sit bonus Deus malorum pater: vtrumque enim veritas dixit. An non erant mali quibus ait, *Si ergo vos cum sitis mali*? an non habebant Deum bonum patrem, quibus ait: *Quanto magis pater vester qui in cœlis est, dabit bona petentibus se*? Porrò si mali appellati sunt propter peccata sine quibus non est in hac infirmitate mortalium quorumlibet etiam vita iustorum, quanto conuenientiùs *semen pessimum* diceretur, quod nasceretur impia voluntate & moribus execrabilibus pullularet.] † Hieronymus In Isaia Propheta lib. 1.

Hiero

A Hieron. in Isaiã c. 18. † al. *sumus* † al. *efficimur.* Hieronymus. Nec mirum si Sion appelletur filia, cum etiam Babylon sæpissimè filia nuncupetur: omnes enim natura, Dei filij * sunt, sed nostro vitio alieni † efficiuntur. † Idem in Esaia lib. 16. Hieronymus. [*Nunquid non vos filij scelesti, semen mendax*, vel iuxta L X X. *filij perditionis, semen iniquum*, vos (inquit) ista fecistis, quæ præteritus sermo narrauit, qui estis filij scelerati seu perditionis, qualis fuit & Iudas proditor, qui appellatus est *filius perditionis, & semen iniquum* siue mendax atque mendacij: cùm ergò manifesta sit historia, quod filij sunt interfectores Christi ista facientium, occurrit quæstio quomodo filij dicantur *filij perditionis* aduersùm eos, qui volunt diuersas esse naturas: Aliam quæ perdita sit & mala, & saluari nequeat, & aliam bonam, quæ perire non possit. Sienim vt illi putant filij perditionis naturæ pessimæ sunt, quomodo *inuentum est quod priùs perditum fuerat*: Denique in Parabolis pœnitentium & *ouis perdita* de centum ouibus & *drachma* quæ de decem perierat reperiuntur, & *perditus filius* inuenitur: de quo ad maiorem natu dixerat pater, *Iste frater tuus perierat & inuentus est, mortuus erat, & reuixit*, nunquam enim perit, nisi quod priùs saluum fuit, & nunquam moritur, nisi quod ante vixerat. Ergò isti, qui nunc appellantur *filij perditionis*, siue iniquitatis ac sceleris, proprio vitio dereliquerunt Deum, & de filiis Domini, filij perditionis esse cœperunt, dicente ad eos hoc eodem Prophetâ: *Dereliquistis Dominum, & ad iracundiam prouocastis sanctum Israël.* † Ambrosius in Epistola ad Ephesios.

[Margin: Idem in Isa. c. 57. 5. Isa. 57. Ioan. 17. 12. Luc. 15. 4. v. 8. &c. v. 12. &c. B v. 32. Isa 1. 4. Isa 65. 11.]

Ambr. in Epist. ad Ephes. c. 2. 3. Ambrosius. *Eramus natura filij iræ, sicut & cæteri*: Naturæ enim cum mala voluntas supponitur, fit natura iræ, id est quæ vltioni subiicienda sit, immutata non substantia, sed mala voluntate: hoc enim deputatur naturæ quòd sequitur: Vnde ait in Isaia semen pessimum, & quare sit semen pessimum subiecit: *Reliquistis enim Dominum ait, & ad iracundiam prouocastis sanctum Israël*, vt natura quæ deserit Deum *pessimum semen* dicatur: degenerare enim est ab auctore recedere, & cùm malum exemplum cæteris præbet, malum est semen, fructus enim pessimos facit; si verò redeat ad auctorem bona erit natura secundum Apostolum, qui immutatus dum cognoscit creatorem suum *Vas electionis* appellatur.] † Beda in expositione Parabolarum Salomonis,

[Margin: Isa. 1. 4. d. v. 4. Matth. C 3. 10. Act. 9. 15.]

Beda in Prou. Salom. l. 3. c. 31. sub finem. Beda: *Multæ filiæ congregauerunt diuitias, tu supergressa es vniuersas.* Multas filias Ecclesias dicit hereticorum & malorum turbas Catholicorum, quæ filiæ dicuntur, vel Christi, vel Ecclesiæ: quia etiam ipsæ sunt Dominicis tenatæ Sacramentis, & adoptionem filiorum, quã non custodiere perceperunt. Vnde & Iõannes ait: *De nobis exierunt, sed non erant ex nobis quæ congregauerunt diuitias* videlicet bonorum operum operationes, ieiunia, eleemosynas, afflictionem, & castimoniam carnis, continentiam linguæ, meditationem Scripturarum, & cætera huiusmodi, quæ veræ sunt diuitiæ spiritus, vbi purâ mentis sinceritate geruntur. Vbi autem sine *fide, quæ per dilectionem operatur fiunt*, nihil agentibus prosunt: Sed & illæ filiæ frustrà congregarunt diuitias. De quibus Dominus ait. *Multi dicent mihi in illa die: Domine Domine, nonne in nomine tuo prophetauimus, & in tuo nomine dæmonia eiecimus, & in tuo nomine virtutes multas fecimus. Et tunc confitebor illis, quia nunquam noui vos*: Sed omnes istiusmodi filias Ecclesia Catholica supergreditur: quæ fide castâ & opere perfectâ redemptoris sui vestigia sectatur.

[Margin: Prou. 1. 29. 1. Ioan. 2. 19. D Matth. 7. 22. 23.]

Prud. † Negabisne quempiam à bono proposito exorbitantium, vel bonum vel in bono fuisse? Nempè multò aliud Dominus per Prophetam clamat: *Iustus* (inquiens) *si auerterit se à iustitia sua, omnes iustitiæ eius non recordabuntur.* Et in Apocalypsi Ioannis: *Scio opera tua & laborem & patientiam tuam & quia non potes sustinere malos & tentasti eos, qui se dicunt Apostolos esse & non sunt, & inuenisti eos mendaces: & patientiam habes, & sustinuisti propter nomen meum & non defecisti: Sed habeo aduersus te, quòd Charitatem tuam primam reliquisti: Memor esto itaque vnde excideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac. Sin autem venio tibi, & mouebo candelabrum tuum de loco suo, nisi pœnitentiam egeris: Sed hoc habes quia odisti facta Nicolaitarum, quæ & ego odi.*] Petrus etiam Apostolus: *Sicut & in vobis erunt Magistri mendaces, qui introducent sectas perditionis, & eum qui emit eos Dominum negant*: Et infrà: *Si enim * refurgentes coinquinationes mundi in cognitione Domini nostri, & Saluatoris* IESV CHRISTI, *his rursùm implicati superantur, facta sunt eis posteriora deteriora prioribus Melius enim erat eis non cognoscere viam iustitiæ; quàm post agnitionem retrorsum conuerti, ab eo quod illis traditum est sancto mandato: Contigit enim eis illud veri Prouerbij. Canis reuersus ad suum vomitum, & sus lota in volutabro luti.* Item Paulus: *Impossibile est enim eos, qui semel sunt illuminati, gustauerunt etiam donum cæleste, & participes sunt facti spiritus sancti, gustauerunt nihilominus bonum Dei verbum, virtutesque sæculi venturi, Et prolapsi sunt, renouari rursus ad pœnitentiam; rursum crucifigentes sibimetipsis filium Dei, & ostentui habentes. Voluntarie enim peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, iam non relinquitur pro peccatis hostia: Terribilis autem est quædam expectatio iudicij, & ignis æmulatio, quæ consumptura est aduersarios: Irritam quis faciens legem Moysi sine vlla miseratione duobus vel tribus testibus moritur: quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui filium Dei conculcauerit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, & spiritui gratiæ contumeliam fecerit? Scimus enim, qui dixit, mihi vindictam, ego reddam.* Et iterum: *quia iudicabit Dominus populum suum, horrendum est incidere in manus Dei viuentis.*

[Margin: Ezech. 18 24. Apoc. 2. 2. v. 3. 4. 5. E v. 6. 2. Petr. 2. 1. v. 20. * al. refugientes v. 21. v. 22. Heb. 6. v. 4. 5. v. 6. F Ibid. c. 10. v. 26. 27. 28. 29. v. 30. 31.]

Aut igitur hæc, & similia denegans tuæ modo contrarietatis in peruersum detorque, aut si hoc impium est, sine castos, pudicos, sobrios & humiles, misericordes, iustos, filios, electos, sanctificatos, illuminatos, emptos non phantasticè, nec perfunctoriè neque fallaciter, sed veraciter in diuinis eloquiis nuncupari, quamuis tantis muneribus se ipsos aberrando, pessiméque viuendo indignos effecerint & expertes. Quocirca quicquid in conclusionibus, & conuersionibus tuis agere machinaris, si de his tantùm vt diximus, qui ad regnum prædestinati, electi atque adoptati sunt agitur, verum est: Si verò in hoc laboras, veluti apparet, vt prædestinatione impiorum, & pœnarum illis debitarum neges. omnino falsum est: quapropter quemadmodum Iudæi perfidi, quibus Saluator ait; *Vos ex patre diabolo estis*, à Deo prædestinati sunt ad interitum, inuenire facillimè quisque Catholicus potest, qui nouit Dei iustitiam & ratione, & auctoritate perpendere: quoniam quos præsciuit in massa perditionis perpetuo interituros, ipsos prædestinauit, hoc est præparauit, deputauit, atque dispofuit suo iusto iudicio puniendos.

[Margin: G Ioan. 8. 44.]

Attende quæso Apostolum dicentem, *scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, his qui secundum propositum vocati sunt sancti: nam quos præsciuit, & prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus; quos autem prædestinauit hos & vocauit, & quos vocauit hos & iustificauit, quos autem iustificauit, illos & glorificauit*: Et ad Timothæum: *Noli erubescere testimonium Domini nostri, neque me vinctum eius, sed conlabora Euangelio secundum virtutem Dei, qui nos liberauit, & vocauit vocatione sanctâ: Audis secundum propositum vocatis?* Audis *quos autem prædestinauit, illos & vocauit, & quos vocauit illos & iustificauit?* Audis *qui liberauit nos, & vocauit vocatione sua sancta*? Audi quid Dominus dicat: *Multi sunt vocati, pauci vero electi*: Quænam est hæc rogo vnius eiusdemque vocabuli tanta diuersitas? seruus fidelis dicit: *Secundum propositum vocatos sanctos, & quos prædestinauerit vocatos*, & quos vocauerit iustificatos, & item *vocatos vocatione sancta*, & Dominus clamat *multi sunt vocati pauci vero electi*: putandumnè est fidelissimum seruum Domino suo contraria prædicasse? an alia potuit in ministerio sibi credito seminare, quam à cælesti præceptore perceperat? absit: atqui ipse sese non ab hominibus, neque per hominem electum, vel doctum, sed

[Margin: Rom. 8. 28. H v. 30. 2. Tim. 1. 8. v. 9. Matth. 20. 16. *De diuersa vocatione.* Matth. 22. 14.]

sed à Deo patre per Dominuum nostrum IESVM CHRISTVM liberrima assertione testatur: Quia ergo nulla potuit fidelis dispensator erogare, nisi quæ à creditore susceperat, fatendum est nusquam Domino suo vel sensisse vel docuisse contraria: Proinde alia vocatio intelligenda est, quam Dominos protulit, alia quam seruus edocuit. Aliter enim vocantur secundum propositum Dei, qui sortem consequantur æternam, aliter non secundum propositum, qui pœnam recipiant sempiternam. Sicut itaque alia est vocatio electorum, alis reptoborum, ita alia intelligitur præscientia, & prædestinatio piorum, alia impiorum, qui sicut vocari dicuntur electi, sed vocatione sancta: Ita vocari dicuntur multi, qui non sunt electi. Certè nullomodo dixisset Apostolus, *Secundum propositum sanctos vocatos*, & vocatione sancta nisi discretionis gratia ab ea vocatione, qua vocantur multi, qui non sunt electi. Ergo quemadmodum negari non potest diuersitas vocationis, ita nullatenus debet abnui diuersitas præscientiæ, iustitiæ, iudicij, electionis & prædestinationis. Aut igitur diuersitatem vocationis nega, aut si hoc blasphemum est, varietatem prædestinationia admitte. Non ergo vt impudentet præcipis tacebit fidelissima integritas, & purissima charitas orthodoxorum, quin veraciter prædicet Dei prædestinationem, sicut iudicium iustissimum perditorum. Neque prædestinatos à contrario, pro eo quod est non prædestinatos admittet, vt desipis, sed Dei inflexibili iustitia credet irreuocabiliter puniendos.

CAP. XIV.

Testimonia Sancti Augustini simul collecta, quibus apertè conficitur non esse nisi vnam prædestinationem, eamque solummodo ad sanctos pertinere.

QVarta decima phantasmatum tuorum periodos hoc habet.

IOANNES SCOTVS.

Θ *Testimonia sancti Augustini simul collecta, quibus apertè conficitur, non esse nisi vnam prædestinationem, eamque solummodo ad sanctos pertinere: Et ne quis forte (inquiens) nos æstimet nostro sensu proprio talia dixisse, nullius auctoritatis grauitate suffulti, placuit nobis testimonia sancti Patris Augustini simul colligere: Vt prudens quisque cognoscat nullomodo eum duas prædestinationes docuisse, nec vnam bipertitam, nec duplam vt Gothescalcus edocet. Et illam vnam videlicet diuinam non nisi ad sanctos pertinere. Impiorum verò nullomodo posse esse; In libro de correptione & gratia:* [Sanctis (*inquit*) in regnum Dei per gratiam Dei prædestinatis † donum perseuerantiæ datur, non solum vt sine isto dono perseuerantes esse non possint, verum etiam, vt per hoc donum non nisi perseuerantes sint.] *Et post aliquanta*, ipse igitur eos facit perseuerare in bono, qui † fecit bonos: qui autem cadunt & pereunt, in prædestinatorum numero non fuerunt.] *Attende quam absolute dixit*, qui cadunt & pereunt in prædestinatorum numero non fuerunt.] *Quomodo hæc diceret, Si vel duas prædestinationes vellet asserere, vel vnam in duas partes diuisam, vel duplam, vnam quidem Sanctorum, alteram vero impiis deputatam.*

CORRECTIO.

† O disputatorem subtilissimum, qui cum hæc diceret, neque cum Aristotele calamum in mente tingebat, neque cum Dominici pectoris recubo de fonte veræ sapientiæ fluenta doctrinæ salutaris hauriebat: Nimirum etiam in te videmus impletum, quod Apostolus loquitur: *Perdam sapientiam sapientium, & prudentiam prudentium reprobabo.* Nempe aut non vidisti interiore aspectu quod videndum erat, aut te non videre finxisti, perindeque ad eas calumnias præropisti, vt beatum Augustinum, quod nonquam cogitauit dixisse confingeres, & tua legentibus ita illuderes, ac si ea intelligere nequiuissent. Te solum omnium acutissimum Galliæ transmisit Hibernia, vt quæ nullus absque te scire poterat, tuis eruditionibus obtineret: sed absit vt, Celtica eloquentia tot tantisque fluuiorum exundationibus debriata tuas nubilationes admittat, quamuis Christianæ humilitatis eminentia, alterutro charitatis officio vicissim suppeditari minime prohibeat: imo vndecumque commodum duxerit, alternatim, quæ recta sunt, exhiberi petere non cesseat. E

Itaque puritatem mentis adhibe, & simplicitatem charitatis benignitate intellectus ostende, qua duce, quæ piè sunt dicta piè intelligas, & pietatis abondantia piorū instructionibus cultor pietatis exhibeas: quod si quando ista dictabas agere voluisses, profecto vidisses, quia non absolutè (vt somniss) beatus Augustinus solam esse electorum prædestinationem vel asseruerit vel confirmauerit, sed eam tantum, de qua agendum susceperat defendere, & contra hæreticorum versutias munire Catholica veritate studuerit. Agebat quippè aduersus nouos sui temporis hæreticos, videlicet Pelagianos, qui Sanctorum prædestinationem omnimodis denegabant, dicentes Deum esse personarum acceptorem, si quosdam & non omnes homines generaliter ad vitam prædestinasset æternam, quorum dementiæ doctor beatissimus orthodoxæ fidei armis instructus obuiare festinans, semper de memorata Sanctorum prædestinatione sermonem intulit quemadmodum in eius verbis, quisquis sobriè attendit, intelligit. Dicit enim frequenter de ea, quam defendimus, vel quam defendendam suscepimus, vel quam asserimus; & stultum erat prætermissa ea, cui contradicebatur, quæque oppugnabatur, ad aliam transilire: cui negandæ vel impugnandæ, necdum aliquis insurrexerat: nam de prædestinatis ad pœnam Patrum temporibus nullam fuisse motam quæstionem euidenti iudicio comprobatur? quod nullus pro ea contra eius vel assertores, vel negatores scripserit præter Monimum, qui nullatenus reprehendendo, verum intelligentiam illius piè requirendo sanctum Fulgentium ad hoc sua inquisitione impulit: vt qualiter à beato Augustino intellecta fuerit, siue prolata volumine ad hoc solum permagnificè edito vir per omnia suspiciendus intimaret. F H

Sed & in memorata sententia beatus Augustinus, vnde dixerit perspicuè declarat, quam ita inchoat: Sanctis (inquit) in regnum Dei per gratiam Dei prædestinatis: Et infra: Ipse igitur eos facit perseuerare in bono qui fecit bonos: qui autem cadunt & pereunt, in prædestinatorum numero non fuerunt.] Quid apertius, quid manifestius? De sanctis enim in regnum Dei per gratiam Dei prædestinatis loqui cœperat, deque ipsis subiecit quod ipse eos faciat perseuerare in bono, qui fecit bonos: qui autem cadunt & pereunt in prædestinatorum, eorumdem videlicet Sanctorum atque bonorum numero non fuerunt. Nisi fortè nouas oratorum declamationes inducere paras, vt res de qua agitur, nunquam nisi crebra imo continua sui repetitione signetur, & quæ semel vel quoties opportunitas expetit, memorata sufficeret, frequenti iteratione fastidium suis auditoribus ingerat. Incunctanter itaque dico quia si vel te, vel quempiam alium siue hebetem seu certe calumniosum intellectorem scriptorum suorum in hac dumtaxat causa futurum putauisset, omnino tanta perspicuitate scripsisset; vt quæcumque calumniatoribus congrua præuidisset, oportunius expedisset. G

Aug. de corrept. & grat. cap. 13.

Idem vtique Prosper & Hilarius satis indicant, qui super oblatratoribus eius ad eum pro studio scribentes, de Sanctorum solommodo prædestinatione motis quæstionibus responderi petiuerunt, quorum petitionibus satisfaciens ad interrogata responsiones congruas elimauit, quorum vel maxima de Sanctorum prædestinatione vertebatur, cui enucleandæ doctor suauissimus ac veracissimus, quantum satis putauit operam impendit,

A nec tamen adeò suppressit alteram, qoin sic vbi opportunum iudicauit, illam etiam commendaret.

Quasi verò io sanctis tam veteribus, quàm nouis Scripturis nequam iste modus locutionis iouenitti possit, cùm
De Angelis. dicat Psalmista, *Panem Angelorum manducauit homo*, vbi non nisi Sanctorum Angelorum iotelligi debet: Nam cùm Aogeli dicantur & boni & mali, crebrius
Ps. 77. 25. cum additamento propriæ distinctionis poni solent. *Vt*
Ps. 90. 11. *Angelis suis mandaui de te*, Et *benedicite Dominum Angeli eius potentes virtute facientes verbum eius, ad au-*
Ps. 102. 20. 21. *diendam vocem sermonum eius: Benedicite Domino omnes*
Ps. 103. 4. *virtutes eius, ministri eius, qui facitis voluntatem eius.* Et *qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos ignem*
Ps. 148. 2. *vrentem.* Et *laudate eum Angeli eius, laudate eum omnes virtutes eius.* Et Dominus in Euangelio: *Mittet filius*
Matth. 13. 41. *hominis Angelos suos, & separabit malos de medio iusto-*
Prou. 17. 11. *rum, & mittet eos in caminum ignis.* De malis autem: *Angelus crudelis mittetur contra eum, & immissio-*
B
Ps. 77. 49. *nem per Angelos malos.* Et *spiritus Domini malus*, & rursùm sine additamento de bonis quidem: *cùm vene-*
Matth. 25. 31. *rit filius hominis in maiestate sua, & omnes Angeli cum eo.* Et item: *messores Angeli sunt*, Et item: *qui sedes*
Matth. 13. 39. *super Cherubin*: Et rursùm: *Cui enim Angelorum dixit:*
Hebr. 1. 13. *filius meus es tu: Ego hodie genui te:* Et item: *Et ad Angelos quidem dicitur*: Et rursùm: *Placuerunt quidam An-*
Heb. 13. 2. *gelis hospites receptis.* De malis autem: *In Cherub extentus, & protegens in monte sancto Dei:* Et *nescitis quod*
Ezech. 28. 14. *Angelos iudicabitis, quantò magis sæcularia.* Et, *solutis*
1. Cor. 6. 3. *quatuor Angelis, qui parati erant in horam & diem & an-*
Apoc. 9. 15. *num, vt occiderent tertiam partem hominum.*

Nunqoid vbicunque absque additamento ponuntur, ideò licebit cuicunque pro libito suo, vel malos pro bonis, vel bonos pro malis accipere? Absit hoc quippe aspirante Domino, piis intellectibus reseruatur, vt perpensa fideliter ac veraciter loci, reique circunstantia,
Matth. 7. 12. qoid qualiter accipi debeat perscrutetur. Hoc modo & Dominus in Euangelio locutus est cùm ait: *Omnia quæ*
C *vultis, vt faciant vobis homines, & vos facite illis similiter*: Nunquid hic peruersitas Maliuolorum gestiens dicet à Domino sibi præceptum, vt libidinibus aliisque sceleribos implicati, quæcunque volunt ab aliis sibi neqoiter fieri, eadem & ipsi illis faciant? & hoc absit: Pietas quippe beneuolorum modo quodam proprio id Dominum dixisse iotelligit, vt quæcunque bona & honesta, ac secundùm Dei voluntatem charitate non ficta, nobis fieri volumus, eadem aliis faciamus; & multa alia, qoæ exequi non oecessarium iudicamus. Quod ergo dicis.

Ioannes Scotus.

Cap 14. num. 3. sect. 1. ⊖ *Omnis homo aut bonus, aut malus est, similiter de Angelo.*

Correctio.

D † Et nos eandem defioitionem tenentes secundùm auctoritatem scriptorarum, Patrúmque venerandorum concordiam dicimus bonos prædestinatos ad vitam, ma-
Ps. 110. 2. los ad pœnam: quia hæc sunt: *Opera Domini magna*
2. Cor. 5. 5. 10. *exquisita in omnes voluntates eius, misericordia* videlicet *& iudicium: omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi; vt referat vnusquisque propria corporis, prout gessit siue bonum, siue malum.* Si ergo omnes manifestabimur ante tribunal Christi, omnes iudicabimur. Si omnes iudicabimur de omnibus prædestinatum est, qualiter iudicemor. Et hoc est quod ait Apostolus: *Vt referat vnusquisque propria corporis, prout gessit siue bonum siue malum.* Non enim celebrabitur fortuitum iudicium, & quod nullus ante præscierit, vel præfinierit, præsciuit, & præfiniuit atque disposuit, vel prædestinauit, atque præordinauit iudicium suum Deus tantummodo: Angelus autem & homo præsciuit non etiam prædestinauit neque disposuit: quia igitur iudicium Dei futurum negari non potest bonorum atque malorum: neque

E prædestinatio, id est dispositio illius vllatenus, nisi infideliter denegatur: pertinoit qoippe ad præscientiam Dei, vt in ea disponeret ipse, ac prædestinaret quod fuerat facturus. Habiturus est itaque iudicium, in quo iudicaturus est bonos & malos, & hoc prædestinauit, hoc est disposuit, in ea præscientia, quæ nec falli valeat nec mutari. Si ergo non sunt prædestinati mali ad id, quod merentur, consequenter nec iudicabuntur, iudicabuntur autem, prædestinati sunt ergo iudicandi. Est igitur prædestinatio malorum, *Quia ille reddet vnicuique secundùm opus suum*, qui omnes iudicaturus est, cuique dedit pater omne iudicium.

Porrò quòd caoillaris, *B. Augustinum non dixisse in prædestinatorum ad vitam numero non fuerunt, sed absolute in* Cap. 14. num. 4. sect. 2.
prædestinatorum numero non fuerunt.] Sufficere piis mentibus debet, qood dixi eum à sanctis & bonis in regnum Dei per gratiam Dei prædestinatis cœpisse, déque ipsis sermonem saluberrimum cooseroisse, nec opus foisse, vt itidem crebrios, ac per hoc tædiosius inculcaretur, F
quod saois cordibus semel inhibitum haberetur: quod facile quisquis piè legit, aduertit. Cognoscens videlicet eundem librum idcircò editum: quoniam cùm cœpta esset Sanctorum prædestinatio prædicari, insurgentes qoidam, & maximè Pelagiani cœperunt omnem Ecclesiasticam disciplinam atque correptionem funditus euertere, dicentes: Nullam fore necessariam obiurgationem, vbi totom Dei gratia operareror, sed agente vnoquoque impunè quod vellet, gratia in eis operaretur, vt boni essent, cui querelæ Doctor facundissimus Catholica suauitate respondens; quantum correptiones & disciplinæ Ecclesiasticæ per Dei gratiam in regoum prædestinatis sanctis prodessent, edocuit: Et ideò quoties prædestinatorum mentio adhibenda fuit, superfluè, iterato repeteretur, qood iam piorum sensibus inculcatum, satis ad omnia, quæ super eadem re dicenda fuerant, extitisset. Quod euidenter in sententiis eius, quas ponendas iudicasti ostenditur cùm dicitur: [Hæc est prædestinatio Sanctorū, August. G de dono perseu. c. 14.
& nihil aliud præscientia scilicet & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur, quicunque liberantor.] Et per totam libri eiusdem seriem ea moderatione differentis sermo libratur, vt de quorum prædestinatione tantæ prolixitatis sermone subiecit, luce clarius videatur.

Verumtamen miranda est, vel potius horreoda, ac detestanda versotiarum tuarum astutia, qua tacitis omnibus, Cap. 14. num. 5. sect. 2.
quæ de prædestinatione malorum licet id raro contigerit posoit, ita ea solùm quæ de Sanctorum prædestinatione disseruit, decerpseris, ac si nihil de illa fuerit elocutus. Audi igitur quid etiam de illa in eodem libro prosecutus sit. Augustinus: [Proinde inquiens, sicut Apostolus ait, *non* August. de dono perseu. c. 11.
volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei, qui & paruulis; quibus vult etiam non volentibus neque cur- Rom. 9. 16.
rentibus subuenit, quos ante constitutionem mundi elegit in Christo, daturus eis gratiam gratis, hoc est oullis eorum vel fidei vel operum meritis præcedentibus, & maioribus etiam his, quos præuidis, si apud eos facta essent suis miraculis credituros, quibus non vult subuenire, non subuenit, de quibus in sua prædestinatione occul- H
tè quidem, sed iustè aliud iudicaoit: *Non est enim iniqui-* Rom. 9. 14.
tas apud Deum, sed *inscrutabilia sunt iudicia eius, & in-* Rom. 11. 33.
uestigabiles viæ eius: vniuersæ autem viæ Domini misericordia, & veritas. Inuestigabilis ergo est misericordia, qua *cu-* Ps. 24. 10.
ius vult miseretur, nullis eius præcedentibus meritis, & inuestigabilis veritas, qoâ *quem vult obdurat*, Eius quidem præcedentibus meritis; sed cum eo cuius miseretur plerumque communibus: sicut duorum geminorum, quorū vnus assumitur, vnus relinqoitur, dispar est exitus, merita communia; io quibus tamen sic alter magna Dei bonitate liberatur, vt alter nulla eius iniquitate damnetur. *Nunquid enim iniquitas est apud Deum? absit: sed* Rom. 9. 14.
inuestigabiles sunt viæ ipsius. Itaque misericordiam eius: in his qui liberantur, & veritatem in his qui puniuntur, sine dubitatione credamus, neque inscrutabilia scrutari * al. neque Prud.
* aut inuestigabilia vestigare conemur.]

† Cernis frustrari per omnia collectiones tuas, qui-

Digitized by Google

bus agere conaberis prædestinationem nullam esse, nisi Sanctorum? ecce doctor veracissimus in vno eodemque libro prædestinationem piorum atque impiorum docet. Manifestum est enim quod dicit, & maioribus etiam his quos præuidit, si apud eos facta essent suis miraculis credituros, quibus non vult subuenire, non subuenit, de quibus in sua prædestinatione occultè quidem, sed iustè aliud iudicauit, quid apertius dici potuit? certè absque vlla caligine totius nebulositatis prædestinasse eum, quibus non vult subuenire, vt puniatur, insinuat: idem in eodem.

Augustinus: [Sed aiunt, inquit, vt scribitis neminem posse correptionis stimulis excitari, si dicatur in conuentu Ecclesiæ audientibus multis: ita se habet de prædestinatione definita sententia voluntatis Dei, vt alij ex vobis de infidelitate accepta obediendi voluntate veniretis ad fidem, vel accepta perseuerantia maneatis in fide cæteri verò qui in peccatorum delectatione remoramini ideo nondum resurrexistis, quia necdum vos adiutorium gratiæ miserantis erexit: veruntamen si qui estis nondum vocati, quos gratia sua prædestinauerit eligendos accipietis eandem gratiam, qua velitis, & sitis electi: & si qui obeditis, si prædestinati estis reiiciendi, substrahentur obediendi vires, vt obedire cessetis, ista cum dicunt, ita nos à confitenda vera Dei gratia, id est quæ non secundum merita nostra datur, & à confitenda* ea prædestinatione Sanctorum deterrere non debent: sicut non deterremur à confitenda præscientia Dei, si quis de illa populo sic loquatur; vt dicat: siue nunc rectè viuatis, siue non recte tales eritis postea, quales vos Deus futuros esse præsciuit, vel boni si bonos, vel mali si malos: nunquid enim, si hoc audito nonnulli in torporem segnitiámque vertantur, & à labore procliues ad libidinem, post concupiscentias suas eant, propterea de præscientia Dei falsum putandum est esse, quod dictum est? nonne si Deus illos bonos futuros esse præsciuit, boni erunt, in quantalibet & nunc malignitate versentur; si autem malos, mali erunt in quantalibet nunc bonitate cernantur? fuit quidam in nostro monasterio qui corripientibus fratribus, cur quædam non facienda faceret, & facienda non faceret, respondebat qualiscunque nunc sim, talis ero, qualem Deus me futurum esse præsciuit, qui profecto & verum dicebat, & hoc vero non proficiebat in bonum; sed vsque adeo profecit in malum: vt deserta monasterij societate, fieret *canis reuersus ad suum vomitum*: & tamen adhuc qualis sit futurus incertum est: Nunquid ergo propter huiuscemodi animas, ea quæ de præscientia Dei vera dicuntur vel neganda sunt vel tacenda, tunc scilicet quando si non dicantur in alios itur errores? † Item post multa.

Augustinus. Quamuis ergo ita si habeat de prædestinatione definita sententia voluntatis Dei, vt alij ea infidelitate, accepta voluntate obediendi conuertantur ad fidem, vel perseuerent in fide: cæteri verò, qui in peccatorum damnabilium delectatione remorantur, si & ipsi prædestinati sunt, ideo nondum surrexerunt, quia nondum eos adiutorium gratiæ miserantis erexit. Si qui enim nondum sunt vocati, quos gratiâ suâ prædestinauit eligendos, accipient eandem gratiam, quâ electi esse velint, & sint; si qui autem obediunt, sed in regnum eius & gloriam prædestinati non sunt, temporales sunt, nec vsque in finem in eadem obedientia permanebunt. Quamuis ergo hæc vera sint, non tamen isto modo dicenda sunt audientibus multis, vt sermo ad ipsos etiam conuertatur, eisque dicantur illa istorum verba, quæ vestris literis indidistis, & quæ superiùs interposui.

†. Et cætera quæ de modo prædicandæ prædestinationis exequitur. Et rursum in eo, quod ante finem libri eiusdem eum posuisse dixisti. [Nullum est (inquam) illustrius prædestinationis exemplum quam ipse mediator, quisquis fidelis vult eam bene intelligere, attendat ipsum atque in illo inueniet & seipsum.] Quidquid vel multo ante hanc sententiolam, vel post vsque in finem libri locutus est, prorsus de Sanctorum prædestinatione tantummodo locutum quisque pius intellector accedit, absque scrupulo dubietatis agnoscit. Ac per hoc nullum tuæ assertioni adiumentum conferre probatur, quasi solam Sanctorum prædestinationem probauerit, malorúmque negauerit; his ita se habentibus diuertis ad aperta mendacia, & ponis sententiam nomine Augustini qua ostenderetur, quod Deus neminem prædestinasset ad pœnam, pœnam vero præparasset, & hoc est prædestinasset merito damnandis. Vbi primo notandum video quanta te ipsum repugnantia dictorum tuorum ludibrium audientibus exponas, qui cùm priùs pœnas à Deo præscitas, prædestinatas vel præparatas negaueris, iam asseuerandis atque confirmandis sententiarum testimoniis munire adoriaris. E

Dein sententia, quâ id roborare nisus es, non est Augustini, neque ex vllo librorum Epistolarum, sermonumuè ipsius excerpta, de qua cum anceps diutius hæsitarem, vbinam dictorum eius reperiri posset, repentè subiit in mentem recensendum quendam Pseudographum libellum qui falso Hypomnesticon Augustini inscribitur, quem non esse Beatissimi Augustini plurima documenta sunt: Videlicet quia nec cum cæteris libris suis ab ipso retractatus est, neque in indice sermonum, librorum, Epistolarumque illius à S. Possidio Episcopo discipulo eius enumeratus inuenitur, neque quibuscunque eius dictis concors facillimè comprobatur. Ipsa quoque loquendi facie quisquis tanti Patris literis iugi meditatione pascitur, & delectatione nutritur, perfacilè alterius esse perpendit, qui licet inata quod ipse confitetur proficienter scripserit, & tanto gratiæ Dei munere donatus sit, vt librorum suorum partem maximam retractaret, perindéque perperam dicta corrigeret, nunquam in vna eademque re tantis librorum sermonumque suorum speculis indita, vno solummodo libello adeò contrarius extitisset, qui tot, vt dixi librorum sermonumque illius magnitudinem sua contrarietate fuscaret, immò inter retractandum sua opuscula illud minime prætermisset, quin censoria seueritate, Christianáque humilitate & notasset, & correxisset: Nam & in libro quæstionum voluminis, quod Iudicum vocitamus, cùm quæque figurata vel obscura dissolueret, ita sicut & suprà posuimus de eadem prædestinatione locutus est, dum historiam, factúmque Iepte iudicis pertractaret.

F

Cap. 14. num. 7. sect. 4. *De libro Hypomnesticon.*

G

Augustinus. [Quod verò (inquit) contra filios Ammon Dux quærebatur Iepte, quibus victis liberarentur, qui eo duce aduersus illos bellare cupiebant: quoniá interpretatur Ammon filius populi mei, seu populus mœroris, profecto illi significantur inimici, qui ex ipsa gente perseuerantes in infidelitate prædicti sunt; aut omnino* omnes gehennæ prædestinati, *Vbi erit eis fletus & stridor dentium*, tanquam populo mœroris, quamquam populus mœroris etiam diabolus & Angeli eius non inconuenienter intelliguntur, siue quia æternam miseriam eis quos decipiunt, acquirunt; siue quia & ipsi æternæ miseriæ deputati sunt.] †. Vides quod & homines & diabolum cum Angelis suis prædestinatos & deputatos gehennæ, æternæque miseriæ doceat, & affers contradictorium sui, quod nunquam dixit, nunquam scripsit: sed & hoc notandum, quod si secundum tuam fictionem figurate intelligi deberet, omnino in expositione quæstionum, & figurarum nullo modo figuratè loqui delegisset, vbi aperta etiam non dissolueret, sed ligaret. Prædestinasse igitur, hoc est disposuisse, & iudicasse Deum peccatores suppliciis, & supplicia peccatoribus, tum auctoritas, tum ratio persuadet, quoniam *iustus Dominus iustitias dilexit, æquitatem vidit vultus eius.* Qui nequaquam se à contrario idem vocabulum posuisse manifestat cum exponens verba Domini dicentis *Nunc princeps huius mundi iudicatus, est*, quid in iudicati vocabulo deberet accipi explanando subiecit. Augustinus. [vtique *iudicatus est*: quoniam iudicio ignis æterni irreuocabiliter destinatus est. †. Et item Augustinus. *Quos dedisti mihi custodiui, & nemo*

August. quæstionum in Eptat. lib. 7. q. 49. Iudic. 11. 8.

* al. pœnæ.

Matth. 25. 3.

H

Prud.

Aug. in Euang. Ioan. hom. 95.

ex

A Idem ibidem. homil. 106. Prud. Cap. 14. num. 8. sect. 5.

ex eis periit nisi filius perditionis. Filius perditionis dictus est traditor Christi, perditioni prædestinatus.] † Quæ si vt desipis à contrario vellet intelligi, profecto non obscura populis aperiret, sed aperta magnis obscuritatibus innodaret.

Mirum etiam valde est, quod ex Patris Augustini dictis Deum ad pœnam nullomodo peccantes prædestinasse dicis; sed suis meritis supplicia condigna prædestinata eis ab eo esse, quod cum creberrimè dixeris, vt tamen veritatem prædestinationis aboleas, alio verteris, & nunc isto, tunc illo modo sentiendo diuaricas; ita vt quæ prius adstruxeras, postmodum negare contendas, quemadmodum sequentia satis indicabunt; quod autem humanarum legum conlectura vis approbare, nullatenus homines suppliciis destinatos, sed peccaturis pœnas definitas: nisi cæcus esses profecto vidisses homines legibus iudicari, atque damnari, vt pœnis cuique condignis intereant. Quid enim agitur tot Senatorum,

B

iudicumque Conciliis, nisi vt discussus atque conuictus peccator debitæ pœnæ cunctorum iudicio destinatus ac iudicatus addicatur? prius quippe iudicatur, ac destinatur merito supplicio, ac postmodum plectitur: Ita sanè dicis.

Ioannes Scotus.

Cap. 54. num. 9. sect. 5.

⊖ *Nulla enim temporalia iura hominem definiunt ad peccandum.*

Correctio.

Prud.

† Quasi tanta quis vecordia hebetetur, vt Deum quempiam, vel Angelorum, vel hominum ad peccandum præfinisse dixerit. De qua re quia satis supra actum videtur, cætera videamus. Inter quæ mirari non desino hominem acutissimum, & quem nulla vel legum humanarum vel historiarum pagina fugerit, potuisse eius vel

C

scientiam vel memoriam præterire, labente quondam multis, immo iugibus bellorum incursionibus statu Reipublicæ, Senatusconsulto Romæ Proletarios institutos, quorum vsu in quaslibet fœminas continuo iuuenius bellicosa, atque multimoda Reipublicæ gigneret. Et quod sanctus Augustinus in libro de Ciuitate Dei 3. inter cætera memorat.

Aug. de Ciuit. Dei lib. 3. c. 21. Prud.

Augustinus: [Nam tunc, inquit, id est inter extinctum, secundum, & postremum bellum Carthaginense lata est etiam lex illa Voconia: ne quis hæredem fœminam faceret, nec vnicam filiam, qua lege quid iniquius dici aut cogitari possit, ignoro.] † Illud etiam, vt de cæteris sileam, quod post passionem Domini Senatus censuit, nullum nisi sui decreto deorum numero deputandum: nec non & illud, quod toties in persecutiones Christianorum, & abolitionem fidei, & nominis Christi leges Imperatorum, & Consulum cautæ sunt: Sed & Semiramis prima omnium legitur decreuisse filios matrum connubio sociandos, quæ tum eodem flagitio fœdabatur. Quid Nabuchodonosor Rex Babyloniorum!

D

Nunquid non factam a se statuam auream edictis Regiis censuit adorandam, interpositâ pœnâ inobedientibus fornacis ardentis? Hoc ipsum statuisse Darius Medorum, Persarumque Ducibus Arctatus legitur: Vnde & Daniel Propheta maliuolorum factione leonibus exponitur. Sed Dei veri potentia mirabiliter liberatur.

Dan. 3. 5. Dan. 6. 16. 22.

Ælius Adrianus tanta Catamito suo Antinoo turpitudine adhæsit, vt et mortuo templum, Sacerdotes, & sacra etiam legibus sanciret. Quid Antiochus? Nonne pro abolendis Dei veri sacris, & legibus non solum decreta edidit, verumetiam calamitatibus, persecutiones & mortes Dei cultoribus inuexit: omnis diuinæ legis censura vsuras resecat, ab vsuris prohibet, earumque appetitores damnat: Lex autem Romani iuris earum lucra certis etiam dimensionibus exigenda sancit. Valentinianus etiam Christianus Imperator libidine superatus, priori coniugi alteram superinducens legem constituit: quemcunque virorum duabus pro libitu pariter vti coniugibus.

2. Mach. 6 &c. Deut. 23. 19. & 20.

His sa. bu. vsum. Socratis hist. 4. cap. 26.

E

Quæ cum tanta sint, & tam euidentia vt à me vel superfluò refricentur, vel non necessariè recenseantur, cassato quod dixeras, *Nunquam enim Respublica homines decreuit peccare.*] Animum videndis sequentibus (duce Domini nostri Iesv Christi gratiâ) intendamus.

Intereà nequaquam negligenter prætereundum videtur, quod quorundam fauens improbitatibus, ad hoc terrorem legum humanarum adhibitum peccaturis dixisti: vt suppliciorum atrocitate territi cohiberentur: Ac per hoc magis misericordiæ quam vindictæ transgressoribus suis efficerent: quam peruersitatem cum & fides Catholica iamdudum censuræ seueritate damnauerit, & Patrum reuerenda canicies resciderit, nullatenus nobis in eo destruendo est diutius immorandum. Nam ita id possumus è diuerso colligere: Si falsum est pœnas peccatoribus redhiberi, falsum erit & iustis præmia rependi: Si autem verum est sanctis beatitudinem retribui, verum est impiis pœnas meritas, & supplicia reddi: qui enim dixit: *Ibunt hi in supplicium æternum.* Ipse dixit, *iusti autem in vitam æternam.* Qui etiam se dicturum veraciter protestatus est; impiis quidem, *discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & Angelis eius.* Iustis autem: *Venite benedicti patris mei percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi.* Sicut ergo iusti beatitudinem veraciter consequentur, ita impij pœnis debitis veraciter addicentur. Falsum est igitur, quod mundanarum legum similitudine nihil aliud apperi earum seueritate dixisti, quàm pronos ad peccandum suppliciorum atrocitate territos cohiberi: ac per hoc non minus misericordiæ, quàm vindictæ transgressoribus suis effici: quippe cùm non solùm mundanæ, verùm etiam diuinæ leges multos, etiam temporaliter, tam morte, quàm diuersis suppliciorum generibus dignos plecti decernant, quibus iam nulla valet superesse correctio. Aut diuina correptio in Antiochum, & Herodem correctionis dicenda est medicamentum, & non potiùs æterni supplicij incrementum: hic quippe temporaliter cœptum est, quod illic æternaliter paterentur. Fatendum est igitur diuinas humanasque leges ad hoc supplicia peccantibus intentare, vt eorum terroribus admoniti peccare desistant: quibus tamen si obstinate potiùs obniti, quàm humiliter obsecundare delegerint, non eos iam misericordiam, quam contumaciter respuerunt, consequuturos verùm pœnam inextricabilem, quàm propria sibi iniquitate consciuerunt, meritò perpessuros

F Matth. 25. 46.

v. 41. v. 34.

2. Mach. 9. 11.

G

CAP. XV.

Cap 15.

Quo genere locutionum dicitur præscire Deus peccata, cum nihil sint, aut prædestinasse eorum supplicia, quæ similiter nihil sunt.

Num 1.

QVintus decimus laruarum tuarum horror tali inscriptione signatur.

H

Ioannes Scotus.

Prud.

⊖ *Quo genere locutionum dicitur præscire Deus peccata, cum nihil sint, aut prædestinare eorum supplicia, quæ similiter nihil sunt.*

Correctio.

† Vbi nulla nos vrget refellendi necessitas diutiùs immorari, quam satis semperque ex præcedentibus, & à te replicata, & auctoritate rescissa noscuntur. Vis enim, sicut & in superioribus vomituum tuorum nauseis fastidiosius ingerens intimasti, à contrario intelligi quotiescumque Deus dicitur præscisse peccata, vel eorum prædestinasse supplicia, id est nescisse, & non prædestinasse omnino contra omnium Catholicorum sensum, vel certè omnium hominum opinionem, in quibus nullum

auctorem

auctorem inuenire poteris, cuius te sequacem valeas approbare: Nullus quippe isto loquendi genere præscientiam, & prædestinationem accipiendam vspiam annotauit: Nullus scientiam & dispositionem eius à peccatis & eorum pœnis vllatenus denegauit, de quibus tam loqui supersederem, nisi comprimendæ gratia tuæ iactantiæ, ne quod fingeret falsitas inueniret, & non haberet veritas, quod responderet. Ideóque quod inter tuæ abnegationis testimonia de proditore Iuda dicis.

IOANNES SCOTVS.

⊖ *Item alibi tanquam consors diuinæ dilectionis inter veros prædestinatos, electos, amicos, abusiuè collectus audierat*; non dico vos seruos, sed amicos.

CORRECTIO.

† Falsum esse consulta Euangelij veritas edocet, quæ hunc Domini sermonem post buccellam proditori porrectam, ab eoque impudentissimè sumptam, monitionémque Domini, *quod facis fac citius* & egressum illius celebratum, quisquis aduertit, intelligit. Vnde conijcitur te potiùs tuis sophismatibus fidere, quàm Scripturarum meditationibus inseruire. Sed & illud quod continuò subiungis.

IOANNES SCOTVS.

⊖ *Simili modo ab omni cælesti paternitate abdicato, quasi filio inter filios Dominus dicebat*: Nolite vocare vobis patrem in terra, vnus est enim pater vester, qui in cælis est: *Ac si sapienti inter sapientes donum intelligentiæ concessum videtur, dum Apostolus dicitur*, vobis datum est nosse mysteria regni.

CORRECTIO.

† Ideirco ab re interpositum videtur, quia *mysterium Regni Dei* cum cæteris Apostolis prædicasse teste Euangelio reperitur. Nunquam vtique prædicaret, si ignoraret: Sciendo etenim prædicauit, prædicando sciuit: Nisi fortè iuxta quosdam hæreticos insanisse Prophetas, & Apostolos adstruis, vt quemadmodum Poëta ludit, dat sine mente sonum, nescisse eos quid prophetauerint, vel prædicauerint asseras, quod quia & veritate, & ratione exploditur: Fatendum est eum *Mysteria Regni Dei* veraciter adsecutum, sed auaritiæ magnitudine, & proditionis impietate iusto Dei iudicio tanto munere priuatum, atque damnatum; nequaquam planè credendus est Dominus ei quantum præsenti dispensationi competens præuidebat, inter cætera donorum suorum munera intelligentiam secretorum cœlestium denegasse, *qui solem suum oriri facit super bonos, & malos; & pluit super iustos, & iniustos*; quatenus & concessis muneribus proditoris rabiem mitigaret, & ingratitudinem iustius vindicaret. Nam vt cætera prætermittam, certè post damnatum Dominum, tribunalibúsque vel Pontificum, vel Præsidis addictum, vt ait Euangelista, *Pœnitentia ductus retulit triginta argenteos dicens: peccaui, tradens sanguinem iustum*; quem nullomodo iustum confiteretur, nisi iustum sciret; iustum nullatenus cognouisset, nisi mysterium regni cælestis aliquatenus hausisset: Neque in desperationis mortiferæ præcipitia irremediabiliter incidisset, nisi enormitatem non ferendi sceleris agnouisset.

Absque illa quippe exceptione verba diuini oraculi cum cæteris audiebat, & ad prædicandum regnum Dei pariter mittebatur: quod quanam ratione prædicare potuerit, si eius mysteria ignorabat, nullatenus video; ac per hoc nihil suffragij in eo te assecutum credideris, quod à contrario ei dictum asseris. *Vobis datum est nosse mysteria regni Dei*: Datum est certè & illi, quamuis danti ingratus tanto se munere fecerit alienum. Nihil quippè (vt ait Beatus Gregorius) simplex veritas per duplicitatem agit: Ea enim est natura veritatis, vt si dolosè quippiam egerit, veritas non sit. Dedit ergo ei veritas simplex veraciter nosse mysterium Regni Dei, quantum instanti dispensationis suo occulto Consilio congruere iudicauit: quem certissimè præsciebat in eiusdem regni muneribus nullatenus permansurum: vt vel beneficiorum magnitudine ab impietatis immanitate dulcius reuocaretur, vel ea contemnens ac respuens iustius damnaretur. E Proinde quod asseris Augustinum acutissimum veritatis inquisitorem & assertorem talium nobis exempla locutionum in suis exemplaribus relinquere procurasse, vti nos accipere non pigeat in prædestinatione atque præscientia diuina eundem omnimodo intellectum, ideò falsum est. Quoniam B. Augustinus præscientiam & prædestinationem vnum esse nusquam dixisse reperitur, quamuis præscientiam pro prædestinatione interdum positam veraciter docuerit. Et quod addis. Cap. 15. num. 5. sect. 3.

IOANNES SCOTVS. F

⊖ *Ac per hoc saluberrimo, verissimóque sensu debemus sentire, quod ipse tanquam nos admonens ait*, Omnis prædestinatio præscientia, sed non omnis præscientia prædestinatio] *ac si apertè diceret quamquam præscientia non transcendat fines prædestinationis, (quippe cum sint vnius eiusdemque diuinæ videlicet naturæ) in qua aliud alio plus minúsve non est: meritò vbi est naturæ simplicitas, non est vlla diuersitas: quoniam in ea omnia vnum sunt: tantum ergo in Deo valet præscientia, quantum prædestinatio, planè quia vnum sunt.* Cap. 15. num. 6. sect. 4. August. de Prædestin. Sanct. c. 10.

CORRECTIO.

† Si saluberrimo verissimóque sensu sentires quod Augustinus ait, omnis prædestinatio præscientia, sed non omnis præscientia prædestinatio.] Nunquam te ad has imposturas verteres, vt quod ille, neque sensit, neque dixit, in eius dictis effingeres. Transcendit siquidem præscientia fines prædestinationis; quia præsciuntur, vel ab ipso Deo, vel rationalibus creaturis ea etiam quæ ab ipsis non fiunt: prædestinantur verò tantum ea, quæ ab ipsis vel fiunt, vel facienda disponuntur. Vnius G quoque vt desipis, eiusdemque diuinæ videlicet naturæ non sunt, quia nullâ auctoritate Dei natura præscientia vel prædestinatio nuncupatur, præsertim cum sint relatiua, quorum non est demonstrare substantias, neque in Deo tantum valet præscientia, quantum prædestinatio omnino, quia non vnum sunt: præscit enim Deus quæcunque peccata, quæ ipse non facit, prædestinat autem solum quæ ipse facit vel benignè, vel misericorditer, vel iustè. Quodque infers.

IOANNES SCOTVS.

⊖ *Si Dei præscientia Deus est, necessariò & veritas. Hoc dixerim de prædestinatione, si & ipsa Deus, proculdubio veritas.* Cap. 15. num. 7. sect. 4. H

CORRECTIO.

† Si puro & simplici mentis oculo perspexisses, profectò vidisses, quia veritas substantiam Dei demonstret tam auctoritate, quam ratione. Ipse enim dixit: Prud. *Ego sum veritas*, atqui nusquam dixit ego sum præscientia, vel prædestinatio. Veritas non est relatiuum, Ioan. 14. 6. sicut nec sapientia, nec scientia, nec iustitia, nec bonitas: ideóque quoties de Deo dicitur, essentialiter prædicatur. Præscientia vero & prædestinatio ad aliquid referuntur: Deus se nec præsciuit, nec prædestinauit: aliud ergo aliquid extra se præsciuit, & prædestinauit; id est, quod ipse non fit. Non sunt igitur præscientia, & prædestinatio Deus, sicut veritas: quia veritas essentialiter, præscientia, & prædestinatio relatiuè dicuntur.

Item quod argumentaris *peccatum non esse ex verita-* Cap. 15. num. 8. sect. 5.

A Cap. 15. num. 8. sect. 5. *te, esse autem nihil, perindéque nec ex præscientia, nec ex prædestinatione Dei,*] quis hoc vel demens existimauerit? præsciri autem ab eo peccata omnis & auctoritas, & ratio edocet: præsciri quoque & prædestinari ab ipso iustissimas eorum retributiones videlicet pœnas, tormenta atque supplicia similiter, & auctoritate, & ratione instruimur.

Cap. 15. num 9. sect. 6. De lib. Hypogn. supra. Quodque subnectis: *Beati Augustini te auctoritate prædixisse diuina prædestinatione nullum præparari ad tormenta*, non est mirum fallax falsitati adstruendæ falsitatem inieceris: cum constet libellum ex quo illud exemeras nunquam ab Augustino editum: quippe qui in multis à sensu, locutione, & libris illius nimium sit auersus immo aduersus. Nempe cum idem vir beatissimus opuscula sua retractaret, & ad locum retractandi libri sui, cuius est titulus de octoginta tribus quæstionibus perueniet ita locutus est. Augustinus. [Vtrum Deus mali auctor non sit: vbi videndum est (inquit) ne male intelligatur quod dixi: mali auctor non est;

B August. Retract. l.1 c.26. quia omnium quæ sunt auctor est, quia in quantum sunt, in tantum bona sunt. Et ne hinc putent non ab illo esse pœnam malorum, quæ vtique malum est iis, qui puniuntur: sed hoc ita dixi, quemadmodum Sap.1.13. Eccl.11.14. dictum est *Deus mortem non fecit.* Cum alibi scriptum sit. *Mors & vita à Domino Deo est.* Malorum ergo pœna quæ à Deo est malum est quidem malis, sed in bonis Dei operibus est, quoniam iustum est, vt mali puniantur, & vtique bonum est omne, quod iustum est. † Idem in libro quæstionum Iudicum.

Idē lib. quæst. Iudic q. 11. Augustinus [quid est autem quod Angelus Domini inter cætera diuinæ comminationis dicit: *non adiiciam transmigrare populum, quem dixi eiicere. Non auferam eos à facie vestra, & erunt vobis in angustias, & Dij eorum erunt vobis in scandalum*; nisi vt intelligamus nonnulla etiam de ira Dei venire peccata: vt enim Dij Gentium, inter quas non à se exterminatas Israëlitæ habitare voluerunt essent eis in scandalum, id est facerent

C eos scandalizari in Domino Deo suo, eóque offenso viuere indignans hoc comminatus est Deus quod certè manifestum est magnum esse peccatum. † Idem in libro Iud 2.3. Idē lib. Deu. et. q.1. quæstionum Deuteronomij. Augustinus. *Et noluit Seon Rex Ezebon transire nos per ipsum; quoniam indurauerat Dominus Deus noster spiritum eius, & confortauit cor eius,* Deut.2.30. *vt traderetur in manus tuas sicut in hac die*, hæc dicens Moyses, dum populum alloquitur, tale aliquid commemorat, quale dicebat in Exodo. Exod.10.1 *Ego indurau cor Pharaonis:* & quod in Psalmis legitur Psal.104.25. *conuertit cor eorum, vt odissent populum eius* nec tacetur hic causa indurationis huius cum dicitur, Deut.2.30. *vt traderetur in manus tuas,* Rom.11.33. *sicut in hac die*, id est vt vinceretur à te, quod nō fieret nisi resisteret: non autē resisteret nisi corde obdurato. Cuius Rom.9.14. rei iustitiā si quæsierimus, *inscrutabilia sunt iudicia Dei, iniquitas autē non est apud Deum.* Sane notandū est confor- *al. etiā. tatū cor posse dici & * in malo. † Idem in quæstionibus Idem in Exod q.148. Exodi Augustinus: *Et propitiatus est Dominus de malitia, quam dixit facere populo suo.* Malitiam hic pœnam

D intelligi voluit sicuti est: *æstimata est malitia exitus illorum.* Exod.31.14. Sap.3.2. Secundum hanc dicitur & bonum & malum à Deo non secundum malitiam, qua homines mali sunt. Malus enim Deus non est: sed malis ingerit mala, quia iustus est.] † In eodem Augustinus. [Merito quæritur cum Exod. 32.35. Idem ib. q.148. superius populum dissipasse dictus sit Aaron, cur in ipsum vindicta nulla processerit: neque cum Moyses interfici iussit omnem qui Leuitis euntibus ad portam, & redeuntibus occurrisset armatis; neque cum postea factum est, ib.v.35. quod Scriptura dicit, *Et percussit Dominus populum.*]

> *Hic scissum folium integrum deest in M.S. Cod. Sed Residuum sententia S. Augustini repositum, cum Pericope Ioannis Scoti, qua in sequentibus corrigitur.*

* [*Propter facturam vituli, quem fecit Aaron*: maxime quia & hic hoc idem repetendo inculcatum est. Non enim dictum est. Et percussit Dominus populum propter facturam vituli quem fecerunt, sed *quem fecit Aaron*: & tamen non est percussus Aaron; quin etiam illud quod

E de Sacerdotio eius ante peccatum eius Deus præcipiebat impletum est: sed iussit & ipsum & filios ablui, & sic ordinati sunt in sacerdotio. Ita nouit ille, cui pareat vsque Rom.11.33. ad commutationem in melius, & cui parcat ad tempus, quamuis eum præscierit in melius non mutari: & cui non parcat, vt mutetur in melius & cui non parcat ita vt vitæ mutationem eius expectet: & hoc totum ad id redit, quod Apostolus dicit exclamans: *Quam inscrutabilia sunt iudicia eius & inuestigabiles viæ eius.*

IOANNES SCOTVS.

● *Aut per similitudinem prædestinatio pro præscientia ponitur; aut per illum tropum, qui dicitur Ypallage, quem possumus nominare sub alternationem, &c.* Cap. 15. num. 10 sect. 6.

CORRECTIO.

F

†. † * * * * * * * fieri, vt destinati vel prædestinati ad Prud. † *Hic aliqua desunt.* pœnam, vel à contrario, id est per tropum, qui dicitur antiphrasis, vel per illum, qui vocatur Ypallage deberent intelligi. Nunquid tam multa alia atque ad idem pertinentia passim tam per Scripturas sanctas, quam apud Catholicos doctores inueniuntur eo detorquenda sunt, vt simili insaniæ supponantur: quod quia fieri nulla ratio, nulláque sinit auctoritas, fatendum est, & eloquia diuina, & orthodoxos tractatores ea, ita vt resonant intellexisse, Deíque absque nubilo cuiusquam interpretationis; iustissimis iudiciis deputasse. Peccata à Deo non esse nullus ambigit, pœnas peccatoribus vel factas ab ipso, vel illatas omnis & auctoritas, & ratio comprobat. Ac per hoc, sicut & superius ex verbis beati Augustini posuimus, omnes peccatorum pœnæ bonæ sunt; quia iustæ sunt. Omne enim iustum bonum, nullum autem iustum, non bonum. Proinde quicquid à summè bono, & summè iusto est, bonum est. Iustum est autem retribui G peccatoribus quemadmodum & bonis, quod merentur. Verè enim verò se nequaquam à contrario id vel intellexisse vel posuisse satis lucidè subindéque ipse intimat, qui tacito prædestinationis vocabulo identidem verbis aliis euidenter inculcat. Quid quæso te, maius esse censes prædestinare an facere? nempe vel semper vel pene semper verba Apostoli interserens, de vasis iræ, præparatis, Rom.9.22. vel aptis ad interitum, perfecti seu facti vocabulo vtitur, vt innueret se nunquam prædestinationis significationem à contrario sensisse siue protulisse: vnde & in libro de ciuitate Dei 15. Ita locutus est.

Augustinus. [Sicut enim in vno homine, quod dixit August. de Dei ciuit. lib. 15 c.1. Apostolus experimur, *Quia non primum quod spiritale est, sed quod animale, postea spiritale:* Vnde vnusquis- 1.Cor.15.46. que, quoniam ex damnata propagine exoritur primo sit, necesse est, ex Adam malus, atque carnalis. Quod si in Christo renascendo profecerit, * poterit esse bo- *al. postea erit. nus & spiritalis: sic in vniuerso genere humano cum *al. posterior. primum duæ istæ cœperunt nascendo atque moriendo H procurrere ciuitates prius est natus vt ciuis huius sæculi * posterius autem isto peregrinus in sæculo, & pertinens ad ciuitatem Dei gratia prædestinatus, gratia electus, gratia peregrinus deorsum, gratia ciuis sursum. Nam quantum ad ipsum attinet ex eadem massa ortus, quæ originaliter est tota damnata. Sed * tamen figulus Deus *al. tanquam. (hanc enim similitudinem, non impudenter, sed pru- Rom.9.21. denter introducit Apostolus) *Ex eadem massa fecit aliud vas in honorem, aliud in contumeliam*, prius autem factum est vas in contumeliam, postea vero alterum in honorem. Quia & in ipso vno (sicut iam dixi) homine prius est reprobum, vnde necesse est incipiamus; & vbi non est necesse, vt remaneamus. Posterius vero probum quo proficientes veniamus, & quo peruenientes maneamus.] †. Idem in libro de nuptiis, & concupiscentia.

Augustinus. [Quid ergo est, quod dicit, *Si natura* August. de nuptiis & concu *opus Dei per opus Dei opus diaboli transire non sinitur.*]

Nonnè

Nonne opus diaboli quando primùm in Angelo, qui diabolus factus est ortum est, in opere Dei ortum est? quapropter si malum, quod omnino nusquam erat in Dei opere, oriri potuit, cur malum, quod alicubi iam erat per opus Dei transire non potuit? præsertim cùm ipso verbo vtatur Apostolus dicens: *Et ita in omnes homines pertransiit.* Nunquid homines non sunt opus Dei? pertransiit ergo peccatum per homines; hoc est opus diaboli per opus Dei; atque vt alio modo id ipsum dicã, quia diaboli opus, id est peccatum, per ipsum diabolum exortum, qui factura, vel opus est Dei, per aliud opus Dei, id est hominem pertransit, opus operis Dei per opus Dei: Et ideò Deus est solus immutabilis, & potentissimæ bonitatis, qui & antequam esset vllum malum, *bona opera fecit omnia*, & de malis, quæ in bonis ab eo factis orta sunt, benè operatur per omnia.

In vno, inquit, homine iure vituperatur intentio, & origo laudatur, quia duo sunt quæ contrariis applicentur: in paruulo autem vnum est natura tantùm, quia voluntas non est. Illud ergo vnum inquit, aut Deo adscribitur, aut dæmoni: si natura, inquit, per Deum est, potest in ea esse originale malum: si à diabolo, nihil erit per quod homo diuino operi vindicetur. Perfectè † itaque Manichæus est, qui malum originale defendit: audiat potiùs aduersùm ista quod verum est. In vno homine iure vituperatur intentio, & natura laudatur, quia duo sunt, quæ contrariis applicentur: sed etiam in paruulo non vnum est tantùm, id est natura, in qua creatus est homo à Deo bono: habet enim & vitium, quod *per vnum in omnes homines pertransiit*, sicut sapit Apostolus, non sicut desipit Pelagius, vel Cœlestius, vel eorum quicunque discipulus. Horum itaque duorum, quæ in paruulo esse diximus, vnum adscribitur Deo, alterum diabolo. Et quod vtrumque propter vnum horum id est propter vitium subiicitur potestati diaboli, ideo non est incongruum: quia non fit ipsius diaboli potestate, sed Dei: subiicitur autem vitium vitio, natura naturæ, quia & in diabolo vtrumque est, † & cùm dilecti, & electi de potestate tenebrarum, eruuntur, cui iure subduntur, appareat quid donetur iustificatis bonis à Deo bona benè operante de malis. Quod autem iste sibi quasi religiosè dicere visus est. *Si natura per Deum est, non potest in eo esse originale malum.*]-Nonne religiosius sibi alius videretur dicere: si natura per Deum est, non potest in ea oriri vllum malum: Et tamen falsum est: hoc enim Manihæi asserere voluerunt, & non creaturam Dei factam de nihilo, sed ipsam naturam Dei malis omnibus implere conati sunt: Non enim ortum est malum, nisi in bono, nec tamen summo, & immutabili, quod est natura Dei, sed facto de nihilo per sapientiam Dei. Est itaque per quod homo diuino operi vindicetur, quia non esset homo, nisi diuino opere crearetur, malum † natura non esset in paruulis, nisi voluntate primi hominis peccaretur, & ex origine vitiata peccatum originale traheretur. † Idem in libro de consensu Euangelistarum 3.]

Augustinus. [Dignetur ergo consilio Marci Euangelistæ superari consilium suum, qui eo loco id ponendum iudicauit, quo loco diuina inspiratione suggestum est: Recordationes enim eorum eis manu gubernatæ sunt, qui *gubernat aquam* (sicut scriptum est) *qualiter illi placuerit.* Fluitat enim humana memoria per varias cogitationes, nec in cuiusquam potestate est, quid, & quando ei veniat in mentem. Cùm ergo illi † scilicet veraces viri, quasi fortuita recordationum suarum, propter narrationis ordinem, occultæ Dei potestati (cui nihil fortuitum est) commisissent, non oportet quemquam hominum dicere longè abiectum ab oculis Dei, & longè peregrinantem hoc loco poni debuit, quod valdè ignorat, cur eo loco Deus poni voluerit, quia *etsi obuelatum est Euangelium nostrum* vt ait Apostolus) *in his qui pereunt obuelatum est.* Et cùm dixisset: *Alijs quidem sumus odor vitæ in vitam, aliis odor mortis in mortem*: Subiecit statim: *Et ad hæc quis idoneus?* Id est *quis idoneus* est intelligere, quàm iustè fiat, quod idem Dominus dicit: *Ego veni, vt qui non vident videant, & qui vident cæci fiant.* Ipsa est enim: *Altitudo diuitiarum scientiæ & sapientiæ Dei*, quà fit *ex eadem massa aliud vas in honorem aliud in contumeliam.* Et dicitur carni & sanguini. *O homo tu quis es, qui respondeas Deo, quis* ergo & in hac re *cognoscit intellectum Domini, aut quis consiliarius illi fuit*, vbi sic gubernauit corda reminiscentium Euangelistarum, & in Ecclesiæ fastigio tanto auctoritatis culmine sublimauit, vt per hæc ipsa, quæ in eis contraria videri possunt, multi excæcarentur, dignè *traditi in concupiscentias cordis sui & in reprobum sensum*, & multi exercerentur, ad elimandum pium intellectum secundum occultam omnipotentis iustitiam: dicit enim Propheta Domino: *Nimis profunda facta sunt cogitationes tuæ, vir imprudens non cognoscet, & stultus non intelliget hæc.* Peto autem & admoneo eos qui hæc legunt per nos adiuuante Domino elaborata, vt huius sermonis, quem hoc loco interponendum arbitratus sum in omni simili quæstionum difficultate meminerint ne sæpius eadem repetenda sint. † Idem in Epistola ad Sixtum.

E

Ioan. 9. 39. Rom. 11. 33. Rom. 9. 20. Rom. 11. 34. Rom. 1. 28. Psal. 91. 6.

F

Augustinus. [Quamuis itaque Deus faciat *Vasa iræ in perditionem: vt ostendat iram, & demonstret potentiam suam*, quàm benè vtatur etiam malis, *& vt notas faciat diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ*, quæ fecit in honorem, non damnabili massæ debitum, sed suæ gratiæ largitate donatum; tamen in eisdem iræ vasis propter meritum massæ in contumeliam debitam factis, id est † in hominibus propter naturæ quidem bona creatis, sed propter vitia supplicio destinatis, iniquitatem, quam rectissimè veritas improbat, damnare nouit ipse, non facere: sicut enim voluntati eius tribuitur humana natura nullo dubitante laudanda: sic hominis voluntati culpa tribuitur nullo recusante damnanda] † Quæ quia incunctanter bona sunt, & iusta, non sunt in eo contraria à quo sunt, licet patientibus, vel non patientibus videantur contraria. August. in libro confessionum.

Idem Epistola 105. ad Sixtum. Rom. 9. 22. † al. in abest.

Augustinus. Quippe ex voluntate peruersa facta est libido, & dum seruitur libidini facta est consuetudo, & dum consuetudini non resistitur facta est necessitas: quibus quasi ansulis quibusdam sibimet innexis, vnde catenam appellaui, tenebat me obstrictum dura seruitus; voluntas autem noua, quæ mihi esse cœperat, vt te gratias colerem, fruique te vellem (Deus sola certa iucunditas) nondum erat idonea ad superandam priorem vetustate roboratam, ita duæ voluntates meæ, vna vetus, alia noua, illa carnalis, illa spiritalis confligebant inter se atque discordantes dissipabant animam meam. Sic intelligebam meo ipso experimento, id quod legeram: † *Quod caro concupisceret aduersùs spiritum, & Spiritus aduersùs carnem*: Ego quidem in vtroque, sed magis ego in eo, quod in me approbabam, quam in eo, quod in me improbabam. Ibi enim magis *iam non ego*, quia ex magna parte, id patiebar inuitus, quod faciebam volens. † In eodem Augustinus. Et ideò sunt duæ voluntates, quia vna earum tota non est, & hoc adest alteri, quod deest alteri. Pereant à facie tua Deus, sicut pereunt vaniloqui & mentis seductores, qui cùm duas voluntates in deliberando animaduerterint duas naturas duarum mentium esse asseuerant, vnam bonam, alteram malam. † Et infra Augustinus. Ego eram qui volebam, ego qui nolebam: ego ego eram, nec plenè volebam, nec plenè nolebam: Ideò mecum contendebam, & dissipabat à me ipso, & ipsa dissipatio me inuito quidem fiebat, nec tamen ostendebat naturam mentis alienæ, sed pœnam meæ: Et ideò *iam non ego* operabar illam, sed *quod habitabat in me peccatum* de supplicio liberioris peccati, quia eram filius Adam: nam si tot sunt contrariæ naturæ, quot voluntates sibi resistunt, non iam duæ, sed plures erunt.] † Augustinus contra aduersarium legis & Prophetarum.

G

Prud. August. Confess. lib. 8. c. 5. † al. quo modo. Gal. 5. 17. Rom. 7. 20. Idem ib. cap. 9. & 10.

H

Idem ib. c. 10. Rom. 7. 9. Idē contra aduers. legis & proph. lib. 1. c. 23. Matth. 7. 17

Augustinus. Sed *hunc, inquit, Dominus Christus appellauit arborem bonam, facientem fructus malos.* Immò verò huius talia sentientis, tanquam malæ arboris iste ipse sermo blasphemus fructus est malus: Nam hominem malum dixisse Dominum *Arborem malam, cuius*

fructus

A *fructus mali essent* opera mala; *& hominem bonum arborem bonam, cuius fructus boni essent* opera bona, id est, ipsas hominum voluntates, vel malam mali hominis, vel bonam boni hominis, diuersas esse arbores diuersos fructus ferentes, satis euidenter ipse testatur dicentes: *Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bona, & malus homo de malo thesauro cordis sui profert mala.* Quomodo autem diceret *aut facite arborem bonam, & fructum eius bonum, aut facite arborem malam & fructum eius malum.* Nisi homo posset, nunc in hoc, nunc in illud mutata voluntate conuerti.] † Quapropter quod ais.

[Matth. 12.35. Ib. 33.]

IOANNES SCOTVS.

[Cap. 15 num. 11. sect. 8.] B ⊖ *Aut cui non facilè pateat ab vna origine nasci non posse inuicem sibi aduersantia. Profectò quidem unde bonum fit, inde malum non erit, vnde humilitas, non inde superbia, ex fonte iustitia nunquam manat iniquitas, ex vita principio nunquam procedit mors, beatitudo non est causa miseria: postremò summa essentia nullo modo efficit qua non sunt, peccatum, mors, pœna, iniustitia, vita, beatitudinis defectus sunt: ab eo igitur, qui est, non sunt: ac per hoc, si ab eo non sunt, quis audeat dicere, in eo aliquid esse.*

CORRECTIO.

[Prud.] † Quamuis satis vt æstimo, iam ex his quæ præmisimus euacuatum sit: tamen quia de contrariis tua confirmare satagis, miror dialecticorum subtilissimum nullatenus perspexisse animæ naturam, tam boni quam mali esse capacem, & ex voluntate, quæ ab ea procedit, vel malum, vel bonum siue cogitari, siue dici, seu perfici. Imò vno eodémque momento bona & mala concipi, atque diutius in eadem alternatione versari. Cuius rei vnum ex libro Beati Augustini, qui Enchiridion dicitur, sumamus testimonium.

C [August. Enchir. c. 13.] Augustinus. [Quid est autem, inquit, malus homo nisi mala natura, quia homo natura est: porrò si homo aliquod bonum est, quia natura est, quid est malus homo, nisi malum bonum? tamen cùm dico ista discernimus, inuenimus nec ideò malum, quia homo est, nec ideò bonum, quia iniquus est; sed bonum quia homo, malum quia iniquus. Quisquis ergo dicit malum est hominem esse, aut quod bonum est iniquum esse, ipse incidit in propheticam illam sententiam, [Isa. 5. 20.] *Væ, qui dicunt, quod bonum, est malum, & quod malum, est bonum:* opus enim Dei culpat, quod est homo, & vitium hominis laudat, quod est iniquitas. Omnis itaque natura etiamsi vitiosa est, in quantum natura est, bona est; in quantum vitiosa est, mala est.

[Cap. 16.] Quapropter in his contrariis quæ mala, & bona vocantur, illa dialecticorum regula deficit qua dicunt, nulli rei duo semel inesse contraria; nullus enim aër simul est, & tenebrosus, & lucidus; nullus cibus aut potus simul dulcis, & amarus; nullum corpus simul vbi album, ibi & nigrum: D nullum simul ibi deforme vbi formosum, & hoc in multis ac penè omnibus contrariis reperitur, vt in vna re simul esse non possint. Cùm autem bona, & mala nullus ambigat esse contraria, non solùm simul esse possunt, sed etiam mala omnino sine bonis, & nisi in bonis esse non possunt, quamuis bona sine malis esse possint: potest enim homo, vel Angelus non esse iniustus: iniustus autem non potest esse, nisi homo, vel Angelus: & bonum, quòd homo, bonum quòd Angelus, malum quòd iniustus; & hæc duo contraria, ita simul sunt, vt si bonum non esset, in quo malum esset, prorsus nec malum esse potuisset: quia non modo vbi consisteret, sed vnde oriretur corruptio non haberet, nisi esset quod corrumperetur, quod nisi bonum esset, nec corrumperetur: quoniam nihil est aliud corruptio, quàm boni exterminatio. Ex bonis igitur mala orta sunt, & nisi in aliquibus bonis non sunt, nec erat aliàs vnde oriretur vlla mali natura: Nam si esset in quantum natura, esset profectò bona esset: & aut incorruptibilis natura magnum esset bonum; aut etiam natura corruptibilis nullo modo esset, nisi aliquod bonum, quòd bonum corrumpendo, posset ei nocere corruptio.

E [Cap. 15. Mat. 7. 18.] Sed cùm mala ex bonis orta esse dicimus, non putetur hoc Dominicæ sententiæ refragari, qua dixit: *Non potest arbor bona fructus malos facere, neque arbor mala fructus bonos facere: non potest enim*, sicut veritas ait, [Ib. 16.] *colligi vua de spinis*, quia non potest vua nasci de spinis. Sed ex bona terra, & vites nasci posse videmus, & spinas: * eo modo tanquam *arbor mala fructus bonos*, id est opera bona *non potest facere* voluntas mala: sed ex bona hominis natura oriri voluntas, & bona potest, & mala: nec fuit prorsùs vnde primitus oriretur voluntas mala, nisi ex Angeli, & hominis natura bona. Quod & ipse Dominus eodem loco vbi de arbore & fructibus loquebatur apertissimè ostendit. Ait * autem, *Aut facite arborem bonam & fructum eius bonum, aut facite arborem malam & fructum eius malum.* Satis admonens ex arbore quidem bona malos, aut ex mala bonos nasci fructus non posse; ex ipsa tamen terra cui loquebatur vtramque arborem oriri posse.

[* al. eodem modo.] [* al. enim Matth. 12. 33.] F

[Prud.] † Vides euersam omnem tuæ argumentationis machinam, qua à bona origine nasci non posse inuicem sibi aduersantia conabaris adstruere: Docuit omnino vir disertissimos ab vna origine, id est natura vel Angeli, vel hominis prodire contraria. Vnde ergo humilitas, inde superbia, id est ex natura Angeli, vel hominis bona, ex qua voluntas, vel bona, vel mala; ita vt humilitas voluntas bona, superbis dicatur voluntas mala, quæ tamen voluntas bona, cùm primitus naturæ rationali dono creatoris fuerit insita, propria deprauatione corrupta, nequaquam ex se, vel per se bona valet existere; donec sanetur reparetur, atque infundatur ab illo, qui semper summè & essentialiter est, volũtas bona: ex fonte iustitiæ nunquam manare iniquitatem, id est ex Deo nullus ignorat. *Quia non est iniquitas apud Deum:* attamen iuste retribuit peccatoribus supplicia, quæ merentur. [Rom. 9. 14.] Quia *tu reddes*, inquit, *vnicuique secundùm opera sua;* G ex vitæ principio, id est Deo, infertur mors peccatoribus: quia testante Scriptura: [Eccl. 11. 14.] *ab ipso est vita, & mors.* Beatitudo non est causa miseriæ, quia Deus non est causa cuiusquam peccati ac pœna; est tamen irrogator atque illator miseriæ, mortis, & pœnæ: quæ cum à Deo auctoritate sacri eloquij, vel præsentialiter, vel postmodum æternaliter meritis iustè rependantur, præscita, & prædestinata ab ipso rectissimè censentur, quo iudice inferuntur. Qua verò impudentia negantur peccatores & impij à Deo præsciti, aut pœnis debitis destinati, cùm vtrumque, & ratio, & auctoritas fieri Deo iudice protestetur.

Verùm de pœnis à Deo etiam temporaliter in peccatores, & impios irrogatis, vnum ex Prophetis testimonium adhibuisse sufficiat: nam in eo loco, vbi Propheta Ioël ait. [Ioël. 2. 24.] *Et reddam vobis annos, quos comedit locusta, bruchus, & rubigo, & eruca, fortitudo mea magna, quam misi in vos:* Sanctus Hieronymus exponens eundem locum, [Hieron. in Ioel cap. 2.] ita post quædam effatus est. Hieronymus. [Quærimus, cur *eruca* fortitudo, vel virtus Domini appellata sit, H [v. 24.] & non solùm virtus, sed virtus magna, quomodo potentia Dei in Ægyptiis plagis ostensa est, [Exod. 8. 16. & 17] per parua animalia, & præcipue sciniphes, qui tam parui sunt culices, vt vix cernantur oculis? sic & nunc in paruo, tardóque vermiculo, qui vix moueri potest, & leui tactu conteritur, Dei potentia, & humana fragilitas demonstratur, non quòd Deus ad nutum suum & potentiæ maiestatem nequeat terram subuertere, & operire cuncta diluuio, vel fulmine concremare, sed per parua, & vt ita dicam, puncta corporum ostendit humanam fragilitatem. Vnde & illud solemus Marcioni, & cæteris respondere Hæreticis, qui vetus laniant Testamentum, quod & pulices, & culices, & cimices, & huiuscemodi animantia idcirco fecerit Deus, vt fragilitatem, & imbecillitatem nostræ carnis ostenderet, quæ in tantùm nihil est, vt ab his, quæ parua sunt, vulneretur: si autem *eruca* paruusq; vermiculus fortior homine est, [Eccl. 9.] quid gloriatur terra, & cinis, & elata per superbiã, cũ ex humo sit, à qua homo appellatur, humana

contemnit? quidam autem locum istum sic interpretantur *à dextris, & à sinistris virtutes & fortitudines* Dei legimus quas Græci ΔΙΝΑΜΕΙΣ vocant: à dextris Seraphin, & Cherubin, cunctásque Angelicas Potestates: à sinistris contrarias fortitudines de quibus scriptum est, *Misit in eos iram indignationis suæ furorem, & iram, & tribulationem immissionem per Angelos malos*. De quibus & Michæas in Regum volumine loquitur. *Vidi Dominũ Deum Israël sedentem super thronum suum, & omnis exercitus Cæli stabat iuxta eum à dextris & à sinistris*. Ego puto sinistrum fuisse spiritũ, qui egressus est, & stetit corã Domino, & ait, *Ego decipiam & egrediar, & ero spiritus mendax in ore omnium Prophetarum eius*. Ad quã sinistrã, & contrariam Potestatem quæ apta erat ad decipiendum, & exercitata ad ruinas: & multos ante deceperat, loquitur Deus: *Decipies & prævalebis, egredere, & fac sic*: spiritus quoque qui suffocabat Saül, de quo dixerunt ad eũ pueri sui. *Ecce Spiritus Dei malus te obstupescere facit*, de sinistris partibus erat * qui missi erant a Domino ad puniendos eos, qui cruciari meruerunt propter peccata. Non solum enim homines ministri sunt, & vltores iræ eius in his, qui malum operantur, & non sine causa portant gladium, sed etiam contrariæ fortitudines quæ appellantur furor, & ita Dei, quos Propheta declinans ait. *Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me*: Istiusmodi (vt ita dicam) quæstionariis atque tortoribus tradidit Apostolus * peccatores *In interitum carnis, vt spiritus saluus fieret*: de quibus & satanas est, cui tradidit alios, *vt discerent non blasphemare*: hæc de eruca, cur Dei appellata sit virtus.] † Deinde infers.

IOANNES SCOTVS.

Θ *Peractum (ni fallor) & peccata & pœnas nec à Deo fieri, nec ab eo præsciri, vel prædestinari*: delicta enim quis intelligit?

CORRECTIO.

† Sæpe diximus peccata à Deo nullatenus fieri, præsciri autem auctoritate probauimus, dicente beato Iob: *Ipse nouit & decipientem, & eum qui decipitur, adducit consiliarios in stultum finem, & iudices in stuporem*. Gregor. [Cum omnis, qui proximum suum decipere conatur, iniquus sit, & iniquis veritas dicat: *Nunquam noui vos, discedite à me omnes qui operamini iniquitatem*, qualiter hoc in loco dicitur: *Quia Dominus decipientem nouit?* Sed quia scire Dei aliquando cognoscere dicitur: aliquando approbare, & scit iniquum, quia cognoscendo diiudicat: neque enim iniquum quempiam iudicasset, si nequaquam cognosceret, & tamen iniquum nescit; quia eius facta non approbat: & nouit ergo quia deprehendit, & non nouit, quia hunc in suæ sapientiæ specie non recognoscit: sicut de veraci quolibet viro dicitur; quia falsitatem nesciat: non quia cum vel ab aliis falsum dicitur, hunc reprehendere ignorat: sed eandem ipsam fallaciam, & scit in examine, & nescit in amore, vt videlicet ipse hanc non agat, quam actam ab aliis damnat: & fit plerumque vt nonnulli in insidiis vacantes alienæ vitæ, peruersitatis suæ laqueos tendant, & cum quis nesciens eisdem laqueis capi conspicitur, vtrum hæc Diuinitus videantur, fortasse dubitatur: mirantúrque homines si * hoc Deus videat, cur fieri permittat. *Sed ipse nouit decipientem, & eum qui decipitur. Nouit* etenim *decipientem*; quia plerumque anteriora eius mala conspicit, & hunc iusto iudicio cadere etiam in alia peccata permittit. *Nouit decipientem*: quia in manu suorum operum, dimissum hunc, vt ad peiora proruat, deserit sicut scriptum est: *qui nocet noceat adhuc, & qui in sordibus est, sordescat adhuc*, *Nouit* quoque *& eum qui decipitur*, quia sæpe committunt homines mala, quæ sciunt: Et idcirco permittuntur decipi, vt cadant etiam in mala, quæ nesciunt, quod tamen deceptis aliquando ad purgationem, aliquando vero ad vltionis initium fieri solet.] † Ast pœnas eum præscisse & prædestinasse, quoniam ad iudicium iustitiæ illius pertinet, & auctoritas, & ratio conuincit.

E

Testimonium sanè Propheticum quod adhibuisti prorsus ad rem de qua agitur non pertinet, quod à Patribus rectè intellectum atque tractatum tuam prauitatem funditus euertit, Hieronymus in Epistola ad Ephesios. Hieronymus: [Manifestæ autem mors animæ dicitur esse peccatum in eo, quod ait, *& vos cum essetis mortui delictis & peccatis vestris*, iuxta illud quoque quod in Ezechiel scriptum est *Anima quæ peccauerit, ipsa morietur* & quia delicta quæ Græcè παραπτώματα nuncupantur, iuxta eiusdem linguæ etymologiam propriè verbum est Scripturarum licet delicta παραπτώματα rectius transferantur; quæramus quid significent, quoue distent à peccatis, id est quid intersit inter παραπτώματα, & ἁμαρτίας: aiunt enim quod παραπτώματα quasi initia peccatorum sint, cum cogitatio tacita subrepit, & aliqua ex parte * conuenientibus nobis necdum tamen nos impulit ad ruinam: Vnde & in 18. Psalmo inscribitur *delicta* (hoc est παραπτώματα) *quis intelligit*, quia scilicet difficile sit radices & initia intelligere peccatorum. Peccatum vero esse, cum quid opere consummatum peruenit ad finem.] †. Gregorius moralium lib. 11.

(Cap. 15. num. 13. sect. 9. Hieron. ad Ephesios cap. 1. 1. d. v. 1. Ezech. 18. 20. — * al. consentientibus. — F — Ps. 18. 13.)

Gregorius. [Inter scelera, & delicta hoc distat, quod scelus etiam pondus peccati transit, delictum verò pondus peccati non transit, quia & cum offerri sacrificium per legem iubetur: nimirum præcipitur: sicut pro peccato, ita etiam pro delicto, & nonnunquam scelus in opere est, delictum vero plerumque in sola cogitatione: Vnde & per Psalmistam dicitur *delicta quis intelligit*, quia videlicet peccata operis tanto citiùs cognoscuntur, quantò exterius videntur: peccata vero cogitationis eò ad intelligendum difficilia sunt, quo inuisibiliter perpetrantur. † Cassiodorus in Psalmo 18. Cassiodorus. Illud tamen debemus aduertere quum multa peccata sunt quæ omnimodis ignoramus, quorum nec origines possumus nec subreptiones agnoscere. Vnde subaudiendum est *delicta*, omnia, *quis intelligit*. Nam cum dictum sit in 50. *delictum meum corã me est semper*. Et alibi. *Delictum meum cognitum tibi feci*. Quomodo non potest intelligi, quod peccans cogitur confiteri, sed si adieceris omnia: tunc hæc quæstio probatur exclusa.] †. Augustinus in quæstionibus Leuit.

(Gregor. mor. lib. 15. c. 21. Leu. 7. 7. — Psal. 18. 13. — Cassiod. in Ps. 18. Ps. 18. 13. — G — Ps. 50. 5. Ps. 31. 5.)

Augustinus. [Quid est quod de *ariete pro delicto* cum dixisset, legemque sacrificij exposuisset ait: *Quomodo quod est pro peccato ita & id quod pro delicto, lex vna est eorum*, quæritur inter peccatum, & delictum, quæ sit differentia? quoniam si nulla esset, nullo modo diceretur, *quomodo quod est pro peccato, ita & quod pro delicto*. Quamuis enim lex eiusque sacrificium nihil distet, quia *lex vna est eorum*, tamen ipsa duo, quorum vnum est sacrificium, id est peccatum & delictum? si inter se nihil differrent, * & vnius rei duo nomina essent, non curaret Scriptura tam diligenter commendare vnum esse vtriusque sacrificium: Fortassis ergo peccatum est perpetratio mali, delictum autem desertio boni: Vt quemadmodum in laudabili vita, aliud est declinare à malo, aliud facere bonum, quod admonemur dicente Scriptura, *declina a malo, & fac bonum*: Ita in damnabili aliud sit declinare à bono, aliud facere * malum & illud delictum hoc peccatum sit. Nam & ipsum vocabulum si discutiatur, quid aliud sonat delictum, nisi derelictum, & * quid dereliquit, qui deliquit nisi bonum. Græci etiam duo nomina vsitata huic pesti imposuerunt: Nam delictum apud eos & * paraproma dicitur, & plemmelia; isto ipso quippe loco Leuitici *plemmelia* est: Apostolos autem vbi dicit: *Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, paraptomati*, Græcus habet, quorum nominum si origo discutiatur in paraptomate, tanquam decidere intelligitur, qui delinquit: Vnde cadaner: quod Latini à cadendo dixerunt, Græcè * ptoma dicitur ἀπὸ τοῦ πίπτειν, id est ab eo, quod est cadere: qui ergo peccando malum facit prius delinquendo à bono cadit, & plemmelia simile nomen est negligentiæ: Nam Græcè negligentia Amelia dicitur, quia curæ non est, quod negligitur.

(Aug. in Leuit. q. 20. Leu. 7. 7. — * al. res. — H — Ps. 36. 27. — * al. mala. — * al. qui delinquit quid dereliquit. — Gal. 6. 1. — * al. παράπτωμα παράπτωμα — * al. πτῶμα)

A negligitur. Sic enim Græcus dicit non curo ἠμέλησα particula ergo, quæ additur, * plem, vt dicatur plemmelia, præter significat, vt amelia quod vocatur negligentia, videatur sonare sine cura, plemmelia præter curã, quod benè tantumdem est. Hinc & quidam nostri plemmeliam, non delictum, sed negligentiam interpretari * voluerunt. In Latina autem lingua quid aliud negligitur nisi quod non legitur, id est non eligitur; Vnde etiam legem à legendo, id est ab eligendo Latini auctores appellatam esse dixerunt: his quodammodo vestigiis colligitur, quod ille delinquit, qui bonũ dereliquit; & relinquẽdo à bono cadit, quia negligit, id est, non legit: Peccatum verò vnde sit dictum, quod Græce * amartia dicitur, in neutra lingua mihi interim occurrit. Potest etiam videri illud esse delictum quod imprudenter id est ignorantee, illud peccatum, quod ab sciente committitur: huic differentiæ videntur ista testimonia consonare diuina: *Delicta quis intelligit*, & illud, *quoniam tu scisti imprudentiam meam*: Continuo quippe secutus adiunxit; *Et delicta mea abs te non sunt abscondita*, vel vt alio modo repetens eandem sententiam, nec ab eadem ratione discordat, quod paulo ante commemoraui Apostoli dictum. *Si praeoccupatus fuerit homo in aliquo delicto*; hinc enim, quod præoccupatum dicit * imprudentem lapsum esse significat: Peccatum vero ad scientem pertinere Apostolus Iacobus tanquam definiens ait: *Scienti igitur bonum facere, & non facienti, peccatum est illi.*]

* al. πλὴν * al. πλημμέλεια * al. maluerunt. * al. ἁμαρτία

B Ps. 18. 13. Ps. 68. 6. Gal. 6. 1. Iac. 4. 17. * al. imprudenter.

† Post hæc adhibes plura exempli gratia, quibus pœnarum atque suppliciorum veritatem deneges, videlicet tenebras, silentium dolorem, tristitiam, laborem, stultitiam quæ non possunt vllatenus sciri, nisi nesciendo: quia cum deesse lux dicitur, aut acclamatio, aut sanitas, aut gaudium, aut quies, aut sapientia, tone eorum vel absentiæ, vel defectus talibus vocabulis censeantur. Scriptura sancta *à Deo paratum ignem gehenna Diabolo & Angelis eius*, ac peccatoribus perspicuè clamat, dicente ipso Domino: *Ite in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, & Angelis eius.* Et Isaia Propheta: *Parata est enim ab heri à Rege, Tophet parata, & dilatata*: quem ignem si nihil esse dixeris mendacem facis Deum, qui tam per se, quam per Prophetam suum eum à se ipso paratum dicit: Non enim paratur nihil: sed quod paratur, aliquid sit necesse est: si vero à contrario pro eo quod est non paratum asseris, videris ipse quibus auctoribus id persuadere queas: Nam veritatis filij penitus illa non audient. An eadem insania dicturus es frigus nihil esse, calorem, cibum, & potum: humores noxios ventos, dæmones, & multa alia, quæ pœnæ, vel supplicia nominantur? Verum plus aliquid Dionysio Philosopho adstruis: qui cùm priùs dolorem non esse malum asseruerasset postea oppressus calamitatibus, & dolore cruciatus cœpit affirmare, quod dolor esset summum omnium malorum. Et quia cum Epicuro dicis: Mors ipsa nihil est, poteras etiam cum ipso dicere, post mortem nihil est, & cum peccatoribus quibusdam, *comedamus, & bibamus, cras enim moriemur*: Si itaque Deus pœnam merentibus non infligit, quid est quod per Prophetam Isaiam dicitur? *Stulti facti sunt principes Taneos, Emarcuerunt principes Mempheos, deceperunt Ægyptum angulum populorum eius: Dominus miscuit in medio eius spiritum vertiginis.* Hinc S. Hieronymus ita loquitur.

Prud. Cap 15. num 14. sect 9.

Math. 25. 41. Isa. 30. 33.

C

1. Cor. 15. 32. D Isa. 19. 13.

Hieronymus. [Hoc significat quod regnum sapientiæ sæcularis stultum esse monstretur, & singulorum dogmatum principes, qui interpretantur tribus, arguantur stultos habuisse doctores: *Dominus enim miscuit eis spiritum vertiginis*, siue erroris iuxta illud qood scriptũ est: Et *sicut non probauerunt Deũ habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum sensum*, & quomodo qui sanctus est cum Isaia dicere potest: *Spiritum salutis tua faciemus super terram*, sic qui peccator est, * *bibet erroris*, hoc est malitiæ *spiritum*, secundum quod & in Ieremia legimus: *Arguet te prauaricatio tua, & malitia tua corripiet te*: Sin autem scandalizatur hæreticus, qui vetus non recipit testamentum, quod Dominus miscere dicatur erroris vel *vertiginis spiritum*, audiat scriptum in Apostolo; Hoc est in nouo Testamento. *Tradidit illos Deus in desideriis cordis sui, in immunditiam*: Et iterum: *Propterea tradidit eos Deus in passiones ignominia*: Et rursum: *Tradidit eos Deus in reprobum sensum, vt faciant qua non conueniunt.* Traduntur autem in desideriis cordis, *quia mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & reptilium.* Quod quidem non solum in Epistola ad Romanos, sed ad Thessalonicenses de Antichristo legimus, *pro eo quod charitatem veritatis non * receperunt vt saluarentur, mittet eis Deus operationem erroris, vt credant mendacio & iudicentur omnes, qui non crediderunt veritati, sed * placuerunt sibi in mendacio.*]

Hieron. in Isaiam cap. 19. v. 11. * al. errorum. Isa. 1. 18. Rom. 1. 28. Isa. 26. 18. Ier. 2. 19. * al. faciet.

B Rom. 1. 28.

* al. susceperunt. * al. complacuerunt.

† Audis traditionem, missionem, mixtionem Dei in impios, & audes negare pænas à Deo præsciri, & prædestinari? Quod si à contrario velis intelligi: quid facies in eis locis, in quibus tractatores verbi Dei sub vno eodemque vocabulo destinatos, vel prædestinatos ad pœnam vel gloriam crebro fatentur? Nam S. Hieronymus in expositione Isaiæ Prophetæ ita eloquitur.

Prud. 2. Thess. 2. 10. 11.

F

Hieronymus. [Et reuelabit faciem eius, vt procedant mortui de sepulchris suis: siue nudabit eam vt omnia opera eius proferantur in publicum, & dispergantur habitatores eius in diuersa loca præmiis vel suppliciis destinari.] † Augustinus in libro de Ciuitate Dei 15.

Hieron. in Isaiæ c. 24. 1.

Augustinus. [Quas etiam mystice appellamus Ciuitates duas, hoc est duas societates hominum, quarum est vna quæ prædestinata est in æternum regnare cum Deo, altera æternum supplicium subire cum diabolo.] † Certe nis absque vlla exceptione destinatos præmiis, vel suppliciis dici, & latras à contrario debere intelligi, nempè si suppliciis destinati pro non destinatis accipiuntur, proculdubio & præmiis destinati ex æquo pro non destinatis accipiendi sunt. Quod quia absurdissimum est saltem cogitare, incunctanter fatendum est, & præmiis, & suppliciis destinatos remotà omni contrarietate Deo iustissimo iudice, fide inconcussa liberè confitendos.

Aug. de Ciuit. Dei lib. 15. c. 1. Prud.

Quocunque igitur vis modo, vel sensu, accipe vel peccata vel pænas Deum, rationalesque creaturas scire, vel prædestinare: nos auctoritate diuinorum eloquiorum, & consensu omnium orthodoxorum fatebimur Deum peccata præscisse, & scire, iudicare atque damnare, pœnasque eorum constituisse, fecisse, creasse, præscisse & prædestinasse, intulisse, irrogasse, misisse, voluisse, decreuisse, parasse, disposuisse, & præparasse, vel ante sæcula in præscientia & prædestinatione, vel in sæculis per loca, & tempora opportuna, vel postmodum in æternitate. Porro quod infers.

G

Ioannes Scotus.

⊖ *Non enim creator punit qua fecit, nec ab eis naturalia munera tollit.*

Cap. 15. num. 15. sect. 10.

Correctio.

† Quam sit veritati aduersum liquido patet: si enim Deus non punit quæ fecit fallitur ipse qui dicit, *Delebo hominem, quem creaui à facie terra, ab homine vsque ad animantia, à reptili vsque ad volucres cœli, pœnitet enim me fecisse eos.* Et item: *Finis vniuersa carnis venit coram me, repleta est terra iniquitate à facie eorum, & ego Deus perdam eos cum terra*, Et infra: *Ecce ego adducam diluuij aquas super terram, vt interficiam omnem carnem, in qua spiritus vita est subter cœlum, vniuersa qua in terra sunt consumentur.* Et in Euangelio: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus; animam autem non possunt occidere, sed potius eum timete, qui potest & animam, & corpus perdere in gehenna*: Et rursus: *Esto consentiens aduersario tuo dum es in via cum eo, ne forte tradat te aduersarius iudici, & iudex tradat te ministro, & in carcere mittaris, Amen dico tibi, non exies inde donec reddas nouissimum quadrantem.* Si Deus non punit quæ fecit, quis iudicaturus est viuos & mortuos? quis dicturus est impiis: *Ite in ignem æternum qui paratus est*

H Prud. Gen. 6. 7. v. 13. v. 17. Math. 10. 28. Math. 5. 25. Math. 25. 41.

A Deut. 32. 22. Ibid. 39. &c. v. 40. 41. 42.

diabole & Angeli eius? Si (inquam) non punit quæ fecit, cuius vox est interminantis? *Ignis succensus est in furore meo, & ardebit vsque ad inferni nouissima, deuorabitque terram cum germine suo, & montium fundamenta comburet*; & rursùm: *Ego occidam, & ego viuere faciam; percutiam, & ego sanabo, & non est, qui de manu mea possit eruere: leuabo ad cœlum manum meam, & dicam: viuo ego in æternum: si acuero vt fulgur gladium meum, & arripuerit iudicium manus mea. Reddam vltionem hostibus meis, & his qui oderunt me retribuam: inebriabo sagittas meas sanguine, & gladius meus deuorabit carnes. De cruore occisorum, & de captiuitate nudati inimicorum capitis.*] & alia multa, quæ nequeunt nisi à nolentibus ignorari.

Si Deus ab his quæ fecit naturalia munera non tollit, quid est, vt de cæteris sileam, quod tot homines, cœcos, surdos, mutos, debiles, claudos, infirmos, pigros, hebetésque videmus; adeo vt nihil omnino sensus habere videantur, quos vulgo moriones vocant? quid est quod ipse in Euangelio dicit aduersùs pecuniæ suæ repositorem: *Tollite ab eo mnam, & date illi, qui habet decem mnas: omni enim habenti dabitur, & abundabit, ei autem qui non habet, & quod habet auferetur ab eo*: Et per Isaiam: *Ideo ecce ego addam, vt admirationem faciam populo huic miraculo grandi, & stupendo: peribit enim sapientia à sapientibus eius, & intellectus prudentium illius abscondetur*: Quod Sanctus Hieronymus ita exponit.

B Luc. 19. 24. Isa. 29. 14.

Hieron. in Isaiã cap. 29. 14.

Hieronymus: [Vt perdat (inquiens) eorum sapientiam qui non receperunt Dei virtutem; Deique sapientiam & intellectum prudentium abscondat & celet, ne scilicet eum reperiant, qui in litera continetur. De hoc loco Apostolus Paulus scribens ad Corinthios posuit testimonium, *Perdam sapientiam sapientium, & intellectum prudentium reprobabo*. Aliis verbis eundem sensum edisserens. Non quòd Deus sit inimicus sapientiæ, cuius pater est, & per quam omnis est in hominibus sapientia, sed cum additamento posuit, vt in Hebraico est: *Sapientiam populi & prudentiam illius*, id est populi Iudæorum. Et reuera grande miraculum Deus fecit in populo post aduentum Domini Saluatoris, vt vno atque eodem tempore arderet Ierusalem, templumque corrueret, & † omni magistro scientia tolleretur, impleto illo quod supra dictum est: *Ecce dominator Dominus Sabaoth auferet ab Ierusalem & a Iuda validum & validam, omnem fortitudinem panis, & omne robur aquæ; gigantem, & hominem bellatorem, & iudicem & Prophetam & † collectorem, & senem, & quinquagenarium, & admirabilem & consiliarium, & sapientem architectum*, & prudentem auditorem, & cætera quæ Propheticus sermo contexuit.] † Post interfectionem quippe illius, omnes gratiæ, & donationes sublatæ sunt Iudæis, & secundum quod in Euangelio scriptum est, *Lex & Prophetæ vsque ad Ioannem Baptistam*. † Hinc ipse Dominus loquitur ad Mosen: *Quis fecit surdum, & mutum, videntem & cæcum nonne ego?* Dicens ergo.

1. Cor. 1. 19.

C

† al. omnium magistrorũ. Isa 3. 1. 2.

† al. contectorem.

Prud. Luc. 16. 16. Exod. 4. 11.

IOANNES SCOTVS.

D Cap. 15. num. 16. sect. 10

Θ *Proinde qui dolet quid scit, nisi abesse sanitatem, dolendo igitur non ipsum dolorem, sed ipsam sanitatem nouit, quam profectò non nosset, si de illa notionem quandam non haberet. Recordatio quippe sanitatis in sensibus remanet, ipsa vero in illa substantia, quam Deus creauit residet: non enim creator punit quæ fecit, nec ab eis naturalia munera tollit. Nam si in ipsa natura dolentis quodammodo sanitas non inesset, eam penitus ignoraret, neque ab eius occulta scientia memoria patientis ipsius absentia formaretur, neque amore præsentiæ eius torqueretur.*

CORRECTIO.

Prud.

† Studes omnem iudiciorum Deo potentiam, & veritatem abrogare, quibus sæpissimè peccatores meritu suæ impietatis donis Dei priuantur, etiam ipsa sanitas corporis creberrimè non solum à peccatoribus, verum etiam à iustis subtrahitur, causis nostram infirmitatem latentibus; Deo verò indubitanter patentibus: & quoties quis infirmatur, vel quocunque languore deprimitur, nunquid inest ei sanitas? Si vnquam decubuisses, potuisses agnoscere defuisse tibi sanitatem; Dicendo cum Propheta salubriter pœnitente, *Non est sanitas in carne mea, à facie iræ tuæ, non est pax ossibus meis à facie peccatorum meorum*, & paulo post; *quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus, & non est sanitas in carne mea*: Et Dominus per Prophetam: *Omne caput languidum, & omne cor mærens; à planta pedis vsque ad verticem non est in eo sanitas*. Nam licet ægrotantibus nobis in memoria nostra sit recordatio sanitatis, quam appetimus, & optamus; deesse tamen nobis sanitatem cognoscimus, & plurimum dolemus. Ac per hoc non est tunc in natura nostra sanitas, quamuis in memoria recordemur illius, quæ non est animæ nostræ substantia, sed donum diuini muneris, collatum nostræ substantiæ. Vnde Augustinus in libro de ciuitate Dei 14.

E

Ps. 37. 4. v. 8. Isa. 1. 6.

Aug. de ciuitat. Dei lib. 14. c. 15.

F

Augustinus. [Denique vt breuiter dicatur, in illius peccati pœna quid inobedientiæ, nisi inobedientia retributa est? nam quæ hominis est alia miseria, nisi aduersùs eum ipsum inobedientia eius ipsius, vt * qui quod voluit potuit, quod non potest velit? in paradiso enim etiamsi non omnia poterat ante peccatum, quicquid tamen non poterat, non volebat, & ideò poterat omnia quæ volebat: nunc verò sicut in eius stirpe cognoscimus & diuina Scriptura testatur, *homo vanitati similis factus est*; Quis enim enumeret quàm multa, quæ non potest velit, dum sibi † ipse, id est ipse animus eius, eòque inferior caro eius non obtemperat; ipso namque inuito, & animus plerumque turbatur, & caro dolet, & veterascit, & moritur, & quicquid aliud patimur, quod non pateremur inuiti, si voluntati nostræ nostra natura omnimodo, atque ex omnibus partibus obediret. At enim aliquid caro patitur, quo seruire non sinitur, quid interest vnde: dum tamen † pro iustitia damnantis Dei, cui subditi seruire noluimus, caro nostra † nobis, quæ subdita fuerat, non seruiendo molesta sit; quamuis nos, Deo non seruiendo, molesti nobis potuerimus esse, non illi: neque enim sic ille nostro, vt nos seruitio corporis indigemus, & ideò nostra est quod * recipimus, non illius pœna, quod fecimus. Dolores porro qui dicuntur carnis, animæ sunt in carne, & ex carne: quid enim caro per seipsam sine anima vel dolet, vel concupiscit? sed cùm concupiscere caro dicitur, vel dolere, aut ipse homo est, sicut disseruimus, aut aliquid animæ, quod carnis afficit passio, vel aspera, vt faciat dolorem, vel † lenis vt voluptatem: sed dolor carnis tantummodo offensio est animæ ex carne, & quædam ab eius passione dissensio; sicut animæ dolor, qui tristitia nuncupatur dissensio est ab his rebus, quæ nobis nolentibus acciderunt, sed tristitiam plerumque præcedit metus, qui & ipse in anima est, non in carne: dolorem autem carnis non præcedit vllus quasi metus carnis, qui ante dolorem in carne sentiatur: voluptatem verò præcedit appetitus quidam, qui sentitur in carne, quasi cupiditas eius, sicut fames & sitis, & ea quæ in genitalibus vsitatius libido nominatur, cum hoc sit generale vocabulum omnis cupiditatis.] † Item subdendo.

* al. vt quoniam noluit quod potest.

Ps 143. 4.

* al. voluntati.

† al. per iustitiã dominantis.

G

† al. quæ nobis.

* al. percipimus.

† al. lenis

H

IOANNES SCOTVS.

Cap. 15. num. 17. sect. 10.

Θ *Nulla siquidem rationalis natura est, quæ non velit fugere miseriam, & peruenire ad beatitudinem, aut gustata beatitate velit recedere miserámque esse.*

CORRECTIO.

Prud.

† Cur non attendis diabolum, & Angelos eius gustata beatitate voluntatè recessisse, miserosque factos nunquam à miseria velle recedere, neque ad beatitudinem peruenire. Maximè dicente Domino ad Iob, *Qui factus est, vt nullum timeret*. Vnde Beatus Gregorius in Moralibus lib. 34. Gregorius, [*Factus est ergo, vt nullum timeret*: *Nullum* videlicet, quia nec Deum, sed neque hoc, quod passurus est meruit. Cui fœlicius nimirum fuerat timendo vitare supplicia, quàm non

Iob 41. 24. Gregor. moral. lib. 34. c. 17.

* al. factum.

Digitized by Google

A timendo tolerare; appetitum itaque celsitudinis vertit
in rigorem mentis, vt damnatus iam per duritiam se ma-
legisse. lè * esse non sentiat, qui præesse per gloriam quærebat.
Nam quia ius quæsitæ potestatis non obtinuit, quasi
quoddam superbiæ suæ remedium insaniam insensibili-
tatis inuenit, & quia profectu transgredi cuncta non
de ibid. potuit, despectu se contra cuncta præparauit.] † In eodem
Gregorius. Cor eius indurabitur quasi lapis, cor enim
antiqui hostis vt lapis indurabitur, quia nulla vnquam
Prud. conuersionis pœnitentia mollietur. † De qua re quia in
sequentibus multa prosequeris, & nos interim fauente
Domino respiremus.

Cap XVI

CAP. XVI.

De eo quod nulla natura naturam punit, & nihil aliud esse pœnas peccatorum, nisi peccata eorum.

B SExtus decimus phantasiarum tuarum horror à veri-
tate, atque auctoritate veteris, & noui Testamenti
omnimodo conuincitur alienus. Ita quippe virus tuæ
perfidiæ cuditur.

IOANNES SCOTVS.

Num. 1. in Γ. ⊖ *De eo quod nulla natura naturam punit, & nihil aliud*
esse pœnas peccatorum, nisi peccata eorum.

CORRECTIO.

Prud. l.a.51.9. † Quod Deus puniat peccatores, omnes diuinorum
eloquiorum paginæ testantur. Negas ergo Deum esse
naturam, qui punit, & Angelos apostatas, atque homi-
nes transgressores, quos punit, nam de diabolo per
Ps.88. 11. Prophetam ad Deum dicitur: *Nunquid non tu percussisti*
Ps.73.14. *superbum, vulnerasti draconem*; & item: *Tu humiliasti*
C *sicut vulneratum superbum. In brachio virtutis tuæ disper-*
Gen.3. *sisti inimicos tuos?* & rursum; *Tu confregisti capita dra-*
17.&c. *conis: dedisti eum escam populis Æthyopum*: Peccanti
18.19. vero homini dictum est vtique à Deo, *Maledicta terra*
in opere tuo: Cum operatus fueris eam, non dabit fructus
suos, Spinas & tribulos germinabit tibi: In sudore vultus
tui comedes panem tuum cunctis diebus vitæ tuæ, donec re-
uertaris in terram de qua sumptus es, quia puluis es, & in
puluerem reuerteris.] Audis Deum punientem: homi-
némque punitum, & non solum hominem? Verum
etiam terram in pœnam illius punitam, & negas natura
puniri naturam? Item dixit Dominus Deus ad Serpen-
v.14.&c. 15. tem: *Quia fecisti hoc maledictus es inter omnia animantia*
& bestias terræ: Super pectus tuum gradieris, & terram
comedes cunctis diebus vitæ tuæ. Inimicitias ponam inter
te, & mulierem, & semen tuum, & semen illius, ipsa con-
teret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo eius. Mulieri
v.16. quoque dixit: *Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus*
tuos; In dolore paries filios, & sub viri potestate eris, & ipse
D *dominabitur tui.* Audis punitum Angelum, pariterque fœ-
minam, & diffiteris natura puniri naturam.
Gen.4. An non erat natura Caïn, qui primus omnium mor-
8.10. talium inuidiæ facibus accensus fratrem suum occidit?
11.12. Audi qualiter & ipse punitus sit: *Dixitque ad eum Do-*
minus: Quid fecisti? vox sanguinis fratris tui clamat ad
me de terra: Nunc ergo maledictus eris super terram, quæ
aperuit os suum, & suscepit sanguinem fratris tui de manu
tua: Cum operatus fueris eam non dabit fructus suos: va-
v.13.14. *gus, & profugus eris super terram. Dixitque Cain ad Do-*
minum: Maior est iniquitas mea, quam vt veniam me-
rear: ecce eiicies me hodie à facie terræ, & à facie tua
abscondar, & ero vagus, & profugus in terra: omnis igi-
tur, qui inuenerit me, occidet me: Dixitque ei Dominus?
v.15. *nequaquam ita fiet; sed omnis, qui occiderit Cain, se-*
ptuplum punietur: Posuitque Dominus Cain signum, vt
non eum interficeret omnis, qui inuenisset eum.] Item,
d.c.4. 23. *Dixitque Lamech vxoribus suis Ada, & Sella: Audite*
vocem meam vxores Lamech, auscultate sermonem meum
E *quoniam occidi virum in vulnus meum, & adolescentulum*
v.24. *in liuorem meum; septuplum vltio dabitur de Cain, de La-*
mech vero septuagies septies: Audis punientes, audis puni-
tos; & audes gannire natura non puniri naturam?
Aut igitur falsum est, quod verax Scriptura testatur,
& verum erit quod fallax fictio comminiscitur; aut si
nullatenus ratio admittit veritatis scripturarum posse
mentiri, sequitur per omnia falsum esse: quod tua falsi-
Gen.6. tas adinuenit: an non est natura, qui dicit. *Delebo ho-*
7.13. *minem, quem creaui, à facie terræ, ab homine vsque ad*
v.17. *animantia, à reptili vsque ad volucres cœli. Pœnitet enim*
me fecisse eos: Et infrà: *Finis vniuersæ carnis venit coram*
me repleta est terra iniquitate à facie eorum, & ego disper-
dam eos cum terra: Et rursum: *Ecce ego adducam dilu-*
uij aquas super terram, vt interficiam omnem carnem, in
qua spiritus vitæ est subter cœlum. Vniuersa, quæ in terra
Gen.7. 10.11. *sunt, consumentur.* Et iterum: *Cumque transissent*
septem dies, aqua diluuij inundauerunt super terram:
F *Ruptique sunt omnes fontes abyssi magnæ, & cataractæ cœli*
apertæ sunt, & facta sunt pluuiæ super terram quadraginta
v.20.21. *diebus & quadraginta noctibus*: Et infra: *Quindecim*
cubitis altior fuit aqua super montes, quos operuerat.
Consumpta est omnis caro, quæ mouebatur super terram
volucrum, animantium, bestiarum, omniumque repti-
lium, quæ reptant super terram vniuersi homines, &
cuncta in quibus spiraculum vitæ est, in terra mortua
v.22.23. *sunt, & deleuit omnem substantiam, quæ erat super terram*
ab homine vsque ad pecus tam reptile, quam volucres
Cœli, & deleta sunt de terra.] Quid manifestius, aut
certius quæritur? Deus vtique natura est incorporea,
incommutabilis, omnipotens, sempiterna, creatrix
aliarum omnium naturarum, corporalium atque in-
corporalium, & mutabilium. Ecce verax Scriptura
Deum clamat deleuisse creaturas hominum, volucrum,
bestiarum atque reptilium, quæ quia mentiri nunquam
potest certissimè nos docet credere, & liberè confiteri
naturam, punire naturam.
G Quæ tamen punitio in quibusdam abolitionem omni-
modam, in quibusdam temporariam operatur. Nam
animantia rationis expertia omnimodè consumi ratio,
& auctoritas indicant: Rationales vero creaturas non om-
nimode, ita vt non sint: verum ita vt iuste ac congrue pro
modis sibi competentibus ordinatæ atque indicatæ, sint
quidem per substantiam, sed non sint per misericor-
diam, quam in pœnis meritis constitutæ, nunquam
Gen.19. 24 consequi merebuntur: nempe, *Ignem & sulphur pluit*
Exod. 14.28. *Dominus à Domino & consumpsit homines, & omnia quæ*
Num.21. 6 7.&c. *fuerant in Pentapoli*; In tot plagis à Domino in Ægy-
ptios illatis, semper Dominus facere, & creaturæ Do-
mini voluntatem exequentes inducuntur: num erant
naturæ maris rubri fluenta, quæ Pharaonem, & eius
exercitum interfecerunt? Non erant naturæ ignis in
heremo serpentes, & exterminator, qui tot hominum
millia peremerunt? Sed quid de Scripturis tanta congeri
necesse est? cum facta quotidiana nos doceant, nunquam
naturam nisi natura puniri. An enim ipse creator na-
H turarum rebelles sibi, atque inobedientes naturas ratio-
nales nutu omnipotentissimo punit, aut aliquando mani-
festo, aliquando occulto, nunquam tamen iniusto in-
dicio naturas creatas à naturis creatis puniri iubet, vel
sinit.
Nunquid homo hominem interficiens, aut bestia be-
stiam, vel auis auem, seu ignis ligna, siue ferrum, quæ-
libet animantia non sunt naturæ punientia, & punita Si-
quidē veneno, nimiáque boletis quorúlibet ciborum eda-
citate, potúsque superflui ebrietate, multos perimi &
audiuimus & dolemus: de qua re nulla inter Catholicos
tractatores vnquam dissonantia fuit.
Illud verò quod addis *peccatorum pœnas nihil esse aliud,*
quam peccata eorum.] Quomodo nunc peccata pœnas
peccatorum enuntias, quæ hactenus nihil esse confirmare
molitus es? Quomodo peccata, quæ nihil sunt, pœnæ
poterunt esse, quæ secundum similiter nihil sunt? Sed
quia pœnas nihil aliud, quam conscientiam peccato-
rum iuxta Origenem, vel secundum te solum absentiam

A

beatitudinis via intelligi. Et in sequentibus loquaciùs immo fallacius ea exequeris, locis suis (Christo propitio) de singulis videamus: sequeris igitur, & dicis.

Ioannes Scotus.

Cap. 16. num. 2. sect. 1.

⊖ *In magno itaque æterni ignis ardore nihil aliud sit pœnalis miseria, quam beatæ fœlicitatis absentia.*

Correctio.

Prud.

† Ast orthodoxi tractatores non solum aliam pœnam, verum etiam duplicem esse pœnam gehennæ sentiunt auctoritate sanctæ Scripturæ, qua per beatum Iob dicitur: *Ad nimium calorem transeat ab aquis niuium:* Quorum sanctus Hieronymus in expositione Euangelij secundum Matthæum ita edisserit. Hieronymus. [Duplicem autem esse gehennam nimij ignis, & frigoris in Iob plenissimè legimus. † Beda in Expositione Parabolarum Salomonis. Beda. *Non timebit domui suæ à frigoribus niuis*: possunt autem frigora niuis etiam tormenta æterna intelligi, quæ igne & frigore mixta esse legimus. Cum dicitur, Ibi *fletus & stridor dentium*, fletum quippe oculis, ignis, & fumus, stridorem vero dentibus solet frigus gignere. Vnde & beatus Iob de pœnis reproborum loquens æternis. *Ad calorem*, inquit, *nimium transeant ab aquis niuium.*] † Sin vero eadem duplex pœna non ad duplicem substantiam aquæ, & ignis: sed ad vnam videlicet ignis referenda potius æstimatur, potest secundum Philippum Presbyterum explanatorem beati Iob & ita intelligi, qui de memoratis beati Iob verbis ita locutus est.

Iob. 24. 19. Hieron. in Matt c. 11. 28. Prou 31. B 21. Beda in Prouerb. Salom. lib. 3. cap. 31 in medio. Matth. 8 12. Prud. Iob 24. 19.

Phil. in Iob lib. 2. c. 24. sub finé.

Philippus. [Quasi duas gehennas Sanctus Iob dicere videtur ignis, & frigoris, per quas Diabolus, Hæreticus, & homo impius comminuetur. Cum in Euangelio duplicis huius pœnæ sibi dissimilis auctoritatem non habeamus. Certum quidem est non minus quam in igne esse adustionis in frigore, sed si gehenna tantummodo ignis est, forte in ipsa talis sensus cruciatuum fiet illis, qui in ea torquebuntur, vt nunc quasi ignem ardentem sentiant, nunc nimij algoris incendium, & pœnalis commutatio, nunc frigus sentientibus, nunc calorem, quasi de loco ad locum alium transitus æstimetur. Et inde fortassis illud sit, quod Dominus ait in Euangelio: *Mittite illum in tenebras exteriores, illic erit fletus, & stridor dentium*; vt hic *stridor dentium* de rigore frigoris oriatur. Vbi & similitudinem quandam ex nostris corporibus aliquatenus possumus inuenire, in quibus ex fellis russi abundantia, quod ast calidissimum in topicis morbis, intolerabilia rigor præcedit ignem febri ardentissima secuturum. Et dicuntur à Medicis hæc duo quæ sibi contraria dignoscuntur, ex vna fellis materia in homine procreari.] † Beatus Gregorius in Expositione Iob lib. 11.

C

Matth. 22. 13.

Gregor. in Iob lib. 11. cap. 25. Iob. 15. 34. Idẽ ibid. lib. 16. cap. 26. * al. deuorauit. Iob. 22. 20.

D

Gregorius. [*Et ignis deuorabit tabernacula eorum, qui munera libenter accipiunt*: sin verò eorum tabernacula corpora debemus accipere, in quibus illorum animæ habitant, ignis eorum tabernacula deuorat: quia qui hic in mente ardent igne auaritiæ, illic etiam in carne concremantur ignibus gehennæ.] † Idem in libro 16. Gregorius. [*Nonne succisa est erectio eorum, & reliquias eorum * deuorabit ignis?* Hic namque iniqui erecti sunt, quia in prauis actionibus extolluntur, quia & peruersè agunt, & tamen pro peruersis actibus minimè feriuntur: peccant & florent, peccata augent, & terrena bona multiplicant: sed eorum erectio tunc succidetur, cum vel à præsenti vita ad interitum, vel à conspectu æterni iudicis ad æternum gehennæ incendium pertrahuntur. Quia etsi hic mortuam suam carnem relinquunt: ipsam quoque in resurrectione recipiunt, vt cum carne ardeant, in qua peccauerunt: Sicut enim eorum culpa in mente fuit & corpore: ita eorum pœna in anima erit pariter & carne. Quia ergo, nec hoc eis erit liberum à tormento, quod hic mortuum relinquunt; rectè nunc dicitur *reliquias eorum deuorabit ignis.* † In eodem Gregorius. *Et sicut fauilla quam turbo dispergit ante omnipotentis Dei oculos*: Iniqui vita *fauilla* est, quia etsi apparet ad momentum viridis, ab eius tamen iudicio iam consumpta cernitur, quia consumptioni est æternæ deputata, hanc fauillam turbo dispergit; quia *Deus manifestus veniet, Deus noster & non silebit. Ignis in conspectu eius ardebit, & in circuitu eius tempestas valida*:] Huius enim tempestatis turbine ab æterni conspectu iudicis iniqui rapiuntur, & qui hic mentem desiderio peruerso solidauerunt, ibi paleæ & fauillæ videbuntur, quia eos ad æterna supplicia turbo rapiens asportat.] † In eodem.

E

d. v. 20. Idẽ ibid. lib. 15. cap. 30. Iob. 21. 18. Ps. 49. 3. & 4.

Idem d. lib. 15. cap. 17. *al. succendetur.

Gregorius. [*Deuorabit eum ignis, qui non succenditur*: Miro valde modo paucis verbis expressus est ignis gehennæ; ignis namque corporeus, vt esse ignis valeat, corporeis indiget fomentis, qui cum necesse est vt seruetur, per congesta ligna proculdubio nutritur, nec valet nisi succensus esse, & nisi refotus subsistere: At contra gehennæ ignis cum sit incorporeus, & in se missos reprobos corporaliter exurat, nec studio humano succenditur, nec lignis nutritur: Sed creatus semel, durat inextinguibilis, & succensione non indiget, & ardore non caret. Bene ergo de hoc iniquo dicitur, *deuorabit eum ignis, qui non succenditur*: Quia omnipotentis iustitia futurorum præscia, ab ipsa mundi origine gehennæ ignem creauit, qui in pœna reproborum esse semel inciperet, sed ardorem suum etiam sine lignis nunquam finiret. Sciendum verò est quod omnes reprobi, quia ex anima simul & carne peccauerunt, illic in anima pariter, & carne cruciantur. Vnde per Psalmistam dicitur: *Pones eos, vt clibanum ignis, in tempore vultus tui, Dominus in ira sua conturbabit eos, & deuorabit eos ignis.* Clibanus namque intrinsecus ardet: Is vero qui ab igne deuoratur, ab exteriori incipit parte concremari. Vt ergo sacra eloquia ardere, & exterius, & interius reprobos demonstrarent, eos & ab igne deuorari, & sicut Clibanum poni testantur, vt per ignem crucientur in corpore, & per dolorem ardeant in mente. Vnde hic quoque cum de hoc impio diceretur, *deuorabit eũ ignis qui non succẽditur*, protinus de eius spiritu additur. * *Affligitur relictus in tabernaculo suo*; iniqui enim tabernaculum caro est, quia ipsam lætus inhabitat, & si sit possibile optat, vt eam nunquam relinquat: Iusti verò, quia gaudium suum in spe cœlestium ponunt, *eorúmque conuersatio in cœlis est*, & cum adhuc in carne sunt, quasi in carne iam non sunt, quia nulla carnis delectatione pascuntur: Vnde & quibusdam dicitur: *Vos autẽ in carne non estis, sed in spiritu*: Neque enim in carne non erant, qui per Magistri Epistolas exhortationis eloquia suscipiebant; sed quasi iam non in carne esse est, de amore carnalium nihil habere. At contra iniquus iste, quia omne gaudium suum in carnali vita posuit, in tabernaculo carnis habitauit, quã videlicet carnem, cùm in resurrectione receperit, cum ea gehennæ ignibus traditus ardebit, tunc ab ea educi appetit, tunc eius tormenta euadere si valeat quærit, tunc incipit velle vitare quod amauit: sed quia eandem carnem Deo præposuit, iudicante Deo agitur, vt ex ea amplius in igne crucietur. Hic itaque eam relinquere non vult, & tamen ab ea abstrahitur. Illic eam relinquere appetit, & tamen in ea propter supplicia seruatur: ad augmentũ itaque tormenti & hic de corpore nolens educitur, & illic in corpore tenetur inuitus; quia ergo eius spiritus carnem, quam sibi malè amando præposuit euadere in tormento volet, & non valet, rectè nunc dicitur affligetur relictus in tabernaculo suo.] † Idem in libro nono.

F

Iob. 20. 26.

d. v. 26.

Ps. 20. 10.

G

d v. 26. *al. Affligetur. Cap. 18.

Phil. 3. 20. Rom. 8. 9.

H

Idẽ ibid. lib. 8. cap. 38. Iob. 10. 21. * al. vitæ luce. † al. quicunque.

Gregorius. [*Antequam vadam & non reuertar ad terram tenebrosam & opertam mortis caligine*: Quid enim terræ tenebrosæ nomine nisi terra tartari claustra signantur, quæ æternæ mortis caligo operit? quia damnatos quosque in perpetuum à * vita lucis disiungit: nec immerito infernus terra dicitur, quia † quiqui ab eo capti fuerint stabiliter tenentur. Scriptum quippe est; *Generatio*

A *præterit, & generatio aduenit, terra verò in æternum stat.*
Rectè igitur inferni claustra tenebrosa terra nominan-
tur, quia quos puniendos accipiunt, nequaquam pœna
transitoria vel fantastica imaginatione crucient, sed vl-
tione solida perpetuæ damnationis seruant, quæ aliquan-
do tamen loci appellatione signantur, Propheta atte-
Ezech. 26.20. stante qui ait: *Portauerunt ignominiam suam cum his qui*
descendunt in lacum: infernus ergò & terra nominatur,
quia susceptos stabiliter tenet, & lacus dicitur quia hos
quos semel cœperit semper fluctuantes, & trepidos tor-
mentis circumfluentibus absorbet. Sanctus autem vir
siue sua, seu humani generis voce dimitti se postulat, *an-*
Iob 10. 20. *tequam vadat*, non quia ad terram tenebrosam qui cul-
pam defleturus est: sed quia ad hanc proculdubio qui
* al. negligit. plangere * neglexit, vadit. Sicut debitori suo creditor
dicit, solue debitum priusquam pro debito constringa-
ris, qui tamen non constringitur, si quod debet soluere
non moratur. Vbi & rectè subditur; *Non reuertar:* quia
B nequaquam vltrà misericordia parcentis liberat, quos
semel in locis pœnalibus iustitia iudicantis damnat: quæ
v.22. adhuc subtilius loca describuntur. Cùm dicitur *terra*
miseria & tenebrarum, miseria ad dolorem pertinet, &
tenebræ ad cæcitatem. Ea ergo quæ à conspectu distri-
cti iudicis expulsos tenet miseriæ & tenebrarum terra
perhibetur, quia foris dolor cruciat, quos diuisos à ve-
ro lumine intus cæcitas obscurat; quamuis miseriæ, &
tenebrarum terra intelligi & aliter potest. Nam hæc
quoque terra in qua nascimur, est quidem miseriæ, sed
tenebrarum non est, quia multa hîc corruptionis nostræ
mala patimur, sed tamen adhuc in ea per conuersionis
gratiam ad lucem redimus veritate suadente, quæ ait,
Ioan. 12. 35. *Ambulate dum lucem habetis, ne vos tenebræ comprehen-*
dant. Illa verò simul *miseria & tenebrarum* terra est, quia
quisquis ad toleranda eius mala descenderit, nequaquam
vlterius ad lucem redit. In cuius adhuc descriptione sub-
d.v.22. iungitur: *Vbi vmbra mortis, & nullus ordo:* Sicut mors
exterior ab anima diuidit carnem, ita mors interior à
C Deo separat animam: Vmbra ergo mortis est obscuritas
* al. diuisionis. * visionis, quia damnatus quisque cùm æterno igne suc-
cenditur, ab interno lumine tenebratur. Natura verò
ignis est, vt ex se ipso & lucem exhibeat, & concrema-
tionem, sed transacturum illa vltrix flamma vitiorum
concremationem habet & lucem non habet. Hinc est
Matth. 25.41. enim quòd reprobis veritas dicit: *Discedite à me male-*
dicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & Angelis
Matth. 22. 13. *eius*, quorum rursùs omnium corpus in vnius persona
significans dicit: *Ligate ei manus & pedes, & mittite*
eum in tenebras exteriores: Si itaque ignis qui reprobos
cruciat, lumen habere potuisset, is, qui repellitur, ne-
quaquam mitti in tenebras diceretur. Hinc etiam Psal-
Psal 57. 9. mista ait: *Super eos cecidit ignis, & non viderunt Solem:*
Ignis enim super impios cadit, sed Sol igne cadente non
cernitur; quia quo illos gehennæ flamma deuorat, à vi-
sione veri luminis cæcat, vt & foris eos dolor combu-
stionis cruciet, & intus pœna cæcitatis obscuret. Qua-
tenus qui authori suo corpore & corde deliquerunt, si-
D. mul corpore & corde puniantur, & vtrobique pœnas
sentiant, qui dum hic viuerent prauis suis delectationi-
bus ex vtroque seruiebant. Vnde benè per Prophetam di-
Ezech. 32.27. citur: *Descenderunt in infernum cum armis suis.* Arma
quippe peccantium sunt membra corporis quibus per-
uersa desideria, quæ concipiunt, exequuntur: Vnde
Rom 6. 13. rectè per Paulum dicitur; *Neque exhibeatis membra ve-*
stra arma iniquitatis peccato, cùm armis ergo ad infernum
descendere est, cum ipsis quoque membris, quibus de-
sideria voluptatis expleuerunt, æterni iudicij tormenta
* al. tactus. tolerare. Vt * cunctos vndique dolor absorbeat, qui
nunc suis delectationibus subditi, vndique contra iusti-
tiam iustè iudicantis pugnant.
Ibidem c.39. d v.20. Mirum verò est valdè, quod dicitur: *Vbi nullus ordo.*
Neque enim omnipotens Deus, qui mala benè punit,
inordinata esse nullo modo vel tormenta permittit, quia
ipsa quoque supplicia, quæ ex lance iustitiæ prodeunt,
inferri sine ordine nequaquam possunt: quomodo nam-
que in suppliciis ordo non erit, dum damnatum quem-
que iuxta modum criminis retributio sequitur vltionis. E
Hinc quippe scriptum est, *Potentes potenter tormenta* Sap. 6. 7. & 9.
patientur, & fortioribus fortior instat cruciatio: Hinc in
Babylonis damnatione dicitur. *Quantum exaltauit se,* Apoc. 18.7.
& in deliciis fuit, tantum date illi tormenta, & luctum.
Si igitur iuxta modum culpæ pœna distinguitur, constat
nimirùm quòd in suppliciis ordo seruatur; Et nisi tor-
mentorum summam meritorum acta dirimerent, ne-
quaquam iudex veniens dicturum se messoribus esse per-
hiberet: *Colligite primum zizania, & ligate ea in fasci-* Matt. 13. 30.
culos ad comburendum. Si enim nullus in suppliciis ordo
seruabitur, cur comburenda zizania in fasciculis ligan-
tur? Sed nimirùm fasciculos ad comburendum ligare
est, hos qui æterno igni tradendi sunt, pares paribus so-
ciare, vt quos similis culpa inquinat, par etiam pœna
constringat, & qui nequaquam dispari iniquitate pol-
luti sunt, nequaquam dispari tormento crucientur;
quatenus simul damnatio conterat, quos simul elatio
subleuabat; quosque non dissimiliter dilatauit ambitio, F
non dissimilis afflictio angustet, & par cruciet flamma
supplicij, quos in igne luxuriæ par succendit flamma
peccati. Sicut enim *in domo patris mansiones multæ* Ioan. 14. 2.
sunt pro diuersitate virtutis: Sic damnatos diuerso
supplicio gehennæ ignibus subiicit disparilitas cri-
minis: quæ scilicet gehenna quamuis cunctis vna
sit, non tamen cunctos vnâ eâdemque qualitate succen-
dit. Nam sicut vno Sole omnes tangimur, nec tamen
sub eo vno ordine omnes æstuamus, quia iuxta qualita-
tem corporis, sentitur etiam pondus caloris: Sic damnatos
& vna est gehenna, quæ afficit, & tamen non vna omnes
qualitate comburit: Quia quod hîc agit dispar valetudo
corporum, hoc illic exhibet dispar causa meritorum.
Quomodo ergo nullus inesse ordo supplicij dicitur, in d.v.22.
quibus profectò quisque iuxta modum culpæ cruciatur?
sed Sanctus vir postquam vmbram mortis intulit, quan-
ta fit confusio in damnatorum mente subiungit: *Et nul-*
lus ordo. Quia ipsa quoque supplicia, quæ ordinata sunt,
ordinata proculdubio in corde morientium non sunt. Vt G
enim paulo superius diximus, dum damnatus quisque
foris flamma succenditur, intus cæcitatis igne deuora-
tur. Atque in dolore positus, exterius interiùsque con-
funditur, vt sua deterius confusione crucietur. Repul-
sis ergo ordo in supplicio non erit, quia in eorum morte
atrocius ipsa confusio mentis sæuit, quam tamen mira
potentia iudicantis æquitas ordinat, vt pœna † animum * al. animam
quasi † inordinatè cõfundat. Vel certè abesse ordo suppli- * al. inordinata.
ciis dicitur, quia quibuslibet rebus in pœnâ surgentibus,
propria qualitas non seruatur, vnde & protinus subinfer-
tur: *Et sempiternus horror † inhabitans*, in huius vitæ tor- * al. inhabitat,
mentis timor dolorem habet, dolor timorem non habet. d.v.25.
Quia nequaquam mentem metus cruciat, cum pati iam
cœperit, quod metuebat: infernum verò & vmbra mor-
tis obscurat, *& sempiternus horror inhabitat*, quia eius
ignibus traditi, & in suppliciis dolorem sentiunt, & in
doloris angustia pulsante se semper pauore feriuntur, vt
& quod timent tolerent, & rursus quod tolerant, sine
cessatione pertimescant. De his etenim Scriptum est; H
Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extin- Isa. 66. 24.
guetur, hinc flamma, quæ succendit illuminat, il- Ps. 57 9.
linc (vt superius verba Psalmistæ edocuimus) ignis
qui cruciat obscurat. Hinc metus atteritur cùm tolera-
ri iam cœperit, quod timebatur: illinc & dolor dilaniat,
& pauor angustat. Horrendo igitur modo erit tunc re-
probis dolor cum formidine, flamma cum obscuritate:
sic sic videlicet à damnatis sentiri pondus summæ æqui-
tatis debet. Vt quia à voluntate conditoris nequaquam
sunt veriti discrepare dum viuerent, in eorum quandoque
interitu ipsa à suis qualitatibus etiam tormenta discor-
dent, quatenus quo se impugnant, cruciatus augeant,
& cum variè prodeunt, multipliciter sentiantur. Quæ
tamen supplicia in se diuersa, & vltra vires cruciant, &
in eis vitæ subsidium † extinguentes seruant, vt sic vl- † al. extinguendo
tam terminus puniat, quatenus semper sine termino cru-
ciatus viuat: quia & ad finem per tormenta properat, &
sine fine deficiens durat † sic ergò miseris mors sine † al. fit.

[A] morte, finis sine fine, defectus sine defectu, quia & mors viuit, & finis semper incipit, & deficere defectus nescit. Quia igitur & mors perimit, sed non extinguit, dolor cruciat, sed nullatenus pauorem fugat, flamma comburit, sed nequaquam tenebras * [* al. *dicutit.*] decutit: quantùm per notitiam præsentis vitæ colligitur, supplicia ordinem non habent, quæ non suam per omnia qualitatem tenent: quamuis illic ignis, & ad consolationem non lucet, & tamen vt magis torqueat ad aliquid lucet? nam sequaces * [* al. *quosque.*] quosque suos secum in tormento reprobi flammâ illustrante visuri sunt, quorum amore deliquerunt; quatenus qui eorum vitam carnaliter contra præcepta conditoris amauerant, ipsorum quoque eos interitus in * [* al. *augmentum.*] augmento suæ damnationis affligat. Quod profecto Euangelio teste colligimus, in quo veritate nuntiante, diues ille, quem contigit ad æterni incendij tormenta descendere, quinque fratrum describitur meminisse. [Luc. 16. 27. 28.] Qui Abraham petiit vt ad eorum eruditionem eum mitteret, ne illuc eos quandoque venientes par pœna cruciaret: [B] qui igitur ad doloris sui cumulum propinquorum absentium meminit, constat proculdubiò, quia eos ad augmentum supplicij paulò post potuit etiam præsentes videre; quid autem mirum, si secum quoque reprobos aspiciat cremari, qui ad doloris sui cumulum eum, quem despexerat, in sinu Abrahæ Lazarum vidit? Si * [* al *ergo ei.*] ei cui vt pœna cresceret, & vir electus apparuit? Cur non credendum sit quod videre in supplicio eos etiã quos contra Deum dilexerat possit? qua ex re colligitur, quòd eos quos inordinatè nunc reprobi diligunt, miro iudicij ordine secum tunc in tormentis videbunt, vt pœnam propriæ punitionis exaggeret illa auctori præposita carnalis cognatio pari ante oculos vltione damnata. Ignis itaque qui in obscuritate cruciat, credendum est quia lumen ad tormentum seruat, quod si approbare testimoniis in sua expressione non possumus, superest vt è diuerso doceamus. [Dan. 3. 22.] Tres quippè Hebrææ gentis pueri per Chaldæi regis imperium succensis camini ignibus, ligatis manibus pedibusque proiecti, [C] sunt quos tamen cùm idem rex in camini incendio, miseratus exploraret, *illæsis vestibus deambulantes vidit*. [v. 24. 50. &c. v. 92.] Vbi apertè colligitur, quia mira * [* al. *dispositione.*] dispensatione conditoris ignis qualitas in diuersa virtute temperata & vestimenta non attigit, & vincula suscendit, sanctisque viris & ad inferendum tormentum flamma friguit, & ad solutionis ministerium exarsit, Sicut ergo electis ignis ardere nouit ad solatium, & tamen ardere ad supplicium nescit, ita è diuerso gehennæ flamma reprobis, & nequaquam lucet ad consolationis gratiam, & tamen lucet ad pœnam. Vt damnatorum oculis ignis supplicij & nulla claritate candeat, & ad doloris cumulum dilecti qualiter crucientur, ostendat. Quid autem mirum, Si gehennæ ignem credimus habere supplicium simul obscuritatis, & luminis, quando experimento nouimus, quia & tædarum flamma lucet obscura, tunc edax flamma comburit, quos nunc carnalis delectatio polluit: tunc infinitè patens inferni barathrum deuorat, quos nunc inanis elatio exaltat, atque [D] qui quolibet ex vitio hic voluntatem callidi persuasoris expleuerunt, tunc cum duce suo reprobi ad tormenta perueniunt. Et quamuis Angelorum atque hominum longe sit natura dissimilis, vna tamen pœna implicat, quos vnus in crimine reatus ligat, quod bene ac breuiter insinuat Propheta qui ait. [Ezech. 32. 22.] *Ibi assur, & omnis multitudo eius & in circuitu eius sepulchra illius*, Quis namque assur superbi regis nomine, nisi ille per elationem cadens antiquus hostis exprimitur, qui pro eo, quòd multos ad culpam pertrahit, cum cuncta sua multitudine ad inferni claustra descendit. Sepulchra autem mortuos tegunt. Et quis alius mortem acriùs pertulit, quam is qui conditorem suum despiciens, vitam reliquit? quem videlicet mortuum cum humana corda suscipiunt, eius proculdubio sepulchra † [† al *sunt.*] fiunt; *Sed in circuitu illius sepulchra eius sunt*, quia in quorum se mentibus nunc per desideria sepelit, hos sibi postmodum per tormenta coniungit. Et quoniam nunc in semetipsis reprobi malignos spiritus illicita perpetrando suscipiunt, tunc sepulchra eorum cum mortuis ardebunt.] [E]

[Prud.] † Cur autem incredibile sit illic iam in æternum damnatos fore miseros, cùm in hac vita adhuc sub spe pœnitentiæ degentes multis miseriis contingat inuolui? De quibus Beatus Gregor. in libro moralium 20. ita disserit Gregori. [Gregor. mor. lib. 20. c. 15. Iob 30. 3.] [*Squalentes calamitate, & miseria*: Ægra namque caro si studiosè curari negligitur, squalore desuperducto in infirmitate deterius grauatur, & dum calamitati ægritudinis negligentiæ miseria additur, grauior molestia † [† al. *oborta.*] oborto squalore toleratur. Natura igitur humana benè condita, sed ad infirmitatem vitio propriæ voluntatis lapsa, in calamitatem cecidit, quia pressa innumeris necessitatibus, nihil in hac vita, nisi vnde affligeretur inuenit; sed cùm eisdem naturæ nostræ necessitatibus plerumque, plusquam expedit, deseruimus, mentisque curam negligimus, ex miseria negligentiæ infirmitati nostræ addimus squalorem culpæ: necessitates namque naturales hoc habere valde periculosum solent, quòd sæpe in eis minimè discernitur, quid circa illas per vtilitatis studium, & quid per voluptatis vitium agatur: [F] Crebro enim occasione seductionis inuenta, dum necessitati debita reddimus, voluptatis vitio deseruimus, & infirmitatis velamine ante discretionis oculos excusatio nostra se palliat, ac quasi sub patrocinio explendæ voluptatis occultat; infirmitatem verò naturæ nostræ per negligentiam relaxare, nihil est aliud, quàm calamitati miseriam addere, ac vitiorum squalorem ex eadem miseria multiplicare. Vnde sancti viri in omne quod agunt studiosissima intentione discernunt, ne quid plus ab eis naturæ suæ infirmitas, quàm sibi debetur exigat, ne sub necessitatis tegmine in eis vitium voluptatis excrescat. Aliud enim ex infirmitate, aliud ex tentationis suggestione sustinent: Et quasi quidam rectissimi arbitri inter necessitatẽ voluptatémque constituti, hanc † [† al. *consolando.*] consulendo subleuant, illam premendo frænant. Vnde fit, vt & infirmitatis suæ calamitatem tolerent, & tamen ad squalorem miseriæ per negligentiam non descendant. [G] Hoc ipsum enim esse in calamitate est, necessitates naturæ ex carnis adhuc corruptibilis infirmitate sustinere; quas videlicet necessitates cupiebat euadere, qui dicebat: *De necessitatibus meis eripe me*: [Ps. 24. 17.] Sciebat enim plerumque voluptatum culpas ex necessitatum occasione prorumpere, & ne quid sponte illicitum admitteret hoc ipsum satagebat euelli, quod nolens ex radice tolerabat. At contra praui gaudent in his corruptionis suæ necessitatibus, quia nimirum eas ad vsum voluptatum retorquent: Cùm enim reficiendis cibo corporibus naturæ seruiunt, per delectationem gulæ in voluptatis ingluuie distenduntur: Cùm tegendis membris vestimenta quærunt, non solùm quæ tegant, * [† al. *sed etiã quæ excellant & expetunt, & cõtra corporem frigoris non solũ quæ per pinguedinem muniãt.*] sed etiam quæ per mollitiem delectent, non solùm quæ per mollitiem tactum mulceant, sed etiam quæ per colorem oculos seducant: necessitatis igitur causam in vsum voluptatis vertere, quid est aliud, quàm calamitati suæ squalorem miseriæ sociare? pressa itaque tempore aduersitatis Ecclesia, reminiscatur eorum ex quorum merito talia sustinet; [H] Et dicat: *Qui rodebant in solitudine squalentes calamitate & miseria*, [Iob 30. 3.] *calamitate* scilicet non squalerent si * [* al. *in istis.*] insitis necessitatibus voluptatibus voluptatum miseriam non superadderent, quas videlicet necessitates, ex parentis primi culpa meruimus.]

[Prud.] † Post hæc ad illis blasphemias, & mala peioribus aggeras, qui contra omnium opiniones fœlicitatem in inferno damnatis attribuis, & à miseris miseriam demis: dicis enim.

IOANNES SCOTVS.

⊖ *In qua tamen nullus erit, qui non habeat insitam sibi naturaliter absentis beatitudinis notionem, eiúsque desiderium, vt eo maximè torqueatur, quò ardenter appetat, quod iustum Dei iudicium comprehendere non sinat, qui proculdubio appetitus in misero non esset, si penitus quod appetit non haberet. Occultissima itaque verissimoque modo in profundissima suppliciorum miseria damnati habebunt* [Cap. 16. num. 3. sect. 1.]

A *fœlicitatem, & non habebunt eam, habebunt quidem quandam notionem ad eius memoriam; vultum vero eius in fi ultum contemplationis non habebunt: quam profectò fœlicitatis notionem, miseri vt diximus, non haberent in sua memoria, si non aliqua eius scientia fieret in sua natura; sicut autem nullus extra se veritatis habet notionem, ita & eius scientiam: veritas est fœlicitas. Nullus ergo extra naturam suam, fœlicitatis & notionem, & scientiam habiturus sit. In miserorum itaque natura erit veritas, erit igitur fœlicitas. Ast quomodo illa natura misera erit, cui fœlicitas inerit, quæ est veritas. Quid si nulla natura fuerit punita? nunquid erit misera? non video: qua enim causa aliqua natura erit misera, nisi fuerit punita? itaque si nulla natura piniri potest, nulla natura misera erit: quis autem non crediderit omnem naturam aut Deum esse aut ab eo factam? naturam creatricem miseriæ esse capacem dementissimum est suspicari: Creatrix autem natura quali iustitia punitura sit naturas quas ipsa creauit, non inuenio. Nulla dehinc natura punietur, non punita non erit misera.*

Cap. 13. num. 4. lect. 1.

B

Correctio.

Prud.

† O disputationem vanissimam, ô dogma pestiferum ô vanitatem venenis lethalibus oblitam: nempe paulo antè dixeras, *quod in magno æterni ignis ardore, nihil aliud esset pœnalis miseria, quam beata fœlicitatis absentia.*] Nunc autem eo vsque disputatio tua producta est vt auferres miseriam, quam prius dederas, & dares fœlicitatem, quam prius abstuleras. Tantis itaque contrarietatibus te ipsum impedis, vt labyrinthum ingressus, quia filum rectricis gratiæ non quæris, qua elabi valeas minimè inuenias. Quid igitur, nunquid cæcatus quispiam ideò non carebit oculis, quia notionem habitorum quondam oculorum adhuc in memoria retinet? Nunquid claudus ideò rectis pedibus erit, quia vel se vnquam fuisse rectum meminit, vel esse desiderat, vel alios rectos incedere conspicatur? nunquid paralyticus omni membrorum officio destitutus, ideo erit sanus & validus, quia inest eius memoriæ desiderium, atque scientia sanitatis? & ne multa replicem nunquid peccator quilibet, ideo non erit peccator vel impius, quoniam iustitiæ & pietatis notionem in memoria recolit? aut è contrario iustus & pius idcirco non erit iustus & pius quia iniustitiæ & impietatis, quæ penitus aduersantur, vel cauendo vel alios prohibendo meminerunt?

C

Quod enim scientia beatitudinis illic damnatis desit testatur Salomon qui ait, *Quodcunque potest manus tua facere, instanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec scientia, nec sapientia erunt apud inferos, quo tu properas.* Quod quia veritati & rationi omnino constat aduersum: fatendum est auctoritate diuinorum eloquiorum in supplicio positos & miseros esse, & æternæ miseriæ addictos: præsertim cum sicut supra posuimus beatus Iob loca, pœnasque gehennæ describens dixerit. *Antequam vadam ad terram tenebrosam, & opertam mortis caligine, terram miseriæ, & tenebrarum, vbi nullus ordo, sed sempiternus horror † inhabitans.* Audis *terram miseriæ & tenebrarum*, & audes damnatorum negare miseriam? Audis *vbi sempiternus horror inhabitat*, & fœlicitatem miseris pollicetis? nunquid *diues* ille in *inferno sepultus* petens inaniter digito Lazari in requie quiescentis refrigerari linguam suam, ideò beatus erit quia beatitudinem sinus Abrahæ non solum mente voluebat, verum etiam oculis prospectabat? Atqui aliud multo verba respondentis Abrahæ insinuant, qui dixit; *Fili recordare quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala: nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris.* Ecce cruciatus, vbi fœlicitas? Sicut ergo non ideo vel Abraham, vel Lazarus dicendi sunt miseri, quia miseriam diuitis, & intuebantur, & sciebant; ita nec diues fœlix beatusve fuit, quia videbat à longè, & meminerat beatitudinem in requie positorum. Dicente Scriptura; *Quoniam non est in morte, qui memor sit tui: in inferno autem quis confitebitur tibi.* Et item: *Nunquid narrabit aliquis in sepulchro misericordiam tuam, & veritatem tuam in perditionem? nunquid cognoscentur in tenebris mirabilia tua, & iustitia tua in terra obliuionis.* Vnde Cassiodorus in Psal. 54.

Eccl. 9. 10.

Iob. 10. 21.

D

† al. inhabitat.

Luc. 16. 19. &c.

v. 25.

Psal. 6. 6.

Psal. 87. 12. 13.

E

Cassiodorus. [Tu vero Deus *deduces eos in puteum interitus*, quia dixit de Iustis, nunc dicit de impiis, qui in gehennæ profunditate mergendi sunt. *Puteus* quidem dicitur hiatus patens in terræ sinibus exaustus, aquas continens humanis vsibus attributas: sed ne hunc puteum vt talem intelligere potuisses addidit interitus, de quo alio loco legitur, *Neque aperiat super me puteus os suum*, fouea mortalis, mersura terribilis, vbi nec spatium vllum conceditur, nec ipsa miseris respiramenta præstantur, sed obscuritas tenebrosa circumdans, amœni luminis tollet aspectum: ex putei siquidem similitudine gehennæ tormenta nos admonet formidare.] † Augustinus in Psalmo 6. Augustinus. [Confessus est in inferno ille *diues*, de quo Dominus dixit, *qui Lazarum vidit in requie, se autem in tormentis dolebat*, vsque adeo confessus, vt etiam moueri suos vellet, vt se à peccatis cohiberent propter pœnas, quæ apud inferos esse non creduntur: quamuis ergò frustrà confessus est, tamen meritò sibi illa accidisse tormenta, quando etiam suos ne in hæc inciderent, doceri cupiebat. Quid ergo est, *in inferno autem quis confitebitur tibi?* an infernum vult intelligi, quo post iudicium præcipitabuntur impij, vbi iam propter profundiores tenebras, nullam Dei lucem videbunt: cui aliquid confiteantur.]

Cass. in Ps. 54. v. 24.

Ps. 68. 16.

Aug. in Psalm. 6.

Luc. 16. 24.

F

Ps. 6. 6.

† Si enim adest illis fœlicitas, & abest miseria, proculdubio adest eis Dei memoria atque confessio; certum est autem nullam esse beatitudinem præter Deum: si igitur sententia districti examinis tollentur impij, ne videant gloriam Dei, profectò nulla beatitudo, vel fœlicitas inerit, quibus tollitur copia visionis Dei. Porro certum est in hac adhuc vita positos miseros dici testante illo Prophetico pœnitente, & salubriter suam miseriam deplorante: *Miser factus sum, & curuatus sum vsque in finem: tota die contristatus ingrediebar:* & Apostolo; *Miser vel infœlix ego homo. Quis me liberabit de corpore mortis huius*; quibus concinit etiam Iacobus Apostolus dicens: *Miseri estote & lugete.* Si (inquam) hi, de quibus quamdiu hic viuitur non est desperandum, quin per salubrem pœnitudinem beatitudinis gaudia nanciscantur vocantur miseri, quis ambigat irrecuperabiliter miseros, quorum tam certa est perditio, quam in eos districti iudicis fixa sententia? Legimus (dicente Domino) *Æstimatus sum cum descendentibus in lacum: factus sum, sicut homo sine adiutorio inter mortuos liber.* Quod cum ille solus veraciter dicere potuerit, qui eadem veritatis regula solus dicere potuit: *Venit enim Princeps mundi huius, & in me non habet quicquam.*

Ps. 37. 7.

G

Rom. 7. 24.

Iac. 4. 9.

Ps. 87. 5.

Ioan. 14. 30.

Liquet nimirum æternæ miseriæ esse mancipatos, quibus libertatis nihil relinquitur. At quæ fœlicitas absque libertate? Constat quippè fœlicitatem absque libertate infœlicitatem potius deputari, veluti de AntiChristo filio iniquitatis. Salomonis parabolæ tanto antè prædixerunt, *Quod sit incessurus fœliciter.* Cui quemadmodum & omnibus membris eius transitoria fœlicitate pollentibus, atque gaudentibus, beatitudo veræ sempiternæque fœlicitatis nunquam aderit, quamuis fœnea fœlicitas eo vsque attiserit, donec *se supra omne quod dicitur Deus aut quod colitur superbus erexerit.* De quo legitur: *Quem Dominus Iesus interficit Spiritu oris sui, & destruet, illustratione aduentus sui.* Audis interfectum, audis destructum, & interfecto, atque destructo fœlicitatem attribuis: sine dubio qui interficitur atque destruitur, libertate & fœlicitate carens punitur: esse autem eum naturam creatam, quia hominem quamuis plenum diabolo nullus ignorat: punitur ergo natura, cum interficitur homo peccati, de cuius membris Propheta intentans clamat; *Iniusti punientur, & semen impiorum peribit.* Et Dominus ad Cain; *Omnis qui occiderit Cain septuplum punietur:* Quod omni meritatorum pœnarum vltione damnabitur. Quia ergo non dubitatur puniri naturas, nequaquam debet ambigi pec-

H

Prou. 30. 29.

2. Thess. 2. 4. 8.

Psal. 36. 28.

Gen. 4.

catrices,

Digitized by Google

A

catrices, & priùs peccato, & postmodum pœna fieri miseras.

Cap 16. num. 16. sect. 1. Gen. 3. 16. & 17.

Proinde quod dicis ta non inuenire quali iustitia creatrix natura puniura sit naturas, quas ipsa creauit nunquid non legisti iustissimum Deum causa inobedientiæ primos nostri generis propagatores punisse: Nam consultis Domini eosdem increpantis verbis, quibus benignissima patientia corumdem pœnitudinem quærebat, qua iustitia puniti fuerint ostenditur.

Gen. 3. 10.

Et vocauit (ait Scriptura) *Dominus Deus Adam & dixit illi, vbi es, respondit Adam, vocem tuam audiui in Paradiso, & timui quia nudus sum, & abscondi me:* hinc Augustinus in libro vndecimo de Genesi ad litteram. Augustinus. [Satis inquit probabile est solere Deum per creaturam tali actioni congruam in forma humana primis illis hominibus apparere, quos tamen nunquam permisit aduertere nuditatem suam, eorum intentionem in superna sustollens;

Aug. l. 11 de Gen. ad litt. cap. 34.

B

Nisi enim post peccatum pudendum in membris motum pœnali membrorum lege sensissent. Si ergo affecti sunt vt solent affici homines sub oculis hominum. Et talis affectio de peccati pœna erat, eum latere velle, quem latere nihil potest, & ab eo carnem occultare, qui cordis inspector est. Sed quid mirum si † superbè volentes esse sicut Dij, *Euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum?* se quippè *dixerunt esse sapientes* in abundantia sua, & illo auertente faciem, *stulti facti sunt*, quod enim iam ipsos pudebat erga se ipsos, vnde sibi & succinctoria fecerant multo vehementius ab illo etiam sic succincti videri videbantur, qui tanquam familiari temperamento ad eos videndos per creaturam visibilem velut humanos oculos afferebat: si enim propterea sic apparebat, vt homines tanquam cum homine loquerentur, quemadmodum Abraham ad Quercum Mambrææ, illa ipsa prope amicitia pudore onerabat post peccatum, quæ fiduciam dabat ante peccatum: nec iam illam nuditatem audebant ostendere talibus oculis, quæ displicebat & suis.

† al. superbi Ro. 1. 21 Isa. 1. 6.

Gen. 18. 1.

C

Cap. 35. Gen. 3. 11.

Dominus ergo volens iam peccatores more Iustitiæ interrogatos punire amplius, quam erat illa pœna, de qua iam cogebantur erubescere: *Quis nuntiauit* (inquit) *tibi, quia nudus es, nisi à ligno quod præceperam tibi tantum, ne ex eo manducares, ab eo edisti:* hinc enim mors concepta propter Dei sententiam, qui sic fuerat comminatus, fecit aduerti concupiscentialiter membra † vbi dicti sunt *aperti oculi*. Et secutum est quod † puderet, *Et dixit Adam: mulier quam dedisti mecum, hæc mihi dedit à ligno, & edi.* Superbia numquid dixit peccaui! Superbia habet deformitatem confusionis, & non habet confessionis humilitatem: ad hoc ista conscripta sunt, quia & ipsæ interrogationes nimirum ad hoc factæ sunt, vt & veraciter & vtiliter scriberentur: quia si mendaciter non vtique vtiliter, vt aduertamus quo morbo superbiæ laborent homines hodie, non nisi in creatorem conantes referre, si quid egerint mali, cum sibi velint tribui, si quid egerint boni: *Mulier* (inquit) *quam dedisti mecum*, id est quam dedisti, vt esset mecum, *hæc mihi dedit à ligno & edi:* quasi ad hoc data sit, vt non ipsa potius obediret viro, & ambo Deo Et *dixit Dominus Deus mulieri: quid hoc fecisti? Et dixit mulier: serpens seduxit me, & manducaui;* nec ista confitetur peccatum, sed in alterum refert impari sexu, pari fastu: Ex his tamen natus est, nec eos imitatus est, sed † tamen pluribus malis † exercitus qui † dixit & dicit vsque ad terminum sæculi; *Ego dixi Domine miserere mei, sana animam meam, quoniam peccaui tibi.* Quanto melius sic & isti? sed adhuc ceruices peccatorum non conciderat Dominus, restabant labores, dolores, † mortes, & omnis contritio sæculi, & gratia Dei, † qua tempore opportuno subuenit hominibus, quos afflictos docuit non de se ipsis debere præsumere: *Serpens*, inquit, *seduxit me, & manducaui*, quasi cuiusquam suasio Præcepto Dei deberet anteponi.

† al. & ibi. † al. puderet. v. 7. 12.

d. v. 12.

D

v. 13.

† al. planè † al. exercitatus. † al. dicit Ps. 40. 5. Ps. 128. 4. † al. mortis. † al. quia.

d. v. 13.

Cap. 36. Gen. 3. 14.

Et dixit Dominus Deus serpenti: quia fecisti tu hoc, maledictus tu ab omnibus pecoribus, & ab omnibus bestiis, quæ sunt super terram: Super pectus tuum, & ventrem tuum ambulabis, & terram edes † diebus vitæ tuæ; & inimicitias ponam inter te, & inter mulierem, & inter semen tuum, & semen eius. † Ipse tibi seruabit caput, & tu seruabis eius calcaneum. Tota ista sententia figurata est, nec † aliud ei debet scriptoris fides narrationisque veritas, nisi nè illam dictam fuisse dubitemus. Quod enim positum est, *Et dixit Dominus Deus serpenti:* Verba sola scribentis sunt; Hæc exigenda sunt per proprietatem. Hoc ergo † verum est dictum esse serpenti, iam certa verba Dei sunt quæ libero lectoris intellectui relinquuntur, vtrum propriè, an figuratè accipi debeant, sicut in exordio voluminis huius nostri prælocuti sumus: Proinde quod serpens cur hoc fecerit non est interrogatus, potest videri, quod non ipse vtique † id sua natura, & voluntate fecerat, sed diabolus de illo, & per illum, & in illo fuerat operatus, qui iam ex peccato impietatis, se superbiæ suæ igni destinatus fuerat sempiterno: Nunc ergo quod serpenti dicitur, & ad eum qui per serpentem operatus est, vtique refertur proculdubio figuratum est, nam in his verbis tentator ille describitur, qualis generi humano futurus esset: quod genus humanum propagari tunc cœpit, quando hæc in diabolum est, tanquam in serpentem prolata sententia, &c.

E

† al. omnes dies. † al. ipsa. v. 15.

† al. aliquid.

† al. verè d. v. 14.

† al. in sua.

F

Cap. 37. Gen. 3. 16.

Et *mulieri dixit multiplicans multiplicabo tristitias tuas & gemitum tuum, in tristitiis paries filios, & ad virum tuum conuersio tua, & ipse tui dominabitur:* Hæc quoque in mulierem Dei verba figuratè ac Propheticè multo commodius intelliguntur. Verumtamen quia nondum pepererat fœmina, nec dolor & gemitus parientis, nisi ex corpore mortis est, quæ illa præcepti transgressione concepta est, animalibus quidem etiam tunc membris, sed si homo non peccasset, non vtique morituris & alio quodam statu fœliciore victuris, donec post vitam benè gestam in melius mutati mererentur, sicut iam supra pluribus locis insinuauimus; refertur hæc pœna, & ad proprietatem litteræ: Nisi quia id quod dictum est: *Et ad virum tuum conuersio tua, & ipse tui dominabitur*, videndum est quomodo propriè possit accipi: neque enim & ante peccatum aliter factam fuisse decet credere mulierem, nisi vt vir ei dominaretur, & ad eum ipsa seruiendo conuerteretur: sed rectè accipi potest hanc seruitutem significatam, quæ cuiusdam conditionis est potius, quam dilectionis: Vt etiam ipsa satis seruitus, qua homines hominibus postea serui esse cœperunt, de pœna peccati reperiatur exorta: Dixit quidem Apostolus; *Per charitatem seruite inuicem*, sed nequaquam diceret inuicem dominamini. Possunt itaque coniuges per charitatem seruire inuicem, sed mulierem Apostolus non permittit dominari in virum: hoc enim viro potius sententia Dei detulit, & maritum habere Dominum meruit mulieris non natura, sed culpa: quod tamen nisi, seruetur deprauabitur amplius natura, & augebitur culpa.

d. v. 16.

G

† al. factum.

Gal. 5. 13 1. Tim. 2. 12.

Dixit ergo & ad virum eius; *Quia audisti vocem mulieris tuæ, & edisti de ligno, de quo præceperam tibi de eo sols non edere: Maledicta terra in operibus tuis: in tristitiis edes illam omnes dies vitæ tuæ, spinas & tribulos † edes tibi, & edes fœnum agri. In sudore faciei tuæ edes panem tuum, donec conuertaris in terram, ex qua sumptus es, quia terra es, & in terram ibis.*] Hoc esse in terra labores humani generis quis ignorat? Et quia non essent si fœlicitas, quæ in Paradiso fuerat, teneretur, non est vtique dubitandum, ac per hoc etiam propriè verba hæc primitus accipere ne pigeat.]

Ib. c. 38. Gen. 3.

H

13. 18. 19.

† al. germinabit.

† Hæc est incunctanter iustitia, qua natura summe sempiterneque bona, & iusta punit naturam superbientem, suique factoris imperium contumaciter transgredientem: quæ punitio bifariam diuiditur, & nunc in absolutione animæ à suo corpore comparata huius primæ præuaricationis merito, quod ab ipsa radice in omne posteritatis eius genus transfusum atque innatum est, & postmodum in gehenna, quæ tam huius, quam aliorum multiplicitate criminum libidinosa peruersitate contractorum, acquisita est dicente Salomone. *Et cuncta quæ fiunt adducet Deus in iudicium pro omni errato siue bonum*

Prud.

Eccles. 12. 14.

siue

A

Eccl 11. 9.

sine malum sit: Et item: *Lætare ergo iuuenis in adolescentia tua, & in bono sit cor tuum in diebus iuuentutis tuæ, & ambula in viis cordis tui, & in intuitu oculorum tuorum, & scito, quod pro omnibus his adducet te Dominus in Iudicium.* Si nulla natura punietur, quare quæso iudicium celebrabitur? Nam si non impij in eo puniendi sunt, qua ratione Iudicium agitandum sit, prorsus ignoro: An propter iustos tantum, vt præmia recipiant quæ merentur? quis hoc vel demens dixerit? omnes paginæ diuinorum eloquiorum ad hoc diem iudicij præstitutum prædicant, *Vt in eo recipiat vnusquisq;* tam iustus videlicet, quam iniustos, *prout gessit siue bonum siue malum.* Et hæc fides est Catholica; quia vera atque sincera. Quia ergo certum est futurum esse iudicium, & in eo tribui vnicuique tam pio quam impio quod meretur. Nihilominus certum est sicut bonos affici præmiis, ita malos addici tormentis. At qui torquebuntur pœnis interminabilibus addicti: punientur ergo, quoniam non est aliud punire, quam pœnis vel transitoriis, vel æternis afficere: iustum est igitur, vt creatrix natura puniat præuaricatricem naturam, quæ voluntati rectissimæ auctoris sui præposuit suam peruersissimam voluntatem: Quod si omni procul ambiguo certum est, haud secus certum sequitur, omnes quicumque punientur miseros esse, sempiternæque miseriæ subditos, nunquam ab eius tam mentis, quam corporis cruciatibus euasuros. Hæc est (inquam) inflexibilis iustitia terribiliter iudicantis, quam nunc te inuenire dissimulans, post paululum experietis inuentam.

2. Cor. 5 10.

B

Cap. 16. num. 5. sect. 3. Aug. de Gen. ad lit. l. 11. cap. 21.

Iam vero quod adhibes sententiam sancti Augustini ex libro eius vndecimo de Genesi ad litteram, qua dicit: [verum esse atque manifestum iustitiæ ipsi esse contrarium, vt nullo præcedente merito, hoc ipsum in quoque Deus damnet, quod in eo ipse creauerat] quantum veritati Catholicæ consentiat cuiuis etiam simplicitati patet: Nullum enim Deus damnare credendus est, nisi præcedentibus malis meritis eius, quoniam hæc est iustitiæ illius retributio indeflexa in eos dumtaxat, quos pœnis vltricibus irremediabiliter cruciandos Censor æquissimus tradit: De diabolo autem, (quod nullomodo in eo natura, quam Deus creauit, sed mala propria voluntas pœna ignis æterni plectenda sit, nec eius natura significata, cum dictum est: *Hoc est initium figmenti Domini, quod fecit, vt illudatur ab Angelis eius.* Sed vel corpus aëreum, quod tali voluntati congruenter aptauit, vel ipsa ordinatio in qua eum fecit etiam nolentem vtilem bonis, vel quod præsciens eum malum futurum, fecit eum tamen non abstinens bonitatem suam in præbenda vita, atque substantia futuræ etiam noxiæ voluntati; simul præuidens quanta de illo bona esset sua mirabili bonitate, ac potestate facturus) multa in eodem, & sequenti duodecimo libro subtilis disputator disseruit, quæ aliter ab aliis adæque Catholicis viris disserta atque enodata, competentiorem auctoritati intellectum piè recteque quærentibus exhibent, quorum saluberrimis sensibus pius quisque scrutator immutabiliter acquiescit: quorum tamen quædam retractauit, quædam sicut ipse testatur, plura quæsita quam inuenta sunt, & eorum quæ inuenta sunt, pauciora firmata. Cætera vero ita posita, velut adhuc requirenda sint; quibus verbis Doctor humillimus dedit occasionem aliis sanctarum Scripturarum explanatoribus, vt ea, quæ auctoritati diuinæ scrupulosius pertractata, & lucidius enucleata congruerent, suis opusculis indita, tam præsentium, quam posteriorum eruditionibus aperirent. Sed & ipse in opere de ciuitate Dei multo melius atque orthodoxius eadem elimata disseruit, dissertaque explicuit, quæ competenti loco post, si Dominus annuerit, inserentur.

C

Ps. 103. 26.

D

Constat etiã te superioribus litteris tuis, satis egisse, vt ostenderes voluntatem esse naturam: Quod si esset verum mirum est quomodo nunc ex verbis Beati Augustini velis asserere, *non naturam, sed voluntatem esse plectendam.*] Si enim voluntas natura est & voluntas licet peruersa punitur, profecto natura punitur: Nam etsi naturæ omnes à bono auctore bonæ sunt institutæ, rationales tamen proprio vitio malæ non irrationabiliter appellantur. Itaque si voluntas peruersa punitur, & voluntas natura est, necessario sequitur, vt natura puniri dicatur. Eo vsque autem voluntas à natura secernitur, vt Patres orthodoxi sæpenumero eas sequestrare luce clarius videantur, quorum memorabilis Augustinus in libro de Genesi ad litteram 11. ita loquitur.

Cap. 16. num. 6. sect. 2.

E

August. l. 11. in Gen c. 9.

Augustinus. [At enim inquiens, si Deus vellet, etiam isti boni essent, quanto melius hoc Deus voluit, vt quod vellent essent, sed boni infructuosè, mali autem impunè non essent, & in eo ipso aliis vtiles essent? sed præsciebat † quod eorum futura esset voluntas mala, præsciebat sanè, & quia falli non potest eius præscientia, ideo non ipsius, sed eorum est voluntas mala. Cur ergo eos creauit, quos tales futuros esse præsciebat? quia sicut præuidit quid mali essent facturi, sic etiam præuidit de malis factis eorum, quid boni esset ipse facturus: Sic enim eos fecit, vt eis relinqueret, vnde & ipsi aliquid facerent, quo quicquid etiam culpabiliter eligerent, illum de se laudabiliter operantem inuenirent. A se quippe habent voluntatem malam, ab illo autem & naturam bonam, & † iuxta pœnam sibi † debitum locum, aliis exercitationis adminiculum, & timoris exemplum. Sed posset, inquit, etiam ipsorum voluntatem in bonum conuertere, quoniam omnipotens est? posset planè, cur ergo non fecit, quia noluit, cur noluerit, penes ipsum est.] † Idem in libro 8.

† al. quid eorum factura.

F

† al. instam.

† al. debitum

Idem in Gen. l. 8. cap. 13.

Augustinus. [Locus itaque magnus, neque prætereundus proponitur, vt intueamur quantum possumus opus diuinæ prouidentiæ bipertitum in natura & voluntate, †. Vnde cum multa vtiliter, veraciterque dissereret inter cætera veraciter ait. Augustinus. [Naturas creans bonitate, voluntates ordinans potestate, vt in naturis nulla sit quæ non ab illo sit, in voluntatibus autem nulla bona sit, cui non prosit, nulla mala sit, qua bene vti non possit.]

Idem ib. cap. 24.

† Item Augustinus. [Qui numquam ita punit voluntatem malam, vt naturæ perimat dignitatem.] † Et paulo post. Augustinus. [Ergo Dei prouidentia regens, atque administrans vniuersam creaturam, & naturas & voluntates, naturas vt sint, voluntates autem vt nec † infructuose bonæ nec impunitæ malæ sint. † Idem in eodem Augustinus. [Deus itaque super omnia qui condidit omnia, omnes naturas bonas creat, omnes voluntates iustus ordinat.] † Hieronymus in expositione Isaiæ Prophetæ lib. 6.

Idem d. cap. 25. G Id. in d. cap. 23. † al. infructuose

Idem.

Hieronymus. [Deus enim omnia fecit bona, sed ab his, qui sua voluntate sunt pessimi, † semel ortum sit malum, quod voluntate sit non natura.] † Idem in lib. 13.

Hieron. in Isaiæ c. 14. 21. † al. semen.

Hieronymos. [Ex quo perspicuum est natura bonos, voluntate malos fieri. Denique infertur, homo in semetipso errauit, non natura, sed mentis arbitrio.] † Idem in libro 15.

Id. ib. in cap. 47. in fine.

Hieronymus. [Ego enim sum per quem habituta es Proselitos, *Ego qui creaui fabrum sufflantem in igne prunas*, hoc est Diabolum omnium malorum artificem, non necessitate naturæ, sed mentis arbitrio, qui suscitabit incendia, & proferet contra te vasa, quales fuerunt Simon & Elimas Magi, Petro & Paulo Apostolis resistentes: Ego creaui interfectorem eorum, qui increduli sunt futuri, non quod ego sim causa perditionis eorum, sed quod creatus aduersarius ad pugnãdum & victis perditio & victoribus causa sit præmiorum, omnesque, qui contra te à fabro sufflante sunt fabricati, non dirigentur, sed & præsentes pœnas sentient & futuras.] † Idem in 16.

Id. ib. in c. 54. 16. H Isa. 54 16.

Hieronymus.] *Via eorum peruersa*, non natura, sed propria voluntate.]

Idem ib. c. 59. 8. Act 8. 13.

†. Cum igitur clareat voluntatem non esse naturam, quo pacto id quod natura non est puniri possit, minimè intueor: sed quoties voluntates peruersæ, id est peccata plecti dicuntur, metonimicos potius accipiendum existimo, videlicet effectum pro efficiente, id est voluntatem pro volente; & peccatum pro peccante debere intel-

legi:

A ligi: quoniam id iustissimum duxerim, vt qui vult peruersè, id est qui peccat, ipse quod meretur recipiat; nam animo volente corpus operari certum est: operatur ergo animus quædam per se tantummodo cogitando, quædam per corpus sibi subditum perpetrando, itaque volente animo corpus perficit. Dignum est igitur, vt sicut non dissentiunt in operando: Ita non sint dispares in patiendo quid est enim, quod tot morbis atteritur, & morte dissolutum scatet vermibus, putrescit, fatiscit, in puluerem redigitur, & multoties in nihilum deducitur, nisi natura? Interrogemus tot sepultorum cadauera, tot animantium, volatilium, repentium, pisciumque examina tot terræ nascentia, vel annuis, vel menstruis vel quotidianis casibus decidentia, & ipso ruinæ, corruptionisque suæ inæuitabili fine videbimus naturas puniri, naturas corrumpi, naturas dissolui, & penè ad nihilum impelli. Hinc

Aug. in Ioa.tr.42. Augustinus in homilia 39. in Euangelium Ioannis Augustinus. [*Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.*

B Ioan.8.47. Iterum nolite attendere naturam, sed vitium. Sic sunt isti ea Deo, & non sunt ex Deo, natura ex Deo, vitio non ex Deo; natura enim bona, quæ ex Deo est, peccauit voluptate credendo, quod diabolus persuasit, & vitiata est; Ideo medicum quærit, quia sana non est, quod ergo ait

d.v.47. Dominus: *Qui est ex Deo, verba Dei audit: propterea, vos non auditis, quia ex Deo non estis*, non naturarum merita discreuit, aut præter suam animam & carnem aliquam naturam in hominibus, quæ peccato vitiata non esset, inuenit.]† Quodque infers.

Ioannes Scotus.

Cap 16. num 7. sect 2. *Si ergo Angelica natura in diabolo iustè non finitur puniri, quid mirum si humanam substantiam in hominibus, etiam impiissimis eadem diuina iustitia prohibeat torqueri?*

Correctio.

C Prud. † Satis tam auctoritatis, quam beati Gregorij verbis ostensum est humanam substantiam, id est animam & corpus ante diem iudicij secretim, post vero pariter cruciari. Verum ne vnius doctoris te singularitas offendat ponamus etiam beatum Hieronymum, qui verba Isaiæ Prophetæ fideliter explanans, hanc depromit Catholicæ veritatis sententiam.

Hier. in Isa. cap. vlt. v. vlt. Isa. 66. 24. Hieronymus. [*Egredientur, & videbunt cadauera virorum qui præuaricati sunt in me. Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur, & erunt vsque ad satietatem visionis omni carni.* Omnis caro quæ adoratura est in conspectu Domini, vel in Hierusalem cœlesti, vel in omni loco, in quo leuantur mundæ manus, egredietur, vt videat cadauera hominum mortuorum, qui præuaricati fuerunt in Deum; quod vel de Iudæis intelligi potest de quibus dictum est: *Filios genui, & exal-*

Isa. 1. 2. *taui, ipsi autem me spreuerunt:* Vel de omnibus, qui ha-

Ro. 1. 25. bentes notitiam Dei in cordibus suis *Auersi sunt in vani-*

D *tatem, vt adorarent creaturam potius quam creatorem.* Egredientur autem non loco, sed intelligentia: neque enim cadauera mortuorum possunt intus esse cum Domino. Quod si omnis caro adoratura est Dominum, & è contrario cadauera virorum, qui præuaricati sunt in Domino æternis tradentur ardoribus: In vtramque par-

...v. 14. tem veræ carnis erit resurrectio. *Vermis* autem qui *non morietur, & ignis* qui *non extinguetur* à plerisque conscientia accipitur peccatorum, quæ torqueat in suppliciis

al. eorum. constitutos: quare vitio suo atque peccato † tanto caruerint bono, iuxta illud quod dicitur. *Versatus sum in mi-*

...31.4 XX. *seria, dum configitur mihi spina*, & in Prouerbiis: *Tinea*

...o 14. *ossium cor intelligens:* Et iterum sub obelo: *Sicut tinea*

...on. 23. *vestimentum & vermis lignum, sic mœror excruciat cor*

...atth. *viri:* Ita duntaxat, vt non negent præuaricatorum, &

...41. Deum negantium æterna supplicia: dicente Domino in

...id. 22. Euangelio: *Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & Angelis eius:* Et in alio loco: *Ligate manus eius & pedes, & mittite eum in tenebras exteriores, ibi erit fletus,*

E *& stridor dentium;* Si manus audiuimus & pedes & tenebras exteriores, quæ oculorum pœna est lumen Dei non videntium, & fletum, qui vtrique & ipse ad oculos pertinet, & stridorem dentium. Miror quosdam aereum

Ioan. 20. 19. 26. Matth. 14. 25. 26. & 15. Ib. v. 31. corpus, & paulatim in auras tenues dissoluendum post resurrectionem introducere, quia Dominus potentia maiestatis suæ ad Apostolos clausis ingressus est ianuis, qui certè, & ante resurrectionem pendulo super mare ambulauit incessu, & hoc ipsum Apostolo præbuit Petro, vt qui fide ambulabat, infidelitate postea mergeretur, cui dictum est: *Quare dubitasti modicæ fidei.* Ignis quoque iuxta id accipiendus, quod & vermis, qui tamdiu succenditur quamdiu habeat materiam, quo vorax flamma pascatur. Si quis igitur habet in conscientia sua Zizania, quæ inimicus homo dormiente Patrefamilias superseminauit, hæc ignis exuret, hæc vorabit incen-

† al. eminus. dium, & † omnia Sanctorum oculis eorum supplicia monstrabuntur, qui pro auro & argento, & lapide pre-

F tioso ædificauerunt super fundamentum Domini, fœnum, ligna, stipulam ignis pabulum sempiterni.] † Idem in lib. 10.

Hieron. in Isa. c. 30. 10. Isa. 30. 30. Ezech. 38. 3. Ib. v. 31. Hieronymus. [Vox Domini, atque præceptum omnibus nota sit, & fortitudo brachij illius cunctis patebit quando retributionis tempus aduenerit, flammæ & turbinis, grandinisque magnitudine & pondere lapidum deferetur, super quo Ezechiel in Prophetia Gog & Ma-

† al. feribit. gog pleno sermone † describit: *Ad vocis eius imperium pauebit Assur virga percussus*, Omnis impius, omnis imitator gentis inimicæ, non quo in die iudicij solus sit

† al. quoper. Ib. v. 32. feriendus Assyrius, sed † propter Assyrium diabolum intelligamus. Denique sequitur: *Et erit transitus virgæ fundatus, quam requiescere faciet Dominus super eum.* Et est sensus. Nequaquam eum virga percutiet, & eam rursus leuabit ac more cedentium finem faciet verberandi, sed quasi fundatam, & alta radice defixam in pœnis eius faciet permanere. Quod si ita intelligitur, vbi erit pœnitentia diaboli? præsertim cum dicatur peccatoribus:

G Matth. 25. 41. *Ite in ignem æternum, quem præparauit Deus diabolo, & Angelis eius. In tympanis & cytharis, & in bellis præcipuis expugnabit eos:* Dæmones, videlicet & omnes impios cum gaudio omnium Dominus expugnabit. *Ab heri*

Isa. 30. 33. *quippe* & à præterito tempore *præparata est a rege Domino Tophet*, id est lata & spatiosa gehenna, quæ eos æternis vrat ardoribus, Nutrimentum eius & fomes ignis est, & ligna multa idest flamma perpetua, & supplicia peccatorum: Et quoniam sicut de camino & fornace ignis ardentis Propheticus sermo prædixerat, seruat metaphoram, vt statu & spiritu, ac voluntate Domini hanc succendi sciamus mixto sulphure, quod flammas excitet, vt faciat acriora tormenta.] † Idem in lib. 6.

Id. in Isa. c. 14. 18. Isa. 14. 19. 20. Hieronymus. [Igitur Nabuchodonosor *Quasi stirps inutilis incendio* præparatus, vel sicut sanies *Pollutus, & inuolutus iis, qui ab eo interfecti sunt gladio & descenderunt vsque ad fundamenta laci*, Detrahitur in profundum *& ne cum iis quidem habebit consortium sepulturæ*, quos interfecit: alterius enim pœnæ est auctor delicti, & alte-

H rius qui ab auctore compulsus est. Iste est gladius quo vulneratі sunt plurimi & interfecti, de quo & in Psalmo

Ps. 7. 13. legimus: *Nisi conuersi fueritis gladium suum vibrauit, arcum suum tetendit, & parauit eum, & in ipso parauit vasa mortis, sagittas suas ardentibus effecit:* His videlicet qui in suum cor ignita diaboli iacula susceperunt &c. *Fundamenta autem laci* pro lapidibus laci interpretatus est Symmachus, vt aliis verbis profundum & tartarum

Isa. 14. 21. significaret inferni: *Quasi cadauer putridum non habebis*

† al. in sepultura *consortium, neque cum eis † sepulturam, Tu enim terram tuam disperdidisti, tu populum tuum interfecisti.* LXX: quomodo vestimentum sanguine non erit mundum, sic nec tu eris mundus, quia terram meam perdidisti, & populum meum interfecisti, sicut cadauer putridum, siue (vt Aquila transtulit) conculcatum non habebis consortium

Luc. 12. 48. Matth. 4. 9. sepulturæ, nec cum his quidem quos interfecisti. Tu enim magister es, illi fuere discipuli, & cui plus creditum est, plus exigetur ab eo. *Tu enim terram tuam disperdidisti, populum tuum occidisti*, eos videlicet qui tibi sunt crediti

guber

Digitized by Google

A gubernandi : vnde ad ſalnatorem audet dicere : *Hæc omnia mihi tradita ſunt,& dabo tibi ea , ſi procidens adoraueris me.* Cadauer autem diaboli putridum ob magnitudinem peccatorum dubitare non poterit,qui legerit Pſ.37.6. peccatum eſſe fœtidiſſimum , ipſo peccatore dicente : *Computruerunt,& corruptæ ſunt cicatrices meæ à facie inſipientiæ meæ ?* Iſte quia terram ſibi creditam perdidit,& commiſſum ſibi populum trucidauit , nequaquam eos viuos ceſeruans Deo , ſed ſocios ſuæ præparans ſepulturæ,propterea non erit nec vocabitur æternum. † Porro iuxta LXX. hunc habet,ſenſum. *O Lucifer qui mane oriebaris,* qui quando habebas opera virtutis & luminis veſtimentum eras Dei,& de te dici poterat, *Amictus † lumen ſicut veſtimentum,* quia multos interfeciſti gladio,qui deſcenderunt ad infernum, & eorum pollutus es ſanguine, nequaquam vocaberis veſtimentum Dei , ſed veſtimentum cruore permixtum non maculatum , atque pollutum , vt aliquid † mundum habere videaris , ſed totum ſanguine B cruentatum , & hoc notandum , quod ad diabolum dicatur , ſicut veſtimentum commixtum ſanguine non erit mundum , ſic & tu non eris mundus; vbi ſunt ergo qui dant diabolo pœnitentiam , & dicunt illum poſſe mundari ? nec ſtatim † patebimus Hæreſi , quæ diuerſas aſſerit eſſe naturas , & aliam eſſe , quæ nunquam recipiat ſanitatem : non enim hoc veſtimentum per ſe immundum eſt , & ita à Deo conditum , quo olim Deus veſtiebatur : ſed quia commixtum eſt ſanguine , & totum ſe polluit ſuo vitio , & malis accedentibus , non erit mundum , & propterea non erit mundum , *Quia terram Domini perdidit & populum eius interfecit :* Terram Iudææ, terram confeſſionis,& ſanctos quoque perdens,atque interficiens : & ideo non manebit in æternum. Vnde & in Euangelio dicitur: *Ite in ignem æternum,qui præparatus eſt diabolo,& Angelis eius.*]

(Marg.: † al. *ſemel peſſimorum.* Iſa.14.12. Pſ.103.2. † al. *lumine ſicut veſtimento.* † al. *mundi.* † al. *patebimur hæreſim.* Matth. 25.41.)

† Philippus in expoſitione B. Iob.Philippus.*Dulcedo illius vermis ;* per antiphraſim dictum , quod eſt dulce ſit vermibus , & ab eis infatigabiliter conſumatur, ſicut Euangeliſta vel ſicut Iſaias Propheta de præuaricatoribus dicit : *Vermis eorum non morietur,* Et *ignis eorum non extinguetur.*Talis igitur dulcedo erit ignis iniquis & odientibus Deum.]

(Marg.: Philip in Iob.l.2. cap.24. ſub fin. C Iſa.66.24 Marc.9.43 &45.)

† Fulgentius in libro ad Petrum de fide. Fulgentius. [Homines verò quia rationales facti ſunt , & de ſe, & de omnibus rebus , quas in vſum vitæ præſentis acceperunt , rationem reddituri ſunt Deo , & pro ſuorum actuum qualitate recipient aut pœnam , aut gloriam : *Omnes enim nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti vt recipiat vnuſquiſque propria corporis, prout geſſerit,ſiue bonum ,ſiue malum.* Tunc ſcilicet cum ſecundum ipſius noſtri creatoris , ac Redemptoris Elogium ; *Omnes qui in monumentis ſunt audient vocem eius , & procedent,qui bona fecerunt in reſurrectionem vitæ , qui vero mala egerunt , in reſurrectionem Iudicij , vt ſcilicet qui mala egerunt ,* erunt in combuſtionem æternam, cum diabolo ſemper arſuri principe omnium malorum ; qui vero bona fecerunt eant in vitam æternam , regnaturi ſine fine, cum Chriſto [Principe omnium ſæculorum. † In eodem.

(Marg.: Fulg de fide ad Petrum. Col.349. 2.Cor.5.10. Ioan.5.28.29. D † al. *Rege.*)

Fulgentius. [Singula vero corpora illis ſingulis ſuis animabus in reſurrectione reddentur , quas in maternis , vt viuere inciperent, ventribus habere cœperunt , vt ſcilicet animæ in illo examine iuſti Iudicis in eiſdem ſingulis corporibus ſuis accipiant retributionem , ſiue regni , ſiue ſupplicij, in quibus ſiue bonam , ſiue malam qualitatem vitæ præſentis habuerunt. Qualitas autem malæ vitæ ab infidelitate incipit , quæ ab originalis peccati reatu initium ſumit , in quo quiſquis ita viuere , incipit , vt ante finiat vitam , quam ab eius obligatione ſoluatur , ſi vnius diei , vel vnius horæ ſpatio anima illa vixit in corpore , neceſſe eſt eam cum eodem corpore interminabilia gehennæ ſupplicia ſuſtinere , vbi diabolus cum Angelis ſuis in æternum arſurus eſt , qui & primus peccauit , & peccatum † primus hominibus perſuaſit , vbi cum eo etiam fornicarij, Idolis ſeruientes , adulteri , molles , maſculorum concubitores , fures , auari , ebrioſi , maledici , rapaces , & omnes, qui opera carnis agunt , de quibus beatus dicit Apoſtolus : *Quia regnum Dei non conſequentur ,* ſi ante huius vitæ terminum à † viis ſuis malis conuerſi non fuerint, æternis ignibus exurentur. Omnis enim homo , qui in hoc ſæculo vſque ad finem , iniquitatum † dilectione, & cordis obduratione permanſerit : ſicut hic eum noxia criminum dilectio tenuit , ſic eum ſine fine ſempiterna cruciatio retinebit. Erit enim etiam iniquorum reſurrectio , ſed ſine † mutatione , quam ſolis fidelibus , & ex fide iuſtè viuentibus daturus eſt Deus. Hoc eſt enim quod ait beatus Paulus : *Omnes quidem reſurgemus ; ſed non omnes immutabimur* : oſtendens autem iuſtos diuino munere commutandos ait : *Et nos immutabimur.* Habebunt ergo iniqui cum Iuſtis reſurrectionem carnis communem , immutationis tamen gratiam non habebunt , quæ dabitur Iuſtis : quoniam à corporibus impiorum non auferetur corruptio, & Ignobilitas, & infirmitas, in quibus ſeminantur:quæ ob hoc morte non extinguentur vt illud iuge tormentum corpori , atque animæ ſit mortis æternæ ſupplicium.] † Et infra.

(Marg.: Idem ib. Col 345. † al. *primis.* E Gal.5.21. † al. *vitiis.* † al. *delectatione.* † al. *immutatione.* 1.Cor. 15.51. F)

Fulgentius. [Ideo autem hic pœnitentia fructuoſa eſt quia poteſt hic homo depoſita malitia bene viuere , & mutata voluntate iniuſta merita ſimul , opereſque mutare , & in timore Dei ea gerere, quæ placeant Deo : quod qui in hac vita non fecerit , habebit quidem pœnitentiam in futuro ſæculo de malis ſuis ; ſed indulgentiam in conſpectu Dei non inueniet : quia etſi erit ibi ſtimulus † pœnitudinis , nulla ibi erit correctio voluntatis , à talibus enim ita culpabitur iniquitas ſua , vt nullatenus ab eis poſſit vel diligi , vel deſiderari iuſtitia : voluntas enim eorum talis erit , vt habeat in ſe ſemper malignitatis ſuæ ſupplicium ; nunquam tamen recipere poſſit bonitatis affectum. Quia ſicut illi , qui cum Chriſto regnabunt , nullas in ſe malæ voluntatis reliquias habebunt , ita illi qui erunt ſupplicio ignis æterni cum diabolo & eius Angelis deputati , ſicut nullam vlterius habebunt requiem , ſic bonam nullatenus habere poterunt voluntatem: & ſicut cohæredibus Chriſti dabitur † perfectio gratiæ ad æternam gloriam , ſic conſortibus diaboli,cumulabit ipſa malignitas pœnam,quãdo exterioribus deputati tenebris , nullo illuſtrabuntur interiori lumine veritatis. † Caſſiodorus in expoſitione Pſalmi 6.

(Marg.: Idem ib. Col.348. † al. *pœnitudinis.* G † al. *perfectio.*)

Caſſiodorus : Mouere poteſt quare dicat : *In morte nullum eſſe memorem Dei,* dum vicina poſſit amplius ira iudicis contremiſci : ſed bene perfidos dicimus immemores Dei, de quibus & Iſaias : *Non enim qui in inferno ſunt laudabunt te : neque qui mortui ſunt , benedicent te.* Nam cum dicit Apoſtolus : *In nomine tuo omne genu flectetur : Cæleſtium, terreſtrium & infernorum :* Hic de ſolis infidelibus ac pertinacibus debet accipi dictum , qui nullam fiduciam confeſſionis ſuæ habere promerentur : Merito ergo hic ſibi feſtinat dimitti , quia poſt lucis occaſum non reſtat , niſi ſola retributio meritorum.]† His tanto eum Patrum concinis Catholiciſque ſententiis cuncta , quæ in ſequentibus garrula loquacitate vel loquaci garrulitate efflas , orthodoxa animaduerſione truncata ſunt : Ideoque compendioſa breuitate attacta ſignanda ſunt potius , quam effuſius repetenda. Quod ergo ais.

(Marg.: Caſſiod. in Pſ.6. v.6. Iſa.38.18. Phil.2.10. Prud. H)

Ioannes Scotvs.

⊖ *Non enim iuſtè punitur , niſi quod delinquere conuincitur.* Cap.16. num.3. ſect.2.

Correctio.

† Verum eſt , & idcirco iuſtè punitur anima & corpus,quia vtraque delinquere cognoſcuntur. Sed hoc cum de peccatoribus dicatur , non excedit regulam veritatis verumtamen multos puniri & videmus , & legimus , in quibus tua ſententia omnino fruſtratur. Incipiamus quippè ab Abel protomartyre, & inueniemus in eo iniqui-

(Marg.: Prud. Gen 4. Matth. 23.35.)

tatem non esse punitam, sed eum æquitatis meeito interfectum; Cuius iustitiam & liber Geneseos & ipse Dominus in Euangelio commendar. Liber etiã Peophetæ Samuelis, Achimelech cum cæteris saceedotibus propter misericordiam Dauid beneuolè impensam ioiquitate Saulis necatos indicat, Et ne multa ex veteribus teooluã, sepœm fcatres liber Machabæorum proptee leges Dei, quas nullis terroribus eelinquere voluerunt, tanris eruciatibus occisos intimat, ve horrorem legentibus, audientibusque incutiat. Beatus *Ioannes Baptista* in matris vterò sanctificatus, quo *inter natos mulierum maior non surrexit*, vnius mulieeculę saltetui meretricio merces exponitur, & amputatione capitis, funesti tegis conuiuium deturpauit. Filius Dei Deus & Dominus noster IESVS CHRISTVS, *qui peccatum non fecit, nec dolus inuentus est in ore eius*, tantis opprobtiis affectus nouissimè eıucis patibulo, clauorum affixione suspensus expirauit, nec quiescenre sæuitia persequentium, lancea latus eius mundissimum aperitut. Petrus pastor vniuersalis Ecclesiæ Neronianam insaniam ctucis appensione damnauit: Paulus doctoe gentium Nerotianum gladium eruenteuit. Sic cæteri Apostoli eorúmque sequaces omnes vsque in finem sæculi Domini nostıı Iesu Christi martyres, nunquid sua iniquitare puniti, aut iniquitas in eis vlle punita, vel punienda creditur: At si Dei filium punitum negare voluecis, omnes diuinorum eloquiorum paginæ tuis veçordiis repentè vltróque obuiane, intee quas, vt vocabulo punitionis, quod tanta delectatione persequeris, obsequemur. Liber sapientiæ ad patrem Deum super filij sui nece quæritur dicens: *Eum quoque, qui non debet puniri, condemnat*, quod de ipso intelligendum Beatus Gregorius in libris moralibus exponit, Et Psalmista: *Captabunt in animam iusti, & sanguinem innocentem condemnabunt.* Audis eot Sanctotum examina peo confessione veritatis, & æquitatis oppetere, & andes dicere humanam substantiam non puniri? Rursus quod adiungis.

IOANNES SCOTVS.

⊖ *Nullius hominis inuenitur iniquitas, nisi sua propria voluntatis culpabilis peruersitas, quæ verissime natura non est, quia ex Deo omnium creatore in nulla substantia est creata; iuste igitur punita sit misera.*

CORRECTIO.

† Si neque natura, neque substanria est creata, quomodo punitur, eur fit misera? Id quod omnino non est qualiter vel puniri potest, vel fieri miserum? aut quod beatitudinem nunquam habuit, quatenus miseriæ subiacebit? Proinde quod ex verbis Beati Augustini tuam sententiam confirmaturus adnectis, reparaturus inquientis in multis, quod ipse fecit: puniturus in multis, quod ipse non fecit, nequaquam euæ peruersitati suffragatur; quoniam punitio vitiorum ea potius regula, quam supra delibauimus, debet intelligi, vt merito vitiorum puniatur amator patratorque vitiorum, non enim pœnam sentit, quod omnino non est, sed quod aliquatenus est. Quid quæso puniebatur in transgressoribus veteris legis etiam temporaliter diuersis modis pœnarum diuinitus indictarum, nisi natura, hinc Augustinus in Epistola ad Galatas. Augustinus [*Lex* (inquiens) *non est ex fide, sed qui fecerit ea viuet in illis*: Non ait qui feeerit eam viuet in ea, vt intelligas legem in hoc loco pro ipsis operibus positam, qui autem viuebant in his operibus positam, qui sutem viuebant in his operibus, rimebant vtique ne si non ea fecissent, vt lapidationem vel crucem huiusmodi paterentur: Ergo *qui fecerit ea* (inquit) *viuet in illis*, idest habebit præmium, ne ista mortepuniatur. † Idem in lib. 21. de ciuit. Dei. Augustinus. Niniuitæ quippe in hec vita egerunt pœnitentiam, & ideo fructuosam velut in hoc agro seminantes, in quo Deus voloit eum lachrymis semineri, quod postee cum lætitia meteretur: Et tamen quis negabit quod Dominus prædixit in eis fuisse completum nisi parum aduertat quemadmodum peccatores Deus non solum iratus, verum etiam miseratus euertat? Euertuntur enim peccatores duobus modis; aut sicut Sodomitæ, vt pro peccatis suis ipsi homines puniantur; aut sicut Niniuitæ; vt ipsa hominum peccata pœnitendo destruantur.] † Item sequeeis.

Gen. 19. 24. Ionæ 3. 5.

IOANNES SCOTVS.

⊖ *Cum itaque omnium hominum vniuersam naturam in primo homine Deus condiderit, quod in ipsa naturaliter creatum est nullomodo potuit naturalem legem creatoris transire. Non igitur in illo peccauit quod in illo Deus creauit.*

Cap. 16. num. 10. sect. 3.

CORRECTIO.

Prud.

† Animam & corpus hominis Deus creauit, quæ pariter peccauerunt, anime volendo, & pomum interdictæ arboris concupiscendo, & corpus inobedientissimè comedendo, quæ sicut vtraque Deus fecit, ita vtraque peccauerunt, animus volens, & corpus iniquissimè obsequens: quia sicut est animi velle, ita est corporis operari: Si enim voluntas perseueratura non est, necesse est alicuius naturæ voluntas sit. Est igitur animi velle, & voluntate idest motu suo vel se, vel corpus suum ad hæc vel illa mouere: quo conficitur, vt eius sit peccasse cuius fuit & velle. Nunquam enim voluntas nisi in natura, & ex natura, quam Deus summa, & incommutabilis voluntes condidit, inuenitur: De qua re iam supra sententiam Beati Augustini posuimus ex libro eius Enchiridion, qua dicit quod [ex bona hominis natura oriri voluntas & bona potest & mala, nec fuisse prorsus, vnde primitus oriretur voluntas mala, nisi ex Angeli & hominis natura bona.] Qui etiam in eodem hæc est prosecutus.

August. Enchir. cap. 15. Gen. 2. 17.

Augustinus: [Verum hæc omnia mala sunt & hominum, & Angelorum pro sua malitia Dei iustitia damnatorum: sed homo habet & pœnam propriam, qua etiam corporis morte punitus est mortis ei quippe supplicium Deus comminatus fuerat si peccaret: Sic enim munerens libero arbitrio, vt tamen regeret imperio, terreret exitio, atque in paradisi fœlicitate, tanquam in vmbra vitæ, vnde iustitie custodita in meliora conscenderet, collocauit. Hinc post peccatum exul effectus, stirpem quoque suam, quem peccando in se tanquam in radice vitiauerat, pœna mortis & † damnationis obstrinxit, vt quicquid prolis ex illo, & simul damnata, per quam peccauerat, coniuge, per carnalem, concupiscentiam, in qua inobedientiæ pœna similis retributa est, nasceretur, traheret originale peccatum, quo traheretur per errores doloresque diuersos ad illud extremum cum desertoribus Angelis, vitiatoribus, & possessoribus, & consortibus suis sine fine supplicium, *Sicut per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita omnes homines pertransiit, in quo omnes peccauerunt*: Mundum quippe appellauit eo loco Apostolos vniuersum genus humanum. Ita ergo se res habebat: Iacebat in malis vel etiam voluebatur, & de malis in mala præcipitabatur totius generis humani massa damnata, & adiuncta parti eorum, qui peccauerant Angelorum, luebat impiæ desertionis dignissimas pœnas: ad iram quippe Dei pertinet istam quicquid cæca & indomita concupiscentia faciunt libenter mali, & quicquid manifestis apertisque pœnis patiuntur inuiti. †. Deinde adiungis, & dicis.]

August. Enchir. cap. 25. † al. damnatam. Rom. 5. 12.

IOANNES SCOTVS.

⊖ In quo *tamen* omnes peccauerunt, *ac per hoc in ipso omnes morimur, & consequenter omnes puniuntur, proinde rectissimè creditur: quemadmodum in illo Deus generalem humani generis creare voluit substantiam, ita & omnium hominum propriam substituit voluntatem: Si enim in vno communis omnium & corporalis & spiritalis*

Cap. 16. num. 11. sect. 3.

natura

A *natura humana plenitudo sit constituta, necessario ei inerat singulorum voluntas propria. Non itaque in eo peccauit natura generalitas, sed vniuscuiusque indiuidua voluntas.*

Correctio.

Prud. *De peccato originali.* † Caro quidem natura est, animam nullus naturam dubitat voluntas, quia natura non sit, satis & ratione, & auctoritate monstratum est: Non igitur voluntas filij ex voluntate parentum gignitur, sicut caro prolis, ex carne prodire genitorum minimè dubitatur: Non ergo voluntate in Adam omnes posteri peccauerunt, quam nec ab illo naturaliter traxerunt: sed tota natura propria eiusdem protoplasti voluntate vitiata, quæ non est vtique vitium, sed sponte semel vitiata, nihil prorsus ex se nisi vitiatum gignere potuit, quicquid naturali commixtione propagauit: Vnde & Apostolus; non, inquit, per vnam vel vnius voluntatem, in omnes voluntates mors pertransiit, nec in quam omnes peccaue-
B
Ro. 11. 5. runt, *Sed per vnum hominem in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccauerunt:* Qui cum nulla necessitate naturæ, sed voluntate peccauerit, ita se, id est, naturam suam animam videlicet & carnem peccando vitiauit, vt nihil ex ea complexu naturali, nisi vitiatum prodire possit. Quod in motu pudendo membrorum genitalium post eorundem protoplastorum inobedientiam declaratum est, qui nunquam suæ nuditatis antea erubuisse, sibique perizomata consuisse referuntur.
Gen. 3. 7. Natura itaque membrorum genitalium voluptuosè, ac concupiscentiabiliter mutuo sexu commixta omnino, quamuis non absque voluntate peccare conuincitur, quæ tam improbabili motu deseruire nequiter comprobatur. Audi: nunc tandem certe Pelagianum, Celestianum, imo si ita dici possit Iulianianum te esse pronuntio, qui post damnatam olim consensu mundi totius eorum hæresim, nouus (vt ita dixerim) sopitorum cinerum exsuscitator emergis, & naturale atque originale peccatum
C humani generis abiuras, vt gratiam gratuitam auferas. Illi enim dixerunt eadem insania, imitatione peccatum Adæ transisse in posteros, non natura: quemadmodum veritas in Apostolo & per Apostolum clamat: quorum tu sequacissimus voluntate, non natura identidem clamitare probaris: Cum enim constet, hodieque Euangelio Domini nostri IESV CHRISTI vbique gentium refulgente vix prouectioris ætatis, sed omnes penè paruulos infantilis ætatis ad Sacramenta baptismatis deportari, quid in eis peccati propriæ voluntatis diluitur, quam necdum ætatis accessu habere valuerunt? Habet igitur inconuulsum fides Catholica, non in eis mondari priuatum, sed originale, naturale, auitumque peccatum, quod non propria cuiusque nascentis, sed protoplastorum voluntate commissum, ita se, omnemque ex se posteritatem concupiscentialiter processuram vitiauit, vt æterna damnatione teneatur obstricta, nisi succurrentis gratiæ fuerit miseratione liberata: non enim diceretur naturale pecca-
D tum, si non esset etiam naturæ iam tamen vitiatæ, non tantummodo voluntatis, quam non esse naturam (etiam te annitente) iam dictum est. Itaque aut nega cum Pelagianis naturale peccatum, & euerte Apostol. dicentem: *Fui-*
Eph. 2. 3. *mus enim natura filij iræ sicut & cæteri*, omnesque Catholicos obrue: aut quod optamus veritatem naturalis, proindeque originalis peccati recipe, & te sinceritati fidei Christianæ adscisce.

Ioannes Scotus.

Cap. 16. num. 12. sect. 3. Ro. 5. 12. ⊖ *Siquidem si ea natura delinqueret, cum vna sit, tota profecto periret, sed non periit, quando medicamentum vulneris, hoc est substantia redemptoris, in ea remansit incorruptum, præter quod omnes peccauerunt simul in homine vno: non enim ille peccauit in omnibus, sed omnes in illo: sicut enim ille habebat propriam voluntatem, ita & proprium peccatum: Et quemadmodum in illo vnusquisque potuit proprium committere delictum, in nullo quippè vindicatur iustè alterius peccatum, proinde in nullo natura punitur;*
E *quia ex Deo est, & non peccat. Motus autem voluntarius libidinosè vtens natura bono, merito punitur, quia natura legem transgreditur, quam proculdubio non transgrederetur, si substantialiter à Deo crearetur. Hinc apertè colligitur in impiis supplicia non perpeti, quod Deus fecit, sed quod superbia vitiosè inuenit: libido siquidem peruersa voluntatis cruciatur, dum ea quæ malè, aut indignè appetit, habere non sinitur.*

Correctio.

Prud. † Quamuis abundè his tuis prauitatibus responsum sit, illud tamen in eis primo perpendi oportet, quod voluntatem à substantia secernere videaris, quam primis tui operis partibus essentiam obstinatissime affirmabas. Sed si natura non est, quo pacto à Deo substitutam in homi-
F ne dixeris nequaquam video: nam si natura non est, quomodo sicut natura ad omnes transiit, & de natura quidem corporis, quod in illo vno omnium hominum fuerit, nullus ambigit: Nascitur enim de carne caro, sed vtrum & anima similiter de anima nascatur magna quæstio est, & à Patribus diu, multumque discussa: sed absque certa definitione relicta: quapropter quicquid de voluntate (quam constat per se non esse naturam, sed naturæ, id est animæ motum spontaneum) agis, friuolum prorsus, & veritati contrarium iudicatur: quippè cum voluntas sicut per se non esse, ita per se velle id est moueri non possit: Et quicquid voluntate agitur, volenti proculdubio imputetur. Vult autem animus, & cum peruersè vult, ipsius peruersitatis merito iure punitur.

Ro. 8. 3. Si natura non peccat, argnis mendacij Apostolum, qui de Deo Patre dicit: *Quia miserit filium suum in similitudine carnis peccati*, qui nunquam habuit carnem, quæ esset similitudo carnis peccati, id est, nostræ, si natura quod est homo, id est, anima & caro non peccat; Bifariam igitur
G mentitum deprehendis Apostol. quod & Filius Dei non habuerit *similitudinē carnis peccati*, id est veram carnem. Et quod nulla sit, id est nostra caro peccati, quæ originaliter ac naturaliter nullum trahat peccatum. Nec aduertis vel fortè à nemine aduerti autumas, quanta id absurditas imo impietas consequatur: Si enim natura non peccat: Ergo nec homo peccat, si homo non peccat: Ergo nec Dei Filius Dominus noster Iesus Christus à cæteris hominibus excepta generationis, & natiuitatis singularitate discrepeit; si hac exceptione secreta in nullo à cæteris mor-
Ps. 88. 7. talibus differt, falsum est quod ait Proph. *Quoniam quis in nubibus æquabitur Domino: similis erit Domino in filiis Dei?* si enim natura id est homo non peccat, æquales sunt proprius Dei filius & adoptiui filij Dei, quod quia omnes penè blasphemias superat, fatendum est testimonio vera-
Ro. 8. 3. cis Apostoli carnem nostram *carnem* esse *peccati*, id est cum peccato generatam, conceptam & editam. In cuius similitudine, id est veritate carnis cum peccato nec genitæ, nec conceptæ, nec editæ, miserit Deus Pater Filium
H suum. Et ne vsitatissima vobis prauitate baccheris in
d. v. 3. Aliud Apostolica verba deflectens, audi sequentia, *vt de peccato* (inquit) *damnaret peccatum in carne*, hoc est, vt de carne sua quam instituerat esse hostiam pro peccato, damnaret peccatum, nostræ carni ingeneratum, à quo præter ipsam solam nulla nostra caro expers, nulla exors nunquam post protoplastorum inobedientiam, iustamque tremendi iudicis animaduersionem potuit, potest, aut poterit generari. Itaque si quid absque vlla formidatione fatendum est: Caro proprij Filij Dei similitudo fuit carnis peccati; id est non cum peccato sata, concepta, & edita, sine quo caro peccati, id est nostra, nec seri, nec concipi, nec edi valet: sequitur, vt natura quæ est caro peccati, videlicet nostra caro pec-
Ps. 88. 7. care conuincatur. *Quoniam quis in nubibus æquabitur Domino, similis erit Domino in filiis Dei?* Inconcussè quippè fides Catholica tenet & prædicat Filium Dei in hoc, excepta Deitatis eminentia, à cæteris hominibus discerni, quod nec concupiscentialiter, nec

sexuum commixtione, sed sola sancti Spiritus operatione conceptus, nulla originalis noxæ potuerit noxiatione vitiari. Ideoque tam conceptione, quam natiuitate, & vitæ processu omnis peccati immunis *solus liber* potuit *inter mortuos* esse, cuius naturali munditia omnes nostræ naturales affectiuæque immunditiæ tergerentur.

Peccauit itaque in primo homine naturæ generalitas, id est anima concupiscens illicitum, & corpus suæ animæ concupiscentiis obsecundans. Non enim voluntatem ex voluntate nasci, vel per traducem in propaginem diffundi rectè possumus dicere, cum non sit natura. Sicut rectè dicimus hominem ex homine, quod est natura: ac per hoc tota perierat, quia tota deliquerat: & quia tota perierat, tota à Dei Filio veraciter misericorditerque suscepta est: tota autem suscepta est, id est, vt tota liberaretur: tota vero liberata est, quia tota, in Dei filio passionem perpessa est: tota in eo tormentum tametsi indebitè pertulit, quia & corpus cruciatibus attritum, sepulturæque mandatum est, & anima relicto ad tempus corpore, liberrima inferos penetrauit; tota item libera est: quia citæ resurrectionis gloria de corruptione ad incorruptionem, de morte ad vitam, de mortalitate ad immortalitatem transiit. Non itaque in Dei Filio voluntas punita est, quæ nulli vnquam prauitati fuit obnoxia, sed natura, quam in Adam perditam in se ipso mirabili dignatione reparauit, & liberauit: sicut enim paulo ante præmisimus, nullatenus in eo & quibusdam membris eius iniquitas est punita, sed natura: in quo (vt diximus) ideo natura punita est, quia natura perierat, dicente ipso: *Venit enim Filius hominis quærere: & saluum facere quod perierat.* Si enim non natura perierat, sed voluntas nequam necessarium fuerat à Dei Filio naturam suscipi sed id tantummodo quod perierat, id est voluntatem: perierat autem anima, quæ à beatitudine extorris diutissimè exulabat, perierat & corpus quod in puluerem, vnde sumptum fuerat, fatiscebat: sed vtrumque reparatum est, quia & anima beatitudini, & corpus incorruptioni per mediatoris humilitatem ineffabilem restituitur. Ambrosius exponens in Epistola ad Corinthios Apostolum dicentem: *Mortem Domini annuntiantes donec veniat.*

Ambrosius. [Quia enim, inquit, morte Domini liberati sumus, huius rei memores in edendo, & potando carnem & sanguinem, quæ pro nobis oblata sunt, significamus, nouum Testamentum in his consecuti, quod est noua lex, quæ obedientem sibi tradit cœlestibus regnis: nam & *Moyses accepto sanguine vituli in patera, aspersit filios* Israël dicens. *Hoc est Testamentum quod disposuit Deus ad vos.* Hoc figura fuit Testamenti, quod Dominus Nouum appellauit per Prophetam, vt illud vetus sit quod Moyses tradidit. Testamentum ergo sanguine constitutum est, quia beneficij diuini Sanguis testis est, in cuius typum nos Calicem mysticum sanguinis ad tuitionem corporis, & animæ nostræ percipimus, quia Sanguis Domini sanguinem nostrum redemit. Id est totum hominem saluum fecit. Caro enim Saluatoris pro salute corporis, Sanguis vero pro anima nostra effusus est, sicut prius præfiguratum fuerat à Moyse. Sic enim ait, *Caro*, inquit, *pro corpore vestro offertur, Sanguis vero pro anima*, ideoque non manducandum Sanguinem. Si igitur apud veteres Imago fuit veritatis, quæ nunc apparuit, & manifestata est in Saluatoris aduentu, quomodo Hæreticis contrarium videtur vetus nouo, cum ipsa sibi inuicem testimonio sint.

† Beda in Expositione Genesis. Beda. Et quidem, *Ipsi sibi fecerant perizomata de foliis fici, quibus pudenda tegerent*, sed Deus facit illis tunicas pelliceas, quibus omne corpus illorum induat, quia ipsi perdita per præuaricationem gloria innocentiæ, prætendere sibi velamen excusationis, qua suam culpam in conditorem transfunderent, & ipse conditor illos per sententiam iusti Iudicij oblato statu vitæ immutabilis in anima simul, & carne multauit pœna mortalitatis.] † Memento quid beatus Augustinus dixerit. E

Augustinus. [Quid enim boni † operatur perditus, nisi quantum fuerit à perditione † reparatus nunquid libero voluntatis arbitrio! & hoc absit: nam libero arbitrio malè vtens homo & se perdidit & ipsum. † Idem in Epistola ad vitalem. Augustinus. Et sic eripit vasa eius quæcumque prædestinauit eripere, arbitrium eorum ab eius liberans potestate, vt illo non impediente credant in istum libera voluntate, proinde hoc opus est gratiæ, non naturæ. Opus est (inquam) gratiæ, quam nobis attulit secundus Adam; non naturæ, quam totam perdidit in semetipso primus Adam.]

August. Enchir. cap.30. † al. operari potest. † al. liberatus. Id Epist. 107. ad Vital.

† Se enim perdidit, id est naturam suam, quod est anima & corpus. Hoc ergo perierat, quia hoc vtique peccauerat, & quia hoc totum peccauerat, propterea totam massam corruperat, vt nihil ex ea naturali coniunctione maris & fœminæ, nisi corruptum, ac per hoc morti subditum nasceretur, & propterea iustè alterius, id est primi hominis peccatum in altero, id est prole illius, quæ est totum genus humanum vindicatur, quia corruptionem paternæ radicis tota naturaliter soboles traxit ex genere. Certè in paruulis nullam voluntatis, vel actionis propriæ singularitatem asserere poteris, qui tamen omnes extra Baptismi gratiam morientes, non suo, sed protoplasti peccato perpetua plexione damnantur. Hinc Augustinus in libro Enchiridion. Prud. F

Augustinus. [Parentum quoque peccatis paruulos obligari non solum primorum hominum sed etiam † filiorum, de quibus ipsi nati sunt, non improbabiliter dicitur. Illa quippe diuina sententia: *Reddam peccata patrum in filios*, tenet eos vtique, antequam per regenerationem ad Testamentum nouum incipiant pertinere, quod Testamentum Prophetabatur, cum diceretur per Ezechielem, non accepturos filios peccata patrum suorum, nec vlterius futuram Israël parabolam illam: *Patres manducauerunt vuam acerbam, & dentes filiorum obstupuerunt.* Ideò enim quisque renascitur, vt soluatur in eo quicquid peccati est, cum quo nascitur: nam peccata quæ malè agendo posteà committuntur, possunt & pœnitendo sanari, sicut etiam post Baptismum fieri videmus; ac per hoc non ob aliud est instituta regeneratio, nisi quia vitiosa est generatio, vsque adeo, vt etiam de legitimo matrimonio procreatus dicat? *In iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis mater mea me in vtero aluit.* Neque hic dixit in iniquitate vel peccato cum & hoc rectè dici posset: sed iniquitates & peccata dicere maluit, quia & in illo vno quod in omnes homines pertransiit † quodque tam magnum est, vt in eo mutaretur & conuerteretur in necessitatem mortis humana natura. reperiuntur (sicut supra disserui) plura peccata, & alia parentum, quæ etsi non ita possint mutare naturam, reatu tamen obligant filios, nisi gratuita gratia & misericordia diuina subueniat.]

August. Enchir. cap.46. † al. sororum. Exod. 34.7. G Ezech. 18.10. Psal.50.7. Rom.5.12. † al. atque.

† Audis parentum peccatis paruulos obligari, & dicis in nullo vindicari iustè alterius peccatum? audis naturam morte puniam, & dicis in nullo naturam puniri? verissimè itaque dicitur in impiis supplicia perpeti quod Deus fecit, idest totam humanam substantiam, sed merito peccati, quod tota commisit: alia est ergo cruciatio peruersæ voluntatis, dum ea quæ malè, aut indigne appetit, habere non sinitur, quod tamen ad cruciatum volentis refertur; alia cum hic vel postmodum anima, & corpus manifestis atque euidentibus tormentis afficitur. Intueamur sanè cuiuscumque maris semen in fœmina seminantis, quod naturam esse nunquam negabis, videlicet ex natura, id est carne serentis prodiens, exceptorio vteri muliebris infusum, quæ in eo voluntas? certè manimum esse semen masculi, quando profunditur nullus dubitetur: vbi ergo voluntas in semine? nam voluntatem animi esse, quis nesciat? cum ergo in serenda prole constet solum semen inanime seminari, & post per interualla temporum illud à conditore vniuersitatis coagulari, H Prud.

A coagulatum in membra propria delineari, delineatum formari, formatum solidari, solidatum spiraculo vitæ animari? nimirum constat nequaquam sibi velle prius inesse, quam id videlicet animam auctoris munere consequatur, cuius proptiè velle non dubitatur. Cla-
Ps.50.7. mat tamen Propheta ingemiscens; & dicit: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.* Concipi autem semen nullus ignorat, quod cum absque contradictione bonum, quia omnis creatura Dei bona, mundumque sit: omne quippè bonum mundum, & nullum mundum non bonum: quærendum est quare se in iniquitatibus conceptum deploret? non enim in suis, quæ per propriam voluntatem adhuc nulla sunt; sed proculdubio in primi propagatoris nostri, ex quo cum humana substancia iure damnata iniquitatem nascendo trahimus, quam nullatenus nisi renascendo euadimus: hoc tamen ipsum semen beatus Iob immundum vocare non
B
Iob.14.4. meruit, cum dicit: *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? nonne tu qui solus es?* quare
Act.11.9. quæso immundum? cum Dominus Pastori Ecclesiæ di-
Matth.15.11. cat, *Quod Deus mundauit, tu ne commune dixeris.* Et in Euangelio: *Non ea quæ intrant in os coinquinant hominem, sed quæ de corde exeunt ea coinquinant hominem:* In semine vero, quod seritur nullam inesse propriam volendi possibilitatem, atque scientiam quis nesciat? vnde ergo immundum est, nunquid ex eo quod est creatura Dei? absit. Restat igitur vt ex traduce iniquitatis primigenæ immundum fateamur, quod ex dignitate primæ conditionis mundum Catholica tenet & conuincit Ecclesia: patet itaque ream paternæ transgressionis immundum seri, concipi, & nasci, quod puritate
Gregor. Moral. l.11.cap. vlt.in fin. primæ creationis mundum factum nullus nisi expers veritatis ignorat, aut negat. Hinc Gregorius in Moral. lib. 11.

Iob.14.4. Gregorius. [Is, qui per se solus est mundus, mundare præualet immunda. Homo enim in corruptibili carne
C viuens, habet tentationum immunditias impressas in semetipso, quia nimirum eas traxit ab origine. Ipsa quippè propter delectationem carnis eius conceptio immun-
Ps.50.7. ditia est: vnde & Psalmista ait, *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in delictis peperit me mater mea.* Hinc est ergo quod plerumque tentatur & nolens: hinc est quod immunda quedam in mente patitur, quamuis & iudicio reluctetur, quia conceptus de immunditia, dum ad munditiam tendit, hoc conatur vincere quod est. Quisquis autem occultæ tentationis motus, atque immunditiam cogitationis euincere, nequaquam sibi suam munditiam
Iob.14.4. tribuat; *Quia de immundo conceptum semine nullus facere mundum potest, nisi is, qui mundus per semetipsum solus est.* Qui ergo iam ad locum munditiæ mente peruenit, conceptionis suæ viam respiciat, per quam venit, atque inde colligat, quia ex sua virtute non habet munditiam viuendi, cui de immunditia factum est initium subsistendi.]
† Quodque infera.

D

Ioannes Scotus.

Cap.6. num.13. sect.4. ⊖ *Quod si nullam naturam puniri ratio suasit, necessario nullam naturam punire suadebit. Neque enim creatrix. Neque creata punit creatam: quia nulla substantia alterius substantiæ contraria esse potest.*

Correctio.

Prud. Matth.10.28. Matth.25.41. † Sufficit huic phantasiæ dissoluendæ veritatis Elogium, quo dicit: *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere; sed potius eum timete, qui habet potestatem, & animam, & corpus perdere in gehennam:* Et item, *Ite in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, & Angelis eius.* Quod vtique hominibus, id est naturis dictum est, non per se voluntatibus, quæ per se esse non possunt, quia naturæ non sunt. Porrò de originalis peccati damnatione, cuius merito iustissima Dei sententia vniuersum genus humanum morti fecit obnoxium, quantum Pelagianis patribus tois sauetas impromptu est: vnde

E plura dicere supersedimus, quia satis superque à patribus inde actum, terminatumque cognouimus, substantias vero substantiis contrarias multa documento sunt. Et vt cætera præteream perspicuum est aquam igni, ignem aquæ liguisque, & cæteris terrestribus materiis: contrarium venenum homini, saliuam hominis dio ieiunantis serpenti, hominem homini, diabolum homini, & cætera huiusmodi. Deum vero naturis à se creatis in tantum non esse contrarium, in quantum ab eo creatæ sunt; in eo autem quod ab eo superbiendo discedunt, non solum rationabilibus, verum etiam irrationabilibus adeo contrarius iustitiæ æquitate ostenditur, vt illas iure præuaricationis transgressione plectat, & has illarum merito vel perdat, vel in deterius commutet: vt in diluuio, Sodomis, & multis aliis terrarum orbis partibus factum legimus, faciendumque in iudicio credimus, & expectamus. Dicit etiam Apostolus: *Caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus* Gal.5.
F *aduersus carnem. Hæc enim sibi inuicem aduersantur, vt* 17.
non quæcunque vultis, illa faciatis: Et item: *Video autem* Rom.7.
aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ 23.
& captiuum me ducentem in lege peccati, quæ est in membris meis.

Ioannes Scotus.

⊖ *Quæ* (inquis) *ratio hinc maximè probatur, quod nullius peccati auctoritas, nisi mendosissime impiissimeque ad Deum refertur, ac si peccatum esset ex natura, natura autem ex Deo, profecto peccatum ex Deo esse sequeretur.* Cap.16. num.14. sect.4.

Correctio.

† Nunquid peccata regis Manasse, quæ tam multa fuisse, legimus, rectè patri eius viro iusto; & sancto deputanda sunt: Nempe Manassem ex Ezechia natum nullus ignorat, peccata autem quæ Manasses impiissimè Prud. 4.Reg. 21.2.3. &c.
G patrauit, nullatenus ex Ezechia prodierunt. Falsum est igitur quod proponis, vt ideo sequatur peccatum esse ex Deo quod est ex natura, quod natura ex Deo sit: Non enim iustè Deo nostra facinora adscribuntur, ex quo nos idest naturam nostram esse non dubitatur. Certè libertatem arbitrij Deus homini largitus est, & eadem arbitrij libertate homo peccauit, nunquid ideo deputabitur Deo vitium liberæ voluntatis, quia donator eius, idest liberæ voluntatis certissimè creditur? Est igitur natura omnis ex Deo, vitium vero ex natura, cuius merito natura punitur. Dixerat eadem quondam Cœlestius Pelagij discipulus, qui tecum tantum naturæ tribuebat, vt eam ab omni vitio post peccatum extorrem assereret, voluntatique soli quicquid mali fieret, attribuere nullatenus formidaret, cui tamen à patribus responsum est: peccatum non esse vitium naturæ in primo homine, sicut eam Deus condidit, quasi in ea, & cum ea conditum: sed sicut sua voluntate propria deprauata est ac vitiata: quo pacto igitur solius voluntatis peccatum esse dicitur, cum voluntas per se
H substantia non sit. Si ergo natura non est, sequitur vt per se sicut non subsistere, ita nec velle boni aliquid, vel mali nec operari possit. Est autem voluntas naturæ alicuius, vult ergo natura, vel bonum ex Deo, vel malum ex se. Est igitur peccatum naturæ vitiatæ atque deprauatæ volẽtis quod vel cõditor prohibuit, vel ratio & probitas dissuasit.

Quocirca iure punitur natura, cuius est totum quod sua propria voluntate delinquitur. Vnde & Apostolus monet, *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore, vt* Rom 6. 12.13.
obediatis concupiscentiis eius. Sed neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato, sed exhibete vos Deo tanquam ex mortuis viuentes, & membra vestra arma iustitiæ Deo. Et rursum: *Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis,* 2.Cor.5.10.
prout gessit, siuè bonum, siuè malum: Et iterùm: *Nescitis quoniam corpora vestra membra Christi sunt. Tollens ergo membra Christi faciam membra meretricis? Absit: an nescitis quoniam qui adhæret meretrici, vnum corpus efficitur:* 1.Cor.6.15.16. Gen.2.24.
Erunt enim inquit, duo in carne vna. Et Dominus per Pro-

phetam: *Anima quæ peccauerit ipsa morietur.* Hac ratione syllogismus tuus non verissimus, sed mendosissimus non pijssimus, sed impijssimus, & charitatis & Catholicæ fidei non plenissimus, sed inanissimus cassatur, quem sic proposuisti.

Ioannes Scotus.

Θ *Omne bonum aut Deus est, aut ex Deo factum est, omne quod ex Deo factum est, nullum vitium boni efficit: omne igitur bonum nullum vitium boni efficere potest. Et reflexim: Nullum vitium igitur boni ex bono est: omne peccatum quia malum est, vitium boni est: omne vitium boni ex bono nõ est: omne igitur peccatum, quia malum est, ex bono esse non potest: omnis creatura rationis particeps, magnum bonum est: ex nullo bono malum: ex nulla igitur creatura rationis participe peccatum est.*

Correctio.

† Multo antè verba beati Augustini posuimus, quibus tuus iste syllogismus mendacij deprehenditur dicentis: Augustinus. [Quid est autem malus homo nisi mala natura, quia homo natura est. Porro si homo aliquid bonum est, quia natura est, quid est malus homo, nisi malum bonum? tamen cum duo ista discernimus, inuenimus nec ideo malum quia homo est, nec ideo bonum quia iniquus est; sed bonum quia homo, malum quia iniquus. †Et infra. Augustinus. Et hæc duo contraria, ita simul sunt, vt si bonum non esset, in quo malum esset, prorsus nec malum esse potuisset, quia non modo vbi consisteret, sed vnde oriretur corruptio non haberet, nisi esset quod corrumperetur, quod nisi bonum esset, nec corrumperetur: quoniam nihil est aliud corruptio, quam boni exterminatio: Ex bonis igitur mala orta sunt, & nisi in aliquibus bonis non sunt, nec erat aliàs vnde oriretur vlla mali natura: Nam si esset in quantum natura esset, profectò bona esset, & aut incorruptibilis natura magnum esset bonum aut etiam natura corruptibilis nullomodo esset, nisi aliquod bonum, quod bonum corrumpendo posset ei nocere corruptio. Sed cum mala ex bonis orta esse dicimus, non putetur hoc Dominicæ sententiæ refragari, qua dixit: *Non potest arbor bona fructus malos facere*: & cætera: *non potest* enim (sicut veritas ait) *colligi vua de spinis*, quia non potest vua nasci de spinis: sed ex bona terra & vites nasci posse videmus & spinas: † Eo modo tanquam arbor mala fructus bonos, id est opera bona non potest facere voluntas mala, sed ex bona hominis natura oriri voluntas & bona potest, & mala: nec fuit prorsus, vnde primitus oriretur voluntas mala, nisi ex Angeli, & hominis natura buna.] † Qua sententia enacuatur nihilominus quod ad probationem propositi syllogismi adhibuetas dicens.

Ioannes Scotus.

Θ *Hinc ipsa veritas ait*: Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bona; Malus homo de malo thesauro cordis sui profert mala: *Ac si diceret omne bonum quod ex cogitatione sua bona bonus homo profert, ex bono thesauro denatur: Id est ex eo* in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi: *Omne malum, quod cogitatione sua mala malus homo profert, ex malo thesauro est, superbia scilicet quæ* est initium omnis peccati.

Correctio.

† Hæreticis semper fuisse moris, vt rectitudinem sanctæ Scripturæ ad suos detorquerent errores, tum omnes Catholici Doctores, tum vel maximè B. Gregorius in libris Moral. affatim demõstrat quemadmodum in hac tua non expositione, sed deprauatione fecisse conuinceris: Non enim dixit ex cogitatione sua, sed *ex thesauro cordis*, vbi multitudinem bonarum cogitationum, pluriumque voluntatum sanctam congeriem voluit insinuare: Et rursum non dixit donatur à Deo, quamuis iste pius thesaurus non nisi ab illo percipiat quod haberi possit, sed *profert*, quæ personæ, & actus multum inter se differunt: Aliud est enim & alterius proferre, aliud alteriusque donare. Similiter mali hominis thesaurus non vna sola cogitatione, sed multis prauarum cogitationum tumultibus comprehenditur. Nec ex sola superbia, sed aliorum compluriom vitiorum structibus agitatur atque profertur. Beda in homilia de Enceniis. E

Beda [thesaurus cordis intentio est cogitationis, ex qua prouentum operis internus arbiter iudicat: Vnde fit plerumque, vt minora bona nonnulli maiori cœlestis gratiæ mercede operentur, videlicet propter intentionem cordis qua maiora, voluerant patrare bona si possent, & alij maiora virtutum opera ostentantes ob iniuriam cordis tepidi minora à Domino præmia sortiantur: Denique opus viduæ, quæ duos nummos detulit ad templum innumeris diuitum donariis ab interno cordium scrutatore præfertur: *Ex abundantia enim cordis os loquitur*, humanum quidem Iudicium sæpe fallit: quia cor proximi nescit nisi ex ore & opere pensare. Deus autem ipsum opus & sermones nostros ex cordis radice perpendit, illi ergo ex abundantia cordis os loquitur, qui ex qua intentione promanant verba non ignorat.] † Leo in sermone de ieiunio mensis septimi. Beda. Math. 12.35. Math. 12.34. F Leo de ieiun. 7. mensis serm. 7.

Leo. [Verissimum namque est, quod ait Dominus: *Vbi est thesaurus tuus, ibi erit & cor tuum*: Quis autem est thesaurus hominis nisi quædam fructuum eius congregatio laborumque collectio? *Quod enim seminauerit quis, hoc & metet*, & quale cuiusque opus talis & quæstus: Et vbi oblectatio fruendi constituitur, ibi cura cordis obstringitur. Sed † multa sunt genera diuitiarum, dissimilesque materiæ gaudiorum, thesaurus cuique est suæ cupiditatis affectus, qui si de appetitu est terrenorum, non beatos facit sui participatione, sed miseros.] † Augustinus in natali S. Ioannis. Math. 6.21. † al. tam multa sunt.

Augustinus. [Quid est: *Arbor bona bonos fructus facit, & mala arbor malos fructus facit? Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bona: Et malus homo de malo thesauro cordis sui profert mala*: Homines arbores posuit, thesauros actus posuit. Qualis homo est, tales actus habet; si bonus homo est, bonos actus habet; si malus homo est, malos actus habet; non potest bonus homo malos actus habere, nec malus homo bonos actus habere. † Idem de scriba erudito. August. Math. 7.17. G Math. 12.35.

Augustinus. Quicquid homo malus de corde suo profert malum est, ibi enim thesaurus malus: quicquid autem homo bonus de corde suo profert bonum est. Ibi est enim thesaurus bonus.] † Item quod ex verbis S. Augustini ponis. Idem.

Ioannes Scotus.

Θ *Vitium ergo animæ est quod fecit, & difficultas ex vitio pœna quam patitur* Et rursum: *quid est enim dolor qui dicitur corporis, nisi corruptio repentina salutis eius rei, quam male vtendo anima corruptionibus noxiauit, quid autem dolor qui dicitur animi nisi carere mutabilibus rebus, quibus fruebatur, aut frui se posse sperabat: Hoc est totum quod dicitur malum: Id est peccatum, & pœna peccati: Et paulo superius: quod mors non sit à Deo.* Cap. 16. num. 17. lect. 5. Aug. de vera Rel. H cap. 20. & 12. &

Correctio.

† Vt hinc colligas Deum non punire quod creauerit, nec aliam naturam ab alia natura puniri, nec vllam pœnam à Deo factam, neque ab eo præscitam, neque prædestinatam. Primò omnium vellem te piè aduertere sanctum Augustinum, sicut ipse fatetur proficienter scripsisse, & multa tam ex eodem libro, cuius est titulus: De vera Religione, ex quo ista decerpseras, quam ex aliis suis voluminibus retractasse, quorum vnum ad cætera sobriè prouidenda posuisse sufficeret. Quod etiam antehac posuisse me recolo. August. [Alio, inquit, loco dixi nullius mortem Deus quærit, quod sic accipiendum Præd. De præd. sanct. c. 4. & alib. Aug. retract. l. 1. cap. 21.

Digitized by Google

A

* al. *recurrit ad* Sap. 1. 13. Eccl. 11. 14.

piendum est, quia sibi homo acquisiuit mortem deserens Deum, & acquirit qui non * requirit Deum: secundum quod scriptum est, *Deus mortem non fecit*; sed etiam illud non minus verum est, *Vita & mors à Domino Deo est*: Vita scilicet à donante, mors à vindicante. † Idem in libro contra aduersarium legis & Prophetarum Augustinus. Sed ipse Dominus, inquit, per eundem Prophetam fatetur. Et dicit: *Ego sum Deus faciens bona, & creans mala*: Ita planè, ipsa est enim Deus, de quo dicit Apostolus: *Vides ergo bonitatem, & seueritatem Dei*, hæc autem seueritas eius damnabilibus mala est, quia malum damnationis illis importat. Nam quia iusta est alio modo reperitur bona, omne enim iustum bonũ est] Et infra, Augustinus: Et si aliquando cũ aliqua differentia dicitur, hoc rectius potest interesse, quod dixi: vt facere sit quod omnino non erat; creare autem ex eo quod iam erat ordinando aliquid constituere: Ideóque hoc loco dictum est, *Deus creans mala*; quoniam peccantibus ea conuertit in malum dispositione seueritatis suæ, quæ bonitatis eius largitate bona facta sunt. Vnde dicit Apostolus Paulus, *Christi bonus odor sumus Deo in omni loco, & in his qui salui fiunt, & in his qui pereunt; quibusdam quidem odor vitæ in vitam, quibusdam vero odor mortis in mortem*: Sed cum continuo sequatur, & dicat: *Et ad hæc quis idoneus*? Nonne importuni quodam modo sumus ingerere ista carnalibus, non studiosis, sed contentiosis nullomodo idoneis ea capere, quæ vtinam saltem desinerent carpere. † Idem in libro de ciuitate Dei 12. Augustinus. Sola ergo bona alicubi esse possunt, sola mala nusquam: quoniam etiam naturæ illæ, quæ ex malæ voluntatis * initio vitiatæ sunt, in quantum vitiatæ sunt, malæ sunt; in quantũ autem naturæ sunt bonæ sunt; & cum in pœnis est natura vitiosa, excepto eo quod natura est: etiam hoc ibi bonũ est, quod impunita non est, hoc enim est iustum, & omne iustum proculdubio bonũ]

Idē contra aduers. leg. & prophet. l. 1. c. 23. Isa. 45. 7. Rom. 1. 12. Idē ibidem. d. v. 7.

B

2. Cor. 2. 15. 16. d. v. 16.

Idem de ciuit. Dei lib. 12. c. 3.

* al. *vitio*.

Prud.

† Hanc tamen vesaniam, qua nullam pœnam à Deo tantisper adstruis factam, Beatus Iob mucrone veritatis recidat dicens: *Si bona suscepimus de manu Domini, mala, quare non suscipiamus?* Gregorius bona scilicet dona Dei, vel temporalia, vel æterna, mala autem flagella præsentia appellans de quibus per Prophetam Dominus dicit: *Ego Dominus, & non est alter formans lucem & creans tenebras, faciens pacem, & creans mala*: Neque enim mala quæ nulla sua natura subsistunt à Domino creantur, sed creare se mala Dominus indicat, cum res benè conditas nobis male agentibus in flagellum format, vt ea ipsa, & per dolorem, quo feriunt delinquentibus mala sint, & per naturam, quâ existunt bona: vnde & venenum mors quidem est homini, sed tamen vita serpenti: Amore enim præsentium ab auctoris nostri dilectione recessimus, & peruersa mens, dum delectationi creaturæ se subdidit, à creatoris societate disiunxit. Ex his ergo ab auctore ferienda erat, quæ errans auctori præposuerat Vt vnde homo culpam non timuit superbus admittere: inde pœnam corrigendus inueniret: Et tanto citiùs resipisceret ad illa, quæ perdidit quantò doloris plena esse conspiceret, quæ quæsiuit. Vnde & bene dicitur, *formans & lucē creans tenebras*, quia cum per flagella exterius doloris tenebræ creantur, intus per eruditionem lux mentis accenditur; *Faciens pacem & creans mala*: quia tunc nobis pax cum Deo redditur, cum hæc quæ benè sunt condita, sed non bene concupita, in ea quæ nobis mala sunt flagella vertuntur per culpam quippe Deo discordes extitimus: dignum ergo est, vt ad pacem illius per flagella redeamus, vt cum vnaquæque res benè condita nobis in dolorem vertetur, correcti mens ad auctoris pacem humiliter reformetur. Hæc itaque flagella beatus Iob mala nominat, quia salutis, & tranquillitatis bonum, qua perturbatione feriant, pensat.]

C

Iob 2. 10. Gregor. moral. lib. 3. c. 7. Isa. 45. 7.

D

d. v. 7.

Prud.

† De difficultatibus tamen, atque peccatis, quæ dicuntur non solum peccata, sed & pœnæ peccatorum, quod in hac interim vita, quam maxime fiant, nec his pœnæ, aliæ, vel præsentes vel futuræ vllatenus excludantur, plenæ sunt orthodoxorum paginæ tractatorum, quorum sanctus Augustinus in libro contra Iulianum hæreticum Pelagianum 5. ita effatus est. Augustinus. [Inseris alia de libro meo verba (vt dixi) carnis inobedientiam inobedienti homini dignissimè retributam: quia iniustum erat, vt obtemperaretur à seruo suo, id est à corpore suo, ei qui non obtemperauerat Domino suo, & conaris ostendere hanc inobedientiam carnis potiùs esse laudabilem, si pœna peccantis est: & tanquam persona sit aliqua, quæ peccatorem scienter affligat, sic eam velut vltricem sceleris, & in hoc Dei ministram tanquam magnum aliquod bonum coturno sermonis exornas, nec cogitas posse te isto modo laudare Angelos malos, qui vtique non sunt nisi præuaricatores, atque impij, per quos tamen Deum meritas pœnas irrogare peccantibus sancta Scriptura testatur dicens: *Misit in eos iram indignationis suæ, indignationem & iram & tribulationem immissionem per Angelos malos*. Lauda etiam istos, lauda eorum principem Satanam, quia & ipse vindex peccati fuit, quando *ei tradidit* Apostolus *hominem in interitum carnis*: Valde enim disertus es contra gratiam Christi, & idoneus dicere panegyricum Satanæ, & Angelis eius, per quos multorum Deus Iudex atque vltor est peccatorum retribuens eis secundum opera sua, eos ipsos pessimos, & damnabiles spiritus puniendorum supplicia faciens, qui benè iustéque vtitur & bonis & malis. Prædica igitur iniquissimas potestates, quia per ipsas mala retribuuntur malis, qui propterea concupiscentiam prædicas carnis: quia inobedientia retributa est inobedientiæ peccatoris. Lauda iniquum Regem Saulem, quia & ipse fuit pœna peccantium; Domino dicente: *Dedi tibi Regem in ira mea*; lauda dæmonium quod rex ipse patiebatur, quia & hoc pœna fuerat peccatoris. Lauda *cæcitatem cordis, quæ ex parte in Israël facta est*, nec tacetur de cæcitate Israël, quare *donec plenitudo* (inquit) *gentium intraret*, nisi forte & istam pœnam negabis esse, quam si lucis internæ amator esses, non solum aliquam, sed valdemagnam pœnam esse clamares * ad istam cæcitatem fuit Iudæis grande incredulitatis malum, & grandis causa peccati, vt occiderent Christum: Iam istam cæcitatem si pœnam fuisse negaueris, similem te perpeti etiam non confitens iudicabis. Si autem pœnam quidem fuisse, sed peccati pœnam non fuisse contendis, interim fateris, quod vnum aliquid & peccatum esse possit, & pœna: Si autem non est * hoc pœna peccati, profectò iniqua pœna est, & iniustum facis Deum, quo iubente, vel sinente, aut infirmum quo non auertente infligitur * innocenti. Quod si etiam pœnam peccati esse concedis, ne hoc * non concedendo, tu ipse corde cæcus appareas: Vide iam quod videre nolebas, istam quam mouisti solutam esse quæstionem: quia sicut Diabolus atque Angeli eius, & mali Reges non solum ipsi peccatores sunt, sed per iustitiam Dei, fiunt etiã supplicia peccatorum: Nec ideo laude sunt digni, quia pœna ex illis iusta infligitur dignis: Sic *lex in membris repugnans legi mentis*, non ideo ipsa iuste agit, quia eius qui egit * iniusta pœna fit iusta: Et sicut cæcitas cordis, quam solus remouet illuminator Deus, & peccatum est, quo in Deum non creditur, & pœna peccati, qua cor superbum digna animaduersione punitur, & causa peccati, * quod cæci cordis errore committitur: Ita concupiscentia carnis aduersus quam bonus concupiscit spiritus, & peccatum est, quia inest illi inobedientia contra dominatum mentis; & pœna peccati est: quia reddita est meritis inobedientis, & causa peccati est defectione consentientis, vel contagione nascentis: proinde omnia quæ pro hac tua cæca & inconsiderata opinione dixisti, qua carnis concupiscentiam, eo ipso quod eam pœnam diximus esse peccati, non solum non vituperandam, verum etiam laudandam putasti, quamlibet prolixa disputatione in ea fueris immoratus, euanuisse certissimum est. Nam quod aisti: si libido pœna peccati est, abiiciendã esse pudicitiam, ne rebellis in Deum castitas, illatam ab eo dicatur eneruare sententiam, & cætera huiusmodi quæ hanc vanitatem consequentia atque hinc religata contexis. Totidem verbis de cæcitate

E

August. contra Iulianū lib. 5. cap. 3.

Ps. 77. 49. 1. Cor. 5. 5.

F

Oseæ 13. 10. 1 Reg. 16. 14. & 15. Rom. 11. 8 & 10.

G

* al. *et ista regnans*.

* al. *hec*.

* al. *innocenti*.

* al. *non doces*.

Rom 7. 23.

* al. *iniustè*.

H

* al. *cum mali aliquid*.

cordis errore * simili modo diei potest. Si cæcitas cordis pœna peccati est, abiicienda doctrina, ne rebellis in Deũ mentis illuminatio illatam ab eo dicatur eneruare sententiam: quod si absurdissimum est dicere, qoamuis sit cæcitas cordis pœna peccati; eo modo absurdissimum est etiam quod ipse dixisti, quamuis sit libido, id est inobedientia carnis pœna peccati: quoniam cæcitati cordis debet resistere scientia, & libidini continentia. Eam verò pœnam, quæ nec error est, nec libido, debet tolerare patientia. Quapropter quando Deo donante ex vera viuitur fide, ipse Deus adest & menti illuminandæ, & concupiscentiæ superandæ, & molestiæ perferendæ: hoc enim totum rectè fit, quando fit propter ipsum: id est quando gratis amatur ipse, qualis amor nobis esse non potest, nisi ex ipso; alioquin qoando sibi homo multum placet, & de sua virtute confidit, si traditur in * desideria superbiæ suæ, tantò ampliùs augetur hoc malum, quantò magis ei cupiditates cæteræ cesserint, eásque velut laodabilis, hanc vnam oblectando, compresserit. Quòd ergo io aliis opusculis meis legisse te dicis, atque id frustra refutare conatus es. Esse nonnulla peccata, quæ pœnæ sint etiam peccatorum, deposito vincendi studio diligenter attende, & inuenies esse verissimum secundùm ea, quæ de cordis cæcitate tractata sunt. Quid enim egisti, quæso te, quid egisti commemorando Apostolicum testimonium, quo ego illud probaui quod in alia mea disputatione legisti: quia de quibusdam scripsit dicens: *Tradidit illos Deus in reprobum sensum, vt faciant quæ non conueniunt*, hoc enim voluisti videri hyperbolicum dictum: quod fit cùm ad permouendos animos, fidem rerum qui sermocinatur excedit: vbi ergo id Apostolus fecerit, non graueris ostendere. Cùm inueheretur, (inquis) in impiorum crimina: pœnarum ea nominibus aggrauauit, quantumque pectori suo virtutum omnium domicilio turpitudo horreret, ostendens, non tam reos, quàm damnatos sibi tales ait videri. Immò sicut ipse loquitur, non sicut eum tu loqui fingis, & damnatos demonstrauit, & reos, nec solùm de præteritis reos, propter quæ damnatos, sed inde etiam reos * vbi damnatos: nam reos ostendit vbi ait: *Et coluerunt & seruierunt creaturæ, potiùs quàm creatori, qui est benedictus in secula, amen*: Deinde damnatos propter istum reatum; sequitur enim: *Propter hoc tradidit illos Deus in passiones ignominiæ.* Audisti: *Propter hoc*, & quæris inaniter, quomodo intelligendus sit tradere Deus, multum laborans, vt ostendas, eũ tradere deserendo! Sed quomodolibet tradat, *Propter hoc* tradidit, *propter hoc* deseruit, & vides eius traditionem quâlibet & quomodolibet intelligas, quæ consecuta sint: Curauit enim Apostolus dicere quanta pœna sit à Deo tradi passionibus ignominiæ, siue deserendo, siue alio quocumq; vel explicabili, vel inexplicabili modo, quo facit hęc summè bonus, & ineffabiliter iustus. Nã *fœminæ eorum* (inquit) *immutauerunt naturalem vsum in eum vsum, qui est contra naturam: similiter autem & masculi relinquentes naturalem vsum fœminæ, exarserunt in appetitum suum in inuicem, masculi in masculos, deformitatem operantes, & mercedem mutuam, quam oportuit erroris sui in semetipsis recipientes*; quid hoc euidentius, quid apertius, quid expressius? *mercedem mutuam* recepisse dicit vtique *damnatos*, vt tanta operarentur mala: & tamen ista damnatio etiam reatus est, quo grauius implicantur: ita & peccata sunt ista, & pœnæ præcedentium peccatorum: & quod est mirabilius etiam oportuisse dicit eos istam *mutuam mercedem* recipere. Ita se habent etiam superiora verba Apostoli, quæ ipse posuisti: *Mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & serpentium: propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam*, & cætera quæ sequuntur: & hîc vtique vides causam propter quam traditi sunt sine vlla ambiguitate monstratam. Dixit quippe quid mali ante fecissent, & adiunxit; *propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum.* Proinde præcedentis est hæc pœna peccati, & tamen etiam ipsa peccatum est, quod verbis consequentibus explicat. Sed tu contra dis-
serens eo modo tibi videris istam soluisse quæstionem, E
quia desideriis suis Apostolus traditos dixit: Iam enim,
flagitiorum * iniqois desideriis æstuabant; & adiungis * al. iniquis
ac dicis quomodo ergo per potentiam tradentis deputan-
di sunt in talia facta cecidisse? quid ergo plus factum est
obsecrò te, aot quid diceret? *Tradidit illos Deus in desi-* d.v.24.
deria cordis eorum; si iam erant possessi quodammodo
malis desideriis cordis sui: nunquid autem consequens
est, vt si habet aliquis cordis desideria mala, iam etiam
consentiat eis ad committenda eadem mala; ac per hoc,
aliud est habere mala desideria cordis, aliud tradi eis:
vtique, vt consentiendo eis possideatur ab eis, quòd fit
cum diuino iodicio traditur eis: alioquin frustra dictum
est: *Post concupiscentias tuas non eas*; si iam quisque reus Eccl. 18,
est, quòd tumultuantes, & ad mala trahere nitentes sen- 30.
tit eas, nec eas sequitur, si non eis traditur, exercens ad-
uersus eas gloriosa certamina, si viuit in gratia; quid
tibi enim videtur, qui obseruat qood scriptum est: *Si* v. 31.
præstas animæ tuæ concupiscentias eius (quòd quid est aliud F
quàm desideria eius mala) *faciet te gaudium inimicis &
inuidis tuis?* Nunquid iam iste reus est? habendo tales
animæ concupiscentias, quas ei præstare non debet, ne
in gaudium veniat diabolo & Angelis eius, qoi sont inimici
atq; inuidi nostri. Cùm ergo dicitur homo *tradi desi-
deriis suis*, inde fit reus, quia desertus à Deo cedit eis, at-
que consentit, vincitur, capitur, trahitur, possidetur: *A quo* 2. Petr. 2.
enim quis deuictus est, huic & seruus addictus est, & fit 19.
ei peccatum consequens, præcedentis pœna peccati. An
non est peccatum & pœna peccati? vbi legitur: *Domi-* Isa. 19.
nus enim miscuit illis spiritum erroris, & seduxerunt 14.
Ægyptum in omnibus operibus suis sicut seducitur ebrius?
non est peccatum, & pœna peccati; vbi Deo dicit Pro-
pheta, *Quid errare fecisti nos Domine à via tua, obdura-* Isa. 63.
sti nostra corda: vt non timeremus te? non est peccatum, 17.
& pœna peccati vbi rursus Deo dicitur: *Ecce tu iratus* Isa. 64.
es, & nos peccauimus: propterea errauimus, & facti su- 5. 6.
mus sicuti immundi omnes? non est peccatum, & pœna
peccati vbi legitur de Gentibus, quas debellauit Iesus G
Naue: *Quia per Dominum factum est confortari cor eo-* Iosu. 11.
rum, vt obuiam irent ad bellum ad Israel, vt extermina- 20.
rentur? non est peccatum & pœna peccati: quod non
audiuit Rex Roboam plebem benè monentem: quoniam
sicut Scriptura loquitur: *Erat conuersio à Domino, vt* 3. Reg.
statueret verbum suum quod de illo locutus est in manu 12. 15.
Abia Prophetæ? non est peccatum & pœna peccati in eo 2. Par.
quòd Scriptum est, Amasiam Regem Iuda noluisse au- 25. 20.
dire Ioam Regem Israël benè monentem, ne procede-
ret ad bellandum? sic enim legitur: *Et non audiuit Ama-* d.v. 20.
*sias, quoniam à Deo erat, vt traderetur, in manus hostium,
quoniam quæsierat Deum Edom.* Et multa alia commemo-
rare possumus, in quibus liquido appareat occulto Iudi-
cio Dei fieri peruersitatem cordis, vt non audiatur quod
verum dicitur, & inde peccetur, & sit ipsum peccatum
præcedentis etiam pœna peccati: nam credere mendacio,
& non credere veritati, vtique peccatum est: venit ta-
men ab ea cæcitate cordis, quæ occulto Iudicio Dei, sed
tamen iusto, etiam peccati pœna monstratur. Quale est
etiam illud, quod ad Thessalonicenses scribit Apostolus, H
Pro eo quòd dilectionem veritatis non receperunt, vt salui 2. Thess.
fierent, & ideò mittet illis Deus operationem erroris, vt 10.
credant mendacio. Ecce peccati pœna peccatum est.
Vtrumque claret, breuiter dictum est, apertè dictum est,
ab eo dictum est, cuius alia verba in tuam seotentiam
frustra detorquere conatus es. Quid est autem quod dicis d.v. 14.
cùm desideriis suis traditi dicuntur, relicti per diuinam
patientiam intelligendi sunt, non per potentiam in pec-
cata compulsi, quasi non simul * posuit hæc duo idem * al. posuerit.
Apostolus & patientiam & potentiam vbi ait. *Sic autem*
volens Deus ostendere iram, & demonstrare potentiam Rom. 9.
suam, attulit in multa patientia vasa iræ, quæ perfecta 22.
sunt in perditionem: Quid horum tamen dicis esse, qood
Scriptum est? *Et Propheta si errauerit, & locutus fuerit,* Ezech.
Ego Dominus seduxi Prophetam illum, & extendam ma- 14. 9.
*num meam super eum, & exterminabo eum de medio populi
mei Israël*: patientia est ac potentia? quodlibet eligas,

A
vel vtrumque fatearis: vides tamen falsè Prophetantis peccatum esse, pœnamque peccati: An & hic dicturus es, quod ait; *Ego Dominus seduxi Prophetam illum*, intelligendum esse deseruì, vt pro * eis meritis seductus erraret. Age vt vis: tamen eo modo punitus est pro peccato, vt falsum Prophetando peccaret. Sed illud intuere, quod *Vidit* Michæas Propheta *Dominum sedentem super thronum suum, & omnis exercitus cæli stabat circa eum à dextris eius & à sinistris eius, & dixit Dominus, quis seducet Achab Regem Israel, & * ascendit & cadat in Ramaoth Galaad? Et dixit iste sic & iste sic, Et exiit spiritus, & stetit in conspectu Domini, & dixit: ego seducam eum, & dixit Dominus ad eum. In quo? Et dixit exibo, & ero spiritus mendax in ore omnium Prophetarum eius. Et dixit seduces, & prævalebis, exi, & fac sic.* Quid ad ista dicturus es? nempè Rex ipse peccauit falsis credendo Prophetis: at hæc ipsa erat, & pœna peccati: Deo iudicante, Deo mittente Angelum malum, vt apertius intelligeremus, quomodo in Psalmo dictum sit, *Misisse iram indignationis sua per Angelos malos*: sed nunquid errando? nunquid iniuste quicquam, vel temerè iudicando, siue faciendo? absit? sed non frustra illi dictum est: *Iudicia tua, sicut multa abyssus*. Non frustra Apostolus, *O altitudo diuitiarum sapientia, & scientia Dei, quam inscrutabilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles via eius? quis enim cognouit sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuit; aut quis prior dedit illi, vt retribuatur ei?* nullum elegit dignum, sed eligendo efficit dignum, nullum tamen punit † indigne.

Ez. 14. 9. — * al. eius. — 3. Reg. 22. 20. 21. — * al. ascendet & cadet. — v. 22. — B — Ps. 77. 49 — Ps. 35. 7. — Rom. 11. 33. 34. 35. — † al. indignum.

At (inquis) Apostolus; *Bonitas Dei ad pœnitentiam te adducit*, verum esse constat: sed quem prædestinauit adducit, quamuis ipse secundum duritiam, & cor impœnitens (quantum ad ipsum attinet) *Thesaurizet sibi iram in die iræ & reuelationis iusti Iudicij Dei; qui reddet vnicuique secundum opera eius?* † quantumlibet enim præbeat patientiam, nisi ipse dederit quis † habet pœnitentiam? an oblitus es, quod idem ipse Doctor ait: *Ne forte det illis Deus pœnitentiam ad cognoscendam veritatem, & resipiscant à diaboli laqueis, sed iudicia eius multa abyssus.* Nos certè si eos, in quos nobis potestas est ante oculos nostros perpetrare scelera permittamus, rei cum ipsis erimus. Quam vero innumerabilia ille permittit fieri ante oculos suos, quæ vtique si noluisset, nulla ratione permitteret, & tamen iustus, & bonus est, & quod præbendo patientiam, *Dat locum pœnitentiæ, nolens aliquem perire, nouit Dominus qui sunt eius.* Et *omnia † cooperantur in bonum; sed his qui secundum propositum vocati sunt.* Non enim omnes qui vocati sunt, secundum propositum sunt vocati. *Multi enim vocati, pauci vero electi.* Qui ergo electi, hi secundum propositum vocati. Vnde & alibi dicit. *Secundum virtutem Dei saluos nos facientis, & vocantis vocatione sua sancta, non secundum opera nostra, sed secundum suum propositum, & gratiam, quæ data est nobis in* CHRISTO IESV *ante sæcula æterna.* Denique & hic cùm dixisset: *Omnia cooperantur in bonum his qui secundum propositum vocati sunt*, continuo subdidit: *Quoniam quos ante præsciuit, & prædestinauit conformes imaginis filij eius, vt sit primogenitus in multis fratribus: quos autem prædestinauit, illos & vocauit, & quos vocauit, ipsos & iustificauit, quos autem iustificauit, ipsos & glorificauit*, hi sunt secundum propositum vocati, ipsi ergo electi, & hoc ante mundi constitutionem ab eo, *Qui vocat ea, quæ non sunt, tanquam sint. Sed electi per electionem gratiæ.* Vnde dicit idem doctor & de Israël: *Reliquiæ per electionem gratiæ saluæ factæ sunt.* Et ne forte ante constitutionem mundi ex operibus præcognitis putarentur electi secutus est, & adiunxit, *Si autem gratia, iam non ex operibus; alioquin gratia iam non est gratia.* Ex isto numero electorum, & prædestinatorum etiam, qui pessimam duxerint vitam per Dei benignitatem adducuntur ad pœnitentiam, per cuius patientiam non sunt huic vitæ in ipsa scelerum perpetratione subtracti, vt ostendatur & ipsis, & aliis cohæredibus eorum, de quam profundo malo possit

Rom. 2. 4. — Ibid. c. 4. v. 5. v. 6. — † al. quantumlibet. — † al. agit. — C — 2. Tim. 2. 25. — Ps. 35. 7. — 2. Petr. 3. 9. — 2. Tim. 2. 19. — Rom. 8. 28 — Matth. 22. 14 — † al. cooperatur. — 2. Tim. 1. 8 & 9. — D — Rom. 8. 28. 29. 30. — Eph. 1. 11. — Rom. 4. 17 — Rom. 11. 5. 6.

Deus gratia liberare, ex his nemo perit, quacunque ætate † moriantur. Absit enim, vt prædestinatus ad vitam sine sacramento mediatoris finire permittatur hanc vitam. Propter hos Dominus ait, *Hæc est autem voluntas eius qui misit me patris, vt omne quod dedit mihi, non perdam ex eo.* Cæteri autem mortales qui ex isto numero non sunt, ex eadem quidem massa, ex qua & isti, sed vasa iræ facti sunt, ad vtilitatem nascuntur istorum: Non enim quemquam eorum Deus temerè ac fortuitè creat, aut quid de illis boni operetur ignorat: Cum & hoc * ipsum bonum operetur quod in eis humanam creat naturam, & ex eis ordinem sæculi præsentis exornat. Istorum neminem adducit ad pœnitentiam salubrem & spiritalem, qua homo in Christo reconciliatur Deo, siue illis ampliorem patientiam, siue non imparem præbeat: quamuis ergo omnes ex eadem massa perditionis, & damnationis secundum duritiam cordis sui & cor impœnitens (quantum ad ipsos pertinet) *Thesaurisent sibi iram in diem iræ; quo redditur vnicuique secundum opera sua;* Deus tamen alios inde per misericordem bonitatem adducit ad pœnitentiam, alios secundum iustum iudicium non adducit, habet enim potestatem adducendi & trahendi, ipso Domino dicente: *Nemo venit ad me, nisi pater, qui misit me traxerit eum.* Nunquid autem *Achab* regem sacrilegum & impium adduxit ad pœnitentiam, aut saltem per mendacem Spiritum iam seducto, atque decepto patientiam, & longanimitatem præbuit? nonne in eo statim, propter quod erat seductus morte rapiente completum est? quis eum dicat non peccasse spiritui credendo mendacij, quis dicat hoc peccatum pœnam non fuisse peccati; venientem de iudicio Dei, à quo legit mendacem spiritum siue missum siue permissum: quis horum aliquid dicit, nisi qui dicit quod vult, & quod verum est audire non vult; quis vero ita desipiat vt cum audierit quod in Psalmo canitur, *Ne tradas me Domine a desiderio meo peccatori*; Hoc dicat à se homo, ne Deus sit patiens erga illum. Si Deus non tradit, vt mala fiant, nisi patientiam, bonitatem præbendo cum fiunt; Quid est autem quod quotidie dicimus? *Ne nos inferas in tentationem*, nisi vt non tradamur concupiscentiis nostris. *Vnusquisque enim tentatur à concupiscentia sua abstractus, & illectus:* An fortè hoc à Deo petimus, vt non sit erga nos patiens bonitas eius. Non ergo eius inuocamus misericordiam, sed potius iracundiam prouocamus, quis ista sapiat sanus? Immo quis vel furiosus hæc dicat? *Tradit* ergo *Deus in passiones ignominiæ, vt fiant, quæ non conueniunt:* Sed ipse conuenienter tradit, & fiunt eadem peccata, & peccatorum supplicia præteritorum, & suppliciorum merita futurorum. Sicut tradidit *Achab* in pseudo-Prophetarum mendacium. Sicut tradidit *Roboam* in falsum consilium; facit hæc miris & ineffabilibus, modis qui nouit iusta iudicia sua non solum in corporibus hominum, sed & in ipsis cordibus operari qui non facit voluntates malas, sed vtitur eis, vt voluerit, cum aliquid inique velle non possit. [* Quæ Deus pro votis humanis propitius annuat, iratusue non adnuat: Ac rursus? quæ iratus annuat, propitiusue non adnuat: Atque iterum; quæ contra vota humana propitiùs faciat, quæ iratus non faciat; Et in his omnibus bonus perseuerat & iustos:] exaudit propitius, non exaudit iratus: Et rursus: non exaudit propitius, exaudit iratus: Parcit propitius, nõ parcit iratus? & rursus non parcit propitius, parcit iratus, Atque in his omnibus bonus perseuerat & iustus: *Sed ad hæc quis idoneus*, vtique ad hæc eius perscrutanda & inuestiganda iudicia quis homo idoneus quem corruptibile aggrauat corpus, etiamsi habeat iam sancti Spiritus pignus? Sed homo intelligens & acutus iustam dicis esse libidinem & laudis præconio prædicandam; si eum qui Deo non obedivit, non illi obediendo puniunt; si prudenter hic sapies, profectò esse iniquitatem videres, qua pars inferior hominis repugnat superiori atque meliori, † & tam iustè iniquum suæ carnis iniquitate puniunt, sicut est rex iniquus maligni spiritus iniquitate punitus. An & ipsum malignum spiritum laudare disponis? Eia quid moraris? decet

E — † al. moriatur. — Ioan. 6. 39. — Rom. 9. 23. — † al. ipso. — F — Rom. 2. 5. — v. 6. — Ioan. 6. 44. — 3. Reg. 22. 20. — v. 34. — Ps. 139. 9. — G — Matth. 6. 13. — Iac. 1. 14. — Rom. 1. 26. — 3. Reg. 22. 20. — 3. Reg. 12. 15. — † al. Vt. — H — à Lauaniensibus prætermissa, quasi in textu malè irrepserint. — 2. Cor. 2. 16. — Sap. 9. 15. — † al. tamen — 1. Reg. 10. 14.

decet enim te inimicum gratuitæ Dei bonitatis, laudatorem spiritus esse mendacis, nec laborabis inuenire quid dicas, laudes eius paratas habes. Si hæc ipsa in eum verba transtuleris, quæ posuisti in laude libidinis, velut consequentia sentētiam meam, quia ego dixi: Iniustum enim erat, vt obtemperaretur à seruo suo, hoc est à corpore suo ei, qui non obtemperauerat Domino suo: quod tu negans, & & falsum esse deridens, velut ostendere voluisti, quæ sequeretur absurditas tanquam vltricem peccati, si hoc ita est libidinem * laudas: Certè istum mendacem spiritum, quia impium regem sicut merebatur fallendo traxit ad mortem non negas iniquitatis vltorem: Ecce ego & hîc dico: Iniustum enim erat, vt qui non crediderat Deo vero, non deciperetur à falso; lauda ergo & istius iustitiam falsitatis, & dic vt dixisti in laude libidinis, quia nihil ea potest laudabilius æstimari, si iniquitate * multa commissa est, si vindicauit iniuriam Dei; & quia ita consortium peccati non habuit, vt officium vindicantis assumeret; omnia hæc secundùm tuos acutissimos sensus rectè dicuntur, & in illius immundi spiritus laude. Ergo præconium * laudis tuæ in simili causa, aut mendaci redde spiritui, aut contumaci tolle libidini. Quid fugis ad obscurissimam de anima quæstionem in paradiso? ab animo quidem cœpit elatio, & ad præceptum transgrediendum inde consensio: propter quod dictum est à serpente: *Eritis sicut dij*, sed peccatum illud homo totus impleuit, tunc est caro facta peccati, cuius vitia sanantur sola similitudine carnis peccati. Vt ergo & anima, & caro pariter vtrumque puniatur nisi quod nascitur renascendo emendetur, profectò aut vtrumq; vitiatum ex homine trahitur, aut alterum in altero tanquā in vitiato vase corrumpitur, vbi occulta iustitia diuinæ legis includitur: quid autem horum sit verum, libentius disco, quàm dico, ne audeam docere quod nescio: hoc tamen scio id horum esse verum quòd fides vera antiqua Catholica, qua creditur, & asseritur originale peccatum, non esse conuicerit falsum. Ista fides non negētur, & hoc quod de anima latet: aut ex otio discitur, aut sicut alia multa in hac vita sine salutis labe nescitur. Magis enim curandum est siue in paruulis, siue in grandibus, in quo anima sanetur auxilio, quàm quo vitiata sit merito: quæ tamen si vitiata negabitur, nec sanabitur. Illud sanè cur dixeris excogitare non potui, in eo quod commemorasti dixisse Apostolum, *& tenebris * obsectum insipiens cor eorum.* Addidisti enim notandum esse, quoniam insipientiam causam dicat omnium malorum, hoc quidem dixisse Apostolum non satis constat, sed non inde contendo: tu potius cur hoc dixeris quæro. An fortè quia paruuli non rectè dicuntur insipientes, quia nondum sapientiæ possunt esse participes? Ideò nullum malum eis inesse vis credi, quod esse consequens arbitraris, si malorum omnium causa insipientia est: sed si disputatione subtilissima & elimatissima opus est, vt sciamus vtrùm primos homines insipientia superbos an insipientes superbia fecerit: Nunc propter id quod inter nos agitur, quis ignorat omnes homines quicunque sapientes fiunt, ex insipientibus fieri, nisi fortè aliqui ex præconibus mediatoris magna eius, multúmque insolita gratia ad sapientiam non ex sapientia, sed ex infantia transire potuerint. Quod si natura sine fide mediatoris fieri posse contenditis, arcanum virus panditis hæresis vestræ, nihil enim vos agere apparet tanta defensione & laude naturæ, *Nisi vt Christus gratis mortuus sit*, cui vanos dicimus *fidem, quæ per dilectionem operatur*, etiam natura insipientibus opitulari. Sunt enim qui tanta cordis obtusitate nascuntur, vt similiores pecoribus, quàm hominibus esse videantur, quorum tantæ fatuitatis, quæ in illis naturalis apparet, non potestis vllum dicere meritum, qui nullum esse dicitis originale peccatum. Quis autem non quotidie probet (testibus rebus humanis) paruulum priùs nihil sapere, deinde crescendo vana sapere, & postea, si ad sapientium sortem pertinet, recta sapere, atque ita ab infantia ad sapientiam per insipiētiam mediam peruenire. Quapropter humana natura, quæ iacet in paruulis, cui laudibus vestris saluatorem tanquam sana sit, inuidetis, quemadmodum prius proferat, insipientiæ, quàm sapientiæ fructum videtis, & radicis eius vitium videre non vultis, aut videtis quod peius est, & negatis.]

† Si aures intelligentiæ, & veritatis tua tibi peruicacia non obstruxerit, perspicaciter videre potes vanissimum te laborem subiisse, nequicquam triuisse, frustra insudasse, vt diceres ad exercitium nostræ intelligentiæ Deum procurasse, & in scripturis suis, & in tractatoribus earum, vt audiremus tales locutionum modos, euigilaret nostra intentio ad intelligendū, quid eis in mysticum lateat, non quid verborum simplex superficies ostendat. Videlicet, vt præscisse, & prædestinasse Deum pœnas pro non præscisse, & non prædestinasse accipere debeamus. Ecce Doctor eximius sub nomine Iuliani iam inde contra te agens omni sublato locutionum fuco, quid verborum simplex superficies ostendat edocuit, non quid mystica fictio mentiretur asseruit: Dilucide quippe perdocuit in hac mortali vita degentibus, peccatóque sese voluntariè inquinantibus, iusto Dei iudicio pœnam alterius peccati, vel vnius, vel plurium retribui: quibus cæcati in barathrum iure sibi debitum perducantur: nec tamen excludi eas pœnas, quibus vel hîc temporaliter, vel illic æternaliter & anima & corpore puniantur. Proinde sententia sancti Augustini ex Psalmo 7. quam suffragatricem, vt tibi videtur, tui erroris adhibes, veritati potius fauet, quàm conuenit falsitati: dicit enim. Augustinus. [Intelligamus vnicuique homini supplicium fieri de peccato suo, & eius iniquitatem in pœnam conuerti, nec putemus illam tranquillitatem & ineffabile lumen Dei de se proferre, vnde peccata puniantur, sed ipsa peccata sic ordinare, vt quæ fuerunt delectamenta homini peccanti, sint instrumenta Domino punienti.] † Quibus verbis addis.

E Prud. F August. in Psal. 7. prope fin.

Ioannes Scotus.

⊖ *Pulchrè quidem, atque præclarè definiens, non esse alia instrumenta torquendæ impietatis, præter illam ipsam impietatem.*

G Cap. 16. tom. 11. sect. 6.

Correctio.

† Verùm hæc dicens excludere conatis etiam pœnam ignis æterni, in quo si nullus ardebit; ad quid *præparatus diabolo, & Angelis eius*, impiísque hominibus à Deo fuerit, vel ad quid eum mittendi sunt, prorsùs nescire me fateor. Sed ne de præmissa Augustini sententia tibi blandiaris, quamuis superior ad cuncta sufficeret: ponamus & alteram ipsius, quæ tuam debellet impietatem: Ait quippe in libro suo qui est de fide & operibus. Augustinus. [Neque illud * hic proderit, in quo nonnulli seipsos seducunt, ignem æternum dictum non ipsam * pœnam æternam: per ignem quippe, qui æternus erit, transituros arbitrantur eos quibus propter fidem mortuam per ignem promittunt salutem. Vt videlicet ipse ignis æternus sit, combustio verò eorum, id est operatio ignis non sit in eos æterna, cùm & hoc præuidens Dominus tanquam Dominus sententiam suam ita concluserit dicens: *Sic ibunt illi in combustionem æternam: iusti autem in vitam æternam:* Erit ergo æterna combustio, sicut ignis, & eos in illam ituros veritas dicit, quorum non fidem, sed bona opera defuisse declarauit.] † Confera his tanti Patris sententias, & eum aut veracem si contraria sibimet ipsi non dixit comproba, aut mendacij si secus dixisse conuiceris, argue. Ne ergo compugnantia inter se posuisse fallaciter confingatur, dicamus vnicuique homini supplicium fieri de peccato suo, & eius iniquitatem in pœnam conuerti: Cùm secundùm ea quæ supra ex verbis ipsius latius posuimus, peccator propter peccata præcedentia deterioribus traditur, quorum merito ad interitum pertrahatur, aut post hanc vitam merito peruersorum actuum perpetuis cruciatibus coarctetur. Vt hoc sit ei iniquitatem in pœnam conuerti,

Prud. Matth. 25. 41. Aug. de fide & operibus c. 15. * al. diuidis pœnam. * al. non habitand. H Matth. 25. 46. Prud.

A uerti, quod est merito iniqoitatis pœnis addici: dicantúrque instrumeota Domino ponieoti, quia illotum compensatione iustas pœnas tetribuit promerenti: vel certè, quia pœnæ perpetuæ animabus, & corporibus pariter infliguntur, sint peccata etiam pœoæ animarum, vt eorum iugi recordatione, cassaque pœnitudine torqueantur: Ita vt à corporibus ignis æterni combustio nullatenus auellatur. Nam illam tranquillitatem, & ineffabile lumen Dei, nequaquam de se, id est de soa substantia necesse est proferre vel gladium, vel ignem, vel aquam, vel aliquid huiusmodi, vnde peccata puniantur, quin per ipsa peccata sic pœnas ordinat, vt per ea (quemadmodum diximus) puniat contumaces; vnde eùm quædam superfluè disseruisses, & ad vltimum conclusisses.

Ioannes Scotvs.

Cap. 16. B num. 19. sect. 7. ⊖ *Meritò* (inquiens) *perniciosa hic dulcedo libidinis, illic vertetur in amaritudinem vltionis, vt quia hic donum diuinæ largitatis, hoc est liberum voluntatis arbitrium, quod est naturalis intelligentiæ munus, id est mentis acies, quam conditor omnibus generaliter donauit ad se quærendum, diligendum, fruendum, in vsus turpitudinis mutare superbiendo nequissime voluerat: Illic ne omnino veritatis honestate fruatur, iustissime perdat, & eo carcere iniquitatis propria, in quo hic se ipsum incluserat, tenebras æterna ignorantia inextricabiliter pœnaliterque non euitet.*

Correctio.

Prud. † Miror cur tui oblitus, non videris, quod initio huius pericopes dixeris, *Fœlicitatis notionem, & scientiam, atque veritatem illic inesse miseris, proindéque abesse ab eis miseriam, vt qua natura non puniretur, non punita, non esset miseria.*] Quomodo enim eis inerit fœlicitas, eiusque scientia, & notio, si mentis aciem perdiderint, & tenebras æternæ ignorantiæ inextricabiliter, pœnaliterque non euitauerint? C Aut enim illic eis fœlicitas, eiúsque scientia deerit, & stabit quod aisti, *Vt mentis aciem perdant, & tenebras æterna ignorantiæ inextricabiliter, pœnaliterque non euitent.*] Aut si fœlicitas eiúsque scientia illis affuerit, nec mentis aciem perdent, nec tenebras æternæ ignorantiæ inextricabiliter, pœnaliterque patientur. Sed quia omnis fœlicitas infœlicibus substrahetur; verum est, quia tenebras æternæ ignorantiæ inextricabilitérque, pœnaliterque sustinebunt; ita tamen, vt cum eis ignis æterni combustionem corpoream non euitent. Iam verò sententiæ Patrum Augustini, atque Gregorij, quas confirmationi tuæ hæreseos adhibuisti, quibus cæcitatem cordis, inclusionémque peccati veraciter docuerunt, vt per eas suppliciorum pœnas excluderes; prorsùs quisquis piè aduertit, secundùm superiores eorundem sententias facillimè videbit, quia nequaquam tormenta, quæ corporibus corporaliter exhibentur, ademerint! sed pœnas quæ cæcatis mentibus iusto Dei iudicio hîc interim solent ingeri, fideliter inti-D mauerint. Quorum Augustinus in libro de vera Religione, non vt à te mendace positum est, sed vt ab ipso sincerissime constat editum tractasse dinoscitur.

Cap. 16. num. 20. sect. 8. Aug. de vera Religione c. 52. Ioan. 1. 9. Ioan. 12. 35. Psal. 6. 6. * al. liberari. Augustinus. [Cauendi sunt ergo inferiores inferi, id est post hanc vitam pœnæ grauiores, vbi nulla potest esse commemoratio veritatis, quia nulla ratiocinatio, ideo nulla ratiocinatio, quia non eam perfundit lumen verum, *quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, quare *festinemus, & ambulemus cum dies præsto est, ne nos tenebræ comprehendant*, festinemus à secunda morte * liberati, vbi *nemo est, qui memor sit Dei*: & ab inferno, vbi *nemo confitebitur Deo.*

Cap. 53. Sed miseri homines, quibus cognita vilescunt, & nouitatibus libentius discunt, quàm norunt, cum cognitio sit finis discendi, & quibus vilis est facilitas actionis, libentius certant quàm vincunt, cùm victoria sit finis certandi, & quibus vilis est corporis salus, malunt vesci quàm satiari, & malunt frui genitalibus membris, quàm nullam talem commotionem pati: inueniuntur etiam qui malunt dormire, quàm non dormitare; E eùm omnis illius † voluntatis finis sit non esurire, ac sitire, & non desiderare concubitum, & non esse corpore fatigato. † al. voluptatis Quare qui fines ipsos desiderant prius curiositate carent, cognoscentes eam esse certam cognitionē, quæ intus est, & ea perfruentes, quantum in hac vita queunt, Deinde accipiunt actionis facilitatem, pertinacia posita, scientes maiorem esse faciliorémque victoriam non resistere animositati cuiusquam, & hoc quantum in hac vita † quærunt: sentiunt postremò etiam quietem corporis abstinendo ab his rebus, sine quibus agi hæc vita potest, ita *gustant quàm suauis est Dominus*, nec erit eis dubium, quid post hanc vitam futurum sit, & perfectionis suæ fide, spe, & charitate nutriuntur: † al. queunt. Psal. 33. 9. post hanc autem vitam & cognitio perficietur, quia *ex parte nunc scimus: Cùm autem venerit quod perfectum est, non erit ex parte*, & pax omnis aderit. 1. Cor. 13. 9. Nunc † enim *alia lex in membris meis repugnat legi mentis meæ: Sed liberabit nos de corpore mortis huius gratia Dei per* Iesvm Christvm *Dominum nostrum*, † al. autem. F Rom. 7. quia ex magna parte concordamus cum aduersario, dum cùm illo sumus in via: Et tota sanitas, & nulla indigentia, & nulla fatigatio aderit corpori: quia *corruptibile hoc* tempore, atque ordine suo, quo resurrectio carnis futura est, *induetur incorruptione*. 1. Cor. 15. 13. Non mirum autem si hoc dabitur his, qui in cognitione solam veritatem amant, & in actione solam pacem, & in corpore solam sanitatem: hoc in eis enim perficietur post hanc vitam, quod in hac vita plus diligunt.

Ibidem c. 54. Qui ergo malè vtuntur tanto mentis bono vt extra eam visibilia magis appetant, quibus ad concupiscenda & diligenda intelligibilia commemorari debuerunt, dabuntur eis *exteriores tenebræ*; harum quippe initium est carnis prudentia, & sensuum corporeorū imbecillitas, & qui certaminibus delectantur, alienabuntur à pace, & summis difficultatibus implicabuntur: initium enim summæ difficultatis est bellum, atque contentio. Et hoc significare arbitror quod *ligantur eis manus & pedes*, id est Matth. 22. 13. G facultas omnis auferetur operandi, & qui sitire, & esurire volunt, & in libidinem ardescere, & defatigari, vt libenter edant, & bibant, & concumbant, & dormiant; amant indigentiam, quod est initium summorum dolorum; Perficietur ergo in quod amant, vt ibi eis *sit ploratus, & stridor dentium*: Matth. 13. 50. plures enim sunt qui hæc omnia vitia simul diligunt, & quorum vita est spectare, contendere, manducare, bibere, concumbere, dormire, & in cogitatione sua nihil aliud, quàm phantasmata, quæ de tali vita colligunt amplexari, & ex eorum fallacia superstitionis, vel impietatis regulas * figere, quibus decipiuntur & quibus inhærent; * al. fingere etiamsi ab illecebris carnis se abstinere conentur; quia non bene vtuntur talento sibi commisso, id est mentis acie, qua videntur omnes, qui docti, aut vrbani, aut faceti nominantur, excellere; sed habent eam *in sudario* † *obligatam* aut in terra obrutam, id est delicatis, & superfluis rebus, aut terrenis cupiditatibus inuolutam & oppressam: † al. ligatam. H *Ligabuntur* ergo *his manus, & pedes, & mittentur in tenebras exteriores, ibi erit ploratus, & stridor dentium*, Luc. 9. 20. Matth. 25. 18. non quia ipsa dilexerunt, quis enim hoc diligat, sed quia illa quæ dilexerunt initia istorum sunt: & necessario dilectores suos ad ista perducunt; qui enim magis amant ire quam redire, aut peruenire, in longinquiora mittendi sunt, *Quoniam caro sunt, & spiritus ambulans, & non reuertens.* Psal. 77. 39. Qui verò benè vtuntur vel ipsis quinque sensibus corporis ad credenda, & prædicanda opera Dei, & nutriendam charitatem ipsius vel actione & cognitione ad pacificandam naturam suam & cognoscendum Deum intrant in gaudium Domini sui. Propterea talentum, quod malè vtenti aufertur, illi datur qui talentis quinque benè vsus est, Matth. 25. 29. non quia transferri potest acumen intelligentiæ, sed ita significatum est, posse hoc amittere negligentes, & impios ingeniosos, & ad eam peruenire diligentes, & pios, quamuis ingenio tardiores: non enim datum est illud talentum ei, qui acceperat duo; habet enim & hoc, qui iam in actione & in cognitione benè viuit; sed ei qui

acceperat quinque. Nondum enim habet ad æterna contemplanda idoneam mentis aciem, qui visibilibus tantum, id est temporalibus credit. Sed habere potest, qui horum omnium sensibilium Deum artificem laudat, & eum persuadet, fide & spectat spe, & quærit charitate. † Gregorius autem in libro 11. beati Iob.

Gregorius. [*Si incluserit hominem, nullus est, qui aperiat*: quia omnis homo per id quod male agit, quid sibi aliud quam conscientiæ suæ carcerem facit, vt hunc † animæ reatus premat, etiamsi nemo exterius accusat qui cum iudicante Deo in malitiæ suæ cæcitate relinquitur, quasi intra semetipsum clauditur, ne euadendi locum inueniat; quem inuenire minimè meretur. Nam sæpe nonnulli exire à prauis actibus cupiunt: sed quia eorundem actuum pondere premuntur, in malæ consuetudinis carcere inclusi, à semetipsis exire non possunt, & quidem culpas proprias punire cupientes, huc quod rectè se agere æstimant, in † grauioribus peccatis vertunt, fitque modo miserabili, vt quod exitum putant hoc inclusionem inueniant. Sic videlicet reprobus Iudas, cum mortem sibi contra peccatum intulit, ad æternæ mortis supplicia peruenit, & peius de peccato pœnituit, quam peccauit. [Dicatur ergo: *Si incluserit hominem; nullus est qui aperiat*; quia sicut nemo obsistit largitati vocantis, ita nullus obuiat iustitiæ relinquentis: includere itaque † dicitur clausis non aperire: vnde & ad Moysen dicitur de Pharaone, *Ego obdurabo cor eius*: obdurare quippe per iustitiam dicitur Deus quando cor reprobum per gratiam non emollit; recludit itaque hominem, quem in suorum operum tenebris relinquit.]† Manifestissimè beatus Gregorius eam inclusionem, qua in hac vita peccatores cæcari adsolent, præmissa sententia declarauit. Quod circumstantia eiusce sententiæ indubitanter demonstrant, quorum clausulam adiiciendam duxi, quo euidens quid in præcedente sententia senserit, fiat.

Gregorius. [Quasi enim aperire hanc inclusionem cum *Isaac* primogenito filio voluit, cum hunc fratri præponere benedicendo conatus est, sed filium, quem pater voluit Dominus reprobauit, & quem Dominus voluit pater etiam nolendo benedixit, vt qui iam primogenita fratri pro esca vendiderat, primogenitorum benedictionem non acciperet, quam ex cupidine gulæ reliquisset; qui terrena ambiens, fugitiua sequens hæreditate cupiens benedictionem, reprobatus est; non enim inuenit pœnitentiæ locum: quamquam cum lachrymis inquisisset eam: quia videlicet fructum non habent lamenta, quæ strident cum gemitu desiderare peritura. Aperire itaque Isaac nec filio potuit, quem Deus omnipotens iusto Iudicio in suæ malitiæ carcere inclusit. [† Sed ne contentiosus obstrepere deligas; videamus alteram eius sententiam ex Homelia Euangelij, qua pœnas corporis corporeas iudicari nullus ambigat, ait enim Gregorius. [*Ligantur* tunc *pedes & manus* per districtionem sententiæ, qui modo à prauis operibus ligari noluerunt per meliorationem vitæ. Vel certè tunc ligat pœna, quos modo à bonis operibus libauit culpa, pedes enim qui visitare ægrum negligunt, manus quæ nihil indigentibus tribuunt, à bono opere iam ex voluntate ligatæ sunt, qui ergo nunc sponte ligantur in vitio: tunc in supplicio ligantur inuitè: benè autem dicitur quod *in exteriores tenebras proiiciatur*: Interiores quippe tenebras dicimus cæcitatem cordis, exteriores verò tenebras æternam noctem damnationis. Tunc ergo damnatus quisque non in interiores, sed in exteriores tenebras mittitur, quia illic inuitus proiicitur in noctem damnationis, qui hic sponte cecidit in cæcitatem cordis. *Vbi fletus* quoque *& stridor dentium* esse perhibetur, vt illic dentes strideant, qui hic de edacitate gaudebant: Illic oculi defleant, qui hic per illicitas concupiscentias versabantur in mundo: quatenus singula quæque membra supplicio subiaceant, quæ hic singulis quibusque vitiis subiecta seruiebant.]† Idem in Moralibus lib. 12.

Gregorius. [Superbire enim minimè debuisset, etiam si annorum suorum numerum certum habere potuisset vt nesciens, quantum viueret, præsciret quando se ab elatione remoueret: At postquam præsens vita semper incerta est, tantò semper mors subripiens timeri debet; quanto nunquam præuideri valet: bene autem superbiam impij tyrannidem vocat: propriè enim tyrannus dicitur qui in omni republica non iure principatur: Sed sciendum est, quia omnis superbus iuxta modum proprium tyrannidem exercet: Nam quod nonnunquam alius in Republica hoc est per acceptam dignitatis potentiam, alius in Prouincia, alius in ciuitate, alius in domo propria, alius per latentem nequitiam, hoc exercet apud se in cogitatione sua; nec intuetur Dominus quantum quisque mali valeat facere, sed quantum velit, & cum deest potestas foris, apud se tyrannus est, cui iniquitas dominatur intus, quia etsi exterius non affligit proximos, intrinsecus tamen habere potestatem appetit vt affligat: & quia omnipotens Deus corda pensat, iam in eius oculis impius fecit, quod cogitauit. Ad hoc autem conditor noster latere nos voluit finem nostrum, vt dum incerti sumus quando moriamur, semper ad mortem parati † inueniri debeamus. Vnde rectè postquam dictum est: *Cunctis diebus suis impius superbit*, adiungit, *& numerus annorum incertus est tyrannidis eius*. Ac si aperte diceretur. Cur quasi de certo extollitur, cuius vita sub pœna incertitudinis tenetur. Sed omnipotens Deus prauè agentibus, non solum ventura supplicia reseruat, sed eorum corda hic etiam vbi delinquunt, pœnis implicat, vt eo ipso quo peccant, semetipsos feriant, vt semper trepidi, semperque suspecti mala ab aliis pati metuant, quæ se aliis fecisse meminerint.] †Qui tamen euidenter de peccatis, quæ sunt pœnæ peccatorum in Expositione Ezechiel Prophetæ Homilia 11. partis primæ ita disseruit.

Idem Moral. lib.12. cap.10.

†al. inueniamur.

Iob.15. 20.

Gregorius. [Sed *Etsi conuersus iustus à iustitia sua fecerit iniquitatem, ponam offendiculum coram eo. Ipse morietur, quia non annunciasti ei: in peccato suo morietur & non erunt in memoria iustitiæ eius, quas fecit. Sanguinem vero eius de manu tua requiram*; Quia iusto qui in peccato ceciderit, prædicator tacuit, eius † Sanguinis reus tenetur, & qui sollicitus esse non studuit in prædicatione, factus est particeps in damnatione. Sed cum dicitur. *In peccato suo morietur, & non erunt in memoria iustitiæ eius, quas fecit*; Hoc maxime nobis considerandum est: quia cum mala committimus, siue causa ad memoriam bona nostra transacta reuocamus: quoniam in perpetratione malorum nulla debet esse fiducia bonorum præteritorum, sed quæri potest, vtrum iusto postquam ceciderit, prædicandum sit; an & prius, quam cadat inuigilare prædicator debet, ne ad casum veniat; proculdubio & prius quam cadat. Nam sequitur. *Si autem tu annunciaueris iusto, vt non peccet iustus, & ille non peccauerit, viuens viuet, quia annunciasti ei: Tu autem animam tuam liberasti*: Si ergo prædicator, ideo animam suam liberauit, quia iusto ne peccaret annunciauit, cùm iustus ad peccatum prædicatore tacente ceciderit prædicator quia tacuit, reus tenetur. Sed quis rogo nostrum ad hæc sufficiat, vt non solum peccatores studiosè corripiat, sed etiam iustis inuigilet, ne cadant? nos enim infirmitatis nostræ conscij, cum iustos viros conspicimus, admonere eos non præsumimus, vt iustitiæ viam teneant, quam quia tenent videmus, & tamen prædicatoris est debitum etiam iustos admonere. Vnde prædicator egregius dicebat, *sapientibus, & insipientibus debitor sum*. In his vero omnibus, quæ de iusto ad iniquitatem conuerso dicta sunt: hoc est laboriosum ad loquendum, hoc valde pertimescendum, quod Dominus dicit: *Ponam offendiculum coram eo*. Ait enim: *Si conuersus iustus à iustitia sua fecerit iniquitatem ponam offendiculum coram eo*. Nos enim dicimus: quia si iniquitatem fecerit offendit, & verum est omnino quod dicimus, cur adhuc ei Deus omnipotens *offendiculum* ponet, quem iam impiè egisse, & cecidisse per iniquitatem, quam perpetrauit conspicit? sed districta sunt omnipotentis Dei iudicia, & qui peccatorem

Idem in Ezechiel Homil. 11. post medium.

Ezech. 3.20.

†al. sanguinem.

v.21 &c.

Rom.1. 14.

Ezech.3. d.v.20.

diu

A diù expectat, vt redeat, non redeunti, atque contemnenti ponit adhuc, vbi grauius impingat. Peccatum quippe, quod per pœnitentiam citius non deletur * aut peccatum est & causa peccati, aut peccatum & pœna peccati: aut peccatum simul causa & pœna peccati, omne enim quod prius committitur peccatum est. Sed si citius pœnitendo non tergitur, iusto iudicio omnipotens Deus obligatam * peccantis mentem etiam in culpam alteram permittit cadere, vt qui flendo, & corrigendo noluit mundare quod fecit, peccatum incipiat peccato cumulare: peccatū ergo, quod pœnitentiæ lamento non diluitur, peccatū simul est, & causa peccati: quia ex illo oritur, vnde adhuc peccatoris animus arctius obligetur: peccatum verò, quod ex peccato sequitur peccatum simul est, & pœna peccati: quia excrescente cæcitate, ex retributione prioris culpæ generatur; vt quasi iam quædam sint in peccatore supplicia, ipsa incrementa vitiorum. Fit vero nonnunquam vt vnum idemque peccatum, & peccatum sit, &

al. aut peccatum est, aut causa peccati simul & pœna peccati.

al. peccatum.

B pœna peccati, simul & causa peccati: Ponam enim ante oculos quempiam rem proximi concupisse, quam quia aperte non valuit, furto diripuit; sed in furti accusatione positus se hanc diripuisse iureiurando denegauit: huic ergo concupiscentia peccatum fuit, & causa peccati, quia per eam peruenit ad rapinam, ipsum vero furtum quo rem concupitam diripuit, & peccatum ei factum est, & pœna peccati: quia ex retributione iam non repressæ concupiscentiæ factum est, vt veniret ad furtum, & culpa cordis excresceret in opere * ex vltione cæcitatis: sed quia furtum periurio tegere curauit, ex peccato rursum peccatum genuit: furtum ergò quod ex concupiscentia processit, & periurium * protulit, peccatum è pœna peccati factum est, culpæ præcedenti peccatum, & causa peccati culpæ subsequenti, quia de illa natum hanc genuit. Quod benè Paulus Apostolus de quibusdā Deum intelligentibus, sed non honorantibus insinuat dicens; *Cum cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt, sed euanuerunt in cogitationibus suis.* Ecce est pec-

al. &.

al. perculit.

Rom 1. 21. d. v 21. 22. 23.

C catum & causa peccati, ex qua causa quid sequatur adiungit; *Et obscuratum est insipiens cor eorum: dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt: & mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & serpentium.* Ecce est peccatum, & pœna peccati, sed peccatum solummodo & pœna peccati esset, si non adhuc ex hoc peccato, & aliud sequeretur. Nam post infidelitatem eorum subditur: *Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam, vt contumeliis afficerent corpora sua in semetipsis. Quia igitur cognoscentes Deum, non sicut Deum glorificauerunt*, ex eo peccato & causa peccati, ad hoc quoque perducti sunt, vt ad cultum serpentium & volucrum laberentur. Sed quia per hanc etiam cæcitatem vsque ad immunditiam & carnis contumelias ceciderunt. Ipsa infidelitatis eorum cæcitas præcedenti intellectui, & peccatum est, & pœna peccati: subsequenti vero immunditiæ peccatum * facta est, & causa peccati:

v. 24.

al. factum.

D sed quia de his in libris moralibus diu tractatum est nobis nunc diutius in eis immorandum non est. Hoc autem nobis cum tremore considerandum, est, quomodo iustus & omnipotens Deus, cum præcedentibus peccatis irascitur, permittit vt cæcata mens etiam in aliis labatur: Vnde Moses ait: *Nondum completa peccata sunt Amorrhæorum:* Dauid quoque dicit: *Appone iniquitatem super iniquitatem eorum, vt non intrent in tua iustitia:* Propheta etiam aliis dicit: *Maledictum, & mendacium & homicidiū, & furtum, & adulterium inundauerunt, & sanguis sanguinem tetigit.* Sanguis enim sanguinem tangit, quando peccato peccatum additur, vt ante Dei oculos adiunctis iniquitatibus anima cruentetur. Paulus Apostolus ait: *Vt impleant peccata sua semper:* Ioanni quoque per Angelum dicitur: *Qui nocet, noceat adhuc, & qui in sordibus est, sordescat adhuc:* Vnde etiam Dominus dicit: *Si conuersus iustus à iustitia sua fecerit iniquitatem, ponam offendiculum coram eo.* Ac si aperte dicat, quia videre pœnitendo noluit vbi iam impegit, iusto eum iudicio deserens ponam ei, vt & alibi impingat. Quod tamen

Gen. 15. 16.

Ps 68. 28.

Osee 4. 2.

1. Thess. 2. 16.

Apoc. 22. 11.

Ezech. 3. 20.

E *Domini ponere*, est nequaquam ad peccandum premere; sed nolle à peccato liberare: Sicut de Pharaone dicitur: *Ego indurabo cor eius.* Non enim cor peccantis Dominus obdurat: Sed obdurare dicitur, cum ab obduratione non liberat: Misericors enim Deus tempus nobis ad pœnitentiam relaxat: sed cum eius gratiæ patientiam nos ad augmentum vertimus culpæ, hoc ipsum tempus, quod ad parcendum piè disposuit, districtius ad feriendum vertit, vt * cum reuerti quis etiam spatio temporis accepto noluerit, per hoc mala sua ad reatum augeat, per quod ea diluere potuit, si conuerti voluisset: vnde scriptum est. *Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundum duritiam autem tuam, & cor impænitens thesaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis iusti iudicij Dei*: De benignitate ergo omnipotentis Dei iram sibi in die iræ reprobus thesaurizat, quia dum ad pœnitendum tempus accipitur, & ad peccandum exhibetur, ipsum remedium gratiæ vertit in augmentum culpæ. Vnde & om-

Exod. 4. 21.

al. qui.

Rom. 2. 45.

F nipotens Deus, quia collata remedia conspicit ad culpæ augmentum trahi, ipsam benignitatem, quam contulit, in iudicij districtionem vertit. Vt inde * per amplius feriat, vnde modò amplius expectat: Et quia homo deserere malum non vult, vt viuat, auget vnde moriatur: Sed siue iustus in culpa, siue peccator in morte corruat, speculatori timendum est, ne hunc ex suo silentio reatus peccantium pariter inuoluat.]

al post.

† Si veræ pietatis affectu Christianæ humilitati deuotus anhelas, nullā obstante difficultate, patentissimè perspicis inclusionem ex beati Iob verbis sancto Gregorio edissertam, non pœnam significare gehennæ, sed eam, qua reprobi in hac mortalitate suis voluptatibus lethaliter fruentes, iusto Dei iudicio feriuntur. Attamen Christiana te charitate admoneo; ne verbis beati Augustini, quibus de pænis impiorū diuersè in opusculis suis tam multis sentire videtur, eo vsque inhæreas, vt veritati tantopete contradicas. Nam ille vir sanctus & doctus multa

Prud. Iob. 28 14.

G prioribus suæ conuersionis temporibus scripsit, quæ postmodū necessario retractanda iudicauit. Quo munere speciali cœlitus donatus plura retractauit, quædam in posterioribus suis opusculis veracius scrutata disseruit, pleraque retractanda morte præreptus dereliquit. Ac per hoc quæcumque vel retractauit, vel post elimatius, proindéque veracius exquisiuit, & scripsit, sequenda & pio amore veneranda atque tenenda pius quicunque intellector sanissime iudicabit: qui tamen nunquam ita pœnas cordis adstruxit, vt corporis denegaret. Sed prout commodum duxit, de vtrisque pariter; aut de alterutra sigillatim tractauit. Sicut in libro 3. de libero voluntatis arbitrio breuiter dilucidéque ostenditur, vbi ait.

Augustinus. [Vt autem de illo primo coniugio & cum ignorantia, & cum difficultate, & cum mortalitate nascamur: Quoniam illi cum peccauissent, & in errorem & in ærumnam, & in mortem præcipitati sunt rerum moderatori summo Deo iustissimè placuit, vt & in ortu hominis originaliter appareret iustitia punientis, in prouectu misericordia liberantis. † In eodem Augustinus. Quid est

Aug. de Libero Arbitrio lib. 3 cap. 20. Idē ibid. cap. 23.

H enim aliud dolor, nisi quidam sensus diuisionis, vel corruptionis impatiens; vnde luce clarius apparet, quam sit illa anima in sui corporis vniuersitate auida vnitatis, & tenax, quæ nec libenter, nec indifferenter, sed potius renitenter, & reluctanter * intendit in eam passionem corporis sui * qua eius vnitatem atque integritatem labefactari molestè accipit. † Idem in libro de vera religione. Augustinus. [Ergo mirum est * si omnis anima quæcunque vbi sit, & qualiscunque sit omni corpore est melior; dicam pulchrè ordinari, & de pœnis eius alias pulchritudines fieri, cum ibi non sit quando misera est, vbi esse beatos decet, sed ibi sit, vbi esse miseros decet. † In eodem Augustinus. [Quod si ab ea parte, cui dominari nos Deus iubet, atque vt in nostram possessionem restituamur, & hortatur & opitulatur, si ergo ab hac parte per negligentiam & impietatem vir subditus fuerit, id est mens & ratio, erit quidem homo turpis & miser, sed destinatur in hac vita, & post hanc vitam ordinatur,

al intēdit.

al. poi quam.

Idem de vera Religione cap. 41.

al. si hominis animam qua vbicunque sit.

Idem d. cap. 41.

quò eum destinari, & vbi ordinari summus ille rector, & Dominus iudicat.] † In eodem Augustinus. [Quapropter vita, quæ fructu corporis delectata, negligit Deum, inclinatur ad nihilum, & ista est nequitia: hoc autem pacto vita carnalis & terrena efficitur, & ob hoc etiam caro & terra nominatur, & quandiu ita est, regnum Dei non possidebit, & eripitur ei, quod amat: id enim amat quod & minus est quàm vita, quia corpus est, & propter ipsum peccatum, quod * amat, fit corruptibile, vt fluendo deserat amatorem suum, quia & ille hoc amando deseruit Deum: præcepta enim eius neglexit dicentis, hoc manduca, & hoc noli. Trahitur ergo ad pœnas: quia diligendo inferiora in egestate voluptatum suarum, & in doloribus apud inferos ordinatur: quid est enim dolor, qui dicitur corporis nisi corruptio repentina salutis eius rei, quam malè vtendo anima corruptioni * obnoxiauit: Quid est autem dolor, qui dicitur animi, nisi carere mutabilibus rebus, quibus fruebatur aut frui se posse sperauerat; & hoc est totum, quod dicitur malum, id est peccatum, & pœna peccati.] † Idem in Psalmo 66.

Augustinus. [Quis autem nostrum dicturus est non esse illam Dei benedictionem si vel agricultura ei fructum ferat, vel domus cuiusque abundet à copia rerum temporalium, vel ipsa corporis salus aut teneatur, ne amittatur, aut amissa reparetur? fœcunditas etiam fœminarum, & casta vota filios desiderantium ad quem pertinent, nisi ad Dominum Deum. Qui enim creauit quando non erat; ipse prolis successo facit permanere quod condidit? Facit hæc Deus, donat hæc Deus, parum est nobis dicere facit hæc Deus, donat hæc Deus; sed solus hæc facit, solus donat. Quid enim. Facit hæc Deus * sed facit hæc & aliquis non Deus: facit hæc, & solus facit, & sine causa ista petuntur vel ab hominibus, vel à dæmonibus, & quæcumque bona accipiunt inimici Dei, ab illo accipiūt, & cùm ab aliis petunt & accipiunt, nescientes ab illo accipiunt. Quomodo cùm puniuntur, & putant se ab aliis puniri, nescientes ab illo puniuntur. Sic & cùm vegetantur, implentur, saluantur, liberantur: Etsi hoc nescientes vel hominibus, vel dæmonibus, vel Angelis tribuunt; non habent nisi ab illo penes quem potestas est omnium.]

CAP. XVII.

Cur Deus dicitur prædestinasse pœnas, cùm eas non faciat nec prædestinet.

SEptima decima næniarum tuarum habet titulum.

IOANNES SCOTVS.

⊖ *Cur Deus dicatur prædestinasse pœnas, cùm eas non faciat, nec prædestinet, proinde ratione, atque auctoritate, qua conficitur firmissime tenendum, prorsus suppliciorum, quibus superba impietas æterno torquebitur cruciatu, nullo modo Deum esse auctorem, nullo modo eorum esse factorem, nullo modo prædestinatorem.*

CORRECTIO.

† Deum auctorem suppliciorum, vel temporalium, vel æternorum, & prædestinatorem tam auctoritate sacri eloquij, quàm Doctorum concordia satis demonstratum est: sed quia tu supplicia peccatorum nihil aliud, quàm peccata esse susurras: peccatorum auctorem Deum minimè dicimus: attamen quotiescunque vel hic vel illic peccata suis auctoribus in pœnam conuertuntur, secundum ea, quæ præcedens hunc sermo abundanter exsequitur, non nisi Deo vindice fieri proclamamus.

IOANNES SCOTVS.

⊖ *Ea tamen* (inquis) *ratione auctor eorum esse dicitur, & factor, & prædestinator, quia verissimè creditur totius* E *vniuersitatis, in qua sunt factor & ordinator. Ita enim vni-* num. 1. *uersa creatura sua, antequam ipsam crearet, statum pulchri-* sect. 1. *tudinis prædestinauit esse futurum, vt malorum turpitudo, quam non prædestinauit, quia non eam facturus esset in vniuerso turpis non esset, malitia nocentium non noceret, error errantium non erraret, miseria torquendorum fælicitatem non turbaret electorum, nullius enim turpitudo, vel malitia vel error, seu miseria prædestinatum ante sæcula naturalem ordinem dehonestare permittitur.*

CORRECTIO.

† Si eo modo dicitur Deus factor, & prædestinator Prud. suppliciorum, quo verissimè creditur totius vniuersitatis, in qua sunt, factor, & ordinator, veraciter omnium factor & prædestinator eorum dicendus est, quia veraciter, factor & ordinator vniuersitatis habetur: quia verò tu supplicia non aliud quàm peccata esse contendis, F non est hîc nobis diutius immorandum, quoniam satis superque de his tractatum in præcedentibus constat, quodque addis.

IOANNES SCOTVS.

⊖ *Cùm ergo audimus prædestinauit Deus illos vel* Cap. 17. *ad interitum vel supplicium, vel pœnas, seu cruciatum,* num. 3. *seu quoquomodo vocari solet miseria, qua torquetur ini-* sect. 2. *quitas a se ipsa, in seipsa, per seipsam, non aliud intelligere iubemur, quàm ipsum ante tempora præscisse, & prædestinasse, quo ordine vniuersitatis futuri sunt illi, quos occultissimo, iustissimo tamen iudicio amaritudinem peccatorum suorum sentire permisit, quia eos in damnabili origine reliquit.*

CORRECTIO.

† Licet diuersa, tibique aduersa proferas, qui præ- G destinatos pro non prædestinatis adstruxeras, multum Prud. veritati prædestinationis appropriàs, præter illa, quæ à veritate aliena interseris: Nam & veritas hoc clamat, Præordinasse Deum, quo ordine vniuersitatis futuri sunt illi, quos iustissimo suo iudicio amaritudinem peccatorum suorum sentire, non (vt mentiris) permisit, sed vt verum est iudicauit, & iudicando compellit. Nec id solùm eis pœna est, quòd eos in damnabili (vt dicis) origine reliquit, sed reddita est eis etiam pœna ignis æterni, qua torqueantur inuiti.

IOANNES SCOTVS.

⊖ *Seruata* (inquis) *illa notissima differentia inter præ-* Cap. 17. *scientiam, & prædestinationem, vt cùm tantùm latè pa-* num. 4. *teat prædestinatio, quantum præscientia, vnum quippe at-* sect. 2. *que idem diuinam profectò substantiam significantes, prædestinatio ad ea tantum, quæ in bono sunt pertineat, præscientia verò ad bona malaque; quæ tamen differentia non est ex* H *natura, sed ex vsu locutionum: quemadmodum enim dicitur de Deo: vbique est præsentia potestatis, sed non vbique est gratia habitationis: Ita de eo dici possit: vbique præscientia, sed non vbique prædestinatione: Cum apertissimè veritas clamet de Deo: vbicunque Deus fuerit præsentia, ibi profectò erit habitatione: Similiter vbicunque fuerit præscientia, necessario erit prædestinatione.*

CORRECTIO.

† Proculdubio falsa sunt quæ exequeris, sicut supe- Prud. riùs abunde monstrauimus. Primò quòd prædestinatio, & præscientia Dei substantia non sunt, quia relatiua sunt, quæ non ostendunt essentiam: Deinde quòd præscientia, & prædestinatio adeò inter se differũt, vt præscientia Dei dicatur, etiam in his, quæ ipse non fecit, vt sunt peccata: prædestinatio verò in his solummodo, quæ ipse facturus erat, vel in conditione, & ordinatione rerum,

A vel in electione gratiæ, vel in condênatione inflexibilis iudicij, sed nunquam iniusti: ac per hoc quêadmodum rectè dicitur de Deo vbiq; est præsentia potestatis, sed non vbique est gratia habitationis: Ita rectè de ipso dici potest vbique est præscientia, sed non vbique est prædestinatione. Quoniam qui omnia præsciuit, & bona & mala, id est peccata; nequaquam prædestinauit nisi bona, id est misericordiam, & iudicium: in quo sunt etiam pœnæ quæ à sensu patientium malæ vocantur, quæ omninò nullo præter ipsum auctore fiunt.

Postremò quod dicis *veritatem clamare de Deo vbicunque fuerit præsentia ibi esse habitatione.*] Proindéque *vbicunque fuerit præscientia, necessario esse prædestinatione,*] adcò regulam veritatis, & pietatis transgreditur, vt apertissimis oraculorum diuinorum testimoniis resultare minimè dubitetur, dicente ipsa veritate: *Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus:* Et item: *Et ego rogabo Patrem, & alium paracletum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum: Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere; quia non videt eum, nec scit eum: Vos autem cognoscetis eum, quia apud vos manebit, & in vobis erit.*] Vnde & liber sapientiæ dicit: *Quoniam in maleuolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis:* Et Apostolus: *Vos autem in carne non estis, sed in spiritu; si tamen spiritus Dei habitat in vobis, quòd si spiritus eius, qui suscitauit* IESVM *à mortuis, habitat in vobis, qui suscitauit* IESVM CHRISTVM *à mortuis, viuificabit, & mortalia corpora vestra propter inhabitantem spiritum eius in vobis:* Et rursùm: *Nolite iugum ducere cum infidelibus: quæ enim participatio iustitiæ cum iniquitate, aut quæ societas luci ad tenebras? quæ autem conuentio Christi ad Belial, aut quæ pars fideli cum infideli, qui autem consensus templo Dei cum idolis? Vos enim estis Templum Dei viui: Sicut dixit Deus: quoniam inhabitabo in illis, & inambulabo, & ero illorum Deus, & ipsi erunt mihi populus:* Et iterum: *An nescitis, quoniam membra vestra templum est Spiritus sancti, qui in vobis est, quem habetis à Deo.* Quibus omnibus liquet Deum nullatenus inhabitare, nisi templum suum; templum verò eius non esse, nisi membra Christi: dicente eodem Apostolo: *Nescitis quoniam corpora vestra membra Christi sunt.* Hoc clamat veritas, hoc prædicat pietas, Deum non habitare nisi in templo suo; Templum eius non esse nisi sanctos suos. Hinc Augustinus in libro ad Dardanum de præsentia Dei.

(Ioan. 14. 23. Ib. 16. 17. — B — Sap. 1. 4. — Rom. 8. 8. &c. v. 11. — 2. Cor. 6. 14. v. 15. v. 16. Leu. 26. v. 12. — 1. Cor. 6. 19. — C — Ib. 1. 15.)

Augustinus. [Verùm illud est multò mirabilius, quòd cum Deus vbique sit totus, non tamen in omnibus habitat: non enim omnibus dici potest, quòd ait Apostulus, vel quod iam dixit, vel etiam illud: *Nescitis quia templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis?* Vnde & è contrario de quibusdam idem dicit: *Quisquis autem Spiritum Christi non habet, hic non est eius.* Quis porro audeat opinari, nisi quisquis inseparabilitatem penitus Trinitatis ignorat, quod in aliquo habitare possit Pater & Filius in quo non habitet Spiritus sanctus, aut in aliquo Spiritus sanctus in quo non & Pater & Filius: Vnde fatendum est vbique esse Deum per diuinitatis præsentiam; sed non vbique per habitationis gratiam; propter hanc enim habitationem: vbi proculdubio gratia dilectionis eius agnoscitur, non diximus Pater noster qui est vbique, cùm & hoc verum sit: Sed *Pater noster qui es in cœlis:* Vt templum eius potius in oratione commemoremus, quod & nos ipsi esse debemus, & in quantú sumus, in tantùm ad eius societatem, & adoptionis familiam pertinemus. Si enim populus Dei nondum factus æqualis Angelis eius, adhuc in ista peregrinatione dicitur templum eius; quanto magis est templum eius in cœlis, vbi est populus Angelorum, quibus aggregandi, & coæquandi sumus, cùm finita peregrinatione, quod promissum est sumpserimus. Cùm igitur qui vbique est, non in omnibus habitet, etiam in quibus habitat, non æqualiter habitat.] † In eodem. Augustinus. [Sicut autem nec ab illo abest in quo non habitat, & totus adest, quamuis eum ille non habeat: ita & illi in quo habitat totus est præsens, quamuis non ex toto eum capiat] In eodem,

(August. Epist. 57. ad Dardanum ante medium. — Rom. 8. 9. d. v. 9. — D — Math. 6. 9. — 1. Cor. 3. 16. — Idem ib. paulo post. — E)

Augustinus. [Cum itaque proficientes, in quibus mortalitas habitat, dum de die in diem renouantur magis magisque iustificet, exaudiat orantes, mundet confitentes, vt exhibeat sibi templum immaculatum in æternum, merito dicitur non habitare in eis, *qui cognoscentes Deum, non sicut Deum glorificauerunt, vel gratias egerunt:* Colendo enim, & seruiendo creaturæ, potius quàm creatori, non vnius veri Dei templum se esse voluerunt. † In eodem. Augustinus. Quamobrem Deus qui vbique præsens est, & vbique totus non omnibus habitat, sed in eis tantum quos efficit beatissimum templum suum, vel beatissima templa sua *eruens eos à potestate tenebrarum, & transferens in Regnum filij charitatis suæ*, quod incipit à regeneratione. † Et infra. Augustinus. Deus igitur vbique præsens est, & vbique totus præsens, nec vbique habitans, sed in templo suo, cui per gratiam benignus est & propitius.] † Non est igitur differentia inter præscientiam, & prædestinationem sumpta vsu locutionis, sed à natura: quia naturaliter aliud est præscire, aliud prædestinare. Sicut aliud est præsentem esse, aliud habitare. Multa quippe præsciuntur, quæ non prædestinantur; sicut multa sunt præsentia, quæ non sunt habitantia, nam sæpe in his locis, & cum his personis adsumus per præsentiam, in quibus & cum quibus nullatenus habitamus; habitare quippe non dicitur, quis nisi in domo: esse verò etiam non in domo: Ita & Deus vbique esse dicitur, per omnipotentiam maiestatis, qui tamen non nisi in templo & in domo sua dicitur esse per gratiam habitationis.

(Idem ib. in medio. — Rom. 1. 21. — Idem ib. in medium. — Col. 1. 13. — Idem ib. propè finem. — F — Prud.)

Ioannes Scotus.

⊖ *Proinde* (inquis) *quemadmodum præsentia, & habitatio Dei non est, nisi in his, quæ ab eo facta sunt, ita eius præscientia & prædestinatio non nisi eorum, quæ ipse facturus esset, credenda sunt. Ac per hoc quemadmodum præsentia eius, & habitatio in his, quæ nec ab eo sunt, nec ea facit, è contrario esse dicuntur, cum in eis non sint: Ita præscientia eius & prædestinatio è contrario pronunciatur in illis, quæ non fecit, nec donauit, quia nihil sunt.* (Cap. 17. num. 3. sect. 3. — G)

Correctio.

† Dei præsentia vbique in sacris eloquiis prædicatur, eius habitatio non nisi in templo ipsius inuenitur. Nusquam enim vbique Deum habitare, sicut vbique esse reperies, nisi in tuis, tuique similium fictionibus: Dicit enim ipse Dominus: *Cœlum & terram ego impleo:* Et Propheta ad eum: *Quo ibo à spiritu tuo, & quo à facie tua fugiam: Si ascendero in cœlum, tu illic es: Si descendero in infernum ades: Si sumsero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris: Etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua; & dixi forsitan tenebræ conculcabunt me, & nox illuminatio in delicijs meis: quia tenebræ non obscurabuntur à te, & nox sicut dies illuminabitur: Sicut tenebræ eius, ita & lumen eius.*] Non ergo à contrario (vt fatue desipis) Deus inesse dicitur vbique, quia non à contrario dicta sunt, quæ præmisimus, vel ab ipso, vel à Prophetis eius: Veraciter namque dicebat idem Propheta: *Dixi iniquis nolite iniquè agere, & delinquentibus nolite exaltare cornu; nolite extollere in altum cornu vestrum, nolite loqui aduersus Deum iniquitatem: quia neque ab oriente, neque ab occidente, neque a desertis montibus,* subauditur patet via fugiendi & additur quare: *quoniam Deus iudex est:*] Itaque cùm crebrò inueniatur Deum potentia maiestatis vbique præsentem, núquam præter domum suam et habitaculum reperitur. Quamobrem sicut falsum est, quod nisus es affirmare de præsentia, & habitatione Dei; ita sine dubio falsum est, quod probare molitus es de præscientia, & prædestinatione: Vnde mirum valde est quod dicis.

(Prud. — Ierem. 23. 24. — Ps. 138. 7. &c. v. 8. 9. 10. 11. 12. — H — Ps. 74. v. 5. 6. 7. 8.)

A

IOANNES SCOTVS.

Cap. 17. num. 6. sect. 3. ⊖ *Non incongruè tamen æstimantur esse in his, quæ vitio creaturæ orta sunt, cum non solùm ipsam creaturam sapienter ordinet, sed etiam vitium eius suas leges excedere non sinat.*

CORRECTIO.

Prud. † Quomodo non incongruè æstimantur esse in his, id est peccatis quæ vitio creaturæ orta sunt, cùm peccata nihil sint? aut quomodo vitio creaturæ orta dicis, cùm superiùs creaturam non peccasse, nec ex creatura peccatum prodiisse, sed ex voluntate, loquaci falsitate prosecutus sis? patet igitur non esse ex veritate quod ais: quia veritas nunquam est sibi ipsi contraria, nunquam se se ipsa impugnat: quod te fecisse, & facere toties deprehendimus, Christo propitio, & ostendere parati sumus. Iam vero similitudo domus amplissimè magnificentissiméque dispositæ cuiuslibet patris multarum familiarum ordinantis in ea, aliter filios suos, aliter seruos, aliter sanos, aliter inopia (vt ais) malarum cupiditatum, quas intemperantia suæ libidinis traxerunt cruciatos, dentibus stridentes, vermibus scatentes, diuersis perennis tristitiæ generibus laborantes, qua conaris astruere, non eum rectè æstimari durissimum punitorem, qui laudatur iustissimus ordinator, nihilominus veritati indicantis non vsquequaque repugnat, neque iustitiæ illius rigorem nullatenus eneruat, si ad intimum cerebrum veritas exsculpatur: quid enim ille vniuersitatis conditor, ordinator, & iudex, in hac vniuersitatis pulchritudine aliud agere rectè dicitur, quàm filios colligere per gratiam, & impios vel deserendo, vel iudicando damnare per iustitiam? Nunquid & ille, quem patrem multarum familiarum per similitudinem adhibueras, non poterat miseris in domo sua constitutis succurrere si vellet, eósque à miseria liberare? Quod quia minimè fecit, quid aliud sensisse intelligendus est, quàm eos dignæ miseriæ addictos, nunquam debere affici dignitate? qui ergo eos à miseria noluit, cùm potuerit liberare, nimirum ipse, eos damnauit, qui à miseria nunquam liberandos iudicauit. Sed quid necesse est nos in his vlterius hærere, cùm Deum vindicem vltorémque malorum omnium, & ratio, & auctoritas ex his quæ præcedétibus actionibus disserta, & pertractata sunt, affatim persuaserit: quia sicut Beatus Augustinus ait quod & tu licet in contrarium posuisti.

Cap. 17. num. 7. sect. 6. Aug. de vera Religione c. 23. Augustinus. [Animæ vitium non natura eius, sed contra naturam eius est, nihilque aliud est, quàm peccatum & pœna peccati, vnde intelligitur nullam naturam, vel si melius ita dicitur nullam substantiam siue essentiam malum esse, neque de peccatis pœnisque eius animæ efficitur, vt vniuersitas vlla deformitate turpetur, quia rationalis substantia, quæ ab omni peccato munda est, Deo subiecta, subiectis sibi cæteris dominatur: Ea verò quæ peccauit, ibi ordinata est, vbi esse tales decet, vt Deo conditore, atque rectore vniuersitatis decora sint omnia, & est pulchritudo vniuersæ creaturæ, per hæc tria inculpabilis; damnatione peccatorum, exercitatione iustorum, perfectione Beatorum.]

Prud. † Vide quid dicat, quod quamuis peccatrices animæ puniantur, earum tamen punitione nullatenus vniuersitas vlla deformitate turpetur: Nullam quippe turpitudinem iustitia ingerit, quæ pulcherrima esse conuincitur. Omnis itaque & ordo, & iustitia Dei pulchra sunt. Ac per hoc vbicunque, & in quibuscuuque sunt, non turpitudinem: sed pulchritudinem ingerunt. Vnde & idem doctor in eodem libro.

August. c. 41. Augustinus. [Defectu, inquit, suo in puchritudines corruptibiles, id est pœnarum ordinem præcipitatur, nec miremur quòd adhuc pulchritudines nomino, nihil enim est ordinatum quod non sit pulchrum, &c. Quid ergo mirum est, si hominis animam, quæ vbicunque sit, & qualiscunque sit, omni corpore est melior, dicam pulchè ordinari, & de pœnis eius alias pulchritudines fieri, cùm ibi non sit, quando misera est, vbi esse beatos decet, sed ibi sit vbi esse miseros decet.]

E

Prud. † Attende quòd animam peccatricem in pœnarum ordinem præcipitari dixerit, & ibi esse, vbi talem esse deceat, proculdubio in loco pœnarum, id est tartaro: noli ergo dicere: *Nulla vniuersitatis parte punitur impius, sed suâ propriâ impietate in seipso, vt prædictæ Sanctorum Patrum sententiæ testantur,*] quia veraciter animaduersæ atque discussæ hoc dicere comprobantur, quod veritas habet, non quod falsitas adhibet. Legetant enim de Domino dictum: *Ignis in conspectu eius exardescet, & inflammabit in circuitu inimicos eius*, Et Ps 49. 3. Deut. 32. 22. rursum dicente ipso: *Ignis succensus est in furore meo: & ardebit vsque ad inferni nouissima, deuorabitque terram cum germine suo, & montium fundamenta comburet: Congregabo super eos mala & sagittas meas complebo in eis:* v. 22. v. 40 41. 42. Item, *Leuabo ad cælum manum meam, & dicam viuo ego in æternum: si acuero, vt fulgur gladium meum, & arripuerit iudicium manus mea, reddam vltionem hostibus meis, & his qui oderunt me retribuam. Inebriabo sagittas meas sanguine, & gladius meus deuorabit carnes.*

F

* al *forte intermitte* Et Aug. de vera Relig. c. 23. * Interea quæso acrimoniam tuæ viuacissimæ disputationis, vt digneris aduertere quid ex verbis tanti patris posueris, ea verò inquientis, quæ peccauit ibi ordinata est, vbi esse tales decet. Duo hîc tibi contraria posuit. Substantiam peccauisse, quod tu negas, & ibi peccantem substantiam ordinatam esse vbi esse tales decet. Nunquam enim quid absque prædestinatione ordinatur, neque absque ordine aliquid prædestinatur: quicquid itaque de prædestinatione dicitur, totum haud aliter quàm de ordinatione verissimè prædicatur: dicente Apostolo, *Quæ autem sunt à Deo ordinata sunt*, Rom. 13. 1. ac si aliis verbis diceret, à Deo destinata, atque disposita sunt, ea dumtaxat discretione seruata, quam supra à verbis Augustini posuimus, vt ordinatio ipsius rei effectus, destinatio verò prior illius in consiliis dispositio habeatur, præordinatio autem nihil aliud, quàm prædestinatio teneatur. Nequaquam igitur prædestinationem impiorum denegas, quos ibi ordinatos, id est positos ac locatos legis, neque vllatenus abnuis vbi esse miseros decet, vbi nullatenus ordinarentur, nisi ordinandi prædestinati fuissent. His omnibus colligitur vanissimam esse disputationem tuam, qua niteris ostendere nullam pœnam impiis irrogari, nisi propriæ impietatis conscientiam. Consequeris.

G

IOANNES SCOTVS.

Cap. 17. num. 8. sect. 7. ⊖ *Vt enim Deus non ideò fecit solem, vt eius radiis ordinatè eum aspicientis oculorum visus refringatur, eosque in tenebris repercutiat, quas profectò non ipse, sed ipsa inordinata visio efficit, neque vt patientem oculorum grauissimam passionem torqueat; cùm illi in sua passione nihil tantum noceat, quantum splendor solaris, dum ipsa passione non extrinsecus naturam rerum contingat, sed intrinsecus aliqua corporalis sanitatis corruptione dolentem torqueat: sic nimirum ignis illè æternus,* qui præparatus est Matth. 25. 41. diabolo, & Angelis eius, *nullo modo ad hoc creatus. Præsertim si quartum mundi elementum sit, probabilius creditur ad vniuersitatis integritatem, quàm Deus faciendam præuidit conditus, quàm ad vrendum apostatam, cui sua superbia suffecerat ad tormentum.*

H

CORRECTIO.

Prud. † Quomodocumque se habeat combustio ignis æterni erga diabolum, & Angelos eius, qui vtique natura spiritus à Deo sunt conditi, quoniam apertis indiciis Scripturæ sacræ id minimè innuunt, eis tamen præparatum, & in eo torquendos, atque cruciandos manifestè declarant, in quem eos præcipitandos sub nomine capitis eorum Dominus ad Iob testatur dicens: *Et videntibus cunctis præcipitabitur:* nec tamen ignoramus Iob 40. 28.

identi

A identidem quondam dixiſſe Origenem & eum pro his cum cæteris ſuarum hæreſeon damnabilibus ſenſis fuiſſe detectum. Veruntamen quod adiungis.

IOANNES SCOTVS.

Cap. 17. num. 9. ſect. 7. ☉ *Huic* (inquiens) *rationi additur, quod cum in æthereo corpore primum à Deo creatus ſit in quo nihil pati potuit, corpus eius æthereum, poſtquam ſuperbia intumuit, à ſupernis ſedibus videlicet æthereis in hunc aërem humiditate craſſum, caligine tenebroſum, perturbationibus paſſibilem detruſus eſt, vt ei inde corpus meritis ſuis condignum ipſe nolente copularetur: ac per hoc in eo iniquitate ſua torqueretur.*

CORRECTIO.

Prud. B † Tam ſunt ad explicandum difficilia, vt vnde probari valeant minimè reperiatur. Nulla quippe Propheticarum, Apoſtolicarúmque literarum pagina corpus vel æthereum, vel aëreum ab auctore creatum refert, ſed tantum ſpiritum ſimpliciter factum, poſt ſuperbiſſimæ impietatis typhum, à cœleſtibus proturbatum, iuxta Beati Petri Apoſtoli ſententiam: *In carcere huius aëris truſum, illo igni in die iudicij cruciandum*: cum omnibus ſuæ contumaciæ complicibus reſeruari. In quo duo præter alia, quam maximè mihi admiranda videtur, videlicet ſi corpus æthereum ei primo factũ eſt, & æther dicitur vel ignis, vel certè ſedes ignis, cur non igneo corpore, magis quàm in aëreo pœnas pati potuerit, cum ſecundùm opinationem tuam ignis ille quartum elementum mundi ſit, nec fuerit neceſſe, vt ad inferiora illo igni cruciandus propelleretur, in quo ipſe conſtitutus, & à quo corpus habens competentiùs ibi torqueri potuerit; quam inde ab ipſo, vel in ipſo cruciandus alio transportari. Et quod aëreum corpus ei copulatum dicis, vt in eo non iam ab igni combureretur, ſed iniquitate ſua torqueretur. (1. Petr. 3. 19.) C Si enim cum æthereo corpore peccauit, quando contra auctorem tumuit, quid cauſæ fuit, vt eo ſublato ei aliud adderetur, in quo torqueri poſſet? Cum rationi atque iuſtitiæ illud potius congruere videatur, vt in quo peccauerat, in ipſo cruciaretur, & non aliud ei ad tormentum copularetur, quod nequaquam eius iniquitatis particeps fuerat? expers itaque eius impietatis corpus quâ iuſtitia ei ad puniendum additum fuerit non video; cum ſicut dicis iam haberet ex ipſa ſui conditione cum quo, & in quo ſuperbiſſe credatur, quæ res quoniam abſtruſiſſima & ſcrupuloſiſſima, atque ad abſoluendum difficillima mihi videtur. Ad cętera in nomine, & adiutorio Domini transeamus, nec prætereundum quod corpus hominis de terra factum animam diuinitus inſpiratam legamus: Angelos verò ſiue cœli prioris, ſiue lucis primariæ vocabulo Scripturæ Geneſeos fide debemus accipere, ſeu quocunque alio modo vel melius vel apertius eorum conditio doceri poſſit, ab vniuerſitatis conditione in cœlis ſuperioribus factos omnibus patrum ſenſis in hoc concinentibus certiſsimum tenemus. D Non in æthere vt ſomnias, ſed in cœlis, id eſt ſupra hoc viſibile firmamentum ſyderibus adornatum conſtitutos, & auctoris laudibus iugiter inſiſtentes, eiúſque iuſsis irrefragabili obedientia obſequentes, qui cum ſemper ſint ſpiritus, quando tamen hominibus vt appareant mittuntur corpora vel ex æthere, vel ex hoc pinguiori aëre quibuſcum loqui, & conueſci queant terrigenis aſſumere nullatenus dubitantur. Hinc Auguſtinus in libro de Ciuitate Dei 8.

Aug. de ciuit. Dei lib. 8. cap. 22. Auguſtinus. [Quia igitur nihil iſtorum quatuor eligendum eſt; ne in quolibet eorum de Diis tam male ſentiatur: reſtat vt nullo modo credendum ſit; quod Apuleïus perſuadere nititur, & quicunque alij ſunt eiuſdem ſententiæ Philoſophis: Ita eſſe medios Dæmones inter Deos & homines tanquam internuncios & interpretes; qui hinc ferant petitiones noſtras, inde referant Deorum ſuppetias: ſed eſſe Spiritus nocendi cupidiſsimos, à iuſtitia penitus alienos, ſuperbia tumidos; inuidentia liuidos, fallacia callidos, qui in hoc quidem aëre habitant, quia de cœli ſuperioris ſublimitate deiecti, merito irregreſsibilis tranſgreſsionis in hoc ſibi congruo velut carcere prædamnati ſunt. E † Philippos in expoſitione beati Iob. Philippus. Non immerito autem hoc loco de his beatus Iob ait. (Philipp. in Iob c. 24. ſub medium.) *Sicut in die condixerunt ſibi*, quando perſuadente adhuc Archangelo reliquis, de quibus dicitur: *Traxit ſecum tertiam partem ſtellarum contra Deum, in cælis facta eſt conſpiratio rebellionis.* (Iob. 24. 16. Apoc. 12. 4.) Conlocutionem ego æſtimo mobilem quandam voluntatem fuiſſe conſenſuum potius, quam ſonora colloquia: quoniam ſpiritus ſunt & non corpora membris compoſita. Vnde fieri poteſt, vt ſimiles motus per ſubtilitatem naturæ ſuæ in ſe perſpexerint, & hoc dictum ſit colloquium. Non enim quicquam affectuum ſuorum ab inuicem latere ſpiritus poſſunt: ſimplices enim creaturæ nullum habentes quaſi obſtaculum corpulentum perſpicuæ ſibi ſunt: vnde arbitror quod lingua illa, quæ eſt eis ſecundum conditionis ſuæ modum longè diſsimilis, atque inſuſpicabili diſtinctione ſine ſono vocis, quæ ſit verberato aëre, quod volunt illico enuntient, nec ſit neceſſe eis humano more breuiſſimi ſaltem temporis ſpatio loquelam à cogitatione diſcernere. F † Attamen quod ſequetis non minus vel mirabile, vel fatuum iudicatur.

IOANNES SCOTVS.

Cap. 17. num. 10. ſect. 8. ☉ *Siue* (inquiens) *itaque ignis ille corporeus* (*vt ait Auguſtinus*) *ſiue incorporeus, vt Gregorio placet, pro ſui* (*vt opinor*) *ſubtilitate, propterea prædeſtinatus, vel præparatus dicitur diabolo, quoniam in eo fuerat ordinandus cum omnibus malitiæ conſortibus puniendus: & quemadmodum idem ignis bonus profectò, quoniam à bono factus non alium ob cauſam malum dicatur, niſi quod in eo mali ordinatiſſime diſponantur: ita etiam pœna non incongruè aſſeritur: quoniam idem mali in eodem criminibus ſuis libidinoſe commiſſis laborioſe miſerabiliterque cruciantur. Non ergo ille ignis eſt pœna, neque ad eam præparatus vel prædeſtinatus; ſed qui fuerat prædeſtinatus; vt & in vniuerſitate omnium bonorum, ſedes factus eſt impiorum.* G

CORRECTIO.

Prud. † Primo hæc tua ſententia in eo falſitatis arguitur; quod ignem illum ab Auguſtino corporeum, à Gregorio incorporeum dici mentitur: nam vterque eum abſque contradictione corporeum confitetur, & quia ſuper Auguſtino tu ipſe faſſus es, ipſius ſententiam ponere non neceſſarium iudicauimus: ſuper æſtimatione autem Gregorij, ne cui in dubium veniat, tametſi paulo ſuperius ſententiam illius de eodem igne ex libris moralibus poſuerimus, qua eum corporeum fatetur, non ab re tamen videtur, ſi aliam eius ſententiam ex alio ipſius opere ad medium deducamus; H Nam ſicut lib. illius qui dialogorum prænotatur refert, Petrus Diaconus eum de memorato igni inter alia ſciſcitans. Ita adorſus eſt Petrus: Et qua ratione credendum eſt, quia rem incorpoream tenere ignis corporeus poſſit? Gregorius. Si viuentis hominis incorporeus ſpiritus tenetur in corpore; Cur non poſt mortem, cum incorporeus ſit ſpiritus, etiam corporeo igne teneatur? (Gregor. dialog. lib. 4. cap 29.) Petrus. In viuente quolibet idcirco incorporeus ſpiritus tenetur in corpore, quia viuificat corpus. Gregorius. Si incorporeus ſpiritus (Petre) in hoc teneri poteſt, quod viuificat, quare non pœnaliter, & ibi teneatur, vbi mortificatur. Teneri autem per ignem ſpiritum dicimus, vt in tormento * igneſcat videndo atque ſentiendo. Ignem namque eo ipſo patitur quod videt, & quia cremari ſe aſpicit, crematur: ſicque fit, vt res corporea incorpoream exurat, dum ex igni viſibili ardor, ac dolor inuiſibilis trahitur: Vt per ignem corporeum mens incorporea etiã * corporea flamma crucietur. Quamvis colligere dictis Euangelicis poſſumus quis incendiũ anima

*al. ignis. videndo atque ſentiendo puniatur.
* al. incorporea.

A non solùm videndo, sed etiam experiendo patiatur. Veritatis etenim voce diues mortuus in inferno dicitur sepultus, cuius anima, quia in igne teneatur, insinuat * vox diuitis, qui Abraham deprecatur dicens: *Mitte Lazarum, vt intinguat extremum digiti sui in aquam, & refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma:* Deum ergo peccatorem diuitem damnatum veritas in ignem perhibet, quis sapiens reproborum animas teneri in ignibus neget? Petrus. Ecce ratione ac testimonio ad crudelitatem flectitur animus: sed dimissus iterum ad rigorem redit. Quomodo enim * res incorporea à re corporea teneri atque affligi possit, ignoro. Gregorius. Dic, quæso te, Apostatas spiritus à cœlesti gloria * deductos esse corporeos? an incorporeos suspicatis Petrus. Quis sanum sapiens esse spiritus corporeos dixerit? Gregorius. Gehennæ ignem esse incorporeum, an corporeum fateris? Petrus, Ignem gehennæ corporeum esse non ambigo, in quo certum est corpora cruciari. Gregorius. Certè reprobis veritas in fine B dictura est: *Ite in ignem æternum qui paratus est diabolo, & Angelis eius:* Si igitur diabolus, eiúsque Angeli eùm sint incorporei, corporeo sunt igne cruciandi: quid mirum si animæ & antequam recipiant corpora, possunt corporea sentire tormenta. Petrus. Patet ratio nec debet animus de hac vlteriùs quæstione dubitare.]

al. voce. Luc 16. 24.

al. res corporea rem incorpoream teneat atque affligere.

al deiectos. Matth. 25.41.

Prud. † Ecce dum ignis illius corporei testimonia certa proponimus, ad omnia penè quæ in præfata tua sententia posueras, responsio verax reddita comprobatur: nam auctoritate tanti doctoris non solùm ignis ille corporeus asseueratur, verùm etiam & animas hominum, & Apostatas spiritus in eo sensibiliter cruciari probabiliter docetur, nec minus nobis illud clarissimè illuxit, vnde nostra infirmitas aliquatenùs hæsitabat, scilicet de corporibus spirituum immundorum. Iste quippè doctor sanctissimus, & eruditissimus non corpora eis addita, non eos in corporibus quibuslibet, sed in ipsis quibus constant incorporeis spiritibus pati tormenta denuntiat. Non C ergò propter ea prædestinatus, vel præparatus dicitur diabolo: quoniam tantummodò in eo fuerat ordinandus; sed quia in eo vel videndo, vel experiendo, vel vtroque modo fuerat cruciandus. Nec ideò malus dictus est, quòd in eo mali ordinatissimè disponantur? Sed quia omnis pœna mala à patientibus æstimatur, qui ideo etiam pœna torquendorum congruentissimè nuncupatur. Quoniam in eo mali, non solùm anima, sed etiam corpore sensibiliter torquebuntur: Est igitur ille ignis pœna ad hoc præparatus, factus, & prædestinatus, vt in eo non conscientia tantùm, verùm etiam sensu & experiéntia comburantur omnes iniqui; Nec vt sedes sit impiorum, sed vt pœna, cruciatus, tormentum, combustióque sit reproborum. Cuius rei copiosiora documenta in 16. actione congessimus: deinde non minori, immò inaudita hactenus insania de eodem igni subnectis.

Ioannes Scotvs.

D ⊖ *In quo* (inquiens) *procul dubio non minus habitabunt beati quam miseri; sed sicut vna eadémque lux sanis (vt diximus) oculis conuenit, impedit dolentibus: Vnus idémque cibus: vel potus sancibus languentium amarus, sanitate fruentium dulcis; illis quippè sua salutis placet integra lætitia. Istis sua corruptionis displicet pœnalis tristitia, vna eadémque aqua natantem eleuat, eadem tem suffocat. Duorum in aula reguli vno eodémque loco positorum, vnus febricitat: alter gaudet: Gaudenti omnia totius aulæ ornamenta delectabiliter placent, laudabiliter apparent, honorabiliter concordant; febricitanti verò intra se ipsum doloribúsque suis ardenti, omnium, quæ extrinsecùs videt, nihil esse delectat, nihil laudabile, quia omnia vituperat; nihil consentiens, quia omnium abhorret, meritò, quid enim bonorum illi non noceret, quando ei auctor omnium bonorum placere non poterat, aut vbi nullum bonum non nocebit, cui summo bono frui non placuit?*

Cap. 17. num. 11. sect. 8.

Correctio.

E † O insaniam inauditam! ô vecordiam detestandam! O hebetudinem exhorrendam! O subtilitatem omni obtusione duriorem! O virulentiam omni abominatione extricandam! Quid est (ô mortalium superbissime) quod ausus es tanta impudentia declamare? Ignem, quem veritas diabolo, & Angelis eius dicit ab initio præparatum, non minus miseris, quam beatis habitationem attribuis? certe in iudicio iudex omnium dicturum se reprobis protestatur. *Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & Angelis eius:* Iustis autem: *Venite benedicti patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi.* Istis regnum paratum dicit, non ignem, gloriam, non pœnam. Illis autem ignem æternum, qui paratus sit diabolo, & Angelis eius pœnam, non gloriam. Vnde & illic dicitur. *Et ibunt* F *hi in supplicium æternum, iusti* autem *in vitam æternam.* Quid est hoc ô miserrime omnium terreno puluere compactorum? veritas sicut merita, ita & loca partis vtriusque discernit; & tu vnum eundemque ignem iustis, & iniustis habitationem dogmatizas? nempe aperitur quid velis, quod quamuis non aperte posueris, elucet tamen quid mente conceperis, vel quid dictis talibus etsi peruersè suadere volueris. Memini siquidem me olim, quod etiam passim iam rumor aspersit, te ipso narrante audisse, quod vltra hoc visibile cœlum, quod firmamentum Scriptura nuncupat, quodque Apostolus velamen tabernaculi, quod erat oppansum ante oraculum interpretatur, nihil esse, & infra terram nihilominus nihil esse: Sed in hac quasi domo cœli & terræ ambitus contineri omnia, esséque quem infernum dicimus à terra vsque ad lunam, & deinde paradisum vel regnum sanctorum vsque ad firmamentum, ibique tam Angelos sanctos, quam Sanctorum animas, & ipsum Dominum nostrum Iesvm Christvm G corpore cómorari: Cum consulta veritas atque auctoritas Catholicæ fidei aliud prædicet: Neque quisquam Ecclesiasticorum tantæ vesaniæ assertor, aut consentaneus vspiã inueniatur, vel inueniri posse credatur, quin potius ex ea, cui totis viribus inniteris lectione damnabili hausisse & vomuisse virus lætiferum comprobaris.

Prud. Fonte execrandam.

Matt. 25. 41. 34.

v. 45.

Heb. 6. 19.

Nam ille tuus capella exceptis aliis, vel maxime te in hunc labyrinthum induxisse creditur, cuius meditationi magis quam veritati Euangelicæ animum appulisti; Quin etiam cum legeres Beati Augustini libros, quos de ciuitate Dei aduersus paganorum fallacissimas, falsissimásque opiniones mirabili affluentia digessit, inuenisti eum posuisse ac destruxisse quædam ex libris Varronis, quibus, quoniam capellæ tuo consona videbantur, potius assentiri, quam veridici Augustini allegationibus, fidem adhibere delegisti. Ponit enim ita ex verbis illius. Augustinus. [Dicit ergo idem Varro adhuc de naturali Theologia præloquens Deum se arbitrari esse animam mundi, quem Græci vocant cosmon, & hunc ipsum mundum esse Deum, sed sicut hominem H sapientem, cum sit ex corpore & animo, tamen ab animo dici sapientem, Ita mundum Deum dici ab animo cum sit ex animo & corpore. Hic videtur quodammodo vnum confiteri Deum. Sed vt plures etiam introducat, adiungit mundum diuidi in duas partes: Cœlum & terram, & cœlum bifariam in æthera & aëra, terram vero in aquam & humum, è quibus summum esse æthera; secundum aëra; tertiam aquam, Infimam terram, quas omnes partes quatuor animarum esse plenas in æthere & aëre immortalium, in aqua & terra mortalium. Ab summo autem circuitu cœli ad circulum Lunæ; æthereas animas esse astra, ac stellas eósque cœlestes Deos non modo intelligi esse, sed etiam videri; inter Lunæ vero gyrum, & nimborum ac ventorum cacumina aëreas esse animas, sed eas animo, non oculis videri. Et vocari heroas, & lares, & genios.] † Quod quam sit veritati aduersum auctoritate tam diuinorum eloquiorum, quam patrum venerabilium largiente Domino

Aug. de ciuit Dei lib. 7. c. 6.

Prud.

A mino pro captu & viribus exequamur. Primoque aduertendum, vbi Dominus & Saluator noster corpore quod absque peccato sumpsit, & egit ex virgine incorrupta, degat: nam eo congregari Sanctos omnes testatur ipse in Euangelio dicens. *Illa nocte erunt duo in lecto vno vnus assumetur, & alter relinquetur, duo in agro, vnus assumetur, & alter relinquetur, respondentes dicunt illi: Vbi Domine? qui dixit illis: vbicumque fuerit corpus illuc congregabuntur & aquilæ.* Quod absque dubio super cœlum sydereum omnes Catholici, & orthodoxi Doctores intelligunt. Quo etiam beatum Paulum raptum sanctus Ambrosius intelligit dicens. Ambrosius. [Quia vltra omnia mundi sydera raptus intelligitur, & ideò magnificum & mirabile est quod narrat. Significat enim supra firmamentum in tertium numero cœlum de spiritalibus cœlis raptum semetipsum.

Luc.17. 34.37.
Ambros. 10. ad Cor. cap. 12.2. 2 Cor. 12.2.

Prud. Eph.1. B 17 &c. v.18 19. 20,21.

† Quod nobis Apostolus aperit, qui ad Ephesios loquitur: *Vt Deus Domini nostri Iesu Christi Pater claritatis det vobis spiritum sapiētia & reuelationis in agnitione: Illuminatos habere oculos cordis vestri ad hoc, vt sciatis, quæ est spes vocationis eius, quæ diuitiæ hæreditatis gloriæ eius in Sanctis, Et quam excelsa magnitudo eius in vos, qui credistis secundum operationem potentiæ fortitudinis eius, quam operatus est in Christo suscitans illum à mortuis, & & collocauit ad dexteram sibi in cœlestibus, super omnem Principatum, & Potestatem, & Virtutem, & Dominationem, & omne nomen, quod nominatur non solum in hoc sæculo, sed in futuro.*] Quam Apostoli sententiam sanctus Ambrosius ita explanat. Ambrosius. Exemplum salutis credentium, & gloriæ in resurrectione Saluatoris consistere profitetur, vt ex ea cognoscant fideles quid eis promissum est. Simili enim modo extollentur supra cœlos futuri cum Christo, sicut ipse dicit. *Pater volo vt vbi ego fuero, & hi mecum sint, & videant gloriam meam*; hoc propter Incarnationem Filij Dei: vt etiam homo factus super omnes cœlos esse dicatur, & super cunctam creaturam sedens ad dexteram Dei, habens nomen Dei per naturam, non per adoptionem, vt cognoscant esse illum Filium Dei, qui illum crucifixerunt, Honor enim quem illi dedit Pater per generationem, tunc manifestatus est cum natus homo passus est, & victa morte resurrexit, ascendens vnde descenderat super omnes cœlos.]

Ambros. ad Eph. c.1.19.
Phil.2.5. Ioan.17 24.
C Apoc.3. 21.

Prud. Eph 4.

† Item idem Apostolus in eadem Epistola, *Qui descendit ipse est, qui ascendit super omnes cœlos, vt impleret omnia:* quod beatus Papa Gregorius simili fide prædicans etiam intra Missarum solemnia die Pentecostes in Dei laudes deuotissimus persulians & cecinit, & canendum vsque in finem sæculi dereliquit. Qui cum dignum & iustum, & æquum, & salutare diceret nos Deo Patri gratias agere per Christum Dominum nostrum, subiunxit. Gregorius. [Qui ascendens super omnes cœlos, sedensque ad dexteram tuam promissum spiritum Sanctum hodierna die in filios adoptionis effudit.

Gregor. in l. Sacram die Pentecostes.
Id. Hom. 29.
4. Reg. 2. 11.
D

† Idem in Homilia de Ascensione Domini. Gregorius. In veteri, inquit, testamento cognouimus, quod *Helias sit raptus in cœlum*, sed aliud est cœlum aëreum, aliud æthereum. Cœlum quippè aëreum terræ est proximum, vnde & aues cœli dicimus, quia eas volitare in aëre videmus. In cœlum itaque aëreum Helias subleuatus est, vt in secretam quandam terræ regionem repentè duceretur, vbi in magna iam carnis & Spiritus quiete viueret, quovsque ad finem mundi redeat, & mortis debitum soluat. Ille enim mortem distulit, non euasit, &c. Redemptor autem noster non curru, non Angelis subleuatus legitur, quia is qui fecerat omnia, nimirum super omnia sua virtute ferebatur.]

Id. ibid.

† Et infrà. Gregorius. [Vt veniret postmodum qui nec translatus, nec subuectus cœlum æthereum sua virtute penetraret.]

Beda.

† Beda in Homilia de eadem festiuitate naturæ humanæ à Domino sumptæ gloriam fideliter enuntians ait. Beda. [Hanc super pennas ventorum euexit, cum assumptam de terris non solum super vniuersa aëris huius spatia, sed etiam super omnem ætheris altitudinem sustolIdem.

lens in Maiestatis Paternæ dextera collocauit, † Et infra. Beda. Nam & septimus ab Adam *Enoch* translatus de mundo; & *Helias* in cœlum subleuatus aëreum ascensuro super omnes cælos Domino testimonium præbuerunt. † His veracibus fidelibusque testimoniis præmuniti, nullius ambiguitatis obstaculo præpedimur, quin humanam substantiam à Dei Filio sumptam super omnes creaturas eleuatam regnantem, & consistentem credamus, & fideliter conlaudemus, quo etiam secundum promissionem suam, & nunc (id est) ante diem Iudicij Sanctorum animas, & post eorumdem corpora subleuanda, & glorificanda atque iuxta Apostol. eidem conregnatura, & consessura minimè dubitamus. Vnde & beatus Gregorius in 4. Dialogorum libro eloquitur, cum eum Petrus interrogaret. Petrus. [Placet quod dicis, sed nosse † velim si nunc ante resurrectionem corporum in cœlo recipi valeant animæ Iustorum. Gregorius. Hoc neque de omnibus Iustis fateri possumus, neque de omnibus negare, nam sunt quorundam Iustorum animæ, quæ à cælesti regno quibusdam adhuc mansionibus differuntur in quo dilationis damno quid aliud innuitur, nisi quod de perfecta iustitia aliquid minus habuerunt? & tamen luce clarius constat, quia perfectorum Iustorum animæ, mox vt huius carnis claustra exeunt, in † cælestibus sedibus recipiuntur, quod & ipsa veritas attestatur dicens: *Vbicumque fuerit corpus illuc congregabuntur Aquilæ:* quia vbi ipse Redemptor noster est corpore, illuc proculdubio colliguntur & animæ Iustorum. Et Paulus, † *Dissolui desiderat & cum Christo esse.* Qui ergo Christum esse in cœlo non dubitat, nec Pauli animam esse in cœlo negat, qui etiam de † solutione sui corporis, atque inhabitatione patriæ cœlestis dicit. *Scimus quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur, quod ædificationem habemus à Deo domum non manufactam, sed æternam in cœlis.* Petrus. Si igitur nunc in cœlo sunt animæ Iustorum, quid est quod in die Iudicij pro Iustitiæ suæ retributione recipient. Gregorius. Hoc eis nimirum crescit in Iudicio, quod nunc animarum sola, postmodum verò etiam corporum beatitudine perfruentur. Vt in ipsa quoque carne gaudeat, in qua dolores pro Domino cruciatusque pertulerunt: pro hac quippè geminata eorum gloria scriptum est: *In terra sua duplicia possidebunt:* hinc etiam ante resurrectionis diem de Sanctorum animabus scriptum est: *Data sunt illis singulæ stolæ albæ.* Et dictum est illis, *Vt requiescerent tempus adhuc modicum, donec impleatur numerus conseruorum & fratrum eorum.* Qui itaque nunc singulas acceperunt, binas in Iudicio stolas habituri sunt, quia modo animarum tantum, tunc animarum simul & corporum gloria lætabuntur.]

E Hebr.11. 5.
Prud.
† al. vellem.
Gregor. Dialog. l.4.c.25.
F
† al. cœlestis regni.
Luc.17. 37.
† al. cupio dissolui &c.
Phil 1. 23.
† al. dissolutione.
2 Cor. 5 1.
G
Isa.61.7: Apoc.6. 11.

Prud.

† Et quia tribuente Domino de loco & gloria Sanctorum eius, quantum suscepto operi competens duximus satis fidelibus egimus. Nunc de loco & ignominia reproborum ipso fauente videamus, quæ sub terris esse auctoritate veridica perdocentur, de qua re its beatum Gregorium percontatus est Petrus: Petrus. inquisitioni meæ aiens sufficienter iam video satisfactum, sed hoc est adhuc quod quæstione animum pulsat, quia cum superius dictum sit esse iam sanctorum animas in cœlo, restat proculdubio, vt iniquorum quoque animæ esse non nisi in inferno credantur; & quid; de hac re habeat veritas ignoro: Nam humana æstimatio non habet peccatorum animas ante iudicium posse cruciari. Gregorius. Si esse sanctorum animas in cœlo sacri eloquij satisfactione credidisti, oportet, vt per omnia esse credas, & iniquorum animas in inferno, quia ex retributione æternæ iustitiæ, ex qua iam iusti gloriantur, necesse est per omnia vt & iniusti crucientur. Nam sicut electos beatitudo lætificat: Ita credi necesse est, quod à die exitus sui ignis reprobos exurat. Petrus, sed quæso quia superior sermo de locis pœnalibus inferni versabatur, vbi nā esse infernum putemus super hanc terram, an † subter terris esse credendus est? Gregorius. Hac de re temere definite nihil audeo. Nonnulli namque in quadam terrarum parte infernum esse putauerunt. Alij verò hunc sub terra esse

Gregor. Dialog. H l.4.c.42.
Id. c.42.
† al. sub hac terra.

æstimant, sed tamen hoc animum pulsat, quia si idcirco infernum dicimus quia inferius iacet, quod terra † ad cœlum est, hoc esse infernus debet † ad terram: Vnde † & puto per Psalmistam dictum, *liberasti animam meam ex inferno inferiori:* Vt infernus superior in terra, inferior sub terra esse videatur, & Ioannis vox in ea æstimatione concordat: qui cum signatum librum septem sigillis vidisse se diceret, *quia nemo inuentus est dignus, neque in cælo, neque in terra, neque subtus terram aperire librum & soluere signacula eius*, adiunxit: *Et ego flebam multum* Quem multum tamen postmodum librum per Leonem de Tribu Iuda dicit aperiri. In quo videlicet libro quid aliud, quam sacra Scriptura signatur? quam solus Redemptor noster aperuit, quia qui homo factus est moriendo, resurgendo, ascendendo cuncta mysteria, quæ in ea fuerant clausa patefecit; *Et nullus in cælo*, quis neque Angelus, *nullus in terra*, quia neque homo viuens in corpore, *& nullus subtus terram dignus inuentus est*, quia neque animæ corpore cautæ aperire nobis præter Dominum sacri eloquij secreta potuerunt: Cum ergo ad † soluendum librum nullus sub terra inuentus dignus dicitur Quid obstet non video, vt sub terra esse infernus credatur.

† Idem in Homilia Euangelij. Gregorius. Boni enim soli, nusquam sunt nisi in cœlo, & mali soli nusquam sunt nisi in inferno, hæc autem vita quæ inter cœlum, & infernum sita est sicut in medio subsistit, ita vtrarumque partium ciues communiter recipit, quos tamen sancta Ecclesia, & nunc indiscretè suscipit, & postmodum in egressione discernit. † Idem in Moralibus lib. 13.

Gregorius. Cum constet, quod apud inferos iusti non in locis pœnalibus, sed in superiori quietis sinu tenerentur, magna nobis oboritur quæstio quidnam sit, quod Beatus Iob asserit dicens. *In profundissimum infernum descendent omnia mea:* qui etsi ante aduentum mediatoris Dei, & hominum infernum descensurus erat, liquet tamen quia in profundissimum infernum descensurus non erat. An ipsa superiora loca inferi profundissimum infernum vocat, quia videlicet quantum ad sublimitatem cœli, iam huius aëris spatium non immerito dici infernus potest? Vnde cum apostatæ Angeli à cœlestibus sedibus in hoc caliginoso aëre sunt demersi Petrus Apostolus dicit: *Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit in iudicio cruciandos reseruari.* Si itaque ad celsitudinem cœli iet iste caliginosus infernus est, quantum ad eiusdem ëris altitudinem terra, quæ inferius iacet, & infernus ntelligi & profundior potest: quantum verò ad eiusdem erræ altitudinem, & illa loca inferi quæ superiora sunt lliis receptaculis, inferni hoc loco non incongrue prondissimi appellatione signantur, quia quod est ad cœum terra ad aërem, hoc ille est superior infernorum sius ad terram.

† Idem in 12. Gregorius. Nec tamen ita iustorum nimas ad infernum dicimus descendisse, vt in locis pœnalibus tenerentur, sed esse superiora inferni loca, esse alia nferiora credenda sunt; vt & in superioribus iusti requiescerent, & in inferioribus iniusti cruciarentur: Vnde & Psalmista propter præuenientem se Dei gratiam dicit: *Eripuisti animam meam, ex inferno inferiori.*] † Hieronymus in expositione Isaiæ Proph. lib. 5.

Hieronymus. [*Tu autem proiectus es de sepulchro tuo quasi stirps inutilis, pollutus & obuolutus, cum his qui interfecti sunt gladio, & descenderunt vsque ad fundamenta laci.* Et est sensus: sepultis omnibus qui à te interfecti unt, tu solus insepultus iacebis; alij vero locum istum e interpretantur: omnes animæ apud inferos aliquam equiem accipiunt, tu solus in extremas tenebras religaeris, omnium enim operieris sanguine, & vniuersorum tuor te perimet, simulque discimus, quod infernus sub erra sit, dicente Scriptura *vsque ad fundamenta laci*,] Idem in lib. 3.

Hieronimus. [Vis, inquit, vt scindatur terra, & grandi hiatu inferi pateant, qui in corde terræ esse dicuntur.

† Idem in Epistola ad Ephesios.] Hieronymus. [Inferiora autem terræ infernus accipitur, ad quem Dominus noster Saluatorque descendit, vt sanctorum animas, quæ ibi tenebantur inclusæ, secum ad cœlos victor adduceret: Vnde & *post resurrectionem eius plurima corpora iustorum in sancta ciuitate visa sunt:* Quod autem infernus in inferiori parte terræ sit & Psalmista testatur dicens: *Aperta est terra, & deglutiuit Dathan, & operuit super congregationem Abyron.* Idipsum in Numerorum libro plenius explicatur: alio quoque loco legimus *veniat mors super eos, & descendant in infernum viuentes.*] † Philippus in expositione beati Iob.

E
Idem in Epist. ad Eph. c. 4. 9.
Matth. 27. 52.
Psal. 105. 17.
Num. 16. 31. &c.

Philippus. [Quod autem ait: *Sub aquis Gygantes gemere*, ita inquit velut si dixisset sub terra, id est in inferioribus terræ, vbi inferi esse perhibentur: vnde & ipsi inferi nuncupantur. Aquæ ergo eius naturæ sunt, vt sine terra esse non possint: sicut ergo inferi in profundo terrarum sunt, ita terræ in profundo aquarum.

Phil. in Iob, cap. 36. in principio.
Ps. 54. 16.

† Idem in eodem Philippus. Ore autem angusto inferi ideò appellantur, eo quod amplum sit ad recipiendum, angustum ad dimittendum, quoniam mortuos intra se teneant, & eos ad vitam non patiantur exire. Dauid quoque sanctus similiter ait ad Dominum, *Libera me ex audientibus me, & de profundis aquarum, non me demergat tempestas aquæ, neque absorbeat me profundum, neque contineat super me puteus os suum.* Proinde nouerimus quia loca infernalium ergastulorum secundum fidem Scripturarum inter immensas abyssi aquas sint constituta.

F
Id. in eodẽ c. 36.
Ps. 68. 15. 16.

† Idem in eodem Philippus. Quod autem infernus in imo terrarum sit Ionas Propheta, qui specialiter figuram habuit saluatoris in oratione sua, quam in ventre piscis fudit ad Deum manifestè demonstrat quemque infernum abyssi aquæ circumuallant, & multis aliis locis Scripturæ de qualitate inferorum loquuntur. † Cassiodorus in Psal. 85.

Idem in Iob. c. 3. Ionæ. 2. 3. &c.

Cassiodorus. [Sed consideremus, quia cum dicat *infernum inferius*, infernum demonstrat esse superius, Argumenta talia in topicis dicuntur coniugata, quæ orta ab vno nomine variè commutantur: vt hic positum est *infernum inferius:* Infernum vero non irrationabiliter forsitan arbitramur esse sub terris, cum in veteri testamento de Dathan & Abyron legitur: *Aperuit se terra, & deglutiuit eos, & viui descenderunt ad inferos:* Sed quo itinere illuc animæ transferantur, quoniam in auctoritate diuina non legitur, habemus incertum: infernum autem habere inferiorem partem Euangelij locus ille testatur qui dicit, cum impium diuitem vltria flamma torqueret leuasse oculos suos, & in sinu Abrahæ vidisse Lazar. vnde apparet vtrosq; apud inferos fuisse, vt se videre valuissent, & illum ea inferiori loco ad superiora oculos eleuasse: sed licet vtrique apud inferos esse viderentur, pro meritorum tamen discretione superiorem locum sanctis, inferiorem peccatoribus doctor Augustinus æstimat esse deputandum: vnde nunc gratias agens fidelis populus dicit: *animam suam ab inferno inferiori*, id est pœnali *esse liberatam.*]

Cassiod. in Ps. 85.
G
v. 13.
Luc. 16. 23.

† Verum ne tot patribus testimonio vnius id est Augustini præscribendum putes, qui multo aliter de inferis in 12. libro de Genesi ad litteram disputauit audi quid etiam ipse dum eundem retractaret deprompserit. Augustinus. [In duodecim inquiens de inferis magis mihi videor docere debuisse, quod sub terris sint, quam rationem reddere; Cur sub terris esse credantur siue dicantur.]

H
August. retr. l. 2. cap. 24.

† His tantorum patrum veracibus disputationibus omnes tuæ argutiæ, omnesque fallaciæ inconuenientesque similitudines contritæ pessumque datæ sunt vt prorsus nihil esse iudicentur, quibus etiam coniungitur quod in conclusione subnectis.

Prud.

Ioannes Scotus.

⊕ *Proinde (inquiens) si nulla beatitudo est, Nisi vita æterna, vita autem æterna est veritatis cognitio: Nulla igitur beatitudo est nisi veritatis cognitio. Sed ne ista collectio*

Cap. 57. num. 12. tex. 9.

nullo

A *Ioan. 14. 21.* *Ioan. 17. 3.*

nullo modo in mentibus nostris mitet, audiamus ipsam illam veritatē aperte clamantem, qui diligit me diligetur à patre meo, & ego diligam eum, & manifestabo me ipsum illi. *Item alibi*. Hæc est autem vita æterna, vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti IESVM CHRISTVM: *Quicquid autem de beatitud ne creditur, de eius defectu, idest miseria, necesse est e contrario credatur: Ita si nulla miseria est, nisi mors æterna, æterna autem mors veritatis ignorantia: Nulla igitur miseria est, nisi veritatis ignorantia. Vbi itaque ignoratur veritas, ibi nulla vita: vbi autem nulla vita, ibi necesse est continuam mortem adesse, Quæ si ita sint, quis audeat dicere Deum esse prædestinatorem pœnæ, nisi qui audet eum afferere auctorem ignorantiæ, dum ab eo sit omnis intelligentia? Vnumquemque igitur sua punit contumacia, quæ nullo modo à Deo est, ac per hoc eius auctor nullo modo credendus est.*

Prud. *B*

† Nisi excæcasset te iniquitas tua, nullomodo tam tibi ipsi contraria protulisses; in 16. quippè periocha dixisti habere miseros fœlicitatis notionem atque scientiam, *Veritas est* (inquiens) *fœlicitas*.] Nullus ergo extra naturam suam fœlicitatis & notionem & scientiam habiturus sit. In miserorum itaque natura erit veritas, erit igitur fœlicitas. Ast quomodo illa natura misera erit, cui fœlicitas inerit, quæ est veritas, & ad vltimum conclusisti: *Nulla dehinc natura punietur: non punita non erit misera.*] Nunc vero dicis. Si nulla miseria est nisi mors æterna, æterna autem mors est veritatis ignorantia: Nulla igitur miseria est, nisi veritatis ignorantia. Vbi itaque ignoratur veritas, ibi nulla vita, vbi autem nulla vita, ibi necesse est continuam mortem adesse.] Quid est hoc? nunc das miseris veritatis scientiam, aufers miseriam: Nunc tribuis ignorantiam veritatis, mortem, atque miseriam: si enim verum est eos habere veritatis scientiam, falsum est eosdem habere veritatis ignorantiam: Rursum si verum est eos habere veritatis ignorantiam, falsum est eis inesse veritatis scientiam. Item falsum est quod dicis *nullam esse miseriam nisi mortem æternam.*] Multis enim & peccatores, & iusti in hac vita miseriis, & calamitatibus noxiantur, à quibus Dei gratia aliquoties eruuntur, aliquoties eiusdem iustitia non liberantur. Nam si beatitudo dicitur adsequi nulloque carere, quicquid rationabiliter volueris, cum tanto bono priuatis, non immerito miser diceris; cumque tot miseriis temporalibus pios addici sæpissimè videamus, nequaquam eos ad æternam mortem credimus properare: Nec ideo eis veritatis ignorantiam ingeri, quia frequentibus videmus infœlicitatibus quemlibet temporaliter affligi. Ac per hoc si id de solis inferno traditis diceretur, nullatenus abhorreret à vero: Cum autem generaliter nulla esse miseria, nisi mors æterna dicitur, veritatisque ignorantia, ipsa videndi, & experiendi assiduitate falsissimum esse conuincitur, quam peruersitatem tuam beatus Iob † iugulo veritatis transfigat, qui de miseriis humanis ita deplorat. *Homo* (inquiens) *natus de muliere, breui viuens tempore, repletus multis miseriis.* Cui sanctus Gregorius exponendo consentiens, quasnam intelligere miserias debeamus edicat.

C

† al. forti gladio. *Iob. 14. 1.*

D *Gregor. mor. lib. 11. c. vlt.*

Gregorius. [Quid in se habebit fortitudinis, *qui natus est ex infirmitate, breui viuens tempore repletus multis miseriis?* Ecce sancti viri vocibus pœna hominis breuiter est expressa. Quia & angustatur ad vitam, & dilatatur ad miseriam: si enim subtiliter consideretur omne, quod hic agitur pœna & miseria est: ipsi etenim corruptioni carnis seruire ad necessaria atque concessa miseria est: vt contra frigus vestimenta, contra famem alimenta, contra æstum frigora requirantur, quod multa cautela custoditur salus corporis, quod etiam custodita amittitur, amissa cum graui labore reparatur, & tamen reparata semper in dubio est. Quid hoc aliud, quam mortalis vitæ miseria est? quod amamus amicos suspecti, ne offendi valeant formidamus inimicos, atque securi de eis non sumus vtique quos formidamus, quod plerumque inimicis sic fidenter quasi amicis loquimur, & nonnunquam pura verba proximorum, & multum nos fortasse diligentium quasi verba suscipimus inimicorum, & qui falli nouquam, vel fallere volumus, ex cautela nostra grauius erramus. Quid itaque hoc, nisi humanæ vitæ miseria est? quod amissa cælesti patria repulsus homo delectatur exilio, grauatur curis, & tamen cogitare dissimulat, quam graue sit, quia multa cogitantur, quod priuatus est interno lumine, & tamen in hac vita diu vult perpeti cæcitatem suam, quid hoc aliud, quam de pœna nostra nata miseria est, sed quamuis diu hic stare desideret, ipso tamen cursu mortalis vitæ impellitur, vt egrediatur.

E

Prud. Cap. 17. num. 13. sect. 9. *Ioan. 14. 6.*

† Eodem modo nihilo secius confutatur quod ais. *Vbi itaque ignoratur veritas, ibi nulla vita.*] Non enim potest ignorari vel sciri veritas, nisi ab aliqua vita: Erit igitur in gehenna damnatus vita, & animæ, & corporis, quamuis sine vera vita quæ dixit: *Ego sum via, veritas, & vita.* Erit (inquam) illis vita, sed misera: quoniam & & anima semper viuet, vt semper crucietur, & corpus pœnis combustioneque attritum nunquam deficiet, nunquam dissoluetur in puluerem, nunquam ita consumetur, vt omnino non sit: Sed æternis cruciatibus durabile permanebit. Harum omnium pœnarum Deum iustissimum iudicem esse irrogatorem, ac per hoc & auctorem omni propulsa formidine confitemur, quoniam teste Scriptura: *Mors & vita à Domino Deo est:* Et Psalmista: *Arcum suum tetendit, & parauit illum.* Cassiodorus. [*Arcum* itaque Scripturarum noui & veteris Testamenti congruenter accipimus, qui duobus quodammodo curuatis flexibus deuotorum colla complectitur: hic fidelibus suaue iugum ostenditur. Contumacibus autem arma terribilia declarantur; *tetendit* adiectum est, ne eius patientia remissa putaretur, ad postremum posuit: *parauit illum*, vt mox ipse sagittantium plenissimè videretur expressus, qui postquam tetenderint arcum contra signum, manum collocant in sagittandi opere brachia præparantes. Sed videamus arcus iste præparatus, quas sagittas emiserit: *Et in ipso parauit vasa mortis sagittas suas ardentibus effecit*, hic distributio diuinæ maiestatis ostenditur, quia per arcum, id est per vetus & nouum testamentum sicut iam dictum est, & effectus mortis venit, & sagittis ipsius vita præstatur. Egressæ sunt autem de istu arcu, tanquam sagittæ, id est Apostuli, qui ardentibus, hoc est desiderantibus animis in modum sagittarum præcepta salutaria transmiserunt: vnde & impij sauciarentur, & fidelibus efficax cura proueniret: Effecit autem significat operatus est.]

F

Sap. 16. 13. *Ps. 7. 13.* *Cassiod. in Ps. 7. 13.*

v. 14.

G

Prud.

† Quis vero veritatis ignorantiam damnatis in tartaro illaturus est, nisi iudex terribilis atque iustissimus, qui nouit quid cui vel demat, vel tribuat; sed de his satis actum est. Nunc in nomine & adiutorio Domini ad reliqua diuertamus.

Cap. XVIII.

CAP. XVIII.

Quod error eorum, qui aliter quam Patres Sancti sentiunt de Prædestinatione, ex liberalium disciplinarum ignorantia inoleuit.

H

OCtauus decimus proteruiarum tuarum tumor ita prænotatur.

IOANNES SCOTVS.

Num. 1. sect. 1.

⊙ *Quod error eorum qui aliter, quam Patres sancti sentiunt de prædestinatione, ex liberalium disciplinarum ignorantia inoleuit. Errorem itaque sanissimum eorum, qui venerabilium Patrum, maximéque sancti Augustini sententias confusè ac per hoc mortiferè ad suum prauissimum sensum redigunt, ex vtilium disciplinarum, quas ipsa sapientia suas comites, inuestigatricesque fieri voluit ignorantia, crediderim sumpsisse primordia.*

A

CORRECTIO.

Prud. Isa.14.13. Iob.41.25. Ps.72.9.

† Videtur mihi vox ista illius dicto concinere, qui primus dixisse legitur: *In cælum ascendam, super sydera cæli, ponam solium meum, sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis, ero similis altissimo*, de quo ad beatum Ioh Dominus loquitur: *Omne sublime videt, ipse est Rex super omnes filios superbiæ*; Neque à membris illius desciscere de quibus Propheta pronuntiat: *Posuerunt in* * *cælo os suum, & lingua eorum transiuit in terra.* Veruntamē filij humilitatis & veritatis nequaquā talibus iniuriis commouentur, vt conuitia conuitiis, & contumelias contumeliis referant: quin humiliores effecti, quicquid sibi magistra humilitate & veritate datum gratis nouerunt, ad dantis gloriam, & honorem retorquere penitus elaborent, cuius si magisterio vel doceri, vel vti quæsiuisses, nunquam in tantas blasphemias atque impudentias prorupisses. Nam ipsa ad destruendam mundi sapientiam, cui superbus insudas; idiotas & piscatores, non sophistas elegit, quorum tumores cùm apud Corinthios vel maxime, & Colossenses Apostolus diuina auctoritate comminuerit, nauci factis omnibus, & explosis, de se suique participibus dixit: *Nihil iudicaui me scire inter vos, nisi* CHRISTVM IESVM, *& hunc crucifixum*: Et ipsa veritas clamat: *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos: Tollite iugum meum super vos, & discite à me, quia mitis sum, & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris. Iugum enim meum suaue est, & onus meum leue.* Ecce magistra veritas disci à se humilitatem, & mansuetudinem, non Rhetoricam, & dialecticam iubet. Et Apostolus eius ab hac inflante scientia filios suos prohibens, humilitati, & veritati Euangelicæ studendum præcipit. Hinc & Isaias Propheta ait: *Vbi est litteratus? Vbi verba legis ponderans? vbi doctor paruulorum? Populum* † *imprudentem non videbis, populum alti sermonis, ita vt non possis intelligere disertitudinem linguæ eius in quo nulla est sapientia.* Hinc Leo in Sermone de Passione Domini.

* al. in cælum.

B

1 Cor. 2.2. Matth. 11.28.

1.Tim. 6.20. † al. impudentem. Isa.33.18 19.

C

Leo.

Leo. [Hanc dilectissimi Incarnationis Dominicæ fidem per quam tota Ecclesia Corpus est Christi, inconcusso corde seruantes, ab omnibus hæreticorum ieiunate mendaciis. Et ita vobis credite misericordiæ opera profutura, ita fructuose habendam continentiæ puritatem, si mentes vestræ nulla prauarum opinionū intaminatione sordescunt. Abiicite exosa Domino mundanæ argumenta sapientiæ, per quam nemo ad cognitionem veritatis potuit peruenire, & hoc fixum habete in animo, quod dicitis in symbolo.]

Prud.

† Apparet igitur cuius sis filius: qui ab horum salutari institutione desciscens, illis te inseris, illis inflaris, quæ isti & reprobauerunt & flocci pendenda duxerunt. Quamuis quicquid in eis vtile salubritati, & simplicitati Christianæ fidei iudicatur, vsquequaque nec improbetur, nec ignoretur: Ac certe si nobis horum ignorantiam inuris, nunquid moueri debet nostra humilitas, cum videamos omnes orthodoxos Patres nostros eidem iniuriæ substratos, eadem infamia denotatos: qui omnes tanta liberalium disciplinarum eruditione coruscarunt, vt nullus eis quos apprimè Philosophos mundus suspicit; veraciter æquiparari possit: quippe cum ita eos in omnibus vera sapientia instruxerit, vt tanto euidentius nossent, quid in eis vitandum, quid esset appetendum, quanto eidem veræ sapientiæ connexius inhærent. Sed nunquid quis ea sciri pro tempore veritas non prohibuit, ideo mentiri iussit, siue coëgit? At in quantis mentibus sis, quisquis eadem veritate illustratus tua legit, patenter aduertit. Ac per hoc quemadmodum donante Domino superiora indicant, tu potiùs non solum dicta Dominica, verum etiam Patrum sententias tanta deprauatione tuis erroribus intorsisti; vt lector illorum necessariam prorsus habeat & exercitationem sedulam, & præsentissimam veritatem. Quapropter manifestum est te, ideo à veritate tantisper exorbitasse, quia innisus inflanti scientiæ, quod verum erat spontanes, proindeque superbissima auersione reliquisti.

D

E

Nunquid sanctus Folgentius vir absque hæsitatione doctissimus, ignorantia disciplinarum earumdem mentitus est, exponendo de prædestinatione sententiam Augustini, in cuius explanatione librum mirabili eloquentia & veritatis scientia refertissimum absoluit? quem ita vicinum temporibus eiusdem Augustini nouimus, vt vel ab ipso, vel ab auditoribus illius integritatem eius doctrinæ sinceriter addiscere potuisset. Nunquid & sanctus Prosper harum inscitia errauit, qui eundem propriis Epistolis consulens, ab eóque rescriptis Catholicis edoctus, adeò in assertione veritatis roboratus est; vt tam propriæ eruditionis scriptis, quam Apostolicæ Sedis decretis doctrinam tanti Patris defenderit, defendique studuerit. Nunquid beati Antistites Gregorius & Isidorus harum ignorantia errauerunt, quarum eis affuisse plurimam scientiam nullatenus ignoramus? desine igitur Catholicis virisque eruditissimis hanc importare contumeliā, quos magistra veritas per sanctum spiritum omnē docuit veritatem. Nempe cum tot vrbium cœnobiorúmque sancta examina memoratarum artium videam flores legere, fœtus edere, dulcissima mella componere, nunquam vni tibi singulariter deputauerim, quod sapientia *Diues in omnes, qui inuocant illam*, passim tantæ largitatis affluentia dispertiri cognoscitur. Neque silentio prætereundum videtur, quod ausus es dicere, *Liberales disciplinas comites esse, inuestigatricésque sempiternæ sapientiæ.*] quas constat nimirum inuentione hominum à Deo, & vna sapientia extorrium atque expertium repertas: si enim illæ comites inuestigatricésque creduntur sempiternæ sapientiæ, sequitur, vt inuentores earum homines æquentur ipsi sempiternæ sapientiæ, per quos sui comites, suíque inuestigatrices inuentæ prædicantur. Nulla autem creatura æternæ sapientiæ æquari debet, eáque vllatenus valet. Falsum est igitur eas, id est inuentiones humanas, earúmque repertores comites, atque inuestigatrices esse veræ sempiternæque sapientiæ; dicente Prophetà: *Quoniam quis in nubibus æquabitur Domino, similis erit Deo inter Filios Dei*: quantò minos filios Diaboli: deinde affingis alteram ignorantiæ infamiam, quæ ad rem non pertinere nihilominus comprobatur.

De S. Fulgentio.

De S. Prosper.

De S. Gregorio & Isidoro.

F

Rom. 10.15.

G

Ps.88.7.

IOANNES SCOTVS.

Cap. 18. num.3. sect.1.

⊖ *Insuper etiam* (inquiens) *Græcarum literarum inscitia in quibus prædestinationis interpretatio nullam ambiguitatis caliginem gignit, quæ si diligentius ab inquisitoribus veritatis, non ab assertoribus falsitatis attendantur, quotiescumque siue de bonis vsitate, siue de malis abusiue prædestinatio frontis suæ sapientibus quidem notissima, inflatis vero superbia typho abstrusissima primas partes aperuerit tota nimirum nulla interstante mora pie intelligentibus eam patebit. Est igitur verbum apud Græcos* ὁρῶ*, quod apud Latinos tribus excipitur verbis;* ὁρῶ *quippe & video, & definio, & destino, interpretatur. Similiter compositum* προορίζω *pranidas prædefinio, prædestino.*

H

CORRECTIO.

† O virum sagacissimū qui quod in Latinis defecerit, ad Græca nos retrahit, & in Romanis sermonibus Græcas origines effingit. Quid quæso pertinent verba Latina video, definio, destino ad Græcum vocabulum, quod est ὁρῶ? nunquid ab eo vel deriuata sunt, vel denominata? nunquid saltem ipsa literarum superficies quiddam simile repræsentat. Verum quia nobis hanc inscitiam inuris, nunquid & sanctis Patribus, non minus Græcâ, quam Latinâ eruditione lampantibus idem facinus obtendes? quorum (vt cæteros omittam) Ambrosium, Hieronymum, Augustinum, Gregorium, Isidorum, Fulgentium, Cassiodorum testes veritatis

adhibeo,

A

adhibeo, quos Græcam nouisse Linguam atque scientiam, nullus nisi oibil sciens ignorat, qui omnes alio sensu verbi eiusdem intelligentiam prosequuntur. Nam sanctus Ambrosius in eo loco vbi Apostolus ad Ephesios dicit: *Prædestinans nos in adoptionem filiorum per* IESVM CHRISTVM *in ipsum*. Ita exponendo subsequitur.

Eph. 1. 5. Ambr. ad Eph 1. 5. Id ib. 11. † al. & *nos forte estimati.*

Ambrosius. [Hoc dicit decreuisse Deum, vt credentes in Christum adoptarentur in filios à Deo, vt caput ipsorum sit Christus verus Filius Dei. † Et infra. Ambrosius. *In quo † sortiti sumus, prædestinati secundum propositum Dei, qui vniuersa creauit, secundum consilium voluntatis suæ. Vt simus in laudem gloriæ eius nos, qui antè sperauimus in Christo.* Hoc est quod dicit: quia dispensatio prædicationis his decreta est à Deo, qui ex Iudæis crediderunt in Christum: vnde nullus ex Gentibus ad Apostolatum electus est: dignum enim erat ex his eligi Prædicatores, qui ante sperauerunt salutem, quæ illis promissa erat in Christo.] † Hieronymus in expositione eiusdem Epistolæ.

B

Hier. ad Eph. c. 1. 5.

Hieronymus. προώρισεν ad eos refertur qui antea non fuerunt, & priusquam fierent de eis cogitatum est, & postea substiterunt. † Et infrà Hieronymus. Quod cum prædestinet nos, siue præfiniat Deus in adoptionem filiorum per IESVM CHRISTVM. † Et post paululum. Hieronymus. Quæ laus (ioquiunt) gloriæ gratiæ Dei est alius gratificari in Christo, alios æternis præparare suppliciis.

Id. ib.

Id. ib. 6.

† In eadem Hieronymus. [Supra *Secundum placitum voluntatis suæ*, nunc secundum placitum suum voluntate detracta προορισμὸν id est prædestinationem in adoptionem filiorum per IESVM CHRISTVM posuit, hic vero πρόθεσιν, id est propositionem; Inter prædestinationem autem & propositum, hi qui solent inter verba discutere, hoc asserunt interesse, quod prædestinatio alicuius rei multo ante in mente eius, qui destinet quid futurum sit, præfiguret; propositum autem cum iam vicina sit machinatio, & pene cogitationem sequatur effectus.] † Et infrà.

C

Hier. ib.

Hieronymus [Omnis dispensatio, quæ ante mundum & postea esse cœpit in mundo, tam inuisibilium quam visibilium creaturarum aduentum Dei filij pollicebatur.] † Et post pauca. Hieronymus. [Considerandum quod & hic προορισμὸς, καὶ πρόθεσις id est prædestinatio, & propositum simul posita sunt, iuxta quod *Operatur omnia Deus secundum consilium voluntatis suæ.*] † Idem in Isaia libro tertio. Hieronymus. [Quomodo enim vestis, quæ humano sanguine cruentata est, lauari non potest, sed infecta sanguine igni comburitur, vt maculæ cum vestimento fœdi cruoris intereant: sic Diaboli violenta prædatio, & tumultus ac turbæ, quibus humanum sibi subiecerat genus, gehennæ ignibus deputatæ sunt.]

Id. lib. 11.

Id in Isa. c. 9. v. 5.

Idem in Zachar. c. 11. v. 7.

† Idem in Zacharia Propheta. Hieronymus. [Quod autem secundum LXX. legimus, *Et pascam oues occisionis in terra Chanaan*: sic possumus intelligere, quod populum Iudæorum, qui destinatus est morti, in toto orbe dispersum, hoc est in terra Chanaan atque Gentilium pascat Dominus, & nutriat ad immolandum.]

D

Id. in Isa. c. 14. v. 2. Idem in Michææ c. 3. v. 3. † al. *sunt* Idem in Abdiam c. 1. v. 16.

† Idem in Isaia libro octauo. Hieronymus. [Et dispergentur habitatores eius in diuersa loca præmiis, vel suppliciis destinati.] † Idem in Michæa. Hieronymus. [Et satiauerunt se carnibus, & incrassati sunt, & † sub pinguissima hostia interfectionis & sunt suppliciis Domini præparati.] † Idem in Abdia. Hieronymus. [Ita vniuersæ Gentes, vel fortitudines contrariæ suppliciis delegatæ.]

Amb. in 1. ad Cor. c. 2. v. 7. Sap. 5. 4.

† Ambrosius in Epistola 1. ad Corinthios. Ambrosius. *Quam prædestinauit Deus ante sæcula in gloriam nostram*: vsque adeo vera sapientia, & cum Deo semper fuisse declaratur, vt ante sæcula prædestinata in gloriam nostram dicatur, qui credimus, præscius enim Deus errores futuros in mundo, quem erat facturus hoc decreuit ad confusionem illorum, qui sibi stultitiam sapientiam facturi erant, ad nostram autem gloriam, qui credituri eramus & credimus.]

E

Idem in Luc. c. 2. v. 34.

† Idem in expositione Euangelij beati Lucæ Ambrosius. [Ecce & Simeon prophetat in ruinam, & resurrectionem plurimorum venisse Dominum IESVM CHRISTVM, vt Iustorum, iniquorumque merita discernat, & pro nostrorum qualitate factorum iudex verus & iustus aut supplicia decernat, aut præmia. † Augustinus in libro de prædestinatione Sanctorum.

Aug. de prædest. Sanct. cap. 17. Idem de dono Perseu. cap. 17.

Augustinus. Quocirca prædestinatio Dei, quæ in bono est, gratiæ est præparatio.] † Idem in libro de dono perseuerantiæ.

Augustinus. Namque in sua, quæ falli mutarique non potest præscientia, opera sua futura disponere, id omnino nec aliud quicquam est prædestinare.] † Idem de prædestinatione Sanctorum.

Idem de prædest. Sanct. cap. 16. † al. *dixissent*: Act. 4. 23. 24. 25. Ps. 2. 1. 26. 27. 28.

F

August. [Legimus in actibus Apostolorum: *Cum dimissi à Iudæis Apostoli venissent ad suos, & indicassent quanta eis Sacerdotes, & Seniores † dixerunt, leuauerunt illi vocem vnanimes omnes ad Dominum, & dixerunt: Domine tu es qui fecisti cœlum & terram, & mare & omnia, quæ in eis sunt, qui per os Patris nostri Dauid sancti pueri tui dixisti: Quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania: Adstiterunt Reges terræ, & Principes conuenerunt in vnum aduersus Dominum, & aduersus Christum eius: Conuenerunt enim in veritate in Ciuitate ista aduersus sanctum tuum puerum* IESVM, *quem vnxisti, Herodes, & Pilatus, & populus Israël: Facere quanta manus tua, & consilium prædestinauit fieri:*] Ecce quod dictum est secundum Euangelium quidem inimici propter vos, tanta quippè ab inimicis Iudæis, *manus Dei, & consilium prædestinauit fieri*: quanta necessaria fuerunt Euangelio propter nos.]

Rom. 11. 28.

Prud.

† Vbi S. Augustinus in testimonio Actuum Apostol. posuit *prædestinauit*, ibi nostri codices habent *decreuit*: Idem de Genesi ad litt. lib. 9.

Aug. de Genesi ad litt. l. 9. c. 4.

Augustinus. Cur ergo coïerunt, nisi cum exissent de Paradiso: cito responderi potest, quia mox creata muliere, priusquam coirent, facta est illa transgressio, cuius merito in mortem destinati, etiam de loco illius fœlicitatis exierunt.] † Gregorius in moralibus libro 28.

G

Gregor. Moral. l. 28. c. 6.

Gregorius. Quod idcirco à Domino iam quasi præteritum describitur, quia quicquid foras futurum est in opere, intus iam factum est in prædestinatione.] † Idem in lib. 19.

Idem ibi. l. 19. c. vlt. sub finem.

Gregorius, *Arcum* namque *suum Dominus tetendit*; quia cunctis peccatoribus per Scripturam sacram minas exhibuit, in quo arcu scilicet vasa mortis præparat: quia secundum eloquij sui sententiam eos, qui nunc corrigi negligunt, reproboa damnat.] † Idem lib. 15.

Id. ib. lib. 15. c. 30.

Gregorius. Ante omnipotentis Dei oculos iniqui vita fauilla est, quia etsi apparet ad momentum viridis; ab eius tamen iudicio iam consumpta cernitur: quia consumptioni est æternæ deputata.] † Idem in libro 14.

Id. ibid. l. 14. c. 11.

H

Gregorius. In vtero autem proles concipitur, quæ in hac vita proferatur, quid ergo vterum Dei, nisi eius consilium debemus accipere, in quo ante sæcula per prædestinationem concepti sumus; ita vt creati per sæcula producamur.] † Idem in Exechiel homilia prima partis extremæ.

Idem in Ezechiel hom. 13. post medium. Isa. 35. 7.

Gregorius. [*Et calamus in mensura in manu eius.* De sancta Ecclesia per Prophetam alium Dominus pollicetur dicens. *Orietur in ea virer calami, & iunci*: Quod in loco alio exposuisse me memini: vt *per calamum* scriptores, *per iuncum* vero debeant auditores intelligi: sed quia ad humorem aquæ & iuncus, & calamus nasci solet, & ex vna eademque aqua vtraque proficiunt, & calamus quidem ad scribendum adsumitur, cum iunco vero scribi non potest; quid in iunco & calamo accipere debemus, nisi quod vna est doctrina veritatis, quæ multos auditores irrigat, sed irrigati alij ad hoc vsq; in verbo Dei proficiunt, vt etiam scriptores fiant videlicet tanquam calami: Alij verò verbum vitæ audiunt, bonæ spei & rectorum operum viriditatem tenent: Sed tamen ad scri-

pendum proficere nullatenus possunt; hi quid in aqua Dei, nisi quidam (vt ita dicam) iunci sunt, qui quidem viri descendendo proficiunt, sed litteras exprimere nequaquã valent: Redemptor igitur noster, quia verba quæ dixit etiam per Doctorum studium scribi largitus est, in manu calamum tenuit, qui calamus mensuræ dicitur: quia † ipsa doctorum studia sub quadam occulti iudicij dispensatione † retinentur, vt & aliis legentibus prosint & aliis legentibus prodesse non possint. Vnde & sancti Apostoli, cum magistram veritatem sibi apertius loquentem requirerent, cur turbis in parabolis loqueretur, audierunt, *quia vobis datum est nosse mysterium Regni cælorum, illis autem non.* Vel certè calamus mensuræ est, quia in ipso sacro eius eloquio, quod nobis conscriptum est, occultas esse dispensationes eius agnoscimus: Nam per incomprehensibile eius iudicium, & alter intra mensuram electorum mittitur, & alter foras relinquitur, vt nullo modo ad electorum numerum pertinere mereatur. Habet ergo funiculum, habet in manu calamum mensuræ: Qui enim funiculo locum metitur, alibi funiculum trahit aliunde, retrahit, & huc ducit, quem aliunde subducit: Sic nimirum, sic Redemptor noster in collectione hominum facit, dum alios à suis iniquitatibus educit, alios in sua iniquitate derelinquit: in his enim quos colligere dignatus est, occultæ mensuræ funiculum traxit, & ab his, quos derelinquendos esse iudicauit, quid aliud nisi funiculum retraxit? Vt & boni intra mensuram cœlestis fabricæ teneantur, & mali extra fabricam, in quibus bona, quæ † existimentur non sunt, quasi sine mensura remaneant. Hunc funiculum, & mensuræ calamum in manu sua Redemptor noster tenuit, cum Paulum Apostolum per apparentem virum Macedonem admonere dignatus est: Ita vt isdem Macedo vir diceret, *Transiens adiuua nos:* Et tamen † volentes Apostolos ad prædicandum ire in Asiam, non permisit Spiritus Domini. Quid est quod S. Apostoli, & ibi vocantur ire vbi fortasse pergere non cogitabant, & illuc vbi desiderabant pergere, ire prohibentur? Nisi quia *occulti iudicij funiculus, & mensura calamus tenetur in manu.* Vt alij verba vitæ audiant, & alij nullatenus audire mereantur? *Funiculus ergo mensura est*, qui alio tractus est, aliunde retractus; Sancto quoque Euangelio † teste didicimus, quod venit, qui diceret: *Magister sequar te quocunque ieris:* Cui responsum est: *Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos, filius autem hominis non habet, vbi caput suum reclinet:* Venit alter qui diceret: *Magister sine me primum ire, & sepelire patrem meum:* Cui dicitur: *Sine mortuos, sepeliant mortuos suos: Tu autem me sequere, & adnuntia Regnum Dei.*] Quid est quod ille promittit se ire, & deseritur: Iste domum vult redire, & tamen vt sequi debeat, iubetur: Ille non suscipitur, iste nec ad horæ momentum ab obsequio relaxatur † in terra ergo occulti iudicij funiculus, & mensuræ calamus ducitur, in quo iste trahitur, & ille relinquitur, vt cœlestis fabrica non sine pio, & iusto examine construatur.]

† Hanc Beati Gregorij sententiam idcirco interposui, vt per eam cognoscatur quid de prædestinatione intellexerit, intelligique voluerit. Nam cum in moralibus eundem sensum plenius explicuerit, quod illi prædestinationas pluraliter, hoc in Ezechiele dispensationes, adæque pluraliter posuit, vt apertè doceret vocabulo prædestinationis dispositiones & dispensationes, atque ordinationes Dei debere accipi: Cùm constet ea, & alia complura sub vno eodemque sensu, tam in sacris eloquiis, quam in tractatorum expositionibus poni. Fulgentius in lib. ad Monimum.

Fulgentius. [Neque enim est alia eius prædestinatio, nisi futurorum operum eius æterna præparatio: In qua nullius causa mali poterit inueniri, quia ex voluntate Dei numquam processit origo peccati: Misericors etenim Dominus, & iustus de quo & alio loco scriptum est: *Misericordiam, & veritatem diligit Dominus Deus:* In omnibus ergo operibus eius, aut iusta veritas custoditur, aut pia misericordia prærogatur.] † Et infra.

Fulgentius. Prædestinatio enim eius, præparatio est operum eius.] † Et item. E Idem d. cap. 21. Idem ib. cap. 25.

Fulgentius. Dei enim prædestinatione, aut peccatorum præparata est pia remissio, aut peccatorum iusta punitio. Nunquam igitur Deus ad hoc hominem potuit prædestinare, quod ipse disposuerat, & præcepto prohibere, & misericordia diluere, & iustitia punire. Iniquos itaque quos præsciuit Deus hanc vitam in peccato terminaturos, prædestinauit supplicio interminabili puniendos.]

† Iste doctor, & antistes absque refragatione fidelissimus, atque eruditissimus nouerat Græcam apprimè locutionem, nouerat qualiter à Beato Augustino sermo prædestinationis impiorum positus fuerat: ideóque non præuisionem, sed præparationem, & dispositionem eius prolatione intelligendam, quem si Atticæ linguæ scientiam habuisse, aut ignoras, aut negas, lege libros illius, qui Mythologiarum seu Virgilianæ continentiæ inscribuntur, & inuenies ei maximam illius linguæ affuisse peritiam, qua facillimè nosse poterat, quid sub huius vocabuli enuntiatione accipi debuisset. Cassiodorus in Psalmo 7. Prud. F

Cassiodorus. [Primum est quia iniquitas, dum ex alto præcipitata descendit, violenter percutit, deinde potenter quomodo impij torqueantur exponit: Nam cum supra eos propria peccata descenderint suis malis, suis sceleribus in pœnas debitas destinantur.] † Idem in Psalmo 51. Cassiod. in Ps. 7. sub fin.

Cassiodorus. Destruit Deus in hac vita prospertimè, quos iterum ædificare decreuerit, in fine autem qui destruetur, æternis suppliciis deputatur.] † Idem in Psalmo 54. Idem in Ps. 51.

Cassiodorus. Nam omnium dies in prædestinatione noscuntur esse definiti.] † Idem in Psalmo 82. Idem. in Ps. 54.

Cassiod. *Confundantur*, autem *& conturbentur in sæculum sæculi*, qui æterna vltione damnandi sunt. Sequitur *& reuereantur & pereant.* Ipse sensus est, quem superius dixi; quia ibi reuerendo, non proficiunt, sed pereunt, qui ad æternum supplicium destinantur.] † Idem in Psalmo 87. Cassiodorus. Frequenter emundat diuinitas, quos flagellat, vt purgatum recipiat, quem peccatis sordidum respuebat, quos vero ab emundatione dissoluit, id est remouit, hos iam & damnare decreuit.] † Idem in Psalmo 92. Idem in Ps. 82. v. 18. G Idem.

Cassiodorus. *Parata sedes tua Deus: parata* significat prædestinationem, quia totum illa veritate consistit, quicquid in administratione mundi euenire contigerit.] Idem in Ps. 92. Prud.

† Sed & Primasius Africanæ Ecclesiæ antistes eruditissimus, in explanatione Apocalypsæos beati Ioannis eadem sensisse reperitur, cum ait: Primasius. Præterito namque tempori tanquam anteriori promissa dispensatio Christi Domini deputatur, quæ sicut prædicta à Prophetis legimus, peracta iam perdocetur, præsentis credulitatis augmenta, & Ecclesiarum conueniunt incrementa futurorum bonorum, malorumque redemptio qua iustos in vitam, impios in pœnam futuros credimus deputatos. Bonifacius Episcopus & martyr Germaniæ. Bonifacius. Quid enim parenti proficis, si habeat filium tormantis perpetuis deputatum.] Primas. H Bonifac. Prud.

† Hanc sententiarum congeriem ad hoc necessario ex Patrum voluminibus colligendam duxi, vt varietate vocabulorum, & vnitate sensuum, quid super nuncupationa prædestinationis senserint, facillimè perpendatur. Siquidem cum opus esset, vt eandem causam sæpius intimarent, maluerunt diuersis significationibus eandem rem gratia vitandi fastidij ponere, quam vni eidemque vocabulo quasi sermonum indigentia laborantes tædiosius inseruire; ac per hoc nequaquam nos in latinis dictionibus ad Græcas debueras origines inuitare, à quibus nec deriuationem, nec denominationem certum est eas accepisse. Inter hæc notandum non incongruè fortassis censui, quod orator mirabilis prædefinio verbum pulchra nimirum compositione nostræ ignorantiæ innexerit, cum mul-

A to commodius, honestiusque dicere potuerit præfinio; quemadmodum etiam à sancto Hieronymo positum supra inseruimus. Quibus omnibus liquido refellitur, quod destinare vel prædestinare pro eo quod est videre, vel præuidere fatua assertione dixisti, quippè cùm à nullo eorum sub hoc sensu positum vspiam valeat reperiri.

Cap.18. num.4. sect. 1. Nec prætereundum quod *æternæ sapientiæ comites inuestigatricesque memoratas disciplinas asserueris*] contra auctoritatem vtrique Propheticarum Apostolicarumque litterarum: si enim comites habuit, sequitur magna absurditas, vt alicuius indiga prædicetur, quæ eum nullius egere aut eguisse vllatenus comprobetur, & sola sui æternitate, atque omnipotentia omnia disposuerit Sap.8.1. *attingens* videlicet *à fine vsque ad finem fortiter*, Nullaque impotentia vnquam potuerit infirmari, nescio penitus quamobrem comites tuas necessarias corrogarit, quarum fulturis, ac veluti suffragiis, vel ad se inuestigandam, vel vel ad aliud quid opus habuerit, cum teste Scriptura Sap.1.5. *transferat se in animas sanctas, & inserat se cogitationibus, quæ sunt sine fictione*, qua fit sapiens, quisquis pro munere illustrantis, vel capiu accipientis fit sapiens. Omnes itaque paginas vtriusque testamenti percurrens, nunquam inuenies præceptum per has inuestigari Deum sed *per fidem, quæ per dilectionem operatur*, munditia cordis, mandatorumque Dei obedientia, & obseruatione quærendum fideliter & inueniendum veraciter edocui. Quid enim, nunquid omnes Prophetæ his Deum inuestigasse atque inuenisse dicendi sunt? Amos 1.1. Certè vt cæteros præteream, *Amos* de pastoralibus ad prophetandum repentina inspiratione assumptus Matt.1.16. nunquam earum eruditionem percepisse credendus est. Quid beatus Petrus, & cæteri Apostoli, piscatores, & idiotæ, nunquid earum studiis eruditi æternam sapientiam inquisierunt, & perceperunt?

Ioan.16.13. Aliud omnino clamat veritas, quæ dicit: *Cum autem venerit ille spiritus veritatis, docebit vos omnem* C *veritatem*: Et item: *Cum venerit spiritus paracletus,* Ioan.14.26. *quem mittet pater in nomine meo, ipse vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis*: Matth.11.27. Et iterum: *Nemo nouit filium, nisi pater: neque patrem quis nouit, nisi filius, & cui voluerit filius reuelare.* Matth.11.25. Et iterum: *Exultans* IESVS *Spiritu sancto dixit. Confiteor tibi pater Domine cæli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & reuelasti ea* Matth.16.17. *paruulis. Ita pater, quoniam sic fuit placitum ante te.* 1.Cor.1.21. Et ad beatum Petrum: *Beatus es Simon Bariona, quia caro, & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus, qui est in cælis.* Et Apostolus: *Et quoniam non cognouit mundus per sapientiam Deum, placuit Deo per stultitiam prædicationis saluos facere credentes; nobis autem reuelauit Deus per spiritum suum.* Spiritum sanctum Philosophi mundi nec habuerunt, nec inuenerunt: quomodo ergo quamlibet astuti, atque acuti per earumdem disciplinarum eruditionem † Domini inuestigare potuerunt, qui nec inuestigatur veraciter, nec inuenitur nisi per Spiritum S. Sequitur igitur, nec comites eas fuisse sapientiæ Dei, quæ vna, eademque, & sola semper est, nec his inuestigari eam; sed reuelari per spiritum eius. An beatus Pater Augustinus omnibus his examussim instructus earum acumine Deum, aut inuestigare, aut valuit inuenire, qui eum per tot annos earum studiis insudaret, & tamen multis erroribus, maximeque Manichæorum insaniis impediretur nunquam veritatem cognoscere potuit, priusquam sanctæ genitricis suæ instantia, oratione, & lachrymis, respectu superni inspirationis Deus, & beati Ambrosij prædicatione, & Deum agnoscere, & fidei gratiam percipere meruit: Vnde & ipse beatissimus Augustinus libro de ciuitate Dei octauo inquit.

† forsè Domino. D

Augustinus. [In Timæo autem Plato, quem librum de mundi constitutione conscripsit, Deum dicit in illo opere terram primo, ignemque iunxisse. Manifestum est autem quod igni tribuat cæli locum, terræ vero ipsam terram. Habet ergo hæc sententia quandam illius similitudinem, qua dictum est: *In principio fecit Deus cælum & terram*: Deinde illa duo media, quibus interpositis sibimet hæc extrema copularentur: Aquam dicit & aërem: Vnde putatur sic intellexisse quod scriptum est. *Spiritus Domini superferebatur super aquam*: parum quippè attendens quo more soleat illa scriptura appellare Spiritum Dei, quoniam & aër spiritus dicitur; quatuor opinatus elementa loco illo commemorata videri potest. Deinde quod Plato dicit amatorem Dei esse Philosophum, nihil sic in illis sacris litteris flagrat, & maximè illud, quod & me plurimum adducit, vt penè assentiar Platonem illorum librorum expertem non fuisse; quod cum ad sanctum Moysen ita verba Dei per Angelum perferantur, vt quærenti quod sit nomen eius, qui eum pergere præcipiebat ad populum Hebræum ex Ægypto liberandum responderetur, *Ego sum qui sum. Et dices filiis Israël qui est misit me ad vos*, tanquam in eius comparatione qui verè est, quia incommutabilis est, ea, quæ mutabilia facta sunt, non sint. Vehementer hoc Plato tenuit, & diligentissimè commendauit, & nescio vtrum hoc vspiam reperiatur in libris eorum, qui ante Platonem fuerunt; nisi vbi dictum est; *Ego sum qui sum: & dices eis qui est misit me ad vos*: sed vndecumque ista ille diceret, siue præcedentibus eum veterum libris, siue potius quomodo dicit Apostolus: *Quia quod notum est Dei, manifestum est in illis: Deus enim illis manifestauit: inuisibilia enim eius à constitutione mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque virtus eius & Diuinitas.* Non immerito me Platonicos Philosophos elegisse cum quibus agam, quod in ista quæstione quam modo suscepimus agitur.] † Vnde beatus Paulus Apostolus: *Videte ne quis vos deturpetur per Philosophiam, & inanem fallaciam secundum traditionem hominum, secundum elementa huius mundi, & non secundum Christum; quia in ipso habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter.*

Ambrosius. [Philosophiam dicit terrenam, per quam solent seduci, qui cupiunt prudentes iudicari in mundo, hæc argumentis, & subtilitate minutiarum quarundam componitur, quasi physicas inuestigauerit rationes, quædam habens admixta quæ hortamenta sint bonæ vitæ, vel documenta, aliquando de mensuris; nec non de numeris, aliquando de elementorum qualitatibus & quantitatibus ordinata: in cuius disputationibus qui inciderit, vix † raro euadet: detinetur enim verisimilibus causis, & commentitiis rebus, nihil tam verum æstimans, quam quod conspicitur & intelligitur in elementis, & quia quæ ad præsens sunt, & cernuntur oculis, suauia & oblectabilia videntur, aliquantos seducunt, qui spiritalem rationem despiciendam, & reddendam putant, desperatione futuri, omnem vim astris assignantes, carnali rationi obnoxij, ne grauia credenda sint sustolli posse in cælo, † vel leuia venire ad terras, aut aliquid corporeum sine rerum admixtione generari, repugnantes Potentiæ ac Prouidentiæ Dei: sciunt enim legi in diuinis veteribus Hebræorum voluminibus multa gesta per Moysen, quæ humana ratio non capit. Simili modo & in nouis libris facta à Domino aut per Apostolos, quæ tractatur carnalis prohibet credi; hanc ergo traditionem philosophiam fallacem; & inanem appellat, quia non à potentia Dei ordinata est: sed ab imbecillitate ratiocinationis humanæ, quæ potentiam Dei intra scientiam suam coarctat, ne aliter credatur facere, quam carnalis se continet ratio, † quam singulis elementis diuinitatis † diuersitate deputant ad culturam, vt obligent animos impetitorum, ne se ad Deum verum extendant: quamobrem cauendam monet traditionem istam quia mundi cultrix est, non Dei qui vnus est, nec ad Christum sed à Christo, abstrahit, in quo perfectio diuinitatis est.]

† Sed vt ad propositum redeamus, quia in Latinis dictionibus nobis Atticas origines importas, tot Ecclesiarum Magistris Græcitatem apprimè scientibus nunquam prædestinationem, pro præuisione positã legimus, quoniam

Margin notes (left): Augus. de ciuit. Dei l.8. cap.11.

Margin notes (right): E Gen.1.1. Gen.1.2. Exod.3.14. F Rom.1.19. Prud. Col.2.8. G Ambr. ad Col. cap.2.8. Sap.13.14. † al. non nunquã. Sap.15. Sap.2. Sap.13. † al. leuia. Deut.4. H Abac.1. Act.13. 1.Cor.1. † al. quia † al. diuersitatem. Sap.13. Prud.

A quoniam ea per omnia differre non nesciennt. Nam licet nihil absque præuisione possit prædestinari; multa tamen absque prædestioatione possunt præuideri, quemadmodum de distantia præscientiæ & prædestinationis iam plura congessimus. Quod si prædestinationis vocabulum huic intellectui subiacet, quid de cæteris sentiendum censes, quæ in eundem sensum posita creberrime leguntur: veluti est deputati, delegati, parati, præparati, decreti, iudicati, damnati, addicti, dispositi, dispensati, ordinati, statuti, constituti, præfixi, definiti, præfiniti, & cætera. Quæ ad eundem intellectum concurrentia, passim in diuinis paginis, Patrumque venerabilium scriptis posita inueniuntur. Verùm quis nesciat non idem esse præuidit, quod est præfiniuit? Ac per hoc cum præfiuire & prædestinare sibi concinant, præuidere ab his multum differre nulli sobrio incognitum liquet; quia sicut sæpè notatum est, multa præuidentur, quæ nullatenus præfiniuntur! Interea admirandum interpretem quo decet honore afficiendum video,

B qui nouas nobis interpretandi lineas affingens, nequiit introspicere, quod non omnia verba Latina, quæ loco vnius vel Græci, vel Hebræi sermonis, vel cuiuslibet linguæ interpretata ponuntur, vnum semper significare necesse sit: sed pro locorum qualitatibus, nunc hoc nunc illud ostendere quemadmodum inter cæteros, vel maximè sanctus Hieronimus demonstrat, sicut est Bar, quod in nostra lingua filium, puruo triticum, & spicarum fasciculum, atque electum significat. Nunquid ideò vnum, idèmque dicentur significare tot Romana vocabula, quia pro vno, vel Hebræo, vel Syro sermone pro intelligentiarum varietatibus posita leguntor? Proinde quod de prædestinatione, præuisione & præfinitione morte, pœnis atque suppliciis loquaci tædio garrulus magis, quam eloquens iteras; quoniam supra satis abundeque confutatum & comminutum noscitur. Ne tui exemplo eadem non necessarie repetamus, consulte transiliendum credidimus.

C Attamen illud notandum censeo quod eum mortem à Deo esse negaueris, mortem mortis æternæ vitam æternam, id est Dominum nostrum IESVM CHRISTVM dixeris, ipso per Prophetam prænuntiante: *Ero mors tua ô mors: ero morsus tuus inferne.* Si ergo, ipse se mortem pronuntiat esse mortis, quomodo negare audes mortem esse à Deo. Item quod *dicis deseri à Deo id esse interimi: Nec quod in eis ipse fecit, relinqui vel deseri: alioquin eorum naturam ad nihilum redire, Si summa essentia in eis non sit, sed quod in eis non fecit, id est superbiam sperni*; prorsus veritati reniteris, quæ Deum Iudicem iustissimũ atque irreprehensibilem, id quod fecit, id est Angelos apostatas, & homines impios merito iniquitatis eorum punire prædicat. Deum quoque in ea natura, quam ad se creauit semper habitare falso adstruis, cuius habitatio non nisi per gratiam edocetur. Proinde quod in laudibus beati Augustini perorans, non eum eodem modo voluisse intelligi asseueras quod dixit, quos iustè

D prædestinauit ad pœnam, quo voluit, quod dixit: quos benigne prædestinauit ad gratiam affatim præmissa confutant. Neque necesse est vt toties euitata, quasi formidanda superfluè inculcentur.

[Cap. 18. a 5. sect. 5. Osea 13. 14. Cap. 18. n. 4. sect. 5. Cap. 18. n. 7. sect. 6.]

Quid tantopere Dei prouidentiam calcas, & eius dispositionibus impius obuias? certè qui Dei potentiæ dispensationisque expertes vitam duxerunt quantalibet ingeniorum acrimonia præpollentem, quamuis fato fortunàque vitam humanam agi suadere conarentur, nequaquam absque prouidentia fieri prædicabant, cum ea Diis Deabusque adscriberent, quos propriis etiam vocabulis nuncupabant, fatum videlicet, & fortunam. Ac rursum fati trifidam distributionem sub nominibus Mægeræ, Alecto, & Tisiphone. Quarum dispositionibus vitæ humanæ ortum, procursum, finémque tribuebant. Ita vt nec fœlicitatem, nec infœlicitatem, nec fortunia, neque infortunia absque deorum suorum deàrumve ordinatione fieri posse vllatenus affirmarent. Tu contra & veritati, & figmentis pariter contradicens, aufers veri immo solius Dei prouidentiam dispositionem, atque iudicium, cùm Propheta Isaias de vno, &

E vero Deo manifeste proclamet S. Hieronymo exponente in Isaia lib. 5. Hieronymus. *Hoc consilium, quod cogitaui super omnem terram, & hæc est manus extenta super vniuersas Gentes; Dominus enim Exercituum decreuit, & quis poterit infirmare, & manus eius extensa, & quis auertet eam?* Hoc loco quidam arbitrantur generalem esse contra omnem orbem Prophetiam, & quod vastitas Babylonis, & Assyriæ ciuitatis typus sit consummationis mundi, quibus nequaquam contradicimus, dum sciamus hic omnem terram Assyriorum propriè significari, & vniuersas Gentes socias Regis Assyrij demonstratas: quicquid autem à Domino decretum est, nullius virtute prohibetur & extentam manum eius, & ad percutiendum paratam nemo poterit coërcere.] † Idem in eodem. Hieronymus. *Hoc verbum, quod locutus est Dominus ad Moab extunc*; ex quo putas tempore, videlicet ex eo quo creatus est Moab, & Dominus ait: *Moabitæ & Ammonitæ non intrabunt in Ecclesiam Dei*, siue

F ex tunc pro antiquo tempore intelligamus, quod olim diuina sententia ista decreta sint, non quod præscientia Dei causam vastitatis attulerit, sed quod futura vastitas Dei Maiestate præcognita sit.] † Idem in eodem. Hieronymus. *Dominus exercituum cogitauit, vt detraheret superbiam omnis gloriæ, & ad ignominiam deduceret vniuersos inclytos terræ*, quia supra interrogantis more dixerat, *Quis cogitauit hoc super Tyrum quondam coronatam*, nunc ipse respondet, non fatorum (vt stulti putant) sic fila deducta sunt, non fortunæ currit rota: sed Dei Iudicio & ipsius voluntate perfectum est, *Qui superbis resistit, & humilibus dat gratiam*, & commonet arrogantes conditionis suæ, vt discant potentiam eius per miseriam, cuius clementiam per beneficia sentire noluerant.] † Certum est omnipotentissimum Iudicem auctoritate diuinæ Scripturæ, ac concinentia tractatorum fidelium non de initiis, sed de fine quemquam iudicare dicente Scriptura: *Et vniuersorum finem ipse considerat*, quare quæso *vniuersorum finem ipse considerat*? nunquid,

G vt quippiam noui, & quod catenus ignorauerit addiscat? Absit: sed qui hominis *Terminos constituit, qui præteriri non poterunt*, ad hoc vniuersorum finem considerat, vt de eo vnumquemque diiudicet. Videlicet vt aut de fine bono, bonis bona retribuat; aut de fine malo malis æquè mala rependat: quid itaque contrarium, vel fidei, vel Dei iustitiæ subtrahitur, si id prædestinasse fidelissime prædicetur, quod eum vel decreuisse, vel constituisse, vel considerare, verax Scriptura non tacet. Terminos igitur hominis quos constituit, id est prædestinauit atque disposuit, *Et vniuersorum finem ipse considerat*, vt ex eis vnicuique retribuat quod meretur, hoc proculdubio prædestinauit, id est ante sæcula disposuit; quia hoc præsciuit indubitanter, atque prænouit: non ergo negetur immo tanta pertinacia impugnetur quod auctoritate & ratione veritatis lucidissimæ comprobatur. Vnde & Gregorius in Moralibus lib. 18. sic ait.

[Hieron. in Isaiæ c. 14. 26. Idem ib. c. 16. 13. Deut. 23. 3. Idem ib. c. 23. 9. d. v. 8. Iac. 4. 6. Prud. Iob. 28. 3. d. v. 3.]

H Gregorius. *Tempus posuit tenebris, & vniuersorum finem ipse considerat, ipse tempus posuit tenebris*, iniquis videlicet modum, quo iniqui esse desistant. Vnde eis per Apostolum dicitur, *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* sicut aliis quoque Discipulis isdem Doctor egregius dicit: *Nox præcessit, dies autem appropinquauit, abiiciamus ergo opera tenebrarũ, & induamus nos arma lucis, sicut in die honeste ambulemus*: vnde & in Canticis Canticorum Ecclesia veniente dicitur: *Quæ est ista quæ progreditur, quasi aurora consurgens*: aperte enim Ecclesia auroræ comparata describitur, quæ per cognitionem fidei à peccatorum suorum tenebris in clara luce iustitiæ commutatur. *Tempus* ergo, *posuit tenebris, & vniuersorum finem ipse considerat*: vniuersorum nomine & electos voluit, & reprobos comprehendi. Nam bona faciens & ordinans Deus; mala vero non faciens, sed ab iniquis facta, ne inordinatè eueniant ipse disponens, considerat vniuersorum finem, & patienter tolerat omnia. atque intuetur electorum, terminum, quod ex malo mutentur ad bonum: intuetur etiam reproborum finem,

[Gregor. Moral. lib. 18. c. 17. Iob 28. 3. Ephes. 5. 8. Rom. 13. 12. Cant. 6. 9. d. v. 3.]

A finem, quod de malo opere dignum retrahantur ad supplicium. Vidit finem persequentis *Sauli* qui prostratus diceret: *Domine quid me iubes facere:* vidit finē quasi obsequētis *Discipuli* quod pro commisso scelere guttur laqueo stringeret, seque & peccantem puniret, & deterius puniendo deciperet, vidit *Niniuitas* delinquentes, sed considerauit finem delinquentium pœnitentiam correctorum. Vidit quoque *Sodomam* delinquentem, sed considerauit finem ardoris luxuriæ ignem gehennæ. Vidit Gentilitatis finem, quod possessa iniquitatum tenebris, quandoque fidei loce clarescetet. Vidit etiam *Iudæa* terminum, quod ab ea luce fidei, quam tenebat obduratæ perfidiæ se tenebris cæcaret. † Sanè cum dicis.]

Act.9.6. Math. 27.5. Ioan.5.3. Ioan.3.10. Gen.18.20. Ib.19.24.

Ioannes Scotus.

Cap.18. B num.9. sect.7. ⊖ *Prædestinauit itaque Deus impios ad pœnam, vel interitum. hoc est circumscripsit eos legibus suis incommutabilibus, quas eorum impietas euadere non permittit.*

Prud. † Profectò veraciter definisti, porrò quod addis.

Cap 18. num.10. sect.7. ⊖ *Ad pœnam profectò suam: Ea quippe difficultas, qua prohibentur peruenire ad ea, quæ libidinose appetunt, efficitur eis pœnalis interitus, & sua miserrima cupidinis iustissimus cruciatus.*

Correctio.

Prud. † Omnino fallaciter adseueras, vbi & illud satis stupere nequeo, qui pridem ignorantiam veritatis & beatitudinis miseris induxeras, cuius appetitus egestate nunc eos cruciari definias, quibus boni cuiuspiam appetendi iam, nec scientia subest, nec voluntas: sed & cum veraciter asseueras numerum vtriusque partis electorum, atque reproborum à Deo prædestinatum, & præfinitum, quid causæ est, vt prædestinatos ad interitum neges, quorum numerum prædestinatum, & C præfinitum minimè denegas? Videamus quid etiam contra te ipsum agat tua expositio. Denique cum de Deo diceres:

Ioannes Scotus.

Cap.18. num.11. sect.8. ⊖ *Omnibus tribuens leges suas seruandi potestatem, si vellent, antequam omnes in vno peccarent: sed non omnibus tribuens, vt velint post peccatum, præparans electos ad beatitudinem, disponens reprobos, vt suis quamuis inuiti legibus seruiant, cùm non, vt sic sibi seruirent prædestinauit eos faciendos, sed vt ei voluntate perfecta adhærerent. Inuiti autem ei seruiunt, non illorum natura, quam in eis fecit, & in eis non punit, sed mala voluntate, quam in eis non fecit, & in eis punit; in eo enim, quod ei inuiti seruiunt, in se ipsis sua pœna.*

Prud. † Velut explanando subnectis.

Ioannes Scotus.

D Cap.18. num.12. sect 8. ⊖ *De qua quos iustè Deus non liberat, ad eam illos quodammodo præparat, dum eos ad eam se ipsos præparare permittat.*

Prud. † Dixisse te multo antea legimus.

Num.13. cap.10. sect.3. ⊖ *Simili modo si nihil aliud est prædestinatio, nihil eorum, quæ Deus facienda præuidit præparatio.*

† Et rursum.

Num 14. cap 9. sect.6. ⊖ *Quo iure potest dici prædestinatio, id est præparatio in eo, qui nullo temporis internallo præcessit, quo disponeret ea, quæ facturus esset, cuius operationem non præcedit præparatio.*

Correctio.

Prud. † Si secundum te nihil aliud est prædestinatio, quam præparatio, cogimur in hac tua expositiune intelligere Deum, sicut præparasse, id est impios ad pœnam, se ipsos præparare permisisse, ita prædestinasse, id est eos ad E eam se ipsos prædestinare permisisse. Et consequenter euertetur, quod tantis allegationibus conatis efficere: prædestinationem, & præparationem Dei, non nisi in electis & iustis fieri: si inquam nihil aliud est prædestinatio quam præparatio: sequitur vt quemadmodum præparari, id est præparati à se ipsis ad pœnam permissi sunt: ita proculdubio prædestinati, id est prædestinati à se ipsis ad pœnam permissi intelligendi sint. Est autem malum, vt & ita dixerim malorum omnium pessimum præparare vel prædestinare se quemlibet ad pœnam, ad quam nullus præparatur à se, vel prædestinatur, nisi mala perpetrando, id est peccando: Et quid facies præclarissimæ expositioni tuæ, qua tam pertinaciter adstruere subisti prædestinationem, & præparationem, ac præuisionem Dei, non nisi in electis poni? Nempè paulo superius dixeras.

Ioannes Scotus.

F Cap.18. num.15. sect.8. ⊖ *Omnium igitur, quos Deus creauit prædestinatus est numerus: sed quoniam conditor præuidit ipsum numerum in primo homine generaliter periturum, excepto vulneris medicamento, quod est Christus, prædestinauit, hoc est antequam fierent definiuit, & eorum numerum, quos sua gratia liberaturus, & eorum quos sua iustitia relicturus, in istis clementiæ suæ dona daturus, in illis natura numerum, quo vniuersitas perficeretur, impleturus.*

Correctio.

Prud. † Ecce præuidit in malo positum: tanta euidentia pulsuisti, vt negare prorsus nulla impudentia valeas. Quis enim perire, malum esse non dixerit? si ergo Deus præuidit ipsum numerum in primo homine generaliter periturum, profectò malum præuidit, & si vt iuras imo perinras, nihil est aliud prædestinare, quam præuidere & præparare; colligitur tantis tuæ peruicaciæ adstructionibus, vt dicatur Deus, quemadmodum præuidisse, ita etiam prædestinasse & præparasse numerum humani generis G periturum, nec stare poterunt sententiæ tuæ, quibus hactenus tanta pertinacia efficere molitus es, Deum nec præuidisse, nec prædestinasse, nec præparasse malum, peccatum pœnas atque tormenta: perire quippe quemlibet suo vitio malum est. Pœnam sibi quemque malis actibus comparare nihilominus malum est. Si igitur ista Deus præuidit præparatique peccatores à se ipsis ad ea permisit, malum vtrique præuidit, prædestinauit, ac præparauit. Quodque subiungis.

Ioannes Scotus.

Cap.18. num.16. sect.9. ⊖ *Prædestinauit itaque impiis æternis suis iustissimisque legibus inuitè seruituros, eosque nullo impetu impietatis suæ in profundum malitiæ tendentis transituros, eoque modo puniendi interituros, Nulla quippè grauior pœna infligitur seruo iniquo, quam vt cogatur seruire inuitus iusto Domino: Plus* H *etenim in se ipso interius superba voluntatis patitur incitamenta, quam exterius in corpore durissima flagella, qui cum Domini sui voluntatem spernere non sinitur, intra semetipsum à se ipso cruciatur.*

Correctio.

Prud. † Quocunque modo se habeat pœnalis ista damnatio, vtique à Deo prædestinatam asseris, à quo restrenatam, atque cohibitam pereuntium maliuolentiam, ne ad optatos procursus perueniat, dogmatizas. Si igitur Dei est ista restrænatio atque cohibitio, legumque diuinarum circumscriptio, vt legibus eius inuiti seruiant, & hæc ipsa seruitus illis pœna efficitur, omni procul ambiguo ab ipso illis pœna prædestinata intelligitur, à quo inuita seruitus imposita ineuitabiliter prædicatur, attestante beato Iob qui dicit: *Constituisti terminos eius, qui præteriri non poterunt;* Vbi nihil aliud constitutionis Iob.14.5. nuncupatione, quā prædestinationis significatione sobriè

valet intelligi: quid enim metuerent Catholici tractatores prædestinatos ad interitum dicere, quorum terminus constitutos à beato Iob nouerant prædicatos, quos videlicet terminos qualiter intelligere debeamus, veracissimus explanator edoceat Gregorius, videlicet, qui in Mor. lib 12. ita eloquitur.

Gregorius. Nulla quæ in hoc mundo hominibus fiunt absque omnipotentis Dei occulto consilio veniunt: Nam cuncta Deus secutura præsciens, ante sæcula decreuit, qualiter per sæcula disponantur: Statutum quippè iam homini est, vel quantum hunc mundi prosperitas sequatur, vel quantum aduersitas feriat: ne electos eius, aut immoderata prosperitas eleuet, aut nimia aduersitas grauet. Statutum quoque est, quantum in ipsa vita mortali temporaliter viuat, &c. Quod tamen intelligi etiam iuxta spiritum valet; quia nonnunquam in virtutibus proficere conamur, & quædam dona percipimus, à quibusdam vero repulsi in imis iacemus: Nemo enim est qui tantum virtutis apprehendat, quantum desiderat, quia omnipotens Deus interiora discernens ipsis spiritalibus profectibus modum ponit, vt ex hoc homo quod apprehendere conatur, & non valet, in illis se non eleuet, quæ valet: Vnde ille quoque egregius prædicator, qui raptus vsque ad tertium cœlum fuerat, Paradisi arcana penetrauerat, esse post reuelationem tranquillus, atque intentatus † volebat: Sed quia omnipotens *Deus terminos constituit* homini, *qui præteriri non poterant*, & eleuauit hunc ad cognoscenda sublimia, & reduxit iterum ad infirma toleranda, vt modi sui † mensuras aspiciens, dum securitatem comprehendere conaretur & non posset, ne per elationem extra se iret, per humilitatem cogeretur intra suos semper terminos redire. † Cætera quæ vsque ad finem huius pericopes enormis potius, quam disseris, quoniam fastidiosa loquacitate sæpius efflata replicas, vlterius repetere supersedimus.

CAP. XIX.

De igne æterno.

NOna decima porro elusionum tuarum de igne æterno disputat, quæ quamlibet sui quantitate minor cæteris videatur, impietate tamen maiores æquiparet: quippè quæ ab eis nec sensuum prauitate, nec blasphemiarum asseueratione secernitur. Ais ergo.

IOANNES SCOTVS.

⊖ *De æterno vero igne de quo Dominus in Euangelio ait.* Ite maledicti in ignem æternum, qui præparatus est diabolo & Angelis eius, *Nulli dubitandum corporeum esse, quamuis pro subtilitate naturæ incorporeus esse dicatur, quemadmodum solemus dicere æthereum spiritum, cum quarta pars sit corporalis creaturæ, nec facile crediderim alium ignem præparatum ad puniendum diabolum, cum omnibus suis membris, præter istum ipsum, qui est quartum mundi elementum: quid enim, nunquid mirum si illa impiorum corpora, quæ profectò de his quatuor corporalibus elementis sunt compacta, in eademque resoluenda tempore quoque prædefinito, ab eisdem iterum resurrectionis momento reuocanda, in illo igne, quo resurrectura omnium corpora maximè substantialiter constabunt, merito impietatis suæ tormenta patiantur æterna.*

CORRECTIO.

† Corporeum esse flammeum atque visibilem mixta obscuritate ignem gehennæ omnes orthodoxi consentiunt: verum autem ipse sit, qui quartum mundi elementum vocatur, non parua quæstio est: videtur tamen tam ex verbis sancti Gregorij, quæ supra posuimus, quam ex sententia Domini, alius esse: dicentis: *Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & Angelis eius:* Quid enim necesse erat specialiter dici paratum cruciatui peccatorum, si ipse esset, qui omnium mortalium necessitatibus atque vtilitatibus noscitur procuratus? huc accedit quod dicente Scriptura: *Deuorabit eum ignis, qui non succenditur*, alius accipi debeat, quoniam iste qui nobis necessarius quotidianis vsibus exhibetur, nequaquam subsistere valet nisi lignorum alteriusve materiæ pabulis nutriatur, quibus gehennalem non indigere perspicuum est; vnde & *inextinguibilis* in Euangeliis prædicatur: sed & qualitas illius ab huius qualitate plurimum distat. Iste quippè nulla diuersitate quicquid attigerit consumit; ille cum animas & corpora sit crematurus, nec id agit vt omnino non sint, nec æqualiter omnia adurit, sed pro varietate, seu immanitate facinorum, hunc minus, illum amplius cruciare non dubitatur: vt sicut in regno cœlorum diuersitatem mansionum facit dispatilitas meritorum, ita inferni barathro demersis, varietatem tormentorum generet impatilitas operum iniquorum.

E Matth. 25.41. — Iob.20.26. — Marc.9.42.&44. — F

Hinc Petrus beatum Gregorium ita adorsus est. Petrus. Quæso te, inquiens, vnus esse gehennæ ignis credendus est: An quanta peccatorum diuersitas fuerit tanta quoque existimanda sunt & ipsa incendia esse parata? Gregorius. Vnus quidem est gehennæ ignis, sed non vno modo omnes cruciat peccatores. † Vnusquisque enim quantum exigit culpa † tantum illic sentiet pœnam. Nam sicut in hoc mundo sub vno sole multi consistunt, nec tamen eiusdem solis ardorem æqualiter sentiunt, quia alius plus æstuat, atque alius minus, ita illic in vno igne non vnus est incendij modus; quia quod hic diuersitas corporum, hoc illic agit diuersitas peccatorum vt & ignem non dissimilem habeant, & tamen eosdem singulos dissimiliter exurat. Petrus. [Nunquidnam quæso te dicimus eos qui semel illic mersi fuerint, semper arsuros. Gregorius. Constat † nimis, & incunctanter verum est, quia sicut finis non erit gaudio bonorum, ita finis non erit tormento malorum, nam cum veritas dicat: *Ibunt impij in supplicium æternum, iusti autem in vitam æternam:* quia verum est quod promisit, falsum procuidubio non erit quod minatus est Deus. Petrus: Quid si quis dicat, idcirco peccantibus æternam pœnam minatus est, vt eos à peccatorum perpetratione † compescat. Gregorius. Si falsum est quod minatus est, vt ab iniustitia corrigeret; etiam falsa est pollicitus, vt ad iustitiam prouocaret: sed quis hoc dicere vel insanos præsumat? Et si minatus est, quod non erat impleturus, dum asserere eum misericordem volumus, fallacem (quod dicere nefas est) prædicare compellimur. Petrus. Scire vellem quomodo iustum sit, vt culpa quæ cum fine perpetrata est, sine fine puniatur. Gregorius. Hoc rectè diceretur si districtus iudex non corda hominum, sed facta pensaret. Iniqui enim ideo cum fine deliquerunt, quia cum fine vixerunt, nam voluissent vtique, si potuissent sine fine viuere, vt potuissent sine fine peccare: Ostendunt enim quia in peccato semper viuere cupiunt, qui nunquam desinunt peccare, dum viuunt. Ad magnam ergo iustitiam iudicantis pertinet vt nunquam careant supplicio, qui in hac vita nunquam voluerunt carere peccato. Petrus. Sed nullus iustus crudelitate pascitur & delinquens seruus à † suo Domino idcirco cædi præcipitur, vt à nequitia corrigatur: ad hoc ergo vapulat, vt emendare debeat: iniqui autem gehennæ ignibus traditi si ad correctionem non perueniunt, quo fine semper ardebunt? Gregorius. Omnipotens Deus quia pius est, miserorum cruciatu non pascitur quia autem iustus est, ab iniquorum vltione in perpetuum non sedatur. Sed iniqui omnes æterno supplicio deputati, sua quidem iniquitate puniuntur, & tamen ad aliquid ardebunt, scilicet vt iusti omnes & in Deo videant gaudia, quæ percipiunt, & in illis perspiciant supplicia, quæ euaserunt: quatenus tanto magis in æternum diuinæ gratiæ debitores se esse cognoscant, quanto in æternū mala puniti conspiciunt, quæ eius adiutorio vicerunt.

Gregor. Dialog. l.4.c.43. — † al. vnusquisque … pœnam. — † al. tantum illic sentietur pœna. — Ibid. c. cap 44. — † al. ne… — G — mirum. — Matth. 25.46. — † al. compesceret. — H — † al. iusto

A
tunt. Petrus. Et vbi est, quod sancti sunt, si pro inimicis suis, quos tunc sedere viderint non orabunt, quibus vtique dictum est:
Luc. 6. 28.
Pro inimicis vestris orate. Gregorius. Orant pro inimicis suis eo tempore, quo possunt ad fructuosam pœnitentiam eorum corda conuertere, atque ipsa conuersione saluare: quid enim aliud est pro inimicis orandum, nisi hoc quod Apostolus ait:
1. Tim. 2. 25.
Vt det illis Deus pœnitentiam ad cognoscendam veritatem, & resipiscant a diaboli laqueis, à quo capti tenentur ad ipsius voluntatem. Petrus. Placet quod dicis.
† al. orabunt.
Et quomodo pro illis tunc † orabitur, qui iam nullatenus possunt ad iustitiæ opera ab iniquitate commutari: Gregorius: Eadem itaque causa est, cur non oretur tunc pro hominibus æterno igne damnatis Quæ nunc etiam causa est, vt non oretur pro diabolo, & Angelis eius æterno supplicio deputatis, quæ nunc etiam causa est, vt non orent sancti homines pro hominibus infidelibus impiisque defunctis, nisi quia de eis vtique quos
B
æterno supplicio deputatos iam nouerunt, ante illum iudicis iusti conspectum orationis suæ meritum cassari refugiunt: quod si nunc quoque viuentes iusti mortuis, & damnatis iniustis minimè compatiuntur, quando adhuc
† al. carne.
aliquid iudicabile de sua † causa sese perpeti etiam ipsi nouerunt, quanto districtius tunc iniquorum tormenta respiciunt, quando ab omni vitio corruptionis exuti, ipsi iam iustitiæ vicinius atque arctius inhærebunt. Sic quippè eorum mentes per hoc, quod iustissimo iudici inhærent, vis districtionis absorbet, vt omnino eis non libeat,
† al. discdat.
quicquid ab illius æternæ regulæ subtilitate † viderint discordare.]

Prud.
† Quæ omnia cum in isto temporalibus nostris necessitatibus commodato igni nullatenus posse fieri certum sit, conijcitur alium debere accipi illum,
Math. 25. 41.
qui paratus dicitur diabolo, & Angelis eius: Ac per hoc non improbabiliter forsitan dicitur, alius ad cruciandos impios à Deo creatus, quia absque materiarum alimentis eorum corpora, & animas sine sui illorumque defectu possit
C
exurere, quod istum sine fomentis corporalibus nullatenus valere manifestissimè comprobatur. De quibus quia temerè nihil affirmare præsumo, hoc certum teneo in illo igni, quod quartum elementum dicitur sanctorum corpora nequaquam substantialiter constatura, quis quorum vera erit gloria, & incorruptio, certè sicut aëre, & aqua non indigebunt, ita nec ignis eos necessitatem perpeti verax ratio innuit: promittitur quippè sanctis omnibus,
Luc. 20. 36.
quod *erunt* in illa beatæ resurrectionis gloria *Æquales Angelis Dei.* Sicut ergo sancti Angeli non habent beatitudinis suæ gloriam in isto igni, quippe qui nequaquam ex elementis compacti, sed ex nihilo facti creduntur: ita sancti, quamuis habeant eadem corpora, quæ per mortem fuerant resoluta, perenni glorificatione immutata; Nullomodo tamen beatitudinis præmium in igne percipient, sed in contemplatione semper viuentis Dei, qui nullis elementorum creaturarumve quarumlibet spatiis circumscribitur, quin potius cuncta suæ omnipotentiæ virtute circumplectitur, regit, implet, &
D
continet.

Quia igitur quemadmodum iam probauimus, Dominus noster Iesvs Christvs corpore vltra omnes creaturas ascendisse & esse veraciter creditur, & fideliter prædicatur: ibi nimirum sanctos omnes societate beatorum spirituum æterna exultatione gaudentes futuros credimus, dicente ipso:
Matth. 24. 28.
Vbicumque fuerit corpus, illuc congregabuntur aquilæ, non intra mundi quatuor elementa, quibus eos iam non egere fide infatigabili tenetur & stipulatur. Si enim sanctos Angelos intra mundi elementa suæ beatitudinis præmium percepisse absurdissimum est æstimari, quo pacto homines sancti eorum beatitudini coæquari alio dicantur locandi, quam illo vbi certissimè creduntur consistere, quibus æquantur, nec rationi nec auctoritati viderim conuenire. De quo adhuc continuanter. Adiungis dicens.

E

Ioannes Scotvs.

Cap. 19. num. 3. sect. 2.
⊖ *Vbi non incongruè credendum, quod corpora sanctorum in ætheream mutabuntur qualitatem, quæ ab alia qualitate consumi non potest, cum inferiorum corporum qualitates in se mutare possit, impiorum vero corpora in aëream qualitatem transitura, vt à superiore igne patiantur.*

Correctio.

Prud. Iob. 19. 26.
† Hæc fidei Catholicæ aduersa prorsus pronuntio, dicente beato Iob: *Et rursus circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum, quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt, & non alius.* Æther quippè non est caro, neque pelle carnea circumdatur, neque ossibus,
F
& neruis compingitur. Quam ipse Dominus iam resurrectione glorificatus se habere manifestat, qui dixit:
Luc. 24. 38.
Videte manus meas, & pedes meos, quia ipse ego sum palpate, & videte quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere: Item Apostolo Thomæ:
Ioan. 20. 27. Ib. v. 25. 28.
Infer digitum tuum huc, & vide & manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum, & noli esse incredulus, sed fidelis: Ille enim dixerat: *Nisi videro in manibus eius figuram clauorum, & mittam digitum meum in locum clauorum, & mittam manum meam in latus non credam:* Quibus palpatis respondit Thomas & dixit: *Dominus meus, & Deus meus* Hæc in æthereo corpore posse fieri nullus vnquam orthodoxorum asseruit, nullus docuit. Tu autem in Origenis scita concedis, qui multipliciter de resurrectione disserens, resurrectionem, glorificationemque corporum multoties ingeminat, carnis vero vel omnino negat, vel subdolè vocabulo corporis palliat.

Isid. Origenum
Proinde prius quærendum videtur, quid sit æther, vt consequenter cætera competentius pertractentur. Isidorus,
G
[Æther vt (Isidorus ait) locus est in quo sydera sunt,
l. 13. c. 5. † al. in altchum. Ib. c. 7. 11
& significat eum ignem, qui à toto mundo † in altum separatus est. Sanè æther est ipsum elementum, æthera vero splendor ætheris, & est sermo Græcus. Aër est inanitas plurimum habens admixtum raritatis, quam cætera elementa, hic autem partim ad terram, partim ad cœlestem materiam pertinet. Nam ille subtilis, vbi ventosi, ac procellosi motus non possunt existere, ad cœlestem pertinet partem: iste vero turbulentior, qui exhalationibus humidis corporascit, terræ deputatur, quique ex se multas species reddit: nam commotus ventos facit, vehementius cōcitatus ignes & tonitrua, contractus nubila, conspissatus pluuias, congelantibus nubibus niuem, turbulentius congelantibus densioribus nubibus grandinem, distentus serenum efficit. Nam aërem densum nubem esse constat, nubem rarefactam & solutum aërem.]

Bed. Hexamerod col. 10.
† Beda in Genesi. Beda. Hoc enim factis syderibus ad augmentum primariæ lucis accessit, vt etiam nox luminosa procederet, vel lunæ vtique splendore, vel stellarum, vel vtroque irradiata, quæ eatenus nihil præter tenebras nouerat antiquas.
H
Nam etsi nobis sæpissimè nox tenebrosa videtur, & cæca, obscurato videlicet nebulosis turbinibus aëre, qui terræ proximus est; superiora tamen illa spatia, quæ ætheris nomine censentur & à turbolento hoc aëre vsque ad syderum pertingunt cœlum, semper ob syderum circumeuntium redduntur lucida, fulgorem.]

Prud.
† Quæ cum ita sint, si sanctorum corpora in ætheream qualitatem mutabuntur, aut erunt ignis, & amittent veritatem terreni corporis, aut erunt cœlum & sydera, & carebunt nihilominus carne, ossibus, & neruis: quod quam sit à sinceritate Christianæ fidei alienum, neminem studiosorum latet; nam cum dicat Apostolus:
1. Cor. 15. 51. 42.
Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur, quænam illa immutatio credi debeat, ipse nos doceat: *Seminatur* (inquit) *in corruptione, surget in incorruptione, seminatur in ignobilitate, surget in gloria: Seminatur in infirmitate, surget in virtute: Seminatur*

A d.v.51. *corpus animale, surget corpus spiritale*: Et item: *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur, in momento, in ictu oculi, in nouissima tuba: canet enim, & mortui resurgent incorrupti, & nos immutabimur*: 52. &c. *Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem.* Ecce Apostolus immutationem sanctorum, non substantiæ amissionem, sed glorificationem prædicat, videlicet, vt corpus, quod cum corruptione, ignobilitate, & infirmitate sepelitur, in illa resurrectionis beatitudine incorruptum, validum; gloriosumque resurgat: Ita in veritate suæ substantiæ & palpabile, & tractabile, visibile subsistens, vt gloria pro meritis ei sit addita, non natura in naturam aliam quolibet commento mutata: vnde & sanctus Hieronymus in Epistola ad Galatas.

Hieron. ad Galat. 6.c 15. Hieronymus. [Cum enim (inquit) sancto mundus fuerit crucifixus, *Nequaquam est ei circumcisio, & præputium, non Iudæus, nec Gentilis*, sed noua creatura, *in* B Col. 3. 11. *quam transfiguratur corpus humilitatis nostræ conforme corporis gloriæ Christi*: *vetera* quippe *transierunt, ecce* 2. Cor. 5. 17. *facta sunt omnia noua, & quomodo alia est gloria Solis, alia Lunæ, alia Stellarum, stella quippe à stella differt in* 1.Cor. 15.41. *gloria, sic & resurrectio mortuorum*, de qua & Daniel Dan. 12. 2. 3. pari voce concordat dicens: *Plurimi dormientium de terræ puluere surgent, hi in vitam æternam, & hi in opprobrium, & confusionem æternam: Et intelligentes fulgebunt, sicut splendor Firmamenti*, & de iustis *multi sicut stella in sempiternum.* Neque enim in Sole & Luna, Firmamento & stellis circumcisio aliquid valet aut præputium, sed est noua conditio sine his partibus corporum, quæ possunt secari. Ita igitur & nos qui diligimus Deum & præparata sunt nobis, *quæ nec oculus vidit, nec auris au-* 1.Cor. 2.9. *diuit, nec in cor hominis ascenderunt*, cum de corpore humilitatis transformati fuerimus in corpus gloriæ Domini IESV CHRISTI. Illud habebimus corpus quod nec *al. non quod. Iudæus possit incidere, nec cum præputio custodire Gentilis, * neque aliud iuxta substantiam sit, sed quo iuxta C gloriam sit diuersum.] † Idem in expositione Ionæ Prophetæ.

Idem in Ionam c.2,7. Hieronymus. [*Et subleuabis de corruptione vitam meam Domine Deus meus. LXX. Et ascendet de corruptione vita mea Domine Deus meus.* Propter ea dixit sub- Act.2. 27. leuabis, vel ascendet de corruptione vita mea; quia ad corruptionem & ad inferna descenderat. Hoc est quod Apostoli interpretantur 15. Psalmo ex persona Domini d.v.27. Prophetatum, *quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem*, quod David scilicet, & mortuus sit & sepultus: Saluatoris au- *al. videbit. tem caro non * vidit corruptionem. Alij vero interpretantur, quod ad comparationem cœlestis beatitudinis Ps.102. 3 & 4. & verbi Dei humanum corpus corruptio sit, quod seminatur in corruptione, & in 102. Psalmo ex persona Rom.7. 24. iusti significetur: *Qui sanat omnes infirmitates tuas, qui* *al.de. *redemit * ex interitu vitam tuam.* Vnde & Apostolus dicat. *Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius*, & appelletur *corpus mortis* vel *corpus humilita-* D *tis.* Hoc illi ad occasionem suæ ducant hæreseos, vt sub persona Christi mentiantur Anti-Christum, Ecclesias teneant, vt ventrem pinguissimum nutriant, & carnaliter viuentes, contra carnem disputent: nos autem scimus de incorrupta virgine corpus adsumptum non cor- 1.Cor. 15.44. ruptionem Christi fuisse, sed templum. Quod si in Apostoli ad Corinthios sententiam trahimur, in qua corpus dicitur spiritale, ne contentiosi videamur, dicemus ipsum quidem corpus & eandem carnem resurgere, quæ sepulta est, quæ in humo condita est, sed mu- Ibid.53. tare eam gloriam, non mutare naturam. *Oportet enim corruptiuum hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem*, quando dicitur hoc, quodammodo duobus digitulis comprehensum corpus ostenditur, hoc in quo nascimur, hoc in quo morimur, hoc quod timent recipere, qui puniendi sunt, hoc quod virginitas expectat ad præmium; adulterium formidat ad pœnam. † Idem in libro contrà Iouinianum 1.

E Idem contra Iouinianum lib. 1, post medium. Hieronymus. [Qui in Christum credimus Christi sectamur exempla, & si noueramus illum iuxta carnem, sed iam nunc non nouimus eum secundum carnem. Certè in resurrectione eadem erit corporum substantia, qua nunc vtimur, licet auctior gloria: Nam & Saluator in tantum ipsum corpus habuit post inferos, in quo Ioan.20. 20.& 27. & crucifixus est, *Vt manus perforatas clauis & lateris vulnus ostenderet*: Porro si *clausis ingressus est ostiis*, Ibid. 19. & 26. quod humanorum corporum natura non patitur. Ergo & *Petrum* & *Dominum* negabimus vera habuisse corpo- Matth. 14.25.& 29. ta, *qui ambulauerunt super aquas*, quod contra naturam est. *In resurrectione mortuorum non nubent, neque nubentur,* Luc.20. 35.& 36. *sed similes erunt Angelis*, quod alij postea in cœlis futuri sunt, hoc virgines in terra esse cœperunt. Si Angelorum nobis similitudo promittitur: inter Angelos autem non est sexus diuersitas, aut sine sexu erimus, quod Angeli sunt aut certe quod liquido comprobatur, resurgentes in proprio sexu, sexus non fungemur officio.] † Augustinus in libro Enchiridion.

F August. Enchir. cap.88. Augustinus. [Non enim perit Deo terrena materies, de qua mortalium creatur caro: sed in quemlibet puluerem cineremue soluatur, in quoslibet halitus aurasque diffugiat, in quacunque aliorum corporum substantiam, vel in ipsa elementa vertatur, in quorumcunque animalium etiam hominum cibum cedat, carnemque mutetur, illi animæ humanæ puncto temporis redit, quæ illam primitus vt homo fieret, cresceret, viueret animauit.] † Et post aliqua.

Idē ibid. cap.91. Augustinus. [Resurgent igitur sanctorum corpora sine vllo vitio, sine vlla deformitate, sicut sine vlla corruptione, onere, difficultate, in quibus tanta facilitas, quanta fœlicitas erit: propter quod & spiritalia dicta sunt, cum proculdubio corpora sint futura, non spiri- 1.Cor. 15.44. tus: Sed sicut nunc corpus animale dicitur, quod tamen corpus non anima est, ita nunc spiritale corpus erit: Corpus tamen non spiritus erit. Proinde quantum attinet ad corruptionem, quæ nunc aggrauat animam, & G Gal.5. 17. ad vitia, quibus *caro aduersus spiritum concupiscit*, tunc non erit caro, sed corpus, quia & cœlestia corpora per- 1. Cor. 15.50. hibentur, propterquod dictum est: *Caro & sanguis Regnum Dei non possidebunt*, & tanquam exponens quid di- d.v.50. xerit: *Neque corruptio* (inquit) *incorruptionem possidebit* Luc.24. 39. quod prius dixit: *Caro & Sanguis*, hoc posterius dixit *corruptio*; & quod priùs *Regnum Dei*, hoc posterius *incorruptionem*; quantum autem attinet ad substantiam, etiam tunc caro erit, propter quod & post resurrectionem Cor- *al. appellatum. pus Christi caro * appellata est. Sed ideo ait Apostolus *Seminatur corpus animale * surget corpus spiritale*, quo- *al. resurget. niam tanta erit tunc concordia carnis & spiritus, viuifi- *al. sustentaculi indigentia. cante spiritu, sine * sustentaculo alicuius indigentiæ subditam carnem, vt nihil nobis repugnet ex nobis: sed sicut foris neminem nec ita intus nos ipsos patiamur ini- 1. Cor. 15.44. micos.] † Gregorius in Moral. libro 14.

Gregor. Moral. lib.14. Gregorius. [Sed ecce resurrectionem audio, effectum tamen eiusdem resurrectionis exquiro: credo namque quia resurrecturus sum, sed volo, vt audiam qualis, sciendum quippe mihi est, vtrum in quodam alio subtili, H cap.38. in fine. fortasse vel aëreo, an in eo quo morior corpore resur- Iob 19. 25. gam. Quod si in aëreo corpore resurrexero, iam ego non ero, qui resurgo: Nam quomodo est vera resurrectio, si vera esse non poterit caro? Aperta ergo ratio suggerit, quia si vera caro non fuerit, proculdubio resurrectio vera non erit: Neque enim recte resurrectio dici potest, vbi non resurgit, quod cecidit. Sed has nobis beate Iob dubietatis nebulas tolle, & quia per acceptam sancti Spiritus gratiam de spe nobis loqui nostræ resurrectionis cœpisti, apertè iudica, si caro nostra veraciter resurgat. v. 26. Sequitur: *Et rursum circumdabor pelle mea*, dum aperte pellis dicitur, omnis dubitatio veræ resurrectionis aufertur, quia non sicut Euticius Constantinopolitanæ vrbis Episcopus scripsit, corpus nostrum in illa resurrectionis gloria erit impalpabile, ventis, aëreque subtilius; in illa enim resurrectionis gloria erit corpus nostrum subtile quidem per effectum spiritalis potentiæ, sed palpabile per veritatem naturæ. Vnde etiam

Redemptor

Redemptor noster dubitantibus de sua Resurrectione Discipulis, *Ostendit manus, & latus, palpanda*, ossa carnémque præbuit dicens: *Palpate & videte, quia spiritus ossa & carnem non habet, sicut me videtis habere.* Qui cùm Euticio eidem in Constantinopolitana vrbe positus hoc * Euangelij testimonium protulissem, ait: idcirco hoc Dominus fecit, vt dubitationem resurrectionis suæ de Discipulorum cordibus amoueret: Cui (inquam) mira est res valde, quam adstruis, vt inde nobis dubietas surgat, vnde Discipulorum corda à dubietate sanata sunt, quid enim deterius dici potest, quàm vt hoc nobis de eius vera carne dubium fiat, per quod Discipuli eius ad fidem ab omni sunt dubietate † reparati? si enim hoc nõ habuisse adstruitur, quod ostendit, vnde fides Discipulis eius confirmata est, inde nostra destruitur, qui adiungebat etiam dicens corpus palpabile habuit, quod ostendit, sed post confirmata corda palpantium, omne illud in Domino, quod palpari, potuit in subtilitatem est aliquam redactum. Ad hæc ipse respondit dicens scriptum est: *Christus surgens à mortuis iam non moritur, mors ei vltra non dominabitur*: si quid ergo in eius corpore post Resurrectionem potuit immutari, contra veridicam Pauli sententiam, post Resurrectionem Domini rediit in mortem, quod quis dicere vel stultus præsumat, nisi qui veram carnis eius Resurrectionem denegat? tunc mihi obiecit dicens; cùm scriptum sit: *Caro & sanguis regnum Dei possidere non possunt*, quâ ratione credendum est resurgere veraciter carnem; cui (inquam) in sacro eloquio, aliter caro dicitur iuxta naturam, atque aliter iuxta culpam vel corruptionem: caro quippe iuxta naturam sicut scriptum est, *Hoc nunc os de ossibus meis, & caro de carne mea: Et Verbum caro factum est, & habitauit in nobis*, caro verò iuxta culpam sicut scriptum est: *Non permanebit in hominibus istis spiritus meus, eò quòd sunt caro*: & sicut Psalmista ait. *Memoratus est quia caro sunt, spiritus vadens & non rediens*: vnde & Discipulis Paulus dicebat, *Vos autem in carne non estis, sed in spiritu*; neque enim in carne non erant quibus Epistolas transmittebat, sed quia passiones carnalium desideriorum vicerant, iam liberi per virtutem spiritus, in carne non erant. Quod ergo Paulus Apostolus dicit: *Quia caro sanguis regnum Dei possidere non possunt*; carnẽ vult secundũ culpam intelligi, non carnẽ secundum naturam; vnde & mox quia carnem secundum culpam diceret, ostendit subdens: *Neque corruptio incorruptelam possidebit*. In illa ergo cœlestis regni gloria caro secundum naturam erit, sed secundum desideria † passionis non erit, quia deuicto mortis aculeo in æterna incorruptione regnabit. Quibus dictis isdem Euticius consentire se protinus respondit. Sed tamen adhuc corpus palpabile resurgere posse denegabat, qui etiam in libello, quem de resurrectione scripserat, Pauli quoque Apostoli testimonium indiderat dicentis, *Tu quod seminas non viuificatur, nisi priùs moriatur, & quod seminas non corpus, quod futurum est seminas, sed nudum granum*: hoc nimirum ostendere festinans: quia caro vel impalpabilis, vel ipsa non erit, dum sanctus Apostolus de resurrectionis agens gloria, *Non corpus quod futurum est seminari dixerit*. Sed ad hæc citiùs respondetur, nam Paulus Apostolus dicens: *Non corpus quod futurum est seminas, sed nudum granum, granum* hoc insinuat quod videmus, quia *granum* cum culmo & foliis nascitur, quod sine culmo & foliis seminatur. Ille itaque in augmento gloriæ resurrectionis non dixit grano seminis deesse quod erat, sed adesse quod non erat. Iste autem dum verum corpus resurgere denegat, nequaquam dicit adesse quod deerat, sed deesse quod erat. Tunc itaque hac de re in longa contentione perducti grauissima à nobis cæpimus simul ratione resilire. * Cùm piæ memoriæ Tyberius Constantinus Imperator secreto me & illum suscipiens, quid inter nos discordiæ versaretur agnouit, & vtriusque partis allegationem pensans eundem librum quem de resurrectione scripserat, suis quoque allegationibus destruens deliberauit, vt flammis cremari debuisset. A quo vt egressi sumus, me ægritudo valida, eundem verò Euticium ægritudo & mors protinus est secu-

(Margin: A — Luc. 24. 38. — * al. Euangelica veritatis. — † al. separati — B — Rom. 6. 9 — 1 Cor. 15. 50. — Gen. 2. 23. — Ioan. 1. 14. — Gen. 6. 3. — Psal. 77. 39. — Rom. 8. 9. — C — 1. Cor. 15. 50. — d. v. 50. — † al. passionum. — 1. Cor. 15. 36. v. 37. — D — d. v. 37. — * al. Et)

ta, quo mortuo quia penè nullus erat, qui eius dicta sequeretur, dissimulaui cœpta † prosequi ne in † fabellas viderer verba iaculari. Dũ tamẽ adhuc viueret & ego validissimis febribus ægrotarem, quicunq; noti mei ad eum salutationis gratia pergebant, vt eorum relatione cognoui, ante eorum oculos pellem manus suæ tenebat dicens: Confiteor quia omnes in hac carne resurgemus, quod sicut ipsi fatebantur, omnino priùs negare consueuerat. Sed nos ista postponentes, in Beati Iob sermonibus subtiliter exquiramus, si vera erit resurrectio, verúmque corpus in resurrectione. Ecce enim iam de spe resurrectionis dubitare non possumus dũ ait. *Et in nouissimo die de terra surrecturus sum*: dubietatem quoque de reparatione vera corporis abstulit qui ait: *Et rursum circumdabor pelle mea*, qui adhuc ad auferendas ambages nostræ cogitationis subdit, *Et in carne mea videbo Deum*: Ecce resurrectionem, ecce pellem, ecce carnem apertis vocibus fatetur: quid ergo remanet vnde possit mens nostra dubitare? si itaque iste vir Sanctus ante effectum Resurrectionis Dominicæ reducendam carnem in integro statu credidit, qui erit reatus nostræ dubitationis, si vera carnis resurrectio, nec post exemplum creditur Redemptoris? si enim post resurrectionem corpus palpabile non erit, profectò aliud surgit, quàm moritur, & quod dictu nefas est, credere quia ego morior & alius resurgit: vnde quæso te beate Iob subiunge quæ sentis; & huius nobis quæstionis scrupulum tolle: sequitur *Quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt, & & non alius*: si enim sicut quidam errorum sequaces arbitrantur, quia post resurrectionem corpus palpabile non erit: sed inuisibilis corporis subtilitas caro vocabitur, quamuis substantiæ carnis non sit, profectò alius est qui moritur, & alius qui resurgit: sed beatus Iob hanc in eis sententiam veridicâ voce destruit, qui ait, *Quem visurus sum ego ipse & non alius, & oculi mei conspecturi sunt*: nos autem beati Iob fidem sequentes, & Redemptoris nostri post Resurrectionem corpus palpabile veraciter credentes, fatemur carnem nostram post resurrectionem futuram & eandem & diuersam, eandem per naturam, diuersam per gloriam: & eandem per veritatem, diuersam per potentiam. Erit itaque † subtilis, quia & incorruptibilis; erit palpabilis, quia non amittet essentiam † veritatis naturæ.]

† Veritas vtique carnis, & ossium quantumlibet glorificandorum in illa resurrectionis gloria ab omnibus concorditer prædicatur, & à nullo ætereæ qualitatis immutatio perdocetur; Verùm ne ex verbis Augustini nobis præiudicandum putes, qui in libro quæstionum octoginta trium dixisse legitur Angelica, corpora qualia nos speramus habituros lucidissima atque ætherea esse credendum est: audi quid super hoc dicto ipse retractauerit.

Augustinus. [Si hoc (inquiens) sine membris, quæ nunc habemus & sine substantia, quamuis incorruptibilis tamen carnis accipiatur, erratur; multo autem melius in opere de ciuitate Dei quæstio ista tractata est.] † Idem retractans librum suum de Agone Christiano.

Augustinus. [In quo, inquit, illud quod positum est, nec eos audiamus qui carnis resurrectionem futuram negant & commemorant quod ait Apostolus Paulus: *Caro & sanguis regnum Dei non possidebunt*, non intelligentes quod ipse dicit Apostolus: *Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem*. Cùm enim hoc factum fuerit, iam non erit caro & sanguis, sed cœleste corpus: non sic accipiendum est quasi carnis non sit futuræ substantia, sed carnis, & sanguinis nomine ipsam corruptionem carnis, & sanguinis intelligendus est Apostolus nuncupasse, quæ vtique in regno illo non erit: vbi caro incorruptibilis erit quamuis & aliter possit intelligi, vt carnem & sanguinem, opera carnis & sanguinis dixisse accipiamus Apostolum, & eos Dei regnum non possessuros, qui perseueranter ista dilexerunt.] † Item in retractatione libri de Fide & Symbolo.

Augustinus. [In hoc libro cùm de resurrectione carnis

(Margin: E — † al. persequi — † al. fabellas — Iob 19. 25 — v. 26 — F — v. 27. — G — † al. spiritalis — † al. veri cũ Prud. — Aug. retract. l. 1. c. 26. — H — Idem ibi lib. 1. c. 3. — 1. Cor. 15. 50. — v. 53. 54.)

A — Idē ibid. lib. 5. cap. 17.

agererur, resurger (inquam) corpus secundum Christianam fidem, quæ fallere non potest, quod cui videtur incredibile, qualis sit nunc caro attendit; qualis autem futura sit non considerat: quia illo tempore immutationis Angelicæ non iam caro erit & sanguis, sed tantum corpus, & cætera quæ ibi de corporum terrestrium in corpora cœlestium mutatione disserui. Quoniam dixit Apostolus cùm inde loqueretur: *Caro & sanguis regnum Dei non possidebunt:* sed quisquis ea sic accipit, vt existimet, ita corpus terrenum, quale nunc habemus, in corpus cœleste resurrectione mutari, vt nec membra ista, nec carnis sit futura substantia, proculdubio corrigendus est, commonitus de corpore Domini, qui post resurrectionem in eisdem membris non solùm conspiciendus oculis, verùm etiam manibus tangendus apparuit, carnémque se habere etiam sermone firmauit dicens, *Palpate, & videte, quia spiritus carnem, & ossa non habet, sicut me videtis habere.* Vnde constat Apostolum, non carnis substantiam negasse in Dei regno futuram, sed aut homines qui secundum carnem viuunt, carnis & sanguinis nomine nuncupasse, aut ipsam carnis corruptionem, quæ tunc vtique nulla erit. † Idem in libro vigesimo secundo de ciuitate.

1. Cor. 15. 50.

Luc. 24. 39.

B

Augustinus. [Quæ igitur illa sunt inquiens, si tot ac talia & tanta sunt ista? Quid dabit eis quos prædestinauit ad vitam, qui hæc dedit etiam eis, quos prædestinauit ad mortem: quæ bona in illa beata vita faciet eos sumere, pro quibus in hac miseria vnigenitum Filium suum voluit vsque ad mortem mala tanta perferre, vnde Apostolus de ipsis in illud regnum prædestinatis loquens, *Qui proprio*, inquit, *filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum quo modo non * & cum illo omnia nobis * donabit?* Cùm hæc promissio complebitur, quid erimus? quales erimus, quæ bona in illo regno accepturi sumus? quandoquidem Christo moriente pro nobis tale iā pignus accepimus; qualis erit spiritus hominis, nullum omnino habens vitium, nec sub quo iacebit, nec cui cedat, nec contra quod saltem laudabiliter dimicet, pacatissima virtute perfectus. Rerum ibi omnium quanta, quàm speciosa, quàm certa scientia, sine errore aliquo, vel labore, vbi Dei sapientia de ipso suo fonte potabitur cum summa fœlicitate sine vlla difficultate? quale erit corpus, quod omnimodo spiritui subditum, & * quo sufficienter viuificatum nullis alimoniis indigebit? non enim, animale sed spiritale erit, habens quidem carnis, sed sine vlla carnali corruptione substantiam. † Idem in Homilia Paschæ.

Idem de ciuit. Dei lib. 22. cap. 24. ad finē.

Rom 8. 32. *al. etiā. † al. donauit.

C

† al. eo.

Augustin. [Audi imperite contra quotidianas lectionum voces, surde, audi, quomodo redit ad corpus quidem, sed non mortis huius: Non quia aliud erit corpus, sed quia *Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem & mortale hoc induere immortalitatem:* Fratres mei quando dicebat Apostolus, *Corruptibile hoc, mortale hoc* quodammodo carnem suam voce tangebat, non ergo aliud: (non inquit) pono corpus terreum & accipio corpus aëreum, aut accipio *corpus* æthereum *ipsum* accipio, sed iam *non mortis huius, quia oportet corruptibile*, non aliud sed *hoc induere corruptionem, & mortale* non aliud sed *hoc induere immortalitatem.*]

Idem serm. 18. Iac. Sirmundo feria 5. post Pascha. 1. Cor. 15. 52.

D

Prud.

† Omnium itaque orthodoxorum ista resurrectionis corporum humanorum concors sententia est, vt in vera, immo eadem carne, qua dissoluta sunt, atque in putredinem, pulueremque redacta, in eisdem ossibus, in eisdem membris, eisdemque officiis resurrectura credantur, addita omnibus immortalitate: sed solis sanctis glorificatione perpetua: impiis naturæ tantum, licet ad pœnam immortalitate seruata: quicquid etenim de resurgentium corporibus fallaciter autumari, & mendaciter fingi poterat euacuauit veritas carnis resurgentis Domini nostri IESV CHRISTI, quam palpabilem & mortalibus oculis visibilem, cicatricibus quoque cognoscibilem præbendo, quid de membris eius credi deberet ostendit, videlicet nequaquam in æthereo vel aëreo corpore surrectura, sed in eo, in quo dissolui potuerant quamlibet glorificato. Nec illud minus probabile huic assertioni additur, quod cum in iudicio omnes etiam peccatores visuri sint Dominum Saluatorem, nullatenus in æthereo corpore, sed in carne licet immortali eum visuri creduntur: quoniam *Videbunt in quem compunxerunt.* Cicatrices quippe in æthereo corpore nullæ sunt, aut esse possunt: restat ergo, vt in terrenæ substantiæ quamlibet cœlesti atque incorruptibili posthac, immo ineffabili gloria donato corpore videatur in quo cicatrices plagarum videant impij; quas crudeliter, & iniquissimè inflixerunt, quas contumaciter & superbissime contempserunt, ac deriserunt. Nisi forte cum Marcione, eiusque complicibus dicturus es, Dominum nostrum IESVM CHRISTVM tabernaculum, id est corpus suum ascendentem in cœlum deposuisse, & aut sine corpore in cœlo consistere, aut aliud vel æthereum, vel quodcunque libuerit resumpsisse. Quam impietatem iam olim Ecclesiastica pietas cum sui auctoribus prædamnauit.

E

F

Certum est igitur nulla sanctorum corpora in ætheream, nulla reproborum in aëream qualitatem mutanda vel transitura, sed eadem quæ temporaliter mortua fuerant, surrectura, vt in eisdem recipiant quod merentur. Hinc etiam vel maxime tua impudentia deprehenditur, quod immutationem damnatis attribuas, quam solis sanctis Apostolus compromittit dicens. *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur.* Et item: *Mortui resurgent incorrupti. Et nos immutabimur.* Nec mirum si contra sequaces Apostolicæ doctrinæ, & fidei impudens obstrepas, qui contra Apostolicam sublimitatem ausus es obgannire: neque à superiore igne (vt deliras) impiorum corpora patientur, sed *in eo igne* incommutabiliter ardebunt, *qui præparatus est diabolo, & Angelis eius.* Hinc Augustinus in libro 21. de ciuitate Dei. Augustinus. [Quid adhuc à nobis rerum poscuntur exempla quibus doceamus non esse incredibile, vt hominum corpora sempiterno supplicio punitorum & igne animam non amittant, & sine detrimento adeant, & sine interitu doleant habebit enim tunc ista carnis substantia qualitatem ab illo inditam, qui tam miras & varias tot rebus indidit quas videmus, vt eas, quia multæ sunt non miremur. † In eodem.

1. Cor. 15. 51. 52.

Math. 25. 41. August. de ciuit. Dei lib. 21. c. 4.

G

Augustinus. [Quod igitur de sempiterno supplicio damnatorum per suum prophetam Deus dixit fieri, omnino fiet: *vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur.* Ad hoc enim vehementius commendandum etiam Dominus IESVS cum membra, quæ hominem scandalizant pro his omnibus poneret, quos vt sua membra dextra quisque diligit, eáque præciperet amputari. *Bonum est tibi* (inquit) *debilem introire in vitam æternam, quam duas manus habentem mitti in gehennam * ignis inextinguibilis, vbi vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur:* Similiter de pede. *Bonum est tibi* (inquit) *claudum introire in vitam æternam, quam duos pedes habentem mitti in gehennam ignis inextinguibilis: vbi vermis eorum non morietur, & ignis non extinguetur*, non aliter ait & de oculo, *bonum est tibi luscum introire in regnum Dei, quam duos oculos habentem mitti in gehennam ignis inextinguibilis: vbi vermis eorum non morietur, & ignis non extinguetur.* Non eum piguit vno loco eadem verba ter dicere, quem non terreat ista repetitio & illius pœnæ * commendatio tam vehemens ore diuino. Vtrumque autem horum, ignem scilicet, atque vermem qui volunt ad † animarum pœnas non ad corporis pertinere, dicunt etiam vri dolore † animi sero, atque infructuose pœnitentes eos, qui fuerint à regno Dei separati, & ideo ignem pro isto dolore vrentem non incongruè poni potuisse contendunt. Vnde illud Apostoli est, *Quis scandalizatur, & ego non vror*, eundem etiam vermem putant intelligendum esse. Nam scriptum est inquiunt, *Sicut tinea vestimentum, & vermis lignum, sic mæror excruciat cor viri:* Qui verò pœnas & † animi & corporis nullo supplicio futuras esse non dubitant igne vri corpus, † animum autem rodi quodammodo verme mœroris affirmant. Quod & si credibilius dicitur, quia vtique absurdum est ibi dolorem

Idē lib. 21. c. 9. Isa. 66. 24.

Marc. 9. 42. † al. in ignem inextinguibilem. Marc. 9. 42. 43. 44. 45. 46. 47.

H

† al. commonitio.
† al. animæ.
† al. animæ.

2. Cor. 11. 29. Prou. 25. 20.

† al. animæ.
† al. animæ.

A † al. *anima.* † al. *existimo.* lorem aut corporis aut † animi defutorum. Ego tamen facilius † est, vt ad corpus dicam vtrumque pertinere, quam neutrum: Et ideu tacitum in illis diuinæ Scripturæ verbis animi dolotem, quoniam consequens esse intelligitur, etiam si non dicatur vt corpore sic dolente animus quoque sterili pœnitentia cruciettur: legitur quippe & in veteribus Scripturis *Vindicta carnis impy ignis & vermis* (Eccles. 7. 19.) potuit breuius dici: vindicta impij cur ergo dictum est *carnis impy*, nisi quia vtrumque, idest & ignis & vermis pœna erit carnis: aut si vindictam carnis propterea dicere voluit quia hoc in homine vindicabitur, quod secundum carnem vixerit propter hoc enim venier in mortem secundam, quam significauit Apostolus dicens: *Si enim secundum carnem vixeritis moriemini.* (Rom. 8.) Eligat quisque quod placet, aut ignem tribuere corpori, animo vermem, hoc propriè, illud * non propriè, aut vtrumque propriè corpori: iam satis superius disputaui posse animalia etiam in ignibus viuere, in vstione sine consumptione, in dolore sine morte, (B † al. *proprie.*) per miraculum omnipotentissimi creatoris.] † Et paulo post.

Augustinus. [Eligat ergo vnum è duobus qoisque (Idem di cto c. 9.) quod placet, verum & vermem ad corpus propriè, an ad animam translato à corporalibus ad incorporalia vocabulo existimer pertinare, &c. Dum tamen nullo modo illa corpora talia futura esse credamus, vt nullis ab igne afficiantur dolotibus. Hic occurrit quærere si non erit ignis incorporalis noxius sicut est animi dolor, sed corporalis tactu nosius, vt eo possint corpora cruciati, quomodo in eo erit etiam pœna spirituum malignorum: Idem quippe ignis erit supplicio scilicet hominum attributus & dæmonum dicente Chtisto: (Ibid. cap. 10. Matth. 25. 41.) *discedite à me maledicti in ignem æternum qui paratus est diabolo, & Angelis eius*: Nisi quia sunt quædam sua etiam dæmonibus corpora, sicut doctis hominibus visum est, ex isto aëre crasso atque humido, cuius impulsus vento flante sentitur. Quod genus elementi si nihil ab igne perpeti posset, non vreret feruefactus in balneis, vt enim vrat (C † al. *quod.*) prior, vritur, facitque * cum patitur. Si autem quisquam nulla habere corpora dæmones asseuerat, non est de hac re, aut laborandum operosà inquisitione, aut contentiosa disputatione certandum. Cur enim non dicamus quamuis miris, tamen veris modis etiam spiritos incorporeos posse pœna corporalis ignis affligi? Si spiritus hominum etiam ipsi profecto incorporei, & nunc potuerunt includi corporalibus membris, & tunc poterunt corporum suorum vinculis insolubiliter alligati: adhærebunt ergo si eis nulla sunt corpora spiritus dæmonum, immo spiritus dæmones licet incorporei corporeis ignibus cruciandi. Non vt ignes ipsi, quibus adhærebunt eorum iunctura inspirentur, & animalia fiant, quæ constent spiritu, & corpore: Sed vt dixi miris & ineffabilibus modis adhærendo accipientes ex ignibus pœnam, non dantes ignibus vitam: quia & iste alius modus, quo corporibus adhærent spiritos, & animalia fiunt, omnino mirus est, nec comprehendi, ab homine potest, (D) & hoc ipse homo est. Dicerem quidem sic arsuros sine (Luc. 16. 24.) vllo suo corpore spiritus, sicut ardebat apud inferos *ille diues*, quando dicebat *Crucior in hac flamma:* Nisi conuenienter responderi cernerem, talem fuisse illam flammam, quales oculi quos leuauit, & * *Eleazarum* († al. *Lazarum.*) vidit, qualis *lingua*, cui humorem exiguum desiderauit infundi, qualis *digitus Eleazari* de quo id sibi fieri postulauit vbi tamen erant sine corporibus animæ: sic ergo incorporalis & illa flamma quæ exarsit, & illa guttula quam poposcit, qualia sunt etiam visa dormientium, siue in extasi cernentium res incorporales, habentes tamen similitudinem corporum. Nam & ipse homo cùm spiritu non corpore sit in talibus visis, ita se tamen tunc similem suo corpori videt, vt discernere omnino non possit. At verò *gehenna* illa quod etiam, *Stagnum ignis & sulphuris* (Apoc. 20. 9.) dictum est, corporeus ignis erit, & cruciabit corpora damnatorum aut & hominum & dæmonum: Solida hominum, aërea dæmonum, aut tantum hominum corpora cum spiritibus, dæmones autem spiritus sine corporibus hærentes, sumendo pœnam, non impertiendo vitam (E) corporalibus ignibus; vnus quippe vtrisque ignis erit, sicut veritas dixit. † Idem in libro Enchiridion.]

Augustinus. [Quicunque vero ab illa perditionis (Idem Enchir. c. 92. 1. Tim. 2. 5.) massa, quæ facta est per hominem primum, non liberantur per vnum mediatorem Dei & hominum, resurgent, quidam etiam ipsi vnusquisque cum sua carne; sed vt cum Diabolo & eius Angelis puniantur. Verum sane ipsi cum vitiis, & deformitatibus suorum corporum resurgant, † quæcunque († al. *quæcunque.*) in eis vitiosa & deformia membra gestarunt, in requirendo laborate quid opus est, neque enim fatigare nos debet incerta eorum habitudo vel pulchritudo, quorum erit certa & sempiterna damnatio; Nec moueat quomodo erit in eis corpus incorruptibile si dolere poterit, aut quomodo corruptibile si mori non poterit: Non est enim vera vita nisi vbi fœliciter viuitur nec vera incorruptio, nisi vbi salus nullo dolore corrumpitur. Vbi autem infœlix mori non sinitur, vt ita dicam mors ipsa non moritur & vbi dolor perpetuus non (F) interimit, sed affligit, ipsa corruptio non finitur hæc in sanctis Scripturis secunda mors dicitur: Nec prima tamen, qua suom corpus anima relinquere cogitur, nec secunda qua pœnale corpus anima relinquere nó permittitur, homini accidisset si nemo peccasset.] † Satis, diluci- (Prud. Apot. à 11.) deque mostratum est auctoritate, Patrumque concordia corpora humana resurrectionis tempore neque æthera, neque aërea futura, sed carneâ quæ sempiterna immortalitate donata pro meritis suis vel gloriam percipiant, vel ignominiam. Iam porro cætera quæ sequuntur cum ex prioribus frustrata atque ad nihilum redacta sint, ad hoc tantum ponenda videntur, vt vomituum tuorum nauseæ cuiuis facilius innotescant.

Ioannes Scotvs.

Hinc est (inquis) *quod diabolus post lapsum detrusus ab* (Cap. 15 rum. 4. sect. 1.) *athereo spatio, adiunctum est ei inuito aereum corpus, in* (G) *quo pœnas sua superbia luat, miro atque ineffabili naturarum modo peragitur; occulto tamen instóque iudicio, vt quod elementa mundi inter se, quasi quodam naturalis amoris vinculo complexa, inseparabiliterque coniuncta ordinatissimo motu appetunt, veritatem odientibus vertatur in supplicium. Ignea quippe qualitas superior naturali vi inferiorum elementorum qualitates in se transfundere semper appetit naturali motu quasi quoddam sui alimentum: Cum ergo* (*vt diximus*) *suprema omnium corporum qualitas, quæ est atherea inferiores qualitates & intra se ambiendo coarctat: & in se prout lex naturarum sinit, commouere non desinat, naturarum intra se mirabile perficis gaudium, malarum vero voluntatum ineffabile tormentum, proinde impiorum omnium Angelorum videlicet, hominumque peruersorum corpora, ita sunt supplicio ignis æterni perpessura, vt integritate eorum substantia nullo modo peritura, eorum pulchritudine nullo modo defutura, eorum naturali incolumitate permansura, omnibus deinde natura bonis ad vniuersitatis ornamentum mirabili ordine* (H) *refulsuris, excepta beatitudine qua priuabuntur, quæ non est ex natura, sed ex gratia; superioris ignis corporei cum inferioris aëris corporibus qualitate conluctante, naturali vi seruata infœlicium animarum intentio de corporibus suis æternas patiatur ærumnas, ita videlicet, vt idem ipse ignis omnibus corporibus fiat gloria, quo damnandis animabus intrinsecus iniquitate propria, extrinsecus cumulabitur pœna.*

Correctio.

† His tuæ peruersitatis exhalationibus responsionem (Prud.) breuiter perstringendam, ex abundanti non incongruum iudicaui de aëreis dæmonum corporibus, quid Patribus visum sit, sufficienter eorum dictis conuinci valet: Magis quippe vt eis visum est substantia propria, quam in corporibus vndecunque corrogatis atque condictis pœnas suis meritis debitas luent. Quod etiam sanctus Fulgentius ad Petrum confirmat cùm dicit:

A Fulgentius de fide ad Petrum col. 343. Prud.

Fulgentius. Quosdam igitur spiritus sic Deus creauit, vt semper essent, quosdam verò vt esse spiritus quandoque desinerent: *Illos itaque desituros*, quosdam ex aqua, quosdam verò quia sic voluit omnipotens produxit ex terra: superiores verò spiritus nullum cum corporeis elementis habere fecit naturale consortium. † Si igitur auctoritati tanti Doctoris acquiescimus, neque æthera, neque aërea Angelicis spiritibus corpora commodamus.

Sanè quod de elementorum amicitia fabellas vanitatis eructas, quasi inferiora quæque, quodam amoris vinculo ita superioribus, id est igni cedant, vt eius alimentum fieri non detrectent, mirum si ille superior ignis elementis inferioribus egeat, vt non nisi eorum pabulis alatur, subsistere queat. Debueras siquidem eodem modo de cæteris tractare, cuius vnumquodque, vt subsistere possit, indigeat. Nam huius nostri ignis natura est, vt exceptis miraculis, quicquid attigerit consumat: cur ergo ille non consumit cætera elementa, si eius sunt alimentum? Cúmque legamus, & incunstanter certissimũ teneamus conspectu iudicis tremendi ignem accendendum, quo cœlum & terra, id est aër nebulosus, & terrenæ materiei superficies transeant; nescio quid necesse sit illum tantâ manifestatione, tantóque terrore ad hæc renouanda accendi, cùm possent illius ætherei, vt dicis, alimento absumi. Falsum est igitur, *intrà hunc ignem æthereum cuncta ambiendo coarctari, atque intrà eum naturarum mirabile perfici gaudium, malarúmque voluntatum ineffabile tormentum:*] Quomodo enim conuenient gaudium, atque tormentum: Nullus quippè dum torquetur gaudet, præter illos qui sponte tormenta subeunt, quod vel maximè in sanctis omnibus elucet. At cum omnes pœnas corporibus amoueas, & insuper gaudium, pulchritudinem, fulgorémque omnibus impiis, Angelis atque hominibus adhibeas, voluntatésque solas tormentum pati perhibeas, quas intentio animarum infœlicium de suis corporibus pariatur ærumnas, non video? Si enim gaudebunt, si omnem pulchritudinem habebunt eorum corpora, si refulgebunt, si gloria omnibus erit corporibus, & intrinsecùs iniquitate propriâ tantummodo damnabuntur, quæ illis extrinsecùs cumulabitur pœna? Si neque dolebunt corpora, neque pœnam sentient, quid eorum animabus extrinsecus cumulabitur pœnæ? Si nunquam ille ignis omnibus corporibus fiet gloria, sequitur vt nulla extrinsecus animabus cumuletur pœna: aut qua ratione ab eis beatitudinem excipis, quibus gaudium pulchritudinem, fulgorem, gloriámque non adimis? Quæ quàm sint friuola & ratio, & auctoritas patenter insinuat. Luctam verò superioris ignis cùm corporibus aëreis quam ridiculè garrias, prudens quisque facilitate quâ aduerit, euertit. Verùm quomodo corpora semper arsura subiungas, cùm ea nihil perperi tanta peruicacia tantaque impudentia hactenus executus sis, minimè perpendere valeo, quo pacto etenim ardebit, quod & nihil patietur, & omni pulchritudine, fulgore & gloria decorabitur: Ais enim.

D

Ioannes Scotus.

Cap. 19. n. 5. sect. 4.

⊖ *Quod si alicui incredibile videtur corpora quidem semper arsura, & de ipsorum nihil periturum natura, videat illum lapidem qui in Arcadia sub monte nascitur Frimanthi, qui cum sit ferrei nitoris tactu accensus, ab igni extingui nequit, quem Græci nomine vero asbestum, id est inextinguibilem memorant, ita, vt & color ei prabeatur ignea natura, & nihil minuatur de eius substantia: videat salamandram in igne viuentem.*

Correctio.

Prud.

† Quæ cum ex beati Augustini libris mutuaueris, vel potius compilaueris, alio penitus sensu, quam ab eo fuerant posita protulisti. Ille enim ad hoc de asbesto, salamandra, & montibus Æthnæ similitudinem proposuit, vt Paganorum contradictionibus exemplo temporalium rerum multisque non ignotarum occurreret, qui negabant fieri posse, vt corpora igni arderent, & consumi nullatenus possent; ad hoc ergo his & aliis exemplis eorum infidelitati responsum est, quo docerentur impiorum corpora illo igni, & semper cremanda, & semper dolitura, sed nunquam consumenda, numquam peritura; videlicet vt per ea integritatem substantiæ semper mansuræ fidelissimus doctor adstrueret, nec tamen eis cruciatus, doloresque perpetuos auferet, quod te facere manifestas, qui conclusionem huius prauitatis hoc fine determinas.

E

Ioannes Scotus.

Cap. 19. n. 6. sect. 4.

⊖ *Hinc* (inquiens) *potest coniici non substantiam, neque eius qualitates gehennali flamma torquendas, sed sensum patienter, & animum reluctantis æterna miseria lecturos.*

F

Correctio.

Prud.

Ecce consuetissima tibi contrarietate miseriam æternam indicis, quibus paulo ante gaudium, pulchritudinem, fulgorem gloriamque contuleras: Sed de animo patiente audi sententiam sancti Hieronymi breuem quidem verbis, sensu tamen, & fidei veritate sublimem, qui in Epistola ad Ephesios ita huius rei legitur meminisse exponens quod ait Apostolus: *Nemo vos decipiat inanibus verbis: propter hæc enim venit ira Dei in filios diffidentiæ.*

Hieronymus ad Eph. cap. 5. 6.

Hieronymus. Verba inquiens quæ decipiunt atque supplantant, inania sunt & vacua, quæ verò ædificant audientes, plena, cumulata, conferta: quia igitur sunt plerique, qui dicunt non futura pro peccatis esse supplicia, nec extrinsecus adhibenda tormenta, sed ipsum peccatum, & conscientiam delicti futurum esse pro pœna, dum *vermis* in corde *non moritur*, & in animo *ignis accenditur*. In similitudinem febris quæ non torquet extrinsecus ægrotantem, sed corpora ipsa corripiens punit sine cruciatuum forinsecus adhibitione quod possidet, has itaque persuasiones & decipulas fraudulentas verba inania appellauit & vacua, quæ videntur * florentem quendam habere sermonem, & blandiri peccantibus, sed dum fiduciam tribuunt, magis eos ferunt ad æterna supplicia, quia de * nullo sic irascitur Deus quomodo si peccator superbiat, & erectus ac rigidus non flectatur io fletum, nec misericordiam postulet pro delicto.] †. Cassiodorus in Psalmo 20.

G

* al. florem quidam habere sermonem

* al. nulla re.

Cassiod. in Psal. 20. v. 10.

Cassiodorus. [*Pones eos vt clybanum ignis*: Clybanus est coquendis panibus ænei vasculi deducta rotunditas, quæ sub vrentibus flammis ardet intrinsecus: in qua similitudine merito peccatores ponuntur, qui in futuro iudicio & mærore animi, & pœnali excruciatione torquendi sunt, quia contra regulas Domini obstinata mente vixerunt. *Dominus in ira sua conturbabit eos & deuorabit eos ignis*: ordo iudicij pulcherrima narratione describitur, illos enim peccatores, qui se pro actuum suorum malignitate discruciant, ita Domini dicit esse turbandos, quando audient, *Ite in ignem æternum*, & ista sententia consequentur, vt perpetua flamma deuorentur, nam iussionem Domini nulla mora subsequitur, sed mox vt decernit impletum est, iste tamen ignis sic absumit vt seruet, sic seruat vt cruciet, dabitúrque miseris vita mortalis, & pœna seruatrix.] † Idem in Psalmo 48.

d. v. 10.

H

Matth. 25. 41.

Idem in Psal. 48.

Cassiodorus, [Peccatores enim in inferno positos mors æterna depascit. Nam sicut oues lanæ suæ amissione iugiter perseuerant, sic in illo semper sine imminutione substantiæ inuenit, quod pœna discruciet: depascit enim à iumentis tractum est, quæ herbas non radicitus vellunt, sed abscidunt ipsas, potius summitates]

† Nec omittendum credidimus, quod cum in cæteris Origeni paria sentire delegeris, in genere pœnarum ab illo multum diuersos abieris. Nam ille ignem & vermes impiorum conscientias criminum propriorum & sensit, & docuit: tu ignem hoc quartum elementorum dogmatizans excepta beatitudine qua priuentur, nullam eis pœnam vllatenus vel in anima vel in corpore adhibendam,

A bendam eosue assueuerat. Hinc sanctus Hieronymus contra Ruffinum sectatorem interpretémque Origenis scribens ita eloquitur.

Hieron. contra Ruffinum lib. 2. in principio.

Hieronymus. [Quod autem imprecaris fratribus, hoc est criminatoribus tuis æternos ignes cum Diabolo, non tam fratres mihi videris premere, quam diabolum sublcuare, cum iisdem quibus homines Christiani ignibus puniendus sit ignes autem æternos quos intelligere solet Origenes, puto quod te non fugiat, conscientiam videlicet peccatorum, & pœnitudinem interna cordis vrentem: de qua & Isaias loquatur; *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur*: Et ad Babylonem scriptum sit: *Habes carbones ignibus sedebis super eos: Hi erunt tibi in adiutorio*: Et in Psalmo pœnitens audiat *Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi, ad linguam dolosam: Sagitta potentis acuta cum carbonibus desolatoriis*, vt linguam dolosam: sagittæ præceptorum Dei, de quibus in alio loco Propheta dicit: *Versatus sum in miseria dum configitur mihi spina*: Vulnerent atque confodiant, & peccatorum in ea solitudinem faciant. Illud quoque testimonium in quo Dominus loquitur: *Ignem veni mittere super terram, & quam volo vt ardeat*: Sic interpretatur: Omnes cupio agere pœnitentiam, & excoquere spiritu sancto vitia, atque peccata. Ipse enim sum de quo scribitur: *Deus ignis consumens est*. Non ergo grande est hoc de diabolo dicere, quod & hominibus præparatum est. Magis debueras vt suspicionem salutis diabolicæ declinares dicere: *Perditio factus es, & non eris in æternum*. Et ex persona Domini loquentis ad Iob de diabolo: *Ecce spes eius frustrabitur eum, & videntibus cunctis præcipitabitur: non quasi crudelis suscitabo eum: quis enim resistere poterit vultui meo? quis ante dedit mihi, vt reddam ei? omnia quæ sub cælo sunt mea sunt: non parcam ei, & verbis potentibus, & ad deprecandum compositis*.] † Cassiodorus in Psalmo 9.

Isa. 66. 24. Isa. 47. 14. Psal. 119. 3. 4. Ps. 31. 4. Luc. 12. 49

B

Deut. 4. 24. Ierem. 27. Iob. 40. 28. Iob. 41. 12. 3. v. 17.

Cassiod. in Ps. 9.

C

Cassiodorus. [*Cognoscetur Dominus iudicia faciens in operibus manuum suarum, comprehensus est peccator*. Vera nimis & absoluta sententia, quoniam tunc manifeste cognoscetur Dominus iudicia faciens, quando peccatoribus dabit æterna cruciatione torqueri: hic enim quia sunt eis libera scelera, relinqui creduntur forsitan impunita: sed vbi dies ille manifestationis aduenerit, & throno maiestatis suæ Dominus saluator insederit, tunc generaliter agnoscetur operari iudicia sua, quando humanum genus, siue à sinistris, siue à dextris eius fuerit arbitrio segregatum: hoc est enim iudicia verè facere, vniuscuiusque merita sine aliqua confusione discernere. Sequitur sententiæ huius aperta declaratio. Dicit enim *vnde cognoscitur Dominus* verè *iudicia facere*, scilicet quando nexuosis operibus suis peccator adstringitur, & secundum actuum qualitatem dignam recipit vltionem. Nam sensus ille omnino vitandus est, qui putat peccatorum sola delictorum suorum recordatione cruciandum. Nam si hoc tantum sufficeret, quare diceretur: *Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & Angelis eius*. Et illod: *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur*. Non enim hic loca tormentorum negat peccatoribus dari, sed per qualitates operum suorum eos dicit esse torquendos. Sentiamus ergo locum peccatorum suppliciis esse præparatum, intelligamus extrinsecus pœnale malum, quod sceleratis legimus imminere: Nam vt remota cognoscamus beatitudinem à damnationibus quibusdam terminis esse diuidendam, recordemur diuitem oculos subleuasse, paupercémque Lazarum in sinu Abrahæ fuisse conspectum, se autem flammis vltricibus deputatum: vnde ordo iste veritatis nullatenus diceretur, si peccatores malorum recordatio sola torqueret: hæc sunt *occulta filij* quæ titulus prædixit.]

Matth. 25. 41. Marc. 9. 45. 46. & 47.

D

Isidorus sentent. lib. 1. c. 28.

Isidorus. [Duplex damnatorum pœna est in gehenna, quorum & mentem vrit tristitia, & corpus flamma, iuxta vicissitudinem, vt qui mente tractauerunt, quod perficerent corpore, simul & animo puniantur & corpore, ignem gehennæ ad aliquid lumen habere, ad aliquid non habere. hoc est habere lumen ad damnationem, vt videant impij vnde doleant, & non habere ad consolationem, ne videant vnde gaudeant: apta sit comparatio de camino trium puerorum ad exemplum ignis gehennæ: nam sicut ille ignis non arsit ad trium puerorum supplicium, & arsit ad comburenda * ligamenta vinculorum: ita ignis gehennæ & lucebit miseris ad augmentum pœnarum, vt videant vnde doleant, & non lucebit ad consolationem, ne videant vnde gaudeant; inter huius vitæ & futuræ infœlicitatis miseriam multa discretio est: illic enim & miseria est propter * cruciationum dolorem, & tenebræ propter lucis auersionem, quorum vnum in hac vita, id est miseria est, aliud non est; in inferno autem vtrumque est.] † Ambrosius in Epistola prima ad Corinthios.

E

Dan. 3. 23. &c.

* al. ligamina.

* al. cruciatuum doloribus.

Ambr. in 1. ad Cor. c. 15. 22.

Ambrosius: *Sicut enim in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur*, hoc dicit quia sicut Adam peccans mortem inuenit, & omnes ex eius origine tenuit vt dissoluantur. Ita & Christus non peccans, & per hoc vincens mortem, quia qui non peccat vincit mortem, quia mors ex peccato; omnibus ergo qui sunt ex eius corpore acquisiuit vitam id est resurrectionem; quamuis ergo generalem tribuerit resurrectioné vt sicut in Adam omnes siue iusti siue iniusti moriuntur: ita & in Christo omnes tam credentes quam diffidentes resurgant, licet ad pœnam increduli, tamen viuificari videntur, quia corpora sua recipient iam non morituri, sed passuri pœnam in eis sine fine, quod credere noluerunt. † Idem in eadem Ambrosius. *Et quod seminat non corpus quod futurum est seminat, sed nudum granum, vt puta tritici, aut alicuius cæterorum: Deus autem illi dat corpus prout † voluit, & vnicuique seminum proprium corpus*. Si ergo nudum granum seminatur, † & Dei nutu quodammodo elementorum, ministerio vestitum † resurgit, multa secum habens incrementa vtilitatis humanæ: Cur non credibile sit Dei virtute mortuum posse resurgere meliorata tantum substantia, non numero multiplicatum. Quid ergo requiritur ab infideli, quo corpore resurgant mortui, cùm exempla † præcedant ad fidem hanc melioratæ resurrectionis, non amissæ substantiæ, quia proprium corpus recipiet in quo creatus Adam est iuxta exempla supradicta. *Non omnis caro eadem caro*, sed alia quidem hominis, alia autem pecoris, alia caro volatilium, alia caro piscium, cum ex eadem massa omnis caro sit, vnde & quomodo in his tãta diuersitas est, & vna impensa, vt fieret genera diuersa? dicant nunc sophistæ mundi, & scrutatores syderum si valent comprehendere quæ extra se sunt, cùm quid intra se sit, nesciant. Denique omnes mundani Philosophi, quia mentem suam legi Dei humillare, vt fidem eius susciperent noluerunt, diuersa semper & contraria asserentes, inanissimis disputationibus inuicem se confuderunt. Quia in nullo horum testificatæ veritatis signum agnitum est, quod ante positum verbis commendaret doctrinam, sicut & Deus discreuit disciplinæ nostræ, quæ non verbis probatur sed virtute, cui non possunt verba resistere, quemadmodum ergo ex vna impensa diuersa animantium caro est: Ita & vnius carnis homines diuersi erunt dignitate in resurrectione, vt talis vnusquisque appareat qualis fuerit meriti.] † Et post paululum. Ambrosius. [Terrieis autem stellis, & omnium nouissimus perfidorum resurrectio similis est, quia errorem secuti, stellis in errorem ducentibus comparandi sunt. Sicut dicit Iudas Apostolus in Epistola sua.

F

Rom. 5. 9. 18. &c.

Idem ibi c. 15. 37.

† al. voluit.

† al. vt.

† al. resurgat.

Ioan 12. 23.

G

† al. resurrectionem præd. dicant fidem.

1. Cor. 15. 20.

Genes. 1. 7.

Eccl. 3. Ibid. 19.

Sap. 13. 1. & 2.

Col. 2. 8.

Eccl. 8. 6. & 7.

1. Cor. 4. 20.

H

Luc. 20. 1. Cor. 15. 20.

Idem ibid. c. 15. 42.

Iud. 13.

Infidelitas enim non potest claram resurrectionem habere; quia sicut carbo cinere

suo coopertus obcæcatur, ita

& si perfidia sua erroris

tenebris circumdati

luce carebunt.

***

A quæ nimirum ducantr ac pertrahatur inuitus: dicen-
Ps. 54. 24. te Propheta ad Deum: *Tu verò Deus deduces eos in pu-
teum interitus.* Nisi fortè & hîc eadem insulsitate di-
cturus es, *deduces* pro deduci permittes positum, quòd
è vestigio iudex districtus euertit, qui dicturum se tem-
Matth. 13. 29. & 30. pore messis suis messoribus prædixit, *Ite colligite Zi-
zania, & ligate ea in fasciculos ad comburendum, &
mittite eam in caminum ignis: ibi erit fletus, & strido
dentium*: Angelorum quippe Sanctorum id erit officij,
vt omnes impios sententia iudicis accepta pro qualita-
te facinorum discriminatos, atque coniunctos flammis
vltricibus mittant, tam videlicet homines, quàm dia-
bolum, & Angelos eius, de quo Dominus ad Iob lo-
Iob 40. 28. quitur, *Et videntibus cunctis præcipitabitur*, à quo quæ-
so, nisi districtione præcipientis iudicis, & obsecutio-
ne Angelicæ seruitutis? quò verò nisi, *In ignem æter-
num qui ei paratus est ab origine mundi.* Sicut enim iu-
stis regnum, ita iniustis & impiis ignis paratus est ab
B origine mundi. Qui igitur colliguntur, qui ligantur, qui
mittuntur in caminum ignis, quo pacto relinqui à se
ipsis puniri dicendi sont, cum ad hæc omnia inuiti, no-
lentésque ab aliis pertrahantur.

Dicimus itaque à Deo secundùm Scripturas eius ma-
la, id est pœnas, atque supplicia, ne cum Colutianis
Hæreticis damnemur, qui dicentes Deum non facere ma-
Isa. 45. 7. la contra illud quod scriptum est: *Ego Dominus creans
mala*, ab Ecclesia damnari atque expulsi sunt. Rur-
sùm dicimus *à Deo* secundùm Scripturas eius *non esse
mala*, id est peccata vel malas naturas, ne cum Flori-
manis Hæreticis ab Ecclesiæ vnitate pellamur. Qui ab
contrario dixerunt Deum creasse mala, contra id quod
Gen. 1. 31. scriptum est, *Fecit Deus omnia bona*: punit igitur Deus
quod fecit, id est naturam Angelicam, & humanam
quæ peccauit, non relinquit puniri in eis quod ipse
non fecit, id est malam solummodo voluntatem quæ
sicut natura non est, ita per se pœnam sentire non po-
test: sed meritò pœnam natura sentiet, quæ perperam
C voluit, ac fecit. Accedat Doctor Gentiū in fide & verita-
te, & has tuæ peruersitatis ineptias Apostolica auctorita-
te detruncet, qui cùm de hac difficillima immò indisso-
Rom. 9. v. 20. &c. lubili quæstione fortissimè disputaret, adiunxit, *O homo,
tu quis es, qui respondeas Deo? nunquid dicit figmentum
ei qui se finxit, quare me sic fecisti? an non habet pote-
statem figulus luti ex eadem massa aliud vas facere in
honorem, aliud verò in contumeliam?* quid sibi vult pro-
posita figuli similitudo facientis, *ex eadem massa aliud
vas in honorem, aliud in contumeliam*: nisi vt hinc
ostendatur bonitas Dei, atque iustitia facientis quos-
dam gratuita misericordia in gloriam, alios iustitia in-
flexibili in ignominiam sempiternam? ne etenim huc il-
lucque more lymphatico distrahamur, & alia in verbis il-
lius, quàm ipse dixerat effingamus: non ait relinquere,
vel sinere, sed propulso totius ambiguitatis nubilo
facere. Veniat & Coapostolus eius Petrus, & pari
sententia tuam proturbet insaniam, qui cùm dice-
2. Petr. 2. v. 9. D ret: *Nouit Dominus pios de tentatione eripere*: sub-
iunxit, *Impios verò igni in iudicio reseruare.* Ecce pro-
pugnator fortissimus victorque fidelissimus non dixit:
nouit impios relinquere igni perpetuo in iudicio cru-
ciandos, sed reseruare.

Propter quoque beatus Iudas Apostolus, & pari-
lem suis Coapostolis in te ferat sententiam, qui in Epi-
Iud. 3. &c. 4. 6. stola sua ita de te, tuísque similibus profatur. *Necesse
habui scribere vobis, deprecans supercertari semel tradita
sanctis fidei, subintroierunt enim quidam homines, qui
olim præscripti sunt in hoc iudicium impij, Dei no-
stri gratiam transferentes in luxuriam, & solum do-
minatorem & Deum nostrum* IESVM CHRISTVM *negan-
tes: Commonere autem vos volo, scientes semel omnia,
quoniam* IESVS *populum de terra Ægypti saluans, se-
cundo eos qui non crediderunt perdidit; Angelos vero, qui
v. 6. non seruauerunt suum principatum, sed dereliquerunt
suum domicilium, in Iudicium magni Dei vinculis æternis
sub caligine reseruauit: Sicut Sodoma, & Gomorrha, &
finitimæ ciuitates simili modo exfornicatæ, & abeuntes post
carnem alteram factæ sunt exemplum: ignis æterni pœnam E
sustinentes.*] Audis *præscriptos*, & negas prædestinatos.
Audis *Sodomitas* exemplum *ignis æterni*, & dicis à se
puniendos relinqui? non enim Sodomitæ seipsos pu-
nierunt, aut à seipsis puniri relicti sunt, sed nefa-
riè viuendo meruerunt flammeis atque sulphureis im-
bribus cœlitus influentibus concremari: sic ergo & tar-
tato trusi igne ad hoc facto, & præparato sine dubio
comburentur.

Videamus etiam quanta teipsum tuis assertionibus
contrarietate impugnes: Nam tu ipse multò ante di-
xeras, propterea prædestinatum vel præparatum il-
lum ignem diabolo dici, quoniam in eo fuerat or-
dinandus cum omnibus suæ malitiæ consortibus punien-
dus, & quemadmodum idem ignis bonus profectò;
quoniam à bono factus non aliam ob causam ma-
lum dicatur, nisi quòd in eo mali ordinatissimè dispo-
nantur: ita etiam pœna non incongrue asseritur, quo-
F niam idem mali in eodem criminibus suis libidinosè
commissis, laboriosè, miserabilitérque cruciantur. Aut
igitur falsum est à Deo illum ignem, qui pœna est repro-
borum, factum, & verum erit quod ais: à Deo nec præ-
destinatam, nec præparatam pœnam; aut certè, si ve-
rum est à Deo factum, te quoque adnitente & præpa-
ratum: proculdubio falsum erit à Deo nec pœnam;
nec supplicium destinatum, vel præparatum. Euiden-
ter quippe ipse illius conditor atque irrogator se tan-
to ante dicturum prædixit: *Ite in ignem æternum,* Matth. 25. 41.
qui paratus est diabolo, & Angelis eius: qui igitur Rom. 9. 21.
secundùm Apostolos suos: *Potest ex eadem massa aliud
vas facere in honorem, aliud verò in contumeliam: No-* 2. Pet. 2. 9.
*uitque pios de tentatione eripere, impios verò igni cru-
ciandos reseruare*: ipse nimirum sua irreuocabili sen-
tentia pœnis à se factis, prædestinatis, præparatis,
præordinatis, atque dispositis torquendos reprobos
præscientia inenarrabili prædamnauit, se iudicauit etiam
antequam conderet; qui solus præscire potuit, qualis
quisque futurus, & quo fine vitam esset suam ter- G
minaturus. Ipse siquidem de quibusdam eorum dixit:
Qui enim non credit, iam iudicatus est, nec dixit iu- Ioan. 3. 18.
dicabitur, quod tamen certissimè futurum credimus;
modo superius satis adnotato, sed *iudicatus est*, quan-
do quæso: nisi antequam factus? si ergo iam iudicatus
est, qui non credit: id est damnatus; quare non præde-
stinatus, vel præparatus eadem diuinæ æquitatis regula
ad pœnam verissimè dicatur: siquidem qui tanto ante in
præscientia sua potuit iudicare atque damnare, vtique po
tuit prædestinare eidem damnationi, ac præparare.

Porro si proponamus Deum dicentem: *Se facere ma-* Isa. 45. 7.
la, & creare tenebras, téque id negantem immo infi-
ciantem, quicumque sano cerebro fuerit, Deo potiùs,
quàm tibi credulitatis assensum humillimus adhibebit;
præsertim cùm nihil aliud de Dei prædestinationibus;
quàm de eius iudiciis iustissimis perindéque ineuita-
bilibus sentiendum fides censeat orthodoxa. Si ita-
que causandus est Deus secundum te; tuíque com-
plices, quòd prædestinauerit impios pœnis, pœnásque H
impiis: consequenter causandus est, quare non creden-
tes iam iudicauerit, iámque damnauerit: quòd si blas-
phemum, atque impium est, restat vt sinceritas Catho-
licæ fidei tantorum iudiciorum imperscrutabili abysso
humillime, fidelissiméque substrata, nequaquam de
supernis dispositionibus causetur, verum cum Apo-
stolo exclamet. *O altitudo diuitiarum sapientiæ & scien-* Rom. 11. 33.
tiæ Dei, quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & in- Rom. 11. 10.
uestigabiles viæ eius? quis enim cognouit sensum Do- Eccl. 3. 22.
mini, aut quis consiliarius eius fuit, aut quis prior de- Ps. 65. 5.
dit illi, & retribuetur ei: quoniam ex ipso, & per ipsum, Ps. 35. 7.
*& in ipso sunt omnia, ipsi gloria in sæcula sæculorum:
Amen*; audiatque terribiliter intentantem: *Noli al-
tum sapere, sed time*: & Prophetam salubriter moni-
tantem: *Altiora te ne quæsieris, & profundiora te ne scruta-
tus fueris.* Vnde & Psalmista testatur, *Terribilis in consiliis
super filios hominum*: & iterum, *Iudicia tua abyssus multa.*
Tanto ergo, vt ait Beatus Gregorius, necesse est vt quis-

que in humilitate se deprimat, quanto & si sit electus ignorat.

Quid sane adiumenti conferat assertionibus tuis explanatio, qua dicis, *Deum prædestinasse, id est ante sæcula definisse certum numerum eorum, qui in sua impietate interituri essent.*] Minimè video, quam refragamen eis potius, non ignoro. Quid est prædestinasse, id est definisse numerum periturorum, nisi perituros prædestinasse, id est definisse: Si ergo prædestinauit, id est definiuit numerum periturorum, præsciuit vtique perituros: quid autem peius aut perniciosius creaturis rationalibus dici potest, quam perire? qui ergo præsciuit perituros, malum vtique præsciuit: malum est enim & omni malo deterius perire. Si (inquam) prædestinauit id est definiuit quot essent perituri: nullo reluctante malos, malumque prædestinauit, id est definiuit, & vbi est adstructio tua, qua tantopere nisus es affirmare; Deum nec præscisse, nec prædestinasse malum, quod est pœna, atque supplicium: nunquam enim prædestinare idest definire posset certum numerum periturorum, nisi præscisset perituros. Malum igitur præsciuit, quia perire incunctanter malum est.

Quodque adiectis identidem alio modo dici posse, prędestinasse Deum numerum illorum qui suæ impietatis & pœnam, & interitum præparaturi essent, non in eis quod ipse fecerat puniturus, sed in eis quod nō fecerat puniri relicturus: verū quidē est impios sibi & pœnam & interitū peccando idest impiè viuendo præparare; sed non minus verū est a Deo illis eandem pœnam iustissimè præparatā: Nā quod illi sibi præparār nequiter viuēdo, hoc eis Deus præparat æquissimè iudicando, & iustissime rependendo: Scriptū est enim: *Quia tu reddes vnicuique iuxta opera sua:* At nusquam scriptum est: reddet sibi vnusquisque iuxta opera sua. item scriptum est. *Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Dei, vt recipiat vnusquisque propria corporis prout gessit, siue bonum, siue malum.* Sed nusquam scriptum est: Dabit sibi vnusquisque propria corporis prout gessit, siue bonum, siue malum: qui enim recipit, procul dubio alio retribuente recipit, quod meretur non sibi tribuit, quod ex se habere non potuit. Quis vero seipsum punire vllatenus vellet, quin puniendis ineuitabilem necessitatem fugeret, si valeret? Enimvero nullus est, qui seipsum punire velit etiam temporali morte, nedum æterna gehennæ cruciatione: Nam etsi legamus quosdam sibi manus, vel laqueo, vel ferro, vel veneno, vel præcipitio, vel submersione mortem consciscendo iniecisse, plures etiam Philosophorum id appetisse: vnde & Epistolæ nobilissimi secundum suos Senecæ in huiusce laudes eloquentissime perorare noscuntur: fides tamen, & religio Christiana summæ impietatis deputat, si quis manus sibi violenter inferat, magnaque sit gloriæ sanctos pati hilariter, mortem sibi pro nomine Domini nostri Iesu Christi allatam, non spontè subire delatam. Vnde & præceptum ipsius acceperant dicentes. *Si vos persecuti fuerint in ciuitate ista, fugite in aliam*: neque enim ipse Dominus Iesus seipsum puniuit, atque interfecit, *qui peccatum non fecit, & in cuius ore dolus inuentus non est*; sed vtique sponte subiit, ac pertulit illatam ab hostibus passionem. Quid tanta beatorum martyrum multitudo? Dicendine sunt semetipsos punisse? qui persecutoribus tot eis tormentorum genera inuehentibus non solum reluctati non sunt, verū etiam fide intertita succūbere maluerunt? quod si in hac vita absurdissimum putari certum est, quanto minus credendum est punire se quemquam, vbi locus effugiendi nullus datur? fatendum est igitur Deum illic nullos à se ipsis puniendos relinquere, sed ipsum eis ineffugibili iustitia retribuere, quod merentur, qui dixit: *Nolite timere eos qui occidunt corpus: animam autem non possunt occidere: sed potius eum timete, qui potest animam, & corpus perdere in gehennam:* Non dixit relinquete, vt se perdat: sed *qui potest animam, & corpus perdere*, qui etiam dixit:
2. *Ego occidam:* Non occidi a seipsis permittam. *Et ego viuere faciam*: non à seipsis viuere relinquam: *per-*
3. *cutiam*, non percuti à seipsis relinquam. *Et ego sanabo* non à seipsis sanari relinquam. Et hoc quare? audi quare? E
Et non est, qui de manu mea possit eruere: Et item: *mea est vltio & ego retribuam in tempore.* Et iterum: *Mihi vindictam, ego retribuam*, dicit Dominus.

Iam vero quod ais *non in eis puniturum Deum quod ipse fecerit, sed in eis puniri relicturum, quod ipse non fecerit,*] Epilog. num 8. sect. 2. per omnia falsum esse conuincitur. Corpus enim & animam ipse fecit: quorumdam corpus ab hominibus perimi posse, non autem & animam dixit, à se vero vtrumque idest & corpus & animam perdendum censuit in gehenna, nimirum quod in eis ipse fecit sese perditurum, idest puniturum satis aperteque declarauit: Relinqui à Deo, malum indubitanter est: si ergo secundum te prædestinauit Deus, quos relinqueret perituros, malum omnino prædestinauit, nec iam poterit stare tua definitio dicentis *Deum mala prædestinasse.*] Quid enim peius dici potest, quam relinqui a Deo? vnde & ipse per Psalmistam dicit. *Et dimisit eos secundum desideria cordis eorum; Ibunt in adinuentionibus suis.* Hinc etiam orat quisque deuotus cum Psalmista dicens ad Deum: *Ne derelinquas me Domine Deus meus, ne discesseris à me.* Si igitur relinquere Dei malum est, & deterius omni malo, & hoc ipsum Deus prædestinauit vt relinqueret, & malum & pœnam pessimam vtique prædestinauit, vel præfiniuit. Vide saltem nunc, quid hactenus tua effecerit disputatio versipellis. Deinde infers.

Relinqui Deo malum pessimum.

F Ps. 80. 13. Ps. 3. 22.

Ioannes Scotvs.

⊖ *Hæc est fides mea, ô æterna lux mentium de tua prædestinatione quæ tu es.* Epilog. num. 9. sect. 1.

† Immo est infidelitas tua de Dei prædestinatione, quæ non ipse est: Multa etenim de Deo relatiue prædicantur, quæ certum est Deum facere, quæ tamen ipse non est. Scriptum est quippe: *Tentauit Deus Abraham*, & rursum *tentat vos Dominus Deus vester*: & ipse Dominus loquitur: *Ego Dominus seduxi Prophetam illum*, & Psalmista de illo: *Perdes omnes qui loquuntur mendacium:* Item *conuertit cor eorum, vt odirent populum eius, vt dolum facerent in seruos eius*: Item: *& errare fecit eos in inuio, & non in via*: Et alius Propheta ad eum: *Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua*: Et Apostolus *Tradidit illos Deus in reprobum sensum, & tradidit illos Deus in passiones ignominiæ*: &c. & multa alia, quæ nunc persequi, & longum est, & non necessarium iudicatur: ideone erunt hæc omnia, quæ præmisimus, & similia Dei substantia, vt dicatur Deus esse tentatio, seductio, perditio, conuersio in malum, error, excæcatio adgrauatio traditio, occisio, & alia innumera, quæ passim in diuinis eloquiis de Dei iustitia veraciter; & fideliter prædicantur. Quibus omnibus nullatenus eius substantiam demōstrari nullus nisi mente captus ignorat. Falsum est igitur Dei substantiam esse eius prædestinationem, sed ita eam de illo relatiue prædicari, quemadmodum creationem, operationem, factum, ordinationem, dispositionem, dispensationem, gubernationem, & plura similia, quibus illius omnipotētia, vel bonitas, vel æquitas, vel iudicia perdocentur. Tandem quasi victor subditorum contritione gratulabundus efflas virus pestiferæ exhalationis, dicens.

Prud. Gen. 22. 1. Ezech. 14. 9. Ps. 5. 11. Ps. 104. G 25. Ps. 106. 40. Rom. 1. 28. 24. & 26. H

Ioannes Scotvs.

⊖ *Ac per hoc cum omnibus orthodoxis fidelibus Anathematizo eos, qui dicunt duas prædestinationes esse, aut vnam geminam, aut bipertitam, aut duplam: si enim duæ sunt, non est vna diuina substantia: si gemina, non est indiuidua, si bipertita, non est simplex, sed partibus composita; si dupla est, cōplicata est: quod si prohibemur diuinā vnitatem dicere triplā; qua dementia, audet hæreticus eam asserere duplam. Tali igitur monstruoso, venenoso, mortifero dogmate a cordibus nostris radicitus exploso, credamus vnam æternam prædestinationem Dei Deum esse, & non nisi in his, quæ sunt, esse, ad ea vero quæ non sunt nullo modo pertinere.* Epilog. num 10. sect. 3.

A

CORRECTIO.

Ier. 9. 1. Luc. 19. 41.

† *Quis dabit* (inquit Propheta) *capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum; & plorabo vulneratos filios populi mei?* Et ipse *Dominus* perituram *videns* impiam *ciuitatem flensque super eam dixit. Quia cognouisses & tu:* Subauditur fleres: Quæ duo testimonia mihi tibique conuenite, si piâ mente aduerteres, præcaueres: quoniam nec mihi satis tuam deflendi miseriam copia inest, nec tibi effugiendi ingruentis interitus, præcipitium cautela subest: cui cùm minimè suffecerit tantis in Deum blasphemiis prorupisse, ad * anathemandus eius electus cum ipso in æterna beatitudine gloriantes, immò ipsum omnium Deum, & Dominum impudentissima peruicacia, peruicacissimáque impudentia cum bestia, quæ de abysso ascendere scribitur, os aperire blasphemissimum nullatenus formidasti. Verum vt cætera facilius omnibus viribus effætentur, prima insaniæ falsitas denotetur. Ideóque falsissimum esse non dubitatur, quòd tecum omnibus orthodoxis fidelibus anathematizare blasphemas. Nullus quippe orthodoxorū fidelium in tua scita cōcedit, nullus tuis impietatibus indulget, nullus tuis insaniis acquiescit.

* Hoc verbo sæpius visus est D. Aug. Epistol. 95. ad Innocentium de gratia c. 5. B Apoc. 11. 9.

Sed mirum valde est, quòd homo anathematus antequam natus in quemquam anathema ferre præsumpserit: Nimirum de illorum te numero esse demonstras, *qui posuerunt in cælo os suum, & quorum lingua transiuit in terram:* Necessarióque perpendendum censeo, in quos anathema tanta impietate protuleris: Nempe in Papam Innocentium, Zozimum, Bonifacium, Sixtum, Leonem, Cœlestinum, Gregorium, omnésque tam Romanæ vrbis Pontifices, quàm sequentium ordinum gradus & populos: In Ambrosium Episcopum cum omnibus Italis; in Augustinum, Primasium, Fulgentiúmque Episcopos cum omnibus Africanis; in Hieronymum Presbyterum cum omnibus Orientalibus, & Græcis; in Prosperum & Hilarium cum omnibus Gallis: in Isidorum cum omnibus fidelibus Hispanis, in Cassiodorum quoque cum his omnibus, in Bedam Presbyterum cum omnibus Anglis atque Britannis; in Bonifacium Episcopum cum omnibus Germanis: In ipsos insuper Apostolos, Prophetásque: Et quod his omnibus maius est in ipsum Deum Deorum, qui iudicia sua sese præstituro tempore erga probos, & reprobos incuitabili dispositione prædestinauit. Immò quod nobis vel per tempora, vel in fine temporum futurum præuiderat, antequam conderet, statuit, intemporaliter iudicauit, atque definiuit: Quidquid enim de Dei iudiciis Prophetæ, Apostolorúmque successores, vel voce pronunciauerunt, vel literis mandauerunt, non nisi ipso inspirante, docente, ac iubente locuti sunt: Ac per hoc quicquid in eos anathematis ingeritur, indubitanter in iniuriam in eis, & per eos loquentis refertur: qui quam de Dei prædestinatione concorditer senserint, vnanimiter prædicarint, quoniam iam satis supérque quantum visum est demonstrauimus, nunc repetere supersedimus.

De anathemate. * al. in cælum. Ps. 72. 9.

C

D Epil. 1 num. 11. sect. 5.

Cùm quibus omnibus nequaquam metuimus dicere prædestinationem geminam, nec eam pluraliter enuntiare formidamus, approbantes argumentationem tuam quâ dicis, si enim duæ sunt, non est vna diuina substantia: verum est quippe non esse prædestinationem diuinam substantiam, sed eius dispositionem, ordinationem atque iudicia: Similiter si gemina est, inquis, non est indiuidua, si bipertita non est simplex, si dupla est, complicata est. Quòd si prohibemur diuinam vnitatem dicere triplam qua dementia audet hæreticus eam asserere duplam? Licet Dei prædestinatio non significet eius substantiam; non enim esse, sed disponere monstrat: disponere autem, sicut prædestinare ad creaturas eius relatiuè dicitur. Quemadmodum tamen in primis huius operis partibus largiente Domino dictum est. Multa de Deo essentialiter prædicantur, quæ pluraliter efferri vnitas illius essentiæ non præiudicat. Quibus ne fastidij gratia repetantur omissis, vnum tibi ex Euangelio proferimus, quod cæterorum confirmationi non obsit. Dominus conditor vniuersitatis atque dispositor dicit: *Ego sum resurrectio & vita*, cúmque resurrectionem tanta euidentia intimauerit, alibi tamen in eodem Euangelio ait: *Nolite mirari hoc, quia venit hora, qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem eius, & procedent, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ, qui verò mala, in resurrectionem iudicij:* Secundùm hæc Domini testimonia, & Patres exponunt, & veritas edocet, duas esse resurrectiones, vnam Sanctorum, alteram impiorū, quas Dominus vitæ, atque iudicij nuncupauit: iudicium autem hoc loco pro damnatione positum Patres intelligunt: Et veluti alia est resurrectio animæ, qua relictis vitiis per Dei gratiam virtutibus viuere incipit, de qua idem Dominus dicit: *Amen, amen dico vobis, quia venit hora, & nunc est, quando mortui audient vocem Filij Dei, & qui audierint viuent: audient*, id est, obaudient atque obsequentur: Et alia est resurrectio corporum de qua quod præmisimus itidem loquitur, *quia venit hora, quando hi, qui in monumentis sunt, audient vocem eius, & procedent, qui bona egerunt, in resurrectionem vitæ, qui verò mala, in resurrectionem iudicij.* Ita alia est resurrectio, qua iusti beatitudinem capient sempiternam, & alia, qua iniusti mittentur in supplicium sempiternum: non quo diuerso tempore fiant, sed quo diuerso fomite gestiant. Hanc resurrectionis diuersitatem Angelus quoque Danieli Prophetæ denuntians, ita commendat, *Et multi de his, qui dormiunt in terra puluere, euigilabunt, alij in vitam æternam, & alij in opprobrium, vt videant semper:* Quid vero sacratius, dulcius, desiderabiliúsque in Religione Christiana vocabulo potest dici resurrectionis. Et tamen tanta diuersitate, profertur, vt de ea dubitare solius dementis sit. Ipse igitur qui se resurrectionis nomine designauit, eámque primis in æternum victurus, propria resurgendo virtute in se victor mortis exhibuit, hoc ante sæcula se facturum prædestinauit, id est disposuit, quod in resurrectionis veritate & diuersitate, & se faciendum præsciuit, & post facturum eduxit. Quia videlicet ipso auctore, ac iudice *resurgent, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ, qui verò mala, in resurrectionem iudicij*, hoc se facturum prædestinauit, qui hoc se facturum prænouit, misericordiam videlicet, atque iudicium, quibus omnis rationalis creaturæ dispositio comprehenditur: nec extra valet quippiam repetiri.

E Ioan. 11. 25. Ioan. 5. 28. Ib. 5. 25. d. 5. 28. F

G Dan. 12. 2.

Et quemadmodum dispositiones, ordinationes, dispensationes, gubernationes, administrationésque diuinæ nequaquam eius essentiam, sed effectum clamitantes, pluraliter efferuntur: Sic incunctanter prædestinationes ipsius liberrima pluralitate censentur: quas sicut ais in his (& nos dicimus) quæ sunt, id est in misericordia & iudicio, in gloria & ignominia, id est vita æterna, & igne æterno, quæ à Deo esse Catholicorum ambigit nemo: ad ea verò quæ non sunt pertinere Dei prædestinationes, quis nisi qui non est, arbitretur? non enim prædestinatur atque disponitur, quod nequaquā est: est autem vita æterna, est & ignis æternus; illa ad gloriā, iste ad pœnam; illa ad Regnum, iste ad tormentum. Ad hæc prædestinationes Dei pertinere dicimus: quia esse ea nullatenus dubitamus. Prædestinauit igitur Deus vitam æternam bonis, prædestinauit ignem æternum malis, prædestinauit vitam æternam piis, prædestinauit pœnam ignis æterni impiis: Vnde & se dicturum in examine vltimo prædixit istis: *Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & Angelis eius:* Illis, *Venite benedicti Patris mei, percipite Regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi.* Et *Regnum paratum* dixit & *ignem paratum* adæque non tacuit: A quo quæso? nisi à se ipso? quo iudice illis regnum, istis retribuitur ignis supplicium.

Epil. num. 11. sect. 3. sect. 5.

H

Matth. 25. v. 34. 41.

Hæc est nostra fides: quia hæc est vera Prophetica, Apostolica, orthodoxa atque Catholica fides. Poteram quidem & ipse tibi dicere anathema, nisi expectarem, & mallem & optarem tui correctionem, quàm perditionem. Proinde nondum in te seueritatem anathematis iaculor, quoniam hortor, moneo, & totis cordis affectibus rogo, vt respectu supernæ gratiæ resipiscas, & à

tam lætali veterno tandem euigiles; & quid Christiana puritas sentiat, exquiras beneuolus, humilis apprehendas mitis acquiescas, mansuetus secteris, deuotus teneas, & fidelis in omnibus exequaris.

Relinque quadruuium vanitatis, quod sequens extorris viæ factus es veritatis: quanto melius, quantoque salubrius ageres, si vni veræ sempiternæque viæ innitens quadriga illius humilis vehi, quam quadruuij tui inflatus typho captum ire in diuersa diligeres? Quadriga huius viæ sunt quatuor Euangelia, vno Paradisi fonte manantia, quibus nobis via panditur salutaris: Quadriga huius viæ quatuor sunt Virtutes, prudentia temperantia, fortitudo, iustitia, quibus omnis morum probitas venustatur: quadriga huius viæ sunt quatuor diuinorum eloquiorum species historica, ethica, allegorica, anagogica, quibus ad omnem sacrarum literarum intellectum illuminante gratia eius inducimur, quæ si humiliter fideliterque sectari studuisses, nunquam in tanta errorum atque abominationum, immò blasphemiarum præcipitia incidisses, verum dum quadruuio vaticoso tanta pertinacia inhæsisti, nequaquam elogium libri Ecclesiastici euadere valuisti, quo dicitur: *Qui sophistice loquitur odibilis est, omni re defraudabitur. Non enim data est illi à Domino gratia. Omni enim sapientia defraudatus est.* Et illud: *In multiloquio non effugies peccatum.* Quibus si expediri desideras, humilitati sublimissimæ Crucifixi supplex prosternere, vt cum Apostolo dicere valeas: *Nihil iudicaui me scire inter vos nisi Christum Iesum & hunc crucifixum.* Et item: *Mihi autem absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.* His in nomine & adiutorio Dei pro captu, & viribus meæ pusillitatis magis deuote quam doctè, tuæ quoque correctionis. Frater Ioannes, gratia exaratis libet quam breuiter, quamque succinctè Capitulatim singula adnotare, quo legentis audientisue intentio lecta vel audita memoriæ tenacius valeat commendare.

SANCTI PRVDENTII EPISCOPI Tricassini de prædestinatione, contra Ioannem Scotum Erigenam.

Recapitulatio totius operis.

Def. I. Cap. I. T. & sect. 1.

⊖ Dicis. *Quadruuio regularum quatuor totius Philosophia omnem quæstionem solui.*

† Respondemus. Nec illud quadruuium, nec vllas mundanæ sapientiæ species ad omnem quæstionem dissoluendam, sufficere, absque gratia Dei, *& fide quæ per dilectionem operatur*, ac veraci studio, & sanctarum scientia Scripturarum.

Def. II. Cap. 2. sect. 2. & 6. & cap. 3. sect. 1.

⊖ Dicis. *prædestinationem & præscientiam Dei, eius esse essentiam sicut voluntatem, sapientiam, & veritatem.*

† Respondemus, Sapientiam, veritatem, & voluntatem in Deo essentialiter prædicari, prædestinationem vero & præscientiam relatiuè, proindeque non esse Dei substantiam.

Def. III. Cap. 2. sect. 2. & cap. 15. sect 4.

⊖ Dicis. *Præscientiam, & prædestinationem vnum idem esse.*

† Respondemus. Plurimum differre, quoniam multa præsciuntur, quæ non prædestinantur; nulla verò prædestinantur, nisi præsciantur.

Def. IV. Cap. 2. sect. 3.

⊖ Dicis. *Hominem ad Deum quem libero arbitrio sine labore deseruerat, sine laboris studio, & cooperantis gratiæ dono peruenire non posse.* E

† Respondemus Nullum nisi præuenientis Dei gratiæ adspiratione saltem laboris studium posse concipere.

Def. V. Cap. 2. Sect. 3.

⊖ Dicis. *Prædestinationem in Deo secundum substantiam esse, relatiuè autem fieri non posse.* 5. Cap. 2. sect. 3.

† Respondemus. Cunctis facillimè patere prædestinationem in Deo semper relatiuè, sed nunquam secundum substantiam dici; esse quippe ad nihil aliud refertur; prædestinare vero nunquam, nisi ad aliquid dici potest.

Def. VI. Cap. 2. Sect. 6.

⊖ Dicis. *Sicut duas essentias, cateráque omnia, quæ de Deo dicuntur, geminari, vel triplicari, vel multiplicari impium esse: ita prædestinationes duas asserentem reatu impietatis.* 6. Cap. 2. sect. 6. F

† Respondemus. Essentiam Dei nullatenus geminandam, vel triplicandam, vel multiplicandum. Multa tamen eorum, quæ de ipso substantialiter prædicantur, pluraliter efferri: neque ideo eius essentiam geminari, vel triplicari vel multiplicari, quoniam tali pluralitate non iam eius essentia, sed effectus ipsius demonstrantur, ac per hoc non reatu impietatis ligari asserentem prædestinationes pluraliter; quia non essentia eius, sed efficientiæ ipsius tali vocabulo efferuntur.

Def. VII. Cap. 2. Sect. 2. Cap. 3. Sect. 1.

⊖ Dicis. *Prædestinationem Dei vnam esse, sicut vnam diuinam operationem, sapientiam, substantiam, voluntatem.* 7. Cap. 2. sect. 2. Cap. 3. sect. 1.

† Respondemus. Prædestinationem, & operationem diuinam relatiuè ad multa dici; sapientiam vero substantiam & voluntatem ad naturam simplicem tantummodo quamuis & voluntates Dei, pro efficientiis eius creberrimè legamus.

G

Def. VIII. Cap. 2 Sect. 2. Cap. 3. Sect. 1.

⊖ Dicis. *Quidquid de Diuina voluntate intelligitur, de prædestinatione Dei sentiri debere.* 8. Cap. 2. sect. Cap. 3. sect. 1.

† Respondemus. Quamuis nullus nisi volendo aliquid prædestinet, tamen aliud esse dicimus velle aliud prædestinare: velle enim ad se tantum dici prædestinare vero referri ad alia, ac per hoc non vnum esse.

Def. IX. Cap. 3. Sect. 5.

⊖ Dicis. *Prædestinationem, vt charitatem non esse geminam, vel duplam, vel multiplicem, & pluralitate carere.* 9. Cap. 3. sect. 5.

† Respondemus. Prædestinationem, & charitatem à Patribus, & geminam, & bipertitam frequenter positas, & prædestinationes pluraliter prolatas.

Def. X. Cap 4. Sect. 1.

⊖ Dicis. *Tres hæreses vnam Pelagianorum Liberi arbitrij commendatione sine gratia, alteram gratia, solius, tertiam Gothescalcanam prædestinationibus necessitates, & vim inferentem.* 10. Cap. 4. sect. 1. H

† Respondemus. Detestari nos Pelagianos asserentes aliquid boni per Liberum arbitrium fieri posse sine adiutorio gratiæ, & eos, si qui sunt (quos tamen nunquam audiuimus) qui gratiam solam ita commendant, vt funditus libertatem arbitrij auferant; sed ita Liberum arbitrium vitiatum & infirmatum transgressione primorū nostri generis, vt per se prorsus ad nihil boni assurgere valeat: nisi præueniatur adspirāte gratia, & subsequatur auxiliāte. Nec minus, eos qui prædestinationibus Dei necessitates & vim inferri creaturis somniāt, quāuis enim Deus cuncta præscierit: & de omnibus creaturis secundū præscientiam suam prædestinauerit: nullum tamen eadem præscientia, & prædestinatio ad aliquid impellit.

Def. XI. Cap. 4. Sect. 6.

⊖ Dicis. *Substantiam hominis esse tria id est, esse, velle, & scire, & hanc peccando non amisisse.* 11. Cap. 4. sect. 6.

†Respon

A † Respondemus. Non esse substantiam hominis velle & scire : quoniam, cùm semper habeat homo esse, non semper habet velle, & scire. Nam & bonum velle, & bonum scire peccando amisit, nec per se eadem nisi per præuenientem Dei gratiam assequi vllatenus potest.

DEF. XII. Cap. 4. Sect. 6.

12. Cap.4. sect.6. ❡ Dicis. *Nullam naturam posse perire.*

† Respondemus. Rationales creaturas in totum non posse perire. Irrationales verò posse.

DEF. XII. Cap.4. Sect.6.

13. Cap 4. sect.6. ❡ Dicis. *Hominem liberam voluntatem, id est naturam suam non perdidisse.*

† Respondemus. Naturam eius non esse liberam voluntatem, eam tamen ad malum semper habuisse : ad bonum verò ita perdidisse, vt absque gratiæ præuentione nulla sit.

B

DEF. XIV. Cap.4. Sect.6.

14. Cap 4. sect.6. ❡ Dicis. *Libertatem homini post peccatum remansisse, vigorem verò & potestatem eius perdidisse.*

† Respondemus. Nullam esse libertatem, si careat vigore, & potestate : remansisse autem libertatem homini ad malum tantummodo.

DEF. XV. Cap.4. Sect.8.

15. Cap 4. sect.8. ❡ Dicis. *Velle homini à se per naturam esse, inchoare verò posse & perficere, non nisi per gratiam.*

† Respondemus. Nec velle, nec inchoare, nec posse, nec perficere hominem quippiam boni, nisi præueniente, & subsequente gratia Dei.

DEF. XVI. Cap.5. Sect.4. & 5.

16. Cap.5. sect 4. ❡ Dicis. *Deum, sicut neminem compellat peccare, ita nec bene viuere.*

C † Respondemus. Deum neminem impellere ad peccandum, ad bene viuendum verò multis correptionem generibus inuitare, immo compellere. Dicente ipso : *Faciam, vt in præceptis meis ambuletis.* Et item : *Compelle intrare.*

Ezech. 39.37. Luc.14. 23.

DEF. XVII. Cap.5. Sect.4.

17. Cap.5. sect.4. & 5. ❡ Dicis. *Si qua causa præcedat voluntatem, id est naturam ad bona, vel mala cogitanda, vel facienda, non esse naturam.*

† Respondemus. Voluntatem non esse naturam. Præcedi tamen eam ad bona quidem diuersis causis medentis & miserentis Dei; ad mala verò nullis, nisi propriæ peruersitatis meritis exigentibus.

DEF. XVIII. Cap.6. Sect.1.

18. Cap.6. sect.1. ❡ Dicis. *Nullum peccatum, nullámque eius pœnam aliunde nasci, nisi propriâ hominis voluntate libero malè vtentis arbitrio.*

† Respondemus. Peccatum propria hominis voluntate nasci: pœnam verò eius Deo iusto iudice irrogari.

D

DEF. XIX. Cap.8. Sect.5.

19. Cap.8. sect 5. ❡ Dicis. *Sicut animale corpus potuisse mori, quia adhuc non erat perfectum, id est spiritale: ita voluntatem liberam adhuc animalem meritò, quia mortalem potuisse peccare : quoniam adhuc non esset perfecta.*

† Respondemus. Non ideò peccasse hominem; quia nondum erat spiritalis, sed quia de nihilo conditus, non de factoris substantia fuerat editus, propria voluntate sese a summo bono auertit, atque auertendo intumuit. Nam & diabolus non ideò peccauit, quia nondum esset spiritalis, cuius tota natura spiritalis, immò spiritus condita fuerat; sed quia & ipse de nihilo factus, voluit quod velle non debuit. Voluntas quoque non ideò peccare potuit, quoniam adhuc non erat perfecta, sed quia spontè se à vero liberatore, & saluatore auertit auctor voluntatis, quam mortalem quasi naturam ineptissimè nuncupas.

E

DEF. XX. Cap.8. Sect 9.

❡ Dicis. *Talem esse differentiam inter liberum hominis arbitrium, & eius substantiam, vt natura in voluntate rationali : liberum verò arbitrium in eius libertate, siue in motu libera naturaliter voluntatis, siue in munere intelligentiæ dicatur.* 20. Cap 8. sect 9.

† Respondemus. Falsissimam esse talem differentiam : quoniam voluntas hominis non est natura eius, liberum verò arbitrium nihil aliud, quàm voluntatem libertatis, id est electionem boni, vel mali vocari.

DEF. XXI. Cap. 10. Sect.1.

❡ Dicis. *Dei præscire, aut prædestinare peccata, vel mortem, vel pœnas; hominum vel Angelorum, à contrario intelligendum.* 21. Cap.10. 1.sect.2.

† Respondemus. Deum præscisse tantum peccata, mortem vero vel pœnas, & præscisse, pariter & prædestinasse: neque à contrario vllatenus sentiendum.

F

DEF. XXII. Cap.10. Sect.3.

❡ Dicis. *Omne malum peccatum, & eius pœnam esse, & hæc nihil esse.* 22. Cap.10. sect. 3.

† Respondemus. Peccatum nihil esse, at pœnam, eius aliquid esse : Id est creaturas Dei, quæ peccatoribus pœnales efficiuntur, exceptis eis peccatis, quæ pœnæ dicuntur præcedentium peccatorum.

DEF. XXIII. Cap.10. Sect.5.

❡ Dicis. *Mortem, miseriámque suppliciorum æternalium omnino nihil esse: ac per hoc nec præsciri, nec prædestinari.* 23. Cap 10. sect.5.

† Respondemus. Mortem quidem per se non esse naturam : separationem tamen animæ, & corporis, & pœnas gehennalium tormentorum, non nisi Deo iudice fieri, ac per hoc & præsciri ab ipso, & prædestinari.

DEF. XXIV. Cap.11. 1. & Sect.2.

G

❡ Dicis. *Non esse Dei, prædestinationem nisi de his, qui præparati sunt ad æternam fœlicitatem.* 24. Cap. 11. 1.& sect. 2.

† Respondemus. Si ita est : nec Dei iudicium : nisi de his esse, qui præparati sunt ad æternam fœlicitatem: omnis quippe Dei prædestinatio ad eius iustissimum iudicium pertinet.

DEF. XXV. Cap. 11. Sect.1.

❡ Dicis. *Abusiuè, translatéque dici præscire Deum, & prædestinare.* 25. Cap.11. sect. 1.

† Respondemus. Verum esse sed abusione, & translatione nulli, præter ipsum propriè & principaliter conuenire.

DEF. XXVI. Cap.11. Sect.1.

❡ Dicis. *Quoties dicitur Deus præscisse, & prædestinasse impios ad interitum, vel supplicium æternum, pro non præscisse, & non prædestinasse.* 26. Cap.11. sect.1.

H

† Respondemus. Nullum Sanctorum Patrum hanc peruersitatis insaniam admisisse; sed ita omnes sancto quoque Fulgentio exponente sensisse, quemadmodum hodiéque Catholica sentit Ecclesia : quia sicut veraciter dicitur iudicasse bonos ad gloriam, malos ad pœnam. Ita veraciter dicitur. Prædestinasse bonos ad regnum, malos ad tormentum.

DEF. XXVII. Cap.11. Sect.1.

❡ Dicis. *Si enim prædestinati sunt necessariò peribunt, pœnásque patientur ineuitabiles : quod si ita est, quomodo iustè iudicabitur mundus, quem necessitas prædestinationis cogit perire.* 27. Cap.11. sect.1.

† Respondemus. Eadem argumentatione de sanctis posse dici. Si enim prædestinati sunt, necessario saluabuntur, regnúmque percipient ineuitabile. Quòd si ita est quomodo iuste iudicabitur mundus, quem necessitas prædestinationis cogit saluari? vbi enim necessitas infertur, vis quodammodo impenditur, non gratia prærogatur.

DEF. XXVIII. Cap. 11. Sect. 3.

Dieis. *Sanctas scripturas præscientiam, & prædestinationem non, nisi in solis sanctis ponere.*

† Respondemus. Deo nos potius credere, quam tibi? Ipse enim in 4. libro Regum per Isaiam Prophetam contra Sennacherib loquitur inter cætera: *Habitaculum tuum, & egressum tuum, & introitum tuum, & viam tuam ego præscivi, & furorem tuum contra me. Insanasti in me, & superbia tua, ascendit, in aures meas.* Item per Ieremiam *audivimus superbiam Moab. Superbus est valde. Sublimitatem eius, & arrogantiam & superbiam & altitudinem cordis illius ego scio ait Dominus* iactantiam eius, & quod non sit iuxta eam virtus eius, nec iuxta quod poterat conata sit facere. Et Apostolo. *Nos Deus elegit vltimos Apostolos, velut morti destinatos.*

DEF. XXIX. Cap. 11. Sect. 2. & cap. 12. Sect. 2.

Dicis. *Augustinum aliquoties in reprobis prædestinationem à contrario posuisse.*

† Respondemus. S. Fulgentij veracissimæ expositioni nos assentiri, non tuæ falsissimæ depravationi.

DEF. XXX. Cap. 12. Sect. 5. & cap. 15. Sect. 4.

Dicis. *Omnem præscientiam Dei prædestinationem esse, & omnem prædestinationem præscientiam.*

† Respondemus. Falsum esse, quoniam præscit Deus peccata, quæ non prædestinat.

DEF. XXXI. Cap. 12. 1. & Sect. 4.

Dicis. *Omnem prædestinationem Dei omnino esse præparationem gratiæ.*

† Respondemus. Et hoc falsum esse, quia prædestinavit Deus peccatoribus pœnas, quæ non ad gratiam, sed ad iustitiam illius pertinent.

DEF. XXXII. Cap. 12. Sect. 5. & 6.

32. C Dicis. *Electos pro non electis, filios Dei pro non filiis.*

† Respondemus. Nunquam id Patres ita sensisse.

33. DEF. XXXIII. Cap. 13. Sect. 1. & 2. & cap. 15. Sect. 2.

Dicis. *Electum Iudam pro non electo, & amicum, qui nunquam non fuerit inimicus, à contrario accipi.*

† Respondemus. Electum Iudam ad Apostolatus officium, & ad opus cui congruebat, quamuis non ad regnum æternum: similiter amicum quando primum electus est, licet post avaritiæ pondere factus sit inimicus, téque contradicere Deo dicenti per Psalmistam. *Et si inimicus maledixisset mihi, sustinuissem vtique. Et si is qui oderat me, super me magna locutus fuisset: absconvissem me forsitan ab eo. Tu vero vnanimis, dux meus, & notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos: In domo Dei ambulavimus cum consensu.* Et item, *Etenim homo pacis meæ, in quo speravi, qui edebat panes meos, magnificavit super me supplantationem.*

D DEF. XXXIV. Cap. 13. Sect. 4.

34. Dicis. *Peccatores relictos æterno igni plectendos.*

† Respondemus. Non relictos solum, sed etiam prædestinatos, iudicatos, ac traditos æterno igni plectendos.

DEF. XXXV. Cap. 14. Sect. 1.

35. Dicis. *Ex verbis Augustini probari prædestinatos non nisi de iustis dici.*

† Respondemus. Nunquam ita sensisse Augustinum nunquam dixisse.

DEF. XXXVI. Cap. 14. Sect. 4.

36. Dicis *Contra teipsum pœnam prædestinatam peccatoribus, ipsos vero præscitos tantum, non prædestinatos.*

† Respondemus Licet tibi contraria profesas: verumtamen dixisse pœnam prædestinatam peccatoribus, ipsosque non tantum præscitos, verum etiam prædestinatos.

DEF. XXXVII. Cap. 15. Sect. 8. E 37. Cap. 15. sect. 8.

Dicis. *Pœnas mala esse, ideóque non à Deo, à quo non sit malum.* Isa. 45. 7.

† Respondemus. Deum dixisse per prophetam. *Ego Dominus formans lucem, & creans tenebras, faciens pacem, & creans mala. Ego Dominus faciens omnia hæc.*

DEF. XXXVIII. Cap. 15. Sect. 8.

Dicis. *Deum non punire quæ fecit.* 38. Cap. 15. sect. 8.

† Respondemus. Nihil aliud Deum punire, idest pœnis addicere, quam quod fecit: sed merito peccati, quod ipse non fecit: non enim in beato Iob peccatum aliquod puniebatur, sed tantum caro, quam Deus fecit: & quod omnibus maius est. In Domino nostro IESV CHRISTO nihil aliud punitum est, nisi quod ipse fecerat, idest caro ipsius.

DEF. XXXIX. Cap. 15. Sect. 8.

Dicis. *Deum ab eis, quæ fecit naturalia munera non tollere.* F 39. Cap. 15. sect. 8.

† Respondemus. Deum cæcos facere, surdos, mutos, & claudos & steriles, & cætera similia.

DEF. XL. Cap. 16. 1.

Dicis. *nulla natura naturam puniri.* 40. Cap. 16. 1.

† Respondemus. Nullam naturam, nisi ab alia natura puniri, videlicet creatam naturam à creatrice natura, vt ipse qui factor est naturarum creatarum, ipse sit iudex, ipse punitor, vel creatas naturas à creatis naturis.

DEF. XLI. Cap. 16. 1.

Dicis. *Nihil aliud esse pœnas peccatorum, nisi peccata eorum.* 41. Cap. 16. 1.

† Respondemus. multa esse genera suppliciorum, vel præsentium, vel futurorum iustissimi iudicis præter peccata: nam vt de his interim taceam, quid quæso punitum est iniquitatis *in cæco nato*? Quem cum propter peccata ita punitum Apostoli putarent, Dominum sciscitati sunt: *Rabbi quis peccauit hic, aut parentes eius, vt cæcus nasceretur* quibus ipse ait: *Neque hic peccauit, neque parentes eius: sed vt manifestentur opera Dei in illo.* G Ioan. 9. 2. 3. Similiter de *Lazaro infirmato: infirmitas hæc non ad mortem, sed pro gloria Dei vt glorificetur filius Dei per eam.* Ioan. 11. 4. Ioan. 5. 11. Cùm tamen legamus per plures infirmitates corporibus scelerum merito irrogari, dicente Domino ad paralyticum sanatum: *Vade & amplius noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.*

DEF. XLII. Cap. 16. Sect. 1.

Dicis. *In igne æterno nihil aliud esse pœnam, quam beatæ fœlicitatis absentiam.* 42. Cap. 16. sect. 1.

† Respondemus. Et hanc esse pœnam, & ignis ardorem nimium, & vermium consumptionem.

DEF. XLIII. Cap. 16. Sect. 4.

Dicis. *In illo igne nullum esse, qui non habeat insitam sibi naturaliter absentis beatitudinis notionem, eiusque desiderium.* 43. H Cap. 16. sect. 4.

† Respondemus. Prophetæ nos potius credere dicenti: *Nunquid cognoscentur in tenebris mirabilia tua, & iustitia tua in terra obliuionis?* Ps. 87. 13.

DEF. XLIV. Cap. 16. Sect. 1.

Dicis. *Habituros miseros fœlicitatis, & veritatis notionem, atque scientiam, ac per hoc non esse miseros, nec puniri.* 44. Cap. 16. sect. 1.

† Respondemus. Dixisse Prophetam: *Introibit vsque in progenies patrum suorum, vsque in æternum non videbit lumen:* Ps. 48. 20. Ac per hoc & miseros, quia ad beatitudinem nunquam assurgant, & punitos, quibus pœna nunquam desit.

DEF. XLV. Cap. 16. Sect. 2. & 7.

Dicis. *In diabolo, & impiis hominibus non puniri, nisi peruersitatem propriæ voluntatis.* 45. Cap. 16. sect. 2. & 7.

† Respon

A † Respondemus. Puniri in eis naturam deprauatam & vitiatam propria voluntate.

Def. XLVI. Cap. 16. sect. 2.

46. Cap. 16. sect. 2. ◉ Dicis. *Non peccasse naturam, sed voluntatem.*

† Respondemus. Naturam peccasse quidem, sed non fuisse vitium naturæ, sicut à Deo bono condita est: sed sicut per propriam voluntatem corrupta est: ipsum tamen peccatum non solummodo voluntati quæ natura non est; sed eius naturæ deputandum, cuius voluntas est; ideoque naturam peccatricem iure punitam. Natura quippè, id est anima suasionem serpentis admisit, & eadem per naturam, id est per corpus suum ligni inhibiti pomum comedit.

Def. XLVII. Cap. 16. Sect. 3.

47. Cap. 16. sect. 3. ◉ Dicis. *In primo homine non peccasse natura generalitatem, sed vniuscuiusque indiuiduam voluntatem.*

B † Respondemus. Peccasse in eo naturæ generalitatem, quam massam damnationis Scripturæ vocitant, ideoque totam à iusto iudice damnatam, non solam voluntatem, nec reparari posse penitus, nisi per mediatoris humilitatem.

Def. XLVIII. Cap. 16. Sect. 3.

48. Cap. 16. sect. 3. ◉ Dicis. *Si ea natura delinqueret, cum vna sit, tota profecto periret.*

† Respondemus. Totam naturam deliquisse; proindeque totam quodammodo periisse. Ac per hoc liberatore eam indigere. Non enim in paruulis voluntas peccati, quæ nulla est, sed natura damnatæ originis punitur.

Def. XLIX. Cap. 16. Sect. 3.

49. Cap. 16. sect. 3. Eph. 2. 3. Ro. 6. 19. ◉ Dicis. *Proinde in nullo naturam puniri: quia ex Deo sit, & non peccet: sed libidinem peruersæ voluntatis cruciari, dum ea quæ malè, aut indignè appetit, habere non sinatur.*

C † Respondemus. Esse quidem & hanc pœnam in hac interim vita, & ante diem iudicij; post autem non aliam, quam & memoriam peccatorum, & ignem gehennæ inextinguibilem: Apost. autem è contra clamat: *Fuimus natura filij iræ.* Et item *sicut exhibuistis membra vestra seruire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra vestra seruire iustitiæ in sanctificationem.* Et item: *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuum me ducentem in lege peccati, quæ est in membris meis*; membra corporis vtique natura sunt, quæ cum sint facta à Deo, non à Deo habent quod peccant, sed à se per propriam voluntatem. Ideoque iure puniuntur. Rom. 7. 23.

Def. L. Cap. 16. Sect. 4.

50. Cap. 16. sect. 4. ◉ Dicis. *Ex nullo bono malum esse.*

† Respondemus. Nullum malum, nisi ex bono esse.

Def. LI. Cap. 16. sect. 7.

D 51. Cap. 16. sect. 7. ◉ Dicis. *Eum qui hic libero voluntatis arbitrio, quod est naturalis intelligentiæ munus, id est mentis acies in vsus turpitudinis mutet, illic ne omnino veritatis honestate fruatur, iustissime perdere, & tenebras æternæ ignorantiæ non euitare.*

† Respondemus. Verum esse quidem, sed contra teipsum qui paulo ante miseris illic beatitudinis, fœlicitatis & veritatis notionem, scientiam ac desiderium dederas: nec tamen hac veritate excludi pœnas ignis æterni.

Def. LII. Cap. 17. sect. 3.

52. Cap. 17. sect. 3. Sap. 1. 4. ◉ Dicis. *Deum vbicumque fuerit præsentia, ibi esse & habitatione.*

† Respondemus. Scripturam dicere, *Quoniam in maleuolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis.*

Def. LIII. Cap. 17. sect. 4.

◉ Dicis. *Præsentiam & habitationem Dei in his, quæ nec ab eo sunt, nec ea fecit, à contrario dici, cum in eis non sint.* 53. Cap. 17. sect. 4. E

† Respondemus. In diuinis eloquiis nusquam Dei habitationem in his, quæ non sunt positam; præscientiam vero eius etiam malitiæ, & peccatis nostris non abesse.

Def. LIV. Cap. 17. sect. 5.

◉ Dicis. *Similitudinem domus cuiusdam patrisfamilias intra hanc domum cœli, & terræ malos in aere; bonos in æthere constitui.* 54. Cap. 17. sect. 5.

† Respondemus. Malos sub terris in inferno igni perpetuo mancipati, bonos supra omne hoc visibile cœlum, quod firmamentum sanctæ Scripturæ nuncupant, sempiterna beatitudine glorificari.

Def. LV. Cap. 17. sect. 7.

F

◉ Dicis. *Ignem æternum ad vrendum diabolum: & Angelos eius, non homines factum.* 55. Cap. 17. sect. 7. Marc. 9. 43.

† Respondemus. Dixisse Deum, *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum & proiice abs te, melius est tibi luscum introire in vitam æternam, quam duos oculos habentem mitti in ignem inextinguibilem, vbi vermis eorum non moritur & ignis non extinguitur.* Similiter de manu & pede.

Def. LVI. Cap. 17. sect. 7.

◉ Dicis. *Diabolo, postquam æthere detrusus sit, vbi in æthereo corpore non poterat pœnas sentire, additum corpus aereum, in quo ignem sentiret.* 56. Cap. 17. sect. 7.

† Respondemus. Id auctoritate Scripturæ Propheticæ atque Apostolicæ minimè posse probari.

Def. LVII. Cap. 17. sect. 8.

◉ Dicis. *Non esse illum ignem pœnam, neque ad eam præparatum vel prædestinatum.* 57

G † Respondemus. Dixisse Dominum, cum parabolam piscium bonorum, atque malorum pronuntiasset, *Exibunt Angeli, & separabunt malos de medio Iustorum, & mittent eos in caminum ignis, ibi erit fletus & stridor dentium.* Quod te aduersus teipsum patenter dixisse monstratur, qui prius eundem ignem ad vrendum diabolum, & Angelos eius factum dixeras, quo enim pacto quis vri, nisi pœnaliter queat, non video. Cap. 17. sect. 8. Math. 13. 40.

Def. LVIII. Cap 17. sect 8.

◉ Dicis. *Eundem ignem sedem factum esse impiorum, in quo non minus habitent beati, quam miseri.* 58. Cap 17. sect 8.

† Respondemus. Non sedem suauitatis, & dignitatis vt desipis impiorum; sed æternum esse tormentum, nec in eo habitaturos beatos, dicente Domino: *Ibunt hi in supplicium æternum, Iusti autem in vitam æternam.* Nusquam autem sacratum Litterarum ille ignis vita æterna nuncupatur. Math. 25. 40.

Def. LIX. Cap. 17. sect. 9.

H

◉ Dicis. *Miseriam nullam esse, nisi mortem æternam; mortem æternam, nisi veritatis ignorantiam; nullamque miseriam esse, nisi veritatis ignorantiam; & vbi ignoretur veritas, ibi nullam vitam.* 59 Cap 17. sect. 9.

† Respondemus. Peccatorem in hac vita salutariter pœnitentem dicere, *Miser factus sum, & curuatus sum vsque in finem:* & Apostolum: *Miser ego homo* & alterum: *Miseri estote & lugete*, quos vtique æternæ morti gratia Dei exemptos, nullaque veritatis ignorantia tenebratos libere confitemur. Verum repugnare tibi sensa & dicta tua quisquis non aduertit, intellectu caret: nam supra dixeras inesse illis beatitudinis, fœlicitatis, & veritatis notionem, scientiam, & desiderium. Item vbi ignoretur veritas, ibi nullam vitam: si impij in illo igne sedem tantum habituri, non & pœnam passuri sunt, quomodo nullam vitam habebunt: sed veritas clamat habituros illic impios vitam sed pœnalem. Ps. 37. Rom. 7. 24. Iac. 4. 9.

Def. LX. Cap. 18. T. & Sect. 1.

❡ Dicis. *Errorem prædestinationis ex liberalium disciplinarum ignorantia, & Græcarum literarum inscitia ortam esse.*

† Respondemus. Non esse errorem, sed veritatem prædestinationis geminæ à Patribus approbatam tantopere, ac prædicatam eosque perfectam earumdem scientiam habuisse nullatenus dubitamus, téque potius tantillulâ earum scientiola vltra vires tuas tumuisse, atque in tantas blasphemias impiè prorupisse.

Def. LXI. Cap. 18. Sect. 1.

❡ Dicis. *Eas Dei sapientiam suas comites inuestigatricesque fieri voluisse.*

† Respondemus nullo comite Dei sapientiam indiguisse, nec per eas se inuestigari. Sed per spiritum suum de quo ipse promittit: *Cum venerit ille spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem*, quod absque contradictione in Prophetis pastoribus, in Apostolis piscatoribus literarum insciis comprobatur dicente Apostolo: *Nam cum non cognouisset mundus per sapientiam Deum, placuit Deo per stultitiam prædicationis saluos facere credentes.* Et Euangelista: *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Et item Apostolo: *Euangelium, quod prædicatum est à me, non est secundum hominem, neque enim ab homine accepi illud, neque didici, sed per reuelationem* Iesv Christi.

Def. LXII. Cap. 18. sect. 3.

❡ Dicis. *Prædestinationem, & prædefinitionem nihil aliud esse, quam præuisionem.*

† Respondemus. Falsum esse. Multa quippe præuidentur quæ nec prædestinantur, nec præfiniuntur.

Def. LXIII. Cap. 18. sect 4.

❡ Dicis. *Deum nec præuidisse, nec prædestinasse mortem, & pœnas, quia nihil sunt.*

† Respondemus. Deum & præuidisse, & prædestinasse mortem, & pœnas, qui peccaturum hominem præuidens, ei ne peccaret interdixit, & si peccaret moriturum illum prædixit.

Def. LXIV. cap. 18. sect. 7.

❡ Dicis. *Dei sapientiam prædestinasse in suis legibus modos, vltra quos impiorum malitia progredi non possit, nec sini alicuius malitiam in infinitum: prout velit, extendi diuinis legibus progrediendi modum imponentibus.*

† Respondemus. Verum esse dicente beato Iob: *Constituisti terminos eius qui præteriri non poterunt*, quæ sententia tua nobiscum potius, quam tecum agit, vis enim hanc esse pœnam peccatoribus, quando non tantum peccare sinuntur quantum volunt. Si ergo hæc illis pœna est, à quo quæso est nisi ab illo, à quo prædestinati sunt modi, vltra, quos impiorũ malitia progredi non possit si inquã diuinis legibus progrediendi modũ imponentibus non sinitur alicuius malitia in infinitum, prout velit extendi, & hæc pœna est: à quo rogo, nisi ab illo cuius legibus coërcetur? Fatere igitur hanc cohibitionem pœnalem illis à Deo impositam: ac per hoc absque contradictione ab ipso esse pœnam.

Def. LXV. Cap. 18. sect. 7.

❡ Dicis. *Nihil appetere impiorum omnium, & Diaboli nequitiam, nisi ab eo, qui est summa essentia recedere, in tantum vt eorum natura, si lex diuina sineret, in nihilum rediret.*

† Respondemus. Mirari nos disputatorem argutissimum, vt qui prius dixeras insitum cuique naturaliter beatitudinis appetitum, eamque omnes appetere. Nunc è contrario asseras nihil eos appetere, nisi ab eo qui est summa essentia recedere: Cùm summa essentia ipsa sit indubitanter beatitudo sempiterna. Item qui ante dixeras nullam naturam perire, nunc asseris naturam, si lex diuina sineret in nihilum redire. E

Def. LXVI. Cap. 18. sect. 8.

❡ Dicis. *Inuitos Deo seruire impios, non naturam, quam* 66.
in eis fecit, & in eis non punit: Sed malam voluntatem, Cap. 18.
quam in eis non fecit, & in eis punit: In eo quod ei inuiti sect. 8.
seruiunt, puniri in se ipsis sua pœna.

† Respondemus. Vtrumque & naturam scilicet, & voluntatem impiorum Deo inuitè seruire iustéque puniri, non à se ipsis suâ pœna, sed ab illo, cuius est potestas iusta: Verum te his dictis plurimum impugnas, qui supra nullum, vel ad bonum, vel ad malum compelli adstruxeras.

Def. LXVII. Cap. 18. sect. 8.

❡ Dicis. *De qua pœna quos iuste non liberet, ad eam* 67.
illos, quodammodo præparet, dum eos ad eam se ipsos præ- Cap. 18.
parare permittat. sect. 8. F

† Respondemus. Id Patres nunquam tali locutione dictum sensisse, quin imo & præparare seipsos ad pœnam inique viuendo, & in iniquitate perseuerando; & Deum vel præparare, vel prædestinare, illos iustissimè iudicando.

Def. LXVIII. Cap. 19. sect. 1.

❡ Dicis. *Ignem æternum istum ipsum quartum mundi* 68.
elementum. Cap. 19. sect. 1.

† Respondemus. Alium potius multo videri, quoniam & qualitatis diuersæ sint.

Def. LXIX. Cap. 19. sect. 1.

❡ Dicis. *In eo corpora sanctorum in æthercam mutari* 69.
qualitatem impiorum vero in aëream qualitatem transi- Cap. 19.
tura. sect. 1.

† Respondemus. Sanctorum corpora nequaquam vel in illo igne, vel absque ipso in ætheream mutari qualitatem, sed in veritate propriæ carnis, atque membrorum quamlibet glorificatæ mansura, atque in æternum G
victura impiorum verò corpora nullam omnino immutationem habitura præter immortalitatem, qua iam corrumpi per mortem, atque deficere nunquam possint.

Def. LXX. cap. 19. sect. 3.

❡ Dicis. *In eodem igni naturarum intra se mirabile* 70.
perfici gaudium, malarum vero voluntatum ineffabile Cap. 19.
tormentum. sect. 3.

† Respondemus. Nullum illic gaudium naturarum Matth. 8.
vbi testante Domino *fletus erit & stridor dentium*, téque 12. &c.
ipsum validissimè impugnare, qui ante dixeras miseriam nullam esse nisi mortem æternam, æternam mortem veritatis ignorantiam. Et vbi ignoretur veritas, ibi nullam vitam: quod quæso gaudium illis irrogas quibus æternam mortem, miseriam, veritatis ignorantiam, nullamque vitam inesse docueras. H

Def. LXXI. cap. 19. sect. 3.

❡ Dicis. *Impiorum Angelorum, & hominum corpora* 71.
pulchritudinem & naturalem incolumitatem habitura & Cap. 19.
refulsura. sect. 3.

† Respondemus. Dicere Scripturam, *Vbi nullus ordo* Iob. 10.
& sempiternus horror inhabitat. 22.

Def. LXXII. Cap. 19. sect. 3.

❡ Dicis. *Excepta beatitudine, qua priuabuntur nullam* 72.
habere pœnam. Cap. 19. sect. 3.

† Respondemus. Eos & animarum, & corporum æternos perpeti cruciatus.

Def. LXXIII. cap. 19. sect. 3.

❡ Dicis. *Infelicium animarum intentionem de corpori-* 73.
bus suis æternas pati ærumnas. Cap. 19. sect. 3.

† Respondemus. Nullatenus nos videre quamobrem

infœlices

A infœlices nomines, quibus ante gaudium contulisti; vel quas ærumnas de corporibus suis patiantur, quibus integritatem, pulchritudinem, incolumitatem, fulgoremque dedisti.

DEF. LXXIV. Cap. 19. sect. 3.

74. Cap. 19. sect. 3. ❦ Dicis. *Ipsum ignem omnibus corporibus fieri gloriam.*

† Respondemus. Nullam protsus fieri gloriam . . . . . verum interminabile tormentom.

DEF. LXXV. Epil. sect. 2.

75. Epilog. sect. 2. ⊖ Dicis. *Prædestinasse Deum impios ad interitum, aut interitum impiis, id est ante sæcula definisse certum numerum eorum, qui in sua impietate interituri essent.*

† Respondemus. Id nos amplecti atque fateri, explosa tamen tergiuersatione tua, qua aliud quam sonet intelligis.

B

DEF. LXXVI. Epil. sect. 2.

76. Epilog. sect. 2. ⊖ Dicis. *Non in eis Deum, quod fecerat puniturum; sed in eis quod non fecerat puniri relicturum.*

Quæ supersunt. Responsio scilicet ad hanc definitionem com vltima definitione desunt in manuscripto Bibliothecæ Iac. Aug. Thuani, sed respoosionem vide ad Epilogum n. 6.

Definitio vltima in Hincmaro habetur de prædest. c. 31 pag. 232. vnde hic reposita.

DEF. LXXVII. & vlt. Epil. sect. 3.

77. Epilog. sect. 3. ❦ Dicis. *Anathematizare te eos, qui geminam prædestinationem dicunt, aut prædestinationes pluraliter efferunt.*

† Respondemus. Tibi potius conuenire, qui veritatem iudiciorum Dei tantisper impugnas, fidem dictorum veracium negas, sensa Patrum per omnia reuerendorum fidelissima deprauas, & ea insuper nouus falsitatum in-
C uentor enuntias, quæ nullos ante hac dixisse, vel scripsisse vllatenus reperitur.

Vide Hincmarum lib. de prædestinatione c. 21.

TRACTORIA SANCTI Prudentij Episcopi Tricassini, quam per Vicarium misit ad ordinationem Æneæ Parisiensis cum ipse adesse non posset.

PATRI VENERABILI ET CÆTERIS Patribus Fratribusque sincerissime diligendis atque Coëpiscopis Reuerendis, Prudentius æternam in Domino salutem.

D QVANTVM ad meritum peccatorum meorum spectat iustissimo Dei iudicio, quatenus vero ad indebitas atque indeficientes eius misericordias pertinere dignoscitor, misericordissimo ipsius munere infirmitaribus pœnè omnibus notis depressus, sancto desiderabilique vestro conuentui adesse prohibeor. Quod autem possum præsentibus litteris atque Legato nostræ Ecclesiæ Presbytero Arnoldo mei consensus præsentiam eatenus exhibeo, vt is qoi ordinandus est, Apostolicæ Sedis omnibus institutis, & Beatorum Patrum, *Innocentij, Zozimi, Bonifacij, Xisti, Leonis, Gelasij, Cælestini, Gregorij, Hilarij, Ambrosij, Augustini, Isidori, Primasij, Fulgentij, Gregorij, Hieronymi, Cassiodori, Bedæ*, aliorumque, ad æque Catholicorom atque orthodoxorum virorum scriptis, & dictis, ac specialiter super quatuor capitolis, quibus omnis Ecclesia Catholica aduersus Pelagium, eiusque hæreseos sequaces pugnauit ac vicit, atque ad posterorum memoriam litteris auctoritate & veritate plenissimis mandauit, confitendo subscribere, subscribendo
E confiteri voluerit, eius me ordinationi consentaneum esse profiteor. Sin alias, prorsus neque assentior, neque fidelibus Christi assentiendum suadeo. Capitulorum verò quatuor præmissorum seriem, quamuis vestram prudentiam *Capitula quatuor de gratia* multo viuacius quam meam extremitatem compertam esse non dubitem, necessario tamen breuiter adnectendam iudicaui. Vt facilius quid sentiam, cui veritati consentiam, vestra bonitas recognoscat,

Videlicet, vt liberum arbitrium in Adam merito inobedientiæ amissum, ita nobis per Dominum nostrum IESVM CHRISTVM redditum, atque liberatum confiteatur, I. *De libero arbitrio.* interim in spe, postmodum autem in re, sicut dicit Apostolus: *Spe enim salui facti sumus:* Vt tamen semper ad Rom. 8. 24. omne opus bonum Dei omnipotentis gratia indigeamus, siue cogitandum, siue inchoandum, operandum, ac perseueranter consummandum, & sine ipsa nihil boni nos posse vllatenus, aut cogitare, aut velle, aut operari sciamus.

F

Secundo. Vt Dei omnipotentis altissimo secretoque consilio credat atque fateatur, quosdam Dei gratuita misericordia antè omnia sæcula prædestinatos ad II. *De gemina præd.* vitam, quosdam imperscrutabili iustitia prædestinatos ad pœnam, vt id videlicet sioe in saluandis siue in damnandis prædestinauerit quod se præscierat esse indicando facturum, dicente Propheta; *Qui fecit quæ futura sunt.* LXX. Isa 45. 11.

Tertio. Vt credat ac confiteatur cum omnibus Catholicis, Sanguinem Domini nostri IESV CHRISTI pro III. *De morte Christi.* omnibus hominibus ex toto mundo in eum credentibus fusum: Non autem pro illis qui nunquam in eum crediderunt: nec hodieque credunt, nunquamque credituri sunt, dicente ipso Domino: *Venit enim filius hominis non ministrari, sed ministrare, & dare animam suam in redemptionem pro multis.* Math. 20. 28.

Quarto. Vt credat atque confiteatur Deum omnipotentem quoscunque vult, saluare, & neminem posse IV. *De voluntate Dei.* saluari vllatenus, nisi quem ipse saluauerit: Omnes autem saluari quoscunque ipse saluare voluerit: Ac per G hoc quicumque non saluantur, penitus non esse voluntatis illius, vt saluentor, dicente Propheta: *Omnia quæcunque voluit Deus, fecit in cælo & in terra, in mari, & in omnibus abyssis.* Ps. 134. 6

Et licet quædam siot alia quibus in Pelagio damnatis vniuersaliter Ecclesia consenserit, satagerit, atque subscripserit, hæc tamen specialiter aduersus eum eiusque complices per Apostolicam Sedem, instantia beatissimi Aurelij Carthaginensis Episcopi, atque Augustini, cum aliis ducentis quatuordecim Episcopis ab eius prauissimis sensibus erura, vindicata, & multis tam Epistolis, quam libris toto orbe vulgata, omnis hodieque gaudet, confitetur, prædicat, & tenet, atque tenebit Ecclesia. His per omnia consentaneam, prædicabilem paternitatem, fraternitatemque vestram gratia superna munitam atque præualidam, & suo munere gaudentem perpetuo conseruare dignetur.

H

Rabanus Maurus in Epistola ad Hincmarum hæc habet de sequenti opere.

Nam Prudentius Tricassinæ ciuitatis Episcopus, ad vos & ad Pardulum scribens, plura testimonia præteritorum Patrum in quaternionibus suis collegit, in quibus aliquando sensui nostro concordat, hoc est, vbi dicit peccati authorem Deum non esse, nec aliquem ad peccandum compellere; præmium verò iustis immensa gratia misericorditer tribuere, pœnam autem condignam iniquis pro malis eorum operibus iuste reddere; quia iustus est Dominus in omnibus viis suis & sanctus in omnibus operibus suis. Sed quando dicit, quod Deus, sicut electos prædestinatione sua ad præmium æternum perducit; ita prædestinatione sua cogat peccatores in interitum ire, hoc mihi videtur in congregatione testimoniorum suorum facere velle, vt credamus & confiteamur, iuxta traditionem Gottescalci, geminam esse prædestinationem, scilicet, quod, sicut electos præsciendo & prædesti-

nando

nando ducat ad pœnam. Sed quia hoc nusquam in Scripturis sacris ita mixtim positum inueni, eius traditionibus assentire non acquiesco singillatim autem cunctis propositionibus eius per singula loca respondere, & sententiis illis quas ipse ex multis libris congregauit, contrarias sententias apponere, non me permittit infirmitas corporis, nec ægritudo senectutis.

NOTA.

Hæc Rabani censura in Prudentium paulo videtur acrior: neque enim vllibi Prudentius asserit in sensu Gotteschalci, *quod Deus sicut electos prædestinatione sua ad præmium æternum perducit, ita prædestinatione sua cogat peccatores in interitum ire.* Nam quod habet Prudentius cap. 3. *Prædestinauit, id est, præordinauit non vt peccarent, sed vt propter peccatum pœnis perpetuis interirent prædestinauit, id est, præordinauit non ad culpam, sed ad pœnam.* Ita intelligendum est, vt non vi prædestinationes ad pœnam puniantur reprobi, sed ratione peccati ab æterno præuisi, & postea in tempore liberè ab eis commissi. Vnde nec fauet Prudentius Gotteschalco, nec Caluino, nec doctrinæ Iansenianæ à summis Pontificibus Innocentio X. & Alexandro VII. proscriptæ. Commodè etiam explicari potest dum dicit, *Christum pro solis Electis mortuum:* Loquitur enim non de sufficientia mortis Christi pro omnibus, sed de efficacia eius pro solis Electis: item, dum dicit, Deum non velle omnes homines saluos fieri; nam manifestè loquitur de voluntate absoluta & consequenter, non de conditionata & antecedente: vt videre est ex locis SS. Patrum Augustini, Prosperi, Gregorij &c. quorum hic plurimos congessit: porrò non debet commouere Lectorem capitis tertij titulus ad doctrinam damnatam specie tenus accedens: forsitan enim his verbis vsus est: quia timebat Prudentius quod & eodem tempore timuerunt Ecclesia Lugdunensis & Concilium Valentinum, ne Hincmarus faueret hæresi Origenistarum, qui Misericordes dicti sunt arbitrantium, voluntatem Dei pro saluandis omnibus omnino hominibus fuisse efficacem, & Christum efficaciter pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, ita vt descendens ad inferos omnes retro damnatos inde liberasset, cæteros in fine sæculi liberaturus, hinc non mirum si ad oppositam partem inclinet Prudentius sicut Ecclesia Lugdunensis & Concilium Valentinum.

EPISTOLA PRVDENTII Episcopi ad Hincmarum & Pardulum Episcopos.

Ex Codice MS. S. Arnulphi per Iac. Sirmondum educta.

PRÆFATIO.

DOMINIS *prædicabilibus, doctrina & sanctitate præstantibus, honorabiliter nominandis, Hincmaro, & Pardulo Pontificibus, Prudentius Beatitudinis vestræ amator, cultorque fidissimus, æternam in Domino salutem. Optaueram quidem, mi Patres admodum venerandi, fratresque in Deo, & Domino nostro* IESV CHRISTO *plurimum diligendi, de propositis quæstionibus secreto amicabilique vobiscum tractare colloquio; & quicquid superna gratia dono sanius salubriusque videri posset, remota penitus vincendi pertinacia, propulsaque sua cuique studia tuendi libidine, diligenter exquirere. Verum obliquatis in diuersa rebus, adeò auersus resilij, vt ne voluntatem meam saltem exponendi facultas superesset. Vnde quomodo colloquendi libertas tantopere denegata est, coactus sum eo sincerissimæ charitatis affectu, quem vestræ vnanimitati peculiariter debeo, litterariam quantulacumque est operam exhibere, & quid votis conceperim, scriptis edicere.* E

CAP. I.

Encomium S. Augustini, & eius doctrinam quanti fecerint Pontifices Romani?

Encomiũ August.

HOc primum præcipueque vestram sinceritatem monens & postulans, vt doctrinam beatissimi Patris Augustini, omnium absque vlla dubietate vndecumque doctissimi, sanctarum Scripturarum auctoritati in omnibus concordissimam (quippe nullus doctorum abstrusa earum scrupulosius rimatus, diligentius exquisierit, verius inuenerit, veracius protulerit luculentius enodauerit, fidelius tenuerit, robustius defenderit, effusius disseminauerit) vestri Pontificatus tempore, commento quolibet impugnari non permittatis: quando tanto cœlestis gratiæ munere donata existit, vt nullo cuiusquam conamine vllatenus euelli possit: cum eam & Apostolicæ sedis sublimitas, & totius Ecclesiæ Catholicæ vnitas auctoritate concordissima approbarint ac roborarint: adeo vt nullus ei singulariter, verum vniuersitati Ecclesiæ Catholicæ cum ea, & in ea queat obniti. F

Pontificũ Romanorum approbatio. Epist. Pontific. tom. 1.

Si enim aduersam fidei Orthodoxæ in quoquam conspiceret, nequaquam eam Romanæ Ecclesiæ Antistes venerabilis Innocentius, cum totius orbis Episcopis suscepisset: neque prædictum Patrem memorabilem, suarum Epistolarum communiter priuatimque officiis affecisset. Neque successor eius Zosimus eodem tramite cucurrisset. Neque Bonifacius eiusdem Apostolicæ Sedis Præsul Epistolas Pelagianorum sibi delatas, ei ad respondendum misisset; aut responsionem eius quatuor libris editam, probabiliter atque honorabiliter suscepisset. Cœlestinus quoque memoratæ vrbis Episcopus quid contra Gallorum insaniam, super eo, eiusque doctrina senserit, ex auctoritate Apostolica, Decretorum scita declarant, quæ ita se habent. *Nec tamen mirari possumus, si hæc erga viuentes hi nunc tentare audent, qui nituntur etiam quiescentium fratrum memoriam dissipare. Augustinum sanctæ recordationis virum, pro vita sua, atque meritis in nostra communione semper habuimus, nec vnquam hunc sinistra suspicionis saltem rumor aspersit. Quem tantæ scientiæ olim fuisse meminimus, vt inter magistros optimos, etiam à meis decessoribus, haberetur. Bene ergo de eo omnes in commune senserunt, vt pote qui vbique cunctis & amori fuerit, & honori.* Nec minus Leo Papa Beatissimus, super eius æstimatione sensisse credendus est, qui Eutichetis damnans vesaniam, cum fidem Orthodoxam collectis Catholicorum Doctorum sententiis adstrueret, B. Augustini sententias interponere non ambegit. Quantus etiam Beatissimo Papæ Gregorio fuerit, indicat eius Epistola, quam ad Innocentium Episcopum misit, in qua hæc eius verba sunt. *Quod vero in Expositione sancti Iob transmitti codicem voluistis, vestro omnino studio congaudemus, quando illi rei eminentiam vestram studere conspicimus, quæ nec totos foris vos exire permittat, & ad cor iterum secularibus curis dispersos colligat. Sed si delicioso cupitis pabulo saginari, beati Augustini patriotæ vestri opuscula legite, & ad comparationem siliginis illius, nostrum furfurem non quæratis.*

Cœlest. epist. 8. G H

Regist. l. 8. epist. 37. indict. 3.

***

CAP. II.

A

CAP. II.

Sancti Augustini doctrinam Fulgentius & Prosper defenderunt.

De Fulgentio ad Monim. SAnè S. Fulgentius, mirabilis doctrinæ Episcopus, Monimo super perditorum interitu de Prædestinatione, ex B. Augustini verbis sciscitanti, nequaquam librum responsionis in defensionem sententiæ tanti Patris ederet, si eum Catholicæ fidei contrarie sensisse, vel certè scripsisse cognosceret. *Cæsar. l. 5. de Bell. Gall.* Quamuis nonnulli Gallorum, (sicut quidam de eis ait, quod eorum sint semper repentina consilia,) nequaquam Prædestinationem perditorum reprehenderint, sed sanctorum prædestinationi nouo concludio derogare maluerint. Quorum, insanæ præsumptioni memorabilis idem Augustinus Doctor B eximius, petentibus Prospero & Hilario orthodoxè, respondens, duos libros, alterum de prædestinatione Sanctorum, alterũ de Bono perseuerantiæ plenissime, fidelissiméque confecit: in quibus perpauca de Prædestinatis ad interitum, quamplura vero de Prædestinatis ad gloriam verissimè disseruit. *De Prospero pro S. Aug.* Cuius dictorum scriptorumque saluberrium Prosper Gallicæ Prouinciæ Doctor præcipuus sequax per omnia atque defensor, memorabili Patre ad cœlestia indubitabiliter transmigrato, ita suis, id est, Gallis furentibus Catholicæ responsione obuiauit, vt & doctrinam illius Orthodoxam proculdubio assereret, & eum nihil contra veritatis regulam vllatenus vel sensisse vel scripsisse adstrueret. Quam videlicet S. Prosperi responsionem propositis quæstionibus sufficere crederem, nisi quorundam aliter opinantium pertinacia ad alia deuocaret. Nam tunc omnis quæstio aduersum sanctorum Prædestinationem quibusdam confictis adinuentionibus agebatur: quibus à venerandæ memoriæ Patri- C bus satis abundeque responsum est: nunc in diuersum nitentibus studiis, prædestinatio perditorum à quibus- *Status quæstionum.* dam funditus abrogatur. Quasi vero aut incomprehensibilis, perindeque inreprehensibilis iustitiæ omnipotentis iudicis euacuari queat, aut id sanctarum scripturarum auctoritate stipulari nequeat, cum piè diligenterque legentibus, etsi non verbo eodem, aliis tamen tam vocabulis, quam sententiis itidem significantibus, minimè tacea[t]ur, quemadmodum, Christo propitio, sequentia patentissimè demonstrabunt. Adeone desipimus, vt putemus B. Hieronymum vtriusque testamenti fidelissimũ doctissimumque interpretem, eidem Patri, si qua deuiare cognosceret, parcere potuisse; præsertim cum eum in quadam Epistolarum suarum redarguerit, è vestigioque correctum susceperit, ac deinceps multis laudibus persæpe extulerit, amorique semper & honori habuerit? Quibus constitutis, tandem quod cœpimus, propitiante Domino exequamur.

D

CAP. III.

Ingressu in disputationem tres proponit quæstiones. De Prædestinatione reproborum: de Christo pro solis electis mortuo: de Dei voluntate non omnes homines vocandi & saluandi.

Prædestinatio gemina. SEquentes igitur saluberrimam tanti Patris doctrinam, dicimus, vt cetera omittamus, Deum summe atque incommutabiliter bonum & iustum hominem sola bonitatis suæ abundantia de terræ limo conditum, anima rationali donatum, libertate quoque arbitrij decentissimè decorasse, vt eo benè & liberaliter, cum adiutrice conditoris gratia vtens, non mori posset; contumaciter vero perperamque abutens, iustissimè addictus mori posset arbitrio. Quo misertime intumescens, qui prius gratuitam bonitatem liberalitatemque sensE erat, mox æquitatem iustissimam rectissimè plexus, expertus est, damnataque ob culpam inobedientiæ in primis propagatoribus totius humani generis massa, & præsciuit, & prædestinauit, id est, præordinauit eius omnipotentia quos per gratiam & sanguinem proprij Filij sui, Dei & Domini nostri IESV CHRISTI ab eadem perditionis massa misericorditer secretos, ad vitam, gloriam, regnumque reduceret sempiternum: & præsciuit, & prædestinauit, id est, præordinauit, vt quoscumque gratia & sanguis eiusdem proprij Filij eius Dei & Domini nostri IESV CHRISTI, ex memorata miserabili massa non secerneret, iustissime pœnis afficeret sempiternis. Prædestinauit, inquam, id est, præordinauit, non vt peccarent, sed vt propter peccatum pœnis perpetuis interirent: prædestinauit, id est, præordinauit, non ad *Contra Prædestinatianos* culpam, sed ad pœnam; non vt malum quoddam vellet, siue admitteret, sed vt propter malum, quod volens faceret, cum pœna sempiterna iustè damnaret.

F Quos autem sanguis proprij filij eius Dei & Domini nostri IESV CHRISTI misericorditer liberarit, vtrumne *Christum non pro omnibus mortuum* pro omnibus quibuscunque hominibus, an pro quibusdam, id est, prædestinatione electis, electionem indebita prædestinatis, fusus fuerit? Ipsa omnipotentissima veritas, quæ eum in vnitatem suæ personæ misericorditer suscepit, & fudit, consulta nos doceat. Cum enim *Hincm. l. de præd. c. 34* (quemadmodum Sancti Euangelistæ, veracissimi videlicet dictorum ipsius factorumque stipulatores atque scriptores testantur,) inter cœnandum, Mysteria suæ, quam voluntate subiit, mortis prorsus indebitæ, nostræque redemptionis ediceret, pro quibus pateretur intimauit. Dicit enim Matthæus, *Et accipiens Calicem gratias egit & dedit illis dicens; Bibite ex hoc omnes: Hic est enim sanguis meus Noui Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* *Matth. c. 26.* Marcus autem. *Et accepto Calice gratias agens dedit eis, & biberunt ex illo omnes, & ait illis: Hic est sanguis meus Noui Testamenti, qui pro multis effundetur.* *Marc. c. 14.* Lucas verò. *Et accepto pane gratias egit, & fregit, & dedit eis dicens: Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur, hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem postquam cœnauit dicens, Hic est Calix Nouum Testam. in sanguine meo, qui pro vobis effundetur.* *Luc. c. 22.* G His incorruptibilis veritatis sermonibus, quantum mea fert pusillitas, omnes ambages & controuersiæ deficiscunt, qui tanta claritate prolati resplendent, vt si quis secus intelligere, contraque asserere moliatur, ipsius ineffugibili, vt ita dixerim, perspicuitate frustretur. Ecce enim veritas, non pro omnibus, sed *pro multis*; non pro aliis, sed *pro vobis* dicit.

Et quisquam tantæ maiestati ogganniens aliter quocunque modo mutire præsumit, quam prædicator egregius doctor Gentium, in fide & veritate immutabiliter sequens; de ipso clamat: *Qui vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*: *Paulus Apost. explicatur 1 Tim. 2.* quos enim veritas *multos*, hos prædicator veritatis *omnes* nuncupat; quos etiam eadem veritas *paucos & electos* appellat. Siquidem quonam modo *omnium* vocabulo *multi* vel *pauci* intelligendi sint, nullatenus aridtatis meæ titulo imbuendi estis; quippe qui omnia efficaciter percepistis. Verum H memorabilis Augustinus, vt optimè recolitis, *omnes Deum velle fieri* saluos dicit, sed, quoscunque saluat: vel omnes ex omni genere hominum: vel omnes velle fieri saluos, quia nos facit velle fieri omnes homines saluos alioquin si generaliter & non specialiter omnes intelligendi sunt, vbi est illa omnipotentia, qua *omnia quæcunque voluit in cœlo & in terra*, prorsus non quædam *Ps. 134. cap. 13.* sed *omnia* generaliter *fecit*? De quo verissimè canitur *Omnia quæcunque voluit Dominus fecit in cœlo & in terra, in mari, & in omnibus abyssis.* Et cui dicitur, *In voluntate*, vel *ditione tua Domine cuncta sunt posita; & non est qui tuæ possit resistere voluntati.* Et vbi erit quod ingenti diuinis, nocturnisque confessionibus nos credere in Deum Patrem omnipotentem fidelissime dicimus? Si alique vult, & non facit, quod absit ab omnium saluandorum cordibus, impotentiæ arguitur, qui omnipotens prædicatur: quod quentæ sit impudentiæ, vestra prudentia viderit.

A

CAP. IV.

Tertia maximè propositio Scripturæ Sanctæ auctoritatibus probatur.

Iob. c. 13. Ratr. l. 1 de præd. Deuter. cap. 32. Esther. cap. 1. Hincm. l. de præd. c. 10. Eccl. c. 7. Ps. 149. Ps. 58.

PErpensis igitur diligentius Sanctarum Scripturarum paginis, considerate quid B. Iob dicat: *Et anima eius, quæcumque voluit hoc fecit.* Quid est quod Moyses in cantico Deuteronomij canit, *Constituit terminos populorum iuxta numerum filiorum Israël*, vel *Angelorum Dei; pars autem Domini populus eius, Iacob funiculus hæreditatis eius.* Et in libro Esther, qui duas sortes esse præcepit, vnam populi Dei, alteram cunctarum gentium. Et Salomon, *Considera omnia opera Dei, quod nemo possit saluare, quem ille perdiderit, siue, despexerit.* Et in Psalmo, *Qui adnuntiat verbum suum Iacob, iustitias & iudicia sua Israel: non fecit taliter omni nationi, & iudicia sua non manifestauit eis.* Et iterum. *Non miserearis omnibus qui operantur iniquitatem.* Et in libro Ecclesiastico. *In duobus contristatum est cor meum, & in tertio iracundia mihi aduenit. Vir bellator deficiens per inopiam & vir sensatus, contemptus: & qui transgreditur à iustitia ad peccatum, Deus parauit eum ad romphæam.* In eodem *Et omnes homines de solo, & ex terra vnde creatus est Adam: In multitudine disciplinæ Domini separauit eos, & immutauit vias eorum: ex ipsis benedixit & exaltauit; ex his sanctificauit, & ad se applicauit: ex ipsis maledixit & humiliauit, & conuertit illos ad separationem ipsorum; quasi lutum figuli in manu ipsius plasmare illud & disponere, omnes viæ eius secundum dispositionem eius. Sic homo in manu illius qui se fecit, reddet illi secundum iudicium suum.* Et in Iob, *Cum se mouerit ad quærendum panem, nouit quod paratus sit in manu eius tenebrarum dies.* Et Isaias. *Parata est enim ab heri Topheth, parata & dilatata.* In eodem. *Vbi vermis eorum non morietur, & ignis non extinguetur:* Domino verbis eisdem in Euangelio secundum Marcum Idem approbante.

B Eccles. cap. 26. Eccles. cap. 33. Iob c. 15. Isa. c. 30. Isa. c. 66. Marc. cap. 9.

C

Perpendite obsecro quare vni det Deus gratiam, alteri non det. Quare post tot millia annorum pro redemptione humani generis Saluator venerit; & excepta gente Iudæorum per tanta spatia temporum, totus mundus sine gratia Dei in errore remanserit? Quare solum Abraham, & non totum mundum, ad misericordiæ suæ notitiam vocauerit. Cur in solo vellere popoli Iudæorum tot annorum millibus ros diuinæ gratiæ manserit, & area totius orbis inrigari per Dei misericordiam non meruerit. Vel cur postea solum vellus, Iudaicus videlicet populus, à Dei gratia aruerit, & gentium omnium aream ros diuinæ misericordiæ perfuderit. Et cum Dominus Saluator noster in Euangelio dixerit *Quia si in Tyro & Sidone, ac Sodomis facta fuissent virtutes, quæ facta sunt in Corozain, Bethsaida, & Capharnaum, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent.* Quare ibi fecerit virtutes, vbi non solum ei non crederetur, verum etiam pareretur: & ibi non fecerit, vbi erant pœnitentiam acturi & credituri? Et quod ipse iterum dicit, *Non omnes capiunt verbum, sed quibus datum est; qui habet aures audiendi, audiat.* Et iterum, *Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, cæteris autem in Parabolis, vt non videntes videant, & qui vident cæci fiant*, Et, *Non poterant credere, quia dixit Isaias, Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua, ne forte videant oculis, & corde intelligant, & conuertantur, & sanem eos.* Et item, *Non pro mundo rogo, sed pro his quos dedisti mihi.* Et, *Nemo potest venire ad me nisi pater qui misit me, traxerit eum.* Et, *Nemo potest venire ad me, nisi datum fuerit ei à Patre meo.* Et, *Nemo venit ad Patrem, nisi per me.* Et, *nemo nouit Patrem, nisi filius, & cui voluerit Filius reuelare.* Et, *Confiteor tibi Pater Domine cæli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis.* Et duorum se sequi volentium, alterum admiserit, alterum respuerit. Et, *Sicut pater suscitat mortuos & viuificat: sic & Filius quos vult viuificat.* Si igitur omnes homines vult saluos fieri, cur nō omnes viuificat, qui quos vult viuificat? Quare spiritus sanctus *vbi vult spirat*, non in omnibus? & quare non omnibus, sed *singulis diuidit prout vult.*

Iud. c. 6. Matth. cap. 11. Luc. 10.

D

Matth. cap. 19. Luc. c. 8. Isa. c. 6. Ioan. c. 12. Ioan. 17. Ioan. c. 6. Ibid. Ioan. cap. 14. Matth. c. 11. Luc. c. 10. Matth. cap. 11 Luc. c. 9.

E Ioan. c. 5. Ioan. c. 3. 1. Cor. 12. Act. c. 14. Ibid. c. 13. Ib. c. 16.

Et quod in Actibus Apostolorum legitur, quia *in præteritis generationibus dimiserit gentes omnes ingredi vias suas*, vnamque tantum Iudæorum gentem elegerit. Et quod prædicantibus Apostolis illi tantummodo crediderunt, qui præordinati *erant ad vitam æternam.* Et quod volentes Paulum & Barnabam prædicare in Asia prohibuit eos Spiritus IESV. Et quod docente Paulo, Lydiæ purpurariæ, non ceteris audientibus, Deus cor aperuit, vt crederet, his quæ dicebantur à Paulo. Et quod Apostolus Paulus reliquias per electionem gratiæ saluas factas prædicat. Et, quia Deus *cuius vult miseretur, & quem vult indurat.* Et quod ipse tātis profunditatibus tremefactus exclamat, etiā vt cum ipso clamare non erubescatis, *O homo, tu quis es qui respōdeas Deo? Nunquid dicit figmentum qui se finxit, quare me sic fecisti? An non habet figulus luti potestatem ex eadem massa, aliud vas facere in honorē, aliud in contumeliam?* Et illud, *O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius!* &c. Aduerte quæso quis sit populus, de quo in Euangelio dicitur, *Ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum.* Et in Psalmo, *Redemptionem misit populo suo.* Et rursum. *Dicant qui redempti sunt à Domino, quos redemit de manu inimici, de regionibus cōgregauit eos.* Et, *Saluos nos fac Domine Deus noster, & congrega nos de nationibus.* Si igitur omnia quæcunque voluit fecit, & omnes homines vult saluos fieri, ergo quod non fecit noluit, & quos non saluat; saluare non vult occultissimo quidem, altissimo, incomprehensibili inuituperabilique iudicio, sed prorsus iustissimo.

Ib. c. 16. Rom. c. 9. Ibid. c. 9.

F Rom. cap. 11. Matth. c. 1. Ps. 110. Ps. 106. Ps. 105.

CAP. V.

Incipit Collectio ex Patribus qua prima propositio de gemina Prædestinatione probatur.

G

QVibus studiose ac diligenter animaduersis, tandem Catholicorum Doctorum qualiter eis consentiant, sententias subiungamus: non omnium quæ præmissa sunt expositiones sed quemadmodum eorum sensa his vel verbis vel sensibus congruant, continentes.

INNOCENTII PAPÆ in Epistola directa ad Laurentium Episcopum: cap. 49. Sed ne vlterius debacchandi habeant facultatem, & animas simplicium & rusticanorum in gehennam, cui destinati sunt, trahant. Epist. 15.

Ambrosij in expositione Epistolæ Pauli Apostoli ad Rom. Vnum elegit præscientia, & alterum spreuit. Et in illo quem elegit, propositum Dei manet: quia aliud non potest euenire, quam quod sciuit & proposuit in illo, vt salute dignus sit. Et in illo, quem spreuit, simili modo manet propositum quod proposuit de illo, quia indignus erit. Hoc quasi præscius, non personarum acceptor: nam neminem damnat, antequam peccet, & nullum coronat antequam vincat. Hoc pertinet ad causam Iudæorum, qui sibi prærogatiuam defendunt, quod filij sint Abrahæ. Apostolus autem consolatur se, vt quia dixerat dolorem habere se cordis continuum, causa incredulitatis eorum, quorum adoptio erat filiorum, & legis constitutio, & ex quibus Christus saluator, sicut & ipse ait, quia salus ex Iudæis est, tractata lege inuenit, quia non omnes qui in Israël sunt, credituri sunt; neque quia dicuntur filij Abrahæ, omnes Abrahæ filios dicendos, sicut supra memoraui. Minuit ergo dolorem suum, inueniens olim prædictum, quod non omnes essent credituri: vt his solis doleat, qui per inuidiam in incredulitate laborant. Possunt tamen credere, quod ex subiectis aperit. Incredulis tamen prædictis non valde dolendum est; quia non sunt prædestinati ad vitam: Præscientia enim Dei olim hos non saluandos decreuit. In c. 9. ad Rom.

H

Item in eodem: Præscientia vero est, quia definitum habet qualis vniuscuiusque futura voluntas erit in qua Ibid.

A

Ibid. al. *Præscientia enim Dei est qua.* 1. Reg. 9.

mansurus est, per quam aut damnetur, aut coronetur. Denique quos scit in bono mansuros, frequẽter ante fiunt mali: & quos malus scit permansuros, aliquotiens priùs sunt boni. Vnde cesset querela, quia Deus acceptor personarum non est. Nam Saul & Iudas Iscariotes antea fuerunt boni dicente Scriptura de Saül, *Erat vir bonus & non erat illo melior in filiis Israel.* Et de Iuda Iscariote dicit Petrus Apostolus, *Qui sortitus est sortem ministerij huius*, id est, Apostolatus. Quomodo igitur ministerium salutare sortiretur, nisi esset bonus? In sorte enim Dei iudicium fuit, dignum illum fuisse tempore quo electus est.

Act. c. 1.

Paulo post.

Item in eadem. Manifestum est vasa aliqua fieri ad honorem, quæ ad vsus honestos sint necessaria, alia vero ad contumeliam, quæ strumento sint culinatũ, vnius tamen esse substantiæ, sed differre voluntate opificis in honore. Ita & Deus, cum omnes ea vna atque eadem massa simus in substantia, & cuncti peccatores, alij miseretur, & alterum despicit non sine iustitia. In figulo enim sola voluntas est; in Deo autem voluntas cum iustitia: scit enim cuius debeat misereri, sicut supra memoraui. *Quod si volens Deus ostendere iram; & manifestare potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa iræ præparata in interitum, & vt ostenderet diuitias gloriæ suæ, in vasa misericordiæ, quæ præparauit ad gloriam.* Ipse sensus est, quia voluntate, & longanimitate Dei, quæ est patientia, præparantur infideles ad pœnam.

B

CAP. VI.

Ex S. Augustino in Epistola ad Sixtum.

Epist. 105. aliquanto post initium. Eph. c. 6.

AVgustini ex Epistola ad Siatum Presbyterum. Vnde & alibi dicitur, *Pax fratribus, & charitas cum fide*; quam ne sibi tribuerent, continuo subiunxit, *a Deo Patre & Domino nostro* IESV CHRISTO. Quia nec omnium est fides qui audiunt verbum, sed quibus Deus partitur mensuram fidei. Sicut nec omnia germinant quæ plantantur & rigantur; sed quibus Deus dat incrementum. Cur autem ille credat, ille non credat, cum ambo idem audiunt, & si miraculum in eorum conspectu fiat, ambo idem vident, altitudo est diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, cuius inscrutabilia sunt iudicia; & apud quem non est iniquitas, dum cuius vult miseretur, & quem vult indurat; neque enim propterea sunt iniusta, quia occulta.

C

Paulo post. Ioan. c. 6.

Item in eadem. Et ne quisquam existimaret, credentes sic ad aius præsentiam pertinere, quomodo non credentes, id est, vt non eis fides ipsa desuper daretur sed tantummodo voluntas eorum prænosceretur, mox adiicit, atque ait, *Propterea dixi vobis, quia nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datũ à Patre meo.* Hinc erat quod eorum qui audierant loquentem de carne sua, & de sanguine suo, quidam scandalizati abscesserunt, quidam credendo manserunt: quia nemo potest venire ad illum nisi cui datum est à Patre, ac per hoc & ab ipso Filio, & à Spiritu sancto. Neque enim separata sunt dona, vel opera inseparabilis Trinitatis. Sed Filius sic honorans Patrem non adfert vllius distantiæ documentum, sed magnum præbet humilitatis exemplum. Hic iterum isti liberi arbitrij defensores, imo deceptores, quia inflatores, & inflatores, quia præsumptores, non aduersum nos, sed aduersus Euangelium loquuturi, quid aliud dicunt, quam id quod Apostalus sibi quasi à talibus diceretur, obiecit. *Dicis itaque mihi, quid adhuc conqueritur? Nam voluntati eius qui resistit?* Hanc contradictionem sibimet ipse, tanquam ab altero opposuit, velut ex eorum voce, qui nolunt accipere quod superius dixerat. *Ergo cuius vult miseretur, & quem vult obdurat.* Talibus itaque dicamus cum Apostolo, non enim melius illo inuenire possumus quid dicamus: *O homo, tu quis es qui respondeas Deo?* Quærimus namque meritum obdurationis, & inuenimus. Merito namque peccati vniuersa massa dãnata est, nec obdurat Deus impertiendo malitiam, sed nõ

D

Rom.

Ibid.

Citat Hincm. l. de prædest. c. 9.

E

1. Sent. dist. 40. c. quicunque.

impertiendo misericordiam. Quibus enim non impertitur nec digni sunt, nec merentur; & potius vt non impertiatur hoc digni sunt, hoc merentur. Quærimus autem meritum misericordiæ, nec inuenimus, quia nullum est; ne gratia euacuetur, si non gratis donatur, sed meritis redditur.

Post multa. Citat. Hincm. l. de prædest. c. 7. Post aliquanta.

Item in eodem. Sed si vasa sunt iræ, quæ perfecta sunt ad perditionem quæ illis debita redditur: sibi hoc imputent, quia ex ea massa facta sunt, quam propter vnius peccatum, in quo omnes peccauerunt, merito Deus iustèque damnauit. Si autem vasa sunt misericordiæ, quibus ex eadem massa factis supplicium debitum reddere noluit, non se inflent, sed ipsum glorificent, qui eis misericordiam non debitam præstat.

al. *non iã gratuita gratia, sed propter huius excusationis iustit.* libr.

Item in eadem. Quæ si iusta est excusatio non iam gratuita gratia est, qua liberantur, sed propter huius excusationis iustitiam liberantur. Si autem gratia est qua liberantur, profecto hæc excusatio iusta non est: Tunc enim vera gratia est qua homo liberatur, si non secundum debitum iustitiæ tetribuitur. Nihil ergo fit in eis qui dicunt, *Quid adhuc conqueritur: nam voluntati eius quis resistit?* Nisi quod legitur in libro Salomonis. *Insipientia viri violat vias vita eius, Deus autem causatur in corde suo.* Quamuis igitur Deus faciat vasa iræ in perditionem, vt ostendat iram, & demonstret potentiam suam; qua bene etiam vtitur malis: & vt notas faciat diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ quæ fecit in honorem; non damnabili massæ debitum, sed suæ gratiæ largitate donatum, tamen in eisdem iræ vasis propter meritum massæ in contumeliam debitam factis, id est, hominibus propter naturæ quidem bonum creatis, sed propter vitia supplicio destinatis iniquitatem, quam rectissimè veritas improbat, damnare venit ipse, non facere. Sicut enim voluntatis eius tribuitur humana creatura, nullo dubitante, laudanda, sic hominis voluntati culpa tribuitur, nullo recusante, damnanda.

Prou. c. 19. secundum 70.

Post pauca.

Item in eadẽ. Vt hoc ergo interim omittam, & hoc solum de paruulis dicã eorum, quod ipsi quoque, vel auctoritate Euangelica territi potius Christianorum populorũ concordissima fieri cõspiratione perfracti, sine vlla excusatione concedunt, quod nullus paruulus nisi renatus ex aqua & spiritu intret in regnum cœlorũ; quam quæso allaturi sunt causam quod alius sic gubernetur, vt baptizatus hinc exeat, alius infidelium manibus traditus; vel etiam fidelium, priusquam ab eis baptizandus offeratur, expiret? An hoc fato, vel fortunæ daturi sunt? Non opinor eos in tantam dementiam proruptutos, quantulumcumque nomen Christianum tenere cupientes. Cur ergo in regnum cœlorum non accepto regenerationis lauacro paruulus nullus intrabit? Nunquid non ita sibi parentes infideles, vel negligentes, de quibus nasceretur, elegit? Quid dicam de inopinatis & repentinis innumerabilibus mortibus, quibus sæpe etiam religiosorum Christianorum præueniuntur, & baptismo præripiuntur infantes; cum è contrario sacrilegorum & inimicorum Christi, aliquo modo in Christianorum manus venientes, ex hoc mundo, non sine Sacramento regenerationis emigrent? Quid hic dicturi sunt, qui vt gratia dari possit, nonnulla præcedere merita humana contendunt, ne sit personarum acceptor Deus? Quæ tandem hic merita præcesserunt? Si eorundem cogitaueris paruulorum, nulla sunt propria, vtrisque est illa massa communis. Si parentum attenderis; bona sunt illa quorum filij repentinis mortibus sine Christi baptismate perierunt, mala verò illa; quorum filij per Christianorum aliquam potestatem ad Sacramenta Ecclesiæ peruenerunt. Et cur prouidentia Dei, cui nostri capilli numerati sunt; sine cuius voluntate non cadit passer in terram; qui nec fato premitur, nec fortuitis casibus impeditur, nec vlla iniquitate corrumpitur, vt renascantur ad hæreditatem cœlestem non consulit omnibus paruulis filiorum suorum, & nonnullis consulit etiam paruulis impiorum: & iste infans de fidelibus coniugatis ortus, lætitia parentum susceptus matris vel nutricis somnolentia suffocatus, fit exsors & expers fidei

G

Paruulorum descrimen.

al. *Nunquid non ipse sibi parentes.*

H

A suorum: ille infans de sacrilego stupro nascitur, crudeli timore matris exponitur, alienorum misericordi pietate colligitur, eorum Christiana solicitudine baptizatus, fit æterni consors & particeps regni. Ista cogitent. Ista considerent, hic audeant dicere Deum, vel acceptorem in sua gratia personarum, vel remuneratorem præcedentium meritorum.

al. *baptizatur.*

Paulo post superiora. Item in eadem. *O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quam inscrutabilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius!* Non itaque misericordiæ gratuitæ Dei pertinacissima aduersentur insania; Sciant filium hominis, in qualibet ætate quærere & saluum facere quod perierat. Nec de inscrutabilibus iudiciis eius audeant iudicare, cur in vna eademque causa super alium veniat misericordia eius, super alium maneat ira eius. Qui enim sunt isti qui respondeant Deo? Quandoquidem ille Rebeccæ *habenti geminos ex vno concubitu Isaac Patris nostri, cum illi nondum nati, nihil egissent boni vel mali, vt secundum electionem propositum eius maneret*, electionem scilicet gratiæ, non debiti, electionem qua eligendos facit ipse, non inuenit, *non ex operibus, sed ex vocante*, dicit minori seruiturum esse maiorem. In quam sententiam beatus Apostolus etiam testimonium Prophetæ longè posterioris assumpsit, *Iacob dilexi, Esau autem odio habui.* Vt intelligeretur, hoc apertum postea per Prophetam, quod antequam illi nascerentur, erat in Dei prædestinatione per gratiam. Quid enim diligebat in Iacob, antequam natus fecisset aliquid boni, nisi gratuitum misericordiæ suæ donum? Et quid oderat in Esau, antequam fecisset aliquid mali, nisi originale peccatum? Nam neque in illo diligeret iustitiam, quam nullam ille fecerat: neque in isto odisset naturam, quam bonam ipse perfecerat.

al. *Sinant* — Rom. 9. — B — Malac. 1.

Post aliquanta. Rom. 1. Item, in eadem. *Si autem gratia, iam non ex operibus, alioqui gratia iam non est gratia.* Secundum hanc ergo gratiam, etiam Propheticum testimonium consequenter assumens, *Sicut scriptum est*, inquit, *Iacob dilexi, Esau autem odio habui*: & continuo; *Quid ergo dicemus*, inquit, *nunquid iniquitas est apud Deum? Absit.* Sed quare *absit*? An propter opera quæ futura præsciebat amborum? Imo & hoc *absit*? *Moses enim dicit, miserebor cui misertus ero, & misericordiam præstabo cui misericors fuero Igitur nec volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.* Atque vt in vasis quæ perfecta sunt in perditionem, quæ damnatæ debita est massæ, agnoscant vasa ex eadem massa facta in honorem, quid eis misericordia diuina largita sit. *Dicit enim*, inquit, *scriptura ad Pharaonem; quia ad hoc te excitaui, vt ostendam in te patientiam meam, & vt glorificetur nomen meum in vniuersa terra.* Denique ad vtrunque concludit. *Ergo cuius vult miseretur, & quem vult obdurat.* Hoc facit apud quem non est iniquitas. Miseretur itaque gratuito dono; obdurat autem iustissimo merito.

C — Rom. 9. — Exod. 9

D

CAP. VII.

Ex variis libris eiusdem S. Augustini.

Contra duas epist. Pelag. l. 2. cap. 7. AVgust. contra Pelagium libro II. Nobis in duobus istis geminis, vnam procul dubio habentibus causam, difficultatem quæstionis, cur alius sic, alius vero sic mortuus est, velut non soluendo, soluit Apostolus. Qui cum & ipse de duobus geminis tale aliquid proposuisset, propter quos non ex operibus, quia nondum operati fecerant aliquid boni vel mali, sed ex vocante dictum est, *Maior seruiet minori*: Et, *Iacob dilexi, Esau autem odio habui.* Et hunc profunditatis horrorem, vsque ad hoc perduxisset, vt diceret, *Ergo cuius vult miseretur, & quem vult obdurat*: sensit continuo quid moueret, & sibi verba contradicentis opposuit. Ait enim, *Dices itaque mihi, quid adhuc conqueritur? Nam voluntati eius quis resistit?* Responditque ista dicenti. *O homo tu quis es qui respondeas Deo? Nunquid dicit figmentum ei qui se finxit, quare sic me fecisti? An non habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere, aliud quidem vas in honorem, aliud in contumeliam?* Deinde sequutus tam magnum addictumque secretum, quantum aperiendum esse hominibus iudicauit, aperuit dicens. *Si autem volens Deus ostendere iram, & demonstrare potentiã suam, attulit in multa patientia vasa iræ quæ perfecta sunt in perditionem, & vt notas faceret diuitias gloriæ suæ, in vasa misericordiæ quæ præparauit in gloriam.* Hoc est gratiæ Dei non solum adiutorium, verum etiam documentum, adiutorium scilicet in vasis misericordiæ; in vasis autem iræ, documentum. In eis enim ostendit iram, & demonstrat potentiam suam: quia tam potens est bonitas eius, vt benè vtatur etiam malis, & in eis facit diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ; quoniam quod ab iræ vasis exigit iustitia punientis, hoc vasis misericordiæ dimittit gratia liberantis: nec beneficium quod quibusdam gratis tribuitur, appareret, nisi Deus aliis ex eadem massa pariter reis iusto iudicio condemnatis, quid vtrisque deberetur, ostenderet.

leg. *fuerant.* — Rom. 9. — al. *huius.* — al. *cõtradicentis quæ Apostolica auctoritate coërcere, opposuit.* — E — F

Contra duas epist. Pelag. l. 4. c. 6. August. contra Pelagium l. IV. Sed quare istos homines oues facit, & istos non facit, apud quem non est acceptio personarum? Ipsa est quæstio, quam beatus Apost. curiosius quam capacius proponentibus ait. *O homo tu quis es, vt respondeas Deo? Nunquid dicit figmentum ei qui se finxit, quare sic me fecisti?* Ipsa est quæstio, quæ ad illam pertinet altitudinem quam perspicere volens idem Apost. quodãmodo expauit & exclamauit: *O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quã inscrutabilia sunt iudicia eius & inuestigabiles viæ eius! Quis enim cognouit sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuit? Aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei? Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia: ipsi gloria in secula seculorum.* Non itaque istam scrutari audeant inscrutabilem quæstionem, qui meritum ante gratiam, & ideo iam contra gratiam defendentes, priores volunt dare Deo, vt retribuatur eis: priores vtique dare quodlibet ex libero arbitrio, vt sit gratia retribuenda pro præmio: & sapienter intelligant, vel fideliter credant, etiam quod se putant priores dedisse, ab illo ex quo sunt omnia, per quem sunt omnia, in quo sunt omnia percepisse. Cur autem iste accipiat, ille non accipiat, cum ambo non mereantur accipere, & quisquis eorum acceperit, indebitè accipiat, vires suas metiantur, & fortiora se non scrutentur. Sufficiat eis scire, quod non sit iniquitas apud Deum. Cum enim nulla merita inuenisset Apostol. quibus Iacob geminum apud Deum præcederet fratrem, *Quid ergo dicemus?* inquit: *Nunquid est iniquitas apud Deum? Absit. Moysi enim dicit, miserebor cuius misertus ero & misericordiam præstabo cui misericors fuero. Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.* Gratia sit ergo nobis eius gratuita miseratio, etiam hæc profunda insoluta sit quæstio. Quæ tamen hactenus soluitur, quatenus eam soluit idem Apost. dicens. *Si autem Deus volens ostendere iram, & demonstrare potentiam suam, attulit in multa patientia vasa iræ, quæ perfecta sunt in perditionem, & vt notas faceret diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparauit in gloriam.* Ira quippe non redditur nisi debita, ne sit iniquitas apud Deum: misericordia vero etiam cum præbetur indebita, non est iniquitas apud Deum. Et hinc intelligunt vasa misericordiæ, cum gratuita illis misericordia præbeatur, quod iræ vasis; cum quibus est eis perditionis causa, & massa communis, ira debita & iusta rependitur. Hæc iam satis sint aduersus eos, qui per arbitrij libertatem, destruere volunt gratiæ largitatem.

Rom. 11. — G — Rom. 9. — H — al. *largitorem.*

cap. 6. Augustini de prædestinatione sanctorum ad Prosperum & Hilarium. Legimus in Actibus Apostolorum, cum dimissi à Iudæis Apostoli venissent ad suos, & indicassent quanta eis Seniores & Sacerdotes dixissent, leuauerunt illi vocem vnanimes omnes ad Dominum, & dixerunt, *Domine tu es qui fecisti cœlum & terram, & mare, & omnia quæ in eis sunt: qui per os patris nostri Dauid sancti pueri tui dixisti, Quare fremuerunt gentes; & populi meditati sunt inania? Astiterunt Reges terræ, & Principes conuenerunt in vnum aduersus Dominum & aduersus*

Act. Apost. 4.

A *Christum eius. Conuenerunt enim in veritate, in ciuitate ista aduersus sanctum puerum tuum* IESVM, *quem vnxisti, Herodes & Pilatus, & populus Israël fecere, quanta manus tua, & consilium praeordinauis fieri.* Ecce quod dictum est secundum Euangelium quidem, inimici propter vos. Tanta quippe ab inimicis Iudæis manus Dei & consilium prædestinauit fieri, quanta necessaria fuerant Euangelio propter nos.

cap. 6. Citat. Hincm. de præd. cap. 1. Ib. c. 51. Augustini de bono Perseuerantiæ ad Prosperum & Hilarium. Nihil enim fit, nisi quod aut ipse facit, aut fieri ipse permittit.

In eodem. Proinde sicut Apostolus ait, *non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.* Qui & paruulis quibus vult, etiam non volentibus, neque currentibus subuenit, quos ante constitutionem mundi elegit in Christo: daturus etiam eis gratiam gratis, id est nullis eorum vel fidei, vel operum meritis præcedentibus: & maioribus, etiam his quos præuidit, si apud eos facta essent B suis miraculis credituros. Quibus non vult subuenire, non subuenit, de quibus sua prædestinatione occultè quidem, sed iustè iudicauit. Non enim est iniquitas apud Deum, sed inscrutabilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius: *Vniuersæ enim viæ Domini, misericordia & veritas.* *Ps. 24.*

l. 1. c. vlt. Augustini ex libro Retractationum, de libro de Diuersis quæstionibus XXCII. Cap. XXI. Vtrum Deus mali auctor non sit. Vbi videndum est ne malè intelligatur quod dixi, mali auctor non est: quia omnium quæ fecit, auctor est: quia in quantum sunt, in tantum bona sunt. Et ne hinc putetur, ab illo esse pœnam malorum, quæ vtique malum est iis qui puniuntur. Sed hoc ita dixi, quemadmodum dictum est, *Deus mortem non fecit*; *Sap. c. 1. Ecc. c. 11.* cum alibi scriptum sit, *Mors & vita à Domino Deo est.* Malorum ergo pœna quæ à Deo est, malum quidem est malis, sed in bonis Dei operibus est: quoniam C iustum est vt mali puniantur, & vtique bonum est omne, quod iustum est.

Post medium. Augustini in expositione Psalmi VII. *Sagittas suas ardentibus operatus est.* Arcum ergo istum, scripturas sanctas libenter acceperim: vbi fortitudine Noui Testamenti, quasi neruo quodam, duritia veteris flexa & edomita est. Hinc tanquam sagittæ emittuntur Apostoli, vel diuina præconia iaculantur; quas *sagittas ardentibus operatus est*, id est, quibus percussi diuino amore flagrarent. Qua enim alia sagitta percussa est, quæ *al. qui. Cant. 2.* dicit: *Inducite me in domum vini, constituite me inter vnguenta, constipate me inter mella, quoniam vulnerata charitate ego sum?* Quibus aliis sagittis accenditur, qui redire ad Deum cupiens, & ab ista peregrinatione remeans, aduersus dolosas linguas petit auxilium, & dicit. *Quid detur tibi, aut quid adiiciatur tibi aduersus linguam dolosam? Sagitta potentis acuta, cum carbonibus vastatoribus*, *al. & dicitur. Ps. 119.* id est, quibus percussus atque inflammatus tanto amore ardeas regni cœlorum, vt omnium resistentium, & à proposito auocare volentium linguas contemnas, & perseD cutiones eorum derideas, dicens, *Quis me separabit à charitate Christi? Tribulatio, an angustia, an persecutio, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius? Certus sum enim*, inquit, *quia neque mors, neque vita, neque Angelus, neque principatus, neque præsentia, neque futura, neque virtus, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in* CHRISTO IESV *Domino nostro.* Sic ardentibus sagittas suas operatus est. Nam in græcis exemplaribus ita inuenitur, *Sagittas suas ardentibus operatus est.* Latina autem, *ardentes*, pleraque habent. Sed siue ipsæ sagittæ ardeant, siue ardere faciant, quod vtique non possunt, nisi & ipsæ ardeant, integer sensus est. Sed quia non sagittas tantum, sed etiam *vasa mortis*, dicit Dominum in arcu parasse, quæri potest, quæ sint vasa mortis? An forte hæretici? Nam & ipsi ex eodem arco, id est, ex eisdem scripturis in animas non charitate inflammandas, sed venenis perimendas insiliunt, quod non contingit nisi pro meritis. Propterea diuinæ prouidentiæ etiam ista dispositio tribuenda est: non quia ipsa peccatores faciat, sed quia ipsa ordinat eum peccauerunt. Malo enim voto per E peccatum legentes, malè coguntur intelligere, vt ipsa sit pœna peccati: quorum tamen morte filij Catholicæ Ecclesiæ, tanquam quibusdam spinis à somno excitantur, vt ad intelligentiam diuinarum proficiant scripturarum. *Oportet enim & hæreses esse, vt probati*, inquit, *manifesti fiant inter vos*; hoc est, inter homines, cum manifesti sint Deo. An forte easdem *sagittas, & vasa mortis* disposuit ad perniciem infidelium, & *ardentes* vel *ardentibus operatus est* ad exercitationem fidelium? Non enim falsum est quod Apostolus dicit, *Aliis sumus odor vitæ in vitam, aliis odor mortis in mortem. Et ad hæc quis idoneus?* Non ergo mirum, si iidem Apostoli, & vasa mortis sunt eis, in quibus persecutionem passi sunt, & igneæ sagittæ ad inflammanda corda credentium. Post hanc autem dispensationem iustam, veniet iudicium: de quo ita dicit, vt intelligamus vnicuique homini supplicium fieri de peccato suo, & eius iniquitatem in pœnam conuerti. Ne putemus illam tranquillitatem & ineffabile lumen Dei, de se proferre, vnde peccata puniantur, sed ipsa peccata sic ordinare, vt quia fuerunt delectamenta homini peccanti, sint instrumenta Domino punienti.

Hæretici vasa mortis. *al. facit.* *1. Cor. 11.* *2. Cor. 2. al. quis enim.* *al. iustâ.* F *al. delectamentis.*

In principio enarrationis. Augustini in expositione Psalmi IX. de occultis filij Quæ sunt igitur *occulta filij*? In quo verbo primum intelligendum est esse aliqua manifesta filij, de quibus distinguantur hæc, quæ appellantur *occulta*. Quamobrem, quoniam duos aduentus Domini credimus, vnum præteritum, quem Iudæi non intellexerunt; alterum futurum, quem vtrique speramus. Et quoniam iste, quem Iudæi non intellexerunt, gentibus profuit, non inconuenienter accipitur de hoc aduentu dictum, *pro occultis filij*, vbi cæcitas ex parte Israël facta est, vt plenitudo gentium intraret. Duo enim iudicia insinuantur per scripturas, si quis aduertat; vnum occultum, alterum manifestum. Occultum nunc agitur, de quo Apostolus Petrus dicit, *Tempus est vt iudicium incipiat à domo Domini.* Occultum itaque iudicium est pœna, qua nunc vnusquisque hominum aut exercetur ad purgationem; aut admonetur ad conuersionem, aut si contempserit vocationem, & disciplinam Dei, excæcatur ad damnationem. Iudicium autem manifestum est, quo venturus est Dominus iudicare viuos & mortuos, omnibus fatentibus eum esse, à quo & bonis præmia, & malis supplicia tribuentur. Sed tunc illa confessio, non ad remedium malorum, sed ad cumulum damnationis valebit. De his duobus iudiciis, vno occulto, altero manifesto, videtur mihi Dominus dixisse, vbi ait, *Qui in me credit, transit de morte ad vitam, nec in iudicium venit*: in iudicium scilicet manifestum. Nam hoc quod *transit* de morte ad vitam, per nonnullam afflictionem, qua flagellat Dominus omnem filium quem recipit, iudicium occultum est. *Qui autem non credit*, inquit, *iam iudicatus est*; id est, occulto iudicio, iam præparatus est ad illud manifestum. Hæc duo iudicia etiam in Sapientia legimus, vbi scriptum est, *Propter hoc, tanquam pueris insensatis iudicium in derisum dedisti. Hi autem hoc iudicio non correcti, dignum Dei iudicium experturi sunt.* Qui ergo non corriguntur illo iudicio occulto, dignissimè illo manifesto punientur. Quocirca in hoc Psal. obseruanda sunt *occulta filij*, id est, & humilis eius aduentus, qui profuit Gentibus, cum cæcitate Iudæorum; & pœna quæ nunc occultè agitur, nondum damnatione peccatorum, sed aut exercitatione conuersorum, aut admonitione vt conuertantur aut cæcitate vt damnationi præparentur qui conuerti noluerunt.

Duo iudicia, occultum & manifestum. G *1. Petr. 4.* *Ioan. 5.* *al. transiet venire.* *Sap. 2.* *vulg. qui autem ludibriis & increpationibus non sunt correcti; dignum Dei iud. experti sunt.* H *al. noluerunt.*

De peccatorum meritis & remiss. l. 2. c. 7. Augustini in Libro II. de Baptismo paruulorum ad Marcellinum scribens, inter alia sic dixit. Ignorantia igitur & infirmitas vitia sunt, quæ impediunt voluntatem, ne moueatur ad faciendum opus bonum, vel ab opere malo abstinendum. Vt autem innotescat quod latebat, & suaue fiat quod non delectabat, gratia Dei est, quæ hominum ordinat voluntates: qua vt non adiuuentur, in ipsis itidem causa est, non in Deo, siue damnandi prædestinati sunt, propter iniquitatem superbiæ, *al. adiuuat.*

siue contra ipsam supcibiam suam, iudicandi, & eruendi, si filij sint misericordiæ.

Augustini ex Lib. XV. de Ciuitate Dei. Arbitror tamen satis nos iam fecisse magnis & difficillimis quæstionibus, de initio, vel de fine mundi; vel animæ, vel ipsius generis humani; quod in duo genera distribuimus, vnum eorum qui secundum hominem; alterum eorum qui secundum Deum viuant. Quas item mysticè appellamus ciuitates duas, hoc est, duas societates hominum quarum vna est, quæ prædestinata est in æternum regnare cum Deo, altera, æternum supplicium subire cum diabolo.

Augustini de perfectione hominis, ad Eutropium & Paulum *Deus de cælo respexit super filios hominum, vt videat si est intelligens, aut requirens Deum.* Hoc ergo bonum quod est requirere Deum, non erat qui faceret, non erat vsque ad vnum, sed in eo genere hominum, quod prædestinatum est ad interitum. Super eos enim respexit Dei præscientia, protuluque sententiam.

Rescriptum S. Augustini ad Hilarium. Itaque, *sicut per vnius delictum in omnes homines ad condemnationem*, de qua condemnatione paruuli per sacramentum Baptismi liberandi sunt; *ita per vnius iustificationem in omnes homines ad iustificationem vitæ.* Et hic omnes dixit, & ibi: Non quia omnes homines veniunt ad gratiam iustificationis Christi, cum tam multi abalienati ab illa, in æternum moriantur: sed quia omnes qui renascuntur in iustificationem, non nisi per Christum renascuntur: sicut omnes qui nascuntur in condemnationem, non nisi per Adam nascuntur. Nemo quippe est in illa generatione, præter Adam; nemo in ista regeneratione, præter Christum. Ideo *omnes*, & *omnes.* Eosdem autem *omnes*, etiam *multos* postea dicit, adiungens, *Sicut enim per inobedientiam vnius hominis peccatores constituti sunt multi; sic & per vnius hominis obedientiam iusti constituuntur multi.* Qui *multi*, nisi quos paulo ante *omnes* dixerat?

In eodem. Quoniam mors temporalis, quamuis & ipsa de originali delicto propagata sit, corpus in eis interimit, animam vero ad pœnam non trahit, vbi voluit regnum mortis intelligi, vt anima renata per gratiam, iam non moriatur in gehennam: id est, à vita Dei non alienetur, non separetur. Temporalis autem mors corporis, etiam iis qui Christi morte redimuntur, relinquitur interim ad exercitationem fidei, & agonem præsentis luctaminis in quo & martyres certauerunt absumetur vero & ipsa in renouatione corporis, quam resurrectio pollicetur. Ibi enim penitus absorbebitur mors in victoriam, cui modo gratia Christi adimit regnum, ne secum animas ad pœnas Tartari trahat.

Augustini ex libro Enchiridion. Hæc sunt *magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates eius*, & tam sapienter exquisita, vt cum Angelica & humana creatura peccasset, id est, non quod ille, sed quod voluit ipsa fecisset, etiam per eandem creaturæ voluntatem, qua factum est quod creator noluit, impleret ipse quod voluit, benè vtens & malis, tanquam summè bonus, ad eorum damnationem, quos iustè prædestinauit ad pœnam, & ad eorum salutem, quos benignè prædestinauit ad gloriam.

CAP. VIII.

Ex Sancto Fulgentio Libro de Prædestinatione ad Monimum.

FVlgentij, ex libro de Prædestinatione ad Monimum. Quantum igitur ipsa veritate (quæ verum lumen est) illuminante tenebras meas, in huius quæstionis scrutatione, facultas mihi hactenus est intelligendi concessa, nihil aliud accipiendum existimo in illo sancti Augustini Sermone, quo ad interitum quosdam prædestinatos firmat, nisi ad interitum supplicij, non delicti: neque ad malum quod iniustè admittunt, sed ad cruciatum, quem iustissime patientur: nec ad peccatum, quo primæ resurrectionis beneficium aut non accipiunt aut amittunt; sed ad tormentum, quod illis propria iniquitas male parit, & æquitas diuina bene retribuit. Nec ad mortem animæ primam, in qua nascuntur paruuli, vel in quam (sicut B. Iacobus dicit) concupiscentia sua abstracti & illecti recidunt criminosi: sed ad mortem secundam, quam, necesse est patiantur, retribuente iustissimo iudice, siue qui ante perceptam Baptismi gratiam discedunt de sæculo: siue qui in vacuum gratiam Dei recipientes, post acceptum Baptismum, vsque ad finem præsentis vitæ, malunt serui esse peccati, nec volunt, dum tempus est acceptabile, & dies salutis, conuerti à via sua mala, vt viuant. Et ignorantes quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam eos adducat, ipsi secundum duritiam suam & impœnitens cor, thesaurisant sibi iram in die iræ, & reuelationis iusti iudicij Dei.

E — *Contra prædestinatianos.*

Item in eodem. Non ergo prædestinati sunt mali ad hoc quod male operantur à concupiscentia sua abstracti & illecti, sed ad hoc quod iuste patiuntur inuiti. Prædestinationis enim nomine, non aliqua voluntatis humanæ coactiua necessitas exprimitur, sed misericors & iusta futuri operis diuini sempiterna dispositio prædicatur. Deo autem misericordiam & iudicium cantat Ecclesia, cuius hoc opus est in homine, vt occulto voluntatis suæ, non tamen iniusto consilio, aut gratuitam misericordiam prærogет misero, aut debitam iustitiam rependat iniusto: imo, aut misericorditer debitori donet, quod si vellet iuste posset exigere: aut iuste cum vsuris, quod suum est exigat, & iniquo debitori, quod debetur iniquitatibus, reddat.

cap. 7. — F — al. mollitia. — Ps. 100.

Item in eodem. In vtriusque ergo, id est, iustis & iniustis tria quidem consideranda existimo, initium voluntatis, progressum operis, finem retributionis: vt in his quæcumque iusta & bona videmus, iusto & bono Deo demus: illa autem Deo indigna nouerimus, in quibus nec bonitatem, nec iustitiam inuenimus. Et considerata operum qualitate, illa credamus à Deo prædestinata, quæ misericordiæ vel æquitati diuinæ condigna reperiuntur, & congrua. *Misericors enim, & miserator, & iustus Dominus.* Ac primo totius bonæ voluntatis initium ab illa sempiterna Trinitate, qui vnus solus, & verus est Deus, & prædestinatum confitemur & datum. Hoc enim homini gratuita iustificatione tribuit præparatum, quod in æterna prædestinatione præparauerat tribuendum.

cap. 14. — al. videtur. — G

Item in eodem. Et ideo iam, vt libelli series temperetur, malorum quoque voluntatem, operationem ac retributionem considerare debemus; vt agnoscamus, vtrum malos Deus iustus ad hoc etiam prædestinauerit faciendum, quod in eis puniturus est factum? An ideirco iniquos ad supplicium iustè prædestinauerit, quia eorum mala opera, licet futura præsciuerit, non tamen ipse prædestinauit vt futura essent, quia non ipse fecit vt fierent.

cap. 17. — al. præsciret.

Item in eodem. Ad voluntatem igitur malam Deus hominem non prædestinauit, quia homini eam daturus ipse non fuit. Quomodo enim Deus hominem, quem ad imaginem suam fecit, prædestinaret ad malam voluntatem, quam ipse non fecit?

H — cap. 19.

Item in eodem. Porro autem cum negare non possimus, à Deo bono factum hominem bonum, si dixerimus eum à Deo prædestinatum ad opus aliquod malum, nos Deo misericordi & iusto tale opus, quod absit, adscribimus, vbi nec misericors possit inueniri, nec iustus. Si enim cum à Deo fieret homo, sic erat in præsenti opere Dei, bonus, vt in prædestinatione eius esset malus; proculdubio Dei opere malus futurus erat, à quo ad peccandum prædestinatus fiebat. Vbi statim illa consequitur absurditas, vt dicatur, quia Deus (de quo Propheta dicit, *qui fecit quæ futura sunt*) in se habuit (quod absit) iniquitatis originem, si hominem à se factum ipse prædestinauerat peccatorem. Prædestinatio enim eius, præparatio est

cap. 21. — *Contra Prædestinatianos.*

operum

image
not
available

perueniunt. Quibos vnom malum eſt, corruptibiliter naſci, aliud corrupribiliter mori: ſed quia poſt mortem quoque æterna mors ſequitur occulro eis iuſtoque iudicio, *etiam ſine cauſa vulnera multiplicantur*: perpetua quippè tormenta ſuſcipiunt, qui nihil ex propria voluntate peccauerunt. Hinc namque ſcriptum eſt: *Non eſt mundus in conſpectu eius, nec vnius diei infans ſuper terram.* Hinc per ſemetipſam veritas dicit, *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei.* Hinc Paulus ait, *Eramus natura filij iræ, ſicut & cæteri.* Qui itaque nullum proprium adiungeos, ex ſolo originali reatu perimitur, quid iſte in illo extremo examine, quantum ad humani ſenſus æſtimationem, niſi *ſine cauſa vulneratur?* Sed tamen ſub diuina diſtrictione iuſtum eſt, vt propago mortalis, velut infructuoſa arbor, & in ramis ſeroet amaritudinem, quam traxit ex radice. Ait ergo, *In turbine enim conteret me, & multiplicabit vulnera mea ſine cauſa.* Ac ſi apertè humani generis damna conſiderans, dicat, Diſtrictus iudex qui eos animaduerſione trucidat, quos culpa propriæ actionis damnat; ſi & illos in æternum percutit, quos reatus arbitrij non addicit.

Gregorij Papæ in Libro Iob XI. *Abundant tabernacula prædonum, & audacter prouocant Deum, cum ipſe dederit omnia in manibus eorum.* Facile eſt hominem tunc diuitias deſpicere cum habet: difficile vero eſt eas cum non habet, viles æſtimare. Vnde patenter oſtenditur, quatenus contemptus terrenarum rerum in beati Iob cogitatione fuerit, qui tunc dicit, nulla eſſe quæ abundant reprobis, quando omnia amiſit. Ait ergo, *Abundant tabernacula prædonum, & audacter prouocant Deum.* Quia plerumque eo magis contra Deum ſuperbiunt, quo ab eius largitate, & contra meritum, ditantur, & qui prouocari bonis ad meliora debuerant donis peiores fiunt. Sed intelligendum nobis eſt, quomodo *prædones* appellentur, dum protinus additur, *Cum ipſe dederit omnia in manibus eorum.* Si enim prædones ſunt, violenter abſtulerunt: & dubium non eſt, quin violentorum non ſit adiutor Deus. Quomodo igitur ipſe dat, quod hi qui prædones ſunt, nequiter tollunt? Sed ſciendum eſt, quia aliud eſt quod omnipotens Deus miſericorditer tribuit, aliud quod iratus habere ſinit. Nam quod prædones peruerſè faciunt, hoc diſpenſator æquiſſimus fieri, non niſi iuſtè permittit, vt & is qui rapere ſinitur, cæcatus mente culpam augeat, & is qui rapinam patitur, iam in eiuſdem rapinæ damno, pro alia quam ante perpetrauit culpa, feriatur. Ecce enim quidam in montis fauce conſtitutus, inſidiatur itinerantibus; ſed his qui iter agit, inique forraſſe quædam aliquando perpetrauit; eique omnipotens Deus malum ſuum in præſenti vita retribuens, atque hanc inſidiatoris manibus tradens, vel ſpoliari rebus, vel etiam interire permittit. Quod ergo prædo iniuſtè appetit, hoc æquiſſimus iudex iuſtè fieri permiſit, vt & ille reciperet quod iniuſtè fecerat: & iſte grauius quandoque feriatur, per cuius nequiſſimam voluntatem, culpam omnipotens Deus in alterum iuſtè vindicauit. Ille purgatur qui opprimitur; in iſto reatus augetur qui opprimit, vt vel de fundo nequitiæ quandoque ad pœnitentiam redeat, vel non reuertens, tanto grauius æterna damnatione feriatur, quanto diu eſt in ſua iniquitate toleratus. Cum illo ergo miſericorditer agitur, vt peccatum finiat: cum iſto diſtrictè vt multiplicet, niſi ad pœnitentiam recurrat. In illo mala purgantur, dum vim ſuſtinet: in iſto cumulantur, dum facit. Omnipotens itaque Deus quod fieri prohibet, iuſtum eſt vt fieri ſinat: vt vnde nunc expectat, & non conuerſos diu tolerat, quandoque inde plus feriat. Bene ergo dicitur, *Abundant tabernacula prædorum & audacter prouocant Deum, cum ipſe dederit omnia in manibus eorum*: quicquid iniqui tollant, eis hoc ipſe dat, qui illis ad rapinam poſſet reſiſtere, ſi miſereri voluiſſet.

Ex eodem Libro. *Si incluſerit hominem, nullus eſt qui aperiat.* Quia omnis homo per id quod malè agit, quid ſibi aliud quam conſcientiæ ſuæ carcerem facit, vt hunc animi reatus premat, etiamſi nemo exterius accuſet? Qui cum, iudicante Deo, in malitiæ ſuæ cæcitate relinquitur, quaſi intra ſemetipſum clauditur, ne euadendi locum inueniat, quem inuenire minimè meretur. Nam ſæpe nonnulli à prauis actibus exire cupiunt ſed quia eorundem actuum pondere premuntur, in malæ conſuetudinis carcere incluſi, à ſemetipſis exire non poſſunt. Et quidam culpas proprias punire cupientes, hoc, quod rectè ſe agere æſtimant, in grauiores culpas vertunt: ſique modo mirabili, vt quod exitum putant, hoc incluſionem inueniant. Sic videlicet reprobus Iudas, cum mortem ſibi contra peccatum intulit, ac æternæ mortis ſupplicia peruenit; & peius de peccato pœnituit, quam peccauit. Dicatur ergo: *Si incluſerit hominem, nullus eſt qui aperiat.* Quia ſicut nemo obſiſtit largitati vocantis; ita nullus obuiat iuſtitiæ relinquentis. Includere itaque Dei, eſt clauſis non aperire. Vnde ad Moyſen dicitur de Pharaone, *Ego obdurabo cor eius.* Obdurare quippe per iuſtitiam dicitur Deus, quando cor reprobum per gratiam non emollit. Recludit itaque hominem, quem in ſuorum operum tenebris relinquit. E F al. includit. c.8 Prou cap.5.

Ex eodem Libro. *Regum* itaque *balteum diſſoluit*, quando in his qui benè regere membra ſua videbantur, propter elationis culpam, caſtitatis in eis cingulum deſtruit. Quid vero in fune accipitur, niſi peccatum? Sicut per Salomonem dicitur. *Iniquitates ſuæ capiunt impium: & funibus peccatorum ſuorum conſtringitur.*

Gregorij Papæ in Iob Libro XII. *Conſtituiſti terminos eius qui præteriri non poterunt.* Nulla quæ hominibus in hoc mundo fiunt abſque omnipotentis Dei occulto conſilio veniunt. Nam cuncta Deus ſecutura præſciens, ante ſæcula decreuit, qualiter per ſecula diſponantur. Statutum quippe iam homini eſt, vel quantum hunc mundi proſperitas ſequatur, vel quantum aduerſitas feriat: ne electos eius aut immoderata proſperitas eleuet, aut nimia aduerſitas grauet. Statutum quoque eſt, quantum in ipſa vita mortali temporaliter viuat. c.2. in c. 4. Iob.

Gregorij Papæ in Iob Libro XIV. *Et obſederunt in gyro tabernaculum meum.* In gyro enim tabernaculum obſident, quando ex omni latere ſuis tentationibus mentem cingunt, quam modo lugere de temporalibus, modo deſperare de æternis, modo in impatientiam ruere, atque in Deum blaſphemiæ verba iaculari, peſſima ſuggeſtione perſuadent. Quæ tamen verba, vt iam prædiximus, beato Iob etiam iuxta hiſtoriam congruunt: qui dum mala quæ pertulit ante oculos congeſſit, non quaſi corrigendum filium, ſed quaſi hoſtem, percuſſum ſe eſſe indicauit. Per quem *ſibi etiam latrones eius viam fecerunt*, quia maligni cuncta eum ſpiritus licentiam percuſſionis acceperunt. Cuius *in gyro tabernaculum obſederunt*, quia ſublatis rebus & filiis, etiam corpus eius omne vulneribus atterebant. Sed mirum valde eſt, cum latrones diceret, cur addidit, *eius* vt videlicet eoſdem latrones Dei eſſe monſtraret. Qua in re ſi voluntas ac poteſtas malignorum ſpirituum diſcernatur, cur *latrones Dei* dicantur, aperitur. Maligni quippe ſpiritus ad nocendum nos inceſſabiliter anhelant; ſed cum prauam voluntatem ex ſemetipſis habeant, poteſtatem tamen nocendi non habent, niſi eos voluntas ſumma permittat. Et cum ipſi quidem iniuſtè nos lædere appetunt, quemlibet tamen lædere, non niſi iuſtè à Deo permittuntur. Quia ergo in eis voluntas iniuſta eſt, & poteſtas iuſta, & latrones dicuntur, & Dei, vt ex ipſis ſit, quod inferre mala iniuſte deſiderant, & ex Deo, quod deſiderata iuſtè conſummant. G c.18. in c. 19. Iob *Dæmones ſunt latrones Dei.* H

Ex eodem Libro. *Et orabam filios vteri mei.* In Deo qui corporis forma non circumſcribitur, membra corporis, id eſt, manus, oculus, vterus ita nominantur, vt ex membrorum vocabulis, effectus eius potentiæ deſignetur. Oculos quippe habere dicitur, quia cuncta videt: manus habere deſcribitur, quia cuncta operatur: in vtero autem proles concipitur, quæ in hac vita profertur. Quid ergo vterum Dei, niſi eius conſilium debemus accipere, in quo ante ſecula per prædeſtinationem con- cap.15.

cepti

A cepti sumus; ita vt creati per secula producamur? Deus ergo qui manet ante secula, vteri sui filios orauit, quia eos quos potenter per diuinitatem condidit, incarnatus veniens humiliter rogauit.

c. 14. In cap. 21. Iob. Gregorij Papæ in Iob lib. 15. *Et in puncto ad inferna descendunt.* Potest in poncto hoc quoque intelligi, quòd sæpe hi, qui diu in iniquitate tolerati sunt, subita morte rapiuntur; vt nec flere ante mortem liceat, quæ peccauerunt. Sed quia nonnunquam etiam vita iustorum subito fine terminatur, melius illud accipimus, si hoc de eorum temporali vita sentiamus; quia quicquid transire potuit, subitum fuit. Amicis autem Beati Iob, qui idcirco hunc iniustum esse crediderunt, quia flagellatum viderunt, rectè eiusdem sancti viri voce, de iniquorum flore & perditione ostensum est, quia præsentis vitæ prosperitas, innocentiæ testis non est: quia multi ad perennem vitam per flagella redeunt, & plerique ad infinita iudicia perducendi sine flagello moriuntur.

B c. 30. Ex eodem libro. *Et sicut fauilla quam turbo dispergit.* Ante omnipotentis oculos, iniqui vita fauilla est: quia etsi apparet ad momentum viridis, ab eius tamen iudicio iam consumpta cernitur; quia consumptioni est æternæ deputata. Hanc fauillam turbo dispergit, quia (Ps. 49.) *Deus manifestus veniet, Deus noster & non silebit. Ignis in conspectu eius ardebit, & in circuitu eius tempestas valida.*

c. 38. al. audiuimus. In eodé libro. Sed ecce cum hæc audiuimus, cordi nostro quæstio oritur, cur omnipotens & misericors Deus in tantam cæcitatem cadere rationem humanæ mentis permiserit? Ne vero quisquam vltra quàm debet, occulta Dei iudicia discutere præsumat, rectè subiungitur, *Nunquid Deum quisquam docebit scientiam, qui excelsos iudicat?* Cum in his quæ de nobis aguntur, ambigimus, debemus alia quæ nobis sunt certa conspicere, & eam quæ de nostra nobis incertitudine surrexerat, cogitationis querelam placare. Ecce enim quòd electos ad vitam flagella reuocant; & à malis actibus reprobos nec flagella compescunt, omnipotentis Dei iudicia super nos valde

C occulta sunt, & iniusta non sunt. Sed si tendamus oculum mentis ad superiora, in illis aspicimus, quia de nobis quid iuste conqueri non habemus. Omnipotens enim

Angelorum iudicium. Deus Angelorum merita discernens, alios in æterna luce sine lapsu permanere constituit; alios sponte lapsos à statu suæ celsitudinis, in æternæ damnationis vltione prostrauit. Nobiscum igitur iniuste nihil agit, qui & subtiliorem nobis naturam iuste iudicauit. Dicat ergo, *Nunquid Deum quispiam docebit scientiam, qui excelsos iudicat?* Qui enim super nos mira facit, constat proculdubio quia de nobis scienter omnia disponit. His itaque præmissis adiungitur, vbi humanus animus in requisitione fatigatur. Nam subditur. *Iste moritur robustus & sanus, diues & felix; viscera eius plena sunt adipe, & medullis ossa illius irrigantur: alius verò moritur in amaritudine animæ suæ absque vllis operibus.* Ista cum ita sint, quis omnipotentis Dei secreta discutiat, cur hæc ita esse permittat? Sed electis & reprobis & vita quidem dispar est; carnis autem in morte corruptio dispar non est.

D

c. 17. in c. 20. Iob. Es eodem libro. *Deuorauit eum ignis qui non succenditur.* Miro valdè modo paucis verbis expressus est ignis gehennæ. Ignis namque corporeus, vt esse ignis valeat, corporeis indiget fomentis. Qui cum necesse est vt seruetur, per congesta ligna proculdubio nutritur: nec valet nisi succensus esse, & nisi refectus subsistere. At contra gehennæ ignis, cum sit incorporeus, & in se missos reprobos corporaliter exurat, nec studio humano succenditur, nec lignis nutritur; sed creatus semel durat inextinguibilis, & succensione non indiget, & ardore non caret. Bene ergo de hoc iniquo dicitur, *Deuorabit eum ignis qui non succenditur:* quia omnipotentis iustitia futurorum præscia ab ipsa mundi origine gehennæ ignem creauit, qui in pœna reproborum esse semel inciperet, sed ardorem suum etiam sine lignis nunquam finiret.

(Totum hunc locum pro se citat Hincm. l. de prædest. c. 30. Ignis gehennæ.)

lib. 16. c. 26 in Iob c. 13 S. p. c. 1. Ex eodem libro. *Ipse enim solus est, & nemo auertere potest cogitationem eius.* Nunquid non sunt Angeli & homines, cœlum & terra aër & mare cuncta volatilia, quadrupedia, atque reptilia? Et certè scriptum est, *Creauit vt essent omnia.* Cum ergo in rerum natura tam multa sint, cur beati viri voce nunc dicitur: *Ipse enim solus est?*

E

Deus solus est. Sed aliud est esse, aliud principaliter esse; aliud mutabiliter atque aliud immutabiliter esse. Sunt enim hæc omnia, sed principaliter non sunt: quia in semetipsis minimè subsistunt, & nisi gubernantis manu teneantur, esse nequaquam possunt. Cuncta namque in illo subsistunt, à quo creata sunt; nec ea quæ viuunt, sibimetipsis vitam tribuunt, neq; ea quæ mouētur, & non viuunt suis nutibus ad motum ducuntur: sed ille cuncta mouet, qui quædã viuificat, quædam vero non viuificata, in extremam essentiam mirè ordinans seruat. Cuncta quippe ex nihilo facta sunt eorumque essentia rursum ad nihilum tenderet, nisi eam auctor omnium regiminis manu retineret. Omnia itaque quæ creata sunt, per se nec subsistere præualent, nec moueri; sed in tantum subsistunt, in quantum vt esse debeant acceperunt: in tantum mouentur, in quantum occulto instinctu disponuntur. Ecce enim peccator flagel-

F

Omnia ei parent aduersum. landus est, de rebus humanis: arescit in laboribus eius terra, concutitur in eius naufragiis mare, ignescit in eius sudoribus aër, obtenebrescit contra eum inundationibus cœlum, inardescunt, in eius oppressionibus homines mouentur in eius aduersitate & Angelicæ virtutes. Nunquid nam hic quæ inanimata, vel quæ viuentia diximus, suis instinctionibus, & non magis diuinis impulsionibus agitantur? Quicquid est itaque quod exterius sæuit, per hoc ille intuendus est, qui hoc interius disponit. In omni igitur causa, solus ipse intuendus est, qui principaliter est, qui etiam ad Mosem dicit, *Ego sum qui sum: Sic dices Filiis Israël, qui est misit me ad vos.* Cum itaque flagellamur per ea quæ videmus, illum debemus solicitè metuere, quem non videmus. Vir itaque sanctus despiciat quicquid exterius terret, quicquid per essentiam suam, nisi regerentur, ad nihilum tenderet: & mentis oculo suppressis omnibus intueatur vnum in cuius essentiæ comparatione, esse nostrum non esse est, & dicat, *Ipse enim solus est.* De cuius mox immutabilitate, apte subiungitur, *Et nemo auertere potest cogitationem eius.* Sicut enim immutabilis natura est, ita immutabilis cogitatione. Cogitationem quippe eius nullus auertit, quia nemo resistere occultis eius iudiciis præualet. Nam etsi fuerunt quidam qui deprecationibus suis eius cogitationem auertisse videantur, ita fuit eius interna cogitatio, vt sententiam illius auertere deprecando potuissent, & ab eo accipere quod agerent apud ipsum. Dicat ergo, *Et nemo poterit auertere cogitationem eius,* quia semel fixa iudicia mutari nequaquam possunt. Vnde scriptum est, *Præceptum posuit, & non præteribit.* Et rursum, *Cælum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt.* Et rursum, *Non enim cogitationes meæ sicut cogitationes vestræ neque viæ meæ, sicut viæ vestræ.* Cum ergo exterius mutari videtur sententia, interius consilium non mutatur; quia de vnaquaque re immutabiliter intus constituitur, quicquid foris mutabiliter agitur. Sequitur, *Et anima eius quodcunque voluit, hoc fecit.* Cum sit cunctis corporibus exterior, cunctis mentibus interior Deus, ea ipsa vis eius qua omnia penetrat, cunctaque disponit, anima illius appellatur. Cuius videlicet voluntati nec illa obsistunt, quæ contra voluntatem illius fieri videntur. Quia ad hoc nonnunquam permittit fieri, etiam quod non præcipit, vt per hoc illud certius impleatur quod iubet. Apostatæ quippe Angeli peruersa voluntas est; sed tamen à Deo mirabiliter ordinatur, vt ipsæ quoque eius, insidiæ vtilitati bonorum seruiant, quos purgant dum tentant. Sic itaque *eius anima quodcunque voluit, hoc fecit,* vt inde quoque voluntatem suam impleat, vnde voluntati illius repugnari videbatur.

(al. non mutandus. — G — Exod. 6. 3. c. 27. Iob. — Ps. 148. Luc. 21. Isa. 55. — c. 18. — H)

CAP. X.

Ex SS. Isidoro & Hieronymo.

ISidori ex libro 2. Sententiarum de Gratia & Prædestinatione cap.22. Sicut ignorat homo terminum lucis & tenebrarum, vel vtriusque rei quis finis sit?ita plenius nescit, quis ante suum finem luce iustitiæ præueniatur; vel quis peccatorum tenebris vsque in suum terminum obscuretur? Aut quis post lapsum tenebrarum conuersus, resurgat ad lucem. Cuncta hæc Deo patent, hominibus verò latent.

Hieronymi in Isaia lib. 11. Quam sæculi deliciis occupati, nec respicientes opera Dei, captiui ducuntur in peccatum, & non habent scientiam Dei, & idcirco fame & siti pereunt bonorum operum, atque virtutum: & detrahentur in gehennam, ibique æternis cruciatibus deputati, potentiam & superbiam, miseria cernent, & humilitate mutari.

Hieronymi in Isaia Libro 3. Quomodo enim vestis quæ humano sanguine cruentata est, sanari non potest, sed infecta sanguine, igne comburitur, vt maculæ cum vestimento fœdi cruoris intereant: sic diaboli violenta prædatio, & tumoltus ac turbæ quibus humanum, sibi subiiceret genus, gehennæ ignibus deputatæ sunt.

In libro 8. Vt omnia opera eius proferantur in publicum, & dispergantur habitatores eius in diuersa loca, præmiis vel suppliciis deputati.

Ex libro 10. Ab heri quippe, & à præterito tempore præparata est à Rege Domino Tophet, id est, lata & speciosa gehenna, quæ eos æternis vrat ardoribus.

Hieronymi Presbyteri explanatione in Iezechiel libro 4. *Fili hominis, isti viri qui coram te sedent, posuerunt immunditias suas in cordibus suis*, siue *cogitationes*: & iuxta Symmachum & Theodotionem, *idola & scandalum*. Nunquid huiusmodi hominibus debeo respondere, qui cum cogitationibus pristinis ad me veniunt, ne hoc quidem tẽpore impietatis suæ scelera relinquentes? Quia igitur peruerso ad te corde venerunt, responde eis, non ex persona tua, sed ex meo imperio, & dices ad eos. Hæc dicit Dominus. Est autem totius loci ista sententia. Homo homo, non aliarũ gentiũ, quarum error potest habere veniam, sed domus Israël, qui cum pristinis vitiis, de quibus supra diximus, ad Prophetam venerit sciscitandum, ego respondebo iuxta cor & immunditias suas; vt iuxta quod vult & credit, ita & audiat. Nec enim meretur correctionem, qui non discendi, sed tentandi animo interrogat: sed suo corde capiendus est, secundum quod Scribæ & Pharisæi interrogantes Dominum, imò tentantes, audiunt, *Quid me tentatis?* Et rursum, *Nec ego dicam vobis in qua virtute hæc faciam.*

In eodem. Quodque sequitur, & videtur facere quæstionem. *Propheta cum errauerit, & loquutus fuerit verbum, ego Dominus decepi prophetam illum.* Non putemus de vero Propheta dici, sed de Pseudo-propheta, qui, ὁμωνύμως Propheta appellatur. Et de illo Scripturarum loco solui potest, quando Achab Rex Israël, vadens ad prælium, non vult audire Michæam Prophetam, sed Pseudo-prophetæ consiliis acquiescit: Dicitque Michæas, quod viderit Dominum sedentem in solio & erroris spiritum vltro se obtulisse ad decipiendum regem. Diabolus quoque in volumine Iob, circuiens terram, stare dicitur in conspectu Dei, & in substantiam primò Iob, deinde in corpus eius accipere à Domino potestatem. Sed & Balaam ariolus à Domino mittitur, vt decipiat Balac filium Beor. Hoc autem totum dicitur, ne Pseudo-prophetarum, fortitudini reputetur, quod decipitur populus, & magis vult audire mendacium, quam veritati autem accommodare: sed quod Dei iræ sit, vt peruersus populus & incredulus magis Pseudo-prophetas audiat, quàm Prophetas. Denique extendit manum suam super eum, subauditur Prophetam, & delerut de medio populi eius, vt portet iniquitatẽ suam, quia similis erroris, & pœna consimilis sit: vt tam ille qui interrogat, quam ille qui interrogatur, portent iniquitatẽ suã: nequaquam domus Israël, eorũ qui Dei verba audire voluerint peruersis vaticinationibus illudatur: sed sit populus Dei, & ipse Dominum habere mereatur. In eo quod dixit: *Ego Dominus decepi illum*, Salomonis verba consentiunt qui de Deo disputans ait, *Et illusoribus illudet*. Illudque testimonium. *Si ambulauerint ad me peruersi, & ego ambulabo contra eos in furore peruerso.*

E

Prou. cap. 3. Leuit. cap. 26. iuxta 70.

CAP. XI.

Ex Prosperi Responsionibus ad Capitula Gallorum.

PRosperi Quarta decima quippe Gallorum obiectio sic habetur: Quòd qui Euangelicæ prædicationi non credunt, ea Dei prædestinatione non credant. Et quòd Deus ita definierit, vt quicunque non credunt, ex ipsius constitutione non credant. Huic itaque prauitati, quæ Beati Augustini dictis, non ex veritate, sed ex liuore obiiciebatur, tali Prosper sermone respondit. Infidelitas non credentium Euangelio nequaquam ex Dei prædestinatione generatur. Bonorum enim Deus auctor est, nõ malorũ. Prędestinatio igitur Dei in sẽper bono est, aut ad retributionem iustitiæ, aut ad donationem pertinens gratiæ: Vniuersæ enim viæ Domini misericordia & veritas. Proinde infidelitas non credentium, non ad constitutionem Dei, sed ad præscientiam referenda est. Quæ non ideò necessitatem non credendi intulit, quia falli de ea, quæ futura erat, infidelitate non potuit.

Sumpsit ex 1. Fulgent. ad Monim. c. 30. & vlt. Prosper Resp. ad capit. Gall. c. 14. Frequenter vsurpat Hincmarus.

F

Quintadecima etiam obiectio his verbis inserta est. Quod idem sit præscientia, quod prædestinatio. Cui Prosper sic respondit. Qui præscientiam Dei in nullo ab ipsius prædestinatione discerni, quod tribuendum est Deo de bonis, hoc ei etiam de malis conatur ascribere. Sed cum bona ad largitorem cooperatoremque eorum Deum, mala autem ad voluntariam rationalis creaturæ nequitiam referenda sint: dubium non est, sine vlla temporali differentia, Deum & præscisse simul & prædestinasse, quæ ipso erant auctore facienda, vel quæ malis meritis iusto erant iudicio retribuenda: præscisse autem tantummodo, non etiam prædestinasse, quæ non ex ipso erant causam operationis habitura.

Ibid. c. 15. Citat Hincm. de præd. c. 11. Ibid. c. 16.

G

H. Hemos ex Fulg.

Eiusdem. Nullus omnino est ex omnibus hominibus, cuius natura in Christo Domino nostro suscepta non fuerit; quamuis ille natus sit in similitudine carnis peccati, omnis autem homo nascatur in carne peccati Deus ergo Dei filius, mortalitatis humanæ particeps factus absque peccato, hoc peccatoribus & mortalibus contulit, vt qui natiuitatis eius consortes fuissent, vinculum peccati, & mortis euaderent. Sicut itaque non sufficit hominum renouationi, natum, esse hominem Iesum Christum, nisi in ipso, eodem de quo ipse ortus est, spiritu renascantur: sic non sufficit hominum redemptioni, crucifixum esse Dominum Christum, nisi commoriantur ei, & consepeliantur in baptismo, Alioquin nato Saluatore in carne substantiæ nostræ, & crucifixo pro omnibus nobis, non fuerat necessarium vt renasceremur, & similitudine mortis eius complantaremur. Sed cum sine hoc sacramento nemo hominum consequatur vitam æternam, non est saluatus cruce Christi, qui non est crucifixus in Christo, non est crucifixus in Christo, qui non est membrum corporis Christi, qui non per aquam & Spiritum S. induit Christum. Qui ideo infirmitate nostra communionem habuit mortis, vt nos in virtute eius haberemus consortium resurrectionis. Cùm itaque rectissime dicatur Saluator pro totius mundi redemptione crucifixus, propter veram humanæ naturæ susceptionem, & propter communem in primo homine omnium perditionem: potest tamen dici pro his tantum crucifixus, quibus mors ipsius profuit. Dicit enim Euangelista, *Quia Iesus moriturus erat pro gente,*

Prosper ibid. c. 9. Hincm. cap. 3.

H

Ioan. c. 11.

sed

A

Ibid. c. 1.

sed etiam vt filios Dei dispersos congregaret in vnum. In sua enim venit, & sui eum non receperunt: quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. Diuersa ergo ab istis sors eorum est, qui inter illos censentur, de quibus dicitur, *Mundus eum non cognouit*; vt possit secundum hoc dici, redemptor mundi dedit pro mundo sanguinem suum, & mundus redimi noluit, quia lucem tenebræ non receperunt, quibus dicit Apostolus: *Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* Ipse verò Dominus IESVS, qui dixit se venisse quærere & saluare quod perierat, *Non veni, inquit, nisi ad oues quæ perierant domus Israel: Neque qui sunt semen Abrahæ, omnes filij, sed in Isaac vocabitur tibi semen: id est, non qui filij carnis, hi filij Dei, sed qui filij promissionis, æstimantur in semine.* In istis ergo sunt illi, de quibus dictum supra memorauimus, *Quia IESVS moriturus erat pro gente, non tantum pro gente, sed etiam vt Filios Dei dispersos congregaret in vnum.* Quia non solùm ex Iudæis, sed etiam ex gentibus, per eum qui vocat quæ non sunt, tanquam quæ sunt, & qui dispersos Israël congregat, filij promissionis in vnam Ecclesiam congregentur, vt impleatur quod promissum est Abrahæ, cui dictum est, *quod in semine eius benedicendæ essent omnes tribus terræ.*

Eph. c. 5. Matth. c. 15. Rom. c. 9. Ioan. c. 11.

B

Gen. cap. 18.

CAP. XII.

Ex Cassiodoro in Psalmos, & Beda.

CAssiodori in expositione Psalmi 9. *Cognoscetur Dominus iudicia faciens, in operibus manuum suarum comprehensus est peccator.* Vera nimis & absoluta sententia; quoniam tunc manifeste cognoscetur Dominus iudicia facere, quando peccatoribus dabitur æterna cruciatione torqueri. Hic enim quia sunt eis libera scelera, reliqui creduntur fortasse impunita: sed vbi dies ille manifestationis aduenerit, & throno maiestatis suæ Dominus insederit, tunc generaliter agnoscetur operari iudicia sua, quando humanum genus, siue à sinistris, siue à dextris, eius fuerit arbitrio segregatum. Hoc est enim iudicia vera facere, vniuscuiusque merita, sine vlla confusione discernere. Sequitur sententiæ huius aperta declaratio; dicit enim vnde cognoscetur Dominum vera iudicia facere: scilicet, quando noxiosis operibus suis peccator adstringitur, & secundum actuum qualitatem recipit vltionem. Nam sensus ille omnino vitandus est, qui putat peccatorem sola delictorum suorum recordatione cruciandum. Nam si hoc tantum sufficeret, quare diceretur, *Ite in ignem æternū qui paratus est Diabolo & Angelis eius?* Et illud, *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur.* Non enim hic loca tormentorum negat peccatoribus dari, sed per qualitates operum suorum, eos dicit esse torquendos. Sentiamus igitur locum peccatorum suppliciis esse præparatum: intelligimus intrinsecus pœnale malum, quod sceleratis legimus imminere. Nam vt reuera cognoscamus beatitudinem a damnationibus, quibusdam terminis esse diuisam, recordemur diuitem oculos subleuasse; pauperemque Lazarum in sinu Abrahæ fuisse conspectum: se autem flammis vltricibus deputatum. Vnde ordo iste veritatis, nullatenus diceretur, si peccatores malorum recordatio sola torqueret. Hæc sunt occulta filij, quæ titulus prædixit.

C

Non sola recordatione peccatorum, puniuntur damnati.

Matth. c. 25.

D

Isa. c. 66. Luc. cap. 16.

Cassiodori in Psalmo 51. Destruit Deus in hac vita prosperantes, quos iterum ædificare decreuerit. In fine autem qui destruitur, æternis suppliciis deputatur.

Cassiodori in Psalmo 54. Hos tales implere non dicit dies suos, quando cum sibi longam vitam promittunt, exitum celerrimæ mortis inueniunt. Nam omnium dies in prædestinatione noscuntur esse definiti.

al. non implere.

Cassiodori in Psalmo 65. *Imposuisti homines super capita nostra.* Imposuisti dicit, vt omnia ipsius voluntate facta esse constaret: sicut dicit Dominus Pilato, *Non haberes potestatem in me, nisi tibi data fuisset desuper.*

E

Ioan. 19.

Cassiodori in expositione Psalmi 77. *Misit in eos iram indignationis suæ: indignationem, & iram, & tribulationem, & immissiones per Angelos malos.* Ordo vindictæ verissima descriptione narratur. Prius enim Dominus peccatis nostris irascitur, quando nulla compunctione conuertimur. Ac deinde malitiam hominis in sua indignatione, & ira, & tribulatione derelinquit, vt propriis aduersitatibus affligantur, qui diuinis iussionibus obedire contemnunt. Sicut scriptum est: *Propterea tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam, vt faciant quæ non conueniunt, &c.* Scelerati quippe hominis indignatio pertinet ad tumidam superbiam, ira ad audaciam nefandam, tribulatio ad confusam desperationem. Tunc per Angelos malos ad immissiones præcipitantur illicitas, & quasi nudati defensione diuina, in prædam cadunt perniciosissimarum bestiarum. Perscrutandum est etiam quod dicit, immissiones factas per Angelos malos, quasi & per Angelos bonos non debeat peccatores. Per bonos enim Angelos Sodomam subuertit & Gomorrham, quos Abraham & Loth suscipere suis hospitiis meruerunt. Tentatus est etiam transgressor per Angelum malum, sicut in Regum volumine dicit, *Et introiuit spiritus Dei malus in Saul.* Iusti quoque tentati sunt à Diabolo, vt Iob, & Paulus Apostolus, & cætera huiuscemodi. Constat enim cuncta quæ creata sunt, creatoris aut permissioni, aut imperio subiacere.

Rom. c. 1.

F

Subuersa Sodoma per Angelos bonos.

1 Reg. c. 18.

Cassiodori in Psalmo 81. Tantum est, ne refugientes malagma salutiferum, exitium vobis præparetis æternum.

Cassiodori in Psalmo 82. *& reuereantur & pereant.* Iste sensus est quem superius dixit, quia ibi reuerendo non proficiunt, sed pereunt, qui ad æternum supplicium destinantur.

Citat Hincm. c. 16.

Cassiodori in Psalmo 88. Frequenter emundat diuinitas, quos flagellat, vt purgatum recipiat, quem peccatis sordidum respuebat, quos verò ab emundatione dissoluit, id est, remouit, hos iam & damnare decreuit.

G

Hincm. ibid.

Cassiodori in Psalmo 92. *Parata sedes tua Deus.* Parata significat prædestinationem; quia totum in illa veritate consistit, quicquid in administratione mundi euenire contigerit.

Cassiodori in expositione Psalmi 103. In hac itaque nocte bestiæ siluarum, id est, dæmonia, & catuli Leonum, quos diaboli corrupta voluntate genuerunt, ad deuorationem quærentes aliquos, exeunt vt escam maluis, permittente tamen Domino, reperiant. Nihil enim à quoquam fieri potest, nisi quod ipse secreto iudicio, aut ad probationem, aut ad vindictam faciendum esse permiserit.

H

Cassiodori in expositione Psalmi 104. *Conuertit cor eorum, vt odirent populum eius, & dolum facerent in seruos eius.* Venit ad quartam partem, vbi Ægyptios memorat Hebræis inuidiam habuisse sæuissimam, atque eos operibus subiecisse durissimis. Præstando enim felicia populo Israëlitico, conuertit Dominus ad odium, & ad dolos cor Ægyptiorum; non quia ipse mali auctor est, sed præstando aliis beneficia, mentes excitauit obliquas. Necesse est enim, vt scelerati homines alienis prosperis intumescant, qui se nouerint mereri non posse similia. Sicut in sacrificiis Cain & Abel factum est, quando vnius sacrificium respuit, alterius libenter accepit.

Bedæ Presbyteri in libro Hexameron in Genesin. *Et ecce miserunt manum viri, & introduxerunt, &c.* Ad sempiternum præparantur incendium, non inconuenienter tulimus ite. *Hoc loco deficit Apographum, neque huius loci expositio reperitur in Beda: paucis igitur verbis ad clausulam facientibus, cogimur esse contenti.*

Gen. 4. Gen. 19.

CAP

CAP. XIII.

De gratia & libero arbitrio, ex diuersis.

VEnerabilis Innocentij Papæ de libero arbitrio ista sunt verba ad Carthaginense Concilium. Liberum enim, inquit, arbitrium olim ille perpessus, dum suis inconsultius vtitur bonis, cadens in prænaticationis profunda demersus, & nihil quemadmodum exinde surgere posset inuenit, suaque in æternum libertate deceptus, huius ruinæ iacuisset oppressus, nisi eum postea Christi per suam gratiam releuasset aduentus, qui per nouæ regenerationis purificationem, præteritum omne vitium sui baptismatis lauacro purgauit.

Ex epistola Afrorum Episcoporum ad Papam Zosimum: Manifestissimè sensus probus inuenitur, non esse Liberum Arbitrium, &c. & operari pro bona voluntate. *Et hic deficit Apographum, nec extat Epistola magni illius Concilij Carthaginensis.*

Ex Epistola Augustini ad Sixtum Presbyterum. Quod enim putant auferri sibi Liberum Arbitrium, si nec ipsam bonam voluntatem sine adiutorio Dei hominem habere consenserint, non intelligunt, non se firmare Liberum Arbitrium; sed impellere, vt per inania feratur, non in Domino, tanquam in petra stabili collocetur. *Paratur enim voluntas à Domino.* Quod autem personarum acceptorem Deum se credere existimant, si credant, quod sine vllis præcedentibus meritis, cuius vult miseretur, & quos dignatur, vocat, & quem vult, religiosum facit, parum attendunt, quòd debita reddatur pœna damnato, indebita gratia liberato; vt nec ille se indignum queratur, nec dignum se iste glorietur; atque ibi potius acceptionem nullam fieri personarum, vbi vna eadéque massa damnationis & potius offensionis inuoluit, vt liberatus de non liberato discat, quòd etiam sibi supplicium conueniret, nisi gratia subueniret. Si autem gratia, vtique nullis meritis reddita, sed gratuita bonitate donata. Sed iniustum est, inquiunt, in vna eademque mala causa, hunc liberari, illum puniri. Nempe ergo iustum est vtrunque puniri. Quis hoc negauerit? Agamus ergo gratias Saluatori, dum nobis redditum non cernimus, quod in damnatione similium etiam nobis debitum fuisse cognoscimus. Si enim omnis homo liberaretur, vtique lateret quid peccato per iustitiam debeatur; si nemo, quid gratia largiretur. Vt ergo in hac difficillima quæstione verbis potius vtamur Apostoli, *Volens Deus ostendere iram, & demonstrare potentiam suam, attulit in multa patientia vasa iræ, quæ perfecta sunt in perditionem: & vt notas faceret diuitias gloriæ suæ, in vasa misericordiæ, cui non potest figmentum dicere. Quare sic me fecisti? cum habeat potestatem ex eadem massa facere aliud vas in honorem, aliud in contumeliam.* Vbi quia vniuersa ista massa merito damnata est, contumeliam debitam reddit iustitia, & honorem donat indebitum gratia, non meriti prærogatiua, non fati necessitate, non temeritatæ fortunæ, sed altitudine diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quam nô aperit, sed clausam miratur Apostolus, clamans: *O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quàm inscrutabilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius! Quis enim cognouit sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuit: Aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei? Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia, ipsi gloria in secula seculorum. Amen.*

Augustini contra Pelagium Libro 1. Dicunt, inquit, illi Manichæi, quibus modo non communicamus, id est, toti isti cum quibus dissentimus, quia primi hominis peccato, id est Adæ, Liberum arbitrium perierit, & nemo iam potestatem habeat bene viuendi, sed omnes in peccatum carnis suæ necessitate cogantur. Manichæos appellat Catholicos, more illius Ioiniani, qui ante paucos annos hæreticus nouus, Virginitatem sanctæ Mariæ destruebat, & Virginitati sacræ nuptias fidelium coæquabat. Nec ob aliud hoc obiicebat Catholicis: nisi quia eos videri volebat accusatores, vel damnatores esse nuptiarum. Liberum autem arbitrium defendendo præcipitant, vt de illo potius ad faciendam iustitiam, quam de Domini adiutorio confidatur, atque vt in se quisque, non in Domino glorietur. Quis autem nostrum dicat, quod primi hominis peccato perierit Liberum Arbitrium de humano genere: Libertas quidem periit per peccatum, sed illa quæ in paradiso fuit habendi plenam cum immortalitate iustitiam: propter quod natura humana, diuina indiget gratia, dicente Domino, *Si vos filius liberauerit, tunc vere liberi eritis:* Ioan.8. vtique liberi, ad bene iustéque viuendum. Nam Liberum Arbitrium vsque adeo in peccatore non periit, vt per illud peccent maximè omnes, qui cum delectatione peccant, & amore peccati hoc eis placet, quod eis libet. Vnde & Apostolus. *Cum essetis*, inquit, *serui* Rom.6. *peccati, liberi fuistis iustitiæ.* Ecce ostenduntur etiam peccato minimè potuisse, nisi alia libertate seruire. Liberi ergo à iustitia non sunt, nisi arbitrio voluntatis; F liberi autem à peccato non fiunt, nisi gratia Saluatoris. Propter quod admirabilis doctor etiam verba ipsa discreuit: *Cum enim serui essetis*, inquit, *peccati, liberi fuistis iustitiæ. Quem ergo fructum habuistis tunc in his: in quibus nunc erubescitis? Nam finis illorum, mors est. Nunc autem liberati à peccato, serui autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem verò vitam æternam. Liberos* dixit iustitiæ, non liberatos, à peccato autem non liberos, ne sibi hoc tribuerent, sed vigilantissimè maluit dicere, *liberatos:* referens hoc ad illam Domini sententiam: *Si vos filius liberauerit, tunc verè* Ioan.8. *liberi eritis.* Cum itaque non viuant benè homines, nisi effecti Filij Dei, quid est quod iste Libero Arbitrio vult bene viuendi tribuere potestatem, cum hæc potestas non detur, nisi gratia Dei per IESVM CHRISTVM Ioan.1. Dominum nostrum, dicente Euangelio, *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri.*

Sed ne forte dicant, ad hoc esse adiutos vt haberent G potestatem fieri Filij Dei; vt autẽ hanc accipere mererentur, priùs cum Libero Arbitrio nulla adiuti gratia Cap.3. receperunt. Hæc est quippe intentio, quâ gratiam destruere moliuntur, vt eam dari secundùm merita nostra contendant. Ne forte ergo hanc Euangelicam sententiam sic diuidant, vt meritum ponant in eo quod dictum est, *Quotquot autem receperunt eum:* ac deinde, non gratis datam, sed huic merito redditam gratiam, in eo quod sequitur; *Dedit eis potestatem Filios Dei fieri:* numquid si quæratur ab eis, quid sit, *receperunt eum?* dicturi sunt aliud, nisi, crediderunt in eum? Vt igitur & hoc sciant Phil.c.1. ad gratiam pertinere, legant quod ait Apostolus, *In nullo expauescatis ab aduersariis, quidem est illis causa perditionis, vestra autem salutis: & hoc à Deo, quia vobis donatum est pro Christo, non tantùm vt credatis in eum, sed vt etiam patiamini pro eo.* Nempe vtrunque dixit esse donatum. Eph c.6. Item quod ait, *Pax fratribus, & charitas cum fide à Deo Patre & Domino* IESV CHRISTO. Legant etiam Ioan. c.6. quod ipse Dominus ait, *Nemo potest venire ad me, nisi* H *Pater qui misit me, traxerit eum.* Vbi ne quisquam puter aliud esse venire ad me, quàm credere in me, paulò post cum de suo corpore & sanguine loqueretur, & & scandalizari essent plurimi in sermone eius, ait, *Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt: sed sũt quidam ex vobis qui non credunt.* Deinde subiunxit Euangelista: *Sciebat enim* IESVS *ab initio qui essent credentes, & quis traditurus esset eum: & dicebat, Propterea dixi vobis, quia nemo potest venire ad me nisi Pater qui misit me, traxerit eum:* Et hoc propter credentes, & non credentes, se dixisse manifestauit, exponens quod dixerat, *Nisi pater qui me misit, traxerit eum:* idipsum aliis verbis repetendo, in eo quod ait, *Nisi datum fuerit ei à patre meo.* Ille quippe trahitur ad Christum, cui datur vt credat in Christum. Datur ergo potestas vt Filij Dei fiant, qui credunt in eum, cùm hoc ipsum datur, vt credant in eum, quæ potestas nisi detur à Deo, nulla esse potest ex Libero Arbitrio, quia nec liberum in

bono

A bono eritquod liberator non liberauerit; sed in malo liberũ habet arbitrium, cui delectationẽ malitiæ vel occultus, vel manifestus deceptor inseuit, vel sibi ipse persuasit.

Augustini ad Viralem. Rogo te quid operatur in filiis diffidentiæ princeps, nisi opera sua mala, & in primis, maximeque ipsam diffidentiam & infelicitatem qua sunt inimici fidei, per quam scit nos posse mundari, posse sanari, posse perfectissime liberos, quod eis vehementer inuidet, in æternum regnare? Itaque aliquos eorum per quos amplius decipere affectat, sinit habere nonnulla, velut opera bona, in quibus laudantur per quasque gentes, præcipueqoe in gente Romana, qui præclarè gloriosissiméque vixerunt; sed quoniam, sicut veracissima scriptura dicit, *Omne quod non est ex fide, peccatum est*; Et, *Sine fide impossibile est vtique placere Deo*, non hominibus: nihil sic agit hic princeps, quàm vt non credatur in Deum, nec ad mediatorem, à quo soluuntur opera eius credendo veniatur. Sed ipse mediator, *intrat in domum fortis*, id est, in hoc seculum mortalium, sub potestate diaboli, quantum ad ipsum pertinet: constitutum, de ipso quippe scriptum est, quod *potestatem habeat mortis: intrat in domum fortis*: id est, in suo dominatu habentis genus humanum: & priùs *alligat eum*, id est, eius coërcet & cohibet potestatem, potestatis suæ fortioribus vinculis, & sic eripit vasa eius, quæcunque prædestinauit eripere, arbitrium eorum ab eius potestate liberans vt illo non impediente credant, in istum libera voluntate.

[Rom.c. 14. Hebr.c. 11. — B — Lucæ.11. — Apoc. c. 6.]

Augustini ad Valentinum, de Libero Arbitrio. Semper est autem in nobis voluntas libera, sed non semper est bona. Aut enim à iustitia libera est, quando seruit peccato, & tunc est mala: aut à peccato libera est, quando seruit iustitiæ, & tunc est bona. Gratia vero Dei, semper est bona, & per hanc fit, vt sit homo bonæ voluntatis qui prius fuit voluntatis malæ.

[Cap.15.]

Augustini de correptione & gratia. Liberum itaque Arbitrium & ad malum, & ad bonum faciendum: certum est nos habere: sed in malo faciendo liber est quisque iustitiæ, seruusque peccati; in bono autem liber esse nullus potest, nisi fuerit liberatus ab eo: qui dixit, *Si vos filius liberauerit, tunc vere liberi eritis*. Nec ita, vt cum quisque fuerit à peccati damnatione liberatus, iam non indigeat sui liberatoris auxilio, sed ita potius, vt ab illo audiens, *Sine me nihil potestis facere*, dicat ei & ipse, *Adiutor meus es, ne derelinquas me*.

[Cap 1. — C — Ioan. c. 15. — al. esto. Ps.26.]

Gregorij Papæ in Iob libro 16. *Saluabitur innocens: Saluabitur autem munditia manuum suarum*. Quæ scilicet sententia, si de cœlestis regni retributione promittitur, veritate fulcitur. Quia cum de Deo scriptum sit, *Qui reddet vnicuique secundum opera eius*, illum in extremo examine iustitia æterni iudicis saluat, quem hic eius pietas ab immundis operibus liberat. Sin verò ad hoc saluari quisque sic munditia manuum suarum creditur, vt suis viribus innocens fiat, procul dubio erratur: quia si superna gratia nocentem non præuenit, nunquam profectò inueniet quem remuneret innocentem. Vnde veridici Mosis voce dicitur, *Nullusque apud te per se innocens est*. Superna ergo pietas prius agit in nobis aliquid sine nobis, vt subsequente quoque nostro Libero Arbitrio, bonum quod iam appetimus agat nobiscum, quod tamen per impensam gratiam in extremo iudicio ita remunerat in nobis, ac si solis processisset ex nobis. Quia enim diuina nos bonitas, vt innocentes faciat, præuenit, Paulus ait, *Gratia autem Dei sum id quod sum*. Et quia eandem gratiam nostrum Liberum Arbitrium sequitur, adiungit: *Et gratia eius in me vacua non fuit, sed abundantius illis omnibus laboraui*. Qui dum se de se nihil esse conspiceret, ait, *Non autem ego*. Et tamen quia se esse aliquid cum gratia inuenit, adiunxit, *Sed gratia Dei mecũ*. Non enim diceret *mecum*, si eum præueniente gratia, sub, sequens Liberum Arbitrium non haberet. Vt ergo se sine gratia nihil esse ostenderet, ait, *Non ego*, vt vero se cũ gratia operatũ esse per Liberũ Arbitrium demonstraret, adiunxit, *Sed gratia Dei mecum*. Munditia itaque manuum suarũ innocẽs saluabitur, quia qui hic præuenitur dono vt innocens fiat, cum ad iudiciũ ducitur, ex merito remuneratur.

[Liberum Arbitriũ gratiæ cooperatur. — C.10. in cap 22. Iob. — Rom.c. 2. — Exod. — D — cap.34. — 1.Cor. 15.]

E Gennadij Episcopi Massiliensis. Libertati Arbitrij sui commissus est homo, statim à prima mundi conditione, vt salua vigilantia mentis, adnitente etiam præcepti custodia, perseueraret si vellet in id quod creatus fuerat permanere. Postquam verò seductione serpentis per Euam cecidit, bonum naturæ perdidit pariter, & vigorem arbitrij: non tamen electionem, ne non esset suum quod *euitaret*, nec merito indulgeretur, quod non arbitrio diluisset. Manet itaque ad quærendam salutem arbitrij libertas, id est, rationalis voluntas, se admonente priùs Deo & inuitante ad salutem, vt vel eligat, vel sequatur, vel agat occasione salutis; hoc est inspiratione Dei. Vt autem consequatur quod eligit, vel quod sequitur, vel quod occasione agit, Dei esse liberè confitemur. Initium ergo salutis nostræ Deo miserante habemus, vt adquiescamus salutiferæ inspirationi nostræ potestatis est; vt adipiscamur quod adquiescendo admonitioni cupimus, diuini est muneris: vt non labamur in adepto salutis munere, solitudinis nostræ est cælestis pariter adiutorij: vt labamur, potestatis nostræ est & ignauiæ.

[l.Defin. Eccles. dogmat. — al. *statim in prima conditione vt sola vigilantia mentis adnitente, etiam in præcepti custodia perseueraret, si vellet in eo quod creatus fuerat permanere.* — F — al. *emendaret peccatũ*. al. *redempto*.]

CONCLVSIO.

CVm ipso pariter æterna beatitudine remunerandos & regnaturos exopto. *Pauca hæc verba Gennadij testimonio subiicit Apographum, quæ quia ipsius Gennadij non sunt, Prudentio videntur tribuenda, & apertè conclusionem Epistolæ sapiunt.*

ECCLESIÆ LVGDVNENSIS Liber.

Aduersus Ioannis Scoti Erigenæ Erroneas Definitiones.

G

NOTA.

Magna est inter Theologos de quatuor sequentium opusculorum vero Authore disceptatio, aliis Floro Magistro seu diacono, aliis Remigio Lugdunensi Archiepiscopo, aliis Ebboni Gratianopolitano Episcopo illa tribuentibus; pro cuius solutione consule P. Ludouicum Cellotium S. I. P. In historia Gotteschalci lib. 2. cap. 24 libro 3. c. 15. & lib. 4. capit. 14. & 15.

IN NOMINE DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI incipit libellus Flori aduersus cuiusdam vanissimi hominis, qui cognominatur Ioannes, Ineptias & errores de prædestinatione & præscientia diuina & de vera humani arbitrij libertate.

H

PRÆFATIO.

VENERVNT *ad nos, id est*, ad Ecclesiam Lugdunensem *cuiusdam vaniloqui, & garruli hominis scripta, qui velut de præscientia, & prædestinatione diuina, humanis, & vt ipse gloriatur Philosophicis argumentationibus disputans, nulla ratione reddita nullâ Scripturarum, siue sanctorum Patrum auctoritate prolata, velut tenenda & sequenda sola sua præsumptione definire ausus est. Quæ a fidelibus & in doctrina sacra exercitatis lectoribus (eo quod sint vanissima, & contra fidem, ac veritatem Dei plena mendacij, & erroris) Deo opitulante facillime iudicantur, & respuuntur immo etiam contemptui, & risui habentur. Sed quia a multis (vt audiuimus) idem homo quasi scholasticus & eruditus admirationi habetur, & talia garriens siue scribens, alios ad hæsitationem deducit; alios quasi magnum aliquid dicat, erroris sui sequaces efficit,*

omnes

A *omnes tamen auditeres, & admirateres suos inani verbositate & ventosa loquacitate perniciosissimè occupat, vt non diuinis Scripturis, non authoritatibus paternis se humiliter summittans, sed eius potius fantastica deliramenta sequantur: necessarium omnino duximus,* vt studio charitatis, & debito nostri loci atque ordinis eius insolentiæ, *auctore Domino responderemus: vt quicunque hac cum Dei*
l. sine *timore, & cura salutis * sua fideliter legere voluerint, agnoscant veraciter, quantum necesse sit in his maximè periculosissimis & extremis temporibus, inhærere firmiter Scriptura sanctæ immobili veritati, obedire humiliter Sanctorum orthodoxorum Patrum fundatissima auctoritati, claudere & obstruere auditum indisciplinata, & vanissima verbositati: Et illud Domini dictum tota intentione pertimescere quod iam penè videmus impleri, quo ipse ait:* Pu-
.18. tas filius hominis veniens inueniet fidem in terra: *Et*
im. *quod Apostolus in quo idem Dominus loquebatur, terribi-*
5. *liter denuntiat dicens:* Erit enim tempus cùm sanam do-
B ctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coacervabunt sibi Magistros prurientes auribus: & à veritate quidem auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur. *Vnde & alibi sub persona dilecti & electi discipuli omnem fidelem, & præcipuè ordinem pastoralem solertissimè admo-*
im. *net dicens:* O Timothee depositum custodi, deuitans
o. profanas vocum nouitates, & oppositiones ψευδωνύμου γνώσεως, *id est*, falsi nominis scientiæ? Quam quidam promittentes circa fidem exciderunt. *Propositis igitur verbis, qua in decem & nouem opusculi sui digessit capitulis, prout Dominus donare dignatur, non nostro sensu, sed sanctarum Scripturarum, & beatissimorum Catholicorum Patrum ita respondendum aggredimur.*

CAP. PRIMVM.

p.1.
fin.1. PRimo namque capitulo istiusmodi proposuit definitiones.

1. 1. *Quadruuio regularum totius Philosophia quatuor*
C *omnem quastionem solui.*
1. 2. *Duas quæ prædestinationes non esse.*

Cui fides Ecclesiæ è contrario respondet, veritatem æterni iudicij, & ordinationis Dei, quæ vocabulo prædestinationis exprimitur, non esse requirendam à Philosophis, sed ab Apostolis & Prophetia Dei: nec in mundanæ doctrinæ quadruuiis, sed in vna & vera via, quæ dicit
an 14. de semetipsa: *Ego sum via, & veritas & vita.* Ad quam nos B. Hieremias Propheta hortatur & inuitat dicens:
ier. 6. *State super vias & videte & interrogate de semitis anti-*
5 *quis, quæ sit via bona, & ambulate in ea, & inuenietis re-*
a. 35. *frigerium animabus vestris.* Et de qua Esaias Propheta, ipsi Ecclesiæ promittit dicens: *Et erit ibi via, & via sancta vocabitur: Non erit ibi leo, & mala bestia non ascendet per eam: Et hæc erit nobis directa via, ita vt stulti non errent per eam.* Quicumque ergo eligunt huic sæculo stulti esse propter Christum, & obedire student
Cor. 3. Apostolo dicenti, *si quis videtur inter vos sapiens esse in*
8. *hoc sæculo, stultus fiat, vt sit sapiens*; teneant incessanter,
D & indeclinabiliter hanc viam veram, viam bonam, viam directam, quæ ipse Dominus Christus est. Et fugiant humanæ sapientiæ astutiam & deceptionem, de qua idem
c. 3. Apostolus dicit: *Scriptum est enim: comprehendam sa-*
9. *pientes in astutia eorum:* Et iterum: *Dominus nouit cogi-*
l. 93. *tationes sapientium, quoniam vana sunt:* Et ideò per huius-
s. modi Philosophiam, & inanem fallaciam non est soluta de diuina prædestinatione quæstio, sed potius confusa & inuoluta, & diuersis mendaciis, atque erroribus accumulata.

.fsto.
o. Prædestinationem autem æterni consilij, & iudicij Dei,
.Defin. siue in remuneratione iustorum, siue in damnatione iniquorum, & propter vnam, ac simplicem scientiam diuinam, in qua simul atque æternaliter de omnibus præordinatum & præfinitum est, vnam veraciter dicimus: Et propter duplicem eius efficientiam, qua alij misericorditer liberantur, alij iustè damnantur, duas dicere
f. 100. non timemus: fideliter cum Psalmista ipsi iudici vniuersorum dicentes: *Misericordiam & iudicium cantabo tibi Domine.* Et eundem iudicem, huius prædestinationis E
mysterium apud Patrem æternaliter fuisse dispositum, & manifestè in aliorum obcæcatione, & aliorum inluminatione mirabiliter expletum in Euangelio declarantem fideliter audientes, cùm in Spiritu sancto exultans ait:
Confitebor tibi Pater Domine cæli & terra, quia abscondi- Matt. 11.
sti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruu- 25 26.
lis: Ita Pater, quoniam sic fuit placitum ante te. Quid enim apertius in vtramque partem dici potuit, quàm cùm per aduentum suum, & superbos dicit excæcatos,
& humiles inluminatos: hoc est enim: *Quia abscondisti* v. 25.
hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Et quid firmius ac fortius de vtriusque rei iusta & clementi prædestinatione, quàm quod statim congratulans
subiunxit dicens: *Ita Pater, quoniam sic fuit placitum* v. 26.
ante te. Et quia Pater omne iudicium dedit filio: Et ipse cum patre in æterno consilio vtriusque hæc omnia statuit & præfiniuit, quæ in mundo suis temporibus discer-
nit, & indicat, continuò de se adiungit: *Omnia mihi* F
tradita sunt à Patre meo. Omnia scilicet & liberanda & v. 27.
damnanda & iuste excæcanda, & misericorditer inlumi-
nanda, sicut alibi ipse dicit: *In iudicium ego in hunc mun-* Ioan. 9.
dum veni vt qui non vident videant, & qui vident cæci 39.
fiant. Hoc iustum iudicium Dei, sicut ipse Dominus & Saluator laudat, & cum gratiarum actione ad Patris gloriam refert, ita omnis Scriptura diuina, & omnis sancta Ecclesia Catholica in Psalmis, & Hymnis, & Canticia spiritualibus, quæ Deo offerre consueuit, tanquam iustum, & sanctum, & pium fideliter laudando, & gra-
tias agendo concelebrat, dicendo, cum Psalmista: *Iustus* Ps. 44.
Dominus in omnibus viis suis, & sanctus in omnibus ope- 17.
ribus suis: Et illud quod legislator in Cantico Deutero-
nomij ait, *Date magnitudinem Deo nostro, Deus vera* Deut. 3.
opera eius, & omnes via eius iudicia: Deus fidelis, in quo 3. & 4.
non est iniquitas, iustus, & sanctus Dominus. Item in Psalmo cùm & de electis liberandis, & de reprobis damnan-
dis generaliter dictū esset *prope est Dominus omnibus inuo-* Ps. 144.
cantibus eum in veritate: Voluntatem timentium se faciet, G
& deprecationem eorum exaudiet, & saluos faciet eos: Cu- 18. & 19
stodit Dominus omnes diligentes se, & omnes peccatores di- v. 20.
sperdet. Vtriusque partis iustum iudicium copiosa & generali laudatione commendatur, cùm statim subiungitur:
Laudationem Domini loquetur os meum, & benedicat om- Ib. 11.
nis caro nomini sancto eius in sæculum, & in sæculum sæculi. Sic & in alio Psalmo cùm præmisisset Dei laudationem, mox vtramque partem iustum Dei iudicium in eius lau-
dibus commemorans ait: *Lauda anima mea Dominum,* Ps. 145.
laudabo Dominum in vita mea, Psallam Deo meo quandiu v. 1.
fuero: Et post pauca: *Qui custodit veritatem in sæculum,* v. 7.
facit iudicium iniuriam patientibus, dat escam esurienti- 8
bus, &c. vsque vbi ait: *Pupillum, & viduam suscipiet,* v. 9.
& viam peccatorum disperdet. Vnde in Apocalypsi post illud extremum iudicium, & remunerationis iustorum, & damnationis iniquorum talis laus, & gratiarum actio de vtraque re à sanctis Deo offertur dicente
eodem libro: *Et viginti quatuor seniores, qui in con-* Apoc.
spectu Dei sedent in sedibus suis, ceciderunt in facies suas, H
& adorauerunt Deum dicentes: Gratias agimus tibi Domi- 11. 16.
*ne Deus omnipotens, qui es, & qui eras, * & qui acce-* 17.
pisti virtutem tuam magnam, & regnasti: Et iratæ sunt gen- v. 18.
tes, & aduenit ira tua, & tempus mortuorum iudicari: Red- * al. quia
dere mercedem seruis tuis Prophetis, & sanctis, & timentibus nomen tuum pusillis, & magnis, & exterminandi eos qui corruperunt terram. Et multa huiusmodi, quæ in Scripturis sanctis multipliciter inueniuntur, vt nihil melius sit homini fideli, quàm iustum Dei iudicium in vtraque par-
te agnoscere, & laudare fideliter dicendo: *Iustus es Do-* Ps. 118.
mine, & rectum iudicium tuum. 137.

Hoc etiam sancti Patres, & Doctores Ecclesiæ solli- Leo.
citè admonent esse faciendum sicut *Beatus Papa Leo* in quodam loco exhortatur dicens: [Nihil nobis debet de Dei iudiciis displicere. Nam non per omnia illi gratias agere, quid est aliud quàm ex quadam eum parte repre-
hendere?] Et *Beatus Augustinus* cum tractaret de verbis August.
Psalmi ad populum vbi scriptum est, *sicut deficit fumus* Ps. 67.
deficiat,

A *deficiat, sicut fluit cera à facie ignis, sic pereant peccatores à facie Dei:* Quis (inquit) gloriabitur castum se habere cor, aut quis gloriabitur mondum se esse à peccatis? Ac per hoc eum scriptura dicit, *Sicut fluit cera à facie ignis, sic pereant peccatores à facie Dei:* Quis non contremiscat, quis non pambundus exiliat? quid ergo faciemus? & quæ spes nobis est? neque enim hæc frustra cantantur. Aut verò cum hæc dicit Propheta, optat ea hominibus, ac non potius ventura præuidet? In verbis quidem figura optantis appater, sed intelligitur præscientia nunciantis, sicut enim quædam in Scriptura Prophetarum, tanquam in præteritum facta narrantur, cùm futura prædicantur: ita quædam tanquam voto dicuntur optantis: sed qui rectè intelligunt, quod audiunt, visionem prænunciantis agnoscunt. Sicut ergo in verbis præteriti temporis futura facta significantur, sic in figura optantis prænuntiantis mens intelligenda est, sic & de

* *Multa hic deerant reposita ex Cod. M. S. Corb.* Iuda Domini traditore tanquam, * optat ei Propheta

B quod venturum esse prædixit. Et de ipsis Iudæis, *Fiat*

Ps. 68. 23. (inquit) *mensa eorum in laqueum, & in venationem & in scandalum*, quod de eisdem prædictum esse sine du-

Rom. 11. 9. hitatione exponit Apostolus, sicut de Iuda, quæ sub eadem figura prænuntiata sunt Apostolus Petrus commemorat: nec sine causa, & quæ futura sint tanquam transacta dicuntur: Deo enim si certa sont tanquam pro factis habeantur & tanquam optans videtur dicere Propheta, quod certum præuidet esse venturum: nihil aliod quantum mihi videtur ostendens, nisi nobis non debere displicere cognitam sententiam Dei, quam fixam, immobilémque constituit: Et ideo in Actibus Apostolorum cùm quidam Prophera nomine Agabus prædiceret Apostolum Paulum in Hierosolyma à Iudæis multa esse passurum, & vsque ad vincula perventurum. Cum hoc audito fratres reuocare eum, & retinere vellent, ne il-

Act. 21. 10. & seqq. 13. lue pergeret, *Quid facites* (inquit) *conturbantes cor meum: ego enim non solùm alligari, sed etiam mori paratus sum pro nomine Domini nostri* IESV CHRISTI: atque ita,

C cùm viderent fratres immobilem viri ad omnia perferenda constantiam, dixerunt, *Fiat voluntas Dei*, nun-

v. 14. quid ergo quia dixerunt, *Fiat voluntas Dei*, optauerunt Apostoli, vt talia pateretur: ac non potiùs mentem suam sublimi, & diuino statuto deuotissimè subdiderunt? sic & Propheta cùm dicit: *Sicut fluit cera à facie ignis, si pereant peccatores à facie Dei:* videt hoc certissimè peccatoribus imminere & placet ei, quod Deus statuit, ne Deo ipse displiceat.]

August. Post hæc verba *Beatissimus Doctor*, ne tā fixa & immobilis diuini iudicij prædestinatio alicui malè agendi videretur necessitatem ponere, sed potiùs salubrem terrorem incureret, vt qui audiunt, pœnitendo, & corrigendo fugiant à ventura ira, vt ita possint euadere, quod permanentibus in peccatis ex impietatibus suis certissimum est imminere. Ita exhortatur dicens: quid ergo faciemus, fratres, nisi, vt dum tempus est vitam mutemus, & facta nostra, si qua sunt corrigamus, vt quod sine vlla dubitatione venturum est peccatoribus,

D non inueniat super quos veniat, non quia non erimus, sed ne tales inueniat, qualibus venturum esse prædictum est.]

Ita fidelissimus Doctor, & immobilem veritatem diuinæ prædestinationis etiam in peccatorum damnatione asseruit, & tamen si seipsos correxerint, atque in melius mutauerint, euasuros supplicia sincerissimè docuit: quia diuina illa prædestinatio in peccatoribus puniendis iustum exercet iudicium: nulli autem si conuertatur aufert salutis remedium, quia vera & fidelis est eius promissio, qua per Prophetam non solùm pollicetur, sed

Ezech. 33. 11. etiam iurat dicens, *Viuo ego dicit Dominus Deus, quia nolo mortem impij; sed vt conuertatur à via sua & viuat.*

Cap. 2.

CAP. II.

Def. 8. SEcundo Capit. *octo* nobis prædefinitiones proponit: ita dicens.

1\. 1. *Prædestinationem, & præscientiam Dei eius esse essentiam, sicut voluntatem, sapientiam, & veritatem.*

2 *Et præscientiam & prædestinationem vnum idémque esse.* E 2.

3\. *Hominem ad Deum quem libero arbitrio sine labore deseruerat, sine laboris studio, & cooperantis gratiæ dono peruenire non posse.* 3.

4\. *Prædestinationem in Deo secundum substantiam esse: Relatiuè autem fieri non posse.* 4.

5 *Sicut duas essentias, sapientias, scientias, virtutes, cæteráque omnia, quæ de Deo dicuntur, geminari, vel triplicari, vel multiplicari impium est: ita prædestinationes duas asserentem reatu impietatis ligari.* 5.

6\. *Vnámque esse diuinam prædestinationem, sicut vnam diuinam operationem, sapientiam, voluntatem.* 6.

7\. *Et necessitate prædestinationis compelli, sicut nec voluntate.* 7.

8\. *Et quidquid de diuina voluntate intelligitur, de prædestinatione Dei sentiri debere.* 8.

Ece quanta proposuit, immo velut omnibus sequenda, F & nemini diiudicanda, absque vllo testimonio Scripturæ diuinæ, absque vlla attestatione Paternæ doctrinæ, tam multipliciter definiuit. Sed nos (Domino adiuuante) vigilanter singula discutientes, quid de eis iuxta fidei regulam sentiendum sit discernamus.

Dicit, *Prædestinationem & præscientiam Dei, eius esse essentiam, sicut voluntatē, sapientiam, & veritatem.*] Nos au- Refut. 1. Defin. tem de voluntate quidem, quòd essentialiter dicatur in Domino, quia in illa eius summa & simplici essentia non est aliud velle, & aliud esse: sed quod est esse, hoc velle, & ideò sic est in illo voluntas, vt ipse sit voluntas sua, minimè dubitamus. Similiter etiam de sapientia & veritate: quia sic habet sapientiam, vt ipse sit sua sapientia, sic habet veritatem, vt ipse sit veritas, nec est in illa simplici natura deitatis, aliud habere & aliud esse; sed quod est ibi habere, hoc esse, & quod est esse, hoc habere [Proinde si dicamus, vt *B. Augustinus* ait, æternus, immortalis, incor- August. ruptibilis, immutabilis, viuus, sapiens, potens, speciosus, iustus, bonus, beatus, spiritus; horum omnium, quod nouissimum positum est, id est spiritus, quasi tantúmodo vi- G detur significare substantiam: cætera verò huius substantiæ qualitates; sed non ita est in illa ineffabili simplicique natura: quicquid enim secundùm qualitates illic dici videtur, secundùm substantiam vel essentiam est intelligendum. Absit autem vt spiritus secundùm substantiam dicatur Deus, & bonus secundùm qualitatem: sed vtrumque secundùm substantiam: sic cætera omnia quæ commemorauimus.]

Cùm ergo hæc ita sint, & ista tria, id est voluntas, sapiētia, & veritas, ita sint in Deo, vt absolutè ostendant naturā Dei, qui est summa voluntas, summa sapientia, & veritas, omnem habens potestatē omnē exsuperans intellectū, & super omnia incōmotabilis manens, manifesta est Dei regula, vt substantialiter de Deo dici intelligantur. De sciētia quoque manifestum est, quia in Deo essentialiter debet intelligi: quia non est illi aliud esse & aliud scire: sed quod illi est esse, hoc scire: nec aliud ei habere scientiam: nisi ipsum esse scientiam: sicut idipsum est ei sapientiā habere, quod sapientiam esse. Vtrum verò sicut dicitur Deus sub- H stantialiter scientia, ita etiam substantialiter dici possit præscientia, iudicet secundùm rationem & regulam fidei qui potest, nobis tamen videtur quòd sicut veraciter dicitur de Deo; non est aliud illi esse & aliud scire, non ita possit dici de illo nisi vel mendaciter, vel nimis vsitate, non est aliud illi esse, & aliud præscire, quod enim rectè & vsitate possit dici Deus scientia est, sicut rectè & vsitatè dicitur Deus sapientia est: nulli est dubium. Vt autem dicatur Deus præscientia est, sicut iam dicimus aut non est verum, aut nimis inusitatum.

Similis ratio est vel etiam durior de eo quod definiuit: *quia Deus substantialiter prædestinatio est:* quis enim vnquam de Deo dici audiuit, quod non sit illi aliud esse, & aliud prædestinare, sed quod prædestinare hoc esse, sicut verè de eo dicitur non est illi aliud esse, & aliud nosse; sed quod esse hoc nosse. Vt etiam hoc istiusmodi vocum nouitatibus dicere compellamur. Quia sicut Deus scientia est, Deus sapientia est, Deus veritas

A est : ita Deus prædestinatio est. Sed nobis melius & conuenientius veræ fidei, & Ecclesiastieæ doctrinæ videtur, vt licet hæc apud nos tria esse videantur : id est scientia, præscientia, & prædestinatio, & ea quibusdam proprietatibus discernamus. Vt videlicet scientia absolute dicatur, præscientia vero, & prædestinatio ad futurorum prouidentiam referantur. Et in ipsis duobus præscientia scilicet in bonis, & in malis præuoscendis intelligatur : Prædestinatio autem io solis bonis statuendis, atque ordinandis, quæ propterea sic diei & distingui necessarium fuit, vt nobis, qui temporales & mortales sumus, & plenissima scientia in Deo, & gubernatio eius ad creaturas distinctius quodammodo tali distinctione vel si dici potest, distributione insinuaretur & commendaretur : commodius tamen hæc tria in Deo sub vno nomine scientiæ intelligamus, quia quidquid in his tribus à nobis vtcunque intelligitur, & distincte cognoscitur, io illa eius summa & vna & simplici scientia simul B est. Scire enim eius perfectum & plenum est, nec potest minui, vel augeri, aut aliqua rerum varietate permutari. Et ideò quod nos de scientia, à præscientia, & prædestinatione eius velut discernendo coguoscere conamur, ut eius perfecta & incommutabili scientia non aliud & aliud, aut aliter vel aliter, sed vno atque eodem modo æternaliter est : vnde & recta moderatione Ecclesiasticæ disciplinæ obseruatum esse credimus, vt rectè & vsitate dicatur esse præscientiam, & prædestinationem Dei, sicut omnium conditoris, & iudicis, ad opera sua : rectè etiam & vsitate dicatur esse præscientiam, & prædestinationem in Deo, id est in æterna, perfecta, & incommutabili scientia eius, non autem inusitate, vel non etiam recte dicatur Deum præscientiam, vel prædestinationem esse. Quia videlicet scieotia eius ad se dicitur ; præscientia vero, & prædestinatio ad creaturas refertur. Vnde in bis magis eius operatio, quæ in ipsis, vel erga ipsas creaturas agitur, quam eius essentia, vel substantia demonstratur : Sic namque dicitur præscien-C tia, & prædestinatio Dei, vel in Deo, sicut etiam ordinatio, vel dispositio Dei vel in Deo : Neminem tamen tam absurde vel contentiose locutum audiuimus ; vt diceret, sicut ordinationem & dispositionem Dei esse, ita ipsum Deum ordinationem & dispositionem esse, vel ita dici & definiri debere.

Vnde autem tota hæc tam noua & contentiosa definitio occasionem sumpserit manifestum est. Timet enim ne si præscientia & prædestinatio sicut & gubernatio Dei non substantialiter de Deo accipiatur, sed ad ordinationem creaturarum eius refereoda intelligatur, non possit eam dicere duplicem vel pluralis numeri esse non posse : vnde apud nos nulla contentio est, siue scilicet possint dici pluraliter prædestinationes, siue non possint : Dummodo illud fideliter & firmiter teneamus, vno atque eodem diuinæ præscientiæ, & prædestinationis iudicio, atque consilio duo quædam certissime adimplenda ; id est, & iustos æternæ gloriæ prærordinatos, & iniquos in impietatibus suis vsque ad mortem D perseuerantes æternis suppliciis destinatos. Vtrumque enim Scriptura apertissime dicit de iustis : *Et crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam æternam :* De impiis iuste damnandis : *Sustinuit Deus in multa patientia vasa iræ aptata in interitum.* Ita enim hoc vtrumque in electis, & reprobis vno eodemque diuinæ prædestinationis, & iudicij effectu peragitur : sicut vno eodemque solis Radio & sani oculi vegetantur, & languidi exasperantur : sicut etiam vno eodemque igni & limus ei appositus durescit, & cera liquescit : Dignetur etiam agnoscere, ita de prædestinatione Dei, sicut de eius iustitia sentiendum, quæ cum sit vna, & semper vno eodemque modo se habens, manifeste duplicem recipit distributionem, dum per eam vel dignis præmia, vel indignis supplicia irrogantur.

Act. 13. [illegible] Rom 9. [illegible]

Certe ipse asserit voluntatem Dei vel io Deo, sicut sapieotiam, sicut veritatem, essentialiter dici, quod vtique verum est. Nam et si diceret Deum substantialiter esse iustitiam, verissime vtique diceret. Cur itaque hæc duo E quæ substantialiter in Deo, vel etiam substantialiter Deus esse dicuntur, id est voluntas eius, & veritas eius pluraliter dicta in Scripturis leguntur : Sicut habetur in Psalmo, ipso Domino dicente, *Mirificauit omnes voluntates meas in eis*, & alibi : *Inueni David filium Iesse virum secundum cor meum, qui faciat omnes voluntates meas.* Item legimus in Psalmo : *Iustus Dominus iustitias dilexit.* Et iterum : *Quoniam deminutæ sunt veritates à filiis hominum :* Et alio loco : *Quoniam veritates requirit Dominus.* Et cùm non sit aliud lux Dei, & veritas Dei, sed vnum simpliciter, & veraciter credatur in Deo, vt quod est lux Dei, hoc sit veritas Dei, & quod veritas, hoc lux. Tamen cùm Psalmista dixisset : *Emitte lucem tuam, & veritatem tuam*, statim plurali numero subiunxit. *Ipsa me deduxerunt, & adduxerunt in montem Sanctum tuum, & in terbernacula tua.* Cur hoc ? Nisi quia voluntas, & iustitia, & veritas Dei, cùm sit io eius natura, veraciter vna & simplex ; Tamen in largitione donorum eius, siue in dispositione creaturarum eius nobis efficiatur multiplex : ita vt etiam Spiritus sanctus, qui vnius & simplicis est in Trinitate personæ, propter eandem distributionem donorum multiformis gratiæ Dei, & septem Spiritus nuncupatur. F

Ps. 15. 3. Act. 13. 22. Ps. 10. 8. Ps. 11. 2. Ps. 30. 24. Ps. 42. 3. Ibid.

† Quæ omnia idcirco replicamus, vt considerent qui hæc legunt nullum certamen, nullam contentionem esse debere de numero ; siue pluraliter prædestinatio Dei dici possit, siue aliqua veraci ratione non possit, dummodo certissimè constet duplicem esse eius effectum vel in electis scilicet misericorditer præordinatis ad vitam : vel in reprobis, iustè præordinatis ad pœnam. Docet *Beatus Augustinus* sicut sapientiam, ita & prudentiam, vel scientiam Domini rectè dici, his verbis : [Quis ergo hominum potest istam sapientiam, qua nouit Deus omnia, comprehendere, istam (inquam) sapientiam eandem prudentiam, eandemque scientiam ; Quandoquidem à nobis nec nostra comprehenditur :] Vbi etiam post aliqua ita subiungit : Et putamus nos vtrum Dei prouidentia eadem sit memoria G & intelligentia, qui non singula cogitando aspicit, sed vna æterna, immutabili, atque ineffabili visione complectitur cuncta, quæ nouit tanta mentis infinitate posse comprehendere. In has igitur difficultate & angustiis libet exclamare ad Deum viuum. * *Mirifi ata est scientia tua ex me, inualuit, nec potero ad illam.*] Ecce Doctor eximius eximiè de Deo sentiens & loquens confidenter dixit Deum esse prudentiam, confitenter dixit Deum esse scieotiam : vbi autem venit ad hoc, vtrùm similiter Deus dicendus sit prouidentia, quæ vtique sic Dei est, & in Deo, vt ad gubernationem referatur creaturæ, noluit velut temere aliquid de hac re definire ; sed velut in magna difficultate, & angustiis deprehensus, maluit eandem disputationem adorationis, & orationis ad Deum exclamatione finire. Quo exemplo etiam nos omnes pensare & dicere debemus quàm piè nobis de Deo sit sentiendum : quàm moderatè & disciplinatè loquendum, quàm cautè & trepidè definiendum.

† *Hæc vsque quæ desunt in M. S. Cod. Thuani & in impresso Cod.*

* *al. Mirabilis facta.* Ps. 139. 6.

Post hæc iam dictus disputator more suo velut defi-H niendo subiungit : *Et præscientiam & prædestinationem vnum idémque esse.*] Nos autem repudiato huius nouitatis errore teneamus certissimam, & firmissimam fidei regulam, & Deo adiuuante fideliter discernamus aliquando dici præscientiam, quæ omnino prædestinatio esse nō possit : Quia omnipotens Deus sicut bona, sic etiam mala, id est peccata hominum, vel Angelorum futura præsciuit : Quæ tamen vt fierent, iustus & *sanctus prædestinare non potuit.* Prædestinatio autem eius, vel ad conditionem, & gubernationem pertinet creaturarum, quæ vtique bona & iusta est, vel præcipuè ac maximè ad opera vel iudicia eius, quæ agit siue acturus est in creatura rationali, Angelica videlicet, & humana : dum ex eis alios per gratiam iustificat, & beatificat, alios per iustitiam deserit & condemnat : Quia & eorum bona, id est SS. hominum, & Sanctorum Angelorum, eius sunt dona, vel præmia : Et illorum mala, id est, æterna supplicia, eius est iustè omnia disponentis iusta vindicta. Et idcirco

Refut. 2. Defin.

prædesti

A

prædestinatio eius *semper in bonis*, semper in operibus suis, quæ in creatura (vt dictum est) rationali vel misericorditer, vel iustè exercet: accipienda est, quæ ipse & prædestinando præparauit, & præsciendo æternaliter prædestinauit. Vnde manifestum est prædestinationem Dei sine præscientia non esse: Præscientiam vero & cum prædestinatione esse in bonis, & iustis operibus Dei, & sine prædestinatione in malis operibus hominum & Angelorum iniquorum.

Aug. de præd. S. cap. 10. Eph. 2. 9. v. 10.

Quod totum præfatus pater, *Beatus* scilicet *Augustinus* breuissimè ita ostendit dicens: [Prædestinatio est gratiæ præparatio: gratia vero iam ipsa donatio. Quod itaque ait Apostolus: *Non ex operibus, ne forte quis extollatur: Ipsius enim sumus figmentum, creati in* CHRISTO IESV *in operibus bonis*, gratia est: quod autem sequitur; *Quæ præparauit Deus, vt in illis ambulemus*, prædestinatio est, quæ sine præscientia non potest esse: potest autem esse sine prædestinatione præscientia. Prædestinatione quippe Deus ea præsciuit, quæ fuerat ipse facturus? Vnde dictum est, *fecit quæ futura sunt*: Præscire autem potens est, etiam quæ ipse non facit, sicut quæcunque peccata. Quia si sunt quædam quæ ita peccata sunt, vt pœnæ sint etiam peccatorum. Vnde dictum est: *Et tradidit illos Deus in reprobam mentem, vt faciant quæ non conueniunt*: Non ibi peccatum Dei est, sed iudicium. Quocirca prædestinatio Dei quæ in bono est, gratiæ est (vt dixi) præparatio: Gratia vero est ipsius prædestinationis effectus.] Item alio loco: Hæc est (inquit) prædestinatio sanctorum nihil aliud, præscientia, scilicet, & præparatio beneficiorum Dei quibus certissimè liberantur, quicunque liberantur: Cætera autem vbi nisi in massa perditionis diuino iudicio relinquuntur.] Ex quibus omnibus sancti doctoris verbis clarissime apparet, distinctè & propriè in sanctis libris accipi debere præscientiam, & prædestinationem: Nec quæ tanta distantia inter se distinguuntur, vnum atque idem esse sicut iste definit, intelligi debere. Tamen aliquando ipsam prædestinationem, quæ nunquam sine præscientia est, etiam nomine præscientiæ significari *idem Doctor*, ita ostendit dicens. [Aliquando eadem prædestinatio significatur etiam nomine præscientiæ, sicut ait Apostolus: *Non repulit Deus plebem suam, quam præsciuit*. Hic quod ait *præsciuit*, non recte intelligitur nisi prædestinauit; quod circunstantia ipsius lectionis ostendit. Loquebatur enim de reliquiis Iudæorum, quæ *saluæ factæ sunt* pereuntibus cæteris; ideo cùm dixisset, vnde nunc agimus, *non repulit Deus plebem suam: quam præsciuit*, post aliqua secutus adiunxit: *Quod quærebat Israel hoc non est consecutus: electio autem persecuta est, cæteri verò excæcati sunt*. In hac ergo electione, & in his reliquiis, quæ *per electionem gratiæ saluæ factæ sunt*; voluit intelligi plebem, quam propterea Deus *non repulit*, quia *præsciuit*. Nullus igitur qui hæc intelligit negare vel dubitare permittitur: vbi ait Apostolus, *non repulit Deus plebem suam, quam præsciuit*, prædestinationem significare voluisse: præsciuit enim reliquias, quas secundum electionem gratiæ fuerat ipse facturus: hoc est ergo prædestinauit: sine dubio enim præsciuit, si prædestinauit, sed prædestinasse est hoc præscisse quod fuerat ipse facturus.] Ecce quid sequi debeat, qui iuxta piam sancti patris intelligentiam sanè & purè & sincere de præscientia, & prædestinatione diuina sentire desiderat. Illa autem noui disputatoris definitio, qua hæc duo tanta discretione distincta, tanta diligentia discreta vnum idemque esse definiuntur merito suæ falsitatis, atque fallaciæ penitus abiicienda est: Siue enim hoc illa propterea taliter definita voluerit, vt ea (sicuti iam præmiserat) substantialiter in Deo velut vnum esse ostenderet, inanis & friuola est eius assertio, siue hoc docere voluerit, quod hæc in scripturis indiscretè & confuse, atque indifferenter intelligenda sint, manifestissimi erroris est.

LXX. Isa. 45. 11. Rom. 1. 28.

Aug. de dono Pers. cap. 14.

C

Aug. de dono Pers. cap 18. Rom. 11. 2.

v. 5.

v. 2. Ibid. 7.

v. 5.

D

Refut. 3. Defin. *De libero arbitrio post peccatum originale.*

Subiungit idem disputator & dicit *Hominem ad Deum quem libero arbitrio sine labore deseruerat, sine laboris studio, & cooperantis gratiæ dono peruenire non posse*.] In quibus verbis quod dicit primum hominem libero arbitrio Deum deseruisse, iam vtique in deserente Deum, & deserto à Deo non erat liberum arbitrium ad bonũ, illa & naturæ bonæ à Deo conditæ, & gratiæ à Deo donatæ beata libertate, quam Apostulus commendat dicens: *vbi spiritus Domini, ibi libertas*: sed erat liberum tantummodo ad malum, & peccato dominante captiuum. De qua miserrima libertate & seruitute Apostolus conuersis fidelibus dicit: *Cum enim serui essetis peccati; liberi fuistis iustitiæ*. Et iterum: *Nescitis quoniam cui exhibetis vos seruos ad obediendum, serui estis eius, cui obeditis, siue peccati in mortem, siue obeditionis ad iustitiam*. Vnde & Dominus ait: *Omnis, qui facit peccatum, seruus est peccati*. Et Beatus Petrus Apostolus: *A quo enim (inquit) quis superatur, eius & seruus est*. Sed & captiuitatem peccati beatus Paulus non tacet dicens: *Video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuum me ducentem in legem peccati, quæ est in membris meis*. Sic itaque homo (vt dictum est) deserens Deum, & desertus à Deo, factus est *liber iustitiæ*, cui seruire noluit, *& seruus peccati in mortem*, quia noluit esse seruus obeditionis ad iustitiam; Et per hoc incipiens habere in membris suis legem repugnantem legi mentis suæ, & captiuantem se in lege peccati: amissa ergo gratia veræ libertatis, qua Deo poterat cohærere & dicere: *mihi autem Deo adhærere bonum est*, infœlici libertate voluntatis suæ adhæsit peccato, & factus est seruus captiuusque peccati. De qua seruitute & captiuitate exire & liberari non potest, nisi per eum qui ait, *si vos filius liberauerit, tunc vere liberi eritis*. Et ideo quando homo deseruit Deum, manifeste tunc amisit libertatem boni, & non remansit liber, nisi ad malum. Vnde nescimus, cur talis in eo libertas debeat prædicari, ac non potius deleri, & caueri.

E

Sap. 2. 23.

2. Cor. 3. 17.

Rom. 6. 20.

Ibid. 16.

Ioan. 8. 34.

2. Pet. 2. 19.

Rom. 7. 23.

F

Ps. 72. 28.

Ioan. 8. 36.

Quod autem dicit *sine laboris studio, & cooperantis gratiæ dono hominem ad Deum peruenire non posse*,] aliter fides Catholica tenet, quæ certissimè credit iuxta Euangelicam & Apostolicam veritatem nullo bono opere, nullo bono merito præcedente, solo gratiæ diuinæ beneficio hominem saluari, & venire ad Deum. Sicut ipse Dominus dicit: *Nemo potest venire ad me, nisi pater qui misit me traxerit eum*. Et Apostolus diligentissimè inculcat fidelibus dicens, *Ei autem qui non operatur; Credenti autem in eum, qui iustificat impium, reputatur eius fides ad iustitiam*. Et iterum: *Arbitramur iustificari hominem ex fide sine operibus legis* Et ne saltem ipsam fidem sibi deputarent, qui veniunt ad Deum atque ita velut sui operis merito, & non gratuito Dei dono se putarent esse saluatos, Ostendit alio loco etiam ipsam fidem Dei donum esse, cum dicit: *Gratia salui facti estis, per fidem*: Et continuo subiungit; *Et hoc non ex vobis; Dei donum est, non ex operibus, ne quis glorietur*. Vnde etiam Deus sicut ipse Apostolus commemorat, per Prophetam dicit: *Inuentus sum a non quærentibus me: palam apparui his, qui me non interrogabant*. Vel sicut in nostra editione legitur: *Quæsierunt me qui ante non interrogabant. Inuenerunt, qui non quæsierunt me*. Ecce manifestissima gratia sine operibus; per quam homines non quærentes Deum non solum veniunt, sed etiam perueniunt ad Deum: sicut innumera paruulorum millia, qui vtique nihil boni operari potuerunt, sola fide Ecclesiæ & regenerationis gratia, cum in tali ætate ex aqua & & spiritu renati, & originalis peccati vinculo absoluti, atque ita fuerint defuncti, absque vlla dubitatione ad Deum perueniunt. Aliter ergo sentire, idest hominem absque laboris sui studio ad Deum peruenire non posse; non est Catholicum, sed Pelagianum. Inuenimus in libello cuius titulus est dogmatum Ecclesiasticorum, quædam talis definitio. Sed omnino, vt diximus (sicut & alia nonnulla in eodem libello) Pelagiani erroris est. Et ideo quicumque eum propter alia quędam vtilia legit, cum huiusmodi ibi sensus inuenerit, meminerit sollicite Apostoli dicentis: *Omnia probate, quod bonum est tenete*.

G

Ioan. 6. 44.

Rom. 4. 5.

Rom. 3. 28.

Eph. 2. 8. Ibid. 9.

Isa. 65. 1. Rom. 10. 20.

H

Gennadij de Eccl. dogmat. cap. 21.

Addit post hæc ille & dicit; *prædestinationem in Deo secundum substantiam esse, relatiue autem fieri non posse*].

Refut. 4. Defin.

Sed de hoc quid nobis melius aut conuenientius videa-
tur, iam supra (vt potuimus) dictum est: Tamen quia hic
addidit prædestinationem ad Deum relatiuè dici nō pos-
se, manifestè nō ita refertur prædestinatio ad Deum, sicut
refertur in S. Trinitate, pater ad filium, filius ad patrem,
Spiritus S. ad vtrumq; vel genitor ad genitum, genitus ad
genitorem, procedens ad vtrumque. Nec sicut verbū Dei
cùm intelligitur, filius refertur ad patrem, cuius est verbū.
Et cùm idem filius dicitur *imago*, refertur similiter ad
patrem cuius est imago. Et cum dicitur *splendor gloriæ*,
1. refertur ad æternam lucem, ea qua est, & cuius splen-
dor est. *Candor est enim lucis æternæ* (sicut Scriptura testa-
tur) nec sicut donum Dei, cùm intelligitur propriè Spiri-
tus S refertur ad Patrem, & Filium, cuius est donum. Ista
namque in illa Sancta & summa Trinitate sic referuntur
ad inuicem, vt singularia ibi sint, nec alterū de altero dici
possit: vnus enim ibi est pater genitor, vnus filius genitus,
vnus Spiritus S. procedens: vnum Verbum, & Imago, &
splendor Patris, quod est vnigenitus filius: vnum donum
Dei Patris & Filij quod est Spiritus S. Et hæc de singu-
lis singula ita ibi intelliguntur, vt vniuscuiusque per-
sonæ proprietas ad alterum transire non possit: verbi gra-
tia, vt vel Pater vnquam Filius dici possit, vel Filius natu-
raliter pater intelligatur, vel Spiritus sanctus Pater aut
Filius. Manifestum est igitur, vt diximus, quia non ita
refertur prædestinatio ad Deum, sicut refertur Pater ad
Filium, Filius ad Patrem, Spiritus sanctus ad Patrem &
Filium. Neque enim prædestinatio aliqua est propriè in
Trinitate personæ, vt ad alteram naturaliter referatur.

Refertur tamen omnino eadem prædestinatio ad
Deum, id est, ad totam simul Trinitatem, quæ tota est
prædestinans quæcumque prædestinata sunt: quia abs-
que dubio refertur prædestinatio ad prædestinantem: si-
cut & gubernatio ad gubernantem, & dispositio ad
disponentem, & ordinatio ad ordinantem. Nec aliquis
vnquam tam absurdè & importunè contentiosus fuit, vt
Deum omnia disponentem diceret esse dispositionem:
C omnia gubernantem diceret esse gubernationem: om-
nia ordinantem diceret esse ordinationem: Putamus
quòd nec omnia prædestinanda prædestinantem quis-
quam dixerit esse prædestinationem: Cùm hæc omnia,
sicut iam diximus, id est dispositio, gubernatio, ordina-
tio, prædestinatio magis ad opera, vel ad operationem
creatoris referenda intelligantur. Sed iste etiamsi noua
contentione affirmare conetur, ita esse Deum substan-
tialiter prædestinationem, sicut veritatem, bonitatem,
iustitiam, vt per hoc velut singulari tantum numero
prædestinatio dicenda videatur: sicut singulari tantum
numero dicitur Deus, veritas, bonitas, iustitia: non
tamen ista argumentatione efficere potest, vt prædesti-
natio Dei etiam substantialiter Deus dici possit, non
duplicem habeat effectum, & operis distributionem, sci-
licet vel in præparatione iustorum ad vitam, vel in præ-
ordinatione impiorum ad interitum: Quia & iustitia
verissimè Deus dicitur: nec cum ipsa, Deus substantiali-
ter intelligitur, plurali numero rectè enuntiatur. Et ta-
D men iustitia Dei, quæ etiam Deus est, sine dubio du-
plicem habet effectum: videlicet vel in remuneratione
bonorum, vel in damnatione malorum. Cùm ergo
ad prædestinantem Deum rectè dicatur relatiuè præde-
stinatio, sicut ad disponentem dispositio, ad gubernan-
tem gubernatio, ad ordinantem ordinatio, ad operan-
tem operatio, ad creantem creatio: & etiamsi aliquid ra-
tione ostendi possit, substantialiter dici debere præde-
stinationem Dei, vel prædestinationem Deum: du-
plex tamen eius effectus Scripturæ sanctæ immobi-
li veritate declaratus euacuari nullatenus possit: Quid
sibi vult ista tam superuacua, vel etiam mendax argu-
mentatio?

II.5. Sequitur tamen ille & dicit: *Sicut duas essentias,*
sapientias, scientias, virtutes, cateráque omnia, quæ
de Deo dicuntur, geminari, vel triplicari, vel multi-
plicari impium est: Ita prædestinationes duas asserentem
reatu impietatis ligari.] Quibus verbis nos respondе-
mus, verum quidem esse, quia essentia, sapientia, scien-
tia, virtus, quando de Deo dicuntur, vel ipse Deus ita di- E
citur, vt ipse esse essentia, sapientia, scientia, virtus intelli-
gatur, non sunt ista dicenda pluraliter. Quia ipsa Tri-
nitas non tres essentiæ, sed vna essentia est, nec tres sa-
pientiæ sed vna sapientia, nec tres scientiæ sed vna
scientia: nec tres virtutes, sed vna virtus. Tamen quan-
do ad diuersam dispositionem, vel operationem Dei ad
creaturas referuntur, manifestè quædam ex eis etiam plu-
raliter, & multipliciter dicuntur: sicut est illud: *Quoniam* 1. Reg. 2. 3.
Deus scientiarum Dominus. Et si scientiarum Dominus,
vtique non alterius, sed suarum: Quomodo ergo hoc in-
telligendum: nisi quia ipsa scientia, quæ in illo natura-
liter vna est & simplex, relata (vt dictum est) ad dispositio-
nem vel ordinationem creaturæ, nobis efficitur multi-
plex: sic Deus esse virtus dicitur: Et tamen eadem ratio-
ne dictum legimus, *narrantes laudes Domini, & virtutes* Ps. 148. 2.
eius. Et sicut rectè Deus dicitur virtus, ita rectè dicitur Ps. 105. 2.
idem Deus potentia: Et tamen in Psalmo canimus. *Quis*
loquetur potentias Domini. Si ergo Deus vna est scien- F
tia, vna virtus, vna potentia, Et tamen iuxta verita-
tem, & auctoritatem Scripturæ ipsius Dei rectè dici-
mus numero plurali, atque multiplici *scientiarum Domi-*
num, & potentias Domini, & *virtutes eius*, cur hoc im-
pium esse iste disputator dicit, quod ex veritatis & pieta-
tis fonte procedit? si autem ista quæ verissimè substan-
tialiter in Deo sunt, non impiè, sed piè secundùm quen-
dam modum etiam pluraliter de Deo dicuntur: quomo-
do reatu impietatis ligatur, qui prædestinationem Dei
eadem ratione, propter duplicem eius efficientiam, plu-
raliter dicere voluerit? Cùm tamen hoc nos nec propter
eandem prædestinationis verissimè duplicem efficientiam
respuamus, nec vsquequaque necessario dici existimemus:
Cùm sicut vna Dei iustitia, ita & vna Dei prædestinatio
multipliciter valere, certissimè intelligenda sit.

Subiungit ille & dicit: *Vtrámque esse diuinam præde-* Refut. 6. Def.
stinationem, sicut vnam diuinam operationem, sapientiam, Sap. 5.
substantiam, voluntatem.] In quibus verbis hoc agere co- G
natur, quod & supra: videlicet vt, sicut substantialiter
Deus est sapientia, substantialiter voluntas, & ipse est
summa substantia; Ita creditur idem Deus esse præ-
destinatio, & operatio. Sed de prædestinatione iam mul-
tipliciter ostendimus, quid nos magis sentiendum esse
teneamus. De vna verò operatione Dei quam hic ad-
dit, ita (vt quantum apparet) operationem Dei, ipsum
Deum velit intelligi, diligenter considerandum est, quid
de hac re iuxta regulam fidei sentiendum sit. Rectè
enim dicimus operationem Dei vtique in creaturis, quas
operatus est, & rectè dicere possumus operationem ex
Deo, quoniam, sicut Apostolus dicit, *Ex ipso, & per*
ipsum, & in ipso sunt omnia: sed nunquid rectè dicere pos-
sumus operationem in Deo, cùm Deus in se nihil ope-
retur: sed extra ipsum (id est) extra eius naturam sit om-
nis creatura, quam operatus est, & in qua vsque modò
operatur. Cùm tamen alio modo etiam in ipso dici possit
esse creatura: Quia vtique in eius potentia, & virtute
subsistit. Vnde Apostolus ait quod iam dictum est, *quia*
in ipso sunt omnia. Et in alio loco, *in ipso enim viuimus,* H
& mouemur, & sumus. Cùm ergo Deus in se ipso, id est Act. 17. 28.
in substantia sua nihil operetur, sed omnis eius opera-
tio in creaturis, quæ non eiusdem cum eo naturæ, vel
substantiæ sunt, intelligatur, quomodo rectè dici potest
operatio in Deo. Et si non rectè dicitur operatio in Deo,
quanto minus rectè, dici potest ipse Deus operatio?
Quamquam idem omnipotens Deus, sicut apud se, &
in se omnia disponit; sic apud se, & in se omnia opere-
tur. Quia vt hæc agat, non extra se vtique egreditur,
nec à se recedit, cuius velle fecisse est: sed ipsa potiùs,
quæ operatur, vocat ad se: vt ex eo, qui summè est, ac-
cipiant esse singula iuxta modum suum. Et fiat quod Apo-
stolus dicit, *qui vocat ea quæ non sunt, tanquam quæ sint.* Rom. 4. 17.
Ergò neque aliquid extra se operatur, qui, sola & æter-
na voluntate, absque vllo conatu, absque vllo labore,
absque vllo artificio, omnia operatur. Nec iterum ali-
quid in se operatur, qui in suæ substantiæ perfectione,
& æternitate nihil efficit, nihil auget, nihil minuit,

nihil

A

nihil mutat. Nec tamen, quia eius velle fecisse est: ideò eius velle & fecisse vnum est. Quia in hoc non creatoris, & creaturæ significatur vnitas, sed solius creatoris potestas.

Quomodo igitur operatio in Deo; vel ipse Deus substantialiter (vt iste asserit) operatio intelligi potest? nisi fortè eo modo dicatur Deus operatio: non quod ipsum vel in ipso aliquis, sed ipse omnia operetur. Sed quia hoc nimis est inusitatum, nec de Scripturæ sanctæ authoritate sumptum, & vehementer fidei periculosum: ne forte, cum Deus operatio esse dicitur, iuxta impium Arrianorum errorem, qui hoc de filio, & Spiritu sancto senserunt, ab aliquo factus esse credatur: profectò cohibenda & coërcenda est tantæ verbositatis præsumptio & inter cæteras *vocum nouitates*, sicut attentissimè ammonet Apostolus, *deuitanda*. Et tamen nos, qui simpliciter diuinam operationem in operibus, & creaturis eius intelligimus ipsam eius operationem plurali numero in Scripturis positam legimus, manifestè Apostolo dicente; *Diuisiones vero gratiarum sunt, idem vero spiritus: Et diuisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus: Et diuisiones operationum sunt, idem verò Deus, qui operatur omnia in omnibus.* Cùm ergo ipsa operatio Dei tam aperte pluraliter dicatur, & multipliciter intelligatur in creaturis Dei, quid vtilitatis habet istiusmodi argumentatio *ad nihil vtilis* (sicut Apostolus ait) *nisi ad subuersionem audientium.*

1. Tim. 6. 20.

B

1 Cor. 12. 4. 5. & 6.

2. Tim. 2. 14.

Refut 7. Defin. De diuina compulsione.

Et tamen ille subiungit, & dicit: *Ex necessitate prædestinationis nihil compelli, sicut nec voluntatem.*] Quod vtrumque, id est, & prædestinatione, & voluntate Dei nihil compelli apertissima veritate falsum est: Quia & bonitate prædestinationis Dei frequenter diuersis flagellis, & laboribus, & tribulationibus compelluntur electi, siue vt conuertantur ad Deum, siue vt viuant secundum Deum. Sicut compulsus est Apostolus *Paulus* cum adhuc esset *Saulus*: cœlestis vocis terrore prostratus, diuina percussione cæcatus, tanto terrore à suo errore, & crudelitate coërcitus, vtique, vt conuerteretur ad Deum. Et tamen iam conuersus, iam Apostolus, iam magister gentium effectus, adhuc castigatur, adhuc *colaphizatur, ne magnitudine reuelationum extollatur*: Et eiusdem diuinæ prædestinationis iudicio, & æquitate reprobi compelluntur; Et si non ad inique & impiè viuendum, tamen ad æternum pro ipsis iniquitatibus, & impietatibus suis supplicium luendum: Similiter & bonitate voluntatis Dei, in qua est vtique æterna prædestinatio Dei, & electi flagellantur temporaliter ad correctionem, vel probationem: Et eiusdem diuinæ voluntatis seueritate reprobi flagellantur æternaliter ad punitionem. Cum omnipotens Deus, sicut Apostolus dicit, manifesta misericordia & occulto iudicio suo, *cuius vult miseretur, & quem vult indurat.* Vtraque enim sunt in Dei prædestinatione, vtraque in Dei voluntate, & bonitas (scilicet) & seueritas de quibus idem dicit Apostolus; *Vide ergo bonitatem & seueritatem Dei, in eos quidem qui ceciderunt seueritatem: In te autem bonitatem, si permanseris in bonitate.*

Act. 9.

C

2. Cor. 12. 7.

Rom. 9. 18.

Rom. 11. 22.

D

Refut 8. Defin. De voluntate Dei.

8. Sequitur ille & dicit: *Et quicquid de diuina voluntate intelligitur, de prædestinatione Dei sentiri debere.*] Hæc definitio in eo nobis placet, quia voluntatem Dei dicit prædestinationem Dei. Quid est enim aliud prædestinatio Dei, quam æterna & incommutabilis voluntas Dei ad opera sua. Neque enim Deus necessitate, sed voluntate prædestinauit quæcunque prædestinauit. Et sicut *omnia, quæcunque voluit fecit*, sic omnia quæcunque prædestinauit implenit, immò iam fecit: sicut de eo Propheta dicit: *Qui fecit quæ futura sunt.* Consequens ergo omnino est, vt & illud quod de Deo dicit Apostolus, *qui vult omnes homines saluos fieri & ad agnitionem veritatis venire*: Sicut est in prædestinatione Dei, ita rectissime intelligatur esse in voluntate Dei, id est, vt quos prædestinauit Deus æterna voluntate sua ex omni genere humano electos, ipsos *omnes velit saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*, videlicet quia prædestinatio Dei ipsa est certissimè voluntas Dei, & sicut de voluntate Dei veraciter omnino ab Apostolo dictum est, *cuius vult miseretur, & quem vult indurat*: Ita & de prædestinatione Dei certissimè teneatur: scilicet quod æterna prædestinatione, sicut æterna voluntate sua *Iacob dilexit, Esaü autem odio habuit: Et ex massa eadem fecit, aliud quidē vas, in honorem; aliud verò in contumeliam*, Sed illud bonitate sua, istud iusto iudicio suo: vt essent *alij vasa iræ, alij vasa misericordiæ.* Si itaque disputator iste iuxta veritatem doctrinæ Apostolicæ, & sicut ipse sua argumentatione conclusit, hæc nobiscum fideliter & simpliciter teneat, nulla erit necessitas quæstionis, nullus exigetur labor syllogisticæ disputationis, sed sola in nobis regnabit tranquillitas pacis.

Ps. 113. 3.

LXX. Isa. 45. 21.

1. Tim. 2. 4.

d. v. 4.

E

Rom. 9. 18.

Ibid. 13. 21. 22. & 23.

CAP. III.

Cap. III.

TErtio capitulo huiusmodi definitiones posuit.

Defin. 4.

1. *Dei prædestinationem sicut essentiam nullum cogere, nullam necessitatem inferre.* 1.
2. *Duas prædestinationes non esse.* 2.
3. *Mortem peccatum, miseriam à Deo non esse.* 3.
4. *Prædestinationem, vt charitatem non esse geminam, vel duplam, vel multiplicem & pluralitate carere.* 4.

F

Ex his quatuor propositionibus iam superius, prout Dominus dedit, tractauimus.

Id est primam qua dicit *Dei prædestinationem sicut essentiam nullum cogere, nullam necessitatem inferre.* R. 1.

Et secundam qua ait, *duas prædestinationes non esse.* R. 2.

Refut. 4. Definit.

Et quartam qua definiuit, *Prædestinationem vt charitatem non esse geminam: vel duplam, vel multiplicem, & pluralitate carere.*] Excepto quòd charitatem superiùs inter exempla quæ de substantia Dei intelligi voluit non nominauit. Et manifeste sicut Beatus Ioannes Apostolus docet: *Deus charitas est*: Ita vt secundum regulam fidei veræ, rectissimè dicamus esse charitatem Dei, & esse charitatem in Deo, & esse charitatem Deum. Quæ tamen charitas quia in Deo substantia est, sicut veritas, iustitia, bonitas cùm de Deo intelligitur, non dicitur gemina, quia est in illo substantialiter vna: Et simplex: Et ideo ibi nec dupla, nec triplex dici potest, quia non duplicatur, nec triplicatur diuina substantia, id est, ipsa deitas, ipsa veritas: ipsa charitas, Deus Trinitas. Non enim minor est ibi in vno, quam in tribus; nec maior in duobus vel tribus, quam in vno. Sed quanta est deitas, veritas, charitas, in vna persona sanctæ Trinitatis, tanta est in duabus, tanta in tribus: Id est perfecta in singulis, perfecta in omnibus. Quia & Pater perfectus Deus, & Filius perfectus Deus, & Spiritus sanctus perfectus Deus: Et hi tres vnus perfectus Deus. In nobis vero hæc charitas, non est substantia, sed donum Dei, sicut Apostolus dicit: *Quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Et ideo potest in nobis esse & gemina, & duplex, propter duo præcepta ipsius charitatis, videlicet, Dei, & proximi, quæ vtique in nobis duplicem gignit affectum, vt *diligamus Deum ex toto corde, & proximum sicut nosmetipsos.* Et quia per ipsum donum charitatis multiplicia & innumera bona operatur Deus in sanctis suis, dicitur in Scripturis etiam multiplex. Ipsa est enim gratia Dei, de qua beatus Petrus Apostolus dicit. *Vnusquisque sicut accepit gratiam in alterutrum illam administrantes sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei.* Quod autem pluralitate careat, charitas, nec plurali numero nec in Deo, nec in nobis in Scripturis dicta inueniatur, quis nesciat? De eo autem quod dicit *prædestinationem non recipere pluralem numerum sicut nec charitatem*,] iam superius satis dictum nec assiduè repetendum est. Nam & illud quod in prima ex his propositione prædestinationem Dei substantiæ Dei comparat, immo substantiam Dei esse dicit, iam supra vt potuimus tractatum est.

1. Ioan. 4. 16.

G

Rom. 5. 5.

Matth. 37. & 39.

H

1 Petr. 4. 10.

R-fut. 1. Defin. De coactione.

Et quod affirmat ipsam Dei *prædestinationem nullum cogere, nullam necessitatem inferre*,] si ita hoc dicit quod prædestinatione sua omnipotens Deus neminem cogat ad malum, vt malus sit, & aliud esse non possit, rectè omnino

dicit: sit autem propterea hoc suspensè & inexplicatè posuit, vt diceret ipsam prædestinationem nullum cogere, nullam necessitatem inferre, nec addidit, ad quid cogere, vel cuius rei necessitatem inferre, vt malos in sua malitia vsque in finem perseuerantes, neget iusto iudicio prædestinationis diuinæ æterno iudicio puniendos, (sicut magis ex omnibus, quæ superius dixit, verum esse apparet) manifestè diuinam prædestinationem in parte accipit, & in parte negat: vt eadem Deus prædestinatione sua iustos præparauerit ad Regnum, reprobos verò non præordinauerit ad supplicium.

3 Restat tertia propositio quam hic posuit & definiuit, *mortem, peccatum, miseriam a Deo non esse.*] Et de peccato quidem, sicut fides vbique Catholica tenet, rectè dixit, quòd à Deo non sit, quia nec voluit, nec præcepit, nec impulit hominem ad peccandum: Immò & antequam peccaret prohibuit eum a peccato, & mortis supplicio terruit, ne peccaret: Et post peccatum quasi suæ voluntati rebellem, & contrarium iustè puniuit. Et ideo peccatum non est à Deo, *qui hominem rectum,* & sine peccato condidit: sicut Ecclesiasticus dicit: *Solummodo hoc inueni quòd fecerit Deus hominem rectum, & ipse se infinitis miscuerit quæstionibus,* sed ab illo est initium peccati qui & primus peccauit in cœlo: & postea hominem vt peccaret decepit, & decipiendo occidit in Paradiso: Sicut beatus Ioannes Apostolus testatur, *quoniam ab initio diabolus peccat*: Et ipse Dominus docet dicens: *Ille homicida erat ab initio, & in veritate non stetit, quia veritas non est in eo.* In eo enim quod *in veritate non stetit*, perdidit seipsum: In eo autem quod peccatum homini propinauit occidit hominem. Et sicut primus peccator, ita & primus factus est homicida: quia *anima quæ peccauerit ipsa morietur*: Vnde & ipse in Scripturis dicitur habere *mortis imperium*: Non quòd eius potestate, sed quòd eius maligna inuidia mors inuaserit & oppresserit omne genus humanum. Vnde dicit Scriptura. *Inuidia Diaboli mors* introiuit in orbem terrarum: Imitantur autem eum, qui sunt ex parte ipsius.* Hunc eius impium principatum Dominus sua morte destruxit, sicut de eo Apostolus dicit, *vt per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium, id est diabolum.* Ipse est enim *Agnus Dei qui abstulit peccatum mundi.* Et ideò benè dixit iste disputator peccatum non esse à Deo. Et tamen hoc ipsum superfluè posuit, cùm de prædestinatione diuina definiret: quia nemo fidelium dicit, Deum peccata prædestinasse.

Quod autem adiunxit *mortem & miseriam similiter non esse à Deo.*] Manifestè Scripturæ contradicit dicenti: *Bona & mala: vita & mors: paupertas & honestas à Deo sunt.* Sed quia iterùm Scriptura dicit: *Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione viuorum*; Vigilanter nobis quærendum est, quomodo vtrumque fideliter intelligendum sit: videlicet & quod *Deus mortem non fecit* Et quod *mors & vita à Deo sunt.* Ita ergo vtrumque rectè intelligi potest: Quod *Deus mortem non fecit,* qui hominem immortalem, si non peccasset creauit. Et iterum, *mors à Deo est*: Quia peccantem hominem iusta morte damnauit; sicque mors non est ab illo creatione: Et tamen ab illo veraciter est vltione; sicut autem mors ista corporalis, quæ & prima intelligitur à Deo est, quia ab ipso peccanti homini iustè est inlata: Ita & mors secunda in gehenna homini permanenti in peccatis ab illo iustè est inferenda. Ideò & hæc, & illa, id est, & prima, quæ animam diuidit à corpore, & secunda, per quam (vt dictum est) & anima & corpus perditur in gehenna, quia & vtique iusta, & iusto Dei iudicio homini, inlata vel inferenda à Deo est. Inde & alibi eadem Scriptura dicit de præsenti vtique morte corporali: *Noli metuere iudicium mortis, memento quæ ante te fuerunt, & quæ superuentura sunt tibi.* Hoc iudicium à Domino omni carni. Et iterùm: *Ignis, grando, fames, & mors, omnia hæc ad vindictam creata sunt.* Et quomodo fames & mors creata: non vtique aliqua forma, vel formatione, vt existerent condita, sed in occulto dispositionis Dei ad eius vindictam præparata: vt inde eorum in manifestum prolatio, velut quædam videatur esse creatio. Et E
iterum eadem Scriptura dicit: *Mors, sanguis, contentio, & romphæa, superuenient fames, contritio, & verbera; super iniquos creata sunt hæc omnia, & propter illos factus est cataclysmus.* Cùm ergò mors hominis ex iusta & diuina vltione veniens tam apertè dicatur, & tam veraciter intelligatur in Scripturis esse à Deo. Vnde & Beatus *Helias* pro filio viduæ apud quam hospitabatur defuncto supplicans dicebat Deo: *Domine etiamne viduam istam, apud quam ego vtcunque sustentor, afflixisti, vt interficeres filium eius.* Et Dominus in Euangelio apertè dicit: *Timete eum, qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam*: intelligatur aperta Scripturæ veritas, & conticescat vanitas.

Eccl. 40. v. 9. 10.

3. Reg. 17. 20.

Luc. 12. 5.

Sicut ergo mors, quæ est vtique pœna peccati: Ita etiam omnis miseria laborum, tribulationum, & calamitatum, quæ consecuta sunt hominem post peccatum, quia diuina dispositione, & iudicio & iolata sunt & inferuntur, rectè Scriptura dicit esse à Deo, sicut apertè ea testimonia quæ posuimus, ostendunt. Et ideo sicut verè F
peccatum, quod contrarium est iustitiæ Dei, non est à Deo, ita verè pœna peccati; id est mors, & omnis illa calamitas, & miseria, quæ consecuta est, quia iusto iudicio Dei competunt, & iusta eius vltione inferuntur, à Deo esse Scriptura attestante rectè intelliguntur. Vbi etiamsi diabolus, & cæteri Angeli maligni aliquid agunt, ministri sunt diuinæ vltionis, atque vindictæ, non iudices, vel authores, sicut manifestè libri *Beati Iob historia* ostendit, in qua plenissimè ostenditur, quòd non solùm, vt ipsum vulnere pessimo à planta pedis, vsque ad verticem sauciaret, vel filios eius concuteret, & corruentis domus oppressione occideret, & copiosam eius familiam vel gladio inruentium prædonum, vel de cœlo veniente igne consumeret, sed nec ipsa eius pecora, & animantia contingere ausus est, nisi priùs permittente sibi Domino, & dicente. *Ecce vniuersa, quæ habet in manu tua sunt: verumtamen in eum, ne extendas manum tuam.* Et iterum: *Ecce in manu tua est: verumtamen animam illius serua.* G
Vnde & ipse vir sanctus, & diuina sapientia repletus cùm illi hæc omnia accidissent, non ea deputauit diabolo, quia executor fuerat illius calamitatis, sed ad Deum & ad iustum iudicium eius omnia fideliter & humiliter cum gratiarum actione retulit dicens: *Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit ita factum est, sit nomen Domini benedictum.* Similiter & in Euangelio, cùm eiiceretur ab homine, quem obsederat *legio dæmoniorum*, non habuerunt potestatem introëundi, & perdendi gregem porcorum, nisi ab illo permissi, cui dolentes trementesque dicebant, *si eycis nos, mitte nos in gregem porcorum. Et ille dixit eis, ite.* Inde est, quòd etiam in Psalmo vbi narrantur plagæ & calamitates, quibus Ægyptus pro sua impietate Deo iustè vlciscente, & Moyse famulo suo mediante ac ministrante, percussa est, manifestè Scriptura, etiamsi ministerio Angelorum malorum aliqua horum eis inflicta sunt, omnia ad Deum referens dicit: *Conuertit in sanguinem flumina eorum, & imbres eorum, ne biberent. Misit in eos cœnomiam, & comedit eos, ranam & disperdidit eos. Et dedit ærugini fructus eorum, & labores eorum locustæ. Et occidit in grandine vineas eorum, & moros eorum in pruina. Et tradidit grandini iumenta eorum, & possessionem eorum igni. Misit in eos iram indignationis suæ; indignationem, & iram, & tribulationem, immissiones per Angelos malos.* Et in alio Psalmo cùm impetum ignium & grandinum, tempestatum, & procellarum replicaret, quibus tot naufragia, & euersiones, & vastitates fiunt in mundo, similiter omnia referens ad Deum dixit: *Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum, quæ faciunt verbum eius.*

Iob 1. 12.

Iob 2. 6.

Iob 1. 21.

Matt. 8. 31.

H

Pf. 77. v. 44. 45. 46. 47. 48. 49.

Pf. 148. 8.

CAP. IV.

Cap. 6.

QVarto Capitulo ponit definitiones quinque hoc ordine

Defin.

1 *Tres hæreses, vnam Pelagianorum liberi arbitrij sine gratia commendationi. Alteram gratiæ solius. Tertiam* 1.

A *Gotteſchalcanam prædeſtinationibus neceſſitates etiam inferentem.*

2. 2. *Subſtantiam hominis eſſe tria. Id eſt,eſſe, velle, ſcire. Et hanc peccando non amiſiſſe.*

3. 3. *Nullam naturam poſſe perire, nec liberam voluntatem eum perdidiſſe,id eſt naturam ſuam,*

4. 4. *Libertatem homini poſt peccatum remanſiſſe:vigorem & poteſtatem eius perdidiſſe.*

5. 5. *Ea ſemper naturam inchoare poſſe, & perficere non niſi per gratiam.*

Refut.1. defin. De iſtibus hæreſibus quas dicit, primam, id eſt, Pelagianorom,qui liberum arbitrium ſine Dei gratia homini ad ſalutem poſſe ſufficere dixerunt, benè nouit, & condemnat Eccleſia, ſequens vocem Domini ſuam gratiam in omnibus commendantis,atque dicentis: *Qui manet in me,& ego in eo,hic fert fructum multum,quia ſine me nihil poteſtis facere.* (*Ioan.15. 5.*) In eo enim quod ait: *Qui manet in me,& ego in eo, hic fert fructum multum*; declarat gratiæ beneficium, quam in illo manentes ex illo accipiunt, vt fructificare poſſint Deo, *ſicut palmes* accipit ex radice vitis. (B *ibid.4.*) Quod autem ſubiunxit; *quia ſine me nihil poteſtis facere:* Manifeſtiſſimè oſtendit, liberum hominis arbitrium abſque adiutorio eiuſdem gratiæ ſuæ ad boni operis fructum nihil poſſe. Secunda hereſis quam dicit eſſe gratiæ ſolius: (*De fictitia hæreſi gratiæ ſolius.*) Quæ ſit vel fuerit in Eccleſia, quæ ita prædicauerit ſola Dei gratia hominem ſaluari, vt liberum hominis negaret, vel deſtrueret arbitrium, nobis minimè compertum eſt. Nam antiquiſſimi,& impiiſſimi illi hæretici Marcion,& Valentinus,& Manichæus,qui vel duo vel tria principia introduxerunt,& ideo duas naturas vel Angelorum, vel hominum aſſeruerunt, id eſt vnam bonam, & alteram malam, illam ita eſſe bonam, vt aliud eſſe non poſſit; iſtam è contrario ita eſſe malam, vt ſimiliter aliud eſſe non poſſit, nihil omnino de gratia Dei dixerunt, ſed ſolam naturam naturaliter vel bonam eſſe vel malam ſtultiſſimè defendere conati ſunt: Cùm Eccleſia Catholica legis, & Euangelij fideliter doctrinis inſtructa, atque monita vnam tantummodo agnoſcat; & (C) prædicet omnium creaturarum cœleſtium & terreſtrium viſibilium & inuiſibilium eſſe principium, ſanctam videlicet Trinitatem, Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum, vnum Deum, ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia: Et nullam omnino naturam niſi ab eo, id eſt optimo conditore eſſe: Et ideo omnem naturam, in quantum natura eſt, bonam eſſe, nec malum naturæ naturam, ſed vitium naturæ eſſe: Sed quia mutabilis facta eſt iſta natura in creatura Angelica, & humana, & a bono in quo condita eſt, ſuo vitio potuit labi ad malum: Et à malo, in quo lapſa eſt, quantum pertinet ad humanum genus, quod Dei miſeratione ſaluatur, poſſe ſurgere & reformari ad bonum: Quantum vero pertinet ad partem Angelorum malorum, & perpetuo iudicio damnatorum, ſic lapſos eſſe ſuperbiendo à Deo, vt nullo iam mereantur remedio inſtaurari, non ſolum perdita in qua conditi fuerant bona voluntate, ſed terribili iudicio conditoris,etiam ipſius bonæ voluntatis poſſibilitate priuati.

D *Dæmones bona voluntatis poſſibilitate priuari.* Cum ergo & illi (de quibus ſupra dictum) hæretici naturam tantummodo vel defenderint, quaſi immutabiliter bonam, vel accuſauerint quaſi immutabiliter malam; & ideo de gratia, vel de libero arbitrio non appareat quomodo aliquid prædicare potuerint; & è contrario Eccleſia Dei ſic teneat, ſicut breuiſſime commemorauimus: Quæ eſt iſta ſecunda hæreſis tam incognita, tam noua, & inaudita, quæ libero arbitrio denegato ſolius gratiæ ſit prædicatrix? Niſi quia (vt nobis videtur) diſputator iſte, vel *Beatum Auguſtinum* latenter quaſi hæreticum accuſat, eo quòd manifeſtè iuxta veritatem (*Sectam S. Aug. latenter vt hæreticum accuſat.*) Scripturarum ſola Dei gratia oſtendat, & doceat hominem poſſe ſaluari, nec ad ipſam ſalutem æternam aliquid humanum arbitrium poſſe, niſi per eandem gratiam fuerit reformatum, ſanatum, illuminatum ac reprobatum; Aut certè eos, qui ſecundum eius venerabilem, & Catholicam doctrinam nunc de gratia Dei ſentiunt, & docent: quaſi minus illius dicta intelligentes, hæreticos vocat: videlicet quaſi ille non ita de libero arbitrio ſenſerit, nec iſti rectè eius verba intelligant, & ideo errent (E) ex occaſione verborum eius, dum ea aliter intelligunt, quam ille qui ſcripſit. Hac de cauſa nobis videtur, quod callidiſſimè omnino,& verſutiſſimè velut hæreſim ſolius gratiæ poſuerit,nec tamen auctorem, vel ſectatores eius vlla ſignificatione manifeſtauerit.

Quod ſi ita eſt,quid aliud,quam Eccleſiam noſtri temporis, ſimul cum eis,qui illum ad talia inſtigant viperea ſubtilitate accuſat. (*Item Eccleſiam Catholicam accuſat.*) Et ideo ſi ſunt tales, qui in partibus regni illius, vbi iſte impugnator veritatis non ſolum non arguitur, vel ſilentium ei imponitur, ſed etiam laudi & honori maximo habetur, qui ei in talibus faueant (*Nota contra Hincmarum, &c.*) maximè viri Eccleſiaſtici, Quis digne poſſit dolere, & horrere iſtud contagij, & peſtilentiæ malum, quod ab illis partibus tam effrænatè & infrunitè, tam impudentes & audacter contra cæteras partes Eccleſiæ Dei quietas inter ſe, & pacificas, & tranquillas exſurgit: vbi tale monſtrum & prodigium iam dudum à fidelium auribus (F) arcendũ ſedet,& diſputat,& congerit tot mendacia erroris,tot conuicia contra fidem veritatis: & nulla paſtorum Eccl. vigilãtia,vel corrigitur à talibus,vel expellitur. Denique vt manifeſtè agnoſcamus non eum de antiquiori aliqua hæreſi dixiſſe, quod ſolius gratiæ fuerit prædicatrix non poſuit hanc hæreſim ante Pelagianam, ſed poſtea, id eſt à temporibus ſancti Auguſtini vſque nunc: Nec (*Nota.*) poteſt inueniri toto hoc tempore, quod fuit inter illum & nos, aliquam talem hæreſim in Eccleſia extitiſſe, niſi quod vel ipſum, vt iam diximus *Beatum Auguſtinum*, vel nos qui eum ſectamur, iſtius erroris accuſat.

Tertiam hæreſim ponit prædeſtinationibus neceſſitates & vim inferentem; Cuius vt ſibi videtur auctorem (*De Gotteſchalco.*) non tacet, vocans eam *Gotteſchalcanam* à quodam videlicet miſerrimo & infœliciſſimo monacho iam dudum (illic neſcimus quo ordine) damnato, & annis iam plurimis carcerali ergaſtulo retruſo nomine Gotteſchalco; (G) qui ſi aliquid tam grande, & periculoſum contra fidem Catholicam docere præſumpſit, vt neceſſario ſynodali iudicio tali, ac tanta damnatione plecteretur, profecto dignum fuerat iuxta antiquum Eccleſiæ morem, vt tantus error, propter cautelæ ſtudium, ne eo plures inficerentur, cæteris Eccleſiis in diuerſis regni partibus conſtitutis, etſi non in initio, quando tantum malum eſt deprehenſum, vel in fine quando tanta eſt ſeueritate damnatum; ſaltem poſtea per litteras ſynodicas, & Eccleſiaſticas, ad omnium fratrum & coepiſcoporum notitiam perferretur. Quod ſi more (vt diximus) Eccleſiaſtico ſemper à Patribus obſeruato factum fuiſſet, melius,nunc ſciremus, & paratiores eſſemus ad redarguenda, & conuincenda, quæ iſte eum docuiſſe proponit, *dicens eum prædeſtinationibus neceſſitates, & vim inferentem.*]

Quod ergo de prædeſtinationibus velut pluraliter dictis eum accuſat, manifeſtum eſt, ſicut iam in multis ſuperius demonſtrauimus, quod non ei tantum diſpliceat huius nominis, id eſt, prædeſtinationis pluralis numerus, quantum ipſius prædeſtinationis vere pluralis, id (H) eſt duplex effectus: iam videlicet (vt frequenter diximus, & ex Scripturis ſanctis oſtendimus) in præparatione electorum ad vitam, quam in præordinatione reproborum ad pœnam; Quod vt iſte contra fidem Eccleſiæ denegaret, tantum & tam laborioſum laborem aſſumpſit,vt nouis argumentationibus nobis perſuadere conetur, prædeſtinationem eſſe ſubſtantiam Dei, imo ipſum Deum eſſe prædeſtinationem, & ideò pluraliter de ea non debere ſentiri: videlicet vt in parte tantum electorum ſentienda ſit prædeſtinatio; In parte autem reproborum minimè. Et ex hac occaſione,vt iuſtam reproborum prædeſtinationem ad ſupplicium æternum euacuet, in tantam prorupit audaciam, vt apertiſſime contra fidem, & veritatem Scripturarum aſſerere conaretur, quod ſicut peccatum non eſt à Deo, ita & eius ſupplicium, id eſt omnis miſeria & mors, quæ peccantem hominem conſecuta eſt, non ſit à Deo: Cum manifeſtè à Deo iuſtè

damnante & iudicante, & miseria laborum & sudorum peccanti homini inflicta sit, & ipsa laborum omnium extrema mors, dicente Domino ad eum de miseriis vitæ laboriosæ: *Maledicta terra in opere tuo: In laboribus comedes ex ea: spinas & tribulos germinabit tibi, & comedes herbas terræ: In sudore vultus tui vesceris pane.* Vbi statim de extrema mortis pœna subiunxit: *Donec reuertaris in terram de qua sumptus es: quia puluis es, & in puluerem reuerteris.* Sed & mulieri quæ ante virum suum peccauit. Ipsius peccati pœnam propriam, præter illam, quæ ei cum viro communis est confestim inrogando ait: *Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos in dolore paries filios*, &c. Negando itaque in parte reproborum iustam diuini iudicij prædestinationem ad hoc deuolutus est, vt etiam omnes humanas miserias & ipsam mortem à Deo non esse, id est ad Dei iudicium non pertinere assereret: vbi si quæratur ab eo, vnde sit mors & miseria, si à Deo non est, quid aliud restat nisi vt contra omnem veritatem respondeat aut à nullo esse, aut à diabolo esse; cum à nullo ea esse dicere insanissimum sit. Diabolus autem causas peccandi tantummodo suaserit, vltionem vero peccati non ipse, sed iustus iudex intulerit.

Quod autem dicit præfatum Gottescbalcum *prædestinationibus necessitates & vim inferentem*: si ita hoc dicit quasi illa prædestinatio reproborum ad interitum alicui eorum vim, & necessitatem imponat ad malum, id est, vt ineuitabiliter mali sint, & omnino aliud esse non possint, hoc omnino alienum est à fide Catholica: Quia omnipotens Deus (qui neminem vult esse malum) nimis absurdum & impium est, vt dicatur, quod aliquem cogat, & compellat esse malum, & (de quo scriptum est: *Iustus Dominus iustitias dilexit*:) aliquem compellat esse iniustum. Sed hoc agitur in omnibus reprobis, de peccatis eorum & supplicio extremo, quod actum est in primo homine peccante iudicio primo: vt sicut ille nulla Dei impulsione vel compulsione, aut prædestinatione compulsus est ad peccandum; sed sua tantum sponte peccauit; Iudicium tamen, & damnationem ipsius peccati nolens, inuitusque suscepit, quod fuit supplicium hominis primum: ita & omnis reproborum multitudo, quæ ex illa damnatione descendit, non Dei prædestinatione compellitur ad peccandum; cum Deus nulla peccata prædestinauerit: sed tamen ipsius diuinæ prædestinationis iusto & æterno iudicio compellitur ad luendum supplicium; recipiens à Deo vim & necessitatem iustæ damnationis, quæ nullam habuit vim aut necessitatē perpetrandæ iniquitatis. Neque enim illi qui à sinistris stabunt in iudicio, & puniendi sunt igne æterno, volentes suscipient tale supplicium; sed vtique nolentes & inuiti, & irremediabiliter dolentes, ac trementes diuinæ maiestatis nutu, & angelico ministerio illuc præcipitabuntur: Sicut Dominus apertè in Euangelio dicit: *Sic erit in consummatione sæculi, exibunt Angeli, & separabunt malos de medio iustorum, & mittent eos in caminum ignis: illic erit fletus, & stridor dentium.* Istis namque messoribus, id est ministris Angelis, quando venerit messio, id est sæculi consummatio, ab ipso iudice dicetur: *Colligite zizania, & alligate ea in fasciculos ad comburendum; triticum autem congregate in horreum meum.* Ecce qualem vim, & necessitatem diuinæ prædestinationis erga reprobos Ecclesia Dei iuxta Euangelicam veritatem credit, id est, vim & necessitatem iudicij; non vim, & necessitatem peccati. Qui autem vim, & necessitatem peccandi Deum intulisse homini, vel inferre dicit, manifestè horribiliter in Deum blasphemat, quem ad peccata compellendo, vtique auctorem peccati esse confirmat. Hoc igitur modo nos secundum veritatem Dei de reproborum prædestinatione sentimus: fideliter eum confitentes non peccati eorum, sed iusti supplicij auctorem: Et ideò quod iste delirat, quasi huius prædestinationis prædicatio, necessitatis ad peccandum sit inrogatiu, quam sit calumniosum, & vanum putamus, quod ex his, quæ dicta sunt omnibus clareat.

Posthæc iste subiungit: *Substantiam hominis esse tria id est, esse, velle, scire: Et hanc peccando non amisisse.*] E Refuta. Defin. Gen. 2.7.
Nos autem substantiam hominis non aliud esse dicimus, nisi quam scriptura diuina in principio conditionis humanæ demonstrat dicens: *Formauit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, & inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuentem.* Hæc est enim substantia hominis, qua subsistit & viuit, sicut docti, indoctique nouerunt, anima scilicet, & corpus sibi vitaliter connexum: sed corpus de limo terræ, anima ex inspiratione Dei: His constat, & ita factus est homo in animam viuentem. Cum ergo ita doceat diuina auctoritas, & ita teneat Catholica veritas, quid sibi vult ista superfluitas, substantiam hominis esse tria id est esse, velle, scire? cum manifestum sit substantiam hominis non tria esse, sed duo quædam, id est (vt iam diximus) animam & corpus. Sed iste prætermisso corpore, quod naturaliter ad substantiam hominis pertinet, substantiam hominis esse dicit, esse, velle, scire; F quæ vtique in sola anima consistunt: Quasi substantia hominis non sit, nisi anima sola: videtur tamen ex disputationibus sancti Augustini in libris de Trinitate occasionem dicendi ista sumpsisse: sed absit vt tantus doctor tam absurde vnquam dixerit, & imperitè, vt cum substantia hominis sit anima & corpus, ille definierit substantiam esse hominis, esse, velle, scire. Non ergo ait (sicut manifestè intelligere poterit, qui dicta eius in eisdem libris diligentissimè legerit, & perpenderit) substantiam esse hominis hæc tria, id est, esse, scire, velle: sed in substantia esse hominis non exterioris, sed interioris, id est in mente rationali, vbi *creatus est homo ad imaginem & similitudinem Dei.* Gen. 1. 26. Docens ea esse in ipsa mente rationali, & intellectuali naturaliter, & substantialiter à Deo insita. Vnde & rectissimè in eisdem disputationibus dicit hæc tria vnius cum ipsa, & in ipsa mente esse substantiæ. Quia videlicet ipsa mens sicut substantialiter habet esse, ita substantialiter habet velle: Id est substantialiter & naturaliter habet scire, posse & velle G posse.

Magnum est vtique bonum istud naturæ ab optimo conditore benè, & mirabiliter conditæ. Sed si hoc solum habeat mens hominis vt possit esse, possit scire, possit velle, & non habeat ex dono eiusdem conditoris sui vt possit benè, & beatè esse, possit piè & rectè de auctore suo scire possit amando illum, cum illo esse velle, quid ei proderit habere esse, scire, velle, cum totum hoc malo suo habeat, si illud donum creatoris sui non habeat, habebit enim esse infœliciter, scire fallaciter, velle perniciosè & nequiter: sicut etiam Angelica natura in diabolo, & Angelis eius damnata vtique habet hæc tria in substantia sua spirituali, id est, esse, scire, velle: sed tamen esse in pœnale est: scire autem & velle totum Nota. ad errorem, totum ad malum conuersum est. Quid est ergo quod iste gloriatur naturam humanam peccando ista non amisisse, id est, vt possit esse, scire, velle, cum omnium horum bonum, & fœlicitatem omnino amiserit, esse incipiens misera ex beata, scire amittens diuina, & velle perdens cœlestia: nisi quantum ea postea H adiuuit & erexit gratia conditoris, vt amissa bona recognosceret, recognita doleret, dolendo & pœnitendo diuinum auxilium imploraret: atque ita quod amiserat suo vitio, diuina bonitate reciperet. Propterea igitur ineffabilis misericordia conditoris non abstulit ei etiam post peccatum hæc naturalia bona sua; id est esse, scire, velle; vt haberet cui misereri potuisset: si enim post peccatum noluisset eum esse, simul vtique cum ipso & in ipso periret, & scire, & velle: voluit itaque eum esse, vt haberet cui misereretur; voluit eum scire, vt haberet, quem sua cognitione inluminaret; voluit eum velle, vt haberet quem suo amore beatificaret. Ita & Diabolus qui creaturam Dei disperdere voluit, remansit victus: & creatoris bonitas, & misericordia permansit inuicta. Sed iste cur hoc proposuerit, ex sequentibus eius propositionibus manifestius apparebit?

Subiunxit enim statim post istas duas propositiones Refutat. Defin.

A sibi cohærentes & ait: *Nullam naturam posse perire, nec liberam voluntatem eum perdidisse, id est, naturam suam.*] In quibus verbis, quod definiuit nullam naturam posse perire: Quod vtique generaliter de omnium rerum natura dixit, vnde didicit, aut vnde verum esse ostendit? cum manifestè omnis rerum natura sicut voluntate creatoris potuit ex nihilo subsistere, vt esset, quæ ante non erat: Ita etiam si ipse velit, possit perire, & redire in nihilum, vt non sit. Hoc namque & Scriptura ostendit

Iob. 11. 8. 9 & 10. dicens de magnitudine & potentia creatoris: *Excelsior cælo est, & quid facies? profundior inferno & vnde cognosces? Longior terra mensura eius & latior mari: Si subuerterit omnia, vel in vnum coarctauerit, quis resistet ei? aut quis dicere ei potest, quare ita facis?* Certè ipse omnipotens conditor cum propter nimiam malitiam, & impietatem hominum pararet delere mundum diluuio, at-

Gen. 6. 7. 13. B testante Scriptura sic ait: *Delebo* (inquit) *hominem quem creaui à facie terræ, ab homine vsque ad animantia, à reptili vsque ad volucres cæli.* Et iterùm: *Repleta est terra iniquitate à facie eorum, & ego disperdam eos cum terra.* Sicut ergo illo magno & horrendo diluuio magna ex parte natura mundi deleta est, & in deterius commutata sicut dictum fuerat. *Et ego disperdam eos cum terra:* & omnis penè natura animalium, quæ in mundo erant, id est, tam hominum, quam pecorum aquis deleta est: etiam animæ impiorum, qui tam horrendo supplicio interire meruerunt, reseruatæ sunt. & transierunt ad manus, id est, infernale supplicium: saluatis his solis qui tam exiguo numero in archa Dei misericordia liberati sunt: nonne (si ita vellet) delere omnem naturam mundi, & mundalium siue cœlestium rerum facillimè hoc posset admiranda potentia creatoris, sicut manifestè in libris Machab. Quidam sancti viri contra aduersarios suos

2. Mach. 8. 18. dimicaturi dixisse leguntur: *Nos autem in omnipotenti Deo qui potest, & istos contrarios venientes, & vniuersum mundum vno nutu delere confidimus.* Requirendum autem ab isto est in illa vltima mundi conflagratione, de qua

C 2. Pet. 3. 10. beatus Petrus Apostolus dicit: *In qua cæli magno impetu transient: elementa vero calore soluentur:* quid sentiat tunc futurum de quatuor mundi elementorum natura? Si enim sic permanebunt, vt nunc sunt, quomodo est vera Apostolica ista sententia? sin autem maxima ex parte immutabuntur, vel peribunt, quomodo est vera ista definitio, quod nulla possit perire natura? Certè quatuor vicissitudinum tempora quibus annus ducitur, ac reducitur, id est, veris, & æstatis, autumni, & hyemis, habent propriæ & distinctæ qualitatem naturæ suæ: sed cum fuerit cœlum nouum, & terra noua, & cessauerit cursus iste Solis & Lunæ ac syderum, quo nunc ad refectionem, & quietem mortalium dies noctesque sibi continuatim succedunt, & idcirco etiam illæ quatuor vicissitudines temporum, quæ Solis cursu peraguntur, sicut nunc sunt, esse non poterunt, quomodo non peribit eorum natura.

Sed & hoc interrogandus est, quid credat tunc futu-

D rum innouato cælo, & terra per ignem, & in aliam qualitatem, quæ immortalibus sanctorum corporibus congruat, mirabiliter translatis: Quid (inquam) tunc futurum credat de vniuersa natura volucrum, quadrupedum, reptilium, natatilium? si enim illa tam immensa conflagratione penitus consummanda credenda sunt, quia nihil iam mortale ille mundus innouatus recipiet, quomodo verum erit *nullam posse perire naturam?* Maxime cum & de ipso tantæ immensitatis mari in illa tam mirabili rerum commutatione scriptum sit: *Et mare iam non est:* Si ergo dixisset iste humanam naturam non posse perire, vtcunque audiendus esset: non quia Deus non possit eam dissoluere, si velit: sed quia promissio Domini nostri irrita esse non potest, quia ipse promisit di-

Matth. 10. 30. Luc. 21. 18. cens: *Vestri autem & capilli capitis omnes numerati sunt.* Et alio loco; *Et capillus de capite vestro non peribit.* Cum autem generaliter dicat, nullam naturam posse perire]

De libera primi hominis voluntate. Attendat quid etiam in natura rationali, id est diaboli, & Angelorum eius actum sit diuino, & terribili iudicio, qui non solum velle bonum, sed etiam posse velle ipsum bonum perdiderunt. Postquam autem dixit nullam naturam perire posse, statim qui hæc omnia dixerit ostendens

E subiungit, *Nec liberam voluntatem hominem perdidisse, id est naturam suam.*] Videlicet quasi illa falsa & fallaci argumentatione sua qua ait: nullam naturam posse perire hoc nobis probauerit, quod homo peccando liberam voluntatem non amiserit; eo quod secundum istum libera voluntas eius, ipsa sit natura eius. Nos autem iuxta fidei Catholicæ veritatem dicimus, quod natura illius primi hominis à bono Creatore ex toto bona, & bona voluntate prædita condita sit, Hoc est enim *quia creauit* Eccl. 7. 30.

Deus hominem rectum, sicut Scriptura dicit, ita tamen, vt non tantum naturali bono esset in eo voluntas bona, & libera: sed vt verè in eo quod conditus fuerat stare posset, diuinæ gratiæ indigeret, & adiuuaretur. Vnde illa vox ex persona eius intelligitur in Psalmo dicentis:

Ego autem dixi in abundantia mea non mouebor in æternum. Vbi statim de casu suo subiungit, & dolens dicit ad Ps. 29. 7. 8.

F Deum: *Auertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus.* Quod enim *in abundantia* erat, & bonæ voluntatis, & beatæ libertatis ante peccatum, ex Deo illi erat; Cui & dicit: *Domine in voluntate tua præstitisti decori meo virtutem.* Quod autem auertente Deo faciem suam ab il- d. v. 8.

lo, nec eum vultu suo illuminando *factus est conturbatus* meritum ac pœna peccati fuit. Iste autem qui absque illo diuinæ gratiæ adiumento, in tantum in eo solum naturæ bonum prædicat, vt liberam voluntatem, nec peccando illum amisisse contendat, ita vt etiam ipsam liberam voluntatem naturam eius esse dicat, manifeste Pelagiano errore inuoluitur; asserens hominem sola natura, & ante peccatum liberam volũtatem habuisse, & post peccatum eandem liberam voluntatem eum non amisisse, & ipsam *Libera voluntas perdita per peccatum, scilicet ad bonũ.*

liberam voluntatem naturam eius esse: Cum profecto non fuerit libera, nisi quandiu Deo piè subdita permansit bona. Vbi autem Deum contemnendo, & mandatum eius superbè transgrediendo peccauit, statim facta sit sub iugo peccati. Quia sicut ipse Dominus dicit: *Vera voluntatis libertas.*

G Ioan. 8. 34. 36. *Omnis qui facit peccatum seruus est peccati.* Et ita quæ ante erat libera ad bonum, post illam miserabilem ruinam, per seipsam non potuit esse libera, nisi ad malum. De quo profundissimo damnationis malo nullatenus valet assurgere ad libertatem bonæ voluntatis, nisi illo liberante qui ait: *Si vos filius liberauerit tunc vere liberi eritis.*

Iste autem, qui propterea eum putat non amisisse peccando liberam voluntatem, quia cum ipsa bona & libera voluntate est conditus: Et ideo naturaliter ei inerat ipse bonæ voluntatis affectus, scire debet, quod ideo condidit omnipotens Deus omnem rationalem creaturam & hominum, scilicet & Angelorum, bona & recta voluntate præditam, vt quamdiu seruaret suum ordinem pie Deo subdita, & gratia eius adiuta, permaneret in ea dignitas sua, id est, & naturæ bonum, & ipsius gratiæ donum. Si autem contra creatorem superbiendo, & de se potius præsumendo, desereret ordinem subiectionis, & obedientiæ suæ, continuò ipsius conditoris iusto

H Ps. 48. 13 & 21. iudicio, & dono gratiæ priuaretur, & natura in deterius conuerteretur: Vnde in Psalmo scriptum est: *Homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus & similis factus est illis.* Erat namque ante peccatum *in honore* natura bonæ a Deo conditæ: Erat *in honore* gratiæ sibi à Deo collatæ: Sed hunc honorem diuinæ bonitatis & gratiæ, vnde haberet *non intellexit*, cum deserto Creatore de se præsumpsit, & suggestione serpentis Deo similis tanquam sub nullo Domino esse cõcupiuit. Vnde & ipse merito à Creatore desertus, totus in deterius commutatus est, & anima videlicet & corpore: *Homo post peccatum in deterius commutatus anima & corpore.*

Anima, quia amissa libertate iustitiæ amissa libertate bonæ voluntatis & peccato dominãte depressa, ea quæ sursum sunt, quærere cessauit, & infima velut bruto, & pecudeo sensu appetiuit: Corpore vero, quia mortis cõditione dãnatus, vt in terram & puluerem, vnde sumptus est, more iumentorum dissolueretur, iusti iudicij sententiam excepit. Ecce ad quantum malum deuoluta est humana natura peccati merito tota in deterius commutata, libertate

ad

A (Luc. 19. 10.) ad bonum amissa, & ad solum malum appetendum libera, nisi eius gratia sanetur & redintegretur, *qui venit quærere, & saluare quod perierat.*

Angelica autem natura quantum in diabolo, & Angelis eius deprauata, & horribiliter in deterius commutata sit, amisso libero arbitrio ad bonum, vt non solum ad illud vllatenus assurgere, sed nec velle iam possint, & ad solum malum nunquam mutanda malitia conuersi, quis dignè possit expauescere, quanto minus verbis explicare? Nam & corporis natura ipsa est, & sana, & ægrota: Sed quæ valet ac viget bono sanitatis, eius amissione in deterius versa grauatur & affligitur morbo ægritudinis. Sed iste, qui liberam voluntatem, & liberum arbitrium ad bonum, non credit esse bonum humanæ mẽtis, sed ipsam mentem: Neque esse in mente, sed ipsam mentem, videtur occasionem sumere, sicut iam & supra diximus, ex quibusdam verbis *Sancti Augustini* in libris de Trinitate, cum ille veraciter omnino dicat, & men- (Aug. de Trin. lib. 10. c. 11. & 12.) B tem, & scientiam mentis, qua seipsam nouit, & voluntatem mentis qua seipsam vult & diligit, vnam esse naturaliter substantiam, quæ & est existendo, & seipsam agnoscit sciendo, & seipsam vult diligendo. Verè enim hoc totum, id est, & mens, & scientia, & amor sui substantialiter vnum sunt. Quæ tamen duo, id est, scientiam, & voluntatem mentis, qua se ipsam nouit & diligit, non dicit ille esse mentem hominis, sed in mente hominis: Et ideò huius disputationis manifestus est error.

De multiplici volũtate.

Quod cum de libero arbitrio disputatur, quo libera hominis voluntate, vel bonum, vel malum appetitur, non de illa voluntate agitur, qua mens diligit seipsam, sed de illa voluntate, qua vel summum bonum diligit, cum recta est, id est Deum, vel infimum bonum, cum praua est, id est, mundum. Hæc enim voluntas cum vna sit natura cum ea voluntate, qua mens diligit seipsam multum tamen distat affectione: quantum distat inter dilectionem sui, & dilectionem Dei, inter dilectionem C sui, & dilectionem mundi. Illa enim voluntate seipsam, amat: Ista voluntate vel Deum diligit super se, vel mundum infra se: Quæ tamen voluntas vt diximus natura vna est, sed affectione efficitur diuersa. Et singularis est in dilectione sui, & multiplex in dilectione rerum bonarum, vel malarum, quibus trahitur, siue distrahitur.

De volũtate qua mens diligit seipsam.

Et ideo cum illa voluntas naturæ, de qua *Beatus Augustinus* disputat, id est, qua mens diligit seipsam, nihil pertineat ad liberum arbitrium & liberam voluntatem quo vel bona appetuntur, vel mala: Sed tantummodo mentis sit, & ad ipsam referatur: minus calidè, vel nimis stultè iste adiungit ei libertatem, & vocat eam liberum arbitrium, vel liberam voluntatem. Quod Beatus Augustinus nullatenus dicit, & absit vt diceret. Quis enim nesciat hanc mentis voluntatem, qua seipsam vult & diligit, omnibus hominibus naturaliter esse communem, & semper liberi arbitrij ad seipsam amandum. Quæ enim mens in hominibus est, nisi amentium, & dementium, cuius voluntas non naturaliter velit, & mentem D cui inest, & seipsam, esse, viuere, incolumem permanere. Ad hoc omnium mentium voluntas est libera: Quid enim liberius tali voluntate, quæ mentem, cui inest, diligit esse, diligit viuere, diligit non perire: vel quid magis superfluum, & superuacuum, vt talis voluntas appelletur libera, quæ nunquam potest esse aliud, ad diligendam se, vel ad mentem cuius est: Aut vt eadem talis voluntas appelletur liberum arbitrium, cum arbitrium esse non possit, nisi in diuersis rebus, quæ discernendæ, vel diiudicandæ, vel eligendæ, siue reprobandæ sunt: Voluntas vero mentis nihil inter seipsam diuersitatis inueniat, sed & seipsam semper æqualiter diligat, & naturali pace, atque vnitate semper sibi cohæreat.

Liberum arbitriũ in diuersis rebus.

Desinat itaque dicere, cum de libero arbitrio hominis agitur, quo vel bona ad salutem, vel mala ad perniciem suam diligit, talem voluntatem mẽtis esse naturam: Quia licet & ipsa sit mentis voluntas, quæ & seipsam, & hæc diligit; tamen alia affectione diligit seipsam, quæ ita naturalis est, vt nunquam mutetur: Alia affectione E diligit ista, quæ omnino variatur, & mutatur, dum vel ad bona, vel ad mala diligenda conuertitur. Nam si talis voluntas mentis, qua non seipsam mens, sed alia vel bona vel mala diligit, quibus aut beatificetur, aut misera afficiatur, natura esset hominis, sicut iste dicit, aut bona esset tantummodo, aut mala, & ex alio in aliud mutari non posset. Hæc igitur voluntas, id est, talis affectio humanæ voluntatis iuxta veritatem scripturarum Dei, à bono Creatore bona & recta est insita homini, cum crearetur, hæc (in illo cooperante Dei gratia) bona & recta permansit, quamdiu Creatori piè obediuit: Sed quia & ipsa humana natura ab incommutabili Creatore mutabilis condita est, & talis affectio mentis humanæ similiter mutabilis est, stetit in bono (adiuuante Dei gratia) & cecidit ad malum occulto Dei iudicio, eadem gratia deserta. Et (sicut sæpissimè dictum est) quæ erat libera ad bonum, amissa illa fœlici libertate, cœpit esse sub peccati misera seruitute.

F (Refut. 4. Defin.) 4 Adiungit ille quasi definiendo *Libertatem homini post peccatum remansisse, vigorem & potestatem eius perdidisse.*] In quibus verbis non est diutius morandum: quia sicut supra iam sæpius diximus, qui ante peccatum erat liberæ voluntatis, & naturæ bonæ, & dono gratiæ ad summum & æternum bonum, ad quod conditus fuerat amandum, & desiderandum, quærendum, inueniendum & contemplandum, † peccando cecidit à tanto bono, & *factus est seruus peccati*, sicut Dominus ipse testatur dicens *Omnis qui facit peccatum seruus est peccati*: Et Beatus Petrus Apostolus dicit: *A quo enim quis superatur, eius & seruus est.* Ita amisso dono gratiæ, viciato & corrupto & deprauato bono naturæ, sic miserabiliter à tanta fœlicitate lapsus est; vt ad illud bonum amandum, & perfruendum, cui inhærere debuerat, nullum possit habere recursum, nisi per misericordissimi reconciliatoris, & mediatoris auxilium & sanguinis eius pretium, à quo redimimur de tanta captiuitate, vt recipere possimus pristinam libertatem, & de inimicis efficiamur amici.

(† al. peccato. Ioan. 8. 34. 2. Pet. 2. 19. *De gratia Christi necessitate.*)

G (1. Tim. 2. 5. Ro. 5. 10.) De quo mediatore Scriptum est: *Vnus enim Deus & Mediator Dei & hominum homo* CHRISTVS IESVS, *qui dedit seipsum Redemptionem pro omnibus.* Et iterùm: *Cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem filij eius.* Quicumque ergo dicit, post illam transgressionis infœlicissimam ruinam, qua, amissa pristina libertate factus est seruus peccati, factus est seruus eius, à quo & superatus est, factus inimicus Dei, & indiget vno mediatore & reconciliatore, per quem accipiat Redemptionem à seruitute, & reconciliationem ad Deum: Post hanc (inquam) tam magnam & miserabilem ruinam, quicunque dicit eum habuisse vel habere libertatem ad verum bonum appetendum, amandum, & promerendum, nisi per gratiam veri Mediatoris redimatur, iustificetur, reconcilietur, & reformetur, omnino contra fidem Ecclesiæ sentit, contra veritatem Euangelicam, & Apostolicam docet, & omnino (quantum in se est) euacuator est Crucis Christi, euacuator

H est Mortis Christi. Quia si aliter homo post illud peccatum veram mentis libertatem habere, aut recuperare potuit, nisi per Redemptionem Crucis & Mortis Christi, sicut Apostolus ait ad quosdam, qui se aliter putabant posse iustificari; *Ergo Christus gratis mortuus est, & hæc est sapientia verbi, in qua euacuatur Crux Christi.* (Gal. 2. 21. 1. Cor. 1. 17.) Verè enim si post aliud peccatum veram libertatem homo habere potuit, non indiguit Redemptione, non indiguit Redemptore, & superfluus est aduentus Christi, superflua est mors Christi.

Quod autẽ dicit iste *peccantem hominem non amisisse libertatem, sed ipsius libertatis vigorem & potestatem,*] Non rectè dicit, quia non rectè sentit: Non enim bonum libertatis ex parte tenuit & ex parte amisit: Sed sicut vigorem, & potestatem libertatis; Ita ipsam perdidit libertatem, vt iam per se ad verum bonum, vnde cecidit, liber esse non possit: Remansit autem liber ad malum: Quia sicut libera voluntate deseruit bonum; ita libera voluntate adhæsit malo. Habet itaque homo post illam

damna

A

Aliud posse bonũ velle: aliud actu ipsũ velle.

damnationem liberum arbitrium, quo propria voluntate inclinari potest, & inclinatur ad malum, habet liberum arbitrium, quo possit assurgere ad bonum: Vt autem assurgat ad bonum non esse propriæ virtutis, sed gratiæ Dei miserentis. Habet liberum arbitrium, vt possit benè velle, vt possit benè viuere, vt possit Deo adhærere: Sed vt benè velit, vt benè viuat, vt Deo adhæreat, non est suæ virtutis, sed gratiæ Dei miserentis. Nam & qui grauiter ægrotat, potest dici posse recipere sanitatem, Sed vt recipiat sanitatem, habet necessarium medicamentum. Et qui mortuus est, potest dici posse resurgere, posse viuere, non tamen sua virtute, sed Dei: Ita & liberum arbitrium hominis semel sauciatum, semel mortuum potest sanari, non tamen sua virtute, sed gratia miserantis Dei. Et ideo rectè omnes admonentur, rectè omnibus verbum Dei prædicatur, quia habent posse credere, habent posse conuerti ad Deum, vt verbo extrinsecus admonente, & intus Deo suscitante, qui audiunt reuiuiscant: Vt rectè de huiusmodi homine dicatur; *Quia mortuus fuerat & reuixit; perierat & inuentus est:* De hac possibilitate humanæ naturæ, quæ tamen nihil valet absque diuinæ gratiæ largitate, ita *Beatus Augustinus* docet dicens: [Posse habere fidem, sicut posse habere charitatem naturæ est hominum: habere autem fidem, sicut habere charitatem, gratia est fidelium.] Sed cum voluntas credendi aliis præparatur, aliis non præparatur à Domino, discernendum est quid veniat de misericordia eius, quid de iudicio. *Vniuersa enim via Domini misericordia & veritas. Inuestigabiles autem sunt viæ ipsius.* Inuestigabiles igitur sunt, & misericordia qua gratis liberat: & veritas qua iustè iudicat.

De possibilitate humanæ naturæ.

B

Luc. 15. 32.

Aug. de Prædest. Sanct. cap. 5.

Ps. 24. 10

Rom. 11. 33.

Refut. 5. Defin.

Inchoatio boni, vt & perfectio à Deo.

C

5. Iste postquam inaniter & fallaciter dixit, post peccatum homini libertatem remansisse, subiecit aliam conclusionem, & ait: *Semper naturam inchoare posse & perficere non, nisi per gratiam.*] Quod si ita dicit, quasi natura hominis per liberum arbitrium suum semper possit bonum inchoare, sed non nisi per gratiam Dei perficere, vt inchoatio totius boni semper homini deputetur; Deo autem tantummodo eius perfectio: vt primam partem boni agendi sibi vendicet homo, secundam Deus: talis sensus omnino Pelagianus est, & contrarius Euangelicæ, & Apostolicæ veritati: Quia & ipse Dominus vt initium boni nostri ostendat non esse ex nobis, sed ex illo ait: *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos:* Et Apostolus dicit fidelibus, *Quia qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet vsque in diem* CHRISTI IESV. Et iterum: *Vobis donatum est pro Christo, non solum vt in eum credatis, verum etiam, vt pro illo patiamini*; Et beatus Ioannes Apostolus dicit: *Non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos: & misit filium suum propitiationem pro peccatis nostris.* Et iterum, beatus Paulus Apostolus ait: *Per patientiam curramus ad propositum nobis certamen; Aspicientes in auctorem, & consummatorem fidei nostræ* IESVM. Si ergò verè Catholici esse cupimus, totum fideliter diuinæ gratiæ deputare debemus: Et initium videlicet boni operis nostri & finem. Quia sicut præmissis Scripturæ sanctæ testimoniis clarissimè demonstratur, Dominus eligit sanctos suos, non illi eum, Deus in suis fidelibus, & incipit opus bonum & perficit: Ab ipso donatur fidelibus, qui pro eo patiuntur, & initium fidei, & finis Martyrij. Ipse prior dilexit sanctos suos, vt & illi eum possent diligere. Et fides nostra Dominum IESVM habet auctorem, eam in nobis inchoando; Et ipsum habet consummatorem perficiendo. Hæc ergo fideliter teneamus, vt in vera fide fundati, ab errore hæretico tuti simus: Aut si istius verba alium sensum rectum & recipiendum habent, ostendat ipse qui scripsit.

Ioan. 15. 16.

Phil. 1. 6.

Ib. v. 29.

1. Ioan. 4. 10.

Heb. 12. 1. & 2.

D

E

CAP. V.

Cap. V.

QVinto capitulo huiusmodi propositiones posuit.

1. *Per præscientiam, & prædestinationem Dei neminem compelli.* 1.

2. *Præscire ea etiam quæ non esset facturus, prædestinare tantum quæ esset facturus.* 2.

3. *Sicut in ea præscientia & prædestinatione Dei causam non esse peccati, ita nec pœnæ eius, nec mortis,* 3.

4. *Deum sicut neminem compellat peccare, ita nec bene viuere.* 4.

5. *Si qua causa præcedat voluntatem, id est, naturam ad bona vel mala cogitanda, vel facienda, non esse naturam.* 5.

Ex his quinque propositionibus, iam tres superius prout potuimus satis tractatæ sunt, & ex superfluo repetendæ non sunt: id est prima & secunda & quarta. Restant ergo duæ, quas nunc primum posuit.

F

Refut. 3. Defin.

3. In tertia itaque sic dicit: *Sicut in præscientia & prædestinatione Dei causam non esse peccati, ita nec pœnæ eius, nec mortis*] quibus verbis nos respondemus. Quia si præscientia & prædestinatio Dei non est alicui causa peccati, sicut omnino verum est; Ergo eadem diuina præscientia & prædestinatio non est iniusta, nec in aliquo vituperanda: Qua impios in sua impietate perseuerantes præsciuit & prædestinauit æternis suppliciis condemnandos: Quia sua præscientia, & prædestinatione omnipotens Deus non eis existit causa peccati, sed iustus vltor peccati: Nec eos impellit ad peccandum, sed iustè tradit ad luendum supplicium: præscit ergo sicut verè & verus Deus hominum futura peccata; Vnde & scriptura dicit: *Deus æterne, qui occultorum es cognitor, qui nosti omnia antequam fiant:* Non vt ad peccandum sua præscientia aliquem compellat, sed vt ipsos peccantes sua æterna prouidentia iustè ordinet, vel condemnet. Prædestinatione etiam sua, qua impios punire decreuit, sicut iam dictum est, non vt essent impij effecit, sed vt in ipsa impietate sua perseuerantes, non essent impuniti, iuste constituit. Quod vero iste adiungit atque definit, quia sicut Deus sua præscientia & prædestinatione non est alicui causa peccati: Ita nec causa sit pœnæ, & mortis, quæ peccato debetur, fideliter discernendum est: Quia videlicet homo peccando ipse sibi extitit, & existit causa pœnæ suæ, & causa mortis suæ: Et tamẽ quia omnipotens Deus iudex est iustus, licet non sit in eius præscientia & prædestinatione, sed in hominum meritis causa pœnarum & mortis: tamen est in eadem præscientia & prædestinatione æterna iustitia, qua in sua impietate permanentibus & pœna inferatur & mors. Et ideo tali argumentatione, sicut iste vult non destruitur prædestinatio Dei, qua impiis irrogat æterna supplicia: Quia etsi non est in eius prædestinatione vlla causa pœnarum; Est tamen ibi iustitia, & iudicium iustè inferendarum pœnarum.

Dan. 13. 42.

G

Refut. 5. Defin.

H

De gratia præueniente.

Quinta propositio talis est. *Si qua causa præcedat voluntatem, id est naturam ad bona, vel mala cogitanda, vel facienda, non esse naturam:*] vbi manifestè contra veritatem loquitur. Si enim nulla causa præcedit voluntatem hominis ad bona cogitanda, vel facienda, vnde est in homine bona voluntas, id est, pia affectio, vt possit aliquid boni cogitare vel facere? Neque enim à semetipso habet homo voluntatem bonam, de qua dicitur: *Pax in terra hominibus bonæ voluntatis.* Neque à semetipso habet efficientiam boni operis de qua dicitur: *Gloria autem & honor, & pax omni operanti bonum:* Sed ab illo hæc habet: De quo Apostolus fidelibus dicit: *Deus est enim qui operatur in vobis & velle & perficere pro bona voluntate:* Ipse præuenit voluntatem hominis misericordia sua, sicut Psalmista dicit: *Deus meus misericordia eius præueniet me:* Ipse inspirat homini gratiam rectè cogitandi, sicut Apostolus dicit: *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid à nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* Ipse ergo nobis est causa

Luc. 2. 14.

Ro. 2. 10.

Phil. 2. 13.

Ps. 58. 11.

2. Cor. 3. 5.

A bonæ voluntatis: Ipse nobis est causa benè desiderandi & perficiendi: ipse nobis causa misericordiæ & gratiæ. Quia non solum bene velle, non solum bene agere, & perficere, sed etiam bene cogitare possimus. Et non solum in præsenti hæc agit in electis suis: sed etiam ante mundi constitutionem prędestinauit illos gratia sua, vt essent sancti; & immaculati coram ipso: sicut Apostolus testatur dicens: *Sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, vt essemus sancti, & immaculati in conspectu eius in charitate.* Cum ergo tanta & talis causa, quæ est vtique causa omnium bonorum, siue in condendis, siue in munerandis creaturis suis, sit nobis optima & æterna causa bonæ voluntatis præcedens nos gratia sua, vt benè velle, & bene agere possimus, quomodo iste dicit, nullam causam præcedere bonam voluntatem & bona opera nostra? Aut si præcedat hæc aliqua causa per quam fiant, ipsam causam non esse naturam: Cum omnipotens Deus, qui bonæ voluntatis nobis est causa, B ipse sit præ omnibus summa, & optima natura. Qui ergo non credit hanc summam, & efficacissimam causam, eandémque summam & optimam naturam præcedere voluntatem nostram, vt rectè velle & rectè operari possimus, manifeste resistit veritati, & Pelagiani erroris esse conuincitur. Si enim hæc fœlix causa non præcederet hominum voluntates, nulla esset prædestinatio bonorum, nulla redemptio miserorum, nulla remuneratio operum piorum.

Eph. 1. 4.

Ad mala sola præcedit causa defectionis.

Ad mala autem cogitanda, vel facienda, absit vt hæc summa, & optima causa voluntatem nostram præcedat: præcedit tamen eam causa non efficiens, sed deficiens, id est summi boni desertio, & inferioris appetitio, cùm ab amore Dei anima deficit, & ea quæ sunt inferius concupiscit. Ad hæc ergo delapsa humanæ naturæ voluntas efficitur mala, nullam aliam habens causam, quia mala sit, nisi (vt dictum est) defectum à summo bono. Talis namque defectus voluntatis, & Angelos fecit malos deserentes Deum, & hominem similiter malum ino- C bedientem Deo. Talis autem defectus manifeste non est aliqua natura; Est tamen ipsius vel humanæ vel Angelicæ naturæ deserens creatorem, & defluens ad seipsam, vel etiam ad infimam creaturam. Et hæc est origo totius malæ voluntatis, totius prauæ cupiditatis & operis. Sed quamuis non sit Deus causa malis voluntatibus nostris, nec vlla natura subsistens, sed creaturæ rationalis affectus ab amore conditoris deficiens, non tamen non idcirco non est iudex, & vindex ipsarum cogitationum nostrarum, & iustæ vindictæ, ac iudicij sui prædestinator æternus: Quod iste tantis ambagibus & argumentationibus euacuare contendit. Quod vero assidue amat dicere ipsam voluntatem esse naturam, iam & supra admonuimus quod ex verbis *S. Augustini* huius erroris sumpserit occasionem: Dum quod ille tractat de voluntate mentis humanæ, qua diligit semetipsam, quæ semper vtique est bona diligendo naturam suam, nec aliud vel aliter esse potest, iste contentiosè omnino transfert ad eam voluntatem de qua agitur, D cum de libero arbitrio tractatur: Quia sicut diximus, vna eadémque voluntas mentis alia est, cum naturaliter diligit seipsam: Alia cum vel gratia adiuta diligit Deum, vel proprio vitio corrupta diligit mundum. Alia est, autem & alia non naturæ sed affectionis diuersitate: Et ideò potest esse, & bona, & mala secundum ea, quæ diligit vel benè vel malè.

CAP. VI.

Cap. VI.

Defin. 3.

SEato capitulo definit:

1. *Nullum peccatum, nullamque eius pœnam aliunde nasci, nisi propriâ hominis voluntate libero malè vtentis arbitrio.*

2. *Et stultissimum esse, dubitare humanam voluntatem esse secundum naturam.*

3. *Nec dubitari posse ipsam rationalem substantiam esse.*

Refut. Gen.

Has tres definitiones quara posuerit, & quid ex eis efficere voluerit, non satis apparet, nisi forte quia præcipua eius intentio est in omnibus istis argumentationibus, vt vel liberum arbitrium secundum naturam defendat, quod est vtique Pelagianum, aut prædestinationem iusti iudicij Dei quantum in se est destruat, quod est Ciceronianum. Nam Cicero, sicut *Beatus Augustinus* in libris de ciuitate Dei commemorat, & ex ipsius Ciceronis verbis ostendit, in tantum conatus est diuinæ prouidentiæ dispositionem euacuare, vt non solum prædestinationem, sed etiam præscientiam Dei omnino negaret, hac quasi ratione volens defendere liberum hominis arbitrium, atque ita auditores suos, dum vult facere liberos; fecit sacrilegos, qui ita se existimarent absolutos sui arbitrij libertate, vt in nullo essent obnoxij diuinæ dispensationis prouidentiæ, vel prædestinationi: negantes Deo, quod summè ac propriè Dei est, id est præscientiam omnium futurorum, & prædestinationem dispositionum suarum. Quod quid est aliud dicere, quam Deum non esse Deum? quomodo enim vere Deus est, qui nullam habet præscientiam futurorum? Quod & nunc valde timendum & cauendum est, ne per huiuscemodi contentiones & concertationes, dum in parte suscipimus & in parte negamus prædestinationem dispositionum Dei, volentes homines quasi facere liberos, faciamus sacrilegos. Quia & hoc vtique ad fidem nostram pertinet, vt prædestinationem Dei quæ vtique iusta est, in vtramque partem plenam & perfectam esse credamus. Quod quia contra fidem est, si negetur vtique sacrilegum est. Quia ergo vt diximus maxima huius intentio est, vel liberum arbitrium secundum naturam defendere, vel prædestinationem iustitiæ Dei ex dimidia parte negare, potuit & has tres argumentationes velut in defensionem liberi arbitrij ponere.

E

Aug. de ciuit. Dei lib. 5. c. 9.

F

Ref. 1. Defin.

Quod ergo ait, *Nullum peccatum, nullamque eius pœnam aliunde nasci, nisi propria hominis voluntate libero male vtentis arbitrio*, verum est quidem, quia hominis propria voluntate commissum est peccatum, & peccati merito consecuta est pœna peccati, id est mors, miseria, & supplicium. In hoc tamen plurimum distat inter peccatum, & pœnam peccati: quod peccatum illud solus homo fecit: peccati verò pœnam & ipse meruit, & Deus iustè iudicando inflixit. Et ideo tali argumentatione nequaquam concludit, vel ostendit iste quod vult, videlicet quasi nulla pœna peccati nulla miseria, nullum supplicium, quæ peccantibus irrogantur, à Deo sint. Et ideo non potuisse à Deo prædestinari iniquorum æterna supplicia: quia ab ipso non sunt, sicut peccatum, ita nec supplicium: Cum sicut iam supra ostendimus, apertissime contra hunc errorem Scriptura clamet: *Bona, & mala, vita, & mors paupertas, & honestas à Deo sunt.* Non vtique illa mala, homines peccando, & inique agendo committunt, quorum omnino author Deus non est: sed illa, quæ propter peccata hominibus iusto Dei iudicio irrogantur, sicut fames, cædes, hostilitates, vastationes, & cæteræ ærumnæ, & clades: de quibus & Amos Propheta dicit: *Si erit malum in ciuitate quod Dominus non fecit.* Et ipse Dominus per Esaiam Prophetam ait: *Ego Dominus faciens pacem, & creans malum.* Vnde & de talibus malis quibusdam comminatur dicens: *Et adducam super eos mala, annum visitationis eorum.* Et iterum: *Congregabo super eos mala: Et sagittas meas complebo in eis.* Quæ omnia Deus create dicitur, non quasi aliquam naturam condendo: sed ea iusto suo iudicio decernendo, instituendo, & inferendo. Quomodo autem rectè distinguere, & intelligere debeamus secundum hunc sensum, quod *Deus mortem non fecit.* Et tamen *mors à Deo est.* Clarissime *Beatus Augustinus* exponit & ostendit dicens: [Iustum Dei iudicium est, vt peccato suo quisque pereat, cum peccatum Deus non faciat: sicut & mortem non fecit. Et tamen quem morte dignum censet, occidit. Vnde legitur *Deus mortem non fecit.* Et legitur: *Mors & vita à Deo est.* Quæ duo non esse inter se contraria profectò videt quisquis ab operibus diuinis iudicia diuina discernit. Quia aliud est creando non instituisse mortalem, aliud iudicando plectere peccatorem.]

G

Quænã mala à Deo. Eccl. 11. 14. Amos c. 3. 6. Isa c. 45. 7. Ier. 11. 23.

H

Deut. 32. 23.

August. Sap. 1. 13. Eccl. 11. 14.

A *Refut. 4. 3. Defin.* Quod autem subiungit iste, & dicit: *Stultissimum esse dubitare humanam voluntatem esse secundum naturam:*] Verum est quidem quòd voluntas animæ rationalis secundùm natuiam, & in natuta, est eiusdem animæ rationalis: sed sicut sæpe iam dictum est, eadem ipsa naturalis voluntas aliter intelligenda est cùm se vult & diligit, & ad se refertut, quam nemo dubitat semper naturaliter bonam esse: *De multiplici voluntate.* aliter verò cùm vel Dominum piè diligit, vel peruersè mundum: & ad ea eefertur quæ vel supra se, vel infra se diligit. Et ideo iam talis voluntas, noo ad meotem suam cùm naturalitee inest; sed ad aliod vel aliud, quod extra substantiam est relata potest esse & bona, mala, noo natura, sed affectione: videlicet aut rectè superiora diligendo, quibus beatificatur: aut ptauè appetendo inferiota, quibus cortumpitur. In qua ee non iam sola est natuea: sed aut virtus, aut vitium natutæ: sed virtus ex diuinæ gratiæ infusione: vitium ex propriæ voluntatis deptauatione. Et hoc est li- B berum humanæ mentis arbittium, cùm ad iila, vel illa appetenda affectus hominis inclinatur. Qui affectus nec extra naturam est, quia in vtramque pattem spontanea voluntate mouetur: Nec tamen solius natutæ est: sed vt ad bona moueatur, diuina excitatur, & agitue gratia: vt vero ad mala, propria cupiditate deptauatur. Quod ideò in hoe loco breuitet & diligentet provt potuimus demonstrandum putauimus, vt sctentet discernatur & intelligatue, quàio absutde & fallacitet natutalem tantummodo atbittij libertatem iste vbique asserere conetut, propter illam scilicet humanæ mentis voluntatem, qua naturaliter diligit seipsam: nec attendit, aut cettè dissimulat, nihil ad huiusmodi voluntatem pertinere, cum de libero atbittio agitur: sed ad illam quæ alio modo, alia affectione, vel ad bona diligenda, vel ad mala petenda aut diuina gratia adiuta, aut suo vitio deptauata mouetut. Ac pee boe manifestum est, quòd eius tam contentiosa, & petuicax intentio, qua liberum arbittium naturaliter defendere conatot, manifestè C *Velle bonum ex gratia.* cassa & irrita est. Quia licet in oatura hominis, & voluntate humanę mentis liberum consistat atbitrium, & natuliter habeat posse bonum velle, posse rectè viuere; posse beatè esse; tamen vt ipsum bonum velit, vt tectè viuat, vt beata fiat, non habet ex sua virtute, sed ex sola diuinæ gratiæ largitate.

Sed quia iste tali argumentatione nos coarctare vult, vt aut diuinam prædestinationem ex dimidia parte negemus: aut eandem prædestinationem perfectè asserendo liberum videamur tollera atbitrium sicut etiam *Cicero* *Cicero contra præscientiā Dei.* disputabat diuinam ptæscientiam impugnando, & negando, asserens quòd si veeè esset Dei ptæscientia, non posset esse in hominibus liberum arbitrium: aut si esset in hominibus liberum arbittium, nullam esse Dei præscientiam. Vnde & elegit ille impiissimus, & detestabilis blasphemator Dei, vt liberum hominis arbitrium defenderet, & Dei peæscientiam omnimodis denegaret. Quem iste quàm magna ex parte in hac disputatione sua sequi, & imitari videatut facile in- D telligit, qui diligentee aduettit. Quia qui negat Dei præscientiam, negat etiam Dei prædestinationem, quæ sine ptæscientia nulla est. Vt ergo manifestius & lucidius intelligamus quomodo vtrumque verissimè constet, videlicet & diuina ptædestinatio, & liberum hominis atbitrium, nec omnino alterum altero destituatur, necessatium omnino & salubre existimamus in hoc loco ipsa verba *sancti Augustini* subiungere, quibus aduersus impiam *Ciceronis disputationem*, vtrumque defendit, vtrumque tenendum suauissimè docet.

Aug. de ciuit. Dei lib. 5. c. 9. [In has (inquit) angustias coarctat animum religiosum, vt vnum eligat è duobus, aut esse aliquid in nostra voluntate, aut oon esse præscientiam futurorum: quoniam vtrumque arbitrarit esse non posse; sed si alterum confirmabitur, alterum tolli: Si elegerimus præscientiam fututorū, tolli voluntatis atbittium: si elegerimus voluntatis atbitriom, tolli ptæscientiam fututorum. Ipse itaque ex duobus elegit liberum voluntatis atbittium, quod vt eonfirmaretur, negauit peæscientiam futurorum: At- E qoe ita dum vult facere liberos, fecit sacrilegus. Religiosus autem animus vtrumque eligit, vtrum confitetur, & fide pietatis vtrumque confirmat.] Item post *Ibid.* aliquanta: Spiritus ergo vitæ qui viuificat omnia; creatorque est omnis corporis & omnis cteati spiritus, ipse est Deus spiritus vtique non creatus, in cuius voluntate summa potestas est, qua creatorum spirituum booas voluntates adiuuat, malas iudicat, omnes oedinat: & quibusdam tribuit potestates, qoibusdam non tribuit: Sicut enim omnium naturarum creatot est, ita omnium potestatum dator non volouratum. Ma- *Ibid.* læ quippe voluntates ab illo non sunt, quoniam contra naturam sunt, quæ ab illo est.] Et post aliqua: Causa (inquit) rerum quæ facit, nec fit, Deus est: Aliæ verò causæ faciunt, & fiunt: quomodo igitur otdo causarum, qui præscienti certus est Deo, id est, vt nihil fit in nostra voluntate? cum in ipso causarum ordine ma- F goum habeant locum nostræ voluntates.] Iteio post pauca.

Ibid. Quod vero negat (inquit) otdinem omnium causarum esse certissimum, & Dei præscientiæ notissimum, plus eum quam Stoïci detestamur: aut enim esse Deum negat, aut si esse confiteror Deum, quem negat præscium futurorum, etiam sic nihil dicit aliud, quam quod ille *dixit insipiens in corde suo: non est Deus:* Qui *Psal. 13. 1.* enim non est præsciens omnium futueorum, non est vtique Deus. Quaptoptet & voluntates nostræ tantuio valent, quantum Deus eas valere voluit, atque præsciuit; Et ideo quicquid valent certissime valent: Et quod *Ibid. c. p. 10* facturæ sunt, ipsæ omnino facturæ sunt; quia valituras atque factutas ille præsciuit, cuius præscientia falli non potest: si enim necessitas nostra illa dicenda est, quæ non est in nostra potestate, sed etiamsi nolumus efficit quod potest, sicut est necessitas mortis, manifestum est voluntates nostras, quibus recte vel perperam viuitur, sub tali necessitate non esse. Multa enim facimus quæ G si nollemus, non vtique facetemus, quo ptimitus pertinet ipsum velle: nam si volumus est, si nolumus non est: Non enim vellemus si nollemus: Si autem illa definitur esse necessitas, secundum quam dicimus necesse esse, vt ita sit aliquid, vel ita fiat; nescio cur etiam timeamus, ne nobis libertatem auferat voluntatis. Neque enim & vitam Dei, & ptæscientiam Dei sub necessitate ponimus, si dicimus necesse esse Deum semper viuere, & cuncta præscire, sicut nec potestas eius minuitur, cum dicitur mori, fallique non posse; sic enim hoc non potest, vt potius, si posset, minoris esset vtique potestatis. Recte quippe omnipotens dicitur, qui tamen mori & falli non potest. Dicitue enim omnipotens faciendo quod vult, non patiendo quod non vult. Quod ei si accideret, nequaquam omnipotens esset. Vnde propterea quædam non potest, quia omnipotens est: Sic etiam cum dicimus, necesse esse, vt cum volumus libero velimus atbitrio, & verum procul dubio dicimus; & non ideo ipsum liberum atbitrium necessitati subiicimus, quæ adimit libertatem. Sunt igitur nostræ volun- H tates, quæ & ipsæ faciunt quicquid volendo facimus, quod non fieret si nollemus: Non ergo propterea nihil est in nostra voluntate, quia Deus præsciuit quid futurum esset in nostra voluntate; non enim qui hoc præsciuit, nihil præsciuit. Porro si ille qui præsciuit quid futurum esset in nostra voluntate, non vtique nihil, sed aliquid præsciuit, profecto & illo præsciente est aliquid in nostra voluntate. Quocirca nullo modo cogitur, aut retenta præscientia Dei tollere voluntatis arbitrium: aut retento voluntatis atbittio, Deum (quod nefas est) negare præscium futurorum: sed vtrumque amplectimur, vtrumque fideliter & veraciter confitemur: Illud vt bene credamus, hoc vt bene viuamus Male autem viuitur, si de Deo non bene creditur. Vnde absit à nobis eius negare præscientiam, vt libere velimus, quo adiuuante sumus liberi vel erimus. Iuste itaque præmia bonis factis, & peccatis supplicia constituta sunt: Neque enim ideo peccat homo, quia Deus illum peccaturum esse

A sic tota se vult & diliget. Et ideo tunc quanta est essentia eius, tanta est & notitia eius, & voluntas eius. Et ea hac comparatione admonet Beatus Doctor, vt ea similitudine mentis nostræ exsurgamus ad contemplandam veram Trinitatem quæ Deus est: vt sicut hæc tria, id est esse, nosse se, & velle se, ita inueniuntur in mente hominis, vt & propriè singula discernantur: Et tamen substantialiter, & naturaliter vnum sint: Et quanta est ipsa mens, tanta tunc sit & notitia sui & dilectio sui, quia tota se nouit, tota se diligit: Ita ex hac imagine & similitudine Dei subleuemus intellectum ad ipsam Trinitatem Domini: Et agnoscamus in ipsa beata & summa Trinitate, distinctè, & propriè tria esse, id est Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, & hæc tria essentialiter, & naturaliter vnum esse, & æqualia esse, vt quantus est ibi Pater, tantus agnoscatur esse & Filius, tantus & Spiritus sanctus. Sicque velut per speculum, & in ænigmate mentis nostræ discamus intelligere sanctam Trini-
B tatem distinctam personis, vnitam substantia, æqualem natura, atque potentia.]

Iste vero cum hæc legisset tam vtiliter & salubriter ad illuminationem nostræ fidei dicta, non est contentus moderamine & pietate sancti Doctoris, ne terminos ab eo præfixos excederet: sed addidit de suo, quod hæc tria, quæ in mente hominis contemplantur, Trinitas, sit substantialis: Cum Trinitas substantialis & substantiua, id est, quæ substantialiter in personis consistit, nullatenus inueniri possit, nisi vnius Dei. Vnde & idem Doctor, ne quis erret in talibus, sollicitè admonet, & docet in eisdem libris, quod non homo sit hæc tria, sed hominis, vel in homine sint hæc tria. Cum è contrario in sancta Trinitate illa tria quæ distinctè ibi agnoscuntur, nullatenus dici habeant aut possint in vno Deo esse, sed verè vnus Deus esse: Neque enim Trinitatem dicimus esse in Deo, sed ipsam Trinitatem Deum:
Aug. de Trinit. l. 15. c. 6. Sic enim ipse sanctus Doctor dicit: [Inuenimus in homi-
C ne Trinitatem, id est, mentem & notitiam, qua se nouit, & dilectionem qua se diligit: Sed hæc tria ita sunt in homine, vt non ipsa sint homo: Homo enim est (sicut & veteres definierunt) animal rationale mortale. Illa ergo excellunt in homine, non ipsa sunt homo, & vna persona, id est, singulus quisque homo:] Habet illa etiam in mente, vel mentem: Ac per hoc illa tria non homo sunt, sed hominis sunt, vel in homine sunt, detracto etiam corpore, si sola anima cogitetur aliquid, eius mens est tanquam caput eius, vel oculus, vel facies: Sed non hæc vt corpora cogitanda sunt: Non igitur anima, sed quod excellit in anima mens vocatur: numquid autem possumus dicere Trinitatem sic esse in Deo, vt aliquid Dei sit, nec ipsa sit Deus?

Refut. 2. D. sin. Iste vero postquam non rectè substantialem Trinitatem in mentis essentia & voluntate & scientia contineri, dixit, addit adhuc aliud peius dicens: De ipsa hominis mente; *Nec aliud ei esse & velle, nec aliud velle, & scire; Totamque animæ naturam voluntatem esse; Sed hæc tria vnam naturam.*] Cùm è contrario firmissime fides teneat
D nullam creaturam esse, id est, nec Angelicam, nec humanam, quæ ita sit simplicis naturæ, vel essentiæ, vt quod est ei esse, hoc sit intelligere: Quia videlicet potest esse, & non intelligere: Nec quod est ei esse, hoc est velle: Quia potest esse, & non velle, nec hoc illi est esse quod nosse: quia potest esse, & non nosse: nec hoc illi est esse, quod diligere: quia potest esse & non diligere. Solius autem diuinæ naturæ est summa illa & ineffabilis simplicitas, vt quod est ei esse, hoc ei sit quicquid veraciter dicitur esse. Verbi gratia, quod est ei esse hoc est intelligere: Quia non est in illo aliud essentia; & aliud intelligentia: sed quod est essentia, hoc intelligentia, & quod intelligentia, hoc essentia: Similiter non est illi aliud esse, & aliud sapientem esse: Quia non est in illo aliud essentia & aliud sapientia: Sed quod essentia, hoc sapientia, & quod sapientia, hoc essentia. De qua re idem Beatus Doctor ita loquitur dicens.

August. [Si autem quæritur, quomodo multiplex, & simplex

E illa sit substantia, animaduertenda est primò creatura quare sit multiplex, nullo autem modo verè simplex.] Et post aliqua: [etiam anima (inquit) cum aliud sit artificiosum esse, aliud inertem, aliud acutum, aliud memorem, aliud cupiditas, aliud timor: aliud lætitia, aliud tristitia, possintque alia sine aliis & alia maius, alia minus innumerabilia & innumerabiliter in animæ natura inueniri: manifestum est, non simplicem, sed multiplicem esse naturam, nihil enim simplex mutabile est. Omnia autem creatura mutabilis, Deus autem multipliciter quidem dicitur, magnus, bonus, sapiens, beatus, verus, & quicquid aliud non indignè dici videtur. Sed eadem magnitudo eius est, quæ sapientia. Non enim mole magnus, sed virtute. Et eadem bonitas quæ sapientia & magnitudo: Et eadem veritas quæ illa omnia. Et non est ibi aliud beatum esse, & aliud magnum, aut sapientem, aut verum aut bonum, aut omnino ipsum esse, nec quoniam Trinitas est, ideo triplex putandus est. Alio-
F quin minor erit pater solus, aut filius solus, quam simul pater & filius.] Item cum de solo filio loqueretur, ita ait de illo: vbi est prima & summa vita, cui non est aliud viuere, aliud esse, sed idem est & esse & viuere: Et primus ac summus intellectus, cui non est aliud viuere, & aliud intelligere: sed id quod est intelligere, hoc viuere, hoc esse est: vnum omnia tanquam verbum perfectum, cui non desit aliquid; Et ars quædam omnipotentis atque sapientis Dei plena omnium rationum viuentium incommutabilium. Et omnes vnum in ea, sicut ipsa vnum de vno cum quo vnum.]

Cùm ergo hæc ita sint, quomodo iste ausus est dicere de creatura humanæ mentis; *Nec aliud est ei esse & velle, nec aliud velle & scire, sed hæc tria vnam naturam totamque animæ naturam voluntatem esse?*] Cum è contrario sanctus Doctor quem sibi sequi videtur, & cuius cautelam atque moderationem sua lenitate, atque vanitate nimis impudenter transcendere præsumit, Inter illa tria quæ in mente humana velut quædam similitudo Tri-
G nitatis inueniuntur, id est, esse, nosse, diligere, tantam distantiam esse ostendat, vt sic de his dicat: [Siue mentem dicamus in homine, eiusque notitiam & dilectionem, siue memoriam, intelligentiam, voluntatem, nihil mentis meminimus, nisi per memoriam, nec intelligimus, nisi per intelligentiam, nec amamus, nisi per voluntatem.] Ecce secundum veritatem quam sanctus vir docet in ipsa hominis mente quanta est distantia, & diuersitas. Inter hæc tria, quæ naturaliter in illa & illius sunt: id est, inter memoriam sui & intelligentiam sui & dilectionem sui, dum per solam memoriam sui meminit, per solam intelligentiam se intelligit, per solam dilectionem se diligit: Aliud ergo ibi potest memoria, aliud Intelligentia, aliud dilectio: nec quod potest memoria, hoc potest intelligentia nec quod potest intelligentia hoc memoria: nec quod potest memoria & intelligentia, hoc voluntas. Et si mentis essentia distinctè consideretur, quod potest substantialiter in his tribus, absque illis vtique non possit. Iste autem è contrario dicit, menti non aliud esse,
H & aliud velle: nec aliud velle & aliud scire. Quod si recipiatur, quid aliud ista & noua inaudita præsumptione asseritur, nisi vt Deus simplicis est naturæ, ita & mens humana simplicis naturæ esse credatur: Si enim quod est humanæ menti esse, hoc est velle, manifestè non est ibi aliud essentia, & aliud voluntas: sed ipsa essentia voluntas: & ipsa voluntas essentia. Item si humanæ menti non est aliud velle, & aliud scire, Ergo non est ibi aliud voluntas, & aliud essentia: sed ipsa voluntas scientia, & ipsa scientia voluntas. Ea hac incredibili ratione sequitur, vt dicatur, sicut & iste dicit, quod ipsa mens sicut tota est essentia, sic tota sit voluntas, tota scientia: Et sicut de Deo verissimè creditur, vt de ipso solo veraciter dicatur, quia quod habet, hoc est; habet enim iustitiam, sed ipse iustitia est; habet sapientiam, sed ipse sapientia est; habet bonitatem, sed ipse bonitas est, sequitur (inquam) vt & de humana mente similiter dicatur; Quia quod habet, hoc est; videlicet, quia habet voluntatem, sed ipsa est voluntas; habet scientiam, sed ipsa

August. de Trinit. l. 10. c. 11. & 12.

est scientia; ita vt sicut de Deo credimus, non sit illi aliud esse, & aliud habere.

Ecce ergo isto auctore, immo deceptore, contra omnem fidei veritatem, contra Scripturæ sanctæ auctoritatem, contra paternorum dogmatum sinceritatem, immo contra omnem diuinam humanamque rationem, inuenta est creatura, id est mens humana, quæ sit naturæ simplicis, ac per hoc incommutabilis, sicut Deus naturæ simplicis, & incommutabilis, est. Cum è contrario veritas clamet? Et ipse sanctus Augustinus, sicut supra ostendimus manifestè affirmet, quia omnis creatura multiplex, nullo autem modo verè simplex. Et iterum dicat: nihil mutabile simplex, omnis autem creatura mutabilis. Eligat ergo iste alterum de duobus, si mentis natura, sicut assere conatur, natura simplex est, mutabilis non est: quia sicut ipse doctor dicit, & verissimè dicit, nihil mutabile simplex: si autem ipsa mentis natura, sicut omnis creatura verè mutabilis est, simplex non est. Absit igitur vt beatus Augustinus, qui omnem creaturam affirmat esse mutabilem, & multiplicem, nec vllo modo simplicem, talia senserit, vel scripserit de natura mentis humanæ, vt eam non tantum similem, sed etiam æqualem Deo esse assereret, si eam immutabilis, & simplicis naturæ esse dixisset, legat qui voluerit & valuerit diligentissimè, & attentissimè persecutetur dicta illius de hac re in libris de Trinitate, & inueniet eum dixisse illa tria, quæ in mente hominis reperiuntur, de quibus sæpe dictum est, propter vnitatem substantiæ mentis, cui insunt, vnum esse, & vnam mentem esse, vnamque substantiam, inueniet eum dixisse, quia hæc menti substãtialiter insunt, & mentem esse substantiam, & notitiam sui substantiam, & voluntatem sui substantiam. Item inueniet eum dixisse, quod mens tota se nouit, tota se vult, vel diligit: nusquam tamen illic eum dixisse inueniet ipsam mentem esse notitiam, ipsam mentem esse voluntatem: Cum superius iam ex eiusdem verbis ostensum sit, aliud ibi esse notitiam, per quam solum se mens nouit, & aliud voluntatem, per quam solum se mens diligit. Cur itaque cum tota se nouit mens, non dixit ipsam mentem esse notitiam? Et cum tota se vult, non dixit ipsam mentem esse voluntatem? nisi quia mens ipsa creatura est, & simplex non est: Et aliud est illi esse, aliud nosse, aliud velle. Sed si aliquis, vel iste, qui hoc dixit, opponat: quomodo ergo hæc tria vnum, vna mens, vna substantia, si est ibi aliud, & aliud, agnoscat hæc tria & substantialiter vnum posse dici, quia vna, & in vna substantia sunt. Et potentialiter aliud, & aliud, quia, sicut ipse doctor ostendit, aliud in ipsa mente potest memoria, aliud intelligentia, aliud voluntas. Cum è contrario in diuina Trinitate possimus dicere alius, & alius, & alius: sed nullo modo dicere possimus aliud, & aliud, & aliud, propter summæ simplicem naturæ vnitatem. Ibi ergo summa simplicitas, vbi nunquam inueniri potest aliud, & aliud.

Inuenitur quidam antiquus disputator, cum de incorporea animæ tractaret natura, inter cætera ita de ea dixisse: Et cum vult anima, si tota vult, tota voluntas est, vbi vtique circonspectè & cautissime sic asserit ipsam animam secundum quendam modum aliquotiens totam dici posse voluntatem, cum scilicet tota vult, quia manifestè non extra se, sed in se, & apud se vult, & nullo modo eam absolute definierit esse voluntatem; sed suspensè posuerit, ac dixerit, si tota vult, tota voluntas est: vnde indubitanter intelligendum est, immo vnicuique in seipso naturaliter agnoscendum, quia si tota non vult, tota voluntas non est. Potest namque vnum atque idem ex parte velle, & ex parte non velle, potest idipsum, quod tota vult, penitus non velle. Et ideo iuxta huiusmodi voluntatis mutabilem, & variabilem motum, non est dicenda absolutè ac definitiuè animæ natura tota esse voluntas: quia procul dubio hoc non est, nec cum ex parte vult, vel cum omnino id quod voluerat non vult, habeo semper se naturaliter velle: ita tamé vt manente semper sui natura, atque substantia, id ipsum velle secundum ea, quæ appetit, siue respuit, vel maneat eodem modo, vel mutetur aut pereat. Cesset itaque iste dicere totam animæ naturam esse voluntatem, id est ipsam animam voluntatem esse. Quia non est naturæ simplicis, vt Deus, vt quod illi est esse: hoc sit velle, nec aliud sit illi esse, aliud habere voluntatem. E

Quæ cum ita sint, Abigatur ab auribus fidelium tam impium, & profanum commentum; meminerint qui talem doctorem mirantur, & libenter audiunt, se esse Christianos; meminerint se fidem Catholicam, fidem veram sentiendi de Deo integram sibi, inuiolatamque seruandam: Meminerint depositum paternæ doctrinæ fidelissime custodiendum: & impias vocum præsumptiones omni pietatis intentione vitandas: sicut Apostolus vehementissimè commendat dicens: *O Timothee depositum custodi, deuitans profanas vocum nouitates, & oppositiones pseudonymæ, id est falsi nominis scientiæ; quam quidem promittẽtes circa fidem exciderunt, vel circa fidem naufragauerunt.* Discamus non habere aures prurientes, id est auidas, & appetentes inanium, & anilium fabularum. De quo malo Apostolus dicit: *Erit enim tempus cum sanam doctrinam non sustinebunt: sed ad sua desideria coacernabunt sibi magistros prurientes auribus: Et à veritate quidem auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur.* Quid enim restat talia dicentibus vel recipientibus, id est humanam mentem ita Deo exæquari, vt sicut Deus ita etiam ista simplicis sit naturæ: nisi, vt sicut pessimi antiqui hæretici dixerunt, eiusdem naturæ esse blasphement Deum & animam.

1. Tim. 6. 20. 21.

F

2. Tim. 4. 3. 4.

Post hæc dicit iste: *Liberam voluntatem esse naturam hominis, eiusque liberum motum, ac potestatem mouendi; quod sit liberum arbitrium hoc donum creatoris.*] Nos autem vt iam diximus, & vt ipsa rei veritas euidenter ostendit, non dicimus hominem esse voluntatem, sed hominis esse voluntatem: Quia videlicet aliud est ei esse, aliud velle: Et ideo non homo voluntas, sed hominis est voluntas. Ostendit tamen iste quod Pelagiano errore secundum naturam tantum hominis liberum arbitrium esse sentiat, & donum esse naturæ, non donum gratiæ, id est, voluntatis humanæ, vt ipse dicit, liberum motum, ac potestatem mouendi. Per quod manifestè ostendit ita se sentire, quod voluntas humana non solum liberum naturaliter motum habeat, vt moueatur ad appetendum bonum, vel malum, sed etiam liberam potestatem, qua faciat ipsum bonum, vel malum; sed è contrario fides Catholica tenet contra omnes huiusce modi errores, quod liberum arbitrium, Etsi fuit in homine naturaliter factum, & integrum ante peccatum; tamen peccati merito deprauatum, immo amissum, nullum habeat motum id est appetitum bonæ voluntatis, nec potestatem ipsius bonæ voluntatis implendæ, nisi per occultam gratiam, donante, & inspirante illo, De quo Apostolus verissimè dicit: *Deus est enim, qui operatur in nobis, & velle, & perficere pro bona voluntate:* Habet namque, vt iam diximus, naturaliter à creatore insitum, vt possit velle, vt possit etiam posse, quod bonum est, vt autem hoc velit, vt hoc possit non habet ex se, sed ex illo tantum; *qui operatur* in cordibus fidelium & *velle & perficere pro bona voluntate*. Inde est illa Ecclesiastica & fidelissima definitio, quam beatus Papa *Cælestinus* ponit in decretis suis dicens: [Ita Deus in cordibus hominum, atque in ipso libero operatur arbitrio, vt sancta cogitatio, pium consilium, omnisque motus bonæ voluntatis ex Deo sit: Quia per illum aliquid boni possumus, sine quo nihil possumus.] Et iterum: Omnia studia, omnia opera, ac merita sanctorum ad Dei gloriam laudemque referenda sunt. Quia nemo aliunde ei placet, nisi ex eo quod ipse donauerit.] Ex qua Apostolica & Ecclesiastica definitione certissimè ostenditur, nihil posse in homine liberum arbitrium ad appetendum, vel peragendum bonum, nisi fuerit Christi gratia liberatum. Est tamen liberum ad malum, quia cum peccat, non aliqua necessitate cogitur, sed voluntate propria deprauatur.

Resp. 3. Defin. 6.

De libero arbitrio ad bonũ.

G

De appetitu & potestate bonæ voluntatis.

Phil. 2. 13.

H

d. v. 13.

Cœlest. Epist. ad Gall. Episc. c. 9.

Ibid. 8.

Addit

A Refut. 4. Defin. Addit deinde iste & dicit: *Sicut animale corpus potuit mori, quia adhuc non erat perfectum, id est, spirituale ita voluntas libera adhuc animalis merito, quia mortalis potuit peccare, quoniam adhuc non erat perfecta, qua vtique perfectio libertatis post mandati custodiam impleretur, dum ei peccandi voluntas auferretur*,] vbi quid aliud dicendum de corpore animali & spirituali, nisi quod (1 Cor. 15. 44. 45. d. v 44.) Apostolus docet dicens; *Si est corpus animale, & est spirituale. sicut Scriptum est: factus est primus homo Adam in animam viuentem: nouissimus autem in spiritum viuificantem.* Et supra, cum de resurrectione mortuorum loqueretur ait: *Seminatur corpus animale, surget corpus spirituale.* (De corpore animali, & spiritali.) In quibus verbis quomodo distinguendum est *corpus animale* & *corpus spirituale*: nisi quod *corpus animale* per animam tantummodo mortaliter & corruptibiliter viuificatur; Quale erat corpus Adæ etiam ante peccatum: Quia etsi necdum erat morti, & corruptioni destinatum, poterat tamen peccati me- (B) rito corrumpi & mori: sicut vtique & in illo factum est & in vniuersa eius progenie fit, iusto illius iudicio atque vindicta qui ait: *Donec reuertaris in terram vnde sumptus es, quia puluis es, & in puluerem reuerteris. Spirituale* vero *corpus* dicitur, non quod corpus esse desistat, & spiritus fiat: quia licet spirituale, verè tamen corpus ab Apostolo appellatur: sed tunc corpus spirituale erit quando per spiritum immortaliter, & incorruptibiliter viuificabitur; Quale & in se exhibuit nouissimus Adam, idest Dominus IESVS CHRISTVS in resurrectione, per quam vtique mortale corpus, quod susceperat, in immortalitate, & incorruptionem transtulit, & in sanctis suis per eandem in corruptionis gratiam in nouissimo die exhibebit; Cum etiam in ipsis iuxta eundem (Ibid. 53. 54.) Apostolum; *Corruptibile hoc indueris incorruptelam, & mortale hoc indueris immortalitatem, vt absorbeatur quod est mortale à vita; & impleatur, sicut ipse dicit, sermo qui scriptus est: Absorpta est mors à victoria: vt corpus* (d v 44.) *quod nunc animale seminatur* in morte, *tunc resurgat spirituale*, nullo iam alimento sustentandum, nulla molestia corrumpendum, nulla morte dissoluendum, sed solo spiritu æterna immortalitate viuificandum. Quale erat etiam futurum corpus Adæ, nulla intercedente morte, Deo eius obedientiam remunerante, si non peccasset.

Itaque verum quidem est, quod adhuc animale esset corpus Adæ, nec in illam immortalitatem commutatum, quæ ei fuerat danda, si piè obediens Deo permansisset: ita vt etsi non peccasset, posset non mori, & si peccasset posset mori, manifestum est eum ideò mori potuisse, quia necdum fuerat immortalitate donatus. Quod autem in illo homine adhuc animalis esset voluntas, id est secundum animæ humanæ appetitum, & non secundum spiritum Dei viuens siue intelligens, vt nondum esset in interiori homine, id est in spiritu mentis suæ spiritalis, sed adhuc animalis, id est animaliter, non (1 Cor. 2. 14.) spiritaliter sentiens; de qualibus dicit Apostolus; *Animalis autem homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei*: (D) Non ita ostendit Apostolus, qui *sacramentum* illud *magnum* quod futurum erat *in Christo & in Ecclesia*, ab ipso dicit esse Prophetatum, quando diuino vtique re- (Eph. 5. 31. 32.) pletus spiritu ait: *Propter hoc relinquet homo patrem suum & matrem suam, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna.* Quibus verbis Apostolus exponendo subiunxit; *Sacramentum hoc magnum est: Ego autem dico in Christo & in Ecclesia*: Quomodo ergo non spiritalis erat voluntas eius ad rectè viuendum, spiritu adiuta, & inluminata, quæ erat etiam Prophetali gratia sublimata; potuit tamen peccare etiam spiritualis voluntas in deterius lapsa; sicut ostendit idem Apostolus etiam spiritales posse tentari, id est tentatione peccati aliqua (Gal. 6. 1.) superari, vbi ait; *Fratres, & si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, huiusmodi instruite in spiritu lenitatis considerans teipsum, ne & tu tenteris.* Sic ergo voluntas illius hominis etiam spiritualis poterat tentari, poterat tentatione superari; Et si permansisset obediendo ad illam plenitudinem beatitudinis, vbi iam peccare non posset, non ab eo peccandi voluntas auferretur, vt iste dicit; quæ in eo nulla erat, sed ipsa bona voluntas, quæ illi inerat, tanta fœlicitate perficeretur, vt ad malum mutari non posset. (E Triplex status humanæ voluntatis.) Triplex enim status humanæ voluntatis fideliter intelligi potest, videlicet quod primus ille homo ita bonæ voluntatis conditus est, vt si vellet posset non peccare. Nunc autem etiam sancti homines, quia ex vitiata illius propagatione nascuntur, quamuis velint, non possint non peccare. Vnde & quotidie veraciter Deo dicunt: *Dimitte nobis debita nostra* (Matth. 6. 12.) In illa autem beatitudine, quæ eis donanda est tanta virtute solidandi sunt, vt iam non possint peccare, sicut tanta incorruptionis gratia induendi, vt nunquam possint mori.

(Refut. 5. Defin.) Mirum est autem cur iste subiungere voluerit & dicere: *Hunc motum, id est liberi arbitrij nulli animalium; præter hominem concessum*] cum omnibus manifestum sit, quod vbi nulla rationalis natura est, sicut in omnibus (F) brutis, & irrationalibus iumentis, nulla rationalis voluntas esse possit ad appetenda bona vel mala: sed ad omnia quæ agunt solo naturali bruto & insensato appetitu ducantur. Vnde & quæcunque ab eis fiunt, quantum ad ea pertinet, nec bona dici possunt nec mala, nec vitia nec virtutes: nisi fortè ideò sibi quodam modo comparauit humani arbitrij motum, & brutorum animantium appetitum, quod sicut ille irrationalis appetitus solo naturæ incitamento agitur; ita & iste humani arbitrij motus solo naturæ suæ instinctu ad quod voluerit ducatur Quod quam sit contrarium veritati supra iam sæpius demonstratum est.

(Refut. 5. Defin.) Et in tantum disputator iste auditorum sensibus; & auribus abuti præsumpsit, vt auderet velut quidam fabricator, & figulus mendaciorum nouam liberi arbitrij definitionem velut luteam & lutulentam fingere; & quasi magnum aliquid intuentium oculis proponere. Subiunxit enim posthæc & ait; (Error à liberi arbitrij definitione. G) *Sitque talis differentia inter liberum hominis arbitrium, & eius substantiam, vt natura eius sit in voluntate rationali: liberum vero arbitrium in eius libertate siue in motu liberæ naturaliter voluntatis, siue in munere intelligentia.*] Ecce quale liberum arbitrium docet: vtique Pelagianum non Christianum, cuius scilicet natura sit, rationalis voluntas; effectus vero in sua naturali voluntatis libertate consistat: Et ex sola, vel in sola naturali voluntate habeat libertatem, & motum, & intelligentiæ munus. (Vera eius notio.) Nos autem secundum veritatem fidei, ita liberum arbitrium in homine agnoscimus, vt licet menti rationali naturaliter sit à Deo insitum, & bonum, ac rectum prima conditione collatum: tamen peccati merito deprauatum, & naturali virtute spoliatum, nullam possit habere ad verum bonum libertatem, nullum bonæ voluntatis motum nullum intelligentiæ lumen, nisi illius gratia fuerit instauratum, qui ait: (Ioan. 8. 36.) *Si vos filius liberauerit, tunc verè liberi eritis*: Et qui sua inspiratione monet, quorum voluerit (Agg. c. 2. 8.) corda ad fidem, sicut propheta dicit: *Et mouebo omnes gentes, & veniet desideratus cunctis gentibus*: Et cui quo- (Ps. 118. 73.) tidie supplicantes dicimus; *Da mihi intellectum; & discam mandata tua.* (H) Et iterum: *Intellectum da mihi; & viuam.* De quo etiam intellectu largitori gratias agentes (Ib. 144. Ps. 15. 7.) dicimus: *Benedicam Domino, qui tribuit mihi intellectum.* Hoc namque est verè liberum arbitrium: non; iuxta istum Pelagiani erroris assertorem, munus naturæ, sed munus gratiæ: Et liberum, quia Christi gratia liberatum.

(Refut. 7. D. fin.) Iste vero cum nominasset illa tria, id est arbitrij libertatem motum, intelligentiam, Quæ omnia in sola naturæ vi constare affirmat: producit adhuc eiusdem liberi arbitrij, quod ipse confingit velut nouam quandam effigiem ex tribus partibus siue membris compactam; & dicit: *Quæ tria id est liber, motus, intelligentia; liberum arbitrium inter se componunt: vt sicut substantia, in qua est, trina sit: Est enim & vult, & scit: ita & illud trinum fiat, id est liber, motus, intelligens*:] Quæ omnia vtique idcirco dicit, vt in his solis, id est, in ipsa natura, & his, quæ insunt ipsi naturæ, liberum arbitrium

constare contendat, videlicet vt sicut menti humanæ naturaliter tria quædam insunt, id est esse, velle, scire, cum hæc duo, id est voluntas, & scientia tantummodo sui, & non alterius rei intelligitur; Ita etiam liberum arbitrium ex ipsa mente procedens, & in ipsa consistens, non aliunde sed ex illa habeat libertatem, motum, intelligentiam: vt sit homini naturaliter per huiuscemodi arbitrium, liber, motus, intelligens: Nec dicit mentem humanam tria illa in se habere, sed naturæ simplicis trinam esse. Et eodem modo etiam liberum arbitrium esse trinum, quis vnquam audiuit tam contentiosam erroris impietatem? Qua ita laborat includere, & velut quibusdam terminis communire liberum arbitrium, vt omnino illud in sola humanæ naturæ virtute concludat, & ab eo penitus Dei gratiam excludat. Quid ergo ei respondendum est, cui iam de hac re superius tam multa responsa sunt? Nisi vt si Christianus, vel esse, vel videri cupit, abiiciat hunc insanum, mortiferum errorem: Quem quanto subtilius sibi sequi, & asserere videtur, tanto infœlicius à diabolo includitur & excæcatur, & abiectis humanarum adinuentionum falsis, & fallacibus argumentis, totum se Scripturæ sanctæ veritati, & Ecclesiasticorum Patrum auctoritati, & fidei simplicitati humiliter summittat, nedum libertatem suam sibi committit, & à Christo alienat, verè à Christo alienari mereatur. *Maledictus* enim *homo, qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum, & a Domino recedit cor eius. Benedictus autem vir qui confidit in Domino, & erit Dominus fiducia eius.*

CAP. IX.

NOno capitulo has definitiones ponit.

1. *Præscientiam, & prædestinationem similitudine rerum temporalium ad Deum transferri.*

2. *Et omnem prædestinationem præscientiam esse.*

Si ergo ex vsu rerum temporalium, quæ trium temporum diuersitate variantur, id est præteriti, præsentis, & futuri, magis, ad temporalia pertinent, vbi tam multa futura expectantur: quia videlicet præscientia, & prædestinatio propriè rerum est futurarum: apud Deum vero sicut nihil est præteritum, ita etiam nihil futurum, in cuius æterna scientia æternaliter omnia præsentia sunt: Et idcirco hæc duo magis translatiue, quam propriè ad Deum dicuntur; quomodo iste superius tam frequenter definiuit, præscientiam, & prædestinationem non solum Dei, & in Deo esse (quod etiam nos fatemur) sed etiam ipsam substantiam, & essentiam Dei esse? Quapropter si ipse in sua disputatione tam contrarius sibi est, vt quod prius affirmat, postea destruat, quid necesse est, vt nos eius vanitatem euacuemus, qui tam aptè seipsum euacuat. Si autem aliqua regula sophisticæ disputationis, quam ipse, solam sequitur, talis est, vt licite apud sæcularem sapientiam quod vno loco affirmatur, altero subuertatur, quis non videat, quam sit contemnenda, & penitus abiicienda, vbi nulla est firmitas veritatis, & tam impudens, tam procax, tam petulans libertas est falsitatis.

Quod vero ait: *Omnem prædestinationem præscientiam esse,*] ex parte verum est quidem: Quia omnis prædestinatio futurorum non sine præscientia sit, per quam ipsa futura præsciuntur. Sed si hoc ideo dictum est, quia si nihil amplius agat prædestinatio in rebus, vel de rebus futuris quam præscientia manifestissimè falsum est: Quia præscientia ipsæ res futuræ tantummodo præsciuntur: prædestinatione vero etiam statuuntur, præfiniuntur, & decernuntur. Et ideo prædestinatio impiorum ad supplicium æternum non tantummodo præsciuit, sed etiam iusto, & æterno iudicio statuit, ac præfiniuit quid essent passuri.

CAP. X. E

DEcimo capitulo quatuor definitiones ponit hoc modo.

1. *Deum præscire, aut prædestinare peccata, vel mortem vel pœnas hominum vel Angelorum a contrario intelligendum sit.* 1.

2. *Omne malum peccatum, & pœnam eius esse: & hæc nihil esse.* 2.

3. *Peccatum, eiusque consequentias in morte, atque miseria constitutas non aliud esse, quam integra vita, beatæque corruptiones, itavt singula singulis opponantur. Integritati quidem peccatum, vitæ mors, beatitudini miseria. Illa sunt, hæc penitus non sunt.* 3.

4. *Omnem peruersæ voluntatis defectum, vel priuationem, vel peccati finisque ipsius mors miseriaque suppliciorum æternorum omnino nihil esse; Ac per hoc nec præsciri, nec prædestinari.*] 4. F

Ecce ad quid perducta est ista diabolica disputatio, vt homo qui vult videri Christianus, paganis, & diabolicis argumentationibus omnem fidem præscientiæ & prædestinationis diuinæ, qua impios præsciuit, & prædestinauit esse damnandos, quantum in se est, subuertat & destruat, non solum iustum Dei iudicium, & æternum, atque incommutabile eius consilium in eorum damnatione euacuans; sed etiam peccatum, & omnem pœnam ac damnationem, quæ peccatum consecuta sunt, nihil esse contendens. Ac per hoc, quia nihil sint, nec præsciri à Deo, nec prædestinari potuisse. Ita vt vbicumque in Scripturis sanctis, siue in dogmatibus Patrum talia præsciisse & prædestinasse legitur, a contrario accipi debeat, id est, vt omnino ea, nec præsciisse, nec prædestinasse intelligatur. Quod quid est aliud dicere, quam aperte insanire? Quis enim vnquam fidelium vel sentire, vel dicere præsumpsit, quia quod dixit veritas, non est veritas, Quod docuit fides, falsum est; Quod omnes credunt fideles, nihil est. Certè iste propterea hæc, id est peccatum & omnem pœnam, ac miseriam, & calamitatem, vel temporalem, vel æternam nihil esse contendit: quia non habent essentiam in semetipsis existendi, vel subsistendi, sicut videmus habere substantiam existendi, vel subsistendi terram, aquas, & ignes, herbas, & arbores & quæcumque eiusmodi sunt, sicut etiam nouimus & credimus substantiam existendi & subsistendi habere animas hominum, & spiritus Angelorum bonorum, siue malignorum. Et propterea affirmat diabolicæ præsumptionis audacia, Deum solas rerum substantias & scire, & præscire, & prædestinare potuisse. Ea verò quæ ipsis substantiis contraria & pœnalia sunt, quia existendi substantiam non habent, nullatenus à Deo præsciri, vel prædestinari: Ac per hoc nec sciri potuisse.

Refut. 1. Defin.

A contrario.

G

Ergo nec peccatum primi hominis præsciuit, quia peccatum substantiam existendi non habet; nec pœnam peccati præsciuit, id est mortem, miseriam, supplicium sempiternum: quia hæc similiter in seipsis substantialiter non existunt. Et vbi est quod fides firmissimè & immobiliter tenet? Omnipotentem Deum verissimè præscium esse futurorum omnium, vbi est quod per Prophetas suos in Scripturis sanctis tot peccata hominum, tot pœnas, & clades, & miserias peccatorum spiritu suo venturas prædicit? Vbi etiam quod ipse vnigenitus Dei filius, qui est veritas æterna tot persecutiones Ecclesiæ suæ, tot bellorum commotiones, & laborum, ac terrorum pressuras, terræ motus etiam & pestilentias, & fames vtique præsciendo prænunciat, & vt patientissimè à suis tolerentur monet? cur tam apertum mendacium, imo tam inauditam & impiam blasphemiam iste impius proferre ausus est, contra totius sanctæ Ecclesiæ fidem: contra Scripturarum cœlestium veritatem, contra omnipotentem Dei maiestatem ore sacrilego & verbis impiis obstrependo? Quid est autem quod in tantum consilium & deceptionem diaboli imitari & adimare conatur, vt ea quæ verissimè & certissimè impios passuros Deus prænunciat & comminatur id est, æterna supplicia, iste labiis iniquis H

&

& lingua dolosa velut peccaturibus blandiendo affirmet nihil esse: sicut serpens in initio, vt terrorem mortis, quam Deus comminatus fuerat, à corde hominis excluderet, & ad peccandi delectationem prouocaret, *nequaquam* (ait) *morte moriemini*: [..3.4] ita namque & iste serpentis imitator, dicendo quod tormenta æterna, quæ Deus peccatoribus denuntiat, nihil sunt, quid eliud agit, quam vt terrorem salubrem à cordibus audientium tollat, eosque ad peccandum infrenes, & præcipites reddat.

[..præscientia ..] Et ideo constantissima, & immobili fide tenendum omnipotentem Deum omnia futura præscire, id est bona & mala, nec solum naturas omnium rerum, antequam eas crearet, præscisse: sed etiam quæcunque ipsis naturis possunt esse contraria, & pœnalia similiter præscisse. Non quia substantialiter existunt; sed quia substantiis ab eo conditis pœnaliter nocent. Hanc enim [Dan.13. ..] fidem Scriptura confirmat dicens: *Deus æterne qui absconditorum es cognitor, qui nosti omnia antequam fiant*:

B

[..10.18. ..] Et ipse Dominus in Euangelio de his fideles suos terret dicens: *Ostendam vobis quem timeatis: Timete eum, qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam: ita dico vobis, hunc timete.* Iste autem è contrario dicit, omnes pœnas suppliciorum æternalium tam hominum, quam Angelorum malorum, quæ illis comminata, & præparata sunt, omnino nihil esse. Si autem pœnæ æternæ, malignorum Angelorum, & hominum pessimorum prædestinatæ non sunt; Quid est quod ipse iustus iudex, & damnator ipsorum in illo iudicio se dicturum, prædixit, [Matth. 25.41.] *ite maledicti in ignem æternum: qui paratus est diabolo & Angelis eius?* Si paratus vtique, & prædestinatus. An Angelis damnatis, & damnandis est prædestinatus: impiis autem qui eodem æterno igni pariter puniendi sunt, non est paratus, nec prædestinatus? sed prædestinatas impiis pœnas & supplicia sempiterna etiam beatum Enoch. Patriarcham antiquissimum qui ambulauit cum Deo, & non comparauit; quia tulit

C

eum Dominus, ante diluuium. Prophetasse beatus Iudas Apostolus loquens de impiissimis hæreticis, qui ipsis temporibus Apostolorum impugnare cœperunt Ecclesiam Dei, ita testatur dicens: [Iud. 14.] *Prophetauit autem & de his septimus ab Adam Enoch dicens: Ecce venit Dominus in sanctis millibus suis facere iudicium contra omnes, & arguere omnes impios de omnibus operibus impietatis eorum, quibus impiè egerunt, & de omnibus duris, quæ locuti sunt contra eum peccatores impij.* Hoc iudicium damnationis impiorum & iniquorum & blasphemantium hominum ab initio mundi tam mirabiliter prædictum, & in finem mundi verissimè implendum etiam beatus Petrus Apostolus his verbis denuntiat, dicens: [2.Pet. 2. 1.] *Fuerunt verò & pseudoprophetæ in populo, sicut & in vobis erunt magistri mendaces, qui introducent sectas perditionis, & eum qui emit eos Dominum negant superducentes sibi celerem perditionem.* De quibus & paulo post adiungit: *Quibus iudicium iam olim non cessat, & perditio eorum non dormitat.* Si ergo quærimus istius iudicij æternam

D

apud Deum prædestinationem, audiamus vigilanter [v. 3.] quod ait: *Quibus iam olim iudicium non cessat*: [d.v.3.] id est, non nunc primum iudicantur: nec tunc primum quando de corpore exient ad supplicium sempiternum. Sed hoc iudicium damnationis eorum iam olim est decretum, iam olim ex æternitate prædestinatum, & iam olim eis præparari non cessat. Si autem quærimus, quæ pœna [d.v.3.] illis inferatur tali iudicio, *& perditio* (inquit) *eorum* [Ibid. 17.] *non dormitat*, item de eisdem impiis & blasphematoribus idem Apostolus dicit: *Hi sunt fontes sine aqua, & nebulæ turbinibus exagitatæ, quibus caligo tenebrarum reseruatur*: Quomodo eis reseruatur, nisi quia ipsis ab initio est præparata, & in fine reddenda? Quod eisdem penè verbis beatus Iudas Apostolus attestatur dicens: [Iud. 12. 13.] *Hi sunt nubes sine aqua, quæ a ventis circumferuntur: Arbores autumnales, bis mortuæ eradicatæ: fluctus feri maris despumantes suas confusiones: sydera erratica, quibus procella tenebrarum in æternum seruata est.*

E

Contra hæc tam horrenda, tam terribilia, quæ omnipotens Deus per Prophetas & Apostolos suos impiis & peccatoribus comminatur, dicit iste: [Ref 3. & 4. Defin.] *Omne malum, peccatum & eius pœnam non esse.*] Et iterum asserit: *Naturæ integritatem, vitam, beatitudinem esse* E contrario autem *peccatum, mortem, miseriam penitus non esse.* Addidit adhuc *omnem peruersæ voluntatis defectum vel priuationem, vel peccatum, finemque ipsius mortem, & miseriam suppliciorum æternalium omnino nihil esse: Ac per hoc nec præsciri a Deo, nec prædestinari.* De quibus omnibus si aliquid singillatim dicendum est, manifeste docet fides, quia malum quod est contrarium bono, sicut vitium virtuti, tenebræ luci, infirmitas sanitati, substantialiter non est. [Malum non est substantialiter.] Quia: sicut iam supradictum est, substantiam per se existendi & subsistendi non habet: sicut cœlū, terra, aqua, aër, ignis, & reliqua, siue corporea, siue spiritalis creatura. Sed desertio sūmi boni, cui vt beata esse possit, inhærere debet creatura rationalis Angelica, vel humana, hoc nomen accepit vt dicatur malum.

F

Deserendo ergo rationalis creatura in Angelis siue in hominibus peccantibus summum bonū, defecit ab ipso bono, & priuata est bono, & hoc ei est summum malum. Siue ergo dicamus malū esse desertionē boni, vel defectum à bono, vel priuationem boni, rectissime dicimus, sicut & vitium desertio virtutis, & tenebræ priuatio lucis, & infirmitas nihil aliud, quam defectus est sanitatis: Similiter & peccatum manifeste nullam habet substantiam in se existendi & subsistendi. Sed desertio iustitiæ & defectus à iustitia tale nomen accepit. Ita etiam mors substantiam in se existendi & subsistendi non habet, sed vitæ amissio tale nomen accepit. Item quod dicitur pœna nullam in se existendi substantiā habet, sed dolor & ex dolore cruciatus tale nomen accepit: quod nihil est aliud quā tranquillitatis & quietis naturalis perturbatio, vel amissio: Hoc nāque agit pœna, vt tranquillitas & quies naturæ ipso dolore & cruciatu turbetur vel amittatur.

G

Sed hæc omnia, id est, malum, peccatum, pœne, mors, miseria, quæ & ipsa nihil est aliud quam amissio fœlicitatis, licet per se & in se existendi, vel subsistendi nullam habeant substantiam, tamen omnino necesse est vt in aliqua, vel ex aliqua substantia fiunt. Nam & desertio boni, quod dicitur malum; & desertio iustitiæ, [Mors animæ.] quod appellatur peccatum, manifeste in animo fiunt vel Angelico, vel humano. Sic amissio vitæ, quæ appellatur mors, & amissio tranquillitatis, vel quietis naturalis, quæ appellatur pœna & amissio fœlicitatis, quæ vocatur miseria, in vtroque fieri inueniuntur; id est, & in anima, & in corpore. Nam & anima moritur desertione vitæ suæ, quod Deus illi est: & corpus moritur amissione vitæ suæ, quod anima illi est: & hæc duo, id est, mors animæ, & mors corporis, quid aliud in vtroque nisi vel fœlicitatis, vel tranquillitatis amissio est? Pœna autem quæ in cruciatu, & dolore sentitur, manifeste vel in anima agitur, vel in corpore; & cum in corpore agitur, maximè ex alio corpore irrogatur: vt cum flagellis cæditur, gladiis vulneratur, vel quibuscunque tormentis vexatur: Quod etiam in suppliciis æternis futurum est,

H

vbi damnatorum corpora igni & sulphure torquebuntur qui tamen omnes dolores, & cruciatus corporibus de corporibus inlati, sic fiunt in corpore, vt per corpus etiam animæ sint. Anima namque sine corpore & dolere, & cruciari potest; sicut illa damnati diuitis in inferno, anima cruciabatur qui *ait, quia crucior in hac flamma*: [Luc 16. 24.] corpus vero sine anima dolere non potest.

[De scientia Dei.] Omnipotenti itaque Deo de quo scriptum est: *Domino enim Deo antequam crearentur, omnia fuerunt agnita: sic* [Eccl. 23. 29.] *& post perfectum respicit omnia.* Et iterum: *A sæculo &* [Ibid. 39. 21] *vsque in sæculum respicit, & nihil est nouum in conspectu eius.* Et iterum eum de hominibus Scriptura loque- [Eccl. 17. 16.] retur ait: *Et omnia opera eorum quasi Sol in conspectu Dei: non præterit illum omnis cogitatus, & non absconditur ab eo vllus sermo*: Isti, inquam, omnipotentissimo & ineffabili creatori, cui antequam crearentur in æterna scientia sua omnia fuerunt agnita, qui etiam postquā omnia perfecit, non aliter, sed sic respicit facta, sicut vidit facienda, nihil videlicet extra se, sed in se omnia cernen-

do: Et ideo in conspectu eius nihil est nouum, nec quaodo primum est creatum, quia semper fuit io eius scientia æternum: quem omnia opera homioum, sicut in clarissimo Sole non latent: quem nullus hominum prætetit cogitatus, à quo nullus eorum setmo absconditut: iste tam mirabilis creator & gubernatot, sicut omnium terum, quæ fututæ etant, natutam, & speciem, & otdinem in sua æterna præscientia semper nouit, ita etiam ipsatum retum statum, & siue ad meliora profectuin, siue ad deteriora defectum æternaliter præuidit: & quæ ad se proficientibus præmia, quæ autem à se deficientibus supplicia deberentur, iustissimus operis sui ordinator, & præsciuit, & prędestinauit, & se implerurum prædixit. Et idro siue malum, & peccatum in quibus est defectus à bono: siue mots, & pœna, quæ illi defectui inste debetur, semper fuit in præscientia conditoris: Qui mensuram proficiendi, & deficiendi in creaturis suis solus veraciter agnoscit, & ipsorum profectuum, atque defectuum solus iudex iustus easistit. Ita & mors & peccatum & omnis pœna ac miseria, quæ peccatum coosequentur; quia substantiam nullam habent in se exsistendi, nihil sunt. Et quia creaturæ tationali, cuius defectus, & cottuptio his nominibus significantur, nimis nocent, in eius substantia, vel corporali, vel spiritali veraciter sentiuntur. Et quæ non sunt substantia exsistendo, sunt omnimodis perniciosa nocendo: desinat ergo huiusmodi blasphemia, & omnipotens Deus sicut omnium naturam conditor, & status earum verissimus agnoscatur cognitor, & iustissimus ordinator.

CAP. XI.

VNdecimo capitulo sequitur iste, & dicit.

1. *Non esse Dei prædestinationem, nisi de his, qui præparati sunt ad æternam fœlicitatem.*

2. *Abusiue, translatéque dici præscire Deum, & prædestinare a simili præsciuit, quæ facturus esset: à contrario præsciuit, quæ facturus non esset, pro nesciuit. Similiter à simili, prædestinauit, quos præparauit ad gratiam. A contrario prædestinauit impios ad interitum vel supplicium æternum: si enim prædestinati sunt, necessariò peribunt: pœnásque patientur ineuitabiles. Quod si ita est, quomodo iuste iudicabitur mundus, quem necessitas prædestinationis cogit perire.*

3 *Sanctas Scripturas præscientiam simul, & prædestinationem, aut solam absolutam prædestinationem, non nisi in iis quos Deus elegit ad æternam beatitudinem possidendam, inueniantur posuisse.*

4. *Apostolum præscientiam, & prædestinationem in solis sanctis, Augustinum aliquoties in reprobis à contrario posuisse.*

Imprimis quod dicit, *non esse Dei prædestinationem nisi de his qui præparati sunt ad æternam fœlicitatem.*] Siue ex suo sensu hoc dixerit, siue ab aliis audierit: Nos tamen veraciter scimus, quia iste est error moderni temporis apud plurimos, dum non putant prædestinationem Dei, nisi in parte electorum in Scripturis inueniri: Nec ipsum Beatum Paulum Apostolum io Epistolis suis, nisi de solis similiter electis prædestinationem posuisse, sicut & in sequentibus dicit. Sed adquiescendum & obediendum est humiliter veritati: & oon quod semel nobis persuasum est, contentiosè defendendum, sed potiùs Scriptura sancta diligentius perscrutanda, non solùm Apostolica, sed etiam Prophetica, ex qua omnis Apostolica auctoritas descendit. Sicut ipse Beatus Paulus statim in principio Epistolæ ad Romanos euidenter declarat, *segregatum*: se esse dicens *in Euangelium Dei, quod ante promiserat per Prophetas suos in Scripturis sanctis*. Et in fine eiusdem Epistolæ omne mysterium Euangelicæ prædicationis, in qua est etiam profundissimum mysteriũ præscientiæ & prædestinationis Dei per Scripturas Propheticas confirmat esse reuelatum, ita dicens: *Ei autem qui potens est vos confirmare secundùm Euangelium meum, & prædicationem* IESV CHRISTI, *secundùm reuelationem mysterij æternis temporibus taciti, quod nunc patefactum est per Scripturas Prophetarum*, &c. Itémque in E
Actibus Apostolorum de seipso loquitur dicens: *Vsque* Rom.16.
in hodiernum diem sto testificans minori, atque maiori, 25.26.
nihil extra dicens, quam ea quæ Prophetæ sunt locuti futu- Act.26.
ra esse, & Moyses: Cùm ergo ipse Apostolus ostendat, 22.
atque confirmet in illud Euangelium Dei, quod ante promisit per Prophetas suos in Scripturis sãctis se segregatum, & omne illud mysterium quod euangelizat per Scripturas Prophetarum testetur patefactum, nihilque se extra dicere, quàm quæ scripta sunt in lege & Prophetis, manifestum est huius rei, id est diuinæ præscientiæ & prædestinationis altitudinem non solùm in Apostolo, qui ex Scripturis Propheticis omnem suam prædicationem confirmat: sed etiam in ipsorum Prophetarum scripturis diligentius inuestigandam, & quod in verisque festa veritatis declaratione fuerit inuentum, fideliter nobis, & sine vlla controuersiarum disceptatione omnimodis sequendum.

Primo itaque quid ipse Apostolus, qui se nihil extra F
dicere, nisi quæ scripta sunt in lege, & Prophetis testatur, de hac re dicat audiamus, nec tam absurdi, vel contentiosi simus, vt vbi ipsa res, id est, prædestinationis veritas apparet, ideo negemus pro prædestinatione dictum, quia nequaquam ibi prædestinationis nomen positum inueniatur: sed siue sonet ibi expressè prædestinatio, siue ipsius prædestinationis veritas certissimè clarescat, vna & pari fide suscipiatur. Dicit itaque ipse primùm de sola prædestinatione electorum ita: *Nam quos* Rom.8.
præsciuit, & prædestinauit conformes fieri imaginis filij 29.
sui, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus: Quos autem prædestinauit hos & vocauit: Et quos vocauit,
hos & iustificauit: Quos autem iustificauit, illos & magni- v.30.
ficauit: Post quæ verba si nihil omnino dixisset de parte reproborum, etiam sic vtique è contrario intelligere debueramus, quid de eis esset sentiendum, videlicet, vt ex prædestinatione electorum ad gloriam agnosceremus etiam prædestinationem esse reproborum ad pœnam.
Sicut & im symbolo tantummodo vitam æternam, quod G
est præmium sanctorum videmur coofiteri: Et tamen è contrario similiter indubitanter credere, & intelligere debemus mortem æternam, quod est damnatio iniquorum. Hanc enim regulam iotelligendi in Scripturis ipse nos Apostolus docet, qui cum dixisset de resurrectione disputans. *Seminatur corpus animale, surget cor-* 1.Cor.
pus spirituale, ne sine auctoritate Scripturæ spirituale 15.44.
corpus dixisse videretur, statim qood è contrario veraciter intelligendum esset adiunxit, dicens: *Si est corpus* d.v.44.
animale & spirituale: Et continuo vtrumque confirmans
ponit testimonium Scripturæ, & dicit, *Sicut scriptum* v.45.
est: factus est primus homo Adam in animam viuentem: nouissimus Adam in spiritum viuificantem. Similiter & illud vtique intelligitur, quod cum Deus primo homini
dixisset, de ligno scientiæ boni & mali: *Ne comedas,* Gen.2.
quocunque die comederis ex eo, morte morieris. Vtique 17.
inobedienti comminatus est mortem: sed nunquid non agnoscit, fides, quid è contrario sentiendum sit, id est,
quod obedienti præparauerit vitam? Item cum loquitur H
Deus ad Abraham. *Masculus cuius præputij caro non* Gen.17.
fuerit circumcisa octaua die, peribit anima illa de populis 14.
suis: Quia pactum meum irritum fecit; Manifestum est masculum istum, qui non est octaua die circumcisus periturum de populis suis: quia pactum Dei irritum fecit: Non vtique in vtero materno, nec in illa tam recenti infantia, quando aliquid bonum aut malum nullatenus agere
potuit, sed vtique in Paradiso, *in præuaricatione Adæ,* Rom.5.
in quo omnes (sicut Apostolus dicit) *peccauerunt*, qui 12.
ex illa damnata origine descendunt: sicut ergo iste octaua die minime circuncisus, manifeste perituros denunciatur ob reatum primæ præuaricationis: Ita è contrario fideliter iotelligendum est eum, qui ritè, & legitime esset circuncisus, ab illo reatu absoluendum.

Hæc diximus vt manifeste intelligamus, qood etiamsi Apostolus in illa prædestinationis disputatione de reproborum parte tacuisset, debuisset, tamen fides no-

stra,

[A] ra, quid de eis sentiendum esset, è contrario aduertere, & intelligere: sed non tacet, cum statim post aliqua & electorum, & reproborum similitudinem, simul ponens in duobus geminis Isaac & Rebeccæ ita adiungat: [Rom. 9. 11.12. 13. Mal. 1.2.] *Cum enim necdum nati essent, aut aliquid egissent bonum aut malum, vt secundum electionem propositum Dei maneret; non ex operibus, sed ex vocante dictum est; quia maior seruiet minori: sicut scriptum est: Iacob dilexi, Esau autem odio habui.* Manifestè igitur in hoc exemplo, & in *Iacob* absque vllis meritis dilecto, & electo, qui similiter tenebatur originalis peccati obnoxius, vt frater & ex eadem veniebat massa in Adam damnata, declarata est prædestinatio electorum ad vitam. In *Esau* autem solo originalis peccati reatu odio habito, prædestinatio reproborum ad interitum. Tale est, & quod [*De vasis ira & misericordia.*] post paululum de vtraque parte subiungitur. *Ergo cuius vult miseretur, & quē vult indurat;* Et quod deinde addit, [Rom. 9.] *An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam;* [B] [18.21.22.] de quibus vasis honoris & contumeliæ statim subiungit: *Quod si volens Deus ostendere iram, & notam facere potentiam suam sustinuit in multa patientia vasa ira aptata in interitum: vt ostenderet diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparauit in gloriam?* &c. [v. 23.] In quibus omnibus euidentissime agnoscitur Apostolum non de sola electorum, quam primo loco posuit, sed in toto isto disputationis suæ contextu, de vtriusque partis prædestinatione, siue in vitam, siue in mortem: & exemplis, & testimoniis tractasse Propheticis, dum in *Iacob* proponit formam electorum, in *Esau* verò formam reproborum: In quibus vtrique duabus partibus, *cuius vult Deus miseretur, & quem vult indurat:* Sed [d.v.18.] *miseretur* misericorditer adiuuando, *indurat* iustè deserendo, & tanquam *figulus luti ex eadem massa* simul tota damnata, facit *aliud vas in honorem* misericorditer liberando, *aliud verò in contumeliam* iustè damnando: vt duo ex his ordines existant, quorum alij sint vas iræ, [C] [d.v.22.] & alij vas misericordiæ: Illa *aptata in interitum* ista *in gloriam præparata.* Sed *aptata in interitum* & suo merito, & Dei iusto iudicio: *Præparata* autem *in gloriam* nullo suo merito, sed solo diuinæ gratiæ beneficio. Cùm [v.22.23.] ergo tam aperte dicat Apostolus, *Et vasa iræ aptata in interitum, & vasa misericordiæ præparata in gloriam, & ex eadem massa aliud vas fieri in honorem aliud verò in contumeliam.* Quis non intelligat in his verbis vtriusque partis diuinam prædestinationem manifestissimè ostensam, dum & electi nullo suo merito, sed sola Dei bonitate prædestinantur ad vitam: [*Electi nullo merito.*] Et reprobi nullo Dei præiudicio, sed solo suo vel originali vel actuali merito prædestinantur ad interitum, nec eis diuina prædestinatio necessitatem pereundi imponit, sicut nec necessitatem peccandi, sed necessitatem tantummodo iusta supplicia patiendi: vt qui voluntate permanent in peccatis, necessitate crucientur in pœnis.

Ita etiamsi tota illa Apostoli de hac re disputatio ex hoc loco vsque ad finem vbi ait: (*Conclusit enim Deus omnia in incredulitate, vt omnium misereatur:*) diligen- [D] [Rom. 11. 32.] ter, & fideliter consideretur, de vtriusque partis prædestinatione, siue in vno populo Iudæorum in his, qui excæcati, & in his qui secundum electionem gratiæ saluari meruerunt: siue in vtroque, id est, Iudæorum & Gentium dum illi tanquam naturales rami fracti sunt; [Ibid. 17.] & isti tanquam *oleaster in bonam oliuam inserti*, indubitanter eum inueniet & suis verbis, & maximè testimoniis Propheticis disputantem. In quibus tamen Propheticis testimoniis, quæ nobis Beatus Apostolus tanta auctoritate proposuit, vt nihil omnino de huius rei, id est, diuinæ in vtramque partem prædestinationis profunditate, & obscuritate nisi ex eorum firmitate, & euidenti attestatione docere voluerit. Illud præcipuè omni pietatis consideratione attendendum est, quod cum nusquam in eis expresse, & propriè verbum prædestinationis sonet: tamen quia ipsæ res ad vtramque prædestinationem pertinentes manifestissimæ apparent, & euidentissimæ declarantur, confidentissimè Apostolus ad tantæ rei confirmationem, atque doctrinam ea assumpsit, [E] & ita tenenda atque intelligenda Ecclesiæ tradidit: sua scilicet auctoritate, & exemplo nos informans, & instruens, vt non contentiose & superuacue de ipso verbo prædestinationis in sanctorum Prophetarum eloquiis inter nos disceptemus, vel (quod absit) etiam rixemur: sed pacifica, & pia intelligentia vbicunque res ipsa manifestissime declaratur, indubitanter omnino diuinam prædestinationem & agnoscere, & asserere debeamus.

Primum namque testimonium Propheticum: quod de hac reposuit, illud ex Genesi est; De quo ita ait: *Promissionis enim verbum hoc est, secundum hoc tempus veniam, & erit Saræ filius:* [Rom. 9. 9.] Vbi licet non videatur sonare prædestinatio, sonat tamen aperte promissio, quæ non aliter rectè intelligitur, nisi ipsa promissio fideliter prædestinatio accipiatur electi seminis Abrahæ: id est eorum qui filij Dei deputantur, & à filiis carnis diuina gratia discreti sunt. Sicut ipse Apostolus in eodem loco exponit dicens: *Non qui filij carnis, hi filij sunt Dei; sed qui filij sunt promissionis æstimantur in semine.* Secundo loco illud iterum ex Genesi testimonium posuit: *De duobus geminis Isaac & Rebecca* quo *dictum fuerat: quia maior seruiet minori:* [v. 8. v. 13. Gen. 25. 23.] Vbi licet prædestinatio minime sonare videatur, tamen res ipsius prædestinationis tam profunde, & granditer ibi demonstrata est, vt moneat nos, & solerter excitet Apostolus in toto illo oraculo, quod tunc Rebeccæ de eisdem geminis diuinitus responsum est, hoc vigilanter, & fideliter intendere, & con- [F] siderare debere, quod nec damnati erant ex vtero materno, *necdum aliquid egerant bonum aut malum* in vita propria, & vtique ex vno erant concubitu procreati: & tamen tanta distantia omnipotens Deus inter vtrumque discreuit, vt nullis eorum præcedentibus vel bonis, vel malis meritis, sola bonitate, & iudicio suo vnum ex eis præferret, & alterum seruituti subiugaret.

Et ne hoc parum esse existimaremus, quod quasi de [G] humanis & inhumanis rebus dictum esse videbatur, *quia maior seruiet minori:* [Gen. 25. 23.] videlicet quasi hoc tantummodo in rerum temporalium statu in eis esset implendum, dum in eorum posteris vnus regno sublimatus, alteri sibi subdito, & seruienti dominatur: erigit adhuc Apostolus intelligentiam nostram ad maioris rei considerationem adiuncto testimonio ex Malachia Propheta, in quo de eisdem geminis non temporaliter, sed æternaliter discretis, neque in rebus tantùm temporalibus, sed etiam æternalibus magna distantia sepa- [Mal. 1. 3.] *autem odio habui.* Vnde non aliter rectè intelligitur hoc tis, ipse Deus loquitur dicens: *Iacob dilexi; Esau* testimonium Propheticum, nisi fideliter illi quod ex Genesi sumptum est testimonio coniungatur, vt scilicet, sicut illud quod ibi dictum est, *quia maior seruiet minori:* ita etiam istud quod in Propheta Deus loquitur: *Iacob dilexi, Esau autem odio habui*, antequam nati essent, & & antequam aliquid egissent bonum aut malum. In diuino vtique iusto iudicio vtrumque præcessisse accipiatur, id est, & dilectio Dei in Iacob, & odium Dei in Esau. [H] [*Electio Iacob æterna.*] Et cùm hæc duo, id est, in alterum dilectio, & in alterum odium Dei, & natiuitatem eorum, & omne meritum vitæ eorum iuxta verum & Apostolicum sensum præcesserint, cùm nec isti possent imputari mala aliqua quæ necdum fecerat, nec illi bona aliqua, quæ nulla perpetrauerat, ita solummodo iuste facta intelliguntur, vt omnipotens Deus, qui æternaliter ista in suo iudicio, & de vnius electione, & de alterius reprobatione statueerat, ac prædefinierat, originalem in eis reatum ex præuaricatione Adæ venientem, cui vtique ambo æqualiter tenebantur obnoxij, futurum præuiderit, vnum misericorditer diligendo liberaret, alterum iustè odiendo reprobaret atque damnaret: Quatinus ex hoc fideliter intelligamus profundiorem, & occultiorem diuini iudicij dispositionem, & illam generalem in Adam totius humani generis damnationem illuminante nos sensu Apostolico altius perspiciamus: Ex qua omnipotens Deus, & quos voluerit sola sua gratia liberat: Et quos

noluerit

noluerit æterna sua æquitate condemnat. Et licet in hoc Prophetico testimonio, quod Deus dicit: *Iacob dilexi, Esau autem odio habui*, non sonet verbum prædestinationis: ipsa tamen rei veritas ita euidenter apparet, in vtriusque partis electionem, vel reprobationem, vt nihil fortius & expressius dici potuerit, quàm vt ex forma istorum geminorum alios omnipotens Deus æterna misericordia sua dilexisse, alios æterno suo iudicio odisse, sua attestatione manifestetur.

Huic testimonio Prophetico & sensui Apostolico, videlicet, quo & dilectio & odium Dei in duobus geminis adhuc in vtero materno positis ex misericordia & iudicio Dei intelligitur, etiam illud de Esaia Propheta mirabiliter consonat & concordat: vbi omnipotens Deus, electi populi ab vtero auxiliator: & è contrario reprobi populi similiter tanquam ex vtero transgressoris condemnator ostenditur, dicente eodem Propheta inprimis ad populum electum. *Hæc dicit Dominus faciens, & formans te ab vtero auxiliator tuus.* Deinde post aliqua ad populum reprobum ex persona Dei subiungens: *Et transgressorem ex ventre vocaui te*: Vt certissime quod in illorum geminorum forma demonstratum declarat Apostolus, hoc in duplici genere hominum, electorum scilicet, & reproborum lucidissimè tenendum appareat. Dum & isti diuino iudicio ex ventre transgressores arguuntur: Et illis similiter Deus ex vtero auxiliator ostenditur, quatinus *ex eadem massa* originaliter tota *damnata in vtero materno fiant alia vasa in honorem, & alia in contumeliam.* Similiter in tertio testimonio Prophetico quod ita posuit, *Moysi enim dicit miserebor cui miserebor, & misericordiam præstabo cuius miserebor*: manifestè verbum prædestinationis non sonat. Res tamen ita manifesta est, vt de ea nullatenus dubitari possit. Cùm omnipotens Deus omnibus æqualiter ex prima illa transgressione damnatis, non vtique vllis præcedentibus bonis meritis, sed sola gratia sua misereatur cui miseretur, & misericors fiat, cui misericordiam præstiterit; manifestè cæteris, quibus hanc gratiam conferre noluerit, iusto, & æterno suo iudicio odio habitis atque damnatis.

Post hæc quartum testimonium Propheticum sicut & tertium de Exodo posuit, ita subiungens: *Dicit enim Scriptura Pharaoni: Quia in hoc ipsum excitaui te, vt ostendam in te virtutem meam, & annuncietur nomen meum in vniuersa terra.* Vbi licet nomen prædestinationis expressè non sonet; tamen ipsa prædestinatio malorum merito iniquitatis suæ ad interitum sempiternum, tam apertè ostenditur, vt qui hæc fideliter audit, & intelligit, de ea dubitare non possit: dũ ille impius, & durus, & indomabilis Rex Ægyptiorum, diuino iudicio, siue ex massa damnatæ originis, siue ad potestatem Regij honoris, in hoc tantũmodo excitatus est, vt qui ex semetipso, & in semetipso dignus erat interitu æterno, apponente * Deo iniquitatem super iniquitatem eius, augeret contemptum in Dominum, quo tantis, ac talibus plagis admirabili potentia Dei mereretur flagellari, & ad vltimum eum omni similiter impio populo suo æterna summersione, & perditione deleri: vt & illi iustissime reciperent quod merebantur: & omnipotens Dei virtus, siue in flagello, siue in perditione eorum magnificentius omnibus innotesceret, & ex vnius pœna plures ad cognitionem Dei, & salutem suam proficerent.

Sicut de hac re *Beatus Ambrosius* euidentissime tractans, ita dicit: Iustus Dominus in periculis, iustus in damnis, iustus in vltionibus est, non solùm, quia vnusquisque iuste culpæ suæ pretium luit: verum etiam, quia dum vnus punitur, plurimi corriguntur. *Ananias* in Actibus Apostolorum fraudati pretij, quod de agri venditione perceperat, crimen admisit, qui potuerat nihil offerre, & crimen euadere. Verum ne quis impune circumscribendos Apostolos arbitraretur, aut misericordiæ suæ munus fraude contaminare perfidiæ, morti addictus æternæ, vniuersos ad fidei studium iusto terrore composuit. Pharao cum populo suo fluctibus mersus mundanæ conuersationis exemplum est, ne quis Dei populum persequatur. Denique potuit Deus eum voluntati suæ facere obedientem, sed eius pœna omnes voluit emendari. Idcóque dicit ad eum Dominus: *Quia ad hoc ipsum te suscitaui, vt ostendam in te virtutem meam, & annuncietur nomen meum in vniuersa terra.* Non vtique Dominus suæ laudis, sed nostræ correctionis incrementa quærebat.] Hæc beatus Ambrosius.

E

Rom. 9. 17.

Apostolus verò præmissis duobus testimoniis, quorum vnum ad misericordiam, quæ electis confertur: Alterum ad iudicium, quod reprobis irrogatur, pertinet: Et velut vtrumque concludens, & vtrumque clementi, & iusta voluntate Dei fieri docens subiongit: *Ergo cuius vult miseretur, & quem vult indurat.* Deinde aduersus audaciam, & præsumptionem hominum, qui non recognoscentes fragilitatem suam, nec propria merita attendentes, diuina potius iudicia, quæ non intelligunt, reprehendere non pertimescunt: Proponit quintum testimonium ex Esaia Propheta ita dicens: *O homo tu qui es, qui respondeas Deo? nunquid dicit figmentum ei qui se finxit quid me fecisti sic?* Vbi & verbum prædestinationis minime sonat: & tamen ipsa in vtramque partem prædestinationis iustitia tam clare & perfecte defenditur, vt omnino compellat fideliter audientem verissime cognoscere, quia ille omnipotens creator verus est figulus, & omnes homines de limo terræ ab eo conditi, eius figmentum. Et ideo iustissima ratione non posse iudicare figmentum de figulo suo, sed potius figulum de figmento suo: Qui solus nouit æterno consilio suo vnumquodque vas tam magni figmenti sui benigne formare? & ad quos vsus ei placuerit vtique iustos, & debitos, ordinare, atque disponere.

v. 18.

F

Isa. 45. 9. v. 10.

Quod vt adhuc apertius insinuet, adiungit sextum testimonium ex Hieremia Propheta, & dicit? *An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam?* Ibi itaque, id est, in Hieremia Propheta legimus dixisse Dominum ad eum, *Surge, descende in domum figuli, & ibi audies verba mea.* Cumque ingressus fuisset Propheta; Ecce figulus faciebat opus è luto manibus suis, & subito dissipatum est opus quod faciebat: statimque conuersus fecit illud vas alterum, sicut placuerat in oculis eius. Tunc Propheta iussus est ire, & clamare ad populum ex persona Dei *Nunquid sicut figulus iste non potero facere vobis domus Israel? Ait Dominus: Ecce sicut lutum in manu figuli, sic vos in manu mea*, &c. Qua lectione Prophetica manifeste Deus ostendit, & se esse figulum, & omne humanum genus in manu ipsius quasi lutum in manu figuli, vt ex eo faciat vasa diuersa, sicut placuerit in oculis eius: Ex vna videlicet massa, & tota in Adam æqualiter damnata, efficiens vasa suo iudicio distincta atque diuersa, dum aliud ex eis fit in honorem, aliud vero in contumeliam: Et illud etiam vas quod suo merito, & Diuino iudicio fingitur in interitum, si subito per pœnitentiam figuli inter manus dissipetur, vt iam non sit aptatum in interitum, continuo per sapientiam & bonitatem figuli formatur & efficitur vas alterum, vt sit in honorem, vt placeat oculis conditoris. Tumque in omnibus his verbis non inueniatur proprie expressa prædestinatio, ipsa tamen prædestinationis virtus, & veritas in vtramque partem, & electorum videlicet, & reproborum, & vasorum in honorem, & vasorum in contumeliam, tanta luce manifestatur, tanta discretione distinguitur, vt nihil certius, vel manifestius inueniri possit. Quæ omnia idcirco tam sollicita, & diligenti consideratione legentibus proponenda existimauimus, vt iuxta hanc formam sensus Apostolici in omnibus Scripturis Propheticis non multum laboremus de verbo prædestinationis, cum omnino ipsa veritas rerum ad diuinam prædestinationem pertinentium tam clare, & multipliciter ibi proponatur, vt vix ea omnia inuenire, vel capere sufficiat humana fragilitas. De quibus hic aliqua exempli gratia subiungere, maxime, quæ planiora & euidentiora sunt necessario studuimus, vt ex his &

Rom. 9. 21.

G

Ier. 18. 2. &c.

Ier. 18. 7.

De massa in Adam æqualiter damnata.

H

pacifice,

Digitized by Google

A pacificem, ac fideliter audientes, facilius informentur, & contentiosi, si veritatem suscipere non renuerint, citius corrigantur.

Nec de illa nunc electorum prædestinatione aliquid dicimus, cum ad eam intelligendam, ac fideliter credendam & plenissimè omnino sufficiant Prophetica testimonia, ab Apostolo (sicut ostendimus) lucidissimè prolata: Nec de ea, Domino largiente, aliquis nostrum dubitet; sed tantum de illa iusti iudicij prædestinatione qua impios ad interitum præordinauit, ac prædestinauit; de qua inter multos multa hæsitatio est, pauca ex multis, & manifesta testimonia replicamus. Legimus itaque in libro Genesis, quod omnipotens Deus totius humani generis interitum, (præter eos, qui misericordia ipsius in arca erant saluandi) propter nimias iniquitates, & impietates ipsorum, vt generaliter & in præsenti perirent, pœna diluuij deleti, & in futuro æterna damnatione puniti longè ante prædixerit, ad sanctum Patriarcham *Noe* ita loquens: *finis vniuersæ carnis venit coram me; Repleta est terra iniquitate à facie eorum, & ego disperdam eos cum terra.* De qua etiam generali omnium perditione paulo superius eadem Scriptura dicit: *Dixitque Deus non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est. Eruntque dies illius centum & viginti annorum:* Et post pauca: *Videns autem Deus quod multa malitia hominum esset in terra, & cuncta cogitatio humani cordis intenta esset ad malum omni tempore, pœnituit eum, quod hominem fecisset in terra.* Vbi & paulo post subditur: *Delebo* (inquit) *hominem, quem creaui à facie terræ ab homine vsque ad animantia, à reptili vsque ad volucres cæli. Pœnitet enim me fecisse ea.* Quid euidentius tali prædictione & prædestinatione de generali omnium impiorum, quibus tunc mundus plenus erat, interitu: Quam &, sancto & electo Patriarchæ longe ante Deus annunciare voluit, & apud se in æterna & interna consilij sui dispositione statuit, ac præfiniuit, dum non per Angelum, nec per Prophetam aliquem illius temporis, sed apud semetipsum, hæc statuisse, & præfinisse ostenditur. Et tamen benignissimus index, & conditor etiam illos, quos merito ostenditur iniquitatū, & impietatum eorum ad tam horrendum exitium, atque interitum prædestinauerat, non sine misericordiæ suæ bonitate, & pietate reliquit, tribuens eis tempus & spatium pœnitendi, vt intra centum & viginti annos, aut digne pœnitendo Deo satisfacerent, aut si secundum duritiam suam, & cor impœnitens thesaurisarent sibi iram in die iræ, inexcusabiliter perirent. Ita illos & merito impietatis suæ ad interitum prædestinauit, nec tamen prædestinatione ad peccandum vllatenus compulit, quos tot annis ad pœnitentiam expectauit.

De prædestinatione ad interitū.

B

Gen. 6. 13.

v. 5.

v. 5 6. 7.

C

Dei bonitas erga reprobos.

De istorum infœlici contumacia, & damnatione terribili etiam liber Ecclesiasticus, adiuncto eorum interitu, qui educti ex Ægypto per Moysen terram repromissionis propter incredulitatem suam intrare non potuerunt, sed eorum cadauera prostrata sunt in deserto, ita dolenter & lamentabiliter loquitur dicens: *Non exorauerunt pro peccatis suis antiqui Gygantes, qui destruxerunt confidentes suæ virtuti: Et non pepercit peregrinationi illorum, & exsecratus est illos præ superbia illorum: Non misertus est illis Gentem totam perdens; & extollentem se in suis peccatis: Et sicut sexcenta millia peditum, qui congregati sunt in duritia cordis sui: Et si vnus fuisset ceruicatus, mirum si fuisset immunis. Misericordia enim, & ira est cum illo, potens exoratio, & effundens iram. Secundum misericordiam suam, sic correptio illius, hominem secundum opera sua iudicat.*

D

Eccl. 16. 8 9 10. 11. 12. 13.

Talis est illa prædictio atque prædestinatio Dei loquentis ad Abraham de futura oppressione atque præfictione, & ereptione seminis eius, & è contrario damnatione, & perditione oppressorum illius, cum ei ita dixit: *Scito prænoscens quod peregrinum futurum sit semen tuum in terra non sua, & subiicient eos seruituti, & affligent quadringentis annis: Veruntamen gentem, cui seruituri sunt, ego iudicabo: Et post hæc egredientur cum magna substantia: Tu autem ibis ad Patres tuos in pace sepultus in senectute bona: Generatione autem quarta reuertentur huc: Necdum enim completæ sunt iniquitates Amorrhæorum vsque in præsens tempus.* Quid hac prædestinatione manifestius? qua & semen Abrahæ tot annorum curriculis prædicitur in terra aliena peregrinaturum, & seruituti subiiciendum, atque affligendum, & ex ipsa afflictione gloriosissime liberandum, & præfinito tempore, id est, quarta generatione ad terram patribus repromissam reuersurum, ipsumque beatissimum Patriarcham in pace, & senectute bona patribus sociandum: è contrario autem gentem, & Regem Ægyptiorum, qui eos oppressuri erant, æterno Dei iudicio perditioni perpetuæ destinatos. Similis est, aut etiam multo euidentior illa prænunciatio, ac prædestinatio de interitu Amorrhæorum, immò septem gentium pessimarum, quas tanto ante omnipotens Deus merito impietatis ipsorum se disperditurum, ac deleturum statuisse, ac præfinisse, ad Abraham loquens manifestissime declarauit, cum dixit: *Necdum enim completæ sunt iniquitates Amorrhæorum vsque in præsens tempus:* Promiserat namque eidem sanctissimo Patriarchæ, quod illis deletis regna & terras eorum semini eius in possessionem traderet. Nec tamen hoc iudex iustus, & misericors, velut personarum, quod absit, acceptor, propter solam bonitatem, & promissionem suam ad Abraham facere voluit: sed *secundum diuitias bonitatis, & patientiæ, & longanimitatis suæ* tot sæculis expectauit & distulit, & spacium pœnitentiæ dedit, vt illarum gentium multimodo si in suis impietatibus perseueraret, & peccatorum suorum cumulum adimpleret, in plenitudine iniquitatum suarum iustissimè puniretur; eiusque loco semen Abrahæ, quod Deo erat seruiturum, non personæ acceptione, non iustitiæ, & æquitatis suæ merito: sed sola diuinâ bonitate succederet. Cúmque iam tempus appropinquaret, & perditionis earumdem gentium propter iniquitates suas, & introductionis seminis Abrahæ in terras earum per misericordiam Dei, ita de earum peccatis, & instanti, iusta perditione ad ipsum semen Abrahæ, id est ad populum Israël Deus loquitur, dicens: *Ne polluamini in omnibus his, quibus contaminatæ sunt vniuersæ gentes, quas ego eiiciam ante conspectum vestrum, & quibus polluta est terra, cuius ego scelera visitabo, vt euomat habitatores suos.* Et post pauca: *Omnes enim exsecrationes istas fecerunt accolæ terræ, qui fuerunt ante vos, & polluerunt eam, Cauete ergo ne & vos similiter euomat, cum paria feceritis, sicut euomuit gentem, quæ fuit ante vos.*

Gen. 15. 13. 14. 15. 16.

E

F

d. v. 16.

G

Leu. 18. 24 25. 27. 28.

Iam vero de extrema earundem gentium perditione, qua & in præsenti, & in futuro sæculo proculdubio perierunt, ita generaliter Scriptura loquitur, dicens: *Domini enim sententia fuerat, vt indurarentur corda eorum, & pugnarent contra Israël, & caderent, & non mererentur vllam clementiam, ac perirent, sicut præceperat Dominus Moysi.* Quid apertius inueniri potest de prædestinatione impiorum ad interitum sempiternum, quam quod omnipotens Deus, qui hoc futurum in occulto iudicio suo statuerat, tantò ante, & Abrahæ ista prædixerat, & ipse postea mediis temporibus frequentissimè comminatus est, & ad extremum eius sententiæ id est consilij atque iudicij fuisse Scriptura confirmat, vt non mererentur vllam clementiam, sed in sua impietate atque contemptu funditus & æternaliter perirent. De his diuinis iudiciis etiam liber Sapientiæ ita ad Deum loquitur dicens: *Quis enim dicet tibi quid fecisti? aut quis stabit contra iudicium tuum? aut quis in conspectu tuo veniet vindex iniquorum hominum? aut quis tibi imputabit, si perierint nationes, quas tu fecisti? Nec enim est alius Deus quam tu, cui cura est de omnibus: vt ostendas quoniam non iniustè iudicas iudicium: neque Rex, neque Tyrannus in conspectu tuo inquirent de his quos perdidisti; Cum sis ergo iustus, iuste omnia disponis.* Item cùm eadem Scriptura distantiam faceret diuinæ bonitatis erga populum suum, & iustæ seueritatis erga inimicos ipsorum, Ægyptios videlicet, quos æternæ perditioni destinauerat ita dicit. *Ostendens quemadmodum tuos exaltares, & aduersarios illorum necares. Cum enim ten-*

Iosue. 11. 20.

H

Sap. 12. 12. 13. 14 15.

Sap. 11. 9 10 11.

tati sunt, & quidem cum misericordia disciplinam acceperunt, scierunt quemadmodum cum ira iudicati impij tormenta paterentur: Hos quidem tanquam pater monens probasti: Illos autem tanquam Rex durus interrogans condemnasti. Et iterum; *Oportebat enim illis quidem sine excusatione supervenire interitum exercentibus tyrannidem: His autem tantum ostendere, quemadmodum inimici illorum exterminabantur.* Et iterum: *Tetigit autem tunc & iustos tentatio mortis, & commotio in Heremo facta est multitudinis, sed non diu permansit ira tua: Erat enim sola tentatio iræ sufficiens: impiis autem vsque in nouissimum sine misericordia ira supervenit.* Et paulo post de æterno eorundem Ægyptiorum in mari rubro interitu, ita dicit: *Adhuc enim inter manus habentes luctum, & deplorantes ad monumenta mortuorum, aliam sibi assumpserunt cogitationem inscientiæ, & quos rogantes proiecerant, hos tanquam fugitiuos persequebantur: Ducebat enim illos ad hunc finem digna necessitas, & eorum, quæ acciderant, commemorationem amittebant: vt quæ deerant tormentis, repleret punitio; & populus quidem tuus mirabiliter transiret, illi autem nouam mortem inuenirent.*

Similiter & in libro Danielis Prophetæ quatuor futurorum magnorum & cardinalium regnorum, & ordo & tempora, & æterna destructio iuxta diuinæ prædestinationis iudicium, siue sub specie quatuor metallorum *in statua à Rege* in somnis visa; siue sub diuersitate quatuor bestiarum de mari ascendentium; siue aperta prænunciatione regum atque bellorum vsque ad tempora, & interfectionem, atque interitum ipsius Antichristi, & aduentum Christi ad iudicium admirabili Dei præscientia, & dispositione manifestantur. Quæ vtique regna, adiuncto regno Antichristi, quanta & quam horrenda mala in vniuerso mundo exercuerint, & inquantum maxime Ecclesiam Dei oppresserint, & impugnauerint, quis digne æstimare sufficiat? Et tamen vt omnia hæc æterno præscientiæ, & prædestinationis diuinæ iudicio facta, vel futura esse intelligantur, tam mirabiliter (vt diximus) suo ordine prædicta, suis temporibus distincta, suis terminis finienda; tanto ante prophetica reuelatione & agnita, & descripta sunt.

Quod si etiam ipsum nomen prædestinationis, quod nihil est aliud, quam decretum, & præfinitio diuini iudicij in verbis Propheticis inuenire cupimus, est locus mirabilis, & memorabilis apud Esaiam Prophetam, vbi historicè de Regni Babylonij, & Assyrij destructione, mystice autem de totius ciuitatis diaboli in fine sæculi perditione loquitur, & omnipotentem Deum iurantem, id est, immobili veritate sua verba firmantem inducit, & ait: *Iurauit Dominus exercituum dicens, si non vt putaui, ita erit: Et quomodo mente tractaui, sic eueniet.* Et paulo post: *Hoc consilium, quod cogitaui super omnem terram: & hæc est manus extenta super vniuersas gentes: Dominus enim Deus exercituum decreuit; Et quis poterit infirmare, & manus eius extenta, & quis auertet eam?* Ecce manifeste prædestinatio interitus reproborum, id est, omnium gentium populo Dei aduersantium, & inimicarum per diuinæ mentis tractatum & consilium, atque decretum, & per manus extensionem, per quam omnia opera implenda, & perficienda significantur sub iurisiurandi testificatione, id est, diuini consilij immobili firmitate apertissimè declaratur.

In illa quoque *visione arboris magnæ*, cuius aspectus erat vsque ad fines terræ, quam Rex vidit in somnis Deo iubente abscidi, per quam significabatur altitudo mundanæ potentiæ, quæ superbiæ merito frequenter diuino iudicio subuertitur, & dissipatur: diuini consilij prædestinatione, & decreto: atque sententia per Angelorum Sanctorum ministeria hæc fieri demonstrentur.
.4. Sic ipse Rex in eiusdem somnij narratione ait: *Videbam*
1. *in visione capitis mei super stratum meum: Et ecce vigil,*
& sanctus de cælo descendit; Clamauit fortiter, & sic ait,
succidite arborem, & præcidite ramos eius, excutite folia
.4. *eius, & dispergite fructum eius, &c.* & post pauca: *In*
sententia vigilum decretum est & sermo Sanctorum, & petitio, donec cognoscant viuentes, quod dominetur excelsus in regno hominum, & cuicumque voluerit, dabit illud: Non enim hæc propter solum Nabuchodonosor gesta sunt; sed ad terrorem, & humiliationem omnium mundialium potestatum, qui legunt ista vel audiunt, vt omnes contremiscant, omnes cognoscant quod dominetur excelsus in regno hominum: Cuius potestate atque iudicio regnandi potentia aliis, atque aliis tribuatur. Quod quia per Angelica ministeria disponitur atque peragitur, etiam in sententia vigilum decretum esse, & sermo Sanctorum, & petitio in talibus impleri dicitur. Quam tamen vigilum sententiam Propheta in sequentibus sententiam altissimi esse testatur dicens: *Hæc est interpretatio sententiæ altissimi,* v. 31. *quæ peruenit super Dominum meum Regem.* Ista itaque iudicij diuini sententia, qua vt talia gerantur in mundo decretum & præfinitum est apud Deum, & altissimi est, & Angelorum sanctorum: sed altissimi iudicando, & iubendo: sanctorum verò Angelorum, qui sub illo, & secundum illum omnia inferiora iudicant, obediendo, & exequendo: Inde accipiunt potestatem, vt sit sermo eorum in talibus tanquam iubentium. Et tamen petitio adiungitur, vt quæcunque in mundo per eos exercenda sunt, apud Deum orando obtineantur.

Hæc prædestinatio & præfinitio diuini iudicij etiam apud Ezechielem Prophetam breuiter ostenditur, vbi in persona totius regni & sacerdotij Iudaici merito impietatis suæ in nouissimis temporibus, Christo Domino (Ezech. 21.26.) adueniente, destruendi ad reprobum regem dicitur: *Tu autem prophane, impie dux Israel, cuius venit dies in tempore iniquitatis præfinita. Hæc dicit Dominus: Aufer cidarim, tolle coronam: Coronam* enim regni esse & cidarim sacerdotum manifestum est: Quod vtrumque Christo Domino adueniente ab illo populo sublatum esse videmus & hoc quando aduenit eis dies in tempore iniquitatis præfinita. Tale est & illud apud eundem Prophetam, quod Dominus ad gladium exacutum atque limatum ad cædem & perditionem impiorum, ita dicit: *Vt dareris super colla vulneratorum impiorum; quorum* (v. 29.) *venit dies in tempore iniquitatis præfinita.* Sic igitur vtramque prædestinationem, & Apostolus in Epistolis suis, & Prophetæ in Scripturis antiquis manifestissime ostendunt: per quam nihil iniustè, nihil inordinate, sed totum iustitia & ratione disponitur.

Quam auctoritatem Apostolicam, atque Propheticam (Refut. 1. Defin.) *Beatus Augustinus* fideliter sequens, in iustis Dei iudiciis & dispositionibus non timuit prædestinationem verissime dicere, non, sicut iste dicit, fallaciter simulate, qui nobis duas, nescio quas mendacissimas, & fallacissimas regulas tradere conatur, id est, à simili, & à contrario, vt quod per vnam, quasi veraciter affirmatur, per alteram, quasi falsum sit, penitus destruatur. Ita vult, vt quicquid, vel in Scripturis sanctis, vel in dogmatibus Patrum de hac prædestinatione, quæ ad partem reproborum pertinet, simpliciter, & veraciter dicitur, licenter velut à contrario ita intelligatur. Vt factum pro non facto, & dictum pro non dicto positum intelligatur. Quis vnquam talem audiuit insaniam? nunquid non procul ab auribus omnium repellendus est, qui tam apertum, & impium mendacium contra veritatem Scripturarum, contra puritatem paternæ doctrinæ audet sentire, audet etiam scribere? Et cùm tanta fallacissimis argumentationibus suis dixerit, atque conscripserit, hic pene in extremo, velut per somnium, recordatus est Scripturarum sanctarum, & Apostoli, & Augustini.

Et tamen quod per Scripturas sanctas & Apostolum, definit, nihil de prædestinatione malorum ad supplicium æternum dici, quam apertum mendacium sit, supra sufficienter putamus ostensum. Dicit de Deo secundum ridiculam & omnibus conspuendam regulam suam: *Præscinit, quæ facturus non esset, pro nesciuit.*] (Refut. 3. & 4. Defin.) Quis audiuit vnquam tale? vt vbi legimus quod Deus aliquid præsciuit, intelligamus, nesciuit. Quod vtique vtrumque falsum est, vt aut præsciuit intelligatur, nesciuit, aut quod Deus facturus non esset, dicatur

quia

A quia nesciuit: Qui verè, & æterna scientia sua, sicut præsciuit quæcunque erat facturus; sic etiam præsciuit quæcunque non erat facturus. Verbi gratia, præsciuit quòd Lazarum esset resuscitaturus, & fecit: præsciuit quod Iudam non esset suscitaturus, nec fecit; iste autem dicit prædestinauit impios ad interitum vel supplicium æternum pro non prædestinauit, id est vt vbi legimus prædestinauit, inaudita insania intelligamus non prædestinauit. Proponit etiam quæstionem: *Quomodo iustè iudicabitur mundus, quem necessitas prædestinationis cogit perire,*] quod absit vt aliquis nostrum dicat: Quia apertissimæ blasphemiæ est, vt Deus prædestinationis suæ præiudicio aliquem cogat peccare, & peccando perire. Sed prædestinationis suæ iusto iudicio, quos perseuerantes in peccatis punire decreuit, reuocat potius à peccatis, & salubrem terrorem incutit audientibus, vt timentes corrigantur, & correcti minimè damnentur.

CAP. XII.

B

Cap. 12. Defin. 4.

DVodecimo capitulo huiusmodi definitiones ponit.

1. 1. *Omnem præscientiam Dei prædestinationem esse, & omnem prædestinationem præscientiam.*

2. 2. *Omnem prædestinationem Dei omnino esse præparationem gratiæ: omnémque gratiam, donum. Omnem igitur diuinam prædestinationem donorum eius præparationem.*

3. 3. *Pœnam impios iustè torquere, quæ donum non est: Alioquin si esset donum non torqueret, sed vtique liberaret. Non esse igitur prædestinationem pœnæ: Quod si esset, non esse pœnam, sed gratiam: Esse autem pœnam: non esse igitur prædestinationem eius. Proinde prædestinationem in donis diuinæ largitatis semper intelligendam esse.*

4. 4. *Prædestinatos ad pœnam à contrario semper intelligi, sicut electos pro non electis: Filios Dei pro non filijs.*

Refut. 1. Defin. Has quatuor propositiones longissimas & vanissimas, & velut syllogismorum artificio connexas facile diiudicare, & destruere potest, qui ea quæ superius iuxta regulam fidei Domino largiente diximus, studiosè legerit, & fideliter intellexerit: Quis enim non intelligat

C quàm blasphemum, & impium sit, quod hic primo loco posuit dicens: *Omnem præscientiam Dei prædestinationem esse:* Cùm manifestè fides teneat omnipotentem Deum præscire omnia, id est, bona & mala: & quæ facturus ipse sit, & quæ facturus non sit: prædestinare autem non nisi sola bona, quæ ipse facturus sit, vel misericorditer liberando, & remunerando electos, vel iustè reprobos condemnando: Quia quod iustum est, vtique bonum est. Si ergo iuxta istius definitionem omnis præscientiam Dei, prædestinatio est; Ergo omnia quæ præsciuit etiam mala prædestinauit se esse facturum, quod absit: Quia mala tantummodo præsciuit, nec ea vllo modo prædestinauit, quia nec ipse ea erat facturus; sicut omnia quæ prædestinauit, neque vt fierent ipse statuit, aut præfiniuit.

Refut. 2. Defin. Similiter secundæ propositionis caput à falsitate incipit; Et ideo etiam falsitate finitur. Dicit enim: *Om-*

D *nem prædestinationem Dei, omninò esse præparationem gratiæ:*] Quod non ita esse superiùs Apostolicis, & Propheticis testimoniis satis ostensum est, vbi apertè inuenimus, & demonstrauimus prædestinationem Dei dupliciter debere intelligi, id est aut in bonis misericorditer remunerandis, aut in malis iustè damnandis. Et ideo sicut verba Beati Augustini, quæ supra posuimus, manifestissimè docent, prædestinatio Dei quando in bono accipitur, tunc tantùm intelligenda est gratiæ præparatio.

Refut. 3. Defin. Tertia propositione, similiter falsissimum est, quod affirmare conatur, videlicet *non esse vllam prædestinationem pœnæ.*] Si enim pœna diabolo, & Angelis eius, & omnibus reprobis, qui cum eis puniendi sunt, non esset

Matth. 25. 41. prædestinata, nullatenus veritas diceret; *Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & Angelis eius.* Et quod in fine huius tertiæ propositionis ponit, *Prædestinationem in donis diuinæ largitatis semper intelligendam esse,*] similiter falsum est: Inuenitur enim, & veraciter intelligitur, non solùm in diuinæ largitatis, sed etiam in iudiciis iustæ damnationis. E

Refut. 4. Defin. Quarta eius propositio, quæ ita se habet: *Prædestinatos ad pœnam à contrario semper intelligi,*] ad illam insaniam pertinet, de qua superius satis diximus, qua vult, vt intelligamus prædestinatos, id est, non prædestinatos. Quod autem, velut exempli gratia, subiunxit: *Sicut electos, pro non electis; Filios Dei pro non filijs,*] meliùs in sequenti capitulo tractabitur, vbi de his quid ipse sentiat latius exponit. Recordandum tamen, & recognoscendum est Beatum Augustinum, sicut superius posita eius verba demonstrant, dixisse aliquando in Scripturis præscientiam Dei prædestinationem significare. Ex quibus verbis iste velut occasionem suæ argumentationis assumens contra eius veracissimum dictum, quod, ille aliquando, ita docuit debere intelligi, iste addidit omnem, & tulit aliquando. Atque ita fecit definitionem falsissimam, dicendo: *Omnem præscientiam Dei, prædestinationem esse.*] Item quia B. Augustinus sicut supra posuimus definiuit prædestinationem Dei, præparationem gratiæ esse, quod tantummodo iuxta illius sensum in parte electorum intelligitur: Iste addidit *omnem*, & fecit definitionem falsissimam, dicendo: *Omnem prædestinationem Dei, omnino esse præparationem gratiæ.*

Aug. de dono pers. c. 18.

F Aug. de prædest. Sanct. c. 10.

CAP. XIII.

Cap. 13. Defin. 4.

TErtio decimo capitulo ita dicit.

1. 1. *Electum Iudam pro non electo, & Filios Dei pro non filijs à contrario accipi: Sic idem amicus, qui nunquam non fuerat inimicus.*

2. 2. *Frustra quæri Filios Dei præter eius electos: frustra putari eius electos præter ab eo prædestinatos.*

3. 3. *Item impiè putari prædestinatos à Deo præter eius electos, superuacuè æstimari electos Dei præter eius filios, nec esse prædestinatos, si non sint Filij Dei.*

G

4. 4. *Prædestinatos ad pœnas, vel interitum, vel supplicium nihil aliud sentiendum, nisi non prædestinatos: sed à massa damnabili merito peccati originalis, atque proprij non esse separatos: Ideoque impiè viuere permissos æterno igne puniendos.*

In his verbis quod ita intelligit Iudam inter electos Apostolos à Domino connumeratum vbi ait: *Nonne duodecim vos ego elegi;* vt cæteri intelligantur verè electi; ille verò velut à contrario id est per ironiam ita sit appellatus; melius est si ita accipiatur, vt veritas verum dixisse agnoscatur? vt omnes duodecim, electi à Domino esse intelligantur: sed aliter cæteri, aliter Iudas, id est, illi æternaliter ad regnum, iste temporaliter ad ministerium. Electus namque ad tempus inter cæteros ad Apostolicum ministerium, missus ad prædicationis officium: Accepit etiam forsitan gratiam miraculorum; Vnde & Beatus Petrus in Actibus Apostolorum sic de eo loquitur: *Quandoquidem connumeratus erat in nobis, & sortitus est sortem ministerij huius.* Et cùm statuissent duos, & orarent vt Deus ostenderet quis ex eis in locum, quem ipse præuaricando amiserat, constitui deberet ita supplicantes dixerunt: *Tu Deus, qui corda nosti hominum, ostende quem elegeris ex his duobus accipere sortem ministerij huius & Apostolatus, de quo præuaricatus est Iudas, vt abiret in locum suum.* Ita ergo electus erat à Domino, vt temporali quadam dispensatione coniungeretur Apostolis, & sortiretur cum eis sortem ministerij, & Apostolatus: ita vt de ipso gradu Apostolico diceatur esse prauaricatus; quod tamen Dominus non fecit, quasi ignarus futurorum, qui semper nouerat in æterna sua præscientia; & cæterorum Apostolorum perseuerantissimam fidem, & illius casum, & ruinam futuram: sicut Beatus Ioannes Euangelista dicens testatur: *Sciebat enim ab initio* IESVS, *qui essent credentes, & quis traditurus esset eum.* Vnde & ipse Dominus, cùm dixisset illud, quod supra commemoratum est: *Nonne duodecim vos elegi,* tanquam verè præsciens futurorum, statim subiunxit: *Et vnus ex vobis diabolus est.* Quod

Refut. 1. Defin. Ioan. 6. 71.

Di electione Iudæ.

Act. 1. 17.

H v. 24. 25.

Ioan. 6. 65.

v. 71. Ibid.

Eusngelista exponens de quo dixerit addidit coutinuo. *Dicebat autem Iudam Simonis] Iscarioten : hic enim erat traditurus eum , cùm esset vnus ex duodecim :* Nouerat etiam locum damnationis eiua in suppliciis sempiternis, qui merito impietatis suæ fuerat destinatus, & prædestinatua. Vode & ab Apostolia dictum est, *Vt abiret in locum suum.* Et ipse Dominus ait, *Væ homini illi , per quem filius hominis tradetur : bonum erat ei si natus non fuisset homo ille.* Et tamen voluit eum (vt dictum est) ad tempus ministerium , & locum Apostolatus accipere,vt cùm ille malè abusus fuisset taota Domini bonitate ; Dominus è contrario benè vteretur magno eiua malo ad nostrum magnum bonum.

Docens tali exemplo futuros io Ecclesia sua malos admixtoa , sicut & iste in illa tuoc societate Apostolorum ad tempus mixtus est : & communicaturoa cum Ecclesia non solùm sactamenta , & ministetia diuina , sed etiam locum regiminis : atque ita monstraret suis exemplum patientiæ , quam patienter scilicet toleraret malos, sicut ipse istum & verissime nouerat , & mira patieotia toletabat : ne putatent veri fideles talium societate se pollui , vel eorum ministeria , quæ secundùm Deum sunt respuenda : Sicut nec Beati Apostoli illius ficta societate polluebantur : nec eius ministerium , in quantum secundùm Deum fiebat, est improbatum:cúmque vsque ad proditionis malum eius infœlicitas peruenisset,tam magnum vnius hominum malum conuertit in totius mundi bonum, dum per hoc *ipse verus immolatus est agnus, qui abstulit peccatum mundi :* Atque ita in tantum benè bonus Domious eum elegit ad bonum , & vt bona sua illi concederet , & mala illius in nostrum bonum commutaret. Quja quòd præoaricatus est , quòd petiit,suæ malitiæ fuit : Quòd autem inter bonos electus est,bonitatis Domini : Si permansisset in bonitate , sicut Apostolus ait : *Vide ergo bonitatem, & seueritatem Dei,in eos quidem qui ceciderunt seueritatem : in te autem bonitatem , si permanseris in bonitate.* Quantum ergo ad temporale Apostolatus ministerium adtinet , de quo Dominus tunc loquebatur , cùm diceret : *Nonne duodecim vos elegi :* Benè potest dici & iste inter cæteros electus.Quantum vero ad æternam beatitudinis electionem illi tantummodo electi erant, de quibus cùm inter istum & illos faceret distinctionem , ait : *Non de omnibus vobis dico, ego scio quos elegerim.*

Atque ita benè & verè potest intelligi dictum & adiuncto Iuda : *Nonne duodecim vos elegi* , & illo segregato tanquam reprobo : *Ego scio quos elegerim.* Nec oecesse est è contrario accipi. Qood vtrumque verum euidentitatione monstratur. Sic namque etiam *de Saule* Scriptum est , cùm esset eligendus ad regnum , cui in melius vtilis erat futurus quod etiam sorte electus accepit dicente Scriptura : *Erat vir de tribu Benjamin vocabulo Saul electus, & bonus & non erat de filys Israël melior illo :* Qui tamen postea infœlicissimè reprobatus , & abiectus periit : Et tamen ad tempos benè ad temporalem quandam regni vtilitatem electus dicitur : Qui & mystica vnctione , & sortis electione , per Prophetam sanctum Dei populo prælatus. Vbi autem Scriptura Euangelica specialiter filium nominet *Iudam* , nos minimè legimus. Quod enim Dominus de Apostolis ait , *Non possunt filij sponsi ieiunare,quandiu cum ipsis est sponsus :* Nulla necessitas cogit , vt non etiam Iuda excepto de cæteris tantummodo dictum rectè intelligi. Ad qnos vtique solos (illo iam perdito) illud pertinet quod Dominus subiungit dicens:*Venient autem dies cum auferetur ab eis sponsus, & tunc ieiunabunt in illis diebus.* Sed si quis etiam ipsum Iudam in his verbis Domini inter filios vult intelligi deputatum , manifeste hoc propter aliqoam fidem illius in Dominum , & sacramentorum societatem , qua sanctis Apostolis iungebatur , non à contrario sed beue, e consequeotet ita potuit appellari. Sic & eum Dominum iam tradeoti , & eum osculo designanti ipse Dominus ait : *Amice ad quid venisti?*bene potest intelligi, non quod tunc gerebatur,sed quod dudum fuerat ei exprobratum: vt cum fuisset aliquando secundum quendam modū discipulus & amicus , in tam crudelem , & impium inimicum repente esset mutatus. Sed et si hoc per Ironiam dictum iotelligatur, sicut & intellectū est à quibusdam,nō propterea aliquid valebit bonis uoni , & insulsi disputatoris regula:Quia aliud est more humano aliquid per ironiam significare , quod verum est, sicut cum malo homini indignantes , vel increpantes dicimus , boous homo es : vel male agenti , bene agis , & inimico , amice : & multa similiter : aliud iuxta diabolicam istius regulam aperta falsitate negare , quod verum est , vt cum aliquia merito impietatis suæ diuino iudicio veraciter dicitur prædestinatus ad supplicium : iste nous insania fallaciter doceat dictum , prædestinatus non prædestioatus : quo peruersissimo & falsissimo sensu nunquam in rebus ad fidem pertinentibus (quod absit) Scriptura loquitur , nunquam aliquis doctor Ecclesiasticus, nunquam aliquis vir verax loquutus est. E

Si autem non ad peccandum, quod absit , sed ad luendum pro peccatis supplicium nemo iusto Dei iudicio est prædestinatus, quid est quod Apostoli in *oratione sua ad Dominum* de Iuda dixerunt *: de que præuaricatus est Iudas, vt abiret in locum suum ?* Quid est quod Salomon ait : *Vniuersa propter semetipsum operatus est Dominus , impium quoque ad diem malum.* Quid est quod in libro Iob legitur : *Quia in diem perditionis seruatur malus , & ad diem furoris ducitur.* Cur de Ægiptiis in mari rubro & æternaliter delendis atque perituris scriptura dicit : *Ducebat enim eos ad hunc finem digna necessitas :* Vbi aperte ostenditur , quia & ducebat eoa diuini Iudicij necessitas ad interitum ; & tamen digna pro meritis impietatis, & contemptus eorum. Quid est etiam illud quod alibi Scriptum est: *Et qui transgreditur à iustitia ad peccatum, Deus parauit illum ad Romphæam.* Qui etiam de Aotichristo adhuc in fine sæculi reuelando & extinguendo ; dixit Angelus ad beatum Ioannem in Apocalipsi : *Bestia, quam vidisti, fuit & non est , & ascensura est de Abysso , & in interitum vadit.* Si hoc noo est prædestinatum apud Deum , quomodo idem Angelus dicit : *Hæc verba fidelissima , & vera Dei sunt.* Si idem Antichristus *Homo peccati filius perditionis* , cum omnibus sequacibus suis, non est ad iudicium æternæ damnationis prædestinatus , Quomodo tam aperte de eo dicit Apostolus ; *Quem Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui, & destruet illustratione aduentus sui ?* Et de omnibus qui ab eo seducendi , & cum eo in æternum perituri sunt : post pauca subiungit : *Eò quod charitatem veritatis non receperunt , vt salui fierent : Ideo mittet illis Deus operationem erroris vt credant mendacio: & iudicentur omnes , qui non crediderunt veritati , sed consenserunt iniquitati.* Quomodo dicitur apud Ezechielem Prophetam : ad gladium exacutum & limatum ad cædem & interitum impiorum , *Vt dareris super colla vulneratorum impiorum , quorum venit dies , in tempore iniquitatis præfinita?* Cur etiam idem Propheta de iudæis & regnum & sacerdotium amissuris , & in sua infidelitate perituris sub persona impij regis dicit ? *Tu autem Prophane , impie, dux Israël, cuius venit dies in tempore iniquitatis præfinita : Hæc dicit Dominus : Aufer cydarim , tolle coronam.* Coronam quippe esse regni , Cydarim vero sacerdotij , vt supra iam diximus manifestum est.

Prædestinatio ad malū pœnæ non culpæ.

F

Act. 1. 25. Prou. 16. 4. Iob. 21. 30. Sap. 19. 4.

Eccl. 26. 27.

Apoc. 17. 2.

G

Apoc. 21. 5. 2. Thessal. 2. 3. 2. Thessal. 2. 8. v. 10. 11.

Ezech. 21. 29.

Ib. 25. 26.

H

Quod si quis opponat in his duobus Propheticis exēplis non esse positam prædestinationem , sed præfinitionem , cogooscat veraciter, nihil esse aliud prædestinationem , quam rei futuræ præfinitionem : Quod apertè Apostolus ostendit dicens : *Secundum præfinitionem sæculorum , quam fecit in Christo Iesu Domino nostro.* Vbi enim hic in Latino legimus præfinitionem,in Græco habet Πρόθεσιν , quod proprie in Latinum propositum interpretatur. Qui sermo etiam in Epistola ad Romanos illo loco est positus, vbi idem Apostolus dicit : *Scimus autem quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum his , qui secundum propositum vocati sunt , Propositum* autem Dei non esse aliud quam prædestinationem Dei ipse Apostolus velut exponit ; qui cum dixisset , *His qui secundum propositum vocati sunt,*

Idē præfinitio quod prædestinatio.

Eph. 3. 11.

Rom. 8. 28.

statim

A v. 29. *Sie & proposită.* statim subiunxit; *Nam quos præsciuit, & prædestinauit conformes fieri imagini filij sui:* vt ex his omnibus rectissimè intelligamus vnum, atque idem esse, & propositum Dei, & prædestinationem Dei, & præfinitionem Dei; Quæ præfinitio, id est, prædestinatio manifestissimè, & in his verbis Apostoli ponitur in bono, & in illis verbis Prophetæ, quæ supra memorauimus, ponitur in malo, dum hic designat præordinatos ad vitam; ibi verò præordinatos ad interitum. Tales namque sunt *vasa iræ*, sicut ipse Apostolus ait, *aptata in interitum:* siue vt alij transtulerunt, *perfecta in interitum.* Et suo videlicet merito, & iusto diuino iudicio. (Rom. 9. 22.)

Refut. 4. Defin. De quibus cùm iste dicat, *Quod in massa damnata ex originalis peccati merito sint derelicti & malè viuere permissi, & ad extremum æterno igne plectendi.*] Et iam nolens & contradicens nihil aliud dicit, quam diuino eos iudicio æterno igni prædestinatos. Nam si massa illa tota damnata est, vtique iusto Dei iudicio est condemnata: Et condemnata sine dubio ad æternam perditionem, atque supplicium: Quod quid est aliud quam hanc eandem massam diuino iudicio damnatam esse ad interitum sempiternum. Ita dum veritati resistere conatur ipsam veritatem etiam nolens, ac nesciens inuicta ratione confiteri compellitur. (B)

CAP. XIV.

Cap. 14.

D. fin. 3. 1. QVarto decimo capitolo ita dicit.

1. *Ex verbis Augustini probari prædestinatos non nisi de iustis dici, dicentis: Nescientes enim quis pertineat ad prædestinatorum numerum, quis non pertineat. Et iterum: Qui prædestinatos à non prædestinatis discernere non valemus. Item: qui cadunt & pereunt in prædestinatorum numero non fuerunt.*

2. *Pœnam prædestinatam peccatoribus: ipsos verò præscitos tantum, non prædestinatos.*

3. *Hoc etiam legibus humanis conijci, quæ hominem non definiunt ad peccandum. pœnas autem peccaturis definiendo, nihil aliud appetere, quam pronos ad peccandum suppliciorum atrocitate territos cohibere; Ac per hoc non minus misericordia, quam vindicta transgressoribus suis efficere.* (C)

Refut. 1. Defin.

Aug. de præd. sanct. c. 10. His verbis nos respondemus, immò ex verbis beati Augustini probari prædestinatos etiam de iniustis dici: Qui cum definiret quid sit prædestinatio, ita ait: prædestinatio Dei quæ in bono est, gratiæ est præparatio.] Vbi sine dubio nullatenus adiungeret in bono, nisi sciret prædestinationem esse etiam in malo, sicut aperte ex libro Actuum Apostolorum ipse demonstrat, ponens illud testimonium vbi dicitur: *Conuenerunt enim in veritate in ciuitate ista aduersus sanctum puerum tuum* IESVM, *quem vnxisti, Herodes & Pilatus, & populus Israël facere quanta manus tua, & consilium prædestinauit fieri:* Vbi & subdidit: Tanta quippe ab inimicis Iudæis manus Dei & consilium prædestinauit fieri, quanta necessaria fuerant Euangelio propter nos.] Manifestè igitur & ex verbis libri diuini, & ex verbis sancti Augustini approbatur, prædestinationem quæ hic legitur non fuisse in bonum illis, qui tanta & talia passionis tempore in Dominum exercuerunt, sed in magnum & mortiferum malum: quamuis Deus illud nobis verterit in bonum. Si quis autem putat beatum Augustinum velut vitiose ex iam dicto libro istud testimonium posuisse, quia apud nos legitur: *Quæ manus tua & consilium decreuerunt fieri:* Sciat potius vere & expresse, & propriè, sicut in Græco habetur, ab eo positum, ipse enim sermo id. ..... etiam hic legitur in Græco, vbi ille posuit: *Quæ manus tua, & consilium prædestinauit fieri*; Qui etiam in Epistola ad Romanos Græcè inuenitur, vbi Apostolus ait, *Quos autem prædestinauit, hos & vocauit.* Ex quo manifestum est, eundem Græcum sermonem propriè in Latinum interpretari prædestinauit, posse autem interpretari ad sensum etiam decreuit, siue præfiniuit, vt certissimè intelligamus, prædestinatum nihil esse aliud quam decretum & definitum. Sicut & ex verbis Esaiæ Prophetæ quibus ait: *Dominus enim Deus exercituum decreuit.* Et ex illis verbis libri Danielis: *In sententia vigilum decretum est*, iam supra euidentissimè est demonstratum.

(Aug. de præd. sanct. c. 16. — Act. 4 27. 28. — D — v. 28. Rom. 8. 30. *Quid sit prædestinare.* — E Dan. 4 14.)

Quid ergo isti prodest, quod tanta intentione, & contentione mentitur, *Beatum Augustinum* definisse omnem prædestinationem gratiæ præparationem esse. Cùm ille nequaquam dixerit *omnem*, sed prædestinationem tantummodo, quæ in bono est, ita definierit, & quasi ipse dixerit, prædestinatos non nisi iustos dicendos: Cùm ille hoc nusquam dixisse inueniatur. Sed verba quæ ille de sola iustorum prædestinatione posuit, quâ alij sunt vtique prædestinati, alij non prædestinati: Alij pertinent ad numerum prædestinatorum, alij non; Iste minus peruicaciter, & impudenter posuit: Quasi ille sanctus Doctor semper de vtraque prædestinatione, id est, bonorum & malorum simul loqui debuisset: aut consequens sit, vt cum de sola bonorum prædestinatione disputat, statim prædestinationem malorum negare videatur: Quia in illo apertissimè in multis locis commemorat, & ostendit; De quibus hic exempli gratia vnum testimonium ponimus, vbi ait: Populum quendam Psalmus ille culpat, in quo *nec vnus erat, qui faceret bonum*, dum volunt manere filij hominum, & non esse filij Dei, cuius gratia homo fit bonus, *vt faciat bonum.* De illo enim *bono* dictum hic debemus accipere, quod ibi ait: *Deus de cælo respexit super filios hominum, vt videat si est intelligens requirens Deum.* Hoc ergo *bonū* quod est requirere Deum, *non erat qui faceret, non erat vsque ad vnum*, sed in eo genere hominum quod prædestinatum est ad interitum: super hos enim respexit Dei præscientia protulitque sententiam.] Sed quid prodest hoc exemplum de Dei prædestinatione malorum, contra istum proponere: cum solita insania paratus sit dicere auditoribus suis: vt cum audiunt in verbis huius sancti Doctoris dictum, genus hominum prædestinatum ad interitum: à contrario intelligant non prædestinatum, sic inludantur, qui veritatem non in Scriptura veritatis, sed in mendacij fabricatoribus quærunt.

(F Aug. Perfect. iust. c. Ps. 13. — v. 2. — d. v 3. — G)

Refut. Defin. 2. Addit adhuc & dicit: *Pœnam prædestinatam peccatoribus, ipsos vero præscitos tantum, non prædestinatos.*] De qua re & in isto, & in præcedenti capitulo satis diximus, multis testimoniis manifestè ostendentes peccatores, qui in peccatis suis permanserint, iusto Dei iudicio pœnis prædestinatos. Mirum est autem quo sensu, vel quâ ratione possit intelligi, vt Deus peccatoribus prædestinauerit pœnas, & peccatores non prædestinauerit pœnis: Neque enim quando eis pœnas prædestinauit & præparauit, ignorabat, qui eis puniendi, & cruciandi essent. Quod etiam iste confitetur dicens esse præscitos. Si ergo certissimè præsciebat, qui illis pœnis iustè puniendi & excruciandi essent, quid aliud fecit cum certissimis quibusque certissimas pœnas præparauit nisi quod eos certissimè pœnis prædestinauit? Omnino enim illi soli eas patientur, quos ille passuros præsciuit. Quid ergo; est immutabili præscientia præscisse illos ad pœnas, quam immutabiliter eos pœnis prædestinasse. Neque enim timendum erat, vt quod certissimè præsciebat iuste futurum, non prædestinaret se iuste facturum.

(*Vt pœna prædestinata malis, sic mali pœnis.* — H)

Refut. Defin. Nota. 3. Alia est autem legum humanarum conditio; quæ sic statuunt peccantibus certa supplicia, vt tamen qui ita peccaturi sint, vt illis vel illis suppliciis iustè excrucientur, penitus ignorent. Et ideo pœnas peccatoribus præparare, & prædestinare possunt, quas iustas esse nouerunt: Ipsos tamen peccatores, quos prorsus ignorant, pœnis prædestinare non possunt. Quod si scirent certissimè personas, quæ illis suppliciis dignæ essent, possent omnino iustissimè, sicut peccatoribus pœnas statuere: ita & ipsos peccatores certa & iusta definitione pœnis prædestinare, sicut in ipsa iam iudicij examinatione, quos certissimè comprobauerint capitalis criminis reos, mortem eis statutam atque decretam ex legibus recitant, & manifesta sententia ipsos morti adiudicant. Quod eis vtique præstat iudicij certa cognitio, vt sicut peccatori-

A bus pœnas, ita & ipsos peccatores pœnis prædestinare audeant. Si ergo vtrumque hoc rectè, & iuste in humano iudicio certis cognitionibus informato, atque formato potest fieri, vt & pœnæ peccatoribus, & peccatores pœnis iusto & inreprehensibili iudicio decernantur; nec tamen aliquis talium reorum, vel per ipsas leges vel ipsos iudices ad peccandum cogitur, sed tantum; quia peccauit, iuste punitur: quantò incomparabiliter, & ineffabiliter in diuino iudicio fieri omnino credendum est: vt quoniam & ipsas pœnas, quæ peccatoribus iuste debentur, & ipsos peccatores, quibus debentur, æterna scientia nouit? Cum nulli sit ipse auctor vel causa peccati, iustissime tamen & pœnas peccatoribus, quas iustissimas nouit, & peccatores nunquam sibi ignotos, sed æterna veritate notissimos æternis prædestinat pœnis. Neque enim aliquis nostrum dicit: Quod iste tam frequenter obiicit; quod Deus prædestinatione sua aliquem cogat ad peccandum, sed tantummodo pro B his, quæ peccauit, ad luendum supplicium: sicut nec leges ipsæ decernendo supplicium, compellunt ad peccatum: sed tantummodo quod spontaneè & voluntariè peccatum est, iusta damnationis vltione non relinquunt impunitum.

...a[d] [pr]ædestinatio n[o]n cogit [ad] peccandum

CAP. XV.

Q Vinto decimo capitulo tales definitiones ponit.

1. 1. *Peccata, & eorum supplicia nihil esse.*

2. 2. *Præscisse, & prædestinasse Deum peccata, vel pœnas; pro non præscisse, non prædestinasse, non præparasse: Exemplo Iuda, qui electus pro non electo, amicus pro non amico, filius pro non filio.*

3. 3. *Pœnas malas esse idcò non à Deo, à quo non sit malum, Deum non punire quæ facit, nec ab eis naturalia munera tollere.*

4. 4. *Dolorem esse sanitatis absentiam, tenebras lucis, silentium clamoris: tristitiam gaudy, laborem quietis, sic præsciri, vel prædestinari peccata vel pœnas.*

C

5. 5. *Dolendo non ipsum dolorem, sed ipsam sanitatem nosci, quam non nosse si de illa notionem quamdam non haberet.*

6. 6. *Recordationem sanitatis in sensibus remanere: ipsam vero in illa substantia, quam Deus creauit residere.*

In istis sex propositionibus illud quod primo loco posuit, id est, *peccata & supplicia nihil esse*] iam superius prout potuimus est tractatum: Quia & si nihil dici possunt peccata, eo quòd nullam habeant substantiam in se existendi, vel subsistendi: Tamen iustitiam deserere, quòd est peccare, non potest fieri, nisi in aliqua & per aliquam substantiam, vel spiritualem, vel corporalem; spiritalem cùm in ipso animo deseritur veritas, iustitia, bonitas, & subintrant his contraria, id est, mendacium, iniquitas, malitia, quæ licet nullam habeant subsistendi naturam, sunt tamen magna vitia, vel languores naturæ, id est ipsius animi, cui dominantur, & cuius sani- D tatem, atque integritatem violant: Ita vt ipse animus his incuruatus & depressus ex libero seruilis, & ex sano infirmus efficiatur: dicēte Domino in Euangelio: *Quia omnis qui facit peccatum, seruus est peccati.* Et Psalmista dolenter & miserabiliter implorante: *Ego dixi Domine miserere mei, sana animam meam, quoniam peccaui tibi.* Sed quia hæc mala sic incipiunt in animo, vt maxime tamen per corpus exerceantur, transit malum spiritualis naturæ, id est animi in malum corporalis naturæ, id est, ipsum corpus: Et ita velut quædam pestis totum simul commaculat & corrumpit, vt peccato dominanti anima seruiens redigat in eandem seruitutem corpus suum: Et fiant *membra corporis* ipsius, *arma iniquitatis peccato*, quibus ipsa iniquitas & peccatum fortius, & violentius in vtroque dominetur. Vnde Apostolus fidelibus dicit: *Et ne exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato, sed exhibete vos Deo tanquam ex mortuis viuentes; & membra vestra arma iustitiæ Deo.* Huic tanto & tam mortifero languori totum hominem sibi vindicanti, & saucianti, solus ille vnus & verus medicus potest ad- E hibere medelam, & sanitatem conferre, qui de seipso ait; *non est opus sanis medico, sed malè habentibus*, & de quo scriptum est: *Ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum*: De quo etiam Apostolus ait: *Fidelis sermo, & omni acceptione dignus, quia Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores saluos facere.* Matt. 9. 12. Matt. 1. 21. 1. Tim. 1. 15.

Iste ergo qui tam assidue dicit, & *repetit peccata nihil esse*,] Quid aliud conatur agere diabolo instigante, nisi vt ea quasi leuiget in cordibus auditorum, vt non doleant, non agnoscant quanto malo teneantur: nec curent dicere cum Psalmista; *Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam: & secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam. Amplius laua me ab iniquitate mea, & a peccato meo munda me. Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper.* Abiiciatur ergo deceptor iste ab auribus, & cordibus fidelium, & contra tam magnam miseriam imploretur dolenter, & sim- F pliciter magna Dei misericordia, contra multitudinem tantarum miseriarum quæratur multitudo miserationum, vt deleatur iniquitas, lauetur homo ab ipsa iniquitate, mundetur à peccato, quo erat sordidus, & immundus effectus: Cognoscat iniquitatem suam, & peccatum suum non putet esse nihil, nec ponat illud post dorsum suum: sed ante oculos semper habens imploret illum qui dixit. *Deleui vt nubem iniquitates tuas, & quasi nebulam peccata tua*: Similiter & supplicia, quæ peccatis debentur, ita extenuare, sic leuigare & annullare contendit, vt ea semper nihil esse confirmet; Quæ licet in se substantiam nullam habeant existendi: tamen per corporales naturas, id est, ignem æternum, & stagnum sulphuris, & vermes nunquam deficientes damnatorum, & corporibus, & animis inferuntur: dum & animas, & corpora simul excruciant. Et ideò licet non sint substantialiter; sunt tamen semper pœnaliter, & infœliciter in eorum animis, & corporibus, quos sine fine excruciant. *Non satis cautè dicitur peccata nihil esse.* Ps. 50. 2.3.4.5. Isa. 44. 22.

G Quocirca non nos delectet audire ab isto misero seductore *peccatorum supplicia nihil esse.*] Sed potiùs audiamus quod verissimè veritas dicit: *Mortuus est autem & diues, & sepultus est in inferno: Eleuans autem oculos suos cum esset in tormentis, vidit Abraham à longè, & Lazarum in sinu eius; & ipse clamans dixit: Pater Abraham miserere mei, & mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti sui in aqua, & refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma* Et paulo post, cùm pro fratribus suis supplicaret, ait: *Vt testetur illis, ne ipsi veniant in hunc locum tormentorum.* Ecce infelix & infelicissimè damnatus diues, statim, vt mortuus est corpore, anima sepultus est in inferno, vbi tenebatur ipsa anima in tormentis, & ibi ampliùs cruciabatur, vnde ampliùs peccauerat, id est, in lingua; & cruciabatur in flamma vndique adurente & concremante. Et sicut ipse micas mensæ suæ non dederat Lazaro mendico & vlceribus pleno iacenti ad ianuam suam: Ita & ipse stillam aquæ de digito eius, qua aliquantulum refrigeraretur, non meruit impetrare. H Et pro fratribus rogat, ne & ipsi veniant in illum locum tormentorum. Si ergo iuxta vocem veritatis, infernus locus est tormentorum, & animæ miserorum exutæ corporibus, illic sepeliuntur, & sunt in tormentis, & per quæ peccauerunt, per hæc & torquentur, vt *iudicium sit illis sine misericordia, quia non fecerunt misericordiam.* *De malo diuite.* Luc. 16. 22.23. 24. v. 28. Iac. 2. 13.

Hæc audiat fidelis quisque & timeat, & dum tempus est, fugiat ab ira ventura de qua Beatus Ioannes Baptista, ait: *Quis vobis demonstrauit fugere à futura ira. Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ*; Hunc locum tormentorum ipse Dominus frequenter appellat *tenebras exteriores & caminum ignis, & ignem æternum Diabolo & omnibus impiis præparatum, vbi erit dolor* sine fine, & ex dolore sempiternus *fletus* oculorum, & *stridor dentium.* De tali pœna infœliciū damnatorū & Esaias Propheta dicit; *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur: Et erunt vsque ad satietatem visionis omni carni*; Sed & beatus Iob lachrimabiliter Deum implorat dicens: *Num-* Luc. 3. 7. & 8. Matth. 25. 41. Isa. 66. 24. Iob 10. 20.

quid

A 7.21.25. *quid non paucitas dierum meorum finietur breui? Dimitte ergo me, vt plangam paululum dolorem meum; antequam vadam, & non reuertar ad terram tenebrosam, & opertam mortis caligine; terram miseria & tenebrarum, vbi vmbra mortis, & nullus ordo, & sempiternus horror inhabitat.* Et Beatus Ioannes in Apocalypsi. (Apocal. 20.14.) *Missi sunt* (inquit) *in stagno ardenti igne & sulphure: quod est mors secunda, & cruciabuntur die ac nocte in sæcula sæculorum.* (Apocal. 14.11.) Et sicut alibi ait: *Fumus tormentorum eorum ascendet in sæcula sæculorum.* Hæc fideliter credamus, veraciter timeamus, & hunc vaniloquum, & seductorem penitus ab auribus repellamus: Quia, sicut ait Apostolus (1. Cor. 15.33.) *corrumpunt bonos mores colloquia mala.* Vnde & alia Scriptura admonet dicens (Eccl. 28. 28.): *Sepi aures tuas spinis, & noli audire linguam inquam.*

(Refut. 2. Defin.) 2. Statim namque post hæc illa sua regula impia, & furiosa, qua persuadere conatur, vt cum audimus aliquid factum, intelligamus non factum, cum aliquid B dictum, intelligamus non dictum, adiungit & dicit: *Præsciisse, & prædestinasse Deum peccata vel pœnas, pro non præsciisse, non prædestinasse, non præparasse.* Quod apertissime fidei & veritati contrarium est. Si enim non præsciuit Deus Angelorum, vel hominum omnia futura peccata, non est præscius futurorum. Et quid iam aliud præstat, nisi vt *dicat iste insipiens in corde suo, non est Deus*, si non præsciuit pœnas, quæ peccantibus iuste debentur, quomodo eas, & in Euangeliis, & in cæteris Scripturis, tam assiduè, tam grauiter, tam terribiliter (Ps. 13. 1.) comminatur: sed dicit iste, *Quia peccata vel pœnæ nihil sunt, eo quod substantiam per se existendi non habeant. Et ideo quod nihil est Deum nec scire nec præscire potuisse.*] (De scientia Dei.) Quasi Deo ignotum sit quicquid non est, & quod ipse essentialiter & naturaliter ille non fecit: Cum ille omnipotenti scientia & præscientia sua sicut nouit omnia quæ fecit, sic etiam nouerit, quæ non fecit: Et sicut nouit, quæ esset facturus: Ita semper nouerit, quæ non esset facturus. C Ita namque & quæ vellet esse, & quæ nollet esse, nullatenus potuit ignorare: Et quod noluit habere naturam, vel substantiam existendi; Nouit sine dubio magnum malum esse naturæ subsistendi Angelicæ, vel humanæ, cum peccato in deterius commutatur, & pœnali supplicio sine fine cruciatur.

(d Refut. 2.) Quod autem dicit, *Deum non prædestinasse pœnas vel peccata.*] De peccatis vtique verum est, quia non prædestinauit, nisi quæ fuerat ipse facturus. Quæ vtique omnia & bona & iusta sunt. De pœnis autem manifeste falsissimum est, quas non solum prædestinauit, sed etiam præparauit. Sicut ipse Dominus in Euangelio dicit (Matth. 25. 41.): *Discedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & Angelis eius.* Adiungit exemplum *Iudæ* satis absurdè & incongruè, sicut supra ostensum est.

(Refut. 3. Defin. Quodam malum à Deo.) Et statim subiungit dicens: *Pœnas mala esse ideóque non à Deo, à quo malum non fit.*] Contra illud quod ipse Deus per prophetam testatur dicens (Isa 45.7.): *Ego Dominus faciens pacem & creans malum.* Vnde & alibi scriptum est (Amos 3. 6.): *Si erit malum in ciuitate quod Dominus non fecit.* Et iterum D (Eccl. 11. 14.): *Bona & mala vita & mors, paupertas & honestas à Deo sunt:* Et ideo fideliter discernendum, aliud esse malum, id est vitium, contrarium bono, quod vtique non est à Deo, sed vel à Diabolo inuentum, vel ab homine commissum aliud verò esse malum, quod significat aliquam afflictionem vel temporalem, vel æternam; vt sunt fames, pestilentia, hostilitates, vastationes, mors, & ipsa quæ appellantur æterna supplicia: Quæ vtique omnia à Deo sunt: Quia non nisi iusta eius dispositione, & iusto eius iudicio præparantur, vel inferuntur. Iste autem, qui pœnas illas æternas à Deo non esse confirmat, compellandus est, vt dicat à quo eas esse putet, vtrum à Diabolo, cui sunt præparatæ: An ab hominibus, qui ibi pariter cruciandi sunt: An à nullo, vt sine aliquo auctore coæternæ Deo existant.

(d def. 3.) Subiungit post hæc dicens: *Deum non punire quæ fecit nec ab eis naturalia munera tollere.*] Quod vt diligentius consideretur, manifestum est illa quæ Deus fecit in creatura rationali Angelica, vel humana, esse in Angelis E spiritus sine corpore, esse in hominibus animam, & corpus: Naturalia verò munera, quæ istis rationalibus creaturis naturaliter Deus dedit, illa vult iste intelligi, de quibus superius multa loquutus est, id est, quod habeat in se naturaliter mens humana, siue Angelica, memoriam intelligentiam, voluntatem, esse, nosse, velle, vt naturaliter meminerit sui, intelligat se, diligat se, naturaliter habeat esse, vt existat, nosse, vt agnoscat se, velle vt amet se. Liberum etiam arbitrium naturale tantummodo donum creatoris asserit iste, sicut supra satis suis verbis ostendit. Dicit itaque Deum non punire quæ fecit: id est, nec spiritum Angelicum in Angelis malignis: nec spiritum, & corpus in hominibus damnandis. Et quomodo *ignem æternum* dicit *paratum esse Diabolo & Angelis eius*, si illo igne spiritus Angelici puniendi non sunt? Quomodo etiam alibi hominibus, & de hominibus dicit (Matth. 10.28.): *Sed potius eum timete, qui potest & animam & corpus perdere in gehennam*, si illo cruciatu gehennæ nec F anima, nec corpus, quæ vtraque Deus fecit, punientur? Sed verè punientur, & spiritus, & corpora in gehenna sicut vera fides credit, sicut ipsa veritas testatur: non quia ea Deus fecit, sed quia ipsa fecerunt, quæ Deus non fecit, & quæ Deus odit, & quæ impunita esse non sinit, id est, peccata: Quæ sine auctoribus suis neque esse, neque puniri possunt: neque enim per se subsistunt, vt in seipsis puniantur, sed insunt mentibus deprauatis Angelicis, siue humanis ab ipsis commissa, ipsis adhærentia, & cum ipsis atque in ipsis damnanda.

(Sap. 11.25. De amore & odio Dei.) Ita & illud verum est, quod in Dei laudibus Scriptura dicit. *Diliges enim omnia quæ sunt, & nihil odisti eorum, quæ fecisti*, Et quod Dominus ait: *Qui potest & animam, & corpus perdere in gehennam.* Diligit enim creaturam suam, in quantum natura est, & ab eo condita est. Et odit eam in quantum vitiata est. (Ps. 5.7 8.) Vnde scriptum est, *odisti omnes, qui operantur iniquitatem, perdes omnes, qui loquuntur mendacium: Virum sanguinum & dolosum abominabitur Dominus.* (Oseæ 9. 10.) Vnde & de quibusdam dicit Prophera, *Et facti sunt abominabiles, sicut ea, quæ dilexerunt*; Et (Sap. 14. 9.) G iterum: *Similiter autem & odio sunt Deo impius & impietas eius.* Ita ergo diligit omnia quæ sunt, & nihil odit eorum quæ fecit; vt tamen hæc in creatura rationali vitiata, deprauata atque corrupta; impunita & inordinata esse non sinat: iuste enim ordinatur & punitur in pœnis natura, quæ nō sub Deo & ex Deo voluit esse beata, sed in se, & per se, velut libera esse concupiuit: vt quæ noluit subiici volēs, subiiciatur nolēs; & quæ illic potuit esse sēper beata; hic sine fine misera efficiatur. (Tob. 13. 2.) Quia *manū Dei* (sicut ipsa Scriptura dicit) *effugere impossibile est*, cui necesse est, vt quæ noluit voluntate, necessitate subdatur.

(De naturalibus muneribus in damnatis.) Quid autem ipsis naturis rationalibus proderit, si in illa æterna damnatione constitutis naturalia illa, vt iste dicit, munera non erunt sublata? Cum ad nullum beatitudinis fructum, sed ad solum tormentorum cumulum in eis relinquenda esse manifeste intelligantur, vt meminerint sui, ad æternum dolorem malæ conscientiæ: Intelligant se semper miseras, semper esse damnatas: Diligant se: vt magis doleant, sine fine perire quod amant. H (De libero arbitrio.) Liberum vero arbitrium quomodo aut quale in illis erit, quorum voluntas nec iniquitatem suam poterit iam deserere, nec bonum aliquid vlterius operari? sicut Scriptura dicit (Eccl. 9. 10.), *Quodcumque potest manus tua facere, instanter operare. Quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quo tu properas.* Quid illis proderit semper esse infeliciter, scire damnationem suam, velle, nec posse euadere pœnam suam? Omnia ergo, quæ hic data sunt ad vsum bene agendi, ad gratiam Domini promerendam, ibi quantulacumque eorum vestigia remanserint, ad supplicium * valebit, non ad solatium. (* Forte valebunt.) Si autem rationalis creaturæ memoria, intelligentia, voluntas, non ad se, sed ad conditorem referantur: Quid iam illis penitus à Deo desertis, & ab æterno illo & vero lumine separatis, quid in illis (inquam) aget memoria, vbi nemo dicere poterit (Ps. 76. 4.), *Memor fui Dei, & delectatus sum?* & vbi implebitur quod scriptum est (Ps. 6. 6.): *Quoniam non est in morte, qui memor sit tui.* Nulla erit intelligen-

A tiæ inluminatio, qua Deus agnoſcatur, quæratur, inueniatur. Nulla dilectionis pietas, qua Deus ametur, deſideretur, fruatur. Ipſæ enim erunt tenebræ exteriores extra illud lumen iam poſitis, cuius nulla inluminatione perfruentur: Et illa nox horrenda, de qua ipſum verum lumen Dominus noſter dicit: *Quandiu in mundo ſum, lux ſum mundi. Venit nox quando nemo poteſt operari.* (Ioan. 9. 4. & 5.) Quandiu ergo in mundo eſt per inluminantem gratiam, lux eſt mundi à ſuis tenebris liberati. Cùm autem hanc ſuæ inluminationis gratiam ſubtraxerit æterna cæcitate damnatis: quid eis aliud remanebit niſi nox horrenda, nox perpetua, in qua nemo poſſit operari?

De ſenſibus corporis. Si autem etiam de ſenſibus corporis, qui & ipſi ſunt vtique naturalia munera conditoris, tale aliquid conſideretur; Quid ibi proderit viſus, vbi nullus erit lucis aſpectus? Aut ſi ad horam fuerit, non ad conſolationem, ſed ad vehementiorem dolorem valebit: vt ſcilicet videant boni aliquid, quod iam habere aut promereri non poſſint. B Sicut & diues ille eiſdem infernalibus pœnis damnatus, Abraham & Lazarum ad horam videre potuit (Luc. 16. 23.), ſed ad augmentum doloris, non ad ſolatium ereptionis. Licet hoc ante vltimum illud iudicium iuxta occultam diſpoſitionem conditoris fieri credendum ſit: Poſtea verò nihil tale futurum legatur. Quid ibi aget auditus, vbi ſemper horrendus fragor, & triſtis atque innumerabilis audietur gemitus? Quid olfactus, vbi iuxta quod Deus per Prophetam comminatur, *Erit ſemper pro ſuaui odore fœtor?* (Iſa. 3. 24.) Quid guſtus, vbi æterna erit fames & ſitis? Sicut de ciuitate diaboli, id eſt de tota illa multitudine damnatorum apertè in Apocalypſi ſcriptum eſt; *Quia in vna die venient plagæ eius, & mors & luctus, & fames: quia fortis eſt Deus, qui iudicauit illam.* (Apoc. 18. 8.) De ſiti autem & lingua ſemper ardente, in damnatione illius diuitis apertè Euangelium declarat. Quid totius corporis tactus: vbi nulla eius poterit eſſe iucunditas, nulla ſuauitas: ſed ſempiternus ſentietur dolor, C æterna exuſtio, æterna excruciatio? Quid ergo prodeſt quod iſte dicit, velut ad conſolationem ſtultorum, *Deum non punire quæ fecit, nec ab eis naturalia munera tollere:*] Cùm & puniat æternaliter naturam vitiatam pro his, quæ malè geſſit: Et ſi aliquid naturalium munerum in illa damnatione eam habere permittet, totum valeat ad ſupplicij augmentum, non ad conſolationis ſolatium.

Refut. 4. Defin. Quid eſt autem quod addit, *Dolorem eſſe ſanitatis abſentiam, tenebras lucis, ſilentium clamoris, triſtitiam gaudij, laborem quietis. Sic præſciri vel prædeſtinari peccata vel pœnas.*] Si enim in his verbis hoc perſuadere voluit, quod ſicut nos per ſanitatis abſentiam cognoſcimus in nobis dolorem, & per abſentiam lucis cognoſcimus tenebras, & per abſentiam vocis cognoſcimus ſilentium, & per abſentiam gaudij ſentimus triſtitiam, per abſentiam quietis ſentimus laborem: ſic *De ſcitia Dei incõmutabili.* Deus præſcierit peccata, vel prædeſtinauerit pœnas, vt & peccata nonniſi priuatione iuſtitiæ ſcire, aut præſcire potuerit: D Et pœnas, niſi priuatione beatitudinis non agnouerit, vel prædeſtinauerit: Si (inquam) ita ſenſit, ita perſuadere voluit quid tali ſenſu horribilius, quo diuina virtus humanæ infirmitati adæquatur? Dei etenim virtus ſemper eodem modo ſe habens, omnia nouit in ſe, nec indiget, vt aliquid nouerit extra ſe: nec aliter nouit facta, aliter non facta, quia nec illa nouit per eorum præſentiam, nec iſta per aliarum rerum abſentiam: ſed æterna, & incommutabili ſcientia ſua æqualiter videt quid voluerit eſſe, & quid eſſe noluerit: nec priuatione iuſtitiæ cognoſcit peccata, ſed cùm ſit ipſe ſumma iuſtitia, in * ipſa incommutabiliter videt quid ab ea diſſonet vel diſcordet. Similiter non per abſentiam beatitudinis pœnas cognoſcit, ſed cùm ſit ipſe ſumma beatitudo, in ſemetipſo incommutabiliter videt in quantam pœnarum profunditatem mergendi ſunt, qui ab eius tranquillitate diſcedunt. Atque ita non priuatione iuſtitiæ, ſed in ipſa iuſtitia videt, quicquid ab ea diſſentit: nec priuatione beatitudinis agnoſcit pœnas: Sed in ipſa beatitudine videt, quid E doloris, & laboris incurrat, qui ab eius tranquillitate ſeparatur.

* al. ipſo

Refut. 5. Defin. Adhuc addit & dicit, *Dolendo non ipſum dolorem, ſed ipſam ſanitatem noſci, quam non noſcet, ſi de illa notionem quandam non haberet.*] In quibus verbis affirmare videtur dolorem illum æternarum pœnarum non poſſe noſci, id eſt, agnoſci ab animo patientis, eo quòd ipſe dolor nullam habeat ſubſtantiam in ſe exiſtendi, vel ſubſiſtendi. Et ideo cùm ſubſtantialiter nihil ſit, non ipſe agnoſcatur ab illo, qui dolet, ſed potiùs ex eius comparatione ſanitas agnoſcitur, quæ in corpore naturaliter aliquid eſt, & quæ ipſi dolori contraria eſt. Quam ſanitatem nullatenus noſſet, qui totus dolet in pœnis, niſi eius notitia in memoria remaneret.

Refut. 8. Defin. Et vt hæc tam abſurda, & ſtulta velut ratione quadam reddita confirmare videatur, ſubiungit & dicit: *Recordationem ſanitatis in ſenſibus remanere, ipſam verò in illa ſubſtantia, quam Deus creauit reſidere.*] F Per quod fortaſſis hoc intelligi, vult quòd in ſenſibus in illa damnatione ſemper dolentis, velut ex commonitione ipſius doloris, fiat recordatio ſanitatis in ſenſibus videlicet, quibus vel corpus, vel anima ipſos dolores ſentiet: Ipſam verò ſanitatem in illa damnatione ita poſſe intelligi, quia ſubſtantia hominis, quem Deus creauit, & in animæ & in corporis perpetuitate non conſumitur, non deletur, ſed velut quadam ſuæ plenitudinis ſanitate æternaliter durat. Quæ omnia idcirco dicere videtur, vt per illum ſempiternum pœnarum dolorem, nec cognitionem ſanitatis, nec eius recordationem, nec ipſam ſanitatem in eis, qui torquendi ſunt, aſſerat perire. Cùm è contrario omnia iſta id eſt, & cognitio & memoria ſanitatis in animo ſemper dolentis, & conſeruatio illa naturæ nunquam delendæ, non proficiant ad aliquam gratiam, & iucunditatem ſalutis, ſed potiùs ad cumulum doloris: vt non ſolùm ſenſu & corporis, & animæ doleat ita damnatus: ſed etiam dum recordatur, & agnoſcit bonum ſanitatis, quod funditus amiſit, in G ipſa memoria & notitia puniatur. Dicat ergo inſanus, eſſe in æternis, & omnimodis doloribus ſanitatem, dum quæ ibi exiſtimat, dum quæ ibi putat remanere ad indicium ſanitatis, non aliud quàm materia ſint doloris: vt dum nunquam finitur qui torquetur, nec tormenta ipſa finiantur.

CAP. XVI. Cap. 16.

SExto decimo capitulo duodecim definitiones proponit ita dicens. Def. 11.

1. *Nulla natura naturam puniri.* 1.

2. *Et nihil aliud eſſe pœnas peccatorum, niſi peccata eorum.* 2.

3. *In igne æterno nihil aliud eſſe pœnam, quàm beatæ fœlicitatis abſentiam.* 3.

4. *In ea nullum eſſe qui non habeat inſitam ſibi naturaliter abſentis beatitudinis notionem, eiuſque deſiderium: habituros miſeros fœlicitatis & veritatis notionem atque ſcientiam: Ac per hoc non eſſe miſeros nec puniri.* 4. H

5. *In diabolo, & impiis hominibus non puniri, niſi peruerſitatem, propriæ voluntatis: nec peccaſſe naturam, ſed voluntatem.* 5.

6. *Nec in primo homine peccaſſe naturæ generalitatem, ſed vniuſcuiuſque indiuiduam voluntatem.* 6.

7. *Si ea natura delinqueret, cùm vna ſit, tota profectò periret.* 7.

8. *Proinde in nullo naturam puniri, quia ex Deo ſit, & non peccet, ſed motus voluntarius libidinoſus puniatur.* 8.

9. *Ideoque in impiis ſupplicia non perpeti quod Deus fecit, ſed quod ſuperbia vitiosè inuenit.* 9.

10. *Libidinem peruerſæ voluntatis cruciari, dum ea, quæ malè aut indignè appetit habere non ſinatur.* 10.

11. *Ex nullo bono malum eſſe.* 11.

12. *Eum qui hic libero voluntatis arbitrio: quod eſt naturalis intelligentiæ munus, id eſt, mentis acies in vſus turpitudinis mutet, illic ne omnino veritatis honeſtate fruatur,* 12.

A

tur, iustissimè perdat & tenebras æterna ignorantia non euitare.

Refut. s. Defin.

In his verbis illud quod primo loco posuit *nulla natura naturam puniri*] ideo dixisse, videtur; quia omnis vtique natura à bono auctore Deo condita in quantum natura est, bona est, vt verbi gratia, natura animæ siue corporis bona est: & natura ignis, inquantum natura est, similiter bona est: Cum ergo vtraque naturaliter bona sint, rectè sibi iste videtur dicere, & definire, quod nulla natura alia puniatur natura: Quia videlicet duo bona secundum eius sensum non possunt sibi esse contraria: ne naturæ bonæ altera bona natura possit esse pœna. Atque huiuscemodi argumentationis manifestissima fallacia cupit subuertere in cordibus audientium firmissimam fidei veritatem, qua omnes fideles indubitanter credunt, & confitentur in vna, & per vnam æterni ignis naturam, & naturam spirituum malignorum, & naturam hominum perditorum, id est, animas, & corpora eorum sine fine damnandas, puniendas, atque torquendas per eius iustum & æternum iudicium, *Qui potest & animam & corpus perdere in gehennam, & qui postquam occiderit habet potestatem mittere in gehennam.*

B

Matth. 10, 28.

Nec solum de illis æternis suppliciis quibus natura Angelica & humana vtique natura ignis æterni torquebitur, vt ignis, qui bonitate conditoris hic homini datus est ad solatium, ibi iusta seueritate iudicis vertatur ei in supplicium, Non de illis (inquam) solis certa est fides ita esse futurum; sed etiam in communi hominum sensu certissimum esse constat, nunquam naturam nisi natura puniri. Sicut natura corporis, aut ex semetipsa punitur, velut cum deficit à sanitate, & succumbit infirmitati atque languori: dum & bonum sanitatis in eo minuitur, & malum languoris, ex seipso patitur, aut ex alterius naturæ subtractione, quæ illi ad sustentationem, vel aliud solatium valet: velut si ei pœnaliter subtrahatur natura cibi, aut potus, aut etiam lucis, vel vestimenti, & quicquid eiusmodi est: dum ex hoc & fame ac siti tabescit, ac deficit, & tenebrarum horrore affligitur, aut frigoris ærumna cruciatur; Aut certè ex alterius rei natura ipsum corpus hominis punitur: sicut corpora latronum vtique puniuntur vi flagellorum, & gladiorum, ac multiplicium tormentorum, quæ vtique ipsorum naturæ ex aliis naturis pœnaliter inferuntur. Cùm ergo hæc ita sint, & nunquã natura nisi aut ex se ipsa in se ipsa puniatur, vel alterius naturæ vtilitate subtracta, vel violentia inlata, qua ratione iste dicit nullam naturam natura puniri? vt ex hoc quantum in se est, veritatem æternorum destruat suppliciorum: vbi & natura spirituum, & natura corporum iuxta Euangelicam, & Apostolicam veritatem *Natura ignis æterni cruciabitur die ac nocte in sæcula sæculorum.*

C

Apoc. 14. 10.

Si autem propterea hoc dicit quia naturæ non nocent inuicem, nisi suis qualitatibus, vt, verbi gratia, ignis & aqua, quorũ propriæ qualitates sunt, vt & aqua, sit naturaliter humida, & ignis naturaliter aridus; Et ideò potest & aquæ humore ignis extingui, & ignis ariditate ignita humor aquæ exsiccari, vt non sibi videantur ista aduersari, ex eo quod naturæ sunt, sed ex eo quod qualitatibus suis sibi contrariæ sunt. Si propterea (inquam) hoc dicit, sciat in fide nostra nullam esse distantiam vtrum naturæ naturis puniri dicantur, an ipsæ naturæ suis naturalibus qualitatibus sibi inuicem pœnales existant; quia vtrumque vnus conditor creauit, id est & naturam, & qualitatem insitam naturæ. Et ideò vtrumque simul rectissimè vna dicitur natura, & à sapientissimo conditore alia ab alia propria qualitate distincta. Deindequia & si immortalis est natura Angelici, siue humani spiritus, tamen potestate conditoris, & iusti vltoris Dei sic illi igni corporeo, & æterno pœnaliter, & æternaliter alligabitur, sicut & hic eadem potestate summi conditoris colligatur humanus spiritus terreno corpori: Nec solui potest, nisi illius voluntate & iudicio qui colligauit. Natura quoque humani corporis in illo æterno igne damnatorum ita erit pœnaliter immortalis, vt ad sustinenda æterna supplicia nunquam morte soluatur: Ita passibilis & incorruptibilis, vt omni genere dolorum, cruciatuum, atque pœnarum sine fine affligatur. Hanc enim pœnam omni intentione cauendam terribiliter Scriptura denunciat, dicens: *Humilia spiritum tuum valde, quia vindicta carnis impij ignis & vermes.* Et iterùm: *Dominus enim omnipotens vindicabit in eis, in die iudicij visitabit illos: Dabit in carnes eorum ignem & vermes, vt vrantur, & sentiant vsque in sempiternum.*

D

E

Eccl. c. 19. Iudith. 16. 20. & 21.

Proposuit quidam antiquitus similem de naturarum inter se contrarietate quæstionem: Quæ qualiter ab illo sit proposita & à *Beato Augustino* euidentissima ratione destructa necessarium existimamus ad commonitionem, & confirmationem legentium hic breuiter inserere: maximè quia ille qui eam proposuit, aut ipse Pelagius fuit aut aliquis Pelagianus sicut & iste est. Ita ergo eandem quæstionem Beatus Augustinus commemorat dicens: [Quid est quod interrogat, qui fecit hominis spiritum, & respondet sibi sine dubio, Deus: Et item interrogat; Carnem quis creauit? Itemque respondet; item credo Deus. Interrogat tertio; bonus est qui vtrumque creauit Deus? Respondet, nulli dubium est. Adhuc interrogat Et vtrumque quod bonus auctor creauit bonum est? Et ad hoc respondet confitendum est. Deinde concludit, si igitur, & spiritus bonus, & caro bona, vt à bono auctore condita, Qui fieri potest, vt duo bona possint sibi esse contraria?] Post hæc idem Beatus Augustinus subiungit è contrario responsionem suam, ita dicens: Omitto dicere quia tota huius ratiocinatio turbaretur, si quis ab eo quæreret, æstus, & frigus quis fecit? Responderet enim sine dubio Deus. Non ego multa interrogo, ipse concludat vtrum, aut ista possint dici non bona, aut non appareant inter se esse contraria? Hic fortè dicit: Qualitates sunt istæ substantiarum, non substantiæ. Ita est, verum est. Sed qualitates naturales, & ad Dei creaturam sine dubio pertinentes. Substantiæ quippe non per seipsas, sed per suas qualitates, sicut aqua, & ignis dicuntur, sibi esse contrariæ] &c. Quæ ad conuincendam & destruendam improbi hominis insaniam sanctus Doctor exsequitur.

F

August.

G

Cùm itaque terror, & veritas æternorum suppliciorum, tam apertè & multipliciter nostræ fidei commendetur ad incutiendum saluberrimum timorem, & excitandum ad continuam emendationem, quomodo iste subiungere, & dicere ausus est *& nihil aliud esse pœnas peccatorum nisi peccata eorum.* Cùm certissime fides teneat alias esse pœnas peccatorum, quas animæ in præsenti ex ipso peccatorum suorum merito patiuntur desertæ à Deo, desertæ à luce iustitiæ, à contemplatione veritatis, ab illuminatione charitatis; & aliquando traditæ etiam in reprobum sensum. Has enim pœnas peccatoribus & carnalium voluptatum amatoribus diuina Scriptura in præsenti inferri manifestissimè testatur, dum de quibusdam Deus dicit: *Non permanebit spiritus meus in hominibus istis in æternum, quia caro sunt?* Dum impij in fine dolentes ac gementes dicent: *Et iustitiæ lumen non luxit nobis, & sol non est ortus nobis.* Dum de eisdem impiis Scriptura dicit: *Excæcauit enim illos malitia ipsorum.* Et generaliter de his qui fratres oderunt: *Omnis qui odit fratrem suum, in tenebris est, & in tenebris ambulat & nescit quo eat: quoniam tenebræ obcæcauerant oculos eius.* Et de quibusdam Scriptum est: *Sicut non probauerunt Deum habere in notitiam, tradidit illos Deus in reprobum sensum vt faciant quæ non conueniunt.* Sunt pœnæ peccantium animarum ipsa peccata: quia eis & ipsarum animarum sanitas corrumpitur, & violatur, & conscientia misera, perturbata, & anxietatibus plena efficitur. Ita ergo, & peccantium pœnæ fiunt ipsa peccata iusto & terribili Dei iudicio: Et tamen pro eisdem peccatis aliæ statim in præsenti grauissimæ pœnæ irrogantur, sicut superius ostensum est. De quibus omnibus præsentibus pœnis quibus peccantium animæ continuo feriuntur, atque puniuntur beatus Moyses in Deuteronomio apertissimè testatur, dicens de omnipotenti Deo: *Faciens misericordiam in millia diligentibus se, & reddens odientibus se sta-*

Refut. 2 Defin.

De Pœnis peccatorum in hoc sæculo.

Gen. 6. 3. Sap. 5. 6. 21. Sap. 2. 21. 1. Ioan. 2. 11. Ro. 1. 28.

tim, ita vt disperdat eos, & vltra non differat, protinus eis restituens quod merentur. Sunt itaque & in præsenti grauissimæ animarum pœnæ ipsa peccata sua: sunt grauissimæ animarũ pœnæ, ipsa desertio Dei, & damnatio, quæ peccatorum meritis continuo restituuntur, sed restant illæ in futurum æternorum suppliciorum pœnæ, de quibus scriptum est dicente Domino: *Mortuus est autem & diues, & sepultus est in inferno.* Et iterum: *Ne forte tradat te aduersarius iudici, & iudex tradat te ministro & in carcerem mittaris. Amen dico tibi non exies inde, donec reddas nouissimum quadrantem.* Et alio loco cum de seruo nequam loqueretur, qui noluit debitum conseruo suo dimittere, sicut & sibi dimissum est ait: *Tunc iratus Dominus eius tradidit eum tortoribus, quoad vsque redderet vniuersum debitum.*

Has pœnas peccatorum, siue in ipsis peccatis eorum siue in desertione Dei, pro merito ipsorum peccatorum, quæ statim in præsenti inferuntur: siue etiam in exterioribus pœnis multiplicium flagellorum, quæ peccantibus ad præsens diuinitus inferuntur: siue in damnatione æternorum suppliciorum, quæ post hæc omnia in fine seruantur, cum tam apertè Scriptura testetur, tam indubitanter Ecclesiæ fides teneat, audiant quicumque huiusmodi fallaciis, atque præstigiis, per hunc vanissimum hominem illuduntur, illud, quod Apostolus terribiliter omnibus fidelibus denunciat dicens: *Nemo vos decipiat inanibus verbis, propter hæc enim venit ira Dei in filios diffidentiæ.* Quibus verbis Apostoli B. Hieronymus exponendo subiungit dicens: [Verba quæ decipiunt atque supplantant, inania sunt & vacua: Quæ vero ædificant audientes, plena, cumulata, conferta. Quia igitur sunt plerique qui dicunt non futura pro peccatis esse supplicia, nec extrinsecus adhibenda tormenta: sed ipsum peccatum & conscientiam delicti esse pro pœna, dum vermis in corde non moritur, & in animo ignis accenditur in similitudinem febris, quæ non torquet extrinsecus ægrotantem, sed corpora ipsa corripiens punit sine cruciatus forinsecus adhibitione, quæ possidet. Has itaque persuasiones & decipulas fraudulentas, verba inaniã appellauit & vacua, quæ videntur florem quendam habere sermonum, & blandiri peccantibus. Sed dum fiduciam tribuunt magis eos ferunt ad æterna supplicia. Quia de nulla re sic irascitur Deus, quomodo si peccator superbiã, & erectus & rigidus non flectatur in fletum, nec misericordiam postulet pro delicto.] Hæc sanctus doctor, & antiquorum hæreticorum errorem super hac re redarguens, & istius fraudulenta mendacia, atque commenta, Apostolica veritate subuertens.

Audet tamen iste adhuc maiora, & detestabiliora, & subiungit dicens: *In igne æterno, nihil aliud esse pœnam, quam beatæ felicitatis absentiam.*] Vbi rectè ab eo quæritur cur & Angeli maligni, & homines iniqui mittendi sunt in ignem æternum, si ex ipso igne nulla supplicia, nulla tormenta passuri sunt? An propterea tantummodo vt qui nunc vel in aëre, vel in terra conuersantur, incipiant in igne habere nouum habitaculũ: vbi sicut de sanctis tribus pueris in *fornaci Babylonia* damnatis scriptum est, nullam potestatem habeat ignis in corporibus eorum, & capillus capitis eorum non adurátur, & odor ignis non transeat per eos: Et quid iam restat, nisi vt sicut de illis Scriptura dicit: *Quia Angelus Domini descendit cum Azaria, & sociis eius in fornacem, & excussit flammam ignis de fornace; & fecit medium fornacis, quasi ventum roris flantem, & non tetigit eos omnino ignis neque contristauit, nec quicquam molestiæ intulit:* Ita & de istis mirabili insania affirmare contendat. Quod si ita esset, quod vnquam tale miraculum esse potuit, inter magnalia, & prodigia, quæ diuinitus facta sunt, vt tam innumera multitudo apostatarum Angelorum & hominum perditorum esset in medio immensarum, & æstuantium flammarum, & non tangeret eos omnino ignis, sed vim virtutis suæ obliuisceretur, vt diabolus, & eius Angeli custodirentur inlæsi. Quis audiuit vnquam tale, aut quis sufferre possit tantæ impietatis insaniam? Si enim nulla erit pœna in æterno igne damnatorum: Consequenter nulla erit etiam gloria in æterna remuneratione iustorum. Qui enim verissimè promisit hanc gloriam dicendo: *Venite benedicti Patris mei, percipite Regnum quod vobis paratum est à constitutione mundi.* Ipse verissimè comminatus est illam pœnam dicendo: *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & Angelis eius;* ipse etiam de vtroque immobili veritate subiunxit: *Tunc ibunt hi in supplicium æternum: Iusti autem in vitam æternam.* Si ergo quærimus quid sit illud regnum, quod à constitutione mundi iustis est præparatum, audiamus fideliter esse vitam æternam. Si quærimus quid credere debeamus illum, in quem & homines impij & Angeli mittendi sunt *ignem æternum?* Audiamus nihilominus fideliter esse supplicium sempiternum. Nec maior esse potest gloria, quam vita æterna. Nec maior pœna, quam supplicium sempiternum: Illud in regno positorum, istud in æterno igne damnatorum. De quo supplicio ignis æterni apertè B. Ioannes in Apocalypsi testatur, dicens: *Missi sunt in stagnum ignis & sulphuris, & cruciabuntur die ac nocte in sæcula sæculorum.* Et alio loco: *Et fumus tormentorum eorum ascendet in sæcula sæculorum.* Non ergo in igne æterno Angeli vel homines damnati poterunt vnquam esse quieti & immunes à pœnis; Qui, vt veritas dicit, *Cruciabuntur die ac nocte in sæcula sæculorum:* Et quorum *fumus tormentorum ascendet in sæcula sæculorum:* qualis etiam nunc pœna & illos consequitur. De quibus ad similitudinem illius purpurati & damnati diuitis, Scriptura dicit: *Ducunt in bono dies suos, & in puncto ad inferna descendunt:* Vt & ipsi, sicut de illo legitur, statim incipiant esse in tormentis & cruciari in flamma, & deputari in loco æternalium tormentorum: solet iste dicere (sicut audiuimus) cum aliquis ei de talibus iuxta fidei veritatem obsistere cœperit sermocinando: Quid vis? Ratio te vincit: Quæ ergo est hæc ratio omni ratione vacua, omni veritate aliena, & spiritu impiissimi erroris lymphatica, atque phanatica: Qui vult vt homines veritatem Christi deserant, & suas phantasticas & dæmonicas vmbras sequantur.

E

Matth. 25.34. 41.46.

F

Apoc. 20.10. Apoc. 19.3.

d.v.10. d.v.3.

Iob. 21. 13.

G

Sed cum dixisset in æterno igne damnatos nullam aliam sentire pœnam nisi beatæ fœlicitatis absentiam, subiungit tamen velut quandam eorum beatitudinem & dicit, *In ea* (id est, in beatæ fœlicitatis absentia) *nullum esse, qui non habeat insitam sibi naturaliter absentis beatitudinis notionem, eiusque desiderium*] Vbi & addit: *habituros miseros felicitatis, & veritatis notionem atque scientiam ac per hoc non esse miseros nec puniri.*] Quibus verbis manifestè vtique affirmare conatur omnes qui futuri sunt in illa damnatione, quam iste non aliam putat, nisi absentiam beatitudinis, qua sancti perfruuntur, habituri sunt naturaliter insitam ipsius beatitudinis, cuius participes non erunt, cognitionem, atque desiderium. Quod adhuc repetens, & inculcans, dicit, *habituros veritatis & beatitudinis notitiam atque scientiam: Ac per hoc miseros, non esse miseros, neque puniri.*] Vt per hoc quod iuxta istius sensum habituri sunt cognitionem, scientiam & desiderium beatitudinis & veritatis, cuius absentia erunt damnati, quodammodo miseri non sint miseri, & puniti non sint puniti. Quia ex eo quod erunt in absentia beatitudinis & fœlicitatis, possint dici & miseri, & damnati: Ex eo autem quod illius beatitudinis & veritatis quæ illis absens erit, habebunt notitiam, scientiam & desiderium, possint dici non esse miseri, nec damnati. Sed fides Ecclesiæ veraciter nouit, nullam esse rationalis creaturæ maiorem damnationem, quam à Deo separari, & nulla eius inluminatione inlustrari, nulla eius gratia visitari, nulla liberatione saluari, nulla eius visione & contemplatione beatificari.

Refut. 4. Defin.

H

Maxima natura rationalis damnatio.

Angeli ergo, & homines tanta infelicitate damnati, & penitus à beatitudinis & veritatis possessione exclusi, etiamsi nullam extrinsecus pœnam, nullum tormentum sentirent, quid eis prodesset habere cognitionem, & notitiam, & desiderium, sicut iste eis promittit, & beatitudinis & veritatis? Cum hoc eis magis ad tormentum proficeret habere quantulamcumque notitiam veritatis:

sed

A sed nunquam eius præscientiam promereri: Habere qualecumque desiderium æternæ beatitudinis, nec vnquam tamen eius possessione lætari. Et ideo absit, vt credantur, non esse miserrimi à Deo penitus separati: aut dicantur non esse puniti ab æterna beatitudine funditus exclusi. Verè ergo miseri, & verè in æternum damnati erunt qui semper veritatis & beatitudinis exoles erunt, nulla veritatis luce inluminati, nulla beatitudinis iucũditate cõsulati. Et tamen excepta hac plena & sũma miseria, aderit eis sine fine etiam exterior pœna, vt & intus torqueantur infœlicitate conscientiæ, & foris igne gehennæ. Quod vtrumque Psalmista breuiter ustendit, dicens ad ipsum

Psal. 20. 9. 10.

iudicem viuorum & mortuorum. *Inueniatur manus tua omnibus inimicis tuis: dextera tua inueniat omnes, qui te oderunt. Pones eos vt clybanum ignis in tempore vultus tui: Dominus in ira sua conturbabit eos, & deuorabit eos ignis.*

August.

Quod B. Augustinus breuissime & plenissimè his verbis exponit dicens: [Constitues (inquit) eus ardentes intrinsecus conscientia impietatis suæ in tempore

B manifestationis tuæ. Deinde conturbati vindicta Domini, post accusationem conscientiæ, dabuntur igni æterno deuorandi.]

Cur in inferno positis nulla emendatio, nec liberatio.

Quæ cum ita sint, quærendum nobis est sollicitè, quid secundum regulam veræ fidei de eis qui illa æterna damnatione fuerint puniti sentire debeamus, vt ex eorum statu, qui illic æternaliter erunt damnati, intelligamus, quantum Dominus donare dignatur, cur ibi nulla iam possit esse emendatio, & cur inde nulla possit fieri liberatio. Primo igitur illud considerandum est, quod fides Catholica firmissimè tenet, nullum hominem per mortem de corpore exeuntem aliquod sibi bonum posse comparare meritum, quo aut iniquitatem suam, in qua mortuus est, possit deserere, aut ipse in melius commutari.

De pœnis Purgat.

Quia etsi sunt aliqui qui, vt ipsius fidei pietas nouit, & indulgentiam peccatorum accipiant post mortem orationibus, & oblationibus, & eleemosynis Ecclesiæ adiuti, & quibusdam purgatoriis pœnis expiati æternæ

C beatitudini sociari mereantur: Non tamen hoc eis præstat aliquod bonum meritum post mortem additum, sed potius ante mortem adquisitum. Quia videlicet tale fuit meritum vitæ ipsorum in corpore, vt etiam post mortem talibus remediis adiuuari mereantur. Quod Apostolus

2. Cor. 5. 10

manifestè ostendit. Vbi ait: *Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis prout gessit, siue bonum, siue malum*, propria namque corporis sunt, siue bona siue mala quæ anima gessit dum esset in corpore: Quia sicut nec ante corpus aliquod bonum aut malum gerere potuit, quæ nondum erat, ita nec post depositionem corporis aliquod bonum aut malum agere potest, quæ tempus agendi & operandi cum corporis morte finiuit.

De damnatis ex solo originali peccato.

Nam & illi qui solo originalis peccati reatu obstringuntur, & sic absque remedio salutari de corpore exeunt, secundum propria corporis mala damnantur: Quia in corpore vtique & cum corpore illud originale debitum contraxerunt vnde in æternum damnari mererentur.

d. v. 10.

D *Omnes itaque manifestari oportet* (sicut Apostolus dicit) *ante Tribunal Christi, vt referat & reportet vnusquisque propria corporis*, id est, quæ in corpore gessit, siue contraxit: quia vtique nec anta corpus aliquid gerere potuit, nec post corpus gerere potest, cum iam vnicuique non est tempus agendi, sed pro actibus tantummodo recipiendi. Et ideo certum esse debet fidei nostræ neminem eorum, qui in die iudicij æterna damnatione puniendi sunt, tale aliquod meritum ex hac vita secum tulisse, per quod iustè ab illo æterno interitu liberaretur. Si enim quisquam eorum tale meritum in præsenti vita sibi præparasset, nunquam profecto ab illo iusto iudice æternæ damnationi traderetur. Sed quicumque illa damnatione puniendi sunt, sine dubio tale meritum hinc secum tulerunt, vt iusto iudicio nunquam inde absolui, nunquam liberari mereantur.

Sed vt illa damnatio sicut iusta, sic etiam æterna esse mereatur, ea causa erit, quia nulla iam suppetere poterit emendatio præteritorum, nulla promereri poterit melioratio futurorum: Erit namque ibi præteritis malis

E pœnitentia, erit etiam liberationis & ereptionis desiderium; quod tamen nullum habebit effectum. Vbi ergo tunc erit misericordia Dei, qui nec tanta, & tam longa pœnitentia flecti poterit ad indulgendum, nec vllis damnatorum desideriis, vel etiam rogantium gemitibus mouebitur ad liberandum. Et quomodo iustus qui ista contemnet? qui tantum dolorem conscientiæ, tantam afflictionem creaturæ suæ non respiciet? Quæ, inquam, causa erit, vt nihil ibi salubre, nihil acceptabile fieri possit? Si enim posset, nunquam à tanta misericordia, nunquam à tanta iustitia repudiaretur.

Cur nihil salubre in inferno.

Cur itaque non potest nisi quia recedente ab eis penitus Deo, nulla in eis esse poterit gratia specialis, per quam eis donetur pietas fidei, spei & charitatis; vt tali pietate pœniteant de præteritis, tali pietate desiderent de futuris, id est, piè credendo, piè sperando & diligendo. Et quia iam, vt dictum est, funditus à Deo separati, & sola omnipotentiæ eius virtute

F ad æterna supplicia seruati, nunquam poterunt esse participes Spiritus sancti, etiamsi fuerit ibi aliqua fides, siue ex memoria præteritorum, quæ hic audierunt, vel didicerunt: siue ex terrore & manifestatione præsentium, quæ tunc apparebunt: manifestata scilicet omnibus Dei & Christi eius virtute & potestate, tam in maiestate, quæ in eius iudicio apparebit, quam in æternam remuneratione iustorum, & æterna damnatione iniquorum: Quæ vtique nulli poterunt esse ignota, nulli non confessa, nulli non vel ipsius terroris necessitate adorata. Tunc enim generaliter subiecta omni creatura creatori, siue pietate vt in sanctis Angelis, & sanctis hominibus, siue necessitate, vt in Angelis malignis, & hominibus impiis, implebitur perfectè quod Apostolus per Prophetam Scriptum esse commemorat dicens: *Viuo ego, dicit Dominus Deus, quia mihi curuabitur omne genu, & omnis lingua confitebitur Domino.*

Rom. 14. 11.

Vnde etiam illud manifestè in eodem iudicio fiet, quod Scriptura de impiis futurum prædixit, *dicent inter se pœnitentiam agentes, & præ angustia spiritus dolentes. hi sunt quos aliquando habuimus in derisum & in similitudinem improperij. Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, & finem illorum sine honore, quomodo ergo computati sunt inter filios Dei, & inter sanctos sors illorum est? ergo errauimus a via veritatis, & iustitiæ lumen non luxit nobis, & Sol non est ortus nobis*, & cætera quæ moltiplici dolore plena illo die dicturi sunt.

Sap. 5. 3. G 4. 5. 6.

Si ergo ex tanta diuinæ virtutis, & Christi Domini manifestatione, & terrore tam magni, & tam manifesti æterni iudicis fuerit aliqua fides, vel eorum, qui aliquando crediderunt vel etiam infidelium qui tam præsenti maiestate & terrore credere compellentur, ita vt in illa sua lamentatione, sicut iam commemorauimus, dicant: *Errauimus à via veritatis, & iustitia lumen non luxit nobis, & Sol non est ortus nobis.*

d. v. 6.

Iam tamen talis fides in illis qui, vt sæpius dictum est, penitus à Deo deserti, nec vlla eius gratia inlustrati erunt, profecto non erit ex pietate amoris, sed ex necessitate terroris: qualem & in dæmonibus esse fidem beatus Iacobus Apostolus testatur dicens: *Et dæmones credunt, & contremiscunt.*

H Iac. 2. 19. Psal. 118.

Talis ergo fides non eis valebit ad salutem, sed ad confusionem, vt quemadmodum in Psalmo scriptum est: *Erubescant, & conturbentur in sæculum sæculi, & confundantur, & pereant.* Spes verò nulla iam in eis esse poterit æterna sententia condemnatis, & de liberatione sua penitus desperatis: similiter & charitas, qua & piè Deum diligant, & proximum secundum Deum, vel in Deo, aut propter Deum, nulla eis inesse poterit, cum deseruerit eos ipse Deus Charitas, nec affuerit eis illa gratia spiritus, de qua Apostolus dicit: *Quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis*, & simul ab eis recesserit, & gratia Domini nostri IESV CHRISTI, & charitas Dei, & communicatio Spiritus sancti.

Ro. 5. 5. Luc. 16. 27.

De malo diuite.

Nam & si diues ille iam apud inferos condemnatus fratres suos, quos in carne reliquerat, velut secundum Deum dilexisse videtur, pro quibus, ne in illum locum tormentorum venirẽt, anxius satagebat, & deprecabatur; non tamen

vere

verè secundum Deum fiebat, quod non instinctu diuinæ charitatis, sed vel terrore præsentis damnationis, vel amore humanæ affectionis ab eo extorquebatur. Quia ergo nulla iam in eis esse poterit per inluminationem Dei & donum Spiritus sancti, pietas fidei, & charitatis nulla bonæ spei expectatio; ideo nulla eorum pœnitentia de præteritis, nullum desiderium de futuris à iusto & misericordi iudice suscipietur, quia hæc tunc non erunt ex pietate, & amore diuinæ gratiæ: sed tantum ex necessitate tribulationis, & angustiæ. Tunc itaque subtracto à se penitus diuinæ inlustrationis lumine, & ab illo gaudio, quod bono & fideli seruo promittitur dicente Domino: *intra in gaudium Domini tui*, penitus exclusis & alienatis remanebunt extra lumen Dei: Et hoc *erit eis mitti in tenebras exteriores*, & in illam noctem horrendam de qua Dominus ait: *Venit nox quando nemo potest operari*. Et alio loco misericorditer admonet dicens: *Ambulate dum lucem habetis, ne tenebræ vos comprehendant*. Et ideo qui in talibus tenebris atque in tali nocte erunt, nihil iam poterunt piè, & fructuose operari, quod vel à iusto iudice possit suscipi, vel vnde ipsi mereantur ab illa æterna damnatione liberari. Et quia nulla poterit esse pia pœnitentia, nulla erit delicti indulgentia: consequenter nec vllus finis supplicij. Et quæcumque in eis esse potuerit recordatio veritatis, siue beatitudinis, tanta erit quanta humano sensu vel tenuiter potest attingi, non qualis per Dei gratiam solet inspirari. Tunc enim implebitur: quod terribiliter vbicumque Scriptura dicit. Et tantummodo *sola vexatio intellectum dabit auditui*. Et iterum: *Quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos quo tu properas*. Nullum namque ibi erit opus bonum aliquod meritum adquirendi, nulla ratio, vel iustè excusandi, vel digne satisfaciendi, nulla sapientia ex inlustratione veritatis, nulla scientia in exercitio alicuius virtutis: Quomodo ergo iuxta istum habebunt cognitionem & notitiam veritatis, cuius & inluminatione & contemplatione æternaliter priuati erunt?

Quomodo habebunt eiusdem veritatis & beatitudinis desiderium, in quibus nullus erit amor pietatis quo aut veritas verè diligatur, aut vera beatitudo veraciter desideretur? Poterunt fortasse habere quandam scientiam veritatis in eo, quod se agnoscent dignos talibus esse suppliciis, Quod se agnoscent iusto iudicio condemnatos, nec vnquam ab æterno & iusto † iudicio liberandos: Sed totum hoc eis proficiet ad tormentum, non ad consolationis solatium. Sic etiam poterunt habere desiderium cuiusdam beatitudinis suæ, vt ab illis tormentis erui, & aliqua pace vel quiete refrigerari mereantur.

Ipsam autem veritatem Dei, ipsam beatitudinem Dei nosse & desiderare donum est piorum, & Dei spiritu inluminatorum, non impiorum perpetua cæcitate atque infœlicitate damnatorum; Quia & si fuerint ibi aliqui fortassis, qui ex his qui aliquándo credideraní & cognouerant, meminerint aliquatenus ipsius veritatis, vel beatitudinis, ad hoc tantum eis valebit ipsa memoria, vt magis doleant, magis pœniteant, magis iustè damnatos se esse cognoscant. Desiderantes quidem habere tempus emendandi, vt possent euadere supplicium: nec tamen habentes pietatem ipsius desiderij, qua promereantur Deum. Cesset itaque iste eos qui à Deo non inluminabuntur, & alienati à vita Dei nulla veritatis, & beatitudinis dulcedine consolabuntur; dicere, non esse miseros, nec damnatos. Quia hæc est vera & æterna miseria alienari à beata vita. Et nulla maior potest esse damnatio quam penitus excludi, & repelli à Deo, & nullam spem nullum recursum iam habere posse ad Deum. Vnde consideret fidelis quisque quam vanum, & insanum sit, quod iste conatur? vt qui de Deo beati esse, nunquam poterunt, ex se ipsis beatos esse posse contendat: id est, non aliqua Dei gratia, sed quibusdam, vt ipse putat bonis naturæ: Quæ etiamsi omnipotens Deus in illis relinquat, erit ei ad testimonium suæ bonitatis, erit ei illis ad testimonium iustæ damnationis: vt ipsi etiam possint cognoscere veritatem iusti iudicij in se expletam, atque ita suo etiam iudicio condemnentur.

E

Multa desunt hic reposita ex MS. Cod. Corb. Aug.

Hanc horribiliter ineffabilem, & ineffabiliter horribilem iniquorum & impiorum damnationem absque vlla consolatione diuinæ miserationis, absque vlla illuminatione veritatis, *Beatus Augustinus* breuiter ita inculcat, & omnimodis cauendam præmonet dicens. [Cauendi sunt inferiores inferi, id est, post hanc vitam pœnæ grauiores, vbi nulla potest esse commemoratio veritatis, & quia nulla est ratiocinatio, ideo nulla rationis actio, quia non illam perfundit: *Lumen verum, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*; Quare festinemus, & ambulemus cum dies præsto est, ne nos tenebræ comprehendant, festinemus à secunda morte liberari, vbi nemo est qui memor sit Dei, & ab inferno, vbi nemo confitebitur Deo.] Item cum exponeret verba Psalmi vbi dictum est: *In inferno autem quis confitebitur tibi*. Confessus est (inquit) in inferno ille diues, de quo Dominus dicit. *Quod Lazarum vidit in requie, se autem in tormentis dolebat*, vsque adeò confessus, vt etiam moneri suos vellet, vt se à peccatis cohiberent, propter pœnas quas apud inferos esse non credunt. Quamuis ergo frustra confessus est, tam sibi merito illa accidisse tormenta, quando etiam suos; ne in hæc inciderent, doceri cupiebat. Quid ergo est: *In inferno autem quis confitebitur tibi?* An in inferno vult intelligi, quo post iudicium præcipitabuntur impij, vbi iam, propter profundiores tenebras, nullam Dei lucem videbunt, cui aliquid confiteantur. Nam iste adhuc eleuatis oculis quamuis immani profundo interposito, potuit tamen videre Lazarum in requie constitutum, ex cuius comparatione ad confessionem coactus est meritorum suorum.] In his verbis sancti Doctoris non est fortasse necessarium, vt duo inferi intelligantur, vnus quo nunc præcipitantur animæ damnatorum, & alius, quo post iudicium præcipitabuntur etiam cum suis corporibus illæ ipsæ animæ punitorum: sed vnus atque idem infernus potest intelligi, nunc aliquanto mitior in cruciatibus animarum; post iudicium verò atrocior & horribilior in cruciatibus animarum simul & corporum. Nam & Dominus noster vtramque inferni pœnam, & præsentis videlicet sæculi, & futuram vno gehennæ nomine in Euangeliis significare videtur. Cum & de præsenti supplicio dicit. *Timete eum, qui postquam occiderit habet potestatem mittere in gehennam:* Et de futuro. *Sed potius*, inquit, *eum timete, qui potest & animam & corpus perdere in gehennam*. Et sancti Patres Ecclesiæ frequenter inueniuntur, eundem ignem æternum, & ante iudicium, & post iudicium damnatis impiis inferendum sensisse. Sed præfatus Doctor tantam intra vtramque damnationem significat esse distantiam, vt nunc per quasdam visiones, & manifestationes diuinitus procuratas possit illic aliquatenus lux Dei sentiri, per quam damnati saltem ad confessionem suorum scelerum compellantur, vt dum aliquid diuinæ lucis intuentur, habeant ea ipso indultæ visionis respectu, cui confiteantur. Tunc autem maioribus iam & irremediabilibus tenebris oppressi, nihil tale mereantur aspicere, per quod possint ad confessionem aliquam prouocari, vt verissimè de eis scriptum intelligatur. *Quoniam non est in morte qui memor sit tui: In inferno autem quis confitebitur tibi*. Vnde & Propheta Isaias hanc irremediabilem damnationem præuidens, & præuidendam, atque præcauendam attentissime commonens vbi iam nullus erit locus Deum inueniendi, nulla gratia Deum inuocandi: *Quærite* (inquit) *Deum, dum inueniri potest, inuocate eum dum prope est*. Manifeste ostendens eum nequaquam in illa iam damnatione posse inueniri, nec à miseris damnatis tanquam longè positum, & à se penitus alienatum vlla inuocatione, vlla supplicatione placandum. †

Joan. 9. Aug. in Psal. 6. F Psal. 6. Luc. 16. 23. G Luc. 12. 5. Matth. 10. 28. H Ps. 6 6. Isa. 55.

† Hucusque omissa in MS. Cod. Thu. Refut. Dissen.

Addit adhuc iste & dicit; *In diabolo, & impiis hominibus non puniri, nisi peruersitatem propriæ voluntatis, nec peccasse naturam, sed voluntatem*.] Ecce iterum rem nouam & inauditam. Quod iste dicit; in diabolo & impiis homi-

nibus

A nibus æterna perditione damnatis non esse puniendam à Deo naturam ipsorum: sed tantummodo peruersam voluntatem eorum, Eo quod iuxta istius sensum non peccauerit natura eorum; sed voluntas; fides autem Ecclesiæ veraciter nouit, & firmissimè tenet, quia natura rationalis siue in Angelis; siue in hominibus, sicut naturalem habet à Deo insitam rationem: ita naturalem habeat à Deo insitam voluntatem: Et hoc totum, id est, naturam cum ratione sua, vel naturam cum voluntate sua simul vnam esse naturam: Ita vt nec natura ista rationalis possit esse absque voluntate, nec voluntas absque natura. Quicquid ergo ista natura vult, non potest alienum esse ab ipsa natura, vt ad solam voluntatem referatur: quia quando aliquid vult ista natura, non vtique in parte sui vult, & in parte non vult, sed tota vtique vult. Siue itaque ad bonum moueatur, ipsa voluntate tota hoc agit: siue è contrario ad malum, similiter tota hoc agit. Et ideo siue ad bonum, siue ad malum

B moueatur, tota vtique mouetur, Sed cum mouetur ad bonum virtus est; cum mouetur ad malum vitium eius est. Et ideò sicut per virtutem tota melior efficitur cum mouetur ad bonum: sic per vitium tota deterior fit, cum mouetur ad malum. Non ergo sola voluntate melioratur ex virtute, sed tota melioratur: Nec sola voluntate deterioratur ex vitio, sed tota deterioratur, ita vt & per virtutem non sola voluntas, sed tota ipsa natura efficiatur bona: Et è contrario per vitium non sola voluntas, sed totaipsa natura efficiatur mala, non amittendo bonum substantiæ suæ; sed corrupta, & deprauata vitio voluntatis suæ. Cum ergo natura hæc rectè agit, tota agit, quia tota hoc vult. Et cum peruersè agit, similiter tota agit, quia tota hoc vult. Et ideo iustum est apud Deum, vt & pro bene gestis tota glorificetur; Et è contrario pro malè gestis tota damnetur. Nam si in Angelis malignis & hominibus impiis non peccauit natura, sed voluntas,

C Ergo & in Angelis sanctis, & in hominibus piis non aliquid rectè egit, vel aliquid boni meruit eorum natura, sed sola voluntas. Et si in ipsis Angelis malignis, & hominibus impiis non tota natura, sed sola voluntas damnabitur; Ergo & in istis, id est, sanctis Angelis, & hominibus non tota natura, sed sola voluntas glorificabitur, Sed certissimum est, & indubitanter fides tenet, quia & Angelorum sanctorum tota natura iam beatificata, & glorificata est: similiter & sanctorum hominum tota natura & beatificanda est & glorificanda. Ita ergo è contrario absque vlla dubitatione tenendum est; quia & in Angelis malignis, & in hominibus impiis non sola voluntas, sed tota natura damnabitur, quia tota peccauit. Iste autem contra omnem fidem, & veritatem Dei, ideo tale argumentum introduxit, vt scilicet Angelos, & homines malos in sola dicat voluntate damnandos, vt habeat locum eius insana fallacia, & possit dicere, sicut superius iam dixit, in igne æterno nullam aliam futuram esse pœnam, nisi absentiam beatitudinis: vt & nullam ibi pœnam extrinsecus patiatur natura An-

D gelica, vel humana; quia iuxta huius sensum non peccauit: & sola intrinsecus in conscientia puniatur voluntas, quia, vt iste dicit, sola peccauit: Et puniatur non aliquo tormento pœnæ exterioris, sed sola absentia beatitudinis, quam non habebit, & prohibitione praui desiderij sui, quod ei explere non licebit. Quæ omnia quam sint contraria fidei, & veritati, & quantum faueant voluntati diaboli adulando hominibus, ne aut veraciter se peccasse recognoscant, dum eorum natura non peccasse defenditur, nec veraciter se esse puniendos, dum non eorum natura, sed sola voluntas dicitur condemnanda, manifestissimè omnibus patet, qui salutis suæ curam gerunt, qui hæretica figmenta, & deliramenta longe à se reiiciunt, & Euangelicam, atque Apostolicam veritatem fideliter sequuntur.

Sed vt de his, quæ contra eius vesanam, & impiam definitionem diximus, certios & firmius qui hæc legerit E instruantur subiungimus hic verba *Beati Augustini*, qui bus de hac re clarissimè & plenissimè docet dicens: [Nullum est quod dicitur malum, si nullum sit bonum: sed bonum omni malo carens integrum bonum est: Cùm verò inest malum, vitiatum, vel vitiosum bonum est; Nec malum vnquam potest esse vllum, vbi est bonum nullum: vnde res mira conficitur, vt quia omnis natura, inquantum natura est, bonum est, nihil aliud dici videatur, cum vitiosa natura mala esse natura dicitur; nisi malum esse quod bonum est, nec malum esse nisi quod bonum est, nec res aliqua mala esset, si res ipsa quæ mala est natura non esset.] Et paulo post dicit: Cauendum est, ne incidamus in illam sententiam Propheticam vbi legitur: *Væ his qui dicunt quod bonum est, malum: Et quod malum est, bonum, Qui dicunt tenebras lucem, & lucem tenebras: Qui dicunt dulce amarum, & amarum dulce.* Et tamen Dominus ait: *Malus homo de malo thesauro cordis sui profert mala.* Quid est autem *malus homo*, Isa.5.20 Matth. 12.35. nisi mala natura: quia homo natura est. Porro si homo aliquod bonum est quia natura est, quid est *malus homo*,

F nisi malum bonum? Tamen cum duo ista discernimus, inuenimus nec ideo malum, quia homo est; nec ideo bonum, quia iniquus est. Sed bonum, quia homo, malum quia iniquus. Quisquis ergo dicit, malum esse hominem esse, aut bonum esse iniquum esse, ipse incidit in Propheticam illam sententiam: *Væ his qui dicunt quod bonum est, malum, & quod malum est bonum.* Opus enim Isa.5.20. Dei culpat, quod est homo, & vitium hominis laudat, quod est iniquitas. Omnis itaque natura etiamsi vitiosa est, in quantum natura est, bona est; inquantum vitiosa est mala est.]

Ecce venerabilis Doctor non dicit solam vitiatam, vel vitiosam voluntatem hominis malam esse, sed vitiosam hominis naturam, malam esse naturam: & rem quæ mala est naturam esse confirmat, Et malum hominem dicit malam esse naturam. Ita enim ait: [quid est autem malus homo, nisi mala natura:] Non dixit quod malus homo tantummodo mala voluntas sit, sed mala natura. Videlicet, quia cum malus est homo, non

G sola voluntate, sed tota sua natura malus est. Docet tamen fideliter discernendum, cum dicimus, malus homo inter opus Dei & vitium ipsius hominis: quia videlicet, hominem esse opus Dei est, iniquum esse vitium hominis est. Atque ita naturam etiamsi vitiosa est, inquantum natura est, bonam, esse: inquantum vitiosa est, malam esse. In omnibus ergo his, non solam, vt iste asserit voluntatem, sed ipsam naturam dicit esse bonam, inquantum natura est: ipsam autem naturam dicit esse malam, inquantū vitiosa est. Hoc itaque fideliter sequendum, Catholice sapiendum, firmissimè retinendum est, vt certissime cognoscamus nec maligni Angeli, nec mali hominis voluntatem solam, sed totam eorum naturam malam esse cùm peccant, & totam eorum naturam mala æterna perpessuram esse cum damnabuntur.

Addit iste [illegible] *natura generis [illegible] voluntatem. [illegible] tota profecto periret.* [In his verbis apertissime affirmare conatur non solum in cæteris hominibus non peccare naturam, sed solummodo voluntatem, sed etiam in primo homine similiter non peccasse naturam, sed solam voluntatem. Et ideo non peccasse in eo generaliter humani generis naturam, quia nec eius peccauit natura, sed peccasse in eo tantummodo specialem, & propriam vniuscuiusque voluntatem. Quia & ipse iuxta huius sensum sola tantummodo voluntate peccauit.

R... D fin.

H Et affirmat quod. *Si tota hominis natura peccasset, [illegible] tota profecto periret. Nunc autem quia sola voluntas peccauit, sola vitiata est, natura inlæsa permansit.*] Quid ergo dicemus ad hæc tam exquisita, & inaudita phantasmata? nisi vt opponamus è contrario testimonia Scripturarum Dei, quibus verissimè cognoscamus, & fidelissimè teneamus, totam in illo homine naturam peccasse, totam peccatis, totam ad posteros eius peccato, & perditioni obnoxiam transmissam esse: sicut Apostolus manifestissimè docet dicens: *Per vnum hominem peccatum intrauit* in

De peccato originali. Rom.5.12.

in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransit, in quo omnes peccauerunt: Nun ait per vnius hominis voluntatem peccatum intrauit in mundum, sed *per vnum hominem.* Nec ait: & ita in omnium voluntates pertransiit; sed *ita in omnes homines pertransiit.* Nec subiunxit: in quo omnium voluntates peccauerunt: sed *in quo omnes peccauerunt.* Per vnum ergo hominem peccatum intrauit in mundum, per totam scilicet & plenam, qua homo constat, naturam. Et sicut in ipso tota est vitiata peccato, ita in omnes homines tota pertransit vitiata peccato, vt ex illa origine tota peccatrice traheretur omnium hominum natura tota peccatrix. Quia in toto illo homine peccante tota omnium natura peccauit. Vnde *& omnes*, sicut idem Apostolus dicit effecti sunt non voluntate, sed *natura filij iræ.* Ita namque ait *Et eramus natura filij iræ, sicut & cæteri.* Verè *enim natura* efficiuntur *filij iræ omnes*, qui ex illa vitiata radice nascuntur, non qualis ipsa natura à Deo condita est, sed qualis per illum peccando effecta est. Ex quorum omnium persona Psalmista ait: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.* Ecce natura peccatrix in iniquitatibus concepta, in peccatis procreata. Hanc naturam, quæ in Adam tota periit, & ad eius posteros tota perdita transmissa est, *Venit Dominus noster Iesus Christus quærere, & saluare* non ex parte, id est, in sola voluntate, sed omnino totam. Sicut ipse dicit: *Venit enim filius hominis quærere & saluum facere quod perierat.* Et quia tota perierat, & totam ille venit saluam facere. Ideo totam eam suscepit, id est, & animam, & corpus hominis, vt ex toto eam sua morte & resurrectione saluaret: animam à peccatis iustificando, & corpus à mortuis suscitando. Sicut Apostolus ait: *Quia mortuus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram.* Quicumque ergo naturam humanam non totam periisse dicit, quid aliud quam sacramentum diuinæ incarnationis, quantum in se est, euacuare contendit? Sine causa enim Dominus totam eam sua incarnatione suscepit, si non tota indigebat salute, si non tota indigebat saluatore. Mirum est autem quomodo iste dicat in primo illo homine vniuscuiusque nostrum proprias voluntates peccasse, quæ omnino necdum erant: Et naturam omnium nostrum non peccasse, quæ vtique in illo erat. Quod autem dicit, *Quia si tota illius hominis natura peccasset, tota profecto periret:* Ergo consequens est secundum illius sensum, vt si sola in illo voluntas peccauit, sola vtique perierit, & si periit profecto indiget liberante, saluante, & reformante, vt sana, & libera esse possit per eum qui dicit: *Si vos Filius liberauerit, verè liberi eritis.* Et quomodo iste in tota ista vanissima disputatione sua liberum arbitrium ex virtute naturæ, & non ex dono gratiæ defendit? Etsi iuxta eum sola periit voluntas, & natura salua remansit; Ergo veritas, quod absit, non verum dixit, vbi de se ait: *Quia totum hominem sanum fecit in sabbatho.*

8 Subiungit iste & dicit: *Proinde in nullo naturam puniri, quia ex Deo sit & non peccet, sed motus voluntarius libidinosus puniatur.*] *Ideoque in impiis supplicia non perpeti quod Deus fecit, sed quod superbia vitiose inuenit: Libidinem peruersæ voluntatis cruciari, dum ea quæ malè aut indignè appetit, habere non sinatur.* [Quod ergo ait: *In nullo naturam puniri quia à Deo sit, & non peccet,*] dupliciter est contrarium fidei, & veritati: Quia & natura Angelica, siue humana peccatrix, sicut superius multipliciter ostensum est, iusto Dei iudicio, & æterna damnatione ponitur: Cùm enim non possit, nec debeat impunitum esse malum, necesse est, vt ibi puniatur vbi inuenitur & à quo perpetratur, id est, in ipsis naturis, quibus peccata commissa sunt, & quæ peccando corruptæ, & deprauatæ sunt: & ideò pro his iustè damnantur. Et ipsa Angelica, vel humana natura; licet ex Deo sit non generatione, sed creatione; non natiuitate, sed origine; Tamen & peccare potest, & peccat: vtrumque ergo fides Catholica confitetur, quia vtrumque verum nouit: id est & veraciter propter peccatum puniri naturam, Et è contrario vtrumque iste negat, dum nec naturam puniri, nec naturam peccare confirmat. Itaque nec secundum eius assertioné inuenta est natura à Deo condita, quæ non peccet, sicut nec illa natura, quæ sola à Deo est genita. Fides autem vera firmissime tenet omnem rationalem naturam, & Angelicam, & humanam, quantum in se est, posse peccare: sicut manifestè peccauit, & in Angelis refugis, & in hominibus per mandati transgressionem lapsis. Quod autem in electis Angelis eadem natura non peccat diuinæ est gratiæ, diuinæ est bonitatis, vt & boni sint ex natura & boni perseuerent ex gratia. Sola autem illa natura peccare nunquam possit, quæ sic est ex Deo, vt hoc sit quod Deus, non ex nihilo condita, sed ex ipso genita, vel procedens, quod est sine dubio vnigenitus Dei Filius, & Spiritus Sanctus. Vnde iste qui nullam aliam naturam dicit non peccare, manifestissima blasphemia creaturam creatori conatur exæquare. Et quid aliud ei restat, nisi vt eiusdem naturæ esse dicat Angelicum, vel humanum spiritum, cuius & Deus est: sicut impij antiqui hæretici dixerunt: Et cum illi duas naturas separatim inter se contrarias introduxerint, vnam bonam quæ mala esse non possit, & alteram malam: quæ bona esse non possit; iste nouo & inaudito genere erroris, imo eodem Angelico, vel humano spiritu, & naturam dicit non peccare, id est malam esse non posse: & voluntatem peccare, id est malam esse posse. Et ideo cum dixisset, naturam non peccare, nec puniri, vt solam voluntatem hominis peccare confirmet, statim subdidit: sed motus voluntarius libidinosus puniatur.

E

Rationalis Natura ex se peccare potest.

F

9. Et hoc ipsum repetens & inculcans subiunxit, atque ait: *In impiis supplicia non perpeti, quod Deus fecit, sed quod superbia vitiose inuenit:*] Quibus vtique verbis, sicut & superius naturá Angelorum, siue hominum impiorum nunquam pœnas passuram esse confirmat, sed quod superba voluntas vitiose admisit, hoc in sola voluntate puniendum esse.

Refut. 9. Defin.

10. Et quasi ab eo quæreremus quæ esset pœna futura ipsius vitiosæ voluntatis, velut exponendo addidit: *Libidinem peruersæ voluntatis cruciari, dum ea, quæ malè aut indignè appetit habere non sinatur:*] Ecce qualem cruciatum futurum dicit malæ voluntatis in Angelis, & hominibus impiis, id est, non ignis æterni, non alicuius exterioris supplicij, sed ex eo tantummodo, quia quod malè cupiunt oppressæ, & coërcitæ implere non possunt ita fit vt non solum naturam Angelorum, vel hominum malorum nunquam peccare, nunquam puniendam esse sed etiam ipsam voluntatem, quam in eis peccare concedit, nullam pœnam sensuram, nullum supplicium passuram esse confirmet, nisi quale & in hac vita omnes praui homines patiuntur, dum ea quæ prauè cupiunt, vel diuino iudicio obsistente, vel alia qualibet necessitate cogente, implere minime permittuntur; vnde manifestum est omnem pœnam, omnem cruciatum, omne tormentum futuræ damnationis, quod omnipotens Deus tam frequenter, & tam terribiliter comminatur, cum penitus denegare: Et ideò tanquam fidei nostræ contrarium & veritatis inimicum procul ab auribus, procul à cordibus fidelium repellendum.

Ref. 10. Defin.

G

H

11. His tantis & talibus subiungit breuissimam definitionem, & dicit: *Ex nullo bono malum esse.*] Quod vt vigilanter intelligere possimus illud imprimis considerandum est, quia potest aliquod bonum esse malum: sicut ipsa natura angelica, vel humana vtique in suo modo & in suo genere bonum est: sed hoc naturæ bonum potest vitio fieri malum, vt & in quantum natura est, bonum esse permaneat, & in quantum vitiatum est, malum esse incipiat: Atque ita bonum malum esse non dubitetur; vt autem hoc fiat: id est, bonum malum esse incipiat, nullam habet præcedentem causam, vnde hoc velut consequenter fiat. Nam si verbi gratia quæratur, quæ causa sit, vt illa vel illa natura sit aliquod bonum inuenitur vtique summum bonum Deum esse, & ab ipso summo bono omne bonum esse; si quæratur vnde ille vel ille sapiens sit & iustus: inuenitur similiter summam sapientiam, summam iustitiam Deum esse: Et ideo ipsum esse summam & certissimam causam, vnde omnis,

Ref. 11. Defin.

Omne bonum à summo bono.

qui

A *Causa præcedens & efficiens.* qui verè est sapiens, sit sapiens: Et vnde omnis, qui verè est iustus, sit iustus: vt ergò sit aliquis bonus, sapiens, iustus, est causa præcedens & efficiens ipsa summa sapientia, summa iustitia; sed nunquid eodem modo dicere possumus, si quæratur à nobis, vnde bonum malum esse incipiat, vt respondeamus aliquod summum malum esse extra omnem naturam Angelicam vel humanam, & ex ipso summo malo fieri quicquid in ipsis creaturis est malum; vt Angelus malus, & homo malus quasi inde habeant causam præcedentem, & efficientem malitiæ suæ, qua ex bono mali efficiuntur. *Mali nulla causa præcedens.* Nam etiam Angelus sicut & homo vtique bonus fuit, & malus esse cœpit. Vnde ergo habuit causam præcedentem, qua fieret malus: nunquid Deus bonus potuit esse causa, qua effectus sit Angelus malus? absit; quia summè bonus mali causa esse non potuit: similiter absit, vt dicamus esse aliquod summum malum, & ipsum esse præcedentem causam, qua bonus Angelus fieret malus: Quia si hoc dicimus manifestè contra fidei veritatem duo principia introducimus,

B

id est, sicut principium boni, ita & principium mali: sed hoc absit, vt diximus: quia nulla est omnino mali natura, nec exsistit substantialiter, vt alicuius rei principium esse possit, *Malum defectus à bono.* sed defectus à bono, appellatur malum: sicut defectus lucis, tenebræ & defectus sanitatis, languor.

Iste igitur defectus à bono, quod appellatur malum, vnde factus est in diabolo, qui primus peccauit? Ex Deo non est factus: quia Deus auctor mali non est: Ex aliqua mali substantia non est factus, quia nulla mali substantia est: Si autem quis dicat propria ipsius voluntate hoc factum esse, vt ex bono fieret malus, Quærendum est verū illa voluntas, quæ hoc in illo fecit, bona fuerit, an mala: Si bona, quomodo bona voluntas causa esse potuit malæ voluntatis? sin autem mala voluntas hoc in illo fecit vt ex bono fieret malus, ipsam malam voluntatem, qua hoc factum est, quis fecit? Quod cum inueniri nullatenus possit, vere confitendum est, nullam præcessisse causam efficientem illius voluntatis malæ, qua bonus

C

Angelus factus est malus: sed potius causam esse deficientem, quia defectus à bono, vt dictum est, appellatur malum; similiter & in homine peccante, vt ex bono fieret malus, nec Dei vtique voluntas causa esse potuit nec natura mali, quam nullam esse constat; nec bona voluntas ipsius hominis, quæ mali causa esse non potuit; nec mala eius voluntas, cuius auctor si quæratur, nullus inueniri potest: si enim dicatur, quod mala diaboli voluntas fecerit hominis voluntatem malam, sicut potuit adquiescere malè suadenti, ita potuit & non adquiescere. Cum ergo esset vtrumque in sua potestate, nemo eum impulit, nemo eum coëgit, nemo etiam suadendo præualere potuit, nisi quia intus apud se voluntario defectu lapsus, à bono factus est malus: Hoc etiam & in cæteris hominibus agitur, vnde manifestum est ipsum bonum, id est naturam bonam ex Deo esse; vt autem istud naturæ bonum efficiatur vitio malum, ex nullo esse quia nullum habet auctorem efficientem, sed casum deficientem.

D

Hoc ergo totum rectè de rationali Angelica, siue humana natura sentitur, & dicitur; vt in eis ex nullo auctore ipsum naturæ bonum malum fieri, vel malum esse intelligatur. Quia, vt sæpius dictum est, malum istud rationalis creaturæ nec ex Deo, nec ex mali aliquo auctore sed ex proprio defectu à bono esse cœpit. Sed iste, qui nec Angelicam: nec humanam naturam asserit peccare, sed solam ipsius naturæ voluntatem, ideo talem definitionem posuisse videtur, vt sic velit ostendere ipsum voluntatis bonum, malum fieri, vel malum esse; vt tamen ipsam naturam defendat ab hoc malo alienam esse. En quod non potuerit auctor esse mali suæ voluntati, quæ ex bono in malum mutata est: Quia bonum, vt incipiat esse malum, ex nullo est: Ex nullo auctore habet causam efficientem; sed potius defectum à bono, hoc ibi malum esse: vt hoc intelligatur iuxta eius sensum in eo, quod dictum est, *ex nullo bono malum esse*,] quia vel Angelicæ, vel humanæ voluntatis bonum, vt esset malum, non fuit auctore eorum natura: & ideò remansit immunis à culpa. E Quia videlicet, vt voluntatis eius bonum inciperet esse malum, ex nullo factum est, & ideo nec ex ipsa. Huius autem fraudulentissimæ argumentationis occasionem ex verbis *sancti Augustini* accepit in Libris de Ciuitate Dei: *Aug. de ciuit. Dei.* Et quod ille ad ædificationem fidei, & destructionem hæreticorum, maximè Manichæorum salubriter disputauit; iste callidè ad impugnationem ipsius fidei conuertit, & in omnibus quam maximè ita agit, vt ex subtilissimis eius sancti Patris disputationibus, quod ille dixit ad confirmationem pietatis, iste furetur, & vsurpet ad confirmationem sui erroris.

12. Adiungit adhuc & dicit: *Eum, qui hic libero voluntatis arbitrio, quod est naturalis intelligentiæ munus, id est, mentis aciem in vsus turpitudinis mutet, illic ne omnino veritatis honestate fruatur, iustissime perdere, & tenebras æternæ ignorantiæ non euitare.*] *Ref. 17. Defin.* In his verbis non de ipsa natura Angelica, vel humana, nec de eius voluntate,

F

vt solet, sed potius de ipsius intelligentia dicit, vt quia tria considerantur in mente rationali, id est esse, scire, velle. Et iam de duobus, id est esse & velle vtriusque naturæ satis sibi disputasse videtur; nunc etiam de scire; id est, de ipsa intelligentia aliquid ponat: vnde salua natura, & ab omnibus pœnis iuxta eius sensum libera; non solum voluntas ipsius naturæ sed etiam intelligentia in damnatione futura punienda intelligatur: non tamen aliquo supplicio, vel tormento exteriori, sed tantum interiori damno. *Dono intelligentiæ priuabuntur damnati.* Dicit enim quòd quicumque modo per liberum voluntatis arbitrium, naturalis intelligentiæ munus, quod habere debuit ad exercitium quærendæ, inueniendæ, & contemplandæ veritatis, commutauerit in alios vsus, id est, vt ipsam intelligentiæ aciem potiùs in rebus vanis, & inutilibus, vel etiam noxiis occupet, in illa tunc damnatione ipsa voluntas hominis libera, quæ hic malè vsa est bono intelligentiæ, etiā hoc modo punietur, vt veritatis luce minimè perfruatur; sed & ipsum bonum intelligentiæ iustissimè perdat, & æternæ ignorantiæ tenebras incurrat. Quod si ita est,

G

magna est iam ista humanæ voluntatis pœna: vt quæ in hac vita suo libero arbitrio malè abusa est intelligentiæ bono, in illa tunc damnatione, & ipsum bonum intelligentiæ perdat, & nulla veritatis luce fruatur, & æternæ ignorantiæ tenebris condemnetur. Et hæc pœna peruersæ humanæ voluntatis intelligentiæ lumen amittentis, tantum erit pœnale ipsi intelligentiæ, vt iustè amittenda esse videatur, & loco eius æternæ ignorantiæ tenebræ succedant. Hæc pœna humanæ mentis in illa damnatione futura, etiam à nobis non respuitur: Quia vt *Matth. 25. 24 De Seruo inutili.* in Euangelio legimus, quando seruus inutilis condemnabitur, qui vnū talentū intelligentiæ, quod acceperat, noluit vtiliter exercere, & exercendo duplicare: sed vel in sudario illud ligauit, vel in terra abscondit, id est, delicatè viuendo, & terrenis curis se immergendo infructuosum reddidit: quando, inquam, ille inutilis seruus condemnabitur, sicut ipsa Euangelica veritas manifestat, primum dicetur *auferte ab eo talentum.* Et tunc subiungetur: *& inutilem seruum proiicite in tenebras exteriores, illic erit fletus & stridor dentium.*

H *v. 28. v. 30.*

Vnde nulla pœna ista fideli homini formidanda est sicut ista, id est, in illa damnatione spoliari lumine intelligentiæ Dei, & proiici in tenebras exteriores, vbi æterna cæcitate damnatis nulla erit illuminatio, nulla contemplatio veritatis. Cùm ergo hæc ita sint, quomodo eis qui in tanta, & tam graui damnatione æternæ cæcitatis futuri sunt, & absentiam veritatis, & beatitudinis semper passuri, promisit iste superiùs notitiam & scientiam ipsius beatitudinis, & veritatis: Ita vt propter hanc cognitionem, & miseros non esse miseros & damnatos non damnatos esse firmauerit, hoc ergo teneat quod hic vtcumque veraciter dixit & abiiciat illud quod ibi superuacuè, & inaniter posuit.

A

CAP. XVII.

SEptimo decimo Capitulo septem definitiones ponit hoc modo.

1. 1. *Deum non esse auctorem, factorem, prædestinatorem suppliciorum.*

2. 2. *Prædestinationem Dei ad ea tantum, quæ in bono sunt præscientiam vero ad bona malaque. Quam differentiam non ex natura esse, sed ex vsu locutionum.*

3. 3. *Sicut & id quod dicitur Deus, vbique esse præsentia potestatis, sed non vbique gratia habitationis: ita dici posse de eo vbique præscientia, sed non vbique prædestinatione: cum apertissimè veritas clamet de Deo vbicumque fuerit Deus præsentia, ibi profectò erit habitatione: similiter vbicumque fuerit præscientia, necessario erit prædestinatione.*

4. B 4. *Et sicut præsentiam, & habitationem Dei non nisi in his, quæ ab eo facta sunt. Ita eius præscientiam, & prædestinationem non nisi eorum quæ ipse facturus esset: Et sicut præsentia eius, & habitatio in his, quæ nec ab eo sunt: nec ea fecit, è contrario esse dicantur, cum in eis non sit: ita præscientiam eius, & prædestinationem, è contrario pronunciari in illis, quæ nec fecit nec donauit, quia nihil sunt.*

5. 5. *Ignem æternum ad vrendum diabolum, & Angelos eius, non homines factum, postquam æthere detrusus sit: vbi in æthereo corpore non poterat pœnas sentire, additum ei corpus aëreum, in quo ignem sentiret.*

6. 6. *Non esse illum ignem pœnam, neque ad eam præparatum, vel prædestinatum: sed qui fuerat prædestinatus, vt esset in vniuersitate omnium bonorum, sedes factus est impiorum: in quo proculdubio habitabunt non minus beati, quam miseri.*

7. 7. *Miseriam nullam esse, nisi mortem æternam: Æternam mortem veritatis ignorantiam: nullamque miseriam esse nisi veritatis ignorantiam: & vbi ignoretur veritas, ibi nullam vitam.*

C

Refut. 1. D. fin.

Quod ergo primo loco posuit: *Deum non esse auctorem factorem, prædestinatorem suppliciorum.*] Manifestè contra fidem dixit, sicut supra iam frequenter ostendimus. Non enim iniusta sunt illa supplicia, quæ in æterna damnatione diabolo, & Angelis eius, & omnibus impiis hominibus inferentur: Quia vnumquamque eorum qui ibi damnantur, secundum meritum suum, & secundum mensuram iniquitatis suæ torquent, & crucient implente eis iusto & æterno iudice, quod de eo in Psalmo scriptum est: *Quia reddet vnicuique secundum opera sua.* Ita & vnus est ignis gehennæ, & tamen diuerso mundo sibi traditos cruciat: sicut & vnus est calor Solis, & tamen non æqualiter ab omnibus, sed ab aliis, & ab aliis diuerso modo pro sui corporis temperatione sentitur. Ideò autem supplicia ipsa nunquam finiuntur: Quia iustum est apud Deum, vt qui nunquam sibi voluerunt ponere finem peccatorum, nonquam finem habeant tormentorum. Et qui ei noluerunt subditi esse pietate, omnes ei subdantur necessitate, ne creatura vlla suo remaneat auctori contraria Et quicumque hic non adquieuerunt veritati, sed crediderunt iniquitati, ibi omnino & ab iniquitate coërceantur, & manifestam veritatem diuini iudicij, diuinæ maiestatis, & potestatis Dei, & Christi eius negare non possint Ita vt ipsi impij, qui alieni semper extiterunt à cultu Dei, cogantur ipsam veritatem fateri: Et sero gementes ac pœnitentes dicant: *Ergo errauimus à via veritatis, & iustitia lumen non luxit nobis, & sol non est ortus nobis.* Vnde & ipse omnipotens Deus cum per Prophetas suos horrenda, & æterna supplicia comminatur, frequenter in fine comminationis suæ subiungit dicens: *Et scient, quia ego Dominus:* id est, necessitate dicent, ad confusionem suam, quod nunquam pietate & deuotione scire voluerunt ad salutem suam. Ipse quoque ipsius malitiæ auctor & instigator diabolus, cum omnibus satellitibus suis Angelis immundis, atque damnatis ibi finem accipiet suæ tyrannidis, quam aduersus Deum, & contra totius humani generis salutem ab initio exercere non cessat, cum, sicut Scriptum est; *Videntibus cunctis præcipitabitur.* Propter hæc namque omnia, & alia, quæ in secretis Dei latent, in Scripturis Sanctis etiam *vtilis* appellatur *infernus:* sicut vtilis est pœna etiam humanarum legum per quam noxij puniuntur, vt cæteri in pace viuant. Ait namque Scriptura cum de lingua mala loqueretur: *Et vtilis potius infernus quam illa.*

Gehenna iuxta mensuram. Psal. 61. 13. Cur æterna. D. Sap. 5. 6. Confessio damnatorum. Exod. 15. 46. (sic) Iob. 41. 28. Vtilis infernus. Eccl. 28. 25.

Quomodo Deus auctor suppliciorum.

Cum ergo tam iusta & tam ordinata sint illa æterna supplicia Angelorum, siue hominum damnatorum, cur non sit Deus auctor eorum? non quod ipse sit causa tantorum malorum, sed quod ipse sit iustus ordinator & iudex iustorum tormentorum. Aut quomodo non est auctor illorum suppliciorum, de quo manifestè in Euangelio dicitur, *Qui potest & animam & corpus perdere in gehennam,* Et *qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam:* Et qui dicturus est in ipso iudicio: *Discedite à me maledicti in ignem æternum.* Quod si illa supplicia, & locus tormentorum in aliqua parte rerum creatarum, id est in aliqua parte mundi esse credenda sunt, quis alius esse potuit factor est omnium. De quo Scriptura manifestè dicit: *Qui viuit in æternum creauit omnia simul.* Cum enim verè creatura sit ille ignis æternus: neque enim credendus est esse Deo coæternus, & sic hæc creatura in iustos vsus, & rectos condita, quicumque vel illam, vel aliam quamlibet creaturam non à Deo dicit esse vno, & solo totius creaturæ auctore, sed ab alio nescio quo, manifestè hæretica impietate, vel manichæorum, vel aliorum pessimorum hæreticorum inuolutus. Et ideo cum verè inter creaturas ignis ille æternus connumerandus sit, ipsum sine dubio habet auctorem & factorem, quem & omnis cætera creatura: De quo etiam Scriptum est: *Sex enim diebus fecit Deus cælum, & terram & mare, & omnia quæ in eis sũt, & in septimo die requieuit:* Dicat ergo iste in qua parte rerum putet esse infernum, id est, locum illum æternalium tormentorum, vtrum in cælo, an in terra, an in mari, vel in cæteris, quæ in eis sunt vbicumque eum esse putauerit, necesse est vt ab eo factus sit, *Qui fecit cælum, & terram, & mare & omnia quæ in eis sunt.*

Luc. 12. 5. Math. 10. 28. Math. 25. 41. F Eccl. 18. 1. Exod. 20. 11. G d. v. 11.

Quæ cum ita sint, cur ipse omnipotens Deus, qui est auctor, & factor omnium rerum, non rectè & veraciter intelligatur, siue credatur etiam prædestinator, tam iustorum, & tam ordinatorum suppliciorum: Licet enim patientibus, & sustinentibus illa supplicia videantur esse mala, apud illum tamen æternum iudicem non sunt mala; quia iusta, & nihil iustum potest dici malum. Ipse ergo & prædestinauit, & præparauit illum æternum ignem, de quo ipsa veritas ait: *qui paratus est diabolo, & Angelis eius:* Et de quo Salomon dicit: *Parata sunt derisoribus iudicia, & mallei percutientes stultorum corporibus.* Si enim hæc supplicia impiis, & iniquis à Deo iusto iudice prædestinata non sunt, quomodo de eis adhuc vtique futuris, atque venturis per B. Ioan. in Apocalypsi dicitur, *Et cruciabuntur die ac nocte in sæcula sæculor.* Et iterum: *Et fumus tormentorũ eorum ascẽdat in sæcula sæcul.* Quomodo etiam B. Petrus de quibusdam pessimis dicit: *Quibus caligo tenebrarum in æternum reseruatur.* Et B. Iudas Apost. de eisdem similiter: *Quibus procella,* inquit, *tenebrarum in æternum seruata est.* Certè omnes consonanter fatemur Deum prædestinasse omnia, quæ ipse esset facturus, & vtique tam magna, tam iusta & æterna iudicia nemo præter ipsum facturus est. Si ergo ad eius opera pertinent nec ab alio fieri possunt; certum est omnino, nec dubitari debet, quod ipsum habent prædestinatorem, quem auctorem atque factorem.

Math. 25. 41. Prou. 19. 25. Apoc. 20. 10. Apoc. 14. 11. H 2. Pet. 2. 17. Iudæ. 13.

Quod si iste propterea dicit, non esse Deum auctorem factorem suppliciorum, quia, vt dicere solet, supplicium nihil est, quia substantiam, & naturam per se exsistendi, & subsistendi non habet, sicut nec malum, nec peccatum, nec mors, & ideo non potuisse à Deo prædestinari ea, quæ substantialiter non existunt: contradicendum ei constanter ipsa rei euidentissima veritate, quia videlicet istud verbum quod dicitur supplicium non significet aliquam rem, vel naturam subsistentem sicut significant cum dicimus; Cælum,

terra,

A terra, mare: hæc enim continuo quasdam rerum naturas sua significatione demonstrant. Licet ergo hoc, quod dicitur supplicium, non significet isto modo aliquam rem per se subsistentem, tamen significat aliquod grande malum, quod per subsistentes agitur naturas rerum: Ita cùm nullam sui habeat substantiam, significat tamen illud quod non nisi per res & substantias existentes efficitur; sicut & ipsa mors cum dicitur, vtique nullam sui substantiam significat; quia naturam per se subsistendi non habet: hoc tamen nomine significatur & intelligitur grauissimum malum, quod in substantiarum, id est, animæ & corporis diuisione cognoscitur. Ita omnipotens Deus supplicium quod non prædestinauit, vt existeret in natura sui prædestinauit tamen in naturis, & substantiis verè existentibus, quibus tantum malum, quod illo nomine significatur, & intelligitur, verè & substantialiter exhibetur.

Refut. 2. Defin. B 2. Dicit post hæc: *Prædestinationem Dei ad ea tantum quæ in bono sunt, præscientiam verò ad bona malaque: Quam differentiam non ex natura esse, sed ex vsu locutionum.*] Hanc differentiam præscientiæ, & prædestinationis Dei, quia, vt Patres sancti eam tradiderunt, & ipsa veritas veracem esse demonstrant, vtique tenemus, & amplectimur. Quod videlicet Deus præscius omnium futurorum, omnia æternaliter præscierit, quæ erant futura, id est, & bona & mala: prædestinauerit vero æternaliter sola bona, quæ ipse erat facturus, siue gratuita misericordia sua, siue iusto iudicio suo: Et ideo rectissimè præscientiam Dei, & in bonis, & in malis intelligi; prædestinationem verò in solis bonis, & iustis, quæ ipse non solum præsciuit, sed etiam statuit, præfiniuit, atque decreuit futura. Iste tamen hanc differentiam propterea commemorat, vt Deum mala præscire potuisse prædestinare autem non potuisse contendat, non intelligens illam differentiam mali, quam iam superius commendauimus, quod scilicet, aliud sit, malum contrarium bono, quod est vtique vitium, nec habet auctorem Deum: Aliud vero esse malum, quod est contrarium paci, quieti, vel sanitati, quod nunquam accidit nisi Deo auctore & iudice; sicut ipse loquitur per Prophetam *Ego Dominus faciens pacem & creans malum.* Vnde & illud est apud alium Prophetam: *Si erit malum in ciuitate, quod Dominus non fecerit.* Et iterum: *Bona & mala, vita & mors, paupertas & honestas, à Deo sunt.* Illius itaque mali, quod intelligitur in vitio vel peccato non est præstestinator Deus, quia nec auctor: huius autem mali, quod intelligitur in aliqua afflictione, tormento, atque supplicio vel temporali vel æterno, quia hæc, sicut Scriptura docet, ab ipso sunt, & eius iudicio disponuntur, atque inferuntur, manifestè & auctor est & prædestinator: quia & præsciuit ea futura, & prædestinauit iustè facienda. Quæ cum ita sint, nihil egit istam differentiam ad medium deducendo, nisi vt veritatem negaret, & suam imperitiam demonstraret.

Molli differentia.

C

Isa. 45. 7. Amos 3. 6. Eccl. 11. 14.

D Quod vero ait, *Hanc differentiam diuinæ præscientiæ, & prædestinationis non esse ex natura, sed ex vsu locutionum:*] nobis melius & verius videtur, quod ex natura & secundum naturam sit: quia & si in Dei natura, *Nulla est transmutatio, vel vicissitudinis obumbratio*, vt aliud sit ei scire, aliud præscire, aliud prædestinare, sed vna & simplici & æterna scientia sua totum simul & æqualiter continet, quod in rebus temporalibus diuerso modo agitur, & exhibetur: Tamen cum hæc, id est, præscientia & prædestinatio Dei verissime ad creaturarum eius statum, & dispositionem referantur, differentiam aliquam in Dei æterna & incommutabili scientia non habent, quia totum ibi vna, & simplex scientia est, nec temporibus variata, nec rerum diuersitate mutata: habet tamen eam, id est, differentiam in rebus temporaliter transeuntibus, dum in eis alia sunt præsentia, vel præterita, vbi humanus sensus propriè agnoscit scientiam: Alia vero futura, quibus propriè præscientiam, vel prædestinationem intelligit conuenire. Et quia in ipsis futuris alia occurrit diuersitas, vt quædam sint bona, quædam verò mala; Rursum alia occurrit differentia, vt scilicet prædestinatio agnoscatur in solis bonis, præscientia verò in vtrisque intelligatur, id est, bonis & malis; ita hæc differentia præscientiæ & prædestinationis, & si non est ex natura vel secundum naturam incommutabilis deitatis; est tamen, & agnoscitur esse ex natura & secundum naturam administrandæ, & disponendæ creaturæ mutabilis. De qua re etiam superius id est, in secundo huius disputationis capitulo plenius diximus, & ideo nullatenus patimur ista, quæ tam rectè, & veraciter suis proprietatibus sunt distincta, & ita nobis à Patribus tradita, vllius noua præsumptione turbari atque confundi: vt indiscrete, & confuse aliquis præsumat dicere, sicut iste dicit, omnem præscientiam prædestinationem esse, quod est apertissimè blasphemum, vt cum præscire possit Deus etiam mala, ea, quod absit prædestinasse dicatur. Quamuis prædestinatio, quia non est sine præscientia, non absurde possit dici etiam præscientia.

Iac. 1. 17. De scientia Dei.

E

Prædestinatio dici potest præscientia.

Refut. 3. Defin. F 3. Iste tamen vt non ex rerum veritate, & proprietate, sed tantummodo ex vsu locutionis nostræ hanc differentiam venire contendat, subiungit exemplum suæ assertioni contrarium & dicit: *Sicut & id, quod dicitur Deus vbique esse præsentia potestatis, sed non vbique gratiâ habitationis: ita dici posse de eo vbique præscientia, sed non vbique prædestinatione: cum apertissime veritas clamet de Deo vbicumque Deus fuerit præsentia, ibi profecto erit habitatione. Similiter vbicumque fuerit præscientiâ, necessarie erit prædestinatione.* [Ecce affirmat, quod hæc religiosa locutio Ecclesiasticæ disciplinæ, vt distinguatur & discernatur, & dicatur à nobis, quia Deus vbique est per præsentiam maiestatis, sed non vbique per præsentiam habitationis, non sit ex rerum proprietate, sed tantum ex vsu locutionis humanæ, vt destruat saluberrimum sensum totius Scripturæ diuinæ, vbi omnipotens Deus aliter commendatur nobis vsquam esse generaliter per præsentiam maiestatis; aliter vero specialiter per gratiam inhabitationis. De generalis namque suæ maiestatis præsentia ipse dicit, *Cælum & terram ego impleo.* Et Propheta ad ipsum: *Si ascendero in cælum, tu illic es, si descendero ad infernum, ades: si sumpsero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris. Etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua.* De gratia vero inhabitationis eius, qua non vbique est, sed in templo suo id est, in sancta & rationali creatura Angelica, vel humana quæ sola est capax eius cognitionis, & intelligentiæ illuminationis, & gratiæ aliquando cælorum significatione, per quam intelligitur cælestis vita Angelorum, siue hominum sanctorum: aliquando verò ipsius specialis templi commemoratione. Ita loquitur Scriptura vt dicat: *Qui habitat in cælis irridebit eos; & ad te leuaui oculos meos, qui habitas in cælis.* Et *respice de Sanctuario tuo, de excelso cælorum habitaculo.* Et *Pater noster qui es in cælis.* Et illud quod Apostolus ait: *Nescitis quia templum Dei estis & spiritus sanctus habitat in vobis.* Et iterum: *Vos enim estis templum Dei viui sicut dicit, Deus, quoniam inhabitabo in illis, & inambulabo, & ero illorum Deus, & ipsi erunt mihi populus.*

G *Ps. 138. 8. 9. 10. De gratia inhabitationis.*

Ps. 2. 4. Ps. 122. 1. Deut. 26. 15. Matth. 6. 9. 1. Cor. 3. 16 2. Cor. 6. 16

H *Leu. 26. 12.*

Cùm ergo veraciter, & omnino secundum rerum naturam tanta sit distantia, & differentia inter præsentiam diuinæ maiestatis, quæ generaliter & potentialiter omni creaturæ exhibetur, & gratiam habitationis, quæ specialiter, & misericorditer tantummodo rationali, & electæ creaturæ quæ eis potest capere illuminationem, & intelligentiam, & suauitatem conceditur: quare hunc tam diuinum sensum, & tamen necessarium fidei, & saluti nostræ sua temeritate in tantum euacuare conatur, vt ipsam veritatem clamare dicat, quod vbicumque Deus est præsentia, ibi sit & habitatione? Cùm è contrario hæc veritas Scripturæ Dei tam diligenter discernat semper, atque distinguat vt habitationem Dei tantummodo in templo suo, vel cælesti vel etiam adhuc in terris posito per bonitatem gratiæ eius commendet. Dicitur quidem & in templo aliquo manufacto, & religiosa pietate suo nomini consecrato propter ipsius consecrationis gratiam, & familiariorem suæ maiestatis cultum, & celebriorem supplicationis, & exauditionis effectum, aliquan-

A

Matth. 23.21. Act. 7. 48. 2. Par. 2. 6. *De habitatione Dei in templo.*

do inhabitare: sicut ipse Dominus in Euangelio ostendit dicens: *Et qui iurat in templum, iurat in illud, & in eum qui habitat in ipso.* Et tamen apertè Scriptura dicit: *Quia non excelsus in manufactis habitat*, vnde & Salomon de ipso templo quod ei ædificauerat, & consecrabat, in oratione sua dicit: *Si cælum, & cæli cælorum te capere non possunt, quanto magis domus hæc quam ædificaui:* Vnde & intelligimus, quod in huiusmodi templo manufacto; & suo nomini dicato, atque sacrato rectè, & inhabitare Deus dici possit quadam gratiæ dignatione, & Sacramentorum cœlestium sanctificatione: Et non inhabitare maiestatis immensitate, & illius gratiæ, quam soli electæ & rationali creaturæ exhibet, largitate. Dicit quidam sanctus & gloriosus martyr de illo: Cuius templum totus est mundus: in quibus verbis si simpliciter totum mundum qui constat è cœlo, & terra intelligi voluit, ita hoc rectè intelligitur dixisse: quia in toto mundo vbique potest religiosè coli, vbique adorari, dum *veri adoratores* non iam in Hierosolymis cum Iudæis, nec in monte illo cum Samaritanis, sed *vbique adorant Patrem in spiritu & veritate:* Si autem illo modo intelligi voluit cuius templum totus est mundus, vt totum mundum iuxta consuetudinem Scripturarum, totum genus humanum appellauerit, manifestè templum Dei totus est mundus: In illis scilicet qui ex toto mundo, id est, ex vniuerso genere humano, conuertuntur & colliguntur ad Deum, & templum eius fiunt. Vnde & idem beatissimus martyr postquam dixit: cuius templum totus est mundus, subiunxit atque ait: in nostra dedicandus est mente, in nostro consecrandus est pectore.]

Templū Dei totus mundus.

B

Ioan. 4. 23

Infidelibus ex mundo collecta.

Quapropter non ex vsu tantummodo locutionum, sed ex ipsa veritate & proprietate rerum omnipotens Deus, vbique esse dicitur per præsentiam maiestatis, & non vbique per gratiam inhabitationis, dum & generaliter vniuersæ creaturæ exhibet præsentiam maiestatis, & tantummodo electæ rationali creaturæ largitur gratiam suæ inhabitationis. Quid autem est, quod asserit dici posse: *De Deo vbique præscientia, sed non vbique prædestinatione & vbicumque fuerit præscientia, necessario erit prædestinatione.*] Quis vnquam ita locutus est, vt diceret Deum vbique esse præscientia? Cum præscientia sua tantummodo apud se sit, cui soli cognita est. Aut quid necesse est dicere, vbique eum esse prædestinatione, cum prædestinatione sua tantummod apud se sit, quia ipsi soli cognita habetur. Similiter ergo vanum est quod ait: *Vbicumque fuerit præscientia, necessario erit prædestinatione:*] Quia & hoc nemo dicit; sed sicut quidam Patrum antiquorum dixerunt, nouitas est vocis, & aliud nihil: Dicimus namque Deum vbique esse maiestate, vbique esse potentia, vbique esse virtute; quia hoc totum, id est, maiestas, potentia, virtus, ipse est, qui vbique est. Vt autem dicamus vbique eum esse præscientia, vbique prædestinatione, nulla ratio est. Quia nusquam legitur Deus vel præscientia vel prædestinatione esse.

Deus quomodo vbique.

C

D

Ergo & illud quod dicit, *Præscientiam & prædestinationem Dei, non nisi eorum, quæ ipse facturus esset*, apertè mendacium est: Quia præscientia eius etiam in malis esse potest, quæ ipse facturus non erat. Deinde quod ponit, & dicit: *Sicut præscientia eius, & habitatio in his; quæ nec ab eo sunt, nec ea fecit,*] similiter vanissimum est. Vbi enim vnquam legit? vbi à fidelibus dictum audiuit, vt Deus in his, quæ nec ab eo sunt, nec ea fecit, præsentiam, & habitationem habere diceretur? Quæ autem sunt ista, quæ vt ipse scribit, nec ab eo sunt, nec ipse fecit? si enim sunt aliqua talia, est ergo aliqua creatura, quæ nec a Deo est, nec Deus eam fecit? Quod vtique non est Christianum, sed Manichæum; quia non potest mentiri Euangelium vbi scriptum est. *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil.*

Ioan. 1, 3.

Refut. 4. Defin.

4. Tale est etiam illud, quod continuo subiunxit: *Præscientiam Dei; & prædestinationem è contrario pronunciari in illis quæ nec fecit, nec donauit.*] E contrario enim pronunciari dicit, vt iuxta suam illam, & nouam regulam, & insanam, quod pronunciatur non verè pronunciari intelligatur; mendacium ergo est quod affirmare conatur, illa æterna supplicia nihil esse, nec adeo facta esse, quia in vtroque veritati contradicit, & ideò verè à Deo præscita sunt futura, verè à Deo eis, qui meruerunt inferenda: Et cum hæc tam apertè in Scripturis & facta, & præscita, & prædestinata esse inueniantur, conteratur potius, & pereat talis regula, qua facta pro non factis intelligi debere insanissimè affirmatur.

E

Refut. 5. Defin.

5. Subiunxit adhuc dicens: *Ignem æternum ad vrendum diabolum & Angelos eius, non homines, factum:*] hoc propterea iste, & alij fortassis vel quærentes, vel affirmantes dicere videntur: id est, quod ille ignis æternus non ad pœnam hominum, sed tantummodo ad supplicium Angelorum malignorum paratus sit: quia non ait Dominus in illo iudicio illis, qui ad sinistram eius erunt, se esse dicturum: *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est* vobis, sed qui paratus *est diabolo & Angelis eius*, vt ex eo quod non ait, qui paratus est vobis: sed ait *Qui paratus est diabolo, & Angelis eius*, malignis tantummodo spiritibus: Id est, ipsi diabolo & Angelis eius paratus esse videatur: vnde quorundam opinio fuisse deprehenditur, quod alius sit iste ignis quo nunc apud inferos damnatorum animæ cruciantur: & alius ille ignis æternus, in quem tunc tantummodo homines mittentur, quando cum corporibus suis resuscitati simul cum diabolo & Angelis eius in eundem ignem æternum ire compellentur. Sed siue vnus sit ignis, quo & nunc solæ animæ, & tunc receptis etiam corporibus suis torquebuntur, siue alius sit iste, siue alius ille, nos credamus Scripturæ veraci, quia & illud supplicium ignis æterni, & tenebræ exteriores, quæ ibi sine dubio sunt futuræ, non solum Angelis, qui non seruauerunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, quos etiam ruentes de cœlestibus tradidit Deus in iudicium cruciandos, reseruari: sed etiam hominibus impiis sunt præparata, & reseruata. Vnde sicut iam commemorauimus, Beatus Petrus Apostolus ait de quibusdam impiis, & illa vltima perditione damnandis, *Quibus caligo tenebrarum in æternum reseruatur.* Et Beatus Iudas Apostolus de eisdem similiter dicit: *Quibus procella tenebrarum in æternum reseruata est.* Sicut ergo *caligo* illa *& procella* æternarum tenebrarum hominibus impiis & pessimis est præparata & reseruata: Ita etiam ipse ignis æternus, qui sine dubio simul intelligendus est, etiam ipsis est præparatus, & reseruatus. ideo quod Dominus ait de eodem igni æterno, *Qui paratus est diabolo & Angelis eius.* Ita fideliter intelligamus, vt quod principaliter de illo, hoc est de diabolo dictum est, hoc ipsum consequenter & de eius corpore intelligatur, de quibus Scriptura dicit: *Imitantur autem eum, qui sunt ex parte illius.* Vt supplicium: quod illi principaliter est præparatum, etiam istis consequenter accipiatur & præparatum, & reseruatum: sicut superius memorata verba Apostolica apertissimè demonstrant.

F

Matth. 25. 41.

G

2. Pet 2. 17. Iudæ. 13.

d. v. 41.

Sap. 2, 25.

H

5. Subiungit iste & dicit: *Postquam ab æthere detrusus sit, vbi in æthereo corpore non poterat pœnas sentire, additum ei corpus aereum, in quo ignem sentiret.*] De hac re non istius importunã definitionem & inconsideratam definitionem, sed potius *Beati Augustini* dicta piè moderata, & cautissima, & magis quærentis quam definientis audiamus: [Superior, inquit pars aëris, propter puram tranquillitatem cœlo, cui conlimitatur, communi pace coniungitur, & eius vocabulo connuncupatur. In qua fortassis parte, si fuerunt ante transgressionem suam transgressores Angeli cum principe suo, nunc diabolo, tunc Archangelo (nam nonnulli nostri, non eos putant cœlestes, vel supercœlestes Angelos fuisse) non mirum si post peccatum in istam sunt detrusi caliginem, vbi tamen & aër sit, & humore tenui contexatur: si autem transgressores illi antequam transgrederentur, cœlestia corpora gerebant, neque hoc mirum est, si conuersa

d. Def. 5.

August.

A sunt ex pœna in aëream qualitatem, vt iam possint ab igne, id est ab elemento naturæ superioris aliquid pati, nec aëris saltem spatia superiora atque puriora, sed ista caliginosa tenere permissi sunt; Qui eis pro suo genere quidam quasi carcer est, vsque ad tempus iudicij. Etsi quid de his transgressoribus Angelis diligentius requirendum est.]

Ecce doctor pietatis nihil temere præsumens, sed de singulis cauté, & humiliter tractans; dicit Angelos transgressores cum suo principe nunc diabolo, tunc Archangelo vel in superiore parte aëris huius, id est, cœlo æthereo fuisse antequam peccarent: aut fortasse in cœlestibus conuersatos, si cum cæteris cœlestes, vel supercœlestes Angeli fuerunt. Et si in cœlo æthereo tantummodo fuerunt, ex illa pura, & semper serena tranquillitate deiectos esse, atque detrusos post peccatum in istam inferiorem & caliginosam partem aëris: similiter si ante transgressionem suam, sicut cæ-
B teri Angeli cœlestia corpora gerebant, conuerti ea potuisse vel conuersa esse ex pœnæ illius damnationis in aëream qualitatem, vt iam possint ab igne pœnam quæ eis debetur pati. Non ergo definiuit hic sanctus doctor vtrum in cœlo æthereo, an etiam in cœlo sydereo ante transgressionem suam fuerint conuersati, sed vtrumque fieri potuisse non contradicit. Vndecumque autem post transgressionem, siue scilicet ex superiore, siue inferiore cœlo corruerint, etiamsi cœlestia corpora ante gerebant, conuersa esse ex pœna in aëream qualitatem; non alia eis ex ipso aëre, id est, aërea corpora addita, non inconueniens esse existimat. Non ergo definit, sicut iste, quod ex æthere in aërem diabolus sit detrusus, quia potuit & ex cœlestibus ruere, nec definit æthereum, siue cœleste eum corpus habuisse, sed si habuit, ex pœna in deterius commutatum esse: nec additum ei corpus aëreum, vel quasi duplici corpore vno cœlesti vel æthereo, altero autem aëreo vestiretur: sed ipsum eius cœleste corpus (si fuit), conuersum esse ex
C pœna in aëream qualitatem, vt iam non cœleste vel æthereum, sed aëreum corpus esset, vbi ignis pœnam, & supplicium sentire possit.

August. Item alibi de eadem retractans, & cautissime ac suspense deliberans, ita dicit: [Si non erit ignis incorporalis, sed corporalis tactu noxius, vt eo possit corpora cruciari, quomodo in eo erit etiam pœna spirituum malignorum, nisi quia sunt quædam sua etiam dæmonibus corpora, sicut doctis hominibus visum est, ex isto aëre crasso, atque humido, cuius impulsus vento flante sentitur. Quod genus elementi si nihil ab igne perpeti posset non vreret feruefactus in balneis: vt enim vrat, prior vritur, facitque cum patitur. Si autem quisquam nulla habere corpora dæmones asseuerat, non est de hac re, aut laborandum operosa inquisitione, aut contentiosa disputatione certandum. Cur enim non dicamus quamuis miris, tamen veris modis, etiam spiritus incorporeos posse pœna corporalis ignis affligi? si spiritus hominum etiam ipsi profecto incorporei & nunc potuerunt includi corpora-
D libus membris, & tunc poterunt suorum corporum vinculis insolubiliter alligari. Adhærebunt ergo spiritus dæmonum, imo spiritus dæmones licet incorporei corporeis ignibus cruciandi, accipientes ex ignibus pœnam; & cæt. quæ de hac re prolixius disputat,] hac ergo cautela quam beatus doctor in suis inquisitionibus ostendit, de talibus rebus sentiendum atque tractandum, & non improbè, vel mendaciter aliquid definiendum.

Refut. 6. Defin. 6. Sequitur iste, & dicit: *Non esse illum ignem pœnam neque ad eam præparatum vel prædestinatum: sed qui fuerat prædestinatus, vt esset in vniuersitate omnium bonorum, sedes factus est impiorum, in quo proculdubio nō minus habitabunt beati, quā miseri.*] In his verbis cum dicit illum ignem æternum non esse pœnam, manifestè ipsi veritati, id est, iudici viuorum, & mortuorum contradicit, qui se in il-
Matth. 25.41. lo iudicio dicturum prædixit: *discedite à me maledicti in ignem æternum.* Et vt ipsum ignem æternum intelligamus esse pœnam & supplicium sempiternum, statim post pauca, de miseris, qui ibi æternaliter damnandi & torquendi sunt, subiungit, dicens: *tunc ibunt hi in supplicium æternum* E
Contradicit & B. Paulo Apostolo dicenti: *In reuelatione Domini nostri* IESV CHRISTI *de cælo cum Angelis virtutis eius: dantis vindictam in flammam ignis, his qui non nouerunt Deum, & qui non obedierunt Euang. Domini nostri* IESV CHRISTI; *qui pœnas dabunt in interitu æternas à facie Domini, & à gloria maiestatis eius.* Contradicit & B. Apostolo Ioan. de eodem stagno ignis & sulphuris in Apocalypsi dicenti: *Et cruciabuntur die ac nocte in sæcula sæculorum,* & iterum, *& fumus tormentorum eorum ascendet in sæcula sæculorum.* Et Scripturæ quæ ait: *Dabit in carnes eorum ignem, & vermes, vt vrantur, & sentiant vsque in sempiternum.* Et iterum; *Humilia spiritum tuum valdè, quia vindicta carnis impij ignis, & vermes.* Quæ cum ita sint & fideliter ad terrorem atque emendationem assiduam tenenda sint, quomodo iste audet, vel cur tam impiam, & multis noxiam permittitur habere libertatem, vt in Eccl. dicat ad subuersionem audientium, & securitatem mortiferam nutriendam, non esse illum ignem æternum pœnam? cum Dominus eum testetur esse supplicium sempiternum: Et veritas Apostolicæ doctrinæ, *Ignem & flammam vindictæ, & pœnas in interitu æternas, & cruciatum diei ac noctis, & fumum tormentorum ascendentem in sæcula sæculorum,* apertissime eum esse denunciat. F

Ibid 4. 2. Thes. 1. 7. 8. — Apoc. 20. 10 & 14. 14. — Iudith 16. 21 — Eccl. 7. 19.

Et ideo omnino indubitanter, & verissime nobis ista credenda sunt, vt tali terrore coërceatur, & mortificetur in nobis delectatio peccandi, & excitetur ac roboretur sollicitudo benè agendi, & Deo placendi. Hoc namque nobis præcipuè necessarium esse ipse Dominus ostendit, dicens: *Ostendam vobis, quem timeatis, timete eum qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam:* Et iterum: *Sed potius eum timete, qui potest & animam & corpus perdere in gehennam.* Vnde & alibi Scriptura vtilitatem huius timoris, & è contrario malum securitatis ostendens, dicit: *Timor Domini expellit peccatum:* nam qui sine timore est, non potest iustificari.

Luc. 12. 5. Matth. 10. 28. — Eccl. 1. 27.

Quod autem iste dicit: *eundem ignem æternum non esse ab initio præparatum, & prædestinatum ad pœnam, sed tantum, vt in vniuersitate creaturarum, quæ à bono creatore bona condita sunt, & ipse quasi locum suum teneret.*] Fi- G
dei nostræ nequaquam est recipiendum: Sed hoc potius tenendum est, quia omnipotens Deus, qui omnia quæcumque ab initio creauit, certis vtique ex causis, & ad certos, & necessarios vsus condidit, & nihil inaniter aut superuacuè constituit, sed vnamquamque rem sua omnipotentia conditam proprium officium, siue vtilitatem habere voluit: sicut lucem ad vsum diei, & tenebras ad quietem noctis, & firmamentum cæli ad sedem luminarium, & aquarum super cœlos separationem ad temperationem astrorum, & herbas atque arbusta ad sustentationem animantium, & luminare maius, vt præesset diei, & luminare minus, vt præesset nocti, cum stellis: & cætera in hunc modum: sicut ergo omnia hæc ab initio condita & ordinata, statim propriis officiis, & ministeriis, atque vsibus deputauit; Ita & illum ignem æternum ab initio inter cæteras creaturas non inaniter H
conditum sua iusta prouidentia, & prouida iustitia statim ad eos vsus credendos est præparasse, & non prædestinasse, ad quos Dominus eum præparatum esse ostendit, cum impiis & damnatis hominibus dicit: *Ite in ignem æternum:* Et subiungit, *qui paratus est diabolo, & Angelis eius:* Id est, ad vtriusque creaturæ, tam Angelicæ, quam humanæ supplicium sempiternum: quia & ex ipsis verbis quibus dicturus est: *Venite benedicti Patris mei, percipite Regnum, quod vobis paratum est à constitutione mundi.* E contrario rectè intelligere possumus, etiam ipsum *ignem æternum* ad æternum supplicium Angelorum, siue hominum impiorum similiter à constitutione mundi esse præparatum, nec tamen est vlla iniquitas apud Deum, quod ipsum ignem supplicij sempiterni tantæ multitudini impiorum, tam longè antequam peccarent, antequam nascerentur, & antequam omnino essent præparauit, & prædestinauit: quia & in nouo ciuitatis ædificio, si statim cum ipsa simul ciuitate domus carceris

Matth. 25. 41. — Matth. 25. 34.

ceris horrenda, & terribilis extruatur, non potest dici iniquitas, sed potius prouisio misericordiæ, & iustitiæ: vt videntes qui in ciuitate habitant pœnale, & triste ergastulum damnationis, aut deterreantur misericorditer à peccando, aut si nec peccata vitauerint, iustè & inexcusabiliter puniantur. Sic ergo & ille ignis ad æternum creatus supplicium, & misericorditer, & iustè credi debet, dum aut eius terrore homines corrigantur, aut si corrigi noluerint, iustius puniantur.

De cuius ignis æterni creatione, quam vtique in illis operibus Dei intelligere debemus, cum *sex diebus fecit cælum, & terram, & mare, & omnia quæ in eis sunt, & in septimo cessauit ab omni opere quod patrarat*. Ita sanctus Papa Gregorius exponens verba libri beati Iob, vbi scriptum est de impio: *Deuorabit ignis qui non succenditur* [ita ait, miro valde modo paucis verbis expressus est *ignis gehennæ*; ignis namque corporeus, vt esse ignis valeat corporeis indiget fomentis, qui cum necesse est vt seruetur, per congesta ligna proculdubio nutritur, nec valet nisi succensus esse, & nisi refotus subsistere. At contra gehennæ ignis cum sit incorporeus, & in se missos reprobos corporaliter exurat, nec studio humano succenditur, nec lignis nutritur, sed creatus semel durat inextinguibilis, & succensione non indiget, & ardore non caret.] Exponens adhuc idem beatissimus Doctor verba sequentia quibus de eodé impio dicitur, *affligetur relictus in tabernaculo suo*: quid de pœnis æterni ipsius ignis fideliter sentiendum sit, ita subiungit: iniqui enim tabernaculum caro est, quia ipsam lætus inhabitat, & si sit possibile, optat vt eam nunquam relinquat: Quam videlicet carnem cum in resurrectione receperit, cum ea gehennæ ignibus traditus ardebit: Tunc ab ea educi appetat, tunc incipit velle vitare quod amauit: sed quia eandem carnem Deo præposuit, iudicante Deo agitur, vt ex ea amplius igne crucietur. Ad augmentum itaque tormenti, & hic de corpore nolens educitur, & illic in corpore tenetur inuitus.] Item cum verba eiusdem libri exponeret, in quibus de eodem impio Scriptum est: luet, *quæ fecit, omnia, nec tamen consumetur iuxta multitudinem adinuentionum suarum, sic & sustinebit*; ita dicit: [persoluit enim in tormentis ea, quæ hic inlicita seruauit desideria: & flammis vltricibus traditus semper moritur, quia semper in morte seruatur nec in tormentis consumitur, quia si consumeretur vita morientis, cum vita etiam pœna finiretur: Et qui multa inuenit ad culpam, nouis inuentionibus cruciatur in pœna.]

Hæc sanctus Doctor terribilis terribiliter, & vera veraciter loquitur, vt audientium animos ad terrorem excitet, ad emendationem stimulet, à mortifera securitate ad cursum salutis suæ, velut vigilare compellat. Iste autem adhuc inanis inaniter, & falsa fallaciter loquens dicit quod *ipse ignis æternus, qui ad hoc tantum fuerat creatus sicut ipse vult, vt esset in vniuersitate omnium bonorum, sedes factus est impiorum*.] Non dixit tormentum, aut pœna, vel supplicium factus est impiorum, sed *sedes*, inquit, *factus est impiorum*: vt iuxta eius sensum, sicut vnicuique sedes est, domus sua, vbi quietus residet, & inhabitat: sic & impiis ille ignis non sit tormentum damnationis, sed tranquilla sedes habitationis. Vnde adhuc de eodem igne subiungit, dicens: *in quo proculdubio non minùs habitabunt beati, quam miseri*:] Et hic namque habitabunt in illo igne dixit, non cruciabuntur, non punientur, aut tale aliquid, negans omnino, (vt solet) pœnas verissimas æternalium tormentorum, quas tota Scriptura tanto terrore denuntiat, tanta attentione commendat. Quod autem dicit, *in quo proculdubio habitabunt non minus beati quam miseri*.] Manifestè vtrosque, id est, & beatos, & miseros in vno igne æterno post resurrectionem habitaturos affirmare contendit: sequens, videlicet stulta, & vanissima persuasione opiniones secularium Philosophorum, qui putant animas piorum post dissolutionem corporis, vel in cœlo æthereo, vel in illo circulo, quem lacteum vocant, vel in globis syderum habitaturas. Quæ iste omnia, & ipsum cœlum æthereum & firmamentum cœli, in quo lacteus B
ille circulus apparet, & ipsa sydera æternum ignem appellat: sicut & illum ignem gehennæ. Quia omnia hæc, quæ super tria mundi elementa, id est, terram, aquam, & aërem constituta sunt, ex quarto elemento ignis putat existere, vt idipsum quartum mundi elementum, & apud inferos sit ignis æternus, *qui paratus est diabolo & Angelis eius*, & omnibus impiis hominibus: & in cœlestibus spatiis sit ignis æternus vbi sit post resurrectionem habitatio beatorum. Matth. 25. 41.

Ecce qualem beatitudinem promittit sanctis, & electis Dei: vt qui habitauerunt cum adhuc essent mortales in primo mundi elemento; id est in terra, habitent iam immortales effecti in quarto & superiori mundi elemento, sicut ipse dicit igne æterno. Et hæc sit eorum remuneratio habitare in quolibet quamuis lucido, quamuis tranquillo, & puro tamen elemento. Dominus autem non in elementis mundi æternam beatitudinem suis promittit, sed in cælestibus, & super cælestibus bonis, F
Vbi Christus est in dextera Dei sedens, exaltatus super omnes cælos, & interpellans pro nobis. De cuius sublimitate beatitudinis Apostolus dicit: *Non enim in manufactis sancta introiuit* IESVS *exemplaria verorum, sed in ipsum cælum, vt appareat nunc vultui Dei pro nobis*. Ad quam habitationem, vt sancti eius valeant peruenire, ipse in Euangelio Patrem exorat dicens: *Pater, quos dedisti mihi volo, vt vbi ego sum & illi sint mecum, vt videant claritatem meam, quam dedisti mihi*: De qua beata & Angelica habitatione sanctorum ipse iterum dicit Apostolus: *Scimus autem quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur, quod ædificationem ex Deo habemus domum non manufactam æternam in cælis*: Vnde & ipse dicebat: *Cupio dissolui & cum Christo esse*. Et de omnibus generaliter electis post resurrectionem promittit dicens: *Rapiemur in nubibus obuiam Christo in aëra*. Et sic semper cum Domino erimus. De qua gloriosa & fœlicissima habitatione iustorum Psalmista dicit *habitabunt recti cum vultu suo*. Hæc ergo habitatio quæratur, hæc desideretur, non in elementis mundi, sed in vultu Dei, in visione claritatis Christi, in societate beatorum, & supercœlestium Angelorum, quando *erunt sancti* (sicut ipsa veritas promittit) *æquales Angelis Dei in cælis*. Col. 3. 1. Ro. 8. 34. Heb. 9. 24. Ioan. 17. 24. 2. Cor. 5. 1. Phil. 1. 23. 1. Thess. 4. 16. Psal. 139. 14. G Luc. 20. 36.

Non ergo in vno mundi elemento igneo erit beatorum habitatio vel potius contrusio, nec ita ibi includentur sicut impij in igne æterno, sed habebunt omnia mundi elementa in potestate, tanta fœlicitate & facilitate sibi subdita, & sic suæ immortali habitudini congruentia, vt vbicunque eorum voluerint, & sicut voluerint continuo esse possint, & videant atque habeant hæc omnia non tam ad præmium beatitudinis, quam ad cumulum fœlicitatis, & laudem, & gloriam conditoris. Hanc namque eis potestatem & gloriam Scriptura Prophetica promittit, dicens: *Regnum autem, & potestas, & magnitudo Regni, quæ est subter omne cælum detur populo sanctorum altissimi: cuius Regnum, Regnum sempiternum est, & omnes reges seruient ei, & obedient*. Dan. 7. 27. H

7. Adiungit post hæc iste, & dicit: *Miseriam nullam esse nisi mortem æternam: Æternam mortem veritatis ignorantiam, nullamque miseriam esse, nisi veritatis ignorantiam: Et vbi ignoretur veritas, ibi nullam vitam*.] Hoc quidem, quod in his verbis dicitur, poterat esse bonum si non ipsum bonum malè, id est, malo sensu diceretur. Verum namque est, quia homini iusto & sapienti omnis labor, omnis aduersitas, omnis miseria, quæ potest in ista mortali vita accidere, si non eum frangat, & in deterius mutet, sed infatigabiliter exerceat, non potest ei esse miseria, quæ eum miserum non facit, sed potius purgat, & probat, & velut in fornace aurum puriorem reddit, nec vllam sibi deputat talis vir miseriam, nisi veritatis ignorantiam, in quantum adhuc ab eius contemplatione retardatur, & quodammodo ipsa sua infirmitate repellitur; Mortem verò non istam exteriorem corporis, sed illam interiorem animæ timet; Quæ Refut. 7. Defin.

omnino

A omnino est ipsa summæ veritatis ignorantia, qua vtique mortui sunt omnes Infideles? qui nec credunt, nec agnoscunt Dei veritatem. De quibus & Dominus dicit. *Dimittite mortuos sepelire mortuos suos.* Et Apostolus: *Alienati*, inquit, *à vita Dei per ignorantiam, quæ est in illis.* Fidelium autem vita vtique ipsa cognitio veritatis est; quam & hic cognoscunt per fidem, & in futuro cognituri sunt per speciem. Quia & hic accipiunt vitam per fidem veritatis, sicut scriptum est, *quia iustus ex fide viuit*, & ibi habebunt vitam æternam ex cognitione, & visione eiusdem veritatis; dicente Domino: *Hæc est autẽ vita æterna vt cognoscant te vnum verum Deum & quem misisti* IESVM CHRISTVM. Quicunque ergo peruenerint ad istam cognitionem per veram fidem, & æternam contemplationem erit eis sine dubio vita æterna ipsa visio æternæ veritatis. Qui autem ab ea siue per infidelitatem, siue per vltimam damnationem fuerint separati, quid eis erit aliud talis separatio, & talis ignorantia veritatis, nisi mors æterna?

Math. 8. 22. Eph 4. 18. *Vita æterna cognitio veritatis.* Rom. 1. 17. Ioan. 17. 3.

B Secundum hunc ergo sensum hoc iste Doctoribus dictum legit: Sed quod ab eis bene legit dictum, ipse conuertit in prauum, & peruersum, vt coaptet illud (quantum in se est) suo errori atque mendaciis: propter nihil enim aliud hæc dicit, nisi vt tali argumentatione tam violenter, & nequiter ex bono ad malum vsurpata, quasi ostendere & confirmare videatur, nullam aliam futuram esse miseriam, vel Angelorum malignorum, vel hominum perditorum in æterno igni damnatorum, nisi ignorantiam, & sicut iam supra dixit, absentiam ipsius veritatis. Et hanc ignorantiam atque absentiam veritatis solam eis esse æternam miseriam, solam eis esse æternam mortem: vt eos hoc modo ab omni miseria suppliciorum, & tormentorum quæ extrinsecus adhibentur, & ab omni morte pœnalis damnationis alienos futuros esse contendat: Sed quantumcunque iste contendat, & contradicere conetur, excepta illa morte, quam incurrunt intrinsecus ex ignorantia, & absentia veritatis,

Apoc. 20. 10. & 14. Iud. 16. 21.

C *Patientur* etiã extrinsecus (sicut Apocalypsis dicit) *stagnum ignis, & sulphuris, quod est mors secunda*. Patientur vere æternam miseriam, cùm Deus iudex iustus, & fortis *dabit in carnes eorum ignem, & vermes, vt vrantur & sentiant vsque in sempiternum*: Semper namque erunt in morte, quos & immanitas suppliciorum compellet mori: & diuini iudicij seueritas nunquam permittet extingui.

CAP. XVIII.

Cap 18. D. Scot.

OCtauo decimo capitulo ita dicit.

1\. 1. *Errorem prædestinationis ex disciplinarum ignorantia, quas ipsa sapientia suas comites, inuestigatricesque fieri voluit, & Græcarum literarum inscitia ortum.*

2\. 2. *Esse verbum ὁρῶ quod video & definio & destino interpretatur: Similiter compositum πϱοορῶ prævideo, prædefinio, prædestino: ac per hoc prædestinationem, & prædefinitionem nihil aliud esse, quàm præuisionem.*

D

3\. 3. *Deum nec præuidisse, nec prædestinasse mortem, & pœnas; quia nihil sint.*

4\. 4. *Peccatores in massa originalis peccati reliquit, relictos deseruit, desertos lumine tenebras torquere, desertos vita mortem interimere.*

5\. 5. *Nec quod in eis Deus fecit relinquit, vel deserit (Alioquin eorum natura ad nihilum rediret si summa essentia in eis non esset) Sed quod in eis non fecit, id est, superbiam spreuit.*

6\. 6. *Deum in ea natura quam ad se creauit semper habitare.*

7\. 7 *Dei sapientiam prædestinasse in suis legibus modos, vltra quos impiorum malitia progredi non possit, nec sinit alicuius malitiam in infinitum, prout velit, extendi, diuinis legibus progrediendi motum imponentibus.*

8\. 8. *Nihilque appetere impiorum omnium, & Diaboli nequitiam, nisi ab eo, qui est summa essentia recedere. In tantum, vt eorum natura: si lex diuina sineret, in nihilum rediret. Sed quoniam ei difficultas ex æternis legibus obsistit, ne in tantum cadat, quantum vellet; ex ea difficultate laborare, laborando torqueri, puniri, cruciari, & E inde fieri miseram inanium voluptatum egestate. Eamque difficultatem, qua prohibentur peruenire ad ea, quæ libidinose appetunt, effici eis pœnalem interitum, & sine miserrimæ cupidinis iustissimum cruciatum.*

9. *Vtriusque partis prædestinatum, esse numerum.* 9.

10. *Inuitos Deo seruire impios: Non naturam, quam in eis fecit, & in eis non punit, sed malam voluntatem, quam in eis non fecit, & in eis punit, in tãque quod ei inuiti seruiunt, puniri in seipsis sua pœna: De qua quos iuste non liberet, ad eam illos quodammodo præparet, dum eos ad eam seipsos præparare permittat.* 10.

In his verbis cum dicit: *Errorem prædestinationis ex disciplinarum ignorantia (quas ipsa sapientia suas comites inuestigatricesque fieri voluit) & Græcarum literarum inscitia ortum.*] Auditores suos vtique commonet, vt ab F eo, tanquam viro eruditissimo, & Philosophico, liberalium disciplinarum discant scientiam: fortassis etiam vt ab eo similiter discant Græcarum literarum peritiam: affirmat namque quod ipsa sapientia, quasi comites & sodales sibi coniunctas habeat, easdem liberalium artium doctrinas: ita vt, qui ad eius cognitionem voluerit peruenire, necessarias omnino habeat ipsas liberales disciplinas, vt per eas, quod verum est, possit inuestigare; si ergo apud cæteros de veritate diuinæ prædestinationis, errorem fecit ignorantia sæcularium literarum; quid iste, qui earum se iactat peritum, de hac re per eas inuestigauit, quid veritatis inuenit? quid firmissima ratione fultum, & omni acceptione dignum in tam prolixo suo sermone disputauit? Vbi nihil inuenitur aliud, nisi superfluus labor vanitatis, & implicatio infiniti erroris, & apertissima impugnatio veritatis, dum Scripturas veritatis contemnens, & ipsas quoque historias diuinorum eloquiorum incognitas habens, non in eis meditatur die ac nocte, nec ad earum regulam fidem suam corrigere, dirigere, atque informare studet: sed dies & G noctes in humanarum vanitatum lectione consumit, & *porcorum siliquis ventrem suum* implere cupit, nec inde aliquam refectionem capit: sed miserrima fame contabescit & perit nequissimo principe sibi dominante, *qui misit eum in villam suam vt pasceret porcos.* Reuertatur itaque in seipsum, surgat & veniat ad patrem, vt intus panes inueniat, qui foris fame peribat: ibi pascatur epulis vituli saginati, & pro mundi salute immolati; ibi audiat *symphoniam & chorum*, id est admirandam consonantiam cælestium Scripturarum, & dulcem concordiam fidelium: Qui omnes idem sapientes in eodem sensu atque sententia firmati vnanimes vno ore honorificant Deum & Patrem Domini nostri IESV CHRISTI. In hac itaque domo per Dei misericordiam, & fidei gratiam positi, audiamus & teneamus fideliter, quod dispensator panis æterni, id est, verbi diuini, nobis insinuat, dicens *Siquis videtur inter vos sapiens esse in hoc sæculo, stultus fiat vt sit sapiens. Sapientia enim huius mundi, stultitia* H *est apud Deum: Scriptum est enim; comprehendam sapientes in astutia eorum: Et Dominus cognouit cogitationes sapientium, quoniam vana sunt.* Audiamus & illum sapientissimum virum, qui dicit: *Stultissimus sum virorum, & sapientia hominum* non est mecum: non didici sapientiam, & noui sanctorum scientiam.

Regula fidei. Luc. 15. 16. v. 15 v. 25. *Filium prodigum humanarum vanitatum lectioni intentum.* 1 Cor. 3 18. 19. v 20. Prou 30. 2. 3.

Quod non ideo dicimus, quasi nihil in illis etiam literis humanis inueniatur veritatis, aut illæ disciplinæ non habeant aliquam vtilitatem ad indagandam veritatem: sed quia omni fideli homini primum vigilantissime discenda est veritas fidei ex auctoritate Scripturarum Dei: vt si quid postea de eisdem humanis literis legere, aut scire necesse fuerit, totum ex illa diuina auctoritate, & fidei veritate diiudicetur: vt si quid ibi ab eius regula non discordat, absque periculo recipiatur: quicquid autem ab ea dissonare inuenitur, quasi mortiferum respuatur. Quisquis autem putat se absque veræ fidei cognitione, absque Scripturæ sanctæ fidelissima auctoritate

De literis humanis.

Refut. 1. Defin.

A absque paternæ doctrinæ studiosissima institutione solis humanis literis, & disciplinis indagare posse veritatem Dei, & fidei integritatem, proculdubio seipsum inludit, & decipit: Et dum vult videri quasi inuentor veritatis, *De libris veteris Testamenti.* magister erroris efficitur. Qui ordo pietatis tanta est attentione seruandus, vt nec ipsæ sacræ literæ in libris legis, & Prophetarum vllatenus possint esse vtiles, & salubres legentibus, nisi aut fides Christi præcedat in corde legentis, per quem veraciter intelligantur, aut ipsa fides Christi in eis fideliter quæratur, & Deo inluminante inueniatur. Inde est quòd fidelem & dilectum Disci- 2.Tim. 3.15. pulum Apostolus commonens, & informans dicit: *Et quia ab infantia sacras literas nosti, quæ te possunt instruere ad salutem, per fidem, quæ est in* CHRISTO IESV: Quod quid est aliud dicere, quàm *per fidem, quæ est in* CHRISTO IESV ipsas sacras literas instruere posse hominem ad salutem: quia absque eius fide nulla ibi inueniri posit instructio salutaris.

B Propterea ergo & iste in tantis errauit, tanta falsa, & fallacia sensit, & scripsit, quia Scripturas sanctas ignorauit, quia veritatem fidei non eis humiliter, & fideliter inquisiuit: sed superbè, & vanissimè humanis, & ineptis argumentationibus eam inuenire posse se credidit: & ideo non illam inuenit: sed eam potius infideliter, & Nota. infeliciter impugnauit. Qui ergo cupit de veritate diuinæ prædestinationis humanum errorem effugere, & quid secundùm veritatem tenere debeat, inuenire, legat (vt iam diximus) diligenter, & fideliter Propheticas, & Euangelicas, & Apostolicas literas, nec contra eas suum sensum defendere audeat, sed earum se auctoritati, & veritati humiliter summittat, ne in perniciem suam contra stimulum calcitrare conetur. Ex quibus diuinis literis, quia multa iam de hac re supra posuimos, ne legentibus tædium faciamus, vnum tantummodo hoc loco breuiter memoramus, ex Epistola Beati Iudæ Apostoli, vbi cùm de nopiissimis hæreticis, qui Ecclesiam Domini ab ipsis Apostolicis temporibus vsque ad finem sæculi, C & impugnauerunt, & impugnaturi sunt, loqueretur: vt ostenderet eos æterno, & iusto Dei iudicio in reprobum sensum traditos, vt tanta ac talia cōtra Deum loqui auderent, & ad vltimum eodem diuino iudicio æterna perdi- Iud.4. tione damnandos, ita dicit: *Subintroierunt enim quidam homines, qui olim præscripti sunt in hoc iudicium, impij, Domini nostri* IESV CHRISTI *gratiam transferentes in luxuriam, & solùm dominatorem Dominum nostrum* IESVM CHRISTVM *negantes*; vbi etiam quàm olim, & quàm multa antea sæculis hoc de eis fuerat prænuntiatum & Pro- v.14. phetatum ostēdens, post multa subiungit: *Prophetauit autem & de his septimus ab Adam Enoch, dicens: Ecce venit* v.15. *Dominus in sanctis milibus suis facere iudicium contra omnes, & arguere omnes impios de omnibus operibus impietatis eorum, & de omnibus duris, quæ locuti sunt contra eum peccatores impij.* De quorum etiam æterna damnatione, & pœna horribili eis præparata, & reseruata manifestissimè v.13. adiungit dicens: *Sydera errantia, quibus procella tenebrarum in æternum seruata est.*

D Qoid enim euidentius de prædestinatione impiorum ad æterni iudicij damnationem, quàm quòd hi homines impij tanto olim, & tantis antea sæculis, & diuino iu- v.4. dicio, & Prophetico vaticinio *præscripti* sint *in hoc iudicium?* Nec tantæ absurditatis esse debemus vt quia hoc Beatissimus Patriarcha & Propheta Enoch septima ab Adam generatione Prophetauit, putemus, quòd tunc Deus omnipotens aliquid statuerit, ac prædestinauerit, quod in eius æterno iudicio atque consilio ante non fuerit: Cùm omnino in illius incommutabili æternitate nulla possit esse noua voluntas, nulla recens dispositio: sed quod apud illum erat præfinitum æternaliter, hoc congruentissimo ordine, & prophetari, & impleri voluit temporaliter: Ad illorum quidem iudicium, & damnationem, qui talia erant ausuri atque facturi: Ad probationem verò, & exercitium Ecclesiæ suæ, quam etiam per talium contradictiones, & impugnationes, & diligentius erudiri, & excellentius disposuit clarificari: 1.Cor. 11.19. Sicut & Apostolus dicit: *Nam oportet & hæreses esse, vt & qui probati sunt, manifesti fiant in vobis.*

E Si ergo quærimus iustam & æternam Dei prædestinationem in malis ad iudicium damnationis, audiamus quia *homines quidam præscripti sunt in hoc iudicium impij*: Et *præscripti* non tam temporaliter sermone Prophetico, quàm omnino æternaliter diuino iudicio: Quia vtique, quod erat apud Deum æternaliter præfixum, hoc per Prophetam temporaliter est prædictum, atque præscriptum. Si quærimus, vtrùm eis æterno Dei iudicio pœna, & supplicium sit præparatum, audia- Iud.13. mus quod de ipsis dicitur: *Quibus procella tenebrarum in æternum seruata est*: atque ita diuinæ veritati fideliter acquiescentes, nec impios pœnis, nec pœnas impiis diuinitus præparatas vllatenus dubitare poterimus. Hoc namque ad terrorem omnium, & errantium videlicet, vt damnationis suæ ruinam indubitanter agnoscant; & stantium in fide, vt talium pœnam cum metu & tremore præcaueant, sequentibus Epistolæ suæ verbis idem F Beatus Apostolus Iudas vehementius inculcat, dum v.4. istiusmodi impios homines, quos dixerat *iam olim in hoc iudicium præscriptos eisque procellam tenebrarum in æternum seruatam* iam nunc antequam extremæ damnationis, vbi talem exitum sortituri sunt, tempus adueniat, diuinæ vtique prædestinationis iudicio asserit *iudicatos*, cùm v.20.21. fidelibus dicit: *Vos autem charissimi superædificantes vosmetipsos sanctissimæ vestræ fidei in Spiritu sancto orantes, ipsos vos in dilectione Dei seruate: Et hos quidem arguite iudicatos, illos autem saluate de igne rapientes: Alios au-* v.23. v.22. *tem misereminí in timore.* Non enim ait: hos quidem arguite iudicandos, sed *arguite iudicatos*; vt scilicet quod in sua impietate perdurantibus venturum erat suo tempore, iam nunc eis diuini, & æterni iudicij (vt dictum est) prædestinatione terribiliter superuenisse demonstret, & futura vtique punitione damnandis, & præsenti iam sententia diuinitus condemnatis.

Refut. 2. Defin. Post hæc ad illud necessario conuertimur, quod iste G vt aliquid etiam ex Græcæ linguæ peritia docere videatur, addit & dicit: *Ecce Græcum verbum* ὁρῶ, *quod video, & definio, & destino interpretatur: similiter compositum* προορῶ *præuideo, prædefinio, prædestino. Ac per hoc prædestinationem, & prædefinitionem nihil aliud esse, quàm præuisionem.*] In quibus verbis bene quidem ait, quod ὁρῶ possit Latine dici video, sed quomodo istud video intelligi debeat, vtrum simpliciter tantummodo, sicut multa videmus velut transeuntes, & vltro se nostris aspectibus ingerentia: An certo aliquo, & defixo intuitu, quo rem aliquam, aut certissimè esse cognoscamus, aut tanta illuc intentione noster dirigatur aspectus, vt quasi signum ad sagittam eundem nostrum aspectum actio consequatur. Sicut & Scriptura dicit de fabro ferrario, vel cuiuslibet alterius metalli: quia ad similitudinem vasis, quod fabricatur, est oculus illius, cùm tanta illud intentione oculi attendit, vt velut ad regulam, vel ad lineam sui obtutus nihil in eo aliter, quàm ipse disposuit esse patiatur. Ita ergo magis ille sermo ὁρῶ, id est, video intelligendus est, vt talis ibi H visio designetur, quæ ita ad certum dirigitur intuitum, vt ad ipsum, vel incursus intuentis, vel iaculatio, vel fabricatio, vel aliud eiusmodi rectissimè, & indeclinabiliter dirigatur.

Ex hoc namque verbo, quod dicitur ὁρῶ deriuatur ὅραμα, quod est Latinè visio. Quam visionem (verbi gratia) somnij, aut alicuius reuelationis ita antiqui definierunt; quia visio est, cùm id quis videt, quod eodem modo, quo apparuerat eueniet. Vnde maximè in Scripturis visionem cuiuslibet diuinæ reuelationis, quæ vtique ita videtur in spiritu, vt omnino aliter euenire non possit, Græce in ὁράματι ostendi siue videri legitur. Et ideò iuxta hanc euidentissimam rationem cùm isto modo dicitur video, certissimè intelligitur, definio, vel destino, sicut & iste recte posuit, vt cùm componitur ille sermo addita præpositione, & dicitur προορῶ, rectissimè intelligatur præfinio, vel prædestino, quod vtrumq; vnius significationis est, potest etiam interpretari prouideo: Quæ prouidentia cùm ad Deum refertur,

omnino

A omninò certissima est, & omnino, sicut ille prouiderit futurum. Vnde & ex hoc verbo, quod est ὁρῶ, deriuari Græcè videtur ὅρισμα, quod est destinatio, & præpositione addita προορισμὸς, id est, prædestinatio. Quæ duo verba nemo vnquam visionem, vel peruisionem interpretari ausus est, sed (vt diximus) destinationem, & prædestinationem.

Similiter ex eodem verbo ὁρῶ deriuari videtur ὥρισε, quod est, destinauit, & præpositione addita προώρισε, id est, prædestinauit: potest autem προορῶ (vt supra iam diximus) interpretari etiam præuideo. Sicut in Psalmo

Psal.15.8. vbi nos Latinè dicimus: *Prouidebam Dominum in conspectu meo semper*; in Græco legitur, προωρώμην τὸν κύριον, quæ

d.v.8. Hieron. prouidentia vtique certum aliquid, & præfinitum ostendit. Quod *Beatus Hieronymus* in editione sua ita posuit; *Proposui Dominum in conspectu meo semper*: Quod vtique manifestius ad destinatum, pertinet. Quod autem destinatum hoc sit propriè, quod ad certum intuitum,

B sine consilium dirigitur. Ostendit nobis Scriptura quæ

Phil.3.14. dicit: *Aut sicut sagitta in locum emissa destinatum.* Et Apostolus vbi de se ipso ait: *Ad destinatum persequor, ad brauium supernæ vocationis Dei, &c.* Quod *Beatus*

Hieron. *Hieronymus* exponens ait: Dicit se needum comprehendisse & nequaquam esse perfectum: sed inter sagittarij ad propositum & ad signum iacula dirigere, quæ significanter Græci σκοπὸν nominant: ne sagitta ad partem declinans alteram, imperitum ostendat sagittarium.] Non ergo iste inludat nostræ ignorantiæ ex Græcis verbis aliquid immutans noua interpretatione, & eorum vim (quantum in se est) enacuans: vt quod omnes antiqui in Scripturis sanctis, vel prædestinationem interpretati sunt, vel præfinitionem, aut prouidentiam, siue propositum: Nunc iste velit dicere, inusitato & absurdo nomine, præuidentiam. Quæ & ipsa, quamuis in Deo, sicut etiam præscientia, certissima sit: Tamen ex huius nouitate sermonis nullatenus patimur extenuari, vel destrui sensum prædestinationis: quia præuideri, &

C præsciri à Deo possunt etiam illa, quæ ipse facturus non est; prædestinari autem ab eo non alia intelliguntur, nisi ea quæ ipse facturus est, vel misericordia, vel iudicio suo. Ac per hoc absit omnino à nobis, quod iste dixit, & quasi definiuit prædestinationem, & præfinitionem Dei, nihil aliud esse, quam præuisionem: Quia iste sensus manifeste impius est, vt quasi tantummodo præuiderit: Deus, quid quisque esset facturus, vel quid pro factis suis passurus, & nihil de illo, qui vel benè vel malè erat acturus, in suo æterno iudicio prædestinauerit, vel præfinierit.

Refut.3. Defin. Addit iste adhuc, & dicit: *Deum nec præuidisse, nec prædestinasse mortem, & pœnas quia nihil sint.*] Quod quàm sit vanum, & veritati contrarium, iam supra satis, vt putamus, & sæpius ostensum est.

Refut.4. Defin. Deinde subiungit iste loquens de Deo: *Peccatores in massa originalis peccati reliquit, relictos deseruit; desertos lumine tenebras torquere; Desertos vita mortem interimere. Nec quod in eis Deus fecit, relinquit vel deserit:*

D *Alioquin eorum natura ad nihilum rediret; si summa essentia in eis non esset: sed quod in eis non fecit, id est superbiam spreuit.*] Quod ergo dicit de Deo: *Quia peccatores in massa originalis peccati reliquit,*] si dixisset reprobos, aut puniendos, siue damnandos, profectò verum esset.

Reprobi remanat in massa damnata. Ipsi enim, id est, reprobi puniendi, atque damnandi remanent, in massa illa ex Adam generaliter damnanda. Quia non eos inde discreuit *figulus* ille omnipotens,

Rom.9.21. *Quia ex vna eademque massa facit aliud vas in honorem, aliud vero in contumeliam.* Nunc vero quod dicit: *Quod Deus peccatores in massa originalis peccati reliquit,*]

Matth.2.17. Non omnino potest esse verum: quia vtique peccatores inde discreuit, ac liberauit ille, qui dicit: *Non veni vo-*

1 Tim.15. *care iustos, sed peccatores:* Et de quo Apostolus ait: *Fidelis sermo, & omni acceptione dignus, quia* CHRISTVS IESVS *venit in hunc mundum peccatores saluos facere*: Veruntamen, quia non dixit omnes peccatores in massa illa reliquit: Quod vtique apertissime falsum esset, sed dixit indefinite, peccatores in massa illa reliquit. Quod

E potest intelligi & ex parte, stet vtcunque quod dictum est. Quod autem subiungit de eisdem relictis in massa peccati: *Relictas deseruit, desertos lumine tenebras torquere, desertos vita mortem interimere*; Ita eos vult intelligi à Deo relictos, & relinquendo desertos, vt quia deserti sunt à vero lumine, tenebris excitatis suæ torqueantur in mente: Et quia deserti sunt à verò lumine, tenebris excitatis suæ torqueantur in mente: Et quia deserti sunt à vera vita, morte speciali in anima perimantur. Et hæc sit tantummodo eorum pœna, atque supplicium in illa æterna damnatione, vt nullo extrinsecus tormento adhibito; sola mentis excitate, sola animæ morte puniantur, sicut & supra multipliciter asserere conatus est: Et vt in illa damnatione remanere eis aliquod magnum bonum, ostendere videatur.

Dicit adhuc de ipsis: *Nec quod in eis Deus fecit relin-* Refut.5. Defin.
quit vel deserit: Alioquin eorum natura ad nihilum redi-
ret, si summa essentia in eis non esset, sed quod in eis non F
fecit, id est, superbiam spreuit.] Ecce quale bonum eis prædicat, remansisse, quale etiam insensibilibus elementis Deus exhibere dignatur, vt omnipotenti virtute essentiæ suæ det eis esse, & vt esse permaneant, nec eorum natura ad nihilum redigatur, eadem virtute ea sustentat & permanere facit. Sed ista, id est, elementa mundi in quantum sunt, in naturali sua substantia conseruantur, permanent vtique ad laudem creatoris, & ad vsum siue honorem rationalis creaturæ: Illorum vero damnatorum, & perditorum natura, & omnipotenti Dei virtute seruatur, ne pereat, & iusto Dei iudicio ad pœnam ei tantummodo proficit quod seruatur, ne vnquam eius supplicium finiatur. Licet etiam nisi laudandus sit creator, qui bonum naturæ, quod condidit, non omnimodo deleri voluit.

Quod vero ait: *Alioquin eorum natura ad nihilum rediret, si summa essentia in eis non esset.*] Si dixisset, eorum natura ad nihilum rediret, si eis summa essentia esse non concederet, vel esse non conseruaret; esset vtique G
verum. Quia omnia, quæcumque habent esse, ab illa summa, & diuina essentia acceperunt, vt essent: nunc autem cum dixerit, *nisi summa essentia in eis esset,*] tantum eis attribuere videtur qui erunt in illa perditione damnati, vt etiam templum Dei esse videantur: Si enim summa essentia in eis erit, quia summa essentia Deus est, qui de seipso dicit: *Ego sum qui sum*: Ergo Deus in eis erit, Exod 3:14.
& templum Dei dici poterunt: Ita vt de ipsis dicat Deus. *Et inhabitabo in illis*: Immò & amplius quam templum erunt, si summa essentia in eis erit; vt quodammodo essentiali quadam copulatione Deo vniri videantur. Quod de vno & solo mediatore Dei, & hominum, homine CHRISTO IESV singulariter est credendum: Quem sibi verbum Dei, & verbum Deus essentiali & naturali coniunctione vniuit. Id est, in vnitatem personæ suæ suscepit. Quod si dixerit quod summa substantia in eis erit, virtute operationis suæ agendo, ne eorum substantia aboleatur, & pereat, non per aliquam inhabitationis gratiam, qua aliquo bono in illo, & ex illo H
perfruantur; mutet ergo inusitatam, & insolentem locutionem, nec dicat in hominibus impiis æterna perditione damnatis summam essentiam esse, sed potiùs summam eis essentiam adesse, virtute operantis, non dignatione inhabitantis. Est autem magna quæstio, & fideli pietate quantum diuina gratia largitur indaganda, quomodo omnipotens Deus credendus sit in vniuersitate creaturæ semper vbique esse vel adesse, & aliquando etiam inesse vel inhabitare, quam tamen hoc in loco magis quærendam, quam exponendam proponimus, vt à piis & fidelibus piè, & fideliter huius rei veritas quæratur, vt eodem Deo adiuuante veraciter inueniatur.

Iste enim & Ecclesiasticæ locutionis, & Christianæ pietatis minus expertus adiungit, adhuc propter eosdem R.fut.6. impios damnatos & dicit: *Deum in ea natura, quam ad* Defin.
se creauit semper habitare. In quibus nimium verbis naturam, quam Deus ad se creauit, humanam vult intelligi,

Digitized by Google

A

telligi, quam in mente rationali ad imaginem & similitudinem suam Deus fecit, & dicit in hac natura mentis rationalis semper Deum habitare, & in præsenti videlicet sæculo, & in futuro, & in credentibus, qui eius fideles sunt, & in incredulis ac Paganis, qui ipsa sua infidelitate ab eo alieni sunt, & in electis, quos templum suum fecit, & in reprobis quos æterna perditione damnauit: quod vtique contrarium est fidei & veritati: Quia si hoc verum esse posset, etiam in infidelissimis Iudæis, & Paganis, qui quantum ad naturam bonam, & à Deo conditam pertinet, & ad imaginem & similitudinem Dei facti sunt, rectè diceretur habitare Deus pater, habitare Christus, habitare etiam Spiritus sanctus. Et similiter de illis æterna damnatione perditis quòd etiam in ipsis habitaturus sit Deus Pater, habitaturus Christus, habitaturus Spiritus sanctus. Quo sensu impio, & detestando quid horribilius dici aut cogitari potest? istam namque absurditatem etiam illud sequitur, vt si Angeli, qui sunt vtiq; principaliter rationalis creatura, rectè creduntur ad imaginem & similitudinem Dei condiri: neque enim minus aliquid hominibus in sua natura acceperunt; etiam in diabolo, & Angelis eius, qui vnius naturæ cum sanctis Angelis existunt, & Deus Pater, quod absit, & Christus eius, & Spiritus sanctus habitare dicendus sit: Cùm hoc donum beatæ, & benignæ habitationis suæ soli electæ, & fideli rationali creaturæ, (sicut supra ex Scripturis ostendimus) largiri credendus sit. Piis namque, & fidelibus Dominus promittit dicens: *Ego, & Pater ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus*: Quibus & de Spiritus sancti habitatione similiter repromittit dicens: *Et ego rogabo patrem, & alium paraclytum dabit vobis qui maneat vobiscum in æternum.* De quo etiam paulo post subiungit: *Vos autem cognoscetis eum, quia apud vos manebit, & in vobis erit.* De talibus ipse Deus dicit: *Et inhabitabo & inambulabo in illis.* Et Psalmista ait: *In æternum exultabunt, & habitabit in eis*: Qui etiam alibi dicunt; *Nisi quia Dominus erat in nobis dicat nunc Israel, nisi quia Dominus erat in nobis.* Vnde & Beatus Ioannes Apostolus distinguens inter habitatorem piorum Deum, & habitatorem impiorum diabolum dicit fidelibus: *Vos ex Deo estis filioli, & vicistis eos, quoniam maior est, qui in vobis est, quàm qui in mundo.* Hæc iste si corrigi desiderat, fideliter ex Scripturis discat, & non humanis & vanis argumentationibus contra veritatem Dei litiget, sed se illi miti pietate summittat.

De diuina inhabitatione.

B

In solis fidelibus.
Ioan. 14. 23.
Ioan. 14. 16. 17.
2. Cor. 6. 16.
Ps. 5. 12.
Ps. 123. 1.

C

1. Ioan. 4. 4.

Sed quia totum hoc quod de illis, qui in massa originalis peccati relicti sunt, dicit, non ob aliud replicat, nisi vt eos tantummodo peccati originalis vinculo obstrictos, nullo Dei iudicio asserat ad pœnam prædestinatos, quærendum ab eo est, & à cæteris, qui ita sentiunt, vtrum aliquo Dei iudicio factum sit, vt tanta multitudo generis humani illi peccato originali fieret obnoxia, ac per hoc etiam æternæ morti debita, an non? Si enim nullo Dei iudicio, sed tantummodo naturali cursu vitiatæ originis hoc factum est, Ergo sic peccatum tantummodo in eos naturaliter ex illo primo homine transfusum est, vt nulla peccati eius damnatio in eos transfunderetur, & cucurrit in eos ex Adam sola origo peccati, non etiam iusta pœna peccati, sed manifestè Apostolus dicit: quòd *per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiit.* Verè ergo, ex vno, & per vnum hominem non solùm *peccatum*, sed etiam pœna peccati mors *intrauit in mundum.* Cuius iudicio, nisi illius: qui homini prædixerat *quacunque die comederis ex eo, morte morieris*: Quia comedere ex illo ligno vetito hoc fuit vtique peccatum, pœna verò peccati hoc, quod consequenter adiunctum est *morte morieris*: Quod vtique non de sola ista prima morte corporis ei comminatus est Deus; sed & de illa, quæ peccando facta est in anima: quia *anima, quæ peccauerit, & ipsa morietur*: Et de secunda etiam morte, quæ erit in damnatione æterna, ad quam reatus illius primi peccati omnino omnem hominem trahit, nisi Christi gratia liberetur.

De peccato originali.

D

Rom. 5. 12.
Gen. 2. 17.
Ezech. 18. 4.

Cùm ergo hæc Deus dixit non solummodo terrorem audienti incutere voluit, sed quod iustum æterno iudicio suo statuit, illa comminatione manifestauit, vt videlicet iusto & æterno eius iudicio, si homo illud peccatum admitteret, primo animæ mortem incuteret, secundo etiam corporis morte dissolueretur, tertio etiam secunda morte damnaretur. Et hæc tota damnatio & in anima, scilicet, & in corpore; & post tempus cum ipso peccato in omnes posteros transfunderetur. Et ideo iudicium æterni consilij, & iustitiæ suæ, quod in illo primo & vno homine inchoandum iudicauit, in omnem eius progeniem transmisit: vt illo iusto eius iudicio quicunque ex illis in Adam massa damnata Christi gratia non fuisset discretus, prima illa diuini iudicij sententia æternæ damnationi teneretur prædestinatus. Et ideò reprobos non reliquit tantummodo in massa originalis peccati, quasi nihil de eis statuens, atque definiens, sed etiam iudicauit, vt æternum & iustum eius iudicium, quod præcessit in radice, sequeretur in germine: Et quod cœpit in parente, necessario impleretur in sobole. Nam nulla omnino apud fideles dubitatio est, quod omnipotens Deus antequam peccaret homo, præsciuit eum vtique peccaturum: Et sicut præsciuit peccatum, ita etiam prædestinauit quid iusto eius iudicio esset passurus: & quod in illo iustè iudicando cœpit in tota illius progenie eadem præscientia, eadem prædestinatione iudicij eadem iustitia damnationis impleuit. Sed hæc verba nulla ratione fulta, quòd Deus reprobos in massa illa damnationis reliquerit, nec aliquid de eorum prædestinauerit damnatione, *ex libello* quem *Græci hypognosticon* appellant, quem etiam ex falso titulo plerique *Sancti Augustini*, esse putant, assumpsisse videtur. Quem libellum non esse eiusdem sancti Augustini, & stilus ipse demonstrat, & sensus: non solùm S. Augustini scriptis, sed etiam fidei contrarius, & testimonia ex noua ista editione, quæ nos vtimur assumpta, cum ille contra hæreticos disputans, & de causis fidei agens continuè ex antiqua editione conuincat contradicentes, & ex ipsa instruat fideles.

E

F

De libello Hypognosticon.

G

Addit adhuc & dicit: *Dei sapientiam prædestinasse in suis legibus modos vltra quos impiorum malitia progredi non possit*, &c. vsque vbi dicit, *cupidinis iustissimum cruciatum.*] In his verbis quædam vera præmissa sunt, vt ex eis falsa conclusio concinnaretur. Nam quod Dei sapientia in occultis legibus suæ dispositionis prædestinauerit, atque præfixerit modum, atque mensuram malitiæ impiorum, vel Angelorum, vel hominum, ne scilicet, in tantum possit procedere, & extendi eorum malitia, quantum ipsi desiderant, si sub occultis Dei legibus certa mensura, & terminis coërceantur, manifestè verum est: Quia & diabolus & homines maligni semper vtique habent malè agendi, vel nocendi voluntatem sed non semper habent potestatem, nisi quantum, & quando à Deo permittuntur: Nam & diabolo malitiosè, & nequiter Beato *Iob* nocere cupienti, modum imposuit: nec quantum voluit, sed quantum permissus est, nocere præualuit: Et de impiis hominibus maligna & praua conantibus, & tamen Deo modum eis imponente, nequaquam perficere valentibus, apertè Scriptura dicit: *Cogitauerunt consilia, quæ non potuerunt stabilire.* Et iterum: *Quia dissipat cogitationes malignorum, ne possint implere manus eorum, quod cœperant.* Et quod subiungit iste & dicit: *Nihil appetere malitiam diaboli, & omnium impiorum, nisi, vt peccando & iniquè agendo, à Deo, qui summa essentia est, recedant*:] Manifestè verum est: Quia, vt dictum est, peccando, & iniquè agendo, quid aliud agunt, nisi vt à Deo recedant? & longè ab eo fiant, & pereant. Sicut de eis Scriptum est, *Quoniam qui elongant se à te, peribunt.*

Refut. 7. & 8. Defin.

H

Ps. 20. 12.
Iob. 5. 12.
Ps. 72. 27.

Et quod subiungit iste adhuc dicens: *Quòd in tantùm & diaboli, & hominum impiorum iniquus appetitus pronus, & auidus sit ad malum, vt si eos diuina potestas permitteret, tantùm se peccatis immergerent, vt in eis etiam ipsa natura merito deleri posset.*] Nimis quidem coactum, sed forsitan non ex toto falsum est: Similiter quod ad-

Ref. 8. Defin.

d. R. 8.

iungit:

Digitized by Google

A iungit: *Quia ex ea difficultate, & impossibilitate, qua in eu diuina potentia & prouidentia imponit, ne in tantam ruant voraginem malitia quantam desiderant, fit in animo eorum.*] Id est, & malignorum spirituum & hominum pessimorum labor conandi, & cruciatus multipliciter cogitandi, quod implere non possunt. Et talis labor fit vtique animis eorum tormentum, punitio, cruciatus: vt ipsa sua maligna voluntate torqueantur & puniantur: Quòd verò post hæc omnia subiungit, & dicit: *Videlicet ex hoc interno cruciatu & punitione animi, dum cupiditates suas Deo obsistente implere non potest, fiat anima misera, sustinens inanium voluptatum suarum egestatem.*] Verum quidem est, quod hæc peruersa animi cupiditas, & cùm expletur, & cùm expleri non permittitur, miserum eundem animum facit. Sed multo est miserior animus, cùm ad talia permittitur, quam cùm à talibus diuina potestate prohibetur. Infœlicius namque mala possit, quàm velit tantummodo, nec possit. Vnde & secu-

B laris Philosophi vera est illa sententia de quodam: *O miserum cui peccare licebat.* Verum namque dixit, qui hoc dixit: Quia si prohiberetur peccare ille, de quo hoc dictum est, minus vtique miser esset sola voluntate peccandi: Cùm autem ei peccare licebat infœlicissima licentia, multo miserior erat, & appetitu malæ voluntatis, & affectu?

Quod vero iste aperiens & exponens, cur omnia ista præmiserit, subiungit in fine & dicit, *quod ea difficultas & impossibilitas qua impij Angeli vel homines Deo obsistente prohibentur peruenire ad ea, quæ cupide & peruerse appetunt, hac eis tantummodo fiat in illa aeterna damnatione pœnalis interitus & miserrima cupiditatis iustissimus cruciatus, vt hanc tantummodo ibi patiantur in animo sua interitum & cruciatum: quia iam quod peruerse desiderauerant, implere non sinantur, nec vllum eis extrinsecus ex illo igni aeterno adhibeatur supplicium, & tormentum:*] Manifestissimum mendacium est, fidei, ac veritati contrarium, sicut iam supra frequenter ostensum est.

C Ref. 10. D fin. 10. Post hæc subiungit, & dicit: *Inuitos Deo seruire impios: non naturam, quam in eis fecit, & in eis non punit: sed malam voluntatem, quam in eis non fecit, & in eis punit: Ideóque quod ei inuiti, seruiant puniri in se ipsis sua pœna. De qua quos iuste non liberet, ad eam illos quodammodo præparet, dum eos ad eam seipsos præparare permittat.*] Similis est & in his verbis eius intentio: Dicit namque quod omnes impij, id est, & Angeli & homines maligni in illa subiectione, qua subijcientur potestati, & iudicio Dei in æternum damnati, inuiti seruient diuinæ dispositioni: Et hoc secundum eius sensum, vt videlicet inuiti, subijciantur Deo non natura in eis faciet, quam Deus fecit, & (sicut iste contendit) nunquam punit; sed mala voluntas, quam in eis non fecit, & quam solùm in eis punit. Et ex eo, quòd inuiti seruient diuino iudicio, puniendos eos esse non extrinsecus aliquo tormento adhibito, sed tantummodo intrinsecus in ipsa voluntate dum in eis voluntas fit sua pœna sibi ipsa: dū & esse cupiet malè li-

D bera. Et tamen diuina potestate ab illa peruersa libertate coërcetur inuita. Hanc itaque solam dicit esse pœnam, & Angelorū, & hominum impiorū, vt hoc modo cupiendo habere, nec valendo assequi pessimam maliriæ libertatem, in sola, & ex sola tali voluntate crucientur. Natura verò eorum qua subsistunt, in spiritu vel corpore, quia à Deo facta est, & secundùm istum nunquam peccat, nunquam punietur, nunquam aliqua tormenta patietur.

De quibus omnibus iam supra, prout Dominus dedit, satis responsum est, vnum tantummodo hic proponimus omnibus considerandum, immo etiam execrandum, quomodo iste contra humanum sensum, & contra Apostolicam veritatem dicat *non peccare naturam, sed solam voluntatem naturæ.*] Quis enim vnquam hominum fuit, aut est, qui dicat, quòd cùm aliquis adulterium, aut commessationem, vel ebrietatem perpetrat, sola in illo peccet voluntas, & nihil ibi peccet anima, nihil peccet corpus? cùm è contrario secundum fidei Catholicæ veritatem, propterea adducendæ sint omnes animæ cum corporibus suis ad iudicium omnipotentis Dei, E

vt sicut in vtroque & ex vtroq; peccauerunt, ita in vtroque iudicentur, atque puniantur. Nam si natura corporis impiorum omnino immunis est à peccatis, quid necesse est, vt resurgat, quæ nullam damnationem meretur? aut quomodo iuste cum anima sua condemnabitur, quæ cum ea nullū peccandi consortium habuit nullum peccati meritum contraxit, nam si hoc ita esset, sufficiebat solam animam in iudicio præsentari, & malam voluntatem, quia in ipsa inhabitat, quam iste dicit solam peccare in ea puniri? Ita huiusmodi impietatis assertio non solum fidem veritatis, sed etiam fidem resurrectionis impugnat. Apostolus dicit: *Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, vt obediatis desiderijs eius: sed neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato? Sed exhibete vos Deo, tanquam ex mortuis viuentes, & membra vestra arma iustitiæ Deo.* Si ergo iuxta hæc verba loquentis in Apostolo Christi regnat peccatum in nostro mortali corpore, & tunc Regnum ibi obtinet, cum obedimus desiderijs eius: ita vt efficiantur membra nostra arma iniquitatis peccato, quibus animam nostram debellet & occidat, quomodo non corpus peccat, nec peccatum ad ipsum pertinet, in quo & peccati regnum inhabitat, & peccati militia exercetur? Rom. 6. 12. 13. F

CAP. XIX. Cap. 19.

NOno decimo, id est, extremo capitulo, ita dicit. Defin. 5.

1. *Ignem aeternum istum ipsum quartum mundi elementum, vbi corpora sanctorum in aetheream mutentur qualitatem: impiorum vero corpora in aëream qualitatem transitura.* 1.

2. *In eóque naturarum intra se mirabile perfici gaudium, malarum verò voluntatum ineffabile tormentum.* 2.

3. *Et ita impiorum omnium Angelorum, hominúmque corpora supplicia ignis aeterni perpessura, vt integritate eorum substantia nullo modo peritura, eorum pulchritudine nullo modo defutura, eorum naturali incolumitate permansura, omnibus deinde natura bonis ad vniuersitatis ornamentum mirabili ordine refulsuris, excepta beatitudine qua priuabuntur.* G 3.

4. *Superioris ignis corporei cum inferioris aëris corporibus qualitate conluctante, naturali vi seruata infelicitatem animarum intemso de corporibus suis aeternas patiatur ærumnas.* 4.

5. *Ita videlicet, vt idem ipse ignis omnibus corporibus fiat gloria, quo damnandis animabus intrinsecus iniquitate propria, extrinsecus cumulabitur pœna.*] 5.

In his verbis phantasticis, & omni insaniæ deliramento plenis prætermissa simplicitate fidei, & confessionis Apostolicæ, qua omnis Ecclesia credit, & confitetur Dominum nostrum Iesvm Christvm, die tertia à mortuis resurrexisse, & ascendisse ad cœlos, & sedere ad dexteram Patris; Et inde venturum esse ad iudicandum viuos & mortuos, atque in eius aduentu futuram carnis resurrectionem, & donandam sanctis vitam æternam. Prætermissa, inquam, ista simplicissima & purissima confessione pietatis: nusquam nominans Christi aduentum de cœlis, nusquam commemorans resurrectionem ex mortuis, ita omnia confundit, & quibusdam adinuentionibus obscurare conatur, vt nec veritatem resurrectionis, nec veritatem diuini iudicij & æterni supplicij, nec mentionem aliquam futuræ vitæ sanctorum in eius literis possimus agnoscere. Dicit namque quod *In illo igni aeterno quem istud quartum mundi elementum putat, naturali ordine super terram, & aquas & aërem constitutum ibi, id est in igni aeterno mundi ignea elementa corpora sanctorum mutabuntur in aetheream qualitatem, vbi etiam impiorum corpora in aëriam qualitatem sint transitura.*] Dissentiens manifestissimè, & dissonans Apostolicæ doctrinæ, quæ non in quarto mundi elemento, neque in Igneo quodam conflatorio, sed in Refut. 1. D. fin. H *vbi & quale futura*

sto habitaculo terreno, vbi & vixerunt, & mortua unt, tam iustorum corpora, quam iniquorum futuram licit omnium *resurrectionem*, & sanctorum immutationem mirabili, & ineffabili celeritate, id est, sicut ipse Apostolus dicit, *in momento, in ictu oculi*, quo vtique nihil est celerius in motibus corporalibus. Ita namque ait, *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur in momento, in ictu oculi, in nouissima tuba, canet enim tuba & mortui resurgent incorrupti, & nos immutabimur.* In quibus verbis manifeste omnium generalem resurrectionem describit.

Sed hanc ipsam omnium generalem resurrectionem quadam certa proprietate distinguit, dum dicit quia *omnes resurgemus, sed non omnes immutabimur*: Et cum subiungit: *Et mortui resurgent incorrupti, & nos immutabimur*: Ostendens, videlicet quia omnes resurgent receptione corporum, sed non omnes immutabuntur glorificatione iustorum. Iniqui enim resurgent rantummodo incorrupti, non etiam glorificati: Et incorrupti in eo tantummodo quod iam non poterunt morte dissolui: ad pœnas autem, & ad cruciatus æternos sentiendos, atque perferendos ita omnino corruptibiles erunt, & ita ipsis suppliciis sine fine corrumpentur, vt omnino, sicut Scriptura dicit: *Dentur in carnes eorũ ignis & vermes, vt vrantur & sentiant vsque in sempiternum.* Iusti autem, ex quorũ persona Apostolus dicit, *& nos immutabimur*, & incorrupti resurgent, vt nulla vlterius morte soluantur; & hoc speciale habebunt, quod corpora eorum immutabuntur in melius, dicente eodem Apostolo, & aperte qualis futura sit ipsa commutatio exponente. *Oportet enim*, inquit, *corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem*: Scilicet vt hoc ipsum corpus quod nunc à sanctis corruptibile & mortale gestatur, illa resurrectionis virtute fiat incorruptibile, & immortale, id est, incorruptione, & immortalitate induatur. Quæ incorruptio sanctorum tanta, ac talis erit, vt nullo iam dolore, nullo labore, nulla molestia, nulla indigentia, tangi possit: Et ita per illam immortalitatem quæ eis dabitur, absorbebitur mors in corporibus eorum, vt non solum ipsa mors ibi quodammodo deleatur, sed etiam causa mortis, id est, *peccati stimulus*, cuius punctione mors ab initio facta est, penitus conteratur. Qui vtique peccati stimulus in corporibus damnatorum nunquam euacuabitur; Et ideo nunquam verè à morte liberi erunt. De hac itaque fœlicissima immutatione iustorum subiungit Apostolus, & dicit: *Cùm autem mortale hoc induerit immortalitatem: Tunc fiet sermo qui scriptus est: absorpta est mors in victoria: vbi est mors victoria tua, vbi est mors stimulus tuus? Stimulus autem mortis peccatum est: Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum* Iesvm Christvm: Non ergo prius resurgent corpora iustorum, & postea, sicut iste dicit, in elemento igneo, velut in conflatorio immutabuntur: sed *in* ipso *momento & ictu oculi* in quo resurgent diuina virtute immutata, incorruptionis, & immortalitatis gloria vestientur.

De immutatione autem iniquorum, & æternis suppliciis damnatorum, quorum *iste corpora* nouo & inaudito genere erroris, *commutanda dicit in aeream qualitatem*.] Nihil omninò Apostolus loquitur: Et ideo etiam nos talem phantasiam contemnere potius, quam audire debemus: Ne simus *prurientes auribus, & a veritate auditum auertentes, ad fabulas autem conuertentes.* Quomodo enim iuxta ipsum transibunt in aëream qualitatem? nam si de terrenis aërea fient, non erit vera resurrectio: quia non eadem corpora resurgent, quæ per mortẽ ceciderunt illa enim terrestria erant, ista aërea erunt: si autem ipsa natura terrenorum corporum permanebit, & tamen qualitatem aëris accipiet, vt videlicet, ipsius aëris, & ventorum subtilitate immutetur: Hanc nouitatem fides Ecclesiæ non recipit: Quia sicut iam dictũ est, de immutatione impiorum nihil Apostolus dicit: quod autem dicit: *Corpora sanctorum immutanda in ætheream qualitatẽ.*) Si istam immutationem manente ipsorum corporum natura futuram credit, vt scilicet, ipsa corpora, quæ ceciderunt in morte, quæ suscitata sunt in resurrectione, glorificentur cœlesti claritate, & de obscuris lucida fiant, sufficit nobis de hac eorum mira clarificatione illud tenere, quod Dominus in eis futurum dicit: *Tunc iusti fulgebunt, sicut Sol in Regno Patris eorum.* Si autem ita dicit eadem corpora in ætheream qualitatem immutanda, vt amittant naturam suam & pro terrenis cœlestia fiant, manifeste veritati resurrectionis contradicit, & ideo nullatenus audiendus est. Quicunque autem desiderat simpliciter, & purè ac verè de sanctorum resurrectione, & spiritualium corporum natura sentire, audiat & teneat fideliter quod Beatus Augustinus de his sincerissimè docet, dicens: [Egestas edendi ac bibendi talibus corporibus auferetur, vnde & spiritualia erunt; non quia corpora esse desistent, sed quia spiritu viuificante subsistent. Nam sicut ista, quæ habent animam viuentem, nondum spiritum viuificantem, animalia dicuntur corpora, nec tamen animæ sunt, sed corpora, ita illa spiritalia vocantur corpora: Absit tamen vt spiritus ea credamus futura, sed corpora carnis habitura substantiam, sed nullam tarditatem, corruptionémque carnalem spiritu viuificante passura. Tunc iam non terrenus, sed cœlestis homo erit: Non quia corpus, quod de terra factum est, non ipsum erit; Sed quia dono cœlesti iam tale erit, vt etiam cœlo incolendo non amissa natura, sed mutata qualitate conueniat. Proinde cum hoc corpus iam non animale, sed futura commutatione spirituale anima receperis Angelis adæquata, perfectum habebit naturæ suæ modum, inobediens & imperans, viuificata & viuificans iam ineffabili facilitate, vt sit ei gloriæ quod sarcinæ fuit.]

E · Matth. 13. 43. · August. · F · Quomodo spiritalia corpora.

Subiungit iste & dicit: *In eòque naturarum intra se mirabile perfici gaudium, malarum vero voluntatum ineffabile tormentum*,] Id est, vt iuxta eius sensum loquamur, naturarum ibi tantummodo mirabile perficiatur gaudium, quæ secundum istum minime peccauerunt. Vt hoc sit gaudium naturarum, quod natura terreni corporis, sicut iste putat, in impiis transitura est in aëream qualitatem, in sanctis verò adhuc in excelsiorem gloriam id est: in æthercam qualitatem; Malarum vero voluntatum, quas solas dicit peccasse, tunc futurum ineffabile tormentum, cum ex ipsa sua mala conscientia torquebuntur. Sed hoc totum quam vanum, & falsum sit, iam satis est demonstratum.

Refut. 2. Defin. · G

3. Addit post ista, & dicit: *Et ita impiorum omnium Angelorum, hominumque corpora supplicia ignis æterni perpessura, vt integritate illorum substantia nullo modo peritura, eorum pulchritudine nullo modo defutura, eorum naturali incolumitate permansura, omnibus deinde naturæ bonis ad vniuersitatis ornamentum mirabili ordine fulsuris. Excepta beatitudine qua priuabuntur.*] Mirandum est nimis in his verbis quomodo dicat: *Omnium impiorum & Angelorum, & hominum corpora æterni ignis supplicium perpessura*:]Quod superius iam aperte & multipliciter vbique negauit Quod vtique in hoc loco aut ficte, & dolose cõfessus est & abominabilis est Deo qui de fide eius in corde tenet mendacium, & in ore vult præferre veritatẽ sicut scriptum est: *Perdes omnes qui loquuntur mendacium virum sanguinum, & dolosum abominatur Dominus.* Aut si vere ipsa rei veritate: & timore offensionis Ecclesiæ superatus, ne omnino infidelis iudicaretur, hoc confessus est, vacua est omnino & cassa talis confessio, quam superius tanta & tam multiplex præcessit negatio. Nobis autem non licet in rebus ad fidem Dei pertinentibus aliud modo, aliud postea dicere: sed quod semel ex ipso ore Domini, & Apostolorum eius accepit Ecclesia credendum, & confitendum; ita inuiolabili & immutabili veritate retinere, vt fiat in nobis verissimè quod Dominus præcepit, dicens: *Sit autem sermo vester, est, est: non, non*: videlicet vt immobili veritate, & veritas nostra confessione confirmetur, & falsitas nostra confessione respuatur.

Refut. 3. Defin. · H · Psal. 5. In rebus fidei non variandum. · Matth. 5. 37.

Et tamen iste quàm fideliter de æterni ignis suppliciis credat, in sequentibus manifeste aperit, postquam enim dixit: *Ita impiorum Angelorum hominumque corpora supplicia*

plicia

Digitized by Google

A *plicia ignis æterni perpessura*, vt intelligere modum, quo id credit esse futurum, subiunxit statim. *Quod hoc ita fiet, vt integritas substantiæ eorum id est Angelorum, & hominum malignorum nullo modo sit peritura, vt pulchritudo eis nullo modo sit defutura, vt naturalis incolumitas sit in ipsis permansura.*] Ecce quæ bona eis tribuit in suppliciis ignis æterni: videlicet integritatem naturæ, pulchritudinem, incolumitatem: vt integritatem naturæ suæ habeant, quia tota eorum natura in anima & corpore perpetuò permanebit: pulchritudinem verò vbi, aut quomodo habere possint, fidelis quisque consideret: pulchritudo namque aut animæ est, aut corporis. Quis autem fidelium credat vllam ibi esse posse pulchritudinem animarum, vt erit amissio omnium virtutum, & fœditas omnium vitiorum? Anima enim aut virtute pulchra est, aut vitio deformis: Quæ autem ibi esse poterit pulchritudo corporum, vbi æterno horrore tristitiæ, & æterna ignis exustione, æterna vermium laceratione offuscabitur & tenebrabitur? B Quæ etiam in damnatis illis Angelis, & hominibus, sicut iste dicit, poterit esse naturalis incolumitas, cùm natura ad hoc eis integra tantummodo seruetur, & nunquam à sua naturali compage soluatur, vt plenius tota sine fine crucietur. Sed iste non contentus tanta ineptia & absurditate deprauati sensus sui, addit in fine apertissimum hæreticæ impietatis errorem, vt quod corde gestabat ad impugnationem veritatis, & subuersionem audientium, etiam ore euomeret.

Addit namque statim de eisdem dæmonum, & hominum damnatorum naturis; quòd *deinde* (id est, post illa æterni ignis supplicia) *omnibus naturæ bonis mirabili ordine refulgebunt*:] id est, vt & in anima sint præditi & inlustrati naturalibus bonis memoriæ, intelligentiæ, & liberæ voluntatis; & in corpore clareant, atque præpolleant, & quinque naturalium sensuum viuacitate & formæ perfectæ pulchritudine. Dicitque eos propterea exemptos suppliciis, & exornatos omnes omnibus naturalibus bonis, vt tanta pulchritudine refulgentes proficiant ad vni- C uersitatis ornatum: videlicet vt inter cæteras mundi creaturas terrestres siue cælestes, etiam ipsi permanentes sint in ornamento mundi qui fuerant in damnatione supplicij. Et post hæc ne ex toto videretur venire contra Ecclesiæ fidem & Euangelicam atque Apostolicam veritatem subiunxit dicens: excepta beatitudine qua priuabuntur, id est, quod sic fulgebunt omnibus naturalibus bonis & dæmones homines suppliciis exuti, vt *excepta beatitudine* visionis Dei quæ eis sola denegabitur nihil boni eis deesse videatur. Ecce quid audet sentire, quid audet dicere, quid audet etiam scribere homo, qui vult videri Christianus, & nihil aliud laborat, nisi vt Christianæ veritati aduersetur, & hæreticorum dogmata, quibus ipse infœliciter coniunctus est, & sinceritati Ecclesiæ intromittat. Nam Ecclesia Christi vtrumque negat, vtrumque detestatur, quia vtrumque est hæreticum & omnimodis contrarium veritati, id est, & liberationem dæmonum, atque hominum ex illis suppliciis sempiternis, & aliquem medium locum esse, vbi ita sint ipsi dæmones, & D homines in requie, & bonorum omnium copia, & claritate, vt nec in damnatione ignis æterni sint cum diabolo, neque in beatitudine cum Deo. Et omnino certissimè tenet neminem esse posse post illud vniuersale iudicium, nisi aut in beatitudine æterna, aut è contrario in miseria sempiterna. Qui enim semel fuerint in illo iudicio, vel in pœnam missi, vel in vitæ æternæ gaudium intromissi, nunquam vlterius alibi vel aliter esse poterunt. Sicut Dominus certissimè ostendit de vtraque parte, id est, & damnatorum, qui erunt à sinistris, & beatorum, qui erunt à dextris irreuocabilem sententiam proferens, cum dicit. *Tunc ibunt hi in supplicium æternum, iusti autem in vitam æternam.* Si enim erit finis aliquando illi pœnæ æternæ, erit etiam aliquando (quod absit) finis vitæ æternæ. Si autem vita æterna nullum omnino habebit finem, proculdubio & pœna illa, id est supplicium æternum nullum vnquam habere finem poterit. Non ergo erunt aliqui vt iste delirat ita in medio positi, vt nec beati sint, nec miseri, &

Nullus tertius locus.

Matth. 25. 46.

tamen extra domum patris aliquam requiem habituri. E Dominus enim manifestè dicit: *In domo patris mei multæ sunt mansiones.* Ostendens qui extra domum patris sui, id est, extra societatem Sanctorum Angelorum, & hominum electorum, quam ipse in æternum inhabitat, nullum esse locum, nullam mansionem quietis. Quia omnis illa multitudo, & multiplicitas mansionum non est, nisi in domo paterna, vbi sicut in vno cœlo stella ab stella differt in claritate, sic in vna eademque domo erit diuersitas mansionum pro diuersitate meritorum.

Ioan. 14. 2. Inæqualitas beatorum contra hæreticos.

Post hæc addit iste, & dicit: *Superioris ignis corporei cum inferioris aeris corporibus qualitate conluctante, naturali vi seruata, infœlicium animarum interitio de corporibus suis æternas patiatur ærumnas.*] Ecce quomodo credit, si tamen credit, supplicia ignis æterni exercenda: videlicet quòd ignis ille, qui est huiusmodi superius elementum corpora dæmonum, quæ putat esse aërea, & corpora hominum impiorum, quæ superius F dixit transitura in aëream qualitatem; nunc autem apertè dicit aërea sicut & ipsorum dæmonum; dum vtriusque elementi natura, id est, & ignis, quem putat esse ignem æternum in suppliciis damnatorum, & aëris, quem credit esse in corporibus dæmonum, & hominum perditorum, in illo damnationis ergastulo inter se conluctantur atque conspugnant, efficiat infœlicibus animabus & hominum, & dæmonum de corporibus suis aëreis æternas pœnarum ærumnas: Quia scilicet etiam in illo camino ignis æterni naturalem vim seruabunt hæc duo elementa ignis, & aëris; vt sicut in hoc mundo ardore ignis superioris per calorem solis, iste aër, qui est inferior, ita vaporatur & feruet, vt suo vapore atque feruore corpora nostra grauiter afficiat; ita in illo vt dictum est camino ignis supplicij sempiterni, dum ignis naturali vi inflammat corpora aërea dæmonum, atque hominum ex ipso feruore atque ardore corporum suorum, animæ, quæ in eis G sunt, sentiant, & patiantur æternas afflictionis ærumnas. Dicat nunc ipse, qui hoc sentit, & scribit, quomodo infœlices animæ vtriusque creaturæ Angelicæ, & humanæ aliquando illis suppliciis erunt ereptæ, & omnibus naturæ bonis, sicut ipse dicit, refulsuræ, si per vim illius ignis corporibus suis aëreis atrociter inflammatis æternas patientur ærumnas? Si enim liberabuntur illis suppliciis, carebunt vtique ærumnis: si autem in sempiternis erunt ærumnis, nunquam liberationem merebuntur.

Ref. 4. Defin.

Sed exponens iste adhoc modum qualiter illud tam fictum & tanto labore concinnatum futurum poterit esse supplicium, adiungit & dicit. *Ita videlicet, vt idem ipse ignis omnibus corporibus sit gloria, quo damnandis animabus intrinsecus iniquitate propria, extrinsecus cumulabitur pœna.*] In quibus verbis hoc videtur asserere, quòd idem ipse ignis æternus, & animabus intrinsecus ex conscientia sua propria iniquitate damnatis, & exterius earum corpora inflammando & feruefaciendo ac- H cumulet pœnam, vt scilicet non solùm interius torqueantur conscientia, sed etiam exterius affligantur pœna ignita: Et tamen eorum corporibus aëreis idem ignis quandam gloriam conferat: putamus quia sicut iste ignis, qui lucet in syderibus, obscuram, & caliginosam huius aëris naturam sua infusione inluminat, suoq; fulgore lucidam reddit, qui est vtique naturaliter tenebrosus, nisi aut in die radiis solis, aut in nocte radiis lunæ, & syderum inlustretur: ita iste existimat illa aërea dæmonum, & hominum corpora æterni illius ignis fulgore inlustranda, & clarificanda; sicut etiam nigredo ferri calore fornacis in lucidam vertitur qualitatem: quomodo ergo superius dixit: *Angelorum, hominumque corpora aerea supplicia ignis æterni perpessura?*] Si enim supplicium eis erit ille ignis æternus, non erit vtique gloria: si autem gloria eis fuerit, non erit pœna.

Ref. 5. Defin.

Abigentes itaq; & procul repellentes huiusmodi tortuosas, & vipereas ambages, & anfractus laboriosissimos, ac perniciosos teneamus fidei simplicitatem: vera damna-

totum hominum corpora, id est, terrena credentes, & in eis vera & æterna supplicia, qui in illa fuerint damnatione passuros: Quia verissimus est sermo veritatis quæ in Euangelio dicit: *Quia veniet hora quando omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem filij Dei; & procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ: qui verò mala egerunt in resurrectionem iudicij.* Ad illam namque vocem filij Dei omnes *qui in monumentis sunt procedent:* Quia eadem corpora, quæ in monumentis erant posita recipient, & in eisdem resurgent, in eisdem habituri vel resurrectionem vitæ, vel resurrectionem iudicij: vt aut in ipsis possideant vitam æternam, aut in ipsis mortem patiantur æternam: bonum est nobis & omnino saluti nostræ ante omnia necessarium, vt in fidei veritate & simplicitate fundati timeamus, & Domino auxiliante caueamus illud malum quod Apostolus Ecclesiæ Christo desponsatæ: & casta fidei virginitate præditæ timere se denuntiat, dicens: *Despondi enim vos vni viro virginem castam exhibere Christo. Timeo autem ne sicut serpens Euam seduxit astutiâ suâ, ita corrumpantur sensus vestri, & excidant à simplicitate, quæ est in Christo.* Vnde & alibi admonet dicens: *Ineptas autem, & aniles fabulas deuita.* Et iterum: *Profana autem, & inaniloquia deuita: multum enim proficiunt ad impietatem, & sermo eorum vt cancer serpit.* Vnde & Beatus Petrus Apostolus eadem pietate, eadem sollicitudine fideles ammonet, dicens: *Vos igitur fratres præscientes custodite vosmetipsos, ne insipientium errore traducti excidatis à propria firmitate Crescite verò in gratia, & cognitione Domini nostri* IESV CHRISTI, *& saluatoris.*

Non nobis efficiantur ista velut iocosa & ludo similia, quia & ludum Ismahelis cum Isaac persecutionem vocat Apostolus. Et ideo vbicumque talia agnoscimus, zelo fidei contra hæc excitari debemus. Illo nos informante & adiuuante qui in Psalmo dicit: *Zelus Domus tuæ comedit me:* Qui etiam: *flagello de funiculis facto, violatores domus* Dei cum suis mercibus eiecit: *Eo quod eandem domum paternam fecerint speluncam latronum.* Vere enim domum Domini, quæ est *Ecclesia Dei viui columna, & firmamentum veritatis* in speluncam latronum vertunt, & verè latrones sunt, qui sub prætextu Christiani nominis velut in Ecclesia constituti infidelitatem suam occultare conantur: Et insidiosis etiam, ac maliciosis disputationibus vitæ fidelium insidiantur, Et quia iste (cuius verbis auxiliante Domino vtcumque respondimus) in Philosophicis regulis & syllogisticis argumentationibus gloriatur, audiamus in fine fideliter & obedienter beatissimum Christi antistitem & confessorem *Hilarium ita* istiusmodi homines redarguentem atque dicentem: [Oportuerat homines religiosam diuinarum rerum scientiam præferentes, vbi Euangelicæ, atque Apostolicæ prædicationis veritas præferebat, callidè Philosophiæ tortuosas quæstiones abiicere, & sectari potius fidem, quæ in Deo est: Quia sensum infirmum facilè fidei suæ præsidio Sophisma Syllogisticæ interrogationis exueret: cum captiosa propositio responsionem simplicem, sibique secundum interrogationem rerum obsecundantem, ad vltimum iam sensus sui interrogatione spoliaret: vt quod professione amisisset, id iam conscientia non teneret.] Item idem gloriosus confessor cum verba Apostoli exponeret dicentis: *Videte ne quis vos spoliet per Philosophiam, & inanem fallaciam, secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi, & non secundum Christum.* [Cauendum, inquit, aduersus Philosophiam est, & humanarum traditionum non tam euitanda sunt studia, quam refutanda. Neque enim his ita concedendum est, quasi vincant, potius quam fallant. Quia nos *Christum Dei virtutem & Dei sapientiam prædicantes* æquum est humanas doctrinas non tam defugere, quam refellere. Et simpliciores ne ab his spolientur & obstruere & instruere. Nam cùm possit omnia, & ea ipsa omnia Deus possit sapienter, & nec virtuti eius ratio nec rationi virtus obsistat; Oportet eos qui Christũ prædicãt mundo, in religiosis mũdi imperfectisque doctrinis per scientiã sapientis omnipotẽtiæ cõtraire.] Hæc B. Hilar.

Quanta autem pœna, & damnatio non solum auctores, sed etiam fautores mendacij maneat, & quanta pietatis intentione à talibus recedendum sit, vt vnusquisque fidelium ablutus, & mundus fidei puritate mereatur habere consortium in ligno vitæ: Audiamus ipsum Dominum nostrum tam terribiliter, quam dulciter in Apocalypsi comminantem pariter, & pollicentem: *Qui vicerit possidebit hæc, & ero illi Deus, & ille erit mihi filius, Timidis autem, & incredulis, & execratis & omnibus mendacibus, pars illorum erit in stagno ardenti igni, & sulphure, quod est mors secunda.* Et iterum: *& portæ eius non claudentur per diem, nox enim non erit illic: Et afferent gloriam; & honorem gentium in illam; nec intrabit in eam aliquid coinquinatum, & faciens abominationem, & mendacium.* Et iterum, *Beati qui lauant stolas suas, vt sit potestas eorum in ligno vitæ, & per portas intrent in ciuitatem. Foris canes & venefici, & impudici, & homicidæ, & idolis seruientes, & omnis qui amat, & facit mendacium. Ego* IESVS *misi Angelum meum testificari vobis hæc in Ecclesiis.*

Apoc. 21. 7.8.15. 26.27.

Apoc. 22.14. 15.16.

IN LIBRVM ECCLESIÆ Lugdunensis aduersus Ioannem Scotum,

NOTÆ DV-VALLII DOCTORIS SORBONICI, & Regij in Academia Parisiensi Theologiæ Professoris.

ADVERTENDVM imprimis Ecclesiam Lugdunensem disputatione sua præcipuè inuehi in modum loquendi Ioannis Erigenæ, qui Pelagianis fauere maxime videbatur, ita vt indoctiores quilibet, eo facilè decipi, & in hæresim labi possent. Quod isto in limine proponere operæ pretium duxi, vt videant nostri sæculi nouatores quantum veteres non solum dogmatum, sed etiam nominum ipsorum nouitatem horruerint, scientes quod olim scripsit Hieronym. apud Magistrum in 4. dist. 13. in fine, ex verbis inordinatè prolatis incurri hæresim, itemque lib. aduersus errores Ioannis Hierosolymitani, verborum ambiguitates non esse in ecclesia admittẽdas qui purè, inquit, credit, purè loquatur.

Quis autem fuerit ille Erigena accipe ex Matthæo Vvestmonasteriensi ad annum 883. Eodem anno venit in Angliam Magister Ioannes natione Scotus, vir perspicacis ingenij & facundiæ singularis: hic dudum relicta patria ad partes Gallicanas transiens Carolum Caluum adiit, atque in magna ab eo dignatione susceptus indiuiduus comes ei fuerat mensæ & cubiculi. Et post aliqua de illius ingenij fœlicitate recensita subdit: Rogatu eiusdem Regis Hierarchiam Dionysij Areopagitæ de Græco in Latinum transtulit, & alium librum edidit quem περὶ φύσεως μερισμοῦ, id est, de naturæ diuisione intitulauit, esse quem vtilissimum ait ad varias quæstiones ferè insolubiles enodandas. Si tamen ei in quibusdam ignoscatur in quibus à Latinorum tramite deuiauit, cum in Græcos acriter oculos intendit: vnde & hæreticus à quibusdã putatus est; scripsit enim contra eum Florus quidam (qualis ille fuerit ignoratur) qui & eius scripta deprauando damnauit. Sunt enim reuera in prædicto libro perplurima quæ nisi diligenter discutiantur, aliena à fide Catholica iudicantur. Et statim subdit Epistolam Pontificis Romani Nicolai ad Carolum Caluum: Relatum est Apostolatui nostro, quod opus Dionysij Areopagitæ quod de diuinis nominibus & de cœlestibus ordinibus Græco descripsit eloquio, quidã vir Ioannes natione Scotus nuper trãstulit in Latinũ, quod iuxta morẽ Ecclesiæ nobis mitti & nostro iudicio debuit approbari, præsertim, cũ idem Ioannes licet multæ scientiæ esse prædicetur olim, nõ sane sapere in quibusdã frequenti rumore dicatur. Propter hanc infamiã idem Ioannes Franciã relinquens venit in Angliã, vbi post aliquot annos à pueris quos docebat graphiis perforatus,

Marini fortè.

A tus, animam exhalauit tormento graui & acerbo. Iacuit autem aliquandiu in humili sepultura in Beati Laurentij basilica: sed vbi diuinitus cecidit super eam sepulturam radius ignis cœlestis, Monachi de talibus animati reuelationibus, in maiorem trastulerunt Ecclesiam, & ad sinistram altaris partem honorabiliter locauerunt. Hæc VVestmonasteriensis. His omnibus addit Epitaphium Guillelmus Malmesburiensis, cuius versus scabri quidem, & moderni temporis lima carentes, sed ab antiquo non adeo deformes.

Lib 2. c 4.

Clauditur hoc tumulo Sanctus Sophista Ioannes.
Qui ditatus erat iam viuens dogmate miro,
Martyrio tandem Christi conscendere regnum
Quo meruit sancti regnant per sæcula cuncti.

Baronius ad annum 883. dicit a nullo causam prodi cur ea passus sit, vt Martyr dici possit: Genebrardus tamen in Liturgiam D. Dionysij Gallico idiomate, affirmat pueros propter Sacramentariorum errorem in eũ ita B seuisse, quæ si vera sint, cùm in Martyribus magis causa, quam pœna attendi debeat, in album Martyrum non erit recensendus, maximè cum Lanfrancus, lib. de veritate Corporis & Sanguinis Christi, eum inter Sacramentarios numeret, eiusque libellum de Sacramento altaris in Concilio Vercellensi damnatum dicat. Lectoris prudentiæ omnia discutienda relinquimus: suspectum certè mihi est Genebrardi additamentum nullo authore & teste munitum.

Quod ad Scripturæ versionem qua Ecclesia Lugdunensis vtitur, incertum est cuiusnam sit; certum tamen est multum à vulgata discrepare, cùm nullum proferat testimonium quod ab ea non discrepet; fortè propriam sibi versionem fabricauerat illa Ecclesia, vt pote viris apprimè doctis refertissima, quia iuxta Augustinum * Græci traductores numerari possunt, Latini verò minimè, vt enim cuique veniebat in manus Græcos codex, & aliquantulum sibimet facultatis vtriusque linguæ habere visus est, ausus est etiam interpretari.

* L. 2. de Doctrina Christiana, c. 11. & Isidorus de Eccl. Officijs lib. 1. c. 12.

C *Duas prædestinationes non esse. P. 612.*] Contra Scotum contendit præcipuè Ecclesia Lugdunensis, duas esse prædestinationes, vnam bonorum alteram verò malorum, dummodo hæc non sit causa malorum culpæ, sed tantùm pœna aut præparatio malitiæ sicuti illa bonorum est causa & præparatio gratiæ.

Sicut. Ibid.] Ad certitudinem prophetiæ futurum tanquam præteritum narratur, & ad tollendam mali animi suspicionem in ipsis Prophetis, quæ futura ab iis prædicuntur & annunciantur tanquam optata recensentur, non quod reipsa cuiquam peccatum aut æternam damnationem optauerint; hoc enim cum charitate qua ipsi pollebant pugnat, sed tantum quod illud longè antè præmonstrauerint, vel quod cum decretum iustitiæ diuinæ pro eorum punitione viderent, eorum desiderium, non tam in illorum perditionem quàm in decretum diuinæ iustitiæ ferebatur, & sic innumera apud Isaiam & Prophetam regium testimonia exponuntur.

Ecce Doctor eximius. Pag. 614.] Maluit August. Deum D scientiam quàm prouidentiam dicere; rationes Augustini non proferuntur, hæ tamen sunt; vel quia prouidentia respectum ad res gubernatas complectitur vbi scientia simplex est rerum omnium cognitio; vel quia prouidentia in actu spectata tantum est in tempore, scientia vero ab æterno; vel quia prouidentia quæ ad prædestinationem genus esse dicitur est præparatio mediorum ad finem debitum siue naturalem siue supernaturalem obtinendum: quamuis absolutè loquendo propter maximam attributorum diuinorum simplicitatem & identitatem, non minus Deus dici possit prouidentia quàm scientia; hinc est quòd veteres Deum *θεὸν προνοίαν* communiter appellarunt.

Quæ tamen vt fierent, Ibid.] Legant & relegant Caluinistæ apertam sui cõdemnationem, dum impia & intolerabili blasphemia peccatorum omnium causalitatem Deo audent affingere: iniquitatem, quam rectissima veritas improbat damnare potest non facere August. Epist. 105. ad Xistum.

Prædestinatio gratiæ præparatio, Pag. 615.] Omnium E ni fallor primus ita prædestinationem definiuit Aug. vt videre licet de prædestinatione Sanctorum cap. 10. eodémque recidit quod scribit lib. de bono perseuerantiæ, c. 14. Vt sit, Præparatio beneficiorum Dei, qua certissimè liberantur quicunque liberantur, & de hac perpetuo loquitur August. quoties prædestinationem ex præuisis meritis factam negat. Ex quo liquido constat eum ab aliis patribus minimè dissentire asserentibus nos ex operum præuisione prædestinatos; agunt enim de prædestinatione ad gloriam, vbi Augustinus de prædestinatione ad gratiam loquitur, Vasquez in quæstione 23. 1. part. D. Thomæ, Suarez opusculo de prædestinatione.

Quod autem dicit. Ibid.] Cum Pelagianis tollebat Erigena gratiam præuenientem, & solam cooperantem gratiam statuere videbatur, quod acriter refellit August. vt docet Bellarminus, lib. 6. c. 15. concl. 4.

Godescalcanam hæresim.] Quis fuerit Godescalcus accipe ex Pithœo in annalibus, & Trithemio in Chronico Hirsaugiensi, & Flodoardo lib. 3. cap. 13. seu potius F Hincmaro Rhemensi Archiepiscopo, qui tunc viuebat. & eundem Gaudescalcum sæpius vidit & audiuit, cuius hæc verba sunt, ad Nicolaum I. Vobis, ait, pauca aperire desidero quomodo antequam Episcopus ordinatus fuissem, iste Godescalcus Monachus Monasterij Ecclesiæ Metropolitanæ Rhemensis dicti Orbei Diœcesis Suessionensis, vt huius Abbas & Monachi cum quibus versabatur testantur, homo animo elatus, quietis impatiens, nouorum verborum cupidus, insatiabili honoris ambitione incensus, proteruus & tumultuosus: vt inani animi ostentatione famam adipisceretur, certos articulos omniũ falsarum doctrinarum elegit & collegit. & (postea:) Idem Godescalcus Ordini Sacerdotali à Decano Rhemensi initiatus (hæc autem promotio constitutionibus Ecclesiasticis reluctabatur) contra suam regulam Monasteriu egressus, disiunctissimas terras peragrauit vt virus suæ falsæ doctrinæ euomeret. Narrat Ecclesia Lugdunensis quo pacto in vltimos fines Germaniæ se contulerit G Euangelicæ prædicationis gratia, & suarum concionũm exordium sumpserit ab ineffabili prædestinationis mysterio, coactus redire in Galliam, ab Episcopis in Concilio Moguntinensi damnatus est, & ex illorum decreto flagellis violenter cæsus; tandem in Monasterio Rhemensis Diœcesis tanquam in carcere ex eiusdem Concilij decreto reclusus est.

Articuli in prædicto Concilio damnati recensentur ab Hincmaro, id est, quod sicut Deus quosdam prædestinauerat ad vitam æternam, ita alios ad mortem æternam prædestinauerit (intellige absque vlla malorum operum præuisione) quòd Deus non vult omnes homines saluos fieri, sed eos dumtaxat qui saluantur, quòd IESVS CHRISTVS Dominus non fuerit Crucifixus, neque mortuus pro redemptione totius mundi, sed tantum pro his qui saluantur, quòd nullum ad se diabolus possit rapere pro quo sanguinem suum IESVS CHRISTVS Dominus fudit. Hi sunt præcipui inter multos alios à Concilio Moguntinensis damnatos, legendus est Serrarius lib. 1. cap. 33. H historiæ Moguntinensis.

Nec potuit inuenire. Ibid.] Affirmat nullus docuisse nos per gratiam solam absque libero arbitrio saluari, quia si qui fuerint, ab Ecclesia tanquam hæretici perpetuo sunt habiti, ita vt particula illa (nulli) excludat Catholicos, non autem quos Ecclesia condemnauit aut saltem, quia expresè nullus vnquam ita docuit, sed solum liberum arbitrium de medio sustulerunt, vt Simon Magus ex Clemente lib. 3. recognitionum, Bardesanes ex Augustin. cap. 33. lib. de hæresibus, Manes centum annis post Bardesanem à quo Manichæi ex eodem, cap. 70. vt videant nouatores nostri peruersum suum dogmă de salute per solam gratiam absque libero arbitrij concursu, & cooperatione omnibus retro sæculis inauditum fuisse.

Nam si talis voluntas, Pag 612.] Non assequitur mentẽ Ioannis Erigenæ Ecclesia Lugdunẽsis quantũ ipse possum conijcere. Nec enim dicit primò Erigena voluntatem & animam eiusdem essentiæ naturæ, sed solùm voluntatem ipsius

nentis & animæ in dilectione suipsios agere vt naturam non autem vt liberam. Secundo pie pariter & Catholicè sentit Erigena cùm dicit libertatem in homine post peccatum remansisse, vigorem tamen & potestatem illius amisisse, arguit autem eum Ecclesia Lugdunensis, quod accipiat libertatem, vt seruituti peccati opponitur iuxta illud Ioann.8. qui facit peccatum seruus est peccati Erigena tamen eam pro facultate ad vtrumlibet; tam ad bonum quam ad malum accipit, quam in homine post peccatum remanere ex Augustino certum est, ita vt disputatio hoc loco videatur esse de nomine, Bellarminus, lib.5.de gratia,& lib.arb. variis capitibus.

Præsciuit Deus Pag. 623.] Cum ait volontatem illud esse facturam quod Deus præsciuit non vult præscientiâ imponere voluntati necessitatem,cùm hoc hæreticum sit, sed tantom infallabiliter esse facturam, & indubitanter euenturam, posito qnod Deus ita præscierit cùm eius præscientia minimè fallatur.

*Liberum arbitrium. Pag.*627.] Argoitur Erigena quod liberum arbitrium inter media Dei dona recenseat, inter naturam scilicet, & gratiam. Sic enim viam ad Pelagianismum sternit; si enim libertas sit medium quoddam donum supra naturam, sequitur auxilia gratiæ ad resurgendum à peccato, aut ad pie operandum non esse necessaria; verum si per liberum arbitriũ intelligat Erigena actiones liberas, nonnihil potest excusari, cum illæ à D. Thom.1.part.q.57.art.4.medij ordinis inter naturales & supernaturales esse dicantur, ac propterea ait ab Angelis naturaliter non posse cognosci.

*Bonum rectum. Pag.*627.] Accipimur in vniuersa disputatione liberum arbitrium,aut pro actuali conuersione ad bonum,aut pro libertate à seruitute peccati,& sic vbique docetur illud esse bonum rectum & bona voluntate ad superna & diuina erectum; ideoque non esse mirum si asserat esse dumtaxat gratiæ donum,& omnino periisse in Adamo, cum tamen si vt potentia sumatur,aut habito respectu ad actiones ciuiles & humanas donum naturæ debeat appellari.

Non posse non peccare. Ibid.]Com dicit optimos quosque in statu naturæ lapsæ,non posse non peccare, intelligendum est collectiuè, non distributiuè, id est, etiamsi nullum sit peccatum singulariter acceptum qood vitare non possint, nihilominus propter carentiam gratiæ valde specialis, & naturæ corruptionem ex peccato profectam, non possunt non incidere in aliquod peccatum, ita D. Thom.1.2.q.109. art.8.

Ecce ergo. Pag. 628.] Meminerunt huius erroris Hieronymus Epistola ad Marcellinum & Anapsichiam, & August. Epist.28. ad eundem Hieronymum, in quem inciderunt tum Philosophi,tum Gnostici ex August.hæres. 6. Cerdon ex Theodoreto lib.2.hæreticarum fabularum, & Manichæi ex August. contra Fortunatum, itemque Priscillianus ex Concilio Braccarensi 1. Can. 5. hi enim omnes non aliam in homine ponebant animam præter eam totius mundi, aut saltem partem illius, quomodo animam hominis esse Deum vel partem illius fateri cogebantur.Refelluntor ab August. & Hieron.locis citatis, itemque à D.Thom.1.part.quæst.9. art.1.

*Ecce quale liberum. Pag.*629.] Non est quod in hac re Erigena arguatur, com præclari Theologi libertatem in voluntate & ratione posuerint, Duran. in 2. dist.24. vbi facultatem voluntatis & rationis esse docet,magis tamen rationis.

Voluntatis libertate. Ibid.] Hæc secundum potentiam ordinariam intelligenda sunt. Sic enim Deus in pœnam peccati ipsorum damnatorum statuit se non amplius cum iis speciali auxilio concursurum: per extraordinariam autem certum est illa non esse priuatos; nec enim implicat Deum eos auxiliis sufficientibus & efficacibus per quæ infallibiliter à damnatione & peccato liberarentur præmunire posse,ita D.Thomas vt reliqui doctores. ... Et eo sensu pariter exponendum est quod inferius habet nempe dæmones simulqoe damnatos omnes per peccatum perdidisse velle bonum. Quod quamuis ad omnes peccatores adhuc superstites in hac vita extẽdere videatur,diuersa tamen est ratio eorum & damnatorum, quia E cum illis Deus vult adhuc concurrere & illos auxiliis sufficientibus iuuare.

Liberum Arbitrium. ibid.]Cum dicit voluntatem non remansisse liberam post peccatum, intelligendum non est de libertate quæ necessitati opponitur,vel de potentia ipsa libera: semper enim eam retinet, vt passim docet August. lib. de Sp. & litera, cap. 33.sed de libertate quæ seruituti peccati opponitur: hanc enim certum est per peccatum amitti cum serui fiamus ipsius peccati,ita vt ab eo per se & ex propriis viribus non possimus resurgere, aut opera pietatis exercere, sed indigeamus gratia illius de quo dictum est:Si filius vos liberauerit vere liberi eritis,& in hunc sensum vulgatum illud Augustini elogium cap.30. Enchiridij, debet intelligi: Abutens homo Libero Arbitrio perdidit & ipsum non secundum essentiã,sed iuxta eam quã ante peccatũ quam sortiebatur perfectionẽ ita Bellarm.lib.5.de gratia & Libero Arbitrio per totum.

*Mentem scientiam & voluntatem. Pag.*630. Hoc sensu F dixerunt non ignobiles Scholastici inter quos est Scotos in 2.dist.18.q.1.& ibid. Maior: mentem,id est animam: scientiam,id est, intellectum & voluntatem, realiter à se inuicem minimè distingui, quamuis contrarium sit probabilius ex D. Thoma q.77.art.1.& 3.

Elementa.] Non consumentur elementa qooad substantiam & qualitates eis proprias. Sunt enim sic partes quædam præcipuæ ipsius mundi qui tunc potius perficietur, sed quoad qualitates eis permixtas,tunc enim pura omnino reddentur & futuro statui beatorum conuenientia. Sicque quando dicit D. Petrus 2.cap. 3. cœlos transituros esse & elementa calore soluenda, non est primò illud intelligendũ de corporibus illis cœlestibus ad quæ certum est conflagrationis ignem non peruenturum, sed de cœlo aëreo, hoc est toto spatio aëris.Deinde dicitur illud esse transiturum propter renouationem & perfectionem maiorem,sicut & elementa calore soluenda,id est repurganda. August.lib.20.de ciuit.cap.6.& 18.

Voluntas seipsam:] Affirmat voluntatem seipsam libere G non diligere, quod de libertate contrarietatis vt vocant, ita vt seipsam odisse non possit est intelligendum.Nemo enim carnem suam,id est, seipsum odio vnquam habuit, libertate tamen contradictionis certum est seipsam liberè diligere, cum actum dilectionis erga se possit suspendere, vt cuiuis facile constat; & eo sensu dixit Augustinus voluntatem sui comparatione non se habere vt liberam sed vt naturam.

Nono capitulo, Ibid.] Integro illo capite sugillat Erigenam quod pestilentissimum errorem introducat,qui effrena licentia omnibus vitiis & sceleribus habenas laxet.Quem latius multo hocce miserrimo sæculo introducunt sectarij nostri, qui quamlibet legis obligationem à fidelium ceruicibus arcent, quæ libertas est carnis non spiritus, filiorum diaboli non Dei, ἀδουλία deoique quauis seruitute miserior.

Peccatum mortem æternam nihil esse. Pag.ibid.] Hanc hæresim isto nostro sæculo ab inferis denuo suscitarunt. Quintinus & Copinus Sudores Flandri, à Catholicis H propterea Libertini dicti,id est, quod peccatum nihil esse dicerent præter inanem & falsam opinionem: deinde non debere reprehendi eos qui occidunt, mœchantur, furantur: Tertio Christum nihil esse nisi aliquid compositum ex spiritu Dei & opinione: 4. Angelos dæmones & animas nihil esse: quos etiamsi detestari se dicat Caluinus, editis libellis aduersus eos, ex eius tamen schola tanquam ex equo Troiano certum est prodiisse.Bella.lib. 2. de amissione gratiæ cap.1.

Æterna damnatione. Pag. 635.] Grauis est quæstio à paucis exagitata & à paucioribus soluta. Negantem partem suadet locus, 1. Petri 3. Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, iustus pro iniustis vt nos offerret Deo mortificatus quidem carne, viuificatus autem spiritu. In quo his qui in carcere erant spiritibus veniens prædicauit, qui increduli fuerant aliquando expectabant Dei patientiam in diebus Noe. Cui alius subiungitur cap. 4. Ideo & mortuis prædicatum est Euangeliũ vt iudicentur

A quidem secundum hominem in carne, viuant autem secundum Deum. Ex quibus colligitur non omnes qui in diluuio perierunt esse in æternum damnatos. Accedit quod saltem infantes quibus per remedium legis naturæ peccatum originale remissum fuit in æternum minime perierint. Affirmantem tamen hoc loco tuetur Ecclesia Lugdunensis, forte quia cum omnis caro viam suam corrupisset, vt habetur Genesis 9. & monitionibus Noë aurem præbere nollet; quinimo videbatur ei quasi ludens loqui: repente super eos venit diluuium cum ad pœnitentiam eos centum & viginti annis Deus expectasset. Rem totam optime meo iudicio explicat Bellarm. lib. 4. de Christo cap. 13. Dico, inquit, Christum prædicasse in inferno omnibus bonis spiritibus, sed nominatim fuisse expressos illos qui fuerant in diebus Noë increduli, quia de illis maior erat dubium an essent salui necne, cum puniti fuerunt à Deo, & submersi aquis diluuij.
B Indicat ergo hic Petrus etiam ex illis incredulis fuisse aliquos qui etiam in fine vitæ pœnitentiam egerunt: & licet quantum ad corpus perierint, tamen quantum ad animam salui fuerunt. Quod etiam Hieronymus docet quæstionibus Hebraicis in Genesim tractans illud cap. 6. Non permanebit spiritus meus in homine, vbi dicit Deum multos eorum temporaliter aquis diluuij puniuisse, nec deberet eos in gehenna in æternum punire. Et hunc etiam sensum videntur facere illa verba cap. 4. Ideo mortuis prædicatum est Euangelium vt iudicentur quidem secundum homines in carne; viuant autem secundum Deum spiritu, id est, vt secundum homines exterius iudicentur, & existimentur damnati, quia corpora eorum necata sunt; viuant tamen spiritu secundum Deũ, id est, eorum animæ saluæ sint. Hactenus Bellarminus. Ex quibus sequitur male Ecclesiam Lugdunensem omnes illos ita submersos æternaliter damnare, nisi velimus pro maiori tantum parte omnium denominationem fecisse, vel saltem conclusionem illam non esse de fide vnde
C Augustinus Epistola 99. ad Euodium maluit aliter locum D. Petri exponere, quam ipsorum hominum conuersionem & Christi in inferis prædicationem admittere: lege Bellarmin. loc. cit.

Filium fuisse, Pag. 665.] Docet Iudam filium fuisse propter aliqualem fidem in Christum Dominum, & eandem sacramentorum participationem, ex quo duæ Nouatorum hæreses refelluntur, prior qua dicunt Ecclesiam ex solis prædestinatis constare, posterior vero qua dicunt improbos non recipere corpus & sanguinem Christi Domini, contrarium enim eo loci aperte colligitur, eo quod sacramenti illius in cœna Iudas fuit particeps.

Πρόθεσις. Pag. 666.] Ait præfinitionem in sacris literis idem esse ac prædestinationem, quia cum Græcè vocetur *πρόθεσις*, quæ propositum significat, non ita potest ad præscientiam referri, vt ad decretum diuinæ voluntatis quod prædestinatio includit.

Refellit quod Ioannes Erigena obiicere solebat. Si Deus malos ad pœnas prædestinauerit, debere prædestinationem cogere & inducere homines ad peccatum: quod
D attente consulant nouatores nostri qui tam impie & crudeliter Deo peccatorum causalitatem affingunt.

Pag. 673. Cum dicit Deum æquè certò nosse quid non esset facturus, ac quid esset facturus, & quæ euentura non erant ac quæ erant, satis superque arguit vbi de Dei cognitione sermo est, nullam illi coniecturalem esse attribuendam, quia licet sit vehemens & vt dicunt Iurisconsulti violentissima, incertitudinem tamen omni ex parte non potest excludere; quo fit vt respectu futurorum conditionatorum in Deo potius scientiam mediam & conditionatam debeamus admittere, Fonseca, Molina, Suares, Mascaregnas disputationibus & opusculis de ipsa scientia.

Liberum vero, Pag. 646.] Liberum Arbitrium affirmat in damnatis non esse, eodem sensu quo antea docuit in peccatoribus & in statu naturæ lapsæ non reperiri.

Quid ibi proderit. Ibid.] Insinuat sensum videndi non operaturum in damnatis, forte quia inferni locus ita est tenebricosus vt species ad ipsorum oculos deferri non
E possint; docet enim D. Basilius Deum ab igne inferni lucem abstulisse & solam vim vrendi in eo reliquisse: probabile tamen & damnatos conspecturos esse dæmones & alios pœnarum socios, eorum enim intuitu acerbius grauiosque percellentur. Ideóque cum eos videndi sensu destituit Ecclesia Lugdunensis, illud de visione grata & delectabili est intelligendum.

Per vnam & in vna.] Confirmat sententiam illam Doctorum qui animas damnatorum igne inferni cruciari asserunt, vt non tantum per detentionem, sed etiam per veram & realem ipsius actionem crucientur; & obiter carpit Erigenam quod nullam aliam damnatorum pœnam quam priuationem visionis diuinæ statueret.

Pag. 645. Attendant nouatores nostri sæculi ibi purgatorium, nec non suffragia pro mortuis in Ecclesia obfirmari & obsigillari.

Quia in corpore vtique. Ibid.] Peccatum originale
F in corpore videtur reponere, quod nonnulli inter Scholasticos fecerunt, Durandus & Magister in 2. dist. 30. & 31. vbi dicit per peccatum primi parentis, fuisse primo infectum corpus per semen, & à semine rursum infici corpus seminatum, & tunc animam ex corpore infici, sicut liquor pretiosus cum inquinato vasi infunditur. Quæ quamuis iam temeraria iudicentur, non pugnant tamen expressè contra fidem: ideoque malumus asserere Ecclesiam Lugdunensem duntaxat voluisse horum sententiam damnare, qui animam ante vnionem cum corpore maculam originalem contrahere contendebant.

Fuerit aliqua fides. Ibid.] Docet fidem aliqualem in damnatis remansuram, quod non de fide Theologica, sed de humana & acquisita debet intelligi, & sic qui ex Christianis damnantur multorum mysteriorum fidem retinent, iuxta illud Iacobi, dæmones credunt & contremiscunt.

Quomodo ergo.] Ait damnatos non ferri desiderio in beatitudinem, sed seipsum postea exponit: Non habent,
G inquit, desiderium, id est, pietatem desiderij, quia ex amore sui inordinato, nullo habito respectu ad Deum ipsam desiderant.

Cesset itaque.] Accedebat Erigena ad hæresim Pelagij volens damnatos frui beatitudine naturali. Imò peius multo quam Pelagius sentiebat, quia quod tantum de paruulis decedentibus, absque Baptismo statuerat, ipse de peccatoribus adultis contendebat. Bellarmin. lib. 1 de purgatorio cap. 9.

Quicquid ergo.] Agit contra Erigenam ad hominem, qui voluntatem solam peccasse & non naturam tenebat, quasi voluntas agat aliquid quod non agat homo, & in hoc Erigenam delirare, & insanire merito asserit.

Damnatur liber hypognosticon, seu de Ecclesiasticis dogmatibus, qui certe non est Augustini, sed alterius, eiusdémque Pelagiani, & ita a Cœlestino Papa Epistola ad Episcopos Galliæ est definitum.

Pag. 705. Adoertant nouatores Deum in templis locisque consecratis speciali modo inhabitare, vt contra
H Anomeos luculenter ostendit Chrysost.

Sedem.] Reprehensio ista solum est in nomine. Nam nolebat Erigena ignem inferni fore quietem & sedem tranquillam, atque placidissimam ipsorum damnatorum.

Sedem.] Perfectius Deus vnitur cum damnatis quam cum templis: si actionum vitæ ratio habeatur, si vero beneficiorum singularium quæ hominibus in templo orantibus conferuntur, magis est in templis, quam in inferis, seu cum damnatis.

Non negat Trinitatem esse in damnatis, quia Deus vbique erit per essentiam, præsentiam, & potentiam, ideoque tantum vult non esse in illis per gratiam habitantem, sed tantum per ostensionem suæ iustitiæ.

* * *

ECCLESIÆ LVGDVNENSIS, De tribus Epiſtolis Liber.

IN NOMINE DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI, incipit libellus De Tribus quibuſdam Epiſtolis venerabilium Epiſcoporum quid de earum ſenſu & aſſertionibus iuxta Catholicæ veritatis regulam ſentiendum ſit.

PRÆFATIO.

QVORVNDAM venerabilium virorum, *trium* videlicet *Epiſcoporum ad Eccleſiam noſtram*, id eſt, *Lugdunenſem, Epiſtolæ perlatæ ſunt*, Ex quibus duæ priores ſimpliciter, & ſinceriter de quadam profunda, & perplexa quæſtione, quæ iam per aliquot annos inter plures multa, & varia diſceptatione, vel etiam contentione verſatur, *de veritate* ſcilicet, *diuinæ præſcientiæ, & prædeſtinationis*; Et quid ipſis videretur ſenſiſſe, & expoſuiſſe videntur; Et quid præfata Eccleſia noſtra Deo inſpirante atque auxiliante de eadem re ſentiat, vt eis verè: & fideliter reſpondeatur, attentius flagitare, & exigere noſcuntur.

Quorum vnus, qui & in his tribus primus ponitur, etiam cuiuſdam miſerabilis monachi, qui inquietâ, & inſolenti præſumptione huius quæſtionis, vel potius ſcandali excitator, & exagitator extitiſſe dicitur, Qualiter videlicet in *duobus Epiſcoporum conciliis & auditus fuerit, & iudicatus, atque damnatus*, diligenter, & breuiter in Epiſtola ſua expoſuit, atque digeſſit: Et ſingulis eius propoſitionibus quid, vel ab ipſo, vel à cæteris, ſiue tunc obiectum fuerit, ſiue vſque hodie apud eos obiiciatur, pariter, exſecutus eſt.

Secundus autem etiam quoſdam qui aduerſus eum ſcripſerint ferè, ſex numero memorauit. Nec tamen aliquem eorum ad rem, de qua quæritur, ſufficienti ratione ſatisfeciſſe conqueſtus eſt.

Nam tertius, non ad Eccleſiam noſtram, ſed ad quendam alium Epiſcopum ſpecialiter ſcripſiſſe, & quid de hac re illi tenendum, ſiue docendum eſſet (ſicut ei viſum eſt) expoſuiſſe, & definiſſe cognoſcitur.

Quæ omnia cùm legiſſemus, & prout Dominus dedit, ſollicite & fideliter tractaſſemus, viſum omnino nobis eſt, quod & interrogantibus (vt dictum eſt) venerabilibus viris, & ipſarum opinionum, quæ tam lacinioſæ & inuolutæ ponuntur neceſſitate cogente, necnon & ſimpliciorum, atque ignorantium fratrum, quos talium quæſtionum incerto fluctuare cognoſcimus perturbatione compulſi, nullatenus (qualem donare Dominus dignatus fuerit) reſponſionem fidei, non ex noſtro ſenſu, ſed ex Scripturarum Sanctarum immobili veritate, & beatiſſimorum Eccleſiaſticorum Patrum fundatiſſima auctoritate, ſubtrahere debeamus, quatinus in quantum Dominus opitulari dignatur, & nobis ipſis ex huiuſmodi reſponſionis ſtudio fidei firmitas augeatur, & aliis, qui hæc forraſſe legere voluerint, quam fideliter diuina veritas ſit ſeruanda, quam reuerenter, & obedienter paterna auctoritas ſequenda, diligentius, & manifeſtius declaretur.

CAP. I.

De prima quæ eſt Hincmari Epiſtola.

PRimus igitur qui (vt ſupra diximus) miſerabilis illius Monachi, & actum deſcribit, & doctrinam redarguit, & damnationem exponit, poſtquàm eum dixit vltro ſibi prædicatoris nomen aſſumpſiſſe, atque ad Barbaras, & Paganas Gentes velut Euangelizatorum perrexiſſe, his verbis ſeriem prædicationis eius exequitur dicens.

HINCMARVS.

E

Gotefchalcani errores iuxta Hincmarum capita.

ALio prædicationem ſuam orſus initio, quàm Ioannes, qui dixit: Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cœlorum: *Et quam Paulus qui docuit*, per viſibilia viſibilium & inuiſibilium cognoſcere creatorem *cœpit prædicare.*

Math. 3.2.

1. *Quia ante omnia ſæcula, & antequam quicquam faceret à principio Deus; quos voluit prædeſtinauit ad regnum, & quos voluit, prædeſtinauit ad interitum.*

2. *Et qui prædeſtinati ſunt ad interitum, ſaluari non poſſunt: Et qui prædeſtinati ſunt ad regnum, perire non poſſunt.*

3. *Et Deus non vult omnes homines ſaluos fieri, ſed eos tantum, qui ſaluantur. Et quod dicit Apoſtolus*, qui vult omnes homines ſaluos fieri, *illos dici omnes, qui tantummodo ſaluantur.* 1.Tim. 2.4.

4. *Chriſtus non venit vt omnes ſaluaret, nec paſſus eſt pro omnibus, niſi ſolummodo pro his, qui paſſionis eius ſaluantur myſterio.*

F

5. *Et poſtquam primus homo libero arbitrio cecidit, nemo noſtrum ad bene agendum, ſed tantummodo ad malè agendum libero poteſt vti arbitrio.*

RESPONSIO.

ET cætera quæ iam de aliis actis eius non de doctrinæ tenore exſequitur. Hoc itaque nobis licet ex parte incredibile videatur; quòd videlicet Gentibus ignorantibus Dominum prædicans, prætermittere potuerit, vt non eos primò omnium ad pœnitentiam prouocaret, nec eis inter creaturam, & creatorem rationabiliter diſcernere perſuaderet, vt iam non colerent, *neque ſeruirent creaturæ* per idololatriæ errorem, *Sed potius creatori, qui eſt benedictus in ſæcula.* Rom. 1. 25. Sed quæſtiones eis etiam fidelibus, & doctis difficillimas de diuinis iudiciis? & prædeſtinationis, ac redemptionis myſterio propoſuerit: Tamen prætermittentes huius rei tam abſurdam & incongruam obiectionem, magis eum credimus inter fideles, vel etiam ſacerdotes illarum partium talia mouere, & proponere potuiſſe, quibus magnarum & nouarum rerum velut nouus, atque admirandus prædicator exiſtimaretur, quam tantæ eum fatuitatis & ſtultitiæ extitiſſe, vt imputetur omnium rerum diuinarum penitus ignaris, tam importunè, & præpoſtere talia ingeſſiſſe, quibus apud eos non audiendus, ſed potius penitus ridendus, & ab omnium auribus arcendus iudicaretur.

G

De præfatis autem quinque ſententiis, quas vel prædicaſſe dicitur, vel etiam in Conciliis, vbi audiendus, ac diiudicandus admiſſus eſt, propoſuiſſe, ac defendere, ac confirmare voluiſſe aſſeritur, quid noſtræ puſillitati iuxta rationem veræ fidei diuina inſpirante pietate videatur, non præcipiti, & inconſiderata feſtinatione temere aliquid credimus definiendum: ſed omni cura pietatis, deuotiſſimo ſtudio inueniendæ, ac tenendæ veritatis fideliter quærendum, & pulſandum, atque petendum; vt non humano errore, quod nobis videtur, ſed quod ipſa veritas oſtenderit remota omni animoſitate, & contentione fideliter, atque vnanimiter ſequamur. Quod vt, in quantũ Deo adiuuãte poſſumus, diligenter, & fideliter poſſit fieri, illud primo in loco ponendũ, & vehementius (prout nunc puſillitatis noſtræ memoriæ occurrit) credimus cõmendandum, *ſeptem quaſdam eſſe regulas fidei* ex diuinarum Scripturarum auctoritate euenientes, & à ſanctis atque orthodoxis Patribus diligentiſſimè commendatas de præſcientia (ſcilicet) & prædeſtinatione diuina, quas & Catholicus quiſque fideliſſime tenere debeat, & quicumque his contraria ſapit non Catholicè ſentire comprobetur.

VII. Fidei Regula. De Præſcientia & prædeſtinatione Dei. Contrà Hincmarum de Prædeſt. cap 31. pag 232.

H

CAP. II.

Regula Prima.

Cap. 2.

HArum ergo prima eſt, vt omnino firmiſſimè, ac fideliſſimè teneamus, *Quia omnipotens Deus nihil ex*

tempore

A

Præscientia & prædestinatio Dei sempiterna & incommutabilis.

tempore præscierit vel prædestinauerit: sed sicut ipse absque vllo initio æternus, & incommutabilis est; ita & eius præscientia, ac prædestinatio sempiterna, atque incommutabilis sit. Nulla enim Deo noua voluntas, nullum nouum consilium, nulla noua dispositio, nullum nouum iudicium, quasi ex æterno apud ipsum, & in ipso non fuerit, sed postmodum esse cœperit. Nihil namque eius diuinitati est accidens, nihil in eius deitate potest augeri, vel minui, aut mutari. Et ideò quicquid præsciuit, æternaliter præsciuit quicquid prædestinauit, proculdubio æternaliter prædestinauit. Ad hanc fidem nos Scriptura

Dan. 13. 45. Mal 3. 6.

S. instruit, atque informat dicens: *Deus æterne qui occultorum es cognitor, qui nosti omnia antequam fiant.* Et ipse omnipotens Deus cùm de se ipso testatur & dicit: *Ego enim Dominus, & non mutor.* Et hãc prædestinationis suæ æternitatẽ etiam alio loco per Prophetã ostendit dicens: *Ego*

Ezech. 17. 24.

Dominus locutus sum, & feci: id est, quod nunc per Prophetam *locutus sum*, longè postea suo tempore facturum

B

in me prædestinationis æternitate iam *feci*, nec apud me adhuc expectatur futurum, quod in mea immobili dispositione constat esse iam factum. Vt autem hoc omnipotens Deus diceret, per Prophetam præmiserat suprà, *Si-*

d. v. 24.

militudinem duarum arborum in figura scilicet duorum populorum, id est Iudæorum & Gentium: Quarum vnam se dicit ex sublimi humiliasse, & ex viridi siccasse, alteram ex humili exaltasse, & ex arida frondentem fecisse ita di-

Ezech. 17. 24.

cens. *Et scient omnia ligna regionis, quia ego Dominus humiliaui lignum sublime, & exaltaui lignum humile, Et siccaui lignum viride & frondere feci lignum aridum.* Et continuo subiungens: *Ego Dominus locutus sum & feci.* Id est, quod nunc sum per Prophetam locutus, & quod apud homines adhuc sum facturus, in æterna prædestinatione iam feci; videlicet vtrumque (id est) misericordiam, & iudicium suum; Et sicut Apostolus dicit, *bonitatem & seueritatem* suam in vtriusque populi vel deiectione, vel exaltatione æternaliter prædestinata ostendens, illum iusto iudicio humiliat, & arefacit: hunc autem gratuita misericordia in sæcula exaltat, & virere facit.

C

Quid ergo euidentius & dilucidius de vtriusq; partis, id est tam electorum, quàm reproborum prædestinatione quæri potest? Cum & vnius per infidelitatem ariditas, & alterius per fidem viriditas æterno Dei iudicio in æterna eius prædestinatione declaratur prædestinata. Tale est & illud apud eundem Ezechiel. Prophetam quantum ad partem pertinet reproborum, vbi omnium impiarum Gentium, & populo Dei inimicarum (id est) Paganorum, Iudæorum, & Hæreticorum, & maximè Antichristi, & eorum qui cum illo Ecclesiam Dei persecuturi sunt sub figura Gog, & Magog æternos prænunciatur interitus: Et statim Propheta sub-

Ezech. 39. 8.

iungit, dicens: *Ecce venit, & factum est. Ait Dominus Deus*, id est, quod apud homines tam longo post tempore est venturum, & quod tam longo post tempore est futurum, apud me in æterna prædestinatione, non adhuc venturum est, sed iam venit, nec adhuc futurum est, sed iam factum est, Hoc & Psalmista in vtramque par-

D

tem & electorum videlicet & reproborum, id est, æterno Dei iudicio, & illos misericordiæ, & istos perditioni prædestinatos ostendens, distinctè, & manifeste de electis

Ps. 102. 17. Ps. 72. 27.

dicit: *Misericordia autem Domini ab æterno, & vsque in æternum super timentes eum:* De reprobis vero: *Quoniam qui elongant se, iniquitate peribunt; perdidisti omnes, qui fornicantur abs te.* Id est: *Qui elongant se abs te*, quantum ad ipsos pertinet, adhuc suo tempore, videlicet extremo iudicio *peribunt*. Quantum autem ad prædestinationem æterni iudicij tui, tu eos iam *perdidisti*. Hanc immobilitatem consilij & iudicij diuini docet nos Apostolus intelligere, vbi iuramentum Dei interponitur, Sicut illud est quod de hæredibus fidei Abrahæ ad

Hebr. 6. v. 13. 14. Gen. 22. 10. & 17. v. 17. 18.

ipsum Abraham iurasse eum explanat, dicens *Abrahæ namque promittens Deus, quoniam neminem habuit, per quem iuraret maiorem, iurauit per semetipsum dicens: nisi benedicens benedicam tibi & multiplicans multiplicabo te.* Et paulo post: *in quo abundantius*, inquit, *volens Deus ostendere pollicitationis hæredibus immobilitatem consilij sui interposuit iusiurandum; vt per duas res, quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatium habeamus, qui confugimus ad tenẽdam propositam nobis Spem.* Sicut ergo in parte electorum, qui sunt diuinæ pollicitationis & promissionis hæredes, per iusiurandum voluit Deus ostendere immobilitatem consilij sui, id est, immutabilem dispositionem æternæ prædestinationis suæ iuxta expositionem Apostoli, ita & in parte reproborum, vbi interponitur iusiurandum Dei, nihil aliud ostenditur nisi immobilitas, atque immutabilitas æterni consilij & prædestinationis eius in damnatione, & perditione ipsorum, ostendit namque eos omnipotens Deus reprobos, cum de eis dicit: *Ipsi vero, non cognouerunt vias meas:* ostendit eos immobili consilio suo, id est immutabili prædestinatione iudicij sui æternæ damnationi, & perditioni esse præordinatos, cum statim subiungit: *Quibus iuraui in ira mea, si introibunt in requiem meam.* Quod si quis putat de illis tantummodo reprobis, qui educti ex Ægypto per Moysen, & per XL. annos in deserto semper rebelles, & increduli extiterunt, quorum etiam cadauera in eodem deserto prostrata sunt, esse intelligendum; & non potius in eorum speciali, damnatione, & perditione omnium generaliter reproborum interitum figuratum; Audi Apostolum terribiliter & veraciter dicentem: *Omnia autem hæc in figura contingebant illis: scripta sunt autem ad correptionem nostram, in quos fines sæculorum deuenerunt.* Et alio loco: *Festinemus ergo* inquit, *ingredi in illam requiem, vt ne in idipsum quis incidat incredulitatis exemplum.*

Hanc veritatem, & immobilitatem diuinæ prædestinationis, in qua Deus iudicia sua futura iam fecit, & B. Prophetas Esaias mirabiliter ostendit: Et *B. August.* Veraciter & breuiter exponit: dicens: Qui enim certis & immutabilibus causis omnia futura prædestinauit, quicquid facturus est fecit. Nam & per Prophetam dictum de illo est: *Qui fecit, quæ futura sunt,*] Vnde etiam alio loco idem doctor verissime de ipso dicit: Neque enim sicut hominem, Deum cuiusquam facti sui pœnitet cuius est omnibus omnino rebus tam fixa sententia quam certa præscientia.] Vtrumque ergo apud illum æternum, vtrumque immutabile est, cum de omnibus omnino rebus tam bonis quam malis, quæ fiunt in mundo æternaliter ante mundum, & prænoscendo certa sit eius præscientia, & iudicando fixa sententia. Hanc immobilitatem præscientiæ & prædestinationis Dei ante tempora manentem, & omnia temporalia ordinantem etiam B. Iudith victoriam de Assyriis inimicis populi Dei postulans, mirabiliter, & breuiter in oratione sua Deo confitetur, dicens: *Tu enim fecisti priora, & illa post illa cogitasti & hoc factum est quod ipse voluisti: Et tua iudicia in prouidentia tua posuisti: fecisti*, inquit, *priora, & illa post illa cogitasti;* Non quod in Deo volubilitas, & varietas decedentium, & succedentium cogitationum credenda sit, sed quia omnia quæ in rebus creatis præcedunt, atque succedunt, ille vno & æterno intuitu immutabiliter cernit, incomprehensibiliter comprehendit. *Et tua*, inquit, *iudicia in prouidentia tua posuisti:* id est iudicia tua, quæ exerces in mundo, in prouidentia tua posuisti etiam ante mundum: Et quicquid temporaliter fieri voluisti, in æterno consilio tuo intemporaliter statuisti. Nouit enim omnipotens Deus creare noua sine nouitate aliqua voluntatis: Nouit & quiescens agere & agens quiescere. Potest ad opus nouum non nouum, sed sempiternum adhibere consilium. Et ideo cum se aliud, atque aliud cogitasse dicit, non ipse (quod absit) mutabilitate aliqua variatur, sed erga mutabilitatem nostram diuersis modis immutabilis, & non diuerso consilio operatur. Vnde & Beatus Apostulus Iacobus de illo dicit: *Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.* Et liber Ecclesiasticus in eius laudibus loquitur, dicens *Domino enim antequam crearentur, omnia sunt agnita. Similiter & post perfectum respicit omnia:* Et iterum *a sæculo & vsque in sæculum respicit, & nihil est mirabile in conspectu eius.*

CAP. III.

REGVLA SECVNDA.

SEcunda regula diuinæ præscientiæ & prædestinationis est, *Nihil omnino esse, aut fuisse, aut futurum esse posse in operibus Dei, quæ siue in condendis, siue in regendis, siue in consummandis vel finiendis creaturis agit, quod non ipse in suo æterno consilio atque iudicio & veraciter præscierit, & immobiliter præordinauerit. Atque ita omne quod temporale est, intemporaliter sua præscientia & prædestinatione præcedit: Et omne, quod in eius æterna præscientia & prædestinatione dispositum est, etiam in rebus esse potest. Quicquid vero ibi dispositum non est, nunquam & nusquam esse potest; nihil enim temere vel fortuito, sed omnia æterna suæ sapientiæ consilio & ratione facit.*] Vnde in eius laudibus verissimè dicitur. *Omnia in sapientia fecisti.* Præcessit enim eius sapientia æternaliter omnia quæ in creaturis facta sunt vel fiunt siue futura sunt temporaliter. Verbi gratia, præsciuit esse mundum futurum, & prædestinauit se esse facturũ: præsciuit hominem creandũ, & prædestinauit se esse creaturũ: Præsciuit humanum genus per hominem primum lapsum vnigeniti Filij sui Sanguine redimendum, & prædestinauit se esse redempturum. *Redemptionem enim misit populo suo:* Et veraciter ipsi cantatur. *Redemisti in brachio tuo populum tuum:* præsciuit electos suos ad æternum regnum suum esse venturos: præsciuit etiam reprobos in æternum supplicium tradendos: Et hoc totum quia plenum est misericordia, plenum iustitia prædestinauit se misericordia, & iudicio suo esse facturum: Apud quem est iuxta Apostolum, *æterna bonitas & seueritas*, & cui dignè à fidelibus dicitur: *Misericordiam & iudicium cantabo tibi Domine.* Vnde constat omnino quod in vtramque partem electorum videlicet & reproborum, nisi eorum vel glorificationem, vel damnationem iustissimam præscientia & prædestinatio diuina præcederet, nunquam in eis fieri, atque adimpleri posset. Sicut nihil omnino in operibus diuinis esse potest quod non ibi præcesserit. Ad hoc mirabiliter, & sublimiter insinuandum pertinet quod de æterno & vnigenito verbo Dei Euangelista dicit. *Quod factum est, in ipso vita erat*, id est, omne *quod* à verbo & per verbum Dei *factum est* temporaliter, iam antequam fieret, æternaliter in eodem verbo Dei *vita erat*: Quia videlicet ipsum verbum Dei viuens, vita est & viua sapientia, & viua ratio, & viuum consilium, quo omnia suis modis, & suo ordine fieri potuerunt.

REGVLA TERTIA.

TErtia regula diuinæ præscientiæ, & prædestinationis est, *quia in operibus omnipotentis Dei non sunt alia præscita & alia prædestinata, sed quicquid ibi est præscitum quia totum est bonum & iustum, sine dubio est etiam prædestinatum: & quicquid prædestinatum vtique & præscitum: quia prædestinatio sine præscientia esse non potest.* Quantum igitur ad ipsa opera diuina pertinet, siue dicantur præscita, siue dicantur prædestinata, tantumdem valet, & eandem exprimit immobilem firmitatem. Inde est quod Apostolus quodam loco præscientiam Dei prædestinationem eius intelligi voluit, ubi ait: *Non repulit Deus plebem suam, quam præsciuit:* si enim præscisset tantummodo, & non prædestinasset, nequaquam eam plebem suam fecisset, sed quia ita præsciuit, vt eã verissimè ipsa præscientia prædestinaret, quid est aliud quod eam præsciuit, nisi quia verè, & immutabiliter prædestinauit? Sic ergo in præordinatione electorũ ad vitam, & in præordinatione reproborum ad mortem, quia vtrumque iustum opus Dei est, sicut Psalmista testatur dicens: *Iustus Dominus in omnibus viis suis & sanctus in operibus suis*, nec præscientia eius sine prædestinatione nec prædestinatio sine præscientia intelligi potest, quia quod iustum est, & rectum opus suum, & verè præsciuit, & præsciendo iustè prædestinauit.

E

Reg. IV.

REGVLA QVARTA.

Bona opera principaliter Dei sunt, sed & ipsius creaturæ.

QVarta Regula est eiusdem præscientiæ & prædestinationis quod. *Hæc duo in operibus rationalis creaturæ & distinctè & coniunctè intelligi possunt; quia scilicet eiusdem creaturæ opera alia sunt bona, alia mala: Et quia bona opera ita sunt ipsius creaturæ, vt sint omnino principaliter, & veraciter opera creatoris,* qui operatur in ea & velle & perficere pro bona voluntate, *rectissimè tanquam verè diuina, id est, diuinitus inspirata, & gesta, & præscita, & prædestinata debent intelligi. Mala vero opera eiusdem creaturæ, quia ipsius tantummodo sunt, & ex eius vitio, non ex Dei voluntate, vel operatione procedunt, præscita à Deo dici possunt, prædestinata non possunt.*] Quia ita est ille certissimè præscius omnium futurorum, & bonorum scilicet & malorum, vt nunquam esse possit prædestinator, sicut nec auctor malorum; præsciuit itaque Deus, & prædestinauit rationalis creaturæ suæ omnia bona, sicut Apostolus dicit: *Nam quos præsciuit, & prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui.* Et iterum, *Sed loquimur Dei sapientiam in mysterio absconditam, quam prædestinauit Deus ante sæcula in gloriam nostram.* Mala vero opera, & mala merita eiusdem creaturæ præsciuit tantummodo, non prædestinauit: sicut Psalmista ex persona humani generis inter labores, & pericula vitæ mortalis gementis, & ad Deum redire conantis, ipsi omnipotenti Deo humiliter confitetur, dicens: *Intellexisti cogitationes meas de longè, semitam meam, & funiculum meum inuestigasti; & omnes vias meas prouidisti*, Quid est enim *omnes vias meas præuidisti* nisi omnes vias meas vtique, malas, non solum præsentes vidisti sed etiam futuras, antequam eas ambularem præuidisti. Cui etiam alio loco Scriptura dicit, *Qui nosti omnia antequam fiant*, vtique non solum bona, sed etiam mala.

Mala solius creaturæ ideo præscita, non prædestinata.

F

Rom. 8. 29.

1. Cor. 2. 7.

Ps. 138. a.

Dan. 13. 42.

Cap. IV.

CAP. IV.

G

Reg. V.

REGVLA QVINTA.

Prædestinatio Dei nulli necessitatem ad malum imponit. Notent Caluinistæ.

QVinta Regula est diuinæ præscientiæ & prædestinationis quod *omnipotens Deus eadem præscientia & prædestinatione sua ita quosdam malos in sua iniquitate & impietate, & præscierit perseueraturos, & ob hoc iustè prædestinauerit perituros, vt ex ipsa certa præscientia, & iusta prædestinatione sua nulli necessitatem imposuerit, vt malus esset, & aliud esse non posset.* Hoc enim si fecisset quod absit, de eius bonitate sentire, ipse esset vtique auctor malorum, quæ suæ potestatis violentia fieri compulisset. Quod quam horrendæ sit blasphemiæ dicere, vel cogitare, omnis pius, fidelis intelligit: suo ergo vitio impij, & iniqui in malis suis pertinaciter perseuerant, non aliquo Dei præiudicio, qui quotidie omnes ad pœnitentiam vocat, & ad salutem inuitat, & conuersis ad se misericordiæ suæ sinum pandit, & incessanter declinari à malis, & fieri bona hortatur, & admonet, dicens. *Declina à malo, & fac bonum:* Et iterum, *Quærite bonum & non malum vt viuatis & erit Dominus exercituum vobiscum, sicut dixistis.* Et alio loco: *Conuertimini ad me, & conuertar ad vos, dicit Dominus exercituum.* Et rursom in Psalmo, *Lætetur cor quærentium Dominum, quærite Dominum, & confirmamini, quærite faciem eius semper.* Vnde & in eius laudem dignè canitur, *Sperent in te omnes qui nouerunt nomen tuum, quoniam non dereliquisti quærentes te Domine.*

Ps. 36. 27.

H

Amos 5. 14.

Zach. 1. 3.

Ps. 104. 3.

Ps. 9. 11.

Non ergo ille tantæ bonitatis & pietatis pater quemquam impellit, aut compellit ad malum opus agendum, vel in malo opere permanendum: tamen verè constringit, & compellit iudicio suo in malis perseuerantes ad iustum supplicium luendum. Et ibi ergo bonus, quia neminem vult malum esse: Et hic iustus, quia nullum iniquum & impium permitit impunitum esse: Nusquam autem malus, qui malorum tantummodo vltor, nunquam auctor existit. Hoc enim nobis de illo scriptura diligentissimè commendat, dicens: *Nemini mandauit impiè agere, & nemini dedit spatium peccandi*, Et iterum de his qui pu-

Ecc. 15. 21.

Prou. 19. 3.

A Prou.5.22.

tant se Deo impellente peccare: *Stultitia* (inquit) *hominis supplantat gressus illius, & contra Deum feruet animo suo.* Et alio loco; *Iniquitates suæ capiunt impium, & funibus peccatorum suorum constringitur.* Vnde & Beatus Iacobus Apostolus omnem fidelem ab hac insania coërcens & ad veram pietatis scientiam reducens solicitè admonet dicens: *Nemo, cum tentatur, dicat quoniam à Deo tentatur; Deus enim intentator malorum est, ipse autem neminem tentat: vnusquisque autem tentatur à concupiscentia sua abstractus, & illectus: dein concupiscentia, cum conceperit, parit peccatum: peccatum verò cum consummatum fuerit, generat mortem.* Igitur omnipotens Deus præscientia sua erga reprobos præuidit, quod verum est Eos scilicet, non suo impulsu, sed proprio vitio in impietatibus perseueraturos: prædestinatione sua statuit, & decreuit, quod iustum est, eosdem videlicet æterno supplicio perituros, Hæc etenim mala, id est, non ea quæ ipsi volentes faciunt, sed quæ pro malis factis suis nolentes patientur, & prædestinauit illis Deus iustitia sua, & omnino illaturus est iusto iudicio suo. Qui verissime talibus comminatur, dicens; *Congregabo super eos mala, & sagittas meas complebo in eis.* Et iterum, *Adducam super eos mala, annum visitationis eorum.* Reddet enim omnino Deus vt *Beatus Augustinus* sincerissimè & lucidissime docet & mala pro malis, quoniam iustus est: Et bona pro malis quoniam bonus est, & bona pro bonis quoniam bonus, & iustus est. Tantummodo mala pro bonis non reddet, quoniam iniustus non est. Reddit ergo mala pro malis, pœnam pro iniustitia. Et reddit bona pro malis, gratiam pro iniustitia, & reddit bona pro bonis gratiam pro gratia.] Qui ergo hæc audit, quid habet vnde conqueratur? Aut quid ei restat: nisi vt terrore iusti iudicij Dei, quo perseuerantes in malis suis punire decreuit, ipse à malis corrigatur, ne cum illis qui incorrigibiles permanent, puniatur. Ita timor iusti iudicij Dei erga iniquos, & impios puniendos, nemini omnino est noxius, sed illis, qui per eum corriguntur verissime probatur esse salubris.

Iac.1.13.14.15.

B

Deu.32.23. Ierem.11.12. August.

C

Cap.5.

CAP. V.

Reg.6.

REGVLA SEXTA.

Ex verotiam sine verbis intelligenda in scripturis Præscientia & prædestinatio Rom.8.29.

SExta Regula est diuinæ præscientiæ & prædestinationis, *Vt in diuinis Scripturis nequaquam hoc pueriliter quæratur, vel exigatur, vt ibi solummodo intelligatur diuina præscientia, vel prædestinatio: vbi hæc ipsa nomina præscientiæ, & prædestinationis, expressè & propriè posita inueniuntur: sicut eo loco, vbi Apostolus dicit:* Nam quos præsciuit & prædestinauit conformes fieri imaginis Filij diuinæ sui. *Sed vbicumque res ipsa eiusdem præscientiæ, & prædestinationis certissimè posita, legitur, præscientiam, & prædestinationem ipsam intelligendam esse minimè dubitemus.*] Nam si proprietates ipsorum nominum requiramus nusquam in illis testimoniis Propheticis, quæ pro ipsius præscientiæ, & prædestinationis commendatione in Epistola ad Romanos assumit, & proponit Apostolus, vel præscientia, vel prædestinatio nominatur; & tamen res ipsa in eis tam clarè, & perspicuè demonstratur, vt de ea nemini fidelium liceat dubitare.

D

Scriptura testimonia. Ro 9.15. Mal.1.2. Exod.33.19. Exod.9.16. Ro 9.17. Rom.11.32.

Primum namque ipsorum testimoniorum est, *Quia maior seruiet minori,* Secundum *Iacob dilexi, Esau autem odio habui.* Tertium *Miserebor cui miserebor, & misericordiam præstabo, cui misericors fuero.* Quartum: *Dicit enim Scriptura Pharaoni, quia in hoc ipsum excitaui te, vt ostendam in te virtutem meam & annuncietur nomen meum in vniuersa terra.* Et sic ex ordine cætera vsque ad eum locum vbi ait: *Conclusit enim Deus omnia sub peccato, vt omnium misereatur.* In quibus omnibus (vt dictum est) nusquam nomen præscientiæ, nusquam prædestinationis sonat: Et tamen ipsa fidei religione compellimur credere Apostolo hæc omnia de præscientia & prædestinatione vtriusque partis tam electorum videlicet, quam reproborum, illorum ad salutem, istorum ad damnationem intelligenti atque docenti: Quæ ille tanta auctoritate & firmitate proponit, vt quidquid paulo superius ante hæc testimonio de æterno Dei proposito, præscientia, & prædestinatione, vocatione & electione, iustificatione, & glorificatione docuerat, & quod postea de Gentium salute & Iudæorum obcæcatione commemorat, eisdem ipsis testimoniis sufficienter atque euidenter se demonstrasse, & comprobasse credi velit.

E

Aug de Præd. Sanct. cap.10. Eph.2.10.

Tale est & illud, quod ex verbis eiusdem Apostoli *Beatus Augustinus* ad probandam, & commendandam diuinam gratiam, & prædestinationem proponit, dicens: Quod ergo ait Apostolus, *Ipsius enim sumus figmentum, creati in* CHRISTO IESV *in operibus bonis,* gratia est: Quod autem sequitur & dicit, *Quæ præparauit Deus vt ambulemus in illis,* prædestinatio est.] Certè enim neque in hoc testimonio Apostolico nomen gratiæ, vel prædestinationis sonat; Et tamen res ipsa gratiæ, & prædestinationis ibi manifestissimè comprobatur. Quæ enim manifestior res gratiæ, quam quod ex nobis nulla bona opera habemus? sed ipsius, id est, *Dei sumus* speciale *figmentum creati in* CHRISTO IESV *in operibus bonis.* Et quæ euidentior res prædestinationis, quam quod hæc ipsa bona opera, non solum in præsenti per gratiam suam nobis donauit, sed etiam in æterna prædestinatione sua *Præparauit Deus, vt in illis ambulemus.* Caueamus itaque, vt Beatus Hieronymus quodam loco admonet, in Scripturis superstitiosam intelligentiam: Et hanc Apostolicam auctoritatem, qua non nomina, sed res ipsas diuinæ præscientiæ & prædestinationis suo exemplo nobis quærendas, & tenendas docuit quantum possumus firmissime, & fidelissimè, tam in Euangelicis, & Apostolicis, quam etiam in Propheticis dictis sequamur.

d.v.10.

Nulla bona opera ex nobis sed ex Deo, ipse quæ prædestinauit.

F

d.v 10. Hieron.

Cap.6.

CAP. VI.

Reg.7.

REGVLA SEPTIMA.

Electorum nullum perire posse. G *De Reprobis nullum saluari.*

SEptima Regula est ipsius diuinæ præscientiæ & prædestinationis: *Vt neque de electis Dei vllum perire posse credamus, neque de reprobis aliquem saluari vllatenus existimemus:*] Non quia non possunt homines de malo ad bonum commutari, & de malis, & prauis boni, ac recti fieri, sed quia in melius mutari noluerunt, & in pessimis operibus vsque in finem perseuerare voluerunt: Nec possunt vllo modo pertinere ad sortem electorum, qui magis elegerunt permanere in malitia iniquitatum, & impietatum suarum. Hoc enim pessimum & nefarium malum quod est nolle ad Deum conuerti; neque de malo ad bonum commutari, sed *Secundum duritiam & impœnitentiam cordis sui thesaurizare sibi iram in die iræ & reuelationis iusti iudicij,* ille in eis æterna sua præscientia verissimè præuidit futurum, qui omnino falli non potest; Et quia hoc verissimè præsciuit, iustè omnino tales perditioni æternæ prædestinauit.

Ro.2.5

Cur saluari non possunt reprobi. *De paruulis.*

Quod ergo non possunt saluari eorum est vitium; quia nolunt, non Dei (quod absit) aliqua iniquitas, qui erga illos & verax semper exritit in præscientia sua, & iustus in iudicio suo. Licet sit & aliud genus reproborum in innumerabilibus videlicet millibus paruulorum, qui nec ætatem nec sensum ad aliquid boni agendum vnquam acceperunt, sed in sola originalis peccati, quæ per vnum hominem in mundum intrauit, damnatione pereunt. De quibus quid aliud dicendum, nisi quod & in eorum reprobatione atque interitu omnipotens Deus iustus est, in quibus non naturam bene à se conditam, sed culpam male admissam, & in eos originaliter transfusam iusta vltione damnauit.

Nullum de electis perire posse. Ioan.10.27.28.29.

Hoc ita esse (hoc est) neminem de electis perire posse ipse Dominus ostendit dicens. *Oues meæ vocem meam audiunt, & ego cognosco eas & sequuntur me; Et ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quisquam de manu mea. Pater meus quod dedit mihi maius omnibus est, & nemo potest rapere de manu Patris mei,* istæ oues, quæ vt ipsa veritas testatur, *non peribunt in æternum,* & quas *nemo potest rapere de manu Patris & Filij,* alio loco appellantur, *pusilli Dei.* De quibus si-

militer

militer ipse Dominus dicit. *Sic non est voluntas ante Patrem vestrum vt pereat vnus de pusillis istis*: Quibus etiam alio loco ait: *Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum.* Et iterum, *capillus de capite vestro non peribit.* Item quod reprobi non propter præscientiam & prædestinationem Dei veraciter præscientis, & iustè damnantis, sed propter obstinatam & indomabilem malitiam suam nullatenus possint saluari, idem Dominus ostendit loquens talibus, & dicens, *Sed vos non creditis, quia non estis ex ouibus meis.* Et iterum: *Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.* Similiter & per Prophetam de talibus comminatur dicens, *In consilio populi mei non erunt, & in Scriptura domus Israël non scribentur, nec terram Israël ingredientur*: Videlicet sicut verè de cœtu electorum eiecti, & de libro vitæ deleti, & de terra viuentium penitus alienati: de his & Apostolus consonanter verbis Euangelicis loquitur, dicens: *Quod si etiam opertum est Euangelium nostrum, in his qui pereunt est opertum; in quibus Deus huius sæculi excæcauit mentes infidelium, vt non fulgeat illuminatio Euangelij gloriæ Christi.* De quibus etiam alio loco dicit: *Non enim omnium est fides.* Et *non omnes obediunt Euangelio.* Quia ergo tales sunt, & tales vsque in finem perdurant; merito vtique & præscientia Dei mali præsciti sunt, & prædestinatione Dei iustè reprobati, atque damnati; probet ergo seipsum homo, vt ex quotidiano profectu, siue defectu vitæ suæ, vtrum magis ad societatem electorum, an (quod absit) ad societatem, reproborum propinquare, se sentiat, apud se sollicitus perspiciat, & inquirat, oretque fideliter, & perseueranter quantum potest, vt eum omnipotens Domini misericordia, & ab æterna damnatione eripi, & in electorum suorum iubeat grege numerari: quia licet vt *Beatus Gregorius* dicit, obtineri nequaquam possint, quæ prædestinata non fuerint, ipsa tamen perennis regni prædestinatio; ita est ab omnipotente Deo disposita, vt ad hoc electi ex labore perueniant, quatenus postulando mereantur accipere, quod eis omnipotens Deus ante sæcula disposuit donare.]

CAP. VII.

HÆc ita esse quæ, prout Dominus dedit, septem titulis distincta, atque digesta, tam nobis, quam cæteris qui legere voluerint iuxta regulam veræ fidei de præscientia, & prædestinatione diuina, velut regulariter proposuimus agnoscenda, atque, tenenda non ex nostro sensu aliquid præsumentes, sed Scripturæ Sanctæ auctoritatem fideliter, atque humiliter sequentes: Hæc (inquam) ita esse, & ita antiquæ Ecclesiæ authoritate, & Sanctorum Patrum fidelissima institutione tenta & tradita necessarium omnino duximus, vt etiam eorundem Sanctorum Patrum verbis, & definitionibus breuiter, apertéque propositis ad confirmationem legentium attentius commendare, ac declarare studeamus.

In libro cuius titulus est de *Duabus in Christo naturis, omnibus ferè Ecclesiis notissimo & celebriter commendato* vbi etiam multorum, & orthodoxorum Patrum tam Græcorum, quam Latinorum, vel libri integri, vel sententiæ ad ædificationem & confirmationem fidei pertinentes, beatissimorum scilicet, Athanasij, Ambrosij, Hieronymi, Augustini & cæterorum diligenter collectæ atque digestæ sunt; inseruntur etiam quædam quadraginta capitula sub vnius libelli textu, qui vel beati Augustini, vel B. Fulgentij gloriosi Antistitis confessoris Christi nomine titulatur præcipue ad cognitionem & confirmationem fidei pertinentia, in quibus de hac re vnde nunc agitur, id est, de diuinæ præscientiæ & prædestinationis veritate quid firmissime atque indubitanter tenendum sit, ita breuissimè, ac plenissimè legitur definitum. [Firmissimè, inquit, tene & nullatenus dubites Deo incommutabili non solum præterita & præsentia, sed etiam futura omnia incommutabiliter esse notissima. Cui dicitur, *Deus qui occultorum es cognitor, qui scis omnia antequam fiant.*] Et iterum: Firmissimè: inquit, tene, & nullatenus dubites Trinitatem Deum incommutabilem rerum omnium, atque operum, tam suorum, quam humanorum certissimum, cognitorem ante omnia sæcula scire, quibus per fidem esset gratiam largiturus, sine qua nemo potuit ex initio mundi, vsque in finem à reatu peccati, tam originalis, quam actualis absolui; *Quos enim Deus præsciuit, & prædestinauit conformes fieri imaginis Filij eius.*] Et iterum: Firmissimè, inquit, tene, & nullatenus dubites, omnes, quos vasa misericordiæ gratuita bonitate Deus facit ante constitutionem mundi, in adoptionem filiorum Dei prædestinatos à Deo, neque perire posse aliquem eorum, quos Deus prædestinauit ad regnum: Neque quemquam eorum, quos Deus non prædestinauit ad vitam vllâ posse ratione saluari: prædestinatio enim illa gratuitæ donationis est præparatio, qua nos Apostolus ait, *Prædestinatos in adoptionem filiorum per* IESVM CHRISTVM *in ipsum.*]

Nullum prædestinatorum perire nec reproborũ saluari potest.

Eph. 1. 5.

Hanc fidei regulam & definitionem certissimam fideliter sequens beatus & sanctus doctor Ecclesiæ *Beda* Presbyter, cum exponeret locum illum vbi in libro Genesis narratur *De ereptione Loth ex interitu Sodomorum*, & quorundam suorum non credentium & cum eo exire nolentium, & ideo cum cæteris, qui in vrbe impia remanserant, iustissimè perditorum punitione, ita ait. [Quod ostium Loth incluserunt Angeli, ne vel ipsum, vel aliquem de domo ipsius possent ad perdendum rapere Sodomitæ, patenter insinuat, quia nullum de electis Dei perditura est impietas, & persecutio reproborum: dicente Domino de ouibus suis: *Et ego vitam æternam do eis & non peribunt in æternum, & non rapiet eos quisquam de manu mea.* Quod vero idem *Loth* facultate ab Angelis data nullum de ciuibus perfidis, ne de suis quidem cognatis siue amicis tametsi multum conatus potuit ad salutem reuocare, significat, quia nullius labor hominis ad numerum prædestinatorum, qui ante constitutionem mundi electi sunt à Deo, vel vnam possit animam adiicere. *Nouit enim Dominus qui sunt eius.* Verum & si nostram fragilitatem qui ad electorum sortem pertineant latet, non tamen ab agenda cura nostræ salutis cessandum, non ab instruendis proximis lingua est continenda, sed ad exemplum beati Loth, & nobis castè viuendum, & errantium quoque correctioni officium pietatis impendendum. Constat enim quia etsi prædestinatos ad interitum saluare nequimus, nostræ tamen benignitatis, quam erga illorum salutem impendimus, mercedem non perdimus.]

Beda in Genesim. Gen. 19.

Exemplo Loth confirmatur. Ioan. 10. 28.

Non cessandũ ab agenda cura salutis.

CAP. VIII.

Cap. 8.

HAnc fidei regulam firmissimè ac fidelissimè nobis tenendam *Beatus Augustinus* ita diligenter & breuiter commendat in Libris de Ciuitate Dei, ita dicens. [Humanum, inquit, genus in duo genera distribuimus vnum eorum qui secundum hominem, alterum eorum qui secundum Deum viuunt, quas etiam mysticè appellamus ciuitates duas, hoc est duas societates hominum quarum est vna, quæ prædestinata est in æternum regnare cum Deo: Altera æternum supplicium subire cum diabolo.] Et post pauca: de exortu duarum ciuitatum istarum, id est ciuitatis Dei & ciuitatis diaboli diligentius disputans, ita dicit: Natus est igitur prior Cain ex illis duobus humani generis parentibus pertinens ad hominum ciuitatem: Posterior Abel ad ciuitatem Dei: Prior est natus ciuis huius sæculi; posterior autem isto peregrinus in sæculo, & pertinens ad ciuitatem Dei: Gratia prædestinatus, gratia electus gratia peregrinus deorsum, gratia ciuis sursum. Nam quantum ad ipsum attinet ex eadem massa oritur, quæ originaliter est tota damnata: sed tanquam figulus Deus: Hanc enim similitudinem non impudenter, sed prudenter introducit Apostolus: *Ex eadem massa fecit aliud vas in honorem, aliud in contumeliam.* Prius autem factum est vas in contumeliam, post verò alterum in honoré. Quia & in

Aug. de ciuit. Dei lib. 15. cap. 1. De gemina prædestinatione.

Ibid.

Rom. 9. 21.

ipso

A 1.Cor. 15.46. August. Enchir. cap.100.

ipso vno homine, sicut dixit Apostol. non *Primum, quod spirituale est, sed quod animale, deinde quod spirituale, &c.*] Item in libro Enchiridion quem ad Laurentium Ecclesiæ Romanæ Archidiaconum scripsit, de eadem re ita loquitur: [Cum Angelica, inquit, & humana creatura peccasset, id est non quod Deus, sed quod ipsa voluit fecisset, etiam per eandem creaturæ voluntatem, qua factum est quod creator noluit, impleuit ipse quod voluit, bene vtens & malis tanquam summe bonus ad eorum damnationem, quos iuste prædestinauit ad pœnam, & ad eorum salutem, quos benigne prædestinauit ad gratiam.]

De libris Retractationũ S. Aug.

Hæc pauca ex præfati beatissimi doctoris duobus libris posuimus, quos eum non solum Catholice, & veridice scripsisse, sed etiam diligenter & fideliter retractasse qui libros, retractationum eius attentius legit, euidenter agnoscit; vt quia iam eius authoritas de hac re, id est de diuina in vtramque partem prædestinatione, & electorum videlicet ad gloriam, & reproborum ad pœnam à

B

nonnullis publice contemnitur, & conculcatur: Ita vt quia se ipse in quibusdam scriptis suis piè, atque humiliter reprehendit, & corrigit, putent se, vbi eis visum fuerit, licenter eum posse reprehendere: Et quod ille fecit ad exemplum humilitatis, ipsi vsurpare non erubescant ad tumorem præsumptionis: Ex his saltem libris agnuscant, quia hoc verbum diuinæ prædestinationis in parte reproborum positum, quia verissime & rectissime diuino iudicio prædestinati *dicuntur, non ad culpam vtique, sed ad pœnam, nec ad malum opus, quod ipsi volentes agunt, sed ad malum; quod in æternus supplicijs inuiti patientur*, nec ipse in suis dictis reprehenderit, nec ab vllis Catholice & sane sentientibus reprehensum sit. Et ideo etiam *moderno tempore*, à nobis qui tantæ imperitiæ, & infirmitatis sumus nequaquam reprehendendum, vel reiiciendum debuit iudicari, sed potius diligenti, & humili pietate perscrutari, & intelligi. Et si qui sunt, qui ex hoc scandalizari videantur, tanquam per istud prædestinationis verbum

Nota. Ex prædestinatione nulla necessitas ad mali.

C

necessitas male agendi cuiquam imposita esse significetur, instruendi potius fuerunt & breuiter ac lucide docendi, quod Deus neminem prædestinauerit ad peccatum, sed ad luendum supplicium pro peccato. Nec ista prædestinatione aliquem cogat ad male agendum, sed potius declaret iudicem iustum, qui & peccata fieri noluit, & facta iuste se puniturum esse præsciuit, iuste se puniturum & esse prædestinauit. Hac namque prædestinatione non opus hominis malum, sed iustum hominis prædestinauit supplicium.

S.Fulg.

Hunc sensum B. August. verum, atque Catholicum quod Deum operis sui futuri, id est iusti iudicij de malis & in malis exercendi semper fuisse præscium, semper fuisse prædestinatorem iustum, fideliter commendat *B. Fulgentius* vt supra memorauimus illius temporis vicinus, & tempore VVandalicæ persecutionis apud Africá inter cæteros Christi Sacerdotes Confessores inclytus interrogatus à quodam pio, & religioso viro non spreuit, non respuit, sed potius diligenter exposuit, & confirmauit dicens: [nihil aliud accipiendum existimo in illo

D S.Fulg. ad Mon. L.1.c.5. *Prædestinati ad interitũ supplicij non delicti.*

Sancti Augustini sermone, quo ad interitum quosdam prædestinatos affirmat, *Nisi ad interitum supplicij non delicti, neque ad malum quod iniuste admittunt, sed ad cruciatum quod iustissime patiuntur: nec ad peccatum, sed ad tormentum, quod illis propria iniquitas male parit, & æquitas diuina bene retribuit*: Nec ad mortem animæ primam sed ad mortem secundam: Quod enim ante gehennam mali peccando pereunt, non est diuini operis sed humani: Quod autem in gehenna perituri sunt, hoc facit Dei æquitas, cui nulla placet peccantis iniquitas. Hoc itaque prædestinauit Deus, quod erat ipse facturus; illud verò nullatenus prædestinauit, quod facturus ipse nũ fuit; mala quippe voluntas non pertinet ad optimum creatorem: iusta vero iniustorum damnatio pertinet ad æquissimum cognitorem; prædestinauit itaque Deus iniquos & impios ad supplicium iustum, non ad aliquod opus iniustum: Ad pœnam, non ad culpam: Ad punitionem non ad transgressionem; ad interitum, quem ira iusti iudicis peccantibus reddidit, non ad interitum, quo in se iram Dei peccantium iniquitas prouocauit. Huc vsque Beatus Fulgentius. E

CAP. IX.

Cap 9.

S Leo.

BEatus etiam Leo de huius diuinæ præscientiæ, & prædestinationis veritate, id est sempiternarũ dispositionum Dei incommutabili ordine, sic docet: [Cum omnia, quæ in Domino maiestatis Iudaica admisit impietas, tanto ante prædicta sint, vt non tam de futuris, quam de præteritis Propheticus sit sermo contextus, quid aliud nobis, quam sempiternarum dispositionum Dei incommutabilis ordo referatur? Apud quem discernenda iam diiudicata, & futura iam facta sunt. Cùm enim & qualitates actionum nostrarum, & effectus omnium voluntatum scientia diuina præueniat; quanto magis nota sunt Deo opera sua? Et recte placuit quasi facta reculi, quæ non poterant omnino non fieri.] F

S.Greg. Eph.3. 18.

Beatus quoque Gregorius exponens illa verba Apostoli, id est, *Quæ sit longitudo, & latitudo, & sublimitas, & profundum*, Ita de prædestinatione reproborum ad interitum breuiter & aperte dicit: [Iuest Deo etiam profundum, quo damnandos inferius iusta æquitate disponens præordinat.] Item de eadem re alio loco sic dicit: [Ad læuam quoque dilatatur Ecclesia, dum ad se quosdam in iniquitate permansutos admittit. Propter hãc multitudinem, quæ extra electorum numerum iacet, in Euangelio Dominus dicit: *Multi vocati, pauci autem electi.*] Alio quoque loco vim supernæ dispositionis incommutabilem esse demonstrans ita ait: Vitari enim vis superni consilij nequaquam potest, sed magna sibi virtute hanc temperat, qui se sub eius nutibus refrenat: Eiusque sibi pondera leuigat, qui hanc subiecto cordis humero volens portat.] Item alibi de eadem re; Sicut nemo obsistit largitati Dei vocantis, ita nullus obuiat iustitiæ relinquentis:] Et iterum de impiis iam præiudicatis: Qui vero nec fidei sacramenta tenuerunt, increpationem iudicis in extrema examinatione non audiunt: quia præiudicati infidelitatis suæ tenebris, eius quem despexerunt inuectione redargui non merentur.] Item de prædestinatione perditionis reproborum: omnipotens (inquit) Dei iustitia, futurorum præscia ab ipsa mundi origine gehennæ ignem creauit, qui in pœnam reproborum esse semel inciperet, sed ardorem suum etiam sine lignis nunquam finiret.] Alibi quoque de ipso impiorum & reproborum atque æterno interitu damnatorum capite id est Antichristo iam eum damnatum esse contestans, ita dicit: [Ille damnatus homo, quem in fine mundi Apostata Angelus assumit ad prædicandum falsitatem suam, astutos, ac duplices, atque huiusmodi scientiam habentes selecturus est.] Et alio loco: terra cui væ dicitur ille principaliter damnatus homo est qui alarum cymbalum vocatur: Quia qui per superbiam multitudinem cogitationis euolant, eundem peruersum hominem prædicando sonant.] Et paulo post: Terra, inquit, cui væ dicitur, trans flumina Æthiopiæ esse perhibetur: Quia damnatus ille homo tanta immensitate iniquus est, vt omnium peccantium peccata transcendat.] H

Math. 20.16.

G

CAP. X.

ECce Beatissimi Patres Ecclesiæ vno sensu, vno ore; quia & vno spiritu diuinæ præscientiæ, & prædestinationis immobilem veritatem in vtraque parte electorum scilicet, & reproborum prædicant, & commendant. Electorum vtique ad gloriam, reproborum vero non ad culpam, sed ad pœnam: Et in his non temporalium, neque ex aliquo tempore inchoantium, sed sempiternarum dispositionum Dei immutabilem ordinem nobis demonstrati confirmant, nec aliquem electorum posse perire, nec vllum reproborum propter duritiam, & impœnitentiam cordis sui posse saluari. Hoc & diuinarum scripturarum

Veritas

A

Concl. 1.& 2. Quæst. *De gemina prædestinatione.*

veritas,& Sanctorum,atque orthodoxorum Patrum auctoritas consonanter annunciant, indubitanter nobis credendum,tenendum inculcant. Quapropter & si *illius miserabilis Monachi* improbatur leuitas, improbatur temeritas, culpatur importuna loquacitas, non ideo diuina neganda est veritas: Quia iuxta præmissam Catholicæ fidei rationem omnipotens Deus ante constitutionem mundi, antequam quicquam faceret, à principio certis, & iustis atque immutabilibus causis æterni consilij sui quosdam prædestinauerit ad regnum gratuita bonitate sua, ex quibus nemo sit periturus protegente misericordia sua, & quosdam prædestinauerit ad interitum iusto iudicio suo propter *meritum, quod præsciuit impietatis eorum:* Ex quibus nemo possit saluari, non propter violentiam aliquam diuinæ potestatis: sed propter indomabilem, & perseuerantem nequitiam propriæ iniquitatis. Quid ergo restat, nisi vt si quid aliter sapimus, hoc nobis Deo reuelante humiliter abnuamus, & clarescentem veritatem fideliter amplectamur: quia, vt Apostolus docet *non debemus posse aliquid aduersus veritatem sed pro veritate.*

B

2.Cor. 13.8.

Cap.11.

Quæst.3. *De voluntate Dei.* 1.Tim. 2.4.

CAP. XI.

SEquitur in iam dicta Epistola Præfatū monachum dixisse atque docuisse, *Quod Deus non vult omnes homines saluos fieri sed eos tantum qui saluantur: Et quod dicit Apostolus*, qui vult omnes homines saluos fieri, *illos dici omnes, qui tantum saluantur.*

Hæc autem quæstio valdè perplexa, & in Sanctorum Patrū scriptis multum versata,& multipliciter exposita, non nobis videtur præcipitanter definienda, sed cautissime, & fidelissimè perscrutanda, atque pertractanda, & ex aliis videlicet Scripturæ sanctæ manifestioribus locis quibus eius obscuritas illustretur, & ex Paternæ, vt dictum est, auctoritatis expositionibus, & ex ipsa fidei ratione.

C

1.Tim. 2.4. Marc. 16.16. Ioan.17. 3. 1.Tim. 2.4. Psal.113.3.

Primo itaque hoc dicendum quod firmissimè sit credendum, & nullatenus dubitandum, quod Apostolus Christo in se loquente testatur & prædicat dicens de Deo: *Qui vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire:* Et tamen manifestum est non omnes saluari, cum ipsa veritas dicat discernens inter eos qui saluantur, & qui condemnantur: *Qui crediderit & baptizatus erit, saluus erit: Qui vero non crediderit, condemnabitur.* Neque *omnes ad agnitionem veritatis venire*, nisi eos solos, qui mysterium Dei Patris, & vnigeniti filij eius,& hic agnouerint per fidem,& in futuro videre meruerint per speciem: sicut eadem veritas ad patrem dicit: *Vt omne quod dedisti ei, det eis vitam æternam: Hac est autem vita æterna, vt cognoscant te solum verum Deum & quem misisti* IESVM CHRISTVM. Quomodo ergo omnipotens Deus, *& omnes homines saluos fieri vult, atque ad agnitionem veritatis venire*, & tamen non omnes saluantur,nec veniunt ad hanc agnitionem, cum alibi Scriptura dicat, *Omnia quæcumque voluit, Dominus fecit:* Cur itaque hoc voluit & non fecit, qui omnia quæcumque voluit fecit.

D

Locus difficillimus quatuor modis à Patribus explicatur. 1. modus *Omnes. Omnia hominū genera.* Matth. 13.47. Ioan.12. 32. Ioan.6. 44.

Hunc obscurissimum & difficillimum locum,in quantum nostræ pusillitatis memoriæ occurrit, *quatuor modis* in scriptis Catholicorum Patrum inuenimus explanatum videlicet vt vel ita intelligamus dictum: *Qui vult omnes homines saluos fieri, vt omnes homines, omnia hominum genera* accipiamus,id est Iudæorum,& Gentium: liberorum & seruorum: virorum & mulierum: Diuitum,& pauperum: nobilium, & ignobilium: & quæcumque huiusmodi: ex omni genere hominum saluat, & ad agnitionem veritatis perducit per Dominum IESVM CHRISTVM qui in Euangelio dicit: *Simile est regnum cœlorum sagenæ missa in mare, & ex omni genere piscium congreganti.* Isto namque locutionis modo ipse Dominus in Euangelio dicit: *Et ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me:* Quomodo enim per passionem crucis, in qua exaltatus est, omnia traxit ad se, qui alibi dicit. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me traxerit eum.* Quod vtique de solis fidelibus intelligendum est: sed omnia ad se trahit qui ex omni vt dictum est genere hominum Ecclesiam suam colligit, & perficit: sicut etiam illud ab Apostolo dictum est: *Conclusit enim Deus omnia in incredulitate, vt omnium misereatur*, quomodo enim omnium miseretur æterna illa miseratione, qua electos suos, *Coronat misericordia, & miserationibus*, qui occulta dispositione iudicij sui, *Cuius vult miseretur, & quem vult indurat*, nisi quia (vt dictum est) omni hominum generi miseretur: Quod in duobus populis Iudæorum scilicet, & Gentium continetur. De quibus, vt hoc diceret, supra loquebatur Apostolus.

E

Rom.11. 32. Psal.102. 4. Rom.9. 18.

2. modus 1.Tim. 2.4. *Quos saluare voluit seu nullus nisi per eū.*

Aut ita accipiamus dictum, *Qui vult omnes homines saluos fieri*, vt illos solos saluari intelligamus, *Quos ipse saluare voluerit*, id est, non quod omnes saluentur, sed quod nemo, nisi miserationis eius voluntate saluetur, de quo Psalmista dicit: *Saluum me fecit, quoniam voluit me:* Et iterum, *Et vita in voluntate eius.* Iste enim loquutionis modus in verbis Apostoli etiam aliis locis inuenitur, sicut est illud: *Sicut per vnius hominis delictum in omnes homines in condemnationem: ita & per vnius hominis iustitiam in omnes homines in iustificationem vitæ:* Quomodo enim per vnius hominis iustitiam,id est Christi,in omnes homines in iustificationem vitæ? cum manifestissimè non omnes homines per iustitiam Christi iustificentur, & viuificentur in Christo: Et tamen verissimè dixit Apostolus, *Per vnius hominis iustitiam in omnes homines in iustificationem vitæ:* Non quia nullus hominum est, qui per illius iustitiam non iustificetur: sed quia, præter eius iustitiā, nemo iustificatur. *Omnes* ergo per primū Adam in condemnationem, & *omnes* per nouissimum Adam in iustificationem: Quia nemo in condemnatione nisi per illum: Nemo in iustificatione nisi per istum. Tali sensu & illud accipiendum est: *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur.* Quod vtique de futura resurrectione dixit Apostolus. Nunquid enim tunc viuificabuntur in Christo, qui nunquam crediderunt in Christum: qui nunquam fuerunt in Christo qui nunquam vixerunt, nec mortui sunt in Christo? Et ideò nullatenus pertinent, vt in illo accipiant resurrectionem vitæ, quam Dominus fidelibus promittit dicens: *Qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ*, & ideo ad eorum pertinent sortem, de quibus statim subiungit: *Qui vero mala egerunt, in resurrectionem iudicij:* Et tamen verè in Adam *omnes* moriuntur: quia nemo in mortem nisi per illum. Et verè in Christo *omnes* viuificabuntur: quia nemo in illa resurrectione vitæ nisi per ipsum. Quo etiam sensu manifestissimè illud in Psalmo dictum est. *Alleuat Dominus omnes, qui corruunt, & erigit omnes elisos.* Neque enim *omnes* omnino, qui in diuersis criminibus, & vitiis corruunt, & eliduntur Dominus miserendo, atque indulgendo à lapsu ruinæ suæ alleuat, & erigit cum tantos in eisdem suis criminibus, & iniquitatibus perire certum sit: Et tamen verè ipse *omnes* corruentes, & *omnes* elisos alleuat, atque erigit, quia vel ex omni genere peccantium siue criminosorum, quos voluerit saluat: vel quia nisi per illum nemo prostratus erigitur; aut alleuatur, dum non suis viribus, sed Dei miseratione consurgit; sicut ergo in his Psalmi verbis de opere misericordiæ Dei: ita & in illa Apostolica sententia, quia de ipso dictum est, *Qui vult omnes homines saluos fieri*, rectissimè intelligitur de voluntate bonitatis Dei.

F

Psal.17.20. Psal.29.6. Ro.5.18.

d.v.18.

1 Cor. 15.22.

G

Ioan.15. 29.

d.v.29. Psal.144. 14.

H

1.Tim. 2.4.

3. modus *Suos facit velle vt omnes saluetur.* Rom.8. 26.27.

B.Greg.

Vel certè ita intelligatur, *Qui vult omnes homines saluos fieri*, quia hoc Sanctos suos per Spiritum suum velle facit, id est, velle eis inspirat, vt omnes homines sicut seipsos saluos fieri optent: sicut & de Spiritu sancto intelligendum est quod idem dicit Apostolus: *Sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Qui autem scrutatur corda, scit quid desideret spiritus, quia secundum Deum postulat pro sanctis.* Postulat namque spiritus, quia vt *Beatus Gregorius* exponit ad postulandum eos quos repleuerit inflammat. Et gemit atque desiderat spiritus, quia sanctos in orationibus gementes & desi-

derantes

A 1. Tim. 2. 4. derantes facit, iuxta hunc itaque sensum *Deus vult omnes homines saluos fieri*, quia vt dictum est, ipse sanctis suis inspirat vt hoc velint, ipse eos ita volentes facit sicut inspirauerat Beato Apostolo qui dicebat: *Volo autem omnes homines esse sicut metipsum*. Et alibi cum coram Rege Agrippa & Principibus testimonium Christi mira libertate, & constantia prædicaret, dicente sibi eodem Act. 26. 28. 29. rege, *in modico suades, me Christianum fieri*, continuo plenus desiderio, salutis omnium respondit: *Opto apud Deum & in modico, & in magno non solum te, sed & omnes qui me audiunt hodie tales fieri: qualis ego sum exceptis vinculis istis.*

Cap. 12.

CAP. XII.

4 modus Quantū in ipso est voluntate. B Quarto autem modo ita à Sanctis Patribus intellectum inuenitur quod dictum est, *Qui vult omnes homines saluos fieri*, vt simpliciter accipiatur hoc de omnibus hominibus *Quantum in ipso est Deum velle*, eo quod omnes saluari velit *bonitate creatoris*: sed quia liberi arbitrij eos condidit, expectet, vt hoc etiam ipsi velint: & si voluerint, iustè saluentur: si noluerint iustè puniantur. Sed huic sensui imprimis illud videtur esse contrarium: *Quomodo omnipotens Deus eorum, quos vult saluos fieri expectet voluntatem*, vt & ipsi scilicet propria arbitrij libertate salui esse velint, eum velle fideliter saluum fieri sit per redemptionem Domini Iesv Christi. (Quia sicut Beatus Petrus Apostolus docet, *Non est in vllo alio salus, & non est aliud nomen sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri*) nemo omnino possit, nisi in eo Deus operetur & velle & posse: sicut Apostolus testatur dicens: *Deus est enim qui operatur in vobis & velle, & perficere pro bona voluntate*, si enim hanc voluntatem redemptionis, & salutis, quæ est in Christo nemo habet ex se ipso, Sed ab illo, *Qui operatur in eis*, quos vocat, *& velle & perficere pro bona voluntate* sicut manifestissimè Apostolicæ doctrinæ veritas docet, vt quid Deus expectat eorum quos vult saluos fieri voluntatem, vt ipsi libero arbitrio suo incipiant velle saluari, & tunc diuina bonitate saluentur, vt initium salutis eorum sit ex ipsis, perfectio autem eiusdem salutis ex Deo. Et vbi erit quod idem Apostolus dicit: *Aut quis prior dedit illi & retribuetur ei?* Aut quomodo in tali sensu *Pelagianus error* non habet victoriam, qui salutem hominis non ex Dei dono, sed ex libero ipsius hominis arbitrio esse confirmat.

1. Tim. 2. 4. Obiectio.

Act. 4. 12.

Phil. 2. 13.

C

Rom. 11. 35.

1 Tim. 2. 4. Quod si falsum est, sicut omnino falsum esse conuincitur, quid causæ est, vt Deus, *Qui omnes homines vult saluos fieri*, Non omnes homines saluet? Voluntatem eorum non expectat, quia voluntatem veræ salutis suæ nemo habere potest, nisi per illum. An quod vult, non potest omnipotens? vt (quod absit) velit saluare omnes homines, nec possit. Quid ergo restat, nisi vt ille, *Qui omnia quæcunque voluit fecit*, ideo hoc non faciat, quia nolit, non quia non possit: Quia sicut verè *Omnia quæ voluit fecit*, ita verè noluit, quæ non fecit. Cur ergo noluit? nisi quia in hac re, sicut iustum, ita & occultum est iudicium eius, cui Psalmista dicit, *Iudicia tua abyssus multa*. Et de quo Apostolus dicit: *Quis enim cognouit sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuit?* Et iterum: *Nunquid iniquitas apud Deum? Absit.* Quos ergo voluit saluare, saluauit, quia *omnia quæcunque voluit fecit*; Quos autem saluare noluit, vbi nisi in illa ex Adam veniente massa damnationis reliquit. Ita fit etiam si secundum pium quorundam Patrum piorum sensum *Deus omnes homines vult saluos fieri bonitate creatoris*, qua creaturam suam bene a se conditam perire non vult, id ipsum iterum nolit *iudicis æquitate*, qua eandem creaturam suam vel originali, vel etiam actuali peccato nequiter inquinatam & vitiatam impunitam esse non sinit. In tantum enim *Neminem vult perire*, Nec voluntas eius alicui causa perditionis existit, vt per Prophetam etiam iuret & dicat: *Viuo ego dicit Dominus, quia nolo mortem impij, sed vt reuertatur à via sua impia,*

Ps. 113. 3.

D Ps. 35. 7. Rom. 11. 34. Rom. 9. 14. Ps. 113. 3. 1. Tim. 2. 4.

Ezech. 33. 11.

E *& viuat*. Et tamen ipse, qui non vult mortem impij perseuerantem in impietate sua impium proculdubio punit. Ita in vno atque eodem homine & bonitatem & seueritatem suam ostendens, *bonitatem*; qua non vult eum perire: *Seueritatem* qua perseuerantem in iniquitate non vult impunitum relinquere. Si ergo hoc quod de vno homine diximus, *De vniuerso genere hominum* pereuntium similiter intelligatur, potest forsitan non absurde dici, quod *Deus omnes homines velit saluos fieri bonitate creatoris*: Et tamen eos quos indignos salute iudicauerit, *Iusta iudicis seueritate non saluet*. Nam & in vno homine, vt iam dictum est, vtrumque fieri posse ostendit Apostolus, dicens: *Vide ergo bonitatem, & seueritatem Dei, in illis quidem qui ceciderunt seueritatem: In te autem bonitatem, si permanseris in bonitate, alioquin & tu excideris*: Quod est aperte seueritatem denunciare illi qui non permanserit in bonitate.

Bonitate creatoris. 1. Tim. 2. 4. Seueritate iudicis. Rom. 11. 22.

F Cap. 13. Conclusio. 1. Tim. 2. 4.

CAP. XIII.

In tribus itaque prioribus modis intelligentiæ eorum verborum, quibus de Deo dicitur, *Qui vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*, Nulla absurditas, nulla repugnantia fidei inuenitur: Quia siue *omnes* homines quos Deus vult saluos fieri *omnia genera* hominum accipiantur: siue omnes homines saluos fieri Deum velle ita intelligatur: quia *omnes qui saluantur* non nisi eius voluntate saluantur: siue eo modo dictum credatur: omnes homines Deum velle saluos fieri: quia in *sanctis suis* ipse hoc vult, qui eis talem *Voluntatem inspirat*, vt omnes homines velint saluos fieri sicut seipsos: in his (inquam) omnibus & vera omnino, & salubris intelligentia est. *In quarto autem modo* illud sine dubio cauendum, quia & *occasionem pelagianæ prauitati* præbet, quod Deum, vt saluet homines, humanas expectare asserit voluntates. Contra quem errorem ita in antiquis Patrum conciliis legitur definitum: [*Si quis vt à peccato purgemur voluntatem nostram Deum expectare contendit: Non autem, vt etiam purgari velimus, per sancti Spiritus infusionem, & operationem in nobis fieri confitetur, resistit ipsi Spiritui sancto per Salomonem dicenti*: Præparatur voluntas à Domino: *Et Apostolo salubriter prædicanti* Deus est qui operatur in nobis, & velle & perficere pro bona voluntate:] Quod autem ibi simpliciter intelligitur Deum *omnes homines velle saluos fieri* bonitate scilicet creatoris (ita vt putamus) fideliter potest recipi, si hanc voluntatem bonitatis suæ erga salutem hominum non credatur humana obsistente voluntate implere non posse, sed *obsistente humana iniquitate* implere nolle. Quæ omnia cum tam obscura sint, & *tam profunda atque perplexa*, nollemus inter fratres & carissimos nostros aliquid de his contentiose ventilari vel temere definiri, sed potius quod in eis certum est sine dubitatione defendi. Quod autem etiam inter magnos *diuerso modo, sed non diuersa pietate* sentientes ambiguum atque incertum remansit, etiam apud nos & reuerenter honorari, quia neutrum eorum videmus esse falsum, vel fidei contrarium: Et magis in talibus inquietos & contentiosos ad tranquillitatis & sobrietatis modestiam prouocari, quam pro insolitatis & minus elucentibus rebus aliquem immoderata austeritate ac seueritate damnari.

Caueda occasio Pelagianæ prauitatis.

G Conc. Arausic. cap. 4.

LXX Prou. 8. 35. Philip. 2. 13.

Porro vero.

H

CAP. XIV.

Cap. 14.

Quæstio 4. de morte Christi.

Adiungitur post hæc in præfata Epistola quod prædicauerit ille miserabilis monachus, quia *Christus non venit, vt omnes saluaret, nec passus est pro omnibus, nisi solummodo pro his, qui passionis eius saluantur mysterio.*] Sed & de hac quæstione nihil confuse, & inconsiderate dici, vel definiri vellemus; habet enim & ipsa profunditatem, & difficultatem suam, non nostra præsumptione, sed Scripturarum sanctarum veritate, & Orthodoxorū Patrum authoritate diligentius perscrutandā, & in quantum Dominus aperire dignatur, fideliter intel-

ligendam. Nos enim firmissime tenemos, nec vllatenus dubitamus, iuxta Euangelicam & Apostolicam fidem, Dominum oostrom IESVM CHRISTVM pastorem bonum *animam suam posuisse pro ouibus suis*; sicut ipse dicit *Ego sum pastor bonus, bonus pastor animam suam dat pro ouibus*. Et iterum: *Sicut nouit me pater, & ego agnosco patrem. Et animam meam pono pro ouibus meis.* De quibus ouibus alibi dicitur: *Sicut filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, & dare animam suam in redemptionem pro multis*: Et *hic est calix sanguinis mei noui testamenti, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum*: Vnde & Apostolus dicit: *Sic & Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata.* Et qui isti sunt diligentissime commendauit dicens: *Et ambulate in dilectione, sicut & Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo in odore suauitatis.* Et alibi: *Quanto magis inquit sanguis Christi: qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo emundauit conscientiam vestram ab operibus mortuis, ad seruiendum Deo viuenti.* Et iterum: *Qui dedit semetipsum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum.* Et alio loco: *Qui factus est in nobis*, inquit, *sapientia à Deo, & iustitia & sanctificatio & redemptio.* Hoc & in Psalmis similiter est prænunciatum, vbi canitur: *Redemptionem misit Dominus populo suo*: Et *redemisti in brachio tuo populum tuum.* Et iterum: *Quia apud Dominum misericordia, & copiosa apud eum redemptio: Et ipse redimet Israel ex omnibus iniquitatibus eius.*

Hoc nobis & sacratissimum nomen eius commendar, & Angelus docet dicens: *Et vocabis nomen eius Iesum, ipse enim saluum faciet populum suum a peccatis eorum.* Pro his namque & ipse Dominus se in patibulo crucis exaltatum testatur, dicens: *Et sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis; vt omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam aeternam*: Vbi & statim subiunxit, *Sic enim & Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret.* Et quis iste sit mundus, quem Deus dilexit, & pro quo vnigenitum suum dedit, continuo exponens adiunxit; *Vt omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam aeternam*; Sic enim & ibi intelligendus est mundus Deo dilectus, & per vnigenitum eius redemptus, vbi beatos Ioannes Apostolus dicit: *Et ipse est propitiatio pro peccatis nostris; non pro nostris autem tantum, sed & pro totius mundi*, Et vbi B. Paulus Apost. dicit: *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, non reputans illis delicta ipsorum.* Est namque mundus in infidelibus inimicus Deo, nec reconciliatus Deo. De quo scriptum est: *Et mundus eum non cognouit.* Et iterum: *Et mundus totus in maligno positus est.* Totus ergo mundus in salute, & totus in incredulitate Totus in reconciliatione, & totus in inimicitiis; quia & ille in suo genere totus, & iste in suo genere totus intelligendus est.

CAP. XV.

IN hac redemptionis, & reconciliationis gratia primus ordo est electorum, & prædestinatorum ad vitam æternam: de quibus perire nullus potest, & qui omnino omnes saluantur & ad quos pertinet, quod Domious dicit; *Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit.* Secondus ordo est eorum fidelium, qui recta fide & pietate accedunt ad gratiam baptismi, & per eam accipiunt indolgentiam peccatorum, baptizati in morte Christi, & abluti à peccatis suis in sanguine eius: Ac per hoc participes redemptionis ipsius effecti: sed postea diuersis tentationibus & iniquitatibus gratiam ipsius fidei, & redemptionis amittunt perseuerantes in malis suis; Et sic de sæculo exeuntes. De qualibus dicit Apostolus quod *regnum Dei non consequentur*: Et *quia non habent hæreditatem in regno Christi & Dei*: Quibus etiam Dominus se dicturum comminatur, dicens: *Amen dico vobis nescio vos*: Vnde & idem Apostolus de eisdem gratiam Christi in Ecclesia consecutis, sed eam minimè seruantibus terribiliter denuntiat, dicens: *Quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui filium Dei conculcauerit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, & spiritui gratia contumeliam fecerit.* Et iterom: *Impossibile est enim eos, qui semel sunt illuminati, gustauerunt etiam donum cœleste, & participes sunt facti spiritus sancti; gustauerunt nihilominus bonum Dei verbum, virtutesque sæculi venturi, & prolapsi sunt, renouari rursus ad pœnitentiam, rursum crucifigentes sibimetipsis filium Dei, & ostentui habentes.* Propter hoc horrendum malom transgressioois, & amissionis gratiæ Dei, omni intentione cauendum atque fugiendum, omni fideli Dominus in Apocalypsi dicit: *Tene quod habes, vt nemo accipiat coronam tuam.* Et iterum: *Esto fidelis vsque ad mortem: & dabo tibi coronam vitæ.* Et Apostolus admonet atque hortatur dicens. *Participes enim Christi effecti sumus, si tamen initium substantiæ vsque ad finem firmum teneamus*: Et iterom: *Christus verò tanquam filius in domo sua, quæ domus sumus nos, si fiduciam & gloriam spei vsque ad finem firmam retineamus.* Tertius autem ordo eorum qui ad hanc gratiam accedunt, in illis accipiendus est, qoi adhuc in infidelitate positi, vocandi tamen sunt per misericordiam Dei, & hoc sine dubio in Ecclesia consecutori, quod consecuti sunt & illi duo ordines siue perseuerantium, siue non perseuerantium in gratia Christi, de quibus iam diximos. De his namque Domini voce promittitur: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit saluus erit.* Quartus verò ordo de quo statim subiungitur: *Qui autem non crediderit condemnabitur*, Manifestè extra numerum fidelium iacet, & æternæ condemnationi est destinatus; qualibus dictum est; *Sed vos non creditis, quia non estis ex ouibus meis: Et propterea vos non auditis, qui ex Deo non estis. Et qui non credit iam iudicatus est quia non credidit in nomine vnigeniti filij Dei.*

E
Heb. 10. 29.
Heb. 6. 4. 5. 6.
Apoc. 3. 11.
Apoc. 2. 10.
Heb. 3.
F
14.
Heb 3. 6.
3 vocandorum.
Marc. 16. 16.
d v. 16.
4. Infidelium.
Ioan. 10. 16.
Ioan. 8. 47.
Ioan. 3. 18.
G
Cap. 16.

CAP. XVI.

PRo illis itaque tribus ordinibus ad Christi gratiam & societatem fidelium pertinentibus Dominum IESVM CHRISTVM & venisse vt eos saluaret, & crucifixum esse vt eos redimeret, eosque in sua morte baptizaret, & in suo sanguine à peccatis ablueret, & fideliter credendum tenemus: Et hoc non solum ex diuinis Scripturis, sed etiam ex sanctorum Patrum fide, & doctrina euidenter agnoscimus: Beatus namque *Hieronymus* exponens illum locum Euangelij vbi Dominos de se ait, *Et dare animam suam in redemptionem pro multis*, De hac re ita docet: Quando formam serui accepit, vt pro mundo sangoinem funderet: Et non dixit: *Dare animam suam redemptionem* pro omnibos, sed pro multis, id est, pro his qoi credere voluerint:] In quibus verbis miro, & Apostolico modo Dominum nostrum, & pro mundo sanguinem fudisse, & tamen ipsum mundum, pro quo pretiosus ille sangois effusus est, non alios nisi fideles monstraoit. *Beatus Augustinus* in tractationibus Euangelij secundum Ioannem, non solum pro infidelibus, sed etiam pro his qui ex parte credunt, Christum, & ex parte non credunt, docet non esse mortuum Christum, ita dicens: [Qui ita confitetur Christum Deum vt hominem neget, non pro illo mortuus est Christus: quia secundum hominem mortuus est Christus:] Et alio loco de infidelibus: Quomodo, inquit, istis dixit, non estis ex ouibus meis: Quia videbat eos ad sempiternum interitum prædestinatos, non ad vitam æternam sui sanguinis pretio comparatos.] Et alibi distinguens inter Apostolos, & Iudam proditorem, qood pro illis Domious moriturus esset, pro illo non esset: [Tota, inquit, eius passio nostra porgatio est: passurus exitia, promisit obsequia, non solum illis, pro quibus erat subiturus mortem, sed etiam illi qui fuerat eum traditurus ad mortem:] Item docens pro illis

Mortuus Christus pro omnibus credentibus & credituris.
Hier. in Matth. 18. v. 28.
Matth. 20. 28.
H
August. tr. 66. in Ioann.
Ibid. tr. 49.
Ib tr. 55. De Iuda

A tantum Dominum passum, quos ipsa passione redimendo, oues suas fecit: [Omnes, inquit, fecit suas oues, pro quibus est omnibus passus; Quia & ipse vt pro omnibus pateretur, ouis est factus.] Item cùm exponeret mysterium illius vituli saginati, quem pater redeunti filio iussit occidi, tunc eum pro vnoquoque dicit occidi, cùm credit in occisum; [Nam vt etiam occidant, inquit, eum iubet, hoc est, vt mortem eius insinuent: Tunc enim cuique occiditur cùm credit in occisum.

S. Leo. *Beatus Leo*, nihil Dominum nostrum inaniter egisse aut pertulisse, sed totum ad salutem fidelium ita docet: [Nihil enim Redemptor noster non ad nostram salutem, aut egit, aut pertulit, vt virtus, quæ inerat capiti inesset & corpori. Nam primum ipsa illa substantiæ nostræ in deitate susceptio, qua *Verbum caro factum est, & habitauit in nobis*: (Ioan. 1. 4.) quem hominum misericordiæ suæ, nisi infidelem, reliquit exortem? Et cui B non communis natura cum Christo est? si assumentem recipit, & eo spiritu est regeneratus, quo est ille progenitus.] Beatus quoque *Gregorius*: (S. Greg.) quòd ad eos tantum Dominus noster saluandos venerit, quos in se suscipiendo liberauit: ita docet: Interpellat autem pro nobis Dominus, non voce sed miseratione: Quia quod in æternum damnari noluit, suscipiendo liberauit.

Hæc ex Sanctorum Patrum verbis breuiter adnotauimus, vt quàm verè eorum veneranda doctrina etiam in hac re, de qua quæritur, Euangelicæ, & Apostolicæ auctoritati consonet, & concordet, euidentissimè agnoscatur. Et licet Apostolus de eodem Domino, & redemptore nostro dicat; (1. Tim. 2. 5.) *Vnus enim Deus, vnus est mediator Dei & hominum homo* CHRISTVS IESVS, *qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus*. (*Christus se Redemptionem obtulit pro suis fidelibus.*) Tamen iuxta superius demonstratam fidei regulam rectè intelligitur pro illis omnibus se *redemptionem*, dedisse pro quibus etiam dignatus est *Mediator* Dei & hominum esse, neque enim infidelium C mediator est, sicut nec *Aduocatus*, vel reconciliator, sed fidelium tantùm: De quibus Beatus Ioannes Apostolus (1. Ioan. 2. 1.) dicit: *Aduocatum habemus apud Patrem* IESVM CHRISTVM *iustum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris*: Vt videlicet ita accipiatur quod dictum est, (1. Tim. 2. 6.) *qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus*; non quòd omnes sua passione redemerit, sicut vtique manifestum est, sed quòd nemo accipiat redemptionem nisi in illo & per illum. Dicit etiam alibi idem Apostolus de Domino; (Heb. 2. 9. 10.) *Vt gratia Dei pro omnibus gustaret mortem*, & pro quibus omnibus mortem gustasse intelligendus sit, videtur continuo demonstrasse cùm subiungit: *Decebat enim eum propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem salutis eorum per passiones consummari.* Similiter & alio loco vbi de eodem Domino nostro dicit: (*Pro quibus omnibus mortuus Christus.* 2. Cor. 5. 14. 15.) *Quia vnus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt, & pro omnibus mortuus est*; Statim pro quibus omnibus mortuus esse intelligendus sit subiungit dicens: *Vt & qui viuunt iam non sibi viuant, sed ei qui pro ipsis mortuus est, & resurrexit.* Isti namque sunt omnes: D De quibus alibi idem Apostolus in gloriam & laudem Dei (Rom. 8. 32.) Patris dicit: *Qui etiam proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum*: Quibus & alibi dicit: (1. Cor. 6. 20.) *Et non estis vestri: Empti enim estis pretio magno.* Vnde penset vnusquisque fidelis, cùm sanguis ille tanquam agni incontaminati, & immaculati Christi ab Apostolo pretium magnum dicatur esse, vtrum possit tale pretium in aliqua parte esse inane, & vacuum: an potius illarum mercium, pro quibus datum est lucro & cumulo refertum.

Cap. 17.

CAP. XVII.

Quomodo in vacuum laborasse dicitur Christus.

DIcit quidem ipse Dominus apud Esaiam Prophetam loquens de mysterio passionis suæ; *Et ego dixi: in vacuum laboraui sine causa, & vane fortitudinem meam consumpsi.* Sed absit, vt hoc velut anxius, & ignarus loqui credatur, qui sine dubio nunquam ignorata potuit exitum, & effectum passionis suæ, quam pro vtriusque populi redemptione & salute certo & definito consilio suscepit: E (Esa. 49. 4.) Dicente Euangelista: (Ioan. 11. 51.) *Quia Iesus moriturus erat pro gente: Et non tantum pro gente, sed vt filios Dei qui erant dispersi congregaret in vnum*: Et ipso Domino de humilitate, & copioso fructu eiusdem mortis suæ manifeste prænunciante, cum ait: (Ioan. 12. 24. 25.) *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet: sin autem mortuum fuerit, multum fructum affert.* Cum ergo hæc tanta certitudine præscierit, tanta veritate, & firmitate prædixerit, quid est quod dicit: (Isa. 49.) *Et ego dixi: in vacuum laboraui sine causa, & vane fortitudinem meam consumpsi?* Vt scilicet quia se doleat, & conqueratur tanta humilitate, & abiectione passionis se in vacuum laborasse, ac sine causa, & vanè tantam tolerantiæ, & patientiæ fortitudinem consumpsisse; dum velut infructuosa, & vacua videretur tanti adnisu, & conatu esse consumpta; sed hoc nimirum benè intelligitur dicere ex persona membrorum suorum sub illa passionis, & mortis (*Ex persona membrorum.*) F ignominia infirmantium, ac pene desperantium: Dom & persecutorum sæuitia velut victus & extinctus putabatur, & resurrecturus, atque humani generis redemptor minimè credebatur. Ita namque de illo desperare cœperunt qui dicebant: (Luc. 24. 20. 21.) *Et quomodo tradiderunt eum summi Sacerdotes, & Principes nostri in damnationem mortis, & crucifixerunt eum: Nos autem sperabamus quia ipse esset redempturus Israel*: Et ideo vacuus eis videri poterat & labor passionis, & fortitudo tantæ tolerantiæ: Cuius nullus fructus videbatur, nulla redemptionis vtilitas credebatur: sic enim & in Psalmo, vtique non ex sua, qui peccatum non fecit, sed ex persona membrorum suorum dicit: (Ps. 21.) *Longè à salute mea verba delictorum meorum.* Et alio loco: (Ps. 68.) *Deus tu scis insipientiam meam, & delicta mea à te non sunt abscondita.* Ita ergo & in his Propheticis verbis ex persona (vt dictum est) infirmantium, & pœnè desperantium membrorum suorum, & in vanum se illa passione laborasse, & sine causa & vane fortitudinem suam consumpsisse conquestus est. G Ipse autem ex persona sua omnino certus & fidens, licèt & à persecutoribus videretur victus, & ab infirmitantibus discipulis putaretur frustra, atque in vacuum passus, continuo per illa verba, velut querimoniæ, & anxietatis subiungit: (Esa. 49. 4.) *Ergo iudicium meum cum Domino, & opus meum in Deo meo.* Id est, *iudicium meum*, quod apud homines in illa humilitate sublatum est, apud Dominum saluum & inuiolatum est. Et *opus meum*, quod sub tanta ignominia & contempto passionis frustra videtur effusum, atque consumptum, apud Deum plenum est fructu, & in nullo sui effectus lucro fraudatum. Denique vt statim fructuosissimum ipsius sui operis effectum in vtriusque populi redemptione, atque inluminatione euidentissimè declararet, præmissis verbis protinus adiunxit: (v. 5. 6.) *Et glorificatus sum in oculis Domini, & Deus meus factus est fortitudo mea: Et dixit: Parum est, vt sis mihi seruus ad suscitandas tribus Iacob, & feces Israël conuertendas: Posui te in lucem gentibus, vt sis salus mea vsque ad extremum terræ.* Non ergo aliquis ex illis verbis velut rationem se inuenisse existimet, quia Dominum nostrum aliquid H inaniter, & vane in passione sua, & pretiosi sanguinis effusione egisse contendat: Cùm tota huius Propheticæ lectionis serie ordinatissimo rerum effectu, & ex persona (vt dictum est) infirmantium membrorum euidens hæsitatio, & desperatio, & ex persona ipsius capitis iusti iudicij, & efficacissimi operis præsumptio, & ex persona patrum plenissima declaretur tantæ humilitatis, & tanti operis in vtriusque populi adquisitione compensatio: in illis videlicet, qui per eum à morte animæ suscitantur, qui ad fidem conuertuntur, quibus in lucem ponitur, atque in salutem datur.

CAP. XVIII.

QVamuis igitur idem Dominus noster, & ad omnes saluãdos & omnes redimẽdos, etiã quos nec saluauit nec redemit, id est infideles, & impios in sua infidelitate &

npietate perditos, & peteuntes siue perituros, venisse
ontendatut: Vnum tamen est, quod nos & fidelissimè
redimus, & vetissimè nouimus, quia po omni illa in-
umerabili, & infinita multitudine impiorum, qui ab
xordio mundi vsque ad passionem Domini per quatuor
ermè annorum millia in sua impietate sune mortui, &
pud inferos æterua perditione damnati, nunquam Do-
ninus passus, nunquam mortuus est, nec ad eos sal-
andos vllatenus venit, nec pro eis pretiosum sangui-
em fudit: Quoniam solos illos ex bis, qui ab exordio
nundi vsque ad passionem eius extiterunt, eadem pas-
one sua redemisse, & saluasse, atque *ab inferni claustris
duxisse credendus est*, qui & fideliter eum sperauerunt
enturum, & fideliter per eum redemptionem, & libera-
onem ad salutem se accepturos esse crediderunt: san-
tos videlicer Patriarchas, & Prophetas, & cæteros iustos
uibus etiam per Oseæ Prophetam ante promiserat di-
ens: *De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos,
ro mors tua ô mors: Ero morsus tuus inferne.* Et ideo
unquam aliquis Catholicorum doctorum ita sensisse,
ut docuisse credendus est: quasi Dominus & saluator
oster etiam ad illam impiorum multitudinem, quæ an-
e passionem eius periit, saluandam atque redimendam,
assionem & mortem susceperit. Cùm ergo pro illa
næstimabiliter maiore humani generis parte, quæ per
or millia annorum præcesserat, nullatenus credendus
it passus, nec pro eius salute crucifixus. Quid de ista
tique minori parte infidelium, & impiorum creden-
um est, qui post passionem eius vsque ad mundi ter-
ninum aut extiterunt, aut existunt, aut futuri sunt? In
uibus vtique & homo ille nondum natus *Antichristus*
rit. Nam si ad istos tales Dominus saluandos venit, id
st impios, & in sua impietate perituros, ergo præstitit
llis, quod illis antiquis impiis non præstitit: quia vide-
icet pro istis est crucifixus & mortuus, quod pro illis
nullatenus credendus est passus. Si autem nec pro istis
st crucifixus & mortuus, sicut nec pro illis, ergo pares
unt impietate, pares perditione, & pariter omnino ex-
ranei à Christi redemptione: quia & si pro istis passus
sse dicatur, quid eis profecit eius passio impiis, & in sua
mpietate perituris? Nisi, vt qui non fiunt participes re-
demptionis, maiorem & grauiorem incurrant cumulum
damnationis.

CAP. XIX.

POnit quædam verba B. Leo in quibusdam sermoni-
bus ad populum, ex quibus nonnulli, vel minus at-
endentes, vel minus intelligentes, fortassis eum doce-
e, & sentire existimant, quod Dominus noster etiam
pro impiis, in sua impietate durantibus passus sit, &
eorum possit dici redemptor: sicut illud est, quod quo-
dam loco ait: [Respice tandem Iudæe, Respice, & ad
redemptorem etiam tuum deposita infidelitate conuer-
tere. Noli sceleris tui immanitate terreri, non iustos
Christus, sed peccatores vocat: nec impietatem tuam re-
pellit, qui pro te, cum crucifixus esset, orauit.] Sed in
his verbis manifestum est bene intelligentibus, quia
vsitato more humanæ locutionis, sub vnius Iudæi per-
sona totum Iudæorum populum alloquitur, & idcirco
velut in persona omnium, ad vnum clamat & dicit: [Et
ad redemptorem etiam tuum deposita infidelitate con-
uertere.] Non quia nullus sit infidelium Iudæorum, cuius
Dominus non sit redemptor, sed quia non solum alia-
rum gentium, sed etiam illius Iudaici populi, cuius scele-
re, & impietate crucifixus est, si ad eum conuertatur, re-
demptor esse dignatur. Et ideo ait; [qui pro te cum cruci-
fixus esset orauit:] Non quod nullus infidelium Iudæo-
rum sit, pro quo non Dominus in cruce orauerit, dicens:
Pater ignosce illis, non enim sciunt quid faciunt: Cum
pertè ipse Dominus dicat: *Ego pro eis rogo, non pro mundo
rogo, sed pro his quos dedisti mihi de mundo*: Sed quia etiam
in ipso infideli populo & sunt, & fuerunt multi, pro qui-
bus vt à suo errore conuertantur, & saluentur Domini
misericorditer orauit, & quod orauit efficaciter obtinuit,
& perfecit. Et rectè B. Doctor dicit, velut sub vnius per- E
sona ad totum illum infidelem populum [qui pro te cum
crucifixus esset orauit.] Quia profectò & ex illo, & in illo
populo & fuerunt, & sunt, & erunt, pro quibus ora-
uit. Hæc verba B. Leonis ita omnino esse intelligen- S. Leo.
da, etiam ipse in aliis locis eorundem sermonum ad
populum tam clarè exponit, vt de his nemini dubitan-
dum sit. [Sicut enim quodam loco ait: Dominus noster
ita humano generi sua morte consulit, vt Sacramen-
tum salutis etiam ipsis persecutoribus non negaret:
Qui enim venerat vniuersis credentibus omnia peccata
dimittere, à generali indulgentia nec Iudaïcum voluit
crimen excludere.] Item alibi de eodem Domino nostro
loquens: Cuius (inquit) etiam circa interfectores suos tan-
ta erat pietatis affectio, vt de cruce supplicans patri non
se vindicari, sed illis postularet ignosci, dicens: *Pater di-* Luc. 23.
mitte illis, non enim sciunt quid faciunt: De cuius vtique 34.
orationis potentia fuit, vt prædicatio Apostoli Petri ex Matth.
his qui dixerunt, *sanguis eius super nos, & super filios no-* 27. 25.
stros multorum ad pœnitentiam corda conuerteret, & F
vna die baptizarentur tria ferè millia Iudæorum: fieret-
que *omnium vna anima, & cor vnum paratorum pro eo mo-* Act. 4.
ri, quem poposceeant crucifigi.] 32.

Hæc de expositione superiorum verborum, ex ipsis
Beati Leonis verbis posuimus, qui his dictis continuo
subiungit, dicens: Ad hanc indulgentiam *traditor Iudas*
peruenire non potuit: [Quoniam perditionis filius, cui De Iuda.
diabolus stabat à dextris, prius in desperationem tran-
siit, quam Sacramentum generalis redemptionis Chri-
stus impleret. Nam mortuo pro impiis omnibus Domi-
no, potuisset fortè etiam hic consequi remedium, si
non festinasset ad laqueum.] In quibus verbis potest ali-
quis minus considerans, & minus intelligens ita existi-
mare, vt quod dictum est Sacramentum generalis re-
demptionis, & mortuo pro omnibus impiis Domino,
ita accipi possit, quasi & illa generalis redemptio, &
illa mors Domini pro omnibus impiis, etiam pro non
credentibus, & in sua impietate pereuntibus facta cre- G
denda sit: sed pro quibus omnibus impiis Dominum
mortuum dicat, & quid generalem redemptionem velit
intelligi putamus quod ipse suis verbis, quæ paulo supe-
rius posuimus diligenter exponat, dicens: [Qui enim ve-
nerat vniuersis credentibus omnia peccata dimittere, à
generali indulgentia nec Iudaïcum voluit crimen exclu-
dere.] Vt verè pro illis omnibus impiis mors Domini
fuerit impensa: quibus vniuersis credentibus omnia pec-
cata dimittit. *Et generalem redemptionem, siue generalem
indulgentiam* ideo dixisse intelligatur, quia nec populum
Iudaicum, nec vllum genus hominum ab illa redemptio-
ne, & indulgentia inueniatur exclusum. Sed in illis ver-
bis, pro quibus exponendis ista replicauimus, illud eui-
denter ostenditur, quod *Proditor Iudas* nullatenus ad
Christi redemptionem pertineat: Nec potuerit conse-
qui remedium, quoniam festinauit ad laqueum, &
ideo illi passio Christi nihil profuit, quia in eorum
damnationem transiit, qui apud inferos iam puniti re-
demptionis Dominicæ participes esse non poterant. H
Et tamen, velut ad ipsum infœlicem, & perditum alio Leo.
loco ita increpando loquitur, dicens: redemptorem
etiam tuum, ne tibi parceret vendidisti.] Non quia &
ipsum redemit, quem iam superius idem Doctor ad re-
demptionem peruenire non potuisse monstrauit. Nec
quod redemptor illius intelligendus sit, qui in sua
impietate permansit, & periit: sed quia in illa generali
redemptione Passionis Christi potuisset, & ipse fortasse
consequi remedium, si non festinasset ad laqueum: Et
ideo sic ei dicit redemptorem etiam tuum vendidisti,
quia verè etiam ipsius redemptor fieret, si ab eo etiam
post tantum reatum piè, & fideliter indulgentiam posce-
ret. Nimis omnino prolixum est, & in ratione fidei
exercitatis minimè necessarium, vt de singulis huius
Beati Doctoris sententiis, vbi aliqua eiusmodi occasio
esse potest, sicut in istis paucissimis factum est, diligen-
ter omnia exponantur. Illud tantum attentius videtur
esse commendandum, quod vbi *generale Chirographum*,

vel

A

vel *generalem passionem*, siue cautionem memorat generalis damnatio totius humani generis, quæ introducta est per Adam, intelligenda sit: & vbi *generalem redemptionem*, vel *generalem indulgentiam* ponit, *propter omnium hominum*, vel omnium nationum *genus* dictum accipiendum sit: Et vbi *pro omnibus impiis* Dominum mortem suscepisse docet, pro omnibus *ex impietate conuersis*, & in eum credentibus, sicut ipsa eius verba in multis declarant, accipiendum sit.

Cap. 20.

CAP. XX.

Conclusio huius 4. quæstionis de Christi morte pro solis fidelibus.

HÆc fideliter, & omnino indubitanter tam de Scripturis sanctis, quam de Beatorum Patrum scriptis legenda, & consideranda proposuimus: in quibus euidenter idem Reuerendi Patres docent, & ex ipsius Domini, & Redemptoris nostri sermonibus probant, quod pretiosus eius *Sanguis pro multis effusus sit* in remissionem peccatorum, *& dederit ipse animam suam redemptionem pro multis*: Et non eum dixisse pro omnibus, sed *pro multis*. Ita intelligunt & exponunt quod pro his qui credere voluerint, distinctè, & designanter accipiendum sit. Et quod omnes pro quibus mortuus est, omnes suas fecit: Quod vtique impios in sua impietate pereuntes, & perituros nullatenus fecit: Quibus etiam manifestè dicit: *Sed vos non creditis quia non estis ex ouibus meis.* Et pro eis qui ita credunt Dominum nostrum verum Deum, vt negent eum pro salute nostra verum hominem factum, dicunt non esse mortuum ipsum Dominum Christum,] Quia vtique secundum hominem mortuus est Christus. Dicunt etiam quod tunc pro vno quoque Christi occisio intelligenda sit, cum credit in occisum, id est, per eius mortem sua peccata dimitti;] Et quod gratia incarnationis, & totius redemptionis eiusdem Domini IESV CHRISTI, ita generaliter omnibus, qui eum naturam nostram suscipientem receperint, & eo spiritu fuerint regenerati, quo est ille progenitus, præstita sit: vt tamen impios, & infideles tantæ misericordiæ suæ reliquerit exsortes.

B Matth. 20. 28.

Aug. in Ioan. Tract. Ioan. 10. 26.

C

Quibus autem ista non sufficiunt, sed magis *ita generaliter pro omnibus* Christum Dominum passum & mortuum intelligunt, vt eandem passionem; & mortem suam etiam impiis nunquam credituris, & omnino in sua impietate perituris impenderit, quæri ab eis merito potest, cum Dominus se *pro multis* animam suam daturum, & *pro multis* sanguinem suum effundendum in remissionem peccatorum dixerit, & non pro omnibus: vbi si responderint, quia nec aliud eis respondendum restat, quod ideo dixerit *pro multis* quia pro solis illis, qui ad fidem venturi, & fideles futuri erant, & illa suscepta, & pretiosus sanguis fusus esse intelligendus sit. Ergo cosistimatur patrum illa sententia, qua pro *pro multis* dictum pro illis scilicet qui credere voluerint intellexerunt? Et ideo vbicumque in litteris Apostolicis legitur, quod *idem Dominus dederit semetipsum redemptionem pro omnibus, & gratia Dei pro omnibus gustauerit mortem, & pro omnibus mortuus sit*, illi multi pro quibus Dominus & animam suam se positurum, & sanguinem futurum dixit, qui vtique in suo genere, *& multi & omnes sunt*, rectè intelliguntur. Sicut & illud quod *omnes in Christo viuificabuntur*, & quod *per vnius hominis iustitiam in omnes homines in iustificationem vitæ*: Et non confusè & absurdè, etiam de impiis, & infidelibus, sed de illis omnino *multis* dictum intelligendum est, de quibus manifestè dicitur: *Sic & per obedientiam vnius hominis iusti constituentur multi.* Et de quibus alibi idem Apostolus dicit verbis Domini euidentissimè consonans: *Sic & Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata.* Et apud beatum Danielem Prophetam legitur: *Et multi de his, qui dormiunt in terra puluere, euigilabunt*: Et quod est mirabilius isti ipsi in suo genere *omnes*, & in suo genere *multi* ad comparationem multitudinis reproborum dicuntur à Domino pauci, cum ait: *Multi autem sunt vocati pauci, vero electi.*

Cur pro multis.

1. Tim. 2. 6. Heb. 2. 9.

D 2. Cor. 5. 14. 1. Cor. 15. 22. Rom. 5. 18. 19.

Heb. 9. 28. Dan. 12. 9.

Matth. 20. 16.

E *Concl.*

Quod si inueniuntur aliqui patrum, qui etiã pro impiis in sua impietate permansuris Dominum crucifixũ dicant: si hoc diuinæ Scripturæ certissimis & clarissimis documẽtis probant: Et tũc ergo illa, quæ ex verbis Domini de hac re commemorauimus aliter intelligenda. Quod est omnino mirum, vel potius incredibile posse fieri. Si autem absque vllis Scripturæ, vt dictum est, non ambiguis, quæ & aliter intelligi possint, sed certis, omnino testimoniis hoc dixisse inueniuntur, quis non videat potiorem illam esse auctoritatem, quæ & tã euidenti ratione, & tam multiplici Scripturarum attestatione firmatur. Si autem placet, sicut & nobis multum placet, vt etiam istorum *sententia ex pietate veniens, propter pacem & venerabilem pietatem beatissimorum Patrum non renuatur.* Nulla ergo contentione pro aliis aduersus alios litigetur: Non vna sententia pro altera damnetur. Et quia vere fieri potest, vt ignorantiam, & imperitiam nostram in hac re aliquid lateat, *nihil temere definiatur; vt quolibet adquiescat modo, non sit hæreticum, nisi contentione hæreticum fiat.*

Via pacis.

F

Cap. à 1.

CAP. XXI.

Quæst. 5. *De libero arbitrio. Hæc sententia ex calumnia Gottesc. alcõ imposita; vt ex ipso Hinc. maiorẽ probatur in d. scriptione cap. 12.*

A Additur adhuc in præfata Epistola dixisse illum miserabilem Monachum, *quod postquam primus homo libero arbitrio cecidit, nemo nostrum ad benè agendum, sed tantum ad malè agendum libero potest vti arbitrio.*] Quod est vtique non solum mirabile & inauditum, sed quantum nobis videtur etiam incredibile vt homo inter fideles, & à fidelibus nutritus & eruditus, & in Ecclesiasticorum patrum scriptis, non parum exercitatus hoc dicere, vel sentire potuerit: *Quod post primi hominis lapsum, nemo etiam fidelium ad benè agendum libero possit vti arbitrio, sed tantum ad malè agendum*:] Tanquam in nobis non sit liberum arbitrium, nisi ad malum: Ad bonum autem sola in nobis Dei gratia absque libero arbitrio operetur. Si enim dixisset generaliter; *nemo hominum* & addidisset *sine Dei gratia*, & ita subiungeret, *libero bene vti potest arbitrio*, esset *Catholicus sensus*, & Catholica omnino assertio. Cum autem dixisse arguatur, quod nemo nostrum, id est fidelium, nisi tantummodo ad malè agendum, libero vti possit, arbitrio, quid aliud tali dicto, & tali nouitatis præsumptione asseritur, nisi quod humanæ mentis arbitrium, quod ante peccatum ad verum bonum amandum, & desiderandum, & fruendum erat liberum: Ita primo homine peccante vitiatum sit, & perierit: vt deinceps tantummodo ad malum remanserit in homine liberum arbitrium: Ad bonum verò agendum, siue habendum nullum sit hominis liberum arbitrium, sed tantum diuinæ gratiæ bonum. Quod genus erroris nec apud hæreticos, nec apud quemquam Catholicorum nos cognouisse, vel audiuisse meminimus: Ita vt etiam de isto hoc nobis (vt iam diximus) incredibile videatur.

G *Nemo sine Dei gratia, libero bene vti potest arbitrio.*

Nota.

Sicut enim vnus atque idem homo potest esse sanus, & ex sano qualibet intemperantia effici infirmus, & remedio salutari iterum fieri sanus: Sic & liberum humanæ mentis arbitrium quod prius erat sanum, factum est primo homine peccante infirmum, & quod erat saluum, factum est perditum; Et quod erat viuum; factum est mortuum. Verè enim sanum erat ante peccatum nullo peccati languore vitiatum: & per ipsum peccatum factum est infirmatum, vt veraciter clamet ad Deum: *Ego dixi Domine miserere mei, sana animam meam, quia peccaui tibi*: Et cum per verum medicum sanatur, gratulans, & gratiosa gens dicit: *Domine Deus noster clamaui ad te, & sanasti me.* Verè erat saluum, quod nulla interius mala voluntate, nulla exterius mala operatione erat deprauatum, siue corruptum: & verè factum est perditum, cum mala voluntate Deum deseruit, & deserendo bonum, quod habebat, amisit. Vnde hanc perditionem in se recognoscens, atque ab ea liberari cupiens ingemiscit, & dicit: *Erraui sicut ouis, quæ periit; require seruum tuum, quia mandata tua non*

Liberum arbitrium H *sam infirmum.*

Ps. 40. 5. Ps. 29. 3.

Factum perditum Ps. 118. 176.

sum oblitus: Et quotidie necessarium habet quærentem, atque saluantem illum; qui dicit: *Venit enim filius hominis quærere, & saluum facere, quod perierat:* Erat etiam viuum, quia adhærebat illi, cui dicimus; *Quoniam apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen:* viuens in illo, & per illum, de quo in Euangelio scriptum est. *Et vita erat lux hominum.* Sed hanc vitam, atque hunc fontem vitæ deserendo factum est à vita Dei alienatum & mortuum. *Quia anima quæ peccauerit ipsa morietur.* Nec habet in se & ex se vllum sensum vitalem & ad veram vitam nitentem, nisi per eum resuscitetur & viuificetur, qui dicit, *Quoniam hic filius meus fuerat, & reuixit, perierat & inuentus est:* Et nisi in illo spiritu vegetetur, de quo dicit Apostolus: *Littera occidit, spiritus autem viuificat.* Sic sunt mortui, & quotidie viuificantur, de quibus Dominus in Euangelio dicit: *Venit hora & nunc est, quando mortui audient vocem Filij Dei, & qui audierint viuent:* Et quibus Apostolus clamat dicens: *Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit tibi Christus.*

Nec aliquis insidiosus, & calumniosus obiicere nobis conetur, quod ita dicamus liberum arbitrium per peccatum primi hominis perditum, & mortuum, quasi naturam suam in qua naturaliter habet insitam liberi arbitrij voluntatem perdidisse intelligendus sit. Non enim perdidit naturam, sed bonum naturæ: Non perdidit velle, sed perdidit bonum velle: Nec perdidit anima naturam suam cum moritur: in qua sicut semper existit, ita & secundum quendam modum suum semper viuit: Et tamen verè moritur, non abolitione substantiæ, sed amissione veræ vitæ suæ, quod illi Deus est. Et ideo prorsus ipsum liberum hominis arbitrium necesse habet requirentem, & inuenientem; vt ex perdito fiat saluum: necesse habet suscitantem, & viuificantem, vt ex mortuo fiat viuum: necesse habet etiam redimentem, vt quod erat seruituti obnoxium, possit effici liberum. Erat namque seruituti obnoxium, quia peccato subiugatum, & *Omnis qui facit peccatum seruus est peccati.* A qua seruitute fit liberum per eum qui dixit: *Si vos filius liberauerit, tunc verè liberi eritis*, Et per donum Spiritus sancti, de quo Apostolus ait; *Vbi spiritus Domini, ibi libertas.* Perdiderat itaque homo per primæ præuaricationis lapsum, & in eo omne genus humanum, veram arbitrij libertatem, qua antea liberum erat ad appetendum & habendum verum & diuinum, & æternum bonum. Nec hanc fœlicem & veram bonæ voluntatis libertatem vllo modo valet recipere, nisi per redemptionem Christi fiat liberum, & per gratiam Spiritus sancti, de seruitute peccati, in libertatem iustitiæ transferatur.

CAP. XXII.

HÆc est ergo infirmitas, & perditio, & mors liberi arbitrij per vnum hominem ingressa in mundum qua per se nullatenus valet assurgere ad verum & æternum, & beatificum bonum, nisi per secundum hominem fuerit sanatum inuentum, viuificatum, & redemptum. Idipsum namque liberum hominis arbitrium, id est, ipsa humanæ mentis bona, & recta voluntas, cum qua homo bonus & rectus conditus fuerat, & Deo obediendo ante peccatum perseuerabat bona, & Deum contemnendo per peccatum facta est mala: & per iustificationis Christi gratiam, ad Deum resipiscendo, & re[...]iendo efficitur bona: Ipsa erat ante peccatum libera, ipsa facta est per peccatum seruituti obnoxia, ipsa fit per iustificantem gratiam liberata, & renouatur de die in diem, vsquedum ad perfectam libertatem vitæ æternæ per eandem gratiam perducatur. Ita liberum arbitrium ad verum bonum, & per Adam agnoscitur verissime perditum, & per Christum verissime restauratum. Qui non abstulit homini liberum arbitrium, sed, vt dictum est, infirmum sanans, perditum inuenit, mortuum suscitauit, seruituti addictum redimendo liberauit.

E

Ideo in infidelibus idipsum liberum arbitrium, ita per Adam damnatum, & perditum, in operibus mortuis liberum esse potest, in viuis non potest: vnde ante omnia necessaria est homini omni sanguinis Christi redemptio, per quam & emundetur ab operibus mortuis, & viuificetur ad seruiendum Deo viuenti. Quod commendans Apostolus dicit, *Quanto magis Sanguis Christi qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundauit conscientiam nostram ob operibus mortuis ad seruiendum Deo viuenti:* Verè enim mortua sunt omnia opera infidelium, non solum quando apertè vitiis & peccatis seruiunt, sed etiam quando naturali bono in quantum omnipotens creator tribuit, instigati, vel naturali lege commoniti, quæ quotidiè in cordibus eorum clamat: *Quod tibi non vis, alij ne feceris: Et omnia quæcumque vultis, vt faciant vobis homines, & vos eadem facite illis:* quædam bona opera & velut quasdam virtutes habere, atque exercere videntur: quia fidem Dei, & Christi eius: vel ignorantes, vel odio habentes aut etiam persequentes, quod ex illa fide non operantur, omnino nec bonum opus, nec vera virtus esse potest, quæ non procedit ex radice veritatis, & bonitatis. Dum enim illa ipsa quæ secundum homines videntur esse bona opera, nequaquam vera fide ad Dominum referuntur, quem ignorant, nec propter eum agunt, sed aut propter quandam honestatem, qua inter homines magni videantur, vel propter cupiditatem alicuius commodi temporalis, ipsa impietate infidelitatis, ipsa inflatione elationis, ipsa peruersitate cupiditatis, ita immunda & inquinata sunt omnia, vt apud Deum non virtutes, sed vitia indicentur, Vnde Apostolus ait: *Inquinatis autem & infidelibus nihil est mundum: sed inquinata sunt eorum, & mens, & conscientia.* Et iterum: *Omne autem, quod non est ex fide, peccatum est: Et sine fide impossibile est placere Deo.*

Heb. 9. 14. — *De operibus infidelium.* — Matth. 7. 12. — F — Tit. 1. 15. Rom. 14. 23. Heb. 11. 6.

CAP. XXIII.

FIdeles autem Christi sanguine redempti, & per lauacrum regenerationis & renouationis mundati, instaurata in se, & quotidie instauranda arbitrij libertate, eadem gratia (per quam semel inluminati sunt) semper cooperante, & auxiliante operantur opera bona, non ex seipsis, neque ex viribus propriis; sed ex illo, cuius spiritu aguntur. Quia vt Apostolus dicit, *Quicumque Spiritu Dei aguntur, hi filij sunt Dei.* Qui etiam, vt manifestissimè ostenderet, & commendaret, & fideles operati opus bonum, & vt hoc ipsum operari possint, Deum in illis operari, breuiter vtrumque declarauit dicens eisdem fidelibus: *Cum timore, & tremore vestram ipsorum salutem operamini: Deus est enim qui operatur in vobis, & velle, & perficere pro bona voluntate.* Quod Beatus Leo ita exponit: [Dicente enim Discipulis suis Domino, *sine me nihil potestis facere*, dubium non est hominem bona agentem ex Deo habere, & effectum boni operis, & initium voluntatis. Vnde & Apostolus copiosissimus, & fidelium cohortator, *cum timore*, inquit, *& tremore vestram salutem operamini: Deus est enim qui operatur in vobis, & velle, & operari pro bona voluntate.* Et hæc sanctis causa est tremendi, atque metuendi, ne ipsis operibus pietatis elati deserantur ope gratiæ, & remaneant in infirmitate naturæ.] Ita namque operante in suis fidelibus Deo impletur illud quod Dominus ait: *Qui autem facit veritatem, venit ad lucem, vt manifestentur eius opera, quia in Deo sunt facta*; & ex persona eorundem fidelium ei per Prophetam dicitur: *Domine dabis pacem nobis: omnia enim opera nostra operatus es in nobis.*

Hæc ita esse sentienda, atque tenenda de liberi arbitrij instauratione, & de munere atque auxilio diuinæ gratiæ ita beatus *Papa Cælestinus* breuiter docet, & inculcat dicens [Non est dubium ab ipsius gratia omnia hominis merita præueniri, per quem fit, vt aliquid boni & velle incipiamus, & facere. Quo vtique auxilio & munere Dei non aufertur liberum arbitrium, sed liberatur: vt de tenebroso

G — *Nota. Gratia Christi semper auxiliante.* — Rom. 8. 14. — Phil. 3. 12. 13. — B. Leo Ser. 8. in Epiph. — Ioan. 15. 5. — Phil. 3. 13. — H — Ioan. 3. 21. — Isa. 26. 12. — P. Cæl. ad Gal. Ep. c. 8.

A tenebroso lucidum, de prauo, rectum, de languido sanum, de imprudente sit prouidum. Tanta enim est erga omnes homines bonitas Dei, vt nostra velit esse merita, quæ sunt ipsius dona; Et pro his quæ largitus est, æterna præmia sit donaturus. Agit quippe in nobis, vt quod vult, & velimus, & agamus: nec otiosa in nobis esse patitur, quæ exercenda, non negligenda donauit, vt & nos cooperatores simus gratiæ Dei.]

Ex Arausic. Cōc. Can. 10. Item de eadem re ex conciliis vel definitionibus Patrum hæc proponenda credidimus.

[Primum. Adiutorium Dei etiam renatis, ac sanatis semper est implorandum, vt ad finem bonorum perueniant, vel in bono possint opere perdurare.

Can. 13. Ioan 8. 36. Secundum. Arbitrium voluntatis in primo homine infirmatum, nisi per gratiam Baptismi non potest reparari: quod amissum, nisi à quo potuit dari, non potest reddi: Vnde veritas dicit: *Si vos filius liberauerit, tunc vos* B *vere liberi eritis.*

Can. 19. Tertium. Natura humana, etiamsi in illa integritate, in qua est condita permaneret, nullo modo seipsam creatore suo non adiuuante seruaret. Vnde cum sine Dei gratia salutem non posset custodire, quam accepit: quomodo sine Dei gratia poterit reparare quod perdidit.

Can. 21. Matth. 5. 17. Luc. 19. 10. Quartum. Ideo Christus non gratis mortuus est, vt & lex per illum impleretur, qui dixit: *Non veni soluere legem, sed adimplere.* Et natura per Adam perdita per illum repararetur qui dixit: *Venisse se quærere & saluare quod perierat.*]

Cap. 24.

CAP. XXIV.

POst hæc interposita quadam narratione, quæ ad præsentem responsionem nostram non videtur necessaria subiungit scriptor Epistolæ de Conuentu Concilij Episcoporum pro examinandis & definiendis quæstionibus C siue obiectionibus, quas ille miserabilis Monachus proposuisse vel docuisse dicitur. De quibus quid nostræ pusillitati videatur iam supra satis ostensum est. Et qualiter idem Monachus eorumdem Episcoporum iudicio, quia eorum adquiescere sententiæ noluit, fuerit condemnatus, ita dicens.

Hincmarus.

Verba Epistolæ Hincmari. *Quapropter*, inquit, *ad Episcoporum eum præsentiam qui tunc regio mandato pro negotiis regiis apud Carisiacum accersiti erant, in præsentiam etiam Domini VVenilonis, qui illuc conuenerat, producere studui vbi multis audientibus nihil dignum ratione vel dixit vel interrogatus respondit: Sed, vt arreptitius, cum quid rationabiliter responderet non habuit, in contumelias singulorum prorupit: Et propter impudentissimam insolentiam suam per regulam sancti Benedicti à Monachorum Abbatibus, vel cæteris Monachis dignus flagello adiudicatus. Et quia contra Canonicam institutionem, ciuilia & Ecclesiastica negotia perturbare* D *studuit indefessus, & se noluit recognoscere, vel aliquo modo humiliare professus ab Episcopis, & secundum Ecclesiastica iura damnatus.*

Responsio.

Absurditas in damnatione Gotesch. In quibus verbis imprimis illud videtur absurdum, quod præfatum miserabilem Monachum in iudicio Episcoporum productum prius Abbates Monasteriorum, qui præsentes aderant, ad cædes, & flagella iudicasse referuntur, & deinde Episcopi iuxta Ecclesiastica iura dānasse; Cùm homo qui ante reddebatur hæreticus iuxta antiquam Ecclesiæ obseruantiam, atque auctoritatem, ad Episcopale tantummodo iudicium pertineret, siue damnandus, siue absoluendus. Nec prius ab inferioris loci hominibus, & postmodum ab Episcopis debuerit condemnari: Sed & de ipsis flagellis, & cædibus, quibus secundum regulam sancti Benedicti dicitur adiudicatus, quibus & omnino ferunt atrocissimè & absque vlla misericordia penè vsque ad mortem dilaceratus, quæ moderatio, & mensura iuxta pietatem Ecclesiasticam, & E Sacerdotalem, siue Monachalem verecundiam seruari debuerit, ipsi potius apud se iudicent. Quod autem in Episcoporum contumelias dicitur prorupisse, verè hoc est & impium, & insanum, & omnino iusta vltione damnandum: Licet melius ab aliis quam ab ipsis.

Noto illi dictum Eccles. Lugd. de doctrina. De illis vero sententiis, quas & antea prædicasse, & tunc in Synodo proposuisse, nec vllatenus mutare voluisse firmatur, ignoscat nobis vnusquisque lector, ignoscat etiam Reuerendus ille Epistolæ scriptor: Quia sicut iam superius, & ex diuina, & ex paterna authoritate satis ostendimus, videtur nobis sine dubio, quod illa, quæ *de diuina prædestinatione* dixit, iuxta regulam Catholicæ fidei vera sint, & à veridicis patribus manifestissimè confirmata, nec ab vllo penitus nostrum, qui Catholicus haberi vult, respuenda siue damnanda. Et ideo in hac re dolemus non illum miserabilem, sed Ecclesiasticam veritatem esse damnatam. In illa autem Apostoli sententia, qua de Deo ait, *qui vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*, putamus eum sensum beatissimi patris *Augustini*, ab omni semper Ecclesia venerabiliter recepti, & vsque in finem sæculi recipiendi, secutum fuisse, qui de tanta quæstione tractans, & conlatis inter se duobus testimoniis, Apostolico videlicet, & Prophetico, qualiter iuxta sanam fidei intelligentiam vtrumque verum esse accipiendum sit, & in plerisque aliis librorum suorum locis, & maximè in libello qui Enchiridion dicitur euidentissime declarat: Et quid ei de re tanta probabilius videatur, manifestat. Cuius omnino veridicum sensum non oportuit sub persona alicuius hominis, à Catholicis Dei sacerdotibus condemnari: Ne iam non iste, qui errare putatur, sed ille potius, cuius authoritatem sequitur, hæreticus esse iudicetur. Et licet alij quidam sancti, & venerabiles patres simpliciter illa Apostoli verba accepisse inueniantur vtrorumque tamen sententia fuerat honoranda: Nec vt iam superius dictum est, vna pro altera damnanda: Quia & illa ex diuina auctoritate vera esse monstratur, Et ista quadam pia ratione non abhorrere à veritate fideliter creditur.

Dei & 2. quæst de prædest. 1. Tim. 2. 4. — F — De 3. quæst de volunt. Dei. — Vita præcis. — G

De 4. quæst. de morte Christi: Vita præcis. Iam illud *de Dominici sanguinis pretio*, quod pro his tantum qui credere voluerint datum sit manifestum est, sicut supra satis ostendimus eorumdem beatorum patrum sententia: Quam iste vt putamus, & legendo didicerat, & damnare metuebat. Vnde, & si inuenti sunt alij æque patres, qui illud gloriosum pretium etiam pro nunquam credituris, & in sua impietate perituris datum esse non abnuant, melius vt credimus vtrique honorarentur, nec pro aliis alij damnarentur: Quia & illud manifeste diuina auctoritate firmatum est; Et istud si pie sentitur, non est abnuendum. Quod vero dixisse firmatur, ad male tantummodo agendum liberum nos habere arbitrium; ad bene vero agendum non habere, si verè ita sensit & dixit, hoc verè non est ex diuina auctoritate sumptum, neque ex sanctorum patrum dogmatibus tractum, sed apertè ex proprio errore prolatum. Quia liberum nobis arbitrium quod peccato fuerat subiugatum, non ablatum est, sed liberatum, & ipsum nobis per Dei gratiam excitatur ad benè agendum, vt & ipsi eiusdem gratiæ cooperatores simus. De qua re, si iste tam absurdè, & insipienter errauit, manifesta est Apostoli sententia dicentis: *Fratres & si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis huiusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans te ipsum ne & tu tenteris.* Et illi quidem propter intemperantiam, importunitatem, atque infrunitatem linguæ suæ & inquietam mobilitatem instabilitatis suæ, merito forsitan accidit, quod in Salomone legitur; *Et qui inconsideratus est ad loquendum sentiet mala.* Et iterum: *Qui imponit stulto silentium iras mitigat.* Et alio loco: *Eiice derisorem, & exibit cum eo iurgium, cessabuntque causa, & contumelia.*

De 5. quæst de lib. arbitrio. — H — Gal. 6. 1. — Prou. 13. 3. — Prou. 26. 10.

CAP. XXV.

TAmen nullius hominis imptobitate, & infrunitate ita moueri debemus, vt contẽnamus, vel impugnemus, aut etiam damnare audeamus diuinã veritatem, siue p.ttum nostrosum venetabilem auctoritatem, memores Apostuli dicentis: *Non enim possumus aliquid aduersus veritatem, sed pro veritate*, Atque ita potius agendum, vt & parses in filiis, & filij in pattibus honotentus: Iuxta Salomonem diceutem: *Corona senum, fily filiorum, & gloria filiorum patres eorum.* De quibus etiam alibi ptæcipitus: *In multitudine Presbyterornm prudentium sta, & sapientia illorum ex corde coniungere, vt omnem narrationem Dei possis audire.* Et iterum: *Ne despicias narrationem Presbyterorum sapientium, & in proverbiis illornm conuersare: Non te prætereat narratio seniorum: Et ipsi enim didicerunt à patribus suis: quoniam ab ipsis disces intellectum, & in tempore necessitatis dabis responsum.* De his namque & alibi præcipitur: *Interroga patrem tuum, & annunciabit tibi, maiores tuos, & dicent tibi.* Et iterum: *Ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt patres tui.*

Quapropter illud protsùs omnes non solùm dolent, sed eti.m hoitent: quia inauditu inteligiositatis, & crudelitatis exemplo, tamdiu ille miserabilis flagris, & cædibus tiucidatns est, donec (sicut nartauerunt nobis, qui præsentes adetant) accenso coram se igni libellum, in quo sententias Scriptutarum, siue Sanctorum Pattum, sibi eullegerat, quas in concilio offertet, coactus est ism penè emotiens suis manibus in flammam proiicere, atque incendio eonetemare: Cùm omnes tetro hæretici verbis, & disputationibus victi, atque eonuicti sunt. Et sic prauitas, quæ videbatur hominis, fuerit eoërcenda, vt nulla diuinis tebus inferretus iniutia. Maximè cùm illi sensus, qui ipso continebantus libello, excepto vno qui extremus ponitus, non essent sui, sed Ecclesiastiei: nec ignibus damnandi, sed pia, & pacifica fuerint inquisitione tractandi: Sed & illa eiusdem miserandi hominis tam longa, & inhumana in ergastulum pes toe annos dannaio, aliqua vt eredimus, compassionis benignitate, & consolatione fuerat temperanda, vel etiam remouenda, vt frater pro quo Christus mostuus est, pes charitatem, & spiritum mansuetudiois potius lucraretor, quàm abundantiori tristitia absorberetur. Quod illuc, vt Dominus nouit, in quantum ipse inspicere dignstur, suggerimus charitate, quam nobis Beatus Ioannes Apostolus commendat dicens: *In hoc cognouimus charitatem Dei, quòd ille pro nobis animam suam posuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere.*

CAP. XXVI.

POst damnationem huius miserandi hominis subiungit seriptor Epistolæ ad singulas illius propositiones suas, & quorundam, qui cum eo similites sentiunt, responsiones, quas hic necesse est in ordinem ponere, & quid nobis de his videatur breuiter designste. Quod licet suptà multiplicites iam factum sit; Tamen neque nunc prætereundum putamus, ne quid difficultatis, & obscuritatis ex huiusmodi tesponsionibus cuiquam generetur. Quæ videlicet sesponsiones in ipsa Epistola ita incipiunt.

HSNCMARVS.

Dicunt, & firmiter credunt, qui sanius apud nos sapere videntur, quia Dominus omnes homines vult saluos fieri, *secundù n Apostolum*, qui neminem vult perire, *licet non omnes sa.uentur: nam & lux in tenebris lucet*, licet eam tenebræ non comprehendant. *Et* Christus pro omnibus passus est *secundum eundem Apostolum scribentem ad T.motheum*, qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus, *li et non omnes passionis eius mysterio redimantur: Quia effusio Iusti Sanguinis Christi tam diues fuit ad pretium mundi, vt si vniuersitas captiuorum in eum crederet, nullus sub mortis imperio remaneret. Et quia non omnes tam diuissimo pretio redimuntur, ad infidelium respicie partem, non ad pretium sæculi copiosum.*

E

RESPONSSO.

In quibus verbis videtur sibi ille qui scripsit Epistolam, duas quæstiones simul, id est, *& quòd Deus omnes homines vel t saluos fieri*, & quod *Dominus* IESVS CHRISTVS *pro omnibus* omnino *hominibus* etiam in sua infidelitate perituris *mortuus sit*, duobus testimoniis ex Apostolo sumptis plenissime absolnisse; atque finisse. Nam quòd *Deus omnes homines saluos fieri velit*, producit Apostolũ testem apertissimè de eodem Deo & Domino dicentem: *Qui vult omnes homines saluos fieri.* Et istis verbis Apostoli adiungit ex verbis Propheticis velut alterius testimonij sensum quòd *Deus neminem velit perire* qui vtique apud Eschielem Propheram loquisur: Quia *nolo mortem morientis, dicit Dominus, sed vt conuertatur, & viuat.* Quem sensum illorum Apostoli verborum, quibus sit; *qui vult omnes homines saluos fieri*, etiam nos superius commemorauimus, & fideliter posse aceipi diximus, Si tamen & ille *sensus Beati Augustini*, quem ille iusta alterius diuinæ Scriptusæ auctoritatem diligentes inquirit; & multis ac veracibus modis exponit, pariter secipiatut: Nec propter istum ille damnetur, sed potius *vtrique sensui* propter veracem & piam patrum auctoritatem fideliter obediatur. Quia omnino, *& quos verè vult Deus saluos fieri*, sine dubio saluos facit, qui, vt seriptura testatur, *omnia quæcumque voluit fecit.* Et si cæteros ita vult saluos fieri, vt tamen non eos saluos faciat, sed omnino perire permittat, vtrumque hîc euidenter apparet: Et erga creaturam suam scilicet, *bonitas creatoris*, & erga eiusdem creaturæ iniquitatem *seueritas iudicis.*

De voluntate Dei.
1.Tim. 2.4.
2.Reg. 14.14.
F
Ezech. 33.11.
1.Tim. 2.4.
Patis via.
Ps 113. 3.

CAP. XXVII.

G
Cap. 27. *De morte Christi.*

QVod autem Dominum nostrum etiam pro impiis in sua impietate perituris esse mortuum vno similiter Apostoli testimonio confirmare videtur, quo ait, *qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus*, profectò non recoluit, nec diligenter considerauit, ita hæc Apostoli verba esse accipienda, vt consonent Domini verbis, quibus se in Euangelio ad hoc venisse dicit, *Vt animam suam daret redemptionem pro multis:* Et de pretio sui sanguinis similiter ait, *qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Es ideo ita verè accipiendum est, quod Apostolus ait: *qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus*, vt isti *omnes* intelligantur *multi*: sicut & alibi idem Apustulus, dicit: *sic & Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata.* Qui etiam alio loco quos dixit *omnes*, eosdem continuo exposuit intelligendos esse *multos:* Cum enim dixisset de Domino, quod *per vnius iustitiam in omnes homines in iustificationem vitæ*, statim subiunxit, *quia & per obedientiam vnius hominis*, ipsius videlicet Domini IESV CHRISTI *iusti constituentur multi*: Quia vt omnino manifestum est, ita pes eum *omnes homines* efficiuntur iusti, vt ipsi qui in suo genere *omnes* sunt; ex comparatione alterius generis eorum, qui propres infidelitatem suam non iustificantur, potius *multi* sint. Quod & si aliqui patrum *pro omnibus omnino hominibus*. Dominum passum intellexerint, honoretur, & iste velut pius sensus, dummodo ille prios, qui est certissimus, & diuina veritate firmatus nulla præsumptione contemnatur, vel quod est grauius damnetur.

1.Tim. 2.6.
Math. 20.28.
Math. 26.28.
1.Tim. 2.6.
Heb. 9. 28.
Rom. 5. 18.19.
Omnes multi.
H
Pius sensus.

Nam & illud testimonium velut ad confirmationem huius rei es Euangelio sumptum: id est, *lux lucet in tenebris, & tenebræ eam non comprehenderunt*: non nobis videtur huic congruum assertioni: Quia *lux* illa præsentia maiestatis suæ in tenebris lucens, id est, in infidelium cordibus maiestate conditoris suam præsentiam exhibens, operatur aliquid in eis, & si non, vt videant ipsam,

Lux lucet in tenebris.
Ioan. 1. 5.

tamen

A tamen vt videant aliquid per ipsam, id est, vt intelligant inter iusta & iniusta, inter bonum & malum, inter agendum & non agendum, *vt sint inexcusabiles* in die quo iudicabit Deus occulta hominum. (Rom. 1. 5.) Quæ tamen non *lux* à facie illis resplendet, quia non ad eam attendant, sed velut à tergo eis relucet: quia sicut Propheta dicit, *verterunt ad eam tergum, & non faciem*. (Ier. 2. 27.) In hac autem re, qua Sanguis Domini IESV CHRISTI etiam pro impiis in sua impietate perituris fusus esse asseritur, quid vtilitatis in eis egerit, nihil omnino inuenitur, nisi vt iuxta disputationem antiqui, *& fidelissimi Doctoris*, Cuius etiam doctrina, & industria toti Galliæ ab infestatione quondam Arrianæ impietatis Deo auxiliante ante defensæ: (Hilar.) hoc eis non in remedium, sed sicut iam suprà diximus, in exitium conuertatur. Ait namque vir ille Doctissimus, & magna eloquentiæ facultate fultus, cùm exponeret verba Euangelij, in quibus Iudæi obstinata impietate aduersus Dominum dixisse leguntur: B [*Sanguis eius super nos, & super filios nostros*: (Matth. 27. 25.) Hoc sibi Iudaicus hoc optat populus Christianus pari verbo, dispari voto. Est enim super nos, est & super illos: si super fidelem, protegit, si super inimicum ponitur, premit: sic tamen quod illos sibi adiungit quos tegit: Illos non tangit quos grauat.] Sed & illam Beati Leonis sententiam (Leo.) licet ex parte aliis verbis, & alio forsitan sensu positam, quasi hoc vir ille senserit, quod etiam pro impiis in sua impietate perituris Dominus Christus mortuus sit, manifesta veritas non ita intelligendam ostendit. Ait namque ille: [Effusio pro multis sanguinis iusti tam potens ad priuilegium, tam diues fuit ad pretium, vt si omnes in eum crederent, nullum tyrannica vincula retinerent.] Verè enim pretiosos sanguis ille, & potens extitit ad priuilegium, vt omnes posset redimere: Et diues ad pretium, vt nullum tyrannica, id est diabolica vincula retinerent, nisi qui ab eius fide alienus existeret. Et ideo in tanta quæstione non sunt proponenda incongrua, non sunt asserenda superflua. C Vt in simplicitate & sinceritate Dei instruantur, & non in vanitate sensus nostri, hi qui nos audiunt inludantur.

Cap. 28.

CAP. XXVIII.

SVbiungitur in eadem Epistola de lege prima tertia quæstione, id est, *prædestinatione diuina*, sermo prolixus, qui non totus simul, sed per partes ponendus & tractandus nobis videtur, ita se habens.

HINCMARVS.

Dicunt, inquit, *quia*, qui omnes homines vult saluos fieri, & neminem vult perire, & qui pro omnibus passus est, *neminem prædestinauit ad interitum, vel ignem æternum: sed ex massa peccati quosdam sicut præsciuit, prædestinauit, id est, gratia præparauit ad vitam & regnum, & illis vitam ac regnum prædestinauit, id est gratia præparauit æternum: Euangelio teste qui dicit*: Venite D benedicti, *id est de prima maledictione, gratia erepti, electi, & prædestinati*, percipite regnum, quod vobis paratum est, *id est, quod vobis prædestinatum est* ab origine mundi. *Quosdam autem, sicut præsciuit, non ad mortem neque ad ignem prædestinauit, sed in massa peccati & perditionis iuste deseruit, à qua eos prædestinatione sua, id est, gratiæ præparatione, occulto, sed non iniusto iudicio nequaquam eripuit. Quia sicut* beatus *exponit* Augustinus prædestinatio est gratiæ præparatio: Gratia autem est vitæ donatio, id est ipsius prædestinationis effectus.] (August. de præd. sanct. cap. 10.) *Et* beatus Prosper *in hac re sancti Augustini expositor, cum cæteris orthodoxis concordans patribus dicit*: Non est prædestinatio, nisi quod ad donum pertinet gratiæ, aut ad retributionem iustitiæ. (Prosper.)

RESPONSIO.

(De prædestinatione ad interitum.) In quibus verbis quod dicitur, quia *qui omnes vult saluos fieri, & neminem vult perire*, & qui pro omnibus passus est, neminem prædestinauerit ad interitum, vel E ignem æternum, apertissimè contrarium est fidei: Qua verè, & fideliter creditur, & definitur quod omnipotens Deus omnia opera sua, quæ erat ipse facturus, quæ vtique nunquam esse possint nisi iusta, & recta, sicut in Psalmo canitur: *Iustus Dominus in omnibus viis suis, & sanctus, in omnibus operibus suis*, (Ps. 144. 17.) ante omnia sæcula, & verissimè præscierit, futura, & immobiliter prædestinauerit, id est, statuerit, & præfinierit facienda. Iusta quippe impiorum & iniquorum in æterna morte, atque in æterno igne damnatio, opus est proculdubio iusti iudicij Dei, *qui reddet vnicuique secundum opera eius*. (Rom. 2. 6.) Et idcirco semper apud eum extitit, & verè præscitum, & iuste prædestinatum, qui attestante Propheta: *fecit quæ futura sunt*. (LXX. Isa. 45. 11.) Nam si hoc in æterna eius præscientia, & prædestinatione non fuisset, nunquam eius opus esset, nunquam temporaliter fieri potuisset. Quia omne opus F suum ille præsciendo, & prædestinando præuenit: Et ideo nihil est in eius operibus futurum, quod ipse non præscierit, & prædestinauerit se esse facturum. Deinde contrarium est etiam doctrinæ, & definitionibus sanctorum patrum. Qui in vtramque partem, tam videlicet electorum, quam reproborum, (Quia & illorum glorificatio & istorum condemnatio iustum Dei opus est) diuinam prædestinationem ponere non dubitant, sicuti iam supra satis à nobis ostensum est. Et ideo multum necesse est vt agnoscant, qui ita sentiunt, manifestam fidei veritatem, & fundatissimam beatorum patrum auctoritatem: Et quod eis nullatenus expedit, non spernant, neque abiiciant illos, de quibus Dominus ait: *Qui vos audit, me audit, Et qui vos spernit me spernit*. (Luc. 10. 16.)

Quod si ideo eis videtur absurdum, quia omnipotens Deus reprobos prædestinauerit ad interitum, & ad ignem æternum, quoniam velut incredibile videtur, vt *qui omnes vult saluari*, & qui pro omnibus mortuus creditur, aliquem eorum prædestinauerit ad damnationem: G recogitent attentius, quia etsi illa verba Apostoli simpliciter intelligantur quibus de Deo dicit, *qui vult omnes homines saluos fieri*, (1. Tim. 2. 4.) duobus modis hoc Deum agere certissimum est: Dum alios ita *vult saluos fieri*, vt eos ipse omnino faciat saluos, sicut omnes electos: Alios vero ita velit saluos fieri, vt eos omnino non saluet, sed in æternum perire permittat, sicut vtique omnes reprobos, quos iuxta hunc sensum, *& vt benignus creator* saluari voluit, *& vt iustus Iudex* æternæ perditioni tradidit. Sicut ergo & bonitatem suam in eis ostendit, quia eos saluari voluit, & tamen bonitas eius non impediuit seueritatem eius, qua eos iustè damnauit: Ita eadem bonitas eius nullatenus impediuit prædestinationem eius iustitiæ, Dum quos ille saluos fieri voluit, & iniquos futuros semper præsciuit, & in iniquitate sua permansuros, iuste ad interitum prædestinauit. Ita & si pro omnibus etiam in sua impietate perituris Christus mortuus est, sic eis exhibuit bonitatem passionis suæ, vt tamen huiusmodi impios in sua impietate permansuros iusto suo iudicio condemnauerit. H Sicut ipse ait, *Qui non credit, iam iudicatus est*: (Ioan. 3. 18.) Et ideo bonitas eius, quia etiam pro talibus passus creditur, non euacuauit erga eos prædestinationem eius: Qua eos semper, & præsciuit in sua impietate permansuros, & prædestinauit iustè perituros.

Quicquid ergo post ista in his verbis de æterna prædestinatione sanctorum dicitur ad regnum & vitam æternam Catholicè, & fideliter dicitur: Quia sine dubio tam pium, & tam gloriosum opus suum, & æternaliter omnipotens præsciuit futurum, & æternaliter prædestinauit se esse facturum. Quod autem de reprobis hic affirmatur, quia eosdem omnipotens Deus nequaquam prædestinauerit ad mortem, vel ad ignem æternum: sed tantummodo præscierit eos æternæ morti esse tradendos, & perpetuo igni cruciandos, nullatenus est recipiendum: Quia (sicut iam satis supra ostensum est) opus suum tam iustum, tam magnum, & terribile, quo omnes impios damnaturum se esse decreuit, & æterna veritate

tare præscinit, & æterna iustitia præordinauit, ac præfiniuit: Et mirum valde est, quomodo negare contendunt eum æternam ipsorum damnationem prædestinasse, quos iam ab ipso mundi exordio cum primus homo peccauit, & omne humanum genus ex se propagandum vnam massam damnationis, & perditionis fecit manifeste dicant in eadem damnationis, & perditionis massa iusto Dei iudicio deputatos & derelictos. Quid est enim massa damnationis, & perditionis ab initio mundi diuino iudicio effecta, nisi eodem diuino iudicio æternæ damnationi, & perditioni destinata & tradita? Si enim tantummodo præscita est ad æternam damnationem, & perditionem, nullum ibi adhuc est diuinum iudicium: Et quomodo tales in massa damnationis, & perditionis diuino iudicio relicti esse dicuntur, si in hac parte nihil adhuc de illis diuino iudicio est definitum? Sin autem, sicut omnino etiam eorum consensu, & confessione verum est, hæc massa non solum præscita est, sed etiam iudicata, quid aliud intelligi potest, nisi omnino ad eandem damnationem, & perditionem prædestinata? Quod enim verè, & diuina præscientia præcognitum, & diuino iudicio est decretum, constat omnino esse prædestinatum.

CAP. XXIX.

QVod vero subiungit scriptor Epistolæ, *quia eos, qui perituri erant, prædestinatione sua Deus, id est, gratia præparatione ab illa damnationis, & perditionis massa nequaquam eripuit*, & ex verbis Beati Augustini affirmare conatur: *Quod* videlicet *prædestinatio non sit aliud, nisi gratia præparatio*,] vt quasi ex hoc probare videatur, quod prædestinatio tantummodo in sanctorum electione, quibus ab æterno omnipotens Deus suam gratiam præparauit, intelligi debeat. In damnatione vero reproborum, nulla Dei prædestinatio accipienda sit ... quod nihil gratiæ suæ ex æterno illis Deus prædestinauerit, & præparauerit; Omnino falsissimus sensus est, & sensui *Beati Augustini* aperte contrarius. Ille enim ita dixit: prædestinatio est gratiæ præparatio. Gratia verò est iam ipsa donatio.] Et post aliqua vt distingueret inter istam prædestinationem gratiæ, quæ propriè electorum est, & prædestinationem damnationis & vindictæ, quæ propriè est reproborum, subiunxit dicens: Prædestinatio Dei, quæ in bono est, gratiæ est, vt dixi, præparatio: Gratia vero est ipsius prædestinationis effectus.] Atque ita luculente ostendit, aliter intelligendam esse prædestinationem Dei, quæ in bono est bonis, id est, electis, vbi verè diuinæ erga eos gratiæ est præparatio, & huius prædestinationis effectus est eiusdem diuinitus præparatæ gratiæ iam ipsa donatio: Et aliter intelligendam prædestinationem Dei, quæ in malo est malis, id est reprobis: quæ è contrario nihil est aliud, nisi æternæ * prædestinationis eorum præparatio. Cuius omnino effectus est, iam ipsa damnatio.

Ita venerabilis doctor æternam prædestinationem Dei in vtrumque distribuit: vt & in bono sit bonis, & in malo malis: Dum & illis per eam æterna gratia, & istis per eam æterno Dei consilio æterna damnatio præparatur. Vnde & quod beatus Prosper dicit: Non est prædestinatio, nisi quod ad donum pertinet gratiæ, aut ad retributionem iustitiæ.] Ita omnino rectissimè intelligendum est, vt diuina prædestinatio non ita credatur alicui esse in malum, vt eum malum esse compellat, quod absit, sed quod omnibus, & electis & reprobis vel ad donum pertineat gratiæ, vel ad retributionem iustitiæ: Ad donum gratiæ electis, & ad retributionem iustitiæ reprobis: Dum & electi gratia saluantur, & reprobi iustitia puniuntur. Iste est enim plenissimus, & verissimus diuinæ prædestinationis effectus non tantummodo electos præordinans ad æternam gloriam: sed etiam reprobos præordinans ad æternam pœnam. Sic itaque beatus Prosper cum cæteris orthodoxis patribus sensit: Et cum beato scilicet Augustino cuius de prædestinatione diuina non fallaciter, sed fideliter verba ponit atque

E

exponit, & cum aliis, qui de eadem fide atque eodem sensu ipsius diuinæ prædestinationis immobilem veritatem, & æquitatem in vtramque partem, & electorum videlicet, & reproborum veraciter intellexerunt, & firmissimè definierunt. Quod si scriptor Epistolæ eos tantummodo putat orthodoxos, qui in damnatione reproborum diuinam solummodo præscientiam, & non etiam prædestinationem credunt: Ergo & *Beatum Augustinum*, & *Beatum Fulgentium*, & ipsam fidei Ecclesiasticæ solidissimam veritatem hæretici erroris denotatione infamat: Et ad tantum malum hæc pertinacia contentionis perducta est, vt (quod nemo dignè dolere potest) iam apud illos, qui prauè sentiunt, orthodoxi, & qui orthodoxè sapiunt, hæretici deputentur. Quod malum vehementer nobis cauendum Propheta denuntiat dicens: *Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum, ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras, ponentes amarum in dulce; & dulce in amarum.*

Nota.

Isa.5.20.

F

Cap.30.

CAP. XXX.

SEquitur post hæc in eadem responsione.

HINCMARVS.

Qua de re refugiunt dicere qui (vt diximus) sanum videntur sapere, quosdam prædestinatos à Deo esse ad interitum, sed tantummodo præscitos: Electos autem, & præscitos, & prædestinatos esse ad regnum, & regnum illis (vt diximus) prædestinatum æternum, de quibus nullus potest perire. Et sicut sunt prædestinati gratia Dei ad regnum, ita sunt prædestinati secundum Apostolum, in operibus bonis, in quibus ambularent: *pro quibus eis non solum gratia detur, sed & gratia regnum reddatur æternum. Pœnam autem dicunt in infidelitate, vel iniquitate perseuerantibus à Deo prædestinatam secundum* diuinam præscientiam, *sicut scriptum est in Propheta:* præparata est ab heri Tophet, *quia hoc ad retributionem iustitiæ pertinet, sicut pertinet ad gratiam, vt ex vna eademque massa peccati gratia electi prædestinentur ad vitam, concordante cum hoc Euangelica veritate:* Ita (*inquit*) maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & Angelis eius.]

Eph 2. 10.

G

Isa.30. 33. Math. 25.41.

RESPONSSO.

Quæsumus, quæ est ista res, quæ causa, vel ratio, pro qua isti refugiunt prædestinationem Dei dicere in damnatione reproborum? Numquid hæc erga illos diuina prædestinatio non est, iusta, quæ quos præsciuit in iniquitatibus permansuros, prædestinauit æternis suppliciis perituros. Numquid non est vera, quæ nisi decerneret tam iustum opus Dei in æternitate, numquam impleri posset in tempore? Numquid non est à sanctis patribus prædicata, & ab Ecclesia Catholica recepta? Quid ergo causæ est, vt refugiamus credere, quod fides tenet, refugiamus dicere, quod veritas docet? Numquid non etiam ipsi, qui hæc refugiunt, iam omnes reprobos ab ipso mundi exordio in massa damnationis, & perditionis asserunt derelictos? Quod quid est aliud (vt suprà ostendimus) nisi æternæ damnationi, & perditioni prædestinatos? Aut qua ratione, dici potest, quod isti tam multiplici sermone firmare conantur, iniquis & impiis in malis suis perseueraturis pœnas à Deo esse prædestinatas, ipsos verò non esse prædestinatos pœnis? Cum vtique non alij, sed illi omnino eas passuri sint, quibus sunt prædestinatæ? Et si certum est apud omnipotentem Deum: qui eas sint passuri, sine dubio & decretum, & definitum sit ipsos esse passuros: Sicut enim certas pœnas eis, qui digni sunt, prædestinauit: Ita certissimè eosdem, quia digni sunt, ipsis pœnis prædestinauit. Sicut vero iniustus non est, dignis præparando pœnas, sic procul dubio iustus est, dignos præordinando pœnis. Vtrumque ergo præscitum, vtrumque prædestinatum, quia vtrumque iustum manifesta veritas declarat.

H

vt malis prædestinata pœna sic malis pœnæ.

clarat. Nec necessitatem eis pereundi sua præscientia, vel prædestinatione imposuit, quos & diu, vt conuerterentur, expectauit: Et quia conuerti noluerunt, iusta vltione damnauit.

CAP. XXXI.

SEquitur in eadem responsione.

HINCMARVS.

Quod & Beatus Petrus in Epistola sua distinctè loquens demonstrat cum dicit: Nouit Deus pios de tentatione eripere, iniquos autem in die iudicij cruciandos reseruare. *Nouit enim, verbum præscientiæ Dei, ad vniuersa hæc facit, videlicet, & ad prædestinationem piorum, quo verbo ereptionis innititur, & ad significationem pœnæ prædestinatæ, cum in fine cruciandos impios monstrat, quando reddet* vnicuique secundum opera sua. *Et ad discretionem, Cum iniquos non dicit Dominum ad pœnarum cruciatus prædestinare; sed iustè desertos cruciandos reseruare: Et aperte monstratur, quia præscientia sine prædestinatione esse potest, prædestinatio autem sine præscientia esse non potest. Quocirca sola præscientia viget in reprobis, in quibus misericordia iustè nil operatur ad donum gratiæ: præscientia autem, & prædestinatio, id est, gratiæ præparatio misericorditer operantur in electis, qui prædestinantur ad regnum & quibus regnum prædestinatur æternum, quod ad donum pertinet gratiæ: Et præscientia, simul & prædestinatio æquè ac iustissimè operantur in prædestinatione pœnæ reproborum, quæ pertinet ad retributionem iustitiæ.*

RESPONSIO.

Hæc sententia *B. Petri Apostoli* non propriè de præscientia, & prædestinatione diuina, sed simpliciter nobis accipienda videtur: Ait namque: *Nouit Dominus pios de tentatione eripere: Impios autem in die iudicij cruciandos reseruare:* Id est, *Nouit* ille alta, & secreta dispositione sapientiæ suæ, & pios in præsenti vita periculis, & tentationibus plena laborantes, sua gratiâ, suâ protectione eripere: Cui quotidie ipsi dicunt: *Ne nos inducas in tentationem,* ne, aut prosperitatibus huius sæculi illiciantur, aut aduersitatibus frangantur. Et è contrario impios in hoc sæculo florentes, & in sua impietate velut prospere agentes nequaquam sua iustitia negligere nequaquam impunitos dimittere, sed quos videtur quasi iniustè in suis cupiditatibus, & delectationibus carnalibus securus, & lætus relinquere, eosdem potius futuro suo iudicio, & æternis cruciatibus reseruare. Vt quanto hic amplius & licentius prosperantur, tanto ibi durius, & atrocius puniantur. Potest tamen in istis postremis verbis vbi ait, *impios verò in die iudicij cruciandos reseruare,*] aliquid diuinæ præscientiæ, & prædestinationis erga eosdem impios velut ex latere intelligi: Quia quos occultu, & iusto iudicio suo ad æternos reseruat cruciatus, & præsciuit sine dubio, & prædestinauit perpetuo cruciandos. Quæ verba Apostoli cùm ita & verius, & rectius intelligantur, nihil necesse est velut ex eorum auctoritate tam multipliciter de ea re loqui, quæ huius sententiæ attestatione non valet approbari, sed potius falsa & superuacua demonstrari.

CAP. XXXII.

SEquitur in responsione.

HINCMARVS.

Aliqua etiam exempla quæ illorum stultitia ad munimen sui, eadem malè intelligendo proferens, profert, sicut modò ad memoriam occurrunt, sapientiæ vestræ scribo. Proferunt ex Apostolo: vasa iræ aptata vel perfecta ad interitum, *dicentes* vasa esse prædestinata ad interitum & *mutari non possunt. Sed aliter alij intelligunt: Maxime cum idem dicat Apostolus de eisdem vasis:* si quis emundauerit se ab istis, *videlicet pro quibus vas contumeliæ fuerat,* erit vas in honorem: *Proferunt:* qui non credit iam iudicatus est, *id est,* prædestinatione Dei iam damnatus est. *Et* Augustinus *in libro de Agone Christiano dicit.* Qui non credit iam iudicatus est, *id est iam damnatus est: Præscientia vtique Dei, Qui nouit quid immineat non credentibus.*] *Proferunt:* indurauit cor Pharaonis; tradidit illos in reprobum sensum: immittet eis spiritum erroris: Tu vero Deus deduces eos in puteum interitus: Qui transgreditur à iustitia ad iniquitatem, Deus parauit illum ad romphæam.

RESPONSIO.

Hæc testimonia scripturarum, quæ ab illo miserabili monacho & ab aliis nescimus quibus, qui cum eo sentiunt ad confirmationem diuinæ præscientiæ, & prædestinationis dicuntur esse prolata, non negligenter: & quasi transeunter omittenda, sed potius diligenter & fideliter iuxta regulam veritatis singillatim videntur esse tractanda. Ne forte parum attendentibus, & non intelligentibus nihil ad rem, de qua agitur, pertinere videantur; Aut velut leuia, & nullius momenti absque periculo præteriri posse existimentur. Est enim certissimum, & manifestissimum huius rei testimonium ex Apostolo sumptum: quia vt ipse dicit: *Sustinuit Deus in multa patientia vasa iræ aptata vel perfecta in interitum, vt ostenderet diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparauit in gloriam.* Vere etenim *vasa iræ,* id est iustæ vindictæ Dei, quam meruit primæ transgressionis culpa, omnes reprobi sunt: qui in fine non ereptionem misericordiæ, sed iram damnationis sensuri sunt. Et hæc *vasa iræ* non ad misericordiam, sed ad iudicium, præordinata iam, & suo merito, & diuino iudicio, & *aptata & perfecta* sunt *in interitum:* vt & suo præcedente merito, & diuinæ prædestinationis iusto præcedente iudicio, quia noluerunt conuerti, ad bonum, æternum patiantur malum. Non ergo quia non potuerunt, sed quia noluerunt de malo conuerti ad bonum, iustum patientur supplicium. Sicut è contrario verè *Vasa misericordiæ* sunt omnes electi, qui nullo suo præcedente merito, sed sola Dei misericordia *à massa perditionis discreti* diuina prædestinatione sunt *Vasa præparata in gloriam.*

CAP. XXXIII.

VNde & illud quod alibi idem dicit Apostolus: *Si quis autem emundauerit se ab istis, erit vas in honorem,* nullo modo huic tam claræ & manifestæ veritati diuinæ prædestinationis in vtrâque partem tam electorum videlicet, quam reproborum, si diligenter ex superioribus verbis Apostoli consideretur, contrarium, sed omnino concors & consonum inuenitur. Ait namque: *In magna autem domo non solum sunt vasa aurea & argentea, sed & lignea & fictilia: Et quædam quidem in honorem, quædam autem in contumeliam:* Et ita subiunxit: *Si quis autem emundauerit se ab istis, erit vas in honorem, sanctificatum, & vtile Domino.* Manifestissimè itaque constat, quod quæ in illis verbis dixerat *Vasa iræ aptata siue perfecta in interitum:* Et è contrario *Vasa misericordiæ præparata in gloriam,* ea omnino dicit hic *quædam in honorem, & quædam in contumeliam: In honorem vasa misericordiæ, in contumeliam vasa iræ;* Sed cum ibi prædestinationem tantummodo vtriusque partis, id est, electorum, & reproborum, simpliciter commendauerit, hic adiungit etiam exhortationem, quam attente *Vasa misericordiæ* debeant se custodire & segregare ab immunditiis vasorum, iræ, cum dicit: *Si quis autem emundauerit se ab istis, erit vas in honorem,* &c. id est, si quis emundauerit se ab istis vasis iræ, vasis in contumeliam, vel ab eorum immunditiis, si aliquando in eis fuit, sollicitè se extrahendo, vel nunquam eis se admiscendo, & immaculatum se ab hoc sæculo custodiendo, erit vas in

honorem

honorem sanctificatum, id est, ipso emundationis &
sanctificationis suæ effectu atque profectu demonstrabit
se ad vasa misericordiæ, & ad vasa honoris, & gloriæ
pertinere. Vnde non hoc significat in his verbis Apo-
stolus, quòd vasa iræ & contumeliæ, id est, diuino iu-
dicio reprobi & reprobati possint effici vasa misericor-
diæ & honoris & gloriæ, id est, in sortem electorum
transire, sicut scriptor huius Epistolæ intellexit: Cùm
omnino reprobi, qui diuinitus præsciti sunt in suis ini-
quitatibus permansuri, nullatenus possint merito per-
seuerantissimè iniquitatis suæ in electorum societate
censeri, sicut regula Catholicæ fidei indubitanter tenet,
& docet: Sed vt vnusquisque fidelium, sicut iam dictum
est, ipsa fidei & iustitiæ sanctificatione probet, & de-
claret sese ad vasa misericordiæ, & electionis pertinere.
Duo namque sunt quibus velut quodam signaculo pro-
bantur, & agnoscuntur electi Dei: scilicet æterna diui-
næ gratiæ præordinatio, & pia ab omni iniquitate infi-
delitatis & prauitatis emundatio: vt ex manifesta luce
iustitiæ & sanctitatis manifestetur in eis veritatis diuinæ
electionis: sicut ipse Apostolus paulo superiùs ostendit,
dicens: *Sed firmum fundamentum Dei stetit habens signa-
culum hoc: Cognouit Dominus qui sunt eius, & discedat
ab iniquitate omnis, qui nominat nomen Domini.* Quòd
ergo *cognouit Dominus qui sunt eius* æterna electio est:
*Vt autem discedat ab iniquitate omnis qui nominat nomen
Domini*, certa ipsius electionis probatio est.

Secundo loco testimonium diuinæ prædestinationis
de Euangello ponitur: *Qui non credit iam iudicatus est:*
Quòd videlicet omnes impij, & increduli iam sunt diui-
na prædestinatione damnati. Quia videlicet si eorum
damnatio iustum diuini iudicij opus est, sine dubio opus
suum semper apud Deum, & præscitum & prædestina-
tum est. Sed scriptor Epistolæ nolens damnationem in-
credulorum ad diuinam prædestinationem, sed tantum-
modo ad præscientiam pertinere, subiungit verba *B.
Augustini*, quibus quasi hoc probare videatur. Ait nam-
que ille in libro de Agone Christiano, memorans ver-
de ba Euangelij: *Qui non credit iam iudicatus est*, id est, iam
damnatus est, præscientia vtique Dei, qui nouit quid
ia. immineat non credentibus:] Eo quòd non dixerit san-
ctus Doctor, iam damnatus est prædestinatione Dei, sed
præscientia Dei. Nec dixerit, qui statuit, aut præfiniuit,
siue prædestinauit, sed qui nouit (inquit) quid immineat
non credentibus, quasi omnipotens Deus aliquid ope-
rum suorum præscierit futurum, quod non prædestina-
uerit se esse facturum? Aut cùm in operibus ponitur præ-
scientia Dei, non statim certissimè intelligi debeat, &
prædestinatio Dei. Quia sicut nihil operum suorum præ-
destinauit, quod non præscierit: Ita quicquid eorum præ-
sciuit, sine dubio etiam prædestinauit. Nihil enim in
operibus eius est iniustum, aut iniquum, vt dignè tan-
tummodo præsciretur, & non prædestinaretur; sed quia
totum est iustum & rectũ, totum est omnino præscitum,
totum omnino prædestinatum. Vnde idem *Beatus Au-*
in *gustinus*, qui in hoc loco dicit incredulos iam diuina
præscientia damnatos, alibi cùm tractatet verba Domini
dicentis ad quosdam, *Sed vos non creditis quia non estis*
48. *ex ouibus meis*: Eosdem restatur diuino iudicio ad æter-
10. nam mortem prædestinatos, ita dicens: [Quomodo ergo
istis dixit, *non estis ex ouibus meis*, quia videbat eos ad
sempiternum interitum prædestinatos, non ad vitam
æternam sui sanguinis pretio comparatos.] Ecce & in
5. illis verbis Domini quibus ait: *Qui non credit iam iudi-*
6. *catus est*: Et in istis quibus dixit, *Sed vos non creditis,
quia non estis ex ouibus meis*; vtrobique increduli, & in-
fideles designati sunt, & quos in illa sententia sanctus
Doctor dixit, diuina præscientia iam damnatos; in ista
eosdem dixit ad æternum interitum prædestinatos. Non
quia alij ex eis diuina præscientia, & alij diuina præde-
stinatione damnati sunt: sed quia diuini iudicij virtute,
qua tales damnantur, sicut & in omni opere diuino
vtrumque simul intelligendum sit, etsi non vbique, quia
nulla exigit necessitas, simul dicendum.

Tertio loco testimonium de Exodo ponitur; *Indura-
uit Dominus cor Pharaonis*: Quod manifestè non ad præ- E
scientiam, vel prædestinationem futurorum, sed ad præ- Exod. 9.
sens Dei iudicium pertinet, qui eum, quem tali pœna 12.
dignum iudicauit, iusto iudicio indurauit. Similiter &
quartum testimonium intelligendum est, scilicet non de
præscientia aut prædestinatione, sed præsenti iusto iudi-
cio Dei, quod Apostolus dicit: *Tradidit illos Deus in
reprobum sensum*, Et quintum vbi ait: *Mittet eis Deus* Rom. 1.
operationem erroris; quia (vt dictum est) quos dignos tali 28.
pœna iudicauit, vel *in reprobum sensum tradidit*, vel eis 2. Thes.
suo iusto iudicio *operationem erroris immisit*. Similiter 2. 10.
& sextum accipiendum, *Tu verò Deus deduces eos in pu-
teum interitus.* Puteus namque interitus est, vt *Beatus* Ps. 54.
Augustinus exponit, tenebræ erroris, tenebræ summer- 24.
sionis. Deducit verò Deus reprobos in hunc puteum, August.
non quòd ipse sit auctor culpæ ipsorum, sed quòd ipse
sit Iudex iniquitatis eorum. Quod etiam si quis de pu-
teo infernalis damnationis & summersionis eodem sensu
velit intelligi: Et pertinere potest ad iustam prædesti- F
nationem interitus reproborum, & non est contrarium
veritati.

Quod autem septimo loco ponitur: Et *qui transgredi-
tur a iustitia ad iniquitatem Deus parauit illum ad rom-* Ezech.
pheam manifestè iustam prædestinationem reproborum 18. 24.
ad interitum sonat, vt qui suo vitio & suo peruerso ar-
bitrio à iustitia declinans transgreditur ad iniquitatem,
iustè diuini iudicij prædestinatione præparetur ad rom-
phæam, id est, ad æternæ mortis vindictam. De quali-
bus etiam alibi scriptum est, quod *si auerterit se iustus
à iustitia sua, & fecerit iniquitatem, morietur in ea.* Iam Ezech.
cætera Scripturarum testimonia quæ sequuntur, sicut 18. 24.
etiam de quibusdam iam superius dictum est, non ad
præscientiam, vel prædestinationem futurorum, sed ad
præsens Dei iudicium pertinere existimamus. Et ideò
prætermissis his, quæ ad præsentem quæstionem mi-
nimè pertinent, ad ea quæ restant consideranda tran-
seamus.

G

CAP. XXXIV.

Cap. 34.

SEquitur itaque in responsione.

Hincmarvs.

Sed isti malivoli non intelligentes quæ loquuntur, vel Not.
*de quibus affirmant, confundunt præscientiam, & prædesti-
nationem: & sicut male intelligunt authenticas Scripturas;
Ita & pessimè verba* Sancti Augustini *in quibusdam locis,
sicut in Enchyridion, & in libris de Ciuitate Dei, & alibi
etiam prædestinatos ad interitum, & populum natum ad
iram dicit: Vnde etiam post quam de libero arbitrio, & de
correptione & gratia, & de perfectione iustitiæ hominis, &
de prædestinatione Sanctorum ad Prosperum & Hilarium,
vbi nihil de Prædestinatione reproborum, sed de prædesti-
natione Sanctorum dixit, multis postulantibus scripserat li-*
brum Hypomnesticon, *aduersus Cælestium, & Pelagium* H
*scripsit de quinque quæstionibus, & hanc sextam loco re-
tractationis superaddidit de prædestinatione: vbi se excu-
sat non eo sensu dixisse, nec intelligi velle prædestinatos ad
interitum, sed in iniquitate, vel impietate perseuranti-
bus pœnam esse prædestinatam. Quarum quæstionum & ab-
solutionum mentionem in libro quem scripsit contra Mani-
chæos ex Genesi facit.*

Responsio.

Propterea maliuolos, id est, illum miserabilem Mo-
nachum, & qui cum eo forsitan sentiunt, confundere
præscientiam, & prædestinationem diuinam arguit, quia
sicut in tota ista responsione laborauit, non vult intel-
ligi prædestinationem, nisi in solis electis: In reprobis
verò solam præscientiam debere sentiri: In qua assertio-
ne non solos istos, quos vocat maliuolos, sed sanctos
Patres, & Doctores Ecclesiæ, qui prædestinationem

Digitized by Google

A *De prædestinatione in vtramque partem.*

diuinam in vtramque partem & intellexerunt & docuerunt, se culpandos affirmare nequaquam considerat. Quod verò pessime dicit intelligi verba *sancti Augustini* (si quis in libro Enchyridion, & in libris de Ciuitate Dei, & in tractatibus Euangelij secundum Ioannem, ita intelligat prædestinationem reproborum ad interitum, sicut eam ille & scriptis suis per omnes Ecclesias, & verbis, etiam præsentibus populis simpliciter & veraciter prædicauit) atque ita conatur beatissimi Doctoris manifestum, & veracem sensum (nescimus in quid aliud) peruertere & detorquere, quantæ absurditatis, immo quam impiæ præsumptionis sit, quis possit explicare? Per hoc enim non solum sensum Ecclesiasticorum Patrum, sed etiam fidem Ecclesiæ, & auctoritatem Scripturæ diuinæ à parte euacuare inuenitur. Ita namque Patres docuerunt: Ita Ecclesia fideliter tenet: Ita Scriptura veritatis veraciter tenendum demonstrat: Sicut iam superius, prout Dominus dare dignatus est, satis probauimus.

B

Cap. 35.

CAP. XXXV.

De libro Hypognosticon.

Adiungit etiam rem nouam, & neque ex lectione, neque ex veraci aliqua traditione nobis hactenus compertam. Quo scilicet, *Beatus Augustinus*, post omnes libros suos scripserit quendam libellum quem Græco vocabulo *Hypomnesticon* nominahit quod Latinè memoratorium interpretatur: In quo de quinque quæstionibus contra Pelagium, & Cœlestium disputauerit. Et quicquid in præcedentibus libris de prædestinatione diuina erga damnationem reproborum dixerat, non ita se dixisse, vt ab omnibus dixisse cognoscitur, & intelligitur: Sed alio absurdissimo, & inconuenientissimo sensu vt per hoc quod dixit impios ad interitum prædestinatos, voluerit intelligi ipsos impios ad interitum prædestinatos, sed (quod nemo credere aut suspicari posset) C pœnam eis intelligi voluerit esse prædestinatam. Quis vnquam audiuit tam pertinacem audaciam, vel tam audacem pertinaciam, vt sanctissimum, & veracissimum Doctorem ipsum de se fateri compellat: quia quod dixit impios in sua impietate permansuros prædestinasse ad interitum, non dixit quia veraciter ita sit, sed quod in eius verbis nullatenus sonat, pœnã in eis intelligi voluerit præparatam? Quis talem absurditatem immo, insaniam ferre possit? Nos enim manifeste nouimus, quia quando libros Retractationum iam senex, & morti vicinus scripsit, in quibus omnes præcedentes libros suos diligenter, & fideliter retractauit, nequaquam adhuc istum libellum scripserat. Quia si scripsisset, vtique inter alios etiam eius mentionem fecisset. Manifestum etiam videtur, quia post eius obitum, quando vitam ipsius, & Cathalogum non solum librorum eius, sed *Possidius.* etiam tractatuum ad populum, & Epistolarum ad diuersos quidam sanctus Episcopus, & alumnus eius diligentissime recensuit & descripsit, necdum istum D libellum scripserat Beatus Augustinus: si enim scripsisset, vtique tanquam præcipuè necessaria inter alios annumerari & memoriæ commendari potuisset: Quod si aliquis ex Ecclesiæ rectoribus, qui post eius obitum extiterunt, simpliciter eum ex titulo qui à sancti Augustini nomine inscriptus est, non considerata diligentius ratione, nec aliqua necessitate, vt id faceret, compellente, ipsius eum esse credidit, cuius in fronte nomen inuenit; quid hoc præiudicat veritati: quæ diligenter inquisita, & inuenta nullum super hac re errare permittit.

Libri falso quibusdam ascripti.

Accidit hoc etiam & præclarissimis Ecclesiæ Magistris vt scilicet siue ex titulo libri, siue ex alterius narratione inducti putauerint, & scripserint eius auctoris aliquod esse opusculum, cuius postea non esse, & veraciter probauerunt, & humiliter confessi sunt. Sicut Beatus Hieronymus in libris contra calumniatorem suum de libro, quem ex falso titulo crediderat Beati Pamphyli Martyris, & postea inuenit Eusebij esse Cæsariensis, manifestè declarat: Et Beatus Augustinus in libris Retractationum euidenter commemorat, & corrigit, quod E iuxta cuiusdam scripta, sententias quasdam de libero arbitrio, & de gratia Dei sic intellixit, & exposuerit tanquam Beatissimi Xisti Romanæ vrbis Pontificis & Martyris, cum è contrario postea inuenerit Ethnici eas esse Philosophi, id est, Sexti Pythagorei.

Liber ille non est Augustini.

Nam & ipse supra memoratus libellus manifestissimis indiciis non se sancti Augustini esse aperte ostendit, quia nec præfationem aliquam in initio sui gerit, vbi se ab aliquibus rogatum, vel sibi necessario visum, vt de tali re, id est, prædestinationis verbo, in suis libris corrigendo, siue aliter exponendo aliquod nouum opus scriberet, & significasse inueniatur. Nec vlla talis necessitas extitisse cognoscitur, vt de illis quinque quæstionibus, de quibus tam multa, & tam multipliciter in libris præcedentibus disputauerat, iterum nouo opere disputare cogeretur. Sed & ipse sermo ab eloquio F sancti Augustini multum discrepat: Et sensus ab illius sensu non parum inferior habetur: Et modestia, atque humilitas morum, & sermonum eius non ibi seruatur: Et *testimoniis ex Hebraica translatione*, quam Beatus Hieronymus edidit, præter eius consuetudinem contra illos hæreticos vtitur. Quod ille ex antiqua potius editione facere consueuit. Et prorsus de tanto viro sentire indignum est, verbum, & sensum prædestinationis; quem omni tempore in suis scriptis; & prædicationibus tenuit & commendauit, & quem in libris retractationum nequaquam reprehendendo vtique approbauit, in hoc libello euacuare & destruere inueniatur, vt iam ex huiusmodi occasione, nec retractationibus eius fides adhibenda videatur.

Cur dictus Augustini.

Vnde magis credibile est, quod non paruo spatio post eius obitum à quodam alio scriptus sit, & magna ex parte iuxta modum, & formam sensuum eius, contra Pelagianos, & Cœlestianos hæreticos de illis quinque periculosioribus eorum quæstionibus breuiter collectus, atque digestus, Et quia auctor eius, ipsius Beati Augu- G stini sensus breui isto opusculo velut in vnum collegisse, & explicuisse videtur, ideo ipsi opusculo nomen sancti Augustini in titulo præferre voluerit: Non quod vere ab illo sit editus, sed vere (inquantum auctor eius potuit) iuxta formam disputationum eius digestus, atque compositus. Velut si eundem libellum) Latinè *memoratorium Sancti Augustini* appellare voluisset, nihil vtique aliud intelligeretur, nisi quia illud quod ab eo sparsim, & multipliciter fuerat disputatum, breuiter & velut sub vno aspectu positum memoriæ commendaret. Nam si beatus Augustinus prædestinationis verbum in parte reproborum, vt durum & incongruum; vel etiam falsum in suis scriptis repudiare, & damnare voluisset, multo maior, & formidolosior extitit occasio, vt hoc in libris, quos, de prædestinatione sanctorum & dono perseuerantiæ ad Prosperum & Hilarium scripsit, facere cogeretur, compellente scilicet tanta super hac de re querimonia & perturbatione magnorum, & Sanctorum apud Gallias virorum, qui eius disputationibus in tantum permoti fuerunt, & quodam tædio affecti, vt prædestinationis sensum, qui ab eo constanter & instanter prædicabatur, vel quasi falsum, vel quasi valde periculosum potius tacendum esse iudicarent. Sed nec tanta perturbatione, & permotione fidelium, ab intentione veracissimæ, & fidelissimæ doctrinæ suæ frangi potuit, aut reuocari. Sed magis eos & scriptis suis in quantum potuit admonuit & instruxit, & orationibus apud Deum profusis fideliter adiuuit, vt intelligerent, & agnoscerent quam necessario, & quam salubriter propter commendationem diuinæ gratiæ eiusdem prædestinationis veritas omnino & credenda & prædicanda esset.

De primis Pelagianis reliquiis. H

De Pelagianis.

Pelagiani vero hæretici nunquam prædestinationem in parte reproborum, quia (vt putamus) & veram, & & iustam esse intellexerunt, in eius disputationibus reprehendisse inueniuntur: Sed tantummodo in electorum vt diuinam gratiam destruerent, & liberum arbitrium hominis sufficere confirmarent, eam negauerunt: quia

A

Nota.

videlicet, si omnipotens Deus ante mundi constitutionem, quos saluaturus esset elegit, & dona sua, quæ eis largiturus fuerat, prædestinauit, cessat hîc omnis humani arbitrij præsumptio, & sola Dei gratia euidentissimè, & firmissimè commendatur, per quam ipsum etiam humanum arbitrium, & à seruitute peccati liberatur, & diuinis muneribus inlustratur. Atque ita euidenti & inuicta ratione, totum eorumdem Pelagianorum falsum, & fallax dogma destruitur.

Non ergo tantus Doctor veram diuini iudicij prædestinationem de damnatione reproborum in illo Hypomnesticon libello negauit, quam vbique in suis scriptis asseruit: sed alius quidam, vt putamus, noua postmodum ipsorum Pelagianorum insurgente calumnia velut per illam prædestinationem reproborum ad interitum hoc doceret Ecclesia; quasi Deus sua prædestinatione necessitatem imponeret hominibus, & in suis impietatibus permanendi, & in æternum pereundi, subtraxit verbum prædestinationis in parte reproborum: Quod potiùs secundum veritatem diuini iudicij, & diligenter exponi, & commendari oportuerat: Et solam electorum prædestinationem conatus est asserere; atque ita dum vult illam refutare, & remouere calumniam, magnam erroris occasionem dedit, vt eadem tam vera, & & manifesta in damnatione reproborum diuina prædestinatio nulla esse crederetur, & tanquam nulla sit, negaretur. Quapropter diligenter inquisita, & euidenter agnita veritate, cesset contentio & animositas erroris, & suscipiatur libenter atque obedienter manifestatio veritatis. Vt autem quinque illas quæstiones, siue oppositiones Pelagianorum in libris, quos de expositione genesis, idem Beatus Augustinus contra errores, & blasphemias Manichæorum scripsit commemoraret, nec in nostris codicibus inuenitur, nec vlla ratio esse videtur: quia manifestum omnino est, quando eosdem libros idem auctor conscripsit, primis ferè adhuc temporibus conuersionis, siue Presbyterij, sui nec dum tunc Pelagianorum nomen aut hæresim extitisse; sed longo post tempore, & multis intercedentibus annis eorum insaniam, atque impugnationem contra Ecclesiam surrexisse. Et ideo quod neque ad Manichæos hæreticos pertinebat, neque à Pelagianis, qui nec dum exorti fuerant, nullatenus opponi potuerat, nulla prorsus ratio permittit, vt quod adhuc penitus futurum ignorabatur, in illis libris velut transactum commemoraretur. Sunt quidem circa finem librorum eorumdem breuiter contra Manichæos propositæ, atque expositæ quædam quinque quæstiones; sed ad Pelagianos nihil pertinentes, & eorum nullam memoriam facientes.

De prædestinatione reproborum.

B

C

CAP. XXXVI.

Cap. 36.

ILlud quoque quod dixit scriptor Epistulæ: *Quia in libris ad Prosperum & Hilarium scriptis de prædestinatione Sanctorum, & dono perseuerantiæ, nihil idem Doctor dixerit de prædestinatione reproborum ad interitum.*] Nullatenus verum esse cognoscimus: frequenter enim in eisdem libris de vtriusque partis, id est, electorum, & reproborum prædestinatione nunc simul, nunc distinctè disputat: Et ideo liber ille de prædestinatione Sanctorum titulatur: non quia & de prædestinatione reproborum nihil ibi dicitur, sed quia ex meliori parte nomen accepit: Sicut & in libris de ciuitate Dei, vtique de vtriusque ciuitatibus, & Dei, scilicet, & diaboli pariter & multipliciter disputat; Et tamen ex meliori parte libros de ciuitate Dei voluit appellare. Quia ergo multum ad præsentem quæstionem, vbi de diuina prædestinatione agitur, necessarium videtur, opportune atque vtiliter fieri existimamus, vt aliqua ex eisdem libris ad hanc rem pertinentia agnoscenda & tenenda legentibus proponamus. Ait igitur quodam loco distinguens veramque prædestinationem, sicut iam superius memorauimus; [Prædestinatio Dei quæ in bono est, gratiæ est præparatio Gratia verò est ipsius prædestinationis effectus.] Item alibi. Tanta quippe ab inimicis Iudæis *manus Dei & consilium prædestinauit fieri*, quanta necessaria fuerant Euangelio propter nos. Agit quippe Deus quod vult in cordibus hominum vel adiuuando, vel iudicando, vt etiam per eos impleatur, quod *manus Dei & consilium prædestinauit fieri.*] Et alio loco: Hæc Deus facturum se esse præsciuit. Ipsa est prædestinatio Sanctorum, *quos elegit in Christo ante constitutionem mundi.*] Et iterum: Et paruulis, inquit, quibus vult, etiam non volentibus neque currentibus subuenit; *quos ante constitutionem mundi elegit in Christo* daturus eis gratiam gratis: Et maioribus, etiam his quos præuidit si apud eos facta essent, suis miraculis credituros, quibus non vult subuenire, non subuenit. De quibus in sua prædestinatione occultè quidem sed iustè id indicauit. *Non enim est iniquitas apud Deum, sed inscrutabilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius.*] Item ibi post paululum: Duorum, inquit, geminorum, quorum vnus assumitur, vnus relinquitur, dispar est exitus, merita communia. In quibus tamen sic alter magna Dei bonitate liberatur, vt alter nulla eius iniquitate damnetur: *nunquid* enim *est iniquitas apud Deum, absit:* sed *inuestigabiles sunt viæ ipsius.* Itaque misericordiam eius in his qui liberantur, & veritatem in his qui puniuntur sine dubitatione credamus. Neque inscrutabilia scrutari, aut inuestigabilia vestigare conemur. Et alio loco: Hæc est prædestinatio Sanctorum nihil aliud præscientia, scilicet & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur, quicumque liberantur. Cæteri autem vbi nisi in massa perditionis iusto diuino iudicio relinquuntur.] Et iterum: An forte nec ipsa dicunt prædestinata: Ergo nec dantur à Deo, aut ea se daturum esse nesciuit. Quòd si & dantur, & ea se daturum esse præsciuit, profectò prædestinauit.] Et iterum: Nulla sua futura dona & quæ danda essent, & quibus danda essent Deum non præscire potuisse: Ac per hoc prædestinatus ab illo esse, quos liberat & coronat.] Item alibi: Sine dubitatione enim præsciuit, si prædestinauit: sed prædestinasse, est hoc præscisse quod fuerat ipse facturus.] Hæc ex supra memoratis Beati Augustini libris breuiter consideranda proposuimus, vt diuinæ præscientiæ & prædestinationis æternam & immobilem veritatem perspicue eum docuisse, & legentibus commendasse certissimè cognoscamus.

D

Aug. de prædest. sanct. c. 10. Ibid. c. 10.

E

Act. 4. 28. Idem de dono perseu. c. 18. Ibid. c. 11.

Rom. 11. 33. Ibid.

F

Rom. 9. 14.

Ibid. c. 14.

G

CAP. XXXVII.

Cap. 37.

SEquitur autem in præfata responsione.

HINCMARVS.

Sed & gratia, vel libero arbitrio qui meliùs sapiunt, ita credunt, & ita loquuntur: Arbitrium liberum in primo homine non fuit emortuum, sed vitiatum, in nobis autem ad malum agendum arbitrium malè est liberum: quia à gratia non liberato, sed malè libero arbitrio vsi efficimur serui peccati. Ad benè agendum autem, immò & ad benè volendum tunc verè est nostrum arbitrium liberum, cum fuerit gratia liberatum, quod non est ressuscitatum, quia non fuit emortuum: sed gratia est sanatum; quia vitio fuit corruptum. Et reprobi idcirco nequaquam cælestis patriæ præmia æterna percipiunt, quia ea nunc, dum promereri poterant, ex libero arbitrio, contempserunt: quod videlicet liberum arbitrium in bono formatur electis, cùm eorum mens à terrenis desideriis gratia aspirante suspenditur. Bonum quippe, quod agimus, & Dei est, & nostrum: Dei per præuenientem gratiam: nostrum per obsequentem liberam voluntatem: Si enim Dei non est, vnde ei in æternum gratias agimus? Rursum si nostrum non est, vnde nobis retribui præmia speramus? Quia ergo non immerito gratias agimus, scimus quod eius munere præuenimur. Et rursum quia non immerito retributionem quærimus, scimus quod subsequente libero arbitrio bona elegimus, quæ ageremus. Vnde sicut Sancta Scriptura docemur, gratia præuenimur, vt bene velimus: per liberum arbitrium gratiam subsequimur, vt bene agamus: Gratia adiuuamur, vt benè agere possimus, quod arbitrio

De gratia & libero arbitrio.

H

volumus:

A

volumus: Et gratia corroboramur, vt in bono, quod per liberum arbitrium subsequendo cœpimus, perseueremus: Et gratia subsequimur, vt & gratia beatæ retributionis pro gratia bonæ operationis gratuita gratia remuneremur. Et misericordia eius, *inquit, id est gratia* prænenier me. *Item* & misericordia eius subsequitur me omnibus diebus vitæ meæ. *Et* qui coronat te in misericordia & miserationibus.]

Ps. 58. 11. Ps. 22. 6. Ps. 102. 4.

RESPONSIO.

Liberum arbitriũ emortuũ.

In his verbis quod dictum est: *Arbitrium liberum in primo homine non fuit emortuum, sed vitiatum:*] Et quod paulo post de eodem libero arbitrio subiungitur: *Quod non est resuscitatum, quia non fuit emortuum, sed gratia est sanatum, quia vitio fuit corruptum,*] multum miramur, qua ratione ita sentiri, & dici potuerit. Numquid enim primus homo peccando in anima mortuus non est? sicut scriptura verissimè dicit: *Anima quæ peccauerit ipsa morietur.* Et quid est verè liberum arbitrium animæ, nisi libera animæ voluntas? Quid est autem libera animæ voluntas, nisi libera charitas, qua spontè & voluntariè & perfectè ante peccatum Deo adhærebat anima, & ex eo viuificabatur, tanquam ex fonte vitæ: & ex ipso inluminabatur, sicut ex vero lumine: Cui fideliter dicere debemus: *Quoniam apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen.* Mortua est itaque humana anima per peccatum, non amittendo (sicut iam superiùs diximus) naturam suam; sed amittendo veram vitam suam, quæ illi Deus est: vnde ad Deum conuersa viuificatur, & viuit Deo: A Deo autem auersa moritur Deo, & viuit peccato: Et sine dubio voluntate auertitur à Deo, vt moriatur; & voluntate conuertitur ad Deum, vt viuificetur. Voluntas ergo animæ ad Deum conuersa fit bona; A Deo auersa fit mala; ad Deum conuersa viuificatur; A Deo auersa moritur: sicut acies oculorum corporalium, à luce auersa tenebrescit? Ad lucem conuersa clarescit. Quid est vitium animæ, nisi auersio à Deo? & quid est virtus animæ, nisi conuersio ad Deum? vitium itaque auersionis à Deo, mors animæ est: & virtus conuersionis ad Deum vita animæ est. Et quia (sicut iam dictum est) voluntate auertitur à Deo, & voluntate conuertitur ad Deum, ipsa auersione vel conuersione voluntas animæ, quæ naturaliter cum ipsa & in ipsa est, cum ipsa & in ipsa pariter aut moritur, aut viuificatur. Et ideo nullatenus credendum est, quod in primo homine mortua anima per peccatum, non fuerit voluntas bona mortua eodem peccato.

B

Ezech. 14.

Quid liberũ arbitrium.

Ps. 35. 10.

C

Cap. 38.

CAP. XXXVIII.

TOta namque anima cum voluntate sua, aut viuit, aut moritur: Et ideo nec sine voluntate sua potuit Deo viuere: nec sine voluntate sua potuit Deo mori. Nec sine voluntate sua vitiata est peccato morrifeto, nec sine voluntate sua sanatur à peccato mortifero. Nam si in primo homine peccante voluntas bona non est mortua, quomodo nunc per viuificantem gratiam & creatur, & innouatur, & Deus eam operatur in homine? Vnde ait Apostolus: *Ipsius enim sumus figmentum, creati in* CHRISTO IESV *in operibus bonis:* sed vt simus creati in CHRISTO IESV in operibus bonis, illud necesse est, vt fiat in nobis, quod Psalmista ait: *Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innoua in visceribus meis.* Et *Deus est enim, qui operatur in vobis & velle.* Quid est enim cor mundum, nisi munda conscientia à peccatis, corde mundata, & bona voluntate prædita? Et quid est spiritus rectus nisi nulla mala voluntate deprauatus? Et quid est *operari in nobis velle*, nisi inspirare, & largiri nobis bonum velle: mortua est itaque peccando humana anima, & humana voluntas à vita Dei. Mortuum est illud, quod erat ante peccatum verè liberum arbitrium, quo libera hominis voluntas, id est, libera hominis charitas voluntariè, & liberè diligendo adhærebat Deo. Et verè mortuum est huiusmodi liberum arbitrium hominis negligendo Deum, & recedendo à Deo. Et ab ea morte, qua amisit charitatem Dei resuscitatur, & viuificatur per eãdem gratiam charitatis Dei. Quod apertè Beatus Ioannes Apostolus docet, dicens: *Nos scimus, quoniam translati sumus de morte ad vitam; quoniam diligimus fratres. Qui non diligit, manet in morte.* Vita itaque humanæ animæ, & humanæ voluntatis Dei, & proximi dilectio est, qua homo ante peccatum fruebatur Deo, & fruebatur proximo in Deo; ab hac vita sua mortuus est, negligendo Deum, negligendo seipsum, & proximum: *Quoniam qui non diligit, manet in morte.* Anima itaque humana, & humana voluntas, sicut verè manet in morte non diligendo; Ita verè transfertur de morte in vitam diligendo. Et sicut vera mors eius est non diligere: Ita & vera vita eius est diligere. Hac dilectione non fit verè liberum arbitrium, id est verè libera voluntas, nisi illo liberante, id est libertatem largiente qui ait: *Si vos filius liberauerit, tunc verè liberi eritis:* Et nisi illo munere spiritus Dei, de quo dicit Apostolus, *vbi autem Spiritus Domini, ibi libertas.*

D

Eph. 2. 10.

Ps. 50. 12.

Phil. 2. 13.

Bona voluntas per gratiã creatur & innouatur.

Deũ operari velle quid sit.

E

1. Ioan. 3. 14.

Vita animæ Dei dilectio.

1. Ioan. 3. 14.

Ioan. 8. 36.

2. Cor. 3. 17.

F

Sed & illud quod in istis verbis dicitur: *Quia bonum quod agimus, & Dei est, & nostrum: quia nisi esset Dei, non ei pro eodem bono in æternum gratias ageremus: Et nisi esset nostrum, non ab eo pro eodem bono iustè præmia expectaremus.*] Nescimus quid diuisionis, vel cuiusdam distributionis vnius, atque eiusdem boni inter Deum & hominem sonat. Quasi ex parte sit Dei, & ex parte nostrum: Sicut toto isto sermone asserere videtur scriptor Epistolæ, vt quasi initium boni nostri sit Deus, effectus verò liberi humani arbitrij: licet hunc *errorem velut gratiæ adiunctione, non etiam plenitudine temperare conetur*, cùm verè totum sit Dei, sicut ipsa veritas dicit: *Sine me nihil potestis facere.* Et Apostolus: *quid enim* (inquit) *habes quod non accepisti.* Vnde Beatus & gloriosus Martyr *Cyprianus* ita definit, dicens: In nullo gloriandum quando nihil nostrum sit.] Bonum itaque nostrum totum Dei est, quia totum ex Deo est: & nihil boni nostri nostrum est, quia nihil boni nostri ex nobis est. Et ideò manifestè, vt iuxta formam paternæ doctrinæ potius loquamur; omne bonum nostrum, & totum Dei est donando, & totum nostrum fit accipiendo. Vnde & in Dominica oratione quotidie postulamus, dicentes: [*Panem nostrum quotidianum da nobis hodie:* Cur enim panem nostrum nobis poscimus à Deo dari, nisi quia (vt diximus) sicut verè est Dei largiendo, ita etiam nostrum fit accipiendo. Vnde *B. Papa Cælestinus* (sicut iam superius eius verba posuimus) ait: Tanta enim est erga omnes homines bonitas Dei, vt nostra velit esse merita, quæ sunt ipsius dona.] Totum itaque bonum nostrum Deo dandum, Deo est tribuendum; quia totum ex illo est, non ex nobis, dum totum & ab illo inchoatur, ac ab illo agitur, ac peragitur in nobis: quia non qui suo, sed *quicumque spiritu Dei aguntur, hi filij sunt Dei.* Hæc de prima Epistola, quia multis & perplexis quæstionibus plena erat, prout Dominus donare dignatus est, ipsa necessitate cogente prolixius diximus.

De partitione inter Deũ & hominem.

Nota.

Gratiæ adiunctione; non plenitudine.

Ioan. 15. 5.

1. Cor. 4. 7.

S. Cypr. testim.

G

ad Quirin. 3. c. 4.

Bonum quomodo nostrum.

Cælestinus.

Matt. 6. 11.

Rom. 8. 14.

H

Cap. 39.

CAP. XXXIX.

De 2. quæ est Parduli Epistola.

De 2. Epist.

IN secunda autem Epistola pauca quidẽm sunt, de quibus dici oporteat, sed ipsa silemio prætereunda. Cùm ergo de præfatis quæstionibus, & ille qui hanc secundam scripsit Epistolam breuiter significare vellet quantum apud eos esset inquirendi studium, & quanta dissonantia sententiarum, quantáque auiditate desideraretur, vt de his rebus aliquid certum, & absque ambiguitate sequendum inueniri, & ostendi posset, ita ait.

PARDVLVS.

Plures inde apud nos scripserunt. Et cum quinque ex eis nominasset, inter quos etiã *Amalariũ* scripsisse memorauit, subiunxit dicens: *Sed quia hæc inter se valde dissentie-*

bant. Scotum *illum qui est in palatio regis,* Ioannem *nomine scribere cogimus.* Et paulo post: *Quæ autem inter nostros inde sit maxima contentio vobis significo.*

Quidam dicimus Augustinum *edidisse libellum quem* Hypognosticon *præintitulamus. Et quidam nostrorum dicunt, non à præfato viro eundem libellum esse editum: quod mendacium esse citò probare poteris, qui secundum libellum* Augustini *quem in Genesim contra Manichæos edidit ad finem vsque perlegeris: vbi demonstrat se ipsam quæstionem cum aliis quinque contra rabiem Manichæorum edidisse: Et propterea in retractatione nihil inde commemorat, quia quæcunque aliorsum de prædestinatione dixerat, in eodem libello corrigere videtur. Simili modo etiam quidam dicimus* de induratione cordis Pharaonis libellum à beato Hieronymo editum. *Et nostrorum quidam non ab eo, sed ab alio quolibet mendose factum. Quod etiam mendacium fore inuenietis, si septimum decimum librum* [illegible]*gni Hieronymi in Isaiam legeritis, vbi mentionem eiusdem libelli facit.*]

Responsio.

His verbis quid aliud in primis respondere possumus: nisi quia de his rebus auxiliante, & protegente diuina misericordia, nullus labor, nulla necessitas noua inquirendi, & inueniendi & scribendi apud eos extitisset: nec tanta dissensio & contentio exoriri potuisset, si remoto omni præsumptionis, atque animositatis studio, sola apud illos veritas in sanctorum Patrum dogmatibus & Ecclesiasticis definitionibus (quorum rectissimam fidem & fidelissimam doctrinam semper honorabiliter, & fideliter, & secuta est, & sequitur, & sequetur Ecclesia) vnanimiter, & humiliter, atque obedienter inquireretur, & quod inuentum esset, pacifica & tranquilla pietate omnibus sequendum proponeretur, & commendaretur. Nec *Propter vnum libellum* vsque hodie incerti auctoris, & inusitati nec vllatenus recipiendi sensus, de quæstione præscientiæ & prædestinationis Dei, tam claris, & tanta firmitate solidatis Ecclesiasticæ veritatis institutionibus præferre maluissent. Quid enim causæ extitit, vt illa omnia postponerentur, & Scripturæ sanctæ veritas minus discussa, & considerata negligeretur? Et his omnibus, quod nullo certo auctore, nulla vera ratione fultum est, sequendum potius iudicaretur, nisi à parte ipsum contentionis malum, quo semel præsumpta sententia & sensus inconsideratè prolatus obstinatè potius defendendus, quam salubriter putatus est corrigendus. Vnde etiam satis mirari non possumus, quomodo illæ quinque vel sex quæstiones à Beato Augustino contra Manichæorum rabiem prolatæ esse credi potuerint, cùm sicut & multiplices libri eiusdem sancti Doctoris testantur, & ipse *Hypomnesticon libellus* manifestè ostendit à Pelagianis primù hæreticis contra fidem Ecclesiæ sint obiectæ, & ad eorum confutationem diligentiùs sint tractatæ. Certissimè autem (sicut iam supra diximus) quando illos libros Beatus Augustinus de expositione Genesis contra Manichæos scripsit, necdum Pelagiani auditi, aut exorti fuerint: sed longo post tempore Ecclesiam Dei cœperint impugnare: De ipsorum libello, qui huius erroris & conturbationis occasionem dedit, quia iam superius satis diximus, hic nihil amplius dicendum putamus.

Libellum vero *de induratione cordis Pharaonis*, qui à beato Hieronymo scriptus putatur nec in libro de viris illustribus nec in venerabili vitæ eius historia, inter eius opuscula inuenire potuimus. In libro tamen septimo decimo explanationum Isaiæ Prophetæ aliquid tale scripsisse commemorat, nec tamen specialiter de induratione cordis Pharaonis, sed de tota illa ad Romanos difficillima Apostoli quæstione breuiter perstrinxisse designat. Sed quia nos huiusmodi libellum nunquam vidimus, verum ille qui apud istos inuenitur, & styli grauitate, & fidei sinceritate eius esse credendus sit tanquam de ignoto iudicare non possumus. Quid tamen ille sanctus Doctor iuxta fidei Catholicæ veritatem de libero arbitrio senserit, & dialogi ipsius, quos sub nomine Attici & Critobuli, contra Pelagianos scripsit, manifestissimè testantur. Et fidei eius professio, quam plenissimè & perfectissimè contra quosdam calumniatores ad Pontificem sedis Apostolicæ in defensionem sui edidit, satis ostendit; vbi de eodem libero arbitrio ita loquitur: [Liberum sic confitemur arbitrium, vt dicamus nos semper Dei indigere auxilio: & tam illos errare, qui cum Manichæo dicunt hominem peccatum vitare non posse, quam illos, qui cum Ioniniano asserunt hominem non posse peccare: vterque enim tollit arbitrij libertatem. Nos vero dicimus hominem semper & peccare, & non peccare posse vt semper nos liberi confiteamur esse arbitrij.] In quibus beati Doctoris verbis quod affirmat hominem semper peccare posse manifestè humanæ infirmitatis est. Quod autem affirmat hominem posse non peccare, hoc verè diuini est (sicut ipse testatur) auxilij, vt possit esse liberi humani arbitrij. [Dixit etiam quodam loco idem beatus Doctor: Liberi arbitrij nos condidit Deus, nec ad virtutem, nec ad vitia necessitate trahimur. Alioquin vbi necessitas, nec corona est.] Quæ verba eius à Pelagio velut contra gratiam Dei opposita, Beatus Augustinus in libro de natura & gratia, ita exponit, & defendit, dicens quod ait à memorato dictum esse Presbytero: [liberi arbitrij nos condidit Deus nec ad virtutem, nec ad vitia necessitate trahimur: Alioquin vbi necessitas, nec corona est.] Quis non agnoscat, quis non toto corde suscipiat, quis aliter conditam humanam neget esse naturam? Sed in rectè faciendo, ideo nullum est vinculum necessitatis, quia libertas est charitatis. Quod autem ex vitiis naturæ, non ex conditione naturæ, sit quædam peccandi necessitas, audiat homo, atque, vt eadem necessitas non sit, discat Deo dicere? *De necessitatibus meis educ me.* Sic namque opitulante gratia per Dominum nostrum Iesvm Christvm, & mala necessitas remouebitur, & libertas plena tribuetur.] Hæc beatus Augustinus.

Hæc fidei Professio non S. Hieronymi ad Damasū sed ipsius Pelagij ad Innocentium, PP. Hieron.

Aug. de Nat. & Grat. c. 65.

Ibid. c. 66. Ps. 24. 17.

CAP. XL.

Cap. 40.

QVod autem inter cæteros, qui de tanta quæstione, diuinæ videlicet præscientiæ, & prædestinationis apud eos scripsisse memorantur, etiam *Amalarius* ponitur, & *Scotus Ioannes* ab eis ad scribendum compulsus esse refertur, multum molestè & dolenter accipimus, vt Ecclesiastici & prudentes viri tantam iniuriam sibimetipsis fecerint, vt *Amalarium* de fidei ratione consulerent, qui & verbis, & libris suis mendaciis, & erroribus, & fantasticis atque hæreticis disputationibus plenis omnes penè apud Franciam Ecclesias, & nonnullas etiam aliarum regionum, quantum in se fuit infecit, atque corrupit: vt non tam ipse de fide interrogari, quam omnia scripta eius saltem post mortem ipsius debuerint igne consumi, ne simpliciores quique, qui eos multum diligere, & legendo frequentare dicuntur, eorum lectione & inaniter occuparentur, & perniciose fallerentur, ac deciperentur: Et, quod maioris est ignominiæ, atque opprobrij, *Scotum* illum ad scribendum compellerent. Qui sicut ex eius scriptis verissime comperimus, nec ipsa verba Scripturarum adhuc habet cognita. Et ita quibusdam fantasticis adinuentionibus, & erroribus plenus est, vt non solum de fidei veritate nullatenus sit consulendus, sed etiam cum ipsis omni irrisione & despectione dignis scriptis suis, nisi corrigere, & emendare festinet: vel sicut demens sit miserandus, vel sicut hæreticus anathematizandus.

De Amalario.

De scriptis Ioannis Scoti.

CAP. XLI.

Cap. 41.

De 3. quæ est Rabani Epistola.

TErtia Epistola, quæ non ad Ecclesiam nostram, sed ad quendam amicum à Venerabili Episcopo scripta est, assumit quantum nobis videtur, non necessariam, nec

De 3. Epist.

vllatenus

A vllatenus ad rem de qua quæritur, pertinentem diſputationem. Quæritur namque in præſenti diſceptatione, ſicut iam frequenter & multipliciter ſupra diximus, non illud, vtrum impios Deus & iniquos prædeſtinauerit ad ipſam impietatem, & iniquitatem, id eſt, vt impij & iniqui eſſent, & aliud eſſe non poſſent: Quod nullus omnino moderno tempore dicere, vel dixiſſe inuenitur. Quod eſt vtique immanis & deteſtabilis blaſphemia, vt Deus ſua prædeſtinatione quaſi auctor ſit impietatum, & iniquitatum aliquos impios & iniquos eſſe coëgerit; ſed illud potius quæritur, vtrum eos, quos veraciter omnino præſcinit, proprio vitio impios & iniquos futuros, & in ſuis impietatibus, atque iniquitatibus vſque ad mortem perſeueraturos iuſto iudicio ſuo prædeſtinauerit æterno ſupplicio puniendos: Auctor verò ipſius Epiſtolæ relictâ hâc ſecunda quæſtione, quæ in præſenti apud multos verſatur, contra priorem potiùs impiam opinionem laborat, & totum diſputationis ſuæ ſermonem ad

Nolunt Calumniſtæ noſtri temporis.

B hoc dirigit, quod Deus bonus, & iuſtus nunquam alicui eſſe potuerit cauſa vel origo, vel auctor peccati & iniquitatis: Quod omne (vt dictum eſt) fideles fideliter & indubitanter fatentur: nullam tamen eſſe diuinam prædeſtinationem erga iuſtam damnationem eorundem impiorum & iniquorum, & tantummodo in parte electorum eſſe credendam, verbis præfati libelli, qui *Hypognoſticon* dicitur, affirmare contendit. Vnde & quia ipſe ante omnes, qui moderno tempore ſcripſiſſe referuntur, de hac re ſcripſit, eius ſibi auctoritatem ſequi videntur qui ſimiliter de eadem diuina prædeſtinatione ſentiunt, & defendunt. Dicit namque ipſe ſtatim in præfatione ipſius Epiſtolæ ita:

De libro hypognoſticon.

RABANVS.

De hæreſi, quam quidam de prædeſtinatione Dei iniquè condunt errantes, & alios in errorem mittentes, conuenit inter nos, vt de diuinis Scripturis, & de orthodoxorum Patrum ſententiis aliquod opuſculum conſcriberem, ad conuincendum errorem eorum, qui de Deo bono & iuſto tam nequiter ſentiunt, vt dicant eius prædeſtinationem facere, quod nec homo ad vitam prædeſtinatus poſſit in mortem incidere: Nec ad mortem prædeſtinatus, vllo modo ſe poſſit ad vitam recuperare. Cum auctor omnium rerum & conditor Deus naturarum nullius ruinæ atque interitus cauſa ſit, ſed multorum origo ſalutis.

Ipſa verba Epiſtolæ Rabani in Præfatione.

C

RESPONSIO.

In quibus verbis primum hæreſim, & hæreticos nominat, qui de diuina prædeſtinatione ita ſapiunt, vt iuxta auctoritatem Scripturarum & ſanctorum Patrum eam in vtramque partem & electorum ſcilicet, & reproborum fideliter credant, vt & illos omnipotens Deus magna bonitate ſua æternaliter prædeſtinauerit ad gloriam: Et iſtos magna æquitate iudicij ſui prædeſtinauerit ad pœnam. Et ideo prorſus eſt admonendus & ad pietatis conſiderationem reuocandus ne ſub iſtorum perſona, quos tam facilè hæreticos vocat, ſanctos potius, & venerabiles Patres, qui ita docuerunt & definierunt, damnare inueniatur.

De gemina Prædeſtinatione.

D

C. 42.

CAP. XLII.

QVod autem dicit, de illis quos hæreticos putat, *quia de Deo bono, & iuſto tam nequiter ſentiunt, vt dicant eius prædeſtinationem facere, quod nec homo ad vitam prædeſtinatus poſſit in mortem incidere: Nec ad mortem prædeſtinatus vllo modo ſe poſſit ad vitam recuperare:*] Manifeſtum eſt nullo modo eſſe mendacium, ſed certiſſimam veritatem, quam omnes fideles credunt, & confitentur, quod bonitas, & gratia diuinæ prædeſtinationis faciat, vt ex his qui prædeſtinati ſunt ad vitam æternam, nemo poſſit incidere in mortem æternam. Hanc enim perſeuerantiæ ſtabilitatem: & firmitatem in bono ab eo acceperunt, qui rogauit, & rogat pro eis, ne deficiat fides ipſorum ſicut ipſe ad beatum Petrum dicit: *Ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua.* Et alio loco Euangelij de eiſdem electis ſuis dicit: *Et ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum.* Quod autem eadem diuina prædeſtinatio hoc in reprobis agat, vt ſe ad Deum conuertendo, & in melius commutando nemo eorum poſſit ſe ad vitam recuperare, quaſi omnipotens Deus (quod abſit) ſua prædeſtinatione eis impoſuerit neceſſitatem male agendi, & in ſuis malis perſeuerandi, hoc omnino nullus fidelium dicit: quia auctorem operum, & meritorum malorum Deum eſſe non credit. Quod enim impius & iniquus mala ſua corrigendo & diuinam miſericordiā implorando recuperare ſe poſſit ad vitam teſtatur ipſe Dominus per prophetam, dicens: *Quod ſi auerterit ſe impius ab impietate ſua, & fecerit iudicium, & iuſtitiam, ipſe animam ſuam viuificabit.* Similiter & in eo quod addidit: *quia Deus nullius ruinæ, atque interitus cauſa ſit.*] Nullus omnino fidelium contradicit:

Prædeſtinatio facit vt electi non poſſint perire.

E

Luc. 22. 32.

Ioan. 10. 18

Non à contra de reprobis.

Ezech. 18. 27.

F Quia nemo Deum auctorem ruinæ & perditionis impiorum, ſed tantummodo iuſtæ eorum damnationis, & punitionis auctorem credit. Tale eſt & illud quod in initio ſtatim Epiſtolæ ponit & dicit.

RABANVS.

Ita vt quidam eorum perditionis ſuæ conditorem ſuum aſſerant auctorem, dicentes: quod ſicut hi, qui præſcientia Dei ac prædeſtinatione conuocati ſunt ad percipiendam gloriam æternæ vitæ: Ita & illi, qui ad æternum interitum vadunt, prædeſtinatione Dei cogantur, non poſſe euadere interitum.

RESPONSIO.

Quod vtique nemo dicit: Quia omnes impij & iniqui pro ſuis impietatibus, & iniquitatibus iuſte pereuntes, non habent Deum auctorem perditionis ſuæ, quia ipſi ſuo merito perierunt, ſed tantummodo auctorem pœnæ, & damnationis, quam iuſtè exceperunt. Ita & quod ait, illos quos putat hæreticos dicere.

Deus non eſt auctor

G *perditionis.*

RABANVS.

Quia illi qui ad æternum interitum vadunt, prædeſtinatione Dei cogantur non poſſe euadere interitum.

RESPONSIO.

Nemo omnino dicit: Quia quod impij ad interitum vadunt, proprium ipſorum eſt vitium, non diuinæ prædeſtinationis præiudicium: Nec eadem Dei prædeſtinatione coguntur non poſſe euadere, ſed ſua perſeuerantiſſima iniquitate quam relinquere noluerunt, meritò coguntur perire. Sequitur in eadem Epiſtola.

RABANVS.

H

Quia nullo modo ille, qui cuncta bona creauit, & ſanabiles fecit nationes orbis terrarum, atque vult omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire; *aliquem cogit interire.*]

1. Tim. 2. 4.

RESPONSIO.

Et hoc omnino verum eſt, quia nemini Deus imponit neceſſitatem pereundi, ſicut nemini imponit neceſſitatem malè agendi: vnuſquiſque enim ſibi auctor eſt iniquitatis ſuæ, auctor eſt perditionis ſuæ, & Deum, quem non habet auctorem culpæ ſuæ, habet auctorem iuſtiſſimæ pœnæ ſuæ. Item ibi.

Deus nemini imponit neceſſitatē peccandi.

RABANVS.

Si enim ſecundùm ipſos, qui talia ſentiunt, Dei prædeſti-

natio inuitum hominem peccare, quomodo iusto iudicio Deus damnat peccantem, cùm ille non voluntate, sed necessitate peccauerit.]

RESPONSIO.

Et hoc, ficut etiam illa, quæ fupra dicta funt, nihil ad præfentem pertinet quæftionem: Nemo enim ita fentit aut dicit, quòd Dei prædeftinatio aliquem inuitum faciat peccare, vt iam non propriæ voluntatis peruerfitate, fed diuinæ prædeftinationis neceffitate peccare videatur. Sed hoc agit diuina prædeftinatio, vt qui volens peccat, & volens in peccatis fuis perfeuerat, nolens iufto iudicio puniatur. Item poft aliquanta fequitur, & dicit.

RABANVS.

Prædestinationis autem fides, firmißima sanctarum auctoritate Scripturarum munita est, cui nullo modo sunt ea, quæ ab hominibus malè aguntur, adscribi.]

RESPONSIO.

Et hoc nemo fidelium facit. Nemo enim per prædeftinationis diuinæ erga reprobos veritatem adfcribit, & deputat Deo malè agentium iniquitatem, fed tantummodo eorundem reproborum, & eorundem malè agentium iuftam damnationem.

CAP. XLIII.

SEquitur in eadem Epiftola.

RABANVS.

Qui enim recedit à Christo, & alienus à gratia finit hanc vitam, quid nisi in perditionem cadit? Sed non in quod remissum est recidit, nec in originali peccato damnabitur: Qui tamen propter postrema crimina, ea morte afficietur, quæ ei propter illa, quæ remissa sunt, debeatur.]

RESPONSIO

In quibus verbis, quod dictum eft de illo qui recedit à Chrifto, & gratiam eius in fe vacuam fecit atque ita finit hanc vitam, nequaquam ei imputari, nec originalia, nec actualia peccata, quæ illi verè in Baptifmo fuerant remiffa, fed ea fola quæ poft baptifmum gratiam Dei amittendo commifit, *magna* nobis *quæstio* videtur, nec noftro eam fenfu, fed Sanctorum Patrum auctoritate, prout Deus dederit, foluendam credimus. Nam *B. Augustinus* cùm exponeret verba Pfalmi vbi in maledictionibus *Iudæ* proditoris inter cætera dicitur: *In memoriam redeat iniquitas Patrum eius in conspectu Domini, & peccatum matris eius non deleatur.* Ita in ipfum Iudam hoc maledictum adimpletum effe exponit, dicens: [Si Iudas teneret illud ad quod vocatus eft, nullo modo ad eum vel fua præterita, vel parentum iniquitas pertineret. Quia ergo non tenuit adoptionem in familia Dei, fed iniquitatem vetufti generis potiùs elegit, *redijt iniquitas Patrum eius in conspectu Domini*, vt in ea etiam ipfe puniretur. Et peccatum matris eius non eft in eo deletum.] Sequitur autem continuo in Pfalmo: *fiant contra Dominum semper*, id eft, iniquitas Patrum eius, & peccatum matris eius: Quod idem Doctor ita exponit: *fiant contra Dominum semper*, non vt à Domino aduerterentur; fed vt merita eorum peffima non obliuifcatur in ifto Dominus, cum illi & ipfa retribuet: Contra Dominum enim dixit, *in conspectu Domini*.] Ecce apertiffimè Beatus Doctor iuxta fenfum Prophetiæ, quæ in hoc Pfalmo de illo perdito homine continetur, apertiffimè docet, quòd nec fua, nec parentum peccata iam ad eum pertinere potuiffent, fi in illa gratia, & adoptione Filiorum Dei, ad quam vocatus fuerat, permanere voluiffet. Sed quia non permanfit, & ad iniquitatem vetuftæ ex Adam generationis apoftatando rediit, etiam poft baptifmi gratiam, quam in fe irritam fecit, rediit ad eum, non folum fua, fed etiam iniquitas Patrum eius, & peccatum matris eius non eft in eo deletum, vt in eis etiam ipfe puniretur, iudicante illo, & damnante, E
qui reddit iniquitatem patrum in filiis in tertiam, & quartam progeniem. Vnde etiam additum eft in prophetia: Exod. 34.7.
Fiant contra Dominum, id eft, in confpectu Domini *semper*, fcilicet peccata & iniquitates patrum eius ac matris: Pf. 108. 15.
vt merita eorum peffima non obliuifcatur in ifto Dominus, cùm illi & ipfa reftituit.

Quod ergo in ifto apoftata, & tranfgreffore gratiæ Dei, qui vocationem & adoptionem Filiorum Dei deferuit, & magis iniquitatem vetuftæ generationis, quàm iuftificationem nouæ regenerationis elegit, & diuina veritate, & Beati Patris manifesta expofitione factum cognofcimus; Hoc etiam de cæteris eiufdem gratiæ tranfgrefforibus fieri certum tenere debemus: vt recedente ab illis noua gratia, redeat ad eos iniquitas antiqua, non folùm fua, fed etiam paterna: vtrum autem & originalis peccati reatus per baptifmi gratiam deletus ad F
eum redire eique imputari intelligendus fit in his verbis Propheticis quibus dicitur: *In memoriam redeat iniquitas patrum eius in conspectu Domini*, vt non folùm Pf. 108. 14.
illorum parentum & progenitorum eius, qui vicino tempore effe potuerunt, fed etiam primorum patrum, & primorum parentum, qui primi in paradifo deliquerunt, iniquitas, vt dictum eft ei imputetur: Nec in verbis fancti Doctoris clarè elucet, nec à nobis temerè præfumendum eft. Legimus quidem apud Ieremiam Prophetam: *In diebus illis non dicent vltra, patres comederunt vuam acerbam, & dentes filiorum obstupuerunt: sed vnusquisque in iniquitate sua morietur.* In quibus verbis manifeftè noui Teftamenti gratia, per quam regeneratione baptifmi originale peccatum ex prima tranfgreffione contractum foluitur, & deletur prænuntiata eft, vt iam vnufquifque illa Ier. 31. 29. 30.
regeneratione purgatus, & à vinculo antiquæ damnationis abfolutus, nequaquam in primorum parentum peccato, quod etiam dimiffum eft; fed fi peccatis & criminibus feruierit in fua iniquitate moriatur. Iniquitas namque G
ipfa eft *vua acerba, immatura*, afpera & noxia, quæ agentem quafi comedentem nulla vera fuauitate reficit, fed virtutem & robur animæ velut dentes, ita debilitat & lædit, vt cibum vitæ percipere non poffit, de quo fcriptum eft: *Gustate & videte quoniam suauis est Dominus:* qui etiam de fe ipfo ait: *Ego sum panis vitæ. Patres itaque comederunt vuam acerbam*, qui primi in paradifo iniquitatem commiferunt, *& dentes filiorum obstupuerunt*; quia non folùm feipfos, fed & omnem progeniem fuam peccando læferunt. Sed illo peccato originaliter tracto cùm omnes qui ad fidem veniunt per lauacrum regenerationis abfoluuntur, iam non in illa antiqua patrum iniquitate, fed vnufquifque eorum in fua iniquitate morietur. Siue ergo poft baptifmum peccantibus illa peccata, quæ poftmodum commiferunt imputentur; fiue etiam illa, quæ ante baptifmum commiferunt, propter tranfgreffionem tantæ gratiæ fuperadiiciantur, vtique in fua iniquitate, quam vel ante vel poftea cõmiferunt moriuntur. Si ergo eis originalis reatus poft baptifmum iam nullatenus deputatur, manifefte in fuo tantum peccato H
& in fua iniquitate quifque moritur, fi autem inter cætera peccata etiam ille reatus imputatur, etiam fic in fuo peccato vnufquifque moritur, dum iam ei originale peccatum non ideo imputatur, quia illud ex origine traxit, fed quia merito propriæ iniquitatis illud fibi iterum imputari meruit.

Iniquitas est vua acerba. — Pf. 33. 9. — Ioan. 6. 48. d. 29. — *Nota. Ratione ingratitudinis.*

CAP. XLIV.

Cap. 44.

SEquitur poft hæc in eadem Epiftola.

RABANVS.

Quod quia Dei præscientiam nec latuit, nec fefellit, sine dubio talem nunquam elegit, nunquam prædestinauit, & perituram nunquam ab æterna perditione discreuit. Atque

eb

A *ob hoc quicunque tales sunt, licet fuerint renati, fuerint iustificati, ab eo tamen qui illos tales præscinit, non sunt prædestinati.*

RESPONSIO.

In quibus verbis illud primum considerandum est: quia illum qui à Christo recedit, & ab eius gratia alienus efficitur, atque in tali impietate vsque ad finem perdurat, quoniam eum Deus talem futurum verissimè præsciuit, affirmat scriptor Epistolæ nunquam ab eo electum neque prædestinatum ad vitam: Et periturum nunquam ab æterna perditione discretum: Ita, qui prædestinationem diuini iudicij ad iustum reproborum interitum negant, iam ipsos reprobos eodem iusto Dei iudicio damnatos, & nunquam à perditionis massa discretos esse confirmant. Deinde sollicitius & diligentius est quærendum, si reprobi nunquam sunt à perditionis & damnationis massa discreti, quomodo, sicut hic dicitur, tam multi ex eis in Ecclesia per gratiam baptismi sunt renati & iustificati? si enim vt dictum est, nunquam sunt à massa damnationis & perditionis discreti, quomodo in Ecclesia verè sunt renati, & iustificati? Quid enim sunt renati, nisi regeneratione baptismi innouati? Et quid sunt iustificati, nisi per eum qui iustificat impium, à sua impietate mundati.

An baptizati reprobi fuerint à massa perditionis discreti. B

Quomodo ergo in eis perficitur, dum in morte Christi baptizantur, & in eius sanguine à peccatis abluuntur vera innouatio & vera mūdatio, si adhuc in damnationis & perditionis massa concreti, & non discreti detinentur? Apost. *ramum syluestris* & inculti *oleastri* prius de naturali oleastro dicit excisum, & postea in bonam oliuam insertum, atque ita socium radicis & pinguedinis oleæ effectum, quem tamen postea vehementer admonet & terret, dicens: *Vide ergo bonitatem & seueritatem Dei, in eos quidem qui ceciderunt seueritatem, in te autem bonitatem si permanseris in bonitate: Alioquin & tu exciderís.* Quod quid est aliud, nisi vt excisus à bona oliua cui insertus fueras, cum siluestri & fero atque amaro oleastro ignibus deputeris. Iuxta quam similitudinem melius fortassis creditur, & dicitur, quod qui verè ad Christi fidem accedunt, & verè in baptismo eius gratia regenerantur, & verè accipiunt indulgentiam, tam originalium quam actualium peccatorum; verè per hæc & à naturali oleastro credendi sunt excisi, id est, à perditionis & damnationis massa discreti, & in bonam oliuam inserti, id est, Ecclesiæ incorporati: Et tamen si digna excisione commiserint, etiam post ista omnia ab illa oliua excidantur, & cū illa dānationis & perditionis massa, à qua fuerāt originalis, & actualis peccati indulgentia discreti, velut cum naturali oleastro æternæ vstioni deputentur. Vnde namque illa damnationis & perditionis massa, nisi originalis peccati reatu, & conspersione effecta est? Cum ergo in quolibet fideliter credente, & veraciter renato atque expiato, vera fit eiusdem peccati originalis remissio, quomodo ipse in massa originalis peccati remanet, qui inde eiusdem peccati remissione probatur esse discretus?

Affirmatur discretos fuisse. Rom. 11. 17. v. 22. C

Notent Commissa peccata post iustificationē non amplius manere.

D *Nota.*

Quod autem *in verbis sanctorum Patrum* frequenter legitur, quod tales, id est gratiam Christi in se irritam facientes, & ita pereuntes nunquam ab illa massa discreti sint, ad Dei præscientiam pertinet: Qui licet ad præsens in Ecclesia communem eis cum electis regenerationis gratiam tribuat, ibi tamen eos prædestinationis suæ iudicio iam deputat, vbi præuaricationis suæ merito damnandos videt.

CAP. XLV.

Cap. 45.

POst hæc scriptor Epistolæ interpositis perpaucis verbis suis tacito nomine *libelli Hypomnesticon* subiungit & adiungit eius verba, & sensus velut vno tenore & ordine sermonis sui; Ex quibus probare conatur diuinam prædestinationem tantummodo & in parte electorum semper accipiendam; in parte vero reproborum nullam omnino esse. Ita incipit.

E

RABANVS.

Prius ergo ipsum nomen prædestinationis quid indicet exponamus: Deinde esse apud Deum, qui sine acceptione personarum est, prædestinationem, diuinarum Scripturarum auctoritate probemus. Prædestinatio quippe præmittendo, & præueniendo, vel præordinando futurum aliquid dicitur. Et ideo Deus, cui præscientia non accidens est, sed essentia, fuit semper & est, omne quod antequam sit, præscit, prædestinat & propterea prædestinat, quia quale futurum sit præscit. Et ideo Apostolus: Nam quos præsciuit, *inquit*, & prædestinauit: *sed non omne quod præscit prædestinat, mala enim tantum præscit & non prædestinat. Quod ergo bonum præscientia prædestinat, id est, prius quam sit in re præordinat: Hoc cum ex ipso auctore esse cœperit, vocat, ordinat, & disponit. Vnde & sequitur:* Quos prædestinauit hos & vocauit; Et quos vocauit, illos & iustificauit: Quos autem iustificauit illos & glorificauit. *Iam igitur apertius differamus quod loquimur, quomodo humano genere præscientia sua, & prædestinatione Deus, in quo non est iniquitas, vtatur. Massa itaque humani generis, quæ in Adam & Eua præuaricatione damnabilis, mortalisque facta est, non conditione diuina generaliter, sed ex debito pœna, cruciatusque gehenna debetur. Venia verò non merito, sed Dei iusti iudicis misericordia largitate confertur. Quia vero iustus, & misericors Deus, præsciusque est futurorum & ex hac damnabili massa, non personarum acceptione, sed iudicio æquitatis suæ irreprehensibili, quos præscit misericordia gratuita præparat, id est, prædestinat ad vitam æternam: Cæteros autem vt prodixit debitè punit: quos ideo punit, quia quid essent futuri præsciuit; non tamen puniendos ipse fecit, vel prædestinauit, sed tantum (vt dixi) in damnabili massa præsciuit. Quod si a me quæris scire, cur duo ista differenter Deus faciat, si personarum acceptor non est: Quia generaliter aut punire debet iustitia, aut misericordia liberare. Contende cum Paulo, imo, si audes, argue Paulum qui dixit Christo in se loquente:* O homo tu qui es qui respondeas Deo? Nunquid dicit figmentum ei qui se finxit vt quid me sic fecisti? An non habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam? *Ego autem hoc dico, quod dixi, quia quicquid Deus agit, misericorditer, iustè, sanctéque facit: quia solus ipse præsciendo scit, quod homo nesciendo nescit.* Quis enim cognouit sensum Domini? aut quis consiliarius eius fuit? Aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei? Aut quis dicit ei quid fecisti? *Non potest tantum iustus dici Deus, aut solum misericors, sed iustus & misericors. Sic dicimus, sic credimus. Propterea quando illi cum Dauid* misericordiam & iudicium cantamus, *metuentes non interrogamus, quæ sit voluntas eius in iudicio & misericordia conquirentes.*

Rom. 8. 29. 30. F G Rom. 9. 20. 21. Rom. 11. 34. 35. Psal. 100. 1.

RESPONSIO.

H Hæc igitur omnia quia, vt diximus, non sunt verba eius, sed manifestè ex iam dicto libello sumpta agnoscuntur, de quo quid nobis videatur, iam supra satis ostensum est, relicta in medio prolixa, & pia exhortatione, qua omnes fideles omissis eiuscemodi obscuris, & difficillimis quæstionibus ad bene viuendum, & bene agendum fideliter & salubriter cohortatur, ex diuinis Scripturis ad hanc rem pertinentes sententias multas, & multipliciter sumens, transeamus ad eius verba, quibus circa finem Epistolæ, ita dicit.

CAP. XLVI.

Cap. 46.

RABANVS.

Quomodo isti vaniloqui garriunt, quod nihil prosit homini recta fides, & bona operatio; quoniam nisi prædestinatus sit, quis non veniat ad vitam; Cum prædestinatio nihil aliud sit nisi vitæ donatio, non perditionis damnatio. Vnde

manifestè Scriptura dicit: Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione viuorum. Creauit enim vt essent omnia, & sanabiles fecit nationes orbis terrarum: *Et per Prophetam ipse Dominus ait:* Nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat. *Si autem non vult Deus mortem impij, & peccatoris, quomodo prædestinauit eum ad mortem? Cum nihil aliud eius sit velle quam prædestinare. Cunctæ enim omnium rerum voluntas est Dei eiusque facere velle est: Nec simplex natura aliquam contrarietatem in se habet, sed* idem Dominus omnium diues est in omnibus qui inuocant illum. *Itaque prædestinatio in bono legitur, non in malo. Vnde dicit Apostolus:* quos præsciuit, & prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus. Quos autē prædestinauit hos & vocauit, & quos vocauit illos & iustificauit Quos autem iustificauit, illos & glorificauit. *Nota quod dicit:* Quos prædestinauit, hos & vocauit: *Non quos prædestinauit, illos & damnauit: Amauit enim bonus factor creaturam suam: Nec immerito aliquem damnat. De quo alibi scriptum est:* Misereris omnium Domine, & nihil odisti eorum quæ fecisti, dissimulans peccata hominum propter pœnitentiam, & parcens eis: quia tu es Deus vniuersorum.]

RESPONSIO.

De his omnibus, quia multa iam superius dicta sunt, non est diutius laborandum, sed tantum pauca ex eis, quæ consideratione indigent, breuiter designanda. Itaque in eo quod ait, *vaniloquos dicere quod nihil prosit homini recti fides, & bona operatio; quoniam, nisi prædestinatus sit quis, non veniat ad vitam*] verum est omninò quod soli illi veniunt ad vitam, qui diuinitus electi sunt, & prædestinati. Sicut apertè prædicat & confirmat Apostolus, dicens: *Quia quos præsciuit, & prædestinauit; Quos autem prædestinauit, hos & vocauit. Et quos vocauit, hos & iustificauit; Quos autem iustificauit, illos & magnificauit.* Hi sunt qui omnino veniunt ad vitam. De quibus ipse Dominus promittit, dicens: *Et ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum.* Recta autem fides, & bona operatio absit, vt quisquam fidelium dicat, quia nihil prosint: verè etenim prosunt, & verè hominem saluant, si illud eis adiungatur quod Dominus dicit: *Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit.* Securus itaque fidelis homo, & rectè credat, & bene operetur, quia si in his fideliter perseuerauerit, sine dubio saluus erit, & ad electorum numerum pertinebit. Quod vero hic positum est, *Quia prædestinatio nihil aliud sit, nisi vitæ donatio, non perditionis damnatio.*] Videtur nobis non ita à *Sancto Augustino* dictum vel definitum, Qui distinguens inter prædestinationem, & gratiam. Ita ait: [prædestinatio est gratiæ præparatio: Gratia vero est iam ipsa donatio.] Et post pauca quæ interposuit, eandem prædestinationem diuinam dupliciter accipiendam esse, id est, & in bono electis, qui gratis prædestinati sunt ad vitam: Et in malo reprobis qui iustè prædestinati sunt ad pœnam, ita dicit: [Prædestinatio igitur Dei quæ in bono est, gratiæ est vt dixi præparatio.]

Item quod proponit & dicit: *Si autem non vult Deus mortem impij, & peccatoris, quomodo prædestinat eum ad mortem.*] Quantum pusillitas nostra potuit, iam superius est tractatum: Et nunc breuiter dicimus: quia illud non vult *bonitate conditoris*; istud autem facit *iudicis æquitate*, vt & saluare velit quod creauit, & tamen creaturæ vitium non relinquat impunitum. Quod verò subiungit, & dicit: *Itaque prædestinatio in bono legitur, non in malo; vnde dicit Apostolus;* quos præsciuit & prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui.] Consideret diligenter (sicut iam supra multipliciter nobis ostensum est,) quia in diuinis Scripturis non est exigendum, vt vbicumque res prædestinationis dicitur: etiam ipsum nomen prædestinationis propriè, & expressè positum legatur: sed vbicumque res ipsa certissimè posita inuenitur, regulariter obseruandum, quod etiam tacito prædestinationis nomine rectissimè prædestinatio intelligatur.

Nam si ipsum prædestinationis nomen propriè positum exigimus, nec in illis testimoniis Propheticis, ex quibus Apostolus prædestinationem diuinam, & erga electos, & erga reprobos approbat, istud nomen vllatenus inuenimus: Et tamen quod clarissima rerum certitudine approbat: fideliter credere non dubitamus. E

CAP. XLVII. Cap.47.

Sequitur post hæc omnia in fine Epistolæ.

RABANVS.

Multiplici ergo reatu iste constringitur, qui prædestinationis bonum in prauum sensum conuertens nefandis sermonibus blasphemare præsumit. 7. Obiectiones.

1. *Primo, quod creatorem suum, qui est summè bonus, maliuolum ausus est dicere, eo quod opus suum frustra & sine causa decernat interire.* F

2. *Secundo quod ipsam veritatem fallacem nititur asserere, quæ per Scripturas sacras rectè credentibus, & benè operantibus æterna vitæ spondet præmia: & peccantibus, atque non pœnitentibus mortis prædicit pœnas.*

3. *Tertio, quod iustum iudicem: qui in æquitate iudicaturus est viuos, ac mortuos prædicat iniustum, quando benè agentibus præmia & malè agentibus tormenta eum non reddere affirmat.*

4. *Quarto, quod redemptorem mundi frustra sanguinem suum fudisse non timet per errorem suum fingere, quando in se credentibus, & sperantibus propter prædestinationis necessitatem non possit subuenire.*

5. *Quinto: quod inuidet bonis Angelis eorum numerum, quem diabolus per superbiam corruens minuit, saluatorem nostrum per hominum conditionem adimplere.*

6. *Sexto, quod magis fautor sua opinione diabolo, quam Deo, cum ad eius perditionis sortem tradit eos pertinere, quos diuina gratia decreuit ad salutem æternam pertingere.* G

7. *Septimo, quod totius humani generis inimicus sit manifestus, cum illud dicit per Christi fidem, & baptismi Sacramentum à primi parentis lapsu, propriorumque scelerum reatu, necnon & ab hostium potestate non posse erui, sed obligatum noxia opificis sui prædestinatione in tartarum demergi.*

RESPONSIO.

Septem his verbis obiectiones, siue definitiones ponit, quibus non, vt ipse dicit, blasphemantes in Deum, sed fideliter credentes Deo, & veraciter in electorum liberatione, & reproborum damnatione misericordiam eius, & iudicium confitentes, atque laudantes, falsitatis & erroris arguat. Et tamen nihil ex his quæ in ipsis septem definitionibus suis obiicit verum, aut rationabile valet ostendere.

1. Nemo enim creatorem suum summè bonum maliuolum dicit, quod absit, quasi malæ voluntatis sit erga creaturam suam, quia semper eius voluntas bona est bonis; Quæ & si mala videtur malis, semper tamen iusta est, & ideo mala esse non potest; vnde & Scriptura ad eum dicit: *Cum Sancto Sanctus eris, & cum innocente innocens eris. Et cum electo electus eris, & cum peruerso peruerteris.* De quibus verbis *Beatus Augustinus* tractans: [Est (inquit) occulta profunditas, qua intelligeris cum Sancto Sanctus, quia tu sanctificas: Et cum viro innocente innocens, quia nulli noces: sed criniculis peccatorum suorum vnusquisque constringitur, & ab eo quem eligis eligeris, & cum peruerso videris peruersus: quoniam dicunt, *Non est recta via Domini, & ipsorum via non est recta:* Nec frustra & sine causa ille opus suum decernit interire, sed quos verissimè præsciuit impios, & iniquos futuros, & in sua impietate, & iniquitate permansuros iustis, & rectissimis causis decreuit & statuit, & prædestinauit perituros. Sicut ipse ait: *Qui peccauerit mihi, delebo eum de libro meo.*] Ad primam obiectionem. H Psal.17. 26.&27. Aug. in Psal.17. Ezech. 18.25. Exod. 32.33.

2. Nec

A *Ad secundam.* 2. Nec qui prædestinationem diuinam in vtramque partem, id est, & electorum & reproborum fideliter credit, & confitetur, ipsam veritatem fallacem nititur ostendere: sed omnino veracem, & fidelem in omnibus verbis suis, & sanctam in omnibus operibus suis; quia electis, sicut prædestinauit, æternæ vitæ præmia spondet, & reddit. Et è contrario reprobis peccantibus, nec pœnitentibus, sicut prædestinauit, iusto suo iudicio æternas retribuit pœnas.

Ad tertiam. 3. Nec iustum iudicem ista diuinæ prædestinationis veritas velut iniustum prædicat: quia secundum eam & bene agentibus, atque in bono perseuerantibus præmia restituuntur; Et malè agentibus atque in malo permanentibus iustè tormenta inferuntur.

Ad quartā. 4. Nec Redemptorem mundi aliqua prædestinationis suæ necessitas compellit, vt per gloriosum Sanguinis sui pretium in se credentibus, & sperantibus subuenire non possit: Quia & omnibus electis suis illo pretio in æternum subuenit: Et quod reprobis non subuenit, ipsi per impietatem, & iniquitatem suam pretium eius repellunt: Quos & si potest ille saluare, vult tamen aliquos ad ostendendum terrorem seueritatis suæ, iusta vltione
B damnare.

Ad quintam. De numero electorum. 5. Nec inuidet eadem diuinæ prædestinationis seueritas bonis Angelis, ne propter multitudinem reproborum quotidie pereuntium non possit adimpleri, & instaurari eorum numerus, qui per ruinam diaboli, & Angelorum eius est imminutus: Quia certissimè nouit fides fidelium tantus illuc electos ex humano genere assensuros quantos illic constat electos Angelos remansisse: Testante Scriptura quæ dicit: *Statuit terminos Gentium iuxta numerum Angelorum Dei.*

Deut. 32.8.

Ad sextam. 6. Nec magis fauet hæc prædestinatio diabolo, quam Deo, quia & diabolum quotidie compellit amittere, quos diuina gratia eadem prædestinatione decreuit ad salutem æternam perringere. Et omnino nullum ex electis Dei ad ipsius diaboli sortem posse pertinere confirmat.

C *Ad septimam.* 7. Nec compellit aliquem huius prædestinationis fides, quasi per fidem Christi & Sacramentum Baptismiā primi parentis lapsu, & à suorum scelerum reatu, siue hostium potestate non posse erui: sed verissimè præstat omnibus electis, *Vt sint agentes semper gratias Deo, & Patri, qui dignos eos fecit in partem sortis sanctorum in lumine: Qui eripuit illos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum Filij dilectionis suæ:* Nec reprobis noxia est opificis sui, id est Dei prædestinatio, quæ perseuerantem, & indomabilem iniquitatem ipsorum iustissimè punit, cuius mole & grauissimo onere oppressi demerguntur in tartarum, descendentes in profundum quasi lapis, & summersi quasi plumbum in aquis vehementibus. Quod etiam liber Apocalypsis de tota ciuitate huius sæculi, id est vniuersa multitudine damnatorum terribiliter extremo iudicio futurum significat & denunciat, dicens: *Et sustulit vnus Angelus fortis lapidem quasi molarem magnum: & misit in mare, dicens:* Hoc impetu mittetur Babylon magna illa ciuitas, & vltra iam non inuenietur.

Col. 1. 12.13.

Apoc. 18.21.

D

Concl. Quæ cum ita sint, deposita omni contentionis animositate, deposita nouitatum præsumptione, agnoscamus fideliter diuinam veritatem, sequamur obedienter paternam auctoritatem: Caueamus vigilanter erroris & mendacij fallacissimam vanitatem: seruantes Deo auxiliante semel *depositum* nobis veræ fidei inuiolatum thesaurum; Et *fugientes profanas vocum nouitates atque oppositiones falsi nominis scientiæ, quam quidam promittentes circa fidem exciderunt.*

1. Tim. 6.20.21.

***

E

ECCLESIÆ LVGDVNENSIS,

IN NOMINE DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI,

ABSOLVTIO CVIVSDAM QVÆSTIONIS,

De generali per Adam damnatione omnium, & speciali per Christum ex eadem ereptione electorum.

NVPER quæstio habita est, quomodo rectè, & fideliter possit intelligi: Tota humani generis massa merito primæ transgressionis ad æternum interitum damnata? Cū proculdubio omnium electorum numerus ex ipsa esset assumendus diuina prædestinatione, ac præscientia æternaliter præcognitus, & præordinatus ad vitam æternam: Si enim iste beatorum, & sanctorum numerus in illa erat ad interitum diuino iudicio condemnatus; Quomodo erit velut è contrario diuinæ misericordiæ beneficio ad vitam prædestinatus? Et vtrumque vtique æternaliter, atque immobiliter in eius æterno & incommutabili consilio, qui iuxta Prophetam: *Fecit quæ futura sunt.* Neque enim iuxta Catholicæ veritatis regulam dicere possumus omne humanum genus illius præuaricationis merito ad interitum fuisse damnatum, sed nequaquam ad eundem interitum prædestinatum: Cum omnipotentis Dei iusto, & æterno iudicio nihil potuerit æternaliter esse damnatum, quod non ita præscitum, & præfinitum sit fuisse damnandum. Omnia namque opera sua, tanquam verè iusta & recta & præsciuit futura, & prædestinauit sine dubio facienda. Prædestinauit itaque & hanc humani generis iustam, ac debitam damnationem, cui & generaliter ex illius iustitia omnes essent obnoxij: Et ex qua specialiter ex illius misericordia discernerentur, & saluarentur electi, manente scilicet inconuulsa damnationis prædestinatione in reprobis; & manente similiter inconuulsa ereptionis prædestinatione in electis Dum iustissimo & admirabili ordine diuinæ æquitatis, & misericordiæ, & illud oportuit prius fieri ad ostendendam seueritatem Dei; & istud postmodum ad ostendendam bonitatem Dei? Quod tamen vtrumque simul, ita semper in æterno Dei consilio fuerat prædestinatum: vt sic vnum decerneretur iudicij æquitate, & quantum ad illius massæ damnatæ meritum pertinet immobili seueritate: quatinus & alterum gloriosissimè impleretur diuini arbitrij potestate, & misericordissimi conditoris gratuita bonitate.

LXX. Isa.41.11.

F

G

Quapropter iuxta pusillitatem sensus nostri vbicunque legimus, siue in diuinis Scripturis, siue in dogmatibus Patrum totam humani generis massam in primo, & per primum hominem peccantem esse damnatam, nihil aliud intelligendum occurrit, nisi eam iusto Dei iudicio, merito primi illius peccati æternæ damnationi traditam: De qua damnatione per vnum hominem in mundum ingressa manifeste dicit Apostulus: *Nam iudicium ex vno in condemnationem:* Quæ vtique, sicut iam dictum est, non potest rectè intelligi nisi æterna: Si ergo rectè intelligitur: Tota ipsa humani generis massa damnata, æternæ perditioni tradita, quid est hoc aliud, nisi eidem æternæ perditioni destinata, siue prædestinata, vt quantum pertinet ad meritum culpæ suæ, illius videlicet, primæ præuaricationis, esset iuste omnino, & tota, & simul æterna sententia condemnata: Quantum verò attinet ad bonitatem & misericordiam conditoris (qui sibi nec necessitatem imposuit, nec potestatem abstulit) vt de creatura sua, iusta exigente seueritate iudicando, posset inde saluare quantum illi placeret per indebitam gratiam, quod iuste & æternaliter fuerat damnatum per culpam, manente scilicet damnationis sententia, in quibus per-

H

maner

manet & reatus, & soluta in his, in quibus idem reatus per Christi Sanguinem est solutus: Atque ita prædestinatio omnium electorum Dei, ita eius æterna dispositione esset præordinata, vt ex sorte æternæ dānationis transferrētur in sortē æternæ salutis & liberationis: vt & ibi fuerit etiam pars ista vere communi sentētia condemnata, & hic verè sola Dei gratia liberata: Tantoque fieret gratior, & deuotior liberanti, quanto se agnosceret verius vere obnoxiam fuisse æternæ damnationi.

Hanc namque electorum translationem à sorte illius damnationis in sortem liberationis sublimiter, & attentissimè commendat Apostolus fidelibus agnoscendam, & cum omni gratiarum actione recolendam, ita dicens: *Gratias agentes Deo & Patri qui, dignos nos fecit in parte sortis Sanctorum in lumine: Qui eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filij dilectionis suæ:* Et hanc iram æternæ vindictæ ac damnationis, quæ omni illi massæ æqualiter debebatur, fideles per Domini Christi passionem & mortem euasisse: Quam vtique non veraciter euasisse dicerentur, nisi ei etiam veraciter obnoxij extitissent, ita gratulatur atque commendat dicens: *Si enim cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem filij eius; multo magis nunc reconciliati in sanguine ipsius salui erimus ab ira per ipsum.* Et iterum *Quoniam non posuit nos Deus in iram, sed in adquisitionem salutis per Dominum nostrum* IESVM*, qui mortuus est pro nobis, vt siue vigilemus, siue dormiamus, simul cum illo viuamus.* Et alio loco: *Et quomodo conuersi estis à simulachris seruire Deo viuo & vero, & expectare filium eius de cœlis* IESVM*, qui eripuit nos ab ira ventura.* Hoc etiam Psalmista per aduentum Domini Saluatoris futurum, id est, antiquam illam iram Dei omnimodo in electis mitigandam atque auertendam, quasi iam factum canit & exultat dicens: *Remisisti iniquitatem plebis tuæ, operuisti omnia peccata eorum, mitigasti omnem iram tuam, auertisti ab ira indignationis tuæ.* Si enim verè non fuerunt omnes electi, & prædestinati ad vitam in vna cum cæteris massa damnationis & perditionis; vnde ergo sunt electi & discreti, vnde redempti, vnde saluati & liberati? Cur & ipsa veritas de eis dicit; *Venit enim Filius hominis quærere, & saluum facere quod perierat.* Cum ipse Apost. manifestissimè hoc etiam in Actibus Apostolor. coram rege, & principibus libere Christi mysterium prædicans attestetur & declaret; Referens qualiter sibi à Domino dictum sit in prima statim vocatione & conuersione sua. Ait namque ita sibi cœlitus ab eo dictum: *Ad hoc enim apparui tibi, vt constituam te ministrum, & testem eorum quæ vidisti, & in quibus apparebo tibi: eripiens te de populo & Gentibus, in quibus nunc ego mitto te, aperire oculos eorum, vt conuertantur a tenebris ad lucem, & de potestate satanæ ad Deum, vt accipiant remissionem peccatorum, & sortem inter sanctos, per fidem quæ est in me.* Et Dominus ipse in Euangelio: *Cum fortis*, inquit, *armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea, quæ possidet: si autem fortior illo superueniens vicerit eum, vniuersa arma eius, in quibus confidebat, aufert, & spolia eius distribuit.* Et alio loco: *Nunc iudicium est mundi, nunc princeps huius mundi eijcietur foras.* Et *Ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me.*

Vnde quantum Deo auxiliante intelligimus, nullatenus oportet hanc nouitatem diuisionis induci, vt illa totius humani generis massa (sicut omnes Doctores Ecclesiæ sentiunt, totam primi & per primi hominis transgressionem punitam) nunc à nobis ex parte dicatur damnata & ex parte non damnata, ex parte æterno interitui destinata, & ex parte non destinata. Hoc namque modo in electis illam quodammodo leuigare, atque extenuare primam & generalem damnationem nihil est aliud, quam diuinæ bonitatis & misericordiæ erga eos magnitudinem minorare, & coangustare: nec quicquam omnipotens contra prædestinationem suam, qua totam illam massam iusta damnatione perire statuit, electos suos inde saluando fecit: Quia sic illud statuit merito culpæ, & seueritate iustitiæ, vt & hoc sibi seruiret bonitate misericordiæ. Et haberet (iuxta Apostolum) *potestatem figulus luti ex eadem massa* simul & tota damnata *facere aliud vas in honorem* per misericordiam suam, *& aliud in contumeliam* per iustitiam suam: Atque ita fierent, vt dictum est, *Ex vna atque eadem massa alia vasa iræ, & alia vasa misericordiæ illa perfecta in interitum, ista in gloriam præparata*, vt in eius laudibus dignè & veraciter diceretur: *Misericordiam, & iudicium cantabo tibi Domine: & vniuersæ viæ Domini misericordia & veritas.* Quam vero diligentissimè & breuiter alio loco Apostolus commendat dicens: *Eramus natura filij iræ, sicut & cæteri: Deus autem, qui diues est in misericordia propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos; & cum essemus mortui peccatis, conuiuificauit nos Christo.* Certe hoc ex persona sua & cæterorum fidelium atque electorum loquitur, & tamen & se & cæteros vitio damnatæ ex Adam generationis testatur fuisse antequam per Christi gratiam liberarentur naturaliter Filios iræ. Quod quid est aliud, quam *vasa iræ*, vasa vindictæ, vasa damnationis æternæ? Et hoc non aliter, sed *sicut & cæteri*, pari scilicet reatu, pari conditione, pari sententiæ damnatione, quæ proculdubio eis cum cæteris omnibus erat communis: Ex qua se & illos aperte docet liberatos *Per diuitias misericordiæ Dei, & nimiam charitatem eius* qua etiam talibus subuenit, & tales diligere dignatus est, vt mortuos peccato non solum viuificaret, sed etiam conuiuificaret Christo, Cum ipse eos à mortuis resuscitando, & ad dexteram suam in cœlestibus constituendo.

[E] [v.22.23.] [Psal.100.1.] [Ephe.2.3.4.5.] [F]

Hoc etiam alio loco sublimiter, & nimis granditer commendat dicens de ipso Domino & Saluatore nostro; *Delens, quod aduersum nos erat, chyrographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipsum tulit de medio affigens illud cruci, expolians se carne principatus & potestates traduxit palam, triumphans illos in semetipso:* Iuxta hunc namque venerabilem & mirabilem Apostoli sensum ipse Dominus & saluator, antiqui decreti, id est, antiquæ damnationis, & præfinitionis, qua in mortem æternam merito, ac iuste præcipitabamur, chyrographum, quod nostris operibus tanquam propriis manibus cum diabolo feceramus, *venditi sub peccato*, & eius nos seruituti tradentes suo Sanguine deleuit. Quia *ipse est agnus Dei qui tollit peccata mundi:* Quatinus per tale, ac tantum pretium soluto ac deleto chyrographo peccati, solueretur & vinculum decreti, quod nobis ita erat contrarium, & ita nos fecerat obnoxios, & subditos seruituti, vt nemo nostrum caput posset erigere. Et ipsum tulit de medio, ne esset iam obstaculum, & interclusio inter nos & Deum: iuxta quod Propheta dicit: *Sed iniquitates vestræ diuiserunt inter vos & Deum vestrum.* Sed pateret homini liber aditus & regressus ad conditorem suum. *Affigens illud cruci*, dum eiusdem peccati nostri, quæ nobis debebatur, pœnam *in carne*, quam suscepit pro nobis, ex nobis ipse sustinuit: Attestante etiam Propheta, qui ait, *verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit, Expolians se carne*, id est indumentum corporis quando voluit sua sponte, sua potestate deponens. *Cum enim accepisset acetum*, Sicut ait Euangelista, *dixit: consummatum est, & inclinato capite tradidit spiritum*, qui etiam ante dixerat: *Potestatem habeo ponendi animam meam, & potestatem habeo iterum sumendi eam, nemo tollit eam a me, sed ego pono eam à me ipso vt iterum sumam eam. Principatus & potestates traduxit palam*, Principatus videlicet & potestates spirituum malignorum diaboli & Angelorum eius, qui ante in genere humano à se decepto & captiuato velut libere dominabantur, dehonestauit, contumelia & ignominia denotauit: atque omnium credentium, & intelligentium oculis manifestum esse fecit; *Triumphans illos in semetipso*, dum suo pretioso Sanguine peccata mundi deleuit. Atque ita causas eis antiquæ damnationis & principatus abstulit, & per simplam mortem carnis suæ, duplicem mortem omnium electorum suorum destruxit, liberans eos & à morte animæ per indulgentiam peccatorum, & à morte corporis, per resurrectionis & immortalitatis trophæum.

[Col.2.14.15.] [G] [Ioan.1.29.] [Isa.59.2. d.v.14.] [Isa.53.4.] [d v.15.] [H] [Ioan.19.30.] [Ioan.10.17.] [Col.2.15.] [d.v.15.]

Si autem & hoc exigitur, vt de Scripturis aliquod testimonium proferamus, vbi simile aliquid in diuinis operibus.

[Deus quod in- dicty]

A *æquitate decreuit, sæpe misericordia potestate indulget.* Deut.9.19. d.v.19.

ribus gestum legitur scilicet, vt quod iudicij sui æquitate, & seueritate decreuit, bonitatis & misericordiæ suæ potestate indulserit, atque in bonum conuerterit, illud in præsenti occurrit, quod beatus Moyses populo, cui regendo & deducendo præerat, de eodem omnipotente Deo dicit: *Timui enim indignationem eius, & iram, qua aduersum vos excitatus delere vos voluit.* Et post aliqua cum supplicationis suæ, quam pro illius offensionis indulgentia apud Deum fuderat humilitatem & instantiam commendasset, subiunxit atque ait: *Et exaudiuit me Dominus etiam hac vice, & te perdere noluit.* Ecce populum contumacem & rebellem omnipotens Deus iusta indignatione commotus delere voluit: quod vtique eum voluisse, non quod absit, fallaciter sed veraciter Scriptura dicit: Et tamen idipsum postea fidelis famuli prece & supplicatione placatus, libera bonitate, & misericordia sua noluit. Non quod in eius voluntate vlla sit mobilitas, *Apud quem*, iuxta Apostolum, *non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio*; Sed quia ita illud iusta seueritate decreuerat, vt id postea mira pietate, & iusta interueniente causa relaxaret. Tale est illud, quod & in eodem Scripturæ loco *de Aaron* sacerdote, qui sacrilegio populi, in vituli fabricatione, & celebritate, licet inuitus cesserat, dicitur: *Aduersum Aaron quoque vehementer iratus voluit eum conterere: Et pro illo similiter deprecatus sum.* Sicut ergo in his euidentibus rebus, & aliud iustitia decreuit, & aliud *bonitate* fecit, nec sibi iustus, & misericors aliquid contrarium egit, dum & ibi iustitiam, & hic misericordiam conseruauit: ita profecto & in illa destinatione totius massæ damnatæ ad interitum, quod iusta seueritate generaliter statuit specialiter inde quos voluit eligendo misericorditer temperauit. Non cuiusquam supplicatione, sed quod est ineffabiliter gratius, & magnificentius, sola bonitatis suæ dignatione, & miseratione vtrumque tamen simul in æterno Dei consilio semper fuisse nulli fidelium dubitare licet. Quia quamuis iuxta ordinem rerum temporalium præcedat in genere humano iusta illa damnatio, & subsequatur illa misericors exinde liberatio, apud æternam tamen atque incommutabilem veritatem, vbi nihil est ante, nihil postea, sed omnia & æqualiter & simul tam præcedentia scilicet, quam subsequentia in rebus mutabilibus vno cernuntur intuitu, vno disponuntur nutu: vtrumque (vt dictum est) & sempiterna præscientia præcognitum, & sempiterna dispositione constat esse præfixum, ac præfinitum.

B *Nec in voluntate Dei mobilitas.* Iac.1.17. Deut.9.20.

Sed vtrumque C *in æterno Dei consilio. In Deo omnia æqualiter & simul.*

De hac iustissima, & generali totius humani generis per Adam damnatione, & per vnicum mediatorem ac reconciliatorem Dei & hominum Dominum nostrum IESVM CHRISTVM misericordissima & benignissima ablutione plena est Scriptura Sancta, sicut iam supra breuiter ostensum est: Pleni sunt etiam libri beatorum Patrum: Ex quorum dictis ad ædificationem & confirmationem legentium hic aliqua subiungere, & gratum & necessarium omnino duximus.

B.Hilar. D Col.2.14.

Beatus itaque *Hilarius* exponens verba Apostoli, quæ superius posuimus, id est, vbi de Domino ait: *Delens quod aduersum nos erat chyrographum decreti*, & cætera de hac re ita loquitur: [Carnem enim peccati recepit, vt in assumptione carnis nostræ delicta donaret, dum eius fit particeps assumptione non crimine, delens per mortem sententiam mortis, vt noua in se nostri generis creatione constitutionem decreti anterioris aboleret, cruci se permittens figi, vt maledicto crucis obliterata terrenæ damnationis maledicta configeret omnia; Et ad vltimum in homine passus, vt potestates dehonestaret, dum Deus secundum Scripturas moriturus; & in his vincentis in se fiducia triumpharet, dum immortalis ipse, neque morte vincendus pro morientium æternitate moreretur.]

Idem. Ps.129.4.

Item cum exponeret verba Psalmi quibus ad Deum dicitur: *Quia apud te propitiatio est*: [Est enim, inquit, vnigenitus Dei Filius, Deus verbum, redemptio nostra, in cuius Sanguine reconciliati Deo sumus: Hic est qui venit tollere peccata mundi, qui cruci suæ chirographum legis affigens, edictum damnationis veteris deleuit.]

E B.Ambr.

Sed & *Beatus Ambrosius* in expositione Epistolæ ad Ephesios, de eadem re sic dicit: [Simus itaque nos possessio Dei, & ille nobis portio, in quo sunt diuitiæ gloriæ hæreditatis eius. Quis enim diues nisi solus diues, qui omnia creauit? sed multo magis diues misericordia, qui omnes redemit: Et nos secundum carnis naturam iræ filios, & condemnationi obnoxios mutauit, quasi auctor vt simus filij pacis & charitatis. Quis enim mutare naturam potest, nisi qui creauit naturam? itaque suscitauit mortuos: Et viuificatos in Christo sedere fecit in cœlestibus in ipso Domino IESV.]

B.Pacianus.

Beatus quoque *Pacianus*, sicut de eo in libro de viris illustribus, beatus testatur Hieronymus, tam vita, quam sermone clarus ita aperte idipsum inculcat, dicens: [Omnes aliquando Gentes principibus tenebrarum, & & potestatibus traditas nunc per IESV CHRISTI Domini nostri victoriam liberatus ille est, ille qui redemit donans nobis omnia peccata, sicut Apostolus dicit; *Et delens quod aduersum nos erat chyrographum inobauditionis: quia & ipsum tulit de medio affigens illud cruci, exuens se carnem traduxit potestates liberè triumphans eos in semetipso*; soluit compeditos & vincula nostra disrupit: sicut Dauid dixerat: *Dominus erigit elisos, Dominus soluit compeditos: Dominus illuminat cæcos.* Et iterum: *Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis.* Soluti itaque de vinculis, vbi per Baptismi Sacramentum ad signum Domini conuenimus, diabolo, & omnibus Angelis eius renunciamus, quibus ante seruiuimus, ne iam illis vlterius seruiamus Sanguine Christi, & nomine liberati. Quod si quis posthac sui oblitus & redemptionis ignarus, rursus ad Angelorum seruitutem, *Et infirma illa, & egena mundi elementa transierit*, antiquis illis compedibus, & catenis, id est, peccati vinculis alligabitur, & *sicut nouissima eius deteriora prioribus*, quia & diabolus eum quasi per fugam victum vehementius inligabit, & Christus pro eo iam pati non poterit. Quia qui *resurrexit à mortuis, iam non morietur* amplius.]

F Col.2.14.15. Ps.145.8. Ps.115.16. Gal.4.9. G Rom.6.9.

B.Leo.

Beatus etiam *Leo* granditer hoc, & multipliciter commendans, sic dicit: Exaltatus IESVS CHRISTVS in ligno retorsit mortem in mortis auctorem; Et omnes principatus, aduersasque virtutes per obiectionem palpabilis carnis elisit. Euacuatum est generale illud venditionis nostræ, & lethale chyrographum, & pactum captiuitatis in ius transit redemptoris: Claui illi, qui manus Domini pedesque transfoderant, perpetuis diabolum fixere vulneribus: Et sanctorum pœna membrorum inimicatorum fuit interfectio potestatum. Sic suam Christo consummante victoriam, vt in ipso & cum ipso omnes qui in eum credunt triumpharent.] Et iterum: Tenuit, inquit, dispositam mansuetudo patientiam, & cohibita famulantium sibi Angelicarum virtute legionum, hausit calicem doloris & mortis tortumque supplicium transtulit in triumphum: victi sunt errores subactæ sunt potestates, accepit nouum mundus exordium, vt damnata generatio non obesset, quibus saluandis regeneratio subueniret.] Item alio loco: Continuit, inquit, se ab impiis potestas, & vt dispositione vteretur occulta, vti noluit virtute manifesta. Nam qui mortem, & mortis auctorem sua venerat passione destruere, quomodo peccatores saluos faceret, si persecutoribus repugnaret.

Idem. H

Nam etiam si descenderet Christus de cruce, vos tamen hæreretis in crimine. Sprera ergo sunt vanæ insultationis opprobria: Et misericordiam Domini perdita & conlapsa reparantem nullæ contumeliæ, nulla conuitia à propositi sui via remouerunt. Offerebatur enim Domino pro salute mundi hostia singularis, & occisio agni per tot sæcula prædicata promissionis filios in libertatem fidei transferebat; Confirmabatur quoque testamentum nouum, & Christi Sanguine æterni regni scribebantur hæredes ingrediebatur summus Pontifex Sancta Sanctorum, & exorandum Deum immaculatus Sacerdos per velum suæ carnis intrabat. [Alibi quoque de his omnibus breuiter & diligenter definiens, ita dicit: Sciens diabolus

Idem.

lus quod humanam naturam infecisset veneno, nequaquam credidit Dominum Christum primæ transgressionis exsortem, quem tot documentis didicit esse mortalem. Perstitit ergo improbus prædo, & auarus exactor in eum, qui nihil ipsius habebat insurgere: Et dum vitiatæ originis præiudicium generale persequitur, chirographum quo nitebatur excedit, ab illo iniquitatis exigens pœnam, in quo nullam reperit culpam. Soluitur itaque pactionis antiquæ malesuada conscriptio & *per iniustitiam plus petendi*, totius debiti summa vacuatur. Fortis ille nectitur vinculis suis, & omne commentum maligni in caput ipsius retorquetur. Ligato mundi principe captiuitatis vasa capiuntur. Redit in honorem suum ab antiquis contagiis purgata natura. Mors morte destruitur, natiuitas natiuitate reparatur, quoniam simul & redemptio aufert seruitutem, & regeneratio mutat originem, & fides iustificat peccatorem.

Sed & *Beatus Cælestinus* eandem rem eodem sensu & eisdem penè verbis plenissimè, & breuissimè exsequitur, dicens: Illud etiam quod circa baptizandos in vniuerso mundo sancta Ecclesia vniformiter agit, non otioso contemplamur intuitu, cum siue paruuli, siue iuuenes ad regenerationis veniunt Sacramentum, non prius fontem vitæ adeunt, quam exorcismis, & exsufflationibus clericorum spiritus ab eis immundus abigatur: tunc verè appareat quomodo *Princeps mundi huius mittatur foras*: Et quomodo *prius alligetur fortis*, & deinceps vasa eius diripiantur in possessionem translata victoris, *Qui captiuam ducit captiuitatem, & dat dona hominibus.*]

Iam vero *beatus Augustinus* tanto hinc vberius, & multiplicius est locutus, quanto & maior ei, ac vehementior incumbebat necessitas contra insurgentes tunc Hæreticos Pelagianos, tanti huius sacramenti, id est, damnationis humanæ per Adam ingressæ, & liberationis, ac redemptionis per Dominum IESVM CHRISTVM indultæ penitus ignaros, ipsius humanæ damnationis causam, & Dei gratiam, qua sola per Christum Dominum liberamur, & diuinis testimoniis, & certissimis rationibus asserendi. In quadam itaque Epistola ad Optatum Episcopum ita loquitur: [Cum omnes iusti, hoc est, veraces Dei cultores, siue ante incarnationem, siue post incarnationem Christi nec vixerint, nec viuant, nisi ex fide incarnationis Christi, in quo est gratiæ plenitudo, profecto quod Scriptum est, *Non esse aliud nomen sub cælo in quo oportet saluos fieri nos*, ex illo tempore valet ad saluandum genus humanum, ex quo in Adam vitiatum est genus humanum. *Sicut enim in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur.* Quia sicut in regno mortis nemo sine Adam, ita in regno vitæ nemo sine Christo. Sicut per Adam omnes peccatores, ita per Christum omnes iusti homines. Sicut per Adam omnes mortales in pœna facti sunt filij sæculi, ita & per Christum omnes immortales in gratia fiunt filij Dei. Cur autem quærantur etiam illi, quos creator voluit ad damnationem, non ad gratiam pertinere, Beatus Apostolus tanto succinctiore breuitate, quanto maiore auctoritate commemorat. *Deum* enim dicit, *volentem ostendere iram & demonstrare potentiam suam attulisse multa in patientia vasa iræ, quæ perfecta sunt in perditionem: Et vt notas faceret diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ*, quem superius dixerat *tanquam figulum luti ex eadem massa facere aliud vas in honorem, aliud vas in contumeliam.* Merito autem videretur iniustum quod fiũt vasa iræ ad perditionem, si non esset ipsa vniuersa ex Adam massa damnata. Quod ergo fiunt inde nascendo vasa iræ, pertinet ad debitam pœnam: Quod autem fiunt renascendo vasa misericordiæ pertinet ad indebitam gratiam. Ostendit ergo Deus *iram suam*, non vtique animi perturbationem, sicut est quæ circa homines nuncupatur, sed iustam fixamque vindictam. Quod de stirpe inobedientiæ ducitur propago peccati, atque supplicij: *Et homo natus ex muliere* (sicut in libro Iob scriptum est) *breuis est vita, & plenus iracundia*: Eius enim rei vas est, qua plenus est. Vnde *iræ vasa* dicuntur. *Ostendit & potentiam suam*, qua bene vtitur etiam malis, multa in illis naturalia, & temporalia bona largiens, eorumque malitiam ad exercendos, & comparatione ammonendos bonos accommodans: vt in eis discant agere gratias Deo, quod ab eis non suis meritis, quæ in eadem massa paria fuerunt, sed illius miseratione discreti sunt. Quod maximè apparet in paruulis: De quibus cum per Christi gratiam renascuntur, & istam vitam in illa tenera ætate finientes, in æternam & beatam transeunt, dici non potest quod libero discernuntur arbitrio ab aliis infantibus, qui sine hac gratia in ipsius massæ damnatione moriuntur. Si autem hi soli crearentur ex Adam, qui essent per gratiam recreandi, & præter illos, qui in Dei filios adoptantur, nulli alij homines nascerentur, lateret beneficium, quod donaretur indignis. Quia nullis ex eadem damnabili stirpe venientibus debitum supplicium redderetur, Cum vero *Attulit in multa patientia vasa iræ, quæ perfecta sunt in perditione*, non solum ostendit iram & demonstrauit potentiam suam redhibendo vindictam & benè vtendo malis, sed etiam *Notas fecit diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ*. Ita enim quid sibi præstetur discit gratis iustificatus, dum non suo merito, sed gloria largissimè Dei misericordiæ discernitur à damnato, cum quo eadem iustitia fuerat & ipse damnandus. Tam multos autem creandos nasci voluit, quos ad suam gratiam non pertinere præsciuit, vt multitudine incomparabili plures sint, quam quos in sui regni gloriam filios promissionis prædestinare dignatus est: vt etiam ipsa reiectorum multitudine ostenderetur, quam nullius momenti sit apud Deum iustum quantalibet numerositas iustissimè damnatorum. Atque vt hinc quoque intelligant, qui ex ipsa damnatione redimuntur, hoc fuisse debitum massæ illi vniuersæ, quod tam magnæ parti eius redditum cernerent, non solum in eis, qui originali peccato multa addunt, malæ voluntatis arbitrio, verum etiam in tam multis paruulis, qui tantummodo vinculo originalis peccati obstricti sine gratia mediatoris ex hac luce rapiuntur. Tota quippe ista massa iustæ damnationis reciperet debitum, nisi ex ea faceret non solum iustus, sed etiam misericors *figulus alia vasa in honorem*, secundum gratiam, non secundum debitum, dum & paruulis subuenit, quorum nulla merita dici possunt, & maiores præuenit, vt habere aliqua merita possint.]

E

Dei miserationis discretio. Non libero arbitrio.

v.22.

F

d.v.23.

De Paruulis.

G

Item in libris de ciuitate Dei volens ostendere quantũ nefas in illa prima præuaricatione commissum sit, & qualiter eius merito credi debeat tota humani generis massa damnata, ita dicit: [Quanto enim magis homo fruebatur Deo, tanto maiore impietate dereliquit Deum: & factus est malo dignus æterno, qui hoc in se peremit bonum, quod esse posset æternum. Hinc est vniuersa generis humani massa damnata: quoniam qui hoc primus admisit, cum ea, quæ in illo fuerat radicata, sua stirpe punitus est: vt nullus ab hoc iusto debitoque supplicio, nisi misericordia & indebita gratia liberetur: Atque ita dispertiatur genus humanum, vt in quibusdam demonstretur quid valeat misericors gratia, in cæteris quid iusta vindicta. Neque enim vtrumque demonstraretur in omnibus. Quia si omnes remanerent in pœnis iustæ damnationis, in nullo appareret misericors gratia. Rursus si omnes transferrentur à tenebris in lucem, in nullo appareret veritas vltionis, in qua propterea multo plures, quam in illa sunt, vt sic ostendatur quid omnibus deberetur. Quod si omnibus redderetur, iustitiam vindicantis iustè nemo reprehenderet: Quia vero tam multis exinde liberantur, est vnde agantur maximæ gratiæ gratuito muneri liberantis.]

Aug. de ciuit. Dei lib..

H

Item ibi: [Cum ergo requiritur, inquit, quam mortem Deus primis hominibus fuerit comminatus, si ab eo mandatum transgrederentur acceptum, nec obedientiam custodirent, vtrum animæ, an corporis, an totius hominis, an illam quæ appellatur secunda: Respondendum est, omnes. Prima enim constat ex duabus, ex omnibus tota. Sicut enim vniuersa terra ex multis terris & vniuersa Ecclesia ex multis Ecclesiis constat, sic vniuersa mors ex omnibus; quoniam prima constat ex duabus, vna animæ, altera corporis: vt sit prima totius hominis, cum

Id. Aug.

anima

A anima sine Deo, & sine corpore ad tempus pœnas luit. Secunda vero vbi anima sine Deo cum corpore pœnas æternas luit. Quando ergo dixit Deus primo illi homini, quem in paradiso constituerat: de cibo vetito: *Quacunque die ederitis ex illo, morte moriemini*, non tantum primæ mortis partem priorem vbi anima priuatur Deo, nec tantum posteriorem vbi corpus priuatur anima, nec solam ipsam totam primam, vbi anima & à corpore & à Deo separata punitur, sed quicquid mortis est vsque ad nouissimam quæ secunda dicitur, qua est nulla posterior comminatio illa complexa est.]

Item cum de exordio duarum ciuitatum ageret, quarum vna est Dei, altera diaboli, illa Dei gratia liberata, ista iusta vltione damnata, in ipso statim earundem exortu vtrumque mirabiliter ostensum ita commendat, dicens:

August. [Cùm primum duæ istæ cœperunt nascendo, atque moriendo procurrere ciuitates, prior est natus ciuis huius sæculi, posteriùs autem isto peregrinus in sæculo, & pertinens ad ciuitatem Dei gratia prædestinatus

B gratia electus, gratia peregrinus deorsum gratia ciuis sursum. Nam quantum ad ipsum attinet *ex eadem massa* oritur, quæ originaliter est tota damnata: sed

Rom.9. 21.&c. *tanquam figulus Deus* (hanc enim similitudinem non impudenter, sed prudenter introducit Apostolus) *ex eadem massa fecit alind vas in honorem, alind in contumeliam:* prius autem factum est vas in contumeliam, post verò alterum in honorem.] Iam vero in libris de Baptismo paruulorum tanto plura de hac re loquitur, quanto maiore intētione opus erat, vt aduersus præfatos Hæreticos Pelagianos, & pœnam damnationis antiquæ per Adam & indulgentiam nouæ redemptionis per Dominum IESVM CHRISTVM euidentius demonstraret, probaret, atque commendaret.]

Aug. de peccat. merit. lib 1.cap. 11. Ex his itaque libris hæc sunt, quæ ad nostram, & eorum, qui legere voluerint instructionem, & confirmationem adnotanda, & proponenda credidimus. Ait ergo in primo libro, de hac re disputans hoc modo:

C Rom.5. 14. *De mortis regno.* [sed *regnauit*, inquit Apostolus, *mors ab Adam vsque ad Moysem*, id est, à primo homine vsque ad ipsam etiam legem, quæ diuinitus promulgata est; quia nec ipsa potuit *regnum mortis* auferre. Regnum enim mortis vult intelligi, quando ita dominatur in hominibus reatus peccati, vt eos ad vitam æternam, quæ vera vita est, venire non sinat: sed ad secundam etiam, quæ pœnaliter æterna est, mortem trahat: hoc regnum mortis sola in quolibet homine gratia destruit Saluatoris quæ operata est etiam in antiquis Sanctis. Ergo in omnibus *Regnauit, mors*

d.v.14. *ab Adam vsque ad Moysen*, qui Christi gratia non adiuti sunt, vt regnum mortis in eis destrueretur, etiam *in eis, qui non peccauerunt in similitudinem prauaricationis Adæ*, id est, qui nondum sua & propria voluntate, sicut ille peccauerunt, sed ab illo peccatum originale traxerunt, qui est forma futuri, quia in illo constituta est forma condemnationis futuris posteris, qui eius propagine crearentur, vt ex vno omnes in condemnatione nascerentur, ex qua liberat, nisi gratia Saluatoris.]

D d.c.11. Item, [In similitudine præuaricationis Adæ peccasse accipiuntur, qui in illo peccauerunt, vt ei similes crearentur, sicut ex homine homines, ita ex peccatore peccatores, ex morituro morituri, damnatóque damnati.]

Ibid.c. 16. Item: [Potest proinde rectè dici paruulos sine baptismo de corpore exeuntes in damnatione omnium mitissima futuros. Multum autem fallit & fallitur qui etsi in damnatione prædicat non futuros dicente Apostolo:

Rom.5. 18.18. *Iudicium ex vno delicto in condemnationem:* Et paulo post, *per vnius delictum in omnes homines ad condemnationem.*

Ioan 6. 52. Aug. de peccat. merit. lib.1.c. 20. Item: [*Panis quem ego dedero caro mea est pro sæculi vita.* Quis autem ambigat sæculi nomine homines significasse, qui nascendo in hoc sæculum veniunt. Nam sicut

Luc.20. 34. alibi ait: *Filij sæculi huius generant & generantur:* Ac per hoc etiam pro paruulorum vita caro data est, quæ data est pro sæculi vita. Et si non manducauerunt carnem filij hominis, nec ipsi habebunt vitam.]

d.c.20. Item: Bene autem, non ait, *ira Dei veniet super eum*, sed *manet super eum:* Ab hac quippe ira, quà omnes sub

E Ioan. 3.36. Eph.2. peccato sunt, de qua dicit Apostolus, *Fuimus enim & nos aliquando naturaliter filij iræ, sicut & cæteri*, nulla res liberat, nisi *Gratia Dei per* IESVM CHRISTVM *Dominum nostrum.*]

Rom. 25. Ibid.c. 22. Ioan. 8. Itē: [Tales ergo prædestinari & creari arbitror, vt qui possunt intelligant Dei gratiam, & spiritum, *qui vbi vult spirat*, ob hoc omne ingenij genus in filiis misericordiæ non præterisse: Itéque omne ingenij genus in gehennæ filiis præterire. *Vt qui gloriatur in Domino glorietur.*]

1.Cor. 31. Item. [Cedamus igitur, & consentiamus auctoritati sanctæ Scripturæ, quæ nescit falli, nec fallere: Et sicut non damnatos ad discernenda merita eorum aliquid boni vel mali egisse non credimus, ita *Omnes sub peccato*

Rom. 12. *esse, quod per vnum hominem intrauit in mundum, & per omnes homines pertransiit, à quo* non liberat nisi *Gratia Dei per Dominū* IESVM CHRISTVM minime dubitemus: Cuius

Matth. 11.13. *medicinalis aduentus non est opus sanis, sed ægrotantibus*, quia *non venit vocare iustos, sed peccatores:* In cuius regnū

F Ioan. 3.5. non intrabit: *Nisi qui renatus fuerit ex aqua & spiritu*, Nec præter regnum eius salutem ac vitam possidebit æternam. Quoniam *Qui non manducauerit carnem eius, & qui incredulus est filio non habet vitam, sed ira Dei manet super eū.* Ab hoc peccato, ab hac ægritudine, ab hac ira Dei, cuius naturaliter filij sunt, qui etiamsi per ætatem non habent proprium, trahunt tamen originale peccatum,

Ioan. 1.29. Luc.2. 11. non liberat nisi *Agnus Dei, qui tollit peccata mundi*, non nisi *Medicus*, qui nō venit propter ægrotos: Non nisi saluator, de quo dictū est generi humano, *Natus est vobis hodie saluator:* non nisi redēptor, cuius sanguine deletur debitum nostrum. Nam quis audeat dicere, non esse Christum infantium saluatorem, nec redemptorem? Vnde autem saluos facit, si nulla in eis est originalis ægritudo peccati? Vnde redimit, si non sunt per originem primi hominis venundati sub peccato.

Ibid. 29. Phil.2. Item: [Dominum IESVM CHRISTVM non aliam ob causam in carne venisse, ac *Forma serui accepta factum obedientem vsque ad mortem crucis*, nisi vt hac dispensatione

G *Ad quid mortuus Christus.* misericordissime gratiæ omnes, quibus tanquam membris in corpore constitutis caput est, ad capessendum regnum cœlorum viuificaret, & saluos faceret, liberaret, illuminaret, & redimeret qui prius fuissent in peccatorum morte, languoribus, seruitute, captiuitate, tenebris constituti, sub potestate diaboli principis peccatorum. Ac sic

1.Tim. 2.5. fieret *Mediator Dei & hominum*, per quem post inimicitias impietatis nostræ illius gratiæ pace finitas reconciliaremur Deo in æternam vitam, ab æterna morte, quæ talibus impendebat, erepti.]

d.c.18. Item: [Oportet paruulos egere illis beneficiis mediatoris, vt abluti per Sacramentum, charitatemque, fidelium ac sic incorporati Christi corpori, quod est Ecclesia, reconcilientur Deo, vt in illo viui, vt salui, vt liberati, vt redempti, vt iluminati fiant. Vnde nisi à morte, vitiis, reatu, subiectione, tenebris peccatorum? Quæ quoniam nulla in ea ætate per suam vitam propriam commiserunt, restat originale.]

H Ibidem 27. Luc.19. 9 & 10. Item: [Cum ad Zachæum, Dominus esset ingressus: *Hodie*, inquit, *salus domui huic facta est, quoniā & iste filius est Abrahæ: Venit enim filius hominis quærere, & saluare quod perierat.* Hoc de *oue perdita*, & relictis nonaginta

Luc.15. 4. &c. Luc.24. 47. nouē quæsita, & inuenta: hoc & *de dragma*, quæ perierat ex decem: vnde oportebat vt diceit, *prædicari in nomine eius pœnitentiam, & remissionem peccatorum in omnes gentes incipientibus ab Hierusalem.*]

d.c.27. Ps.15. d.v.4. Item: [*Non* ergo, inquit: *de sanguinibus congregabo conuenticula eorum:* vnus enim sanguis pro multis datus est, quo veraciter mundarentur. Denique sequitur, *Nec memor ero nomina eorum per labia mea*, tanquam innouatorum. Nam nomina eorum erant prius filij carnis, filij sæculi, filij iræ, filii diaboli; immundi, peccatores, impij: Postea vero Filij Dei. Homini nouo, nomen nouum, canticum nouum, per Testamentum nouum. Non sint ingrati homines gratiæ Dei pusilli cum magnis à minore vsque ad maiorem. Totius Eccl. vox est *Errant*

Ps.118. 176. *sicut ouis perdita:* Omnium membrorum Christi vox est

Omnes vt oues errauimus, & ipse traditus est pro peccatis nostris.]

Item:[Ipse Dominus definitiuam protulit sententiam ad hæc ora obstruenda, vbi ait, *Qui mecum non est, aduersus me est.* Constitue igitur quemlibet paruulum, si iam cum Christo est, vt quid baptizatur? si autem (quod habet veritas) ideo baptizatur, vt sit cum Christo profectò non baptizatus non est cum Christo: Et quia non est cum Christo aduersus Christum est: neque enim eius tam manifestam debemus, aut possumus infirmare vel immutare sententiam. Vnde igitur aduersus Christum, si non ex peccato? Porro si ex peccato, quod in illa ætate, nisi originale, & antiquum: vna est quippe caro peccati, in qua omnes ad damnationem nascuntur: Et vna est caro in similitudine carnis peccati, per quam omnes à damnatione liberantur.]

Item: [Vniuersa Ecclesia tenet, quæ aduersus omnes profanas nouitates vigilare debet, omnem hominem separari à Deo, nisi qui per mediatorem Christum reconciliatur Deo. Nec separari quemquam, nisi peccatis intercludentibus posse. Non ergo reconciliari nisi peccatorum remissione per vnam gratiam misericordissimi saluatoris, per vnam victimam verissimi sacerdotis Ac sic omnes filios mulieris quæ serpenti credidit, vt libidine corrumperetur, non liberari à corpore mortis huius, nisi per filium virginis quæ Angelo credidit, vt sine libidine fœtaretur.]

Item: [*Nisi quis natus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei: Et nisi quis renatus fuerit ex aqua, & spiritu non potest introire in regnum Dei.* Cur enim nascator denuo nisi renouandus? vnde renouandus, nisi à vetustate? Qua vetustate, nisi in qua *vetus homo noster simul confixus est cum illo, vt enacuaretur corpus peccati?* aut vnde imago Dei non intrat in regnum Dei, nisi impedimento prohibente peccati?

Item:[*Nemo*, inquit, *ascendet in cælum, nisi qui de cælo descendit filius hominis, qui est in cælo.* Sic (inquit) fiet generatio specialis, vt sint cœlestes homines ex terrenis, quod adipisci non poterunt, nisi membra in ea efficiamur vt ipse ascendat, qui descendit: quia *nemo ascendit nisi qui descendit*, nisi ergo in vnitatem Christi omnes mutandi, vndique concurrant, vt Christus qoi descendit ipse ascendat, non aliud deputans corpus suum, id est, Ecclesiam suam, quam se ipsum, quia de Christo, & Ecclesia verius intelligitur, *Erunt duo in carne vna.* De qua re ipse dixit; *Igitur iam non duo sed vna caro*: ascendere omnino non poterunt. Quia *nemo ascendit in cælum nisi qui descendit de cælo filius hominis qui est in cælo.*]

Item: Non alienentur paruuli à gratia remissionis peccatorum, nõ aliter transitur ad Christum, nemo aliter potest Deo reconciliari, & ad Deũ venire, nisi per Christũ Quid de ipsa forma Sacramenti loquar? Vellẽ aliquis istorum, qui contraria sapiunt, mihi baptizandum paruulum afferret. Qoid *in illo agit exercismus si in familia diaboli non tenetur?* Ipse certè mihi fuerat responsurus pro eodem paruulo, quem generaret, quia pro se ille respondere non posset, quomodo ergo dicturus erat eum renunciare diabolo, cuios in eo nihil esset? quomodo conuerti ad Dominum, à quo non esset auersus? credere inter cætera remissionem peccatorum, quæ illi nulla tribueretur? Ego quidem si contra hæc eum sentire existimarem, nec ad Sacramenta cum paruulo intrare permitterem. Ipse autem in hoc qua frõte ad homines, qua mente ad Deum se ferret ignoro.]

Ex libro etiam eiusdem beati Doctoris, qui *vsitatius Enchiridium appellatur*, ad eiusdem rei dilucidationem hæc pauca decerpenda & adnotanda credidimus Ait namque: Sed homo habet pœnam propriam, qua corporis morte punitus est, mortis ei quippè supplicium Deus comminatus fuerat si peccaret, sic eum munerans libero arbitrio, vt tamen regeret imperio, terreret exitio, atque in paradisi fœlicitate, tanquam in vmbra vitæ, vnde iustitia custodita in meliora conscenderet, collocauit. Hinc post peccatum exul effectus, stirpem quoque suam, quam peccando in se tanquam in radice vitiauerat, pœna mortis & damnationis obstrinxit, vt quicquid prolis ex illo, & simul damnata (per quam peccauerat) coniuge, per carnalem concupiscentiam, in quam inobedientiæ pœna similis retributa est, nasceretur, traheret originale peccatum. Quo traheretur per errores doloresque diuersos ad illud extremum cum desertoribus Angelis vitiatoribus, & possessoribus, & consortoribus suis sine fine supplicium. *Sic per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccauerunt. Mundum* quippe appellauit eo loco Apostolus vniuersum genus humanum. (Rom. 5. 12.)

(Cap. 27.) Ita ergo se res habebant. [Iacebat in malis, vel etiam voluebatur, & de malis in mala præcipitabatur totius generis humani massa damnata: Et adiuncta parte eorum; qui peccauerant, Angelorum, luebat impiæ desertionis dignissimas pœnas. Ad iram quippè Dei pertinet iustam quicquid cæca & indomita concupiscentia faciunt libenter mali & quicquid manifestis apertisque pœnis patiuntur inuiti: non sanè creatoris desistente bonitate, & malis Angelis subministrante vitam, viuacemq; potentiam. Quæ subministratio si auferatur, intercidit, & hominum, quamuis de propagine vitiata damnataque nascentium formare semina, & animare, ordinare membra per temporum ætates, per locorum spatia, vegetare sensus, alimenta donare. Melius enim iudicauit de malis benefacere, quam mala nulla esse permittere. Etsi quidem in melius hominum reformationem nullam prorsus esse voluisset, sicut impiorum nulla est Angelorum, non immerito fieret, vt natura quæ Deum deseruit, quæ præceptum sui creatoris (quod custodire facillime posset) sua male vtens potestate calcauit, atque transgressa est; Quæ in se sui conditoris imaginem ab eius lumine contumaciter auersam violauit quæ salubrem seruitutem ab eius legibus malè libero abrupit arbitrio, vniuersa in æternum indebitam deseretetur ab eo, vt pro suo merito pœnam penderet sempiternam. Planè ita faceret si tantum iustus, non etiam misericors esset, suamque misericordiam multo euidentius in indignorum potius libratione monstraret.]

(August. Enchir. cap. 50. Rom. 5. 16.) Item: ille vnus vnum peccatum misit in mundum Iste vero vnus non solum illud vnum, sed cuncta simul abstulit, quæ addita inuenit. Vnde dicit Apost. *Non sicut per vnũ peccatum, ita est & donum. Nam iudicium quidem ex vno in condemnationem, gratia autem ex multis delictis in iustificationem.* Quia vtique illud vnum quod originaliter trahitur, etiam si solum sit, obnoxios damnationi facit. Gratia vero ex multis delictis iustificat hominem, qui præter illud vnum, quod communiter cum omnibus originaliter traxit, sua quoque propria multa commisit Verumtamen quod paulo post dicit, *Sicut per vnius delictum in omnes homines ad condemnationem; ita & per vnius iustificationem in omnes homines ad iustificationem vitæ* satis indicat ex Adam neminem natum, nisi damnatione detineri: Et neminem, nisi in Christo renatum, à damnatione liberari.] (v. 18. Cap. 51.)

(Ib. c. 94.) Item: remanentibus itaque Angelis & hominibus reprobis in æterna pœna tunc sancti scient plenius quid boni eis contulit gratia. Tunc rebus ipsis euidentibus apparebit, quod in Psalmo Scriptum est *Misericordiam & iudicium cantabo tibi Domine*: quia nisi per indebitam *misericordiam* nemo liberatur: Et nisi per debitum *iudicium* nemo damnatur.] (Ps. 100, 1.)

Item: [Vniuersum genus hominum tam iusto iudicio diuino In Apostatica radice damnatum, vt etiamsi nullus inde liberaretur, nemo rectè posset Dei vituperare iustitiam. Et qui liberantur, sic oportuisse liberari, vt ex pluribus non liberatis, atque in damnatione iustissima derelictis ostenderetur, quid commeruisset vniuersa conspersio. Et quô etiam istos debitum iudicium Dei duceret, nisi eius indebita misericordia subuenisset, vt volentium de suis meritis gloriari *omne os obstruatur, & qui gloriatur, in Domino glorietur.*] (Rom. 3. 19. 1. Cor. 1. 31.)

Quæ omnia ex fidelissimorum & clarissimorum Patrum disputationibus sumpta, & tanta diuinorũ testimoniorum, atque euidentissimarum rationum contestatione

decla

A declarata, atque firmata, cum Ita omnino indubitanter credenda ac tenenda sint, tria quædam principaliter magna & horrenda mala, quantum intelligi datur: & in reprobis diuini iudicij seueritate retenta, & in electis diuinæ bonitatis miseratione remissa sunt ac soluta. Manet namque in illis antiquæ & primæ præuaricationis reatus, qui in istis Christi sanguine est deletus. Manet in illis sententia æternæ damnationis: In istis soluta per gratiam redemptionis. Sunt illi in æternum diuini iudicij prædestinatione damnati, † *Isti vero in æternum diuina misericordia prædestinatione saluati*,

Desunt quædam: Nam, & in manuscripto duo folia excisa sunt. † Sed in eis nihil ferè scriptum erat: ideoque nihil deesse videtur præter membrum alterum 3 t. mali in electis remissi.

B

IN LIBRVM ECCLESIÆ Lugdunensis, de Tribus Epistolis.

Notæ Andreæ du-Vally, Doctoris Sorbonici, & Regij in Academia Parisiensi, Theologiæ Professoris.

LVGDVNENSIS Ecclesia hacce disputatione patrocinium Gotteschalci videtur suscipere, licet eum præsumptuosum, insolentem & miserabilem monachum appellet. Præsomptuosum quidem quod vltro, id est renitente Abbate prædicationis officium ad infideles susceperit, contra quod dicit Apost. Nemo assumat sibi honorem nisi vocetur à Deo tanquam Aaron, Et: Quomodo prædicabunt nisi mittantur, & hæc prima mali illius labes, imo Lerna omnium suorum malorum: Insolentem vero forte quod sua dogmata ab omnibus fere doctoribus eo tempore reprobata nimium iactaret, & in vulgus insolenti quadam ambitione & cum maximo totius Ecclesiæ Gallicanæ detrimento disseminaret. Miserabilem demum quod flagellis tamdiu fuerit dilaceratus, donec accenso circa se igne libellum suum propriis manibus in flammas proiiceret, & æterno velut incendio concremaret. In hoc supplicij genus inuehitur præcipue Ecc. Lugd. cum singulas eius propositiones vnica dempta quæ est de libero arbitrio ad pium & Catholicum sensum benigna & suaui explicatione reduci posse affirmet. Vnde non simpliciter arguit quod in eum virgis fuerit animaduersum: Certum est enim Iure optimo puniri hæreticos & nouatores, siquidem non minus reipublicæ Christianæ perniciosi sunt quam alij quilibet scelerati: sed quod eius propositiones benigne potius debuissent explicare prælati illius temporis quam in eum ita sæuire.

C

Nota.

Rebelles & increduli.] affirmat omnes & illos Israelitas qui increduli & rebelles Moysi in deserto fuerunt, & quorum cadauera ibi in vindictam prostrata sunt in æternum esse damnatos, & ad huius probationem profert illud Psalm. 94. Quibus iuraui in ira mea, si introibunt in requiem meam. Quibus verbis immobilitatem diuini consilij de illorum æterna dãnatione indubitanter exprimi asserit: verum hoc in opinione positum est. Quinimo contrarium multo est probabilius, tum quia non est verisimile integram Israëlitarum in deserto mortuorum multitudinem fuisse incredulam & rebellem; nunquid enim Leuitæ, nunquid paruuli, nunquid pariter Aaron ab eiusdem incredulitate excusari possunt & debent. Quamuis enim dicatur, Quadraginta annis proximus fui generationi huic, à maiori tamen parte fit illa totius denominatio: tum quia requies illa de qua loquitur Propheta de terra promissionis intelligitur vt ait glossa in hunc locum: tum quia quis dicet eos qui ab igne deuorante consumebantur, præ negligentia quæ non ita graue peccatum est, & qua in extremis partibus versabantur, fuisse propterea in æternum damnatos, eorum tamen corpora in deserto prostrata sunt: tum quia exclusio à terra

D

promissionis ad quam tanto ardore suspirabant, cu morte quam ipsi tulerunt sufficiens delicti eorum fu expiatio, non minus quam mors corporea Ananiæ & S phiræ ex Hieronymo Epistola 8. ad Demetriadem. Ad autem quod ait Ecclesia Lugdunensis eorum damn tionem figuram fuisse damnationis omnium reprobon iuxta Apostolum prioris ad Corinthios 10. Omnia in f gura contingebant illis: responderut solam eorum à ter promissa exclusionem optimè posse hanc damnatione figurare, cum figuram veritate minorem esse semp oporteat. Quæ tamen non sic sunt intelligenda, vt omn illos Israëlitas ab inferis vindicemus: certum est enii Chore, Datam & Abiron viuos ad inferos descendisse sed generalem ipsius Ecclesiæ propositionem tantum co arctare voluimus.

Prædestinatio & præscientia.] Docet prædestinatio nem & præscientiam tantumdem valere circa bonu tantum quod à Deo est, quod tamen contra Ioanner Erigenam acerrime arguit cum præscientia multo latiu pateat, est enim bonorum & malorum; prædestinatio ve ro solummodo bonorum; verum si attente legatur, liqu do cuique constabit eam solum de præscientia diuino rum operum agere: quo sensu prædestinatio æque lat patet: sic enim ait: In operibus omnipotentis Dei no sunt alia præscita & alia prædestinata: vel dicito vel tantum illa duo æqualia esse ratione immobilitatis diui ni consilij; quod enim à Deo semel est præscitum no minus infallibiliter euenier, quam quod semel e prædestinatum. Et hæc posterius expositio magis est a mentem Authoris.

Ibidem principaliter & veraciter.] Cautè legendun est quod dicit bona opera esse omnino principaliter & veraciter ipsius creatoris: ista enim particula (omnino non debet diuisim à (principaliter) accipi, sed coniun ctim; quasi velit Deum omnium bonorum operum ess causam præcipuam seu primariam; non tamen propterea excludit creaturam humanam seu liberum arbitrium quod suo modo est etiam causa præcipua, per virtuten sibi supernaturaliter infusam, actuum internorum fidei spei, & charitatis. Ideoque dicendum est Lugdunensen Ecclesiam, per causam præcipuam, intelligere primarian seu independentem.

2. *regula.*] Notent Caluinistæ horrendam blasphemiam, qua Deum authorem peccatorum faciunt hi expresse condemnari, & prædestinationem tantum erg bona opera statui, aut saltem erga pœnas æternas, quibus verè dignum & iustum est impios in impietate morientes affici.

Quatuor explicationes profert propositionis Apostoli 1. ad Timoth. 2. *Vult Deus omnes homines saluos facere, & ad agnitionem veritatis peruenire.* Tres priores commendat & quartam tanquam Pelagianam condemnat. Verùm licet prima sit Augustini in Enchyridio cap. 103. nihilominus propter huius temporis hæreticos parumper est periculosa; vt enim impiam suam de reprobatione opinionem astruat Caluinus 3. Institut. c. 14 illam dicit ita intelligendam de generibus scilicet singulorum, & non de singulis generum: ita vt Deus ex omni sexu, ætate conditione & statu, aliquos duntaxat saluare voluerit; nos tamen omnes & singulos. Secunda pariter est Augustini loco citato Enchiridij, Prosperi Epistola ad Ruffinum, & in responsione octaua ad Episcopos Galliæ. Tertia eiusdem Augustini de correptione & gratia, cap. 14. & 22. de ciuit. cap. 1. & 2. nec non D. Thomæ in locum illum Apostoli. Quarta eo modo quo explicatur ab Ecclesia Lugdunensi explodenda est: certum est enim Deum non expectare nostras voluntatea vel cooperationem earundem, vt simpliciter & absolutè nostrum omnium salutem velit. Si tamen ita exponatur, vt Deus voluntate antecedente omnes saluare velit, quia sufficientia omnibus & singulis media ad salutem confert; verum, pium, catholicum & nullo modo Palagianum sensum habet: Hanc enim tenent Ambrosius secundo de vocatione Gentium cap. 1. 6. & 10. Prosper ad 1. & 2. Gallorum obiectionem, omnesque

Scolasticí in prima distinct. 46. vnico excepto Arimi-nensi.

Pro multis & non pro omnibus.] Affirmat Christum non fuisse passum pro his qui in infidelitate moriuntur, & passionem eius fuisse dumtaxat pro multis, & non pro omnibus. Hæc autem benigna indigent interpretatione, non minus quam Concilium Valentinum Can. 4. vbi damnet asserentes Christum sua merita pro impiis & qui in peccato moriuntur statuisse, diffinitque pretium Sanguinis Christi oblatum fuisse ad multorum exhaurienda peccata, eorum scilicet qui credendo in Christum non pereunt, sed vitam æternam consequuntur: loquitur enim illud Concilium, sicut & Ecclesia Lugdunensis, de merito & satisfactione quoad efficaciam; non autem quoad sufficientiam; quo modo pro omnibus omnino hominibus passus est; qua quidem distinctione facile est omnibus Ecclesiæ lugdunensis rationibus occurrere, vt legendu cuius facilè constabit.

Cauté legenda est expositio horum verborum Isaiæ: *Ego autem in vacuum laboraui, frustra consumpsi fortitudinem meam.* Dicit enim Christum hoc loco ex persona membrorum sub illa passionis mortis ignominia infirmantium ac penè desperantium esse loquutum; & hoc conformiter suo dogmati, quod nempe Christus solum pro electis passus fuerit, vt ideo in vacuum minimè laborauerit, verum satius est eadē Christo ipso exponere, paucorum salutem præuidente, quamuis sufficientissimum, imo superabundantissimum precium redemptionis omnium hominum in ara crucis exoluisset.

Ibidem notent Caluinistæ hunc Psalmistæ versiculum (*Quare me dereliquisti? Longè a salute mea verba delictorum meorum*) non de Christo ipso, sed de illius membris esse intelligenda, quorum omnium peccata tanquam sibi propria imputabat; ita vt hæsitatio & desperatio, cuius ibi fit mentio; non Christo (qui de sua salute anceps & dubius nunquam fuit, nec esse potuit) sed illius membris attribuenda sit.

Per quatuor ferè annorum millia.] Ita varij sunt Chronistæ in annorum supputatione à creatione vsque ad Christum, vt iure de illis dici possit; Tot capita, tot sententiæ: Communior tamen & certior est eorum supputatio, qui ex 70. Interpretibus & peruetustis Hebræorum codicibus dicunt quinque milla centum & nonaginta nouem à creatione ad Christum effluxisse. Communior quidem, quia est tam Græcorum, quam Latinorum, vt notet Baronius in Martyrologio; certior verò, quia hunc annorum numerum, Ecclesia in Martyrologiis perpetua retinuit.

Sed quia in ipso infideli populo,] Non minus cautè ista legenda sunt; dicit enim Deum non orasse pro omnibus suis persecutoribus, vtpote pro illis qui in cordis sui duritie obfirmatè erant perseueraturi. Hoc ab Hincmaro ad Nicolaum 1. inter errores Gotescalci recensetur, simulque refellitur: tum quia, inquit, fuit vetus error Prædestinatianorum; tum quia de eius persequutoribus dixit Petrus 2. Petri secundo, negantes Dominum qui eos emit. Verum hæc verba Lugdunensis Ecclesiæ intelligenda sunt secundum efficaciam, vt ante diximus, illudque infra apertè subiungit. Quod autem illa oratio pro omnibus emissa, non fuerit erga omnes sortita effectum, nihil de virtute orationis Christi detrehit; quia vt obfirmatos respiciebat, oriebatur à voluntate conditionata & antecedenti, quod scilicet eius efficaciam vellet eos experiri, dummodo ab obfirmatione cessarent vt vero electos & conuertendos, à voluntate absoluta. nisi malueris dicere orationem illam fuisse pro omnibus absolutam, quia licet de facto omnes non resipuerint: habuerunt tamen illius beneficio media ad salutem necessaria & sufficientia, quod ad absolutam & efficacem voluntatem sat est. Lege D. Thomam quæstione 21. 1. Partis.

Ita immunda & inquinata sunt omnia.] Docet hic Ecclesia Lugdunensis omnes infidelium actiones malas, immundas, & inquinatas esse; quod affirmant similiter sectarij huius temporis, Lutherus art. 36. à Leone damnato, Melanchton Apologia confessionis Augustanæ, E
Bucerus lib. de concordia controu. & Cal. lib. 2. institut. cap. 3. Nonnulli etiam inter Scholasticos idem tennetunt, sed non cum ea qua sectarij præsumptione, & audacia, Greg. Ariminensis in 2. sententiarum dist. 4. quæst. vnica, art 2. coroll. 3. & Capreolus in 2. dist. 41. quæst. vnica, art. 3. licet in quibusdam nonnihil discrepet: ex quibus videre est, sententiam Lugdunensis Ecclesiæ hac in parte non aduersari fidei, licet temerarium sit illud affirmare: certum enim est & commune tum apud Patres, tum apud Scholasticos, posse ab infidelibus fieri quædam opera moraliter bona. Exodi enim 1. laudantur obstetrices Ægypriorum, quod paruulos Hebræorum ad regis mandatum occidere noluerint. 1. Reg. 17. narratur & commendatur commiseratio Bercellai Galaadiris erga Dauidem eiusque exercitum. Lege Valent. in 2. 2. q. 10. de infidelitate, punct. 2.

In præsentia Domini Venilonis.] Hic fuit Archiepiscopus Senonensis secundum Demochatem in tabulis Episcoporum Senonensium: ex quibus coniice in variis conuentibus condemnatum fuisse Gotteschalcum; in Moguntinensi nempe & Senonensi concilio, & forte tantum in Senonensi vapulasse, quia Hincmarus in tota illa Epistola ad Nicolaum 1. nihil de virgis mentionem facit, sed solum eum sub arcta custodia in monasterio fuisse reclusum, ne alios suis erroribus inficeret. F

Accenso coram se igne.] Vide Gretserum disputatione de iure & modo prohibendi libros hæreticos, vbi exemplis Atheniensium & Romanorum libros deprauatæ doctrinæ fuisse exustos docet, idque non tantum lumine fidei, sed & naturæ constare; ne ita ægrè ferant nouatores nostri, si quos in Ecclesiam libros emouunt, generali incendio deleat Eccl.

In his verbis.] Quando arguit Ecclesiæ Lugdunensis Hincmarum quod dixerit liberum arbitrium per peccatum non emortuum, sed vitiatum, & à Christo non fuisse suscitatum, sed sanatum, accipit liberum arbitrium pro bona & recta voluntate qua Deo per charitatem adhæremus. Quo sensu certum est illud omnino fuisse emortuum nec tantum vitiatum: tamen quia remansit in eo natura conuersionis capax ita vt eam per congruam & efficacem gratiam possit obtinere, ideo hac in parte verba Gotteschalci benignè possent explicari, licet merito à Patribus tum concilij Moguntinensis, tum Senonensis damnatus sit, quod illius verba contrarium sonarent, nempe bonam & rectam voluntatem in homine post peccatum remansisse. Vel dicito liberum arbitrium ab Ecclesia Lugdunensi accipi pro actu dilectionis Dei super omnia, quem certum est omnino per peccatum deperdi. G

Amalarium.] Sugillat & arguit Amalarium Lugdunensis Ecclesia tanquam omnium hæresum illius temporis authorem & promotorem. Quis autem fuerit, magis ignoratur quam scitur. Solum accipe ex doctissimo viro Nicolao Fabro sedulo antiquitatis peruestigatore, Florum Magistrum, quem Trecensem illum Episcopum arbitramur, qui contra Ioannem Scotum & Gotteschalcum scripsit quamplurima, sed in iis quædam animaduersione dignissima; hic inquam Florus in Ps. 80. aduersus Amalarium scribens: Vis, inquit, comedere ipsum Dominum Deum tuum? Audi quid dicat: Dilata os tuum & implebo illud. Dilatate ora vestra ipse est Dominus & panis ipse hortatur nos vt comedamus: At ipse noster est cibus: quantum dilataueris, tantum accipies. Hæc ille. Ex quo coniecturæ locus relinquitur Amalarium illum vna cum Ioan. Scot. fuisse Bereng. præcursores, & veluti antesignanos; quorum errorem nostri Eucharistomastiges iamdudum sopitum & extinctum ab orco suscitarunt. H

Ibid. S. Ioannes.] Legendum est Scotus, Ioan. hic enim est ille cognomento Erigena, aduersus quem manus primum conseruit Eccl. Lugd.

Iam non solum sua, sed etiam iniquitas patrum rediit.] Contra D. Thomas quæst. 88. 3. partis artic. 1. & cum eo reliqui Scholastici in 4. dist. 22. peccata semel remissa

nunquam

A nunquam redeunt eadem numero, nec similiter amplius imputantur à Deo eo modo ac si non essent dimissa, quia ad Rom. 11. sine pœnitentia sunt dona Dei. Nahum 1. Deus non punit bis in idipsum & Ezechielis 18. si impius egerit *pœnitentiam, omnium iniquitatum eius non recordabor*. Redeunt tamen per *subsequens peccatum ratione* ingratitudinis, quæ illud multo grauius & culpabilius reddit. Et ita exponenda sunt verba Ecclesiæ Lugdunensis, quæ etiam reperiuntur apud Hugonem Victorinum lib. 2. de sanctis parte 14. cap. vltimo, & glossam gratiani de pœnitentia dist. 4. canone. Qui recedit.

In lib. quippè Genesis.] Aduerte Iulianum illum, contra quem tot libris disseruit Augustinus, accusasse Moysem quasi existimarit Deum non esse creatorem Angelorum, quia scilicet creationis ipsorum non meminerat, huic respondit Augustin. & postea D. Thomas quæst. 61. artic. 1. partis creationem Angelorum in-
B sinuatam fuisse nomine cœli aut etiam lucis. Quæ tamen responsio multis non placet, quia in Scriptura nomine cœli & terræ intelligitur cœlum istud sensibile; & nomine pariter lucis lumen illud visibile, ita vt ea expositio Lugdunensis Ecclesiæ mystica potius est quam litteralis.

Ibidem naturalem possibilitatem.] Hanc dicit nos per peccatum Adæ amisisse. Sicut & Cœlestinus Papa, cap 4. Apologiæ pro Prospero & Hilario. Sed per eam intelligit sanctam cogitationem, pium consilium, omnemque bonæ & rectæ voluntatis motum, quæ ante peccatum per iustitiam originalem inerant homini, non quidem tanquã naturæ proprietates, sed solum ab instanti creationis ipsius naturæ. Quo sensu ab Ecclesia Lugdunensi dicitur naturalis possibilitas, vel dicito nomine naturalis illius possibilitatis significari iustitiam ipsam originalem, quia omnes facultates naturales tam animi quam corporis in debito quodam officio continebat, & hominem in statu naturæ integræ, & per peccatum minimè sauciæ
C constituebat.

Sub finem videtur admittere prædestinationem respectu peccatorum. Sed hoc vel intellige de peccatis subsequentibus, quæ vt plurimum pœnæ sunt præcedentium tunc enim non in ratione peccati, sed in ratione pœnæ decerni & prædestinari posse à Deo affirmat Ecclesiæ Lugdunensis: hoc enim modo aliquam æquitatis & iustitiæ vindicatiuæ rationem participant. Verum quia nunquam ad quodlibet peccatum siue præcedens siue subsequens nos Deus præordinat (sequeretur enim Deum esse saltem subsequentium peccatorum authorem) ideò satius est respondere Ecclesiam Lugdunensem accipere hoc loco *prædestinationem pro prouidentia*, tantumque velle Deum habere prouidentiam peccatorum, quia vt aliquid sub prouidentiam cadat satis est, si hæc tria concurrant: primum vt à Deo fuerit ex omni æternitate præuisum, 2. vt absque Dei voluntate saltem permissiua non eueniat, 3. vt cum euenerit, ordinet illud Deus ad finem aliquem bonũ. Cum ergo pecca sint præuisa & permissa
D à Deo atque etiam ordinata ad bonum finem, nimirum vt per illa declaret Deus suam iustitiam dum in illa animaduertit; aut misericordiam dum quædam benignè relaxat: negari non potest quin peccata diuinæ prouidentiæ subiaceant seu prædestinationi, August. in Enchiridio, cap. 11. & lib. 1. de ciuit. cap. 17. 18. & 23. Ambrosi 1. de officiis, cap. 14. & 16. Euseb. lib. 8. præparationis Euangelicæ cap. 5. & D. Thomas quæst. 22. 1. partis artic. 2. ad. 2.

Pro Cathecumenis.] Affirmat pariter Ecclesia sacrificium pro Cathecumenis & paruulis non baptizatis non esse offerendum. Cui suffragari videtur quod habet Aug. 1. de origine animæ cap. 8. Quis offerat sacrificium corporis Christi, nisi pro his qui sunt membra Christi quod refertur à D. Thoma, quæst. 79. artic. 7. ad 2. Verum certum est eos tantum agere de publica & solemni oblatione, nam priuatim nihil obstat quominus pro iis sacrificium offeratur, excipe tamen paruulos absque baptismo mortuos: cum enim sint ex genere valde malorum propter peccatum originale, de quibus agit August. in Enchiridio cap. 109. pro his non est offerendum sacrificium ne quidem secreto & in mente sacerdotis. Adde etiam vt optime docet Suarius, in art. 1. quæst. 83. 3. partis D. Thomæ non posse pro Cathecumenis aut paruulis nondum baptizatis offerri sacrificium, quasi fructum aliquem ex eo reportent tanquam ex opere operato, quia opus operatum sacrificij supponit personam suscepisse baptismum, qui est omnium, tum sacramentorum, tum fructus ipsius sacrificij ianua, potest tamen pro illis in ratione impetrationis offerri, quia per illud possumus à Deo impetrare, vt ad baptismum perueniant non minus quam pro peccatoribus & infidelibus, vt à peccato & infidelitate recedant.

ECCLESIÆ LVGDVNENSIS,

IN NOMINE DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI,

INCIPIT LIBELLVS DE TENENDA immobiliter Scripturæ sanctæ veritate & sanctorum Orthodoxorum Patrum authoritate fideliter sectanda.

CAPVT PRIMVM.

INTER omnia pericula, & innumeras calamitates atque miserias quibus Ecclesia huius regni terribili & occulto Dei iudicio incessanter affligitur atque vastatur, ita vt regni vnitas sit discissa ac dilacerata, sacerdotum generalia & saluberrima concilia intermissa, legum seueritas, & iudicum vigilantia subtracta, specialis doctrinæ studia, quibus fides & scientia Dei quotidie enutriri, ac proficere debuit, pene vbique extincta: Exortum est magis dolendum ac lugendum malum vt videlicet contempta veritate Scripturarum sacrarum, calcata authoritate beatissimorum atque Orthodoxorum Patrum, per quos Ecclesia Dei ædificatur & illustratur; præsumant aliqui etiam de rebus præcipue ad fidem pertinentibus ex proprij sensus temeraria præsumptione, quæ apertissimè contraria sunt diuinæ veritati, & ipsi docere, & aliis tenenda statuere atque conscribere: Cum & ipse omnipotens Deus speculatorij, id est, vnicuique Pastori Ecclesiæ ea sola, quæ ab ipso audierit, annuncianda præcipiat, dicens: *Speculatorem te dedi domui Israël: Et audies ex ore meo verbum, & annuntiabis eis ex me*. Et B. Apostolus Petrus similiter contestetur & dicat, *Si quis loquitur quasi sermones Dei*: Et B. Paulus idipsum admoneat, & inculcet dicens: *Doctrinis variis, & peregrinis nolite abduci*; huiusmodi enim doctrinæ variæ atque peregrinæ, in quibus non est vnitas veritatis, sed introductio diuersi, & profani erroris significantur in lege Moysi per varia genera leprarum, Quæ non solum cæteras corporis partes contaminant atque corrumpunt, sed etiam in capite & barba germinant. Cum vel de ipso Domino IESV CHRISTO, vel de viris Apostolicis atque Ecclesiasticis, qui ei principaliter adhærent, & faciem eius ornant, indignum aliquid sentitur. Quoniam sicut Apostolus docet, *Omnis viri caput Christus est*: Et iuxta Psalmistæ vocem; *Vnguentum in capite primum descendit in barbam, barbam Aaron, vt descendit etiam in ora vestimenti eius.*

Quapropter omni studio, & vigilantia pietatis, cauenda est immunditia erroris: Et humiliter ac fideliter obtemperandum Apostolo sub persona Timothei ad vnumquemque rectorem Ecclesiæ dicenti: *O Timothee depositum custodi deuitans profanas vocum nouitates & oppositiones falsi nominis scientiæ: quam quidam promittentes circa fidem exciderunt*: Habemus namque magnum

Ezech. 3. 17. 1. Pet. 4. 11.

Heb. 13. 9.

Leu. 13 & 14

1. Cor. 11. 3.

Ps. 132. 2.

1. Tim. 6. 20.

positum fidei, & doctrinæ veritatis ex diuinis Scripturis, & sanctorum Patrum dictis, velut pretiosum multiplicem thesaurum diuinitus nobis ad custodiam commendatum: Quem sine intermissione Domino auxiliante debemus inspicere, extergere, polire, atque excutere, ac diligentissime seruare, ne per incuriam & ignauiam nostram aut puluere sordescat, aut *ærugine, vel tineis demoliatur*, aut malignorum spirituum insidiis, vel à nocturnis, & occultis furibus *effodiatur ac diripiatur*. Quia & *Sesac Rex Ægypti*, per quem significatur princeps huius mundi armamentarium veri Salomonis spoliare quærit. Et *trecenta scuta aurea* exportans, id est, veræ & merae fidei mysterium de corde negligentium diripiens, *pro eis ærea* fabricari compellit, vt faciat nos, quod absit, *habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem eius abnegantes.*

CAP. II.

HÆc idcirco dicimus, quia peruenit ad nos, id est, *ad Ecclesiam Lugdunensem, quadam schedula* studio fidelium, & bonorum virorum, qui & suæ, & aliorum salutis deuotè ac laudabiliter sollicitudinem gerunt, in nostram notitiam perlata, atque vt ad eam sedulo respondere deberemus attentius commendata. In qua insunt quatuor capitula maximè nouarum definitionum nuper, vt comperimus, in quodam fratrum nostrorum Episcoporum Conuentu tractata, digesta atque conscripta, velut ad comprimendam & retundendam cuiusdam garruli & inquieti hominis loquacitatem, qui nouarum (vt fertur) quæstionum auidus, & indisciplinatus ventilator, & aliis non paruam perturbationem, & sibi ipsi ærumnam miserrimæ eladis induxit. Quorum capitulorum series, sicut ad nos perlata est ita se habet.

CAP. I.

D*Eus omnipotens hominem sine peccato rectum cum libero arbitrio condidit, & in Paradiso posuit, quem in sanctitate iustitia permanere voluit: homo libero arbitrio malè vtens peccauit, & cecidit, & factus est massa perditionis humani generis. Deus autem bonus, & iustus elegit ex eadem massa perditionis secundum præscientiam suam, quos per gratiam prædestinauit ad vitam, & vitam illis prædestinauit æternam. Cæteros autem quos iustitia & iudicio in massa perditionis reliquit, perituros præsciuit, sed non vt perirent prædestinauit; pœnam autem illis, quia iustus est, prædestinauit æternam. Ac per hoc vnam Dei prædestinationem tantummodo dicimus, quæ ad donum pertinet gratiæ, aut retributionem iustitiæ.*

CAP. II.

L*Ibertatem arbitrij in primo homine perdidimus, quam per* C*HRISTVM* *Dominum nostrum recepimus, & habemus liberum arbitrium ad bonum, præuentum & adiutum gratia: Et habemus liberum arbitrium ad malum, desertum gratia: Liberum autem habemus arbitrium, quia gratia liberatum, & gratia de corrupto sanatum.*

CAP. III.

D*Eus omnipotens* omnes homines *sine exceptione* vult saluos fieri, *licet non omnes saluentur, quod autem quidam saluantur, saluantis est donum: quod autem quidam pereunt, pereuntium est meritum.*

CAP. IV.

CHRISTVS IESVS *Dominus noster, sicut nullus homo est, fuit vel erit cuius natura in illo assumpta non fuerit: ita nullus est, fuit vel erit homo, pro quo passus non fuerit, licet non omnes passionis eius mysterio redimantur. Quia vero omnes passionis eius mysterio non redimuntur, non respicit ad magnitudinem, & pretij copiositatem, sed ad infidelium & ad non credentium ea fide* quæ per dilectionem operatur, *respicit partem, quia poculum humanæ salutis quod confectum est infirmitate nostra & virtute diuina, habet quidem in se, vt omnibus prosit, sed si non bibitur, non medetur.* E Gal. 5. 6.

Hæc igitur cum legissemus, & *adiuncto nobis fratrum nostrorum, Deo donante, bene studentium, & rectè intelligentium collegio, pia & fideli attentione singula pertractassemus*, grauiter perculsi & confusi animo, vidimus in eis, & Scripturæ sanctæ certissimam veritatem & beatissimorum Patrum, præcipueque sancti Augustini reuerendam, & in omni Ecclesia Catholica receptissimam auctoritatem nouo conatu, & ausu nimis temerario impugnari? Et quantum in ipsis fuit, improuide atque insolenter labefactari. Vnde ipsa charitate prouocati & commoniti, per quam *in vno Christi corpore omnes vnum esse* debemus, vt sicut Apostolus dicit, *inuicem pro se sollicita sint membra, & siue gloriatur vnum membrum & congaudeant omnia membra, & siue infirmatur vnum membrum, compatiantur omnia membra:* Hac, inquam, charitatis affectione *visum est nobis atque complacuit*, vt hæc qualiacumque sunt, & ad commonitionem nostram, & ad eorum, qui legere voluerint, ædificationem & confirmationem, compendioso & lucido, (prout Dominus aspirare dignatur) sermone scriberemus quicquid in eo dicendum putauimus non nostro sensu aut præsumptione, sed manifestissimis Scripturarum testimoniis, & præfatorum sanctorum Patrum venerabili auctoritate firmantes: A quorum vestigiis vnitate, absit, vt vel nos, vel illi, quorum charitate compulsi hæc dicimus: vllatenus recedamus, ne ab ipsis diuisi, etiam ab ipso Domino diuidamur Qui illis specialiter dicit, *Qui vos audit me audit; & qui vos spernit me spernit*, Quos nimirum tantæ in Ecclesia sua esse voluit gratiæ, & gloriæ, vt confidenter cum Apostolo dicere possint; *Itaque qui hæc spernit, non hominem spernit, sed Deum, qui etiam Spiritum suum sanctum in nobis*; Quique etiam per Phinées Sacerdotem nobis sollicitè mandauit, *tantum vt à Domino & à nostro consortio non recedatis ædificato altari præter altare Domini Dei nostri; quod extructum est ante Tabernaculum eius.*

August. auctoritas Reuerenda.

F Ro. 12. 5. 1. Cor. 12. 25. 26. Nota.

Luc. 10. 16. Non recedendũ G à doctrina Patrum. 1. Thess. 4. 8. Iosue 22. 19.

CAP. V.

PRimi itaque capituli textus sic dicit.

Deus omnipotens hominem sine peccato rectum cum libero arbitrio condidit, & in paradiso posuit, quem in sanctitate iustitia permanere voluit: homo libero arbitrio malè vtens peccauit, & cecidit, & factus est massa perditionis humani generis. Deus autem bonus, & iustus elegit ex eadem massa perditionis secundum præscientiam suam, quos per gratiam prædestinauit ad vitam, & vitam illis prædestinauit æternam. Cæteros autem, quos iustitia & iudicio in massa perditionis reliquit, perituros præsciuit, sed non vt perirent prædestinauit; pœnam autem illis, quia iustus est, prædestinauit æternam: ac per hoc vnam Dei prædestinationem tantummodo dicimus, quæ ad donum pertinet gratiæ, aut retributionem iustitiæ. H

CENSVRA.

Vt ergo his verbis, & huiusmodi definitioni commodius & manifestius respondeamus, hoc nos primum in eis mouet, quod absque vlla commemoratione gratiæ Dei (sine qua nulla rationalis creatura, scilicet nec Angelica, nec humana vnquam potuit aut potest, vel poterit in iustitia & sanctitate esse, manere, atque persistere) ita primus homo definitur liberi arbitrij à Deo conditus, atque in paradiso constitutus, tanquam per ipsum tantummodo arbitrium liberum in sanctitate, & iustitia potuisset permanere. Quod in prædictis verbis

De 1. Capitulo. Gratia diuinæ adiutorium Angelo & homini necessarium etiã in 1. statu ad bonum faciendum.

A

Deus solummodo voluisse dicitur: Non, vt fieri posset dono suæ gratiæ inspiraisse, vel aduuisse. Hoc namque non esse plenè, & Catholica pietate definitum, & Scripturæ sanctæ authoritas, & Beati Augustini diligens disputatio, & aliorum Sanctorum atque orthoduxorum Patrum lucidissima definitio ostendit.

Gen.1.4.5.
Explicatio illa lucis mystica est, non literalis.

In libro quippe Genesis, vbi primo die sub nomine *lucis*, naturæ Angelicæ creatio intelligitur, ita scriptum est. *Et dixit Deus: fiat lux: Et facta est lux. Et vidit Deus lucem, quòd esset bona, & diuisit inter lucem, & tenebras, appellauitque lucem diem, & tenebras noctem.* Si ergo hoc iuxta sensum Catholicorum Patrum de Angelis rectè intelligitur dictum, manifestum est, quia in

Ioan.1.1.
Angeli mali à Deo per se orbi

verbo suo, quod *in principio erat, Deus apud Deum*, constituerit & fecerit Deus Pater, vt illi Angeli electi, mox vt suot creati, existerent eodem eius verbo illuminati, & fierent *lux in Domino*, qui per seipsos, & in seipsis nihil aliud, quàm tenebræ esse potuissent: Sicut sunt vtique omnes refugæ Angeli, qui deserti lumine gratiæ conditoris nihil aliud in seipsis, nisi *tenebra* remanserunt.

B
recedendo facti sunt tenebra.
Eph.5.8.
Col.1.13.
2.Cor.11.14.
De 1. Capitulo.
Ioan.8.44.

Vnde etiam de eorum impio dominatu, vnde per sanguinem vnici Filij Dei liberati sumus, Apostolus dicit; *Qui eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filij charitatis suæ.* Et alibi ait: *Nam & ipse Satanas transfigurat se in Angelum lucis*, manifestè ostendens alios esse Angelos lucis, qui Deo illuminante *in veritate* perstiterunt: Et alios Angelos tenebrarum, de quorum principe Dominus dicit: *Et in veritate non stetit.* Facta sunt ergo non tantùm, vt essentialiter essent, sed etiam diuina gratia inluminante *lux & dies in Domino* essent. Qui verò ex illa illuminante veritate à ceterorum societate per superbiam ceciderant, merito *tenebra & nox* appellati meruerunt; hanc *lucem vidit Deus, quia bona est*, cum eam sibi placentem suo iudicio approbauit: *tenebras* autem illas non laudauit, quia nec approbauit: sed tantùm iusto iudicio, vt in suæ ruina damnatione persisterent, ordinauit. Hoc de Angelis sanctis

C
Ps.32.6.

etiam in Psalmo ostenditur vbi dictum est: *Verbo Domini cœli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum*. Nam si per *verbum Domini*, id est, vnigeniti filij virtute cœli firmati sunt, *& spiritu oris eius*, id est, per virtutem Spiritus sancti omnes cœlorum virtutes vel creatæ sunt, vt essent, vel firmatæ, vt in veritate persisterent, claret omnino eos & spiritu Dei conditos, & eiusdem gratia in æterna illa beatitudine solidatos.

Ps.5.13.

Sic & primus homo liberi arbitrij à Deo conditus, quamdiu *scuto bonæ voluntatis Dei*, id est, diuinæ gratiæ protectus est, atque munitus, beatam vitam duxit cum Deo: postquam autem de sua virtute præsumendo, & contra creatorem se extollendo auersus est ab illo, eius iodignatione iram, id est, iustæ damnationis pœnam incurrit; Quam postea in illis, qui ex eius propagine per Dei misericordiam saluantor, iustè se incurrisse intelligens,

1.Petr 5.6.

humiliatus sub potenti manu Dei, ad ipsum sine intermissione clamat, & ipsum deprecatur, vt liberari & sanari mereatur. Hoc totum verissimè ita esse, ex persona eiusdem hominis benè conditi, benignè adiuti, miserabiliter lapsi, verè conuersi, & lachtymabiliter supplicantis his verbis Psalmista implorat, dicens:

D
P.29.6.7.8.9.

Quoniam ira in indignatione eius, & vita in voluntate eius: Ad vesperum demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia: Ego autem dixi in abundantia mea, non mouebor in æternum. Domine in voluntate tua præstitisti decori meo virtutem: Auertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus. Ad te Domine clamabo, & ad Dominum meum deprecabor. Quia homo tunc certe habuit vesperum, cum ei peccanti sol iustitiæ occidisset. In qua nocte cæca ex ipso descendente demoratur in fletu genus humanum, cui *ad matutinum lætitia*, matutina Christi Resurrectione promittitur, vt per eam ex morte ad vitam reparetur.

Conditio primi hominis.
August. de ciuit. Dei l.14. c.26.

Hanc eius fœlicem & beatam io paradiso vitam lucidissimo & dulcissimo sermone Beatus Augustinus in libro decimo qoarto de ciuitate Dei describit, ita dicens: [Viuebat itaque homo in paradiso, sicut volebat, quamdiu hoc volebat, quod Deus iusserat. Viuebat fruens Deo, ex quo bono erat bonus. Viuebat sine vlla ege- te, ita semper viuere habens in potestate. Cibus ad ne esuriret, potus, ne sitiret, lignum vitæ, ne illum necta dissolueret. Nihil corruptionis in corpore, vel corpore vlla molestia se illis eius sensibus ingerebat. N lus intrinsecus morbus, nullus ictus metuebatur extri cus. Summa in carne sanitas, io * aoimo tota tranq litas. Sicut in paradiso nullus æstus aut frigus; ita eius habitatore, nulla ex cupiditate vel timore accide bonæ voluntatis offensio. Nihil omnino triste, nihil e inaniter lætum; Gaudium verò perpetuabatur ex D in quem flagrabat *charitas de corde puro, & conscien bonu & fide non ficta*, atque inter se coniugum fida ex h nesto amore societas: Concors mentis corporisque vi lia, & mandati sine labore custodia. Non lassitudo fa gabat otiosum, non somnus premebat inuitum.]

Item idem Doctor beatissimus, de eadem primi hon ni à Deo accepta gratia, & propria culpa amissa in bro de correptione & gratia ita astruit, dicens. [Ista gratiam habuit homo primus, io qua, si permanere v let, nunquam malus esset. Et sine qua etiam cum libe arbitrio bonus esse non posset, sed eam tamen per berum arbitrium deserere posset. Nec ipsum ergo De esse voluit sine sua gratia, * quem reliquit in eius lib ro arbitrio, quoniam liberum arbitrium ad malum suf cit, ad bonum autem parum est, nisi adiuuetur ab om potenti bono: Quod adiutorium si homo ille per lib rom non deseruisset arbitrium, semper esset bonus: deseruit, & desertus est.] Et post aliquanta, idem Doct subiungit: Tunc ergo dederat homini Deus bonam v luntatem; in illa quippe eum fecerat, qui fecerat rectu dederat adiutorium, sine quo in ea non posset perman sit velle: vt autem vellet, in eius libero reliquit arbitri sed quia noluit permanere, profectò eius est culpa, cui meritum fuisset, si permanere voluisset.] De gratia qu que sanctis Angelis diuinitus collata, in qua alij man runt, & ex qua alij corruerunt, ita adiungit: Angeli fa cti, qui cadentibus aliis per liberum arbitrium, per ide liberum arbitrium steterunt ipsi, huius mansionis de tam mercedem recipere meruerunt. Tantam scilicet be titudinis plenitudinem, qua eis certissimum sit semper in illa esse mansuros. Si autem hoc adiutorium vel A gelo vel homini cùm primùm facti sont defuisset, qu niam non talis natura facta erat, vt sine diuino adiot tio posset manere si vellet, non vtique sua culpa ce dissent. Adiutorium quippe defuisset, sine quo man re non possent.] Si enim nos de Scripturis sanctis no potuimus, sanctos Angelos iam nullos esse casuro quanto magis hoc ipsi reuelata sibi sublimius verit nouerunt. Nobis quippe beata sine fine vita promi est, & æqualitas Angelorum; Ex qua promissione ce sumus, cùm ad illam vitam post iudicium venerimu non inde nos esse lapsuros. Quod si de seipsis Ang nesciunt, non *æquales* sed beatiores *erimus*. Veritas a tem nobis eorum promisit æqualitatem. Certum est i tur hoc eos nosse per speciem, quod nos per fiden nullam scilicet ruinam cuiusquam sancti Angeli iam f turam.]

Hac Dei gratia sanctos Angelos indigere *Beatus* eti *Ambrosius* in expositione Psalmi centesimi octaui deci ita confirmat, dicens: [Aliter eget misericordia A changelus, aliter homo. Angeli eoim natura non v que ita corruptelæ obnoxia est, vt natura generis hum ni. Et ideo ille eget misericordia Dei ne possit errar & auersa à se Dei gratia labatur in vitium. Homo aute & si iam firmiore * propositione, tamen propter co tractorum seriem peccatorum misericordiam quærit. I que & si vterque misericordia indiget, aliter tamen A gelo misericordia, aliter homini debetur.] Hunc pri hominis statum libero scilicet arbitrio præditum, sed uina gratia, vt bonum io qoo conditus fuerat seru posset, adiutum beatissimi patres præfati sancti Doct ris sententiam secuti venerandi concilij sui auctorita ita commendarunt. [Natora humana, etiamsi in i integritate, io qua est condita permaneret, nollo mo

seipsam creatore suo non adiuuante seruaret: Vnde cum sine Dei gratia salutem non posset custodire, quam accepit, quomodo sine Dei gratia poterit reparare, quod perdidit itaque?] His itaque de prima quæstione breuitor adootatis quisquis sincere, & pure, & Catholicè, de illa primi hominis, siue Angelica conditione, vel beatitudine sentire cupit, attendat fideliter diuinam auctoritatem, attendat fidelissimos Ecclesiæ pattes fidelissimè disputantes, attendat etiam conciliis aggregatis idipsum firmissime definieotes: Et non iuxta impium Pelagianum errotem credat primum hominem solo soo arbitrio in bono quod acceperat, permanere potuisse: sed etiam ipsum quamdio stetit dioina gratia adiutum fuisse: Nec omnipotentem Deum, vt idem homo in sanctitate, & iustitia permaneret tantummodo voluisse, sed vt permanere possit etiam adiutorium dedisse.

CAP. IV.

POst hæc subiungitor in iam dicto primo capitulo.

Homo libero arbitrio male vtens peccauit & cecidit, & factus est massa perditionis totius generis humani: Deus autem bonus & iustus elegit ex eadem massa perditionis secundum præscientiam suam, quos per gratiam prædestinauit ad vitam, & vitam illis prædestinauit æternam.] In quibus verbis quod dictũ est de Deo bono & iosto, quia *elegit ex eadem massa perditionis secundum præscientiam suam: quos per gratiam prædestinauit ad vitam,*] probamus quidem quod electos suos omnipotens Deus per gratiam suam prædestinauit ad vitam, & vitam illis prædestinauit æternam, vt & ipsi vitæ æternæ, & vita æterna ipsis sit prædestinata? vtrumque enim est verum, & dilucide ab Apostolo positum: Ait namque de prædestinatione electorum ad vitam: *Quos autem prædestinauit, hos, & vocauit, & quos vocauit, hos & iustificauit, Quos autem iustificauit, illos & magnificauit:* Et quod eisdem electis vitam æternam prædestinauerit: Ita alio loco dicit, *in spem vitæ æternæ, quam promisit, qui non mentitur, Deus ante tempora æterna.*

Sed hoc nos mooet, cur in hac definitione, qua per gratiam Dei & electi ad vitam æternam, & vita æterna iisdem electis creditur præparata, ipsos tamen electos absque vlla commemotatione gratiæ secundum præscientiam suam Deus elegisse dicatur: Quasi gratia sit, quod electi peruenitunt ad vitam, gratiæ quod vita æterna illis est præparata. Vt autem eligereotur non fuisse gratiam, sed tantummodo præscientiam. Quod manifeste contrarium est Catholicæ fidei: Quia omnipotens Deus io electione eorum, quos prædestinauit, & vocauit ad vitam æternam, oon eorum booa merita præsciuit, tanquam ideo eos elegisset, quia ex semetipsis bonos futuros præsciret: sed ipsa electio, vt ex massa perditionis vasa misericordiæ fierent absque vllo bono merito, sola gratia fuit, per quam discreti sunt à filiis perditionis, & adoptati in filios vitæ & resurrectionis. Hanc namque electionem non meritorum, sed gratiæ (In qua non alicuius bona præscita suot opera sed sola tantum diuina misericordia præparata) commendat nobis diligenter Apostolus de duobus geminis Isaac, & Rebecæ ita dicens: *Cum enim necdum nati essent aut aliquid egissent bonum vel malum, vt secundum electionem propositum Dei maneret non ex operibus, sed ex vocante dictum est, maior seruiet minori, sicut scriptum est: Iacob dilexi, Esaü autem odio habui.* Manifeste enim hoc odium Dei in Esaü ex merito fuit originalis peccati: Illa verò dilectio Dei in Iacob, cum eodem damnationis merito teneretur obligatus, ex sola gratuita misericordia extitit: sicut idem Apostolus continuo subiungit dicens: *Quid ergo dicemus? Nunquid iniquitas apud Deum? Absit Moysi enim dicit, miserebor cui misertus ero, & misericordiam præstabo cuius miserebor.* Hanc veræ gratiæ, & nullius meriti electionem etiam ad Timothæum scribens ita inculcat: *Sed collabora Euangelio secundum virtutem Dei qui nos liberauit, & vocauit vocatione sancta: Non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum & gratiam, quæ data est nobis in* CHRISTO IESV *ante tempora sæcularia.* Non itaque secundum præscieotiam meritorum elegit Deus ex massa perditionis, quos faceret filios adoptionis: sed gratis elegit, quos ab illa iusta damnatione æqualiter omnibus debita misericorditer liberauit. E

CAP. V. Cap. 5.

SEquitor in eodem capitulo.

Cæteros autem, quos iustitia, & iudicio in massa perditionis reliquit, perituros præsciuit, sed non vt perirent prædestinauit: pœnam autem illis, quia iustus est, prædestinauit æternam: Ac per hoc vnam Dei prædestinationem tantummodo dicimus, quæ ad donum pertinet gratiæ, aut ad retributionem iustitiæ.] In quibus verbis mirum est, quomodo asseritur omnipotens Deus cæteros, id est omnes reprobos iusto iudicio suo in massa perditionis reliquisse, nec tameo prædestinasse, sed tantum præscisse perituros. Si enim iustum iudicium Dei iam in illis præcessit, & eodem iusto iudicio in massa perditionis sunt deputati, quomodo non tali iudicio iam perditioni suot destinati, & prædestinati? Ita dum in hac definitione diuini iudicij veritas negatur, ipso etiam negantium testimonio confirmatur. Quomodo enim præsciuit tantummodo, & non prædestinauit, quod ipsorum confessione iusto iudicio iam decreuit? Cur veram & perfectam prædestinationẽ iusti iudicij Dei, quo æterno consilio suo, vel iustos ad vitam, vel iniquos præordioauit ad pœnam, in parte audet homo accipere, & in parte negare? Quasi omnipotens Deus quid iusto iudicio suo de electis esset facturus, & præscierit, & prædestinauerit: Quid autem eodem iusto iudicio de reprobis esset gesturus, præscierit tantum, nec prædestinauerit: Cum in vtraque parte vnum sit iudicium, vna iustitia, qua vel iustis præmia, vel iniquis supplicia retribuuntur.

Reprobi prædestinati ad interitũ. F *post præuisum peccatũ.*

Nam si hæc prædestinatio diuini iudicij esset merito alicui violenta, vel iniusta, vel præiudiciaria, merito iniustum Deum argueret: Homò de illo, *apud quem non est iniquitas*, nullatenus credi deberet. Cùm autem manifestissimè *non sit violenta*, quia nullum compellit, vt malus sit, & aliud esse non possit, non sit iniusta, quæ illos tantummodo, qui suo vitio in malis perseuerauerint punit. *Non sit præiudiciaria*, quæ non præiudicat aliquem vt quasi eius sententia, & non suo merito pereat, Quid in ea reprehenditur, vel quasi blasphemum putatur, in qua sola æquitas, sola iustitia inuenitur? Hoc namque erga homines diuina prædestinatio, quod & diuina præscientia agit: Præsciuit enim Deus malos futuros, sed ipsa sua præscientia non eos compulit fieri malos. Prædestinauit iusto iudicio suo eos, qui in malis perseuerauerint puniendos: Nec tamen eadem prædestioatione sua, vt mali essent, vel in malis perseoerarent, coëgit. Et hæc est apud illum æquitas, vt qoi volentes perstiterunt in malis, nolentes puniantur in suppliciis. Seipsum ergo homo mutet, seipsum, dum tempus est, corrigat, & emendet, quia omnipotentem atque æternam præscientiam, & prædestinationem mutare, vel destruere non valet. Si quis enim neget esse apud Deum præscientiam, & prædestinationem manifestè infidelis est: si quis dicit, quòd præscientia, & prædestinatio eios aliquem compellat, vt malus sit, & aliud esse non possit, horribiliter blasphemat. Qui autem fideliter confitetur & præscieotiam, & prædestinationem æternam esse apud Deum, nec tamen aliquem per hæc ad malum cogi, sed tantummodo qualis quisque futurus sit præsciti, & prout gesserit iudicati, iste prorsus Catholicè sentit.

G *Dei. Capitulo. Diuina præscientia & prædestinatio neminem compellunt ad peccatũ.* H *Notent Caluinistæ.*

[Certè in professione fidei Catholicæ, quam nisi quisque integram inuiolatámque seruauerit, absque dubio in æternum peribit: Et quam nisi quisque fideliter, firmitérque crediderit, saluus esse oon poterit, omnes vno ore confitemur, quòd in aduentu vnigeniti Filij Dei de cœlo omnes homines resurgere habent cum corporibus suis, & reddituri sunt de factis propriis rationem:

Symbol. S. Athanasij.

Et

A

Et qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam: Qui verò mala in ignem æternum.] Manifestè ergo, quod de vtraque parte tam electorum, quam reproborum hic confitemur, vtrumque est verum, vtrumque iustum: vtrumque in æterno, & iusto Dei iudicio prædestinatum. Nam si non est prædestinatũ, quomodo hoc tam firmiter credimus, tam indubitanter confitemur futurum? Se igitur (vt iam dictum est) vnusquisque dum facultas datur, Deo auxiliante mutet in melius: Hoc enim proculdubio vult, qui quotidie clamat, & admonet, dicens: *Declina a malo, & fac bonum.* Et iterum: *Conuertimini ad me, & conuertar ad vos, dicit Dominus exercituum.* Nam in illo, *apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio*, & qui per Prophetam dicit: *Ego enim Dominus & non mutor*, quum suum est plenè, & perfectè confiteri debemus, quia eius plenitudini, & perfectioni nihil possumus addere, vult auferre. Et ideo plenam & perfectam prædestinationem iusti iudicij Dei tam in parte electorum, quam in parte reproborum, sicut omnino vera est, veraciter confiteamur; Nemini misericordiam Dei negantes, nemini conuersionis gratiam derogantes, nemini aditum indulgentiæ claudentes: sed omnibus in iniquitate permanere volentibus vtilem, & salubrem terrorem incutientes.

Pſ.36.27. Zach.1.3. Iac.1.17. Mal.3.8. Dei Capitulo.

B

Hanc enim vtriusque partis certissimam, & immobilem prædestinationem Dei declarat nobis Apostolus dicens; *Abraha namque promittens Deus, quoniam neminem habuit per quem iuraret maiorem, iurauit per semetipsum dicens: Nisi benedicens benedicam tibi, & multiplicans multiplicabo te*, vbi & post paululum subiungit: *Homines per maiorem se iurant, & omnis controuersia eorum finis ad confirmationem est iuramentum. In quo abundantius volens Deus ostendere pollicitationis hæredibus immobilitatem consilij sui interposuit iusiurandum: vt per duas res quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propositam nobis spem.* Ecce in parte electorum, qui promissi sunt, vt essent Abrahæ & filij, & hæredes noui & æterni testamenti, omnipotens *Deus, quia neminem habet maiorem, iurat per semetipsum.* Et quid intelligendum sit per hoc iusiurandum, docet nos Apostolus, videlicet, quòd hoc modo *voluerit Deus hæredibus pollicitationis suæ abundantius ostendere immobilitatem consilij sui: vt per duas res*, id est, pollicitationis & iurationis suæ, *quibus impossibile est mentiri Deum*, siue promittentem, siue promissa sua iurantem, *fortissimum solatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propositam nobis spem.*

Heb 6.13.14. Ibidem v.16.17.18.

C

Cap.6.

CAP. VI.

ERgo hæc diuina iuratio non est aliud, nisi immobilis consilij Dei æterna, & incommutabilis prædestinatio: De quo immobili consilio Deo dicit Psalmista: *Consilium autem Domini in æternum manet*: Cogitationes cordis eius in generatione & generatione. Et ipse Dominus per Isaiam testatur: *Consilium meum stabit, & omnis voluntas mea fiet*: Si ergo hic per Dei iurationem ad Abraham factam docente Apostolo *immobilitatem consilij*, id est, prædestinationis eius intelligimus: Ita & ibi intelligere debemus, vbi de æterno Christi Sacerdotio Deus iurasse introducitur: dicente Psalmista, *Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum, tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech*: Et vbi iterum in Psalmo de promissione Dei ad beatum Dauid facta dicitur: *Iurauit Dominus Dauid veritatem, & non frustrabit eum, de fructu ventris tui ponam super sedem tuam.* Si ergo in his omnibus immobilitas consilij, & prædestinationis Dei per ipsius iurationem intelligitur in saluatione electorum, ita è contrario intelligendum est in damnatione reproborum: vbi de eis ipse omnipotens Deus dicit; *Ipsi verè non cognouerunt vias, quibus iuraui in ira mea, si intrabunt in requiem meam.* Nempe & hic iurisiurandi immobilitas interponitur, vt nullus eorum de quibus tam terribiliter iuratum est, in requiem Dei intraturus

Pſ.32.11. D Isa.46.10. Heb.6.17. Pſ.109.4. Pſ.131.11. Dei Capitulo. Pſ.94.11.

E

credatur. Nec tamen iniustè: quia in impietate *secundum duritiam suam & cor impœnitens* perdurare voluerunt, præmittente ipso Domino: *Ipsi verò non cognouerunt vias meas*, & deinde subiungente: *Quibus iuraui in ira mea si intrabunt in requiem meam.*

d.v.11.

Huic iurationi simile est illud, quod de contemptoribus conuiuij sui ipsa veritas in Euangelio comminatur, dicens: *Dico autem vobis, quòd nemo virorum illorum, qui vocati sunt gustabit cœnam meam.* Veritatis enim dixisse proculdubio iurasse est. Talis & est illa Dei iuratio apud Isaiam Prophetam, vbi post onus Babylonis, & Regni Assyriorum, qui erant sæuissimi hostes populi Dei, per quos sicut Beatus Ioannes Apostolus in Apocalypsi ostendit: significatur tota ciuitas diaboli: id est, omnis multitudo reproborum, interponit Deus iusiurandum de certissima talium perditione: dicente Propheta; *Iurauit Dominus exercituum dicens, si non vt putaui ita erit: Et quomodo mente tractaui, sic eueniet, vt conteram Assyrium in terra mea, & in montibus meis conculcem eum: hoc consilium, quod cogitaui super omnem terram, & hæc est manus extenta super vniuersas gentes: Dominus enim Deus exercituum decreuit, & quis poterit infirmare Et manus est extenta, & quis auertet eam* In quibus verbis mirabiliter, & granditer ostenditur, & immobilitas prædestinationis Dei, & ipsius prædestinationis effectus. Cum tanta & tam grauia mala perennibus comminatus sub iureiurando dicit, *si non vt putaui ita erit, & quomodo mente tractaui sic eueniet*, id est, sicut cogitaui, & mente tractaui in æterni consilij prædestinatione, *ita erit & sic eueniet* in ipsarum rerum adimpletione. Quod etiam sequentia Prophetæ verba magnificè, & clarissimè ostendunt dicentis ex persona Dei: *Hoc consilium quod cogitaui super omnem terram, & hæc est manus extenta super vniuersas gentes.* Et mox ex sua persona addentis: *Dominus enim Deus exercituum decreuit; quis poterit infirmare? & manus eius extenta, & quis auertet eam?* Profectò enim in his verbis *per consilium*, quod cogitauit Deus super omnem terram, æterna eius prædestinatio; & *per manum* extentam eiusdem consilij intelligenda est adimpletio.

Luc.14.24. Isa.14. v.24. F 27.28. d.v.24. d.v.27. d.v.28. G

Et vt cognoscamus nullũ consilio & effectui prædestinationis eius posse resistere, dicitur: *Dominus enim Deus exercituum decreuit*: Vtique in æterno consilio prædestinando, *& quis poterit infirmare*, vt intelligatur nullus: *Et manus eius extenta*, vtique ad ea, quæ prædestinauit efficienda: *Et quis auertet eam?* Intelligitur similiter nullus. Cum enim dicitur, *Dominus enim Deus exercituum decreuit*, quid est aliud *decreuit*, nisi prædestinauit, præfiniuit, statuit, præfixit, præordinauit? Ex quo manifestè intelligimus quid sit prædestinatum, videlicet & præfinitum, statutum, præfixum, præordinatum. Hic namque sermo, id est, decreuit, etiam in Actibus Apostolorum in simili re atque eodem sensu ponitur: vbi multitudo fidelium vnanimiter leuantes vocem in oratione dixerunt ad Deum. *Conuenerunt enim in hac ciuitate aduersum sanctum puerum tuum* IESVM, *quem vnxisti Herodes, & Pontius Pilatus cum gentibus, & populis Iudæorum facere, quæ manus tua, & consilium decreuerunt fieri*: Vbi enim Latinus interpres ad sensum transferens numero plurali posuit *decreuerunt*: in Græco singulari numero legitur, *Quæ manus tua & consilium prædestinauit fieri.* Sicut etiam hoc ipsum testimonium in libro de prædestinatione Sanctorum B. Augustinus posuisse inuenitur. Idipsum enim verbum hoc loco Græcè legitur quod & in Epistol. ad Romanos, vbi scriptum est: *Quos autem prædestinauit, hos & vocauit*: vbi enim nos Latine, dicimus *prædestinauit*, ibi & in illa Epistola, & in hac sententia de Actibus Apostolorum Græcè positum est προώρισεν, quod (vt iam dictum est) alij propriè transtulerunt, *prædestinauit*, alij *definiuit*, vel *præfiniuit*, alij *decreuit*, vel plurali numero *decreuerunt*; vbi & illud est valde mirum: quia sicut in Propheta legitur, & *consilium Dei, & manus extenta*. Ita & hic ponitur; *facere quæ manus tua, & consilium decreuit*, siue *decreuerunt fieri*: Quod idcirco tam diligenter dicendum putauimus,

d.v.28. De 1. Capitulo. Quid prædestinatio importat d.v.28. Act.4.27.28. H Aug. de prædest. Sanct. c 16 Rom 8.30. Isa.14.27. Act.4.28.

us, vt *prædestinauit*, & *decreuit*, & *definiuit*, vel
iniuit, idipsum significare intelligatur: *Conuenerunt*
adaersus sanctum puerum Iesvm, *quem vnxit Deus*
edes & Pontius Pilatus facere, quæ manus & consilium
prædestinaait, *decreuis*, *& præfiniuit fieri*: Sed quæ-
que omnipotens Deus Pater vnigeniti filij sui passio-
prædestinauir fieri, illi fecerunt malitia & impietate.
prædestinauit misericordia & benignitate, illi vt no-
Christi delerent, ille vt eius Sanguine peccata mun-
blueret. Prædestinata sunt ills omnia, vt in eius
ione fierent, prædestinatum est, & per qoos fierent
videlicet & insto indicio Dei merito præcedentium
catorum digni iudicati sunt, qui ita excæcarentur, vt
eos talia complerentur. Sicut & *Iudas* ideò prædesti-
us est, vt eumdem Dominom Christum traderet, quia
num se præbuit, qui tale facinus expleret.

CAP. VII.

HAnc æternam & incommutabilem prædestinatio-
nem Dei de vtraque cinitate, id est, electornm & re-
botum, B. Isaias Propheta in fine sæculi adimplendam
is laudibus & exultatione prosequitur, dicens: *Do-*
e Deus meus tu: exaltabo te, confitebor nomini tuo:
uiam fecisti mirabilia, cogitationes antiquas fideles,
n. Et mox de ciuitate impiorum, *quia posuisti* (in-
:) *ciuitatem in tumultum, vrbem fortem in ruinam,*
am alienorum, vt non sit ciuitas, & in sempiternum
ædificetur, vbi & de ciuitate piorum continuo ad-
git? *Super hoc laudabit te populus fortis, ciuitas gentium*
starum timebit te: quia factus es fortitudo pauperi,
tudo egeno in tribulatione sua: spes à turbine, vmbra-
m ab æstu. Has duas partes electorum videlicet, &
roborum mensura æquitatis iusti iudicij Dei alteram
lendam, & alteram saluandam mirabiliter etiam in
o Regum legimus designata, vbi & de beato Dauid
ptum est: *Quia percussit Moab, & mensus est eos fu-*
lo coæquans terra. Mensus est autem duos funiculos:
m ad occidendum, & vnum ad viuificandum. Quis
n non agnoscat, verum Dauid esse Dominum Iesum
ristum, Moabitas vero omnem multitudinem infide-
n, qui alieni sunt à populo Dei: quorum dum alios
o, & occulto iudicio suo præordinat ad mortem æter-
; alios vero elegit, & vocat ad vitam æternam;
l aliud quam æquissima iudicij sui mensura *duos me-*
r funiculos, vnum ad occidendum, & vnum ad viuifi-
dum. Sed & in libro Esther idipsum de vtraque par-
& electorum scilicet, & reproborum, & fidelium,
nfidelium sub figura duarum sortium magnificè figu-
r, vbi de Deo scriptum est; *Et duas sortes esse præce-*
vnam populi Dei & alteram cunctarum gentium: ve-
ne vtraque sors in statutum ex illo iam tempore coram
: Per sortem namque diuini iudicij dispositio rectè
lligitur, dicente Salomone: *Sortes mittuntur in sinum*
à Domino temperantur. Et omnipotens Deus duas
s esse præcepit, vnam populi Dei, id est, omnium
torum, & alteram cunctarum gentium, omnium vi-
cet reproborum: Et vtrasque partes iudicij sui sorte
nxit, vt alij essent *in partes sortis sanctorum*, alij ve-
in partes *sortis impiorum*: Esse etenim duas
es, id est sortem Sanctorum & sortem impio-
, apertè Scriptura nos docet, cùm dicit Apostolus
tima. *Qui dignos nos fecit in parte sortis Sanctorum*
umine: qui eripuit nos de potestate tenebrarum, &
stulit in regnum Filij dilectionis suæ: quæ est vtique
populi Dei. Et de altera in libro Ecclesiastico le-
us, *Anima enim nequam disperdet eum qui se*
s, & in gaudium inimici dat illum, & deducet il-
in sortem impiorum, manifestè scilicet reprobo-
.

ed & in aliis Scripturæ sanctæ locis *sors* pro iusti re-
itione iudicij, in parte reproborum posita inuenitur,
in Isaia ad plebem reprobam Deus dicit; *Hæc est*
tua, sórsque mensura tua. Et de inimicis populi Dei
Propheta ait, *hæc est pars eorum, qui vastauerunt*

nos, & sors diripientium nos. Venit ergò *vtraque sors*, E
id est, & populi Dei, & eorum qui alieni iudicantur à
populo Dei *in statutum*: videlicet, vt quemadmodum
statutum est in occulto iudicio Dei de vtriusque sortibus,
id est, Ciuitatis Dei & ciuitatis diaboli, ipsis rebus ex-
plerentur ex illo iam tempore, quo ab exordio mundi v-
que ad finem sæculi, hæ duæ ciuitates mixtæ corpore,
mente diuisæ temporaliter currunt, donec ad debitos fi-
nes perueniant, vel vitæ æternæ, vel mortis perpetuæ:
hoc autem totum *venit in statutum* coram Deo, qui solus
nouit quàm iustè ista disposuerit, quàm veraciter atque
efficaciter vsque ad finem sæculi compleantur.

Hanc distinctionem diuini iudicij, & prædestinationis
duorum videlicet *funiculorum & duarum sortium*, quarum
vna est populi electi, & altera omnium impiorum ita
æternaliter esse dispositam prædictus liber Ecclesiasticus Exod. 16.
mirabiliter ostendit dicens: *In iudicia Dei opera ipsius* 16.
ab initio, & ab institutione ipsorum distinxit par- Eccl. 33.
tes illorum: Et alibi dicit, *Dominus homines omnes de* F
solo, & ex terra, vnde creatus est Adam, in multitudine 10. 12.
disciplinæ Domini separauit eos, & immutauit vias eorum: 13. 14.
Ex ipsis benedixit & exaltauit, & ex ipsis sanctificauit, &
ad se applicauit: Et ex ipsis maledixit, & humiliauit,
& conuertit illos à separatione ipsorum. Quasi lutum figuli
in manu ipsius plasmare illud & disponere. Omnes via eius
secundum dispositionem eius. Huic sententiæ simile est il-
lud quod Beata Iudith in oratione sua ad Deum dicit: Iud. 9.
Tu enim fecisti priora, & illa post illa cogitasti, & hoc fa- 4. 5.
ctum est quod ipse voluisti, & tua iudicia in tua prouiden-
tia posuisti.

Quàm verò æterna sint eius præscientia & prouiden- *De æter-*
tia, & prædestinationis iudicia, idem liber alibi ostendit, *na præ-*
dicens: *Domino enim Deo antequam crearentur, omnia* *scientia,*
agnita: sic & post perfectum respicit omnia. Opera omnis *prouid-*
carnis coram illo, & non est quicquam absconditum ab ocu- *tia, &*
lis eius: A sæculo & vsque in sæculum respicit, & nihil *prædesti-*
est mirabile in conspectu eius. Non est dicere quid est hoc, *natione*
aut quid est illud. Omnia enim in tempore suo quærentur. *Dei.* Eccl. 23.
Non præterit illum omnis cogitatus, & non abscondit se ab G 29.
eo vllus sermo. Magnalia sapientiæ suæ decorauit, quæ est Eccl. 39.
ante sæculum, & vsque in sæculum, neque abiectum est, 24. 25. 26.
neque minuitur, & non eget alicuius consilio. Viæ illorum Eccl. 42.
coram ipso sunt semper; non sunt absconsæ ab oculis ipsius; 20. 21. 22.
& omnia opera illorum velut Sol in conspectu Dei: Et De 1.
oculi eius sine intermissione inspicientes in viis ipsorum. Capitu-
Certè ipsa æterna, & incommutabilis veritas Dominus lo.
noster Iesvs Christvs de Lege & Prophetis firmissi- v. 13.
mè inculcat, dicens: *Dico enim vobis, quia donec tran-* v. 16.
seat Cælum & terra Iota vnum, aut vnus apex non præ- Matth. 5.
teribit ex Lege, donec omnia fiant. Et iterum: *Facilius est* 18.
cælum & terram transire, quàm de lege vnum apicem ca- Luc. 16.
dere. Et de verbis noui Testamenti, in quibus vtique 17.
non sola illa, quæ ore proprio locutus est, sed etiam
omnia, quæ & per sanctos Apostolos, & Euangelistas
dixit intelligere debemus, ita affirmat, dicens: *Amen* Marc 13.
dico vobis, non præteribit generatio hæc donec omnia fiant: 30. 31.
Cælum & terra transibunt, verba autem mea non transi- H
bunt. Quicunque ergo verba vtriusque Testamenti, siue
de parte electorum, seu de parte reproborum dicta sint,
fideliter legit vel audit, ita ea debet accipere & tenere,
tanquam verè æternaliter apud Deum præscita, & præor-
dinata, ac præfinita, vt omnino aliter esse non possit.

Quid vero illustrius, & magnificentius de vtriusque
partis; & reproborum scilicet, & electorum & infide-
lium & fidelium: quorum alij, ne mysterium dominici
aduentus, & priusquam manifestaretur in carne, & po-
stea vsque ad finem sæculi agnoscere possent, merito
superbiæ excæcari & repelli, alij per gratiam & pieta-
tem fidei inluminati meruerunt, vel iusta reiectione, vel
gratuita electione, dici aut commendari potuit, quàm
quod ipse Dominus *magni consilij Angelus*, id est, pater-
næ ac suæ æternæ voluntatis fidelis testis, ac nuntius
in Euangelio Deum Patrem glorificans, eique super
iustis iudiciis suis gratias agens, declarat atque annun- Matth.
ciat, dicens: *Confiteor tibi Pater Domine cæli & terræ,* 11. 25.

quia

A

quia abſcondiſti hæc à ſapientibus , & prudentibus , & reuelaſti ea paruulis. Et mox vtrumque & excæcationem videlicet ſuperborum , & inluminationem humilium ad æternum, & incommutabile patris conſilium , atque iudicium cum ſumma laude & exultatione referens ſubiungit , dicens : *Ita Pater : quoniam ſic fuit placitum ante*

v. 26.

te : Et ne ſe ab huius æterni conſilij , atque iudicij conſortio ſeparaſſe putaretur , poſt quam ſolita pietate ad Patrem , tanquam ad verum ſuæ generationis auctorem omnia retulit, ſubiunxit etiam de ſe , & ait. *Omnia mihi tradita ſunt, à Patre meo,* id eſt, & illa de quibus dictũ eſt, *abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus,* & illa de quibus adiunctum , *& reuelaſti ea paruulis.* Vt etiam meo ſcilicet , quod vtique & Patris eſt , conſilio atque iudicio , vel diſcernantur , vel damnentur , vel liberentur,

v. 27.

Neque enim pater iudicat quemquam , ſed iudicium , inquit , *omne dedit filio , vt omnes honorificent filium , ſicut honorificant Patrem.* Hoc eſt admirabile, & ineffabile myſterium æterni Iudicij , tam in parte electorum quam etiam reproborum.

De 1. Capitulo.

B

Ioan 5. 22, 23.

Quod etiam Beatiſſimus Iſaac Patriarcha repentè ſibi plenius ac profundius in duobus ſuis geminis reuelatum , velut cum Apoſtolo mente excedens , *& incomprehenſibilia Dei iudicia atque inueſtigabiles vias* contemplatus *expauit* ; (vt ſcriptum eſt) *ſtupore vehementi, & vltra quam credi poteſt , admiratus eſt :* Neque enim hoc tantopere ſtupuiſſe ac miratus eſſe credendus eſt ; ſi cæcus & pius pater , aut veriſimilitudine , aut propria affectione in diſcernendis filiis vel falli potuit , vel errare , ſed ſubito reuelationis ictu cor eius inluminatum, ad memoriam reduxit, quid adhuc eiſdem *geminis* in vtero matris poſitis , *cùm* (iuxta Apoſtolum) *nihil egiſſent bonum aut malum* , & tamen ambo vna & pari originalis reatus damnatione tenerentur adſtricti , ſola diuini iudicij diſcretione dictum fuerit, *quia maior ſeruiet minori,* quod poſtea manifeſtius per Prophetam Deus inculcat, dicens ; *Iacob dilexi , Eſau autem odio habui.* Hæc itaque ſubita ſpiritus inluſtratione ſanctus Patriarcha recolens , & intelligens , vidit in duobus vno concubitu ſatis , pari primæ præuaricationis conditione damnatis, necdum natis , necdum proprio actu quicquam boni, vel mali promeritis , mirabile & terribile iudicium Dei , videlicet, vt vnum gratia diligeret & eligeret , alterum iuſtè odiſſet , ac reprobaret : *Et velut figulus poteſtatem habens ex eadem maſſa facere aliud quidem vas in honorem, & aliud in contumeliam.* Vidit certè in illis duobus incommutabile conſilium Dei , cùm nec volente & ſatagente ac deſiderante patre potuiſſet vllatenus quod prædictum & prædeſtinatum fuerat mutari : ſed diuinitus diſpoſito ac præfinito rei ordine , etiam per neſcientem ille præferretur , ille benediceretur , qui adhuc in vtero conſtitutus , arcano Dei iudicio , & dilectus fuerat , & prælatus.

Diſcretio electorum & reproborum in Iacob & Eſau figurata.

Gen. 27. 33.

Rom 9. 11.

Gen 25. 23.

Mal. 1. 2.

C

Rom. 9. 21.

Vidit hoc in illis duobus tam grande & profundum myſterium conſilij Dei : & quod in illis vidit ipſo reuelationis inſtinctu , etiam in totius humani generis diſcretione ab initio vſque ad finem ſæculi fieri cognouit , ſiue in duobus populis circumciſionis & præputij, ſiue in omni generaliter plenitudine electorum , ſeu reproborum , videlicet quòd omnes *ex vna maſſa* iuſte damnata deſcendant. Quod omnipotens *figulus* æterno & incommutabili conſilio iudicij ſui *ex eadem maſſa* alios faciat per iuſtitiam *vaſa iræ,* alios per gratiam *vaſa miſericordiæ:* & ita Dei conſilium atque iudicium ratum ſit , atque immobile ; vt tamen nemo niſi iuſtè damnetur , nemo niſi miſericorditer liberetur. Vidit hoc impenetrabile profundum iudiciorum Dei ſanctiſſimus Patriarcha *in duobus geminis* deſignari, in vniuerſitate humani generis expleri , & tanquam cum Propheta exclamans *Domine audiui auditum tuum & timui , conſideraui opera tua , & expaui : Stupuit ſtupore vehementi , & vltra quam credi poteſt , admiratione perculſus eſt.* Sicut & Pſalmiſta ſuper eadem profunditate admiratus , atque obſtupefactus clamat : *Quam magnificata ſunt opera tua Domine, nimis profunda facta ſunt cogitationes tuæ.* Nec fruſtra

D

De 1. Capitulo.

Habac. 3. 2.

Gen. 27. 33.

Pſ 91. 6.

Rom. 8, 28. &c.

Apoſtolus ad Romanos ſcribens ; & de altitudine præſcientiæ & prædeſtinationis diuinæ attentiſſimè diſputans , vt quicunque ſaluantur non ſuis meritis aut viribus , ſed omnino ſola Dei gratia ſaluari intelligantur , iuxta ſempiternum propoſitum voluntatis ſuæ, quos voluit, præſcientis, prædeſtinantis , vocantis , iuſtificantis , & glorificantis ; non fruſtra , inquam de talibus diſputans , & vehementer inculcans , cùm pleraque poſtea & alia poſuiſſet ; iſtud velut præcipuum , & maximum elegit teſtimonium vel exemplum de præfatis videlicet geminis , quod primo loco poneret ad tam profundum myſterium probandum & commendandum. Totum namque in eo breuiter comprehenditur cùm ait ; *Vt ſecundum electionem propoſitum Dei maneret, non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt , quia maior ſeruiet minori.* Ibi enim eſt electio Dei gratuita , id eſt abſque operibus in Iacob , ibi propoſitum æternæ voluntatis eius, quod vtique ſine præſcientia & prædeſtinatione eſſe non poteſt ; ibi vocatio quia *non ex operibus , ſed ex vocante dictum eſt, maior ſeruiet minori.* Et ſicut electio gratuita eſt in Iacob de quo dictum eſt *Iacob dilexi* : Ita iuſta damnatio , in Eſau , de quo adiungitur ; *Eſau autem odio habui.*

E

Electio gratuita. Reprobatio iuſta.

Rom 9. 11. & Gen. 25. 23.

F

Mal. 1. 2. & 3.

Hoc diuinorum iudiciorum , in vtramque partem profundum myſterium ex auctoritatibus Propheticis , & Apoſtolicis firmiſſimè tenet Eccleſia quia nimirum præcipue pertinet ad commendandam , & declarandam gratiam Chriſti , *vt qui gloriatur , in Domino glorietur.* Abſconditum quidem à ſæculis in Deo , ſed inter ſcripturas Prophetarum Eccleſiæ cum inter cætera , quæ ad myſterium ſaluatoris pertinent, prædicatione patefactum Apoſtolica , dicente eodem Apoſtolo in fine præfatæ Epiſtolæ ad Romanos ; *Ei autem qui potens eſt vos confirmare ſecundum Euangelium meum, & prædicationem* Iesv Christi , *ſecundum reuelationem myſterij æternis temporibus taciti , quod nunc patefactum eſt per ſcripturas Prophetarum, &c.* Et alio loco ; *Prout poteſtis legentes intelligere prudentiam meam in myſterio Chriſti , quod aliis generationibus non eſt agnitum filiis hominum, ſicut nunc manifeſtatum eſt ſanctis Apoſtolis eius , & Prophetis in ſpiritu , &c.* Et iterum : *Mihi omnium Sanctorum minimo data eſt gratia hæc in gentibus Euangelizare inueſtigabiles diuitias Chriſti , & inluminare omnes, quæ ſit diſpenſatio Sacramenti abſconditi à ſæculis in Deo qui omnia creauit.* Licet enim totum quod de Domini noſtri diuinitate, atque incarnatione per Apoſtolos annunciatur , generaliter *magna pietatis myſterium ſit temporibus æternis tacitum : nec aliis generationibus filiis hominum agnitum , & à ſæculis in Deo , qui omnia creauit , abſconditum ; nunc autem per ſcripturas Prophetarum & prædicationem Apoſtolorum manifeſtatum* : Tamen etiam ſpecialiter iſtud de inſcrutabilibus diuinis iudiciis , & diſpoſitionibus , ſiue in excæcatione infidelium , ſiue in inluminatione fidelium apertè , & præcipuè myſterium appellatur : dicente Apoſtolo. *Nolo enim vos ignorare fratres myſterium hoc , vt non ſitis vobiſmetipſis ſapientes : Quia cæcitas ex parte contigit in Iſraël donec plenitudo gentium intraret, & ſic omnis Iſraël ſaluus fieret.*

1. Cor. 1. 31.

Rom. 16. 25. 26.

Eph 3. 4. 5.

G

Del. Capitulo.

H

Rom. 11. 25. 26.

CAP. VIII.

Cap 8.

HAnc ſcripturæ Dei veritatem , atque auctoritatem ſecutus beatiſſimus Pater , & egregius Doctor *Auguſtinus* , & de prædeſtinatione Sanctorum librum luculentiſſimum ſcripſit , & de prædeſtinatione etiam reproborum iuſto iudicio Dei ad interitum , & ibi , & in aliis opuſculis ſuis ſæpius memorauit. [Sicut in libro de perfectione iuſtitiæ hominis manifeſtiſſimè oſtendit , dicens : Quomodo ergo dictum eſt , *non eſt qui faciat bonum , non eſt vſque ad vnum* , niſi quia populum quemdam Pſalmus ille culpat , in quo nec vnus erat , qui faceret bonum , dum volunt remanere filij hominum , & non eſſe filij Dei , cuius gratia homo fit bonus , vt faciat bonum :] & poſt paululum : Hoc ergo, inquit, bonum, quod eſt requirere Deum,

De prædeſtinat reproborum ad interitum.

Aug de perfect. iuſtit. c. 13.

non

non erat qui faceret, non erat vsque ad vnum. Sed in eo genere hominum, quod prædestinatum est ad interitum. Superbos enim respexit Dei præscientia, protulitque sententiam.] Item, de ciuitate Dei, libro decimo quinto. Ira, inquit, Dei non perturbatio animi eius est, sed iudicium, quo irrogatur pœna peccato:] Cogitatio vero eius, & recogitatio mutandarum rerum est immutabilis ratio. Neque enim sicut hominem, ita Deum cuiusquam facti sui pœnitet: Cuius est de omnibus omnino rebus tam fixa sententia, quam certa præscientia.] In tractatibus quoque quos in expositionem Ioannis Euangelistæ ad populum loquitur, de hac re ita dicit.] Quod verò sequitur, *propterea vos non auditis quia ex Deo non estis:* Eis dictum est, qui non solum peccato vitiosi erant: Nam hoc malum commune erat omnibus, sed etiam præcogniti, qui non fuerant credituri. Quapropter præsciebat illos, quibus talia dicebat, in eo permansuros, quod ex diabolo erant, id est, in suis peccatis atque impietate morituros, nec venturos ad regenerationem, in qua essent Filij Dei, secundum hanc prædestinationem locutus est Dominus, &c.] Item ibi: Isti autem indignantes; mortui, & morti sempiternæ prædestinati respondebant conuitiose & dicebant: *Modo cognouimus, quia dæmonium habes.*] Item alio loco exponens verba Domini quibus ait de ouibus suis, *& non rapiet quisquam eas de manu mea.* Quid potest, inquit, *lupus*, quid potest fur & latro? Non perdunt nisi ad interitum prædestinatos.] Item alio loco: [Qui enim, inquit, certis & immutabilibus causis omnia futura prædestinauit, quicquid facturus est fecit. [Nam & per Prophetam de illo dictum est, *qui fecit quæ futura sunt.* Et alibi: [*filius*, inquit, *perditionis* dictus est traditor Christi perditioni prædestinatus, secundum scripturam, qua de illo in Psalmo centesimo octauo maxime Prophetatur.]

[De diuina quoque præscientia, qua omnia futura vel bona vel mala immutabiliter nouit: Nec tamen ea aliquem ad peccandum compellit, in eisdem tractatibus ita loquitur: Non enim propterea Deus quemquam ad peccandum cogit, quia futura hominum peccata iam nouit. Fecerunt ergo peccatum Iudæi, quod eos facere non compulit, cui peccatum non placet, sed facturos esse prædixit, quem nihil latet. Et ideo si non malum, sed bonum facere voluissent, non prohiberentur, & hoc facturi præuiderentur ab eo, qui nouit quid sit quisque facturus, & quid eis sit pro eius opere redditurus.] Hanc diuinæ prædestinationis veritatem per scripturas multipliciter declaratam, & à sanctissimo doctore fideliter commendatam etiam antiquissimus & beatissimus doctor, & magister *Cyprianus* clarissime docet, dicens: [Qui omne iudicium à patre solus accepit, & qui venturus est iudicaturus, iam iudicij & cognitionis futuræ sententiam protulit, prænuncians, & contestans *confessurum se coram patre suo confitentes, & negaturum negantes.*] Item cum de his, qui in persecutione comprehensi pro Christo vsque ad mortem dimicant, & de his, qui infirmitatis suæ conscij caute secedunt, disputaret, sic ait: Illic fortitudo promptior, hic sollicitudo securior. Ille appropinquante hora sua iam maturus inuentus est, hic fortasse dilatus est, qui patrimonio derelicto idcirco secessit, quia non erat negaturus: Confiteretur vtique & ipse si fuisset detentus.] Item alibi cum tempore mortalitatis consolatetur eum, qui se dolebat morte præueniri, ne se offerre posset ad passionem martyrij, ita dicit. Primo in loco non est in tua potestate, sed in Dei dignatione martyrium: Nec potest te dicere perdidisse, quod nescis an merearis accipere, &c.] Item alio loco: Neque enim (inquit) potest perire, nisi quem constat esse periturum: Cum Dominus in Euangelio suo dicat: *Omnis plantatio, quam non plantauit pater meus cælestis, eradicabitur.*] Item alibi dicit: Dominus in persecutione secedere & fugere mandauit, atque vt id fieret & docuit & fecit. Nam cum corona de Dei dignatione descendat, nec possit accipi, nisi fuerit hora sumendi, quisquis in Christo manens interim cedit, non fidem negat, sed tempus expectat. [Qui autem cum non secederet, cecidit, negaturus remansit.]

Hanc præscientiæ & prædestinationis diuinæ immobilem firmitatem Beatus quoque *Hilarius*, ita docet dicens: [Deo namque complectenti in se omnia, futura pro factis sunt. Cuius tam fidelis præscientia est, vt quæ nondum gesta sint tamen iam ab eo & pro præteritis habeantur, & gestis.] Et iterum: Dignum est enim, inquit, vt miserabilem populi casum, & impietati eius debitam pœnam, & post longæ seruitutis sufficientem peccatis grauibus satisfactionem, & misericordem in eos Dei (indulto reditu) voluntatem, secundùm prouidentem scientiam Prophetiæ spiritus loquatur.] Item cum illud de Psalmo exponeret, *Et surrexi & adhuc tecum sum: surrexi*, inquit, ad resurrectionis gloriam spectat: sed secundum præscientiam Dei, id quod futurum est, tanquam præteritum loquitur: Quia Deo ob scientiam, & virtutem quæ futura sunt, facta sunt: vt etiam nosmetipsi facta esse existimamus, quæ futura esse confidimus.] Item cum exponeret illum locum Psalmi vbi dicitur, *Dinumerabo eos, & super arenam multiplicabuntur*, de certo & prædestinato electorum numero sic ait; Nunquid numerus incertus est, qui in libro Dei scribuntur? Ergo nulla est difficultas in numero, quorum veritas manet in scripto.]

Hanc diuini iudicij in vtramque partem tam bonitatem, quàm seueritatem etiam Beatissimus *Ambrosius* ex verbis Epistolæ ad Romanos in expositione Psalmi centesimi decimi octaui, ita breuiter confirmat dicens: [*Ergo cuius vult miseretur, & quem vult indurat:* Hunc, inquit, miseratus hortatur: Illum non reuocat execratus.] Item alibi: Deus, inquit, omnipotens pater in Moysi facie *excæcauit populum Iudæorum* non duritia, sed præscientia, nec malitia; sed æquitate atque iustitia. Ipsi enim sibi posuere velamen, qui legem intelligere noluerunt.] Item in libris de fide ad Gratianum de eadem re sic dicit: Hæc consuetudo est Prophetiæ, vt quæ futura sunt, vel quasi præsentia, vel quasi futura dicantur: Deo enim, quæ sunt futura, præsentia sunt: Et ei, cui præcognita sunt omnia, ventura pro factis sunt; sicut scriptum est, *Qui fecit quæ futura sunt.*]

Beatus etiam *Hieronymus* de eadem re disputans in expositione Epistolæ ad Ephesios: ita clarissime dicit: [considerandum quod & hic προορισμὸς; & πρόθεσις, id est prædestinatio, & propositum simul posita sunt, iuxta quæ operatur omnia Deus secundum consilium voluntatis suæ; Non quo omnia quæ in mundo fiant, Dei voluntate & consilio peragantur: alioquin & mala Deo poterunt imputari. Sed quo vniuersa quæ faciat cum consilio faciat & voluntate, quæ scilicet ratione plena sit & potestate facientis: Nos homines pleraque volumus facere consilio, sed nequaquam voluntatem sequitur effectus: illi autem nullus resistere potest, quin omnia quæ voluerit faciat. Vult autem ea, quæ sunt plena rationis atque consilij.] Item alibi in eiusdem Epistolæ commentariis. Quod autem, inquit, *electos nos, vt essemus sancti & immaculati coram ipso*, hoc est, coram Deo ante fabricam mundi testatus est, ad præscientiam Dei pertinet, cui omnia futura iam facta sunt, & antequam fiant, vniuersa sunt nota: sicut & *Paulus* ipse prædestinatur in vtero matris suæ: *& Hieremias* in vulua matris suæ sanctificatur, eligitur: roboratur, & in typo Christi Propheta Gentibus mittitur.] Et post aliqua: Non ait Paulus, inquit, *elegit nos ante constitutionem mundi, cum essemus sancti & immaculati*, hoc est, quia sancti & immaculati ante non fuimus, vt postea essemus constituit. Nun enim eliguntur Paulus, & qui ei similes sunt, quia erant sancti & immaculati, sed *eliguntur* & prædestinantur, *vt* in consequenti vita per opera atque virtutes sancti & immaculati fiant.]

Sed & *Beatus Leo* de vtriusque prædestinationis æterno apud Deum consilio, in sermonibus suis ad populum ita euidenter docet, dicens: [In saluandis enim omnibus

per

A

per crucem Christi communis erat voluntas Patris & Filij: Commmeconsilium, nec vlla poterat ratione turbari, quod ante æterna sæcula, & misericorditec erat dispositum & incommutabiliter præfinitum.] Item alio loco: Cum ergo omnia, quæ in Domino maiestatis Iudaica admisit impietas; tanto ante prædicta sint, vt non tam de futuris, qoam de præteritis Propheticus sit sermo contextus, quid aliud nobis, quam sempiternarum dispositionum Dei incommutabilis ordo reseratur: apud quem discernenda iam iudicata, & futura iam facta sunt. Cum enim & qualitates actionum nostrarum, & effectus oomium voluntatum scientia diuina præueniat, quanto magis nota sunt Deo opera sua? & recte placuit quasi facta recoli, quæ non poterant omnino non fieri.]

De I. Capitulo.

Laus Fulgentij.

Beatus quoque Antistes & gloriosus confessor *Fulgentius*: De hac iudicij io vitamque partem præscientia & prædestinatione egregium librum scribit; Qui, sicut & cætera eius admiranda & veneranda scripta, semper ab Ecclesia fideliter receptus, & inter scriptores Ecclesiasticos laudabiliter annumeratus est. Et nunc nescimus qua ratione, immo infidelitate & contentione simul cum Beato *Augustino* abiicitur. Et ab eis qui Catholici videri volunt, tales ac tanti viri Dei iniquissime iniuriati, & spreti velut, quisquiliæ & purgamenta vilissima conculcantur. Et est nimis mirabile immo horribile quomodo, vt suis adinuentioobus & ioeptiis credatur, exigant cum ipsi beatissimos Patres, & inlustrissimos Doctores Ecclesiæ abiecerint: Ac per hoc nisi secitius corrigere studeant *verissime heretici* iudicari possunt; Qui fidei, & charitati, & sincerissimæ Patrum doctrinæ non communicant: sed insuper cum ipsis etiam Scripturæ Sanctæ cœlestem authoritatem contemnunt. Nam si illum fidelissimum copiosissimum & florentissimum librum *Beati Fulgentij* cum pietate & obedientia legere & intelligere studuissent, profectò in hac *obscurissima quæstione* de præscientia & prædestinatione diuina (Deo aspirante atque inluminante) nulla erroris caligo in eorum cordibus remansisset. Ait namque præfatus doctor inter cætera in libro iam dicto: [Quod ergo ante gehennam mali pereunt, non est diuini operis, sed humani: quod autem in gehenna perituri sunt, hoc facit Dei æquitas, cui nulla placet peccantis iniquitas.] Et iterum Prædestinationis, inquit, nomine non aliqua voluntatis humanæ coactitia necessitas exprimitur, sed misericors & iusta futuri operis diuina sempiterna dispositio prædicatur, *Deo* namque, *& misericordiam, & iudicium cantat Ecclesia.*]

B

Nota.

Fulgentius.

C

Ps. 100. 1.

Idem.

Item ibi: Proinde, inquit, potuit sicut voluit prædestinare quosdam ad gloriam, quosdam ad pœnam: Sed quos prædestinauit ad gloriam prædestinauit ad iustitiā: Quos autem prædestinauit ad pœnā, nō prædestinauit ad culpā. In illis ergo opera sua glorificat; iniustis autem opera non sua condemnat. Hoc itaque prædestinauit Deus, quod erat ipse facturus, aut quod fuerat largiturus; illud verò nollatenus prædestinauit, quod siue per gratiam, siue per iustitiam facturus ipse non fuit.] Item ibi: Mala quippe voluntas non pertinet ad optimum creatorem: Iusta vero iniusti Angeli, hominisque dānatio pertinet ad æquissimum cognitorem. Ad voluntatem igitur malam Deus hominē non prędestinauit, quia homini eam daturus ipse non fuit.] Et iterum. Neque enim est alia eius prædestinatio, nisi futurorum operum eius æterna præparatio, in qua nulla causa mali vllatenus poterit inueniri: quia ex voluotate Dei nunquam processit origo peccati. *Misericors enim Dominus & iustus*: De quo alio loco Scriptum est: *Misericordiam & veritatem diligit Dominus Deus.* In omnibus ergo operibus eius aut iusta veritas custodiuit, aut pia misericordia prærogatur.] Item ibi: Dei enim prædestinatione aut peccatorum præparata est pia remissio, aut peccatorum iusta punitio. Nunquam igitur Deus hominem ad hoc potuit prædestinare, quod ipse disposuerat & præcepto prohibere, & misericordia diluere, & iustitia punire.] Itemque ibi: Deus itaque omnia hominum opera siue bona, siue mala præscuit, quia eum latere nihil potuit: sed sola bona prædestinauit, quæ se in filiis gratiæ facturum esse præsciuit: mala vero futura opera illorum quos non prædestinauit ad regnum, sed ad interitū, præsciuit potentissima deitate, ordinauit & prouida bonitate.] Et iterum: [Præsciuit enim voluntates hominum bonas & malas, prædestinauit oon malas, sed solas bonas: Et licet in eius prædestinatione non fuerit, vt malitiam voluntati humanæ dedisset, fuit tamen in eius prædestinatione qoid humanæ voluntatis malitiæ reddidisset.]

Idem.

D

De 1. Capitulo.

Ps. 144. 5.

Ps. 84. 12.

E

CAP. IX.

Cap. 9.

HÆc præfatus venerabilis Doctor in libro, quem supra memorauimus, iuxta Scripturæ Sanctæ veritatem: & præcedentium Patrum reuerendam auctoritatem & multa alia, quæ ad præsentem quæstionem sufficiunt claro sermone disseruit: Quem nos fideliter disputantem, & maiorum vestigia pie sequentem obedienter, & sinceriter sequi debemus: quia & hoc ad fidei nostræ integritatem pertinet, vt sicut in cæteris, quæ de Deo credimus, ita & io hac parte nihil indignum diuina maiestate, nihil falsum de diuinis iudiciis sentiamus. Præsertim cum huius prædestinationis veritas, & fidei in nobis ædificet sinceritatem, & nulli præbeat desperationis offensionem, & cunctis qui io suis vitiis perniciose, & pertinaciter viuere delectantur, saluberrimum timorem ingerat Nam de contemptu, & abiectione beatissimorum atque illustrissimorum Patrum, qui à multis nimis insolenter atque irreligiose conculcantur; quid nobis aliud sentiendum, nisi vt contra hæc magis audiamus, & obseruemus quid Scriptura de eisdem Sanctis Patribus præcepit dicens: *Interroga Patrem tuū, & annunciabit tibi, maiores tuos, & dicēt tibi* Ne incurramus in illud quod per Salomonem dicitur: *Malum est homini deuorare sanctos, & post vota retractare:* Simusque parentibus spiritualibus (quorum fide, doctrina in Christo generati ac regenerati sumus) inobedientes, & contemptores Scripturæ, quæ dicit: *Audi fili mi disciplinam patris tui*, id est omnipotentis Dei, *& ne dimittas legem matris tuæ*, id est sanctæ Ecclesiæ dogmata & statuta fidelia, quæ non tantum vt legitima, sed verè, vt legem obseruare debemus: quia per Spiritum sanctum edita, minime dubitamus.

F

Patribus antiquis adhærendum

Deut. 32. 7.

Prou. 20. 5.

De 1. Capitulo.

G

Prou. 1. 8.

Denique de *Beati Augustini libris*, & scriptis in quibus ex necessitate nouæ, id est Pelagianæ hæresis destruendæ, & fidei Catholicæ defendendæ instantissima intentione de natura & gratia, de gratia & libero arbitrio, de correptione & gratia de prædestinatione Sanctorum & bono perseuerantiæ, ac baptismo paruulorum, iuxta profunditatem Scripturæ sanctæ, & Euangelicæ atque Apostolicæ doctrinæ regulam multipliciter disputauit, adhuc ipso viuente sicut Prosper & Hilarius ad eundem scribunt: & multo magis post obitum eius propter obscuritatem rerum, & tarditatem minus intelligentium, multiplex querela, maximè intra Gallias exorta est: sed continuo per diuinæ misericordiæ prouidentiam, & Concilius ac statutis Beatissimorum Patrum, & decrens atque auctoritate Apostolicæ Sedis Pontificum solertissime sedata, atque sanata: ita vt stultis & indisciplinatis quæstionibus silentium imponeretur, & sanctissimi ac sincerissimi Doctoris auctoritas in omnibus Ecclesiis, atque in ipsa sede Apostolica confirmaretur. Denique Beatissimus Papa *Cælestinus*, cuius auctoritate & industria Nestoriana hæresis surgens, cum suo auctore oppressa est, contra tanti viri reprehensores, vel potius calumniatores, sicut in libris canonum inter decreta Pontificum Romanorum continetur, scripsit ad Episcopos Galliarū, tanta reuerentia & laude illum commendans, vt eiusdem Scripturæ ille sit titulus: [De sancto Episcopo Augustino mira laudis assertio: & huic titolo subiunguntur verba præfati Pontificis, quæ ita se habent: Augustinum sanctæ recordationis virum pro vita sua, atque meritis in nostra communione semper habuimus: Nec vnquam hunc sinistræ suspicionis saltem rumor aspersit, quem tantæ scientiæ olim fuisse meminimus, vt inter magistros optimos etiam à meis semper decessoribus haberetur. Bene ergo de eo omnes in communes senserunt, vipote

Auctoritas S. Augustini per totā Ecclesiam confirmata.

H

Cælestini Epistola ad Episcopos Gallorum.

A

Matt. 5. 10.

qui vbique cunctis, & amori fuerit, & honori: vnde resistatur talibus, quos malè crescere videmus. Nefas est hæc pati religiosas animas, quarum afflictatione, quia membra nostra sunt, nos quoque conuenit macerari. Quamuis maneat hos beatitudo promissa, quicunque probantur persecutionem propter iustitiam sustinere. Quibus quid promittat Dominus in futurum sequens sermo declarat. Non est agentium causa solorum. Vniuersalis Ecclesia quacunque nouitate pulsatur, intelligamus hæc ipsa vobis, quæ nobis non placent, displicere: Quod ita demum probare poterimus, si imposito improbis silentio de tali re imposterum querela cessabit.]

De 1. Capitulo.

Hunc igitur Beatissimum & fidelissimum Patrem semper in communione Sedis Apostolicæ habitum, & ab eius etiam Pontificibus inter magistros fidei doctrinæ venerabiliter receptum, & ab ipsis tam clare, & honorifice contra obtrectantes & obloquentes defensum, ita vt imposito improbis silentio, omnem de eo mussitationem comprimendam, ac repellendam decernerent, etiam nos tota fidei deuotione honoremus, toto studio & intentione pietatis sequamur: Et in quibus propter obscuritatem rerum, & subtilitatem disputationum minus eum intelligere possumus, vel à Domino intelligentiam postulemus, vel ab eis, quos ipse suo dono illuminare dignatus est, humiliter nos doceri patiamur ac deprecemur.

B

Nam quod est magis dolendum, & amore diuinæ veritatis penitus detestandum circumferunt quidam libellum velut ipsius nomine titulatum, quem Græco vocabulo ὑπογνωστικὸν appellant, quem neque ille sanctus Episcopus, qui vtique vitam ipsius scripsit, & indicem omnium librorum siue Epistolarū eius diligentissimè in fine eiusdem scripturæ subiunxit, qui vtique omnia eius scripta optimè nouerat, vtpote ab ipso nutritus, & cum eo multis curriculis annorum conuersatus inter cæteros libros eius memorat. Neque vllus ferè Ecclesiasticus scriptor eius mentionem facere inuenitur, & ideo falsa superscriptione titulatum minimè dubium est. Hunc ergo isti relictis eius authenticis, & clarissimis libris, quos vniuersa Ecclesia sequitur, confingunt suo errore atque mendacio, velut post omnes libros suos præfatum Pontificem vltimum conscripsisse: & asserunt, quòd quicquid in præcedentibus libris suis de gratia & libero arbitrio, de prædestinatione & præscientia Dei perperam dixerat, in isto correxit. Quod omnino absit à nobis, vt tam nefarium commentum suscipere patiamur: vt propter istiusmodi librum (qui neque in catalogo librorum eius, neque in libris Retractationum eius, neque in scriptis alicuius viri Ecclesiastici fortè memoratus reperitur, & manifestissimè prædicti Doctoris sensibus, immò Catholicæ sinceritati probatur aduersus: Nec ipso stylo vllatenus cum eius eloquio consonat) abiiciamus clarissima veritatis dogmata, quæ in verissimis & probatissimis libris eius. non solùm in cæteris mundi partibus, sed etiam in ipsa Sede Apostolica, omnis Catholica suscipit, & seruat Ecclesia. Quæ omnia ideirco tam diligenter replicanda credidimus, vt tantum malum de contemptu & abiectione Sanctissimorum Patrum, tantum mendacium de libris fidelissimi & sincerissimi Doctoris, per quod clarissimam veritatem respuendam, & fallaciarum vmbras ac nebulas sequendas isti persuadent, penitus à nostris animis repellamus. Quia si istiusmodi fallaciam incautè suscipimus, imitat putredo de veneno serpentis, & nihil integrum remanebit.

Possidius Liber hypognosticon nō est Augustini.

C

Nota.

D

De 1. Capitulo.

Proferunt & alium libellum, velut sub *nomine S. Hieronymi de libero arbitrio conscriptum*, quem vtique clarius debent ostendere, vt probetur, si verè ipsius esse credendus sit. Nos enim scimus eundem sanctum Hieronymum in quodam opere de libero scripsisse arbitrio, & posuisse duas quorundam opiniones, quarum vnam sequitur, alteram omnino respuit Ecclesia. Caueamus itaque (inquantum Deo auxiliante possumus) mendacia aduersùs fidem & veritatem surgentia: Et maximè hoc tempore, quando terribili Dei iudicio, & ignorantia maior in hominibus cœpit succrescere, & multiplex error liberius pullulare. Sed & si quis in ratione fidei vel errat, vel errare putatur, vtique non mendacio vincendus est, sed veritate, sicut & *Beatus Augustinus* ad quendam scriptorem improuidum Vincentium victorem dicit: [Nos te ita volumus esse victorem, vt veritas vincat errorem, non error errorem, &, quod est peius, maior minorem.]

De libro de induratione Pharaonis.

Nota.

E

Hæc de primo capitulo definitionum necessario dicta sunt, vt & si quid surgente obscura, & perplexa quæstione de præscientia & prædestinatione diuina inconsideratius, atque inconuenientius dictum est, non contentiosè defendatur, nec Synodali etiam auctoritate fulciendum putetur: sed potius agnita diuina veritate, & recepta humiliter paterna auctoritate velocius, & attentius corrigatur.

CAP. X.

Cap. 10.

SEquitur secundum earundem definitionum capitulum, cuius verba hæc sunt.

F

SECVNDVM CAPITVLVM.

2. Capitulum.]

LIbertatem arbitrij in primo homine perdidimus, quam per Christum Dominum nostrum recipimus, & habemus liberum arbitrium ad bonum, præuentum, & adiutum gratia: Et habemus liberum arbitrium ad malum, desertum gratia. Liberum autem habemus arbitrium, quia gratia liberatum, & gratia de corrupto sanatum.]

Censvra.

Mirum est igitur, cur per hoc tam confusè & obtusè, ac decurtate de libero arbitrio definitum sit, cùm Domino largiente abundent in Ecclesia eius Sanctorum atque orthodoxorum Patrum de hac re plenissimæ & clarissimæ definitiones: in quibus nec addendum aliquid fuerat, nec subtrahendum, quia & quod fidei Catholicæ necessarium est, plenissimè cōtinent: & si quis inde subtrahatur, veritatis integritas violatur. Et quibus paternis & Ecclesiasticis definitionibus, exempli gratia, hæc pauca proponimus.

De vera Christi

G

gratia & libero arbitrio.

I. In præuaricatione Adæ omnes homines naturalem possibilitatem & innocentiam perdidisse: & neminem de profundo illius ruinæ per liberum arbitrium posse consurgere, nisi eum gratia Dei miserantis erexerit.

I. Ex Epistol. Cœlestini Pap. c. 4.

II. Quod nemo nisi per Christum libero bene vtatur arbitrio.

II. Ibid. cap. 7.

III. Quod omnia studia & omnia opera ac merita Sāctorū ad Dei gloriam laudémque referenda sint, quia nemo aliunde ei placeat, nisi ex eo quod ipse donauerit.

III. Cap. 8.

IV. Quod ita Deus in cordibus hominum, atq; in ipso libero operetur arbitrio, vt sancta cogitatio, pium consilium omnisq; motus bonæ voluntatis ex Deo sit: quia per illum aliquid boni possumus sine quo nihil possumus.

IV. Cap. 9.

V. Omnium studiorum omniúmque virtutum, quibus ab initio fidei ad Dominum tenditur, Deum profitemur auctorem; Et non dubitamus ab ipsius gratia omnia hominis merita præueniri per quem fit vt aliquid boni & velle incipiamus & facere: Quo vtique auxilio & misericordia Dei non aufertur liberum arbitrium, sed liberatur: vt de tenebroso lucidum, de prauo rectum; de languido sanum, de imprudente sit prouidum. Tanta enim est erga omnes homines bonitas Dei, vt nostra velit esse merita quæ sunt ipsius dona: Et pro his quæ largitus est, æterna præmia sit donaturus. Agit quippe in nobis, vt quod vult, & velimus, & agamus.

V. Cap. 12.

H

VI. Fatemur gratiam Dei & adiutorium etiam ad singulos actus dari; Eamque non dari; secundum merita nostra, vt vera sit gratia, id est gratis data, per eius misericordiam, qui dixit: *Miserebor cui misertus ero.* Et *Misericordiam præstabo, cui misericors fuero.*

VI. Ex Augustini Epistola 107. Rom. 9. 15. Exod. 33. 19.

VII. Fatemur esse liberum arbitrium etiamsi diuino Indiget adiutorio.

VII.

VIII. Arbitrium voluntatis in primo homine infirmatum, nisi per gratiam Baptismi non potest reparari.

VIII. Ex Concil. Arausic. Can. 13.

IX. Arbitrium voluntatis tunc est verè liberum, cum

IX.

A

vitiis peccatisque non seruit. Tale datum est à Deo, vtique homini primo: quod amissum, nisi à quo potuit dari, non potuit reddi. Vnde veritas dicit: *Si vos filius liberauerit, verè liberi eritis.*

Ioan. 8. 36.

Ecce sanctissimi Patres non negant liberum arbitrium esse in hominibus, sed docent in præuaricatione Adæ naturalem possibilitatem & innocentiam perdidisse.

Non negant liberum humani generis arbitrium: sed docent quod nemo nisi per Christum libero bene vtatur arbitrio non negant liberum arbitrium, sed docent quod ita Deus in ipso libero operetur arbitrio vt sancta cogitatio, pium consilium, omnisque motus bonæ voluntatis ex Deo sit.

De. 2. Capitulo.

Non negant liberum arbitrium: sed docent, quod auxilio & munere Dei non aufertur liberum arbitrium, sed liberatur; vt de tenebroso lucidum, de prauo rectum, de languido sanum, de imprudente fit prouidum.

B

Non negant liberum arbitrium, sed docent quod in primo homine infirmatum, nisi per gratiam baptismi non potest reparari.

Non negant liberum arbitrium, sed docent tunc esse verè liberum, cum vitiis peccatisque non seruit; docent tale datum esse à Deo: Docent quod amissum, nisi à quo potuit dari, non potuit reddi. Vnde veritas dicit, *Si vos filius liberauerit, verè liberi eritis.*

Ioan. 8. 36.

Cùm hæc ita sint, & liberũ arbitrium omnibus inesse hominibus negari nullatenus debeat, ne tantam multitudinem hominum infidelium, quæ extitit ab initio sæculi vsque ad aduentum Christi, & nunc adhuc existit, & existet vsque ad consummationem mundi, excusatos faciamus, quod videlicet non habuerint vel habeant arbitrij libertatem quam in Adam perdiderint, & ideo nec iuste culpentur in malis, quæ agunt, nec pro eisdem malis iustè in diuino iudicio condemnandi sunt. Contra hunc namque errorem & vanam excusationem *B. Augustinus* veritatem fidei defendens, ita dicit: Primo enim Dominus IESVS, sicut Scriptum est in Euangelio Ioannis Apostoli; *Non venit vt iudicaret mundum, sed vt saluaretur mundus per ipsum.* Postea verò, sicut scribit Apostolus Paulus, [*Iudicabit Deus mundum quando venturus est*, sicut tota Ecclesia in Symbolo confitetur *Iudicare viuos & mortuos.* Si ergo non est Dei gratia, quomodo saluat mundum? & si non est liberum arbitrium, quomodo iudicat mundum.

August. Ioan. 3. 17.

C

Rom. 3. 6.

Cum ergo liberum arbitrium habeat totus mundus, & ideo Deus iuste iudicet mundum, quomodo in hac noua definitione dictum est. *Quod libertatem arbitrij in primo homine perdidimus.* Sancti Patres dicunt liberum arbitrium in præuaricatione Adæ infirmatum, dicunt naturalem possibilitatem, & innocentiam perdidisse. Dicunt quod eo id est libero arbitrio nemo benè vtatur sine Christo. Dicunt liberum esse arbitrium, etiamsi diuino indigeat adiutorio.

Cap. 13.

Habent itaque omnes homines, etiam qui alieni sunt à Christo liberum arbitrium; sed tale quale isti Patres ostendunt, id est in præuaricatione Adæ Infirmatum, naturali possibilitate, & innocentia spoliatum: sine Christo nulli bono vsui aptum. Habent omnes homines naturaliter mentem rationalem & intellectualem, qua possint discernere ac diiudicare, cum ad rationales annos venerint, inter bona & mala, inter iusta & iniusta. Habent etiam naturaliter insitum arbitrium voluntatis vt eodem arbitrio possint velle mala, possint velle etiam quædam bona: sed humana affectione ad humanam societatem atque honestatem pertinentia: Quæ eadem humana affectione, vel propter aliqua temporalia commoda appetuntur, vel propter ipsam solummodo vitæ honestatem. Sed huiusmodi humana bona, quæ humana, affectione potest velle potest etiam nonnunquam agere humana natura; cum propter temporalia bona appetuntur, sine dubio cupiditates sunt: Cum propter solam vitæ honestatem, sine dubio inflata & elata sunt: Tamen potest ea discernere, potest etiam velle, potest etiam habere, inquantum naturali bono adiuuatur, & Dei dispositione permittitur humana natura. Talia

D

Quid possit liberum arbitriũ per se, De 2. Capitulo.

E

namque bona & in cæteris videri solent hominibus, & maximè in multis Philosophis gentium, & in magnis viris, qui in republica præclari extiterunt, etiam mirabiliter commendat, & laudat historia.

De qua vita humana iuxta humanam affectionem & consuetudinem, velut bona & laudabili *B. Augustinus* in tractatibus Euangelij secundum Ioannem sic aperte commemorat, dicens: [Multi enim sunt, qui secundum quandam vitæ huius consuetudinem dicuntur boni homines, boni viri, bonæ fœminæ, innocentes, & quasi obseruantes ea, quæ in lege præcepta sunt, deferentes honorem parentibus suis, non mœchantes, non homicidium perpetrantes, non furtum facientes; non falsum aduersus quemquam testimonium perhibentes, Et cætera, quæ in lege mandata sunt, velut obseruant, & Christiani non sunt. Quid ergo ista omnia quæ faciunt, nesciunt ad quem finem referant, inaniter faciunt. Dicant ergo Pagani, bene viuimus: Si per ostium nõ intrant, quid ei prodest vnde gloriãtur. Ad hoc debet enim cuique prodesse bene viuere, vt detur illi semper viuere. Nam cui nõ datur semper viuere, quid prodest bene viuere. Quia nec bene viuere dicendi sunt, qui finem bene viuendi, vel cæcitate nesciunt, vel inflatione contemnunt. Non est autem cuiquam spes vera, & certa semper viuendi, *Nisi agnoscat vitam, quod est Christus, & per ianuam intret in ouile:* Fuerunt quidam *Philosophi* de virtutibus & vitiis subtilia multa tractantes, diuidentes, definientes, qui etiam dicere auderent hominibus: Nos sequimini, sectam nostram tenete, si vultis beatè viuere; *Sed non intrarant per ostium perdere volebant, &c.*]

August. tract. 40. in Ioan.

F

In talibus igitur bonis & viget, & excellit humanæ voluntatis arbitrium, in quantum, vt dictum est, naturali bono adiuuatur. Sed vt ipsum voluntatis arbitrium diuina affectione, diuina bona amet, intelligat, recipiat, exerceat, & perseueranter teneat, non propter aliqua temporalia commoda, sed propter præmia æterna; nec propter solam vitæ præsentis honestatem, sed propter solam vitæ æternæ beatitudinem: vt hæc (inquam) arbitrium voluntatis humanæ possit velle, possit agnoscere; possit accipere, possit habere, nullatenus valet nisi diuinæ inspirationis gratia Incitetur, illuminetur & adiuuetur, ac velut ex mortuis ad vitam ressuscitetur: quia & reuera illa humana vita humana affectione acta, hominibus videri potest quasi vita, sed Deo mortua est: Hac ratione & bonum liberi arbitrij in hominibus agnoscitur, & Dei gratia omnimodis necessaria declaratur, per quam humana natura merito antiquæ præuaricationis infirmata, per fidem Christi regenerata atque innouata, & ad honorem sui reformata principij, recipiat possibilitatem & innocentiam, quam in Adam perdidit, & per Christum libero bene vti incipiat arbitrio: vt eius gratia possit in eo esse sancta cogitatio, pium consilium, omnisque motus bonæ voluntatis, sicque efficiatur humanæ voluntatis arbitriũ non ablatum sed liberatum; Et de tenebroso lucidum, de prauo rectum de languido sanum, de imprudente prouidum. Quòd tanto magis per Christum in nobis fit liberũ quanto minus vitiis peccatisque seruierit. Tunc autẽ erit verè & plenè liberum, quando iam perfectè liberatum, in vitæ æternæ beatitudine nullis seruiet vitiis & peccatis: Sicque illa Domini benigna promissio, qua ait, *Si vos filius liberauerit, vere liberi eritis*; hic inchoatur in innouatione fideliũ, ibi perficietur in incorruptione regnantiũ.

Quid nõ possit liberum arbitriũ sine gratia.

G

D. 11 Capitulo.

H

Ioan. 8. 36.

Si ergo propterea dictum est in hac definitione; *Libertatem arbitrij in primo homine perdidimus*, [quasi post illius hominis transgressionem, nullum in hominibus remanserit liberum arbitrium, apparet quod non sit consonum veritati: quia si nullum est humani generis liberum arbitrium, *Quomodo iudicabit Deus mundum?* Si autem propterea dictum est, quia naturalem possibilitatem & virtutem liberi arbitrij, qualis in illo primo homine condita est, merito illius præuaricationis amisimus, cauẽdum est omnino, ne hoc quod de amissa eiusdem arbitrij libertate subiungitur *Quam per Christum Dominum nostrũ recepimus*,] ita sit dictũ, quasi ex quo in Christo regenerati sumus, talem statum, & virtutẽ liberi arbitrij recepimus:

Rom. 3. 6.

vt exinde in præsenti vita tales esse possimus, qualis ille homo erat ante peccatum : vt sicut ipse viuebat in paradiso absque vllo peccato, ita & fideles regenerati in Christo absque peccato viuant in mundo : quod manifestè non pertinet ad statum præsentis vitæ, sed ad fœlicitatem vitæ æternæ. Nam in hac *Vita si dixerimus, quia peccatum non habemus nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est :* Et sicut alia Scriptura ait : *Non est homo iustus super terram, qui faciat bonum, & non peccet.* Vnde & Psalmista ad Dominum dicit : *Non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens.* Et quotidie in Dominica oratione dicere iubemur, *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.*

Cauendum est igitur, vt iam diximus, ne sub tali prædicatione gratiæ Christi, qua eam, quam in Adam perdidimus, iam recepisse dicimur libertatem arbitrij, impietas subrepat erroris Pelagiani, vt sicut ille asseruit, sola virtute liberi arbitrij credatur homo esse posse absque peccato : maximè cum & in primo capitulo istarum definitionum, ita in primo illo homine liberum arbitrium definiatur, vt omnino Dei gratia taceatur. Quod si simpliciter tantummodo dictum est, vt propter inchoationem gratiæ, quam in regeneratione percipimus, iam libertatem arbitrij, quam in Adam perdidisse dicimur, recepisse videamur, cùm tamen eius plenitudo atque perfectio in futura vita fideliter expectanda credatur : quid necesse fuit tanta ambiguitate, & confusione verborum clarissimam obscurare veritatem : cùm possent ex præfatorum Patrum definitionibus, vel vnum, vel aliqua capitula assumi & poni, quibus & arbitrij libertas, & Dei gratia plenius ac manifestius commendarentur.

CAP. XII.

IAm quanta absurditas est in eo, quod sequitur, vt postquam dictum est, *Libertatem arbitrij in primo homine perdidimus, quam per Christum Dominum nostrum recepimus*, statim subiungeretur : *Et habemus liberum arbitrium ad bonum, præuentum & adiutum gratia ; Et habemus liberum arbitrium ad malum desertum gratia :*] Quasi postquam per gratiam Christi Domini regenerati sumus, tunc cœperimus habere, sicut liberum arbitrium ad bonum, ita & liberum arbitrium ad malum : quasi ex illa regeneratione, cùm gratia præuenimur & adiuuamur, habeamus liberum arbitrium ad bonum, & cùm eadem deserimur gratia, habeamus liberum arbitrium ad malum. Quæ hîc ratio & consequentia sensus inueniri potest? Nunquid ante illā regenerationem nullum omnino liberum habebamus arbitrium, nec ad bonum, nec ad malum? Nunquid illius regenerationis gratia hoc egit in nobis, vt exinde acciperemus sicut ad bonum, ita etiam ad malum liberum arbitrium? Iam illud quod in eadem definitione ponitur, *Liberum arbitrium ad bonum, præuentum & adiutum gratia, & liberum arbitrium ad malum, desertū gratia :*] Quomodo intelligi potest? si enim quando regenerati sumus in baptismo, tunc libertatem arbitrij in Adam perditam, in Christo recepimus, nunquid tunc tantum præuenit, & adiuuit nos Dei gratia : aut eadem Dei gratia, sicut semel nos adiuuit, vt efficeremur liberi ad bonum, ita semel nos deserit, vt efficiamur liberi ad malum? Quæ est ista, tam obscura & ambigua, ac penè nulla gratiæ prædicatio? Nonne melius erat, vt præfatorum Patrum sententiæ quæ de hac re plenissimè & clarissimè definiunt, assumerentur, vel eorum verbis ista definitio contexeretur; Et apertè ibi esset positum, qualiter nos præueniat & adiuuet hæc Dei gratia, id est, vtrum semel nobis in baptismate tanta tribuatur, quæ ad totum tempus vitæ nostræ sufficiat, an quotidie imploranda & accipienda sit : & vtrum ea ad aliqua bona, an ad omnia indigeamus? Certè nihil horum in hac definitione apparet; & ideo melius fuerat tacere, quàm de re tanta tam ineptè & inutiliter loqui.

Indigemus namque gratia Dei, non solùm ad opus bonum, sicut in hoc capitulo definitur, sed etiam ad ipsum initiū fidei, sine qua non possumus accedere ad regenerationis sacramentū; sicut Apostolus dicit de seipso : *Misericordiam consecutus sum, vt fidelis essem* Et fidelibus loquitur : *Quia vobis donatū est pro Christo, non solum vt in eum credatis*, &c. & alibi ait : *Aspicientes in auctorem fidei, & consummatorem* IESVM, indigemus gratia Dei in ipso *regenerationis lauacro :* quia sine illa nec indulgentiam peccatorum consequi, nec Filij Dei fieri valemus; dicente eodem Apostolo : *Non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit per lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus sancti.* Indigemus gratia Dei ad omnia & singula bona per singulos dies, dicente Psalmista : *In quacumq; die inuocauero te, exaudi me.* Et iterum : *In quacumque die tribulor, inclina ad me aurem tuam.* Quam gratiam quotidianam & assiduam Dominus noster Ecclesiæ suæ promittere dignatus est, dicēs: *Ecce ego vobiscū sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi :* Indigemus ea ad excitandam in nobis bonā voluntatem, sicut Apostolus dicit : *Gratias autem Deo, qui dedit eandem sollicitudinem in corde Titi.* Et B. Dauid orat pro populo, quem deuotè & alacriter Deo dona offerentem videbat, vt eandem bonam voluntatem, quam dederat in eis Deus, conseruaret, dicens : *Dominus Deus Abraham & Isaac & Israel patris nostri, custodi in sempiternum hanc voluntatem cordis eorum, & semper in venerationem tui mens ista permaneat :* Indigemus gratia Dei ad bona & salubria loquenda, sicut ipse Dominus in Euangelio dicit : *Non enim vos estis, qui loquimini sed spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis.* Qui etiam alibi promittit : *Aperi os tuum, & ego adimplebo illud :* Indigemus Dei gratia ad omnes vias operum bonorum : Paulus Apostolus optare se dicit, vbi ait : *Nam & qui sumus in tabernaculo ingemiscimus grauati in eo, quod nolumus expoliari, sed superuestiri, vt absorbeatur quod est mortale à vita.*

E — 1. Cor. 7. 25. — Phil. 1. 29. — Heb. 12. 2. — Tit. 3. 5. — Ps. 101. 3. — Ibid. — Math. 28. 20. — 2. Cor. 8. 16. — 1. Par. F 29. 18. — Math. 10. 20. — Ps. 80. 11. — 2. Cor. 5. 4.

Hîc plurima desunt, scilicet magna pars Censuræ huius II. Capituli, & maxima pars Censuræ III. Cap. quod sequitur.

TERTIVM CAPITVLVM.

G — De III. Capitulo. Hîc plurima desunt.

DEus *omnipotens* omnes homines *sine exceptione* vult saluos fieri, licet *non omnes saluentur. Quod autem quidam saluantur, saluantis est donum ; Quòd autem quidam pereunt, pereuntium est meritum.*

CENSVRÆ CONCLVSIO.

*** Cùm ergo hæ duæ opiniones in * præfato libello de hac re propositæ & expositæ fuissent, subiunctum est protinus valde vtiliter, & dictum : *Quolibet quis acquiescat modo, non est hæreticum nisi contentione hæreticum fiat :*] Similem quoque sententiam B. Papa *Cælestinus* de quibusdam profundioribus quæstionibus in Decretis suis posuit, dicens de eis : Quæ sicut non audemus contemnere, Ita non necesse habemus astruere.] Sit ergo inter nos etiam de hac re istiusmodi pia cautela & moderatio, quatinus & sanctis Patribus seruetur honor, & quolibet quis adquiescat modo ex illis sensibus, qui de hac sententia ab eis positi sunt, non iudicemus esse hæreticum : sed potius vitemus contentionis malum, per quod etiam de pacificis, & Ecclesiasticis sensibus potest qui contentiosus esse voluerit, hæreticum efficere quod sentit. Itaque in rebus talibus cohibeamus nos ipsos salubri moderatione, vt nec contemnere audeamus, nec quasi necessariò affirmare conemur, memores sēper illius Apostolicæ sententiæ : *Si quis autem videtur contentiosus esse, nos talē consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei.* Legamus ergo pacificè, & quantum Dominus donat intelligamus dogmata Ecclesiasticorum virorum, nec pro aliis Doctoribus aduersùs alios litigemus : quia & ipsi inter se pacifici *Vnusquisque in suo sensu abundauerunt*, alius quidem sic, alius verò sic, expectantes fideliter atque humiliter quod Apostolus promittit, dicens : *Et si quid aliter sapitis hoc quoque vobis Deus reuelabit*, Nam qui non tranquillè & pacificè moderatur quod sentit, sed statim paratus est ad contentiones, dissensiones, & scandala, etiamsi non

* Libello de Tribus Epistolis. — *Cælestinus Epistola ad Episcopos Gall.* — H — *Vitandū contentionis malum.* — 1. Cor. 11. 16. — *Via Patrum.* — Rom. 14. 5. — 1. Cor. 7. 7. — Phil. 3. 15.

habeat

Digitized by Google

A habeat hæreticum sensum certissime habet hæreticum animum.

Quam pietatis moderationem si etiam isti boni viri, qui hanc nouam definitionem statuerunt, seruare voluissent, melius hanc rem silentio prætetiissent; & vnicuique de ea secundum fidem suam & auctoritatem, cui magis aequiescendum putaret, sentiendū permitterent, finitóque inter eos tam longæ, & perniciosæ contentionis iurgio, pax & vnitas Christi Ecclesiæ reformaretur. Ecce enim aliquis sentiat & dicat, sicut etiam antiquitus, & sensum est, & dictum: Non dixit Apostolus vniuersaliter & generaliter, & vt isti addiderunt sine exceptione, *Qui vult omnes homines saluos fieri*: sed specialiter ad eos retulit, de quibus supra dixerat, *pro omnibus hominibus, pro regibus, & his qui in sublimitate sunt*: vt quod dixit *omnes* omnia genera hominum intelligi voluerit, omnium scilicet gentium, sexuum, conditionum, ordinum, dignitatum. Quid habet hæc intelligentia inconsequens aut contrarium veritati? Item alius dicat & sentiat, sicut etiam à quibusdam maioribus dictū, & sensum reperitur. Apostolus, *cum superius orari iussisset pro omnibus hominibus, pro regibus, & his qui in sublimitate sunt*, post illa omnia generaliter de vniuerso genere humano subiūxit, *Qui vult omnes homines saluos fieri*. Quid habet mali aut periculi etiā ista intelligentia? Neque enim qui ita sentit putat voluntati Dei qua *vult omnes homines saluos fieri*; aliquem resistere & contraire, vt non possit implere quod velit; Et ambo sibi & iste videlicet & ille, licet diuersa sentientes, fideliter atque vnanimiter concordant. Quod quolibet modo dixerit Apostolus de Deo, *Qui vult omnes homines saluos fieri*, tamen nullus hominum, nisi gratuita eius misericordia saluetur, nullus nisi iusto eius iudicio perire permittatur. Certè illud in hac quæstione manifestum est, quod etiamsi generaliter, & indifferenter *Omnes homines Deus vult saluos fieri*; in aliorum tamen cordibus benignitate misericordiæ suæ ipse operatur eandem bonam voluntatem suam, vt & ipsi saluari velint, atque saluentur: qualibus & Apostolus dicit, *Cum timore & tremore vestram ipsorum salutem operamini: Deus est enim, qui operatur in vobis, & velle, & perficere pro bona voluntate.* In aliorum autem cordibus seueritate iusti, & occulti iudicij sui nō operatur hanc salutarem voluntatem, sed dimittit eos suo arbitrio: vt quia noluerunt credere, iusta vltione damnentur. Et hoc quidem de illis dici potest, qui verbum Euangelij audierunt, sed duritia incredulitatis suæ recipere noluerunt.

Quid vero dicendum est de tanta multitudine impiorum, qui fuerunt, ab exordio mundi vsque ad aduentum Christi; Et adhuc non negandi sunt esse in extremis partibus orbis terræ, ad quos nullus vnquam prædicator accessit, nullum vnquam verbum fidei audierunt, qui vtique nullatenus potuerunt *Credere ei quem non audierunt, neque audire sine prædicante.* Ne prædicatorem recipere, qui nullus ad eos missus est, Nunquid & tales propterea damnabuntur, quia non crediderunt, quod nunquam audire potuerunt? Et tamen omnino damnabuntur pro aliis peccatis suis, & principaliter pro illo primo & originali peccato; *In quo omnes peccauerunt*: quia non frustra scriptum est, *Effunde iram tuam in Gentes, quæ te non nouerunt; Et in regna, quæ nomen tuum nō inuocauerunt.* Et Apostolus dicit, *Dantis vindictā in flammam ignis his, qui non nouerunt Dominum.* Si quis de talibus interroget, quid in eis egerit voluntas Dei, *Qui omnes homines vult saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*, quid respondebitur? Nonne homo cautus & pius magis eliget tacere, aut certè cum Propheta & Apostolo exclamare: *Iudicia tua abyssus multa*: Et, *O profundum diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei. Quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius.* De hoc ergo capitulo iste sit finis.

Qui vult omnes homines saluos fieri. 1 Tim. 2. 4. Ibid. 2. De 3. Capitulo. B 1. Tim. 2. 2. 4. d. v. 4. d. v. 4. d. v. 4. C Phil. 2. 12. 13. Rom. 10. 14. & 15. Infideles qui nihil de Euangelio audire potuerunt, non damnabuntur propter D incredulitatem, sed propter alia peccata & propter originale. Rom. 5. 2. 12. 2. Thess. 2. 8. De 4. Capitulo. 1. Tim. 2. 4. Ps. 35. 7. Rom. 11. 33.

E

CAP. XIII.

Sequitur Definitio quarta quæ & vltima est, ita se habens.

CHRISTVS IESVS *Dominus noster, sicut nullus homo est, fuit, vel erit, cuius natura in illo assumpta non fuerit, ita nullus est, fuit vel erit homo, pro quo passus non fuerit, licet non omnes passionis eius mysterio redimantur. Quod autem non omnes passionis eius mysterio redimantur, non respicit ad magnitudinem, & pretij copiositatem, sed ad infidelium, & ad non credentium ea fide* quæ per dilectionem operatur, *respicit partem: quia poculum humanæ salutis, quod confectum est infirmitate nostra & virtute diuina, habet quidem in se, vt omnibus prosit, sed si non bibitur, non medetur.* Cap. 13. Gal. 5. 6.

F

CENSVRA.

ET in hac noua, & inusitata definitione tres nobis quæstiones proponuntur.

Prima quod dicitur, *Quia nullus homo est, fuit, vel erit, cuius natura in Christo assumpta non fuerit.*]

Secunda, quod affirmatur *Quod nullus est, fuit, vel erit homo, pro quo Christus passus non fuerit, licet non omnes passionis eius mysterio redimantur.*]

Tertia quod adiungitur, *Quia eiusdem passionis eius mysterio non redimantur.* Non solum infideles, sed neque ipsi fideles, *Nisi illi soli, qui eam fidem habent*, quæ per dilectionem operatur.] Gal. 5. 6.

De prima ergo quæstione hoc nobis credendum: & tenendum videtur: quia susceptio illa naturæ humanæ in Christo non fuit ex necessitate originis, sed ex potestate, & gratia, & misericordia, & dignatione suscipientis. Cæteri namque homines, non ex sua voluntate & potestate, sed ex Dei iudicio & dispositione, originali necessitate & conditione nascuntur, *Dominus* autem IESVS CHRISTVS *qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cœlis, & incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria Virgine*, non necessitate & conditione humanæ originis, sed potestate & misericordia suæ voluntatis *Homo factus est*. Vnde & B. Euangelista Matthæus, cum seriem genealogiæ eius *ab Abraham vsque ad Dauid, & a Dauid vsque ad transmigrationem Babyloniæ, & à transmigratione Babiloniæ vsque ad ipsius Natiuitatem* describeret, cæteras omnes generationes naturali cursu & conditione humanæ procurationis, ac propagationis digessit dicens: *Abraham genuit Isaac, Isaac genuit Iacob, Iacob genuit Iudam & fratres eius.* & cætera similiter. Cùm venisset autem ad vnicam, & singularem natiuitatem Christi, discreuit eam mirabiliter a cæteris omnibus, & ait: *Christi autem generatio sic erat*, hoc est, non sicut priores generationes naturali cursu, & conditione currentes, ac sibi inuicem succedentes, sed singulari potestate, & virtute, & gratia excellens: Et statim eiusdem generationis specialem modum qualiter sit facta subiunxit dicens; *Cum esset desponsata mater eius Maria Ioseph antequam conuenirent, inuenta est in vtero habens de Spiritu sancto.* Quod & Angelus postea ad Ioseph loquēs, commendat, & dicit: *Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est*: Et adhibito Prophetico testimonio docens cum cuius potestatis & virtutis esset, qui nascebatur videlicet; quod verus Emmanuel Deus in homine adueniret, ait: *Hoc autem factum est, vt adimpleretur quod dictum est*, per Isaiam Prophetam: *Ecce virgo in vtero habebit, & pariet filium, & vocabunt nomen eius Emmanuel, quod est interpretatum nobiscum Deus.*

Christus non ex necessitate incarnatus. G De 4. Capitulo. Matth. 1. 17. Ibid. 2. v. 17. H v. 18. v. 20. v. 22. & 23. Isa. 7. 14.

Quia ergo ista tam diuina, & tam singularis generatio hominis Christi non aliqua naturali necessitate; sed sola eius potestate, & gratia, & misericordia facta est, sic per omnes illas generationes veraciter caro eius descendit, sic ex eis veraciter natus verus homo factus est, vt quod ei placuit, miserando & sanando, ac redimendo

inde assumeret; qood autem non placuit, reprobaret. Sicut admirabili potentia & veritatem naturæ humanæ assumpsit, & eiusdem naturæ vitium non assumpsit: vt illam suscipiendo saluaret, & illud non suscipiendo damnaret: Ita in illo ineffabili Incarnationis suæ mysterio electos suos, propter quos redimendos & iustificandos ac saluandos aduenerat misericorditer suscepit: Quos autem indignos illa misericordia & redemptione iudicauit, alienos ab illa mirabili susceptione dereliquit. Denique in illis generationibus, vnde caro eius exorta est, & *Abraam* & *Dauid* ponuntur; Et *Achaz* & *Manasses* pariter annumerantur: Et tamen speciali gratia *semen Abrahæ* dicitur; Domino ei promittente; *Quia in semine tuo benedicentur omnes Gentes terræ*. Similiter & *semen Dauid*, dicente Apostolo; *Qui factus est ex semine Dauid secundum carnem*. Dicitur etiam *Filius Dauid & Filius Abraham* testante Euangelista: *Liber generationis Iesu Christi Filij Dauid, Filij Abraham*. Aliquorum autem impiorum, & in sua impietate perditorum filius nequaquam legitur; Licet caro eius non solum ex iustis, sed etiam ex peccatoribus veraciter fuerit assumpta. De quo Apostolus dicit, *Quia* CHRISTVS IESVS *venit in hunc mundum peccatores saluos facere*.

Manifeste ergo constat, quia susceptio illa redemptio fuit, vt qui suscepti sunt, sint & redempti, & qui redempti ipsi suscepti. Vnde & fideles in Christo sunt, & Christus in illis. Infideles non sunt in Christo, nec in eis Christus, Solis fidelibus dicit, quos sibi per Sacramentum veræ Incarnationis, & gratiam redemptionis vniuit: *Manete in me, & ego in vobis. Sicut palmes non potest ferre à se fructum, nisi manserit in vite, sic nec vos, nisi in me manseritis. Ego sum vitis, vos palmites. Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum.* Item de solis fidelibus dicit: *Qui manducat carnem meam, & bibit Sanguinem meum in me manet, & ego in eo.* Apostolus quoque de Christo & fidelibus, de eo qui sanctificat, & qui sanctificantur, & de veræ Incarnationis eius mysterio, quam ex Adam veraciter traxit, & per quam credentibus naturaliter vniri dignatus est, dicit: *Qui enim sanctificat, & qui sanctificantur ex vno omnes.* Propter quam causam non confunditur fratres eos vocare, dicens: *Narrabo nomen tuum fratribus meis, &c.* Quos ergo suscepit, ipsos & *sanctificauit*, ipsos & *fratres* suos fecit, *Vt sit ipse primogenitus in multis fratribus.* Nam si diligenter consideretur, nescimus si etiam de quolibet homine conuenienter dici possit, quòd omnium hominum naturam nascendo assumpserit. Cùm enim natus est, assumpsit vtique naturam parentum, de quibus est genitus. Assumpsit naturam progenitorum, de quorum stirpe est propagatus. Assumpsit naturam primi hominis, vnde totius humani generis origo processit.

Secundùm hoc ergo vtcunque dici potest, quilibet homo nascens, omnium hominum suscepisse naturam, quia ex illo originem trahit, ex quo omnium natura principium sumpsit. De quo primo homine Adam etiam Dominus noster IESVS CHRISTVS verissimè carnis substantiam traxit. Vnde & ab Apostolo *secundus Adam* dicitur, Et seipsum *filium Adam*, hoc est *filium hominis* assiduè commendat. Et Lucas Euangelista per Septuaginta & septem generationes ab ipso Christo vsque Adam ascendens, veram ex illo Incarnationem eius fideliter demonstrat. Quia ergo mysterij & redemptionis, & pietatis fuit illa in Christo naturæ humanæ susceptio, idcirco in illo sacratissimo die natalis eius ex virgine inter ipsa sacræ oblationis misteria orat Ecclesia dicens: *Vt tua gratia largiente per hæc sacrosancta commercia in illius inueniamur forma; in qua tecum est nostra substantia.* Et præcedenti die, cùm sacræ Vigiliæ celebrantur, ita incipit oratio. *Deus qui nos redemptionis nostræ annua expectatione lætificas.* Itemque ipso Dominicæ Natiuitatis die, *Concede quæsumus omnipotens Deus, vt nos vnigeniti tui noua per carnem natiuitas liberet, quos sub peccati iugo vetusta seruitus tenet.* Et super oblationem. *Oblata Domine munera noua vnigeniti tui natiuitate sanctifica, nosque à peccatorum nostrorum maculis emunda.* Et in conclusione Missarum. *Huius nos Domine Sacramenti semper nouitas natalis instauret, cuius natiuitas singularis humanam depulit vetustatem.* E

S. Greg. Hanc gratiam Dominicæ Incarnationis, quod est verè mysterium nostræ redemptionis, Beatus Gregorius piè commendans ait quodam loco in expositione libri Iob: [Interpellat autem pro nobis Dominus, non voce sed miseratione: Quia quod damnari in electis noluit, suscipiendo seruauit.] Similiter & B. Hilarius exponens illa verba Domini quibus ait: *Qui manducat meam carnem, & bibit Sanguinem meum in me manet, & ego in eo*: (B. Hilar. Ioan. 6. 17.) Idipsum diligenter commendat, dicens: Non enim quis in eo erit, nisi in quo ipse fuerit; eius tantùm in se assumptam habens carnem qui suam sumpserit. Sed & B. Leo mirabiliter hoc mysterium exponit atque commendat, ita dicens: (S. Leo.) Nascens itaque Dominus IESVS CHRISTVS homo verus, qui nunquam esse destitit Deus verus, nouæ creaturæ in se fecit exordium: & in ortus sui forma dedit humano generi speciale principium; & ita se nobis, nósque inseruit sibi, vt Dei ad humana descensio, fieret hominis ad diuina prouectio.] F Et alibi: Terra enim carnis humanæ, quæ in primo fuerat præuaricatore maledicta, in hoc solo B. Virginis partu germen edidit benedictum, & à vitio suæ stirpis alienum, cuius specialem originem in regeneratione consequimur. *Et omni* homini renascenti *aqua baptismatis instar est vteri virginalis*, eodem S. Spiritu replente fontem, qui repleuit & virginem: vt peccatum, quod ibi vacuauit sacra conceptio, hic mystica tollat ablutio.]

Item alio loco: [Renouat nobis hodierna festiuitas nati IESV ex MARIA Virgine sacra primordia, & dum Saluatoris nostri adoramus ortum, inuenimus nos nostrum celebrare principium. Generatio enim Christi origo est populi Christiani; & natalis capitis, natalis est corporis habeant licet singuli quique vocatorum ordinem suum: Et omnes Ecclesiæ filij temporum successione distincti, vniuersa tamen summa fidelium, fonte orta baptismatis, sicut cum Christo in Passione Crucifixi, in Resurrectione suscitati, Ascensione ad Patris dexteram collocati: Nam cum ipso sumus in hac Natiuitate congeniti. G Quicquid enim hominum in quacunque mundi parte credentium regeneratur in Christo, intercisio originalis tramite vetustatis: transit in nouum hominem renascendo. Nec iam in propagine habetur carnalis patris, sed in germine Saluatoris: Qui ideò filius hominis est factus, vt nos filij Dei esse possimus: vt susceptus a Christo, Christúmque suscipiens, non idem sit post lauacrum, qui ante baptismum fuit, sed corpus regenerati, corpus fiat Crucifixi. *Hæc commutatio dexteræ est excelsi.* (Ps. 76. 11.)] Et aliò loco: Non enim aliud agit participatio Corporis & Sanguinis Christi, quàm, vt in id quod sumimus, transeamus: Et in quo commortui & consepulti & conresuscitati sumus, ipsum per omnia, & spiritu, & carne gestemus] Item alibi: Nihil enim Redemptor noster non ad nostram salutem, aut egit aut pertulit: vt virtus, quæ inerat capiti, inesset & corpori. H Nam primùm ipsa illa substantiæ nostræ in deitate susceptio, qua *Verbum caro factum est, & habitauit in nobis*, (Ioan. 1. 14.) quem hominum misericordiæ suæ, nisi infidelem reliquit exsortem? (Solus infidelis exors misericordia Christi.) Et qui non communis natura cum Christo est, si assumentem recipit, & eo spiritu est regeneratus, quo ille primogenitus.] Audiamus hæc verba fidelissimorum, & beatissimorum Patrum, & adiuuante Domino diligenter intelligamus atque teneamus; agnoscentes veraciter, quòd illa humanæ naturæ in Christo susceptio infideles huius misericordiæ reliquit exsortes. Et eis solis præstitit, vt habeant communem naturam cum Christo, qui assumentem recipiunt, & eo spiritu sunt regenerati, quo est ille progenitus. Cesséteque ista superuacuitas, qua dicitur & definitur, *quod nullus hominum fuit, est, vel erit, cuius naturam ille non susceperit.*] Quia sicut Apostolus docet, *magnum est pietatis Sacramentum, quod manifestatum est in carne, iustificatum est in Spiritu, &c.* vsque *assumptum est in gloria.* (1. Tim. 3. 16.) Hæc de prima quæstione dicta sunt.

A

Cap. 14.

CAP. XIV.

An Christus passus sit pro omnibus qui ante eius aduentum mortui sunt.

2. DE secunda vero, qua in illis capitulis definitum est: [*Quod nullus hominum fuit, est, vel erit, pro quo Christus passus non fuerit.*] Quid aliud respondere possumus, nisi vt primum ipsos, qui hoc definierunt, sedulo interrogemus, & admoneamus, vt vigilanter & fideliter pensare studeant, ne fortè minus considerando quod dicendum erat, contra fidem, & conscientiam suam talia dixerint, & scripserint. Nam vt taceamus de his qui nunc sunt, vel adhuc vsque ad finem sæculi futuri sunt, in quibus vtique & Antichristus erit, certè de illa innumerabili multitudine impiorum, qui fuerunt ab initio mundi vsque ad aduentum Christi & in sua impietate mortui, in æternis pœnis sunt condemnati; nec ipsos, qui hæc dicerunt, credere putamus, quod pro eis in sua impietate mortuis, & æterno iam iudicio condemnatis Dominus passus esse credendus sit. Si enim pro eis passus esse creditur; Cur non etiam pro diabolo, & Angelis eius similiter passus esse credatur? Quia sicut de eisdem refugis & immundis spiritibus scriptum est, *quod Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferi detractos sub caligine tradidit in iudicium cruciandos reseruari.* Et idcirco verissime creduntur irreuocabili diuino iudicio ad pœnas, & interitum perpetuum prædestinati. Ita & illi homines impij in sua impietate mortui, eodem irreuocabili diuino iudicio iam erant pœnis perpetuis condemnati.

De 4. Capitulo

B

2. Per. 2. 4.

Sicut ergo pro illis impiis, & damnatis Angelis nullatenus Dominus IESVS CHRISTVS dicendus est passus: Ita pro istis impiis & damnatis hominibus absit omnino vt passus esse credatur: Quia hoc nimis est contrarium diuinæ veritati, nimis aduersum Catholicæ fidei, quæ indubitanter credit, & docet, quod Dominus noster suam passionem & mortem, atque ad inferos descensionem illis solis iam defunctis, & quamuis apud inferos, tamen in locis tranquillitatis & lucis constitutis exhibuit, qui in fide futuri aduentus eius ac redemptionis, & in hoc sæculo vix erant, & illuc per mortem transierant, vbi etiam tempus implendæ, ac perficiendæ eiusdem redemptionis suæ per passionem & descensionem ad eos Domini pro desiderio expectabant. De quibus & B. Ioannes Baptista imminente iam sua passione & morte, quia & ipse vnus erat ex talibus sollicite eundem Dominum interrogabat per Discipulos, dicens: *Tu es qui venturus es, an alium expectamus?* De talibus namque piis & beatis defunctis quales fuerunt ab initio mundi vsque ad aduentum Domini sancti Patriarchæ, & Prophetæ, & cæteri antiqui iusti, qui ita crediderunt & prænuntiauerunt venturum, & humanum genus suo sanguine redempturum, sicut nunc cum omnis Ecclesia iam venisse credit & confitetur, etiam in libro Ecclesiastico ipsa Dei sapientia, qui est vtique Dominus noster IESVS CHRISTVS promittit, dicens: *Penetrabo in inferiores partes terræ, & inspiciam omnes dormientes, & illuminabo omnes sperantes in Deo:* Itemque alio loco de eiusdem descensione ad inferos, & eorum liberatione à quibus expectabatur illic, Scriptura dicit: *Recordatus est Dominus sanctus Israël mortuorum suorum olim dormientium in puluere terræ: Et descendam ad eos ostendere illis salutare suum.* Vnde & per Oseæ Prophetiam ipsi morti & inferno ita minabatur, dicens *De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos: Ero mors tua, ô mors! morsus tuus ero inferne.*

C

Math, 11. 3.

De Christi descensu ad inferos.

Eccl. 24. 45.

D

Oseæ 3. 14.

De 4. Capitulo.

Quod totum quomodo fideliter & Catholice intelligendum sit, exponit mirificè B. Gregorius, ita Dicens: [Quod ante passionem dixit, in resurrectione sua Dominus impleuit. *Si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me. Omnia* enim traxit, qui de electis suis apud inferos nullum reliquit. *Omnia* abstulit vtique electa. Neque etenim infideles quosque & pro suis criminibus æternis suppliciis deditos, ad veniam Dominus resurgendo reparauit: sed illos ex inferni claustris rapuit, quos in fide & actibus recognouit. Vnde rectè etiam per Oseam dicit: *Ero mors tua, ô mors: Ero morsus tuus inferne.* Id namque quod occidimus, agimus vt penitus non sit. Ex eo enim quod mordemus partem abstrahimus, partemque relinquimus. Quia ergo in electis suis funditus occidit mortem, mors mortis extitit: Quia vero ex inferno partem abstulit, & partem reliquit, non occidit funditus, sed momordit infernum. Ait ergo; *Ero mors tua, ô mors:* Ac si aperte dicat, quia in electis meis te funditus perimo: *Ero morsus tuus inferne*, quia sublatis eis te ex parte transfigo.] Hæc fidelissimus doctor iuxta fidei Catholicæ regulam fidelissime tenenda, & sequenda proposuit. Vnde cesset hæc noua & inaudita definitio, imo noua & inaudita præsumptio, vt nullus hominum, etiam impiorum, & apud inferos irreuocabiliter damnatorum fuerit, pro quo Christus passus non sit; cum pro solis illis defunctis, vt iam dictum est, passionem sustinuerit, qui eum dum in corpore viuerent, fideliter venturum, & mundum sua passione redempturum crediderunt. Hoc itaque est Catholicum; Hoc fidei Ecclesiæ ab initio commendatum; Hoc diuina & paterna auctoritate firmatum: Et ideo abiiciatur procul fallax & inane commentum.

B Greg.

Ioan. 12. 32.

d. v. 14.

E

d. v. 14.

F

De cæteris vero hominibus, qui ab eius passione vsque nunc fuerunt, aut sunt, aut vsque in finem sæculi futuri sunt, *Catholica fides tenet*, & Scripturæ sanctæ veritas docet, quod pro omnibus credentibus, & per gratiam baptismi ex aqua & sancto Spiritu regeneratis, & Ecclesiæ incorporatis vere Dominus & Saluator noster sit passus: Neque enim verè aliter baptizari potuerunt, nisi in morte eius: Nec verè à peccatis suis ablui, nisi in sanguine eius, docente beato Paulo Apostolo: *Quia quicumque in Christo baptizati sumus.* Et attestante beato Ioanne in Apocalypsi: *Qui dilexit nos: & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo.* De his etiam, id est fidelibus suis in morte sua baptizatis, & in sanguine suo peccatorum ablutionem consecutis dicit ipse Dominus & Saluator: *Sicut nouit me pater, & ego agnosco patrem, & animam meam pono pro ouibus meis.* Pro istis dicit: *Et sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis; vt omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam.* De istis dicit Apostolus: *Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, vt illam sanctificaret, mundans eam lauacro aquæ in verbo.* Et quia sicut idem Apostolus testatur: *Non omnium est fides:* Et *non omnes obediunt Euangelio:* Dicit iterum ipse Dominus, *filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, & dare animam suam redemptionem pro multis.* Vnde etiam cum Sacramentum Corporis & Sanguinis sui Discipulis traderet, ait; *Accipite & comedite: Hoc est enim corpus meum, quod pro vobis traditur.* Et iterum: *Hic est Sanguis meus noui Testamenti qui pro vobis, & pro multis effunditur in remissionem peccatorum.*

Christus passus pro omnibus baptizatis.

Ro. 6. 3.

Apoc. 1. 5.

Ioan. 10. 15.

Ioan. 3. 14.

G

v. 15.

D. 4 Capitulo.

Eph. 5. 25 & 26

2. Thess. 3 2.

Matth. 20. 28.

Mat. 26. 26. 28.

Hos *multos* Apostolus dicit, *omnes*, vbi ait: *vnus enim Deus, vnus & mediator Dei & hominum homo Christus Iesus, qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus.* Et hos *omnes* iterum dicit *multos* vbi ait: *Et quemadmodum statutum est hominibus semel mori post hoc autem iudicium, sic & Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata*, &c. Iuxta quem locutionis modum etiam in Epistola ad Romanos dicit: *Igitur sicut per vnius hominis delictum in omnes homines in condemnationem: Sic per vnius iustitiã in omnes homines in iustificationem vitæ: Sicut enim per inobedientiam vnius hominis peccatores constituti sunt multi: ita & per obedientiam vnius hominis, iusti constituentur multi.* Manifeste enim quos in priori sententia dixit *omnes*, & *omnes*, hos in sequenti *multos*, & *multos*. Sed in condemnatione, quæ per vnum hominem ingressa est in omne genus humanum, ita rectè intelliguntur *multi*, vt verè accipiantur *omnes*: quia nemo hominum ab illa alienus est, nisi per Christi gratiam liberetur: in iustificatione autem vitæ ita rectè accipiuntur *omnes*, vt ipsi *omnes multi* intelligantur? Quia per obedientiam Christi, qua *factus est obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis*, Non *omnes* vtique indifferenter, sed *multi* iustificantur. Hanc itaque iustificationem per obedientiam mortis Christi & effusionem

1. Tim. 2. 5.

Heb 9. 27. & 28.

H

Rom. 5. 18 19.

Phil. 2. 8.

pretiosi sanguinis eius etiam illi adipiscuntur, cum ad lauacrum regenerationis veniunt, quia eam postea suo vitio *in se irritam faciunt*, Testante Apostolo ac dicente: *Quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui filium Dei conculcauerit, & sanguinem testamenti, in quo sanctificatus est, pollutum duxerit, & spiritui gratiæ contumeliam fecerit.* Et iterum: *Impossibile est enim eos, qui semel sunt illuminati; gustauerunt etiam donum cœleste, & participes sunt facti Spiritus sancti, gustauerunt nihilominus bonum Dei verbum, virtutesque sæculi venturi, & prolapsi sunt, renouari rursus ad pœnitentiam.*

Quapropter de omnibus credentibus in Christum, & in Christo regeneratis, rectè & veraciter creditur, quòd pro eis Dominus Christus sit passus. Hoc namque tota series Scripturæ sanctæ veteris, ac noui Testamenti, si diligenter inspiciatur, & fideliter consideretur, manifestè atque indubitanter attestatur. Quod etiam magnifice & nimis granditer vniuersalis & celeberrima ab ipso Domino, & Apostolis traditæ Ecclesiæ commendat auctoritas: Quæ *oblationem Corporis & Sanguinis Christi*, id est Mysterium passionis & mortis eius, tantummodo pro Ecclesia Catholica toto orbe diffusa, videlicet, pro omnium fidelium societate atque vnitate; & pro illis solis defunctis, *qui nos præcesserunt cum signo fidei, & dormiunt in somno pacis* fideliter offert, vnde & confidenter ac veraciter in ipsa mysteriorum frequentatione pro fidelibus supplicans ad Deum dicit; *Respice Domine super hanc familiam tuam, pro qua Dominus noster* IESVS CHRISTVS *non dubitauit manibus tradi nocentium, & crucis subire tormentum.* Et hunc ritum Dominicæ oblationis tantæ pietatis, & religionis attentione custodit, vt cum illa mysteria offeruntur, nullum omnino infidelem, nullum etiam Cathecumenum, nullum nisi gratia baptismatis regeneratum interesse patiatur, tanquam verè ostendens atque contestans pro illis Dominum in ara crucis oblatum, passum ac mortuum, & pretiosum eius sanguinem fusum, pro quibus in altari Eccl. illa sacrosancta, & cœlestis oblatio in mysterio passionis eius, ac mortis offertur. Vnde & quosdam, qui illam sacratissimam oblationem vel pro Cathecumenis, vel quibusque innocentibus paruulis viuentibus, siue defunctis faciendam dixerunt, velut hæreticos Ecclesia detestata est.

Sicut B. Augustinus in libro quem ad Vincentium victorem scripsit, manifestissimè ostendit, dicens: [Noli credere, nec dicere, nec docere sacrificium Christianorum pro his, qui non baptizati de corpore exierint, offerendum, si vis esse Catholicus: quia nec illud quod de Machabæorum libris commemorasti sacrificium Iudæorum pro his qui non circumcisi de corpore exierant, ostendit oblatum. In qua tua sententia tam noua, & contra Ecclesiæ totius auctoritatem disciplinamque prolata verbo etiã insolentissimo vsus es, dicens: Pro his itaque oblationes assiduas, & offerenda iugiter Sanctorum sacrificia Sacerdotum censeo.] In libro quoque quem scribit ad Petrum Presbyterum contra scripta eiusdem Vincentij Victoris, ita eum redarguit: Tantum enim salutis, & fœlicitatis non baptizatis paruulis tribuit, quantum nec Pelagiana hæresis potuit.] Et post paululum de eisdem non baptizatis paruulis: Ne quisquam, inquit, pro eis obtulit vel oblaturus est sacrificium, quod iste etiam pro non baptizatis censuit offerendum.] Et post pauca, de eodem Vincentio: Aut omnino, inquit, hærebit, aut simul pro omnibus paruulis, qui toto orbe terrarum sine Christi baptismo moriuntur, etiam eorum nominibus tacitis, quoniam nesciuntur, in Ecclesia Christi non incorporatis, Corpus Christi offerendo, Corpus Christi esse censebit.] Post hæc subiungit ad iam dictum Petrum Presbyterum loquens: Absit à te frater, vt hæc tibi placeant. Absit vt ista vel didicisse te gaudeas, vel docere præsumas.]

Ex his verbis sancti Doctoris manifestissimè docemur vt pro his tantum, qui baptismo Christi regenerati incorporantur Ecclesiæ, quæ est Corpus Christi, Corpus Christi debeat offerri. Et quisquis pro eis qui minime sunt regenerati, nec Corpus Christi effecti, dicit illud sacrificium offerendum, censet eos esse Corpus Christi, qui nunquam incorporati sunt membris Christi. Vnde piè hoc obseruat sancta mater Ecclesia, quæ pro Cathecumenis, siue paruulis, siue maioris ætatis, nisi postquam fuerint regenerati in Christo, non offert sacrificium Christi, & tunc primum cum regenerantur in oblatione Dominica, etiam specialiter eorum memoriam frequentare incipit, dicens: *Hanc igitur oblationem seruitutis nostræ, sed & cunctæ familiæ tuæ, quam tibi offerimus pro his quoque quos regenerare dignatus es ex aqua & Spiritu sancto, quæsumus Domine, vt placatus accipias*, &c. Gratia namque redemptionis Christi, & ante baptismum nullatenus accipitur, neque his, qui sine baptismo de corpore exeunt, vllatenus dari potest. Sicut & tota obseruat Ecclesia. Et B. Gregorius ad consulta Augustini respondens, breuiter ostendit, dicens: [Sancti mysterij gratia, sicut viuentibus atque discernentibus cum magna discretione prouidenda est: Ita his quibus mors imminet sine vlla dilatione offerenda, nedum adhuc tempus ad præbendum redemptionis mysterium quæritur interueniente paululum mora inueniri non valeat, qui redimatur.] (B. Greg. Regist. lib. 12.)

Pro illis tamen omnibus qui ex aqua & spiritu regenerati, ac per hoc Ecclesiæ incorporati, cum pietate dormitionem acceperunt, solemniter & generaliter vniuersalis seruat & prorsus seruare debet Ecclesia, vt inter illa sacrosanctæ immolationis mysteria suo loco atque ordine siue nominatim, siue tacitis nominibus fideliter commemorentur: Verè namque ad plenitudinem, & vnitatem Ecclesiæ pertinent, nec ab illa vel morte separari possunt. De quibus in Domino mortuis, & cum Domino viuentibus beatus Ioannes in Apocalypsi scribit: *Beati mortui qui in Domino moriuntur: Amodo dicit spiritus, vt requiescant à laboribus suis: Opera enim ipsorum sequuntur illos.* (Apoc. 14. 13.) Et Beatus Paulus Apostolus sub nomine *Vigilantium* viuentes sub nomine autem *dormientium*, defunctos fideles volens intelligi, ad Thessalonicenses dicit: (De 4. Capitulo.) *Quoniam non posuit nos Deus in iram, sed in adquisitionem salutis per Dominum nostrum* IESVM, *qui mortuus est pro nobis: Vt siue vigilemus, siue dormiamus simul cum illo viuamus.* (1. Thess. 5. 9. 10.) Et iterum alibi: *Nemo enim nostrum sibi viuit, & nemo sibi moritur: siue enim viuimus, Domino viuimus: siue morimur, Domino morimur. siue ergo viuimus, siue morimur, Domini sumus. In hoc enim Christus mortuus est, & resurrexit, vt & mortuorum, & viuorum dominetur.* (Ro. 14. 7. 8. 9.) Hinc est quod in illa beati actione mysterij, ex auctoritate vtique diuina, & traditione Apostolica & sanctis Patribus oratio pro defunctis fidelibus specialiter posita est, quæ ita se habet: *Memento etiam Domine famulorum famularumque tuarum, qui nos præcesserunt cum signo fidei, & dormiunt in somno pacis*, &c. (Oratio pro defunctis fidelibus.)

Quod totum ita ab initio in Ecclesia, & ab Ecclesia vniformiter ac legitime obseruatum esse commendat diligentissime Beatissimus Pater Augustinus in libro de cura pro mortuis gerenda, ita dicens: [Non sunt prætermittendæ supplicationes pro spiritibus mortuorum, quas faciendas pro omnibus in Christiana, & Catholica societate defunctis, etiam tacitis nominibus eorum, sub generali commemoratione suscepit Ecclesia; vt quibus ad ista desunt parentes, aut filij, aut quicumque cognati, vel amici, ab vna eis exhibeatur pia matre communi.] (Aug. de cura pro mort. c. 4.)

Et post aliqua: [Quæ cum ita sint, inquit, non existimemus ad mortuos pro quibus curam gerimus peruenire, nisi quod pro eis siue altaris, siue orationum, siue eleemosynarum sacrificij solemniter supplicamus: Quamuis non pro quibus fiunt omnibus prosint: sed eis tantum, pro quibus dum viuunt comparatur vt prosint. Sed quia non discernimus qui sint, oportet ea pro regeneratis omnibus facere: vt nullos eorum prætermittatur, ad quos hæc beneficia possint & debeant peruenire. Melius enim supererunt ista eis, quibus nec obsunt nec prosunt, quam eis deerunt quibus prosunt.]

Ex his igitur omnibus diligenter ac fideliter consideratis certissime & clarissime ostenditur pro omnibus fi-

delibus

A delibus Christi, qui fuerunt, sunt, vel erunt, factam esse passionem Christi. Pro fidelibus Christi offerri sacrificium Christi: pro Corpore Christi immolari Corpus Christi. De his vero, qui adhuc in infidelitate atque impietate detinentur, manifestum est ex hac regula fidei quod quicumque ex ipsis per Dei gratiam fuerint ad fidem conuersi, & in Christo regenerati, etiam pro ipsis confitendum sit factum esse, quod pro omnibus fidelibus factum constat. De cæteris vero, qui in ipsa infidelitate atque impietate sua perseuerantes sunt perituri, si de Scripturæ sanctæ auctoritate, quod etiam pro talibus Dominus passus sit, certissimis & clarissimis testimoniis nobis demonstrare potuerint boni viri, qui talia definierunt, dignum omnino est, vt credamus & nos. Si verò non potuerint, cessent contendere pro eo; quod non legunt. Pudeat eos definire, quod *nesciunt*: Timeant statuere quod nullum sanctorum Patrum concilium, nullum Apostolicæ sedis Pontificum, nullum Ecclesiasticorum dogmatum decretum hactenus inueniant statuisse. Quod & si quid à sanctis & venerabilibus Ecclesiæ doctoribus vel scriptum, vel dictum vnde huiuscemodi sensua occasio sumi posse videatur, inueniunt: salua eorum debita reuerentia, cohibeant se potius, & submittant se humiliter diuinæ auctoritati; Et rem tam obscuram, tamque inusitatam diuinæ reseruent humiliter maiestati: Hoc namque & *Paschalis agni* sacra illa epulatio mystice nobis commendat cum dicitur; *Si quid residuũ fuerit, igni comburetis*, sicut Beatus *Gregorius* exponit dicens: Quod ex agno remanet igni comburimus, quando hoc quod de mysterio Incarnationis eius intelligere, vel penetrare non possumus, potestati Spiritus sancti humiliter reseruamus, vt non superbe quis audeat vel contemnere, vel denuntiare quod intelligit, sed hoc igni tradat, cum sancto Spiritui reseruat.

De 4. Capitulo. — Nota. — B — Exod. 12. 10. S. Greg.

CAP. XV.

Cap. 15. — C — De q. 3. Gal. 5. 6.

IAm de tertia quæstione, qua definitum est, *Quia sicut infideles redimuntur mysterio sanguinis Christi: Ita nec fideles redempti sunt, qui non habuerint eam fidem* quæ per dilectionem operatur. Quid necesse est aliquid dicere? Cum ex his, quæ supra iam dicta sunt, manifestissimè ostendatur, & omnibus infidelibus nullam esse redemptionem in Christo, & omnes fideles, qui fideliter accedunt ad fidem, & gratiam regenerationis, ibi accipiant veram redemptionem, vbi accipiunt veram regenerationem. Quia nec vere possunt regenerari, nisi eos, & à potestate diaboli, & à seruitute peccati verè constet redimi. Nec verè possunt redimi, nisi lauacro indulgentiæ expiari, & à reatu delicti, & à dominatu principis mundi efficiantur absoluti. Nisi, quod hoc in ista definitione absurdissimum est, *quod Dominus* IESVS CHRISTVS *etiam pro impiis in sua impietate pereuntibus dicatur passus*: Et *fidelis quisque fideliter baptismo eius regeneratus mysterio passionis eius affirmetur non esse redemptus*.]

D — De 4. Capitulo. Deut. 28. 66.

Nec illud aliquis contra hanc veritatem Euangelicam & Apostolicam obiiciendum putet, quod inter cæteras maledictiones populi Iudaici, in Deuteronomio continetur ad eundem incredulum populum dictum: *Et erit vita tua pendens ante oculos tuos, & non credes vitæ tuæ*. Vel illud quod in Isaia de eodem infideli populo, ex persona ipsius Domini IESV CHRISTI de passione & cruce eius dictũ solet intelligi. *Expandi manus meas tota die ad populum non credentem, & contradicentem: Qui ambulat via non bona, post cogitationes suas*: Vt quasi ita quis velit accipere, quod illi *incredulo populo* dictum est; *Et erit vita tua pendens ante oculos tuos, & non credes vitæ tuæ*. Tanquam ipsi *incredulo & infideli populo* in sua incredulitate, & infidelitate permanenti, Dominus IESVS CHRISTVS, qui ante eorum oculos in cruce pependit, dicatur vita cum vtique eis non dederit vitam: Et dicantur ipsi non credidisse vitæ suæ: quasi Dominus etiam eorum, qui non credunt, nec vnquam eius fide viuificantur, possit dici vita. Et illud de Esaia testimonium sic conetur intelligere vt dicat, quod Dominus propterea dixerit: *Expandi manus meas tota die ad populum non credentem & contradicentem*. Quasi propter eundem populum in sua incredulitate & contradictione perdurantem, & eius causa crucis sustinuerit passionem. Vt quasi ex hoc affirmare videatur, quod Dominus etiam pro impiis in sua impietate pereuntibus in Scripturis passus esse dicatur: Quia diuinæ Scripturæ nullatenus possunt inter se esse contrariæ: sed quod in earum planioribus locis manifestius declaratur, hoc etiam in obscurioribus occultatur, vt ex his quæ in illis clara sunt inluminentur obscura, non ex his quæ obscura sunt, clara obscurentur.

Isa. 65. 2. — d. v. 66. — E — d. v. 2.

Itaque iuxta manifestam, quam superius ostendimus de passione, & redemptione Christi Euangelicam, & Apostolicam veritatem, etiam illud, quod in Deuteronomio inter cætera maledicta illi populo infideli dictum est: *Et erit vita tua pendens ante oculos tuos, & non credes vita tua*, ita fideliter accipiamus dictum, vt agnoscamus maximum maledictum fuisse illius populi, vt merito malitiæ suæ excæcari, venientem ad se Dominum Christum tantis signis & miraculis cognoscere non potuerint. Sicut de eorum tanta cæcitate ante fuerat Prophetatum. *Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua & oculos eius claude, &c.* Et hanc cæcitatem iusto iudicio Dei permansisse in illis vsquedum Dominum comprehenderent, condemnarent, & morti adiudicatum crucifigerent: sed postea illo resurgente, & ad cœlos ascendente, misso Spiritu sancto, & prædicantibus Apostolis per inspirationem diuinæ gratiæ, subito ad eorũ prædicationem compunctos dixisse: *Viri fratres quid faciemus*. Et continuo accepto salutis consilio baptizatos, ac vitæ suæ quam in cruce ante oculos suos positam agnoscere non potuerant nec crediderant, reconciliatos. Et ideo mirabiliter per beatum Moysem vtrumque Prophetatum, vtrumque significatum est, vt & in passione Domini haberent *vitam ante oculos*, sed nec crederent, nec agnoscerent. Et hæc tamen vita esset etiam ipsorum tam infidelium, & tam excæcatorum: quia eos postea fide sua viuificauit: sicut scriptum est: *Iustus autem ex fide viuit*. Ita in passione sua Dominus & vita erat ipsorum, & non erat vita ipsorum. Vita namque erat ipsorum, quia erat eos viuificaturus. Non erat vita ipsorum, quia necdum eos viuificabat, quando mortui vitam crucifigebant. Vnde vt ista cæcitas ab illis auferretur, & fidei illuminatio eis donaretur, in ipsa crucis passione patrem precabatur dicens: *Pater ignosce illis, non enim sciunt quid faciunt*. Similiter & illud quod in Esaia ex ipsius Domini persona intelligitur dictum: *Expandi manus meas tota die ad populum non credentem, & contradicentem*; Eodem sensu accipiendum est: quod perpessus sit ac sustinuerit illum populum semper sibi non credentem & contradicentem: ita vt clamaret *Crucifige, crucifige eum*: Et dicente Pilato *Regem vestrum crucifigam, responderunt: non habemus regem nisi Cæsarem*: Donec in cruce exaltatus expanderet manus, tanquam virtute passionis suæ omnia tracturus ad se, etiam ipsum *populum non credentem, & contradicentem: in reliquiis* videlicet, *quæ ex illo per electionem gratiæ salua facta sunt*. Hoc ita futurum ipse prædixerat, quando ad eos ante passionem suam, tanquam *ad populum non credentem & contradicentem* dicebat: *Cum exaltaueritis filium hominis, tunc cognoscetis, quia ego sum*. Non credendo namque, & contradicendo ad hoc peruenerunt, vt exaltarent filium hominis in ligno crucis: Et tunc virtute passionis, & gratia orationis eius illuminati cognouerunt eum, quem antea non cognoscentes crucifixerant: *Si enim cognouissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent*.

Deut. 28. 66. — F — Isa. 6. 10. — Act. 2. 37. — De 4. c. Habac. 2. 4. — G — Rom. 1. 17. — Luc. 23. 34. — Isa. 65. 2. — Ioann. 19. 15. — Rom. 11. 5. — Ioan. 8. 28. — H — 1. Cor. 2. 8. — B. Cypr.

Hunc nobis verum & Catholicum sensum beatissimus martyr *Cyprianus* in libro, quod idola dij non sint diligenter insinuat, dicens de eisdem Iudæis. [Non intelligendo primum Christi aduentum, qui in passione præcessit occultus, vnum tantum credunt, qui erit in potestate manifestus. Quod autem hoc Iudæorum populus intelligere non potuit, delictorum meritum fuit. Sic erant sapientiæ & intelligentiæ cæcitate mulctati: vt qui

vita indigni essent, haberent vitam ante oculos, nec viderent.] Similiter & Beatus *Augustinus* in explanationibus Ioannis Euangelistæ docet dicens: Ecce Dominus IESVS CHRISTVS venit, prædicauit; sed quid putamus? *Nũquid* qui audierunt *oues* erant? Ecce audiuit *Iudas*, & lupus erat: *sequebatur*, sed pelle ouina tectus pastori insidiabatur. *Aliqui vero* eorũ qui Christum crucifixerunt non audiebant *& oues erant*: Ipsos enim videbat in turba quando dicebat: *Cum exaltaueritis filium hominis, tunc cognoscetis quia ego sum* Quomodo ergo ista soluitur *quæstio? Audiunt non oues, & non audiunt oues, sequuntur vocem* pastoris quidam lupi, & eis quædam contradicunt oues: Postremo pastorem occidunt oues. Sed quando non audiebant, oues nondum erant, vox audita eos mutauit, & ex lupis oues fecit.]

Liber in fine Sanctorum Patrum pauca verba subiungere, quam mirabiliter & dulciter prædicent de mysterio redemptionis Christi: De salute etiam illorum iustorum, qui fuerunt ante aduentum Christi, & deinceps omnium fidelium qui eius gratia cotidie redimuntur atque saluantur. Beatus *Ambr.* de ipso Domino IESV CHRISTO, qui est *Agnus Dei, & tollit peccatum mundi*: Quomodo à certo & prædestinato numero qui possint ad eius esum sufficere, comedatur, ita dicit: [Sanguis Christi, cuius ad gratiam nihil minuitur, nihil adiungitur. Et si parum sumas, & si plurimum haurias, eadem perfecta est omnibus mensura redemptionis. Pascha quoque Domini, hoc est Agnum, Ita Patres epulari iubentur, vt secundum numerum animarum epulentur suarum, neque plures, neque pauciores: Neque aliis plus dari, aliis minus secundum animas singulorum: Ne aut fortiores amplius sumant, aut infirmiores minus. Gratia enim equalis singulis diuiditur, redemptio diuiditur, donum diuiditur. Neque plures oportet esse, ne quis vacuus spei & redemptionis recedat. Plures sunt quando aliqui extra numerum sunt; *Sancti autem numerati sunt omnes, & capilli eorum. Cognouit enim Dominus qui sunt ipsius*. Neque pauciores, ne quis magnitudines gratiæ sit ad recipiendum infirmior. Et ideo omnes æqualitatem deuotionis & fidei deferre præcepit in Pascha.]

De hac re id est redemptione sanguinis Christi etiam beatus Leo ita docet: [Effusio enim pro iniustis sanguinis iusti tam potens fuit ad priuilegium, tam diues ad pretium, vt si vniuersitas captiuorum in redemptorem suum crederet, nullum tyrannica vincula retinerent.] Et iterum: Ita Dominus IESVS CHRISTVS humano generi sua morte consuluit, vt Sacramentum salutis etiam ipsis persecutoribus non negaret. Qui enim venerat vniuersis credentibus omnia peccata dimittere, à generali indulgentia nec Iudaicum volui crimen excludere. Et iterum Quid enim aliud egit crux Christi, quam vt destructis inimicitiis reconciliaretur mundus Deo, & per sacrificium immaculati agni in verum pacem cuncta reuocentur.]

4 Ca-
alo.
D

Itemque alibi: Offerebatur enim à Domino pro salute mundi hostia singularis, & occisio veri agni per tot sæcula prædicata promissionis filios in libertatẽ fidei transferebat. Confirmabatur quoque testamentum nouum, & Christi sanguine æterni regni scribebantur hæredes Ingrediebatur summus Pontifex Sancta Sanctorum, & ad exorandum Dominum immaculatus sacerdos per velum suæ carnis intrabat.] Et alio loco: Incarnatio quippe verbi, & occisio ac resurrectio Christi vniuersorum fidelium salus facta est: Et sanguis vnius iusti, quod nobis donauit, qui eum pro reconciliatione mundi credimus fusum, hoc contulit patribus, qui similiter crediderunt fundendum.]

Hier.

Beatus etiam *Hieronymus* in expositione Epistolæ ad Galatas, cum de eisdem Sanctis loqueretur antiquis: [Nemo, inquit, illorum de maledicto quempiam liberauit absque solo Domino IESV CHRISTO, qui pretioso sanguine suo, & nos omnes, & ipsos Moysem dico & Aaron, Prophetasque cunctos & Patriarchas de maledicto legis redemit. Nec hoc meo sensu dictum putetis, scriptura testis est, quia *Christus Gratia Dei pro omnibus mor-*

.Cor.
.15.

tuus est, si autem *pro omnibus*, & pro Moyse, & pro vniuersis Prophetis: E quibus nullus potuit delere *Chyrographum vetus, quod aduersum nos scriptum erat, & affigere illud cruci. Omnes enim peccauerunt, & egent gloria Dei.*] Item idem doctor exponens illud quod per Prophetam de Domino dictum est, *Iste asperget gentes multas*, mundans inquit, eas sanguine suo, & in baptismate Dei consecrans seruituti:] Item in Commentariis Euangelij secundum Matthæum cum verba Domini exponeret dicentis, *Sicut filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, & dare animam suam redemptionem pro multis.* Non dixit, inquit, dare animam suam redemptionem pro omnibus, sed pro multis, id est pro his qui credere voluerint.]

E
Col 2. 14.
Ro. 3. 23.
Esa. 52. 15.
Math. 20. 28.
Idem in Matthæ c. 20. 28.

Item beatus *Augustinus* in libro de natura & gratia [Ea inquit fides iustos sanauit antiquos, quæ sanat & nos, id est *mediatoris Dei, & hominum hominis* CHRISTI IESV. Fides sanguinis eius, fides crucis eius, fides mortis & resurrectionis eius. *Habentes ergo eum spiritum fidei, & nos credimus, propter quod & loquimur.*] Item in tractatibus in Ioannem Euangelistam: *Estote*, inquit, *oues: Oues* credendo sunt *oues*, pastorem sequendo sunt *oues*: Redemptorem non contemnendo sunt *oues* per ostium intrando sunt *oues*, Exeundo, & pascua inueniendo sunt *oues*. Quomodo ergo istis dixit, *non estis ex ouibus meis?* Quia videbat eos ad sempiternum interitum prædestinatos, non ad vitam æternam sui sanguinis pretio comparatos.] Item ibi: Tota illa eius passio, nostra purgatio, est passurus igitur exitia, præmisit obsequia, non solum eis, pro quibus erat subiturus mortem, sed etiam illi, qui eum fuerat traditurus ad mortem.] Et alio loco: *Quod facis*, inquit, *fac citius*, non præcepit facinus, sed prædixit *Iudæ* malum, nobis bonum. Quid enim Iudæ peius, & quid nobis melius quam traditus Christus, ab illo contra illum, pro nobis præter illum.] Et alio loco: quantum sibi (inquit) assumpserat Petrus intuendo quid vellet, ignorando quid posset: Quantum sibi assumpserat, vt cum *Dominus venisset animam suam ponere pro amicis suis*, ac per hoc & pro ipso, ille hoc Domino offerre confideret, & non pro se posita anima Christi, animam suam polliceretur positurum pro Christo.] Et alibi: *Christus saluator*, quod est nomen eius, fidelibus eius: Est quippe impiis & damnator, qui dignatur fidelibus esse saluator.]

B. Aug.
1. Tim. 2. 5.
F
2. Cor. 4. 13.
Ioann. 10. 26.
De 4. Capitulo.
De Iuda.
Ioann. 13. 27.
G
Ioann. 13. 37.

Beatus antistes & martyr *Cypr.* in libro de laude martyrij & martyrum, ostendens à mundi initio prædestinatos qui Christi sanguine aspergerentur & mundarentur O beati, inquit, quos à primordio mundi Domini sanguis infecit, & quos merito splendor iste niuei amictus induerit & candor stolæ ambiens ornarit.] Item in libro; ad Demetrianum: Hanc (inquit) gratiam Christus impertit, hoc munus misericordiæ suæ tribuit, subigendo mortem trophæo crucis, redimendo credentem pretio sui sanguinis, reconciliando hominem Deo Patri, viuificando mortalem regeneratione cœlesti. Hunc, si fieri potest, sequamur omnes, huius Sacramento, & signo censeamur. Hic nobis viam vitæ aperit: hic ad paradisum reduces facit: hic ad cœlorum regna perducit. Cum ipso semper viuemus facti per ipsum filij Dei: Cum ipso exultabimus semper ipsius cruore reparati.] Amen.

S. Cypr.
H

* * *

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google